2. 4. 134

2K'.4

XXXV
P15. 2

R. P. MARCELLINI DE PISE,
PRÆDICATORIS CAPVCINI
Moralis Encyclopædia
QVATVOR TOMIS CONCLVSA.

MORALIS
ENCYCLOPÆDIA,

ID EST,

SCIENTIARVM OMNIVM CHORVS,

Expendens moraliter ſacroſancta Euangelia:

TOMVS PRIMVS.

DE FESTIS CHRISTO DOMINO SACRIS,
De Euchariſtia, de omnibus feſtis B. V. Mariæ, & de S. Ioſeph.

Opus multiplici varietate conſpicuum, vtpote Theologiæ, SS. Patrum, vtriuſque Iuris, Philoſophiæ, Matheſeos, Rei Medicæ, Lemmatum, ſeu Symbolorum, & Hiſtoriæ omnigenæ crebris floribus vernans.

PRÆTER CONDVCTAS OMNES SCIENTIAS, QVÆ VLTRO ſuum hìc pendunt obſequium, aptantur moraliter antiquitates omnium ferè nationum.

In his præcipuè recenſentur ritus Hebræorum, Chaldæorum, Indorum, Perſarum, Medorum, Scytharum, Ægyptiorum, Arabum, Æthiopum, Græcorum, & Romanorum.

Auctore R. P. MARCELLINO DE PISE, *Matiſconenſi Prædicatore Capucino Prouinciæ Lugdunenſis.*

Ad Indices Capitum, Scripturæ ſacræ, & Verborum; Acceſſerunt alij ſeptem Indices, ſcilicet, Theologiæ, Philoſophiæ, Symbolorum, Medicinæ, Iuris Canonici, Iuris ciuilis, & Hiſtoriarum.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO.

PRÆPOTENTI DOMINO IESV DEO OPT. MAX.

VOTVM.

O VERBVM, per quod facta ſunt omnia: dediſti mihi verbum, vt enarrem mirabilia tua vniuerſa, ad te volat hoc irreuocabile verbum: quippe vt eſt verbum Verbi, ſagaci indagine ſcit à te, & ad te vox miſſa reuerti. Sic repetunt proprios quæque regreſſus, reditúque ſuo ſingula gaudent. Iuxta tuum, Deus, præfatum, non redit ad te verbum tuum vacuum, ſed pluribus aliis variis è fontibus hauſtis ſtipatum ad te reuertitur; & quia aggregatum omne ſapit naturam potioris, in verbo tuo laxabo retia, & mei omnes labores exantlati, votáque omnia, quicquid occurrit multiplici ſcientia coëunte, tuis omne illud ſacris aduoluunt pedibus, tanquam penſiles exuuias tibi ſacras, animo minimè pœnitendo.

Soſpiti Tobiæ fuit ſatis, Angelum reducem adſciuiſſe in partem eorum, quæ parta & reperta fuerant ipſius auſpiciis, ſed mihi flocci eſt, quicquid appendo tuis reuerendis aris, ſi mei aliquid excepero.

Hallucinante Româ, legati ritu nefario linguas Mercurio faciebant ſacras, vt typhum, qui inſurgit ex eloquentia, deponerent ad delubra illius, quem perperam præeſſe eloquentiæ prædicabant. Procul à me eſto ritus hic profanus: pro te fungor legatione ad populum, Eccleſiaſten agens: extra te neſcio Mercurium, ora nempe qui tacita reſeras inſinuans verbum, loquelæ praes, atque adeò & in lingua & me toto eſt id votum, quod rependo tibi, Domino meorum omnium Deo præpotenti.

Ecce me totum Deus tuis addictum obſequiis: tibi nempe debemus quod ſumus, quod valemus, omne quod viuimus: ſed quis habet quicquam, te inſcio, & non tuum? Hac præambulâ confeſſione, & indole ingenuâ

confido fore non ingratum tibi animum meum hunc ſupplicem, ô omnivalens Ieſu!

Aquilarum ego æmulor ingenium, quæ exploraturæ an pulli ſint adulterini fœtus, eâ indagine rimantur eorum indolem; exponunt eos radiis rutili Solis, quos ſi oculo non nutante exceperint, probant eos velut ingenuos. Tomus iſte prior fœtus eſt meus primogenitus, cum tibi ſiſto, ô Sol oriens ex alto, vt tuo lumine coruſco excepto, rutilet vſquequaque; & inde ſciant omnes, nitorem eum qualemcumque habuerit, iſtud opus eſſe à te luminum Patre, à quo profiteor me omnia, ſi quæ hîc refulgent, mea lumina mendicaſſe. Nimirum omne quod effluxit marte noſtro, id totum afflante aurâ tuâ rerum omnium effectrice eſt; ſine te enim factum eſt nihil: cùm ergo non ſit ſui iuris, qui alicuius eſt quod eſt, non ſine piaculo, te inſcio, huiuſce fœtus optime parens, aliò potuere deduci mea præludia, à te iugi fonte deriuata. Itaque ſicut ex gentilitiâ parmâ eminente, dynaſtæ dominium, & ſcutiferi loci obſequium auguramur: ita hocce meo reſcripto omnibus id ratum & fixum eſto, tibi ſoli Domino meo Ieſu meum ingenium deſudare, vt cuius niſui longè latéque ſit inuſta tua teſſera bonitatis. Vt autem ſarta tectáque ſint omnia, æterno præmiſſo obſequio, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, verbum, inquam, ſpirans amorem, ne cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar, obnoxius ſcommati Lactantij, verba viduata factis erubeſcunt.

Ne igitur tuorum in me chariſmatum fluxum mea deliquia præpediant, amore tuo perciti Auguſtini feruidos mutuabor æſtus, quibus piè ſic litauit.

Tu Domine, à quo cuncta bona procedunt, propter te, & nomen ſanctum tuum, da nobis de bonis ac datis tuis vt ſeruiamus tibi, & in virtute placeamus: non enim poſſumus aliunde placere tibi, neque ſeruire niſi de tuo munere. Fac, precor, Domine, me guſtare per amorem quod guſto per cognitionem, ſentiam per affectum quod ſentio per intellectum, trahe Domine in amorem tuum, vel hoc ipſum totum quod tuum eſt conditione, fac tuum eſſe dilectione.

EMINEN

EMINENTISSIMO
PRINCIPI CARDINALI
DVCI RICHELEO.

EMINENTISSIME,

Adhuc hodie viget ille ritus inditus Eccleſiæ, quo recèns edito fœtui patronus inquiritur, qui clientelâ ſuâ prauis prouideat incurſibus pupillo iniuriis. Obſequor huic decreto, ſiquidem mens mea pluribus fœta tomis, quos concepit in Euangelia, enixa eſt hoc volumen Deo propitio. Fœtus iſte meus quia primogenitus depoſcit ſibi aliquod primum, iuxta priſcum & vetuſtum morem, qui vni Deo mancipabat omne primogenitum. Non hæſi in indagine genij, in quo aliquid primum eluceret, & penes quem eſſent teſſera, & ſymbola rerum cæleſtium, quas expendit iſte liber, hoc titulo inſignis, quòd ſcientiarum omnium chorus illic inueſtiget ea quæ pertinent ad Chriſtum, Euchariſtiam, Virginem Deiparam, & ſanctum Ioſeph.

Rem dicam modeſtiæ tuæ ingratam, & qua vultus ille tuus ſedes gratiarum & tribunal omnigenæ virtutis indubiè purpuraſcet. Vnus occurriſti, in quò coëunt omnia chariſmata, quæ diſſita & diſcreta in aliis, eos tamen ſub te conſpiucos, velut Heroas atque indigetes Superis adſcripſerunt. Et vt ab operis huiuſce mei nomine exordiar, cui motalem Encyclopædiam, ſeu librum omniſcium deuouiſſem, niſi ei qui eſt φιλομαθὴς, πολυμαθὴς, καὶ βιβλιοθηκὴ ἔμψυχος; cuius item animum de omnibus diſciplinis optimè meritum Sorbonæ lapides ipſi clamant; & quâ fas eſt eis dialecto erudiunt omnes, CARDINALIS RICHELEI ingenium eſſe Palladium compoſitum ad inſtar illius Academiæ, quæ ſi nutaret, ſtare poſſet hoc Doctore ſuperſtite, qui illius ruinas inſtantes penu ſuo opportuno prouidè reparauit. Debui etiam Redemptionis noſtræ myſteria feciſſe tibi ſacra, vtpote ad cuius limina palatij exoticæ gentes oppreſſæ ſupplices accurrunt, vt à Rege IVSTO atque præpotente redimantur, ope tua, conſilióque vindice publicæ libertatis. Euchariſtiæ ſanctum pignus reconditur in edito loco, ex quo proſtat adorandum. Igitur operæpretium fuit reponere tractatum eius apud eum qui emineret, ne fieret iniuria ſacramento, quod congruè eſt penes EMINENTIAM TVAM, intra quam ſe inclinant multa quæ exurgunt. Nec deeſt tibi pixis idonea auróque radians, qua recondas rem hanc ſacram, nimi-

, anima tua multiplici virtute rutilans conſonum eſt ſacrarium Eucharistiæ conſecrandum.

Sed quid tibi & Virgini Chriſtiparæ? Audiat, & ſtupeat ſordida colluuies huius ſæculi. Quamuis ea ſit indoles rerum omnium quæ eminent vt nanciſcantur æmulos, & quandoque canes, quos inuidiæ virulenta rabies exaſperat; puritas illibata qua præfulges omnium hominum concilians tibi affectum, ita inuidos perſtrinxit oculos, vt nemine muſſitante quidem, quiſpiam indecorum aliquid de te ingerere auſus ſit, imò nec animo cogitare: Debui ergo nitelam pudoris tui Beatæ Mariæ Virgini commendare. Nomen Ioſeph à creſcendo deductum eſt ex Hebræo fonte, & hæc vox accreſcens rectè tibi quadrat; ſiquidem eò ſurrexere merita tua, vt prodant inopiam rerum humanarum, quæ impotes ſunt obſequia tua congruè coronare.

Vnum eſt quod mihi faceſſit negotium, ſcilicet quomodo ſiſterer EMINENTIÆ TVÆ, quam temerè adire nefas eſt. Venit in mentem Petri apicis Eccleſiæ ingenioſum facinus. Ille ignotus Pontifici, aditum tamen eius peruium habuit vnius Euangeliſtæ ſuffragio, ſcilicet Ioannis, quo annuente Petrus Pontificio dignatus eſt palatio. Ex parte æmulatus ſum ingenium Apoſtoli. Sed quia præſtas Pontifici Maximo Hebræorum, non vnum tantùm, ſed quatuor conduxi Euangeliſtas veluti prodromos, vt præeant mihi cogenti omnium ſcientiarum agmen tuis infulis aduolutum. Nulli enim fas eſt diſciplinæ ſeorſim ſumptæ, tua pangere præconia, ſed vt Iudæi ſingulis quibuſque nouiluniis, tubis clangentibus excipiebant illius exortum ſyderis; ita & in limine Voluminis huius, te Solem rutilum & coruſcum ſcientiarum chorus ſuſcipit, & ſalutat concrepantibus buccis, & ait omnia elogia adſcripta tibi hactenus eſſe rudimenta tantùm meritæ panegyris, & vocabula inane ſtrepentia, & ducta in bracteas, necnon eloquentiæ humilis pampinos infœcundos. Denique ſyntagma omnigenæ diſciplinæ præcones ſuos elingues fuiſſe profitetur. Eamobrem ſcientiæ omnes indixere ſua comitia, vt ex omniſcia contextura pro foribus huius libri conderetur tibi virtutis emeritæ loquax & perenne monumentum: quod poſitum à Capucino, ſua ſorte ſatis ſupérque contento, & nullius rei indigo, fidem faciet abeſſe hinc periculum aſſentationis. Habeat igitur poſtera ætas hoc compendium vitæ tuæ innoxiæ, & elogium petitum ex argumento iſtius voluminis de Chriſto, Euchariſtia, Virgine Maria, & S. Ioſeph.

EMINENTISSIMVS CARDINALIS IOANNES ARMANDVS RICHELEVS. Chriſtum ſic ſecutus vt inde ſit ſecutus, nihil niſi diuinum ſpirans neque ſperans, vtpote ſupra omne ſalum atque ſolum, indolem nactus nequaquam in dolum actam. Vir cælo natus & ſolio, cui ſoli ſolij onus incumbit, nec decumbit Atlas, magis Amandus, quàm Armandus omnibus excolendus.

Auitæ Religionis ampliator, & impij ritus non tam oppugnator, quàm euerſor. Tum reuera Armandum ratus ille Armandus, cùm Euchariſtiæ nutauit ara, & ſacra mutauit impia Religio. Vbi clarum nomen RICHELII veluti charum Numen illuxit, luxit impietas. Etenim Dux impiger Dei cum homine fœdus, ſcilicet Euchariſtiam, quam fœdus, infidus hoſtis non dicteriis, dictíſque ſacrilegis punxerat tantùm, ſed & expunxerat; hanc inquam hoſtiam ſacram, hoſtium perniciem, armatus pernice zelo ſuo Armandus reduxit eò vnde penitus exulaʀet.

Quódque ſtupeas in manente & conſtante ſibi eminente fortuna, & ſorte vna ſingulari, eâ mente candet & albicat conſciâ puritatis, vt ſit neſcia paritatis, ita vt omnimodæ caſtitatis præſtet orbi ſpecimen illibatum.

Lilio

Liliorum ſedulus cultor patens, & agnitus in omnibus plagis, eorumdem florum vltor potens & ignitus plagis inflictis hoſtibus lilio iniuriis, dignus planè, qui plenè paſcatur inter lilia, cùm enaſcuntur illa, eius ſudore velut rore irrigata. Non ille acceſcens modò, ſed ſine modo creſcit quodcumque rigarit. Quippe in incrementum Gallici ſtemmatis, & Marte, & Arte trans Alpes, & Rhenum lilia propagauit. Hoc conſultore, & vltore, ſtante, & præſtante opem ſuam, non vigebunt modò lilia, ſed & inuitis hoſtibus vtique perennabunt.

Hæc ſunt oracula quæ reſonat iſtud Palladium, iſti ſunt tituli quos exhibent omnes ſcientiæ, quæ in hoc volumine occupatæ, noluerunt te inſalutato ſuum iſti libro pendere famulatum. Si nomen Marcellini quo nuncupor adiecero limbo elogij huius, poterit EMINENTIA TVA illud idem obiicere, quod apud Cœlium Rhodiginum Pompeius ait oratori Marcellino, quem antea tacitum & ignotum in Senatum euexerat. Mea (inquit) ope Marcelline vocalis effectus es. Eo planè modo, SVMME CARDINALIS, ope tua ego Marcellinus vocalis efficiar, & agnitus: meo voto tuis appenſo tholis nihil tibi adiicitur meis encomiis, ſed illa me produnt tuis addictum obſequiis, & hoc nequaquam inglorium. Rurſus cùm tibi Pantheon hoc deuoui, beatior fui S. Auguſtino in delectu meo; quippe ille libros de ciuitate Dei vouit Marcellino, & neſcio quâ ſuadâ, ſed ego Marcellinus vice verſa, non Auguſtino, ſed Auguſto, & Eminenti præpoſito Orbis Gallici dico ſacróque ciuitatem Dei, videlicet Chriſtum, Mariam, & Ioſeph præcipuas partes, quæ componunt ciuitatem Dei, cuius incolatu futurus es aliquando beatior, vt ex præclarè geſtis à te bello & pace cogitur augurari

Eminentiæ Tuæ

Addictiſſimus & obſequentiſſimus ſeruus,

F. MARCELLINVS DE PISE,
Matiſconenſis Capucinus.

PRÆFA

PRÆFATIO
APERIENS MENTEM AVCTORIS.

OTIANTE prælo, ſanctiorum voluminum inopiâ, me nulla ſcribendi prurigo ſollicitat, aut impetiginem facit; aſt genius ille, qui Tertullianum olim altè ſtertentem excitauit. Conditio (inquit) præſentium temporum noſtram admonitionem prouocat. Eodem ego percitus æſtro ſugillor ab hoc æuo, quòd etiamſi mentium ſit defæcatarum ferax, & longè lateq́; ſata repullulent ſcripta; ſacroſancta queror Euangelia eſſe prope non illibata, ea ſaltem mente qua ad nos deuoluuntur: nam cum ea quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, voluminum proſtat vberrima ſeges, eorum quidem quæ theoriam ſonant: eorum verò, quæ praxim inſinuant, ſumma penuria.

Pleroſque videre eſt ſacro titulo prælibato, tropologiæ prorſus incurios rimari, vt ſibi blandiuntur, prææltos ſenſus, ſed vitæ cultioris inſcios. Eſto præferant lumina quædam, ea tamen dixerim ignes erratiles, ſi melioris frugi parum ſolliciti inſtar Phari opportunè illucentis ſcopulos lethales aperire non ſatagunt, ſed potius operire. Hos alij fucos ventilent, & nenias; hoc nihil ad Parmenionem: quantumuis enim ſit erecta mens, ſi eiecta voluntas ſerpit, caſſa eſt ſcientia, vtpote diſſona, & à ſcientia Sanctorum penitus aliena: hæc enim ſcientia Sanctorum ab intellectu pellucido, incunctante praxi ad manus impigrè deriuatur. Scioli quidem floribus luxuriant; ſed ſcientes, ab his fructibus diſpeſcuntur.

Audi altæ ſapientiæ ſacros latices ebibentem, flores mei, fructus honeſtatis: vide ſapientis, & ſapidæ ſcientiæ impigrum ſectatorem: non deſidem aucupatur: ſed vt mecum ſit, (ait,) & mecum laboret: fas ſit Heſiodo, hauſiſſe totum Homeri ingenium: dummodò faxit Deus vt primum ego genium Salomonis ſequar, praxim, toto ſcripturæ ſuæ tractu præſeferentis: etenim regnum Dei datur operi, non ſermoni.

Ego hîc nouus Hermes emineo, è quouis Euangelij cliuo, porrecta manu ab inuijs deducens aberrantes, totus ſum in moribus: ideoq́; exoſus ſalicum flores infœcundos, ex quolibet ſenſu literali, ſicut de cornucopiæ, fructus vberrimos educo: & huius argumenti, Deo propitio, aliquos molior tomos, ſequaces huiuſce prioris. Vt autem inoffenſo ingenio queas, ſtudioſe Lector, meas deglutire vigilias, quarum habes partem iſto volumine delibatam, accipe meorum voluminum ſeriem & indolem. Hoc tramite gradientur. Singulorum Euangeliorum textum referent prælectum in tremendo myſterio; huic textui ſubijcietur moralis expoſitio ſuccincta, nihiloq́; prolixior textu literali: ſed ea exegeſis, ſiue explicatio diſſecta in partes, tot titulos texet ſectionum, quot erunt notæ arithmeticæ, textum Euangelij charactere maiuſculo diſpeſcentes: quæuis ſectio moralem ſenſum Euangelij prodet, methodo non moroſa: quippe cauebo omne, quod inſulſum, rugas, aut ſupercilium ſapit, & quia ex Lactantio, placet magis ornata veritas; ad hanc venuſtatem meis ſectionibus ingerendam, ancillantes arceſſo famulas, videlicet ſcientias omnes idoneas moribus componendis.

Itaque quauis huiuſce voluminis ſectione chorum agent omnes diſciplinæ: ſcilicet Theologiæ aſſerta indubia, ſenſa ſelecta Patrum, Philoſophiæ æternæ veritates; quibus lumina ſub-

ijcient

ijcient Matheſeos ſcita, & experta quædam, rei Medicæ placita copioſa ſubnectentur: ne autem hæc inculta ingerant tædium, Pontificum & Heroüm ſymbola interſeram, veluti cupedias. Iuris Canonici promam oracula: quæ ſilent leges inter arma, erunt hîc vocales: etenim Iuris Cæſarei erit crebra recenſio omnigenæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & profanæ, cùm veteris, tum recentis locos non tacebo aptos meo propoſito. Si me natura Gallum enixa eſt, æquus tamen ero omni genti, de quaque honorificè atque luculenter faciens mentionem: item & veracem in quauis hiſtoria recenſenda, ſeu Gallica, ſeu peregrina, mea me profeſſio propalabit.

Vt ſit liquidior ſcientiarum omnium in omni ſectione recenſio, inuram margini grandiore typo ſingulas diſciplinas, quarum peculiare dogma ſuum pendit obſequium morali ſenſui, quem decurro; ſicq. meæ polymitæ margines erunt multiplici coëunte ſcientia fimbriatæ. Non ſtylum exoticum ſector, phraſi mihi inolita ſcribo: exoſus hunc contextum, qui graui tumet eloquio: ſiquidem etſi placent ſales & lepores Attici; tamen faceſſit ſæpe negotium phraſis inſuetæ lepos, & amænitate capto, & hærenti ſubtrahit ſe multiplex aliquando ſenſus. Huic ego remoræ occurro, dialecto nemini inuia, etſi non inculta. Depoſito ergo ſupercilio, ſuſcipe, Lector, opus, quod varijs è plagis ſemine petito concretum, non erit inglorium, ſi te habeat propitium. Si es præco verbi Dei, abundè conſului, Euangelio obiecto ſubijciens homiliam luculentam, & digeſtam ſtylo fuſiore, & quæ inuento peculiari coaleſcat.

Non cauſeris tandem, ſtudioſe Lector, antiquorum procerum in hoc agone egregia facta, ſcilicet ſcripta moralia, quorum copia & pondere bibliothecarum trabes inclinant: habent codices ſancti meſſem multam, quæ multo plures adhuc meſſores exerceat; ita vt ſtet Archipræſulis Leonis in hoc themate proloquium: ſic fatur Sanctus aureo decurrens eloquio: Excedit, dilectiſſimi, multúmque ſupereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo: & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi; nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiamſi multum proficiat, ſemper ſupereſſe ſibi quod quærat: nam qui ſe ad id, quò tendit, perueniſſe præſumit; non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. *Cui occinens aio, inexhauſtam materiam noua & vetera ſuggerere mihi componenti. Vnum te monitum volo, ſtudioſe Lector, toto operis huiuſce contextu, adeò eſſe concordes ſcientias, vt honoris omnes reſpuant apices: ita gloriæ inanis incuriæ ſunt, vt ipſa ſæpè Theologia, quæ in choro Encyclopædiæ primas agit, ſæpè alijs diſciplinis præeuntibus agmen claudat. Ne ergo in quauis ſectione deſidera tenorem vniformem, & ſcientiarum ordinem illibatum: ineſt & lepos ipſis etiam mixtis: res diſcolor & varia nauſeæ occurret, quam generat idem textus: hinc ego diſciplinas omnes dum refero, vario ſchemate atque ſitu, ordinis earum incurius, conſulo venuſtati.*

Facultas

Facultas Reuerendi admodum Patris Generalis Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum.

NOs Frater Antonius à Mutina, Miniſter Generalis (licet immeritus) totius Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum, tenore præſentium concedimus, vt liber, cui titulus eſt, *Moralis Encyclopadia, id eſt, Scientiarum omnium chorus, expendens moraliter Sacro-ſancta Euangelia. Auctore admodum Venerando Patre, Fratre Marcellino de Piſe Matiſconeſi Prædicatore*, eiuſdem noſtri Ordinis Capucinorum, à duobus Theologis dictæ noſtræ Religionis iuxta commiſſionem noſtram relectus & approbatus typis mandari poſſit, ſeruatis ſeruandis. In quorum fidem his ſigillo noſtro munitis ſubſcripſimus. Romæ die 25. Februarij 1637.

Locus ſigilli.

Fr. ANTONIVS A MVTINA Miniſter Gen.

Approbatio Doctorum Societatis Sorbonicæ ſacræ Facultatis Pariſienſis.

NOs ſubſignati è Societate Sorbonica Doctores Theologi, *Encyclopadiam hanc Moralem, in Sacro-ſancta Euangelia, Reuerendi Patris F. Marcellini de Piſe, Ordinis Capucinorum Theologi, & Concionatoris, Eminentiſſimo Cardinali Duci de Richelieu nuncupatam*, dum vidimus, legimúſque; Sapientiam illam Diuiniorem, quæ gyrum cæli circuiuit ſola, & in profundum terræ mariſque penetrauit, viſum eſt nobis videre, aut vocantem ancillas ad arcem, aut primatum in omni gymnaſio, & in omni ſchola obtinentem. Siue quòd auctor, & ipſe vere encyclios diſputauit à Cedro, quæ eſt in Libano, ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: ſiue quòd imperanti Sapientiæ eò lubentiùs ſcientiæ omnes obſequi viſæ ſunt, quòd ad eum Ducem properarent, apud quem, artium omnium & diſciplinarum chorus centrum elegiſſe facilè videatur. Cæterùm quod noſtri eſt calculi, teſtamur in primo Tomo huius Encyclopædiæ, quem vidimus, donec cæteri prodeant, nihil ſubeſſe contra fidem, nihil contra bonos mores: ſed magis omnia ineſſe Encyclia, & rotunda, & ad pias conciones vtilia ac fœcunda. Datum Sorbonæ die 20. Ianuarij anno 1637.

ROVSSE Rector S. Rochi Pariſienſis.
A. DEARADA Rector S. Andreæ ab arcubus.

APPROBATIO.

EGo ſubſignatus in ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Doctor, & D. Laurentij ad Pariſios Paſtor, fidem facio me legiſſe & examinaſſe librum, cui titulus eſt, *Encyclopadia Moralis in Sacro-ſancta Euangelia, Auctore R.P.F. Marcellino de Piſe, egregio Ordinis Capucinorum Theologo, & eximio Concionatore.* In quo diuitias Sapientiæ & ſcientiæ Dei ſub literæ cortice contentas omnium oculis exponit, & latentem Domini ſenſum, quantum homini conceſſum eſt, aperit; profunda quoque fluuiorum, vt cum Iob loquar, ſcrutatur & abſcondita in lucem producit; facit hic liber lucem de tenebris ſplendeſcere & de ſilice ignem excutit, quo lectoris animus ad ſectandam morum ſanctitatem excitetur, lucerna eſt ardens & lucens intellectum lumine, voluntatem ardore inflammans; ſi quis hunc librum manibus terat, ſentiet profectò ignem in oſſibus ſuis. Hæc me cauſa mouit vt cenſuerim non abſcondendam hanc ſub modio lucernam, ſed ponendam ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui ſunt in domo Eccleſiæ; nihil in hoc opere animaduerti quod Orthodoxæ veritati, aut Chriſtianæ probitati aduerſetur, imò omnia fidei conſona, & ad vitam rectè inſtituendam conducentia deprehendi & obſeruaui. Datum Pariſiis die 20. Ianuarij anno 1637.

NICOLAVS DELESTOQ. S. Laurentij ad Pariſios Paſtor.

Approbatio Theologorum Ordinis.

DE mandato Reuerendi Patris noſtri Prouincialis, Nos infraſcripti perlegimus librum, cui titulus eſt, *Moralis Encyclopadia, id eſt, Scientiarum omnium chorus, expendens moraliter ſacroſancta Euangelia, Auctore admodum Venerando Patre Fratre Marcellino de Piſe Matiſconenſi Prædicatore Capucino.* In eóque nihil offendimus, quod Lector Catholicus inoffenſo pede non decurrat. Imò vero teſtamur, opus eſſe ſui tituli apparatu digniſſimum, mira varietate delectabile, vſu proficuum, omnium ſcientiarum eruditione clariſſimum, pietatem Auctoris inſignem redolens. Quapropter meritiſſimum ſancimus, & teſtamur, vt ſicut omnium oculis, ita & prœli ſudoribus committatur. Ceſſurum proculdubio Deo ad honorem, Religioni ad ſplendorem, animabus ad ſalutem. Pariſiis pridie Kalendas Ianuarij anni 1637.

Fr. ALEXIVS MONDIDERINVS, Prædicator Capucinus.
Fr. PACIFICVS MACARIENSIS, Lector antea in ſacra Theologia.

C L A V I S
RESERANS MORALE PENV OMNIVM ſcientiarum, quæ ſuum pendunt obſequium Euangeliis in hoc volumine recenſitis.

OPEROSA *ſanè res eſt morem gerere titulo, quem iuſſi meo volumini, ſic inſcripto:* MORALIS ENCYCLOPÆDIA, *id eſt,* Scientiarum omnium chorus, expendens moraliter ſacro-ſancta Euangelia. *Plerique hoc Epigraphe libri factum audax ſubodorantes geſtient, videre velut in atrio pendere de tabula ſynopſim inventi. Itaque lectorum votis obſecundans, in limine operis huiuſce mei, multo oleo delibuti, aperio rationem, qua exigo morale ab omnibus ſcientiis obſequium, vt ebibito meo ritu quiſque inoffenſo pede queat decurrere paginas iſtas, omnium ſcientiarum calculis intertextas. Meo More aperto, clauem vtique pendulam pro foribus libri obiicio, vt videant omnes ſteterim pollicitis, necne.*

Ex quouis Euangelio aliquos ſeligo textus, è quorum litera eruo ſenſum, qui ſit componendis moribus idoneus; verbi gratiâ, Tractatu tertio, capite ſexto, ſectione tertia, enucleans verba illa Domini IESV. Porrò vnum eſt neceſſarium, *hunc ego verſum expendo moraliter de oratione, & ſectionem ſic inſcribo:* De neceſſitate vnionis animæ cum Deo, *in hæc verba,* Porrò vnum eſt neceſſarium. *Hæc ſectio multa ratione fœta, ſcientias omnes eodem titulo patre ſatas edit & parturit, vt miniſtras tropologiæ, cui ſcientiæ omnes ancillantur. Etenim ſingulis quibuſque titulis ſectionum, ſcientiæ omnes ſubſunt aut probantes, aut ornantes ſenſa mea moralia, ex Euangelij litera deriuata. Et quia Philoſophia eſt Theologiæ præambula, vt faces prætendens; plerumque auſpicor ab ea diſciplina, vt à Theologiæ rudimento.*

Sic præludit Philoſophorum apex Ariſtoteles: illud eſt neceſſarium alicui, ſine quo finem EX PHILOSOPHIA.
ſuum nequit adipiſci; ſed ſine vnione animæ cum Deo, homo deuiat à fine ſuo: ergo ea vnio *Ariſt. lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8.*
ei neceſſaria eſt; & vt eatur obuiam longo contextui rationum, ſtylo oratorio ſtabilio præmiſſas. Quas ſi diſcuterem logicè repetito ſyllogiſmo, & adiectis his formulis, probo maiorem, res planè ingrata foret, & vltra metas; item in pampinos & bracteas, id est, in voces canoras tantùm & inanes tota ſtreperet luxurians oratio: ſic igitur intentum ſtabilio: finis hominis eſt beatitudo eius; beatitudo autem naturæ intellectualis attenditur penes perfectionem intellectus, qui perficitur intelligendo ſummum intelligibile quod eſt Deus: ſed hæc intellectio non fit ſine vnione intellectus cum illo intelligibili; ergo ipſo etiam conſcio Philoſopho Stagyrita, vnio hæc neceſſaria eſt. Iam ſpeculare meum, quid ex eo diſcurrendi ſchemate naturali poſſit deduci pertinens ad mores, & videbis exurgere orationis vſum indefeſſum: cùm etenim oratio ſit mentis aſcenſus in Deum, & vnio illa cum Deo nihil ſit aliud ab aſcenſu mentis in Deum; ſi quis vult ad beatitudinem pertingere, ad eum finem orationis tramite gradiatur.

Alia ratione Philoſophiam ſubiicio moribus; videlicet cùm voces theorematis Phyſici inflecto ad ſenſum myſticum eruendum; vt iam eodem tractatu tertio, qui eſt de B. V. Mariæ, capite ſexto, quod eſt de Aſſumptione, ſectione quinta, quæ eſt in has voces, Maria optimam partem elegit, *cui hunc affingo titulum:* Quicquid eſt magnum ſub Deo, minus eſt Virgine, *vt Philoſophicè probem, Mariam optimam elegiſſe partem, non in modo eſſendi tantùm, ſed & in modo operandi, hoc profero axioma: Idem manens idem ſemper aptum* EX PHILOSOPHIA. *Ariſtot.*
eſt producere idem; vnde hoc morale argumentum deduco: Illud dicitur idem, quod ſibi conſtat iugiter, & eſt mutationis expers, neſciens vices alternantes, & quaſi æmulatur beatorum ſtatum: etenim imperfecta omnes induunt formas. At Maria eadem extitit ſemper, EX THEOLOGIA.
vtpote perfecta; ergo Virgo Deo fœta opus idem ſemper enixa eſt, id eſt perfecta quæque edidit & neſcientia decrementum: inde captanda occaſio declamandi in homines, quorum actiones iniquæ deuiant à calle rectitudinis, quibus hoc inculcandum. Idem manens idem ſemper aptum eſt producere idem; illud autem idem acquiri adhærendo Deo, qui idem eſt iuxta Pſalmum: In idipſum dormiam & requieſcam: *vbi Auguſtinus commentatur, creaturæ* *Pſalm. 4.*
ſunt hoc & illud; ſed tu, Domine, es idipſum.

Theologia, cui in ſcientiarum templo ſanctuarium aſſignatur, ex eo penitiore receſſu primum *S. Th. 1. 2. q. 16. art. 1.*

Tom. I. ẽ *aſſertum*

aſſertum de orationis neceßitate probat ex eo quòd illud neceſſarium eſt homini, ex cuius inopia nequit attingere ad id, ratione cuius creatus eſt, id eſt ad beatitudinem: at ex S. Thoma, homo non eſt vſquequaque beatus, niſi ex beatitudine potentiarum quæ ſunt principes animæ facultates: at illæ, ſcilicet intellectus & voluntas, beantur, tantùm cùm perficiuntur; perficiuntur autem ab vnione cum ſuo obiecto, ſcilicet intelligendo Deum vt ſupremum veritatem, & amando eum vt ſummum bonum. Hac autem præſtat oratio: nam hominem in Deum euehens, dum intellectu rapitur ſurſum, eum etiam accendit, dum voluntas amore æſtuat, & tota

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2.

penitus incandeſcit: rurſus ex Theologia neceßitas inducitur orandi ex ordine prouidentiæ Dei, quæ non intendit tantùm effectus exerendos, ſed & cauſas, & media, in quibus orationes potiſſimæ ſunt, vt videre eſt in Auguſtino, & Paulo Apoſtolo, quorum hic oratione Stephani, & ille prece multiplice matris Monicæ, aliique eadem via conuerſi ſunt, vt ſententiis SS. Patrum facio palam vtique luculenter. Ex Hiſtoria rurſus id confirmo.

Ex Historia.

Oroſ. lib. 7. cap. 15.

Niceph. Calliſt. lib. 4. hiſt. Eccleſ. c. 12.

Ne in exemplis recenſendis ieiuna ſit hiſtoria, non mihi ſatis eſt eam depromere petitam ex omnigena natione; ſed moribus apto caſus celebres notatos in enarratione rei: vt, cùm refero legionem Christianam orantem pro Imperatore Aurelio Antonino obſeſſo à Germanis, & arente ſiti, pluuiam meruiſſe, quâ defluente, ignis, grandóque lapidum, & venti, hoſtiles acies expunxerunt; colligo oratione animas allui gratiarum imbre copioſo, dæmones verò profligari igne, id eſt charitate, quâ deficiente, caſſa eſt oratio: item infero debere adeſſe ventum, id eſt ſuſpiria, à quibus non abeſt grando, videlicet internecio hoſtium, ſcilicet vitiorum: non enim facilè repetit ea quæ commiſit: ſic aduerſe, ignem, grandinem, & ventum, tria eſſe, quæ cùm ſint ad literam vera, & quibus periit exercitus, graphicè referre tria, quibus conſtat oratio; puta, charitatem, ſuſpiria, attritionem, & victoriam hoſtium.

Ex Ivre Civili.

Lege omnia, § ſeruus, ff. de officio Præfect. vrbis.

Iure Ciuili neceßitas orationis liquet, ex eo quod neceſſe erat ſeruis confugere ad ſtatuas Imperatorum, ſi ab inique dominio vellent ſeſe expedire? vnde arguo homines vitiorum vilia mancipia debere ad imaginem crucifixi Imperatoris ſupplices procumbere, ſuaſque ibi fundere preces, ſi pertæſi dominium nefarium, cupiunt à peccatis præſtito ob, eiquo reſilire. Aduerte igitur modum, quo ius Ciuile moribus inſeruiat. Textus nihil niſi profana ſonat, quæ ſi ſacris adaptas, poteris hanc ad meliorem frugem texere parænesim. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, cuius dominium inglorium eſt & iniquum: quid igitur, ô homo creatæ tui iuris, duri domini lubens imperio manciparis? adi imaginem Crucifixi, & dæmonis illic impium abdica famulatum.

Ex Ivre Canonic.

Canone, Eccleſiaſticarũ, diſt. 11.

Poteſt & aduocari Ius Canonicum, quo monemur orare verſus Orientem, iuxta praxim inolitam, quâ principes aræ cuiuſque Eccleſiæ ad Orientalem plagam vergunt. Dices; quid inde deriuari poteſt? hæc ſalutaris hortatio: Ô reprobe, quid rebus occuparis inanibus? quid te auro deuoues, & gloriæ? iſta hæc omnia occidunt: ſecede igitur ab occidente, non enim voluptates deficiunt modò, & occidunt; ſed & necant, & occidunt: dede te totum Deo, à quo ſin mendicant exordia quæuis optima. Conuertere ad Orientem illum, cui intentus, bono omnimodo potieris. Humile refugium ad ſtatuas, & ad Orientem ſubita conuerſio, clamant humilitatem & attentionem duas conditiones orationis perquàm neceſſarias, & quæ elucent in muliere Chananæa, quæ ſe profeſſa canem, demiſſum animi ſui typhum oſtendit; & egreſſa à finibus ſuis, vt Chriſtum conueniret, vertens ſe ad hunc Orientem, ſuæ attentionis, ſeu vnionis cum Chriſto, prætulit argumentum: eius orationis energia dæmonem expulit, à quo erat eius filia diuexata; hæc tria, humilitas, attentio, fugaque dæmonis, quem vrget oratio, bellè ex Mathematica propalantur.

Ex Mathematica.

Eraſtot. lib. in Phæn. Arati.

Seduli ſiderum inſpectores deprehenderunt ſidus, cui nomen canis, eſſe in cancro prope leonem, & in ore canis eſſe lucidam ſtellam, quæ calores excitat intenſos, à qua dies caniculares ſuam nomenclaturam accipiunt, & quâ oriente lupi inſaniunt, & capeſſunt fugam. Canis animam notat humilem; non longe à leone, inſinuat animam vnitam Chriſto, quem Ioannes vocat leonem de tribu Iuda. Stella rutila in ore canis, orationem refert, quæ ex ore ſupplicantis radios emittit emicantes, & cor amore accendit, iuxta illud Pſaltis. In meditatione mea exardeſcet ignis. *Imò & homines, pro quibus oratio funditur, incaleſcunt; teſte eo iuuene, pro quo B. Elizabeth orationi intenta, eum amoris æſtum ingeßit, vt propè non illicò conflagrarit. Dæmonem oratione eliminari Chriſtus eſt aſſertor, dum ait, eſſe* genus dæmoniorum, quod non eiicitur, niſi in oratione.

Ex Chron. Minor. in vita S. Elizabeth.

Ex Symbolis.

Camerar. in Cent. quadrup.

Fauet ſymbolorum pictura loquax, ea potißimum, quâ Camerarius ſtellam illam lucidam pingit, quæ rutilat in ore canis; ad cuius ortum lupum adiicit fugientem, hoc titulo eminente. Hoc Oriente fugor. *Hoc ſymbolum præco verbi Dei diu verſare poteſt, animas vrgens ad orationis frequentiam. Verbi gratiâ, ſic inuehetur in reprobos deſides & ignauos: Quid moras nectis, ô homo præpedite laqueis Aſmodæi? Deum ora, & ſcito, orationem eſſe ſidus*

iniquum

iniquum dæmoni libidinis. Hoc oriente fugatur; nec is tantùm, ſed legiones inferæ, vt aſſuetæ tenebris, lucifugæ, ſidere hoc refulgente & oriente fugantur. Si placet apponere ſententiam ſancti alicuius Patris, accipe locum Chryſologi, & inculca ſæpius : Quid de malo queritur qui ſibi proſpera non precatur? Qui ad orationem non vadit; ad tentationem vadit. *Hoc ferè ſtylo omnes ego ſcientias intexui; cuiuſque diſciplinæ pleramque placita confirmans oraculis Sanctorum Patrum, ſciens hinc meis ſcriptis acceſſurum ingens ponderis incrementum.*

Ex SS. PATRIBVS. Chryſol. ſerm. de orat.

Quòd ſi à Mathematica cæleſti terreſtrem velis vſurpare, conſule Euclydem, & diſces, lineam continuam incipere à puncto, & punctum eſſe id cuius nulla ſunt partes: hinc inferes orationem, quæ ad Deum debet dirigi, & continuo progreſſu ad eum collimare, debere ordiri à puncto, id eſt ab humilitate, cuius nulla ſunt partes: ſiquidem omnia chariſmata atque partes egregias, quas humilitas in ſe aduerit, in Deum refundis, nullas ſibi ineſſe partes ingenuè profitendo; Sancti Hugonis Gratianopolitani exemplo, cuius humilis eſt iſta profeſſio : Mala mea ſunt purè mala, & purè mea; bona mea non ſunt purè bona; & purè mea.

Ex MATHEMATICA. Euclides l. 1. de elementis Geometr.

Non deſunt ex Medicina notæ, quarum ſuffragio orationis encomia ſiunt palàm: nam oſtendo ex Fernelio, vitalem ſpiritum è corde ad caput euectum, nouum induere gradum, & in capite nouos titulos capere dignitatis: nam de vitali fit animalis ſpiritus ille, quo ſentit, & cietur tota compage moleſque corporis: eo planè modo ſpiritus hominis in oratione ad Deum rerum omnium caput ſcandens, nouam induit energiam, ſitque vegetior ad ciendos hominis artus; vt audeant egregia facinora aggredi incunctanter. Rurſus periti rei Medicæ aiunt, ſpiritus illos pellucidos eſſe, dum ſiunt animales, & ex capitis arce ad inferas corporis partes illico radiare. His ego inſiſtens veſtigiis moribus intentus, aſſero animam Deo in oratione defixam ab eo quadam mendicare lumina, quæ emicant etiam extrinſecus, vt videre eſt in Moyſe, cuius facies lucida ex Dei colloquio coruſcabat. Potiores verò radij ſpirituum animalium, nitent in celeri explicatione artuum; ita & orationis nitela omnis refulget in virtutum praxi. Sicuti Iure Canonico luculenter edocemur: ſic fatur Canon. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendorémque pietatis: illa anima bene picta eſt, in qua elucet operationis diuinæ effigies. *Demum quamlibet ſectionem concludo ſententiâ, quam compone ex vocum coëuntium luſu, quem alluſionem vocant: ineſt enim lepos quidam in affinitate verborum, quem Sancti etiam Patres ſæpius aucupantur, teſte Bernardo, cuius eſt hæc venuſtas :* Deus non petentibus modò nobis, ſed & impetentibus; non inuocantibus, ſed prouocantibus; non interpellantibus, ſed repellentibus gratiam elargitur. *Patrum ſanctiorum æmulans ego typum ſingulis quibuſque ſectionibus, ſcientiarum omnium agmen expedio aliqua ſententia colluſione nominum intertexta. Verbi gratiâ, totum hunc contextum de oratione ſic ſartum tectumque perficie.* Si Deo vnimur, munimur. Deo carens; eo ipſo caro eſt, ſpiritus expers, Deum non experta.

Ex RE MEDICA. Fernelius Phyſiol. lib. 6. cap. 8.

Ex IVRE CANONIC. Canone illa anima, de Pæn. diſt. 2.

Decurſo hocce volumine quiſpiam fortaſſis obiiciet ſe incurriſſe in aliqua ſemel & iterum vſurpata, & hoc inducere nauſeam: quippe ingrata eſt bis repetita crambe. Non eo inficias; aſt concedo, in tractatu de B. V. Maria, ſententias Sanctorum Patrum diſſitas in ſectionibus, collegiſſe ad compagem homiliarum, quæ debent exurgere ex ſectionibus eo fine compoſitis, vt hinc tanquam è cornu-copia, res concionibus idoneæ depromantur; ſi verò ſymbola aut hiſtoria bis referuntur, id factum eſt parcè & vtrobique alio ſenſu: diuerſa eſt enim rerum facies pro tempore; ita & hiſtoria atque ſymbola nouos induunt ſenſus; quando ſeſe diſſona ingerunt argumenta.

Ex præfatis peruia eſt vnicuique ratio adeundi ſcientias omnes, vt morales ſuggerant ideas, quando eo fine conſuluntur. Eo inito tramite quem obeo in hoc volumine, quiſque ſuopte genio poterit ſibi vernaculas omnes facere diſciplinas; non quòd mihi vendicem hoc inuentum, Sanctis patribus inclitum, aut mihi inanis gloriolæ lenocinio blandior aſſecutum plenè id quod molior, titulo ſpecioſo: ingenue fateor, eſſe pleraque hîc indiga beneuolâ lectoris aurâ, ne nauſeent aut marceſcant: eadem indole ſeſtor, ea quæ ingenua ſunt; & laude digna, alterius eſſe ingenij; nempe Dei, qui Genio meo fœtum hunc, quem enixus eſt; propitius impertiuit.

Cenſuræ orthodoxæ ſubdita omnia mea ſenſa ſunto.

LECTOR,
NE OFFENDAS IN LIMINE,
PAVCIS TE VOLO.

MORALIS Encyclopædia, vox hæc ambitioſo eloquio grandiloqua, faſtum ſapit; & titulus iſte in cothurnos aſſurgens, quaſi ſuperbiâ turgidus ingraueſcit. Quaſi verò coëant in Volumen vnum ſcientiæ omnes & codices ſancti, vno eodemque loco queant ſtare arca Dei & Dagon. Apage hoc intentum,& moue manum de tabula, ne ſis iniurius Deo, immiſcens ſacra profanis.

Sic fortè importunus ſtrepet anſer inter olores: Ne iniquus hic ſtrepitus auribus ingratus quempiam lædat, induxi in animum oſtendere, Scripturam ſacram eſſe moralem Encyclopædiam, id eſt librum, qui exurgit ex omnium ſcientiarum choro, ac proinde eum, qui obit partes ſacri Interpretis, debere etiam callere omnes ſcientias, ne in codicis ſacri indagine cæcutiat. Hoc probato diluam omne virus & ſuſpicionem ſuperbiæ, cui me facit obnoxium titulus inſignis, clamans mihi omnium ſcientiarum agmen ancillari. Nimirum faciens publici iuris commentarium in Scripturam ſacram ſcientiæ omnigenæ epitomen, non potui argumentum iſtud titulo magis idoneo nuncupare. Quâ autem reuerentiâ adeam ſcripturæ ſanctioris abditum ſacrarium, quâ cautelâ referem omnium ſcientiarum Palladium,ſi te aliqua reſciendi cupido tenet, conſule tibi cuſos hos canones, facturos vnicuique ſatis:quippe obſtabunt ne malè omineris de titulo libri, méque vindicabunt à cenſura iniqua, quam indubiè incurram,ſi decurris iſtud opus,meo hoc ſubiecto præludio inconſulto.

CANONES

CANONES OBSERVANDI AB EIS QVI MORALEM SENSVM volunt eligere ex omnimoda diſciplina.

DECVRRIMVS æuum eo nomine inglorium, quòd multis carpendi libidine lingua prurit, impos aſſurgere ad maiora. Res medica pruriginem in prouecta ætate damnat, vti prænuntiam mortis, & ſucco melancholico progenitam; qui humor adeò tenax eſt, & prauus; vt neſcius ſit pharmacorum. Aſſentior ego placitis medicorum, nec hîc diluò remedium lectoribus hypochondrio iniquo tumentibus, ne ſua tetra bile aſpergant haſce meas chartas, eo tantùm nomine noxias eis, quòd eorum produnt inſaniam poſitam extra ſpem reducis aliquando ſanitatis. Non, inquam, geniis illis improbis texui canones iſtos, ad quorum normam mea ſenſa feci publici iuris: quippe momis illis ſibi & omnibus iniuriis, definio eſſe ingemendum potius quàm vigiliis inſudandum. Illis duntaxat ſtudeo, quos modica impetigo vexat, & niſi eatur obuiam, alios etiam fricant mulorum inſtar, qui ſuam pruriginem leuant, alios item exertâ linguâ ſæpius perfricando. Ne ergo illa importuna lues gliſcat; & ſuo velnti contagio incautos lectores afficiat; æquum cenſui aperire ingenium ſcripturæ ſanctioris, & Sanctorum Patrum; in eruendo morali ſenſu ex quauis rè obiecta. Vt vbi probauero, me inhærere ritui inolito Codici ſacro, & Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, edendo mea ſenſa moralia; nemo meum ſchema quaſi ſpurium eliminet, & deuium à methodo, quam iniere hactenus interpretes mihi in hac alea præeuntes.

Non hærebo in recenſione plurium ſenſuum, quos patitur textus ille ſacer: alibi eos videre eſt, & animo meo non inſedit, aliorum libros tranſcribere, ſed potiùs noua cudere volumina, quæ vt plurima molior, operæpretium duxi prætendere faces, quibus meum intentum eluceat, in diſciplinis omnibus moraliter expendendis.

CANON PRIMVS.

ITaque Canon primus eſto, eum eſſe moralem ſenſum, qui hominem excitat ad virtutem primò & per ſe. Hac definitione excluduntur ſcientiæ omnes ſpeculatiuæ, quæ intellectum quidem perficiunt, ſed hominem vtplurimum non excolunt in ordine ad virtutem; aſt velut aura diſtentum adeò inflant, vt inani gloriâ tumidus inſoleſcat. Hæ voces, *primò & per ſe*, adiectæ ſunt, quia etſi è quauis ſententia ſagaciùs expenſa queat erui aliquid virtutem ingerens; non erit tamen illa doctrina moralis, quia primariò & per ſe, ille ſenſus non fuit inculcatus. Verbi gratiâ ex Philoſophia. Sol è terra vapores elicit, qui ſurſum vecti in pluuiam ſe componunt, quæ terras alluit fœnore reportato. Illius propoſitionis ſenſus primarius non eſt moralis, etſi inde queam colligere, gratiâ Dei mihi affulgente, debere mea vota explicare Deo, & anhelos affectus ad eum euehere, vt inde fertilior efficiar, imbre deſuper influente.

CANON SECVNDVS.

SEcundus Canon hîc eſto, ſcilicet, Sacras omnes ſcripturas eſſe morales. Probatur intentum ex eo quòd illa ſcriptura ſit moralis, cuius auctor intendit ſuorum ſymmyſtarum mores excolere. Aſt auctor Scripturæ ſanctioris Deus, toto ſcripturarum tractu verſat hominum ſalutem, & media ſita in anima defæcanda. Vitiorum autem fæx detergitur, moribus prauis ad meliorem frugem immutatis. Nec obſtat hiſtoricum ſenſum, ſeu allegoricum, nihil aliquando ſapere moribus idoneum. Quod enim hominibus eſt initium, illud eſt Deo tritum: ſcilicet in poteſtate Dei eſt non accommodare voces tantùm ad ſignificandum; ſed etiam penes eum eſt aptare res ipſas, eo ritu vt vnum in cortice prodant, aliud autem lateat in medulla. Prima idea rerum, quas ingerunt voces, pertinet ad ſenſum literalem: Illud autem ſpirituale, quòd rès ipſæ recondunt, refertur ad ſenſum myſticum, vt ſcitè probat Angelicus Doctor, cui præluxit in eo argumento Gregorius. *Sacra Scriptura omnes ſcientias, ipſo locutionis ſuæ more tranſcendit: quia vno eodemque ſermone dum narrat geſtum, prodit myſterium.* S. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. Greg. lib. 20. Moral. c. 1.

Dionyſius Theologorum Apex, explicat quomodo coire queant plures ſenſus, dicens; legem antiquatam eſſe figuram nouæ legis, & hanc figurare gloriam, quæ fidelibus imminet. Vt autem ea, quæ ſunt veteris inſtituti Iudæorum, ſignificant ea quæ ſunt nouæ legis, inde exurgit ſenſus allegoricus. Quatenus autem ea, quæ in Chriſto capite omnium geſta ſunt, inſinuant quid membra debeant agere, faciunt hæc ad moralem ſenſum. Prout verò notant illa, quæ ſpectant ad gloriam, pertinent tunc ad ſenſum anagogicum. Sed eſto, Scriptura ſacra ferax ſit plurimorum ſenſuum; à potiori autem ſenſu debet fieri denominatio: at præcipuus ſenſus à Deo intentus eſt moralis, ipſo etiam Paulo Apoſtolo aſſertore. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Ergo Scriptura ſacra maximè moralis eſt cenſenda, nec is eam adæquatè, vt fas eſt, expendit, qui venatur alios explicandi tropos. Hoc ego mihi penſum impoſui, decurrendo Euangelia, & expendendo ea moraliter, conſultis omnibus propè diſciplinis. Quomodo autem moribus inſeruire queat quiuis textus ſacer; audi ex hoc Sanctorum Patrum dogmate. Dionyſ. c. 5. de Eccleſ. Hierarch. Rom. 15.

CANON TERTIVS.

TErtij Canonis vim habeat iſta obſeruatio, videlicet Dei inſtitutum eſſe vt rebus communibus & obuiis homines edoceat & informet: cùm etenim homo ſit impos indaginis rerum prælatarum; vtitur Deus creaturis illi notis, veluti typis, quibus vt prælectis deueniat in peritiam ad quam

Prouerb. 6.

Dionyſ. c. 2. Cæleſt. Hierarch.

quam homines adſciſcuntur. Verbi gratiâ, Deus ignauiam hominum carpens ait. *Vade ad formicam, ô piger.* Ex ſedulitate formicarum, quæ prouident hyemi inſtanti, inſtruitur homo ad congerenda bona opera, quibus ſuam leuet inediam in futuro ſæculo. Res autem ſacras aperiri nobis inuolucris rerum infimarum & vilium ait Dionyſius, ob tria potiſſimum capita. Primum eſt ne hallucinaretur homo propriè accipiendo tropicas voces, ſi eſſent inſignes & nobiles. Vt ſi dixiſſet Deus: Vade ad ſcholam Angelorum, nihil abditum credidiſſet homo ineſſe illi conſilio; ſed arbitratus ſe vocari ad contemplationem, actionis immemor ſibi ipſi iniurius ferias indixiſſet. Aſt vbi reſciuit ſe mitti ad formicæ gymnaſium, ſubodorans aliquid morale, prudenter in animum ſuum induxit, ſolertiam illam breuiuſculi animalis æmulari in his, quæ pertinent ad ſecuturum æuum. Rurſus ille modus diuina aſſequendi ſuffragio rerum ſenſibilium, maximè congruus eſt illi notitiæ, cuius eſſe compotes poſſumus in hoc æuo. Nimirum de Deo magis eſt fas, ſcire quid non ſit, quàm quid ſit. Eamobrem ſimilitudines earum rerum, quæ magis à Deo abſunt, benè conueniunt illi ſcientiæ, quæ cùm Deum ineffabilem eſſe profitetur, ſibi ipſi conſtat aſſumendo typos vernaculos, vt aliqua ſaltem lineamenta ducat, quibus aliqualem ingerat Dei notitiam. Demum eo ſchemate recondendi res ſuperas, humili velamine conſulitur earum dignitati: nempe impiis obtutibus hominum; qui malè de Deo ſentiunt, res omnino venerandæ, rerum typicarum tegmine ſubducuntur.

CANON QVARTVS.

QVartus Canon fauet Dionyſio aſſerenti, myſteria ſacra gaudere receſſibus abditis imis anfractibus, quos ſuperare nequeunt vel ipſi rerum ſacrarum peritiſſimi. Quippe, & hæc eſto quarta regula, ſenſus quilibet myſticus ſiue moralis, ſiue allegoricus, vt ſit legitimus, poteſt elici ex contextu ſacro, etſi non ſit omnimoda relatio partium moralium ad partes hiſtoricas. Verbi gratia, ego docturus qua indagine rimari debeat homo, quid noxij abditum ſit in penitiori ergaſtulo cordis. Dico, Philiſtæos audiiſſe intraſſe in vrbem eorum Gazam, Samſonem hoſtem ipſorum acerrimum, & conſtituiſſe vigiles in ſingulis quibuſque portis, vt manè facto Samſonem enitentem egredi occiderent. Inde accipio argumentum eius cautelæ, quam par eſt adhibere examini conſcientiæ, & dico, nos moneri à ſtimulis conſcientiæ, peccatum eſſe in ditione noſtra, atque adeò inimicum acerbum irrupiſſe in fines noſtros: eamobrem eſſe curas omnes colligendas ad hoc vt explorent quonam ſenſu gaudeat ille hoſtis, vt facto manè occidant eum, id eſt vt illuceſcente notitia, & agnito ſenſu, quo irrepſit, gladio confeſſionis feriatur hoc peccatum. Momus inſurget & inſtabit, me eſſe iniurium Samſoni & fidelibus Chriſtianis, quia videor comparare Samſonem peccato mortali, & Philiſtæos agentes excubias Chriſtianis vocantibus retroacta ſua ad trutinam examinis exquiſiti.

O inſcium ſciolorum hominum genus, & neſcium ſtyli ſacri! cui ſatis eſt in eruendo myſtico ſenſu reperire aliquam facultatem in ſenſu literali, quæ ſit idonea alicui myſterio confirmando. Vt quando Paulus Chriſti influxum in priſcos Patriarchas voluit explicare, ait. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Quid obtrectatores obiicient? Nonne inſurgent in Paulum, eò quòd Chriſtum aſſimilet rei exanimæ ſcilicet petræ? Eſt tamen gentium ille Eccleſiaſtes innoxius; quippe in ea petra Hebræorum, duo inuenit affinia Chriſto, ſcilicet conſtantiam, & influxum. Ideoque illæ res ſenſibiles idoneæ ſunt, quibus inuratur animis noſtris ſpecies aliqua rerum à materia diſſitarum. Ita & ego in Samſone animaduerto odium, quo flagrabat in Gazenſes, quos antea cladibus affecerat, & inde perniciem peccati volo ingerere. In Philiſtæis aduerto animos impigros & ſedulos ad agendas inſomnes excubias, vt hoſtem ſuum extinguerent, & eo intuitu compello fideles homines, vt inſidiium ſaltem hominum curas ſedulas æmulentur in hoſte ſuo, id eſt peccato latente traducendo.

1. Cor. 10.

Greg. lib. 3. Moral. c. 21.

Et ne cauſetur quis inquies animus, debere eſſe res vtrobique adæquatas, vt ſit legitimus ſenſus; totam iſtam controuerſiam volo deponere penes iudicium Procerum Eccleſiæ, quorum ſenſa vice oraculi debent eſſe vnicuique fidelium. Aſt ex decreto Patrum tantùm abeſt vt concordent res aſſumptæ ex litera ad firmanda myſteria, quinimò ſæpe res bona in ſenſu hiſtorico, in ſiniſtram quandoque partem myſticè detorquetur, vt monet Gregorius ille Papa ſanctitate & pontificatu inſignis, & vtrobique Maximus, cuius eſt decernere, quæ ſcholia Scripturæ ſacræ quadrent. Sic ille. *Plerumque res qualibet per hiſtoriam virtus eſt, per ſignificationem culpa; ſicut aliquando res geſta, in facto cauſa damnationis eſt: in ſcripto autem prophetia virtutis.* Ibidem præmiſſis aliquot exemplis ait. *Virtus ſacri eloquij ſic tranſacta narrat, vt ventura exprimat; ſic in facto rem approbat, vt eam in myſterio contradicat; ſic geſta damnat, vt hæc myſticè gerenda perſuadeat.* In eam iuit ſententiam mulitſcius Beda ſic fatus. *Ne mireris, Lector, quòd aliquando bona typicè malum, aliquando mala bonum ſignificent. Quod ſi non liceret, nunquam nigro atramento ſed auro ſemper lucido ſcriberetur DEVS, quia lux eſt: ſed etſi nomen diaboli in calculo ſcribas candido, nihilominus tenebras ſignificat profundas.*

Beda in c. 2. Tobiæ.

Aug. lib. 22. cont. Fauſtum. c. 83.

Hoc vnum monent Sancti interpretes, vt ſit aliqua congruentia ſaltem inter vtrumque ſenſum hiſtoricum & moralem; licet aliunde perſonæ ſeu ſuppoſita diſcrepent toto cælo; & hic Canon eſt Auguſtini. *Ad ſignificanda aliqua bona, nihil intereſt, facta illa quibus ea ſignificantur, bona ſeu mala ſint. Quid enim mea intereſt, cùm volo aliquid legendo cognoſcere, vtrùm ex minio reperiam ſcriptos nigros Æthiopas, & ex atramento candidos Gallos: veruntamen ſi non ſcripturam ſed picturam talem viderem, ſine dubitatione reprehenderem. Ita in factis hominum, quæ ad imitandum vitandumve proponuntur, magni intereſt, bonáne, an mala ſint. Quæ autem ad ſignificandum ſcribuntur ſiue dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem reprehenſionemve mereantur: ſi modò habeant aliqualem rei de qua agitur neceſſariam præfigurandi congruentiam.* Hæc Auguſtinus. Quodque ſtupeas, ſummi illi Eccleſiæ Dictatores & Doctores myſterium, id eſt rem ſacram intelliguot in re etiam nefaria, ſacro Codice recenſita; vt cum Dauide aſſumente alienam

vxorem

vxorem meditantur Verbi æterni delicias cum hominum natura aſſumpta, in vnitatem hypoſtaſis. Et ne ſuſpiceris eſſe delirium alicuius interpretis inferioris notæ. Accipe tres principes Sanctos in eā ſententia, Gregorium de ſede Petri ſua dictantem oracula; Auguſtinum, & Ambroſium, lumina micantia, quæ toti Eccleſiæ primitus illuxerunt.

Greg. lib. 3. Mor. c. 21.

Sic Gregorius. *Quis non omni modo deteſtetur, quòd Dauid in ſolario deambulans, Vriæ concupiſcit vxorem? Cuius autem Dauid in ſolario deambulans typum tenet, niſi eius, de quo ſcriptum eſt: In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Et quid eſt Bethſabee ad ſe perducere, niſi legem literæ, carnali populo coniunctam, ſpirituali intellectu ſociare? Vriæ Dauid vxorem abſtulit, ſibique coniunxit: quia in carne Redemptor apparens, legem à Iudaico populo extraneam demonſtrauit, ſibique coniunxit, quia ſe per illam prædicari declarauit.* Auguſtinus eoſdem ſanctos hymenæos Chriſti & hominum anteà prælibarat, ſic commentans eam præfatam hiſtoriam. *Iſte Dauid grauiter ſceleratéque peccauit: verumtamen ille deſiderabilis omnibus gentibus adamauit Eccleſiam ſuper tectum ſe lauantem, id eſt mundantem ſe à ſordibus ſæculi, & domum luteam ſpirituali contemplatione tranſcendentem atque calcantem.* Hæc ille, cui ſuppar Ambroſius, eumdem verſans textum ait. *Myſterium in figura, peccatum in hiſtoria; culpa per hominem, ſacramentum per verbum.*

Aug. lib. 22. cont. Fauſtum cap. 87.

Ambr. lib. 3. in Lucam.

Quia ego totum me effundo in mores excolendos, petito argumento ex variis Scripturæ locis, expenſis meo quidem Marte, ſed non deuiante à ritu, quem ſequuntur interpretes Sancti; lubet alia annectere exempla, quibus ſtet veritas præfati Canonis, cui ego aliquando inſiſto, inueſtigans ſenſa moralia literæ inuolucris abſcondita. Vt, inquam, liquidius conſtet, in myſtico ſenſu non requiri omnimodam conuenientiam cum textu hiſtorico, conſule ſumma capita Eccleſiæ, & eorum nutu diſces, Noë ebrium fuiſſe figuram Chriſti. Aduoca Rupertum, & vltro ſe ſic prodet. *Noe de vinea, quam plantauit inebriatus, & in tabernaculo ſuo nudatus ipſe eſt Chriſtus, à populo cui legem dedit morte affectus, & in eadem gente ſua deſpectui habitus.* Ruperto præluxerat Ambroſius, in eo Patriarcha madente vino, & alto ſopore preſſo ſubodorans Chriſtum Dominum irriſum à Iudæis, eo ferè modo, quo Noë à filio ſuo iuniori. Sic ille. *In figura dormientis, & nudati patris, filius qui ſtultitiam riſit maledictus eſt; qui venerati ſunt, benedictionis gratiam ſunt adepti. Ideoque qui mortem vnigeniti Filij Dei ad offendiculum aut opprobrium noſtræ fidei obiiciendam eſſe crediderunt, peccatorum ſuorum nexibus ad perpetuæ maledictionis ærumnam tenentur adſtricti, qui verò eam pro totius humani generis abſolutione ſuſcipiunt, viuentis æternæ præſidio fulciuntur.* Vides intemperantiam Noë, non obſtare quin ſeries rei geſtæ aliquali parte ſui Chriſtum præfiguret.

Rup. lib. 4. in Geneſ. c. 38.

Ambroſ. in Pſal. 39.

Nonne & Auguſtinus in inceſtu Patriarcharum Loth & Iudæ quid ſanctum abdi clamat. *Illud factum cum ſanctâ Scripturâ narratur, prophetia eſt; cùm verò illorum vita, qui hoc commiſerunt, conſideratur, flagitium eſt.* Idem inhoneſtum facinus Iudæ penſans ſic ait. *Neque enim cum ad Thamar concupiſcentia victus intraret, hanc ſua libidinis intentionem gerebat, vt inde aliquid ſignificaretur, quod ad ſalutem hominum pertineret.* Mentem ſuam firmat Auguſtinus exemplo Iudæ perduellis anhelantis quidem mortem Chriſti; ſed inſcie procurantis meliorem hominum ſortem. *Porrò ſi de tam malò opere Iudæ illius, tam bonum opus Dominus fecit, vt eiuſdem Paſſionis ſuæ ſanguine nos redimeret: quid mirum ſi Propheta eius, ex malo facto Iudæ iſtius, boni aliquid ſignificauit, vt ſuo miniſterio nos doceret.* Poſtea reſumens alterius priſci Iudæ libidinem indecoram, pergit. *Factum Iudæ, ſecundum illius libidinem malum fuit; ſed illo neſciente, magnum bonum ſignificauit. A ſeipſo malum fecit; ſed non à ſeipſo bonum ſignificauit.*

Aug. lib. 22. cont. Fauſt. c. 42.

Idem c. 83.

Idem in c. 84.

Qualo autem bonum portenderit illa res ingloria Iudæ, ille Sanctus aperit, Iudam conferens cum Chriſto. *Huius venientis ad oues, quæ perierant domus Iſrael; figuram geſſit ipſe Iudas, cùm iret ad tondendas oues ſuas in Thamna, quod interpretatur, deficiens: iam enim defecerat Princeps ex Iuda: Venit autem Dominus ad oues tondendas, hoc eſt exonerandas ſarcinis laborioſis.* Subiicit idem acutus Scholiaſtes, Thamar ex ſocero ſuo eam non agnoſcente fœtam referre Eccleſiam. *Quæ à non agnoſcente fœtatur; quia de illa prædictum eſt: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi.* Hæc Auguſtinus, cum quo errare res eſt difficilis. Quòd ſi in ſenſu allegorico, qui ad Chriſtum pertinet; tanta eſt Sanctorum Patrum licentia, vt etiam in nefariis actibus myſteria aſſerant elucere, vt oſtendi in adulterio Dauid & inceſtu Loth & Iudæ; minus erit periculi in ſenſu morali, cuius eſt amplior alea, & diffuſior vſquequaque ſpatiandi locus.

Idem vbi ſuprà.

Ibidem.

CANON QVINTVS.

RVrſus eſt obſeruandus iſte Canon quintus, ſcilicet vnam eamdemque rem poſſe in bonam & malam partem ſumi, iuxta diſſitas qualitates, quæ in ſubiecta materia recenſeri queunt, Vt Leo aliàs Chriſtum ſignificat. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Ibi leoninum robur attenditur, vt præualens animalibus, quibus regia quadam maieſtate præit Leo, inde adumbrans Chriſtum, Regem vtique præpotentem, cui impar eſt omne quod eminet. Si verò in Leone ea rabies intenditur, qua ſarcophagum animal iniurium eſt obuiis quibuſque hominibus, tunc Dæmonem refert, ſicut ab Apice Apoſtolorum Petro vſurpatur. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Item & piſcis ille immanis, qui in Tobiam exſiliens, ab eo occiſus eſt, in vtramque partem accipitur, Chriſtum quandoque referens, vt & aliquando Dæmonem. Auguſtinus in eo piſce ideam Chriſti agnoſcit. *Eſt Chriſtus piſcis ille, qui ad Tobiam aſcendit de flumine viuus; cuius iecore per paſſionem aſſato fugatus eſt diabolus: & per amaritudinem fellis aſſertus eſt cæcus, & illuminatus eſt mundus.* Beda verò ſpeculans œſtrum, quo ciebatur in Tobiam carniuorus ille piſcis, facit eum diaboli typum, ſic expendens illum locum. *Piſcis, qui Tobiam deuorare cupiens, Angelo docente occiſus eſt, diabolum ſignificat, qui dum in Redemptore noſtro carnem appetiit, captus eſt potentiâ diuinitatis.* Ita etiam flos in

Apoc. 5.

1. Pet. 5.

Aug. ſer. 4. de SS. Petro & Paulo.

Beda in cap. 6. Tobiæ.

ſcripturis bifariam vſurpatur, iniquè aliàs, & quandoque proſperè, vt benè aduertit Origenes, qui hunc locum Canticorum. *Lectulus noſter floridus eſt.* *[Origen. in Cant. hom. 6.]* explicat de anima ſpirante odorem eum gratum, quem afflat virtutum fragrantia. Idem autem verſum illum Pſalmi recenſens. *[Idem in Pſal. 36.]* *Flos agri citè decidens.* Hunc florem ait eſſe res hominum proſperas, quæ florum inſtar illudunt oculis. Ne ergo cuiquam bilis incandeſcat, ſi pro vario rerum habitu contrarios quandoque ſenſus exprimant.

CANON SEXTVS.

CAnone iſto, qui ſextus eſt, præmoneô, non ex hiſtoria tantùm ſacra probè erui myſticos ſenſus, ſed & ex nominibus, numeris, tempore, & locis: quia in Codice ſacro nihil vacat aut elingue ſilet; omnia illuc vtpote vocalia quidpiam ſanctum clamant. Et vt in templo Dodonæo, vnâ æreâ pelui ictâ, omnia alia etiam æra reſonabant: eo enim ordine & ſitu pelues erant diſpoſitæ, vt vnâ tinniente, ei aliæ omnes protinus occinerent. Ita & Scripturæ ſacræ contextus, ea eſt compage mirabili; vt ſi ab interprete attrectetur nuda etiam litera, ſtatim tota ſeries quidpiam nouum prodat altiùs indaganti. Siquidem nihil illic citra aliquod intentum à Deo recenſetur. Eò ſpectant illa, quæ ait Christus. *[Matth. 5.]* *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Et alibi. *[Luc. 16.]* *Facilius eſt autem cælum, & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Si ergo etiam ipſi atomi, qui Lyncæos oculos fallunt, magnam vehunt molem myſteriorum; quantum putas medullã abdi ſub cortice nominum propriorum hominum, & in religioſa recenſione temporum & locorum, quibus ſi ſedulus interpres ſeriò attenderet, vberrima ſanè ſenſuum moralium ſeges aſſurgeret, quæ fugit meſſorum, id eſt interpretum, manus; quia non fugaci rerum moralium ſtudent indagini. Iudæos ea incuria caligantes in ſcripturis carpebat Chriſtus, eos ſic affatus. *[Ioan. 5.]* *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.*

Cùm audis ſcrutinium, puta indaginem eamque acutam, qua quis abdita quæque rimari ſolet. Hac ſi Iudæi cauriores extitiſſent, ex nomine Ieſu, ex loco natiuitatis eius, ſcilicet Bethlehem, ex numero expleto Hebdomadarum, quas præſcripſerat Deus Danieli. Ex his, inquam, minutis obſeruationibus, ſingulari ſcrutinio patentibus, Scribæ & Phariſæi Chriſtum Dominum agnouiſſent, quem ſtudioſæ illius indaginis incurij neſcierunt. Aſt verò ſecus Chriſto aſſumpto in cælum multi Iudæorum credidere Paulo & Silæ annuntiantibus Chriſtum, quem ex Codice ſacro inueſtigantes, illic repererunt vt mercedem ſui ſcrutinij. Sic Lucas rem enarrat. *[Actor. 17.]* *Fratres confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in Beræam, qui cùm veniſſent in Synagogam Iudæorum, introierunt: hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè ſcrutantes Scripturas; ſi hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis.*

Ea ego cautela expendo Scripturam ſacram, præcipuè vbi in margine moneo me argumentari ex figuris, vt plerumque nomina & loca notem quid morale ſapere, vt cùm in homilia Natiuitatis Chriſti dico multos die natali Chriſti eſſe in Bethlehem Galilææ, & in Bethlehem Iudæ. Bethlehem vox Hebræa idem eſt ac domus panis: Galilæa eadem dialecto inconſtantiam ſonat; Iudas verò confeſſionem eodem idiomate ſignificat. Itaque Chriſto nato in Bethlehem Iudæ & non Galilææ, infero eos, qui Communionis ſacræ fuere facti conſcij, eſſe quidem in domo panis; ſed debere etiam adiicere Iudam, id eſt confeſſionem tenacem propoſiti virtutis amplexandæ, alioquin ſi pœnitentes immemores promiſſorum, ad retroacta declinant, dico deuiare à Bethlehem Iudæ, & in Bethlehem Galilææ contendere.

Nihil mihi arrogo in eo explicandi modo, quem non vſurpo, ſed SS. Patrum peritiam æmulor: nihil enim illis oraculis inuium extitit in eo ſcripturarum ſanctiorum argumento, vt videre eſt in Strabo Fuldenſi, apud quem celebris illa Gloſſa textus ſacri ſic expendit epulas Aſſueri, vt nomen, locum, tempus, & minutias quaſque obſeruet ad myſteria inde ſtatuenda. Et quia ego ſingularis & ſedulus ſum in penſandis myſteriis, quæ ad mores ſpectant, dum aliquem locum Scripturæ ſacræ verſo; omnia enim ita quandoque enucleo, vt etiam nominum putamina frangam: vnde erit forſan argumentum cuipiam arguendi meum interpretandi morem. Eamobrem æquum duxi referre rationem ſcholiorum, quibus vtitur Gloſſa illa ſacra & orthodoxa, quæ toti Eccleſiæ innotuit; & orbe toto legitima prædicatur, vt mens mea liquidior fiat, & oſtendam me concordem eſſe aliis Doctoribus, diſcutiendo textus ſacros.

Sic Gloſſa. *Aſſuerus Chriſtum Dominum oſtendit nomine & dignitate, interpretatur enim oſtium. Chriſtus autem dicit: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* *[Gloſſa interlinearis in c. 1. Eſther.]* Vides interpretem totam allegoriam à nomine Principis auſpicari, vt & fecit Lyranus ita fatus. *Aſſuerus interpretatur beatus: Chriſtus autem non ſolùm beatus eſt, ſed etiam Sanctorum eſt beatitudo.* *[Nicol. Lyra. in c. 1. Eſth.]* Secundò enuntiatur locus harum epularum ſcilicet vrbs Suſan regni metropolis, aſt ex Lyrano. *Suſan lætitia interpretatur.* Talis eſt Eccleſia in qua celebre proſtat Euchariſtiæ conuiuium, ea eſt omnimodæ lætitiæ ſacer incolatus, etiam præſcio Pſalte. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion.* *[Pſal. 47.]* Et alibi. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* *[Pſal. 86.]* Rurſus ille. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis; vſque ad domum Dei; in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis.* *[Pſal. 41.]* Demum ille ſacer Vates ſpeculans eſſe in epulis Chriſti locuples lætitiæ argumentum, ſic hortatur. *Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* *[Pſal. 67.]*

Tertiò interpres rationem temporis ſic attendit. *Tertio anno imperij. Ita Chriſtus in tertia mundi ætate, ſeu in lege gratiæ, hoc conuiuium Euchariſticum inſtituit & ſpirituales epulas corporis & ſanguinis ſui abundantiſſimè miniſtrauit.* Quartò durationem harum epularum ſpeculans auctor, & aduertens illic recenſeri ſeptem dies, ſic ſcribit. *Hoc eſt toto tempore huius vitæ, quæ ſeptem diebus agitur.* Conſonant verba Chriſti. *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* *[Matth. vlt.]* Obſeruat Gloſſa nullam fieri mentionem noctis, ſed dici tantùm, quia epulis Chriſti gratiæ dies iugiter affulget, vt & conuiuia reproborum nocte

criminum

1.Theſſ.5. criminum opacantur, vt alludit Apoſtolus. *Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt.*

Quintò magnitudo ſeu ingens apparatus conuiuij deſcribitur. Luc.14. *Fecit grande conuiuium.* Et hoc Luc.2. quadrat Euangelico textui. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Cui concinit appoſitè Gloſſa. *Huius conuiuij hiſtoria pompam diuitiarum, & luxum Regis oſtendit; ſed Chriſti ſpirituales delicias, quas vnicuique diſpenſat: allegoricè ſignificat.* Reuerà in eo ſacro conuiuio, nihil eſt humile, aſt omnia quidpiam grande ſonant, ita vt conuiua queat exclamare. *Fecit mihi magna qui potens eſt.*

Sextò Codex ſanctus commemorat conuiuatum eminentem ſtatum, dum ait, Regem feciſſe grande conuiuium. *Cunctis principibus & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coràm ſe.* Quaſi innueret textus, alios homines quàm gratia Dei prætextatos nefas eſſe eo inaugurari honore, quo dignantur epulones ſancti. Septimò omnes fuere inuitati. *Inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum.* Vide neminem fidelium excludi à menſa Dei, ipſo etiam dictatore Chriſto. *Accipite & manducate ex hoc omnes.*

Denique illa omnis recenſio pompæ, quæ ſupereſt, ritè componitur cum eo apparatu, quem poſtulat menſæ ſacræ dignatio. Si igitur ego ea indagine explorem & exprimam mea ſenſa moralia, quis inficiari audeat ritum meum eſſe canonicum, vtpote ad amuſſim Doctorum om- Luc.22. nium, qui mihi in eo genere præluxerunt. Fortè aliquis inſtabit; exquiſitum illud ſcrutinium tolerari in re ſacra, vt inde exurgat aliquid idoneum ſanctiori inſtituto: Sed perperá inſudare aliquem in timandis aliis diſciplinis, vt inde moralia ſecernantur. Hanc inſtantiam diluet iſta aſſertio.

CANON SEPTIMVS.

CAnonis ſeptimi loco tibi ſit. Omnes ſciētias & artes eſſe idoneas ad effingendos ſenſus morales, quos nemo ideò aſpernari debet, quòd hæc dogmata moralia ſint veluti gentili patre ſata, quando emergunt ex ſcientia peregrina, & alia planè à Scripeura ſacra; vt ſont ſcientiæ omnes etiam Ethnicis vernaculæ, vt Philoſophia, Mathematica, Aſtronomia, Aſtrologia, ars Medica, Ius Canonicum, & Ciuile, imò & Hiſtoriæ omnino profanæ. Vt enim non obſuit Timotheo diſcipulo Pauli naſci è patre gentili, quem circumciſum Iudæi vltro amplexati ſunt; ita & ſenſa moralia deriuata ex gentili diſciplina, à SS. etiam Patribus fuerunt vſurpata, ſed circumciſa, id eſt dempto eo omni quod poſſet nauſeā Lectori ingerere, vt dicam infra, vbi probabero etiam Textu ſacro, ipſum Spiritum Sanctum, qui diſponit omnia ſuauiter, aſſumpſiſſe omnes ſcientias, vt Codice ſacro conſuleret vnicuique.

De Theologia non eſt ambigendi locus, cùm ipſa Scriptura ſacra, quæ nobis deſuper innotuit, ſit præcipua pars Theologiæ & ſpeculatiuæ & moralis. A Philoſophia morali deſumpſerunt argumenta ſua illi celebres Philoſophi, qui conuenere Iob, cum eo diſputantes de prouidentia Dei, quam ſic indubiam fecit Eliphaz Themanites. Iob.4. *Recordare, obſecro te, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.* Ille imperitus Ex PHILOSOPHIA. Philoſophus malè concludebat, Iob iniquum eſſe, etſi ex morali Philoſophia res ſit in confeſſo, virtuti eſſe ſua omnia ſarta tecta. Licet enim virtus ſit inconcuſſa; non ideo tamen eſt virtutis expers ille, qui concutitur acerbo caſu, dummodo non nutet eius conſtantia. Meminit ſæpè Aſtronomiæ ſacer Textus, & quidem aliquid morale intendens. Nimirum ipſe Deus Iob ſic affatur. *Nunquid coniungere valebis micantes Pleiadas, aut* Iob.38. *gyrum Arcturi poteris diſſipare?*

EX ASTRONOMIA.

EX dicendis ſpeculare meum Scripturæ ſacræ Ex ASTRONOMIA. interpretem, non debere citra encyclopædiam ſacris huiuſce textus ſcholiis inſudare. Et vt Higinus lib. Aſtronom. à verſu propoſito auſpicer, quis Aſtronomiæ inſcius, myſticum ſenſum aperiet, quem portendit quæſtio illa prælibata. *Nunquid coniungere valebis micantes Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare?* Pleiades ſeptem ſtellæ ſunt ante genua Tauri, quæ ortu ſuo primæ nauigationis tempus oſtendunt, ideò dictæ Pleiades ἀπὸ τοῦ πλεῖν à nauigando. Latinis dicuntur Vergiliæ, quia verè oriuntur. Sunt qui credant dici Pleiadas quaſi πλεῖονες, id eſt plures quòd nunquá ſingulæ appareant, ſed omnes ſimul præter Meropē.

Earum indiuidua ſtellarum ſocietas fuit argumentum eius quæſiti, quo Deus virum Sanctum Iob antea compellauit. Quaſi diceret, non eſſe hominis immutare cæleſtia. Ab hac Aſtronomia deduci myſteria moralia, diſce ex Gregorio. *Pleiades à pluralitate vocatæ ſunt, quæ & vicinæ* Greg.lib.29. Moral.c.16. *ſibi & diuiſæ ſunt, per quas, quæ ſeptem ſunt, Sanctos omnes denuntiant qui inter vitæ præſentis tenebras ſpiritus ſeptiformis gratia nos lumine illuſtrant: qui à mundi origine vſque ad eius terminum diuerſis temporibus miſſi, quaſi disiunctè ſunt, & coniuncti per intentionem mentis, dum vnum prædicant. Ac ſi dicat: Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, ſicut ego, qui vnus omnia impleo, & vnitatis ſenſu, electorum mentes coniungo.* Inde potes concludere, eos reuerà emicare virtutibus, qui ab aliis quidē profeſſione diſſiti, Deo tamen ſeptiformi gratia eos vniente, charitate minimè diſpeſcuntur.

Sed quid Arcturi gyros enuntiat? ſcies dictan- Higinus lib. Aſtron. te Aſtronomia. Arcturus quaſi ἄρκτου οὐρά cauda vrſæ eſt ſtella in ſigno Bootæ; poſt caudam maioris vrſæ. Circa paulum ita gyrat illud ſidus, vt infra terram oculis hominum minimè ſubducatur. Ideòque ſuas non habet periodos adeò diffuſas, vt Planetæ, aut aliæ ſtellæ, in linea ecliptica coruſcantes. Eamobrem ſacer ille textus Arcturi motum explicat nomine gyri; & non ortus aut occaſus, ſicuti momenta varia Solis aperit. *Oritur* Eccl.1. *Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem luſtrans vniuerſa; in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos reuertitur.* Gyrat quidē Sol, ſed amplioti ſpatio ſuos circulos emetitur.

Quid autem myſterij abditum ſit eo textu, conſule Gregorium, qui hanc Aſtronomiam totam faciet ſuo ſenſu myſtico conſecratam. *In Arcturo qui per gyrum ſuum nocturna ſpatia non* Gregor. vbi ſuprà. *caſurus illuſtrat, nequaquam particulatim edita vita Sanctorum, ſed tota ſimul Eccleſia deſignatur, quæ fatigationes quidem patitur, nec tamen*

ad

ad defectum proprij ſtatus inclinatur. Gyrum laborum tolerat, ſed ad occaſum cum temporibus non feſtinat, ſed illa ſtante nox mundi finitur. Hunc gyrum quandoque Dominus diſſipat, quia labores Eccleſiæ ad requiem permutat: tunc Pleïades pleniùs iungit, quia tunc Sancti omnes viſionis ſibi ſpecie copulabuntur, quando in fine ſæculi Eccleſia ab his, quos nunc ſuſtinet, laboribus ſoluetur.

Ille idem Papa Gregorius edoctutus nos, ab ea ſiderum diſciplina poſſe ſacros elici cogitatus, ſic *Ibidem.* denuo expendit eum textum. *Habemus adhuc quod de ſtellis Pleiadibus atque Arcturo aliud ſentiamus. Pleiades quippe ab oriente, Arcturus verò ex parte Aquilonis ſurgit. Quocumque autem ſe per gyrum Arcturus verterit Pleiades oſtendit; & cum lux diei iam vicina efficitur, ſtellarum eius ordo diſtenditur. Poteſt igitur per Arcturum, qui à plaga frigoris naſcitur, Lex, per Pleiades verò, quæ ab oriente ſurgunt, noui teſtamenti gratia deſignari: quaſi enim ab Aquilone lex venerat, quæ tanta ſubditos rigiditatis aſperitate tenebat. Quocumque igitur Arcturus ſe vertat, Pleiades ſemper oſtendit, quia per omne quod teſtamentum vetus loquitur, teſtamenti noui opera nunciantur: ſub textu enim literæ, tegit myſterium prophetia. Redemptor autem noſter in carne veniens, Pleïades iunxit, quia operationes ſeptiformis Spiritus ſimul in ſe cunctas & manentes habuit. Nullus verò hominum operationes S. Spiritus omnes ſimul habuit niſi ſolus Dei mediator & hominum: dum verò Pleiades iungit, Arcturi gyrum diſſipat; quia dum ſemetipſum factum hominem habere cunctas S. Spiritus operationes innotuit, in teſtamento veteri literæ laborem ſoluit; vt fideliter quiſque iam cum libertate ſpiritus illud intelligat, cui prius in formidine inter tot diſcrimina ſeruiebat.* Hæc ille Pontifex Summus.

EX ASTROLOGIA.

MAior eſt anſa reuocandi in dubium Aſtrologiam, quam Aſtronomiam: nimirum regulari motu gyrant cæli, nec deuiant à momentis, quibus innititur Aſtronomia. Sed Aſtrologia illa, iudiciaria nuncupata, ars garrula in futuri indagine, quale obſequiū præſtare poteſt interpreti Scripturæ ſanctioris? Multū ſanè: Ipſa enim Scriptura ſacra eius meminit artis, quā qui neſciet, ille caligabit in his, quę textus veridicus de hac diſciplina commemorat. Verbi gratia, neſcius Aſtro- *Ierem. 10.* logiæ cæcutiet in eo loco Ieremiæ. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum* *Lyranus in c. 10. Ierem.* *vana ſunt.* Lyranus locum hunc explicat de Aſtrologia iudiciaria, quæ ſingulis Planetis peculiares influxus aſſignat, & ille exemplum adfert de dominio Martis accēdente bilem. Planetas eſſe Deos credula gentilitas arbitrata eſt, eis obſequuta, vt iniquos influxus auerteret. His nugis it obuiam Vates, inſinuans non eſſe illa ſigna metuenda *Hugo Card. in c. 10. Ierem.* quaſi Deos. Ea tamen eſſe metuenda, vt portendunt mala quępiam inſtantia, vt frigus, & æſtum, monet Hugo Cardinalis.

Quæ ſint autem conſtellationes prænuntiæ rerum diuerſarum, vna eſt Aſtrologia quæ recenſet. Imò & ipſa Scriptura Sacra quandoque vices obit eas, quas ſibi vendicat Aſtrologus. Vt cùm *Iob. 37.* ſic loquitur: *Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus; Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra Auſtro?* A rerum cæleſtium peritia Chriſtus deſumpſit argumentum ingerendi moralia ſuis ſequacibus, vt quando hominum incuriam ſic defleuit. *Facto veſpere dicitis: Serenum erit; rubicundum enim eſt cælum. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum: Faciem ergo cæli diiudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis?* *Matth. 16.* Annon legitima erit moralis iſta cogitatio ex Aſtrologia deriuata: Si Sol à Ioue benignè aſpectus occidat, cælum erit rubicundum; at tale cælum poſteram diem ſerenam pollicetur: ergo Iouis aſpectus propitius portendit dies perquàm gratos. Ita anima ſupremum diem agens, ſi à Chriſto benignè fuerit aſpecta proculdubio erit amore rubea, in illo veſpertino momento vitæ ſuæ; rubere autem charitate, ſerenam vitam in æuo venturo præſagit: ergo eò ſunt vota noſtra dirigenda, vt Chriſtus nos dignetur benigno aſpectu ſuo, quem Pſaltes præſcius futuri com- *Pſal. 33.* memorat. *Oculi Domini ſuper iuſtos.*

Vt Chriſtus artem illam, quæ ex habitu cæli profana diiudicat, in morales vſus omnino conuertit, ita & hæc moralis encyclopædia ſæpius meminit Aſtrologiæ, vt ea etiam moribus obſequatur. Cùm enim Codex ſanctus totus ſit moralis, & illic quædam ſint pertinentia ad hanc artem, ea nequeunt defraudari ſuo ſenſu morali. Et ne me ſingularē eſſe arbitreris in ſcrutinio ſenſuum moralium ex illa diſciplina cælis intenta; audi Hugonem Cardinalem, præfatum textum ſic verſantem. *Per veſperū, in quo cælum rubicundum eſt, Paſſio Chriſti ſignificatur, proprio ſan-* *Hugo Card. in c. 16. Matth.* *guine rubicundati. Matutina ſerenitas ſignificat gaudium Reſurrectionis. In tempeſtate ſequente manè, ſignificatur Sanctorum perſecutio; in triſti rutilatione futurum iudicium deſignatur.* Hæc ille, qui allegoriam illam componens, etiam in moralem vſum ſic expendit obſeruationem Aſtrologicam. *Veſpera eſt ſenectus hominis, manè iuuentus. Iſaiæ 38. De manè vſque ad veſperam finies me. Rubor eſt feruor charitatis; ſerenitas, tranquillitas: quomodo verò in manè iuuentutis rubet, ſignum eſt futuræ tribulationis; ſed poſt tempeſtatem tribulationis, ſequitur ſerenitas conſolationis. Tobiæ 3. Non delectaberis in perditionibus noſtris; quia poſt tempeſtatem, tranquillum facis; & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis.*

EX MATHEMATICA.

PRæter has Mathematicæ partes, Geometriam ſæpe commemorat Codex ſanctus, Deum plerumque referens agentem Geometram, & præcipuè vbi Iob in agone poſitum conſolatur. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?* *Iob. 37.* *quis poſuit menſuras eius ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam?* Ita ſanè Deus ſe menſorem præſtitit, & appoſitè lineas duxit in hoc rerum inferarum globo, vt aſſignari queant deorſum eædem zonæ, in quas cœlos diſpeſcimus. Ex hac Matheſeos portione Gregorius myſterium locuples aucupatur, ſic commentans. *Menſurarum lineæ in terrarum partitione ten-* *Greg. lib. 28. Moral. c. 6.* *duntur. In carne autem Dominus ad Eccleſiam veniens, menſuras terræ lineis menſus eſt: quia fines Eccleſiæ, occulti iudicij ſubtilitate diſtinxit. Huius terræ occultæ lineæ vel menſuræ tendebantur, quando prædicatores*

Sancto

Sanctio agente Spiritu in aliis mundi partibus vocabuntur vt irent; ab aliis autem arcebantur ne accederent. Ille idem moribus accommodans illa fundamina terræ lineata, ſic pergit.

Ibidem.

Vt animus ſanguis pulſus; ita iuſti terra, cuius fundamentum eſt fides. Ergo vbi eras? iuſtificatus à me peccator, recole vbi te inueni, & eris humilis. Et quia de bono homo etiam ſuperbit, menſuram profectibus Deus ponit: vt per ea, quæ deſunt, ſeruent humiliter quæ adſunt. Super animam iuſti linea tenditur, dum ei exempla patrum monſtrantur, vt ſuam ſeruent menſuram, ne citra vel vltra eat. Hæc ille.

Ierem. 18.

Nonnunquam ab arte mechanica Deus petit argumentum, quo quidpiam morale ingerat, vt cum Ieremiam miſit ad figulum. *Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam: & diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis. Conuerſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius vt faceret, & factum eſt verbum Domini ad me dicens: Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſraël?* Hieronymus ſic

Hieron. lib. 4. in Ierem.

decurrit locum iſtum. *Per omnes ſenſus ad iudicium & intelligentiam animi peruenitur, auditum, odoratum, guſtum, tactum: ſed magis menti retinetur quod oculis cernitur, vnde Propheta iubetur ire ad domum figuli, & ibi audire præcepta Domini. Vas diſſipatum eſt diuinæ prouidentiæ, vt neſcius artifex, errore ſuo parabolam figuraret.* Gloſſa morale aliquid inueſtigans ſic

Gloſſa in c. 18. Ierem.

expendit. *In domum figuli deſcendere, eſt Dei potentiam, & fragilitatem propriam conſiderare. Per figulum iſtum intelligitur Deus, cuius ſpeciale opus eſt homo, ad imaginem Dei factus & præſidens aliis inferioribus, & ideò dicitur factus ſuper rotas, id eſt creaturis corruptibilibus præſidens.* Nota Deum ſuo applicandi modo, confirmare canonem meum quartum, quo præfatus ſum, non debere quadrare adæquatè ſenſui litterali ea quæ moraliter explicantur. Nam Deus hoc Ieremiæ textu ait. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.* Et tamen claudicat

Lyranus in c. 18. Ierem.

maximè illa relatio hominis cum luto compoſiti, vt ſcitè admodum Lyranus aduertit. *Ex parte materiæ eſt diſſimilitudo; quia lutum non habet aliquid vnde poſſit ſe ſubtrahere à figuli ordinatione: ſed homo habet liberum arbitrium, per quod poteſt declinare à diuina lege per peccatum. Verumtamen hoc modo exiens Dei ordinationem ex parte vna, reincidit in eam ex parte altera, ſcilicet in ordinem diuinæ iuſtitiæ punientis debitè culpa.*

EX RE MEDICA.

Rei medicæ creber eſt vſus in bibliis; is enim eſt corporis & animæ nexus, vt vtriuſque ærumnæ & morbi queãt iiſdẽ terminis explicari: ipſo etiam Deo aſſertore, cuius eſt hæc querela.

Ierem. 8.

Super contritione filiæ populi mei contritus ſum & contriſtatus, ſtupor obtinuit me: Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Lyranus per reſinam intelligit guttam aromaticam, quæ in Pharmacia magni eſt momenti. Hebræa pro reſina habent vocem *tſori* צרי, quæ Theriacam ſonat. Eſt autem Theriaca compoſitio præſtantiſſima, vtilis contra morſus virulentos, vt & nomenclatura ſonat, quaſi dicta ſit Theriaca ἀπὸ τῶν θηρίων à beſtiis. Dioſcorides reſinæ lentiſcinæ, & terebinthinæ meminit:

Dioſcor. lib. 1. c. 77.

Scholiaſtes eius Mathiolus multus eſt in virtutibus reſinæ. Sed quid eo medicamine Deus intendat, altius eſt rimandum Theodoreto interprete. Sic ille.

Theodoret. in c. 8. Ieremiæ.

Medicos appellat Sacerdotes, & doctrinam ſpiritualem figuratè reſinam. Galaad autem vrbs erat ſacerdotibus deſtinata. Conqueritur ergo, quod ciuitas perſeuerauerit in delicto, nec pœnitentiam receperit; cùm tamen non deeſſent ſacerdotes, & præcepta legis. Hieronymus, & Hugo Cardinalis nomine reſinæ intelligunt pœnitentiam: adiicit Hugo ex Medicis, eam reſinam eſſe optimam quæ ſponte fluit à Terebyntho. Ideò ſic commentatur.

Hugo Card. in c. 8. Ierem.

Reſinæ ſunt ſacramenta quæ fluxerunt à Terebyntho, id eſt à Chriſto. Eccl. 24. Ego quaſi Terebynthus expandi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Seipſum Chriſtus medici nomine dignatus eſt.

Luc. 5.

Non egent qui ſani ſunt medico; ſed qui malè habent. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Quæ eſt Theriaca ſanans virus infuſum à peccatis, quæ ſe in animas inſinuant vt ſerpentes.

EX REBVS MORALIB.

Rerum etiam naturalium abditas vires inueſtigat Scriptura ſacra, vt iis explicatis, inde etiam moribus obſequatur; vt cùm ait, eſſe ſerpentes, qui nulla arte queant incantari.

Ierem. 8.

Mittam vobis ſerpentes peſſimos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos. Sic verſat eum locum Gregorius.

Greg. lib. 24. Moral. c. 5.

Iuſto iudicio immundis ſpiritibus vos trudam, qui à vobis exeunt exhortatione prædicantium quaſi incantantium ſermone non valeant. Hieronymus Gregorio præiuerat, ſic fatus.

Hieron. lib. 2. in Ierem.

Fruſtra præces fundunt contra ſerpentem antiquum, colubrum tortuoſum, qui Dei præcepta contempſerunt; ſic quoque qui eloquia Domini contemnunt, traduntur aduerſariis poteſtatibus. Ex indole beſtiarum, homines ſuæ ſalutis incurios arguit Deus.

Ierem. 8.

Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.

EX IVRE CANONICO.

Ex Iure Canonico Hebræorum, velut è pharetra tela depromit Chriſtus, quibus eorum mores in melius inſtituat: verbi gratiâ ex eo quòd Deus tulerat legem de decimis ordini Leuitico perſoluendis, Scribæ & Phariſæi vt legis interpretes hoc ius canonicum ſeu Pontificiũ bibliis adiecerunt: ſcilicet vt rerum etiam minutarum decimæ penderentur. Huius Canonis rigidos obſeruatores ſe præſtitere Iudæi, vt & Scribæ, Phariſæique omnes, ſe decimarum exactores importunos oſtenderunt, parum curantes exigere à populis ſequelam legum ſanctiorum, quæ Deum ſpectant. Vnde ſic in eos inuehitur Chriſtus.

Matth. 23.

Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum, & cyminum; & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem: Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Vide quomodo Sancti etiam Patres, ex iure Pontificio Hebræorum, moralia cogitarint. In his audi Chryſoſtomum.

Chryſoſt. in c. 23. Matth.

Omnes ſacerdotes, qui propter decimas corripiunt, & maiora peccata videntes tacent, docent populum colare culicem, & glutire camelum, id eſt à modico abſtinere, & maiora committere.

Hugo

Hugo Card. in cap. 23. Matth. Hugo Cardinalis ſic ad literam explicat. *Excolantes culicem, id eſt minora diſquirentes: Camelum autem glutientes, id eſt ſubticentes maiora.* *S. Bernard.* Alludit Bernardus ad hunc loquendi tropum, ſic ſcribens. *Sic Prælati noſtri temporis culicem eliquant, & camelum deglutiunt, dum maiora prætermittentes, minora diſcutiunt; optimi ſcilicet rerum æſtimatores, qui magnam in minimis, paruam aut nullam in maximis adhibent diligentiam.*

EX IVRE CIVILI.

IVs Ciuile etiam aduocatur in Sacris ab Ipſo etiam Chriſto Domino, à quo exactores tributorum cenſum expectantes, & ideò vrgentes Petrum, ſuam immunitatem Chriſtus probauit ex Iure Ciuili, ſic interrogans Petrum cui fuerant importuni illi cenſuum collectores. *Matth. 17.* *Quid tibi videtur, Simon; Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis? At ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij.* Vide quàm eruditè interrogauit Chriſtus Petrum de Iure Ciuili. Non enim ait à quibus Reges terræ accipiunt ſtipendium, ſed pro ſtipendio dixit tributum. Vt enim ſcitè no- *Cuiac. lib. 7. obſeruat. c. 3.* tat Cuiacius ex Theophylo, aliud aliàs erat ſtipendium à tributo. Nempe ſtipendium erat illud æs, quod pendebatur Reipublicæ ad alendos & ſoluendos milites, aut in alios publicos vſus. Tributum verò erat id omne, quod Regibus dabatur in teſſeram obſequij, vt erant vectigalia, annonæ, cenſus. Quia autem tempore Chriſti, Tiberius ſui iuris fecerat id omne, quo gaudebat antea Reſpublica; cenſum illum, quem petebant actores, vocauit tributum, & non ſtipendium. Rurſus Chriſtus ſe immunem probat, quia filij Regum nullis ſunt cenſibus obnoxij, ille autem erat filius Dei.

l. vlt. ff. de cenſ. Adijce quod aliud eſt tributum ſoli, aliud capitis, & vtrimque nota Chriſtum eſſe ſupra tributum. Quia caput Chriſti Deus, nemo potuit exigere tributum capitis, quandoque ſitum in hoc vt quis ſuo domino militaret. Nec etiam tributo ſoli ſubiacere potuit ille, qui rerum indi- *Matth. 8.* gus ait. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Et hæc ſumma inopia Chriſtum à tributo immunem omnino prædicabat. Etenim ex Varrone tributum dictum eſt à tribubus, eò quòd ea pecunia, quæ indicta erat Imperatori pendenda, tributim à ſingulis proportione cenſus ſoluebatur: cuiuſque autem portio ex rerum poſſeſſione cenſebatur. Hinc ſingulæ quæque ciuitates tabularios habebant, qui pro ratione facultatum debita conſcribebant, & ab his exactores edocti, ſingula quæque capita compellebant ad tributum, vt videre eſt iſta lege. *Lege ducenarij C. de exaction. tributor.* *Ducenarij, & centenarij, ſiue ſexagenarij non prius debent aliquem ex debitoribus conuenire, quàm à tabulario ciuitatis nominatim breues accipiant debitorum.* Ergo cùm tributa imponantur poſſeſſionibus, & non perſonis, vt notat Cuiacius; & *Cuiacius in legem ad debitorem ff. de pactis.* Chriſtus nihil omnino poſſederit; res planè inſolens fuit exigere ab eo homine tributum, qui ſolâ inopiâ diues erat.

Huc eſt reuocanda eiuſdem Chriſti Domini reſponſio ad interrogata: an liceret dare tributum Cæſari, an non? ait. *Matth. 22.* *Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Quaſi diceret; Tributum eſſe indictum diuitibus, & non mendicis, atque adeò eos eſſe tributarios quandoquidem loculos numiſmate graues circumferebant. Obiter ex hoc textu collige quàm locuples ſit peritia iuris ciuilis ad intelligentiam Scripturarum. Neſcio an interpretes ſacri hunc locum vnquam expenderint ad trutinam Iuris Cæſarei; nemo ſaltem mihi agnitus hunc locum luculenter conſultis legibus explicauit. Non eſt ergo quòd nauſeet Theologia poſitiua, quando ſeſe prodet Ius Ciuile. Eo enim inconſulto, multi cæcutiunt in indagine ſenſus ſacri, qui literali ſenſu reconditur. Verbi gratiâ, Chriſtus ea diſceptatione de tributo rependendo animos noſtros ad altiora voluit euehere. Quis autem nuce infracta nucleum edet, aut cortice integro quis ſibi de medulla blandietur? Nemo inſcius Iuris Cæſarei, idoneus erit ſcrutinio ſenſus abditi literæ inuolucris.

Audi quàm ſcitè ſua ſenſa moralia eructarint ſeduli Scripturæ ſacræ, & Iuris Cæſarei ſcrutatores. Origenes ſic ſe prodit. *Si ille, qui nihil in ſe* *Origenes Matth. 17.* *obtinuit, Cæſaris tamen ſoluit tributum, cùm liber eſſet ex omnibus; quantò magis eſt neceſſarium nos tributa carnis expendere, & negotiationis noſtræ vectigalia penſitare?* Quaſi diceret, eos, qui ſe deuouent rebus his infinitis, eſſe multis malis vt tributis obnoxios: Tributa enim poſſeſſiones ſequuntur, non perſonas. Fauet Seneca. *Senec. li. epiſt. ad Lucil.* *Mors, exilium, luctus, dolor non ſunt ſupplicia; ſed tributa viuendi.* S. Hilarius ſpeculans Chriſti conſilium de reddendo tributo Cæſari, ſic fatur. *S. Hilar. in c. 23. Matth.* *Iſta omnia inter contemptum ſæculi, & contumeliam lædendi Cæſaris temperauit, vt curis omnibus & officiis humanis deuotas Deo mentes abſolueret, cùm Cæſari, quæ eius eſſent reddenda decernit. Si enim nihil eius penes nos reſederit, conditione reddendi ei quæ ſua ſunt non tenebimur. Porro autem ſi rebus illius incubamus, ſi iure poteſtatis eius vtimur, & tanquam mercenarios alieni patrimonij procuratione ſubijcimus; extra querelam iniuria eſt, Cæſari reddi quod Cæſaris eſt; Deo autem quæ eius ſunt propria reddere nos oportere, corpus, animam, voluntatem. Ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus: proinde condignum eſt, vt ei totum reddant, cui debere ſe recolunt & originem & profectum.*

EX HISTORIA PROFANA.

EX profana hiſtoria, & gentium ritu, ſacer Textus etiam ſatagit fidelium mentes excolere, ea indole occurrens faſtidio, quo plerique nauſeant ad diuina. Ita Paulus hortatur Corinthios ad virtutis obſequium, ducta ſimilitudine à ludis Olympiis. *1. Cor. 9.* *Neſcitis quòd ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis: omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Rurſus ille alludens ad ſtatuta, quibus tenebantur athletæ, ſuo ſic Timotheo cauet. *2. Tim. 2.* *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Adeò diues eſt illud penu gentilis hiſtoriæ, vt inde Paulus

luculenta

luculenta teſtimonia depromat ad morale intentum; vt cùm Romanis inſinuat, quanta ſit gratia fidei, qua nobis affulgenti Deo deuouemur, eique alio planè modo quàm veteres illi Philoſophi addicimur, quos ille enarrat ea epiſtola recenſitos. *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut* Roman. 1.
Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Idem Codex ſanctus meminit Deorum manium, & recenſet eorum nomina ſolita tribui eis, quos credidere gentes habere aliquid affine ſuis Heroibus. Audiendus Lucas enarrans ea, quæ patrarunt Paulus & Barnabas Lyſtris in
Actor. 14. Lycaonia. *Turba cùm vidiſſent quæ fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam, Lycaonicè dicentes: Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium; quoniam ipſe erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat ſacrificare.* Nonne etiam & fas erit recenſere ritus inolitos priſco æuo Gentilium, vt inde eruamus aliquid idoneum ad morale inſtitutum.

Tertullianus in Apologetico, & S. Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei, nonne toti ſunt in Ethnica ſapientia recolenda vt vel hinc Chriſtianum ritum purgent à cenſura, cui eum obnoxium faciebat neſcia Gentilitas. Si ergo quandoque venor moralia ex profana hiſtoria, quis eò veſaniæ deueniet, vt condemnet ſchema inolitum etiam Sanctis, qui ſacris ipſas quoque fabulas adaptarunt. Vt miſſum faciam S. Fulgentium, qui librum texuiſſe dicitur de fabulis myſticè recenſitis, ſufficiet vnum aduocare Ambroſium, qui ſic
S. Ambr. ſer. 55. de cruce. deſcribit errores Vlyſſis. *Cùm in locum quendam curſus illum nauigij detuliſſet, in quo Syrenarum dulces cantus crudelis varietate reſonabat, & aduenientes ſic blanda modulatione demulcebat, vt non tam ſpectaculum voluptatis caperent, quàm naufragium ſalutis incurrerent. Igitur cùm Vlyſſes incidiſſet in hoc dulce naufragium, & ſuauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inſerta cera auribus ſociorum ſeipſum ad arborem nauigij religaſſe, quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & ſe de periculo naufragij eriperet. Si ergo de Vlyſſe illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit; quantò magis prædicandum eſt, quod verè factum eſt, hoc eſt quod hodie omne genus hominum de mortis periculo crucis arbore eripuit. Ex quo enim Chriſtus Dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure tranſimus. Crucis arbor nõ ſolùm religatũ ſibi hominem patriæ repræſentat; ſed etiam ſocios circa ſe poſitos virtutis ſua vmbra cuſtodit.* Hæc ille.

Si quem ſollicitat carpendi inſanabile cacoëtes, ſic inſtabit. Eſto ſuam falcem iniecerint Sancti in meſſes Gentilium, vt inde reportarent aliquos manipulos; non tamen Galliæ, Hiſpaniæ, aut huiuſmodi res geſtas expenderunt moraliter, vt fit paſſim in hoc volumine. Reſpondeo primò, ſanctos ſuo exemplo de fabulis vſurpatis moraliter noſtram induſtriam prouocaſſe ad noſtrates hiſtorias etiam expendendas, vtpote quibus inſit morali intento idoneum multiplex argumentum. Non mihi vendico ingenium illud rimandi moralia ex omnigena hiſtoria. Mihi præluxit Anti- Franc. de Sales lib. 9. de amore Dei c. 13.
ſtes ille eximius, potens in opere & ſermone Franciſcus de Sales Epiſcopus Allobrogum. Is ea qua pollebat ſcribendi peritia, res ſacras, quantumuis abditas explicabat ſimilitudine ducta ab obiectis plerumque vernaculis, aut petitis ab hiſtoria æui ſui, vt eo libro quem inſcripſit de amore Dei. Narrat adoleſcentis hæretici facinus egregium, quo dedit manus Chriſto auditâ campanâ Carthuſianorum, quos æs illud tinniens, vrgebat ad ſuaue melos Angelorum. Ille idem Præſul ſcribit, Galliæ Reginam ſponſam S. Ludouici eâ fuiſſe indole adeò compoſita ad nutum Regis, vt cum eo profecta ad expeditionem tranſmarinam, ſe totam videretur exuiſſe, vt ſolius ſponſi arbitrium indueret. Inde Antiſtes ille anſam aucupatur enarrandi obſequia, quibus eſt voluntas noſtra Deo Domino mancipanda. Huius Pontificis ſanctitate & doctrina conſpicui veſtigiis inſiſtens, procul ero à cenſura.

EX SYMBOLIS.

VNum eſt quod videtur faceſſere negotium, ſcilicet vſus ille ſymbolorum quaſi exoticus. Res enim pictæ adiecto aliquo titulo plerumque ſunt alienæ prorſus ab intento, cui hæc ſymbola vtplurimum addicuntur. Ne nimius ſim in reſponſo, dicam Laconicè ſcripturam totam eſſe ſymbolicam in ordine ad mores: ibi enim multæ picturæ loquaces, non citra myſterium homini proponuntur. Eſt autem hîc ſymbolum res aliqua ſenſibilis, quædam arcana recondens ſuis inuolucris, vt, cùm veteres nomine ciconiæ pietatem adumbrant. Vſus ſymbolorum creber extitit in re ſacra, & inolitus omni genti. Hebræi vt rebus ſacris conciliarent peculiare decus, ſymbolis arcanis vſi ſunt, quorum copiam faciebant tantùm ore tenus, & non ſcripto: ideò Chryſoſto- Chryſoſt. in I. epiſt. ad Corinth.
mus eorum dogmata nuncupat ἄγραφα; id eſt non ſcripta. Et hæc fuere prima Cabalæ rudimenta. Hebræorum commercio cultiores facti Ægyptij, hunc eruditum ſymbolorum genium ebiberunt. Horum etiam meminit Ammianus ille Ammia. lib. 22. hiſtor.
priſcus auctor. *Exciſſis parietibus volucrum, ferarumque genera multa ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras; quas Hieroglyphicas litteras appellarunt.*

Pro foribus templi ſphingem collocabant Ægyptij, vt ex limine ædis ſacræ, quiſque altos animos conciperet de quibuſque in templo obuiis, etſi quidpiam ſubobſcurum inuoluerent. Eorum doctrinam Clemens Alexandrinus vocat
myſticam Theologiam. μυστικὴν καὶ τὴν Αἰγυπτίων Clem. Alex. lib. 1. & 5. ſtrom.
θεολογίαν. Philo verò hoc inſtituti genus nuncupat τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν. Philoſophiam Philo lib. 2. de vita Moſis.
ſymbolis implexam. Quanti momenti fuerit vſurpatio illa ſymbolorum diſces ex Ammiano: Ammia. lib. 17. hiſtor.
Formarũ innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas obeliſco Ægyptio vndiq; videmus inciſas, initialis ſapiẽtia vetus inſignituit auctoritas.

Ab eo fonte deriuata inſignia gentilitia, cuiuſque indolem clamant, vt lilia aſſumpta à Clodoueo initiato Baptiſmate ſacro, denotarunt fidei candorem, quo ex eo temporis articulo fuit Gallia dealbata. Suos ſic teſtati ſunt animos Heroës illi in expeditione Thebana à Statio recenſiti. In quibus Capaneus hydram, Polynices

Statius in Thebaide.
Pierius Hieroglyph. lib. 15.

Sphyngem, vt & in obſidione Trojana Agamemnon Leonem, Vlyſſes Delphinem, aliique varias ſui ingenij aut gentis teſſeras oſtentabant. Ab eo ſtylo non abhorret Codex ſacer, vſurpans ſymbola nationum pro ipſamet gente, vt cùm Dauid volens exprimere Ægyptios, obuiis aquarum vorticibus implicitos, ait. *Contribulaſti capita draconum in aquis.* Quippe in confeſſo eſt apud peritos, vſos eſſe Ægyptios dracone in vexillis. Ezechiel ex ore Dei ſic compellat Ægyptum. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum.* Hoc ſymbolum Auguſtinus myſticè verſans explicat de Dæmone Dracone infero, qui periit in aquis Baptiſmi. Alij aiunt, omnia crimina veluti viperinos fœtus peſſum-ire profluuio lacrymarum.

Pſal. 37.
Ezech. 29.
Auguſt. in Pſal.

Symbolis vt plurimum adiicitur hodie contextura vocum, quæ ſelecto breuiloquio, eam venuſtatem picturæ affingit, quam anima corpori impertit, vt cum liliis iſta epigraphe inſcribitur LILIA NON NENT. Suam inde ventilant Galli peritiam in re bellica, innuentes ſibi inſitos maſculos animos, eos vſque procul ab indole fœminina. Huiuſmodi ſymbola ſuis titulis inſignita, ſingulis quibuſque ſectionibus adſciſco, & facio eiuſdem iuris ac ſcientiarum omnium chorum. Quippe hæc ſymbola ſemper congruum obſequium pendunt morali meo inſtituto. Sciſcitaris, cupide Lector, an Scriptura ſacra ſuppeditare queat aliquod ſymbolum, pictura & vocum titulo coaleſcens? Ita ſanè eloquio illo ſacro confirmatur erudita illa ratio diſcurrendi, adhibitis rebus inanimis; quas tamen vocales efficit inſcriptio, quæ ideò anima ſymboli nuncupatur.

Apoc. 17.

Habes in Apocalypſi ſymbolum voluptatis, cuius ideam obiicit tibi textus hoc tenore. *Mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum in manu ſua, plenum abominatione.* Ecce lineas ſacro penicillo ductas, quibus exurgit hæc pictura incautis illudens oculis. Vide iam qualis huic tabellæ titulus inuratur. *In fronte eius nomen inſcriptum eſt myſterium.* Reuera patens eſt myſterium fronti inſcriptum, ſicut & omnibus liquet, nimiam veſtium pompam luxui ancillari, vt clamat Cyprianus. *Ornamentorum & veſtium inſignia, & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior eſt cultus, quàm quarum pudor eſt vilis.* Idem Textus ſacer aperit Chriſti Domini maieſtatem, cuius hoc ſymbolum Ioanni permiſſum eſt. Sic ille rei aſpectæ non immemor. *Oculi eius ſicut flamma ignis, in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe.* Quali autem titulo inſignis ſit ille omnis apparatus, audi ex reliqua ſerie verborum. *Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Non ergo inſulsè inſerui ſymbola meo morali ſyntagmati omnigenæ diſciplinæ, quandoquidem habeo ſimilis argumenti ſacros Codices aſſertores.

Cyprian. lib. de diſcipl. & hab. virg.
Apoc. 19.

CANON OCTAVVS.

CAnone octauo itur obuiam multis inſtantiis quibus nonnulli tentant ſubiicere myſteria, quæ ſurculorum inſtar emergunt ex variis argumentis: hic igitur eſto Canon indubius, ſcilicet; Non eſſe neceſſe vt res enarrata ſit vſquequè vera, vt ſenſus moralis elicitus inde, ſit germanus: in confeſſo enim eſt apud omnes, ſufficere ſemiplenam probationem petitam à communi fama, vt quis traducatur. Rurſus vbi res aliquo nititur auctore, probabilis eſt, etſi non omnino vera; vt iure Cæſareo probationes aliæ petuntur ab argumentis, aliæ à perſonis, quod ſcitè aduertit Cuiacius. Probatur hæc regula primò à ſcripturis, vbi Chriſtus multus eſt in parabolis, quibus quaſi hiſtoriis excoluit auditorum ingenium. Illæ autem hiſtoriæ etſi perſonas inducant nuſquam viſas; altè tamen erudiunt. Vt videre eſt in geſtis filij prodigi, & hominis Regis redeuntis à longinquo. Dubiam faciunt plerique exiſtentiam Phœnicis; & huic tamen aui Chriſtus apponitur. Omnes ferè cæcutiunt in viperarum partu; exiſtimant enim viperam nullam enixam ſuos fœtus, niſi vitæ diſpendio; quod tamen inficiantur Ariſtoteles & Philoſtratus; & in credulos homines Dioſcoridis Scholiaſtes inuehitur. Egoque ipſe vidi viperas edito fœtu ſuperſtites, vtero illæſo; & miratus ſum, quis fidem fecerit mendacio. Non defuere tamen SS. Patres, qui ex hoc viperæ commento, argumenta moralia prodiderunt. Eorum imitatione nolui reuocare ad trutinam exquiſitam hiſtorias à me recenſitas, imò nec Aſtrologiæ deliria vacant ab erudito aliquo cogitatu. Et licet Ptolemæi, Firmici Schonneri, & Origenis alta ſcrutinia de iudiciis Planetarum, iampridem fecerim cenſuræ obnoxia; ſelegi tamen aliquas obſeruationes, quibus nolo credi, ſed eas explico moraliter, ne ſit elinguis illa ſcientia garrula, aliis ſcientiis ſua ſenſa promentibus in hac mea morali Encyclopædia.

Cuiac. lib. 4. Paratit. Codicis. Inſt. de Probation.
Ariſt. lib. 5. de hiſtor. anim.
Philoſtrat in vita Apol.
Mathiol. in lib. 2. c. 10. Dioſcor.

Meo huic Canoni lumen adfert Ambroſius, qui etſi ſupra falſitatis accuſauerit hiſtoriam Vlyſſis religati in malo nauis; non deſtitit tamen à morali ſenſu ſupra aduocato, cui & ſubiecit has lineas. *Arbor quædam in naui, eſt Crux in Eccleſia, quæ inter totius ſæculi blanda & pernicioſa naufragia incolumis ſeruatur. In hac ergo naui quiſquis aut arbori Crucis ſe religauerit, aut aures ſuas ſcripturis diuinis clauſerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit: Syrenarum enim quædam ſuauis figura eſt, mollis concupiſcentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis, conſtantiam captæ mentis effœminat. Ergo Dominus Chriſtus pependit in Cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret.* Hæc Ambroſius appoſitè ad geſta Vlyſſis, etſi fictitia. Ita & ego regulis Aſtrologiæ etſi futilibus, velut ex cortice ingrato medullam prolicio ſalutarem.

Ambroſ. ſer. 55. de cruce.

Et quia conſulendum eſt infirmis hominum animis, illud denuò inculco. Scripturam ſacram à Sanctis quandoque ita explicari, vt res vitio obnoxia, cum alia componatur omnino aliena à vitiis, quòd ſi in hoc volumine præſtitiſſem ſine exemplo, arguerer blaſphemiæ. Huiuſce ſchematis egregium ſpecimen offert Hieronymus, quando duas illas meretrices coram Salomone litigantes explicat de Eccleſia & de Synagoga. Sic ille. *Quòd adultera & meretrices Synagoga & Eccleſia dicantur in Scripturis; nulla dubitatio eſt: & hoc prima fronte videtur blaſphemum eſſe.* Itaque ex Dei oraculis multa ſe quandoque produnt moralia longè latéque diſſita à textu literali. Non enim neceſſe eſt in ſenſu morali omnia cohærere, vt monet Hieronymus. *Prudenter rogandus eſt Lector, ne eundem velit ordinem tropologiæ quem & hiſtoriæ quærere.*

Hieron. epiſt. 132. ad Ruffin.
Idem in Ioan. 2.

Ille

Ille effati ſui ſubtexens rationem, ait. *Nam & Apoſtolus Agar & Saram ad duo teſtamenta refert; & tamen omnia, quæ in hiſtoria illa narrantur, tropologicè interpretari non poſſumus.*

Res medica cautionem nos edocet, cuius obſequio omnes diſciplinæ queunt ſenſui myſtico *Dioſcor. lib. 2. c. 55.* ſuffragari. Nimirum Dioſcorides ait Cantharidum alas & pedes eſſe præſens remedium contra virus epotum. Ita ex omni diſciplina quidquid idoneum eſt ad volatum, illud eſt congruè reſcindendum ad morales vſus; alia verò reliqua prætereunda ſunt, vt minimè profutura. Hoc ego præſto, cùm allatis hiſtoriis vt aliquo dogmate alicuius ſcientiæ, illa tantùm adſciſco, quæ conducant ad inſerendum animis ſanctios inſtitutum. Si enim operæpretium eſſet omnia in morales referre cancellos, pleraque incongrua irreperent. Eamobrem obſeruandum eſt quod inculcat Ori- *Origenes in c. 13. Matth.* genes. *Quemadmodum in imaginibus ac ſtatuis ſimilitudines non omni ex parte reſpondent iis, ad quæ conferuntur, sunt in plano ſine eminentiis, tum in ſtatua cum eminentiis, ſed non intrinſecus. Ita cum regnum cælorum ſimile dicitur rei cuipiam; ſimile dicitur non ſecundùm omnia, quæ adſunt illi, ad quod confertur ſimilitudo; ſed ad quædam duntaxat, quæ conducunt ad aſſumptam rationem.*

Fortaſſe indole critica ſatvrus inſtabit; ſi ægrè coëunt ſenſus literalis & moralis, ſi raro coaleſcunt ſingulæ vtriuſque partes, ac proinde ſufficiat aliqua tantùm aſſumere ex litera, vt eorum ſuffragio, virtuti Lector litare queat: quare tu in hoc volumine ſæpe ſæpius exquiſitam texis anatomen locorum Scripturæ ſacræ, in ſingulis quibuſque partibus ſubodorans myſteria. Reſpondeo, me quidem aliquando, ſuperno lumine affulgente, luſtraſſe moraliter aliquos verſus ſacros; aliàs verò ſobriè & ſacra & profana delibaſſe. Vtriuſque moris habeo mihi præeuntes Doctores velut anteſignanos. Cùm parcus extiti, aliquas tantùm particulas inueſtigans, ſequutus ſum Hieronymum atque Origenem antea recenſitos. Dicam audacius; Chriſtum ſtudui æmulari in eo argumento: ille enim recondens arcana ſuæ diſciplinæ parabolarum inuolucris, etſi ſuas parabolas fuſiore ſtylo pangeret; non omnes tamen explicuit vſque ad apices & ſingulas quaſque minutias. Non ergo erit periculum deuiandi in calle trito pedibus Chriſti Domini Myſtagogi.

In hac alea mihi etiã prætendêre faces ſummi proceres Eccleſiæ Latinæ & Græcæ, in quibus ita *Aug. lib. 16. de ciuit. Dei.* monet Auguſtin. *Non ſanè omnia, quæ narrãtur geſta, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt; ſed propter illa, quæ aliquid ſignificãt, etiã ea, quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur; ſed vt hoc fieri poſſit, etiã cætera aratri mẽbra ſunt neceſſaria. Et ſoli nerui citharu atque huiuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cãtum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiũtur à canentibus, ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua quæ nihil ſignificant; ſed quibus adhæreant quæ ſignificant, & quodammodo religentur.* Chryſoſtomus etiam vult eâ cautelâ legi ſacra, vt non indagini rerum omnium inſudetur. Sic ille. *In pa-* *Chryſoſt. hom. 63. in Matth.* *rabolis non oportet omnia in ſingulis verbis curari; ſed cùm quid parabola intendit didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio conatu eſt inueſtigandum.* Adiice & Theophylactum. *Omnis parabola obliquè, & figurato modo* *Theophyl. in Luc. 16.* *rerum quarumdam naturam manifeſtat: nec enim per omnia rebus illis aſſimilata eſt, propter quas aſſumpta eſt. Idcirco non oportet omnes parabolarum partes curioſius inquirere; ſed quatenus apparent propoſito vtiles: reliqua enim omittenda ſunt quaſi parabolam contexentes, & nihil ad propoſitum conducentes.* Si etiam in re ſacra vacat aliquando aliqua pars textus, nemini debet faceſſere negotium, ſi in ſacris & profanis non omnia ſemper expendo ad trutinam morum. Si verò ſecus quoſdam textus ego religioſè perſcrutor, abdita reſerans etiam penetralia; id præſtiti, quia Scriptura ſacra non eſt elinguis, ſed vocalis eis, qui arcanorum ſenſum reconditum ab ea ſeriò ſciſcitantur. Si dubiam meam fidem facis, crede Chry- *Chryſolog. ſerm. 147.* ſologo. *Non apices, non litera, non ſyllaba, non verbum, non nomina, non perſona in Euangelio, diuinis vacua ſunt figuris.*

Ex præfatis. Eſto ſacer interpres ſit nimius aut parcus in expendendo textu, quem decurrit; vtriuſque ſui ritus habet exempla, & patronos, videlicet Sanctos, qui vt Eccleſiæ oracula Codices ſacros ſuis ſcholiis illuſtrarunt. Ne ego à quopiam crederer abhorrere, omnes mihi propoſui æmulari ſanctos interpretes, nunc fuſè arcana effundens, aliàs verò parciore manu erogans ſtipem hanc moralem; quæ vt tamen eſſet vberior, prædiuites gazas omnium ſcientiarum aperui, vt mea dogmata moralia hauſta è variis fontibus, tepentibus etiam animis altius inſiderent. Etenim ex Lactantio, etſi veritas ſatis ſuperque nuda arrideat; ab ornatu tamen aliquid emendicat, quo ſibi magis animos hominum deuinciat. Ita & paræneſes ad virtutem ſeſe liquidiùs inſinuant menti, variis ſcientiarum floſculis adornatæ.

Imò & ipſe Deus, penes quem ſunt omnia amoris argumenta, quaſi indulgens indoli hominum imbecillæ, vt eorum animos inflecteret ad amorem, hominem induit. Ita & ſanctiora conſilia abdita velamine vernaculo, nanciſcuntur animos magis idoneos vt virtutibus obſequantur. Eò collimauit Origenes hoc effato. *Sicut in nouiſſi-* *Origen. homil. 1. in Leuit.* *mis diebus, Verbum Dei ex Maria carne veſtitum, proceſſit in hunc mundum; & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aſpectus in eo patebat omnibus; paucis verò, & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita & cùm per Prophetas, vel legiſlatorem Verbum Dei profertur ad homines, non abſque competentibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita & litera velamine tegitur, vt litera quidem aſpiciatur tanquam caro, latens verò intrinſecus ſenſus, tanquam diuinitas ſentiatur.*

Obſtetricata eſt & alia ratio intento meo, de texendo ſenſu morali beneficio omnigenæ diſciplinæ. Nimirum arbitratus ſum ea, quæ magno conſtant, haberi in deliciis, & præponi eis, quæ ſe vltro produnt: quanto autem temporis & librorum pretio comparauerim hoc ſyntagma morale, res erit in aperto vnicuique cultiori literatura tincto. Non longè eſt ab hoc argumento Auguſtinus, cuius accipe ſuffragium mihi propitium. *Credo quòd ipſe animi motus quandiu in rebus* *Aug. ep. 119.* *adhuc terrenis occupatur; pigrius inflammatur; ſi verò feratur ad ſimilitudines corporales, & inde ad ſpiritualia, quæ ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem, & quietẽ.* Conducebat

enim hac ſenſuum multiplicitas humana mentis ſomnolentia excitanda. Quod in promptu eſt negligimus, vt in foribus hydram, iuxta Gracorum prouerbium: ad recondita ſemotaque ſumus auidiores, & vt magis illa iuuant, qua pluris emuntur; ita chariora nobis ſunt, qua cum labore ſummo aſſequimur, quam qua vltro obiogerunt. Hæc ille, cui ego adiicio, criſtalli triangularis obſequio & obiectus, obuia corpora gratius oculos afficere; ita & ſalutaria etiam monita æquiore animo capi ſelectis ſciētiarum illecebris inſignita.

Cæterum etſi videar iniiſſe callem aliis inuium ſcriptoribus, ab omnibus ſcientiis aucupando lumina quædam idonea moribus illuſtrandis; tamen etſi ſingularis ego interpres in ea contextura rerum variarum, non aberro à ſtylo Codicis ſacri: Etenim, vt oſtendi Canone ſeptimo, Scriptura ſacra ſcientiarum omnium choro præit; & vt cultiores efficiat hominum mentes, omnibus ſcientiis vtitur vt ancillis, quæ arbitrio Dei erudientis homines obſequuntur. Cùm igitur ſacroſancta illa diſciplina ſit veluti ſumma totius ſcibilis idonei ad meliorem frugem; erit reuera hæc ſcriptura ſacra Moralis Encyclopædia, cuius aditum temerè tentat homo ſine claoi reſerante fores omnigenæ diſciplinæ.

Ex veritate prælibata duo exurgunt. Primum eſt æſtimatio inſignis & locuples Scripturę ſacræ, quæ eſt inſtar prædiuitis gazæ literaturæ omnis. Et hinc videre eſt quàm opaco animo cæcutiant illi, qui cupidi ſcientiæ reconditæ, ſacros Codices aſpernantur, nauſeæ ſuæ hunc fomitem affirmantes, ſcilicet humilem eſſe contexturam bibliorum, & illic vernaculas tantùm materias agitari. Illa ſciolorum hominum inſtantia iniuria Scripturæ ſacræ, indubium eſt argumentum inſcitiæ eorum, qui ſic in biblia ſacra impiè debacchantur. Quippe caligantes hi tabulæ atque ſycophantæ, in abdito ſenſu Scripturæ cælitus illapſæ, ſtylum ſuum acuunt, vt ab eo Codex ſanctus auſu nefario configatur. In hos inuehitur Vates ſic declamans. *Vere mendacium operatum eſt* Ierem. 8.
ſtylus mendax Scribarum Confuſi ſunt ſapientes, perterriti, & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. Equidem ſanè deſipit ille cui non ſapit alta ſcientia Codici ſacro inſerta, cui omnes diſciplinæ velut aduolutæ ſua obſequia deuouerunt.

Alterum quod Canones iſti præſtant, eſt luculenta apologia vindicans me ab ea iniuria vanitatis, cui apud inſcios mei intenti, titulus operis addixerat. Quis enim audito homine, qui ventilat præſto ſibi eſſe ſcientiarum omnium chorum in moralem Encyclopædiam compoſitum, non inde auram inanis gloriolæ illico ſuſpicetur. Lector mihi factus iniquior titulo grandiloquo, iam compos effectus mei inſtituti, non explaudet, ſed applaudet; & maximè vbi toto contextu mei operis deprehendet, me ſtetiſſe pollicitis, in limine libri huius inurens margini fontes omnium ſcientiarum, vnde in paginas meas copioſi latices exundarunt.

Aſt fortè inſurget aliquis obiiciens, ea, quæ tenorem vnum eundemque ſeruant, nauſeam vt plurimum ſua ſibi repetita ſerie comparare: huius faſtidij eſſe locuples exemplum in manna Hebræorum, cuius ſuauitas maximè obſtitit, quin populus, diu eodem licet Angelorum edulio paſtus, tædio laboraret, vt fidem facit ſacer Textus.
Num. 11. *Deeſt panis, non ſunt aqua: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Coibant in manna cupediæ omnes lautioris eſculenti, ſacro etiam Codice recenſente, in eo pane abditas omnium epularum illecebras. Sic ille Textus, eſcæ electæ vſum & naturam prodit. *Angelorum eſca nutri-* Sap. 16.
niſti populum tuum, & paratum panem de calo praſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem, quam in filios habebas, oſtendebat: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur. Locuples ea virtus inſita illi pani, non potuit cohibere appetitum Hebræorum luxuriantem ad varia; quomodo ergo compeſcet iſtud opus lectorum animos anhelantes ad varia, & pertæſos eamdem contexturam, quia in ſingulis quibuſque ſectionibus ſcientiæ omnes chorum agunt, aut probantes, aut ornantes intentum meum, cuiuſque ſectionis titulo prælibatum? Nonne ingrata erit hæc ſequela omnigenæ diſciplinæ, ſtudio pertinaci iugiter obſeruata? Nonne animus iiſdem mearum marginum fimbriis aſſuetus, & eaſdem ſemper obuias habens ſcientias, fiet eo ebibito ſchemate remiſſior, non habens vnde nauſeæ occurrat, quæ exurgit ex eodem obiecto ſeſe oculis ingerente.

Non eo inficias, fore aliquos iniurios huic tenori, cui toto hoc volumine inſiſto, vtpote auſtero nimis, & fortè importuno iis diſciplinis, quas quandoque inuitæ obſecundant titulo laceſſenti. Vnde vt nihil ſartum tectumque eſt, quod fit inuitâ Mineruâ; ſcientias omnes vbi agnoſcent ſe vrgeri ad compactos hos cancellos, ſcilicet ad ſingulos quoſque titulos, ſuam operam integram minimè præſtituras. Me expedio ab obiectis. Dicens, meas vigilias non eſſe meriti potioris, quàm extiterit manna, quod etſi variaret in ſapore; quia tamen eodem ſemper habitu & ſpecie in oculos influebat, factum eſt obnoxium nauſeæ aliquorum. Congeſſi ego in volumen iſtud dapes omnes, quibus comparandis ſufficere potuerunt exiguæ facultates; ſtudui condire cibos omnium hominum palato, etiam multiformi, vt virtutis obſequium ingererem lectoribus, multiplici rerum ſpecie delinitis. Non deerunt tamen qui aſſerant fieri hebes acumen appetitus, nimio apparatu & obiectu; & præſertim, ſi ſæpius eodem ritu epulæ compoſitæ proſtent, ac proinde etiam libros multiplicis argumenti etiam diſplicere, ſi formulæ, & capita toto tractu voluminis eodem ordine connectuntur.

Si quos nauſea hæc importuna vexat, meliorem illis oro ſortem eâ, quam paſſa eſt gens illa Hebræorum facta iniquior Angelorum pani, quia ad arbitrium gentis imperitæ non varios habitus induebat. Benè mihi & huic volumini erit conſultum, ſi vt plerique Iudæorum benè vſi manna, vegetiores effecti ſunt; ita & indolis ingenuæ homines, decurrentes haſce parenæſes ad virtutem, hinc opimè ad gratiam Dei eorum anima ſaginetur. Quippe ille vnus à me ſcopus intentus, ad quem enixè toto huius operis curriculo collimaui. Scilicet vt quidquid mihi multiplicis ſcientiæ ſuffragio comparaui, illud totum facerem pietati ſacrum, & ampliandæ virtutis obſequio deuouerem O me beatum, & optata mercede non fruſtratum, ſi nanciſcar homines factos hoc meo volumine cultiores! Hoc mihi exantlati operis aſſumo ſymbolum, in teſſeram animi mei inopis indicem.

SI VIRTVTI MILITAVERO, LITAVERO.

Demum ſi diſplicet ea congeries rerum profanarum, quas multas refero ad morales vſus; quæſo non excidat animo, illud eſſe de ratione moralis Encyclopædiæ, vt inſtar apis ſedulæ luſtret omnes ſcientias quaſi amœna omnia camporum, vt rore ebibito, quo floſculi madent, nihil vnde ſit impaſta prætereat illibatum. Quòd ſi quis inſuſurret ſcripta gentilium & profanas hiſtorias non eſſe florilegia, ſed potius ſenticeta ſpinis hiſpida, quæ incautos pungunt, atque adeò fugienda præconi verbi Dei & morali bibliorum interpreti. Reſponſio in palàm eſt. Reuera incautos poſſe incurrere in ſentes punctioni obnoxios; ſed peritos omnes retundere aculeos, nihilque adeò incultum & horridum vnde flores non emergant verno elucente Sole. Ita Deo affulgente, Sancti ex peregrinis auctoribus etſi gentilibus ſanctiora ſæpe dogmata compegerunt. Et ego ebibito beatarum mentium hoc ſpiritu, roſas innoxiè carpo de hirſuto ſpinis rubo Gentilium, quando moralia texo de ſtipite Gentilium. Aduoco Theodoretum mihi propitium. *Vt qui roſaria demetunt, ſpinas quidem intactas demittunt; roſarum verò calices legunt, Ipſis quoque apibus hanc natura legem inſtituit, vt non ſolum floribus qui ſunt dulces inſidant, ſed qui etiam amarulenti; cùm tamen ſolam dulcedinem hauriant.* (paulò poſt) *Ita & nos Poetarum, Hiſtoricorum, Philoſophorumque monumenta verſantes, alia ex his vt noxia & peſtifera declinamus; alia verò ſparſim noſtra inſerentes doctrinæ, auxiliarem vobis ac ſalubrem curationem afferimus.* Concinit Auguſtinus. *Sicut populus Iſrael exiens de Ægypto, ſibi potius, tanquam ad vſum meliorem, vaſa aurea, & argentea, quibus non benè vtebantur, præcepto Domini ab ipſis Ægyptiis tulerunt: ſic doctrinæ omnes Gentilium vſus veritatis aptiores, ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum ſunt vendicanda.* Hæc ille.

Theodoret. l. 1. de Græc. affectionum curatione par. 1.

Auguſt. l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 40.

Eum ego in hoc volumine honorem præſtiti Euangelio, quem aliàs exhibuere Principi Iehu potentes Iſraël. *Feſtinauerunt itaque, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Omnium ſcientiarum ſupellectilem aptaui in tribunal, quando diſciplinas omnes ſuppoſui Euangelio, quod veluti pro tribunali ſedet, cùm ei ſcientiarum chorus humile pendit obſequium. Moralem ſenſum Euangelij explicare gentilium effatis & dictis, illud idem eſt ac canere tuba, Imperium ſuum longè latéque Euangelij dogmata propagare. Cùm & ipſi ab Eccleſia extorres homines ſuo exemplo clament eſſe Euangelij doctrinam orthodoxam. Simile quidpiam ſuggerit Auguſtinus. *Ex Ethnicorum benefactis acriores addi ſtimulos ad virtutem, quàm noſtratium, cùm ſubit animum, quàm turpe ſit, non id perſpicere pectus Euangelica luce illuſtratum, quod perſpectum eſt his, quibus ſola naturæ ſcintilla perlucebat: non præſtare nos, qui ſub Chriſti vexillis militamus pietati, qui ſtipendium immortalitatis ab eodem expectamus, quod præſtiterunt hi, qui nihil hominis à rogo ſupereſſe, aut ſuſpicati ſunt, aut planè crediderunt.*

4. Reg. 9.

Auguſt. vbi ſuprà.

In vicem coronidis Canonum iſtorum; dico, Moralem iſtam Encyclopædiam coronam texere Euangelio eadem arte, qua & ſibi Dauid diadema compoſuit. Sic de eo fatur Scriba ſacer. *Tulit coronam Melchon de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema.* Ammonitæ vltro ſuas opes deuouerant idolo Melchon, illud illuſtrantes ea corona, quam memorat Textus. Dauid ratus indecorum eſſe relinquere ſimulacro tale inſigne, ille ſibi hoc diadema rutilans adaptauit. Eadem indole ego ægrè ferens, omnes diſciplinas tantas opes ſuo penu recondere, quibus Ethnici luxuriant, aurum illud omne conflaui meo Marte, ad coronæ intentum, cui adieci margaritas lectiſſimas orbe toto, videlicet illud omne quod rutilat in profanis, & inde ſolertiâ peritiâque quâ potui diadema contextum Euangelio conſecraui.

1. Paral. c. 20.

INDEX CAPITVM.

TRACTATVS PRIMVS DE FESTIS DOMINI IESV ſtipatis omnium ſcientiarum agmine.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

EXPOSITIO moralis, Euangelij diſſecta in ſectiones. pagina 1

De diſtricta ſui notitia requiſita ad hoc, vt Chriſtus noſtris mentibus adnaſcatur. In hæc verba. *Exiit edictum a Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis.*

Sectio prima. 1

Profiteri feruens Dei obſequium, eſt eorum tantùm, quibus affulget ſui notitia, & in ea iugiter exercentur. In hæc verba: *Aſcendit Ioſeph cum Maria, vt profiteretur.*

Sectio ſecunda. 4

Bifariam debent inuigilare paſtores, primò ſibi, tum gregi ſuo. In hæc verba: *Et paſtores erant in eadem regione vigilantes.*

Sectio tertia. 7

Inanes ſunt paſtoris vigiliæ, ſi ex præſiſis non fiant cautiora. In hæc verba. *Erant cuſtodientes vigilias.*

Sectio quarta. 11

Paſtores animarum reliquos homines dignitate antecellunt. In hæc verba: *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.*

Sectio quinta. 14

Homilia de Natiuitate Domini. 18

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 23

Nemo poteſt eſſe vſquequaque circumciſus, id eſt perfectus, niſi depoſitis carnis exuuiis. In hæc verba: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.*

Sectio prima. 24

Vt reprobi ſunt anonymi, ita iuſtis à Deo nomen inuritur. In hæc verba: *Vocatum eſt nomen eius.*

Sectio ſecunda. 27

Iuſti vitam agunt conſonam inſtituto nominis Ieſu. In hæc verba: *Vocatum eſt nomen eius.*

Sectio tertia. 30

Vt Chriſtus circumciſus nomen Ieſu ſuo ſanguine demeruit, ita & nos ſalutem hoc nomine partam debemus impigrè comparare. In hæc verba: *Factum eſt vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

Sectio quarta. 33

Vt nomen Ieſu Angelo priuſquam homini innotuit, ita & his qui viuunt Angelico ritu intimè inuritur Ieſus; at quia reprobi neſciunt Ieſum, ille etiam nomen eorum expungit.

Sectio quinta. 39

Homilia de Circumciſione. 41

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 49

Verum dominium eſt penes eos, quibus gratiæ fulgor exoritur: hi verò ſunt vilia mancipia, qui peccatis obſequuntur. In hæc verba: *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

Sectio prima. 50

Omnia præalta ſunt infra Deum, in quem gloriam & decus omne refundunt. In hæc verba: *Rex Iudæorum.* 53

Sectio ſecunda.

Iuſti ad Deum multiplici lumine diriguntur. In hæc verba: *Vidimus ſtellam eius in Oriente.*

Sectio tertia. 56

Vitæ reprobæ deſertores, tranſeuntes ad caſtra Dei, multos patiuntur obices. In hæc verba: *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.*

Sectio quarta. 61

Gratia Dei lumine conſuetudo irradians deſuper, ſollicitat nos conſulere ſacerdotes. In hæc verba: *Et congregans omnes ſacerdotes.*

Sectio quinta. 64

Dæmon aperto Marte nequit obeſſe, ideo clam nectit inſidias. In hæc verba: *Tunc Herodes clam vocatis Magis.*

Sectio ſexta. 67

Anima dæmonum expedita laqueis pergit in Bethlehem, id eſt, domum panis, ſeriò Euchariſtiæ intenta. In hæc verba: *Mittens illos in Bethlehem.*

Sectio ſeptima. 70

Qui Dei ſacris gaudent amplexibus, omnia illico faſtidiunt, opes, & honores. In hæc verba: *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

Sectio octaua. 72

Dæmon pœnitentes ſollicitat, vt redeant ad vomitum, ſed illi alias ineunt vias. In hæc verba: *Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.*

Sectio nona. 74

Homilia de Epiphania. 76

IN FESTO RESVRRECTIONIS.

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 83

Pauperes ſunt corpus Chriſti extinctum, quod inungunt eleemoſynæ fidelium. In hæc verba: *Emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum.*

Sectio prima. ibid.

Nudorum corpora citò ſunt vngenda, id eſt, eleemoſyna eſt citò facienda. In hæc verba: *Et valde manè veniunt ad monumentum.*

Sectio ſecunda. 87

Et ſi eleemoſyna omnium oculis eniteat, ſoli Deo placere debet. In hæc verba: *Veniunt ad monumentum orto iam Sole.*

Sectio

Sectio tertia. 89

Pauci ſunt paupertatis religioſæ ſectatores. In hæc verba: *Quis reuoluet nobis lapidem ex oſtio monumenti.*

Sectio quarta. 92

Angeli præſtò ſunt iis, qui altiſſimæ paupertatis ſectantur inſtitutum. In hæc verba: *Introeuntes in monumentum viderũt iuuenem ſedentem in dextris.*

Sectio quinta. 94

Pauperum eſt regnum cælorum. In hanc vocem: *Surrexit.*

Sectio ſexta. 97

Glorioſæ ſunt reliquiæ pauperum, ſed diuitum omnia, quæ ſuperſunt, ingloria ſunt. In hæc verba. *Ecce locus vbi poſuerunt eum.*

Sectio ſeptima. 100

Eis qui pauperes vngunt ſuis eleemoſynis dicitur: Ite; nam profectus eorum eleemoſynis adiuuatur. In hæc verba: *Ecce locus vbi poſuerunt eum.*

Sectio octaua. 103

Homilia in die Paſchæ. 104

IN FESTO ASCENSIONIS.

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 111

Deus concordes fidelium cœtus amat, eiſque medicus adſtat. In hæc verba: *Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis Ieſus.*

Sectio prima. 112

Fides non eſt ex ſenſuum pœnu, ſed ex dono Dei. In hæc verba: *Exprobrauit incredulitatem eorum.*

Sectio ſecunda. 115

Qui ſint legitimi fidei præcones. In hæc verba: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Sectio tertia. 117

Prædicatores enitere debent virtutum ſignis. In hæc verba: *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur.*

Sectio quarta. 119

Verbum Dei prædicatum, dæmones omnes de mentibus auditorum eliminat. In hæc verba: *In nomine meo dæmonia eiicient.*

Sectio quinta. 121

Quomodo verbum Dei linguas auditorum dirigat. In hæc verba: *Linguis loquentur nouis.*

Sectio ſexta. 123

Verbi Dei ſectatores impigri, ſerpentibus vitiis occurrunt. In hæc verba: *Serpentes tollent.*

Sectio ſeptima. 124

Fideles Chriſtiani, ex iniquorum conſortio non fœdantur. In hæc verba: *Si mortiferum quid biberint non nocebit eis.*

Sectio octaua. 126

Homines deſidia torpeſcentes curantur impoſitione manuum, id eſt exemplis. Virtutes enim ſunt manus animæ. In hæc verba: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.*

Sectio nona. 128

Chriſtus diſciplinæ ſuæ ſectatores fore beatos oſtenſurus, aſcendit in cælum. In hæc verba: *Poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum.*

Sectio decima. 130

Chriſti veſtigiis inſiſtentes proficiunt, ſuoque exemplo aliis prædicant. In hæc verba: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.*

Sectio vndecima. 132

Cooperantis gratiæ ſuffragio fideles exerunt ſuas actiones. In hæc verba: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Sectio duodecima. 133

Homilia de Aſcenſione Domini. 136

IN FESTO PENTECOSTES.

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 142

Anima amore Dei flagrans, omnem exoſa deſidiam impigrè morem gerit Deo. In hæc verba: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.*

Sectio prima. 143

Qui verbum Dei aſpernantur longè abſunt ab ipſo Deo. In hæc verba: *Qui non diligit me ſermones meos non ſeruat.*

Sectio ſecunda. 145

Spiritus ſanctus aperit nobis alueos omnium chariſmatum. In hæc verba: *Spiritus ſuggeret vobis omnia.*

Sectio tertia. 147

Vt Spiritus ſanctus mentibus noſtris illabatur animas poſcit vniformes multiplici pace. In hæc verba: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Sectio quarta. 149

Spiritus mundi inquietos agit aſſeclas ſuos. In hæc verba. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Sectio quinta. 152

Homilia in die Pentecoſtes. 154

TRACTATVS II.

DE EVCHARISTIA.

Deo inuolucris ſpecierum in Euchariſtia abſcondito,

VOTVM. 161

Expoſitio moralis Euangelij diſſecta in ſectiones. 162

Fides vt nitidum iubar prima debet elucere ei qui vult compos fieri Euchariſtiæ. In hæc verba: *Qui credit in me habet vitam æternam.*

Sectio prima. 163

Euchariſtia viuificè influit in animam fidelem. In hæc verba. *Ego ſum panis vitæ.*

Sectio ſecunda. 167

Maiori cautione accedendum eſt ad Euchariſtiam, quàm Iudæi ad ſuum manna. In hæc verba: *Manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt.*

Sectio tertia. 171

Euchariſtia potiores effectus exerit, quàm quos manna ſortiebatur. In hæc verba: *Si quis manducauerit ex ipſo, non morietur.*

Sectio quarta. 175

Hæretici dubiam fecere realitatem Euchariſtiæ. In hæc verba: *Litigantes adinuicem.*

Sectio quinta. 178

Quid morale dici debeat ex realitate corporis ſacroſancti. 181

Litigium ſecundum. 183

De vtraque ſpecie.

Litigium tertium. 186

De nomine Tranſſubſtantiationis.

Digreſſio moralis de Tranſſubſtantiatione. 188

Perperam impugnant hæretici ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium.

Litigium quartum. 192

Digreſſio moralis de Miſſa, & praxi audiendi Miſſam. 201

Digreſſio vltima de efficacia Miſſæ, & quanti momenti ſit, quotidie audire Miſſam. 212

Parænefis ad ſacroſancta myſteria Miſſæ deuotè frequentanda. 223

Vox iſta, *Quomodo*, eſt teſſera omnium hæreticorum, qui nec ſibi ad inuicem conſtant, ſed perpetuo litigio diſpeſcuntur. In hæc verba: *Litigabant ad inuicem, dicentes. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.*

Sectio ſexta. 230

Qui volunt eſſe participes Euchariſtiæ, non debent exercere ſimultates, ſed eſſe concordes. In hæc verba: *Litigabant adinuicem.*

Sectio ſeptima. 235

Euchariſtia relinquit animam impaſtam, ſi indignè accipiatur ab anima litigio peccati obnoxia. In hæc verba: *Litigabant ad inuicem.*

Sectio octaua. 238

Euchariſtia ritè accepta gratiarum magnos prouentus impertit. In hæc verba: *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.*

Sectio nona. 243

OCTO HOMILIAE DE EVCHARISTIA.

Prima Homilia.

De contritione peccatorum ſuorum ante Euchariſtiæ ſumptionem. In hæc verba: *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.* 249

Secunda Homilia.

De lacrymarum profluuio, & ſtudio virtutis exquiſitæ ante communionem. In hæc verba: *Miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* 257

Tertia Homilia.

De ſuis omnibus affectibus colligendis ante communionem, vt in Deum refundantur. In hæc verba: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* 265

Quarta Homilia.

De ſedulo examine faciendo in ipſo momento communionis, ne ſit aliquis affectus Chriſto iniurius. In hæc verba: *Vnus veſtrùm me traditurus eſt, & contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere, nunquid ego ſum Domine?* 273

Quinta Homilia.

Quàm inſignes ſint effectus communionis. In hæc verba: *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* 280

Sexta Homilia.

De memoria mortis Chriſti recolenda in ipſo momento communionis, vt amor noſter incandeſcat. In hæc verba: *Erat recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu.* 287

Septima Homilia.

De gratiarum actione agenda poſt communionem. In hæc verba: *Hymno dicto exierunt.* 294

Octaua Homilia.

Quomodo proficiendum ſit in via virtutis poſt communionem. In hæc verba: *Exierunt in montem Oliueti.* 302

OCTO HOMILIAE DE EVCHARISTIA.

Prima Homilia.

Homo quidam fecit Cœnam magnam. 310

Prima pars homiliæ.

Deſertor Angelus, vt hominem Deo ſubtraheret, adhibuit illecebras cibi vetiti, ſicque perdidit hominem, noxiis illis epulis ineſcatum.

§. I. 311

Superfluas epulas infinita prope vitia conſequuntur.

§. II. 312

Præcipua ebrietatis incommoda recenſentur.

§. III. 314

Ebrietas homines inglorios facit, vtpote vitiorum omnium agmine conſtipatos.

§. IV. 317

Pars ſecunda homiliæ.

Chriſtus inſtituit Cœnam corporis, & ſanguinis ſui vt caueret hominibus, quos olim dæmon cibo vetito ſauciarat, & adhuc infatuat ſuperfluis epulis inſtitutis.

§. V. 318

Cœna Domini inſtituta, vt hoc pignore amoris homines Deo arctiùs adhærerent.

§. VI. 320

Secunda homilia.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent. 323

Prima pars Homiliæ.

Cœna Domini inſtituta præcipuè ad homines conciliandos Deo in ordine ad vitam æternam.

§. I. 324

Quando potiſſimum, & quare frequentanda ſit Cœna Domini, à fidelibus Chriſtianis.

§. II. 328

Proponuntur rurſus alia argumenta accedendi ad ſacram Domini Cœnam, congruo apparatu.

§. III. 331

Secunda pars Homiliæ.

Vt Cœna Domini ſacra eſt, ita, & operæpretium eſt eis, qui inuitant alios ad hanc Cœnam eſſe ſacris ritibus initiatos, vt ſunt ſacerdotes.

§. IV. 335

Quot cautelis vſæ ſunt pleræque gentes ne deſpectui haberetur ſacerdotium.

§. V. 337

Tertia Homilia.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ. 340

Prima pars Homiliæ.

Nocte ſubeunte cœpit cœna Chriſti, vt puncto temporis opportuno, & congruo intento inſtitutoris Euchariſtiæ.

§. I. 341

Præcipua ferè myſteria corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia concluduntur nomine Cœnæ.

§. II. 342

Conſecratio corporis Chriſti facta eſt in Cœna noctu, quia ſenſibus humanis inuia ſunt arcana Dei, quæ proinde ſola ſunt percipienda fide.

§. III. 347

Argumenta, quæ hominem ſollicitant, vt aſſenſum ſuum præbeat articulo fidei circa realitatem Euchariſtiæ.

§. IV. 349

Quarta Homilia.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent. 349

Prima pars Homiliæ.

De delectu hominum, quos Cœnæ ſuæ ſiſti voluit Chriſtus.

§. I. 350

Magnificentia Cœnæ Chriſti attenditur etiam ex numero eorum, qui ad ſacras epulas inuitantur.

§. II.

§. II. 354

Secunda pars Homiliæ.

Quomodo fideles Chriſtiani ſeſe debeant accingere ad epulas Chriſti, ne ſint iniurij Cœnæ Chriſti.

§. III. 358

Quanam munditia oitere debent homines inuitati ad ſacram Chriſti Domini Cœnam.

§. IV. 361

Qua cautela debeant fideles accedere ad Euchariſtiam ne in ſuam perniciem panem ſanctum deglutiant.

§. V. 363

Refricatur denuo paræneſis ſollicitans inuitatos ad Cœnam Chriſti, vt diſcumbant præuio congruo apparatu.

§. VI. 367

Quinta Homilia.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. 37ſ

Prima pars Homiliæ.

Chriſtus magnificentiæ ſuæ ſpecimen congruum edidit in pretioſo cibo appoſito diſcumbentibus in Cœna ſua.

§. I. 373

Quidquid ſuaue orbe toto ſatum eſt, & quidquid in cælo ſingulare eſt, illud omne confluit in Cœnam Chriſti.

§. II. 375

Cœna Chriſti conſiderata vt ſacrificium continet eminenter omnia, quæ olim fuerunt vſurpata ad celebranda ſacra.

§. III. 376

Secunda pars Homiliæ.

Anima fœta Deo faſtidire debet omnes mundi cupedias, vt fiat compos Cœnæ Chriſti.

§. IV. 379

Sexta Homilia.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. 380

Prima pars Homiliæ.

Quale ſit vinum à Chriſto Domino propinatum in vltima Cœna diſcumbentibus Apoſtolis.

§. I. 381

Quos effectus ſortiatur vinum propinatum à Chriſto diſcumbentibus in vltima Cœna.

§. II. 385

Sanguine ſuo propinato Chriſtus homines ſibi æterno fœdere ſociauit.

§. III. 389

Secunda pars Homiliæ.

Vinum eſt de ratione ſacrificij ſecundum ordinem Melchiſedech. Sic in Laicorum communione panis conſecratus ſufficit.

§. IV. 392

Septima Homilia.

Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

Prima pars Homiliæ.

Dei ſunt immenſæ diuitiæ, fortitudo infracta & lux, quæ rutilat eſt inacceſſibilis.

§. I. 393

Diuitiæ Dei, fortitudo, & lux denuo deſcribuntur.

§. II. 394

Pauperes, debiles, cæci, & claudi miſeriarum ſuarum ſubleuamen recipiunt beneficio Euchariſtiæ.

§. III. 395

Secunda pars Homiliæ.

Homo eſt ſuapte natura egenus, & infirmus.

§. IV. 397

Eſt frequentanda piè Euchariſtia, vtpote, quæ conſulit omnibus hominum anguſtiis.

§. V. 401

Octaua Homiliæ.

Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Prima pars Homiliæ.

Euchariſtiæ beneficio, ſingulari tres Dei domus implentur.

§. I. 403

Secunda pars Homiliæ.

Qua ratione queat homo compos eſſe potiorum effectuum Euchariſtiæ.

§. II. 407

TRACTATVS III.

DE FESTIS B.M. VIRGINIS.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. Virginis Mariæ.

EXpoſitio moralis Euãgelij diſſecta in ſectiones. Quomodo Chriſtus mentibus noſtris adnaſcatur, vt faciat eas libros generationis ſuæ. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio prima. 415

Chriſtus in quo ſunt theſauri ſcientiæ Dei, Beatæ Virgini impreſſus fecit eam librum omnium planè ſcientiarum, quæ eius laudibus ancillantur.

Encomia B. V. Mariæ ex Philoſophia. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio ſecunda. 419

Encomia B.V. Mariæ ex Theologia. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio tertia. 425

Encomia B. V. Mariæ ex Mathematica. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio quarta. 428

Encomia B. V. Mariæ, ex Aſtronomia. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio quinta. 433

Encomia B.V. Mariæ, ex Aſtrologia. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio ſexta. 437

Encomia B.V. Mariæ, ex Hydrographia, & Geographia. In hęc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio ſeptima. 439

Encomia B.V. Mariæ, ex Medicina. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio octaua. 443

Encomia B.V. Mariæ ex Iure Canonico. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.* 445

Sectio nona.

Encomia B.V. Mariæ, ex Iure Ciuili. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio decima. 450

Encomia B.V. Mariæ ex Rhetorica, & Grammatica. In hæc verba: *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

Sectio vndecima. 455

Maria eſt liber chariſmatum omnium; cuius lectio miram ingerit voluptatem, & magnum excitat animi robur. In hæc verba: *Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Iacob.*

Sectio duodecima. 457

Homilia in feſto Conceptionis B.V. Mariæ. 462

Homilia in feſto Natiuitatis B.V. Mariæ. 469

IN

Index Capitum.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. Virginis Mariæ.

Expoſitio moralis Euangelij, digeſta in vnicam ſectionem. 477

Qua cautione præuia verbum Dei nos beatos efficiat. In hæc verba: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

SECTIO VNICA. 477

Homilia in die feſto Præſentationis B. V. Mariæ. 482

IN DIE FESTO ANNVNTIATIONIS B. Virginis Mariæ.

Expoſitio moralis Euangelij, diſſecta in ſectiones. 489

Quantis virginitas ſtipata gratiis eniteat. In hæc verba: *Aue gratia plena.*

Sectio prima. *ibid.*

Anima in gratia Deum concipit, quo fœta nullo caſu concutitur. In hæc verba: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam; ecce concipies.*

Sectio ſecunda. 494

Humilitas, & obedientia gratiam Dei conſequuntur. In hæc verba: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Sectio tertia. 497

Homilia in feſto Annuntiationis B. V. Mariæ. 499

IN DIE FESTO VISITATIONIS B. Virginis Mariæ.

Expoſitio moralis Euangelij, diſſecta in ſectiones. 506

Anima Deo imprægnata tendit ad excelſa. In hæc verba: *Exurgens Maria, abiit in montana.*

Sectio prima 506

Gratia non ſibi tantùm, ſed & aliis eſt benefica. In hæc verba: *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.*

Sectio ſecunda. 509

Sancti omnes virtutis ſuæ decus, & gloriam refundunt in Deum. In hæc verba: *Magnificat anima mea Dominum.*

Sectio tertia. 514

Homilia in die feſto Viſitationis. 516

IN DIE FESTO PVRIFICATIONIS B. Virginis Mariæ.

Expoſitio moralis Euangelij, digeſta in ſectiones. 523

Quas primitias Deus exigat ab homine. In hæc verba: *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.*

Sectio prima. 523

Pœnitentia gemebunda Deum inclinat. In hæc verba: *Par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Sectio ſecunda. 528

Oblationem turturum excipit ſuſceptio Chriſti, id eſt, pœnitentiam gratia ſubſequitur. In hæc verba: *Ipſe accepit eum in vlnas ſuas.*

Sectio tertia. 531

Homilia in feſto Purificationis. 533

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. Virginis Mariæ.

Expoſitio moralis Euangelij, digeſta in ſectiones. 539

Anima gratia Dei munita eſt caſtrum, quod ſubit Chriſtus. In hæc verba: *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.*

Sectio prima. 540

Gratia Dei hominem ſtipat, omnium virtutum choro. In hæc verba: *Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria.*

Sectio ſecunda. 543

De neceſſitate vnionis animæ cum Deo. In hæc verba: *Porrò vnum eſt neceſſarium.*

Sectio tertia. 547

Quicquid eſt magnum ſub Deo, minus eſt Beata V. Maria. In hęc verba: *Mariam optimã partẽ elegit.*

Sectio quarta. 549

Maria in gloria omnes beatos ſpiritus antecellit. In hæc verba: *Maria optimam partem elegit.*

Sectio quinta. 556

Homilia in die Aſſumptionis B. V. Mariæ. 559

DE ROSARIO B. V. MARIÆ.

Homilia.

De encomiis, & vtilitate Roſarij, & quo ritu debeat recitari roſarium. 565

TRACTATVS ALTER DE MARIÆ Encomiis, & cultu.

Priuilegia conceſſa Deiparæ virgini, ab ortu eius vſque ad occaſum. §. I. 572

Deiparæ partu, fuit eius virginitas illibata. §. II. 577

Maria in cælum Aſſumpta, votis, precibus, & encomiis perquam digna eſt celebrari. §. III. 579

Obſeruationes ſcitu digniſſimæ, quæ, vt induſtriæ, ita & abundè docent, quibuſnam ſit B. V. M. excolenda modis. §. IV. 587

Obſeruatio prima ſignificans præcipuum Mariæ cultum eſſe penes imitationem eius. §. V. 588

Obſeruatio ſecunda notans Mariã precibus atque votis Chriſtianè coli. §. VI. 594

Obſeruatio tertia ſollicitans animas ad decantandas Mariæ laudes: cultus enim ille, penes eius encomia poſitus eſt ei perquam gratus. §. VII. 602

Obſeruatio quarta probans offerre dona Deiparæ, eſſe gratum ei cultum. §. VIII. 606

ENCOMIA S. IOSEPH.

Recenſita ex Euangelio diei feſti eius expoſito moraliter, conſultis omnibus omnium diſciplinarum oraculis.

S. Ioſepho Votum. 608

Præfatio. 609

Euangelium. Expoſitio moralis digeſta, in ſectiones. 610

Maria tantùm gaudet eorum obſequio, penes quos eſt virtutum omnium incrementum. In hæc verba: *Cum eſſet deſpõſata mater Ieſu Maria Ioſeph.*

Sectio prima. De encomiis S. Ioſeph. 611

Ieſus & Maria degunt vbi eſt virtutum omnium incrementum. In hæc verba: *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.*

Sectio 2. De puritate Mariæ & Ioſeph. 630

Quò vberior eſt gratiæ influxus, eò amplius eſt humilitatis incrementum. In hæc verba: *Voluit eam occultè dimittere.*

Sectio 3. De humilitate S. Ioſeph. 646

Angeli frequentes adſtant eis, quibus gratia vberior afflat. In hæc verba: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.*

Sectio 4. De S. Ioſeph cum Angelis familiari commercio. 656

Hi, quos Angeli frequentes inuiſunt, perquàm accepti ſunt Virgini Deiparæ. In hæc verba: *Noli timere accipere Mariam.*

Sectio 5. De indiuidua Societate Mariæ & Ioſeph. 670

Homilia de S. Ioſeph. 681

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVIBVS IN HOC TOMO LVMEN aliquod adiicitur.

CAVTELA AD HVNC INDICEM PRÆLEGENDA.

Lector ſtudioſe ribi imponet hæc ſynopſis textuum Scripturæ ſacræ, quibus Tomus iſte fidem dictis conciliat, niſi præmonitus ſic decurras hunc indicem, vr reſcias me paſſim in Scriptura ſacra recenſenda nouos, arque plures ei ſenſus adiicere, quàm ſit expreſſura tibi pagina indice deſignara. Hæc cautela Tomis huic ſubiectis te aprabit: ſiquidem non auara manu ſenſa mea porrigo conſulenti. Cùm igitur Index iſte loquax plura ſonet quàm folia contineant, paginarum numeros nolui recenſere.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap. 1. *Fiat lux. Et facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* Vt Deus auſpicatus eſt mundum à luce, ita & animæ dotes à notitia, quam vt peccatum extinxit, Deus iterum accendit, inducens hominem ad ſui notitiam, clamans. *Adam vbi es.*

Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Hoc contextu probant Hebræi cælos eſſe concretos aquis, vnde nomen Hebræum ex induſtria confictum שמים *ſchamaim.*

Congregationes aquarum appellauit Maria. B.V.Maria eſt congregatio omnium gratiarum.

Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Hæc appendix aſſuta eſt editioni omnium rerum infra hominem, quia res omnes ab ortu bonæ ſunt: ſed hominis bonitas non ab ortu, ſed à gratia, & bono vſu arbitrij.

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Præmiſit imaginem ſimilitudini, quia imago pertinet ad naturam rationalem, ſimilitudo verò penes virtutes eſt. Vnde poteſt in homine deleri ſimilitudo Dei, aſt imago nequit, nec in Inferno expungi.

Cap. 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Hebræa ſonant ſpiritum vitarum. Omnis quippe vita ſpiritalis ſcilicet, & corporalis à Deo in hominem influxit.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Ex his collige hominem eſſe velut librum in quo Deus omnia creata recenſuit. Homini namque Deus indidit ſpecies rerum omnium editarum.

Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Hoc ſanxit Deus, vt Adamum hominum caput, ſibi tenaciter hoc præſtito obſequio deuinciret.

Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Hominis ſalus in labore ſita. Paradiſo dignus eſt qui laborat.

Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona. Deus nihil omnino mali condidit: à Deo quippe bono, bona omnia ſunt.

Cap. 3. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Nota malum fieri ſemper ſub ratione boni, & conuenientiæ alicuius. Nota ſecundo, fores, quibus ſeſe peccatum inſinuat in animam, eſſe ſenſus noſtræ ſalutis incurios. Peccauit Eua, viſu, guſtu, tactu, & odore pomi.

Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum. Nimia diſcendi cupido tenebras animæ offundit.

Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c. ſpinas, & tribulos germinabit tibi. Quia audimus ſuſurros carnis illas ſpinas, & ærumnas parit.

In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Panis Euchariſtiæ debet ſumi præuiis lacrymis contritionis.

Puluis es, & in puluerem reuerteris. Qui Deo ſpreto totus pulueri adhæſit, eſt in puluerem reſoluendus.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput ſuum. Fomes peccati, vt & peccatum originale

caput

caput eſt diaboli. B. Virgo Maria caput hoc vtrumque contriuit.

Inſidiaberis calcaneo eius. Intentio operis cuiuſque vice calcanei eſt, calcaneo inſidias nectit diabolus, quando finem eius, ſeu intentionem peruertit.

Cap. 4. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* Vides ſacrificia fuiſſe de rebus inanimis, & etiam de animatis.

Sanguis Abel clamat de terra. Sanguini vox eſt, quando perpetratum homicidium iuſtitiam Dei ſollicitat.

Cap. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Profectò qui cum Deo conuerſantur, non apparent aliis hominibus, ſed fuga ſibi conſulunt.

Cap. 6. *Manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.* Dum cohibiti ſenſus colligunt ſeſe ſuas habent ſinguli quique manſiunculas diſſitas ab inuicem: anima verò ſeorſum degens ſanctioris bituminis gaudet in ſolitudine limimento.

Quinquaginta cubitorum latitudo. Maria eſt arca cuius latitudo eſt miſericordia procurans indulgentiam deſignatam numero quinquagenario.

Triſtega in ea facies. In arca myſtica, id eſt, Maria tres ſpectantur ſtatus, ſeu ordines: item tres hominum ordines Mariæ protectionem participant.

Cap. 7. *Et incluſit eum Dominus deforis.* Senſuum cuſtodia neceſſaria eſt, vt anima grata Deo ſe cuſtodiat ab obiectis deforis occurrentibus.

Cap. 9. *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Epulæ lautæ à Deo tunc homini inſtructæ, ſed multò lautiores poſtea in Euchariſtia.

Bibens vinum Noë inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Ebrietas hominem nudat, honore, bonis, fama, ſanitate, gratia Dei, caſtitate.

Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Seruitus à peccato cœpit exordium.

Cap. 12. *Egredere de terra tua, &c. & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Vide quænam ſit hominis terra, & quò ſit ei fugiendum.

Cap. 14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum, &c. quod a filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Iuſtus nullum habet cum mundo commercium.

Cap. 15. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum vt darem tibi terram iſtam, &c. Sume mihi vaccam triennem, & capram, &c. Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, &c.* Habes hîc veterem ritum fœdera ſanciendi.

Cap. 16. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Hoc hæreticis Caluiniſtis apprimè quadrat quia iniurij ſunt, Eccleſiæ triumphanti, militanti, & patienti.

Cap. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Vide præſentiam Dei alta mente ſatam conducere ad animas perficiendas.

Faciam te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, Regeſque ex te egredientur. Præmium virtutis Abrahæ fuit regia proles. Anima Deo grata nihil niſi regium exerit.

Cap. 18. *Feſtinauit Abraham, &c. Tulit quoque butyrum & lac, & poſuit coram eis.* Quando domini conuiuij ſuſpicabantur aliquid diuinum in inuitatis, tunc apponebant menſis fercula.

Cap. 19. *Egreſſus itaque Lot, locutus eſt ad generos ſuos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite egredimini de loco iſto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc, & viſus eſt eis quaſi ludens loqui.* Qui voluptati ſtudent habent omnia luſui.

Cap. 21. *Creuit igitur puer, & ablactatus eſt, fecitque Abraham conuiuium grande in die ablactationis eius.* Qui lac voluptatum reſpuit, ille cibo lautiore, ſcilicet pane Angelorum dignus eſt à Chriſto iudicatus.

Eiice ancillam hanc, & filium eius. Dæmoni non ſatis eſt ſuadere viris impiis vt Ieſum eliminent ex cordibus ſuis, ſed cogit eos etiam abdicare cultum B. V. Mariæ, quæ ſe profeſſa eſt ancillam Domini.

Cap. 22. *Eleuatis oculis vidit locum procul.* Abraham oculos eleuans edocet nos, non tumultuario ad ſacra properandum.

Dixit ad pueros ſuos: Expectate hîc cum aſino, ego autem & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos. Pueri noſtri ſunt omnia, quæ à nobis edita ſunt, & præſertim intimi cogitatus, qui ſe comites indiuiduos nobis ſemper adiungunt. Abigenda planè importuna proles hæc carnalis, quando ſacris aptamur altaribus.

Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium. Ignis amoris, & gladius mortificationis ſunt res neceſſariæ properantibus ad altare.

Cap. 24. *Ipſa eſt mulier, quam præparauit Dominus filio Domini mei.* Gabriel Angelus viſa Maria voces has vſurpare potuit.

Protulit vir inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem. Mariæ donum fidei cœlitus infuſum. Fides notata per inaures appendentes ſiclos duos, inſinuat eſſe duo obiecta fidei, ſcilicet diuinitatem, & humanitatem coëuntes in vna hypoſtaſi. Armillæ ſiclorum decem ſignificant gratiam operandi iuxta normam Decalogi, qui eſt denario præceptorum inſtar armillarum compunctus.

Suſpendi inaures ad ornandam faciem eius, & armillas poſui in manibus eius. B. V. Maria à cultoribus ſuis exigit obedientiam notatam per inaures, & praxim virtutum armillarum ſymbolo deſignatam.

Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur. Anima noſtra puella eſt ingenua deſponſata Deo: manet decem dies quando perſeuerat in obſeruatione Decalogi, cuius decem mandata dies decem ſignant, citra quos anima nequit proficiſci.

Cap. 25. *Collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait, ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere.* Voluptatis memoriam tergunt anguſtiæ ſubſequentes.

Cap. 27. *Nunc fili acquieſce conſiliis meis: affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo.* B. V. Maria mater noſtra ſuadet vt duas noſtri partes mactemus apponendas menſæ Dei. Quippe Deus carnem terrenis emortuam non aſpernatur, vt neque ſpiritum contritione feruida defæcatum.

Veſtibus Eſaü valde bonis, quas habebat apud ſe domi induit eum. Dum Maria ſuis cultoribus gratiam impetrat, eos induit habitu Chriſti.

Ecce odor filij mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus Anima paſta pane Angelorum afflat odorem ſacri frumenti electorum.

Irrugiit clamore magno, & conſternatus ait, Benedic etiam & mihi pater. Qui audito ſacro perfunctoriè & fabulando, aduertit ſacerdotem benedicere

dicere adſtantibus, qui vt decet adſtitere ſacris, ille debet irrugire,& flere.

Cap. 29. *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Septenarius totum tempus vitæ notat, quam libenter impendere debemus obſequio Dei intuitu gloriæ æternæ, quam deſpondit nobis Deus.

Cap. 30. *Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Nec modicum habuimus ante Dei illapſum, ſed poſt Chriſti introitum in nos beneficio Euchariſtiæ gratiarum cumulis abundamus.

Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere, & quodcumque furuum, & maculoſum, variumque fuerit, tam in ouibus, quam in capris erit merces mea. Pro gratiarum actione poſt communionem, ò homo, recenſe omnes habitus tuos, quos gregatim paſcis, & quidquid à colore virtutis abit, hoc maculoſum ſegrega, & procul amanda: repone tibi habitus albos,& mundos.

Cap. 31. *Arietes gregis tui, non comedi.* Paſtor egregius ouibus ſuis magis conſulit, quàm ſibi.

Cap. 32. *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet ait: Caſtra Dei ſunt hæc.* Caſtra ſunt loca Dei protectione tuta.

Cap. 35. *Iacob conuocata omni domo ſua ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra, ſurgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Præparatio hæc eſt congrua ad Euchariſtiam, quæ fit abiiciendo ritus impios, & habitus reprobos.

Cap. 37. *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Ecce typum dominij Chriſti in creaturas omnes rationales.

Cap. 39. *Fuit Dominus cum Ioſeph, dedit illi gratiam in conſpectu principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos.* Verbum diuinum fuit vnitum hypoſtaticè corpori Chriſti in ſepulchro,& mortuos omnes Deus tradidit poteſtati animæ Chriſti in limbis exiſtenti.

Cap. 42. *Iuſſit miniſtris, vt implerent eorum ſaccos tritico & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibariis in viam.* Qui poſt Euchariſtiæ ſumptionem ſoluit penſum gratiarum actionis, ille dotes nouas accipit à Deo.

Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me, & c. en ſanguis eius exquiritur. Peccata omnia ſunt iniuria puerulo Ieſu, ideoque crebris pœnis obnoxia ſunt.

Cap. 43. *Ioſeph ait: Apponite panes: quibus appoſitis ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus, Ægyptiis quoque qui veſcebantur ſimul ſeorſum: illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis.* Chriſtus cum quo vis epulari in Euchariſtia, Hebræus eſt, habitus tui reprobi ſunt Ægyptij id eſt, nigri, hos amanda procul, ne Chriſtum offendas non conuenientem his Ægyptiis.

Nota rurſus nolle ſimul epulari eſſe ſignum diſcordiæ. Vnde fugientes menſam Chriſti, inde probant, ſe non eſſe benè affectos erga Chriſtum.

Cap. 49. *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius.* Quando nobis benedicit Chriſtus in Euchariſtia, benè cedit nobis.

EXODVS.

Cap. 1. *Quando obſtetricabitis Hebræas, & tempus partus aduenerit, ſi maſculus fuerit interficite, ſi fœmina reſeruate.* Dæmon hoc intendit, vt propoſitum omne virtutis amplectendæ citò citius abortiat, propoſitum vero voluptatis in lucem ſe prodat obſcœnis actibus.

Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres, ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas pariunt. B. V. Maria Hebræa mulier eſt quæ parturientes animas adiuuat,& procurat vt virtutis cultum, quem conceperunt redigant ad praxim. Voluptates verò ſunt mulieres Ægyptiæ, quæ virtutis abortum ſollicitant.

Quia timuerunt obſtetrices Deum ædificauit eis domos. Reuera Dei timor, procurat homini in cælo domum. Deus nullum omnino bonum opus ſine mercede prætetit.

Cap. 3. *Vadam, & videbo viſionem iſtam magnam.* Nulla difficultas remoratur hominem magnanimum.

Ne appropies huc ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Repurgandi ſunt affectus animæ pedes, vt ſacris aptemur.

Cap. 5. *Quis eſt Dominus? neſcio Dominum.* Superbia atheos facit. Superbos Deus cinere & cinifе frangit.

Cap. 7. *Dixit Dominus ad Moyſem. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Sancti vices agunt Dei, qui vult nos eos orare.

Cap. 9. *Mitte iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro, homines etiam, & iumenta, & vniuerſa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur.* Homo extra ſe effuſus multa pecora, id eſt peccata foris habet. Deus verbo ſacro compellit homines vt redeant ad ſe, & ſerio examine congregent actus ſuos, ne fiant iræ Dei obnóxij.

Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos, qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos, & iumenta in agris. Verbo Dei auſcultantes ſeſe colligunt totos, ſed incurij verbi Dei in vana diſpeſcuntur.

Cap. 12. *Erit autem agnus, ille ſine macula, & c.* Epulæ & ſacra ſimul ſignificant epulas eſſe ſacras, quibus anima ſaginatur.

Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Diuini amoris æſtus, & amaror mortificationis præire debent ſumptioni Euchariſtiæ, ne accipiatur indignè.

Comedetis feſtinanter. Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

Immolate Phaſe, faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem: nullus veſtrûm egrediatur oſtium domus ſuæ. Vt agni Paſchalis compos fias collige faſciculum hyſſopi, id eſt, totam ſupellectilem Paſſionis Chriſti, lanceam, flagella, vepres, crucem, & hæc omnia tinge ſanguine agni, cuius in limine, id eſt, pridie Paſſionis ipſe Chriſtus mentionem fecit. Superliminare hominis eſt intellectus, qui ſanguine agni aſpergitur, quando anima meditatur Paſſionem Chriſti ante eſum agni Paſchalis. Quod egreſſum vetat ab oſtio, ſignificat altam attentionem.

Hæc eſt religio Phaſe. Omnis alienigena non

comedet ex eo. Omnis autem ſeruus emptitius circumcidetur, & ſic comedet. Anima peccati iugo obnoxia, & incircumciſa arcetur ab eſu agni Euchariſtici.

Cap. 14. *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos, & ait Dominus ad Moyſem extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios.* Bona opera non fiunt niſi Deo dirigente manus noſtras.

Cap. 15. *Sumpſit Maria propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam.* Sequamur imitatione B. V. Mariam, ſi velimus triumphare de hoſtibus noſtris.

Cap. 16. *Imple gomor ex eo (ſcilicet manna) vt cuſtodiatur in futuras retro generationes.* Deus vult perennem eſſe memoriam beneficiorum, & præſertim Euchariſtiæ conceſſæ in cibum.

Cap. 17. *Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis, cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Manuum noſtrarum virtus in dæmones eſt rota deſuper.

Cap. 25. *Facies menſam de lignis Sethim, &c. & in ipſo labio coronam interraſilem, &c. & ſuper illam alteram coronam aureolam, &c. & pones ſuper menſam panes propoſitionis.* Reuera panis ſacer, & coronæ ſimul ſunt, quia beneficio panis Euchariſtiæ multæ coronæ de vitiis reportantur.

Pones in arca teſtificationem, quam dabo tibi. B. V. Maria arca fuit in penetralibus ſuis habens recondita omnia oracula Scripturæ ſacræ.

Facies candelabrum ductile, de auro mundiſſimo, ac lilia ex eo procedentia. Lilia adiecta candelabro notant debere eſſe fidem caſtam, & incorruptam. Rurſus ille typus eſt Galliæ Chriſtianæ, cuius fides olim notata candelabro fuit adiecta liliis id eſt incorruptioni. Nam tempore Hieronymi Gallia neſciebat monſtra hæreſeos.

Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Chriſtus & Maria ſunt exemplaria poſita in eminenti loco.

Cap. 28. *Facies veſtem ſanctam Aaron, &c.* veſtibus ſacris conciliatur honos ſacerdoti.

Cap. 29. *Hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos, &c. indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt linea, & tunica, & ſuperhumerali, & rationali, quod conſtringes balteo.* Congruè ſe aptat ſacerdotio, qui laſciuiam vitulo deſignatam mactat, & ſuperbiam proſternit in ariete denotatam. Vitiis extirpatis adſciſcat ſibi caſtos, & nitentes virtutum habitus, comite ſcientia, quæ rationales eius actiones facit.

Cap. 30. *Aaron, & filij eius lauabunt manus ſuas, & pedes ſuos, acceſſuri ad altare ne fortè moriantur.* Parum eſt lauare manus ante communionem confitendo ſuos actus nequam: ſed oportet mundare pedes, id eſt affectus animæ, qui plerumque putent, & ſordeſcunt adhuc poſt confeſſionem.

Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi, &c. caro hominis non vngetur ex eo. Vt ſacerdos gratiæ ſacerdotalis compos abundè fiat, nihil carnale debet ſapere, nec habere mores hominum profanorum.

Sanctum ſanctorum erit vobis thymiama, talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros. Soli Deo deferenda gloria, quam cui [illegible] ille ſacrilegus eſt. Cauterius [illegible] auræ popularis, vtpote lethalis.

Cap. 32. *Reuerſus eſt Moyſes de monte, &c. vidit vitulum & choros, iratuſque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Homines addicti ludis, epulis, & choreis, ſunt exleges: quippe leges eis ſunt, vt fractæ, quia ab eis infractæ.

Cap. 33. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Hebræi à tergo videre Deum in vmbris, & figuris. Videre faciem Dei, eſt ſcire per ſpeciem, quod per ænigma ſcitur.

Cap. 34. *Primogenitum filiorum tuorum redimes, nec apparebis coram me vacuus.* Cor noſtrum eſt redimendum à ſeruitute rerum, quas infra Deum, amat, vt amor ſoli Deo litet: ne autem ſit otioſus amor Dei, accinctus operibus ſe Deo ſiſtet.

Cap. 35. *Multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atque deuota primitias Deo.* Nota deuotionem eſſe citam, & promptam ad reddenda Deo ſua obſequia.

Cap. 40. *Poſuit candelabrum in tabernaculo teſtimonij, è regione menſæ a parte auſtrali, locatis per ordinem lucernis.* Candelabrum è regione menſæ ſacræ notat acceſſum ad Euchariſtiam velle lumen præuium, id eſt, fidem, & exquiſitam ſui notitiam beneficio ſerij examinis conſcientiæ.

LEVITICVS.

Cap. 1. *Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris.* Sacrificium ex turture notat explicitè partes omnes pœnitentiæ, quas vide fusè explicatas.

Adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito, holocauſtum eſt, & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino. Pœnitentia amore Dei feruida Deum conciliat.

Cap. 2. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino ſimila erit eius oblatio, &c. Ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino.* Olim farina illata ſacris altaribus grata fuit Deo ratione typi Euchariſtiæ.

Cum obtuleris ſacrificium, &c. aquè ſimila oleo conſpergetur. Simila farina eſt tenuis, & ſubtilis, quæ conſperſa ſemper oleo ſignificat gratiam Dei, & vnctionem Spiritus ſancti eſſe ſimul cum Euchariſtia dignè frequentata.

Cap. 3. *Tollent ex ea in paſtum ignis dominici adipem, qui tegit vniuerſa vitalia.* Quicquid vitale nobis ineſt, illud omne debet ardere ſemper amore Dei.

Omnis adeps, Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris. Generationes noſtræ, ſunt actiones, quas exerimus. Quidquid in eis eximium eſt, vt bonitas, gratia, gloria, intentio, illud omne velut adeps eſt Deo referendum.

Cap. 4. *Offerat ſacrificium, & orabit ſacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Sacrificiis, & oratione culpa diluitur.

Cap. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubiiciens ligna manè per ſingulos dies.* Nunquam vacare debet amor Dei in corde Chriſtiano. Lignum crucis meditatum, eſt amori diuino fomes, & pabulum idoneum. Etenim anima meditans Paſſionem Chriſti, eius amore protinus incandeſcit.

Cap. 7. *Carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vſque manè.* Sacra facta

pro

pro gratiarum actione die eadem debebant conſumi, quia debet eſſe cita, & prompta gratitudo.

Cap. 9. *Apparuit gloria Domini omni multitudini.* Deus in nebula ſpecierum Euchariſtiæ apparet.

Cap. 10. *Arreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis impoſuerunt ignem, &c. offerentes coram Domino ignem alienum, &c. Egreſſuſque ignis a Domino deuorauit eos.* Cor noſtrum thuribulum eſt, cui ſi amorem profanum imponimus, ille malus ignis, alterum ignem ſcilicet Inferni in nos prouocabit.

Cap. 12. *Cùm expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, &c. deferet agnum in holocauſtum: quod ſi nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures.* Qui nequit offerre Deo innocentiam, gemat pœnitendo, & ita turtures offeret, qui duo erunt, ſi contritioni ſpiritus, adiciat corporales pœnas.

Cap. 19. *Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine:* Cauendum ne ſemina vitiorum virtutibus inſerantur.

Cap. 23. *Celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus, & ſumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrima, &c. & ramos, &c. omnis, qui de genere Iſrael eſt manebit in tabernaculis.* Pœnitentia indicta eſt, vt faciat ſibi homo æterna tabernacula. Dies ſeptem notant totam vitam. Rami frugiferi, notant fructus pœnitentiæ.

Cap. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Animæ noſtræ incrementum pendet à propitiis Dei aſpectibus.

Dormietis, & non erit, qui exterreat, auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit fines veſtros. anima in ſtatu gratiæ, nullis lancinatur ſtimulis conſcientiæ neque brutalibus effectibus.

Cap. 27. *Quidquid decimum venerit ſanctificabitur Domino.* Obſeruatio Decalogi facit omne bonum opus decimum, ac proinde ſanctum.

NVMERI.

Cap. 4. *Nulla curioſitate videant, quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* Curioſè indagare Sacra, quæ fidei inuolucris ſunt abdita, lethale eſt.

Sciant ſinguli, cui debeant oneri mancipari. Tenentur omnes ſcire quæ muneris ſui ſunt.

Cap. 11. *Anima noſtra arida eſt, nil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man. Quis dabit nobis eſcas carnium.* Qui faſtidit cæleſtia, ille ſibi placet in carnalibus.

Ventus egrediens, &c. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, &c. Et ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis. Caro ſuos aſſeclas ad interitum deducit.

Cap. 12. *Excluſa eſt Maria extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt motus de loco illo donec reuocata eſt Maria.* Qui excludit à ſe B. V. Mariam, ille nequit moueri loco ſuo, id eſt, emendare nequit vitam, niſi reuocet cultum B. V. Mariæ.

Mortua eſt Maria, & defecerunt aquæ. Ille cui Maria moritur, expers eſt aquæ id eſt gratiæ.

Cap. 13. *Venimus ad terram, quæ lacte, & melle manat, ſed fortiſſimos cultores habet.* Cælum eſt terra nobis promiſſa, ſed fortes, & vim ſibi facientes hac terra fient digni. Maria eſt terra benedicta, ſed cultores tantum admittit fortes & non ignauos.

Caleb ait, Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Quiſquis aſcendit, id eſt gratia Dei adiutus ad cæleſtia ſe accingit, ille poteſt eſſe cæli compos.

Cap. 14. *Vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati ſunt contra Moyſem, dicentes. Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, vtinam pereamus. Non inducat nos Dominus in terram iſtam ne cadamus gladio.* Peccator nihil habet nobile, ſed eſt ignobilis, & de turba, & in nocte degens, cui Ægyptus ſola placet, id eſt, mundus, eſto ſciat ſe perire. Odit legiſlatores, & fugit gladium mortificationis, vltro cælo renuntians.

Cap. 19. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper erit immundum.* Anima immunda eſt, quæ abiecit ligaturas ſibi deſuper adiectas, id eſt mandata Dei.

Cap. 24. *Orietur ſtella ex Iacob.* Hæc eſt quam Eccleſia ſic compellat: Aue Maris ſtella.

DEVTERONOMIVM.

Cap. 4. *Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant. En populus ſapiens, & intelligens, gens magna.* Obſeruare Dei mandata, reuera ſapere eſt, & intelligere, & omnis noſtra ſapientia, & magnitudo eſt penes hæc mandata ritè obſeruata. Deus præſcribendo leges, & ſacra, ſuum erga nos amorem probat.

Cap. 11. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit, &c. terrorem veſtrum, & formidinem dabit Dominus veſter, ſuper omnem terram, quam calcaturi eſtis.* Terrena cuncta pauent ad occurſum eius qui terram calcat, & contemnit. Ille verè terræ dominus eſt, qui eam flocci pendit.

Cap. 16. *Septem hebdomadas, &c. Epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua: ſeruus tuus, & ancilla tua, &c.* Quia gratia Dei ad omnes pertinet, nemo excluditur ab epulis ſacris, dummodo ſe illis aptet, vt æquum eſt.

Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. Eloquentiæ pampinis & virentibus Rhetoricæ frondibus non ſunt explicanda ſacra Dei myſteria, quia illis profanis foliis obumbrantur.

Cap. 18. *Perfectus eris, & abſque macula, cum Domino Deo tuo.* Præſentia Dei altè inſita maximè conducit ad perfectionem.

Cap. 21. *Si genuerit homo filium contumacem, &c. qui non audierit patris, aut matris imperium, &c. lapidibus eum obruet populus.* Vide quò deducat homines proteruia.

Cap. 27. *Immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.* Euchariſtia conciliat animis pacem.

Cap. 31. *Tollite librum iſtum, & ponite in latere arcæ.* Scriptura ſacra debet poni in latere, id eſt in ergaſtulo cordis.

Cap. 32. *Dominus ſolus dux eius fuit, &c. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, &c. hircos cum medulla tritici, & biberet ſanguinem vuæ meraciſſimum.* Chriſtus hominum Dux, maximum eis beneficium præſtitit in frumento electorum, & in vino conſecrato.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, Chriſtus ſuo exemplo docuit nos adire cælos.

De vinea Sodomorum, vinum eorum. Voluptatis exitus eſt virulentus, & lethalis.

IOSVE.

Cap.2. *Miſit Ioſue duos viros exploratores in abſcondito, & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, vrbemque Ierichò, qui pergentes ingreſſi ſunt domum.* Deus in abſcondito loquitur vnicuique & ait meditamini regnum cælorum vobis promiſſum.

Nuntiatum eſt Regi Ierichò, & dictum, &c. Miſitque Rex Ierichò ad Rahab, educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: exploratores quippe ſunt. Rahab olim meretrix, & iam timens Deum, typus eſt Eccleſiæ, quæ olim gentilis, iam Deo renata eſt reuera domus Dei, ad quam vbi ſe recipiunt homines verbo Dei attenti, ecce dæmon poſticò nectit inſidias, & mittit aſſeclas ſuos nebulones, qui hos cælorum inquiſitores auertat.

Ipſa fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos. Vbi quis vrgente Dei verbo adit Eccleſiam, id eſt, conſulit confeſſarium, irrita fiunt omnia conamina diaboli: nam illico ſuadetur aſcenſus animæ pœnitenti, & in ea virtutum praxi effugit dæmonum technas.

Cap.6. *Cùm inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis.* Ita ruit ciuitas peccati. Primò tuba inſonat longior: ſcilicet gratia Dei deſuper intonat, & animum quatit: eo ſono perculſus animus clamat vociferatione maxima, quando ore patulo confitetur. Dicitur ea vociferatio maxima, quia firmo latere opus eſt ad euomenda putida facinora, quæ tamdiu pectori putri tenaciter adhæſerunt.

Ingrediuntur ſinguli per locum contra quem ſteterint. Facta ruina arcis impiæ, & deleto diaboli principatu, quiſque attendit locum, qui fatiſcit, vt eo loco adæquato ſolo, queat homo victor ingredi, id eſt peccato confeſſione deleto, & expuncto, anima eadem ruina triumphum agat, & non aliunde. Verbi gratiâ. Homo libidine ſaucius, gratia Dei vrgente confeſſus eſt obſcœnos mores: hinc Ierichò corruit: iam per locum oppoſitum gradiatur anima, id eſt amplectatur ſedulo ea, quæ extingunt Venerem, id eſt ſectetur toto pectore caſtitatem. Ea quippe eſt virtus oppoſita loco, id eſt luxuriæ, quæ confeſſione corruit.

Cap.7. *Dixit Ioſue; Quia turbaſti nos exturbet te Dominus, &c. Cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt.* Acham credidit auro & pallio coccineo reconditis ditior fieri. Sed opes malè partæ dum reconduntur, cætera bona velut ignis abſumunt.

Cap.8. *Ponite inſidias poſt ciuitatem, &c. Cùm exierint contra nos, ſicut ante fecimus, fugiemus, &c. nobis fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis ciuitatem, ſuccendite eam.* Multi eluſerunt dæmonis auſus, ſed ſecuriores inde effecti, longiùs à ſenſuum cuſtodia proceſſerunt. Finxit fugam dæmon ſopita omni tentatione carnis. Incauti homines incurij inſidiarum, omni ſe cœtui immiſcent, vnde ex improuiſo inſidiæ ruunt, quæ ſuccendunt animam libidine.

Cap.16. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, habitauitque Chananæus in medio Ephraim, vſque in diem hanc.* Ephraim perinde eſt ac frugifer, & abundans. Nota tales, quibus omnia ſuccedunt pro votis, in copia rerum non extirpare vitia.

Cap.19. *Cùm compleſſet ſorte diuidere terram ſingulis dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Ioſue in medio ſui iuxta præceptum Domini.* Ieſus nos induxit in terram nobis promiſſam, ſcilicet cælum. Summa gratitudinis quam debemus rependere eſt vt in medio noſtri, id eſt in corde Ieſum inducamus. Eſt enim de præcepto, Diligere Dominum ex toto corde, & ex tota anima noſtra.

Cap.24. *Eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis.* Deus gratiam infundendo non tollit libertatem arbitrij, cuius eſt, eligere aut reſpuere.

Teſtes vos eſtis quia ipſi elegeritis vobis Dominum, &c. Nunc ergo auferte Deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael. Stare nequit obſequium Dei, nec gratia cum affectu prauo.

IVDICES.

Cap.3. *Ceſſauerunt fortes Iſraël donec ſurgeret Debora Mater in Iſraël.* Nulla fortitudo potuit nos eripere iugo ſeruitutis ante ortum B.V. Mariæ, quæ eſt mater Dei, & omnium noſtrûm.

Cap.4. *Dixit ad Deboram Barac, ſi venis mecum vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Non eſt tutum præliari cum diabolo & vitiis ſine auxilio B.V. Mariæ.

Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. Victoria de diabolo reportata non debetur vlli Patriarchæ, aut Prophetæ, ſed illi de qua dictum eſt: Ipſa conteret caput tuum.

Cap.5. *Noua bella elegit Dominus, portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Votis Virginis obſequio Deus peccatum originale, & fomitem peccati, quæ ſunt portæ quibus adit animas dæmon, Deus confregit.

De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine ſuo contra Siſaram pugnauerunt. Maria eſt ſtella cuius influxu bonis auſpiciis pugnamus in dæmones.

Cap.9. *Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe Regem: dixeruntque oliuæ impera nobis.* Homines ſunt arbores, Chriſtus eſt oliua fructifera in domo Dei. Vt natus eſt Chriſtus, paſtores, & Reges eum elegere ſibi in Regem.

Abimelech audiens, &c. Aſcendit in montem, &c. & arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero dixit ad ſocios. Quod me videritis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur ducem. Chriſtus benè figuratur in Abimelech. אבימלך Abimelech. Id eſt. Pater meus Rex. Chriſtus eſt pater, & Rex noſter, qui ad exemplum baiulauit crucem in montem, ita docens Cruces nos eleuare ſurſum. Chriſtus ſocios ſuos, id eſt, omnes prædeſtinatos hortatur ad crucis obſequium. Illi certatim ſequuntur Chriſtum baiulantes crucem. Sed reprobi ſunt inimici crucis.

Cap.14. *Placuit oculis meis.* Vide amorem fœminarum animam dementare oculorum obſequio.

Apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, &c. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem, &c. Ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis, &c. veniens ad patrem, & matrem dedit eis partem, qui & ipſi comederunt. Virtus primo intuitu apparet horrida, & terribilis: ſed vbi Spiritus ſancti gratia animam inuadit, illa domat omnes difficultates, & fit

virtus

virtus ſuauis. Hinc Eccleſiam matrem paſcit bonis exemplis.

Cap.15. *Cepit trecentas vulpes caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum.* Euchariſtiæ meſſem, id eſt, fructus diabolus perdit, aſtutiis & technis, quas ſequitur libido flagrans.

Cum Philiſtiim occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum, &c. vincula quibus ligatus erat diſſipata ſunt, mandibulam aſini, quæ iacebat arripiens interfecit in ea mille viros. Gratiæ illapſu peccatorum vincula diſſoluuntur. Et ipſa peccata quæ confeſſa iacent, vt pecoris acta iuuant ad humilitatem concipiendam, & ad pœnitentiam ineundam, cuius obſequio vitia extirpantur.

Cap.16. *Cum audiſſent Philiſtiim intraſſe vrbem Samſon circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, &c. vt facto manè exeuntem occiderent.* Ecce typum egregium examinis conſcientiæ. Seſe inſinuare nequit in animam vllum peccatum, quin ſtatim reſciat ſynderesis, cui inuigilare incumbit ſaluti animæ. Illa ne ſuo vigilis officio deſit, clamat hoſtem latere. Pœnitens anima cauere ſibi volens, luſtrabit, & conſulet ſingulas ſenſuum portas vt reſciat vnde ſcelus in animam irrepſit. Illuceſcente manè gratiæ deprehendentur hæc peccata & occidentur in porta, id eſt, ore confitente crimen quod in corde latens erat.

Latentibus inſidiis. Vt Samſon non deprehendit inſidias lethales in quas cecidit incautus, ita nemo cauit inſidias, quas prætendit dæmon.

Cap.17. *Deos meos, quos mihi feci tuliſtis & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi eſt.* Reuera Deo deperdito, nihil amplius ſupereſt nobis. Hæc Dei iactura iugi lacrymarum imbre eſt deflenda.

R V T H.

Cap.2. *Audi filia, &c. Bibe aquas de quibus & pueri bibunt, &c. Et comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Vt aqua, panis, & acetum præiuerunt nuptiis Booz cum Ruth: ita lacrymæ pœnitentiæ: panis Euchariſtiæ, & acetum mortificationis, ſunt arrhæ nuptiarum animæ cum Chriſto.

R E G V M I.

Cap.1. *Aſcendit Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hoſtiam ſolennem, & votum ſuum.* Vouere libertatis eſt; Reddere neceſſitatis.

Cap.2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Ex Seneca, Deus tractat nos ſicut tractatur à nobis.

Cap.3. *Loquere Domine, quia ſeruus tuus audit.* Dei vocem vt audiunt prædeſtinati, ſtatim obediunt.

Dominus eſt, quod bonum in oculis ſuis eſt, faciat. Quiſquis ærumnas appendit ad trutinam voluntatis Dei, ille ſuum illico aſſenſum præbet.

Cap.4. *Ophni, & Phinees mortui ſunt, & arca Dei capta eſt.* Arca Euchariſtiæ commiſſa pectori immundo ſacerdotis mortui peccato, cedit in manus hoſtium.

Cap.5. *Circumduxerunt arcam Dei Iſraël, illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.* Ecce typum proceſſionis in qua circumducitur Euchariſtia, cuius obſequio omnia vitia profligantur.

Cap.6. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos iunxerunt ad plauſtrum, &c. Poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames.* Bethſames, id eſt, Domus Solis, cælum eſt, quò pergimus. Plauſtrum nouum eſt Euangelium cui credimus: Fides quam vehit illud plauſtrum arcam portat vbi manna Euchariſtiæ. Duæ vaccæ ſunt partes ſenſitiuæ iraſcibilis, & concupiſcibilis: vitulos habent domi concluſos, quos lactant, nimirum appetitus plerumque noxios, quos ratio præſidens huic myſtico commeatui compeſcit, & concludit. Eſto mugiant vaccæ, non tamen declinant, ſed eunt in directum.

Percuſſit Dominus de viris Bethſamitibus eò quod vidiſſent arcam Domini. Curioſa quæſtio de Euchariſtia peccato facit obnoxios hæreticos.

Cap.8. *Noluit populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt: nequaquam, Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes.* Verbi Dei incurius, Dei etiam dominium abiicit, & gentium ritu viuit, tot Reges & dominos habent, quot vitia.

Cap.9. *Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea nouiſſima.* Quò magis ſe depreſſit Saül, eò altiùs à Deo euectus eſt.

Cap.10. *Aſcendit Ionathas manibus, & pedibus repens. Et factum eſt miraculum in caſtris.* Aſcenditur in cælum, non ſolum pedibus animæ, id eſt, affectibus, & deſideriis, ſed adiiciendæ manus, id eſt, bona opera, & tunc hoſtes cadent ante victorem hunc pugilem. Quod vero dæmon homini cedat, eſt vt miraculum à Domino.

Cap.14. *Extendit ſummitatem virgæ, &c. & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.* Præuia virga, id eſt, correctione, & emendatione vitæ, guſtanda eſt dulcedo Euchariſtiæ, & illuminabit animam.

Cap.15. *Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.* Gloria æterna appenditur ad trutinam humilitatis.

Cap.16. *Quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül, &c. recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Quando grauis vrgebit tentatio, cane Dei, & Mariæ laudes, & protinus euaneſcet.

Cap.18. *Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus, &c. Expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium ſuum, & arcum.* Chriſtus iniit nobiſcum fœdus, expoliauit ſe carne ſua, quam dedit & in cibum. Gratias habituales, quæ ſunt animæ veſtes dedit, & gladium mortificationis, quem de cælo venit mittere in terram.

Cap.19. *Num & Saül inter Prophetas.* Hæreticà qui legere mira Patrum encomia de B. V. Maria, & ipſi de illa ſcripſere luculenter.

Cap.22. *Abiit Dauid, & fugit in ſpeluncam Odollam, Quod cùm audiuiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius deſcenderunt ad eum illuc.* Nota ſolos eos qui ſunt ex domo Patris Chriſti, id eſt prædeſtinatos ei vſque ad mortem adhærere, & deſcendere ad illum, id eſt, eius deſcenſum ſeu humilitatem imitari.

Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & factus eſt eorum princeps. Chriſtus eſt tantum princeps eorum, qui crucis anguſtias cum eo communicant, & non eorum, qui dant operam voluptati.

Cap. 25. *Feſtinauit Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, &c. Benedicta tu, quæ prohibuiſti me ne irem ad ſanguinem.* Eccleſia feroces animos in vindictam pronos mitigat, obiectis ſpeciebus panis, atque vini in Euchariſtia, quam adire nefas niſi à pacificis. 308. Rurſus B. V. Maria, mulier eſt illa prudens quæ Dei iram in homines auertit.

Miſit Dauid, & locutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi vxorem, &c. Adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam. Anima ſancta quò plus à Deo erigitur, eò plus ſe deprimit, vt patet in Maria, quæ appellata gratia plena, & Dei mater, ſe dixit ancillam.

Cap. 30. *Dederunt ei panem vt comederet: cùm comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus: non enim comederat.* Multi in via mandatorum Dei patiuntur crebra deliquia, ſed vbi ſacris ſiſtuntur altaribus reficiendi pane ſacro, magnum animi robur concipiunt.

REGVM II.

Cap. 1. *Quare non timuiſti mittere manum tuam vt occideres Chriſtum Domini: ſanguis tuus ſuper caput tuum.* Vt corona oblata Dauid fuit ingrata, quia manu homicidæ Regis oblata fuit: ita peccator in ſtatu peccati recitans coronam B. Virginis Mariæ offert ei coronam manibus Chriſti ſanguine purpuratis.

Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos. Superbi expertes ſunt roris gratiæ, ideoque ſteriles.

Cap. 3. *Ioab miſit nuntios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna, &c. Seorſum abduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur in dolo, & percuſſit eum ibi in inguine, & mortuus eſt.* Nuntij dæmonis omnes ſunt perfidi, hoc conantur vt reuocent à ciſterna, id eſt, à lacrymis, & à pœnitentia. Cúmque latent fraudes incautè diabolo auſcultatur. Vt cùm faces libidinis vult ſupponere, mulieris pietatem proponit inſignem, qua inclinatur homo ad colloquia innoxia ſpecie virtutis imitandæ. Repetita colloquia animum ad medium portæ reuocant, ſcilicet ad phantaſiam, & ad oculorum fores: Et dum ebibit oculis formam egregiam mulieris, quam initio caſtè deperibat, percutitur in inguine confixus ſpiculo luxuriæ.

Manus tua non ſunt ligata, pedes tui non ſunt compedibus aggrauati. Maxima laus, vixiſſe ſemper in gratia, nec fuiſſe vllis vitiorum nexibus irretitum.

Cap. 4. *Rechab, & Baana ingreſſi ſunt feruente die domum Isboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit. Ingreſſi ſunt latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine.* Præſules ignauia caligantes lectulis indulgebant: doctrina, quæ eſt oſtiaria Eccleſiæ otiante, nemine inuito hæretici ſpicas tulere ſacras, dum panem ſacrum ex altari ſuſtulerunt. Harum ſpicarum media Præſules eneruati, & alto ſopore capti, addicti luxuriæ, lethale vulnus in inguine acceperunt.

Cap. 6. *Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.* Quiſquis dignè ſuo hoſpitio, id eſt, corde ſuſcipit Euchariſtiam, ille Deo influente bonis omnibus cumulatus.

Cum tranſcendiſſent, qui portabant arcam Domini ſex paſſus immolabat bouem, & arietem. Et Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum. Vide ſacrificium, & ſaltus eſſe ſimul, id eſt progreſſum ad perfectionem eſſe cum frequentatione Euchariſtiæ.

Cap. 9. *Miſit ergo Rex Dauid, &c. Ne timeas, quia faciam in te miſericordiam, &c. Reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Miſericordia Dei timorem debet ſeruilem expellere. Euchariſtiæ vſus nobis reſtituit dona gratiæ, quæ fuerunt olim Adæ patris noſtri, imo etiam aliqua ditiora, vt paſci corpore Chriſti.

Tu comedes panem in menſa mea ſemper, adorans eum dixit, Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei? Si Miphiboſeth Saüle auo Rege ſatus, Dauidis vſitalem aditurus menſam, quaſi dehiſcente terra adeo deprimitur: iure potiori adituri menſam Dei debemus eò accedere reuerenter.

Cap. 11. *Vidit mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde.* Nota voces has, *ex aduerſo.* Reuera nobis aduerſum, & lethale eſt quicquid oculos incautos ad peccandum pellicit.

Miſit Dauid ad Ioab dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Vide locum illum fusè explicatum de induſtria quam mundus adhibet vt animas decipiat.

Cap. 12. *Ego vnxi te Regem in Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, &c. Si parua ſunt iſta, adiiciam tibi multo maiora.* Præterita dona Dei, ſeminaria ſunt nouæ gratiæ.

Quare contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo. Qui ſpernit verbum Dei, ille malis omnibus perpetrandis ſe accingit.

Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, &c. quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. Peccata ſtringunt in nos gladium iuſtitiæ Dei.

Cap. 14. *Aqua multa populi multi, & ſicut aquæ dilabimur ſuper terram.* Aqua fluens è latere Chriſti, notat populos multos, id eſt Eccleſiam ad inſtar Euæ natam ex latere Chriſti.

Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati ſunt in agro aduerſum ſe. Vt mulier Thecuitis Dauidem inflexit in gratiam Abſalonis, qui occiderat fratrem ſuum. Ita Maria Deum Patrem flectit vt parcat homini qui ſuum fratrem Chriſtum occidit.

Cap. 15. *Miſit Abſalon exploratores in vniuerſas tribus Iſrael, &c. Populuſque conſurgens augebatur cum Abſalon.* Vt mundus homines pelliciat ad defectionem à Deo mittit nebulones, qui tentant alios, ſitque malis conſortiis, vt etiam boni peruertantur.

Cùm immolaret hoſtias Abſalon, facta eſt coniuratio valida. Venit igitur nuntius ad Dauid dicens. Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon. Homines à mundo deliciis, & epulis dementati, ei cor ſuum deuouent, & à Deo deficiunt.

Dixit Rex ad Hethæi Gethæum, cur venis nobiſcum, reuertere, &c. Et reſpondit, &c. In quo-

cunque

cumque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. Quidquid mundus tibi promittat, dic Chriſto te nolle ab illo licet à mundo ſpreto ſeparari.

REGVM III.

Cap. 1. *Nonne tu Domine mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me, &c. Quare ergo nunc regnat Adonias.* Deus per Gabrielem ait B. V. Mariæ. Regnabit filius tuus in domo Iacob in æternum. Quare ergo, ô homo regnat peccatum in te deſerto're.

Cap. 3. *Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti dies multos, & diuitias, ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, &c. Hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias, & gloriam.* Pauperes ſpiritu dum gloriam, & diuitias ſeculi ſpernunt, intuitu Dei, diuitias æternas, & veram gloriam ſibi conciliant.

Cap. 10. *Dedit ergo Regi, Regina Saba centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. Non ſunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Eſto ſuis precibus, nobis impetrent à Deo multa chariſmatum dona, tamen Maria Virgo Regina cæli ſola plures à Deo gratias nobis obtinet quam cæteri omnes.

Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo Debemus & nos dare Reginæ cæli omnia, quæ petit à nobis, ſcilicet virtutum omnium praxim.

Cap. 17. *Quid mihi, & tibi vir Dei, ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Anima indigna ſacro Chriſti hoſpitio, ſi Euchariſtiam ſuſcipit infecta labe peccati mortalis, ſæpe incurrit in mortem temporalem.

Cap. 18. *Vſquequo claudicatis in duas partes.* Duo pedes animæ ſunt, Amor Dei, & amor proximi. Claudicat anima cuius amor vterque minor eſt quàm decet.

Ego faciam bouem alterum, & ignem non ſupponam. Facere, hoc loco perinde eſt, ac ſacrificare.

Dixit Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis, quos cùm apprehendiſſent duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi. Iturus ad confeſſionem debet omnia peccata ſua colligere, ita vt ne vnum quidem ſcienter omittat, & hæc omnia immergere aquis lacrymarum, & pœnitentiæ. Peccata ſunt falſi prophetæ, quia pollicentur longiorem vitam, & tempus reſiduum ad pœnitentiam.

Ait Elias ad Achab: Aſcende, comede, & bibe. Poſt confeſſionem peccatorum, quæ lacrymis immerſa ſunt, anima apta eſt ad aſcenſum cuius erat impos antea depreſſo pondere peccatorum. Poſt aſcenſum ad Deum, cuius gratiam conciliauit ſibi debet confidenter paſci pane Euchariſtico.

Vide ſacrificium illud Eliæ moraliter explicatum à me exquiſitè & fusè de egregia praxi vtili, & deuota adſe aptandum fructibus, qui percipiuntur ab eis qui vt decet accedunt ad Euchariſtiam.

Cap. 19. *Ecce Dominus tranſit, &c. Poſt ignem ſibilus auræ tenuis, quod cùm audiſſet Elias operuit vultum ſuum pallio.* Spiritus Sanctus, qui immediatè ſequitur amoris æſtus, habere ſolet pacificos aduentus ſui præcurſores.

REGVM IV.

Cap. 2. *Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Qui Sancti Spiritus illapſum cupit in die Pentecoſtes, ille primo debet mente cælos conſcendere, meditando Aſcenſionem Chriſti.

Cap. 3. *Eſtne hic Propheta Domini, &c. Eſt hic Eliſæus qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ.* Sancti habuere manus lotas, id eſt, mundas actiones, & præſertim ante panis ſacri ſumptionem.

Quid mihi, & tibi, vade ad Prophetas patris tui. In ſupremo vitæ diſcrimine reprobi rarò audiuntur, quando propè deſperantes inuocare volunt Deum. Nam conſcientia eos remittit ad furta, libidinem, & alia crimina perpetrata.

Si non vultum Ioſaphat Regis Iuda erubeſcerem, non te attendiſſem, nec reſpexiſſem. Agnouit Eliſæus in Ioſaphat vultum regium, quem virtutes expreſſerant, ſed in Ioram, quem vitia deformabant, nihil ſuo intuitu dignum adinuenit.

Cap. 4. *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, pones baculum ſuper faciem pueri, &c. Reuerſus nuntiauit dicens: Non ſurrexit puer.* Prædicatores fruſtra crucem hodie prædicant populo mortuo, ita baculum Chriſti ponentes ſupra faciem: nemo crucis imitator ad vitam reſurgit, Chriſtum imitando.

Oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos. Oſcitare ſepties, eſt ore patulo, & diducto ſua omnia peccata confiteri: nam peccata omnia ſeptenario numero concluduntur Hanc ſeptenariam oſcitationem, ſeu plenam confeſſionem ſequitur illuminatio animæ extinctæ.

Cap. 5. *Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & mundaberis.* Lacrymæ cum vſu ſacramentorum, quæ notantur in numero ſeptenario mundant, & ſanant animas.

Accepiſti argentum, &c. Lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo, vſque in ſempiternum. Si pœnitens redeat ad priſtina mala conſortia, actiones eius lepram concipient hominum impiorum.

Cap 10. *Eſtne cor tuum rectum cum corde meo? &c. Ait Ionadab: Eſt. Si eſt, da mihi manum tuam.* Deus amorem noſtrum non probat oris teſtimonio, ſed explicatione manus, id eſt, operibus regiis.

Dedit illi manum ſuam, at ille leuauit illum in currum ſuum. Vt Rex Iehu non leuauit in currum ſuum Principem Ionadab, quin ille manus obtulerit Regi, ita Deus nos in cælum non aſſumit, quin opera congrua præmittamus.

Serui tui ſumus, &c. Si mei eſtis, Tollite capita filiorum Domini veſtri, & venite ad me. Peccatorum Dominus eſt diabolus, filij huius Domini ſunt vitia quæ extirpata à pœnitente notant eum abdicaſſe iugum diaboli.

Filij Regis ſeptuaginta viri, &c. Occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum in Iezrahel. Septem ſunt peccata lethalia, quæ capitalia numerantur: niſi deleantur omnia, dubium eſt obſequium tuum. Cùm libidini parcis, aliis iam noxis expunctis; vna hæc libido cui indulges, te Deo tuo arguit infidelem. Samaritæ mactatis Principibus venerunt in campum Iezrahel: vox hæc Iezrahel ſignificat ſemen Dei. Non deuenitur in campum gratiæ, ſeu ſeminis Dei, niſi principibus noxis mactatis.

Cap. 11. *Abſcondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratque cum ea ſex annis clam in domo Domini. Porro Athalia regnauit ſuper terram.*

Athalia typus eſt ſuperbiæ, quæ interficit omnes virtutes, eſto Deo Rege patre ſatas, ſicut Athalia occidit filios omnes Regis Ochoziæ. Ioaz paruulus quia abſconditus in domo Domini euaſit ſtragem, & poſtea regnauit occiſa Athalia. Sola humilitas Deo ſoli addicta ſibi conſulit latebris, regnatura in æternum.

Cap. 17. *Illi non audierunt, ſed iuxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant: fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Dominum: ſed nihilominus, & idolis ſuis ſeruientes.* Multi importuna ſynderesi laceſſiti timent quidem Deum, ſed quia non audiunt verbum Dei, ſed irrident, ideo ſuis idolis ſeruiunt, id eſt vitiis obſequuntur.

Cap. 20. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua.* Rex Ezechias Legatis Chaldæis oſtendit theſauros ſuos inde vanam gloriam aucupatus: Hos demum habuit auri ſui prædones inuitus, quos lubens habuit inſpectores. Ita bona opera qui ventilat, & explicat omnibus, ille prædari deſiderat.

Cap. 22. *Magna ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt patres noſtri verba libri huius.* Nun aliunde flagella Dei repetita quatiunt hominum genus impium, niſi quia irritum eſt verbum Dei.

Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, &c. & fleuiſti coram me, & ego audiui, ait Dominus, colligeris ad ſepulchrum tuum in pace. Hac ſeriê hiſtorica liquet, non quoſuis auditores verbi Dei habere Deum propitium, ſed eos, quibus verbum auribus inſitum, ad cor vſque diffluit, & inde ad manus impigrè refluit operum fluxum parturiens, & lacrymarum etiam reſerans clauſtra, noxas omnes diluit his fluentis, & poſtmodum factori legis prædicatæ finem beatum tutò conciliat.

Cap. 25. *Apprehenſum Regem, duxerunt ad Regem Babylonis, &c. qui locutus eſt cum eo iudicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.* Homo, qui à Deo deficit peccando lethaliter, excæcatur, filios ſuos, id eſt, bona opera in gratiæ ſtatu facta amittit, & onuſtus vinculis vitiorum Babylonem ducitur, id eſt, in voluptatum omnium cœno volutatur.

PARALIPOMENON I.

Cap. 21. *Non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Dominum, nimio enim fuerat terrore perterritus, videns Angelum Domini.* Viſo gladio Angeli vltoris Dauid totus obriguit. O reprobe, ſi dareris intueri gladium, qui tibi imminet accedenti indignè ad epulas Angelorum, ſi inquam, cogitares vltionem, quæ inſtat poſt acceſſum indignum ad altare, non eò accederes, perculſus terrore diuini iudicij.

Cap. 12. *Si pacificè veniſtis ad me & cor meum iungatur vobis: Spiritus induit Amaſai, &c. & ait tui ſumus, ò Dauid, pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis.* Dauid in argumentum pacifici aduentus non fidit ori, imò nec manibus militum, ſed cordium ab eis cum ſuo intimam exigit vnionem. Vbi Spiritus ſanctus induit Amaſai, ille ter nominauit pacem, quaſi inſinuans ſe Spiritu Sancto percitum, quia erat verè pacificus: nam pax ternario numero perficitur, ore, corde, & opere. Tria etiam reſpicit, Deum, nos, & proximos.

Omnes iſti viri bellatores, &c. corde perfecto venerunt in Hebron, vt conſtituerent Regem Dauid, &c. Fueruntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes, & bibentes: gaudium quippe erat in Iſrael. Strenui omnes, & magnanimi qui conſtituunt ſibi Chriſtum Regem, in magna verſantur lætitia, quam vt teſtentur, debent epulari ſæpe cum Chriſto in Euchariſtia.

Cap. 22. *Ait Dauid, &c. præparate corda veſtra, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite, & ædificate Sanctuarium Domino Deo, vt introducatur arca fœderis Domini.* Ante communionem quærendus eſt Dominus præuia inuocatione facta puro & deterſo corde. Eſt erigendus animus à terra vt Deo conſecratus fiat ſuanctuarium idoneum ad recipiendum ſacrum pignus amoris, id eſt, corpus Chriſti.

Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata. Dauid ita ferè Salomonem affatus eſt. Ne repone progreſſum tuum penes ampliationem regni tui, aut augmentum gloriæ ſæcularis. Non honor eſt hîc. Sed attende legi, totus eſto in mandatis, & eorum ſuffragio proficiens, ad ſuperos poſtmodum eueheris.

PARALIPOMENON II.

Cap. 28. *Achaz ſpoliata domo Domini dedit Regi Aſſyriorum munera, & tamen nihil illi profuit, &c. auxit contemptum in Dominum.* Vbi anima ſpoliata eſt gratia Dei, cuius obſequio erat domus Dei, offert munera diabolo, cor ſuum, & affectus, & proceſſu temporis augetur in ea contemptus Dei, nec quidpiam proficit muneribus diabolo dedicatis.

Immolauit Diis Damaſci victimas percuſſoribus ſuis. Direptis Achaz omnibus vaſis domus Dei, clauſit ianuas templi Dei. Malè cedit homini immolare ſuum cor vitiis: nam illa cedunt ſacra in perniciem peccatoris. Verbi gratia luxuria, gula, ebrietas, ſunt percuſſores eorum qui illis, cor, opes, & ſanitatem immolant. Demum qui vaſa gratiæ, id eſt, ſacramenta malè habet, ille ſibi claudet oſtium ad pœnitentiam, & ad miſericordiam Dei, hinc deſperatio.

Cap. 29. *Iuſſit Ezechias vt offerrent holocauſta ſuper altare: cumque offerrentur holocauſta cœperunt laudes canere Domino.* Sacrificia, & muſica ſimul notant poſt communionem debere ſequi melos, orationes, & gratiarum actiones.

Cap. 31. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini comedimus, & ſaturati ſumus.* Si vis vtiliter comedere panem Angelorum, in Euchariſtia, offer Deo primitias tuas, id eſt, cor tuum, ſcilicet amorem.

Cap. 36. *Vniuerſi principes ſacerdotum, & populus præuaricati ſunt, &c. Mittebat autem Dominus ad illos per manum nunciorum ſuorum quotidie commonens, &c. At illi ſubſannabant nuncios Dei, &c. donec aſcenderet furor Domini, &c. & eſſet nulla curatio.* Peccantibus Deus mittit prædicatores, vt pœniteant: ſi parui faciunt verbum Dei, eò deueniunt obſtinationis, vt iraſcente Deo ſit eorum deſperata ſalus.

ESDRÆ I.

Cap. 1 *Suſcitauit Dominus ſpiritum Regis.* Multa quidem opera naturalia [illegible] poſſunt natura dictante. Sed ea quæ ſunt diuina nequit homo facere, quin Deus ſuſcitet ſpiritum eius.

Cap. 2. *Filij Berzelai quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de ſacerdotio.* Genealogia ſacerdotum ſunt virtutes, iuxta vetus effatum Ambroſij. Probati viri genus, virtutis proſapia eſt. Si virtutis expers eſt ſacerdos, indignus eſt.

Cap.6. *De arca Regis,&c.* Habes hîc decretum Regis Darij, qui ſuis ſumptibus voluit inſtaurari templum Ieruſalem. Chriſti amor potior eſt: nam ſanguine ſuo, pretio magno ruinas animæ noſtræ voluit inſtaurari.

Cap.8 *Promouimus à flumine Abaua, vt pergeremus in Ieruſalem, & manus Domini noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici* אהבה *Ahabu*, amorem ſignificat, à quo qui aliquid auſpicatur in nomine Domini, ille pergit de virtute, in virtutem, & cælitus adiuuatur.

Cap. 9. *Sedebam triſtis vſque ad ſacrificium veſpertinum, in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea, & ſciſſo pallio, & tunica curuaui genua mea, & expandi manus meas, & dixi. Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te.* Anima pœnitens debet ante acceſſum ad ſacram communionem habere cor ſciſſum, & contritum, & expandere manus ſuas in bonorum operum praxi, & rubore ſuffundi recolendo ſcelus ſuum. Ita fiet, vt non extollatur inani gloria de virtutis ſtudio.

ESDRÆ II.

Cap.4. *Vna manu faciebant opus, altera tenebant gladium: ædificantium vnuſquiſque gladio erat accinctus.* Ita debet vnuſquiſque ſibi domos in hoc ſæculo conſtruere vt malè parta reſtitutionis gladio reſcindantur.

Cap.6. *Opus grande facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur cùm venero, & deſcendero ad vos.* Cùm orationi vacabis, ſi diſtractiones te à Deo diſtrahunt, aut aliqui amici, abige procul, dicens te opus grande facere, quod non poteſt intermitti ſine maximo contemptu Dei.

Cap.8. *Ite, & comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes eis, qui non parauerunt ſibi.* Cùm audis iſta duo ſimul. Ite, & comedite. Puta eſum panis ſacri, & progreſſum ad virtutem eſſe res implexas indiuiduo nexu. Ruſus mittere partes eis, qui non parauerunt, eſt ſe præbere exemplum bonorum operum. Cùm enim virtutum praxis ſit effectus Euchariſtiæ, ille qui virtuti attendit, mittit partem Euchariſtiæ ei, qui die illa non adfuit myſterio.

Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, vt fiant tabernacula. Virtus eſt mons ad quem contendit omnis, qui benè agit: Bona opera ſunt rami crucis, & hi rami ſunt idonei ad facienda nobis æterna tabernacula.

Cap.13. *Factum eſt, cùm audiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſrael.* Verbi Dei effectus eſt ſeparare bonos à reprobis.

TOBIAS,

Cap. 1. *Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, ipſe cuſtodiuit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum, quoniam memor fuit Domini ſui in toto corde ſuo.* Præſentia Dei altè nobis inſita obſtat ne quid committamus indecorum.

Cap. 4. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Noli à Deo petere indigna Deo, ſed illa pete quæ conducunt ad gloriam Dei comparandam.

Cap.5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Reuera mali, & reprobi, eſto ſuo genio indulgeant, nulla vera habent gaudia, quia lumen cæli, id eſt, gratiam amiſerunt.

Cap. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Cruces eis imponuntur, qui propius ad Chriſtum accedunt, & ſunt Deo gratiores.

IVDITH.

Cap. 3. *Uniuerſarum vrbium habitatores principes honorati, &c. exibant obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec tamen iſta facientes ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt: nam ciuitates eorum deſtruxit.* Ecce typum Bacchanalium. Illo tempore, diabolo itur obuiam ſtipato exercitu vitiorum, quibus obſequuntur homines epulis, & choreis. Sed hæc obſequia non proſunt: præter enim gratiam Dei quam exterminant peccata, opes, fama, & ſanitas euertuntur.

Cap. 5. *Si non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere ei, quoniam Deus eorum defendit illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ.* Deo adiutore nihil noxium eſſe poteſt, ſed eo offenſo cuncta nobis ſunt noxia.

Cap.6. *Ecce ex hac hora illorum populo ſociaberis, vt dum dignas gladij mei pœnas exceperint, ipſe ſimul vltioni ſubiaceas.* Quiſquis inimico Dei benè affectus eſt, ille pœnis eiſdem ſubiacebit.

Cap. 8. *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat.* Mulier caſta ſuæ caſtitati conſulit, ſi ſit clauſa domi, ſi mortificationi vacet & ieiuniis. In ſuperioribus domus ſuæ, id eſt in penitiore receſſu ſuo, quiſque debet habere ergaſtulum, quo puellas ſuas, id eſt, cogitationes colligat, & ſenſus cohibitos illic reſtringat.

Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, non erat, qui loqueretur de ea malum. Detractor fruſtra petit famam eorum, qui conciliauere ſibi Deum, & qui in ſecreto degunt.

Cap. 10. *Cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco in quo iacuerat.* Omne bonum opus debet habere orationem præuiam, poſtquam anima Deo adiuta ſurgit è vitiorum cœno in quo prius iacuit.

Deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. Deſcendit in domum ſuam ille, qui ad interiora ſua ſe colligit, & alto ſcrutinio ſe diſcutit, veteres vitiorum habitus deponit, quos aculeis ſuis veluti cilicium, ſynderesis importuna facit hiſpidos, & hirſutos.

Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui. Sedulum examen, & tædium vitiorum excipit imber lacrymarum, & crinium diſcriminatio, id eſt, cogitationum reprobatarum diſperſio quibus ſubiicitur vnctio: ſiquidem anima præfatis diſpoſita præludiis, eſt multiplici gratia delibuta.

Impoſuit mitram ſuper caput ſuum. Alta ſapit mens virtuti addicta.

Induit

Induit ſe veſtimentis viduitatis ſua, induitque ſandalia pedibus ſuis. Eamdem innocentiæ ſtolam induit, quàm aliàs in baptiſmo. Nudos antea affectus operuit anima, cùm virtutis amore ſaucia conflagrauit.

Aſſumpſit dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe, cui etiam Dominus contulit ſplendorem. Dextrariola notant bona opera; lilia, caſtitatis ideam ingerunt: inaures obedientiam clamant, & annuli libertatem filiorum Dei oſtendunt. Omnia denique ornamenta ſonant virtutum omnium chorum, quo ſtipatur homo Deo conſecratus. Aſt ſciat eſſe deſuper hunc ſplendorem. Nam quicquid rutilat, illud eſt à lumine, quod deſuper irradiat: eſt enim ſupra hominem, effulgere vel tantiſper, aut aliquali modo Deo inſcio coruſcare.

Cap. 12. *Iuſſit eam intrare vbi erant repoſiti theſauri eius, & iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur de conuiuio ſuo.* Ornata ſicut decet anima recipitur in ſanctuarium Dei paſcenda cibo Beatorum.

Cap. 13. *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Hoc reuera quadrat B.V. Mariæ magis quàm Iudith.

Cap. 14. *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor.* Hæc eſt B.V. Maria.

Cap. 15. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, &c. manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Iſta debentur encomia B.V. Mariæ. Sed nota debemus Deo confortanti, quod ſimul benedictione æterna digni.

Cap. 16. *Non cecidit potens eorum à iuuenibus, &c. Iudith in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum, &c. Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* Etſi virtutes ſingulæ, ſua pigmenta referant, ad decorem hominis reducis ad gratiam, quamuis oratio Deum deliniat, caſtitas arrideat: alta tamen humilitas magis Deum inclinat, & rapit ad amorem. Sponſæ cuncta ſilent monilia, vt greſſus placitos in calceamentis rutilis eloquatur.

ESTHER.

Cap. 1. *Precepit Rex Eunuchis vt introducerent Reginam Vaſthi coram Rege poſito ſuper caput eius diademate. Quæ renuit & ad Regis imperium venire contempſit.* Ecce typum lapſus Euæ, quæ contempſit imperium Dei.

Egrediatur edictum, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius altera, quæ melior eſt illa accipiat. Eua Deo deſponſata inſoleſcens paſſa eſt repudium, & B. V. Maria ſubſtituta.

Cap. 2. *Eſther erat formoſa valde, & omnium oculis gratioſa. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, fecitque eam regnare in loco Vaſthi.* Iſta quadrant B.V. Mariæ, quæ loco Euæ facta fuit Mater viuentium.

Cap. 3. *Statim in Suſan pependit edictum Rege, & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui erant in vrbe flentibus.* In epulis aliquid ſemper lethale aut noxium tractatur, vt blaſphemiæ, detractiones, verba obſcœna, rixæ.

Cap. 4. *Non erat licitum indutum ſacco aulam Regis intrare.* Stola gratiæ lacerata caue ne accedas ad altare.

Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem. Vide ieiunium, & abſtinentiam à peccato, animas aptare Dei conſpectibus.

Cap. 5. *Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me.* Vocari ad epulas Euchariſtiæ, eſt magnum diuini amoris argumentum.

Cap. 7. *Traditi ſumus, vt conteramur, iugulemur, pereamus.* Peccatum eò deduxit homines.

Da mihi populum meum pro quo obſecro. Maria pro ſuis cultoribus tantùm, qui ſunt populus eius orat.

Cap. 9. *Idcirco eumdem diem conſtituerunt ſolennem epularum, atque lætitiæ.* Dies feſti ſunt celebrandi ad ſacras epulas Euchariſtiæ accedendo.

Scripſit Mardochæus, &c. Eſſent dies iſti epularum, & lætitiæ, &c. & pauperibus munuſcula largirentur. Diebus feſtis, communioni adiicienda eſt eleemoſyna pauperi munuſcula diſtribuens.

Cap. 15. *Circumdata eſt gloria ſua, &c. aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur, &c. altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans.* B.V. Maria quæ glorioſa eſt hoc petit à deuotis vt colligant eius virtutes eas imitando: quippe boni habitus Mariæ defluentes, nos ad imitationem ſollicitant.

Ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, &c. Regina corruit, &c. Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem. Anima acceſſura ad Euchariſtiam vbi Rex Regum maieſtate clarus eſt debet maximè humiliari, vt vel ſic ea humilitate ſibi Deum conciliet.

IOB.

Cap. 1. *Ibant filij eius per domos & faciebant conuiuia. Iob conſurgens diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis.* O hominum curas omnes in epulis & ſagina. Eccleſia alma parens manè offert pro omnibus holocauſta.

Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ſimilis ei in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum. Quia perfectus erat, ideirco duris exercendus.

Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum, &c. repente ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. In mediis epulis ſemper oritur ventus à diabolo excitatus. Is eſt æſtus, iræ, libidinis, blaſphemiæ, rixarum, detractionis, qui guloſos extinguit, dum eos inducit ad peccandum lethaliter: extrema gaudij luctus occupare ſolet.

Cap. 4. *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Res eſt operoſa refrænari linguam.

Cap. 6. *Terra ne operias ſanguinem meum neque inueniat in te locum latendi clamor meus.* Sanguis Chriſti animas deſides, & terreſtres increpat, quod 5 non ad vindictam mortis eius excitentur.

Cap. 9. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Dæmon fruſtra ortum, id eſt Conceptionem B.V. Mariæ expectauit vt ei næuus inureret.

Cap. 11. *Excelſior cælo eſt, quid facies? profundior*

dior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari. Dei perfectio ſumma his vocibus explicatur.

Cap. 18 *Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat, &c. & exardeſcet contra eum ſitis.* Affectus auari, qui ſunt animæ pedes, laqueis obnoxij ſunt, quia inde primò peccat, & maculis inſi.itur. Auri cupido ſitim inexhauſtam parit ei quem exurit.

Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius. Auarus nocte dieque timet ne latrones effodiant opes.

Cap 21. *Quare impij viuunt ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis, &c. Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Proſperitas nimia homines ad impietatem, & damnationem adducit.

Cap. 22. *Si reuerſus fueris ad omnipotentem, reædificaberis.* Pœnitentia quæ reduces ad Deum homines facit inſtaurat ruinas omnium peccatorum.

Cap. 30. *Abſtulit quaſi ventus deſiderium meum.* Cùm res tranſitoria impedit deſideria æterna, res leuis vt ventus impedit, & diſpergit deſideria, & vota noſtra.

Cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Præcluſæ fores oculorum obſtant, ne cogitatio obſcœna mentem inficiat.

Cap. 33. *Tabeſcat caro illius, & oſſa, quæ tecta fuerunt nudabuntur.* Cùm carnalia decoquuntur anguſtiis, fortitudo animæ, quæ per oſſa linearur, omnibus innoteſcit: nam carne macerata, patiens animus ſe prodit.

Cap. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Nemo ſolis terrenis viribus fretus reſiſtere poteſt diabolo.

PSALMI.

Pſal. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Homo in ſtatu gratiæ ſemper aliquod bonum opus exerit.

Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* In homine emicant diuinitatis radij ſcintillantes.

A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt. Homines gratiæ incrementum accipiunt, beneficio Euchariſtiæ, quæ eſt frumentum electorum, & vinum quod germinat virgines. Oleum eſt Chriſtus influens in animas.

Pſal. 5. *Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam.* Deus eſt in exaudiendo citus, & velox.

Pſal 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Nox peccati lacrymas parit.

Pſal. 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Chriſtus vt homo, naturæ Angelicæ non præſtat.

Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Semini nequam pluuia congrua eſt. Auari incurrunt in laqueos: luxorioſi in ignem ſulphureum & fœtidum: ſuperbi in turbines, & ventos validos.

Pſal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* præclarum eſt homini vinculis mandatorum Dei alligari.

Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Corpus Chriſti in ſepulchro fuit corruptionis expers.

Pſal. 17. *Inclinauit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Myſterium Incarnationis captu difficile.

Poſuit tenebras latibulum ſuum. Res diuinæ plenæ ſunt difficultatibus inuiis lumini rationis.

Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Apoſtoli per ſe & per alios vbique prædicarunt.

Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Præcepta Dei nos illuminant, quando docent quid fugiendum ſit, & quid faciendum.

Pſal. 20. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Iuſtis in cælo corona decernitur lucida, & ſolida.

Pſal. 21. *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Chriſtus pedibus calcatus vt vermis.

Pſal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Euchariſtia nos bonis cumulat omnigenis.

Paraſti menſam in conſpectu meo, aduerſus omnes, qui tribulant me. Euchariſtia nos inſtruit armis aduerſus dæmones, & vitia.

Pſal. 27. *Refloruit caro mea.* Quando reſurrexit.

Pſal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci.* Pœnitentiæ initium eſt, confeſſio ingenua peccatorum.

Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Peccatum adimit intellectum, quia eſt pecoris actum.

Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Quia viſibiles ſunt pigmentis, & lumine gratiæ decorati.

Multæ tribulationes iuſtorum. Vt Chriſto magis aſſimilentur.

Pſal. 34. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Peccatores ob tenebras, & lubricum crebris ſunt caſibus obnoxij, ideoque diaboli plagis obſtricti.

Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Beati obliuiſcentur ærumnas hîc perpeſſas, & toti extra ſe rapientur gaudio.

In lumine tuo videbimus lumen. Gratiæ lumen præit lumini gloriæ.

Pſal. 36. *Noli æmulari in malignantibus.* Noli inuidere eis quaſi eſſent hîc beati.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Nemo niſi Deo dirigente pedes eius, poteſt ex ſe vias omnes mandatorum inoffenſo pede decurrere.

Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Peccatum eſt terrena moles.

Pſal. 38. *Silui à bonis.* Nequando, malè loquar; Rhetorica cæleſtis eſt ſilere.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Diuinus amor meditatus, animam totam accendit.

Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum.

Pſal. 40. *Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat.* Magna fuit iniquitas, negatio reſurrectionis Chriſti.

Pſal. 41. *In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis.* Conſcius epularum Chriſti, id eſt Euchariſtiæ, magnam animi lætitiam concipiet, & ſe confitebitur imparem debitis gratiis exhibendis.

Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Chriſtum decet gladius, quia potentiſſimus eſt, ad magnanimos pertinēt ardua certamina

Propterè

Proſperè procede, & regaa, propter veritatem, & manſuetadinem, & iuſtitiam. Proſpetè procedimus ad perfectionem, & regni æterni compotes ſimus virtutum obſequio.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. B. V. Mariæ vita multicolor ob virtutum, & gratiarum varietatem.

Audi filia, & vide, & inclina aatem tuam, & obliuiſcero populum taam, &c. & concupiſcet Rex ſpeciem taam. B. V. Maria Deum audiit ſuadentem propoſitum virginitatis, ita oblita eſt populum ſuum, vt virum non cognouerit. Inde Deo chara.

Pſal 45. *Sanctificauit taberaaculum ſuam altiſſimus.* Inde liquet immaculata Conceptio B. V. Mariæ.

Pſal.48. *Frater noa redimit, redimet homo.* Chriſtus ſolus homo fuit per antonomaſiam, idoneus ad redimendos alios homines.

Laboraait in æternam, & viuet adhuc in finem. Vita ſimul eſt cum labore, qui oon laborat, non viuet.

Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis. Intellectus vſu, id eſt ratione diſtinguimur à beſtiis. Peccatum rationis vſum peruertit. Ergo nobis inurit indolem beſtiarum.

Pſal. 49 *Inuoca me ia die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Deus plerumque flagella quatit, vt ab afflictis iouocetur, & vt Deus agnoſcatur.

Sacrificium laudis honorificabit me. Deus ſolus propriè dignus eſt laude, quia quicquid laudabile eſt in creaturis, illud omne Dei donum eſt.

Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Spiritus ſanctus non influit niſi in cor mundum.

Docebo iniquos vias taas, & impij ad te conuertentur. Pœnitens exemplo ſuo docet impios, vt conuertantur.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatam Deus non deſpicies. Pœnitentia totum hominem Deo mactat, ſpiritum, & carnem.

Pſal. 51. *Sicut oliua fructifera in domo Dei.* Chriſtus fuit oliua ferens fructus miſericordiæ, condonando peccata.

Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Antequam peccet homo, Dei præſentiam expungit.

Pſal. 54. *Contaminauerunt teſtamentam eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius.* Hæretici contaminant teſtamentum Chriſti, negantes realitatem corporis quod teſtamento ſuo largitus eſt. Ideo diuiſi ſunt ab Eccleſia, imò à ſe inuicem: quippe Lutherani, & Caluiniſtæ diſcordant circa realitatem.

Pſal. 56. *Exaltare ſuper cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.* Poſt Aſcenſionem Chriſti, gloria eius vbique prædicata.

Pſal. 57. *Lauabit iuſtus manus ſuas in ſanguine peccatoris.* Iuſtus intuitu pœnæ peccatoris, fiet cautior, & ſic eius opera terſiora fient.

Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Diuitiæ noxiæ ſunt, ſi vltra modum amentur.

Pſal. 92. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: ſitiuit ia te anima mea.* Ille cui Deus adeſt intimè diluculo, creaturas faſtidit, Dei ſolius amore captus.

In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. Mariæ caro fuit inuia viris, & deſerta. Hic vt in loco ſacro Deus apparuit hominem ſuſcipiens.

Pſal. 65. *Iniquitatem, ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Oratio eſt mentis aſcenſus in Deum, iniquitas eſt receſſus à Deo. Ergo nequeunt eſſe ſimul.

Pſal. 66. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Aſpectus Dei propitius, miſericordiam ſecum vehit.

Pſal. 67. *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Quia Chriſtus reſurgendo palàm fecit ſe eſſe ſupra occaſum mortis, idcirco Deum ſe & Dominum oſtendit eſſe.

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Virtutis exempla ſunt verba, quibus euangelizare debent omnes præcones ſacri.

Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. B. V. Maria eſt ille mons, vt fusè vide ex Gregorio.

Pſal. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi.* Eſt ſanè miſeranda ſors peccatoris, ob volutabrum cui ſordidus immergitur.

Pſal. 72. *Deiecisti eos dum eleuarentur.* Ipſa ſuperbiæ eleuatio, deiectio eſt à facie Dei.

Ad nihilum redactus ſum & neſciui. Homo gratiâ Dei ſolâ ſubſiſtens, quando peccat abit in nihilum.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Gratia diuina, manus, id eſt opera noſtra dirigit ad amuſſim voluntatis Dei, & digna facit gloria æterna.

Pſal. 75. *Notus in Iudæa Deus.* Olim magis explicitè Deus Iudæis, quàm aliis Gentibus innotuit.

Pſal. 78 *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.* Quando creaturæ in cor irrepunt, magnas illic edunt ſtrages gratiarum. Nam creaturæ plus nimio amatæ, Dei gratias omnes eliminant.

Pſal. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Salus noſtra ſuum ducit exordium à benignis aſpectibus Dei.

Pſal. 81. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Extincto lumine gratiæ, ratio peruertitur, & ſic reprobus in opaco degit.

Pſal. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Ille cui gratia Dei afflat aſcendit, & ſe erigit ſupra hæc omnia inferiora.

Etenim benedictionem dabit legiſlator: Ibunt de virtute in virtutem. Qui legem indixit, adiicit & gratiam obſequendi legi, ad cuius præſcriptum, qui viuunt illi proficiunt.

Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Virtutis ſuauitas, facit inſipidas omnes ſæculi voluptates.

Pſal. 85. *Quoniam tu Domine ſuauis, & mitis, & multa miſericordia inuocantibus te.* Operari ſequitur eſſe. Cùm ergo Dei eſſe plenum ſit miſericordia, nequit in ira ſua continere ſuas miſericordias, quæ effluunt ſemper in gratiam inuocantis.

Pſal. 86. *Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, fundauit eam Altiſſimus.* Sion eſt Eccleſia gaudens Mariam eſſe matrem Dei hominis, & omnium etiam hominum.

Pſal. 87. *Inter mortuos liber.* Chriſtus in limbis.

Pſ. 88. *Tu dominaris poteſtati maris, motũ autem fluctuũ eius tu mitigas.* Maria eſt Domina peccatorum qui ſunt mare amarũ, motus eorũ, id eſt deſideria peccandi compeſcit, & mitigat, eis impetrando gratiam. Rurſus Chriſtus dominando mari, & ventis imperando Deum ſe eſſe oſtendit.

Thronus

Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta. Hoc B.V. Mariæ quadrare poteſt.

Pſal. 92. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Anima ſancta Dei domus nullos omnino debet terminos præfigere ſanctitati, quam debet vſque ad mortem praxi virtutis impigræ propagare.

Pſal. 94. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione, ploremus coram Domino qui fecit nos.* Illa placet confeſſio quæ lacrymis alluitur.

Pſal. 101. *Tu exurgens miſereberis Sion.* Chriſtus reſurgendo miſertus eſt Sion, id eſt, Eccleſiæ, quia viam ſuis fidelibus reſurgendo ſtrauit in cælum.

Pſal. 102. *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius, noli obliuiſci retributiones eius.* Deo gratiæ rependendæ ſunt ob beneficia, quæ ſunt recolenda ab interioribus, primò ab intellectu, vt recogitet: demum à corde, vt homo amore feruidus incaleſcat.

In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. Cùm Deus dominium habeat membrorum omnium, debent ob ſoſpitatem ſuam à Deo acceptam, omnia membra noſtra, Deo vt ſuo Domino famulari.

Pſal. 103. *Vinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Euchariſtia animam inebriat ſuauitate, corroborat auxiliis, & gratiæ vnctione faciem condecorat.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ. Anima tenebris peccati opacata fit omnibus vitiis obnoxia, vt & dæmonibus, qui eam habent peruiam, vt profanam.

Ortus eſt Sol, & congregati ſunt & in cubilibus ſuis collocabuntur. Ad gratiæ exortum abſcedunt dæmones, qui irrepſerant in animam.

Emittes Spiritum tuum, & creabuntur. Anima per peccatum annihilata, Spiritus ſancti illapſu, id eſt beneficio gratiæ recreatur, & vita eius inſtauratur.

Pſal. 108 *Fiat oratio eius in peccatum.* Qui malè orat, ſe gerens indecorè, & animo impuro, peccat.

Pſal. 112. *Qui eleuat de ſtercore pauperem, vt collocet eum cum principibus populi ſui.* Anima in ſtatu peccati, in ſtercore immundo degit. Facta verò gratiæ compos aſſimilatur Angelis.

Pſal. 113. *In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.* Iudæa vox Hebræa ſignificat confeſſionem quæ eos ſanctificat, qui ſeruitutis vitiorum iugum excutiunt, & dæmoni barbaro domino renuntiant.

Simulacra gentium argentum, & aurum. Auari, qui colunt aurum, gentium ritu viuunt, non curantes mandata Dei.

Pſal. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Chriſtus reprobatus à Iudæis, factus eſt lapis vniens Synagogam, & Eccleſiam quando, de Apoſtolis, qui erant Iudæi, fecit principes Eccleſiæ, quorum ille fuit caput.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quicquid eſt elegans, & dignum admiratione illud à Deo eſt.

Pſal. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua.* Id eſt amore tuo percitus, feci quod iuſſiſti.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Nemo reſilit à peccato, niſi prius cogitet vias ſuas, beneficio ſerij examinis conſcientiæ.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Affectus animæ pedes illuſtrantur Dei verbo.

Confige timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis timui. Donum timoris, facit vt nos aptemus ad non timendum in die iudicij.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Spiritus ſanctus votis, & oratione attractus illabitur.

Pax multa diligentibus legem tuam. Vt ſecus eſt inquies animus exlex: quippe lex violata diris aculeis animam exagitat.

Pſal. 121. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Virtutum praxim ſequitur ea animi quies, ex qua abundantia emanat, ſegeſque vberrima gratiarum.

Pſal. 129. *A cuſtodia, &c. copioſa apud eum redemptio.* Sanguis Chriſti efficaciſſimus ad ſaluandum.

Pſal. 136 *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.* Iudæi in annulo pictam gerebant Ieruſalem. Habenda eſt præ manibus idea cæleſtis Ieruſalem faciendo ea, quæ conducunt ad beatitudinem.

Pſal. 140. *In retiaculo eius cadent peccatores, ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* In retibus peccati originalis fuere omnes Adamo ſati ante B. V. Mariam quæ in puris hominibus ſola fuit libera.

Pſal. 141. *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* In ſpecioſa via virtutis à diabolo ſubtiles ſuperbiæ laquei prætenduntur.

Pſal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Indigemus motione diuina, vt ea præſtemus, quæ conducunt ad beatitudinem.

Pſal. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet.* Quia qui Deum timet, eſt eiuſdem cum eo voluntatis.

Pſal. 147. *Lauda Ieruſalem Dominum, &c. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum benedixit filiis tuis in te.* Audis adipem frumenti, id eſt Euchariſtiam, eſſe cauſam, quod tantæ dotes gratiarum in animas illabantur. Ita planè confortat ſeras portarum animæ ſacta communio: nam ſenſus animæ fores, fiunt multo cautiores illo paſtu. Filij noſtri ſunt omnes actus eliciti, illis adeſt benedictio ſingularis diffluens ex hoc pane; ſunt namque meritorij gratia euehente noſtras actiones. Vide locum hunc fusè explicatum.

Poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. Adeps frumenti, id eſt Euchariſtia pacem conciliat animæ, quando procul hoſtes eius abigit, vitia debellando & ſedando motus omnes iniquos.

Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Spiritu ſancto afflante fluit imber lacrymarum ex oculis pœnitentum.

PROVERBIA.

Cap. 1. *Tunc inuocabunt, & non exaudiam.* Hæc eſt pœna eorum, qui reſtitere Deo vocanti.

Cap. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, da pauperibus, &c.* Eleemoſyna Deum honorat, modo fiat de bonis propriis, & non de alienis, id eſt, de bonis malè partis.

Cap. 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit.* Virtutum praxis eſt morarum impatiens, non fatiſcit, ſed anhela micat, & proficit.

Cap. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris, fauus diſtillans labia meretricis, &c. nouiſſima autem illius amara.* Oſcula carnalia, multis conſcientiæ ſtimulis obnoxia.

Cap. 6. *Vade ad formicam piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Eò hominem eius

deduxere deliquia, vt qui Deo doctore vſus non eſt, mittatur ad pecora ab eis edocendus.

Cap. 7. *Apprehenſum deoſculatur iuuenem, &c. Intexui funibus lectulum meum. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe.* Voluptas poſt oſcula deducit in laqueos, & in ſyndereſis amarorem.

In die plenæ Lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam. Literaliter, dies ille Lunæ plenæ eſt feſtum Paſchæ quod quiſque tenebatur celebrare in Ieruſalem. Myſticè reuertimur ad Deum, B. V. Maria pulchra vt Luna in eos influente.

Cap. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum.* Eccleſia ſancta domus eſt idonea recipiendæ ſapientiæ. Septem ſacramentis, vt tot columnis incumbit, quibus adiecit ſacrificium. Rurſus hoc loco probo conditiones neceſſarias ad accedendum ad Euchariſtiam.

Cap. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Omnia edita produnt miſericordiam, vel iuſtitiam Dei.

Cap. 18 *Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnit: ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium.* Vt elementa non grauitant in centro, ita nec peccata grauant quando ad obſtinationem deuentum eſt. Hic ſtatus pertinet ad opprobrium æternum.

Cap. 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Non vincimur niſi quia viuimus ad arbitrium noſtræ voluntatis. Aſt obediens facit voluntatem Dei, ergo iugis eum manet victoria.

Cap. 23. *Cui væ, cui rixa, cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui ſtudent calicibus epotandis.* Foueæ ſunt multa & varia peccata in quæ demergit homines ebrietas, quæ aciem mentis, & corporis obtundit.

Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber. Cuiuſque voluptatis indoles hæc eſt, vt oculis primò illudat, & deinde necem animæ inferat.

Cap. 29. *Virga, aut correctio tribuit ſapientiam.* Peccato emendato ſapit homo.

Cap. 31. *Mulierem fortem, quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.* B. V. Maria fuit fortis, quia contriuit caput ſerpentis. Pretium eius à duobus eius finibus, ſeu extremis attenditur. Ab ortu Conceptionis immaculatæ, & ab occaſu mortis, quæ non corrupit eius corpus factum die tertio rediuiuum.

Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. De mulieris caſtitate liquet, ſi conſtat eam eſſe laborioſam, & refugam otij.

ECCLESIASTES.

Cap. 3. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi filiorum hominum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.* Opera Dei ſunt fide adoranda, & non curioſa indagine perſcrutanda.

CANTICA.

Cap. 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* Nomen Ieſu, eſt index ſalutis, & miſericordiæ effuſæ orbe toto, quia non omnes redemit.

Trahe nos poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum. Nota duo eſſe neceſſaria vt anima poſt Deum currat. Primum eſt diuina attractio: Alterum eſt vnctio gratiæ habitualis: nemo namque poteſt currere in ſtatu peccati mortalis. Vide præter gratiam habitualem hominem indigere adhuc actualibus auxiliis vt currat.

Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum. Maria duo habet vbera. Vnum ad lactandum Chriſtum, alterum ad lactandos homines. Homo ergo memor vberum Mariæ, meminit eam eſſe matrem non Chriſti tantùm, ſed & omnium hominum. Et hinc cauſa lætitiæ.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi cubes, vbi paſcas in meridie. Meridies Chriſti, id eſt, maximus amor Chriſti in nos enituit in paſtu, & in decubitu, id eſt, quando nos cibauit corpore ſuo, & quando decubuit in cruce.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Maximum amoris noſtri argumentum eſt meditatio paſſionis Chriſti.

Cap. 2. *Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles.* Chriſtus dum virtutis impigræ & eminentis edidit ſpecimina, nos tacitè hortatus eſt ad ſequelam. Nam vita eius vox eſt prouocans dilectos ſuos ad ſaltus.

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas. Olim prima die nuptiarum ſponſi dabant munera ſponſis quando leuabant velum, & faciem explicabant, & alloquebantur ſponſum. Deus vult à peccatore velum leuari pudoris noxij, & audire vocem eius in confeſſione. Nempe hac voce confi[illegible]is emiſſa facies eſt decora; nam gratia influit iuxta Vatis oraculum. Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. Demum confeſſione dæmonis aſtutiæ produntur, & ſic vulpeculæ capiuntur.

Cap. 3. *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Parum eſt inueniſſe Deum, ſi perſeuerantia deſit.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ. & vniuerſi pulueris pigmentarij? Nota memorari myrrham, & poſtea puluerem pigmentarium. Nam myrrha quæ pœnitentiam, & mortificationem ſignificat omnes poſtea virtutes homini conciliat.

Cap 4. *Ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hæc eſt anima in ſtatu gratiæ. Deus illi adeſt, & Angeli protectores.

Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Trina hæc vocatio ad coronam notat tres coronas ad Beatam Virginem Mariam pertinere.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, emiſſiones tuæ paradiſus. B. V. Maria fuit hortus cuius flores præcipui quid ſint, vide.

Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris. Altare refert montem Caluariæ, illic memo[illegible]re myrrham Paſſionis, & demum funde preces.

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Inde liquet immaculata B. V. Mariæ Conceptio.

Veni Auſter perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Auſter imbres adfert, ideóque typus eſt Sancti Spiritus, qui vt animam perflat, eam alluit imbre gratiarum, quæ ſunt aromata ſacra.

Cap. 5. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, &c. bibite, & inebriamini chariſſimi.* Anima quæ aſpirat ad nuptias Chriſti

debet

debet ſe accingere ad mortificationem, cuius praxis ei conciliabit donum orationis, & alias virtutes aromatum ſymbolo deſignatas. Ne myrrhæ amaror imponat, & terreat, meminerit virtutis praxim eſſe plenam mira ſuauitate, & animas inebriare in cælo vbi obliuiſcentur omnes præteritas anguſtias.

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illâ? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Propoſitum illud animæ eam impedit à recidiua.

Cap. 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* In puris hominibus, B. V. Maria vna eſt felle carens, id eſt amaritudine peccati, vtpote ſuis numeris omnibus abſoluta.

Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt. Beati in cælo, non adhuc ſunt beatiſſimi, quia corpus abeſt. Sed B. V. Maria in cælum aſſumpta beatiſſima eſt.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Vt B. V. Mariæ pulchritudo tota cæleſtis eſt, ita rebus cæleſtibus exprimitur: quidquid namque nitet in cælo, totum eminenter emicat in Maria, quæ terrori eſt diabolo, vtpote conterendo eius capiti deſignata.

Cap. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Deus maximè attendit animæ pedes, id eſt, affectus: nam opera poſſunt eſſe ementita pietate facta. Rurſus humilitas B. V. Mariæ cõmendatur. Nàm cæteræ virtutes illi tributum pendebant, vt egregiè Rupertus aduertit, quẽ vide.

Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Qui Deo adhæret, ab eo dignatur propitiis aſpectibus, quia oculi Domini ſuper iuſtos.

Cap. 8. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te.* Sciebat ſponſa vbi Chriſtus in domo Eccleſiæ Matris noſtræ foret, eum ſui copiam facturum in Euchariſtia, & in caſtos ruiturum amplexus.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens? B. V. Maria in Aſſumptione ſua cæleſtem Ieruſalem ingreſſa eſt cum pluribus opibus, atque aromatibus, quam Regina Saba terreſtrem olim Ieruſalem.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Amoris & obſequij noſtri, obiectum eſſe debet ſponſus animarum Deus.

Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum. Deuotio duo diſcit. Primò citos & veloces efficit homines. Secundò ducit in montes. Peccatum verò ſecus, tardos, & pigros efficit, & in præceps trudit.

SAPIENTIA.

Cap. 8. *Diſponit omnia ſuauiter.* Ita ſe Deus aptat omnium rerum indoli, vt concurrat neceſſariò cum neceſſariis, & liberè cum liberis.

Cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Vt ſenſus noſtri rebus infimis occupari tantùm poſſunt, ita ſecum ad ima deprimunt animam, quæ ſectatur ea tantùm, quæ ſenſibus obuia ſunt.

Cap. 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Gratiam homini Deus, vt liberalis conditor infuderat, ad cuius menſuram metiretur & gloriam. Hominem ſecundum ab Angelis, rebus aliis extulerat. Demum eundem hominem peritus artifex ex luto compegerat, vt pondus materiæ, qua conſtabat, faſtum eius deorſum inflecteret. Adhuc ſui compos eſſet homo, ſi intra ſuos hos cancellos hactenus ſibi conſtitiſſet.

Cap. 16. *Quod ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio Solis calefactum tabeſcebat, vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam.* Feſtinis Deus exhibet ſe feſtinum & impigrum largitorem: ſicut & lentis, atque tepentibus parca, & inuita ferè manus vix quidpiam elargitur. Rurſus exortum, ſeu influxum gratiæ habitualis oportet præuenire votis anhelis, & precibus.

Cap. 18. *Cùm medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet: omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus venit.* Incarnatio noctu facta, quia myſteria fidei ſunt obſcura lumini rationis.

ECCLESIASTICVS.

Cap. 3. *Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore.* Glorioſum eſt honorare ſuos prælatos, vt patres, vt contra datur opprobrio, non reuereri ſuos hos patres.

Cap. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* A peccatis venialibus deuenitur ad lethalia.

Cap. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Nam lethale virus infundunt.

Quaſi romphæa bis acuta iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas. Peccatum corpus & animam peruadit, nec vlla arte ſolom humana poteſt ad vitam reuocari anima peccato ſauciata.

Cap. 24. *Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Deus fide ſolùm ſubobſcura apprehenditur, & altior eſt omni rationis indagine.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. B. V. Maria duo petit à cultoribus. Primum eſt, vt tranſeant à vitiis ad virtutum praxim. Alterum eſt vt ſequantur eius exempla, quæ ſunt generationes B. V. Mariæ.

Cap. 43. *Vas admirabile opus excelſi.* Illud omne quod eſt admiratione dignum, opus eſt Dei.

ISAIAS.

Cap. 1. *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* Deficiente rore gratiæ impij, vt ſemen iniquum areſcit.

Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus? Sacrificia Iudæorum non iuſtificabant ex opere operato.

Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, vt nix dealbabuntur. Peccatores vt rei ſanguinis Chriſti rubent: ſed obſequio pœnitentiæ rubor in candorem innocentiæ tranſit.

Vinum tuum mixtum eſt aqua. Voluptates vinolentæ, deſinunt in lacrymas.

Cap. 2. *Erit in nouiſſimis diebus, præparatus mons, domus Domini, in vertice montium.* Maria Virgo Deipara aliis omnibus ſanctis eminet, quia quidquid ſub Deo magnum eſt & altum, eſt infra Deiparam.

Ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas. Ex monte Oliueti Chriſtus aſcendit, ſed viæ ad aſcenſum fuere cruces multæ quarum praxim docuit

Chriſtus dicens. Si quis vult venire poſt me tollat crucem ſuam.

Cap.3. *Dicite iuſto, quoniam benè.* Vera & æterna bona manent iuſtos.

Pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, &c. decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Carpitur hîc vanitas mulierum, in quas vide cenſuras Patrum.

Cap.5. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci.* Deus omnibus dat gratiam ſufficientem.

Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Peccati iugo premimur, quia nolumus reſcire fœdum noſtrum animæ ſtatum & viuimus ſine examine conſcientiæ.

Cap 6. *Domus repleta eſt fumo.* Domus Dei Eccleſia eſt vbi ſupellex caligine obooluitur, quia myſteria & arcana fidei ſubobſcura ſunt. Rurſus literaliter, & ex mente Iſaiæ, Domus Dei eſt Synagoga vbi Deus in figura ſolum & à tergo viſus eſt. Aſt in Eccleſia in die Pentecoſtes clarius apparuit, ſpecie ignis pellucidi.

Ecce ego, mitte me. Deuotio vt & gratia; neſcit tarda molimina, ſed Deo vocanti citum præbet obſequium, ad omnia ſemper expedita.

Cap.7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Neque Conceptio, neque partus obſtitit, quin B. Virgo Maria perſtiterit Virgo integra.

Cap.8. *In manu forti erudiuit te.* Exempla manus ſunt, quæ docendo ducunt eò quò pergendum.

Cap.9. *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* Chriſtus nomine virtutis vocatur, quam profeſſus eſt, & quam voluit ab omnibus in exemplum ſumi. Diſcite à me (inquit) quia humilis ſum. Ab humilitate dici voluit, paruulus, & filius.

Cap.10. *Qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annuntiarem ventura tibi, ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.* ſtrologi iudiciarij flammis æternis obnoxij.

Cap.11. *Flos de radice eius aſcendet.* Chriſtus eſt flos oliuæ Vt apis demorſo flore oliuæ moritur, ita mors, quia momordit Chriſtum, eum pungendo mortua eſt iuxta Oſeæ oraculum. Ero mors tua, ô mors, & morſus tuus ero, Inferne, cap.13.

Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, &c. Vt anima à Deo defecit, ſeptem vitiis capitalibus obſtringitur; ita redux illico donis ſeptem Sancti Spiritus afficitur. Vt peccati prima labes ignorantia, ſeu caligo fuit, ita iubar gratiæ, eſt cognitio ſui, & intellectus.

Erit ſepulchrum eius glorioſum. Paſſione, & morte ſua Chriſtus meruit gloriam corporis ſui, vnde fuit ei ſepulchrum glorioſum.

Cap.12. *Magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Medium noſtri eſt cor, quod Deus infuſa charitate ſuum facit, illud inhabitans.

Cap. 13. *Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in domibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Sub typo Babylonis deſcribitur mundus. Dracones notant ſuperbiam, que eſt in mundo vernacula. Struthiones referunt hypocriſim: nam ſtruthio auis inſtructa pennis mentitur volatum, ſemper inceſſura pedes. Piloſi ſunt ſatyri detractores, cantilenis vitam ſonantes omnium etiam inſontium. Vlulæ homines iniurios notant, & blaſphemos. Syrenes denique libidinem fœdam notant.

Cap. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, &c. Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?* Dæmon, & homo in noxa conſortes, & cœli exortes, primam huiuſce lamenti partem, ſibi ex æquo vindicant: ſed Adamum tantùm ſpectat extremum cenſuræ huius. Etenim hominis lapſu terra tota contremuit, & vrbes peccati lue infectæ deſolatæ ſunt. Quodque fuit ſumma mali, Adam, qui vinctos nexibus implicuit, ſoluere non potuit: ſiquidem à gratia deperdita regreſſum ad eandem tenere non valuit.

Cap. 21. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum: pone menſam, contemplare in ſpecula, comedentes, & bibentes ſurgite: Principes arripite clypeum.* Anima infidelis, vbi dignè adſtitit menſæ Dei, fit vice prodigij; nam de vitiorum ſordida colluuie virtute panis illius gratiis omnibus cernitur emicare Speculare alto ſcrutinio micas, quæ decidunt ex hac menſa. Catelli, id eſt, pœnitentes has micas vbi comederint tranſeunt in ſortem filiorum, imò vocantur Principes, & quia Principum eſt, alta prodere conamina, vocantur ad clypeum, quia à menſa ſacra itur ad certamen cum vitiis.

Cap. 24. *Ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde.* Extrema gaudij luctus occupat.

Cap. 26. *A facie tua Domine concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum.* Conſpecta facie Chriſti deturpata plagis concipiemus propoſitum, eum imitandi, & ita nobis poterimus procurare vitam æternam.

Cap.28. *Et erit eis verbum Domini, &c. Propter hoc audite verbum Domini viri illuſores, &c. Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.* Qui negligunt verbum Dei, illi ſunt flagellis obnoxij.

Coangustatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt. Cor noſtrum ferre nequit duos dominos. Vide locum eximium Hieronymi.

Cap. 29. *Erit vobis viſio omnium, quaſi verba libri ſignati.* Mundus liber eſt, cuius characteres varij ſunt creaturæ.

Cap. 30. *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Deus parcendo ſuam bonitatem commendat.

Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Ipſe aſpectus Domini Ieſu crucifixi ſatis ſuperque docet nos quid ſit faciendum. Sed heu illa nobis inſonat doctrina poſt tergum: nam à Deo auerſi, conuertimur ad creaturas.

Cap. 33. *Qui ambulat in iuſtitiis, &c. iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum, ſublimitas eius, panis ei datus eſt, Regem in decore ſuo videbunt oculi eius: terram de longè cernent.* Panis ſacer Euchariſtiæ ambulare facit in ſemitis iuſtitiæ, & euehit nos ad virtutum praxim, cuius obſequio munimur aduerſus ictus diaboli, & demum viſione Dei in cælo dignatur. Quod Vates ait. Oculi de longè terram cernent, eſt ſumma, & compendium omnium effectuum Euchariſtiæ: ſiquidem eſſe virtuti addictum, eſt à terra ſecedere.

Cap. 34. *De cadaueribus eorum aſcendit fœtor.* Poſt mortem impij, eius vita ſpurca & obſcœna tetrum adhuc odorem exhalat.

Cap.35.

Cap. 35. *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, exultabit lætabunda, & laudans, &c. Erit ſitiens in fontes aquarum.* Hîc deſcribitur gloria beatorum. Triſtitia eorum vertetur in gaudium, eorum ſolitudo, & receſſus ab hominibus, compenſabitur cœtibus Angelorum. Aruerant in hoc mundo triſtitia, ſed vt fontes non deficiunt, ita eorum in cælis gaudia erunt inexhauſta.

Cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Alta ſui notitia contritionem parit, cuius obſequio amara eſſe vitia dignoſcuntur.

Cap. 42. *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Deus hominem non conterit ſtatim poſt peccatum, ſed expectat vt conuertatur.

Cap. 43. *Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo, portas æreas confringam, & aperiam tibi theſauros abſconditos.* Gratia Dei nos facit ſuperiores hominibus, & diabolis obices & difficultates ad virtutum praxim aufert, & demum animas in cælum vehit.

Cap. 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* De cælo rorauit, quando Deus illapſus eſt in virginis vterum: ſed tunc pluuia de nubibus excidit, cùm Alma parens enixa eſt infantulum Ieſum.

Cap. 49. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Inde Dei amor in nos maximè commendatur, quod filios ſuos non habeat.

Cap. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, & cum doloribus dormietis.* Luxurioſi ſtipati ſunt flammis, nec dormiunt quietè: nam ſynderesis eos ſtimulis exagitat.

Cap. 53. *Generationem eius, quis enarrabit: oblatus eſt, quia voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Tria commendant ſacrificium. Primò vt hoſtia ſit nobilis. Chriſti nobilitas & generatio ſunt ineffabiles. Secundò vt ſpontanea non coacta ſit hoſtia, Chriſtus oblatus quia voluit. Tertiò vt hoſtia ſit manſueta. Chriſtus vt ouis. Huiuſmodi hoſtia Deum facit propitium vt ait Iſaias iſtomet capite. Verè languores noſtros ipſe tulit.

Non eſt ſpecies ei, &c. nos putauimus eum, quaſi percuſſum à Deo. Quando fœdera ſanciebant, ea firmabantur hoſtia percuſſa. Chriſtus fuit hoſtia percuſſa vt homines cum Deo fœdus inirent.

Cap. 54. *Decanta laudem, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habet virum.* Synagoga aliàs fœta, abortiuit hactenus: ſed olim ſterilis gentilitas, vbi nomen dedit Chriſto, & Mariæ horum affluxu ſiderum, fuit gens innoxia, & multiplici gratiarum ſobole fœcundata.

Cap. 55. *Quomodo deſcendit imber de cælo, & illuc vltra non reuertitur, &c. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, &c. Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet myrtus.* Salices arbores infructuoſæ, ſunt animæ impiæ, quibus vt verbum Dei prædicatur, ſurgunt in excelſas abietes, id eſt, in virtutem, cuius obſequio tales auditores fiunt idonei ædificio cæleſtis Ieruſalem. Item vrtica mutatur in myrtum, quando vitia obtuſis aculeis tranſeunt in virtutes, quæ ſunt proſapia verbi Dei.

Cap. 58. *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Nota prælatos debere Euangelizare, & verbum Dei eſſe tubam, quæ prouocat ad certamen contra vitia quæ tunc recenſentur.

Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, &c. diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Ieiunia, proceſſiones, & alia bona opera noſtra Deo non placent, ſi vincula noſtra nobis placent, id eſt, ſi vltra vitam ducimus in peccatis. Vide locum fusè explicatum.

Cap. 60. *Operiet caligo populos: ſicut populus ſic ſacerdos.* Ignorantia populos, & ſacerdotes habet in tenebris.

Cap. 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? &c. Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ad ſaluandum.* Colloquium Angelorum cum Chriſto in Aſcenſione.

IEREMIAS.

Cap. 1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te.* Quia ab æterno ſcriptus erat in libro vitæ.

Cap. 2. *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te.* Recordatio ſynderesis in ſtatu peccati obſtat, ne poſt confeſſionem denuo peccemus.

Cap. 4. *Congregamini, & ingredimini ciuitates munitas, aſcendit leo de cubili ſuo, &c. vt ponat terram tuam in ſolitudinem, &c. Propter hoc accingite vos cilicijs, &c.* Antequam Ieſus leo de tribu Iuda veniat in iudicium, recipe te in Eccleſiam quæ eſt arx munita, vbi ſunt arma, ſcilicet orationes, & ſacramenta.

Cap. 8. *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, &c. verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos.* Quidquid eructet ſæculi ſuada eloquentia, nequit incantare regulos virulento ictu terribiles, id eſt peccata, quæ inſident nobis, vt reguli in ſpeluncis nequeunt curioſis periodis incantari, id eſt, nequit profanum eloquium ſapientum huius ſæculi, inſinuare nobis vitij inoliti plenum repudium. Ideóque dicitur à Propheta ſtylus mendax: nam quantauis nitela ſtylus effulgeat ille ſecularis, virtus quam extollit ſolam ſpeciem, imò fucos tantùm ementitur.

Cap. 10. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, &c. quia leges populorum vanæ ſunt.* Mendax eſt Aſtrologia iudiciaria.

Cap. 11. *Oliuam, vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum.* Chriſtus vt oliua profert oleum quo vngimur, ſcilicet gratiam & miſericordiam.

Ad vocem loquelæ grandis, ignis exarſit in ea. Dei verbum vt inſonuit, ignem amoris diuini generat in cordibus auditorum.

Cap. 15. *Infirmata eſt, quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei Sol, &c. Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ. In vniuerſa terra omnes mihi maledicunt.* Anima ſeptem peccatis obnoxia defecit, vtpote nihili facta. Voluptas eius parens eam lactans lacte ſuaui rixis conſcientiæ illam obſtringit. Omnes creaturæ illi maledicunt in eam inſurgentes.

Cap. 17. *Recedentes à te in terra ſcribentur.* Quia reprobi non ſunt ſcripti in libro vitæ, ideò non nominantur à Deo.

Cap. 18. *Surge, & deſcende in domum figuli, &c. Et diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto*

mabibus ſuis, conuerſuſque fecit aliud vas, ſicut placuerat in oculis eius quod faceres. Homines ex luto compacti, ſunt vaſa figuli. Fracta eſt Eua mater viuentium, ſed Deus in Mariæ editione fecit aliud vas mirabile præ alio confracto.

Cap. 23. *Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle.* Chriſtus tædium rerum diuinarum aufert, dando abſynthium Paſſionis ſuæ in exemplum: illa nimirum ſtimulat ignauiam hominum.

Cap. 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram fœmina circumdabit virum.* Res verè noua fuit vt fœmina vtero ſuo concluderet virum, Nam Ieſus in vtero verè vir fuit, vtens ea plenitudine rationis qua grandior vtebatur.

Dabo legem meam in viſceribus illorum, & in cordibus eorum ſcribam illam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Obſeruantia legis ſequitur affectum quem gerimus erga legem: Illa legis obſeruantia nobis arctè Deum conciliat, & nos Deo.

Cap. 34. *Dabo viros qui præuaricantur fœdus meum, &c. Dabo eos in manus inimicorum ſuorum, &c. & erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cœli, & beſtiis terræ.* Poſt peccatum homo cedit in ius diaboli, & anima gratiæ expers mortua eſt. Corpus in eo ſtatu eſt vt cadauer quod à beſtiis, id eſt, vitiis conſumitur.

Cap. 44 *Ex eo tempore, quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ cœli, &c. indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Ex momento, quo ceſſauit Mariæ Reginæ cæli cultus, facti ſumus vitiis obnoxij.

THRENI, ID EST, LAMENTATIONES.

Cap. 1. *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolennitatem.* Ipſę res inanimes ſuo modo lugent hominum deliquia. Terra tremit, ſol patitur Eclypſim.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius: quia vidit Gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. Senſus noſtri ſunt vt atria externa quibus vt ſeſe voluptas inſinuat, ſtatim in ſanctuarium cordis irrepit, vbi quando degit, diabolus hoſtis omnes gratias diripit, & diſpergit deſideria rerum cæleſtium.

Cap. 2. *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum, & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis.* Qui elongant ſe à ſacrificio panis, & vini, hi vitiorum plagis ſauciati deficiunt in plateis, id eſt, in locis publicis, vt ſunt choreæ, cauponæ, ludi, theatra.

Cui comparabo te & conſolabor te? magna eſt enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui? Peccata totum hominem conterunt, corporis; & animæ facultates corrumpunt: hæc contritio eſt amara ſicut mare, ob ſtimulos conſcientiæ. Nullum eſt remedium ſolis naturæ viribus ad reducem gratiam.

Cap. 3. *Recordare paupertatis, abſynthij, & fellis.* Meditatio Paſſionis acerbæ Domini Ieſu potens eſt remedium contra ſuſurros voluptatis.

Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Primitiæ ætatis ſunt offerendæ Deo.

Cap. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Quia aurum charitatis vitium eſt. Chriſtiani lapides cæleſtis Ieruſalem diſperſi ſunt, & abeunt ad choreas, & theatra.

Filij Sion inclyti, & amicti auro primo reputati ſunt in vaſa teſtea. Peccatum animas luteas facit.

Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Voluptate citus, atque velox interitus conciliatur. Peccatum nos in lutum, atque fæces obſcœnas deducit.

Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Peccata Dei ſimilitudinem expungunt, & diaboli ſpeciem inducunt.

Cap. vlt. *Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccauimus.* Homo aſſuetus recitare ſacram B. V. Mariæ coronam, quando ſuum hoc penſum reddere contemnit, peccat, vtpote deſtitutus obſequio B. V. Mariæ.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Gratia excitans præire ſolet gratiæ iuſtificanti.

EZECHIEL.

Cap. 1. *Scintillæ quaſi aſpectus æris candentis, & manus hominis ſub pennis eorum.* In oratione tria hæc requiruntur, pennæ, ſcintillæ, manus. Pennæ deſuper extentæ notant intellectum erectum ad diuina. Scintillæ clamant igniri voluntatem, & accendi meditatione rerum cæleſtium. Manus indicat praxim, & opera bona, quæ debent eſſe finis & effectus orationis.

Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm ambularent. Spiritus ſancti gratia nos facit expeditos ad obſequium Dei, & obſtat ne redeamus ad vomitum.

Euntе ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur ſequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Anima Spiritu ſancto perflata rotæ inſtar, eſt mobilis ad diuina.

Cap. 2. *Ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber: & expandit illum coram me, &c. Scripta erant in eo lamentationes, carmen, & væ.* Manus eſt auxilium Dei exhibitum in incarnatione. Liber fuit Verbum quod neſcit eſſe tacitum. Lamenta Chriſtus ipſe flendo expreſſit. Cecinit carmen, gaudia beatorum enuntians. Denique væ reprobis intonuit.

Cap. 5. *Faciam in medio tui iudicia.* Iudicium noſtrum pendet ex medio, id eſt, ex corde benè, vel malè affecto erga Deum. Deus petit hoc medium, id eſt, cor, quia medium olim locus erat dignior.

Cap. 5. *Non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te.* Ipſa ſuorum peccatorum recenſio condemnabit impios.

Cap. 8. *Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me.* Capilli ſunt cogitationum typi. Manum capillos apprehendere eſt practicas facere ideas boni, cuius ſpecies noſtris mentibus obuerſantur.

Spiritus eleuauit me inter cœlum, & terram. Anima Spiritu ſancto acta fugit omnia terreſtria.

Cap. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, manum pauperi non porrigebant. Eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me, & abſtulit eas.* Quia peccatum à rebellione oritur, ſuperbia eſt initium & caput omnium peccatorum. Anima Deo deperdito terrenis inhiat, quibus vtitur immodicè indulgendo gulę, quam excipit otium, & inhumanitas in pauperes, & luxuria, aliaq;

facinora quæ exterminium corporis, & animæ prouocant.

Cap.23. *In via ſororis tuæ ambulaſti, & dabo calicem eius in manu tua. Hæc dicit Dominus: Calicem ſororis bibes, profundum, & latum.* Punitio certa comes eſt peccati, & quia multa erit æterna lata dicitur, & profunda.

Cap.27. *Ecce ego adducam ſuper te alienos, robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ.* Qui quærunt pigmenta Rhetoricæ, & floſculos eloquentiæ, ſectantes pulchritudinem tantùm ſapientiæ, & non vtilitatem, diuinæ iuſtitiæ gladiis obnoxij ſunt.

Cap.28. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te.* Qui ſibi dona Dei arrogat, ille facit eorum iacturam & eis deperditis ad terrena deuoluitur.

Cap 36. *Illa terra inculta facta eſt, quaſi hortus voluptatis.* Maria fuit terra manu hominum inculta, tamen protulit florem, & fructum Ieſum.

Cap. 37. *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant.* Mortui, id eſt peccatores redíuiui fiunt Spiritus ſancti aura afflati.

Cap.43. *Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem.* Via Orientalis eſt illa innocentia in qua ab ortu ſuo fuit conditus Adam. Virgo Maria fuit illa innocentia conſpicua. Cum natus eſt ex Maria Virgine Chriſtus, gloria Dei ſe conſpicuam fecit illa via.

Cap.44. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur.* Inde liquet virginitas Mariæ poſt partum.

DANIEL.

Cap.1. *Tenta nos ſeruos tuos decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum, &c. Apparuerunt vultus eorum meliores, præ omnibus qui veſcebantur cibo regio.* Deus peculiari influxu fouet illos, qui vim faciendo gulæ, temperantiæ actibus obſequuntur.

Cap.4. *Succidite arborem, & diſſipate illam: attamen germen radicum eius in terra dimittite.* Adam licet ſucciſus falce mortis, in ſuo germine vitam propagauit.

Peccata tua eleemoſynis redime. Miſericordia erga pauperes, miſericordiam Dei conciliat.

Senſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni. Statim atque peccator ad ſe reuertitur, ad Deum etiam regreditur à quo peccando procul abierat.

Cap. 5. *Allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportauerat de templo quod fuerat in Ieruſalem, & biberunt in eis Rex, & concubinæ illius. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis.* Quicumque calicem Domini indignè ſumit, ille citam & velocem excipiet ſententiam mortis: nam ipſamet hora Deus eum morti æternæ adiudicat.

Cap.9. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis.* Vbi homo abſtinet ſacra communione in multa abominanda ruit!

Cap.10. *Domine in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil remanſit in me virium:* Quiſquis attendit Dei maieſtatem, ille pronus ſtatim ruit.

Cap.12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.* Doctores quia cæleſti lumine animas illuminant, ideo ſideribus comparantur.

Cap.13. *Mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accepta ſententia ab eo ſcindet te medium.* Peccator in perniciem ſui peccat: nam peccatum corpus & animam lacerat, & diuidit.

Cap. 14. *Sacerdotes ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & uxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt.* Heu heu, & hæc hodie viget conſuetudo, vt in Eccleſiam intrent ſacerdotes nocte opaca ignorantiæ, vnde ſcelus impunè gliſcit: nam ſtipati concubinis omnia comedunt, & diſperdunt.

OSEAS.

Cap. 2. *Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, &c.* Vexatio dat intellectum.

Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor illius, & dormire faciam eos fiducialiter. Deus eos lactat, qui à mundo procul ſunt. Gratiæ effectus ſingularis eſt, oratio cum Deo colloquens, & animæ quies.

Deſponſabo te mihi in iuſtitia. Si vis nubere nube pari. At gratia ſolâ ſine iuſtitia facit nos diuinæ naturæ conſortes. Ergo vt deſponſetur à Deo anima, debet eſſe iuſta.

Cap.3. *Maledictum, mendacium, furtum, adulterium, & homicidium inundauerunt, ſanguis ſanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra.* Flagella Dei, quæ luctu tegunt terram prouocantur diluuió peccatorum.

Cap.4. *Vinum, & ebrietas auferunt cor.* Non eſt cordatus homo, nec aptus ad ardua facinora, qui eſt vile ſuæ gulæ mancipium. Item gula lumen rationis adimit.

Cap. 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Amor amanti inurit qualitates rei amatæ.

Cap. 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Laudes Dei decantatæ ſunt ſacrificia grata Deo.

IOEL.

Cap. 1. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Peccator ratione abdicata ſicut iumentum eſt in ſtercore computreſcens quando diu in ſuo peccato degit.

AMOS.

Cap. 5. *Quod ſi obtuleritis mihi holocauſta, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium non ſuſcipiam.* Vt Deus reſpexit ad Abel, antequam ad munera eius, ita nos inſpicit ante preces, & opera. Vnde malus cui ſua placet iniquitas conciliare nequit Deum. Rurſus iſto loco liquet ſacrificia antiqua non iuſtificaſſe ex opere operato.

ABDIAS.

Cap. 1. *Contemptibilis tu valde, ſuperbia cordis tui extulit te: ſi exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus.* Quia ſuperbia intempeſtiuam gloriam appetit, à Deo plectitur multa ingloria, id eſt, contemptu: omnes enim contemptui habent ſuperbos, quorum quò maior eſt ſuperbia, eò etiam maior eos manet ignominia.

IONAS.

Cap. 1: *Indica nobis cuius cauſâ malum iſtud*

nobis ſit, quod opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu. Ecce typum conſcientiæ examinandi ſigillatim.

Cap.3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Quadragenarius numerus eſt labori deſtinatus, & ieiunio, ſi hanc vitam ſine labore & fructu pœnitentiæ prætérimus, nos certa manet ſubuerſio.

MICHÆAS.

Cap.2. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Chriſti vita fuit aſcenſus perpetuus, iter, virtutum calles. Quiſquis ergo volet aſcendere in cælum, ille ſequax ſit Chriſti baiulans eius crucem.

Cap.3 *Cum exundiero eos, dabo eis virtutem ſpiritus mei, & implebo eos iudicio meo, & fortitudine.* Quando Deus ratam habet pœnitentiam alicuius, hunc induit Spiritu ſancto, ſimul & donis eius.

HABACVC.

Cap.1. *Ipſe de Regibus triumphabit, eſca electa cibus eius.* Dæmon ſuperbiæ de Regibus triumphat quando viris magnis, & ſanctis lethale virus ſuperbiæ infundit. Eſca electa cibus eſt ſuperbiæ, quia virtutes illa abſorbet, ſi inde quis auram popularem ſuperbiæ vento turgidus aucupatur.

AGGÆVS.

Cap.2. *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum dicit Dominus Deus exercituum.* Homines ditare Dei eſt, vt & eius ſpoliare ſuis opibus diuites.

ZACHARIAS.

Cap.7. *Poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum.* Maria terra ſancta coli vult virtutum obſequio, vt edat fructus nobis ſalutares. Sed multi hanc B.Virginem incultam habent, & deſertam, ideo eis nullos ſui ſuffragij cenſus affert.

Cap.8. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam.* Iuda confeſſionem ſignificat: qui poſt confeſſionem ſemper ieiunat à vitiis, ille vitam agit periucundam.

MACHABÆORVM I.

Cap.2. *Mementote operum patrum veſtrorum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Meditari vitam Sanctorum confert ad ſalutem, quia exemplis eorum accendimur ad virtutum praxim.

Cap.6. *Comparauerunt ſe exercitus ad prælium, & tubis cecinerunt, & elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Ante Quadrageſimam, id eſt, triduo Bacchanalium, Dominica Quinquageſimæ Eccleſia ſe parat ad prælium contra vitia. Tuba canit, in præconibus Verbi Dei, oſtendit ſanguinem Chriſti, quia tunc legitur Euangelium, vbi Chriſtus ait ſe aſcendere Ieruſalem vt crucifigatur: vt ſic memoria Paſſionis Chriſti homines excitet ad certamen contra gulam, & luxuriam his diebus homines oppugnantes.

Cap.16. *Simon perambulans, &c. Filius Abobi fecit eis conuiuium, & abſcondit illic viros. Et cùm inebriatus eſſet Simon, & filij eius, occiderunt eum, & duos filios eius, & fecit deceptionem magnam in Iſrael.* Vide epulas & deceptionem eſſe ſimul, & in gula ſemper abſcondi inſidias, quæ nos, & filios, id eſt virtutes interimunt.

MACHABÆORVM II.

Cap.9. *Apprehendit eum dirus viſcerum dolor, & amara internorum tormenta, & quidem ſatis iuſtè, quippe qui aliorum torſerat viſcera.* Cùm peccamus in proximos, in viſcera noſtra conuertimur, eis tormina conquirentes.

Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus, ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, &c. & cùm nec ipſe iam fœtorem ferre poſſet, ita ait. Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo. Afflictione ſuperbia deprimitur. Nam voluptates primò afflare gratum, & ſuauem ſenſibus odorem, ſed poſt ſe tetrum adeo fœtorem relinquere vt eum ferre nequeat ipſe peccator, ſerò Dei potentiam deſperando clamans.

Cap.12. *Sancta, & ſalubris cogitatio eſt, pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur.* Illa ſolutio pro defunctis attenditur penes debitum pœnæ, & non penes reatum culpæ. Quippe nemo preces fundit, vt defunctus in peccato lethali, ſoluatur à culpa cuius labe infectus eſt: ſed vt relaxentur ei pœnæ temporales, quæ debentur peccato cuius culpa fuit deleta virtute ſacramenti, aut contritionis.

EX NOVO TESTAMENTO.
S. MATTHÆVS.

Cap.1. *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Maria Virgo fuit liber in quo facta fuit recenſio omnium virtutum, & gratiarum, quæ præfulſerunt in Patriarchis, Regibus & atauis Chriſti.

Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Summa laudum B.V.Mariæ eſt, vt à Deo præelecta ſit in matrem Chriſti.

Magnificat anima mea Dominum. B.V. Maria laudata non ſe magnificit, ſed Dominum auctorem gratiarum, quæ in ipſa Virgine laudabantur.

Cap.2. *Procidentes adorauerunt eum.* Carnis aſſumptio maieſtati diuinæ nihil derogauit.

Cap.5. *Amen dico vobis, &c. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Vt verbum emiſſum foras vocale eſt, & ſonorum. Ita à Verbo incarnato prolata ſuum ſonum, & effectum indubiè ſortiuntur.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Paupertas voluntaria animam exuit affectu rerum terreſtrium; quarum cupido grauat animam, quæ ſpoliata tali affectu, eſt expedita magis ad cælorum aſcenſum.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Illud quod præſertim in virtute micat, & coruſcat, eſt charitas, quam quiſque debet in proximos explicare conciliaturus inde Deo laudem, quo ſciunt omnes, in animas influere charitatem.

Si offers munus tuum ad altare, &c. Vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Vt ſacrificium olim fiebat igne ſubmiſſo, qui ardebat in altari, ita ſacris adeſſe nemo debet, ſine amoris igne in cordis intimo conflagrante.

Eſtote vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Deus non hortatur nos ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem, eam equidem quæ eſt

inter

inter Deum, & hominem, & non ad eam, quæ intercedit inter hominem, & hominem. Rurſus. Summa Dei perfectio in eo ſita eſt, vt ſit interminata, & infinita. Qui vult ergo perfectus eſſe, Deum imitando prout poteſt, ille ſibi nullas debet præfigere metas perfectionis, ſed de virtute, in virtutem procedere.

Cap.6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Nota florem, ſeu meritum virtutis carpi, & decoqui à vana gloria, quam ſpectatores conciliant. Nota oculos hominum dum quæruntur, vt teſtes bonorum operum, inſtillare virus lethale bonis operibus, ſicut de regulo ſerpente dicunt, qui quos aſpicit interimit. Ita bono operi, velle videri ab aliis, eſt velle mori, & ſuo præmio defraudari.

Cap.9. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Nulla planè eſt confidentia eius, qui in peccato degit. Sed is cui peccata ſunt remiſſa, dites habet argumentum confidentiæ, & ſpei futuræ beatitudinis.

Cap.10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Corporis mors non eſt timenda, vtpote ſubeunda neceſſariò: ſed eſt mors animæ cauenda, cui nemo niſi volens ſubiicitur.

Non veni pacem mittere ſed gladium. Chriſtus ſuos diſcipulos inſtituens ad perfectionis ſtudium, eos docuit ſuperflua omnia reſecare.

Cap.11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Humilitatis ſumma penes cor eſt, & non penes actus externos humiliationis, quæ ſæpe ſuperbia recondita vitiantur. Illa vera cordis humilitas eſt cum manſuetudine.

Cap.15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Diuini cultus ſumma penes amorem eſt. Item nulla, & caſſa eſt oratio, quæ ſine attentione ſola labia diducit.

Cap.16. *Aſſumens eum Petrus, cœpit illum increpare dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuerſus, dixit Petro: Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Cùm anima Deo afflata Crucem, & pœnitentiam ſibi proponit, ad auſtera ſe accingens, ſtatim caro ſuis ſuſurris tentat animam abſtrahere ab auſteris, hac tentatione ducens ad ſcandala, id eſt, in peccata perſonam dæmonis ita agens in animæ perniciem.

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. Nota Crucem non ferri ſine præuia abnegatione. Nam niſi carni grata neges, illa duris non ſe aptabit. Itaque regula Chriſtiana crux eſt.

Cap.18. *Ne contempſeritis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis vident faciem patris mei.* Amore & ſollicitudine noſtra digni ſunt omnes eſto viliſſima ſorte ſati, quia Angeli licet beati non dedignantur eorum habere curam.

Cap.19. *Diuites difficilè intrabunt in regnum cælorum. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Illa difficultas petitur ab affectu diuitiarum, qui vt hominem inuaſit, ei tenaciter adhæret, nec ſine magnis anguſtiis exuitur. Deponit onus ſuum camelus vt tranſeat per anguſtam portam. Ita debet opum affectum deponere quiſquis intrare cupit per anguſtam cæli portam.

Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Nemo poteſt Chriſtum ſequi onuſtus. Namque ſuos ſequaces ille ad perfectionem inſtituit, ideoque citos & veloces oportet eſſe tales diſcipulos. Cùm ergo fateſſant opes negotium, deponat onus illud quiſquis optat eſſe diſcipulus Chriſti, ſiquidem ad ſequendum Chriſtum erit relictis omnibus expeditus.

Cap.22. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Corpora noſtra ſuo fomite peccati exuta in cælo nihil carnale prorſus agent neque patientur.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Mens & cor hominis inſinuant intellectum, atque voluntatem hominis, quarum facultatum non exordia tantum, ſed & vſum totum debemus Deo, vt & nos totos.

Cap.25. *Aptate lampades veſtras, ecce ſponſus venit exite obuiam ei.* Cognitio ſui neceſſaria vt quiſque ſe aptet ad occurſum Dei.

Quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Quod membris exhibetur, hoc ſibi caput factum attribuit.

Cap.27. *Amice ad quid veniſti.* Deus animam quæ ad peccandum ſe accingit increpat ſtimulo conſcientiæ præmonente ne peccet.

Cap.28. *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Chriſtus adeſt nobis præſentia corporali in Euchariſtia, & influxu gratiæ ſuæ.

S. MARCVS.

Cap.1. *Erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas, & mel ſilueſtre edebat.* Pœnitentia duris gaudet, omnemque luxuriandi ſenſibus anſam aufert, & præſertim tactum & guſtum acerbis exercet.

Cap.7. *Phariſæi, &c. Quare diſcipuli tui, non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem.* Commune, & profanum perinde eſt. Vt & communicare, & coinquinare, lauare, & ſanctificare perinde eſt.

S. LVCAS.

Cap.1. *Erant iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis Domini ſine querela.* Ad iuſtificationem neceſſe eſt obſeruare omnia mandata: qui namque peccat in vno, fit omnium reus. Effectus iuſtitiæ eſt, eſſe ſine querela conſcientiæ reclamantis.

Paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, &c. Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. In nobis Chriſtus regnauit in Baptiſmo, ſed cum peccamus regni eius eſt finis. Iacob, id eſt, luctator. Domus Iacob eſt anima quæ generosè, & fortiter luctatur cum vitiis. In hac domo Iacob regnat Chriſtus.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione. Series tota vitæ Beatæ Virginis fuit exurgens in montana cum feſtinatione. Gratia namque plena anima neſcit deorſum tendere.

Fecit potentiam in brachio ſuo. Redemptio hominis ex captiuitate diaboli fuit opus omnipotentiæ Dei.

Cap.2. *Et paſtores erant in eadem regione vigilantes, & ecce Angelus Domini ſtetit circa illos, & claritas Dei circumfulſit illos:* Paſtorum ſeu Præſulum officium eſt vigilare. Hos vigiles adiuuant Angeli. Claritas Dei illuſtrat Epiſcopos, nam illi Dei vices agunt in terris.

Poſitus eſt hic in ruinam, &c. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit, &c. Puer autem creſcebat. Poſt mentionem gladij dicit puerum creuiſſe, quia tribulatiooes conciliant gratiarum omnium incrementum.

Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Chriſtus amittitur in die feſto, id eſt iactura Dei, & gratiæ fit inter gaudia, & proſpera. Inuenitur à flentibus, & pœnitentibus.

Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ieſus, qui apud Deum erat perfectiſſimus, aperiebat per ſingula momenta temporum nouos gradus inſitæ virtutis, quos aptabat indoli ætatis quam agebat.

Cap.7. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Charitas, & peccata non coëunt.

Cap.8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni.* Fides eſt donum Dei, vnde nemo ſibi attribuat notitiam rerum ſupernarum.

Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiiſſe. Quotieſcumque Deum fide vel amore attingimus, ex illo fluit in nos gratia.

Cap.9. *Domine, ſi quem defraudaui reddo quadruplum.* Pœnitens ſe primò reſtituit Deo. Secundò, ſibi pacem & quietem conſcientiæ, tertiò proximo quidquid ei abſtulit, ſiue bona, ſiue famam. Quartò Eccleſiæ reſtituit virtutis exempla loco ſcandali.

Cap.10. *Gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Hæc eſt differentia iuſtorum, & malorum. Quod iuſti non ſcripſere ſua nomina in cælis, ſed Deus, qui eos prædeſtinauit ab æterno. Mali verò ſua nomina ſcribunt in terra, ſuum nomen dantes rebus caducis huius mundi, iuxta Vatis oraculum: Poſuerunt nomina ſua in terris ſuis.

Cap.11. *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Digitus Dei eſt Spiritus ſanctus, ad quem pertinet eiicere ſpiritum nequam.

Cap.12. *Cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos. Deſtruam horrea mea.* Auarus ſeipſo ſolo conſultore vtitur, quia ſuſpectos habet omnes. Conſilij ſumma fuit deſtructio. Deſtruam inquit horrea mea. Reuera ſuam domum deſtruit auarus, quando domus aliorum euertit vſuris ſuis. Nam malè parta, malè dilabuntur. Malè ſibi ergo cauet, qui ex ruinis pauperum coaceruat opes, vtpote futuras in deſtructionem familiæ ſuæ, vt & animæ ideo condemnandæ.

Cap. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Pœnitentiæ obſequio replentur ſedes, quæ in cælo vacant ob dæmonum lapſum, & gaudium accidentale manet Angelos, quando ſedes hæ replentur à beatis.

In ſe reuerſus dixit, &c. Ego hic fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam Pater, peccaui. Pœnitentiæ gradus hi ſunt. Primò auſpicandum eſt ab examine conſcientiæ. Beneficio huius examinis homo ſuam deprehendet inopiam, quam pertæſus concipiet propoſitum, ſe erigendi ad ditiorem ſortem, quæ eſt filiorum Dei. Praxis huius propoſiti erit acceſſus ad ſacerdotem à confeſſionibus, cui peccatorum ſeriem explicabit.

Cùm autem longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Peccatum nos à Deo longè facit, iuxta Pſaltis oraculum. Longè à peccatoribus ſalus. Quando Deus miſeretur, accurrit, quando verò punit tardius incedit, & quaſi inuitus. Miſericordiæ effectus eſt oſculum, id eſt, gratia nos vniens Deo.

Cap.17. *In diebus Noe, edebant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, &c. Venit diluuium, & perdidit omnes.* Gulam, luxuriam, & alias voluptates, ſequitur primò diluuium lacrymarum, & demum perditio corporis, & animæ.

Cap.18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Reuera deficit, & multis animæ deliquiis obnoxius eſt, qui orationis obſequium non vſurpat. Nam orare, & refici perinde eſt.

Non ſum ſicut cæteri hominum, &c. Publicanus deſcendit iuſtificatus. Profectò ſuperbus, non eſt ſicut cæteri hominum, ſed ſicut beſtiæ, vt leones, & pauones qui de nihilo gloriantur. Magis Deo placet humilitas in malè factis, quàm ſuperbia in benè factis.

Nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Tantiſper ſenſus carnis adhuc reſiduus in Apoſtolis fecit, vt non intellexerint ea, quæ erant Paſſionis Chriſti.

Dixerunt ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit dicens, Ieſu fili Dauid miſerere mei. Ieſus illuc tranſiit, antè quàm cæcus clamaret: ita Deus ad nos venit antè quàm eum inuocemus.

Cap.19. *Quærebat videre Ieſum, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.* Statura noſtra, id eſt, facultas, ſeu ſufficientia ad inueſtiganda cæleſtia valde puſilla eſt. Quærentibus Ieſum ſe opponunt turbæ, id eſt, mundos, & curæ rerum terreſtrium, quæ obſtant, ne videamus, Ieſum, & cum eo redeamus in gratiam.

Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus. Charitas eſt bipartita, Deum quippe ſpectat, & proximum. Qui de ſalute proximi ſollicitus eſt, & eam procurat, ille boni ſui mediam partem dat pauperibus; nam nos & proximi ſumus indigi.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam vocatis decem ſeruis, dedit iis decem mnas, & ait ad illos. Negotiamini dum venio. Chriſtus humanitatem duxit in regionem longinquam, id eſt in cælum. Dedit ſacramenta, & auxilia, quorum obſequio vult, vt ſalutem noſtram operemur in hac vita donec ipſe veniat rationem quæſiturus in hora mortis.

Si cognouiſſes, &c. Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Quia de cognitione ſui parum curat homo, ideo non attendit eſſe vitam hanc tempus, quo Deus nos viſitat ad ſalutem. Idcirco Dei gratiam ſpernit, & in dæmonum fauces præceps abit.

Cap.22. *Occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum & dicetis patrifamilias domus: Magiſter dicit; Vbi eſt diuerſorium vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem.* Aquæ ſunt ſymbolum lacrymarum, quas vbi quis effuderit, non longè eſt à Chriſto, qui pro foribus adeſt, illud inſuſurrans. Apud te facio Paſcha Communionis compos eris, quia baiulas amphoram aquæ, dum cor lacrymarum imbre madet. Itaque lacrymæ nos aptant ad communionem.

Deſiderio deſideraui manducare vobiſcum hoc Paſcha antequam patiar. Excitandi ſunt affectus noſtri ad ſolum Deum amplexandum ante communionem.

Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo. Vide Bezæ inſolentiam circa locum iſtum.

Hoc facite in meam commemorationem. Deus in communione ſuæ Paſſionis vult nos meminiſſe.

Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. Vendit nobis Chriſtus regnum cælorum eo pretio, quo accepit à Patre ſuo, id eſt, laboribus.

Domine ecce duo gladij hic. Poſt datam Apoſtolis communionem, oblati ſunt Chriſto duo gladij. Nam qui communicant indignè duobus gladijs obnoxij ſunt. Vnus in hoc mundo vitam adimit, alter in Inferno punit.

Cap. vlt. *Nonne cor noſtrum erat ardens in via, dum loqueretur in nobis.* Scriptura ſacra explicata ſuos auditores accendit amore Dei.

S. IOANNES.

Cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Quidquid creatum eſt, illud eſſe totum à Verbo emendicat.

Mundus eum non cognouit. Mundi nomine intellige homines amatores mundi plus quam Dei.

Quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Fide ſimus Dei.

Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Filij Dei carnale nihil ſapiunt.

Et Verbum caro factum eſt, &c. Plenum gratia, & veritatis. Si plenitudo gratiæ attenditur penes ſubiectum gratiæ B. Virginis, Maria, & Apoſtoli fuere pleni gratia: ſi verò plenitudo attenditur penes gratiam, in ſolo Chriſto fuit gratiæ plenitudo.

Cap. 2. *Tu ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Natura nequit adæquare donum Dei quod editum eſt miraculo.

Cap. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* Ignoratur origo venti. Naturali indagine nemo Spiritus ſancti habere poteſt notitiam.

Cap. 5. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Ioannes Baptiſta fuit idea prædicatoris eximij, qui ardere debet charitate, priuſquam lucere face doctrinæ.

Cap. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ.* Fides eſt ſalutis initium. Sed quia eſt nutrienda fides, ecce tibi panem Euchariſtiæ.

Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, &c. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Manna ſecum non vehebat gratiam, quam panis conſecratus adfert, & ratione cuius æternæ vitæ compotes ſumus.

Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt. Id eſt, Non ſunt ſpiritualiter tantùm intelligenda, quia corpus futurum erat in Euchariſtia modo ſpirituali, inuiſibiliter, & ſine quantitate externa occupante locum. Sed hæc verba Spiritus, & vita ſunt, quia Sacramentum corporis mei erit effectiuum vitæ, & Spiritus. Nam mortuos excitabit, & corpori homines addictos faciet ſpirituales.

Cap. 8. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Patrum in filios tranſeunt cum ſemine mores, ita virtutum praxis familiaris Abrahæ, diſcernit eius filios legitimos, ab alijs qui ſe falsò dicunt Abraham Patre ſatos.

Cap. 10. *Pater & ego vnum ſumus.* In eſſentia, quæ vna eadémque numero eſt Patris, & Filij.

Cap. 11. *Quatriduanus eſt, iam fœtet.* Homines peccato aſſueti teterrum odorem ſpargunt.

Cap. 12. *Ecce Princeps huius mundi eiicietur foras.* Diabolus mundo pulſus, gladio mortificationis.

Cap. 13. *Ante diem feſtum Paſchæ, &c. Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Amoris extremi ſignum fuit, ſe communicare ſuis diſcipulis ſub ſpecie panis.

Non lauabis mihi pedes in æternum. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Parum eſt habere manus mundas, id eſt, opera externa pura, niſi & animæ pedes, id eſt, affectus etiam mundi ſint.

Cùm hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt, &c. Cùm ergo Iudas accepiſſet buccellam exiuit continuo. Erat autem nox. Euchariſtia in nocte inſtituta, quia lumini rationis eſt inuia, capique poteſt fide ſubobſcura tantum. Iuda noctu abiit, quia Chriſtum relinquebat, qui eſt lux mundi.

Cap. 14. *Pater maior me eſt*: vt homo ſum, ſed quatenus Deus ego ſum, Pater, & ego vnum ſumus.

Cap. 15. *Sicut palmes non poteſt fructum ferre a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Opera noſtra non ſunt meritoria, niſi in charitate fiant. Nempe Deo nos adglutinat charitas.

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Mundus odit Chriſtum, quia damnauit eius opera. Ita boni ſuo exemplo malos damnant, ideo illi eos perſequuntur.

Cap. 16. *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini.* Gaudium mundi eſt omne penes ſenſus, vt & Sanctorum triſtitia eſt penes ſenſus, quibus aufertur omne delectabile. Sed mundus in cordis receſſu penitiore luget, vt iuſti ſecus gaudent conſcientia bona nihil ſuggerente mali.

Cap. 17. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Chriſtus Paſſione ſua nos non Deo tantùm vniuit, ſed & omnes inuicem adunauit. Quod ſi qui diſcordes non vnionis huius ſunt participes, illi profecto cadunt fructu Paſſionis Chriſti, quæ influit in homines tantùm vnanimes.

Cap. 20. *Inſufflauit, & dixit Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Quod ſpiritus malus à nobis excedat, illud eſt Spiritus ſancti facinus, & poteſtas.

ACTA APOSTOLORVM.

Cap. 1. *Cœpit Ieſus facere, & docere.* Facta debent præire voci docentium.

Cap. 2. *Erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Non eſt in commotione Deus, Spiritus ille mitis, in concordes tantum, & vnanimes influit, poſuit ille fines ſuos pacem.

Cap. 9. *Subitò circumfulſit eum lux de cælo.* Inepti ſumus ad regreſſum ad Deum, niſi ille nos ſuo lumine præueniat. Nota vocem ſubitò dicere gratiæ influxum tranſitorium, qui effluit à nobis,

à nobis, ſi nos eum vltro citroque non excipimus vti par eſt.

Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & filiis Iſrael. Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quia Paulus ad grandia deſtinabatur à Deo, ad hoc inſigne munus magnis etiam, crucibus, ad hoc munus congruis aptabatur.

Cap. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum.* Verbum Dei auditum ſicuti par eſt generat amorem Dei.

Cap. 13. *Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Glorificare verbum Dei, eſt illi obedire. Nota ſolos prædeſtinatos perfectum obſequium exhibere verbo Dei.

Cap. 16. *Subitò terræ motus factus eſt magnus, & ſtatim apertæ ſunt oſtia omnia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt.* Vt vincula Pauli ſoluerunt vincula ligatorum, ita cruces, ſeu afflictiones æquo animo acceptæ ſoluunt vincula peccatorum.

Cap. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Nota nos in tantum eſſe, in quantum viuimus, & mouemur. Vnde homo Dei gratiæ expers, & qui non mouetur ad praxim bonorum operum, reuera nihil eſt, quia in Deo nec viuit, neque mouetur.

Cap. 19. *Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt audiuimus.* Animalis homo, non percipit ea, quæ ſunt Spiritus.

EPISTOLA SANCTI PAVLI AD ROMANOS.

Cap. 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Attributa Dei, vt bonitas, ſapientia, iuſtitia abundè liquent in ſerie & contextu rerum editarum.

Cap. 2. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Regnum Dei non conſiſtit in ſermone, ſed in opere. Fides quidem ex auditu, ſed hæc ſine operibus mortua eſt.

Cap. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Chriſtus ante Incarnationem erat caput Eccleſiæ ſecundum humanitatem, per operationem hominum, in eum, in quem credebant aliquando naſciturum. Hæc autem humanitas non agebat in homines, vtpote non edita, etſi Chriſtus ſecundum diuinitatem ageret ante ſuum exortum in humanis. Aſt editus ex B. Virgine, fuit caput Eccleſiæ, per operationem hominum in eum, & per operationem propriam, totam Eccleſiam gratia vberiore recreantem.

Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Gratia qua indigent peccatores, eſt gloria inchoata. Parcendo Dei gloria innoteſcit: nam ſic bonitas eluceſcit, quæ ad gloriam Dei redundat.

Ex operibus legis, non iuſtificabitur omnis caro, coram illo. Imbellis erat lex Iudaica, & egena, facta comparatione ad legem gratiæ.

Cap. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Id eſt, patientia nos gloria æterna facit dignos.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Charitas non eſt naturæ, aut artis habitus, ſed eſt Spiritus ſancti influxus.

Cap. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Inchoatiuè.

Cap. 7. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Quia lex Dei maximè rationi conſentanea eſt, ideo illa placet rationi.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Appetitus ſenſitiuus, ad carnalia ſemper inclinat, ratione reluctante.

Cap. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Vt caro corruptelæ conſcia eſt, ita & corruptioni obnoxios facit eos, qui carnis indolem induit. Et ſecus vt ſpiritus immortalis eſt, eos qui ſpirituales ſunt à morte vindicat. Vt autem quis ſpiritualis fiat, ille debet deponere, & excutere mores, & inclinationes carnis.

Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei: ſcilicet adoptiui.

Ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Spiritus ſanctus animam ſoluit in lacrymas contritionis indices.

Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Vt ignis omnia accendit, ita Dei amor omnia in bonum conuertit.

Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui. Chriſtus eſt cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis. Quiſquis ergo ſuam vult certam facere prædeſtinationem, ille vitam agat conformem Chriſto.

Si Deus pro nobis, quis contra nos. Maius eſt Dei auxilium influens in nos, quàm tentationes deforis ingruentes.

Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? an tribulatio, an periculum, &c. In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Amor alicuius rei non expungitur, niſi occurrente bono potiori, cum ergo bonum, quod eſt charitatis obiectum, nullum ſupra ſe bonum habeat: profectò nihil à charitate poteſt nos ſeparare. Nota victoriam quam reportamus de tentationibus eſſe referendam in eum qui dilexit nos, quia ille dedit vnde triumphemus.

Cap. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur.* Nemo prædicare poteſt niſi mittatur à Deo, immediatè, aut mediatè. Miſſio immediata debet probari miraculis. Mediata petit aſſenſum Prælatorum.

Cap. 11. *Socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Dum Chriſto adhæremus, ſimus eius diuinæ conſortes naturæ, quantum ferre poteſt humana conditio affecta gratia.

Ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam. Natura vitiata ſuum deponit vitium quando gratiæ Dei obſequio, vnimur Chriſto.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Nulla poteſt indagine deprehendi æternum Dei conſilium, ideoque prodeſt adorare Dei iudicia quæ inueſtigare nocet.

Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Omnia à Deo dependent, in eſſe, & in conſeruari.

Cap. 12. *Obſecro vos fratres vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Vt hoſtia mactabatur antequam vteretur, ita debemus gladio mortificationis occidere carnalia. Ita carne extincta ſolus in homine reſiduus erit ſpiritus, qui vt eſt immortalis, mortis expertes faciet homines, qui Deo conſecrati erunt hoſtiæ viuentes vita gratiæ.

Multi

Multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Quia ille caput eſt Eccleſiæ, cuius fideles omnes ſunt membra.

Sollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. Sollicitudo rerum temporalium nos tardos facit. At Spiritus Dei, vt ignitus eſt, ita nos feruidos accendit. Et inde Deo noſtra obſequia citius exhibemus.

Cap. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Igitur in omni dignitate Deus honorandus.

Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Ergo Deum derelinquens inordinatè viuit.

Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Ille cuius vita refert vitam Chriſti, induit mores Chriſti, & eum quaſi induit.

Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Id eſt deſideria veſtra non ſint de carnalibus.

Cap. 14. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Dicitur aliquid fieri bona fide, quando fit, conſcientia dictante malum hoc non eſſe. Vt contra, ſi conſcientia reclamante fiat opus, illud erit malum, quia non eſt ex fide. Namque fides hoc loco perinde eſt, ac conſcientia. Rurſos peccatum eſt defectus. Aſt in omni opere hominis infidelis, eſt hic defectus, vt opus illud editum ſit ab homine ſine fide, & ſic opus eius defectuoſum eſt ea parte, qua emanat ab anima infideli.

AD CORINTHIOS I.

Cap. 1. *Caput Chriſti Deus.* Quod eſt præcipuum atque caput in Chriſto, hoc Deus eſt.

Cap. 2. *Nos non ſpiritum huius mundi accepimus, &c. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Nihil niſi carnale ſapit carni, ideo abſurda, & ſtulta ſapit ea, quæ ſpiritus ingerit, & ſuadet, quia ſunt contraria dictamini, & ſuſurro ſenſus.

Cap. 3. *Ego non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Nouitiis, vt rudibus ſunt præſcribenda rudimenta vitæ ſpiritualis, & non exercitia perfectorum.

Templum Dei eſtis vos. Non dignitate veſtra, ſed dignatione Dei.

Cap. 4. *Quid habes, quod non accepiſti, ſi ergo accepiſti, quid gloriaris.* Inanis eſt gloriatio, quæ rapitur ex re mutuatitia, & quæ poſſidetur ad arbitrium tantùm eius, qui eam commodauit, & ab inuitis auferre poteſt.

Cap. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, &c. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Si ſpiritus, & caro Deo obediunt, ita Deum glorificant, vt contra Deum ſpernunt obſequia legi eius debita detrectantes.

Cap. 7. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Virgo Deo offert holocauſtum, vtpote tota Dei ſolius amore flagrans. Nupta verò ſacrificium: quippe viro ſui affectus partem reſignat.

Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt. Ex ſe ſola circumciſio non iuſtificat.

Cap. 8. *Scientia inflat.* Qui ſcientiæ ſuæ finem in eo ſolo ponunt vt ſciant, & ingenium ſuum acuant, illi ſuperbiæ typho tument.

Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire. Quaſi diceret eos, qui ſcire ſuum capite tenus iactant, & inermes præferunt manus, non callere modum, quo verbum Dei mentibus illabitur.

Cap. 9. *Qui altario deſeruiunt, cum altario participant.* Cenſus Eccleſiæ iis ſunt diſtribuendi, qui ſuum Eccleſiæ pendunt obſequium.

Cap. 10. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Tranſitus ille maris rubri baptiſmum delineat in quo anima deterſa labe originali, Chriſti ſanguine purpuraſcit. In his aquis, Ægyptij id eſt peccata omnia demerguntur. Moyſes eſt figura Chriſti, vt & nubes illa typus extitit Spiritus ſancti, qui refrigerio ſuo concupiſcentiæ ardorem attemperat.

Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Iudæi omnes ante natum Chriſtum, quicquid meritorium edidere, tale fuit fidei in Chriſtum venturum obſequio.

Vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno pane participamus. Nota neminem participare panem Chriſti, niſi eum, qui charitate Deo vnitus eſt, & effectum panis huius, eſſe fideles omnes vnire ſimul amore ſacro.

Cap. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Et meditanda Paſſio Chriſti, quando ſacram Euchariſtiam frequentamus. Rurſus poſt communionem ita vitam debemus componere, vt cum Chriſto mortui videamur, imitantes eius Paſſionem, refugæ voluptatum, ita vt ſpectatores in vita noſtra legant Chriſtum crucifixum.

Probet ſeipſum homo, & ſic de calice illo bibat, & de pane illo edat. Probatos, id eſt, innoxios homines recipit menſa ſacra.

Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dominus non iudicat bis in idipſum. Vnde quia pœnitens indixit ſibi pœnam, Deus aliam non infliget.

Cætera cùm venero diſponam. Multa Paulus Apoſtolus inſtituit inſpirante Deo, quæ, & ad noſtra tempora perſeuerant.

Cap. 12. *Membra cùm ſint multa, vnum corpus ſunt.* Diſparitas conditionum in Eccleſia, non obſtare debet, quin in charitate omnes vniamur.

Cap. 13. *Si habuero omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem.* Scientia, eſt notitia naturali lumine comparata. Fides vero lumen cæleſte petit, vt noſtris mentibus illabatur.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum. Quia omnes virtutes ſunt vna charitate velut alma parente ſatæ, ſolam charitatem quando Chriſtus indixit, omnes virtutes hoc nomine commendauit.

Cap. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, abundantius illis omnibus laboraui.* Gratia non eſt iners, ſed eſt laboris amans.

Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. Incarnationis ſumma fuit reſurrectio animarum, cuius Chriſti reſurrectio eſt exemplar. Qui ergo facit dubiam reſurrectionem Chriſti, ille cadit fide.

Quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moria-

tur. Quicquid carnale ſapit in homine, illud omne debet præuia mortificatione dirui, vt homo in æterna gloria ſuſcitetur.

Factus eſt primus Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Adam ſortitus eſt animam vitæ & mortis capacem, ſed alter Adam id eſt Chriſtus mortem in quam incurrit Adam, reſurgendo vicit, iter aperiens omnibus vt reſurgant.

AD CORINTHIOS II.

Cap 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Qui ſunt in ſtatu peccati lethalis, illi diaboli ſunt, vtpote diabolo patre ſati, & hi tetrum odorem afflant, & ante Deum fœtent. Qui verò Dei gratiæ ſunt conſcij, ac proinde procul ab omni peccato lethali, illi ſunt Chriſti, & virtutum omnium odore fragrant ante Deum.

Cap. 3. *Vbi Spiritus, ibi libertas.* Quaſi diceret, eos, quos gratia inſtituit eſſe ſui iuris, & nulla vitiorum compede præpediri, nihilque eſſe quod moras nectat, cùm properant ad excelſa, quò nemo pergit, niſi vitiis expeditus.

Cap. 4. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem, &c. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Conſideratio gloriæ æternæ minuit pondus paſſionum, quas quiſque ſubit intuitu illius gloriæ æternæ.

Quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt. Senſuum obiecta momento durant, ac ita momentaneum eſt, quod delectat: ſed ea ad quæ aſpiramus inuiſa ſenſibus ſunt æterna.

Cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Opera bona ſemen ſunt vitæ æternæ. Illud quod inde metit homo eſt gloria, quam parca manu colliget ille, qui parcè bonum opus egit.

Vnuſquiſque prout destinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Quiſque debet, non animo inuito, ſed ſponte Deo ſua reddere obſequia.

Cap. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Qui gloriæ cupidus eſt, ille penes Deum hanc reponat, extra quem gloria omnis eſt fucata. Vt autem gloriam à Deo mereamur, in illum omnia bona noſtra opera dirigamus, & quicquid inde fluit gloriæ refundamus in ipſum Deum, vt in omnis gratiæ largitorem.

Non qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Ille qui ſe commendando probat, atque velut probum iactat, profectò reprobus eſt, vt in Phariſæo liquet, qui commendando ſua egregiè facta reprobatus eſt. Ille verò quem Deus commendat, id eſt, gratia conſpicuum, & commendabilem facit, tantùm abeſt, vt ſe inde probet, quin imò magis ſe inclinat, & reprobum eſſe ſe reformidat.

In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti. Tanta fidei dignitas eſt, & virtus, vt eos in quos influxit, ita Deo obſequentes efficiat, vt nullis argutiis, perſpicacis etiam intellectus, illa fides aliquando nutet. Nam Dionyſius, Iuſtinus, Athenagoras, imo ipſe Paulus antea doctiſſimus, & alij multi philoſophi qui dedere ſuum nomen Chriſto, ſua omnia argumenta parum valida eſſe confeſſi ſunt, vt fidem rationis lumine conuincerent erroris alicuius.

Cap. 11. *Miniſtri ſunt, & ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum.* Qui ſe Chriſto totum deuouet, ille notam, & teſſeram amicorum Chriſti ab eo accipit, ſcilicet cruces.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Infirmitates, & afflictiones æquo animo acceptæ Dei potentiam, & gratiæ influxum in nos probant, ac proinde probant nos fore Dei conſortes in gloria.

Cap. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet, propter quod Dominum rogaui, vt diſcederet à me.* Tanti Deus facit orationes noſtras, vt plerumque graues immittat anguſtias ad animas excitandas vt oratione ſibi conſulant, & ita Dei citam opem concilient. Rurſus ſuæ infirmitatis intuitus obſtat, ne præclaræ dotes animæ, & ſingulares Dei gratiæ hominem efferant, & inani gloria labefactent. Ad hoc tentationes omnes conducunt.

Virtus in infirmitate perficitur. Virtuti conſulitur, quando humilitas altior inſeritur. Cùm ergo ſuæ infirmitatis agnitio, ſit validum humiliandi ſe argumentum, infirmitas, virtutis adferet incrementum.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Æquo animo ferre cruces, & ærumnas, vt idoneas ad comparandam gloriam æternam, illud eſt gloriari in infirmitatibus. Hæc autem patientia, & reſignatio conciliat animæ virtutum omnium ornamenta.

AD GALATAS.

Cap. 4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis.* Lex antiqua Moyſis egena fuit, quia indiga gratiæ, quæ non influebat ex opere operato legis.

Cap. 5. *Fructus Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, &c. aduerſus huiuſmodi non eſt lex.* Spiritus ſancti inhabitantis effectus, ſunt fructus eius, quorum primus eſt charitas à qua cætera dona fluunt. Charitatem excipit gaudium conſcientiæ ſerenæ comes. Nam vitia extirpaſſe parit gaudium. Ex Cypriano l. de diſciplina. Voluptatem viciſſe voluptas eſt maxima. Gaudio pax ſubiicitur, quia vt eſt animus inquies, in peccato, ita ſecus eſt pacificus in gratia. Firmatur hæc pax patientia. Denique virtutes omnes ſunt in nobis, Spiritu ſancto influente ſatæ. Aduerſus has virtutes non eſt lex, quia ex malis moribus ortæ bonæ leges. Lex non eſt poſita iuſto. Proprium legis eſt compeſcere, & punire, at virtutis ſectatores nihil habent, quod in illis puniatur.

Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum concupiſcentiis. Qui dedere nomen ſuum Chriſto, illi carnis mortificationem profitentur.

Cap. 6. *Quæ ſeminauerit homo hæc metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Opera noſtra ſunt ſemina, carnalia ſunt corruptioni obnoxia, & vermibus id eſt, ſynderesi æternæ, ſpiritualia, vt defœcata vitæ æternæ conſcia ſunt.

Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia. Chriſtus Dominus, & Beata Virgo Maria ſunt Regula vitæ, cui quiſquis ſe aptauit, ille pacificam habebit conſcien-

tiam, & miſericordiam à Domino conſequetur.

De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata, Domini Ieſu in corpore meo porto. Qui Chriſto crucifixo ſuam vitam aptat, ille ſacra eius ſtigmata circumfert, ac proinde nihili facit omnes anguſtias: vt enim pro Chriſto pati deſiderat, nemo poteſt ei moleſtus eſſe, quia moleſtias vt ſuas delicias excipit.

AD EPHESIOS.

Cap.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in ipſo.* Sanctitas noſtra eſt effectus prædeſtinationis æternæ.

Cap.2. *Eramus natura filij iræ.* Ob peccatum originale.

Cap. 3. *Mihi Sanctorum omnium minimo data eſt gratia hac, illuminare omnes.* Doctor ſentire debet de ſe humiliter, ſe omnium minimum reputando, quia doctrina gratia eſt gratis data, ſuos poſſeſſores non faciens idcirco gratiores. Satagat ergo ſuis exemplis aliis magis, quam verborum facula prælucere.

Det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum eius, in interiori homine Chriſtum inhabitare per fidem in cordibus veſtris. Gratiæ effectus eſt corroborare infirmitatem noſtram. Chriſtus inhabitat in cordibus noſtris per fidem viuam, & non per mortuam.

In charitate radicati, & fundati. Charitas eſt vt radix: nimirum ex Gregorio, ramus boni operis, nihil habet viriditatis, niſi fuerit in radice charitatis. Vt fundamentum, charitas aliis virtutibus ſubſternitur: quippe ruunt virtutes ſine charitate.

Vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, & longitudo & ſublimitas, & profundum. Animo de diuinitate comprehendimus eam eſſe longitudinem, propter æternitatem, latitudinem propter charitatem, ſublimitatem propter maieſtatem, profunditatem propter ſapientiam, ſcientiam, & iudicia eius.

Cap.4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Quando Deus aliquem deſtinat, ad aliquod officium, eum aptat ad illud miniſterium gratias congruas infundendo.

Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Chriſtus in Aſcenſione ſecum in cælum duxit omnes, qui erant captiui in ergaſtulo Limbi, & poſtea in die Pentecoſtes dedit dona hominibus, mittendo Spiritum ſanctum, qui dicitur perſonaliter donum, & eſt virtualiter omnia dona.

Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit. Chriſtus humilitate ſua, meruit corporis aſcenſionem, quia, qui ſe humiliat exaltabitur.

Cap.5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Sacramentum matrimonij, in ſua ſignificatione notat aliquid magnum, ſcilicet vnionem Chriſti cum Eccleſia, ex qua vnione proles exurgens, eſt affluens copia gratiarum.

Cap.6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores.* Non fomes peccati tantùm faceſſit nobis negotium, ſed & dæmones etiam fortiter inducunt ad peccandum.

AD PHILIPPENSES.

Cap.2. *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, habitu inuentus vt homo.* Homo in ſtatu gratiæ dominium mundi à Deo accepit, ſed vbi peccauit, excidit illo dominio, & factus eſt ſeruus, ad nihilum redactus eſt & neſciuit. Chriſtus vt hunc habitum peccatoris ſuſcepit, formam ſerui accepit, & ita ſe exinaniuit, factus opprobrium, & abiectio plebis.

Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. Obedientia, eſt humilitate matre ſata: obedientia perfecta finem alium neſcit, quàm mortem; quia humili, viuere, & obedire perinde eſt.

Cap.3. *Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sæculi quantumuis lumina affulgeant, papilionum, & muſcarum ſunt vilia ludibria, quæ lethali incendio eos tantum abſumunt, qui incautè circumuolant ad hæc lumina infida accenſa ſolùm, vt deludant, lædant, & collidant omnes, qui colludunt. Ne ergo tibi, ô homo imponat illa nitens mundi ſupellex, cogita Chriſtum eſſe ſupra hæc omnia indigna quæ Chriſto Domino comparentur.

AD COLOSSENSES.

Cap.1. *Ambuletis dignè Deo, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes.* Vita Chriſtiana debet eſſe ambulatio, & non ſeſſio: quippe docet Chriſtus vt ſequamur ipſum. Itaque ambulat qui procedit de virtute in virtutem, his autem progreſſus conciliat gratiæ incrementum.

Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Idololatria, ignorantia, & dæmones ſunt tenebræ quibus erat mundus obnoxius ante Chriſti in humanis ortum, cuius beneficio fides illucens has tenebras terſit, & conſortes regni fecit, eiuſdem cuius hæres eſt Chriſtus. Chryſoſt. in cap.1. epiſt. ad Coloſſenſ. ita monet. Quid dicis homo? Ad regnum vocatus, ad regnum filij Dei, & oſcitabundus es totus, ac deſidum more ſcalpis ac torpes. Si ſingulis diebus vel in mille mortes inſiliendum fuiſſet, an non omnia ferre oportebat. At tu luges, quod abiturus hinc es. Horum verè cauſa ſunt deliciæ, & vitæ remiſſio. Alioqui qui vitam viuit acerbam, auolare quoque vellet, & ab hac vita liberari.

Imago Dei inuiſibilis. Verbum à generatione ſua, via intellectus habet, vt ſit imago Dei, quod conuenire nequit Spiritui ſancto virtute proceſſionis eius, via voluntatis ad quam non pertinet imagines effingere.

Exhibete vos ſanctos, immaculatos, irreprehenſibiles. Gratiæ Dei effectus ſunt, innocentia, & vita cenſuræ nuſquam obnoxia.

Cap. 2. *Circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed circumciſione Chriſti, conſepulti eis in baptiſmo.* Baptiſmus eſt ſepulchrum peccatorum, illic enim peccata omnia tumulantur. Eſt item circumciſio ſpiritualis ab anima vitiata demens omnia ſuperflua. Chriſti obſequio ab omni vitiorum contagio, influente gratia defæcamur.

Vos cùm mortui eſſetis in delictis, &c. conuiuificauit, &c. expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos

in ſemetipſo. Chriſti ſumus titulis multis, in quibus eſt præclarus titulus victoriæ de diabolo reportatæ.

Cap. 3. *Induite vos ergo ſicuti electi Dei, ſancti, & dilecti.* Primò electi ſumus ab æterno, huius electionis effectus eſt ſanctitas, quæ conciliat amorem Dei in nos.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti. Nimirum à fine bono, egregia quæque facinora ſuam ſpeciem emendicant. Quod quia dæmonem minimè latet, ille callidus inſidiator ſemper adſtat molientibus aliquid operoſum, vt aliquo contagio finem alluat, vt verbi gratia, placere oculis, & auram popularem illis actibus aucupari.

AD THESSALON. I.

Cap. 5. *Patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo reddat alicui, ſed ſemper quod bonum eſt ſectemini in inuicem, & ad omnes.* Vt vniuerſalia non mouent, quia nimis latè patent, ita præceptum de charitate nimis excurrit, quando indefinitè ſonat. Ne ergo motas texat homo in praxi huius obſequij, Paulus hîc exempla prodit, quorum ſpecimina quiſque debet exhibere. Vt charitas patiens eſt, & benigna, ita malum pro malo referre fugit. Amor vt in bonum fertur, ita bonum vult ei, quem deperit, neminem excipit, & in omnes fertur, quos tenetur amare.

Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agentes. Hæc eſt enim voluntas Dei. Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra: ad hanc conducit oratio, quia eſt impetratoria rerum, quæ conducunt ad ſalutem noſtram. Vt omni momento Dei gratias accipimus: quippe ſine influxu Dei continuo peſſumiret hæc omnis contextura rerum. Ne ergo doni alicuius excidat gratitudo, debet homo grates Deo plurimas exhibere.

AD TIMOTHEVM I.

Cap. 1. *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam conſecutus, quia ignorans feci in incredulitate.* Incredulus eſt ignorans: nam fide ſola nobis illucent diuina myſteria. Ignorantia inuincibilis detrahit grauitati peccatorum. Blaſphemia, magnam infert iniuriam, ſeu contomeliam, ei qui impiè blaſphematur: ſiquidem blaſphemare perinde eſt ac inferre nocumentum.

Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria. Ergo ſi ſolius Dei eſt gloria, iniquus eſt, & iuſtitiæ prorſus incurius, qui ſuam facit gloriam: ſi enim iuſtus eſſet, ſuum cuique tribueret, nempe Deo gloriam, & humile iugiter obſequium.

Cap. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, & conuerſatione vt profectus tuus notus ſit omnibus.* Epiſcopum hîc hortatur quaſi facta alluſione ad veſtem Pontificis Hebræorum in cuius erant tintinnabula, vt reſciat Epiſcopus omnes actiones ſuas debere eſſe vocales, & ad virtutum omnium praxim omnes homines erudire.

Cap. 6. *Deuitans profanas vocum nouitates.* Auguſtinus ita locum iſtum verſat. Non ait verborum nouitates, ſed addit profanas: ſunt enim doctrinæ congruentis verborum nouitates, ipſæ res, & ante ſua nomina erant. Aduerſus Arianos nouum nomen Patres condiderunt ὁμοούσιον, ſed non rem nouam tali nomine ſignauerunt. Nam ſi omnis nouitas profana eſſet, non à Domino diceretur, Mandatum nouum do vobis, nec Teſtamentum appellaretur nouum. Non ergo benè carpunt hæretici vocem Tranſſubſtantiationis, quia non eſt antiquitus vſurpata.

AD TIMOTHEVM II.

Cap. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit.* Ex Cornelio Tacito, lib. 14. Dione, lib. 60. & Tertulliano in exhortatione ad caſtitatem, milites erant cœlibes, nec poterant nubere, vt toti bello intenderent, facti ita magis idonei ad victoriam, ac proinde ſuo gratiores Imperatori, cui ſua vouerant obſequia. Cùm ergo Deo ſe totos addixerint Chriſtiani, vt diabolis, mundo, & carni bellum inferant, ſi Deum velint conciliare ſibi, ſeſe expedire debent ab omnibus, quæ citam victoriam, de mundo, carne, & dæmone remorantur.

Qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certauerit. Legitimè, id eſt, ſecundum leges. Erant autem duæ leges agonis. Prima vt pugiles vncti deſcenderent in certamen. Altera vt non vnum, aut duos æmulos vincerent, ſed omnes ſuperarent. Athleta ſacer eſſe debet vnctus oleo gratiæ Dei, citra cuius opem nemo poteſt diabolo reſiſtere. Secundò parum eſt vnum, aut alienum vitium reprimere: gloria æterna nemini datur, niſi eis, qui omnia vitia profligarunt.

Cap. 3. *Tu aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones.* Dignus eſt Paulus, qui pingatur manu armata gladio exerto: quippe tota eius vita fuit gladiis, & crucibus obſita.

Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Pietas Chriſtiana vitam Chriſti conatur aſſequi, vt humana poteſt infirmitas. At Chriſtus totus in labore fuit à iuuentute ſua, & ſæuiente demum perſecutione vita functus eſt. Ergo verus æmulator huius magiſtri, ſe aptare debet cruci.

AD TITVM.

Cap. 1. *Confitentes ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Iuſſa Dei non faciens, ille negat Deum eſſe ſuum Dominum, eſto dicat ore Dei ſe ſeruum eſſe. Quippe verum ſerui obſequium non verbo tenus, ſed congruis actibus explicatur. Itaque, qui vitam ſuam componit ad amuſſim mandatorum Dei, ille verè confitetur ſe noſſe Deum: nam ille ſuam fidem abundè probat operibus, quæ ſunt indubiæ, & fideles teſſeræ veritatis.

Cap. 2. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate verbum ſanum irreprehenſibile.* Vitæ Chriſtianæ ſumma, penes tria attenditur, ſcilicet, cogitationes, verba, & opera. Cogitationes innoxias, ſincera, & ſancta doctrina probat. Integritas vitæ notat eſſe bona opera. Denique verba ſana clamant eſſe virum hunc perfectum, qui in verbo non offendit. Quiſquis hiſce tribus partibus gaudet, ille poteſt in exemplum omnibus exhiberi.

Cap. 3. *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt.* Nota plures cum homine hæretico diſputationes eſſe vias ad obſtinatum eius

in

in errore animum alcius obſirmandum, ac proinde viam eſſe magis compendioſam talem hominem deuitare, ne ſuo contagio inficiat: quippe virus inſtillet auribus, quod inficit animam incautam: cùm namque prona ſit in malum indoles humana debet fuga ſibi conſulere, quando nihil proficit validè repugnando. Poſt admonitionem ſunt hæretici pœna congrua caſtigandi. Nam ex Tertulliano Scorpiaci 2. Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum eſt. Duritia non eſt ſuadenda ſed vincenda.

AD HEBRÆOS.

Cap. 1. *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Ex Dionyſio lib. de Diuinis nom. cap. 4. Generatio Filij comparatur emanationi radij à Sole. Primò radius à Sole naturaliter emanat, ita Filius à Patre nulla præeunte electione, & voluntate ſicut ait Cyrillus. l. 10. Theſauri, c. 8. Secundo liquet generationis huius æternitas: radius namque ſiue ſplendor eſt coæuus Soli à quo fluit. Demum inde nitet Filij à Patre inſeparabilitas: quippe Sol & radij minimè ſeparantur.

Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præillis nomen hæreditauit, cui enim Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu. Nomina ſunt ſigna rerum. Cùm ergo Christus à Deo Patre vocatus ſit Filius dilectus in quo benè illi complacuit, & Angeli ſint adminiſtratorij ſpiritus ſunt infra Dei filium.

Cap. 4. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, & diſcretor cogitationum, atque intentionum cordis.* Anima audito verbo Dei diuiditur à noxiis affectibus, manus arcentur à quouis nefario contactu, & pedes demum retrocedunt à locis infectis, ad quæ aliàs magno animæ diſpendio greſſu præpete ferebantur. Dicitur etiam ſermo Dei diſcretor cogitationum, vtpote diſpeſcens ideas innoxias, à noxus, & ingerens habitus, qui ſunt propagines fidei Chriſtianæ. Denique gladio aſſimilatur, quia proprium eſt verbi Dei exturpare vitiorum omnium ſurculos emergentes.

Cap. 5. *Omnis Pontifex conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia.* Pontifex agit apud Deum cauſam populi, oratione, & ſacrificio eum conciliando plebi.

Cap. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.* Quia Iudæi rudes erant, data fuit eis lex occupata penes munditiem corporis, vt corpore mortuo tacto, fuit inſtituta corporis ablutio, quæ nihil in animam agebat. Propter homicidium lex indicebat mortem, ſed peccatum non remittebat. Ideo Euangelio prædicato fuit inutilis hæc lex penitus antiquata.

Cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur.* Idcirco alibi ait, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: nam tota Pontificis vita debet eſſe bonum opus, ſcilicet oratio, & ſacrificium. O quàm ab hoc ſcopo plures Pontifices videas aberrare.

Cap. 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Fides in intellectu noſtro facit ſubſiſtere res, quæ ſperantur, & ita ſpem noſtram fouet, & ſuſtẽtat, quæ ſine fide labat. Eſt item argumentum & demonſtratio rerum non apparentium, quas probat à priori, docens eſſe vera, quæ Deus ipſe reuelauit. Fides dicitur ſubſtantia, quia ſtat per ſe vt aſſenſus primæ veritati cognitæ per reuelationem, nulla rationum fulcra petit. Subſtantiæ omnes ſunt inuiſibiles: oculis enim accidentia tantùm ſunt obuia: ita fides eſt viſioni oppoſita. Auguſt. tract. 27. in Ioan. Fides, eſt credere quod non vides, cuius veritas, & merces eſt videre quod credidiſti.

Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo: oportet enim accedentem ad Deum, credere. Vt ignoti nulla cupido ita nemo placere curabit Deo, quem fide non cognoſcet. Eſt namque fides ſubſtantia ſiue baſis cui incumbunt ea, quæ pertinent ad ſalutem.

Cap. 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula.* Heri ſignificat æternitatem diuinæ naturæ in Chriſto; Hodie ſignificat nouitatem Incarnationis. Sæcula futura notant regnum eius interminum Eò ſpectat illud Apoc. 1. Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.

Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Leuitæ Hebræi non habent ius ad altare noſtrum, ſi non ſunt initiati ſacris fidei noſtræ myſteriis.

Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Chriſtiano putet mundus, & ſola cupido cœli ſollicitat eius deſideria.

Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Prælatos magna ſanè manet obligatio procurandi ſalutem animarum, quæ idcirco debent reſpondere curæ, & ſollicitudini paſtorum, eis in rebus, quæ ad ſalutem pertinent obſequendo.

EPISTOLA S. IACOBI.

Cap. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Ærumnæ, quæ nos in hac vita premunt, probant cælo aptiſſimos necne.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Mundus nihil omnino dare poteſt optimum: quippe fucos facit: Itaque Deus eſt conueniendus, vt optima quæque nobis impertiat.

Apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Æternitas eſt tota ſimul, ac proinde nihil alternat in Deo, qui æternus eſt.

Cap. 2. *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Nota legis nomine, cuncta ſimul præcepta intelligi. Nam omnia præcepta ſunt, lex. Vt lex idem eſt ac omnia præcepta. Qui ergo ſoluit vnum præceptum peccando, legem tranſgreditur. Cùm igitur lex & omnia præcepta voces ſint ſynonymæ, qui peccando reus eſt legis, erit & omnium præceptorum, quia omnia præcepta ſunt lex ab homine impio temerata.

Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Eſt dubia ſanè fides incuria præſtare bonis operibus ea, quæ fideli cuique homini præſcribuntur. Vt ſecus illa fides eſt certa, quæ bono opere commendatur.

Cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum.* Commendatur hîc Sacramentum Extremævnctionis, quæ confert ad ſalutem corporis, & animæ. Infirmus namque duabus his partibus conſtat. Vnde ſi ſaluatur infirmus deprecatione, quæ eſt forma Sacramenti Extremæ-vnctionis,

Effectus huius Sacramenti influit in corpus & animam.

EPISTOLA S. PETRI I.

Cap.2. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, &c. Sicut modò geniti infantes; rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Vt eſt repurgandus ſtomachus, cui debet infundi lac, ita debet anima repurgari ab omni fæce peccatorum, vt illa fiat gratiæ diuinæ compos: nam gratia, & peccata non coeunt. Gratiæ eſt lac rationabile, quod non datur iumentis, vt ſunt peccatores comparati iumentis inſipientibus. Gratia mediante creſcit homo, & aſſurgit in ſpem ſalutis æternæ.

Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Fidei viuæ beneficio, nos illa manent elogia. Nota nos eſſe populum acquiſitionis: quippe dæmon nos habebat in vinculis, quæ Chriſtus ſua Paſſione rupit. Laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus.

Conuerſationem inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Exempla virtutis exhibita crebrò clamant eſſe falſa conuicia detractorum. Nota virtutis ſpecimina à Chriſtianis expreſſa Dei gloriam propagare, quia gratiæ illius influxum oſtendunt, ac proinde probant eſſe ſalutare Deo ſeruire, qui adeò beneficus eſt, vt tantis virtutibus ornet eos, qui ſeſe eius obſequio conſecrarunt.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Paſſionis Chriſti merita nobis aptantur quando compatimur ei.

Cap.4. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Vt qui cinnamomum deglutit halitum afflat ſuaueolentem. Ita Deo plenus homo, nihil eructat niſi diuinum, & ad Dei gloriam ordinatum.

Cap.5. *Vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Vt diaboli technas eludat homo, Petrus hortatur ad vigilias, quia tunc præſertim hoſtis ille furit, cùm ſuæ ſalutis homo incurius, eſt adinſtar dormientis.

Rurſus dæmon appellatur leo. Plinius ait eſſe genus quoddam leonum, qui capeſſunt fugam, quando mulieris cantum audiunt. Profectò nequit diabolus ferre preces B. V. Mariæ, quando Deum orat in gratiam peccatorum, quos ille leo tentat ſuis faucibus abſorbere. Theophilum refert Bernardus, dicens eum diabolo ereptum B. V. Mariæ cantu.

S. PETRI EPISTOLA II.

Cap.1. *Efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Gratia quæ nos Deo conſociat, corrumpitur à concupiſcentia, ſi eius æſtibus inardemus vitiis indulgentes.

Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Veteris Scripturæ leges non fuere firmæ, quia Euangelij leges eas penitus antiquarunt. Itaque Euangelium eſt propheticus ſermo firmior, quippe nulla eum doctrina poſtmodum abrogabit. Dum inſtituit infideles, illucet animæ cui caligo ſuas offuderat tenebras. Gratia nos illuminans, eſt lucifer qui prædicationem Euangelij conſequitur. Euangelium eſt propheticus ſermo, quia Prophetæ fore legem gratiæ prædixerunt.

Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Prophetæ fuerunt organa Spiritus ſancti, quo dictante ſuos conſcripſere libros, proinde veridicos, vt prima, & indubia veritate ſatos.

Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Vt iudicia Dei inuia ſunt hominum indagini, ita nemo ſcire poteſt, prædeſtinatus ſit necne. Tamen ex virtutum praxi ſincera quiſque poteſt benè ominari de prædeſtinatione ſua, & eam certam efficere ſi ad mortem vſque virtutum comes gratia perſeuerct. Nota boni operis efficaciam, in eo quod peruium facit aditum ad regnum Dei.

Cap.2. *Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Fides, id eſt, cognitio Chriſtiana potens eſt ad deuitanda mala: quippe fides animata ſecum vehit gratiam, cuius ope poteſt anima vitia præcauere. Si verò incauta redit ad obſcœna, peior eſt hic lapſus priore deliquio, nam arguit maiorem ingratitudinem.

Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Qui offendunt ex ignorantia inuincibili, minus habent noxæ, quàm qui veritatis, atque legis conſcij deliquerunt.

EPISTOLA S. IOANNIS I.

Cap.2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.* Nemo vices obire poteſt aduocati apud Deum pro peccatoribus, niſi mundus à peccato, qualis erat Chriſtus, cuius in cælo plagæ ſunt ora clamantia, vt homini venia concedatur.

Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Pretium ſanguinis Chriſti fuit infinitum, ac proinde nemo excipitur à redemptione, modo nihil obſtet.

Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Nomine mundi, homines intelligit, qui ſe totos deuouêre rebus huius mundi. At ſunt in mundo tria, quæ referunt aliqualem boni honeſti, vtilis, & delectabilis ſpeciē. In hæc tria emētita bona totus homo præceps effunditur. Honos vt bonū honeſtum ſe ingerit, ſicque rapit appetitū, qui vt inanis gloriæ cupidus eſt, in ſuperbiam vitæ incurrit. Opes vt vtiles ad omnia comparanda, bonum vtile prætendunt oculis. Hinc auidus auri eſt auarus, & concupiſcentia oculorum laborat. Denique voluptates ſeſe velut delectabiles inſinuant, & carni affrictæ totam concupiſcentiam accendunt. Vnde liquet illa mali quod in mundo viget deſcriptio tripartita.

Cap.5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Trinitas ad perſonas refertur, vnitas ad eſſentiam.

EPISTOLA

EPISTOLA S. IOANNIS II.

Cap. I. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat eius operibus malignis.* Hæreſis eſt vt contagium lethale cui pro remedio ſola fuga decernitur, quam vt capeſſat homo, nec morulâ ſola debet auſcultare viro hæretico: quippe virus auribus inſtillat eloquio ſuo pleno fucis, à quo ille cauet, qui nec Aue dicendo ſoum ſic animum auerſum ab hæretico homine proteſtatur.

EPISTOLA S. IVDÆ.

Cap. vnicum. *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Reprobi, quia ſunt homines ſunt arbores aptæ referre bonos fructus, influente Sole gratiæ, & Eccleſia Sancta ſuum concedente ſolum. Quippe duo hæc neceſſaria ſunt, cælum, & ſolum, vt homo bonos emittat fructus. Reprobi ſemel in Adamo mortui, rurſus ſuo vitio moriuntur, ſicque bina mors adimit eis omnem fructus proferendi facultatem. Quando demum excommunicationis fulmine feriuntur, illæ arbores infructuoſæ, extra ſolum Eccleſiæ longius expelluntur.

APOCALYPSIS.

Cap. I. *Princeps Regum terræ.* Chriſtus vt eſt Rex Regum, eos ſolos in ſuum recipit obſequium, qui non ſunt terræ ſubiecti, ſed dominantur terrenis omnibus affectibus. Vide locum Ruperti.

Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua. Chriſti opera fuere fulgida, & ſancta priuſquam gladij mortificationis vſum omnibus indiceret. Quidquid Chriſtus loquitur, omne ſapit crucem, & gladium quo vult, manus atque pedes quando nocent, fortiter amputari. Gladij vſus animam facit ſplendore gratiæ coruſcantem.

Cap. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi, qui accipit.* Vt in cor hominis non aſcendit illud quod Deus præparauit diligentibus ſe, ita nequit exprimi ſcripto neque voce.

Cap. 3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis.* Nota ſolos iuſtos habere nomen ante Deum. Nam nomina ſunt ſigna rerum. Aſt homo in peccato nihil eſt; ac proinde nomen non habet. Iuſti albis induti ſunt, ob innocentiam, dicuntur ambulare cum Deo, quia illi totis affectibus adhæreſcunt.

Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis. Nota dici victores eos, qui in ſtatu gratiæ ſunt, ſi adulti ſunt, quia vt crebris, dæmonum, mundi, & carnis tentationibus obnoxij ſunt, permanere nequit in eis illibata gratia, ſine victoria, quam triumphus excipit in veſte candida.

Cap. 4. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* In cælo nihil omnino ſeruile eſt, cuncta clamant regnum: quippe throni, & coronæ Regum ſunt inſignia. Digna planè Regis Regum remuneratio, vt qui in mundo regnare noluit, vt Deo totus inſeruiat, cælis inſertus regni æterni conſors ſit.

Adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem. Reuera Deus ſolus eſt corona dignus, quia quidquid dignum corona fluit à nobis, illud eſt à Deo in noſtras animas influente.

Cap. 5. *Vidi agnum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem.* Vt draco habet capita ſeptem, quæ ſunt ſeptem peccata lethalia, Chriſtus multiplici nobis adfuit ſeptenario, quorum præcipuum eſt ſacramentorum. Item ſeptem dona Spiritus ſancti præſens adferunt auxilium, vt & ſeptem virtutes oppoſitæ ſeptem vitiis, quæ ſunt capita dæmonis in animas irruentis.

Cap. 12. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Maria eſt in cælo velut Signum ex plurium ſtellarum ſerie coaleſcens. Vtque Zodiaci ſigna ſuos influxus habent ſalutares hominibus, ita nobis eſt benefica alma parens B. V. Maria, quæ in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Quæ namque Solem iuſtitiæ Chriſtum veſtiuit carne ſua, vicisſim ab eo amicta Sole in cælo micans, & coruſcans deſcribitur. Luna illi ſubiicitur, quia nullis omnino defectibus, aut deliquiis obnoxia eſt. Duodenarius numerus vniuerſitatem ſignificat, & ſtellæ dotes beatorum delineant: demum corona notat præmium: Vnde coronari ſtellis duodecim perinde eſt ac omnes gloriæ æternæ dotes in præmium egregiè factorum, & victoriæ reportatæ, cælitus accepiſſe.

Ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capite eius diademata ſeptem. Draco eſt ſerpens alis inſtructus. Diabolus quia callidus, & aſtutus dicitur ſerpens, alatus verò quia omne ſublime conſiderat, & eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Rufus quia multa bile rubet, vtpote ira furens in homines. Septem peccata, quæ capitalia vocant dæmonis in animas initium, atque caput ſunt. Denarius, vt & duodenarius vniuerſitatem ſignificat: quippe decem omnes numeros concludunt, & poſt decem repetis vnitatem: nam vndecim dicunt vnitatem denario adiectam. Sicque decem cornua ſignificant eſſe tremendo hoſti, mille nocendi artes: armat enim homines in homines, carnem in animam, & animæ affectus, in hominem totum: iuxta verax Chriſti effatum. Inimici hominis domeſtici eius. In capite eius diademata ſeptem, quia ſingula quæque peccata lethalia triumphant de reprobis quos virulento ſuo ſpiculo confixerunt.

Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ. B. V. Maria corpore, & anima inſtructa velut duabus alis in cælos euecta eſt.

Cap. 14. *Ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Vt beati ad Deum pertinere ſe ſciant duplici titulo, notantur duplici charactere ſuis frontibus impreſſo יהוה *Iehoua* ישוע *Ieſchuang.* Quæ duo nomina, cùm creationem, & redemptionem clament, iuſta beatis, indicant eos eſſe Dei, & iure creationis, & redemptionis: Vnde quia degentes in hoc ſæculo vitam egere conſonam inſtituto nominis huius, ſcilicet Domini IESV, ideo hoc nomine inſignes erunt in gloria.

Cap. 18. *Væ væ, omnia pinguia, & præclara perierunt à te.* Quæ ſunt præclara, & pinguia à Deo inſtituta bono fine, illa ſuo fine excidunt, vitio peccatorum, à quibus creaturæ licet bonæ, in vſus peſſimos aſſumuntur. Nota duplex væ de-

ſignare

ſignare duplex malum ; corporis ſcilicet, & animæ, quibus præclara quæque, & pinguia negabuntur.

Cap. 19. *Rex Regum, Dominus dominantium.* Nota ſolos Reges, & dominos, fore Regis gloriæ conſortes, & duntaxat iuſtos eſſe Reges, & dominos, quia vt par erat ſuos rexere affectus, & dominati ſunt appetitui ſenſitiuo, cuius imperium latè patet in reprobos, qui ſerui ſunt, & mancipia vilia voluptatum. Inde patet reprobos non pertinere ad Regem gloriæ, Regem Regum, quia ſe tradidere Regi ſuperborum.

Cap. 21. *Et dixit, qui ſedebat in throno, ecce noua facio omnia.* Chriſtus antiquata lege veteri, condidit teſtamentum nouum, dedit mandatum nouum cuius obſequio, animæ, necnon corpora renouantur. Beneficio baptiſmi ſalutaris tinctas animas reſtituit priſtinæ nouitati, & immortalitatem quam exciderat Adam reſtituit ille reſurgendo.

Cap. 22. *Oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum, vt cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.* Donum lacrymarum, eſt fluuius aquæ vitæ. Quippe viuit vita gratiæ anima contrita deflens peccata ſua. A Deo procedit hic fluuius, quia nulla arte humana, poteſt ille fluuius erumpere. Lignum vitæ, eſt arbor pœnitentiæ adeò fœta bonis fructibus, vt nullo ſic momento ſuis ſpoliata bonis operibus. Vtraque parte ſui fructificat pœnitens. Corpore namque ieiunat, vigilat, & mente preces Deo fundit. Et ita nihil omnino vacat in homine pœnitente.

Folia ligni ad ſanitatem gentium. Infideles viſo habitu externo pœnitentis recipiunt ſe in meliorem frugem, & ad fidem conuerſi recipiunt animæ ſanitatem.

Omne maledictum non erit amplius. Pœnitentia omnes tergit peccati reliquias.

Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Peccatum vnum, prouocat ad altera perpetranda. Gratia verò bonis operibus intenditur.

Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes. Qui à charitate Dei excidere, ſuis etiam proximis iniurij ſunt. Si famam lædunt, canes ſunt oblatrantes. Si pudorem inficiunt, ſunt impudici. Si vitæ nocent ſunt homicidæ, plura etiam crimina perpetrantes.

TRACTATVS PRIMVS,
DE
FESTIS DOMINI
STIPATIS OMNIVM
SCIENTIARVM AGMINE.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI IESV,
EVANGELIVM.

1. EXIIT edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Lucæ 2.
orbis; hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino,
& ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem.
2. Aſcendit autem, & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth,
in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd
eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria de-
ſponſata ſibi vxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent
ibi, impleti ſunt dies vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum
inuoluit, & reclinauit eum in præſepio; quia non erat ei locus in diuerſorio. 3. Et
Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gre-
gem ſuum. 4. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos 5. Et claritas Dei circum-
fulſit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus: Nolite timere, &c.

EXPOSITIO MORALIS
digeſta in Sectiones.

1. *PRælibata totius vniuerſi recenſio præit Dei in humanis orientis exordiis, & hoc non incaſſum; nemini enim ſibi incognito, & a ſe minimè circumſcripto innaſcitur Deus.*

2. *Quibus autem ea ſui affulſit notitia, iiſdem fulgor irradians luminis inurit nomen; & cùm iuſtorum ſemita, vt lux ſplendens, creſcat vſque ad perfectum diem, eorum in dies magnum gratiæ ſuſcipit incrementum, vt innuunt Mariæ, & Ioſeph nomina myſticè deuoluta: Maria namque (illuminata,) & Ioſeph (accreſcens) ex Hebræo fonte ſonant.*

3. *Quæ autem cuique ſui notitia eſt ſatis, debet in Paſtoribus ampliari: non enim vigilare eis, ſed ſuperuigilare incumbit ex officio, & nomine ipſo reclamante; nam Epiſcopus eſt, ex Græca dialecto, quaſi ſuper videns.*

4. *Quas Plautus oculatas habebat manus, has vendicat ſibi conditio paſtoralis, vt cuſtodiant ſuas*

paſtores vigilias; ſiquidem fruſtra quis videt meliora probatque, deteriora ſequens.

5. *Viſio hæc practica, quia Angelis quaſi innata eſt, ſe beatis illis immiſcet mentibus, qui in illa iugiter exercentur: vt videre eſt in Paſtoribus, quibus Angeli illuxerunt, antequam fierent compotes diuinorum.*

DE DISTRICTA SVI
notitia requiſita ad hoc vt Chriſtus mentibus noſtris adnaſcatur.

In hæc verba:

Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis

SECTIO PRIMA.

ENASCENTIS mundi de nihilo ſeriem exquiſita narratione diſcutit Moyſes; & tandem cœlis circumactis, aquis transfretatis, & orbe terrarum emenſo, ortu animalium lineato, ima- Geneſ. 1.

Mundi deſcriptio facta à Moyſe antequam homo dicatur factus ad imaginē Dei.

ginem Dei graphicè in homine prædicat adumbratam, Deo ipſomet aſſertore: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Sic ſedula mundi deſcriptio, veluti præiacens materia præit imagini Dei in homine exaratæ; ſi tanti vitrum quanti margaritum, ſi diuinæ ſpeciei prima rudimenta tot ſubire præambula, quantum debent nos facere ſollicitos Dei verè mentibus noſtris illabentis exordia?

Halcyonis induſtria.
Cant. 3.
Ex Symbolis,
Lukius, lib. numiſmatū.

Vide quàm anxiè nidulum ſuum luſtret Halcyon, excipiendo fœtui diſpoſitum; ne deorſum aquis peruias rimas agat, aut deſuper pateat auræ pullos ventilanti nuper eductos: an non ſexaginta fortes aſtantes lectulo Salomonis ſonant regem noſtrum pacificum velle excubias, eáſque non impigras, ſuum in nobis decubitum antenre? hac cautela cauit regno ſuo Chriſtianus Rex Daniæ, irruente hoſte numiſma cudit, vbi ſceptrum oculo ſuperpoſito obuium erat attrectanti, hac voce circumpoſita, VIGILANTIBVS: quaſi diceret, ſceptrum eſſe penes vigilantes. Quæris quibus adnaſcetur Chriſtus? VIGILANTIBVS. Sed quibus? his qui deſcripſerint totum orbem. Hæc autem accurata orbis deſcriptio, ſita eſt in ſui notitia, ex Ruperto hominem cum orbe componente: *Cœlum* (inquit) *eſt mens ipſa ſapientis, ſtatutos habet motus, lucida ſydera, concinnas choreas, in medio huius cœli Deus.* Sed aduerte Deum à lumine cœlos auſpicantem, *Fiat lux*; & non inane præfatum à Pſalte, *Ignis ante ipſum præcedet*, vt hinc fiant homines cautiores Dei natalibus inhiantes: hoc & Perſarum regibus in more poſitū, non prodire ſine pyrophoro, ad cuius faces & lucem diffuſam populus regis præſentiam colligebat. Hāc lucem Dei prænuntiam enixè efflagitat Auguſtinus præſtolans ortum Chriſti: *O lux, quæ odio habes omnem maculam, vtpote mundiſſima, quæ tibi deliciæ cum homine! quæ conuentio lucis ad tenebras? mundum cœnaculum te decet, mundans virtus, quæ non niſi à mundis cordibus videri poteſt, multò magis nec haberi.* Ruſus: *Auge, quæſo, luminis author, quod interlucet in me, obſecro, dilatetur ex te.* Ecce tibi omnes ferè ſcientias huic aſſerto ſuffragantes: ſcilicet Deum intimè adeſſe ei, qui à ſe non abeſt.

Vigilantium præmium.
Rupert. in Matth.
Geneſ. 1.
Pſalm. 96.
Pyrophoros apud Perſas quale fuerit officium.
Aug. Solil. 28.
Idē Soliloq. 34.

Ex Theologia.
Thom. 1. p. 34. art. 1.
Naſcitur Chriſtus apud eos qui ſe intimè norunt.
Anſelm. in Monol. 38.

Theologia fidei proxima è diſciplinatum choro primas agens prodit natiuitatem Chriſti exquiſitam inuoluere notitiam omnes edoctura; ſic Deo plena ratiocinatur diuina hæc & ſacro-ſancta Scientia. Ex ſcholæ Genio Angelico, de ratione verbi eſt quod dicatur, Anſelmo autem vade: *Dicere ſummo ſpiritui*, id eſt, *Deo nihil aliud eſt, quàm cogitando, intueri*: ergo ſi Filius eſt Verbum, verbum illud dictum eſt; & equidem cognitione intuitiua, itavt in diuinis, etſi hæc cogitatio Patris non ſit quid reale diſſitum à termino, ſeu verbo mentis: tamen ſtylo noſtro ante obuia nobis eſt paterna ſui cognitio, quàm emanatio verbi in eſſe perſonali conſtituti; vnde liquet verbi ineffabilem geneſim & æternam, eſſe cum deſcriptione totius orbis; enimverò Pater mundus archetypus, ſeu μεγαλόκοσμος, quaſi ſeipſum totum deſcribit ea cognitione, quæ à nobis concipitur vt præuia verbo generato, & ſi reuera ſimul & ſemel generet cognoſcendo: namque Deo, niſi mentis inops, quis actum intelligendi adimat; qui finxit oculum non conſiderat? à nomine θεὸς ſcito intelligentem eſſe Deum, θεὸς enim ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, à contemplando deducitur; & Hebræis dicitur etiam הויה à radice הוה ſpirare, quod Deus ſit purus ſpiritus, Ariſtoteli νοῦς & θεὸς, ſynonymūs vſurpantur Deus enim totus mens eſt (inquit Stoicæ diſciplinæ ſtrenuus propugnator Seneca:) ſi mens, ergo intelligentiæ capax. Quia autem Deus actus eſt purus, expers potentiæ paſſiuæ, Deus erit ſemper actu intelligens, ſeipſum nempe, vt ſupremum intelligibile, intelligens. Hæc autem Dei cognitio neſciens inducias, omnimodam mundi prototypi deſcriptionem clamat, qua Verbum genitum ab æterno, reconditur ſinu Patris.

Deus quid ſit, & quomodo nominetur.
Deus eſt mens.

Ex Philoſophia.

Philoſophia pediſſequam agens Theoſophiæ dogmata non detrectat, etenim verbum mentis ineſt nobis tantùm præuia luce ſeſe ſubiectiuè & obiectiuè diffundente. Subiectiuè, ne quid opacum mentem præpediat: obiectiuè, vt res deſcribatur, id eſt, vt genere & differentia, quibus vt cancellis coërcetur, probè definita cognoſcatur. Age tu porrò, Phyſice, Dei naturam inueſtigans, quo medio potiori, quàm te ad ſcopum hunc optimè collimabis, ſcilicet ex Philoſopho, anima eſt quodammodo omnia; ſi ergo Deum, qui Græcis πᾶν, id eſt omne, vis aſſequi; à re ipſo auſpicare, & ex typo prototypum indagabis: nihil eſt, ait Cicero, *Per quod magis diis aſſimilemur, quàm per ipſum ſcire.* Biuium autem terit vnaquæque ſcientia, negationis, & affirmationis: quidquid altum ſapis de te, illud affinge Deo, ſed titulo potiori: quidquid abiectum in te gemis, abnue & Deo nega, ſic Deum aliqualiter noris: ſed te præcognito, & quaſi μικροκόσμῳ, orbe ſcilicet dimiouto, geouinè circumſcripto: Pythagoræ enim ἄνθρωπός ἐστι μέτρον ἁπάντων, *homo eſt menſura omnium.*

Ariſt. lib. 3. de anima, textu 37.
Homo ex ſui notitia deuenire poteſt in notitiam Dei.

Ex Mathematica.

Amplior ſanè eſt in Matheſi ſolertia, ad venandam natiuitatem vniuſcuiuſque, de qua conſulitur: ea diſciplinarum vna eſt, quæ antequam indubiam geneſim aſſequatur, deſcribit totum orbem, vbi cœlos in duodenas partita domos deductis aut adiectis aliquot minutis ad amuſſim Tychonis aliquandiu deſudauit, trigonos, tetragonos, exagonos, ſyſigias, antitheſes ſcrutatur Planetarum: inde firmamentum circumagens, omnes luſtrat ſtellarum ſitus, hinc dehiſcens in terras ab his, nati ſortem emendicat, an tenellum mox aër liberior exceperit, aut ſecus ſtagnantes aquæ paludum auram infecerint, quam primùm ore patulo hauſit ab ortu; ſed quorſum iſta Matheſeos cœlóque, ſolóque diſcurſio, vt ſibi faciat ſatis ſuper exhibita natiuitate pueri fatis mox ceſſuri? O cæcas hominum mentes! nihil illis inſciis, orbe toto ſtat in die natali vnius vermiculi cui fruſtra laborant, & flocci homines ſui neſcij ſe ipſos prætereunt naſcente Chriſto, cui ſi attenderent, mente alto examine perſcrutata, multiplici dote redundarent.

Iulius Firmicus, & Schonnerus capite de erectione figuræ.
Aſtrologia ſolertia in deſcribendis cælis.

Ex arte Medica.

Animum intactum peregrina non feriūt, domeſtica vel mouebunt, videlicet ea cura qua ſe decumbens æger explorat, inhians reduci ſanitati. Præteriti victus rationem à ſe exigit, exhauſti feruentioris æſtus notat incommoda, abdominis queritur & clamat ingluuiem, frigidæ epotæ defletdelicias, aut denique contagium ex inſcio ſibi conſortio ſuſpicatur. Heus tu, totum æger deſcribis orbem, qui ſanus, tui immemor planè, nec minimam tui plagam animo reuoluebas. Eia iam rediuiuus ſaucios imitare. Ægri ſe medico ocyùs obiiciunt, vt corpore repurgato, fiant peruij ſanitati. Quid medicus, ſtatimne ſtudebit obſeruationi κρίσεων, λύσεων, μεταστάσεων? minimè verò, ſed in διαγνώσει, totus, & αἰτιολογίᾳ ſtatum ægri ſedulus explorabit; diceres deſcribere totum orbem, adeò accuratè rimatur, interiora tactu, exteriora viſu, quæ oculorum acies,

Varandæus cap. 4. Prætogn.
Hipp. lib. 1. prælag. à n. 8. vſque ad 10.
Gal. à c. 28. vſque ad 56. ſigna expenduntur temperiei.
Notitia ſui neceſſaria ægrotis vt ſanentur.

quis

quis labiorum color, anhelitus quis nidor, linguæ quæ ſpecies, quæ arteriarum diaſtole, quis denique faciei ſtatus, & corporis habitus ſerius inueſtigat ex mẽte Hippocratis & Galeni, tum demùm θεραπευτικῇ addictus laborantis inhæret ſanitati. *O quantum eſt in rebus inane!* Flet Poëta: ſaluem, quæ eſt cute tenus tam anxio tui examine ſollicitas, totum te Phyſiologo tradis explorandum, vt ſanitatem impertiat; & hac celebri tempeſtate, ad ortum Chriſti omnino incurius ſalutis tuæ feriaris; audi Gentium Eccleſiaſten: *Hora eſt nos de ſomno ſurgere, nunc eſt propior ſalus quàm cum credidimus*; expende te totum in exomologeſi. Qui aliàs oculi fœdis aſpectibus? quis olim oris tui ſtylus? & quæ impia dialectus? quo cientur pulſu tuæ manus? ao non prodigi? *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat?*

Nomen Ieſu vnde deductum.

Tui arbitrij eſt paruulus iamiam natus, non eſt in aliquo alio ſalus, vt ſonat nomen eius Hebræis & Græcis ישוע *Ieſchuang*, & ἰησοῦ. quorum nominum, illud quod eſt Græcum Epiphanio vindice ab ἰάομαι ſano, idem eſt, ac medela & ſanitas. Te ipſum totum deſcribe, & non ex parte. Audi Chryſologum: *Confiteamur Patri ne iudicem ſentiamus*; confeſſioni autem præeat examen ſolers, ſicut ſanitatem exquiſita morbi quæſtio anteuertit: quia ex Ἀρχιάτρῳ, *In morbis acutis difficile eſt iudicium.* Seduli examinis præuij Chriſto naſcituro in diuerſorio animæ noſtræ Auguſtinus ideam offert, ſic fatus. *Conſiderate, quæſo, fratres, quando aliquis potens homo, aut nobilis natalem ſuum, aut filij ſui, celebrare deſiderat, quanto ſtudio ante plures dies, quidquid in domo ſua ſordium inuenerit, ordinat emundari; quidquid ineptum & incongruum proiici; quidquid vtile, & neceſſarium præcipit exhiberi: domus etiam ſi obſcura fuerit, dealbatur, pauimenta ſcopis mundantur, & diuerſis reſperſa floribus adornantur; quidquid etiam ad lætitiam animæ, & delicias corporis pertinet, omni ſollicitudine prouidetur, vt quid iſta, fratres chariſſimi? niſi vt dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri; ſi ergo tanta præparas in natalitio tuo, aut filij tui; quanta & qualia præparare debes ſuſcepturus natalem Domini tui? ſi talia præparas morituro, qualia præparare debes æterno? quidquid ergo non vis inueniri in domo tua, quantum potes labora, vt non inueniat Deus in anima tua.* Hæc Auguſtinus. S. Leo eandem animi ſolertiam exigit ad natalem diem Domini IESV celebrandam: *redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte deſtruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam ſimul, & redemptio aufert ſeruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iuſtificat peccatorem: quiſquis igitur Chriſtiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iuſto perpende iudicio; tibi enim quondam abiecto, tibi extruſo à Paradiſi ſedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in puluerem & cinerem reſoluto, cui iam non erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem Verbi poteſtas data eſt, vt de longinquo ad tuum reuertaris authorem, recognoſcas patrem, liber efficiaris ex ſeruo, de extraneo proueharis in filium; vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei ſpiritu renaſcaris, & obtineas per gratiam quod non habebas per naturam, vt ſi te Dei filium per ſpiritum adoptionis agnoueris, Deum Patrem audeas nuncupare.* Vt lux, ſiue attentio alta, facit nos compotes huius myſterij; ita idem ille S. Leo ait eos impotes eſſe gratiæ iſtius. *Quorum corda vaſtis tenebris obuoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena ſunt.* Ruſus ille noſtram acuit notitiam: *Conſiderate, dilectiſſimi, & ſecundum illuminationem Spiritus ſancti prudenter aduertite, quis nos in ſe ſuſceperit, & quem ſuſceperimus in nobis; quoniam ſicut factus eſt Dominus caro noſtra naſcendo, ita & nos facti ſumus ipſius renaſcendo.* Quò autem debeat collimare tota noſtri deſcriptio, ſeu expenſio ſagax animæ noſtræ, ad trutinam ſerij examinis, ſic explicat Auguſt. *Certè ſi te rex terrenus ad ſuum natalitium inuitaret, qualibus veſtimẽtis ſtuderes ornatus incedere? quàm nouis, quàm nitidis, quàm ſplendidis, quorum nec vetuſtas, nec vilitas, nec aliqua fœditas, oculos inuitantis offenderet? tali ergo ſtudio, in quantum præuales, Chriſto auxiliante, contende vt diuerſis virtutum ornamentis anima tua compoſita, ſimplicitatis gemmis, & ſobrietatis floribus adornata, ad ſolemnitatem regis æterni, id eſt natalem Domini Saluatoris cum ſecura conſcientia procedas, caſtitate nitida, charitate ſplendida, eleemoſynis candida: Chriſtus enim Dominus ſi te ita compoſitum, natalitium ſuum celebrare cognouerit, ipſe per ſe venire, & animam tuam non ſolum viſitare, ſed etiam requieſcere, & in perpetuum dignabitur in illa habitare. Quàm felix eſt illa anima, quæ vitam ſuam ita Deo auxiliante ſtuduerit gubernare, vt Chriſtum hoſpitem & habitatorem mereatur excipere!* hæc luculenter Auguſtinus.

Chryſoſt. ſermone de prodigo.
Hippoc. l. 1.
Natiuitas Chriſti in anima cum magnam præmiam poſit.
EX SS. PATRIBVS.
Aug ſerm 1. de tempore.
Principes diē ſuum natali celebrāt magna pompa.
Leo Papa ſerm. 2. de Natiui Chriſti.
Natiuitas Chriſti hominem aſſecit multis priuilegiis.
Idem ſerm. 3. de Natiu. Chriſti.
Natiuitas Chriſti ſuis Domini Dei tuſque.
Aug. ſerm. de Dominica prima Aduentus,
Natiuitas Chriſti quomodo celebranda ſit.
Natiuitatem Chriſti in villa celebrare ſuit vetitum.

Vt hoc feſtum digniore apparatu celebretur à ciuibus, iure Canonico ſancitum eſt, vt quiſque eo die in ſuam ſe ciuitatem recipiat, ſi in villa antea demoratus eſſet, ſic habet canon: *Nulli ciuium natalis Domini ſolennitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.* Et in ordine feſtiuitatum hæc in canone ponitur prima: *Feriandi verò per annũ iſti ſunt dies, Natalis Domini, &c.* Quo autem ritu excolendus ſit iſte dies, diſce hoc Canone; *Feſtorum principium & finis debet fieri ſecundum magnitudinem ipſorum:* vnde ſi quoſque dies feſtos ſuus manet honos, quid natali tribuetur Domini Redemptoris, quæ dies fecit vt nobis etiam hac Natiuitate renatis diem competat habere natalem? Nam ex Iure Ciuili: *Natales habere dicuntur ingenui, non ſerui, per quos probatur ingenuitas:* Qui enim natus eſt ſeruituti, non vitæ, ſed mortis agit exordium: Chriſto nato, vt ait S. Leo, *Natiuitas natiuitate reparatur:* hac tamen libertate dignati ſoſpitatori noſtro debemus obſequium, vt Iure Romano etiam obligamur, cuius ea eſt lex: *Natalibus reſtitutus libertus, dicitur ingenuus, libertus tamen qui conſequutus eſt ius aureorum annulorum, quamuis munia omnia habeat, non tamen eximitur à iure reuerentiali.* Exhibebimus Redemptori noſtro reuerentiam, ſi debite recolimus diem illius enaſcentis, non mactando boues, vt olim fieri ſolitum ex Athenæo in die cuiuſque natali, ſed nos exhibendo eidem Chriſto hoſtiam immaculatam. Sed memor eſto, Chriſtiane, omne olim quod fiebat Deo ſacrum, ſubiectum fuiſſe examini: nam de re oblata ſanxit Deus: *Conſiderabit eam ſacerdos*, & hoc eſt quod clamat titulus ſectionis, dum ſuadet deſcribi vniuerſum orbem, vt Chriſtus mentibus adnaſcatur.

EX IVRE CANONICO.
Canone, Nulli ciuiũ, de conſecr. diſt. 3.
Canone, Pronunciandum, de conſecr diſt. 3. c. 2. de Feriis.
EX IVRE CIVILI.
Gloſſa quã ingenuis, in l. 3. quis liber ingenuus eſſe dicatur.
Dies natalis olim quomodo celebratus.
S. Leo ſer. 5. de Natiuit. Chriſti: lege ſed ſi de in tuo vocãdo.

Eſto hoſtia illibata, ne Chriſto, cui deberis, hodie fias iniurius, vt fuit victima olim Alexandro Seuero; cui, cùm diem ſuum natalem celebraret, àſtante Senatu victima cruenta aufugit, & ſanguine ſuo tinxit veſtem albã Imperatoris, cui mortem vicinam portendit ille cruor. Si aliquo piaculo lethali præpediris, anima Chriſtiana, ſanè es tota perfuſa ſanguine; quo pueruli IESV linteamina candida cruentabis, eiuſque mali ominis homini

Athen lib 4.
Leuit. 27

Ex Histo-ria.

Christo edito tibi ad ſalutẽ,& non ad perniciem.

Lamprid in Alex. Seue-ro.

Seueri Impe-ratoris mos quo omnem praſi a.

Theoph. in Leone ſub ann 776.

Conſtantinus puer petitur in Imp ratorem à po ulo Conſtantino-politano

Satius erit imitari populum Conſtantinopolitanum, qui à Leone Imperatore filium ſuum Conſtantiuum adhuc puellum petiit in Impeperatorem. Leo ineffabili lætitia geſtiens, Eccleſiam ingreſſus cum Patriarcha, altari coruſcante multis luminibus, ſcilicet cereis accenſis, infantem expoluit ante altare patens eius dicens: Ecce ab Eccleſia de manu Chriſti eum ſuſcipitis. Populus exclamauit: Suſcipimus de manu tua, Chriſte Deus, Dominum Conſtantinum Imperatorem, ad cuſtodiendum, & pro eo commoriendum. Demùm puerulus à Patriarcha accipit inſulas Imperij: ita & tu homo à Deo patre hodie puerulum poſce tibi in Dominum: ſed prius accende plurima lumina, te ipſum ſedulo ſcrutinio totum explora, an ſit in te næuus qui pueruli affectum queat offendere, vt confeſſione diluas & abſtergas: tandem ſic exquiſitè recenſitus, dices Deo Patri: De manu tua puerulum IESVM Dominum meum ſuſcipio, cui æterna voueo ſupplex obſequia. Tædet me ex hiſtoria multiplici colligentem, quali apparatu filios ſuos excipi velint reges. Conſule ſumptus à Salomone rege exhauſtos, vt excipiendo fœtu regio palatia rutilarent, quo ſplendore Conſtantinus ſacro ſe fonte abluit, re-

1 Reg. 9.

Cedrenus in Conſtantin.

Conſtantini Imp. apparatus ad baptiſmum.

Dupleix in Franc. ſecundo.

Catharina Medicea induſtria vt filios conciperet.

Prouerb. 7.

cens Deo natus ex gentili, omnia multa radiante gemma coruſcabant, auri obryzi fulgor oculorum aciem obtundebat, & lampades ipſæ balſamo ſuauiter exhalante reſudabant; & hæc omnia homini incruſtato lepra ſeruiebant: neque adhuc exoleuit memoria anxietatis, & curarum, Catharinæ Medicææ, reginæ, inquam, eius, quæ poſt decennium fœtus expers, ad omnia ſe accinxit, & ſero applicuit remedia quæ vrgere poſſent, & hoc non in caſſum, etenim cœlis importuna tres filios reges enixa eſt, Franciſcum ſecundum, Carolum nonum, Henricum tertium, reges Gallos.

Ex SS. Patribus.

Quid memorem Regum curas? mulietcula ex Salomone nota, nónne iuuenem ſollicitat ad thorum, ex eo quod tetenderit lectulum, & ornauerit tapetibus ex Ægypto. Prætereo Porphyrogenitum Theodoſium Imperatorem illum, qui ſimul aulæ, & purpuræ natus, purpureo nomine deſignatur. Induamus animum ſancti Ephrem, qui ex gloria curiali, cælicam gloriam totus appetebat, ex apparatu ſæculari ſpiritualem, & nos meditemur: ita Ambroſius: *Rex noſter Chriſtus, non tam nitorem veſtium quàm animarum requirit affectum, neque inſpicit ornamenta corporum, ſed inſpicit corda meritorum: igitur ſuſcepturi natalem Domini, ab omni nos delictorum fæce repurgemus*, hæc ille. Quaſi diceret, quicquid tuum eſt, amanda foras; ſi IESVM, qui foris eſt, velis vehere tecum ad intima cordis. Huic effato conſonat Athenienſe reſcriptum, quo Areopagus eluſit Pompeij typhum, qui à Græcis Deus haberi volens, apotheoſim exigebat. Benè tibi, ô Pompei, obiecit Senatus verè ſuſpiciendus: Scito te tantum fore Deũ, quantum te noueris eſſe hominem. O ſententiam etiam codice ſacro dignã! vis hodie ſacro naſcenti Chriſto ſociari? diuinitatem ambis? ad Dei inſulas velis expanſis totus effunderis? Audi me Areopago ſuccinentem. Tantum erit in te deitatis, quantum diſcuſſione ſeria noueris eſſe infirmitatis. Subſcribit Auguſtinus: *Per vitam peruerſam exterminaſti in te imaginem conditoris tui, factus diſſimilis: attende in te, & diſplices tibi, iam eo cœpiſti ſimilis fieri, quia hoc diſplicet tibi, quod diſplicet Deo.*

Ambr. ſerm. de Natiuit. Domini.

Natiuitas Chriſti qualem apparatum deſiderat.

Athenienſes quo reſponſo Pompeij faſtum depreſſerunt.

Aug. in Pſal. 75.

Cæterum velim hanc meam γνώμην omnibus inſcribi mentibus in poſterum, veluti facem præambulam Chriſti natalibus, MENS SVI NESCIA NESCIET DEVM.

PROFITERI FERVENS DEI obſequium, eſt eorum tantùm quibus ſui rutilans affulget notitia, & in ea iugiter exercentur.

In hæc verba:

Aſcendit Ioſeph cum Maria vt profiteretur.

SECTIO II.

PRÆPOSITVS Hebræorum Ioſuë populum per inuios calles longè latéque circumnactum: hunc enim Moyſe duce,

Rara per occultos ducebat ſemita calles:

Terra promiſſionis non fuit diſtributa ante exquiſitam deſcriptionem populi Iſraël.

Strenuus, inquam, ille Epiſtates exercituum, populum hunc ſpoliis grauem, introduxit in terram, in quam ab ortu, gentis illius vota omnia anhelabant. Aſt nota myſterium; non ea regio fuit in varias partita ſortes, niſi exquiſitè antea populo recenſito. Rurſus ei genti nomen eſt Iſraël: duo autem hæc, recenſio accurata, & nomen Iſraël, ישראל, nequaquam abdito ſenſu vacant. Primum intimam ſui notitiam ſonat, alterum Dei viſionem clamat. Ecce tibi abditum ſenſum reſeratum, præludia illa duo præeunt nouæ formæ noui obſequij profitendi, quo Ioſue Deum ſuæ genti fore propitium prædicabat; hæc eſt autem formula voti emiſſi à populo, & excepti à Ioſue: *Abſit à nobis vt relinquamus Dominum, & ſeruiamus diis alienis, Domino ſeruiemus.* Et Ioſuë ad populum: *Teſtes*, inquit, *vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, vt ſeruiatis ei. Reſponderuntque, Teſtes: nunc ergo*, ait, *auferte deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael.*

Ioſuë 24.

Notitia ſui neceſſaria illis, qui ſtudere volunt perfectioni.

Videre eſt ea omnia eſſe prima rudimenta eius obſequij quod ſibi Deus ab æuo vendicauit, idque fit hac ſectione palam: nam Maria & Ioſeph, id eſt, anima illuminata, & accreſcens, Dei ſe totam addicit obſequio, profeſſura ritum qualemcumque Deus exegerit, & tota profeſſionis huius ſeries ſita eſt in gemina diſcuſſione, ſeu intima cognitione ſui; vbi enim habemus, *ibant omnes vt profiterentur*, ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ibant omnes deſcribi, ſeu dare nomen ſuum; & hoc eſt proprium animæ, quæ eſt benè ſibi nota.

Deus ab initio docuit hominem, quàm neceſſaria ſit ſui notitia.

Ambroſ. in Pſalm. 118.

Ionæ 1.

Notitia ſui ſpreta, homo fit multis vitiis obnoxius.

De hac profeſſione ſui, ſeu plena notitia, à primo hominis deliquio ſtatim exiit edictum, non à Cæſare Auguſto, ſed à Deo optimo maximo, ipſo propalante: *Adam vbi es?* id eſt Adam profitere, deſcribe te; & geme, lumine extincto, te defeciſſe in pecus: ita Ambroſ. *Homo cùm peccaſti, aliud eſſe cœpiſti, & quod eras eſſe deſiiſti, vt fieres ex homine pecus*, huic ſi ſe aptaſſet deſcriptioni homo, tunc ſaucius, hinc Deus hunc rediuiuum ſanè ſoſpitaſſet, Ionas cautior inde, vbi ſe audiuit expeti vt profiteretur, Deum illicò placaturus, ingenuâ erroris explicatione, Dei redditur obſequio, cùm nautæ ſic vrgebant: *Indica nobis cuius causâ malum iſtud nobis ſit? quod opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu?* Extemplò, Ionas ſoluit hanc ſpontanea confeſſione quæſtionem. Adeſdùm ignaue, paucis te volo, profitere, & hoc ſatis, quod eſt opus tuum indica nobis?

Pſalm. 72.

nobis ? Sed heu quid indicabit qui ad nihilum redactus eſt, & neſciuit ? Benè Auguſtinus: *Quid feciſti homo, cùm peccaſti ? Defeciſti :* edocente nos Theologiâ peccatum non eſſe effectum, ſed defectum: atque ita non habere cauſam efficientem, ſed deficientem. Quæ terra tua, age ? qui de terra eſt, de terra loquitur. Maledicta terra tua, ſpinas, & tribulos germinauit tibi, & obducto callo aculeis non vrgeris. Sit penes Senecam fides: *Deſinit*, inquit, *eſſe remedio locus, quando quæ vitia fuerant, mores fiunt.*

Senec lib. ep. ad Lucil.

Ex re Medica. Gordonius p. 2. c. 12.

Ex Phyſiologia, vbi humore nimio, aut vapore riget caput, ſomnus hinc obortus lethargum facit; & vbi inſurduit, dubiæ ſaluti non itur obuiam, niſi remediis actibus, qualia ſunt colocynthidum pulpa, aut aloës, aut hiera; talia ſunt quæ ſopito tibi conſulit Bernardus: *Conſidera vnde venis, & erubeſce; & vbi ſis, & ingemiſce; quò vadis, & contremiſce.* Accede, & ſociare his qui hodie ibant, vt profiterentur: iam erubeſcis, macte, color ille eſt virtutis: perge, ito; dies diei eructet verbum, ex delicto præcognito, in alterius notitiam deuenies, & poſtmodum in confeſſione eructabis verbum:

Bern. Pſalm. 44.

I bene, quò tua te virtus vocat, i pede fauſto.

Ex Symbolis.

Ibant verè multi profeſſuri, de Maria & Ioſeph codices ſacri aſcenſum notant. Aſcendit autem Ioſeph cum Maria, plena nempe notitia ſui, æſtus pariter inſurgentes ad excelſa, huius ingenij erat coniunx, de qua Typotius, quæ vbiuis domus ſuæ aquilam ad ſolem enitentem depinxerat, hoc lemmate: VIDET ET VOLAT. Cui ſui plenitudo oborta eſt, verè videt & volat: non eſt enim penes voluntatem, Philoſophia tota conclamante, propoſito obiecto eóque rutilante, non effundi ſpecificè ſaltem, licet actu ea ſit ſui iuris. Dauid aperto ſcelere ſuo VIDIT, ET VOLAVIT: Theodoſius Imperator, qui ſecutus eſt errantem, ſecutus eſt pœnitentem, & volantem.

Typotius lib. Symbolorum.

Cognitio ſui hominem ollicitat ad ardua.

Lucæ 7.

De Magdalena vbi ſcriba ſacer expoſuit has voces, *vt cognouit*, cætera, quæ ſubiicit, raptum, & ecſtaſim ſonant: cor amore exæſtuans obiicit, & eam largo lachrymarum imbre diffluentem, & denique explicat omnium rerum incuriam Christi Domini pedibus adhærentem: VERE, VIDIT, ET VOLAVIT.

Spiritus animales pellucidi.

Ex re Medica.

Si ex Phyſicis, contrariorum eadem eſt ſcientia: Qui non volat, hic non vidit. Accedit medicorum dogma, ſpiritus pellucidos eſſe, quibus impetus excitatur; ideóque ſi ſe eis vapores offundunt, caliginem illam torpor quidam excipit, greſſu titubante & morbi præambulo, iuxta theorema: *Spontaneæ laſſitudines morbos prænuntiant.* Ad hæc inardeſcit animus, & magnos concipit motus, obſtetrice manu eges, vt non primo conamine diſpereas.

Fernel. lib. Phyſiol.

Hipp. lib. 1. Aphor.

Ex SS. Patribus.

Multi, vt prælibatum eſt, eunt quidem deſcribi, ſed rari ſunt qui aſcendunt, quia latet omnes ferè cardo, in quo vertitur tota ratio ſeſe ritè dignoſcendi. Accipe rem tibi fortè primam hactenus, ex Bernardo: *Multi multa ſciunt, ſeipſos neſciunt*, ſupple, practicâ ſcientiâ. Sit tibi pro paradigmate dæmon: is quâ pollet notitiâ, homines excedit omnes, ſed quia ſcientia eius eſt merè theorica, & incuria praxeos, adulterina eſt, & noxia, quod inde nullum prouentum facit. Hac olim Philoſophi ſcientiâ ſibi magnum quæſiere nomen σοφὸς, ſapientiam ementiti togâ tenus. De hac enuntiat Paulus: *Scientia inflat, litera occidit*; namque homines eâ ſcientiâ tantum ſciunt vt ſciantur.

Bernard. lib. medit. c. 1. *Cognitio omnis non eſt practica.*

Itaque omnis ea cognitio ſiſtit in inani, ſuóſque aſſeclas non ad aſcenſum euehit, vt Mariam, & Ioſeph, ſed ſui neſcios aurâ vndique petitâ ventilatos exterminat. Ecce quibus in eos inuehitur Paulus opprobriis: *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Ideóque Hieronymus ſic definit Philoſophum illum: *Philoſophus eſt animal tumidum vana gloria*; & tantum abeſt, vt niſibus alta petant iſti philoſophantes incaſſum, immò inuritur eis ſcomma Ruffini, & ſociorum ambitus eius: *Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant.* Affine eſt illud Pſalmi: *Deiecisti eos, dum eleuarentur.* Vbi Aug. *Ipſum eleuari, deiici eſt.*

1. Cor. 8.

Hieronym. lib. ep.

Aug in Pſal. 72.

Ex Philoſophia. *Cognitionis ſpeculatiuæ, & practicæ differentia*

Quâ igitur intercapedine, ab inuicem ſcientia ſpeculans, & practica diſpeſcuntur ? Sicut feriæ à profeſto die, & otium ab actione ſeriò perpetratâ; ita vt ſcientiâ theoricâ feriante, & ex eâ nihil foras emergente, practica ad aliquod facinus egregium exerendum ſedula tota diffundatur. Et hoc bellè ſonat vox Græca vſurpata Luc. 2. ἀπογράφεσθαι non enim deſcriptionem nudam notat, neque ſimplicem notitiam ſui, ſed nominis inſinuationem ad militiam profitendam. Ita Xenophon. ἀπογραψάμενοι δ' ἐν ταῖς ὁμολογίαις καὶ οἱ Θηβαῖοι. Cùm Thebani nomen dediſſent inter vrbes fœderatas, rei bellicæ ergo. Eamobrem pugil validè exercendus dicebatur, ἀπογραψάμενος τούτους: neque aliud Cæſar intendebat ea deſcriptione, quàm expeditionem in hoſtes: Dauid antea ex populo recenſito nónne regni ſui robur expendebat ? Agedùm, & noris prææltæ ſapientiæ myſterium: Eunt hodie plerique, & pergunt deſcribi ſibi noti, ſe ſciunt pluribus næuis obnoxios; hinc tamen nullum ſpecimen vitæ cultioris ineſt, tota hæc notitia penes eos, cum ſumma morum incuria eſt.

Xenophon Hell. 6.

2. Reg. c. 24.

Ex Symbolis.

Ex Philoſophia, idem manens, idem, ſemper aptum eſt producere idem. Feriante agricola, campus, etſi aliàs ferax, ſentibus hirſutus, cultoris increpat ignauiam. Quid mirum, ſi non aſcendunt ? virtus in alto poſita eſt: vt ſæculo ſuperiore non leui Gallorum periculo Alexander Farnezius numiſmate præferebat, in quo ex edita, & præalta rupe palatium patens ſeſe obiiciebat, hoc lemmate circumducto, VIRTVTIS IMPERIO, quo ſic militum animos humiles erexit, vt pleráque egregia perpetrârint. Ad eminentem Philiſtinorum ſtationem, quomodo aſcendit Ionathas hoc facinore conſpicuus, audi Codicem ſacrum: *Aſcendit autem Ionathas manibus, & pedibus, repens, & armiger eius poſt eum: itaque alij cadebant ante Ionathã, alios armiger eius interficiebat ſequens eum, &c. Et factum eſt miraculum in caſtris.* Quaſi diceret: Inuaſit hanc ſtationem præaltam VIRTVTIS IMPERIO: non hos igitur ſciolos manet aſcenſus, qui inſtar ſimulachri, manus habent, & non ambulant. Mariæ vni datum eſt non irrito conamine omne altum tranſcendere, & hoc VIRTVTIS IMPERIO, & ea verè fuit miraculum in caſtris, ſcilicet ſignum magnum in Eccleſiâ, terribilis, vt eſt caſtrorum acies ordinata, ideoque dicta: *Nouum miraculum*, à S. Damaſc. Ioſeph etſi non paſſibus æquis aſſequens, ſequens tamen & aſcendit, quippe vtriuſque deſcriptio, ſiue profeſſio practica, morarum impatiens neſciebat inducias; ante Mariam vt ante Ionatham corruebant hoſtes: nihil enim noxij acceſſit ad Mariam. Ioſeph armiger tot in ſe mactauit hoſtias, quot motus compeſcuit inſurgentes. En tibi praxim.

Lukius lib. numiſmatũ.

Virtutis eſt locuples præmium.

Morali. *Virtutis ſunt ardua conamina.*

1. Reg c. 14.

Maria ſemper intenta praxi.

Damaſcenus orat. de Nat. B V. Mariæ. *Maria nouum miraculum.*

Humilitas in contemptu nō querula.

Ambo ſui nihili maximè conſcij non huic immorantes notitiæ, ab omnibus inſtar quiſquiliarum babiti gratum agebant, Deo teſte, tripudium:non erat eis locus in diuerſorio, ad beſtias, &ſub dio,vndique aperto ſtabulo relegantur;quid vſquam querimoniæ auditum?quid torui in oculis?quid moroſi in facie? quid in inceſſu tædij patuit toti Bethlehemitico populo?diceres eſſe peripſema, adeò durè cum eis actum: apud eos tamen pacata ſunt omnia. Diſce hinc ex notitiâ tui,

Bernard. *Humilitatis vera ſigna indubia*

Bonau. lib. Opuſc. in Alphabeto.

Actor. 5.

nihil abiectum & tuo nihilo conſonum aſpernari, ex Bernardo: *Verus humilis, non humilis, ſed abiectus vult videri.* Occinit Bonauentura: *Ama neſciri,& pro nihilo reputari. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij*, in eos quotidie ſæuientis odio pluſquam Vatiniano. *Inimici hominis domeſtici eius*, videlicet gloriæ inanis habitus innati: quos vltimos exuimus, & beneficio tantùm

Pſal. 73. *Cognitio ſui homines ad virtutem ſollicitat.*

mortis: *Superbia eorum aſcendit ſemper. Extollitur ſupra omne id quod dicitur Deus.* Profitere, ἀπογράφου, id eſt, da nomen illi militiæ, quæ hanc hydrā deprimat inſurgentem, te ipſum eſſe flocci hominem profitere, ne detrecta ea quæ tibi ſunt iniuria: & ecce practicè deſcriptum orbem vniuerſum, en aſcenſum qui ſoli Ioſeph competit aut Mariæ.

Occurres dubius obiiciens, infima & ſumma non coire? verùm in Phyſicis ſimul & ſemel, ſecus tamen eſt in moribus, nam vt ex Aug. *Ipſum attolli, deiici eſt*: ita ipſum deiici, attolli eſt; audi huius paradoxi Samuelem aſſertorem, dum regem

Aug. in Pſal. 72.

1. Reg. 15. *Humiles honorati.*

Saülem carpit: *Nónne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, vnxitque te Dominus in regem?* Hinc, id eſt, ex humili habitu, Eſther Aſſuero, & Eudoxia Theodoſio ſociatæ: ambæ humili loco natæ, tandem diademate claruerunt, humilitate antea clariores. Ab ea virtute

Hier. epiſt. ad Heliod. Idem in epitaph Paulæ. Ex Historia.

Nepotiani texit encomium S. Hieronymus. Gloriam Paulæ idem venatus eſt, eò quod eſſet ingloria, ſic ille: *Gloriam fugiendo, gloriam merebatur, quæ appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.* Inſtabis, ex prædictis non conſtare de praxi, ſed tantùm de humili habitu eorum quos antea prælibaui?immò verò id ipſum ſcriptura ſanctior eloquitur, vbi Saül ſibi paruulus in regem adſcitus eſt, à quibuſdam ludibrio habitus, nihil altum adhuc de ſe ſapiens, pia reuera praxi, humilitatem

1. Reg. 10.

plenè profeſſus eſt, vt patet ex contextu: *Filij Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte, & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera, ille verò diſſimulabat ſe audire.* Dauid item appetitus

2 Reg. 16.

Eſther 3.

Caſſian. coll. 11. c 15. *Paphnutij ſtupenda humilitas.*

conuiciis à Semei, inquit: *Sinite vt maledicat.* Eſther, regio licet apparatu, nónne tacita tulit principis Aman inſaniam, & hoc vſque ad opportunum tempus? Eudoxia quàm patienter Pulchariæ ſimultates eluſit, ementita ſe neſcire, & in exilium acta nullum querendi fecit initium. Caſſianus inde extollit Paphnutium: *Falſo*(inquit)*furti accuſatus, tacitus pœnitentiam egit in limine Eccleſiæ, atque ad veniam ſuppliciter expetendam matutinus occurrebat.* Itaque liquidò conſtat Mariam & Ioſeph probè in aſcenſu ſociari, id eſt lumen, & augmentum virtutis omnigenæ.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q 58. art. 2. *Anima in corpus quale ſit imperium.*

In hoc themate, quod eſt de notitiâ, Theologia illucens totam rem aperiet, oſtendetque nō intercedere diuortium inter Mariam & Ioſeph. Sed ambo eodem prope greſſu procedere, id eſt, ad ſui cognitionem, denotatam per Mariā, accedere praxim, quam adombrat Ioſeph: ſic ergo ſacra diſciplina fatur: Omnium humanorum operum ratio eſt primum præcipuumque principium, cui omnia alia principia ſubſunt, etſi diſpare modo: nam quædam rationi obediunt omnino ad nutum ſine luctamine, vt corporis membra bene cōſtituta; ſtatim enim annuente ratione mouentur, manuſque, pedeſque ad opus quod ratio intēdit. Ariſtoteles ideò ait, animam regere corpus deſpotico principatu, ſicut dominus ſeruum qui non eſt ſui iuris, vt cōtradicere, vel obmutire queat; alia verò obediūt quidem, ſed reluctādo rationi, vt pars appetitiua, quæ ſæpè ſæpius inſurget in animum, etſi

Ariſt. lib. 1. Politic c. 3. *Rationis in paſſiones quale ſit imperium*

In Pſal. 118. *Potentia appetitiua debet diſponi, vt anima ſpecimen aliquod edat virtutis.*

bene dirigentē, vt & ait Ariſtoteles vocans principatum politicū, eum quem ratio exercet in partem appetitiuam, quo dominio non demitur omnino facultas reluctandi. Vnde ait Auguſt. *Interdum præcedit intellectus, & ſequitur tardus, aut nullus affectus*, fitque, vt plurimùm, vt paſſionibus appetitiuæ partis cohibeatur vſus rationis. Ex præfatis liquet, non ſufficere vt intellectus benè diſponatur, ſed requiri etiam, vt potentia appetitiua benè diſponatur, ad hoc vt opus aliquod egregium exeratur; ea tamen eſt connexio, inter habitus perficientes intellectum, & potentiam appetitiuam, vt habitu intellectuali vigēte creſcat, & moralis; quò enim quis plura videt in virtute amore digna, eò etiam magis deperit rem amore dignam: & vt Ioſeph nuſquam ſuam abiecit ſponſam, etſi de ea occultè dimittenda fuerit aliquādo ancipitis animi; ita & moralis illa virtus notata per Ioſeph, poteſt ſtare ſine virtute intellectuali, in Mariâ figuratâ.

Thom. vbi ſupr. art. 4. *Virtus moralis eſt habitus electiuus.*

Accipe rationem moralis Theologiæ, & Doctoris Angelici. Moralis virtus eſt habitus electiuus, id eſt bonam electionem præſtans; ad hoc autē vt ſit bona electio, requiritur lumen intellectus, ne hallucinetur ratio: & rectitudo voluntatis, ne propoſito bono reluctetur. Vt autem Maria aſcēdente in Bethlehē, aſcendit etiam Ioſeph; ita intellectu erigente ſe ad ampliorem notitiam, proficere voluntatem neceſſe eſt; & hoc eſt, quod probare incumbebat ex titulo ſectionis: luminis augmentum, ſeu maiorem notitiam, inducere etiam virtutum praxim;

Ex Mathematica. Libro de ſignif. in ort. ſyder. *Conſtellationes efficaciores ſunt planetis.*

Scientia, & praxis debet eſſe ſocietas indiuidua.

Mathematici cœlorum incolæ probant, ex eo quòd ſigna ſeu conſtellationes plus energiæ habent, quàm ſingula quæque ſydera, ſeu Planetæ, quamtumuis ſint efficaces: ratio autē virtutis amplioris colligitur, ex fuſiore lumine quo conſtellationes emicant, conſtant enim pluribus ſtellis: at planetæ ſinguli ſunt in ſua quique ſphæra ſingulares, vt ſciunt Aſtronomi: quantumvis enim quilibet planeta aut oriatur, aut occidat, non aërē mouet, aut aliquid ſenſibile ita efficit, ſicut plurimæ conſtellationes tota anni ſerie notabiles, vt explicat Ptolomæus. V. g. Nonis Ianuarij Delphinus totus emergit, & tunc ventorum concurſus exurgit: Nonis Februarij Zona Orionis oritur, & hinc turbatus aër: quo quis etiam plus inuigilabit ſibi, ita ei maior aura gratiarum aſpirabit.

Ex Iure Canonico. *Scientia prætatis quanam ſit.*

Canone, Turbat. §. Cur ergo, diſt. 37. Can. qui ea. diſt. 38.

Iure Canonico etiam ſuadetur illa ſocietas ſcientiæ, & praxis, vt hoc Canone: *Scientias ſæculares licitum eſt addiſcere etiam clericis, non ad voluptatem, vel ad delectationem, ſed ad eruditionem, vt quæ in his vtilia inueniuntur, ad vſum ſacræ eruditionis conuertantur.* Sed ius hoc ſacrum explicans quæ ſit illa ſcientia quam ſectio præſens inculcat, ſic ait: *Scientia pietatis ſunt illa, per quas quis inducitur ad amorem Dei, & proximi.* Et alibi: *Scientia mandatorum Dei inducit ad ſalutem, ſed ignorantia eorum inducit ad damnationem.* Pulchra ſanè virtutis, atque ſcientiæ connexio! immò & Iure Ciuili monemur, ad opus magis quàm ad verba legis agnoſcenda:

Ex Iure Ciuili.

Legis

Gl penultima in leg. primam. Cod. de interdictis.

Legis mentem potius debemus inſpicere quàm verba. Atqui mens legis non eſt prælucere tantùm rationi, ſed inducere voluntatem ad virtutũ ſequelam. In eo ſunt ſancti Patres, vt omnem boni notitiam aptent actioni. Audiatur quæſo Auguſtin. *Multos reperimus negligentiſſimos iuſtitiæ, & auidiſſimos ſapientiæ: hos docet ſcriptura diuina peruenire non poſſe ad id quod appetunt, niſi ſeruando quod negligunt, Fili, inquit, concupiſcẽs ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Dominus præbebit illa tibi.* Idem alibi. *Philoſophia eſt finis boni, nulla eſt igitur cauſa philoſophandi niſi finis boni, quamobrem quæ nullum boni finem ſectatur, nulla philoſophia ſecta dicenda eſt.* Hieronymus antea iam ſcripſerat: *Non æſtimes in eo te placere Deo, ſi ſermones, id eſt, ſi ſcripturas illius legas: tunc enim ſcripturæ proſunt legenti, ſi quod legitur opere compleatur.* Adiicit ſe illis Sanctis, Iſidorus & ipſe Sanctus: *Lector ſtrenuus potius ad implendum quæ legit, quàm ad ſciendum erit promptiſſimus.* Idem penè ait Gregorius: *In verbis ſacri eloquij iſte debet ſtudij noſtri ordo ſeruari, vt hæc ideò cognoſcamus, quatenus de iniquitate noſtra cõpuncti, & cognoſcendo mala quæ fecimus, ea vitemus, ne alia faciamus; & cum iam ex magno vſu lachrymarum, de peccatorum remiſſione cœperit eſſe fiducia, per verba Dei quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus,* Agmen claudet Philoſophus infidelis, ſententia ſed fideli: *Tamdiu diſcendum eſt quemadmodum viuas quamdiu viuis.* Non vult Seneca accendi lumen ſcientiæ niſi in ordine ad virtutem.

Ex SS. PATRIBVS. Auguſt. ſer. 2. de Annunciat.

Idem, De Ciu. Dei lib. 19 c. 1. in Michæam. Homil 10.

Sciẽtia debet ad praxim ordinari.

Gregor. in Ezech.

Senec. ep. 76.

Ex HISTORIA. Chytræus oratione de Carolo V.

Caroli V. Imperatoris modeſtia poſt auditã ſuam orationem panegyricã.

Socrates lib. 7. c. 21.

Hoc præſtitit Carolus quintus Imperator, qui ſcientiæ ſuæ eò omnia acumina direxerat, vt melior euaderet: is enim adhuc infans in tutelâ Ludouici duodecimi Regis Galli, grandior effectus, imbutus eſt eâ, quam decet principes, notitiâ; tantumque in eâ profecit, vt eius tota ſapientia plus vigeat in manibus, quàm niteat in capite: egregiæque virtutis ſuæ ſpecimen edidit Pariſiis, cùm ad Belgas tranſmearet; in regia illa vrbe & orbe Gallico exceptus luculentâ oratione, quâ ille idem miris efferebatur encomiis, deducta ſerie gratiarum, quæ micabant in eo Principe, reuera digno egregia panegyri, animus ille ſanè ſuſpiciendus reſpondit Oratori: Hanc virtutum congeriem in laudem eius, fuiſſe admonitionem ad earum praxim, & non hiſtoriam rei aliâs integrè perpetratæ. O effatum tali Imperatore dignum! qui non gloriolam aucupatur ex inſignibus elogiis, ſed proponit ea quæ didicit adimplere. Adiicienda Imperatori Eudoxia Imperatrix ſuprà recenſita, quæ iuuenis patre Leontio Philoſopho tincta diſciplinis Ethnicorum, initiata poſtmodùm myſteriis fidei Chriſtianæ, & Theodoſio Imperatori ſociata, omne quod animo ebiberat manibus explicante; ita vt Eudoxia fuerit virtutis ingenuæ viuens ſimulachrum, vtpotè quæ extinctam Gentilium philoſophiam, quam calluit, Chriſtianorum ſacris ritibus animauit.

Eudoxia Imperatricis miro virtus.

Ex MATHEMATICA: Euclid. lib. 1. Elem. Geomet.

Humilitas à nihilo incipiens deſinit in nihilum.

Præfatis iſta lumen adiicient: Sicut Platonicis ſunt omnia, ita ſit tibi tatum eſſe trimembrem ſeriem Dei famulatus circulo graphicè figurari: videlicet in circulo eſt punctum incipiens, deinde linea ſemiplexu ſe leuiter inclinans, tertiò demum eadem ſe lineis protrahit, gyrando recurrens eò, vnde cœpit initium: ita vt quis ſummum profiteri queat obſequium, ſuo primùm nihilo, id eſt notitiæ, adhæreat punctuali: hinc ſe cuiuis obuius ioiuriæ non inuitus adaptet, denique multo virtutum lucro reportato, iuge chariſmatum capiat incrementum. Suet Caſſianus: *Nullo modo poterit in anima noſtra, virtutum ſtructura conſurgere, niſi priùs iacta fuerint in corde noſtro vera humilitatis fundamina, quæ firmiſſimè collocata perfectionis culmen valeant ſuſtinere.* Hæc omnia liquent vnico verſu Salomonis: *Deum time, mandata eius ſerua, hoc eſt enim omnis homo.* Id eſt, tu qui tuis inſultibus ad nihilum redactus es, incuruare cuivis, hoc enim timoris proprium, tandem mandatis Dei conſonam vitam ages. Ecce te perfectum, & rotundum, hoc enim Hebræa ſonant האדם כל *col ahadam*, כל *col* omne, à radice *calal* כלל perficere, quaſi diceret: eris perfectus, cùm eris omnis homo, id eſt totus teres atque rotundus.

Caſſian. l. 12. Inſt. cap. 32.

Humilitas virtutũ omnium eſt rudimentum.

Perfectus homo quiſnam ſit.

Hinc arguere potes, ſi tria ſunt omnia; homo tribus conſtare debet, vt ſit omnis homo, atque adeò rotundus: ergo ſi è tribus alterum deſit, verbi gratia, ſit impatiens irrogati mali, aut ſui nihili immemor in altum nimis efferatur, iam non eſt omnis homo, ſed ex parte tantùm. Hominis autem nihil nobis obuium eſt niſi corpus, corpus autem ei commune cum brutis; ſic illatione factâ, talis homo nomine tenus obliterata & expuncta virtute omni, eſt pecudis inſignæ nomine nuncupandus. Si ſapientis Eccleſiaſtæ deſipit tibi theorema, ſapiat tibi ſummæ ſapientiæ Chriſti paradigma; vt eſſet aliquid in humanis, exinaniuit ſemetipſum; cùm pateretur, non comminabatur; en alterum, denique: *Factus eſt obediens vſque ad mortem.* En totum teretem atque rotundum. Igitur audi me egregium tibi conſultorem: ſumma eius profeſſionis quam exigit à te Deus zelotes obſequij tui, tota eſt in hac meâ mihimet, & faxit Deus, epigraphe: VT SIS ALIQVID DEO, ESTO TIBI NIHIL. Adſtipulatur & Bernard. *Qui tibi Domine non ſapit, deſipit; & qui vult ſibi eſſe, & non tibi, nihil incipit eſſe inter omnia.*

Perfectio tria prærequirit.

Bernard.

Qui ſibi nihil eſt, aliquid Deo eſt.

Bifariam debent inuigilare Paſtores, primò ſibi, tùm gregi ſuo.

In hæc verba:

Et Paſtores erant in eadem regione vigilantes.

SECTIO III.

NOn inſulſa ſanè eſt Eccleſiæ cum corpore collatio: etſi enim longè & latè diſpertita putes membra, in vnum tamen corpus diſſitæ hæ omnes inuicem partes compage quadam myſticâ coaleſcunt. Ij verbo Dei inſiſtentes referunt linguam; iſti actione pia feruidi, obeunt manuum partes; alij pietate ſua multos ſuſtentantes, pedibus affines ſunt, quibus totum ferre incumbit corpus: oculis ergo opus fuit & his tirè micanobus, ne tota hæc maſſa cæcutiret.

Eccleſia cum corpore humano comparatio.

Qui ſint oculi illi pellucidi, collige ex nomine, ſiquidem Ἐπίσκοπος, à verbo ἐπισκοπέω ſuperintendo, Epiſcopos vigiles oculos eſſe Eccleſiæ denuntiat. Benè ergo Eccleſia corpori coaptatur; in eam mihi præit ſententiam Bernardus: *Eccleſia militat in bonis ſæcularibus, peregrinatur in bonis*

Epiſcopi ſunt oculi Eccleſiæ.

Bern. ſerm. de dedicat. Eccleſ.

Hebr.13.
Ezech.3.

regularibus, vigilat in bonis Paſtoribus. Inuigilant (ait) *Paulus, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris*. Et alius ex ſactis, audit à Domino: *Speculatorem dedi te domus Iſrael.*

EX PHILOSOPHIA.
Epiſcoporum eſt vigilare.
Tiberius noctu videbat.

Ex Philoſophia, fruſtrà medium rutilat, & obiectum fit obuium, ſi non ſit illæſa potentia, ea ſanè ſupponenda eſt in officio Paſtorali; ſi quidem ex Bernardo. *Dignitas hæc ſibi vendicat homines probatos, non probandos.* Alioquin ex ducatu hominis cæci, quid niſi caſus, & hos crebros, liceat augurari? Commento quodam, ſapiens antiquitas nos Paſtoris vigilias edocuit, dum mentitur Argum, vbi in paſtorum numerum adſcitus eſt, ex tunc centum oculis diffuſis vndequaque rutilaſſe; quaſi diſſonum foret eſſe Paſtorem minimè coruſcantem.

De Tiber. Suetonius.

Tiberio Imperatori fuiſſe oculos lumine innato radiantes Hiſtoria fidem facit: immò & Philoſophia quoſdā aſſerit igniculos ex oculis emicantes, & hoc eſſe conſtans & indubium, ex Medicorum placito ratio probat.

EX RE MEDICA:
Veſal. de Anatomia.
Neruus optici multis pellucidis ſpiritibus abūdant.

Quippe cùm nerui optici, vt primogeniti (ij enim faciunt par primū è cerebro natū) multo ſpiritu oppleantur; & ſpiritus hic de vitali factus animalis in cerebri valuulis ſcintillet à natura, fit vt pauco extrinſecè effuſo lumine, oculis omnia ſint peruia: ita Prælatis debet ineſſe lumen immiſſum è capite, quod eſt Chriſtus, vt pauco aliunde fulgore mendicato, per ſe ſatis effulgeant.

EX SYMBOLIS:
Lukſos, lib. numiſmatū.
Malach.2.
Exod.3.
Ioānis Regis Angliæ ſymbolū exhortãs Reges ad edenda virtutis egregia ſpecimina.
Eccleſ.41.
Canones Apoſt. can. 57.

Talem ſe effingi à Domino, Salomon exorat: *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam vt ingrediar, & egrediar coram populo.* Ioannes Angliæ rex, in icone ignem ex montis cacumine coruſcantem præferebat, in ſymbolum animi ſui vigilantis, hac præfixa voce parænetica, PRÆLVCEAMVS. O Paſtores eſtis ſuper candelabrum, PRÆLVCETE; etenim ex Propheta: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Verè Angeli partes agitis, ò Paſtores, ſed eius Angeli qui populū anteibat, errantem in inuio, & inaquoſo, is præcedebat in columna ignis. PRÆLVCETE & hoc, ſcientiã & ſtudio in alios opportunè refundendo: ita ex Ieſu filio Syrac: *Surrexit Elias propheta quaſi ignis.* Plerique hodie non ſurgunt, ſed proni iacent, nigræ ſuæ inſciriæ caligine obuoluti, in eos Canone ſacro cautum:

Epiſcoporum quæ obligatio.

Epiſcopus aut Presbyter, qui negligentius circa clerum, vel populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione ſegregator; ſi verò in ſocordia perſeuerauerit, deponitor.

1.Eſd.1.
Ambr. 1. de Arca & Noe.

Animaduerſione hac notati Paſtores ignaui olim, ignorantiâ tali ignobiles, qualem vix aliàs reperire eſt, Eſdra authore: *Filij Berzelai quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de ſacerdotio.* Ex Ambroſio: *Probati viri genus, virtutis proſapia eſt.* Melchiſedech verò patrem, aut ſuos neſcit, quia gregi ſuo totus intentus, attendit quo debeat eum paſtu pingui ſaginare. Non perperam duæ iſtæ voces, Doctrina, & Veritas, pectori Pontificis appenſæ olim, ſcilicet inde memor eſſet quâ fulgere debeat ſcientiâ Paſtor, alijs vtique prælucendo.

Pōtifex olim Hebræorum quare pectori inſcribebat has voces, Doctrina & Veritas.
Daniel 4.
Iſai. 60.
Num. 4.

An non hodie repetitur nefas, æuo Danielis inolitum: *Sacerdotes ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum; & comederunt omnia, & biberunt.* Noxia rediere tempora: *Operiet caligo populos: ſicut populus, ſic ſacerdos.* Neſcij omnes diuini eloquij ita ſuadentis: *Scient ſinguli, cui debeant oneri mancipari.* Attamen nocte ingreſſi ſacerdotes, nocti inſcitiæ, & caligini mancipantur.

EX HISTORIA.

Ea nocte fures in ouile ingreſſi, ſuperiore ſæculo graſſante hæreſi, tota Europâ ſilebant leges, & doctores, intonante boatu bombardarum, quas Carolus quintus, & Frāciſcus Gallus accenderant, maiorū in inuicem ſimultatum ignibus æſtuātes.

Paulus Iouius in Carolo quinto.

Doctrina ſic feriante, altus in Præſules Eccleſiæ vigiles ſopor irrepſerat; hinc omnia ex animo ceſſerunt hæreticis, qui ab Eccleſia impiè defecerunt. Hoc in Iſboſeth graphicè lineatum: *Rechab & Baana ingreſſi ſunt feruente die domū Iſboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticū obdormiuit: ingreſſi ſunt autem domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine.*

2.Reg.4.

Præſules ignauiā caligantes, lectulis indulgebāt; doctrina, quæ eſt oſtiaria Eccleſiæ, otiāte, nemine inuito, nefarij homines ſpicas tulere ſacras, dum Eucharistiam expungentes, in hoc frumentū electorum impiè ſæuierunt; harum ſpicarum inedia Præſules eneruati, & alto ſopore capti, in inguine luxuriæ addicti, lethale vulnus acceperunt.

Præſulum ignauia dedit locum hæreſib.
Zachar. 1.

Cauiſſent ſanè, ſi Hieronymo feciſſent ſatis, ſuadenti: *Ama lectionē ſcripturarum, & carnis vitia nō amabis.*

Hieron. lib. epiſt.
Baron. in Iuliano ſub. an. 362.

Illo aſtu Iulianus Imperator, religionis auitæ deſertor, Chriſto infenſus, Religionis multa cæde dehiſcētis, voluit delere reliquias, ſanxit ne Chriſtiani literis operā darent; certior factus ignorantiæ, ſeu animæ caliginis, aſſeclā eſſe impietatem.

Idem in Diocletian.
Iulianus Apoſtata ſuccegit ignorātiam inueheri in Eccleſiam.

Anteà Diocletianus eò collimans, in codices ſacros ſuā rabiem effuderat, inferens ſcientiâ obliteratâ pietatem extinguendam. Vt huic malo occurrerent Præſules ſanctiores, gregem ſuum ipſimet, verbi Dei obſonio ſignauerunt, diſſeminantes verbum Dei, rati parùm eſſe, ſi Præſul aliis demandet curam hanc, quæ eſt ſocia Paſtoralis officij: vt ſuo exemplo docuere Apoſtoli & ſancti Antiſtites plerique, præter Ambroſium, & Auguſtinum apud Latinos, & Gregorium vtrumque, Nazianzenū & Nyſſenum, Chryſoſtomū, & Baſilium apud Græcos, quibus aduce miraculū ſuperioris æui, Carolū Borromæum Cardinalem, Mediolanenſem Archiepiſcopū, qui ſuæ ſanitatis incurius, de ſanctitate magis anxius, ad Heluetios trāſijt, populos degentes in ora finitima ſuæ diœceſis, quibus pabulo verbi Dei recreãdis operam ipſemet dedit nō concionator ambitioſo eloquio aucupans auram popularem, ſed vt puerorum catechiſta humilis, edocens prima Chriſtianæ fidei rudimenta; vt qui ſibi ſeduliâ virtutum praxi ſtudebat, cautè aliis etiam piis ſermonibus inſudaret: ſic Præſul ſpecimen exhibuit Antiſtitis eius, quem nobis canones ſacri delineant, & cuius vigiliæ propriam perſonā inſpiciāt, & caulis etiam proſpiciant.

EX IVRE CANONICO:
Ex vita S. Caroli Bor.
Canone, Cleros.
Gl. punitate in extrauag. Execrabilis. Ioan. 22.
Canone. Valentinian. diſtinct. 63.
Canone. Cauendum 10 q 1.

Pontificio iuri, fortè credent illi Pōtifices, en canones: *Epiſcopi nomen eò dictum eſt, quia ille, qui efficitur Epiſcopus, ſuperintendat, curam gerens ſubditorum.*

Epiſcopi munus quale.

Ne autem nomine tenus ſit aliquis, ſuis infulis velut typho tumens, ſic habet Gloſſa Iuris ſacri: *Epiſcopum non facit nomen, ſed vita.* Debere autem Præſulem ſibi & aliis inuigilare, habetur iſta ſanctione: *Epiſcopus debet non verbo ſolo, ſed etiam conuerſatione gubernare ſubiectos, & tanquam virtutū exemplum ſemetipſum oſtendere, & teſtem doctrinæ habere conuerſationem bonam.* Subijce & hunc canonem. *Epiſcopus debet prædicare verbum Dei, & intendere lucris animarum potius, quàm in prædandis, & ſpoliandis ſubditis.*

EX IVRE CANONICO.
Canone, Te quidem 11. q. 1.

Demùm iſte canon compendioſè deſcribit Epiſcopum. *Epiſcopi debent viuere irreprehenſibiliter, & ſæcularia vitare negotia:* En ſpecula quibus Antiſtites rimari debent, an ſpecies eorum referat idæam à ſacro Canone præſtitutam; à qua ſi deflectunt,

deflectunt, meditantes vitam Sanctorum Præſulum, qui præfuerunt olim Eccleſiæ, cuius illi curã ignauiter agunt, dicant ſaltem alta trahentes ſuſpiria, & ſuam diœceſim compellantes; O domus antiqua quàm diſpari domino dominaris? ſancto regebaris aliàs Antiſtite, & nunc nec regeris, nec corrigeris, ſed prædæ pates lupi gregem miſerè depaſcentis. Faxit Deus vt non ſint inania ea ſuſpiria, quæ emergunt, vel ab inuitis Epiſcopis qui diſſonam gerunt vitam, officio cuius munia homines exigunt illiratus.

Ex Ivre Civili: Lege ſi quanquam Codice de Epiſcopis, gl. Sacrorũ. §. Sed etiam in Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos. Collat. 1.

Quod ſi Canonum eſt ignarus aliquis Antiſtes, ſæculari ſcientiæ magis quam Pontificiæ addictus diſciplinæ, audiat ille ius ciuile de Præſule ſic ſanciens. *Epiſcopus debet eligi caſtus, & humilis, vt quocumque locorum peruenerit, omnia vitæ propria integritate purificet, neque pretio ſed precibus ornari debet?* & ne inſcius regularum ſanctiorum eſſe videatur, ſic cauet lex. *Epiſcopus non eſt ordinandus, antequam coram eo ſacræ regulæ legantur, & reſpondeat ſe velle eas ſeruare*. Non hoc Iure Ciuili volo inferre Epiſcopos, ab hoc omnino iure dependere in re ſacra, habent ſuos Canones, & ſcio Iuſtinianum Imperatorem malè audiſſe, eò quod ſibi in ius Pontificium, plùs æquò alias arrogauerit, ſed homines iuris Pontificij neſcios mitto ad diſciplinam ſæculi, quia toti ſunt de ſæculo, nihil ſui Deo Domino commodantes. Quod ſi ſui compotes velint Antiſtites ſuas obire partes, Deus præſto erit, ratione ſacramenti quod ſuſcepetunt Epiſcopi.

Ex Theologia. Thom. 3. p. q. 65 art. 1. Gratia Dei multiplex eſt diuiſio. Gratia Sacramẽtalis quid addiciat illi gratiæ quæ datur extra Sacramentũ

Theologi gratiæ gratum facientis multiplices influxus agnoſcunt, alia eſt gratia quæ datur extra ſacramentum, vt ea quà dignatur homo, & quam præuia contritione intensâ demeretur: illa quidẽ expungit peccatum in genere, ſed non eà virtute quà gratia quæ confertur in ſacramento, abſque obice: nam ex Sancto Thoma, Eccleſiæ ſacramenta ad duo ordinantur, ſcilicet ad perficiendum hominem, in his quæ pertinent ad cultum Dei iuxta ritum fidei Chriſtianæ: ſecundo infundunt gratiam congruam ſacramento. Verbi gratia, Confirmatio non ſolum gratiam inducit, ſed & confirmationem ſiue robur in eos qui inſurgunt dæmonis auſus hominem perdere molientis; ita Ordinis ſacramentum impetrit gratiam, quæ idoneos facit Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, ſed ſummus ordo Epiſcopatus, ſiue ſit diſtinctus ab aliis, ſiue ſit tantum ampliatio, copioſiorem ſibi vendicat illapſum gratiæ, quà

2. Cor. 3.

Præſul (ſi non obſtet) ſibi inuigilans, poterit & inuigilare toti gregi, vt inſinuat Apoſtolus. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti:* nota Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos, eoſque idoneos ex ordinatione; eos autem vigiles effectos, hac gratià ſacramenti, quæ etiã ſingulos quoſque Præſules manet. Ex eodẽ Paulo qui Epiſcopis honorem præcipuum vult deferri, ob eorum curam, & vigilias: ſic ille. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilãt quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Hebræ 13. Epiſcopi quare digni honore ſingulari. Epiſcoporum negligentia quã ſit gregi pernicioſa.

Credo equidem multos hodie Præſules inglorios, quia non vſquequaque modo peruigilant aliis, ſed etiam ſibi obdormiunt toti, ſuoque ſopore in ſactis peſſum faciunt animas gregis, dùm ſuorum corporum dumtaxat intendunt curam, & ſaginam: ſicut ſi qui pietate Conſtantini Magni ditiores effecti, parùm ſolliciti de re ſacra, ſtuduere tantùm rerum inanium aucupio.

Huius facinoris rettractà ſæcula lucrunt pœnas, quippe in Concilio Nicæno, deflente hoc Hieronymo, *Ingemiſcens orbis terrarum, Arianum eſſe ſe miratus:* nec adhuc errorem noſſet, ſi tot lumina Eccleſiæ orbi indormienti minimè affulſiſſent. Et quorſum hodie Turcica gens eſt Fidei noſtræ penitus impatiens? quia libello repudij cuius Mineruæ dato, nunquam inituros litigium de impio ritu ſuo, ſe iureiurando Mahometi turpiter addixerunt. Liquet ex præfatis, Eccleſiæ ſalutem eſſe penes vigilias, & ei coaptandum lemma Friderici Strozzi, Lunam pro ſymbolo præferentis hoc titulo, OPEROSIOR VNDE SPLENDIDIOR: quò enim plures a Sole ſeu Præſule ſuo Eccleſia quæuis radios exceperit, eò maiora virtutum capiet incrementa: Ideóque decreto ſuo ſanxit Gregorius doctrina tantùm conſpicuos eſſe conſecrandos; rationem autem ſui decreti offert reuerà ſuſpiciendam, ſcilicet: *Qui ad curam aliorum poſitus eſt, in ſe ipſo debet oſtendere qualiter alios in domo Dei oporteat conuerſari.* Optimè Pontifex ſummus vigiles inſinuat debere eſſe Paſtores; vt quibus proprij oculi non ſufficiunt, cùm etiam in alios ſui iuris, ſint eorum lumina retorquenda: gregi autem ſuo inuigilandum iuris diuini eſſe, Pius quintus motu proprio fecit palam. Hoc vigilandi munus pertinere ad Epiſcopos omnium diſciplinarum concors eſt authoritas; etenim cùm nomina ſint ſigna rerum, tota rei paſtoralis ſumma multiplici nomine nobis innoteſcit. His autem illuſtribus nominibus inſpice Præſules, Dij, Domini, Pontifices, Antiſtites, Paſtores, Patres, Primates, Optimates, Capita populorum, denique Angeli nuncupantur, Dei nomen affingit Deus ipſe, Moyſi paſtorem agenti populi ſui. *Conſtitui te* (inquit) *Deum Pharaonis*: Accedit & Pſaltes. *Ego dixi dij eſtis. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum.* Nomen Dei Hebræum יהוה Eſſentiam ſonat primitiuam, à qua cæteræ omnes deducuntur; conſonat vox Dei à dando, quia Deus dat eſſe, & conſequentia ad eſſe: & hæc Præſuli quadrant, dat enim gregi eſſe illud morale quod habet in ſe primitiuum excubiis excolendo gregem, vitia extirpando, cultiora ſemina mentibus inſerendo, iuxtà Pauli præſcriptum Præſulem admonentis: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.*

Guillelmus Poſtellus de natura Turcarum.

Ex Symbolis: Typotius 1. Symbolor. decretalium L. 1. tit. 6. c. 7.

Epiſcoporum obligatio vt aliis præluceant.

Epiſcopi variis nominibus appellantur.

Exod. 7. Pſalm. 8.

2 Tim. 4. Iſidorus l. 8. originũ c. 12

Domini nomen eos *αὐτοτελῶς* ſpectare quotidiano eorum reſcripto patet: vbi in calce videre eſt. *De mandato Domini*, Hæc autem vox curam vehit ſubditorum: quippe אדון *Adon*, Dominus Hebræis eſt quaſi אדן *eden*, id eſt baſis, & vtrumque fluit à radice דן *dun*, iudicauit. Iudicium autem eſt alicuius, de quo ſpectat ad alium illi præſtitutum. Inde Iſidorus nomen Epiſcopi trahit. *Epiſcopus dictus ſpeculator, eo quod ſpeculetur atque proſpiciat populorum infra ſe poſitorum mores, & vitam*, Porrò eſt eius momenti cura paſtoralis, vt ſuperiore ſæculo Marcellus II. Pontifex conclamatus, largo lachrymarum imbre reclamarit gemens. *Heu* (inquit) *quam agrè ille ſuæ ſalutis curam aget, in quem omnium aliorum ſalus inclinata recumbit.* Pontifex, Præſul appellatur, à ponte faciendo, inquit Iſidorus, quaſi ſit via ſequentium: inuia enim & abrupta debet ille peruia facere gregi ſuo, id eſt viam regiam ſuo exemplo, ore, & manibus indicare. Vt enim arietes in capite gregum ære leui ſequaces trahunt, ita & Pontifex, ore congruo operibus, debet eos quibus præeſt totis niſibus anteire.

Ex Historia. Diaconus in vita Papæ Marcelli 2. Iſidor. l. 7. orig c 12.

Epiſcopi quare dicti Domini.

Ex SS. Patribvs. Pontifex à põte faciẽdo.

Applaudit

Abbas Abſalon. Serm 48.

Applaudit Abbas Abſalom *Sunt in veſtimento Aaron, malogranata inſerta tintinnabulis, id eſt virtutum, & bonorum operum adunatio, cum ſono prædicationis, ; ne forte alios volens inſtruere, ſe ipſum iudicare videatur:* Idque ſonat antiſtitis nomen. Antiſtes quaſi ante ſtans, præpoſitio ante, eſt correlatiua ad aliquid poſt, ex Gregorio. *Ita ſe imitabilem in cunctis inſinuet, vt inter eos non habeat quod ſaltem de tranſactis mens erubeſcat.* Ex eo nomine, Paulus antiſtitem excitat. *In omnibus te ipſum præbe formam bonorum operum.* Quaſi diceret : ô Antiſtes : ſi egregiam operam nauas, ante ſtas, & benè tibi quadrat vox Paſtoris. Paſtor eſt à paſtu; paſtus autem ille in exemplo boni operis præcipuè ſitus eſt, ex mente Scholiaſtæ Epiſtolæ ad Titum : hic eſt Chryſoſtomus. *Sis ſpeculum vitæ, & quaſi imago primitiua.*

Epiſcopus quare dicitur Antiſtes. Gregorius Paſtorali parte prima. cap. 10. Tit 3. in ep. ad Titum.

Epiſcopus ſit ſpeculū vitæ. Ariſtotel. l. categoriar.

Patres, non incaſſum Antiſtites nuncupamus; Ariſtoteli enim dicitur pater quaſi πρός τι ad aliquid; ita vt poſito patre ponatur & filius, ſicque Præſuli ſit in alios, vt in filios intendendum, vt inſinuat Paulus patrem agens. *Filioli quos ego parturio;* & alibi paſſim, Primatum vox eſt à primatu; primum autem in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum, in eodem genere entis. Primas ergo primus in ſpiritualibus, rationem etiam ſibi cauſæ vendicabit in eis, quæ ad animam ſpectant; de ratione autem cauſæ eſt vt influat, prout ei à natura inſitum eſt. Influxus autem ille eſt penes oculos, vigilando, vt aſpectus ſtruthionum quibus educere pullos de vitello eſt oua attentè inſpicere. Vndè hac epigraphe notat Camerarius ſtruthionem DIVERSA AB ALIIS VIRTVTE VALEMVS. Non inficior; ô Primates, oculos veſtros ſicuti ſtruthionum diuerſa ab aliis virtute valere ; Vigilate.

EX SYMBOLIS: Centur. de auibus. *Primates vnde dicti. Optimates vnde dicti.*

Optimates vos eſſe, inſinuat Deus. *Ad vos optimates, capita populorū.* Optimates dicti, quaſi optimi; optimus autem radicem habet à bono; bonum verò, ex Dionyſio eſt ſui diffuſiuum; tota ergo ratio Optimatis ſit, vt curâ, & exemplo, ſaluti gregis ſui inuigilans, totus ex animo diffundatur. Caput vobis exemplum ſit, ô capita populorum; ſolum eſt caput, in quo coëūt ſenſus omnes, aliis membris parcè diſtributi. Omnium ſubditorum debent induere miſerias, & eis occurrere, capita populorum; ſiquidem ex Chryſol. *Verus amor, paſſionibus comprobatur.* Caput concutitur ſympathicè læſum, quanis attrita corporis parte ; per anadiomen, refluente ſpiritu ſurſùm, vndè deorſùm deflexerat. Etenim in eo, neruorum omnes propagines intimè radicantur. Rurſùs caput Mineruæ ſedes, ſpiritus confluentes ex corde ad cerebri valuulas, non coarctat in hac arce mentis, ſed eos cùm ſenſorios, tùm motores, toto neruorum tractu, longè latéque diffuſo, opportunè diſpergit. Ita, & Præſules ſuis, pro ſua ſorte debent cõſulere membris, auxilio prout res tulerit, impertito.

Epiſcopi quare dicti capita populorū.

EX RE MEDICA: Duretus in Coacas Hippoc. Sanctorius l. in artē Gal. cap. de Sympath.

Ni Matheſis, hallucinante ſuo ſchemate cœli, affingit nobis : Quiuis homo à primo ſui exordio, vni eſt addictus ſtellæ, quæ aliis in geneſi præit : atque ita habens dominium in alios planetas, ille planeta nominatur Dominus natiuitatis. Hic autem Dominus, minimè ſuis parcus, aliis ſemper ſyderibus notatis in Schemate, ſuas benignus qualitates impertit, vſque ad necem nati, cuius ducatum ſortitur ab ortu. Ab ortu tuo, ô Angele Dei, à momento, quo in paſtorem electus es, ducatum aliorum accepiſti ; quidni morte tenus eorum curam ages? Ab Angelis, diſce myſterium, cum Angelo enim tibi eſt commune nomen in Apocalypſi, vbi Deus Epiſcopum Angelum clamat ; *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe,* inquit.

EX MATHEMATICA: Iulius Firmic. cap. de ſchemata. Ptolom. de iudiciis l. 3. c. 12. 13.

Apocal. 2. *Epiſcopi quare Angeli nũcupantur.*

Angelus nomen eſt officij, non naturæ, ab ἀγγέλλω nuntio : ſiquidem ſunt omnes Angeli, adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis; eam ob rem Pontifex ſummus, ſummo ducit loco dici ſeruus ſeruorum Dei. Curam hanc vobis ingerit, ô Optimates, Dominus Ieſus, *Ne* (inquit) *contempſeritis vnum ex his puſillis ; dico enim vobis quia Angeli eorum, in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Sic & vos attendite Deo, vt in eum & gregem veſtrum, & vos ſeduli dirigatis.

Matth. 18. 1. Reg. 9.

In teſſeram vigiliarum Præſulum, Deus olim videntis nomine, Samuëlem Præſulem populi ſui nuncupauit, & Gregorium ſibi tanto imparem oneri, igneâ columnâ deſuper irradiante fecit omnibus manifeſtum. Laborantibus olim Myræ clericis, de præficiendo Paſtore illi ciuitati, monuit Deus, hunc Præſulem infulis dignum, qui diluculo Eccleſiæ foribus, præ aliis matutinus occurreret ; Inſcius Nicolaus, de more alios antelucanus ad Eccleſiā acturus excubias præambulas officio paſtorali anteuertit. Nihil cunctante clero, ex tunc in demortui Epiſcopi locum ſufficitur, quaſi Deus inſinuaret nullum præter vigilias, eſſe legitimum paſtoralis officij characterem.

EX HISTORIA. Surius in vita S. Gregor. Idem. in vita S. Nicol. Prouerb. 6.

Nicolaus typus Epiſcoporum.

Hominis vt pigri ſolertiam Salomon excitaret, academiam ei fecit cellulas formicarum: *Vade* (inquit) *ad formicam, piger.* Quidni & Præſuli à gruibus excubiarum liceat ſedulum carpere theorema? quandoquidem ab eis Alexander didicerit formulam vigilandi. Nimirùm vt corpus armis graue, tantiſper aliquando ſomno recrearet, hoc ſitu ſtrenuus, & impiger Imperator decumbebat; porrectâ manu lapillum pugillo leniter attrectabat ſomnolentus, ſubiecta peliu, vt ſi grauior ſomnus irrueret, lapis decidens illum ære tinniente ſuſcitaret : Salutem ſuam Pœnorum dux Hannibal, penes vigilias eſſe credidit, proximo Scipione, *Noctémque vigil ducebat in armis.* Secus verò cuidam, in excubiis dormitaſſe fuit lethale; Epaminonda enim luſtrante caſtra, miles in ſtatione dormiens, ab eo repertus eſt, ægrè hoc ferens Thebanorum Dux vigiliarum amans, hunc pugione confodit, dicens ; *Qualem reperi, talem reliqui.* In eodem albo fuit Euenius, cuſtodiens oues Soli ſacras, cùm enim eius incuriâ, aliquæ oues rapiente lupo periiſſent, totâ in eum inſurgente ciuitate, fuit cuſtos ille incurius excæcatus. Eodem œſtro ſæuit Deus in Præſules parum ſollicitos, tales relinquit quales reperit, morti addicit æternæ, quos ſi æuiternum victitaſſent, irreuocabili ſomno ſepultos reperiſſet.

EX PROFANA HISTORIA: Q. Curtius de geſtis Alexandri. *Alexandri Magni vigilia ſtupenda.* Silius Ital.

Hannibalis vigilia quales. Iulius Frontinus lib. 3. ſtratagem. cap. 12. Herodotus lib. 9.

Lib. ſenten.

Optimè Paſtorum vrget curas, Paſtor & ipſe Bernardus. *Paſtorum eſt vigilare, propter tria neceſſaria, videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces ; ad diſciplinam, propter morum correctionem, ne grex commiſſus propria moleſtia deficiat ; ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem, ne hoſtili ſeducatur calliditate : ad preces, propter tentationum inſtantiam, ne vincatur a puſillanimitate. In diſciplina rigor iuſtitiæ, in cuſtodia ſpiritus conſilij, in prece affectus compaſſionis.* Sit ergo vobis, ô Præſules, hoc meum effatum in ſymbolum vigiliarum. VIGILS DVNTAXAT PRÆSVLS DEVS INVIGILAT.

Præſes

INANES SVNT PASTORVM vigiliæ, ſi ex præuiſis fiunt minimè cautiores.

In hac verba:

Erant cuſtodientes vigilias.

SECTIO IV.

Epiſcopi qualitates benè deſcripta ex figura paſtoris Iacob

GEnuinam planè Paſtoris ideam obiicit intuenti ſe codex ſacer, dum ſeriem texit eorum operum quæ Iacob paſtorem agens, gregi intentus exantlabat; Ecce tibi curam, immò curarum eius epitomen, ipſomet enarrante, ex eo colloquio quod iniit cum ſocero ſuo Laban ægrè ferente Generi diuortium, quod iam flagrante fugâ perpetrarat. *Viginti annis fui tecum, oues tua & capra ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam, quicquid furto peribat, à me exigebas; die noctuque æſtu vrgebar, & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Diceres hanc recenſionem actionum Iacob, eſſe ſummam totius Philoſophiæ, quam Epictetus bicipitem facit, vtique ex actione & paſſione, ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

2. Tim. 4.

Qui hunc neſcit viuendi typum & Præſulem agit, hic planè officij paſtoralis inſcius, Paſtorem ementitur, vt qui normam tranſiliat ab Apoſtolo præſtitutam Præſuli Timotheo. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Quaſi diceret, ô Antiſtes, gregi tuo rationali eam præbe operam ſolers, quam pecudum gregi Iacob ſedulus exhibebat, non enim vigilare ſatis eſt, ſi non impiger vigiliarum comes labor, gregi prouideat, & anxius Paſtor, proprij commodi & domeſticæ rei incurius, ſollicitâ virtutum praxi ſuum gregem non ſerius anteuertat.

EX SS. PATRIBVS.

Abbas Chæremõ officio ſe abdicat quia non poterat à iis exemplo præluere.

Coll. 11. c. 4.

In huius rei fidem, Abbas Chæremon ſenio confectus, Abbatis ſe infulis abdicauit; eo quòd impos eſſet eius rigidæ virtutis, quâ ſuum debet gregem Paſtor rigidus anteire. Germano enim, & Caſſiano, aliquid ab eo ſpirituale ſciſcitantibus, ſic gemebundus ait: (& accipite, Optimates, dignam Præſule ſententiam.) *Quid vobis poſſum conferre doctrinæ cùm imbecillitas ſenectutis, vt rigorem priſtinum relaxauit, ita loquendi quoque fiduciam ademit, non docere præſumam quod ipſe non facio, aut alium in eo inſtruam, quod me iam vel minùs, vel tepidiùs exercere cognoſco; ob quam rem nullum mihi iuniorum in hanc vſque ætatem cohabitare permiſi, ne exemplo meo alterius diſtrictio laxaretur, nunquam enim erit efficax inſtituentis authoritas, niſi eam effectu operis ſui cordi affixerit audientis.* Hæc ille.

Epiſcoporum vigiliæ quales eſſe debẽt

Nihil igitur inanes vigiliæ conducunt, nihil, aut certè parùm de ſcientia Præſulis in gregem ſuum, praxi vitæ cultioris expunctâ, deriuatur.

Luc. 2.

Fauet textus Græcus Luc. 2. vbi enim efferimus, & erant Paſtores vigilantes, ſic ſe habet primigenia dialectus, καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες Quod Arias Mõtanus, ita ſigillatim reddit. *Et paſtores erant in regione eadem in agro agentes.* Nota, in agro agentes ἀγραυλοῦντες: nõ ergo deſides eorũ excubiæ; ſiquidem eas, actione comite, vigilias exercebant, iuxta conſilium Gregorij.

Greg. 2. part. paſtor. c. 3. Ambr. l. 1. de dignit. ſacerd. c. 3.

Sit rector ratione præcipuus, vt vitæ viam ſubditis viuendo denuntiet, & grex qui Paſtoris vocem, moreſque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Eodem zelo percitus Ambroſius ſic orabat: *Quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus, vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane.* Eo fuit ingenio Dauid, electus in Paſtorem Iſraël.

Pſalm. 77.

Pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. Dauid innocentiâ ſibi cautus inuigilat, ſed aliis excubat agens in agro ἀγραυλ⁀ος, & hoc ſonat: in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos, quia ex Magiſtro. *Bona opera faciunt intellectum.* Ideò idem Paſtor ait: *Locutus ſum in lingua mea.*

Magiſter ſententiarũ in Pſal. 79. Pſalm. 38.

Quæris quæ ſit lingua optimatum? Manus: *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*, Seneca ſubſcribit. *Hæc ſit propoſiti noſtri ſumma, quod ſentimus, loquamur, quod loquimur, ſentiamus, concordet ſermo cum vita, ille promiſſum ſuum impleuit, qui cùm videas illum, & cùm audias, idem eſt.*

Seneca epiſt. 75.

Si ſecùs faxit Antiſtes, eum carpit durè Philoſtratus. *Si moribus oratio non conſentiat, videbimur alienâ linguâ loqui, vt tibia.* Vt tuâ Præſul linguâ loquaris, & acutè audi Stoïcum. *Verba rebus probat:* etenim ex Petro Cellenſi, *Tunc vtiliter aiis ſcribitur, aut dicitur, cùm de tractatu ſuo, & vita emendatur propria, & aliena conſcientia inſtruitur.*

Philoſt. de vitis Philoſ. lib. 5. Pet. Cellenſ. ep. 20. lib. de conſcient.

Aliàs affulgens Præſul ſcientiâ, & cæcutiens opere, ignes referet erratiles, qui fulgore ſuo captos in præceps agũt, ſuos ſequaces incautos; ideóque benè conſulit Ambroſius: *Emunda oculos mentis, ô homo, animique interiores obtutus, ne quâ feſtucâ peccati, faciem tui perſtringas ingenij, & puri cordis affectum turbes.* Ita Paulus, vigilias, & laborem comites facit, Titum monens, *Tu verò vigila, in omnibus labora*, vt ſis Paſtor totus teres atque rotundus.

Ambroſ. l. 4. hexam. c. 1. 2. Tim. 4.

Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſita.

EX MATHEMATICA:

De elem. Geom. l. 12.

EX SYMBOLIS.

Typot. l. 1. Symb. Tit. 2.

Omnibus ex Euclide figuris, præit nobilitate orbicularis: vt quæ amplior & angulorum expers, & alias continere valens, quod nulli poteſt alteri figuræ coaptari. Si exactæ Matheſeos amuſſim attequaris, en Præſulis ſymbolum ingenuum, à Clemente ſeptimo vſurpatum. Vbique palatij obuiam habebat ſphæram cryſtallinam, hoc lemmate, CANDOR ILLÆSVS. Vt enim orbicularis figura neſcit angulos, & in angulis ſordes deliteſcunt, ex prouerbio, *In angulo ſordes*, Ita & Epiſcopatus, ſtatus eſt perfectionis acquiſitæ; & quarumuis ſordium impatiens. En hanc figuram à Paulo lineatam in gratiam Titi Antiſtitis: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens dicere malũ de nobis.* Si quis ad hanc normã ſe totũ effinxerit, erit hic ſanè totus teres atque rotũdus.

Epiſcopi mores quales debeant eſſe ex Paulo? circulũ cõparatio cũ Epiſcopatu.

EX SS. PATRIBVS.

De Ciuit. Dei l. 9. c. 19.

Inſtabis; quorſum iſta cum Præſule circularis figuræ collatio? Duplici capite: Primò, quia vt figurarum omnium, idea eſt magis ſuſceptiua motus, ita ſtatuum omnium iſte magis debet intendere actionem: quippe ex Auguſtino, *Epiſcopatus eſt nomen operis.* Fauet paſtoris Iacob nomen, quod luctam ſonat יַעֲקֹב à radice עָקַב luctari, nec fuit ei magni nominis vmbra, qui noctes inſomnes ſub dio ducebat anxius, diu æſtu feruens, aliàs verò gelu rigens, & hoc omne alieni (ſoceri nempè) gregis ergo. Neque aliundè Paulus voluit Epiſcopatum definire, quàm ex opere. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat* Et cuius generis ambiat Præſul opus. Idem Timotheo Præſuli inſinuat. *Vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.* Ad vigilias has, & labores alludens Gregorius, Præſules verbo Dei inſtantes, Gallo pares facit. *Gallus*

Greg l. 30. Moral c 4. Epiſcopi debent imitari gallos gallinaceos.

lus cum iam cantus edere parat, prius alas excutit, & ſeipſum feriens vigilantiorem reddit; prædicatores ſe prius in ſanctis actionibus exerceant, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce, ſe ante per ſublimia facta excutiant, & tunc ad benè agendum alios ſollicitos reddant; prius alis inſonent, quàm cantus emittant. Sic quod locuti ſunt, operibus clament, & cum perfectè in ſemetipſis vigilant, tunc dormientes alios ad vigiliam vocent. Eam ob rem nemo olim in Præſulem adſciſcebatur, qui non antè præuiæ virtutis ſpecimen ediderat ex Caſſiano. *Nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, priuſquàm idem qui præficiendus eſt, quid obtemperaturis imperare, obediendo didicerit; & quid iunioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus: benè enim regere, & regi ſapientis eſſe pronuntiant, ſummumque donum, & gratiam Spiritus ſancti eſſe definiunt; Nam neque ſalutaria præcepta quempiam poſſe obtemperantibus præſtituere, niſi qui prius vniuerſis virtutum diſciplinis fuerit inſtructus, nec obedire quemquam ſuperiori poſſe, niſi eum qui conſummatus timore Dei, & humilitatis fuerit virtute perfectus.*

Caſſian. l. 2. horarum Canone 3. Nemo prælatura dignus, qui ante non obedinit.

Hæc ille. Si autem fuerit humilitate conſpicuus Antiſtes, habebit inhabitantem Spiritum ſanctum qui humilibus maximè delectatur, iuxta illud. *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem?* At Spiritu ſancto incolente animam illam, excoletur & ea donis eiuſdem pij largitoris, cuius chariſmata inanes eſſe Præſulum vigilias minimè patientur. nam ex Theologia, dona Spiritus ſancti ſunt indiuidua, nec ſegregatim, aſt cateruatim animis illabuntur, & in hoc differunt ab habitibus acquiſitis, quorum vnum, quis habere poteſt, ſine alio, verbi gratiâ, habitum quis ſcientiæ, ſine habitu morali, vt eſt iuſtitia dirigens voluntatem. Ergo cùm dona Spiritus ſancti totum hominem perficiant, quoad intellectũ & voluntatem, non erit otioſa ſcientia Præſulis, nec inertes erunt vigiliæ eius quem Spiritus cõſilij, & ſapientiæ perfecerit, nam voluntatem pronam habebit ad ea quæ alios ſpectãt ratione doni pietatis, nec ea volũtas marceſcet vnquam, aut torpebit ad egregia facinora, vtpote fortitudinis chariſmate ſolidata. In eo autem qui humilitatis expers viuit, velut inſcio Spiritu ſancto, poteſt eſſe ſcientia trunca, poſſunt & inanes vigiliæ hominem huiuſcemodi perperam exercere. Ex Philoſophia. Vt ſe habet motus ad terminum, ita ſe habet ſcientia ad obiectum; at motus qui non attingit terminum, eſt inanis, ergo & ſcientia quæ non aſſequitur obiectum ſuum: ſed ſcientia quæ debet ineſſe Præſulibus, practica eſt, vt audiuimus proximè ex choro ſanctorum Patrum: igitur ſi non ad praxim inducat Antiſtites, inanes erunt eorum excubiæ. Vide iam ex hiſtoria gratiam Spiritus ſancti in Præſules illabentem, & ſimul ideam attende curæ paſtoralis.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 68. art. 5. Prælatorum ſcientia qualis eſſe debet. Spiritus ſancti dona ſunt indiuiſa.

Ex Philoſophia. Scientia quæ nõ reducitur ad praxim, eſt inanis.

Ex Hiſtoria. Præſules ex virtutum praxi maximè commendantur.

Anno 868. Hadrianus II. ſummus Pontifex, animum Caroli regis Galliæ volens inflectere ad pietatem, erga Sedem ſanctam Apoſtolicam, hoc reſcripſit. *Quamdiu merita B. Petri Apoſtoli, Deo cui omnia viuunt non moriuntur, nequaquam fides ſua, vel ſollicitudinis ſuæ hæredes deficient; Ipſe locum quem olim delibatione proprij corporis Domino conſecrauit, qualiſcumque vicarius extet, ſua tantum claritatis lumine indeficienter illuſtrat, cui etſi deſunt merita ſucceſſoris, ſed adſunt merita deceſſoris, ac primi ſedis eiuſdem ſeſſoris.* Hæc Pontifex. Credidit vetula gentilitas, vocalem fuiſſe petram, cui incubuit Apollinis lyra, quidni coruſca erit ſedes, cui Petrus Apoſtolus, quondam gratiã omnimodã rutilus inſedit? Vide iam gratiam illabentem, ex ipſo ordinis ſacramento, dummodù non ſit obex, qui irritas faciat excubias Antiſtitis. Henricus IV. Imperator Eccleſiæ Moguntinæ grauis, in quam vt prædo violentus irrepſerat, indebita ſibi vſurpans pleraque, præfecit illi Eccleſiæ intimum ſibi quendam Adalbertum nomine, ratus hominis amicitiam facturam eum ſegniorem, ad obſtandum Principi iniquo Eccleſiæ: ſed vbi Adalbertus infulas induit Epiſcopi, exuit animum aliàs Henrico addictum, & ſe fortiter oppoſuit inuaſori, nec à ſuo propoſito vnquam diuelli potuit, iura tutatus Eccleſiæ Moguntinæ. O hominem ſibi, & gregi ſuo grauiter excubantem. Vt ergo Præſul hac compos gratiæ Dei illabentis, priſcos debet affectus ſuos abdicare, vt benè innuit olim alter etiam Adalbertus, vtique Sanctorum albo adſcriptus; hic magno hominum nobilium apparatu Præſul Bohemiæ factus, voluit Pragam caput regni nudis pedibus intrare; ſua ſic teſtatus exordia eſſe nudis affectibus; Eo autem articulo temporis, Dæmon reſilijt ab obſeſſo homine eiulans, & affirmans ſe non poſſe ferre præſentiam Præſulis Adalberti. Ita & ſanè eos pertimeſcit Angelus nequam, qui ſibi cauentes noxia quæque exuunt, vt animos induant, quos exigit cura anxia Paſtoralis. Hi ſanè gregi ſuo excubant, & ab eo Dæmones arcent, ſi ſuorum affectuum neſcij toti ſint in affectu gregis ſibi demandati, in quem non minus debent eſſe propenſi, quàm fuerit olim Carlomannus, in gregem ouium ſibi commiſſarum.

Ex Epiſtolis Hadriani. ann. 868.

Ex Hiſtoria. Abbas Vrſperg. in Henric. 4. ſub an. 1112. Adalbertus Epiſcopus fortiter ſe opponit Henrico Imperatori volenti violare iura Eccleſiæ.

Adalbertus nudis pedibus ingrediens Pragã, vt nudos affectus exprimeret.

Baron in Annal. tom. 10. ſub ann. 980. Surius die. 23. April.

Is Princeps Regij Gallorum nominis, patruus Caroli Magni Imperatoris, pertæſus ea quæ ſæculi ſunt, ſe recepit in montem Caſſinum, daturus illic manus Chriſto: induit eum incognitum Abbas, initiatumque religionis inſtitutis præfecit ouium caulis. Princeps morem gerit, egreditur ad paſcua longè à monaſterio, ad quod recipiens ſe ſerò, vidit ouem crure fracto in greſſu laborantem, ille, ne ea cederet lupo, impoſuit humeris ſuis regijs, oneri nequaquam aſſuetis; & ſic baiulans animal infirmum attulit ad ouile. O Paſtores, ô Prælati, qui ſanguine non adeò illuſtri, dedignamini curam animarum, in quæ conuicia in vos ſe effundet paſtor ille? Oues veſtræ, ô Præſules, claudicant in duas partes, ſcilicet Deo & proximo iniurij ſunt homines demandati curæ veſtræ, & vos incurij animarum; ſicut & parùm de vobis ſolliciti minimè ſuccurritis, exemplo aut ſermone, ipſi ignauiâ atque inſcitiâ caligantes. Alloquor ignauos, ſi qui ſint, & non pleroſque huius ſæculi Deo propitio illuſtres, & infulis perquàm dignos, vtpotè emeritã virtute inſignes, quorum alij præcones agunt verbi Dei, alij eleemoſynis peccata ſua redimunt, cæteri ſuo gregi intenti, eos ſe præſtant quos canones ſancti petunt, è quibus hunc accipe. *Epiſcopus debet habere ſcientiam competentem, & ſufficientem ad gubernationem temporalium & ſpiritualium.* Qualem verò exigant ſcientiam ſacræ ſanctiones, diſce hoc verſu. *Scientia exigit vigilias & repellit ſomnolentos.* Cùm audis vigilias, explica bifariam, vt ſcilicet non alijs attendant duntaxat Epiſcopi,

Carlomãnus Princeps in religione paſcit oues. Leo Oſtiẽſis in Chronico Caſſin. l. 1. cap. 7.

Ex Ivre Canonico: Capite Niſi cùm pridem §. pro defectu, de renũtiat.

Cap. Eccleſ. de Electione.

Ex Ivre Civili.

ſed.

ſed,& ſibi, ne aliis ſeduli, ſibi incauti Deo ſegnius obſequantur. Hæc biceps in Præſule ſcientia, comes indiuidua virtutis, eos principum conſultores facit, vt primùm inaugurati ſunt, vt habetur in Authenticis. *Epiſcopi poſſunt eſſe in conſiliis Principum ſæcularium.* Ius ciuile ſupponit eos tales eſſe, quales vult iſta Authentica. *Epiſcopus ſcire debet non ſolum litteras, ſed etiam Decreta, & Theologiam.* Quæ duæ diſciplinæ, ſcilicet Theologia, & ius Pontificium, non oculos tantùm acuunt, ſed, & manus explicant, ad egregia quæque fortiter exantlanda.

Auth. habita Cod. ne filius pro patre §. interdictus.

Authentica quomodo oporteat Epiſcop. Collat. 1.

Ex Symbolis: *Typotius lib. Symbol.*

Epiſcoporũ Symbolum.

Luc. 2.

Miles inermis in ſtatione occiſus à Cæſare.

Prælibata loquuntur vigiliarum, & operum in Paſtore nexum, quem egregio olim lemmate profeſſus eſt Mutius Columna, Præfectus Generalis agminum Eccleſiæ; ſigna ſua hoc ſymbolo prænotabat, manum armatam depingebat, circumactam hoc reſcripto. AGERE ET PATI FORTIA ROMANVM EST. En vobis, ô Antiſtites, præfecti Eccleſiæ, en vobis inquam, totum curæ paſtoralis ingenium à Iacob practicè explicatum, dum ſui incurius gregi ſuo fortia patiens, agens fortiora, hoc ſymbolum factus egregiè anteuertit. Ad præfata magna fiet acceſſio ex textu Græco. vbi enim legimus erant cuſtodientes vigilias, ſic habent græca *ὄντες ἀγρ̄ φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς*, erant cuſtodientes cuſtodias, aliquid autem vt ſit bonæ ſubactum cuſtodiæ non oculos tantùm, ſed vigilem omnem poſtulat in ſtatione cataphractum. Vnde olim miles ex Tacito, morte mulctatus, quia inermis in ſtatione vigilauit, & Cæſar vt ad ſubitos conatus diſpoſita haberet præſidia, duas ſæpe legiones pro caſtris excubare iuſſit in ſtratis equis, & milite cataphracto: & tunc reuera vigiliæ dicuntur cuſtodiæ, cùm mala oculis præuia, manus poteſt valida coërcere. Fuit & in more poſitum, & præcepto militari obſeruatum, vt vigiliarum vices, tubæ in caſtris per interualla, clangore edito perſonarent. Id ipſum inſinuat Apoſtolus cùm Præſulem Timotheum excitat ad clangorem. *Opus fac Euangeliſtæ:* id eſt Prophetâ liquidius explicante. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.*

Cæſar. l. 2. de bello Gal.

Vegetius l. 3. *rei milit. c.* 8.

2. *Tim.* 4.

Iſaia 58.

Ex SS. Patribus: Euangelij & tubæ comparatio.

Optimè, Euangelio, & tubæ ineſt quædam affinitas: vt enim tuba ſpiritum cientem, & linguam exigit aërem dirigentem: & vtramque manum porrectam ad tubæ amplexus, ne ea impos ſui collabatur, ita & Euangelium Spiritu ſancto inſpirante, auribus inſonat auditorum, ſed fruſtrà lingua laborat, vtraque manu feriante. Fauet Damianus. *Quiſquis ad fortiter agendum, proximorum mentes inſtigat, debet vtique vitam concordare cum lingua, ne dum aliis proponit excelſa, ipſe contentus imis, prematur inertiâ.* Hic prædicandi ſtylus, ab Iſaia vocatur eruditus. *In manu forti erudiuit me:* id eſt, in exemplis, ſiquidè Præſul ex Chryſoſtomo debet eſſe, *Speculum vitæ, & imago quædam primitiua:* ſeu, vt ait Apoſtolus, *Seipſum præbere exemplum bonorum operum.* Et quia ſcientia alia eſt practica, & ſpeculans altera. Antiſtes vt multiſcius dicitur ab Iſidoro, *Vniuerſæ Philoſophiæ ſimulachrum.* Cuius effato ſubiicio, Epiſcopum eum eſſe debere: quem Ariſtoteles ſuum iudicem delineat. *Iudex* (inquit) *eſt iuſtitia animata.* Ea & mens fuit magni quondam Antiſtitis Gregorij, qui Præſules vocat, *Philoſophiæ exempla, & amuſſes quaſdam ſpirituales.* Non ergo caſualis eſt Epiſcopi cum circulo deſcriptio, ambo enim faciles motus capiunt, ad arbitrium impellentis.

Serm. 17.

Prædicator opere debet prædicare.

Iſaia 8.

Tit. 3.

Chryſoſt. in ep. ad Titū.

Epiſcopi titulis honorabiles.

L. 5. *ep.* 216.

Epiſcopi Philoſophiæ exempla & amuſſes.

Rursùs hæc figura, deorſum tantùm vergit punctò tenùs, ſurſùm attollatur tota, ita & Præſuli nihil cum ſolo, ſed cum cœlo: audi Antiſtitem. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Et Iacob protopaſtor, ait: *Arietes gregis tui non comedi.* Immò curis, & anxietate ſua, Præſul ſuas cœlo debet fœcundare caulas, vt prælaudatus ille ſoceri ſui gregem ſedulus ampliauit. *Modicum* (inquit) *habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* Huic typo ſe affinxerat Gregorius, Neocæſareæ Epiſcopus, qui vrbe totâ gentili, Epiſcopatum adoriens, fidelem ferè omnem ipſe occidens dereliquit, pietate ſuâ ipſi impertita rutilantem; hoc autem minimè præſtitiſſet, niſi multâ gratiâ conſpicuus effulſiſſet. Eſt Philoſophiæ dogma, quod non patitur inſtantias, nihil poſſe exerere effectum ſimilem ſibi, niſi antè debitâ perfectione acquiſita, germina, & animalia, ante præſtitutum ſibi tempus à naturâ, nihil edunt ſpecificè affine ſibi; nil enim dat quod non habet. Infans minimè eſt lactens, ſi præuio ante pingui alimento non fuerit nutrix ipſa ſaginata, lacte non alluit pupilli inediam, quin ante humore hoc ritè digeſto, ſedulâ ſui cuſtodiâ dealbarit. Attendebat ſibi ſolliciè primus ille Antiſtes, Eccleſiæ adhuc in cunis lactaturus exordia, infantes ſic animas, Præſul ille demulcebat. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo, lac concupiſcite; vt in eo creſcatis in ſalutem.* An non inuigilabat ſibi Paulus, cuſtodiens ipſe cuſtodias? Audi anxium, & de ſalute gregis ſui ſollicitum. *In labore & ærumnis, in vigiliis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum, quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Fuerit ſagax, & vigilans Iacob ventilans curas, ſuo gregi exhibitas. *Arietes gregis tui non comedi.* Paulo eſt & hæc gratia ſpecialis. *Cùm* (inquit) *eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui, & in omnibus ſine onere, me vobis ſeruaui, & ſeruabo.*

Hebr. 13.

Geneſ. 31.

Sur. in vita Greg. Thaumaturg.

Gregorius Thaumaturgus exemplũ eſt boni Epiſcopi.

1. *Pet.* 2.

2. *Cor.* 11.

Gen. 31.

2. *Cor.* 11.

Sur. in vita SS. Paulini & Nicolai.

Hac meliori notâ inſignes fuêre Antiſtites, Paolinus, & Nicolaus, quorum primus ſeruile iugum obiit, ouiculæ vnius cauſâ libertatis, alter vt obuiam iret pudori dubio, & propè titubanti, puellarum trium adultarum, opes ſuas mano liberali opportunus erogauit. Id ipſum inculcabat Eugenio tertio Bernardus. *Præſis vt proſis.* Præſulum zelum vrgere debet diſtricta ratio, ad quam Deus eos reuocabit. En tibi typum examinis, quod ſubiit Iacob paſtorem agens. *Ego damnum omne reddebam, quicquid furto peribat à me exigebas.* Moyſes in Aaron inuehitur Pontificem, antequàm ſæuiat in populum, multis ſceleribus obnoxium. Samuel in Heli Pontificem exarſit, & non in filios eius malè ſibi conſcios. Sæpè ſæpiùs ad idola deuoluto populo, queritur ſacer Regum hiſtoriæ codex: ſed infandæ rei noxam affingit Ieroboam, vt Paſtori. Dormientes Chriſtus Apoſtolos, immonitos non ſuſcitat, ſed Petrum excubiarum incurium carpit, vt Præſulem. Quas Marcellinus Archipræſul luit ſibi pœnas offenſo grege defectione ſuâ, quam ſolo credidit ſanguine

SS Paulinus & Nicolaus veri Epiſcopi.

Bern. l. 3. *de conſid.*

Exod. 32.

1. *Reg.* 3.

Ex SS. Patribus.

Caſſian inſt. l. 5 *c.* 25.

effuſo diluendam? Porrò Deus exigit à Paſtore quicquid deperit eius culpâ, aut opere nefario alios prouocante. Sibi benè cauerat Abbas Pæſius, qui moriens ait: *Nec quemquam docui, quod prius ipſe non feci.* Sciebat illud Eccleſiaſtici 38. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.* Ex Hugone hoc eſt, *Cum prælatus virtutes quas depingit in prædicando ſubditis, habet in corde ſuo.* Sit ergo hoc meum effatum perpetuum. PASTOR EGREGIVS, EST OCVLATA MANVS.

Hugo in Eccleſ. c. 38.

Paſtores animarum, reliquos homines dignitate antecellunt.

In hæc verba:

Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.

SECTIO V.

EX PHILOSOPHIA:

Thom. 1. p. q. 12.

Ageſilai præclara reſponſio oratori garrulo.

EFfugiente nos rerum omnium intimâ notitiâ, eò deuentum eſt; vt à tergò tantùm ſeu à poſteriori rerum latentium eſſentiam non tam venemur, quàm tyrocinij ingenuâ confeſſione veneremur. Conſulto effectu de natura rei balbutimus, ſemper anxij, adeò denſâ caligine laboramus. Ego eodem ritu ſcrutabor Antiſtitum præaltam dignitatem, quam nomina expedita ſuperiori ſectione clamant: ab honore eis ritè impenſo rationes expediam cultus exhibiti, immò & longè cultioris exhibendi.

Plutarch. in Ageſil.

Iſta molientem fortaſſe quiſpiā ſubſannabit, eo modo quo Ageſilaüs modo oratorem coram de laudibus Herculis dicere iactitantem: Fruſtrà (obiecit Rex) ô orator, panegyrim paras de Hercule, cui nemo vnquam hominum inſultauit, qui neſcit opprobriū, eò eſt ſatis ſuperque laudabilis. An non & mihi Momus inſultabit ſcribenti de Præſulum gloria alijs omnibus præeunte? Non me latet illud Ambroſij. *Prolixa eſt laudatio, quæ non quæritur, ſed tenetur, nemo eſt laudabilior quam qui ab omnibus laudari poteſt, quot homines tot præcones.* Præſulum laudes tot habent oratores, quot habet encyclopædia ſcientias.

Ambroſ. lib. 1. de virgin.

Philoſophia iactat illud Ariſtotelis, τὸ κάλλος ἐν συμμετρίᾳ τῶν μελῶν, *Pulchritudo ſita eſt in proportione membrorum.* Vndè Græci mundum κόσμον, id eſt ornatum nuncuparunt, quia mirus ordo orbe toto diffuſus eſt. Quod ſi mundus iſte fugax, cōſtat partibus ritè diſpoſitis, vt cancellis quibuſque ſuis inſertis, vnde nequaquam reſiliunt: ignis verbi gratiâ primas tenet, nec vnquam deorſum inclinat; à potiori mundus ſacer, id eſt Eccleſia peculiarem ſibi ritum, & ordinem vendicabit; vt & ſignificatur ab Apoſtolo, dum ait Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ.

Epiſcopi vices Dei gerunt.

Nimirùm nullibi ordo adeò tenax inſpicitur, ſicut eſt ille quo tota compages corporis ſtat, & ne Chriſto aſſumpto, & inuiſo ſenſibus noſtris, corpus Eccleſiæ eſſet acephalum, Præſules voluit capitis obire vices, quibus & tribuuntur analogicè eædem denominationes, quibus efferimus Chriſti Domini Principatum. Quippe Chriſtus eſt Apex Eccleſiæ, & vita qua omnia viuunt, ita & Epiſcopi Apices & cor congruè nominantur, ea tamen cautione, vt Chriſtus ſit caput & Cor Eccleſiæ primariò, Epiſcopi verò per participationem.

Epiſcopi in Eccleſia referunt caput.

Hoc fiet palam ex re Medica, cuius Proceres omnes, neruos oriri à cerebro, & inde diſpeſci in diuerſas animalis oras, ſicut & ſpiritus qui diffuſi totum cient corpus: ſi, inquam, rei medicæ Primores aſſerunt quidem in cerebro radicari neruos, ſed à cauſa extrinſeca, ſcilicet generante, id eſt ſemini inſitam eſſe vim à Deo quâ partes omnes effluunt, ſed formatæ; aliæ in cerebro, aliæ in corde, & hepate radicantur. Ita & de Eccleſia philoſophandum, prædicatio, ſacramenta non ſunt ab Epiſcopis ſed à Deo, tamen diſtribuuntur Eccleſiæ à ſacris hiſce Dei vicariis, penes quos eſt regimen totius Eccleſiæ, & ſic *claritas Dei circumfulſit illos.* Ruſus cor vt eſt radix arteriarum, quæ ſanguinem puriorem, vtpotè defœcatum vehunt, ita Epiſcopi ſanguinem Chriſti omnibus diſtribuunt; quæ Sacerdotes tantùm eorum beneficio conſectantur, habentque ſe Antiſtites vt Sol in Planetis? Planetæ eo ſitu gyrant, vt tres emineant ſoli, & tres ſint infra hoc lucidum ſydus, ad hoc (inquiunt) vt errantia illa ſydera, etiam ſi aliqua virtute polleant, habeant tamen magnum ſuæ virtutis incrementum. Ita & Epiſcopi, licet aliquos videantur habere viros ſæculi faſtu grandiores, vt puta Reges, Principes, & potentes, alios infra ſe, vt vernaculum hominum genus: tamen eorum ſtatus infra Papam neminem habet à quo poſſit ampliari, vt habetur iure Canonico. *Epiſcopi debent præponi presbyteris Cardinalibus.* Audi aliquid eminentius ex eodem iure Pontificio: *Epiſcopi quoad ea quæ ſunt de efficacia conſecrationis, vel ordinis, tantâ gaudent poteſtate, quantâ gaudet Papa, licet quoad alia Epiſcopi pares non poſſint dici: cùm dicantur vocati in partem ſollicitudinis; ipſe verò Papa ſolus in plenitudine poteſtatis.* Ideò habetur hic canon. *Epiſcopi gerunt vices Papæ.* Alibi item. *Epiſcopi ſunt loco Apoſtolorum.* Ideò nomenclatura ſpecioſa vult Antiſtites ius ſacrum appellari, vt ferunt iſtæ ſanctiones. *Epiſcopi poſſunt appellari Duces, item ſummi ſacerdotes.*

EX RE MEDICA.

Fernel. de anima facult. c. 14.

Epiſcopi nō à ſe habent ſed à Deo illud omne vnde maximè commendātur.

Epiſcoporū quāta ſit dignitas.

EX MATHEMATICA.

Sacro Boſl. de ſphær.

EX IVRE CANONICO:

Capite 1 De Relig. gloſ. 2 in extra ſi frat.

Ioan. 22.

Can non ſum 3 qu. 6.

Con Eccleſia diſt. 35.

Can 6. officia diſt. 59.

Immò & Imperatores iure ciuili tantùm tribuêre Epiſcopis, vt habeatur iſta lex Authentica. *In Epiſcopum ordinatus à ſeruili & aſcriptitia fortuna, & à patria poteſtate liberatur.* Et ne Iudices fori ſæcularis, eos trahant in ius, cauerunt Principes Chriſtiani, quorum hæc eſt pia reuera ſanctio. *Iudex mandans Epiſcopum exhiberi, vel duci, priuatur ſuo officio, & in viginti libras auri condemnatur Eccleſia, & executor Iudicis iuſſu, dicens vel faciens exhiberi ad Iudicem ſæcularem, priuatur ſuo officio, & verberibus cædi & in exilium deportari debet.* Sed quia ex Plinio; longa eſt via per præcepta, breuis per exempla, conſulamus hiſtorias.

EX IVRE CIVILI.

§ Sed hæc quidem in Authen. de ſanct. Epiſ. coll. 1.

Auth. Nullus Cod de Epiſc.

Prima ſe ſe offert Gallia, vt fœta grandaque multis egregiis virtutibus & maximè Prælatorum, quos claritas Dei circumfulſit. Olim ſanctum Rhemigium, cùm alij Epiſcopi inaugurarent in Præſulem Rhemenſis Eccleſiæ, lux deſuper illapſa capiti eius inſidens, Solis inſtar radiauit, adiectaque eſt cœlitus vnctio, quâ fuit caput Rhemigij delibutum, talis debuit effulgere Antiſtes qui Galliæ toti illuxit, eſto, hodie ſit inuiſa ſenſibus illa lux, quâ Prælati rutilant & coruſcant,

EX HISTORIA:

Hincm. Epiſ. de geſtis S. Rhemig. ſub ann. 471.

Rhemigio Epiſcopo dū conſecratur, lux deſuper affulget.

coruſcant, peruia tamen eſt oculis fidei, qui in Epiſcopis aliquid aſpiciunt, etiam ipſis Regibus eminere, eiſque ſe inferiorem, Gallus Robertus Rex, obſequio humili confeſſus eſt: ſiquidem in Synodo plurium Epiſcoporum, Rex pius animaduertens, Lambertum Epiſcopum Lingonenſem, altiore reſidentem loco, pendulos verſare pedes, tulit Rex ſuppedaneum, & aptauit illud Epiſcopi pedibus inquietis, quo fideli officio Rex Chriſtianiſſimus, omnium aſtantium conciliauit animos ſibi in reſſeram ſuæ pietatis.

Roberti Regis Galliæ reuerētia erga Epiſcopū.

Helgaldus author illius ſæculi in vita Rob. Regis, ſub ann. 1004. Venan. Fortu. in vita S. Mart. Caſſio. in Chron. ſub ann. 452.

Animum impium in ſanctum Martinum Epiſcopum, prætulit Imperator Valentinianus, qui non dignatus eſt aſſurgere Antiſtiti, qui aulam ingreſſus honorificè exceptus eſt ab aliis aulicis, vno tantùm Imperatore iniurio Eccleſiaſticæ dignitati; ſed is qui non reueritus eſt claritatem infularum huius ſancti, alio lumine Deum vindicem ſenſit; quippe ſedes eius illicò accenſa eſt igne, quo perculſus Imperator, hoc lumine viliore didicit lumen ſacrum, in ſancto Antiſtite venerari. Neſcio an hodie ſufficerent omnes ignium globi, quibus reprobi æſtuant in inferis? neſcio an ſatis illic eſſet ignis ad plectendos hodie homines incurios honorem rependere, quem meretur dignitas illa paſtoralis? Non fuit Deus ipſe ſerus, ſed velox extitit ad mulctam Imperatoris alterius Valentiniani, qui offenſus Leoni Pontifici, Eccleſiam ſuo iure exuerat ſibique ſacrilegus omnia vendicarat, Deo vrgente, pœnas luendas ab impio, ecce Attila rex Barbarus imminens Imperio contendit Romam, animo iam concipiens imperium. Quid tibi facto opus, Imperator, nutante ſolio imperij tui; Obtuſæ ſunt acies gladiorum tui exercitus, heroës quique tui pauent ad occurſum Attilæ, alget ſanguis Romanus qui alias ebulliit, exoticas gentes quandò ſubdidit aquilis Romanorum. O ludum fortunæ verſatilis, ſed religioſius dicam, ô Deum æquum, vindicem! ille Imperator Leonem exoſus iam ad pedes eius deuoluitur, orans vt conueniat Attilam, ſuoque eloquio demulceat efferum hominem. Leo immemor iniuriæ pergit, occurrit homini barbaro, nominè Dei hunc compellat, vt ad Boreales ſuas retrocedat oras Româ intactâ, manſueſcit homo ferox, & retrogreſſus ad ſuos, ait ſe vidiſſe Leonem ſtipatum luce, adiuncto ſocio, gladio exerto necem minitante, ſi non gereret morem Romano Antiſtiti. Denique quod nō potuit acies Romana; potuit Præſulis claritas quæ illum circumfulſit. Huic claritati lumen adiiciunt literaturæ ſanctioris interpretes, vbi orbe toto è nihilo reuocato, legunt Deum non Dominum, ſed Deum vocitari; homine autem lineato ſibi Deum ex tunc vendicare dominium, abditum illic ineſſe Myſterium, non perperàm arbitrantur. Flocci pendere cœlos viſus eſt Deus, eò quod ibi homo non radiaret, ſolum prætulit cœlo, ex quo homo cœpit illud incolere. Ne autem homo, totius orbis multiplici varietate conſpicui, ſpecie captus aberraret in obſequio, alteri quàm Deo deferendo, Deus ipſe præcepto dato, de pomi feralis inediâ, dominum inſinuans, humilem ab eo exegit famulatum, & ne homo quaſi Dei immemor extaret, & ἄζυγος vitam abſonam, & dyſcolam ageret, nullius dominio mancipatam, Deus illi dominos præſtituit, Dei ipſius vices in humanis agentes? & quos veluti Pro-reges ſuos vult haberi ab eis, quos eorum ſubdit ditioni.

Attilæ Regis reuerentia erga Leonem Papam.

Domini à Deo præſtituti homini, & quare.

Aug. lib. in Geneſ.

Tom. I.

Ecce tibi iura dominij in Iſaac, dominium transferente in Iacob. *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Neque ſcrupulum faciat iſtud dominium eſſe temporale: nam ex oraculo. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ex Philoſophia ordo attenditur penes prius, & poſterius, & primum in fratres dominium Paſtori conceditur, ſcilicet, Iacob Paſtorum omnium typo; plenum enim dominium Præſules ſpectat, impigros prodromos, & præambulones animarum. Et hic Pontificum eminens ſtatus, eo perculit liuore reges, vt Præſulum infulas diademati ſociarint, ne obſequium quo plebs Regibus deuincta eſt, deflueret ad Præſules, adeò benè eſt animaduerſum à Poëta.

Ex Figuris: Geneſ. 37. Rom. 13. Lucan. lib. 1. Pharſal. dominiorum quænam ſint iura in alios homines.

Reges olim voluerū eſſe Pontifices.

Nulla fides regni ſocus, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Melchiſedech vtroque titulo inſignis idem ſacerdos, & Rex. Saül quaſi futurus illuſtrior Pontificatu, quàm diademate regio, nonne in Galgalis oblatione Deo facta, officium Samuelis anteuertit? Nihilo cautior factus Rex Ozias, flocci pendens diadema ſuum, in Pontificis infulas inſurrexit, vices gerens quas eis excuſſit lepra, vindex impij piaculi.

Gen. 14. 1 Reg. 1. 2. Paral. 26. lib. 7 orig. cap. 11. Seruius l. 3. Æneid. Lum. 21.

Ex Iſidoro priſca ætas, Reges ſuos Pontifices nuncupabat, ipſaque Roma licet exoſa Reges, nomen tamen Regium adamauit in Flamine, quem Regem Sacerdotum nuncupabat, eóque honoris euexerat illum Regē, vt operto ſemper capite Flamen incederet etiam obuio Conſule, ſeu Dictatore. Et ne æſtuante Sole, pileo ingraueſceret caput, leui filo in modum pilei intertexto, circumdabant caput illi Reges, dicti Flamines quaſi filamines. Eodem ritu, ſuos creat Deus illuſtres Pontifices. *Caput ſuum* (inquit) *non diſcooperiet Pontifex.* Nimirum celſus ab alto, infra ſe cernit hominum genus: ratio ritus hinc petenda. Honor ex S. Thoma, eſt teſtificatio ſuperioritatis, aut excellentiæ quæ alicui ineſt, vnde hi qui volunt ſuſpici, & excipi honore debito qualitati, quâ aliis præeunt: ſigna petunt inquit Philoſophus, quæ ipſorum merita clament: quò autem maiore eminentiâ ſunt illuſtres homines aliis præpoſiti, eò humiliora obſequia exigunt ab obuiis: at inter ſigna, capitis apertio ſonat famulatum, ideò cùm Præſules neminem ſciant ſibi ſuperiorem, caput non aperient cuinis obuio, etiam Regi, vt hoc & hodie in vſu, Epiſcopo in Pōtificalibus manēte ſemper operto capite, quouis ingrediente chorū, nec temerè præfatum à Pſalte: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Quod Auguſtinus de protopaſtoribus Eccleſiæ, id eſt de Apoſtolis ritè intelligit, quos orbi præfuiſſe nemo eſt qui eat inficias.

Ex Theologia. 2. 2. q. 103. ar. 2. lib. 1. Ethic. cap. 5.

Honor quid ſit.

Epiſcopi in habitu quare caput ſuū non apiriāt.

Inſtabis Apoſtolôs, vt à Domino inſtitutos, eo honore præfulſiſſe, ſed neminem poſt eorum fata, hunc honorem poſſe ſibi vendicare? Huic dubio occurrit Vrbanus Papa iuri canonico inſertus hoc tenore. *Quorum vices, in Eccleſia habeant Epiſcopi, & quis eis hanc dignitatem dare debeat, Auguſtinus oſtendit inquiens: pro patri-*

Ex SS. Patribus. In Pſal. 44. Epiſcopi ſuffecti in locum Apoſtolorum.

bus tuis nati ſunt tibi filij: quid eſt pro patribus tuis? Miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi, hodiè enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia illos Patres appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus patrum; Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides eos per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Hæc ille.

Epiſcopos nemo debet temerè iudicare.

Ex Ivre Canonico: *Can quorum vices. Diſt. 68. Canoni Sernetur 11. quæſt. 3.*

Vndè ſic liceat arguere; ſuper, & ſub ſe habent vt prius & poſterius, ſed Epiſcopi ſunt ſuper omnem terram, eo tamen ſenſu quo toti terræ præſunt, ſcilicet in his quæ ad animam ſpectant; temerè igitur quis cenſuram tentat eorum canonum quos Eccleſiæ columina inconcuſſa ſtatuerunt, nec ſine piaculo, Præſulum quiſpiam ſibi iudicium arrogarit, ſi à Præſulum matre Eccleſia, tale ei officium non incumbit. Ex decreto nempe Sinueſſæ edito. *Prima ſedes a nemine iudicatur.* Iminò, & alio canone, nemo eum abſolnere poterat, qui ſuo Epiſcopo fuerat iniurius: vt hinc ſubditus meliori redditus frugi, tandem Præſuli ſuo pœnitens occurreret, ſuum penſurus obſequium.

Quid ergo mirum, ſi hodierna die Angelus ſtet iuxta paſtores cuſtodientes vigilias? Quandoquidem ex Dionyſio, ſupremum infimi attingat infimum ſupremi. Ex conceſſis Præſules ſupremum ordinem in humanis agunt, in cœleſtibus verò Angeli infimas ſortiuntur ſedes, & hinc Angeli cum Paſtore intima connexio, immò & commune nomen. Deus enim vocat Angelos Epiſcopos, Epheſinum, & Smyrnenſem, & alios. Vocabuli eadem eſt ac officij ratio, bona quippe nobis nunriant, & Angelus & Antiſtes, cùm ſaluti noſtræ caueant, inſciis nobis, & immo fortè nolentibus; ita vt liceat in eos detorquere Ambroſij aliò reſpicientis elogium, *Non mirum* (inquit) *ſi pro vobis militant Angeli, qui moribus Angelorum militatis.*

Ex SS. Patribvs: *De cœleſti Hierarch. Apocal. 2. l. 1. de virg. Thom. 2. 2. 105. art. 2. Apoc. vlt. 9. Daniel. 10.*

Angelis non impares Epiſcopos aſſerit Angelicus Thomas, ex eo quòd Ioanne aduoluto ad pedes Angeli, hominis ſpecie ſibi obuij, cultum hunc abnuerit Angelus, eò quòd dignitate Ioannes Antiſtes ipſum adæquaret. Accedit nomen dignitatis Angelorum, Paſtoribus in Iacob adiectum. Angelus eſt nomen officij, ſed Princeps nomen dignitatis. Daniel Principem audit vocari Angelum. *Michael vnus de Principibus primus.* Iacob dictus Iſraël, vtroque nomine lineat Antiſtitem, qui vt Iacob luctari, & vigilare debet. Sed Iſraël, Princeps Domini nuncupatur, hoc enim ſonat vox ישראל deducta probe à Sar שר id eſt Princeps; & אל el, id eſt Deus, & Iod, י formatiuo nominum. Inde anſa obiecta Ioanni ſummo Pontifici vigeſimo tertio, ſeipſum ſub typo vaſis egregij, ſymbolicè depingendi, hac adiecta Epigraphe In honorem. Quaſi diceret Præſulem eſſe, idem eſſe ac Vas in honorem, non à ſe conflatum, ſed à Deo omnipotente agente figulum huiuſce operis mirifici, iuxta ſacrum proloquium: *Vas admirabile opus excelſi.*

Ex Symbolis: *Typotius lib. 1. Symb. Eccl. 45. Horatius. Exod. 34. Luc. 2.*

Pontifex eſt vas in honorem.

Affinitas hæc Dei cum vaſe mirabili, affinget aliquid ſubdiuinum vaſi, nam

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Moyſes nonne ex Dei colloquio, faciem tulit indè coruſcantem? Quidam Gregorij Magni Pontificis, an non vidit ſpeciem fulgore cœlico radiantem? Hoc liquido textus quem exponimus explicat dicens. *Claritas Dei circumfulſit illos*, ſcilicet Paſtores vigilantes. Quicquid enim effulgens, & ſplendens ineſt Prælatis, hoc totum diuinitùs emendicant, ſicut à Sole ſuos trahit Luna radios, dicta hinc Luna, quaſi luce lucens aliena. Micanti lumine Præſules irradient, aliis omnibus præfulgeant, ſicut inter ignes Luna Minores, en luminis fontem. *Claritas Dei circumfulſit illos.* Ab hac claritate faſtum timet Bernardus. *In alto poſitum, non alta ſapere difficile eſt, & omnino inuſitatum.* Hæc ille. Soli lumen ineſſe conſpicuum à primigeniâ illâ luce quam primò Deus exeruit de nihilo dicens, *Fiat lux*: Theologiæ poſitiuæ Proceres arbitrantur claritatem Antiſtitum explicantes, eam à luce illâ inacceſſibili deducentes, quam Deus inhabitat, & communem fecit Præſulibus, ideóque optimè enunciatum. *Claritas Dei circumfulſit illos.* Aliud ſceptrum, aliud plectrum, diffuſiore luce Eccleſiam Præſules illuminant: nam, *Claritas Dei circumfulſit illos.* Ius omne Deus penes illos depoſuit, ſuis clauibus repoſitis cœli. Ideò benè Paradinus, claues Symbolo decuſſatas hoc lemmate obiicit, *hic ratio tentandi aditus*: quaſi diceret non inſcio ianitore liber eſt aditus ad ſuperos; conſule claues; id eſt Præſules, nam Hic ratio tentandi Aditvs.

Bern. epiſt. 42.

Geneſ. 1. Pererius in Geneſ. 1.

Ex Symbolis. Epiſcoporū poteſtas egregio ſymbolo lineata. *Lib. Symb. Geneſ. 41. Eſther. 6. 1. Reg. 18.*

Vt Pharao populum excitaret ad obſequium Ioſepho deferendum, ei annulum regium dedit, in teſſeram regiæ poteſtatis. Aſſuerus Mardochæum regio ornatu, illuſtrem fecit, & Optimates ſuos illius ſubdidit poteſtati. Saül regnum quid in Dauide ſubodorans, filiam ſuam Michol dedit in ſponſam paſtori, quem ſic inſcius, ad regnum incautus euehebat. Iuſtinianus Imperator Belliſſarium ita deperiit, vt numiſmate cuſo, vtriuſque facies ex aduerſo, cuius in ſymbolum amoris obuiaret. Hos verè omnes regia claritas circumfulſit, ſed non ea quæ Præſules.

Principes quomodo ſuos optimates fecere honorabiles.

Deus præter claues conceſſas eis, ſponſam ſuam id eſt Eccleſiam, Præſulum ſponſam fecit, ideò inaugurati aſſumunt annulum, quaſi factos agant hymæneos; & cùm caput Eccleſiæ ſit Chriſtus, nonne Pontifex eius vices gerens, viſibile eſſe caput prædicatur? hic eſt Eccleſiæ numiſma biceps: adeò conſtans eſt atque perpetuum, nitere Antiſtites eò quòd, *claritas Dei circumfulſit illos.*

Epiſcopis quare detur annulus.

Vis teſtes hiſtorias; Ecce tibi omnigenas. Deus volens ſibi lui pœnas à Pharaone, eas Moyſe exactore expetiuit: & ne Moyſes regio diademate percuſſus deficeret, ait; *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* En tibi ex te & nomine claritatem. Populo ex cultu vituli iuſtitiæ Dei obnoxio, Deus ipſe pœnas Moyſe deprecante relaxauit; ſed vbi deſipuit populus, in Moyſem, iurgio excitato, Deus ſuatum velut immemor iniuriarum, nonne ſæuiit

Ex Historia: *Exod. 7. Exod. 32. Num. 16. Num. 21. 1. Reg. 8. Q. Curt.*

in rebel

in rebelles, dehiſcente terrâ, & ſerpente æſtuante, pœnas de conſciis expoſcente? Samuelis item Deus egit partes, cùm gens Hebræa ritus exoſa Pontificum, cum Magiſtratu exuit. *Non te* (inquit Deus) *ſed me abiecerunt.*

Ioſephus lib. Antiquit. Iudaicarum. Surius in vita SS Ambroſ & Bernard.

Alexander ille Macedo ementitus ſe Deo ſatum, gloriæ ſuæ radios collegit omnes, obuiam factus Pontifici Hebræorum, quem Dei claritas circumfulſerat tanta, vt lucis impos Alexander, ex eâ cæcutiret. Quid Ambroſium exhibuit Theodoſio Imperatori, quem à templo ſceleſtum amouit, niſi claritas Dei quæ eum circumfulſit? Quid ducem Aquitaniæ famoſum multiplici crimine, Guillelmum illum furentem cito cicurauit, nonne ex Bernardo emicans ſplendor, furibundi perſtringens oculos qui indè manſuetior factus, meliori redditus frugi, & ipſe poſteà ſanctitate refulgens, toti illuxit Eccleſiæ? Sed quorſum hæc omnia? vt hac luce fiant omnes cautiores, in cultu rependendo, iuxta illud, *Cui honorem, honorem.*

Guillelmus Dux Aquitaniæ honorat S Bernardũ.

Sixtus 4. in Bulla canoniz. S. Bonau.

Huius honoris Præſulibus exhibendi, ſpecimen inſinuant omnes diſciplinæ: & hoc per exceſſum, effuſæ in Proceres ſuos peculiari cultu recolendos. Theologi multa ex fide petita dogmata adorantes, ducatum petunt caligantes potiùs quàm rationes à magiſtris annuentes dicto Bernardi. *Nihil eſt magis contra rationem, quàm velle rationem ratione tranſcendere.* In dubiis quæ emergunt ex inſuetis ad religionem ſpectantibus, omnes Theologiæ candidati inconſultâ ratione ſubſcribunt Auguſtino, ſic effanti. *Tota ratio facti eſt potentia facientis.* Eoque honoris deuentum eſt, vt Gregorius decimus, vni Theologo, totas Eccleſiæ Dei difficultates, in Concilio Lugdunenſi commiſerit enodandas, & vni Bonauenturæ ſummo Theologo, ipſi omnes Primores Eccleſiæ attenderent, tanquàm oraculo cœlica dogmata propalanti: & ſummi honoris ergò, Theologi, Magiſtri inurunt nomen κατ' ἐξοχὴν, eis à quibus ſcientiæ ſuæ ſacros latices ebiberunt.

Diogenes Laërtius de vitis Philoſ. Homer. Iliad.

S. Bonauentura quantũ honoratus à Papa Gregorio decimo.

Philoſophia non inculta, Ariſtotelem ſuum naturæ genium, & mentem clamat; Stoici omnes iurant in Zenonem & Cleanthem, Academici diuinum Platonem ſonant, Pithagoræi, verba Pithagoræ excipiebant, vt aſſerta probata ſatis, αὐτὸς ἔφα.

Philoſophi omnes ſectæ ſuæ auctores venerantur.

Cœlicæ Matheſeos aſſeclæ Ptolomæum & Tychonem habent vt Atlantes οὐρανοφόρους id eſt cœligeros: non enim aliundè petita Atlantis imago, cœlum humero ſuſtinentis, niſi quod Atlas ille, anus Mercurij Triſmegiſti callens ortus & occaſus ſyderum, cœlos omnes capere animo credebatur.

Atlas quare dicatur ſuis humeris ferre cœlum.

Medicæ rei ſtudioſi eventilant elogium medicis præcipuum. ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Medicus pleriſque aliis præponderat vt dignior, ex Homero. Immò priſca ætas, ementita apotheoſi, id eſt deificatione, Æſculapium deum habuit ob rei medicæ peritiam, quâ multos ex agone extremo rediuiuos ſoſpitauit. Menecrates eandem callens diſciplinam, Iouem ſe ſuis literis inſcribebat, nec hodiè exoleuit Hippocratis, & Galeni opinio quâ θεῖόν τι aliquid ineſſe diuinum morbis inualuit; vndè Hierophilus olim dixit, pharmaca eſſe Dei auxiliares manus. Sic probâ illatione, medicus cenſeri poteſt, aliquid habere infuſum diuinitus, & non inanè dixeris, medicum eſſe Herculem illum, quem primæua ſæcula ἀλεξίκακον nuncupabant; eò quòd omnia mala radicitùs extirparet. Quid profana laudo, & ſacra moror? Ecce Ieſus Syracides, *Honora* (inquit) *medicum, propter neceſſitatem, diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur.* Huius effati praxim, Alexander eſt profeſſus, vitæ ſuæ incurius, vt Medici famæ conſuleret. Epiſtolam acceperat Alexander quâ de toxico monebatur diluendo in pharmaco, ſibi poſterâ die propinando à medico; adeſt medicus hora condictâ, prætendit Regi poculum, intrepidus Rex alterâ manu, ſuo porrigit epiſtolam medico perlegendam, dùm Pharmacum abſorberet, indubium ſic teſtatus animum, in medici periclitante famâ.

Æſculapius quare adoratus.

Medici quare honorãdi.

Menecratis ambitio.

Eccleſ. 38.

Alexander quantum ſuo Medico detulerit.

Q. Curt. l de geſt. Alex.

Eſto ſuus cuique honos, nihil moror, ſed cenſeo potiore cultu eſſe Antiſtites præferendos cum Theologis diuina impertiunt: vt Philoſophi nos docent ſapientiam defæcatam, nimirùm timorem Domini, ſapientiæ omnis exordium: Matheſim reuera indubiam indicant, ſcilicet quomodò cœleſtibus inſeramur; Medicinæ non exortes, præſtant ſe medicos in morbis propulſandis: ergo multiplici honore digni, vt inſonat Paulus. *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrinâ:* Et rurſus, idipſum inſinuat ad Hebræos. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.*

Epiſcopi quare maximè ſint honorandi.

Pſalm. 11.

1. Timoth.

Hebr. 13.

Tua, res, ô homo, hîc agitur, nam tibi detrectas honorem, quem Præſuli negas ipſo Eccleſiaſtico affirmante. *Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore.* Accipe ergo penſum meum.

Eccl. cap. 3.

SI QVISQVE ECCLESIÆ EXVLEM VEREATVR.

SI ECCLESIÆ PRÆSVLEM NON REVEREATVR.

HOMILIA IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ.

1. QVIA Angelus eſt regreſſus impatiens, idcò eſt redemptionis expers, homo verò ſecùs, quia reuertibilis redemptus eſt. Regreſſus eius ad gloriam, fuit inſtar eius Nabuchodonoſor, & ecce tibi intentum Homiliæ.

2. Nabuchodonoſor de gloriâ inſoleſcit. Deus eum exuit regno, & in feram illum tranſmutat, ſaltem cute tenùs, tandem Deo miſerante, qui inter feras degebat, à Primoribus regni de ſylua vocatur ad ſolium, totius cum regni applauſu.

3. Adam ſuæ gloriæ cuſtos incurius, ab ea decidit, mutatus in pecus. Deo tamen propitio, homo de ſtabulo Bethlehem, vocatur ad regnum. Cœli proceres, id eſt Angeli, congaudent homini reuocato.

4. His expenſis finio, explicans quomodò poſſimus fieri compotes horum gaudiorum.

PRÆFATIO.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator. *Luc.* 2.

Septentrionales populi ſex menſes agunt in tenebris.

BORBALIS *gens penè tota (ſit penes Olaum fides) gens ea, inquam, quæ à polo petita latitudinis, octogeſimo ſubeſt gradus, plures degit menſes in Solis deliquio, atque adeo tenebris, longo tenore expanſis, noctuarum inſtar, viuit in opaco, tadio tenebrarum. Reditum Solis tardum ægrè ferunt hi populi, & vt lætiores Soli reduci occurrant, excubias locant in iugis montium, vt albeſcente cœlo, tubarum clangor Solem excipiat redeuntem. Eiuſdem ſortis extitit omne humanum genus, plura ſæcula, in modum Veſpertilionis egit in tenebris; & vt Iſaia praoſtenſum.* Tenebræ operiebant terram, & caligo populos. *Patriarcha, & Propheta excubantes præſtolabantur Solem orientem, ſcilicet Chriſtum in humanis. Iacob inuocat* deſideratum gentibus. *Moyſes vrget:* mitte quem miſſurus es. *Iſaias clamat:* Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. *Denique ipſomet Chriſto aſſertore,* Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. *Hodie Angeli eminentiori ſitu, lucem hanc reducem hominibus prænuntiant; vnus chorum ſuum anteuertens, quaſi tubâ clangens, ait:* Euangelizo vobis gaudium magnum: *Huius gaudij fuit prænuntius Iſaias.* Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. *Huiuſce lucis irradiantis Bethlehemiticum vicum, primos excepêre radios, paſtores inſomnes, qui vt cœlum dehiſcere, & inclinari in terras aſpexerunt, extemplò properant pernice greſſu, in Bethlehem, redditures ſua obſequia, Soli, & Lunæ, id eſt Chriſto eum adorantes, & Mariæ eam venerantes Angelico affatu:* AVE MARIA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

EX PHILOSOPHIA:

IN dubio Philoſophiæ cum Theologiâ coëuntis aſſerto, ſtat iſtud commune proloquium, bonum eſſe ſui diffuſiuum, ſeu vt aliis placet, rationem boni eſſe ſitam, in communicatione ſui: Quod Dionyſius explicat, bonum diffundi ratione deſiderij quod excitat, quia ex Ariſtotele, bonum eſt id quod omnia appetunt, vt conſonum ſuo eſſendi modo. Verbi gratiâ ignis non appetit viuere, ſed dumtaxat fomitem & pabulum quærit, vt in ſuo eſſe perſeueret: plantæ marceſcentes humorem exigunt, vt indè earum anima vegetans recreetur; animalia vinculo coërcita gemunt de libertate anxia, vt de bono conſono ſibi: homo verò boni infiniti compos ab ortu ſuo, altos concipiens animos, flocci pendens infima quæque, diuinum quid in ſe ſubodorans, ambiit heu heu, & hoc incautè deitatem, & vt triuiale habet adagium κύων ὁ σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει τέκνα. id eſt, canis feſtinans cæcos parit catulos. Immatura in homine deitatis anxietas, eò totam adegit proſapiam, vt idcircò omnes ferè homines à Deo alieni, in boni cuiuſuis indagine, fœda caligine cæcutirent. Angelum habuit homo prævium defectione ſuâ, ſed non ſocium, aut reducem in reditu: nam ex Dionyſio Angelus eſt naturæ deiformis, in ſua intellectione non ſubditur tempori: primâ apprehenſione plenè intelligit, ideò dicitur intellectualis, ideóque non potuit decipi: ergo ex merâ malitiâ peccauit, & non ex ignorantiâ, aut infirmitate: homo verò vnum infert ex altero; ideò rationalis dicitur, & non intellectualis; quia autem ſucceſſiuè cognoſcit, potuit decipi:

Bonitas in quo ſita ſit.

Lib. 1. *Eth.*

Geneſ. 3.

Angelus cur non redemptus.

EX THEOLOGIA:

De myſtica Lib. de Eccl. Hierarc.

Dæmonis lapſus quare non fuit à Deo reparatus.

decipi: & eamobrem illic infirmitas, ſicut & humanitas; duo enim hæc ſynonimõs vſurpantur.

Alex. Alenſ. p. 3. membr. 2. q. 1. Dæmonis peccatū grauius, peccato hominis.

Rursùs Angelus appetiit omnipotentiam Dei. *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo*; at Deus per omnipotentiam eſt principium, quia ex ea omnia poteſt, & nulli vult eam communicare: ideò ſumma ibi inordinatio, id appetere ad quod Angelus non erat ordinatus; homo verò omniſcientiam appetiit, ad quam erat ex natura ſua coaptatus. *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum:* en ſuaſorem caſus, quia homo ad Dei viſionem erat euehendus, ex qua multiſcius foret ex mente Gregorij. *Quid non videt, qui omnia videntem videt?* Homo ergo appetens ſummam ſcientiam, non à ſcopo deuiauit, id eſt, non errauit ab obiecto, ſed deliquit in modo; modus enim collimandi ad hunc ſcopum, eſt gratia Dei ſpecialis, homo autem ſoo tantum conamine fretos, eſſe voluit omniſcius. Denique Angelus deliquit, nemine impellente, homo verò ſecùs, dæmone ei fucos & technas prætendente.

Ex SS. PATRIBVS.

Anſel. lib. 2. Cur Deus homo, c. 4. Reparatio hominis quare neceſſariò habent ſatisfactionē adiunctam.

Anſelmus aliam ſubiicit rationem, videlicet non angelicam totam naturam fuiſſe expunctam, Angelo occidente, quod tamen in homine extitiſſet, ſi homo rediuiuus Deo propitio non fuiſſet: perierat enim gens tota: deperdito homine protoplaſto, atqui ait Anſelmus. *Alienum eſt à ſumma bonitate, vt ullam creaturam rationalem penitus perire ſinat.* Non potuit autem reparari, niſi per ſatisfactionem; hæc autem ſatisfactio incarnationem inuoluit, vt præuiam ad noxas omnes plenè diluendas.

Gen. 19. *Aug. lib. 2. contra Gau. c. 21.* Potentia Dei duobus modis conſiderari poteſt.

Neque ſcrupulum moueat, aſſertum hoc proximè prælibatum, videlicet hominem non potuiſſe reparari, niſi præambulâ ſatisfactione; nam bicipiti modo potentia Dei ſe habet, noſtro concipiendi ritu; primò abſolutè, potentiam Dei in ſe poſſumus intueri, & ex hac indagine, omnia Deo poſſibilia eſſe inferimus, nemine reclamante, hac autem virtute præpollente non vtitur Deus; non enim omnes effectus exerit poſſibiles, altero vero modo, præpotens illa Dei virtus, ſpectatur in ordine ad iuſtitiam, & miſericordiam; & tunc potentia Dei connotat retributionem, ex proportione meritorum: & ſic homo ſine ſatisfactione non potuit reparari; quicquid enim Deus obiicit nobis, illud totum fit comite iuſtitiâ, quæ conſono cuique modo, omnia quæ potentiæ Dei ſunt, æqua ſemper lance moderatur. Sed vndè (*inquies*) iſta potentia Dei bipertita? an non gratis ea conficta eſt? minimè verò; eam enim ſancta Theologorum claſſis, emendicat ab Auguſtino, qui ab ea ſe expedit, ex codice ſacro ſuffragante. Multiſcius ille Doctor, exponens, quare cuoctantes Angeli compulerint Loth, ad exitum ex Sodoma, & quorſum vnus iuſtitiam Dei dixerit impotentem, Loth præſente. *Non poſſum* (inquit Angelus) *quicquam facere donec exeas:* acutus ille Scholiaſtes, ſic enodat abditum myſterium. *Poſſum de potentia, non poſſum de iuſtitia:* quaſi diceret Deus, poſſum te inuoluere quidem, vindice flammâ, peccatis huiuſce ciuitatis; ſum enim omnipotens, ſed quia iuſtitia bonorum compenſatrix, arcet pœnas ab innoxio, non poſſum addicere flammis, eum qui nullo vnquam vitiorum æſtu conflagrauit: atque ita quod abſolutè queo, hoc connotatiuè nequeo. Liquet ex præfatis, hominem fuiſſe ſatisfactioni obnoxium; quæ autem fuerit illa, aperit Pſaltes. *Frater non redimit, redimet homo:* frater quaſi ferè alter; quilibet ex Adamo ſatus, eius næuos tanquam ex traduce contraxerat, vt ouo prognatus eodem: at homo degener, in pecus abierat. *Vt iumentum factus ſum apud te*; ideòque hominis pœnas diluere, iumentum nequaquam poterat, ergo (*inquit Pſaltes*) redimet homo, homo (*inquam*) ille, qui ſibi nil conſcius, è cœlo dehiſcens, & ſe deorsùm inclinans nos ſurſùm euexit, vt bene inſinuat Auguſt. *Exaltauit ſe homo, & cecidit, humiliauit ſe Deus & erexit* Totam ſeriem hominis dilabentis, & Deo tandem miſerante reſurgentis, Daniel in Nabuchodonoſor graphicè lineauit. Inibi Rex obiicitur ſpecie arboris quæ patulis diffuſa ramis, cœlos vertice pulſans, terras obumbrabat, folia raro decore virentia, paſcebant oculos, ſicut & fructus multus leuabat inediam, eorum omnium animalium, quibus illic placuerat apricari; alites ramis inſidentes, edito concentu multiplici, & canoro, frequentes modulos repetentes, hoſque ſuaues, inuicem de muſicâ concertabant, ſibi conſonâ; ſed vt nihil omni ex parte beatum, omnis ille decor fugax breui diſperiit; namque voce deſuper edita, arbor exſciſſa, rami diſperſi, excuſſi fructus, folia ſubpallida, animalium receſſus præceps, & alitum volatus pernix, mœrorem ſummum iſta intuenti pepererunt. Hoc ſymbolo, Deus Regis huiuſce Chaldæi gloriam, & defectum, Danieli prænuntiat, & eodem penicillo ſtatum Adami oculis ſubiicio.

Pſalm. 48.

Pſalm 72.

Adami cum Nabuchodonoſor collatio. *Dan. 4.* Nabuchodonoſor ſuperbia quomodo à Deo caſtigata.

Geneſ. 2.

Ex SS. PATRIBVS. Homo in ſtatu innocentiæ fuit Angel. charus.

Adam reuera arbor & procera, vertice cœlo proxima, quicquid enim ſub cœlo magnum, illud erat minus homine, arbor hæc ramis diffuſa ſuis occupans terram, & animalia ſibi ſubiiciens, dominium hominis clamat, cui ſuberant omnia viuentia, folia inſolito virore decora, gratiam ſonant, quâ Adam Deo charus, alites deſuper occinentes, & pede crebro pulſitante ramo, notant Angelos affinitate quadam homini proximos, crebróque colloquentes, quæ omnia, vt æternitatis præludia, hominem denotant immortalem, vt ait Auguſtinus. *Deus hominem fecit; qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.*

Aug. lib. 1 q. nou. teſt.

Homo ſuperbiens excidit gratia Dei.

Nabuchodonoſor de gloria inſoleſcens regno cadit inglorius, immò & domo pellitur, ſub dio acturus ſeptennium, rore madens, fœno paſtus, inſtar bouis, & cute tenuis, feris per omnia coaptatus; ita & Adam typho inſueto tumens, vt vidit ſe multiplici dote conſpicuum, coruſco lumine ſuo quo inſignis erat, oppidò perculſus, Solis inſtar plus ſolito radiantis, paſſus eſt illicò deliquium, vt indicat ſanctus Auguſtinus: *Homo cupiditate experiendæ poteſtatis ſuæ, ad ſe ipſum tanquam ad medium prorruit, ita cum vult eſſe, ſicut ipſe ſub nullo, & ab ipſa ſui medietate, pœnaliter ad ima propellitur, id eſt, ad ea quibus pecora delectantur, atque ita cum ſit honor eius ſimilitudo Dei, & dedecus ſimilitudo pecoris: homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ille Dei Prorex orbe toto, diuino charactere inuſtus, faſtu ſuo fatuus effectus, infulis exutus, nec regno tantùm cadens, &

Aug. lib. 13. de Trin. c. 11.

imperio quo præibat animantibus, ſed eis eò ſubiectus eſt, vt vilia quæqne excuſſo iugo, ei poſtmodum inſultarint, & hoc deflet Ambr. *Homo cum peccaſti, aliud eſſe cœpiſti, & quod eras eſſe deſiſti, vt fieres ex homine pecus.*

Ambroſ. in Pſal. 118.

Huic exauthoratio Regi, mortique addicto parentarunt Prophetæ & Sancti ferè omnes, tenore lugubri lapſum eius deplorantes. Iſaias ſub typo regis Tyri, Adami niſus & alta conamina deflet, & caſum cui fuit inde obnoxius, tanquam conſcius criminis eius, quod Angelus refuga, Deique deſertor antea perpetrarat. *Quomodo* (inquit) *cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, qui dicebas in corde tuo, in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo; veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci; qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque proſpicient, numquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?*

Iſa. 14.

Regis Tyri caſus figura caſus dæmonis, & Adami.

Ex Figvris.

Diceres hoc textu prophetico texi epigraphen hominis demortui tumulo inſculpendam. Dæmon, & homo in noxa conſortes, & cœli exortes, primam huiuſce lamenti partem, ſibi ex æquo vendicant, ſed Adamum tantùm ſpectat Epilogus, & extremum orationis huiuſce funeralis: hunc enim increpat vir Deo plenus, hac cenſurâ. *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram?* quippe hominis lapſu terra tota contremuit, & quaſi hominem exoſa delinquentem, huic oneri impar ſe voluit hiatu facto, pedibus eius ſubducere. Rursùs occidens Adam, omnem occidit proſapiam, atque adeò vrbes, graſſante hac lethali lue deturpauit: ſed mali totius ſumma ſita eſt in eo: *Vinctis eius non aperuit carcerem:* nimirum homo qui multa compede prolem ſuam obſtrinxit, ſoluere non potuit, etenim à gratia deperdita, regreſſum ad eandem tenere non valuit, multâ ei offuſâ caligine, ex gloria oculos eius perſtringente, vt exprobrat ei Ezechiel. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te.* Denique te omni deploratâ, dubius hominis ſtatus erat penes anchoram ſacram.

Iſai. 14.

Adæ lapſus totũ genus humanum ſauciauit.

Ezech. 28.

Deus qui, *calamum quaſſatum non conterit, & lignum fumigans non extinguit:* Deus (inquam) cuius *miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius:* Regem Babylonis, ſuum diluentem præteritum ſcelus, ſolio reſtituit, quo autem modo? ipſe Rex aperit: *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me, & Optimates mei, & Magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificentia amplior addita eſt mihi.* Eadem naue vectus Adam, naufragus tandem appulit ad montes non Armeniæ, ſed ad montes excelſos, & præaltos Dei: enimverò ſpiritus eius qui euanuerat, ex nimio conamine, tandem reuerſus eſt. Deus inſpirauerat ei ſpiraculum vitæ, auram diuinam impertiens; ſed homo ille, primæui huius ſpiritus cuſtos incurius, miſerè animam exhalans, miſerior expirauit: aſt vt Eliſæus pueri extincti ſpiritum reuocauit, vbi ſe membris puerilibus aptatum, totum decuttauit; ita Deus formam ſerui accipiens, habitu inuentus vt homo, homini ſe affingens, hominem reddidit ſtatui, non priſtino tantùm, ſed etiam digniori; quippe ex Auguſtino. *Naſcitur Chriſtus, vt naſcendo noſtram redintegraret naturam, portat hominem, ne inde cadere poſſit homo, hominem quem terrenum eſſe fecerat, facit eſſe cœleſtem, animatum corpus humanum, Spiritu ſancto viuificante in diuinum, & ſic tollit in Deum totum, ideò quod laboris, quod doloris, quod terra eſt, nil reliquit.* Conglorietur ergo homo Regi Chaldæo dicens: *In regno meo reſtitutus ſum, & magnificentia amplior addita eſt mihi.*

Iſaia. 42.
Pſal. 174.
Daniel. 4.
Homo naturam belluinã exuit, & induit Dei naturam Deo incarnato.

Geneſ. 1.
4. Reg. 4.
Natiuitas Chriſti hominem reſtituit priſtinis infulis.

Ex SS. Patribvs.

Aug. ſerm. 4. de nat. Chriſti.

Humanitati noſtræ aſſumptæ, lemma Scipionis Bargaglij non inſulsè affingi poteſt; præferebat ille homo induſtrius nubem, ex imo ſurſum latam, vbi excipiens radios Solis illucentis: ex opaca, coruſcanti lumine radiabat, hoc deſuper ſcripto: Elata nitescit. Humanitas noſtra verè humi & in imo ſerpens (nam homo ab humo) ſed iam à Deo aſſumpta, hoc lumine conſpicua, Elata nitescit. Verùm enimverò operæ-pretium erat: Deum hominem induere, vt homo pecus exueret; exemplo homini exhibito, ab illo, qui vt ait Chryſologus. *Quos formauit opere exemplo reformauit.* Deus ille verè optimus; id eſt, ſummè bonus, nondum erat plenè, & ſummè diffuſus, etſi ſatis ſecundum triplex genus entis viuentium, ſcilicet ſecundùm eſſe vegetans, ſenſibile, & rationale. Aliam penes ſe rationem Deus nouerat, abditam hominibus, quam hodie tantùm exhibuit, naturam ſuam noſtræ adiiciens in vno ſuppoſito coëuntem. Naturam noſtram caſus ab alto, eâ contritione diſpecuit, vt nulla, niſi Dei virtute, partes vnquam potuiſſent in vnitatem coaleſcere, orbe toto diſperſus homo, imò à ſe diſſitus, ab eo qui vbique totus aſſumptus eſt, atque ita moderante Deo, fuit priſcæ redditus vnitati.

Ex Symbolis.

Scipio Bargaglius lib. ſymbolo.

Incarnationis vtilitas.

Hanc hominis diſperſionem, Auguſtinus colligit, ex quatuor elementis, ſeu literis componentibus nomen Adam apud Græcos; nam ſinguli characteres, ſingulas mundi plagas inſinuant. Eſt Adam: Ἀνατολὴ Oriens: Δυσμὴ, Occidens: Ἄρκτος. Septemtrio: Μεσημβρία: Meridies: vnde ſic fatur ſanctus ille. *Ipſe Adam toto orbe ſparſus eſt, in vno loco fuit, & cecidit, & quodammodò comminutus, impleuit orbem terrarum, ſed Dei miſericordia collegit vbique fracturas, & cõflauit igne charitatis, & fecit vnum quod fractum fuerat: nouit illud facere artifex ille, nemo deſperet, ille refecit qui formauit.* Hactenus ille: & alibi liquidiùs ait lapſum primi Adami, à ſecundo reparatum. *Sicut in regno mortis, nemo ſine Adam, ita & in regno vitæ, nemo ſine Chriſto, ſicut per Adam omnes peccatores, ita per Chriſtum omnes iuſti: ſicut per Adam omnes mortales in pœna facti ſunt filij ſæculi, ita per Chriſtum, omnes immortales, in gratia fiunt filij Dei.* Vt hominem ſibi ſpeciali vinculo deuinciret Deus, habitum induit, quo obuius homini, conciliaret affectus hominum, ita Alexander Perſicè indutus, Perſas, Macedonas exoſos, potuit demulcere; Cæſar amico nomine milites ſui iuris fecit, nuncupans commilitones: Caligula plebeis caligis exercitui communibus, Caligulæ nomen cœpit, & cum eo Imperium, toto exercitu, eum Imperatorem ſibi præſtitui conclamante; Maximinus alienigena, ex gregario milite factus Imperator.

Adam quomodo denotet quatuor mundi plagas.

Ex SS. Patribvs.

Aug. in Pſal. 95.

Adami lapſus quomodo fuit reparatus. Idem.

Epiſt. ad Opt. Ep.

Ex Profana Historia.

Q. Curt. lib. de geſt. Alex.
Iul. Cæſar de bell. Gal.

petator, altetnas fortunæ vices teſtatus eſt; Abdolominus ex Hottulano adſcitus in Regem, & Nabuchodonoſor ex ſolo ad ſolium, Deo miſeraute vocatus, fuete luculenti vades Salomoni, cum ait ex ore Dei: *Per me reges regnant, per me Principes imperant.* Chaldæus ille Rex animum pecudis induetat, ferinos ritus ebiberat regni ſui planè incurius, & immemor, Deo placato illam exuit ferociam, & eum expoſcente regno, optimates eunt obuiam reduci Regi, quem omnes ſeduli conquitebant.

Eutrop. lib. 10.
Prou. 8.

EX SS. PATRIBVS.
Chriſto nato omnia famulantur.
Aug. ser. 12. de Natiuitate Chriſti.

Chtiſtus in ſtabulo ſubſtrato fœno, inter bouem & aſinum, ab Angelis qui ſunt cœli Optimates inibi adoratut, cœlo & terrâ confluentibus ad præſepe, tanquàm ad tribunal, & vt notat Auguſtinus. *Cuncta quæ ſunt in cœlis, terriſque pulcherrima, ipſi Domino deferuntur, claritas per ſtellam, religio per Magos, & ſimplicitas per Paſtores.* Quare autem Deus inter animalia, ſuos in humanis ortus exetuit; SS. Patrum adeſt multiplex ratio. Heſychius; *Lubens Chriſtus reconditur in præſepio, vt qui ſunt beſtiales accurrant, & reperiant λόγον, id eſt rationem in præſepio conſtitutam*: accedit Chryſoſtomus: *In loco pabuli ponitur, vt vitam beſtialem mutantes, ad conſonam hominis perducantur ſcientiam*: adiice & Betnardum. *Dominus eſt panis viuus, de quo viuere debuit homo, ſed quia homo iumentum factus eſt, & panis factus eſt fœnum, vt vel ſic viuat de eo*: ſubeſt & Beda: *Dum præſepis anguſtia continetur, cui cœlum ſedes eſt, vt nos per cœleſtis regni gaudia dilatet, qui panis eſt Angelorum; in præſepio reclinatur, vt nos quaſi ſancta animalia, carnis ſuæ frumento reficiat.*

Chryſ. orat. de natal.
Bernard.
Beda.

Chriſti natiuitas quare facta in ſtabulo.

Quantumvis lætata ſit Babylnn, Rege ſuo ad infulas regni redeunte; maiore tamen gaudio tripudiat mundus, homine rediuiuo, & teduce ad tegnum à quo infœlix olim ceciderat: nam *Magnificentia amplior addicta eſt illi.* Ex Auguſtino *Deus homo factus eſt, vt homo fieret Deus, & vt ſeruus in Dominum verteretur, formam ſerui Dominus accepit, habitauit in terris habitator cœlorum, vt homo habitator terræ habitaret in cœlis.*

Aug. ser 52. de diuerſ.

Luc. 1.

Muliet, inuentâ drachmâ deperditâ, conuocat amicos, & vicinos congratulationis ergò, natura humana à Deo defecerat, ſed vbi Deum ſupetinduit, hodiè vicinos ad inſueta gaudia allicit & inuitat; Angelos deſuper, paſtores, & Reges citcùm, & Pattes in lymbo deorsùm; Angelis ſuis modulis ingeminant, quale inſit cœlo gaudium: paſtores & Reges ſolliciti, ad cunas, ſunt impores tantæ lætitiæ; Patrum io lymbo degentium gaudium præſciuit Iſaïas. *Habitantibus in regione umbra mortis, lux orta eſt eis.* Conclamarunt omoes legis priſcæ Proceres, Chriſto nato, ſuas figutas ſortitas fuiſſe effectum ab eis adumbratum. Ecce (inquit Adam) paradiſum ex quo eiectus ſum. En (ſubiicit Eua) fructum qui erit remedium eius, qui me motti fecit obnoxiaio. Noë exultans exclamauit, adeſt arca, quæ naturæ naufragæ ſuboeniet, & eam reponet ſupra moutes Armeniæ; Abraham qui exultauit vt videret diem iſtum, hodiè geſtiens ait: natus eſt nobis hodiè Iſaac, gaudium vniuerſæ tetræ, cui occinens Iſaac, pater (ait) iſte eſt agnus, qui te ſacrificum mei à mea morte compeſcuit, meas getens vices, morte ſuâ meam præueniens, verè ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Iacob ſuas & partes sgeos. Ecce (inquit) mihi ſcalas obiectas, & quarum ope, cœlos petuios babebunt homines Angelis perſimiles; agnoſco Legiſlatorem (ait Moyſes) digitus eius inuſtus lapideis tabulis, torum hominem prodit; Benè tibi IESV (ait Ioſuë) tuas egi partes, populum inſerens terræ proauorum; tu Epiſtates hominum, nos omnes cœlis aſcribes ſanguine tuo. Defecit io ſalutare tuum anima mea, Chriſte Deus (dixit Dauid.) Perpetàm (ait Salomon) laborani in templo excitando, humanitas noſtra, futurum templum, te hodiè illuſtris excipit, & aperit nobis.

EX FIGVRIS.
Iſa. 9.
Geneſ. 3.

Natiuitas Chriſti patribus in Lymbo recreauit.

EX FIGVRIS:

Geneſ. 7.
Gene. 21.
Geneſ 22.
Geneſ 28.
Exod 24.
Ioſue 24.
Pſal. 118.
3. Reg. 5.

Tandem (ait Iſaias) cœlo rorante, nubes lucida, Virgo beata pluit iuſtum, & eadem terra, neſciens ſpinas, ſuperno fœcunda rore, germinauit Saluatorem Virgo mihi præuiſa concepit, peperitque Emmanuel, atque adeò nobiſcū Deus. Denique omnes illud Dauidicum occinentes, chorum agebant gratioſum: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*: ad hunc verſum alludens Hilarius. *Hæc* (inquit) *dies in qua factus eſt Dominus, & genuit occiduus ſempiternum: hic dies origini rerum, originem dedit in ſe naſcentium.* In hac communi lætitia, caueamus ſortem ſororis Hotatij, quam ille vt triſtem vidit, Româ triumphante, exerto gladio confodit. Cenſuram etiam paſſus Epaminondas, lugens Thebanis omnibus feſtum diem agentibus; bilem mouit Ciceroni Vatinius, pullâ veſte aſtans conniuio; Quis vnquam (exclamauit Cicero) cœnauit atratus? Agamus & nos partes noſtras, io hac celebri feſtiuitate, morem gereutes S. Leoni. *Non fas eſt locū eſſe triſtitiæ, vbi natalis eſt vitæ, quæ conſumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promiſſa æternitate lætitiam, nemo ab huius alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter, peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit; exultet ſanctus, quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Hæc ille.

Iſai 45.
Idem 7.
Pſalm 117.
In Pſal. 117.

EX PROFANA HISTORIA.

Tit. Liu. & Flor. de bellis Rom Plutar. in Epamin. Cicer epiſt. ad Q. fratrē. Leo serm 7. de nat dom. R bl. z. in vita Card. Ximenis.

Quidni geſtiant homines vniuerſi, illis adnaſcente Chriſto? ſi ea regum eſt mens, vt ad ortū filiorum ſui ſtemmatis, tota gens edat ſigna lætitiæ, vt benè monuit Cardinalis Ximenes, qui eo die, quo natus eſt Ferdinandus Caroli quinti Imperatoris germanus, & ipſe poſtmodum Imperator, ille, inquam, die hoc natali Principis, obuios habens duos reos extremo ſupplicio addictos, illicò abſoluit eos, priſtinæ libertati reſtitutos, dicens diem Principis natiuitate inſignem, nemini infauſtum eſſe debere; immò, & vrbem Alcala, intra cuius pomeria, editus fuerat infantulus, ab omni tributo fecit immunem, in gratiam eius vndè & Alcalenſes in hæc tempora aſſeruarunt pueruli linteola, & cunas vt vindices ſuæ libertatis.

Ferdinandi Principis natiuitas vrbem Alcala fecit immunem à tributis.

Ad infantuli IESV cunas, & præſepe paſtores vnanimes concurrunt, velut ad ſymbola ſuæ libertatis hodiè reſtitutæ. Ad Mydæ cunas formicæ frumentum inuexerunt, quo eo Rege copiam rerum omnium affore prædixerunt, ſicut & apes, melle âſpergentes Platonis incunabula, facundiam eius adumbrarunt: ſed ex cunis huius filij recens nati, frumentum electorum

Alexan l. ab Alex l. dier. genial.

Natiuitas Chriſti aperuit hominibus omnium bonorum fontē.

ſine

ſioe falce demetet vniuerſum hominum genus, quo lethalem leuans inediam, opimo hócce pane totam Adami proſapiam iſte puerulus ineſcabit. Ex hoc item præſepio, ad quod Angeli, ſicut apes aduolarunt, non præco dumtaxat eloquens, & facundus exſiliet, ſed ipſummet verbum, in quo ſunt theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei.

Ex Historia.
Beda de locis Sanctis c. 8.

Nec ſroſtrà ſcaturiit illâ die fons perennis, de ſpelunca Bethlebem, qui ad Bedæ tempora fluxit; hac enim aquâ lineauit Deus, gratiarum omnium latices, ad nos hac natiuitare deriuandos. Libidioe æſtuabat homo, ecce aqua, præſto futura hominum inceodio; multiplici ſorde, pedorem cutis humana contraxerat, iuxta queruli Vatis lamentum vetus. *Denigrata eſt ſuper carbones, facies eorum.* Ecce aqua deterſuta ſordes, & quæ naturam, priſtinæ nitelæ teſtituat, & decori: io cuius rei gratiam, & ſymbolum, ipſe Dominus Iesvs, grandior factus, homioes vrgebat æſtuantes, vt aquis ſe allueren; quas ipſemet & fons, & alueus effundebat, dicens. *Si quis ſitit, veniat ad me.* Sicque eſt palàm, fontem in ſpelunca Bethlehem exortum, fuiſſe ideam alìqualem Chriſti, qui bonorum omnium eſt fons, & ſcaturigo; Igitur ſitientes venite ad aquas: ne ſitis obnoxij qoerelæ, editæ ab ipſo myſtico fonte Deo. *Dereliquerunt me ſontem aquarum viuentium.*

Thren.
Chriſto nato fons apparuit in Bethlehem.

Ierem.

Ex Ivre Civili.
Lege prima de ind. er. cod. Theodoſij.
Natiuitas Criſpi & Helenæ fuit ſalutaris hominibus in carcere detentis.

Reſrigerium aquis inſitum, typus eſt gratiæ à Deo ioſuſæ, in ſolamen animæ, peccatorum æſtu incandentis; vt autem via, non inuia ſit ad gratiam vobis, (auditores) hoc habetote ratum, quod omoibus fixum eſſe voluit Conſtantinus Imperator, in natali Criſpi, & Helenæ filiorum, in quorum gratiam reos omnes ergaſtulo patente ſoluit; eâ tamen cautelâ, vt ſacrilegos, homicidas, & adulteros arceret ab eo beneficio. Pleriqoe heu, hodiè habitu pœnitentum communione paſti, diem hunc feſtum obeuntes, gratiæ Dei ramen expertes extiterunt, ſi quidem ementitâ confeſſione ſacrilegi, menſę ſacræ procaciter aſtiterunt; adulteri libidinem ſilentio obuoluerunt; alij æſtuantes odio in proximos, homicidarum inſtar, ſouentes animo ſemina iurgiorum, beneficiorum Dei ſunt impotes, atque adeò talibus ſacrilegis, homicidis, & adulteris, dies hæc non natalis, ſed lethalis eſſe perhibetur. Sit ergo ingenua confeſſio, ſit cor patens reduci charitari, libido denique procul arceatur, vt exoriente Chriſto Domino, profluuio gratiarum eius inundemur. Plerumque inſcij multi, quonam egeant auxilio, vt emergant à vitiis, hunc diem prætereunt & ingratum, id eſt nullâ obtentâ gratiâ, qoia ab eis nulla fuit experita, ſicque ancipiti curâ diſtentos, vecordia diſtrahit in profana; vt noxiæ illi deſidiæ eatur obuiam: imitemur S. Porphyrium Gazæ Epiſcopum & Præſules illi conterminos: hi omnes fruſtrà de idolorum abrogando cultu, Arcadinm Imperatorem ſæpiùs appellarunt, ſed audito natali filij eius, Theodoſij iunioris, conuolant ad palarium illic aduoluti ad cunas infantuli, ſua prooi obſequia impendunt, & tandem, libellos ſupplices imponunt cunis infantuli, quem iam Arcadius conſortem Imperij promulgârat; eâ ſupplicatione ſancti Antiſtites, nouum Imperatorem ſollicitant de Idolis euertendis, ſtupet pater Arcadius, miratur

Marcus Diaconus in actis ſancti Porphyrij Gazæ Epiſcop.
Theodoſij iunioris natiuitas propitia fuit S. Porphyrio Gazæ Epiſcopo.

inuentum, & quod meritis ſupplicum olim denegarat, dedit filij ſui natiuitati, quæ (inquit) foret infauſta, ſi rem adeò piam ſupplicantibus, ipſe impius denegaſſet,

Ecce in Bethlehem, Theodoſio maior Imperator, in cuius die natali, ſi noo vis ſcire repulſam, eum tantùm interpella, de euerſione Idolorum tuorum, & non de ſanitate ſoſpitandâ, vel opum tuarum noxio forſitan incremento: inſta ſupplex vt tua ſimulachra ruent, & illicò collabantur; ſimulachrum tuum libido, ô anima fœda: & tibi fœnerator gentili deterior: audi qui dij præfecti ſint, *Simulachra gentium, argentum, & aurum.* Deinùm, ô reprobe, tot pateris Deos & idola, quot creaturas habes, quarum vel inuitus, obſequio mauciparis. Quod enim (ex Auguſtino) quiſque plus amat, hoc illi Deus eſt; nunc humilis aduoluere ad incunabula Chriſti, vt corruant hæc Idola, dabit Deus pater hoc exterminium, in gratiam filij Imperatoris enaſceotis, vltrúque delebis idola, & peccata, quorum excidium aliàs perperam intentaſti.

Quid petendum à Chriſto nato.

Pſalm. 113.

Ex ſonte Bethlehemitico illo hauriamus alia & arcana: nâ (ex Auguſtino) Chriſti omnia egregiè facta, habent ſuam linguam, ſi rectè intelligantur: factum eoim Verbi, erit etiam nobis verbum, ſi rationem facti intimè perſcrutemur. Occurrit primò Maria qnæ Chriſtum enixa, cuius nomeo irradians, eſt ſymbolum lucis: Maria namque illuminata, ex Hebræis à radice ראה vidit, ſi ergo vis compos fieri gaudiorum Chriſti naſcentis, ô anima, eſto illuminata, ſerio examine præuio, & ſic tibi Chriſtus adnaſcetur. In meam it ſententiam Auguſt. *Quiſquis ſe Deo talem reddi deſiderat, qualis à Deo factus eſt, id eſt ſimilem Deo, redeat ad ſe, & ſtet in ſe, & ſic intra ſemetipſum quærat, vt videat vnde conſtat homo, & quâ parte ſui, factus eſt ad imaginem Dei*; ex hac ſedulâ tui notitiâ, egeres quicquid oculos Dei offendit, & ingeres quicquid Deo gratum eſt, exemplo ex Auguſtino ſumpto. *Cum nobilis natalem ſuum celebrare deſiderat, ordinat emendari, quicquid ineptum eſt, quicquid neceſſarium eſt præcipit exhiberi, non infert nobis Deus bona ſua, niſi auferat mala noſtra, & in tantùm illa creſcunt, in quantum iſta minuantur; nec iſta perficiuntur, niſi iſta finiantur.* Et quia lumine naturali ſumus oobis inſcij, lumen deſuper Auguſtinus emendicat. *Illumina vultum tuum ſuper nos, fulgeat in nobis imago tua, cognoſcamus & nos imaginem tuam.*

Quomodo ſiamus compotes eorum gaudiorum quæ emergunt ex natiuitate Chriſti.

Ex SS. Patribvs.
Lib. de ſpi. & anim.
Idem Serm. 1. de aduentu.
Idem in Pſal. 66.

Hadrianus Imperator quo apparatu diem ſuũ natalem celebrabat.

Ex Historia.
Perſæ pridie feſtoró ſerpentes occidebant.
Spartian in vita Hadr.
Agathias in hiſtor. Perſ.
Oedipus infantulus feris obiectus.

Hoc lumine affulgente nobis, videbimus nos iacentes in ſtabulo, ſimiles pecudibus; quicquid ferinum, & irrationale eſt nobis, id totum exterminium petit, vt Deo pateamus innaſcenti; priſco enim ritu, io die oatali Imperatorum, ferarum grex copioſus mactabatur. Hadrianus Imperator natalem ſuum diem, mille ferarum ſanguine cruentauit. Agathias ait Perſas olim diebus ſolemnibus, veoenata omnia exterminare ſolitos: hoc à te exigit Deus hodiè, medius inter pecora, vt ſæuias in omne quod pecudem ſapit, natalis Chriſti ſit funus vitiorum, tibi naſcitur Chriſtus vt moriaris tibi.

Sed heu, multi, vt Lagus ille, qui Oedipum infantulum feris obiecit laniandum, ſed puer à paſtoribus ſoſpes ereptus, grandior factus, Lago tandem necem intulit, quam ille primùm ipſi puerulo intentarat. Plerique hodiè

diè Chriſtum hoſpitio cordis excipiunt, ſed exponunt feris diſcerpendum: inſtar ſyluarum enim, corda præferunt aſſueta feris, quando cor habent multis criminibus obnoxium; ſed paſtores è Bethlehem hodiè ſeruant incolumem, vt inſtante morte, Chriſto luant pœnas, illi ſacrilegi, qui multo crimine præpediti, Chriſtum nefariè ſuſceperunt. Eiuſdem farinæ fuerunt fratres Ioſeph, eum Ciſternæ addicentes lachrymantem, & ieiunum; ſed vice verſâ, Ioſeph Ægyptiorum Protex, mortis ſuæ conſcios fratres ſuos, hanc impietatem verſantes animo diuexauit. Repetebat increpatione dirâ Ruben, cenſuram in miſeros fratris excidium lamentatores: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? ſanguis, & caro noſtra eſt; & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur.* Nos Dei Præcones, futurorum prænuncij inculcamus, cauete nefarij & flocci homines, nolite peccare in puerum iam iam natum; ſanguis, & caro noſtra eſt, nolite inferere eum Ciſternæ diſſipatæ, cordi videlicèt malè ſibi conſcio, ſacram ſynaxim obeuntes, animo multis deliquiis infecto; Quid cauſamini furias animam ſuis aculeis inſectantes? ratio in propatulo eſt, ſanguis eius exquiritur, Deo luitis pœnas ob puerum miſerè laniatum, occurrite miſeri malo imminenti, eâ cautelâ innuit textus ſacer. Naſcitur Chriſtus in Bethlehem Iudæ, nota non in Bethlehem Galilææ, ſed Iudæ naſci Chriſtum. Duplex enim eſt Bethlehem, ex Hieronymo Bethlehem idem, ac domus panis. Iuda confeſſionem ſonat, à radice ידה confeſſus eſt, Chriſtus innaſcitur animæ, poſt communionem, præuia confeſſione peractam. Fauet Gregorius. *Benè in Bethlehem naſcitur:* Bethlehem quippe domus panis interpretatur, ipſe namque eſt qui ait: *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendit, locus ergo in quo Dominus naſcitur, domus panis anteà vocatus eſt, quia futurum profectò erat, vt ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes internâ ſatietate reficeret.*

Geneſ. 24.

Chriſtus natus à pleriſque, malè excipitur.

Luc. 2.

Ex SS. Patribus.

Greg. hom. 8. in Euang.

Iudah, confiteri.

Natiuitas Chriſti quare in Bethlehem.

Caue à Bethlehem Galilææ; nam ea leuitatem ſapit, & animum inquietum, Galilææ vox volubilitatem ſonat à radice גלל, id eſt, voluit: aut abſtine à menſa deifica, aut non perfunctoriè, vel animo volubili aſta ſacris altaribus. Hodiè Iesvs, & pecora tibi obuia ſunt, in ſtabulo, vt eligas vnum ad libitum, aut Deum, aut pecus: ita Romani inſoleſcente Carthagine, miſère legatum qui pacis, aut belli daturus optionem, clauam oliuâ circumactam præferens, diceret Africanis: Vtrvm libet: illâ ancipiti teſſerâ pacis, & belli, Romanorum animos bicipites inſinuans. Sic Ioſuë, populo victori, & redimito lauro, Deum, & idola propoſuit. *Elegite hodiè quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis.* Eodem ſtylo, Academia Altorfina, alumnos ſuos adhortata eſt, emblemate propoſito, vbi raſtrum & penna aptata ad ſcripturam, coronâ deſuper imminente, videntibus ſeſe explicabant, iſto ſuperſcripto. Ad rastra vel ad astra: quaſi diceret Academia; penes vos eſt raſtrum, ſicut & penna coronata, ſi pœnam, & pennam fugitis, ſymbolum ſtudiorum, raſtrum erit ſors veſtra, nimirùm vita ruſtica, mores inculti, animus hiſpidus vos ſequentur, deſides, & ignauos ſtudia detrectantes. Hoc inculco (auditores) aut Iesvm, aut pecus; eligite Deum, aut aſinum, aut bouem; Ad rastra, vel ad astra.

Galal, voluit.

Ioſuë 24.

Ex Symbolis.

Ex lib. Symb. Acad. Altorfina.

Natiuitate Chriſti datur hominibus optio.

Si me præconem flocci penditis, pluris factuti ſanctos, audite

Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Dummodò culturæ patientē accommodet aurem.

En ſuaueolenti halitu Bernardum perorantem: *Cognoſce pecus quem non cognouiſti, homo, adora in ſtabulo, quē fugiebas in paradiſo, honora præſepium cuius contempſiſti imperium.* In ore duorum, ſtabit omne verbum. *Agnoſce* (inquit Leo) ô *Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus, naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire, memento cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum, reminiſcere quòd erutus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen, & regnum*; cui nos aſcribat Deus: Amen.

Horatius.

Ex SS. Patribus.

Bern. ſer. 35. in Cant.

Leo ferm. 1. de nat. Chriſti.

Finis Homiliæ primæ.

TRACTATVS PRIMI
CAPVT SECVNDVM,
DE FESTO
CIRCVMCISIONIS.

EVANGELIVM. *Luc. 2.*

1. Postqvam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer: 2. Vocatum eſt nomen eius 3. Iesvs, 4. & 5. Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero conciperetur. *Lucæ 1.*

EXPO

EXPOſITIO MORALIS digeſta in Sectiones.

1. *SPatio ſex dierum, editus orbis, fecit numerum ſenarium ſymbolum laboris, immò & vitæ noſtræ, quæ tota eſt in ærumnis: ſenarium excipit ſeptenarius: quietis index, & Sabbathi, atque adeò is numerus mortem notat, quæ eſt quies à vita; numerum ſeptenarium octonarius conſequitur, qui ſignificat ea quæ beatam requiem excipiunt, ſcilicet beatitudinem. Vnde & ſunt octo beatitudines. Cùm igitur audis, conſummatos octo dies, & poſteà circumciſum Puerum, myſticè intellige nos non fore vſquequaque circumciſos, id eſt, expertes nęui, ſeu noxa, niſi in beatitudine.*

2. *Vbi nomen inauditum nobis inuretur, ſiquidem Deus, ſtellis tantùm nomen imponit, id eſt, beatis mentibus, & non brutis.*

3. *Soli enim homines, ſalutis æternæ ſunt capaces, homines hic dico eos qui vitam agunt rationi minimè diſſonam, ſed conſonam inſtituto nominis* IESV, *à quo ſalus.*

4. *Parta, ſanguine huius pueri, qui & hoc nomen* IESV *ſanguine ſuo demeruit, nec vlli communicat, niſi circumciſo.*

5. *Vt enim Angelus reſciuit hoc nomen, prinſquam innoteſceret hominibus, ita ex his tantùm hoc nomen affingitur, qui angelico ritu viuunt; nempe ſchemate vitæ defæcata, ex hoc nomine hauriunt gratiæ multiplicis latices ampliores.*

NEMO POTEST ESSE VSQVEquaque circumciſus, id eſt perfectus, niſi depoſitis carnis exuuiis.

In hæc verba:

Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer.

SECTIO PRIMA.

Pier. lib. hier. 44.

INualuit quondam iſta ſenteutia, nimirùm omnia eſſe cœlo, terraque ſata, & hinc Perſarum opinio effluxit, de hominom ortu; quippe aſſeruêre, hominem editum eſſe de cœli & terræ connubio; nec inſulſa planè fuit ea mens Magorum, ſi penſetur ad trutinam codicis ſacri, quo Geneſis hominum euoluta, docet hominum caput Adam Deo fictore, è terra eſſe compoſitum, ad quod alluſit Græcia natalem ediſſerens hominis, quem Promethens effinxit de terra diluta. Fas ſit ergo nobis, ex præfatis inferre Deum, & terram eſſe parentes, à quibus hominnm proſapia ſuam [illegible]ucat originem. Ex hac illatione exurget iſt[illegible]tionis omnigena probatio, & liquebit hominem, niſi depoſitis corporis exuuiis, poſſe fieri compotem perfectioois illibatæ.

Omnia ſublunaria ſunt Deo & terra velut vtroque parente ſata.

Perfectio eſt duplex.

Sed ne hæreamus in vado, auſpicemur à definitione perfectionis quam ſuggerit Philoſophus. *Perfectum eſt id, cui nihil deeſt*, bifariam autem vſurpatur perfectio, vna eſt de eſſentia rei, vt eſſe rationale, eſt de eſſentia hominis, & hæc perfectio noo ſuſcipit incrementum, neque decrementum: nam ex Ariſtotele, *Eſſentiæ ſunt ſicut numeri:* quibus ſi detrahas, vel quidpiam adiicias, illicò variant, vt ternarius, detractiona fit binarius, & adiectione quaternarius. De hac perfectione ſilet titulus, ſeu argumentium enarrationis quam expendo. Alia eſt perfectio extra eſſentiam rei, vt ſapientem eſſe, & caſtum, hoc homini accidit: in hac perfectione accidentali totius huiuſce ſermonis vertitur cardo: dicitur à Græcis τελειότης, vel τελείωσις, id eſt, rei conſummatio, quam nemo adipiſcitur, niſi vndequaque abſolutus; ad hoc autem vt quis, ſuis omnibus numeris conſtet, atque adeò ſit perfectus, coëunt multa, quæ corporis huius inquietâ compage diſpeſcuntur: ſicque vt omnimoda perfectio hominis, expectetur in cœlo potiùs, quàm teneatur ſarta tectáque in terris. Fauet vox Hebræa, תַּכְלִית, quæ perfectionem & finem ſignificat à radice כלח *calach*, quæ quidem Hebræis finire ſignificat; ſed Chaldæis idem eſt ac, anxiè expectare, ſeu ſperare: nam Targum vſurpat vocem כלח *calach*, quando ex aduerſo, Hebræa habent בטח *batach*, id eſt, ſperare. Myſticè ergo Hebræi perfectionem explicant, voce quæ ſpem ſonat potiùs, quàm vſum vel adeptiooem.

Ariſt. lib. 3. Phyſic.

EX PHILOSOPHIA.

L. 8. Metaph. text. 10.

Perfectionis acquiſitio difficilis.

Perfectio hominũ in quo ſita ſit.

Lingua illa ſancta, nos ad ſcientiarum ſanctiſſimam, Theologiã prouocat, quâ irradiante, ſcimus perfectionem omnimodam hominũ, ſitam eſſe in vnitate, quæ referat aliquali ratione eam, quâ Deus vnus eſt, & hoc Chriſtus Dominus innuit dicens: *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, quod ita explicat Theologus. Hoc textu, Deus non compellit nos ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem, eam equidem quæ eſt inter Deum & hominem, & non ad eã quæ intercedit inter hominem, & hominem; quo etiã ſenſu orat Chriſtus, vt ſimus vnum, ſicut ipſe cũ Patre vnum eſt: non autem poſſumus æquare vnitatem, quâ Pater & Filius vnum ſunt, ſed pro modulo poſſumus imitari. Proponit Chriſtus ſignũ ad collimandũ, quò ſcit nos peruenire non poſſe, vt quò poſſumus, perueniamus, non vult nos eò vſque progredi, ſed ſtare vetat; ſtationem autem inducit importuna moles hæc carnea, quâ premimur: corpus enim quod corrũpitur aggrauat animam, licet enim afflante aurâ Spiritus ſancti, turgeant animæ noſtræ vela, caro tamen inſtar Echeneis, impetus etſi quã validos ſæpiſſimè remoratur, iuxta id, *ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma*. Carnis autem infirmitas, ſapit originem eius, quæ cùm ſit è terra quæ deorſum vergit, ita & ad deteriora, nos iugiter inclinat, ſicut & ſpiritus, qoia à Deo emanauit, cõtinuos æſtus & impetus ingerit ad ſuperna, vnde ſua trahit exordia.

EX THEOLOGIA:

Mald in c. 5. Mat.

Perfectio hominũ ſita in vnitate.

Ioan. 17.

Sapient. 9.

Lucidas prætendit Medicina faces, quæ hominum in hac vita nævos aperiont. Ars Medica ſpeculans vitæ hominum primordia, ait in τυπώσει, ſeu delineatione fœtus, eſſe vim diuinam efformatricem, quæ corporis organici membra componit, & diſpeſcit, vtrumque etiam parentem influere, ad fœtus integram compagem, ſed eâ iniquâ ſorte naturæ oouercantis, vt vis efformatrix deteriorem partem æmuletur; ſicut videre eſt in Philoſophia, vbi concluſio ſyllogiſmi eiuſdem eſt naturæ, coius eſt deterior præmiſſarum, ſi vna enim propoſitionum ſit ſingularis, vel negatiua, aliâ ſuâ conſorte vniuerſali, aut affirmatiuâ, concluſio tamen erit ſingularis, vel negatiua; ita ſi parentum vous ſit vegetus, alter infirmus:

Fœtus vis formatrix eſt diuina.

EX MEDICIS:

Andr. Laur. de Anatom.

Ex Philoſophia: Fœtui inuritur imperfectio parentũ. Morbus incurabilis eſt ortus à mala conformatione. Actus humani boni & mali.

infirmus, vis efformatrix velut oblita εὐτονίαν, καὶ εὐκρασίαν, id eſt bonum habitum validi parentis, inuret fœtui ægri parentis *κακεξίαν, καὶ κακοπραγίαν*, malum habitum, & malas functiones earum partium, quas principes vocant, ſicque edita ſoboles, ægrè ſe habebit ſemper, ob parentis *ἀτονίαν καὶ δυσκρασίαν*; has autem infirmitates, velut hæreditates tranſmiſſas ad poſteros, Medici diluere dedignantur, omnia enim à mala conformatione peccantia, artis Medicæ potentiam aſpernantur.

Ex Theologis: S. Thom. 1. 2. q. 18. art 1. Cicero l. 5. Tuſc. quæſt. Virtutis ſemina nobis inſita. Deus fons omnium bonorum.

Vt affinia ſunt corpus & anima, ita & Theologia, & Medicina coeuntur. Liquet Theologiâ, actus humanos eſſe in duplici differentia, alios bonos, alios verò ſecus, eſſe reprobos: qui boni ſunt, à Deo parente noſtro effluunt: *Omne enim donum optimum, de cælo eſt, deſcendens à Patre luminum*; ſi quid autem à recto virtutis tramite deuiat, id carnis eſt, quæ matris, ſeu terræ colluuiem traxit, in die natali ſuô; habemus à patre noſtro impetus ad virtutem, cognitos etiam oratori infideli. *In animis noſtris ſemina virtutum innata ſunt, quæ ſi bonus cultor creſcere permitteret, ipſam naturam ad perfectionem duceret.* Deum hunc parentem omnium noſtrum, validum eſſe, & potentem, atque omnigenæ perfectionis ſummam, vidit ipſa cœcutiens gentilitas; dum Deum omne, ſeu vniuerſum appellauit: nam ΠΑΝ quaſi τὸ πᾶν, vt aduertit Eugubinus. Aliquot fortaſſe latices ebibere Philoſophi, de limpidiſſimo fonte codicis ſacri, vbi Deus Moſem ſic affatur: *Ego oſtendam tibi omne bonum*, cui & affinis eſt, ille verſus Gregorij Nazianzeni.

De perenni Philoſoph. l. 1. c. 8. Nazianz. lib. Carm. Deus quale ſit ens.

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει σοὶ δ' ἀθρόα πάντα θοάζει
Σὺ πάντων τέλος ἐσσὶ, καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδέν.
In te omnia permanent, ad te confertim feſtinant omnia:
Tu omnium finis, tu vnus, & omnia, & nihil rerum.

Dionyſ. l. de Diu nom. c. 5. Rom. 11. Perfectio rei cuiuſque vnde attendatur.

Præiuit Gregorio Dionyſius, ὁ Θεὸς οὔπως ἐστὶν ὤν, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ἀπεριορίστως ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς καὶ προειληφώς: *Deus non quomis modo eſt ens, ſed ſimpliciter & incircumſcripte, totum eſſe in ſe pariter complexus & anticipans:* nota vocem προειληφὼς anticipans, quia priuſquàm omnia bona haberent eſſe in ſeipſis, habebant in Deo, vt inſinuat Apoſtolus: *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia:* Si per ipſum, ergo per cauſam exemplarem, & efficientem, in eo, & ex eo ſunt omnia. Accedit ratio, nam vnaquæque res, in tantùm eſt perfecta, in quantum habet eſſe; nam gradus perfectionis ſequitur modum eſſendi, ſed Deus habet totam latitudinem entis, quia ipſe eſt ſuum eſſe, per ſe ſubſiſtens; ergo & habet omnem perfectionem poſſibilem, hoc tam nobili patre ſatus homo, ingentes hauſit ſpiritus, ſed eorum aciem, hebes & terrena compago retudit, ideòque inſtituta Circumciſio carnalis, vt vel hinc reſciret homo ea quæ lethaliter in eum inſurgunt, eſſe incrementa carnis, quæ cum ſit infima, ſuam κακεξίαν iuſſit homini, qui ex anima & corpore coaleſcit.

Perfectio nequit haberi in hoc corpore.

Itaque ex prælibatis, hiulca ſemper erit hominum perfectio, quandiù corporis huiuſce contagio erit addictus, & hinc variæ ſententiæ ipſorum gentilium, in quibus accipe Ciceronem. *Nihil in ſimplici genere, natura omni ex parte beatum, atque perfectum expoliuit, tan-*

Cicero lib. 1. de inuen.

quam cæteris non habitura quod largiatur, ſi vni omnia conceſſerit. Et Crates Philoſophus ait, ſicuti in malo Punico quantumuis integro, ſunt acini qui putreſcunt, ita etſi homo viuat innoxiè, plura tamen ſubrepunt indecorè. Nec deuiat à ſcopo, Appellis in celebres pictores ſcomma iactum, quorum cum tabulas demiratus eſſet, ait illis deeſſe Venerem illam, quam Græci χάριτα gratia vocant, dicens picturas quidem concinnè appoſitas, ſed abeſſe à tabula leporem qui viuos homines conſequitur. Non inficior multa edi, à pleriſque egregia facinora, quæ priſcorum Heroum, gloriam æmulantur: aſt hoc lugemus, deeſſe naturæ vitiatæ gratiam illam, quâ expuncta homo ſuperſtes, multis næuis vitam egit obnoxiam. Non eſt à profanis, in hoc themate ſacrorum authorum diſcors authoritas, nemo enim hominem aſſeruit, eſſe ſuis omnibus numeris abſolutum: præeat Auguſtinus. *Si qua fidelium hîc eſſe poteſt perfectio, in eo conſiſtit, vt ſe imperfectos eſſe agnoſcant:* accedit Gregorius. *Plerumque hi, quos iam perfectos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi opificis, aliquid habent imperfectionis, ſic ſæpe imperiti homines, nedum perfecta ſculpta ſigilla conſpicimus, & iam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex conſiderat, & limat, laudari iam audit, & tamen ea tandem melioranda non deſinit.* Ruſus audiendus Auguſtinus, vt omnium SS. Patrum agmen claudat, ſic ille. *Si omnes illos Sanctos, & Sanctas qui in Scripturis ſanctis non modo non peccaſſe, verùm etiam iuſtè vixiſſe referuntur, cùm hic viuerent congregare poſſemus, & interrogare vtrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent illud quod ait Ioannes Apoſtolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Stat ergo noſtra inconcuſſa theſis, hominem luteâ compagine grauem, non poſſe eſſe vſquequaque circumciſum, ſeu perfectum; quippe ille ſtatus eos tantùm manet, qui corporeas ſarcinulas exuerunt, vt ſonat Apoſtolus. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Nota, Vas illud electionis aſſerere, non fore ſe plenum, niſi priùs euacuet quod ex parte eſt: quod ſic tropologicè explico, nos non fore beatos neque perfectos, quin ea quæ ex parte carnis pullulant, vndique reſcindamus; nequeunt autem reſcindi carnalia, niſi falce mortis, quæ totum hominem circumcidit, & in eo nitet myſterium priſcæ Hebræorum circumciſionis, quæ fiebat poſt dies octo, quaſi ingereret Deus mentibus noſtris homines non fore perfectos & omnimodè circumciſos, niſi in beatitudine, & poſt reſurrectionem, quæ duo, octonario numero deſignantur.

Diog. Laër. in vita Philoſ. Eraſmus l. 8. Apophs.

Ex SS. Patribus: Auguſt. l. de perfecta iuſtitia. Gregor. lib. 4. dialog.

Auguſt. l. de natur. & gratia contra Pelag. Perfecti ſe imperfectos eſſe ſuſpicantur. Perfectioni repugnat amor corporis.

1. Cor. 13.

Perfectus vſquequaque nequit eſſe homo in hoc ſæculo.

Fauet Ius ciuile, quo quiuis tributo ſubiicitur, ſi terræ incrementa fecit: ita ſanxit Iulianus Imperator: *Omnes pro his agris quos poſſident, publicas penſitationes agnoſcant*; & poſt eum Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius idem hac ſanctione cauerunt: *Quiſquis aliena res quoquomodo dominium conſequitur, ſtatim pro ea parte, quâ poſſeſſor fuerit effectus, cenſualibus paginis nomen ſuum poſtulet adnotari, ac reſpondeat ſolutu*

Ex Ivre Civili: Cod. Theod. l. 11. Tit. 3. leg. 3. & l. 5.

Corpori homo addictus eſt ſubditus multis infirmitatibus ſpiritualibus.

ſoluturum. Quo iure ſic arguo, nouæ agri acquiſitioni, noua penſa ſubſunt, ergo homo terreæ moli adſtrictus, pro hac terrena colluuie, pendet tributum adeò conſtans, quantùm, & conſtabit homo corpore ex terra oriundo: non eſt quod enumerem hæc tributa, ſuos quiſque patitur Manes, & gemebundus experitur quales exciter caro tragœdias, in animæ perniciem. Miſſas facio ægritudines quibus impetitur homo: minimum eſt enim hoc tributum, ſi componas illud cum peccatis quæ in animam ipſam, carne conſciâ arietant: heu quas virtutum edunt ſtrages hæc vitia, vbi dirutis animæ ſeptis, in eam irrepſerunt? teſtes ſunt gula & libido, quarum faces admotæ plurium hominum mentibus illicò conflagrarunt. An non & cœcis quaſi cuniculis, valido niſu, caro fuit importuna Paulo Apoſtolo? qui vt eius eluderet irrita conamina, ſæpè Deo ſupplex aduolutus, eius mendicauit opem, vt & ipſe enarrat. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus ſatanæ qui me colaphizet, propter quod, ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me.* Si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido? ſi fuit inquieta caro Apoſtoli, qui eam ad tertium cœlum euexerat, quibus æſtibus inſoleſcet illa hæc noſtra caro tota penè lutea, nullâ planè ratione, niſi nece compeſcenda? nimirùm tunc ſpiritus ab hac compage liber, cœlis inſertus, & velut in ſuo meridie rutilans, ſuos vſquequaque diffundet radios, nullis tenebris opacandus.

Caro fuit importuna Paulo Apoſtolo.

2. Cor. 12.

Planetæ magis influunt dum ſunt verticales.

EX MATHEMATICA.

Iul. Firm. & Schonec. vbi de virtutib. Planetar.

Mathematica ſuffragatur huic aſſerto; dum vim Planetarum expendit ad trutinam ſitus eorum, qui ad ſingula quæque momenta variat: aiunt enim huiuſce artis periti, Planetas eſſe validos & potentes ad influxum, cùm nobis ſunt verticales, & imminent in circulo meridiano, quaſi ab horizonte circulo remoti, omne terræ contagium exuerint, quo hebes & obtuſus fit eorum influxus: hanc ſententiam Matheſeos, eſt aſſecuta ſponſa illa Canticorum, quæ dilecti ſui cupedias ſacras, atque chariſmata ad nos diffluere innuit, cùm rutilat in meridie, *Indica mihi quem diligit anima mea vbi cubes, vbi paſcas in meridie*. Ex hoc Mathematicorum placito collige; Planetas dum magis eminent fortiores eſſe, & potiores exerere qualitates, ita & nos tantùm fore omnigenâ luce rutilos cum terræ erepti, ad cœlites euehemur, nam ex commercio cum hoc horizonte, id eſt ex affinitate animæ cum corpore, exurgunt crebræ remoræ, & pleraque diſpendia, quæ nequimus corpori immerſi effugere, neque declinare.

Cant. 1.

Beatæ animæ ſymbolum.

EX SYMBOLIS:

Typotius l. Symbolor.

Corporis & animæ conflictus eſt perpetuus.

Ad hoc fortaſſe alluſit Cæſar Modenæ dux, qui pro ſymbolo præferebat Solem nubes in meridie diſpeſcentem hoc titulo; OBSTANTIA NVBILA SOLVIT, quaſi diceret, Solem orientem, ex vicinia terræ, nubibus opacari, quas tamen facili negotio diluit, dum æſtuat in meridie. Reuerâ multas & nos ſordes in hoc æuo colligimus, ex carnis humanæ conſortio, ſed anima cœlis adſcripta, hæc OBSTANTIA NVBILA SOLVET. Eò collimabant vota Apoſtoli, dum ſæculum hoc pertæſus, & corpus ſuum exoſus vt impedimentum, ad cœleſtia tota & feruidus anhelabat: *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & alibi impos tædij quod corpus ingerebat, optat *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Eoſdem patiebatur æſtus Dauid, faſtidiens infulas regias. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar*: adeò verum eſt animam etſi regio culmine emineat, multa pati deliquia, donec inſtitis expedita luteis, Chriſto tota penitùs adhæreſcat.

Rom. 7.

Philip. 1.

Pſalm. 119.

EX HISTORIA:

Ioannæ vxoris Ludouici XII. ſors miſeranda.

Luculentâ planè hiſtoriâ, imponam colophonem iſti materiæ hactenùs diſcuſſæ: Ioanna virgo, regia Gallorum proſapia inſignis, & ipſa Regis Ludouici vndecimi filia, coniugem accepit Principem eodem ſtemmate regio clarum, qui & diademate Gallo, fuit Rex Ludouicus duodecimus, diceres fortè, Reginam beatam hoc apice, vtpotè infra quam eſſent præalta quæque, coniugem ſuum altè deuinxerat, eiuſque libertatis vindex extiterat: is enim ferreo ergaſtulo mancipatus, quia inſurrexerat in Regem Carolum octauum, agebat vitam ancipitem; hinc coniugis prece erutus eſt, ea enim Caroli ſoror, fratrem vrgens multiplici vice, tandem eum ad veniam inclinauit. Debuit ſanè Ludouicum ad amorem cõiugis inflectere, præſtitum illud beneficium, quo non ſoſpes duntaxat, ſed etiam Rex euaſit: nihilo tamen in ſponſam citurior, etſi eius ope ſecurior, effectus eſt, immò virtutis eius, & beneficiorum immemor, diſſoluto coniugio, eam iuſſit ſuas ſibi res habere; quid inde? putabis hanc miſerandam reginæ ſortem iniquam; minimè verò, immò æmulanda eſt ea conditio atque fœlicitas, diuortium eius cum Rege conſecuta: quippe regio faſtu abdicato, & æterno vale dicto regi, dedit nomen ſuum Chriſto, deuouitque ſe Religioni, vbi regiis ſoluta curis, ad eum perfectionis verticem appulit, quem canones exigunt, vt Sanctorum albo, ab Eccleſia nomen alicuius inſeratur.

Duplex in Ludouico duodecimo.

Ludouicus XII. repudiat vxorem cui multum debuit.

Ex hac hiſtoria genuina, liquet corporis in animam ingrati, inolitum ingenium: nimirùm anima iugiter de corpore ſollicita, vt illud induat, & eius leuet inediam, nullos alios à corpore prouentus accipit, niſi iniurias; eſt enim corpus iniurium animæ, dùm illa ſaluti inuigilat, caro eam crebris ſtimulis agitat, & abſtrahit; tantiſque vellicat aſtutiis, vt nequeat eſſe fœlix, niſi accepto libello repudij, id eſt inſtante morte, Etenim tunc anima ſecreta à corpore, cœli clauſtra ingrediens, Deo nubit, nuſquam ab eo diuellenda.

Corpus vt ingratum eſt iniurium animæ.

Inſtabis audax eſſe Theorema iſtud, neminem niſi corpore depoſito, poſſe eſſe perfectum, & arietare in arcem ipſam ſanctitatis Chriſtum Dominum, qui fuit exemplar & idea ſanctitatis, etſi fuerit corpori obnoxius.

Corporis eſt cura nimia deponẽda ei, qui anhelat ad perfectionem.

Reſpondeo, Chriſtum etſi non eguerit Circumciſione, ſuſcepiſſe tamen hanc ſciſſuram, vt firmaret hoc aſſertum, carnalia eſſe reſcindenda ei qui ad virtutem ingentes concepit animos. Rursùs dico duplex eſſe cum carne diuortium, vnum quod mors inuehit, & hoc eſt reale, dùm caro occidit vergens ad occaſum, aliud eſt morale, dùm anima auerſata delicias, & quaſi oblita corpus nauſeat ad terrena, & quaſi à ſæculo aliena, veluti cœlicola, Deo ſemper adſtat, & hoc rectè delineat ritus Circumciſionis, quo puer circumciſus poſt dies octo ſiſtebatur

Domino;

Ambroſ. Luc. 2. in c. 2. Lucæ.

Domino; quod ad meam mentem ſic explicat Ambroſius. *Circumciſus vitus Dominico dignus indicatur obtutu, quia oculi Domini ſuper iuſtos. Vides omnem legis veteris ſeriem fuiſſe typum futuri, nam & circumciſio purgationem ſignificat delictorum.* Si ergo homo perfectionis auida es, titulos omnes carnis erade, & æternum cum illa iura diſſidium, quo enim fueris à carne remotior, Deo tantò propior factus, ab eo capies gratiæ latius incrementum. Quantò enim Sancti à corpore ſuo fuêre diſſiti, tantò & fuêre ſanctiores: ideóque meam hanc alto animo reconde γνώμην ſeu ſententiam.

POTIOR ANIMÆ AFFECTVS, EST CAVTIOR A CARNE DEFECTVS.

VT REPROBI SVNT ANONYMI, ita & iuſtis tantum à Deo nomen inuritur.

In hæc verba:

Vocatum eſt nomen eius.

SECTIO II.

Pueri ante baptiſmum anonymi.

INoluit ille ritus in Eccleſia, vt recens nati maneant anonymi, donec fontis ſacroſancti lymphis abluantur; ea fuit & praxis Hebræorum, qui niſi peractâ circumciſione, non indebant nomina pueris editis in lucem; vtriuſque moris vna eſt, eademque myſtica ratio ad mores attinens. Scilicet homines emortuos non vocari vt qui ſint ſenſus expertes, infantes autem olim ante circumciſionem erant peccato obnoxij, ſicut & hodie ante baptiſmum eidem piaculo ſubſunt: fruſtrà ergo affingeretur eis nomen, ante vitam cœlitus illapſam; hoc enim eſſet, mortuo verba dare: ſed puero facto conſcio ſalutaris aquæ nomen imponitur, vt ad vitam reuocato, cuius beneficio poſſit vocanti Deo reſpondere. In huius rei argumentum, Deus Angelum lapſum non vocauit, quod tamen præſtitit in Adami deliquio, eum enim voce canorâ reuocauit: Adam vbi es? Angelus enim refuga, ſuæ ſuperbiæ nullas à ſe expetiit pœnas, ideoque alto caſu contritus, damnatus ad mortis huius occaſum quæ nullum vnquam gratiæ ſciet exortum, quidquid deliret Origenes qui gratiam reducem ſpopondit Angelo nebuloni, homo vero ſecùs, ſenſit lapſum, vocantique Deo reſpondit, & erubeſcens nuditatem non in Deum inſurrexit, atque adeò priſci nominis expunctionem non incurrit, quâ mulctantur ſontes, æternis ignibus addicendi vt clamat codex ſacer.

Geneſ 3.

Adam quare à Deo vocatus proprio nomine poſt lapſum.

Angelus quare non vocatus à Deo proprio nomine poſt lapſum.

Dehiſcente terrâ, intonante Chriſto, & inſonante lethalem ſententiam, quâ reproba hominum noxiorum colluuies quatietur, nulla fiet recenſio hominum, in ea tota ſerie verborum, quâ impias mentes eſt eo temporis articulo perculſurus: ſic enim vrgebit ad pœnam, homines ſibi male conſcios. *Ite maledicti in ignem æternum.* Si quæris in quos cadat virulentum acumen fulminis biuulce terebrantis: Reſpondeo in maledictos ſeu anonymos, cùm enim careant nomine, quoduis eis nomen affingas, erras, atque adeò malè deſignantur nomine vllo, illi qui vt refugæ & deſertores omne bonum nomen exuerunt, maledicti ſunt, ſunt enim dicti malè hi quibus inuritur nomen cuius ſunt impotes, perpetuis ignium globis carendi. Sic vides anonymum, & maledictum eſſe voces ſynonymas: Rex præcentor occinit Chriſto expungenti nomina reproborum, ſic enim inſonat. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea:* eodem & ſpiritu actus Ieremias, Deum ſic affatur: *Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur:* quaſi diceret homines à Deo auerſos vt terrenis inhient, vt filios terræ, terreos nuncupandos vt luto & puluere conſepultos.

Matth. 25.

Reprobi in die iudicij proprio nomine non cenſebuntur.

Pſalm. 115.

Ierem. 17.

Reprobi quare ſint anonymi.

Quare autem nominis ſint expertes viri nequam? accipe ex Philoſopho qui ait; *Eſſe nomina ſigna rerum*; at reprobi non ſunt res: ergo nomine queunt minime deſignari, ſicut enim ſe habet ens phyſicum ad rem phyſicam, nomine phyſico adumbratam, ita ens morale ad rem moralem nomine morali lineatam, ergo ſicut non entia nomine phyſico carent, ita & reprobi nullâ entitate ſeu re morali inſignes, nullam ſibi poſſunt nomenclaturam in genere moris iure vendicare. Rurſùs ex eodem Philoſopho. *Voces ſunt ſigna conceptuum*, ſed peccati nullus eſt conceptus, ergo neque voces: vndè ait Pſaltes, ſuam deflens ſortem iniquam, in quam impegit fœdâ libidine homicidio purpuratâ. *Ad nihilum redactus ſum neſciui:* nam peccato deperditur quod Dei eſt, & eſt ſuperſtes tantùm ea res quæ noſtri eſt inſtituti; ea autem res nihil eſt ipſomet Chriſto aſſertore; *Sine me nihil poteſtis facere.* Inde S. Thomas ait peccatum non habere efficientem cauſam, ſed deficientem; in eóque ſtatu homo ita eſt impos, vt graueolenti cadaueri ſimilis à ſcientiſſimo vate comparetur. *De cadaueribus eorum aſcendit fœtor.* Vide impotentiam hominis qui gratiæ occidit.

EX PHILOSOPHIA:

Ariſtoteles, periherm c. 2.

Ariſtot. eod. lib. cap. 1.

EX THEOLOGIA:

Ioan. 15.

S. Thom. 1. 2. q. 75. art. 1.

Iſai 34.

S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 7.

Thren 4. 5.

Homo, ex Theologia, peccando triplici cuſpide perit: primò fœdâ colluuie maculatur, vndè illud: *Denigratæ ſunt ſuper carbones facies eorum:* hanc autem maculam nequit homo diluere niſi Deo irrorante, eſt enim gratia, decor animæ ordinis ſupernaturalis, & vires totius humanæ naturæ tranſcendentis: Secundò homo patitur naturæ ſuæ deliquium, quatenùs voluntas deuiat ab obiecto ſuo, ſcilicet ſummo bono; nequit autem natura infirma reſurgere, aut aliquid arduum exerere, niſi propitiâ Dei obſtetricante manu. Tertium malum quod incurrit homo, eſt reatus quo pœnæ interminæ mancipatur; ab hoc autem ſe debito expedire nequaquam poteſt homo, niſi iuſtitiâ Dei cedente iuri ſuo, & inſtante miſericordiâ: benè ergo ad nihilum redactus eſſe reprobus, codice ſacro perhibetur.

Peccatum trifariâ malè afficit homines.

Præire igitur debuit circumciſio impoſitioni nominis, ne incaſſum nomenclatura cuderetur, quis enim non mortuo fœtui, ſed & iam iam perituro nomen ſuum velit mutuare? nonne induceret in animum, perpetam inditum nomen, malum omen forſan innecturum? & hoc exquiſitè cauent Medici; vbi enim aduertunt τὴν νέκρωσιν τῆς δυνάμεως, id eſt emortuam facultatem, etſi æger morbi ſui inſcius medicum clamet, abſunt nec muſſitant quidam de pharmaco propinando, ne fiat arti iniuria ſi det nomen ſuum homini illicò perituro.

Circumciſio quare facta ante nominis impoſitionem.

EX MEDICINA:

Ind. Durr. in coag. paſſim.

Ex Ivre Canonico: *Baronius in Annal. ann. 879.*

Quod medicina vernacula ſanxit, idem & ſacra Therapeutice cauit, cuius eſt canon ne Sacramentum exhibeatur ei de cuius meliore frugi minimè conſtat, ne Eccleſia in filiorum ſuorum familiam fœtus inſerat adulterinos; & hinc alium ſcrutinium ortum, vt Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus refuga, fieret redux Eccleſiæ alumnus: quot cautiones adhibuit Papa Ioannes octauus, ne oculis illuderet Photius, qui genuinam ementitus fidem, gremio tandem exceptus Eccleſiæ, poſtero lapſu firmauit hanc meam theſim, nemini niſi vegeto & viuaci, nomen aliquod inurendum.

Ex Ivre Civili: *Andreas Fan in Hiſt Nauar. l. 12.* Gallorum ritus in puniendo homine perduel'i.

Gallica etiam fuit olim praxis iſta criminalis, vt perduellis nomen ſileretur cùm tortori traderetur extorquendus. Reo enim de theatro omnibus expoſito, ad ludibrium obiiciebantur illi crimina de quibus liquidò conſtabat, tandem Rex Fecialis prodibat in medium, & torvè intuens miſerum illum ſontem, ſciſcitabatur quiſnam ille eſſet: adſtantium vnus aiebat, vocari Dominum talis loci: ad hoc exclamabat Fecialis, erras, erras in nomine, ô quam mutatus ab illo qui fidus aliàs Regi, nomine hoc quondam clarus, iam infidus nomine cadit omni; ne igitur, ô lictor, hunc priſco nomine compelles, non enim ille eſt qui fuit aliquando, affinge nomen ſtatui conſonũ infido, & enimvero hoc ſacrum caput inferis deuotum manibus, eſſe hominis perfidi omnibus execrandi vtpote perduellis. Idem etiam explicitè cauetur Iure canonico. *Hic cuius nomen dicimus reticendum male bona miniſtrans ſibi tantum nocuit*, de Iuda illic agit. Praxis illa criminalis, hiſtoriâ cùm veteri, tùm recentiori ſtabilitur: teſtis eſt ille

Ex Ivre Canonico. *Can. ſecundũ diſt. 19.*

Heroſtratus homo triobolaris, qui vt nomen ſuum perenne tranſmitteret ad poſteros, faces appoſuit templo Dianæ Epheſinæ, vt illucente fano nomen etiam incendiarij hoc lumine ſcintillaret. Iërunt obuiam iudices huic intento, nam ſublato reo de medio, nomen eius expunxerunt hac ſanctione, vt nomen hoc infandum, eſſet inſtar piaculi quod nefas eſſet vnquam nominare. Simili propè pœnâ ſæuitum eſt ſuperiore ſæculo, in nobile & veteranum militiæ ducem nomine *Franget*: is belli peritia diu inſignis, & Regi Gallo clarus, præfectus eſt arci Fontarabiæ, vt Regis Hiſpani valentiores impetus retunderet, ſed ætatis ille miles ſuæ priſcæ virtutis immemor, arcis obſeſſæ incommoda vel minima ſuſtinere non valuit, ſed deditionem cogitans fecit arcem iuris Hiſpanorum qui eam ſolo protinùs adæquarunt: quo audito, Rex Gallus Lugdunum vocat Frangetum virum vtique animo fractum, qui ſiſtitur aulæ regiæ, quâ tota in eum perſonante, ex edito loco populo obiectus Dux ille ignauus, armis palàm exuitur, eius ſtemma ſeu gentilitia parma conteritur, tituli omnes quibus erat is nobilis, eraduntur, & tandem inglorius & ſine nomine detruditur ex theatro; adeò conſtat reprobos eſſe anonymos.

Ex Hiſtoria: *Strabo l. 14.* Frangeti nobilis cõdemnatio. *Duplex in Franciſco I.*

Ex Mathematica: *Iulius Firmicus l. 2. c. 27.* Signa zodiaci influunt in ſingulas quaſque partes corporis.

Non terrena tantùm ſæuiunt in reprobos, & eos obligant, immò & cœleſtia, reproba quæque dedignantur; nimirùm ex Firmico, Planetæ, & ſigna Zodiaci ſingulas ſibi quaſque partes in homine vendicant quas regant, & illapſu continuo tueantur; tamen pili, & vngues vt reprobæ partes & emortuæ, in nullius ſtellæ iura cedunt: æmulantur enim aſtra Deum, cuius oculi ſuper iuſtos: & vt non proiiciuntur margaritæ ante porcos, ita nec cœlorum influxus, irrito illapſu ad vilia deriuatur.

Quiſquis igitur ambit bonum nomen, non occidat, ſed vitam agat neſciam occaſus, vt vegetam vitam viuax nomen nuncupet in æternum, ſicut & ſponſor eſt Chriſtus. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit:* qui enim dedere ſuum nomen Chriſto, dat eis & nomen ſuũ Chriſtus; nequeunt autem nomina ſcribi in libro vitæ, niſi eorum qui vitam agunt affinem vitæ, de qua agit liber curſus in cœlis. Audiendus eſt Thomas, Angelus hominum doctor. Ex Theologia duo attenduntur penes librum vitæ, vnum eſt quod aſſeruet nomina electorum ad aliquid quod ſit ſupra naturam ipſorum, ſcilicet ad gloriam: etenim electio eſt reſpectu eius quod alicui non debetur ſecundum naturam ipſius, non enim eligitur homo ad ratiocinandum, edendum, & bibendum: quia operationes illæ, humanæ naturæ quadrant, ideò electio hominis debet eſſe reſpectu vltimi finis; qui eſt vita æterna; reſpectu enim vitæ naturalis non eſt electio, neque liber vitæ. Aliud quod attenditur ad rationem libri vitæ eſt, quòd illud ad quod homo eligitur, debet eſſe velut vltimus finis eius; vndè quando aliqui tantùm ad gratiæ vitam eliguntur, non dicuntur propriè electi, neque conſcripti in libro vitæ ſimpliciter, quia gratia non habet rationem vltimi finis, ſed medij ad gloriam: vnde liber vitæ ſolùm eſt reſpectu gloriæ, & non gratiæ, quia tamen gratia eſt gloria inchoata, illi qui habent gratiam ad tempus etiam dicuntur pertinere ad librum vitæ, & in eo conſcribi ſecundum quid, propter ordinationem gratiæ ad gloriam. Ex hoc libro educuntur nomina impoſita circumciſis, qui vocantur nomine præſcito ante æuum: & hîc duo aduerte ſcitu digna; primum, nullius nomen impreſſum libro vitæ, niſi eius qui è vita diſceſſurus eſt circumciſus omni piaculo; ſecundum, ſupponi nomen alicuius ad hoc vt vocanti reſpondeat, in caſſum enim anonymum quiſpiam vocat indebito nomine, & vocationem ad gratiam, & gloriam ſupponere vocati nomen inſcriptum gloriæ libro; quod aliâ verborũ compage dicunt Theologi, vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, vt ait Apoſtolus. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit*. Vt vocationi ergo illicò gerat morem quiſque debet ſatagere, vt ab eo non excidat nomen inuſtum in baptiſmo; quòd ſi irrepente noxâ dilutum eſt hoc nomen, gratiâ Dei penitùs eliminatâ, ſuperſtes eſt à naufragio tabula pœnitentiæ, cuius beneficio poſſumus iterùm appellere ad portum, quidquid latret dæmon, inſuſurrans noſtrum non eſſe, ſed Dei tantùm inſcribere nos libro vitæ, atque adeò irrita fore noſtra conamina, vt prædeſtinationis beneficia conſequamur.

Apocal. 2.

Ex Theologia: *S. Thom. 1. p. q. 24. art. 1.* Liber vitæ quid ſit.

Liber vitæ quorum nomina contineat.

S. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. *Rom. 8.*

Prædeſtinatio quot modis accipitur.

Vt ergo inſidiæ eludantur hoſtis acerrimi, præaltam audi & moralem diſciplinam ex puteo hauſtam abditæ Theologiæ. Prædeſtinatio bifariàm accipitur, primò pro actu ipſo diuino quo Deus ab æterno præordinat quoſdam ad vitam æternam, & ſic eſt inuariabilis, &

nefas

Rom. 11. Prædeſtinatio quomodo accipiatur. S. Thom. 1. p. q. 23 art. 8 & in 1. d. 41. q. 1. 2. Petri 1.

nefas eſt hunc montem attingere, & ſcrutari receſſus altos, ipſiſmet abditos Cœlicolis: hinc reſilijt Paulus etſi euectus ad tertium cælum, ait enim ſtupens in margine putei alti, & hærens in crepidine abyſſi, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* ab ea autem cauendum eſt temeraria indagine, anxiè enim ſpeculari an ab æterno ſis à Deo prælectus necne, hoc eſt lethale ſcrutinium, quo plerique ſcioli perierunt. Alio modo ſumitur prædeſtinatio pro effectu ipſius, ſcilicet pro vocatione, iuſtificatione, & glorificatione; eo ſenſu,viros iuſtos iuxta vocationem ſuam vt ad amuſſim viuentes, dicimus prædeſtinatos. Sic accepta prædeſtinatio,iuuari poteſt Sanctorum precibus,& impigra praxi actuum fidelium, & hoc Apoſtolorum apex inculcat hoc tenore.

Opera bona neceſſaria ad prædeſtinationem in executione.

Fratres magis ſatagite vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando, ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus, in æternum regnum Domini noſtri IESV Chriſti: & hîc nota Petrum inſinuare bonis operibus patere aditum ad regnum; quod & Theologi dicunt, prædeſtinationem in executione dicere reſpectum ad merita,quæ ideò dicuntur rationes prædeſtinationis,id eſt bonis operibus exantlatis à viris ſanctis, inferimus prædeſtinatos eos non caſu,ſed ratione quæ nihil perperam,& tumultuariò meditatur.

S. Thom. 1. 2. q. 23. Prædeſtinatio adiuuatur bonis operibus.

Quomodò autem adiuuetur prædeſtinatio piis operibus,& ſuffragio Beatorum, obſeruanda eſt ſpeculatio ſancti Thomæ: ait Sanctus ille, Dei prouidentiam non diſponere tantùm effectus,ſed etiam attendere ex quibus cauſis,& quo ordine deriuentur, quod fit reuerà palàm in phyſica rerum ſerie;verbi gratiâ,Deus præordinat & prouidet ſegetem futuram, nec hîc ſtat eius prouidentia, ſed ſe extendit ad modos congruos illi prouentui annonæ,ſcilicet terram multiplex germen editurum, mediante valido & genuino ſemine, & irrorante cœlo, & coruſco Sole,& matura tempeſtate; ita & in prædeſtinatione ſumpta pro glorificatione, inter cauſas ſecundas, etiam actus humani ſunt cauſa aliorum effectuum,& ita Deus prouidet illos effectus fore, medijs actibus humanis, inter quos ſunt preces & ſuffragia Sanctorum, quæ mirabiles edunt effectus. Ergo ſicut ille qui applicat cauſas ad merendam frumenti abundantiam, non intendit mutare diuinam diſpoſitionem, ſed potius illi adhærere; non ſunt enim cauſæ ſecundæ contrariæ diuinæ prouidentiæ, ſed ſunt eius exequutrices,ita etiam per orationem non intendimus immutare Dei voluntatem & diſpoſitionem, ſed magis adhibere cauſas, quibus Deus diſpoſuit aliqua conferre nobis; ideoque adijcit S.Thomas, dicere non eſſe orandum vt conſequamur aliquid à Deo, ob id quod eius prouidentia non variat,idem eſſe ac aſſerere non eſſe ambulandum, ad hoc vt perueniamus in locum aliquem: vel abſtinendum prorſus, vt benè ſaginemur. Vt quid Chriſtus petenti quo tramite ad cœlum eſſet appellendum reſpondiſſet, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata?hinc planè inſinuauit bona opera eſſe veluti pennas & calamos aptatos, ad ſcribendum nomina iuſtorum in libro vitæ.

Prouidentia Dei nollis operibus vitatur vt mediis. S. Thom. l. 3. contra gentes c. 96.

Ex Hiſtoria. Hiſtoria ex Ciaconio in vita Marcelli 2. Marcelli Papæ facinus egregium. Opera ſunt teſtimonia virtutis emeritæ.

Alluſit ad hoc Papa Marcellus ſecundus,ipſo articulo ſuæ aſſumptionis ad orbis vniuerſi apicem ſummum; Cardinales omnes animo concordi in comitiis illis quædam deſcripſerant in albo decreta inconcuſſa,& futuro Pontifici obſeruanda, vtpote quæ ad decus Eccleſiæ conſpirarent,inaugurato nouo Pontifice,proferuntur tabulæ, & coràm explicantur illæ ſanctiones; vrgetur Marcellus vt ſubſcribat, in teſſeram obſequij quod anteà Cardinalis ſpoponderat expenſurum, abnuit ille & calamum reſpuit, ſed digno Apophtegmate toti facturus ſatis Eccleſiæ. Abſit (inquit) vt calamo ratas faciam iſtas ſanctiones, nihil leuius penna, volo operibus meum illic nomen inſcribere, & vita innoxia facere ſanctiones has illibatas. Ancipiti diſtraheris animo, an nomen tuum ſit in libro vitæ; quæ ſupra te nihil ad te,operibus probis tuum illic inure nomen, ſtylus ille virtutis graphicè inſculpit, & probatiſſimo charactere.

Ex Symbolis: Typotius l. Symbolor.

Arridet ingenium Marci Antonij Carreti Principis Melphi,huic erat in Symbolo leo erectus, corona deſuper imminente hoc titulo, CONSOLATVR CONSCIENTIA, ET FINIS, ita & tu leoninos indue animos, erigere ad excelſa, & indubius eſto coronam cœlitùs imminere.

Ex Chronicis FF. Minorū in vita S. Bonauent. Tentatio de prædeſtinatione quomodo eluſa à S. Bonauentura.

Hac cautelâ eluſit Dæmonum technas Seraphicus olim doctor Bonauentura;animum eius inquieto niſu pulſabat ſpiritus ille nequam, vt percelleret ad deſperationem, obiiciens omnia egregia facinora flocci eſſe ei, quem Deus ab æterno non cœlis adſcripſit: non etenim eſſe volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis; atque adeò eſſe ſuperſedendum, ſatiuſque feriandum eſſe, quàm plura perperam intentare; Acriùs in dies vrgebat Sanctum illa tentatio, quam vt dilueret, lachrymis adiecit repetitas preces; vndè & valentior factus,ſic Dæmonem affatus eſt. Nihil ad me ſi Deus ab æterno mihi ſit factus propitius, vnum hoc ſcio redditurum cuique iuxta opera ſua: ideòque cùm penes me ſit comite gratiâ, quæ cuique præſto eſt ad innoxios actus, volo totis virtutibus inſiſtere, hoc calle ſecurus de ſalute, immò cum nulla ſubeſſet ſpes ad ſalutem, & ſcirem me flammis addicendum, vbi odio Dei tabeſcunt animæ reproborum,quid opus vt ſyndæreſi,& animo malè mihi conſcio ſupplicia anteuertam? hoc ſatagam, vt vel hic æmuler beatorum mentes, amore in Deum æſtuando. Vbi hoc apud ſe Sanctus conſtituit, tota Dæmonum illa caterua protinùs euanuit. Vide ex Gregorio,prædeſtinationis effectus emanare à cauſis etiam ſecundis. *Ea quæ viri ſancti orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt vt precibus ipſorum obtineantur, nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita,vt ad hoc electi pro labore perueniant; quatenus poſtulando mereantur accipere id,quod Deus omnipotens ante ſecula diſponuit donare.*

S.Gregor. l. 1.dial.c.8. Prædeſtinatio quomodo adiuuetur precibus Sanctorum.

Si igitur aliquâ lethali plagâ ſaucius de vitâ deſperas, ad dictamnum pœnitentiæ conuola; hinc ſoſpes euaſurus, factus viuacior circumcide ea quæ te à Deo fecerant alienum, & teduci tibi nomen impone, quo vocatus ad gloriam, eam tu illicò nanciſceris, quia autem Deum iugis oratio demeretur, eſto vbi

opportunè importunus, vt excites te ad Deum inflectendum, vt flectatur; eſt enim mea hæc fixa ſententia.

DEVS EVM VOCAT, QVI EVM INVOCAT.

Iuſti vitam agunt conſonam inſtituto nominis IESV.

In hæc verba:

Vocatum eſt nomen IESVS.

SECTIO III.

Pericula faciunt homines cautiores.

ANcipiti ſorte penſiles nautas in æquore, ferente ſalo, & nocte opacante cœlum; nihil æquè recreat, ac ignis accenſus in littoris optati edito loco: quippe ad diffuſum lumen effuſi homines, alacres ad portum appellunt, eo planè dignata eſt gens humana ſuffragio, illucente nomine IESV. Etenim æuo retroacto, Adami piaculum, adinſtar fermenti in adeò ingentem molem noxæ ſurrexerat, vt omnes penè homines ſuo attriuerit incremento: nimirùm omnis caro corruperat viam ſuam, quando lethales aquæ diluuij ſuo affluxu in hominum genus internecione ſæuierunt; Superſtites miſeræ gentis reliquiæ, eductæ ex arca velut ex theca eas ſoſpitante, ediderunt homines atauis ſuis nihilo cautiores, vt videre eſt in plaga Sodomorum, & quod magis demirere; etſi Deus Moyſem & Prophetas populo ſuo dederit, vt præambulones ad ſalutem, hos tamen homines ſui incurios, inualeſcentes noxæ in præceps actos, vt inuios abduxerunt. Hinc querela Dei approbantis. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Iſai. 5.

Anxium tenera patrem ſe præſtiterat Deus, in procuranda ſalute hominum, ſed eius omnimoda cura, minimè diluerat eam altam caliginem, quæ mentes omnium ſontes penitùs obumbrabat, operæ-pretium erat, lumen accendere adeò rutilum, vt potis eſſet detergere tenebras, quæ orbem penè vniuerſum opacabant. Præſepio abditus Deus infans, imponitur candelabro, id eſt excipitur ambobus Mariæ brachijs, factâ Circumciſione, accenditur Nomen IESV, cœcutienti naturæ illico affulſit lumen eo nomine coruſcante. Præfulſerant anteà viri tres en nomine IESV inſignes, ſcilicet Ieſus qui & Ioſue filius Nun, Ieſus filius Ioſedech, & Ieſus Syracides; ſed hi fuêre tantùm magni nominis vmbræ, impotentes ſuccurrere homini caliganti: & vt ait Auguſtinus. *Homo qui videbatur, ſequendus non erat; Deus qui non videbatur, ſequendus erat; vt ergo exhiberetur homini, & quem videret homo, & quem ſequeretur homo, Deus homo factus eſt*, & lucido nomine IESV fuit à teneris vnguiculis inſignitus. Diceres hominum genti anteà fluctuanti, opaco cœlo, erectam turrim adinſtar eius, quæ in inſula Pharo faces lucidas præferebat, dubiam vitam agentibus in æquore procelloſo, cuius ignes Lunæ radios longè ſuperabant, vt ait Poëta:

Ieſus nomen tribus impoſitum viris.

S. Auguſt.

Deus quare incarnatus.

Lumina nocturnaque tollit Pharus æmula Lunæ: *Lucan. l. 10.*

Vbi Nomen IESV effulſit, ceſſere alia omnia lumina, quantumuis præfulgida; oblatum ſibi nomen Domini reſpuit Cæſar Auguſtus, mente præſagâ præſentiens dominium noui luminis influentis; & vt ex Ægeſippo Pharus dicitur ἀπὸ τοῦ φανοῦ quod eſt lucidum; omnibus enim illucebat; ita & Chriſtus eſt impoſitus candelabro vt omnibus affulgeret. Et hoc ipſe ait. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*: & Paulus eidem metaphoræ inſiſtens ait. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*; id eſt vitam componamus ad amuſſim nominis IESV de quo Petrus ait. *Nec aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

Auguſtus reſpuit nomẽ Domini. Statius. Sueton. in Aug. Ægeſippus lib. 4. Rom. 13.

Tres principes linguæ, Hebræa, Græca, & Latina, ſacro crucis Dominicæ titulo conſecratæ, Dei nomen efficiunt Tetragrammaton ſeu quatuor litterarum יהוה *Iehoua*, θεὸς, Deus, quia Deus quatuor habet quibus enti vniuerſo præpolleat: eſſentiam, exiſtentiam, potentiam, & operationem. Vnde & olim cubus fuit Symbolum Deitatis, cuius figura quadra, quadrat illis quatuor proximè recenſitis. Idem Deus homini Chriſto velut ſuas deitatis inſulas aduciens, nomen quatuor litterarum inuſſit ישוע *Ieſchuang*. Nequit enim à nobis Deus adæquatè nominari, nam cùm nomina impoſita à nobis ſequantur rei notitiam, notitia verò noſtra ſit finita, nequimus plenè nominare Deum: vnde & Plato ait Deum ſe poſſe ſolum nominare, quia ſui ſolus ipſe eſt conſcius: & aduerte obiter, nomen IESV non ab Angelo aut Maria impoſitum eſſe, ſed cœlitùs effluxiſſe, quia omnem captum excedit infra Deum; quomodò enim Deus, homo repararet lapſum priſci hominis, hoc fugiebat humanæ mentis aciem, ideò puerulo nomen imponendum ei à quo miſſus eſt ſacer ille hominum Epiſtates.

EX THEOLOGIA: Actor. 3. Dei nomen eſt quatuor litterarum. Pier. lib. 30. Hieroglyph.

Deus ſolus ſe nominare poteſt, & quare.

Definitio quid eſt.

Accedit Philoſophia, cuius genius Ariſtoteles ait. *Definitionem eſſe rationem quam ſignificat nomen*; quaſi diceret, nomine vt ſynopſi rei eſſentiam ritè deſignari, quale autem eſſet eſſe puerulì circumciſi nemo nouerat, niſi ille qui ſuum eſſe ei communicauit ante æuum: quia igitur Chriſto munus hoc collatum erat, vt eius beneficio ſoſpitandum eſſet genus emortuum Adami, ideò optimè impoſitum eſt nomen IESV, quod ſalutem ſonat: quia autem vt homo ſeorſim non potuit homini ſuccurrere, nec vt Deus viâ ordinariâ iuſtitiæ luere pœnam, cui homo erat obnoxius, in eamdem hypoſtaſim Deus, & homo coiêrunt, hincque perſonæ induenti duas naturas, nomen inditum eſt vtramque naturam participans.

EX PHILOSOPHIA: Ariſt. lib. 4. Metaphyſ. Chriſto quare nomen Ieſu fuit impoſitum.

Dei nomen eſt יהוה *Iehoua* à radice היה *haiah* quod eſſentiam ſonat, ideò hoc nomen יהוה ex Philone eſt ὄνομα τοῦ ὄντος nomen entis, à Deo enim cũcta habent vt ſint & exiſtant: nomen verò IESV, eſt ישוע *Ieſchuang*, à radice ישע *Iaſchang*, hinc IESVS idem eſt ac ſaluator; per quem ex Apoſtolo debent, *omnia quæ in cælis, & quæ in terra ſunt*, inſtaurari. Quaſi nomen IESV compleat eſſe quod nomen יהוה dedit; parùm enim eſt habere eſſe, niſi accedat, & benè eſſe. Eóque fortè collimauit Ioannes, dicẽs. *Centum quadraginta quatuor millia ſignatorũ, habuiſſe nomen Agni, & nomen Patris eius ſcriptũ in fron*

Iehoua, quid ſignificet. Philo. l. 3. de vita Moyſis. Epheſ. 1. Apoc. 14.

Ex Beda in cap. 2. Luc.
Nomen agni quare ſcriptum in frontibus beatorum.

in frontibus ſuis : Vt beati ad Deum pertinere ſe ſciant, duplici titulo notato duplici charactere יהוה & ישוע impreſſo frontibus ſuis, quæ duo nomina, cùm creationem & redemptionem clament, inuſta beatis, indicant eos eſſe Dei, & iure creationis, & redemptionis: vndè quia degeotes in ſæculo vitam egere conſonam inſtituto nominis huius, ideò hoc nomine inſignes erunt in gloria.

Ieſus eſt nomē complectens tres octonarios numeros.
Octonarius numerus quid ſignificet.

Huius gloriæ ſymbolum præfert & hoc nomen, Græco charactere cuſum: nam ἰησοῦς refert numerum octooariuo, ductum per vnitates, denarios, & centenarios, id eſt octo centenarios, octo denarios, octo vnitates, ex quibus exurgit numerus 888. qui omnimodam reſurrectiooem ſonat, cùm enim octonarius ſit figura reſurrectionis, quia ſequitur ſeptenarium, qui eſt ſymbolum mortis & quietis, erit ſymbolum plenum ob triplicem octonarium qui in octo beatitudines omnino refert. Quomodo autem hic numerus ſit in nomine Ieſu, vt ait Beda, audi ex Græcis qui literis vtuntur vt numeris in ſcribendo, ïota valet decem, ita octo, duplex ſigma quadringenta, omicroo octoginta, ypſilon quadringenta, quæ collectæ faciunt numerum octingenta octoginta octo. Nomen igitur Chriſti Ieſu triplici octonario conſpicuum, plenè reſurrectionem ſonat, vt explicat Beda: nam & Dominus octauâ die reſurrexit, id eſt poſt ſeptimam diem quæ ſabbatum erat, cui ſucceſſit dies Dominica: octo item animæ ſaluæ factæ in arca Noë, huic numero ſalutis teſſeram indiderunt. Hunc numerum ſpeculabatur æuo ſuo, ante natum Dominum IESVM, Sibylla illa Cumana famoſa priſcis ſæculis, cuius hi ſunt verſus.

Luca 2. 2.

Sybillæ Cumanæ vaticinium de nomine Ieſu
E Sixto Senenſi l. 1.

Sed quæ ſit numeri totius ſumma docebo,
Namque octo monades, totidem decades ſuper iſta,
Atque hecatontades octo, infidis ſignificabunt
Hominibus nomen, tu verò mente teneto.

Ieſus vnde nomen accepit.
Cant. 1.
Ieſu nomen ſalutare.
Ex SS. PATRIBVS.

Sunt qui nomen hoc Græcum ἰησοῦς deducunt à verbo ἰάομαι, cuius futurum ἰήσομαι, medebor, inſinuat eam medelam animarum, quam intulit ille cuius: *oleum effuſum nomen eius*. Igitur viuere ex inſtituto nominis IESV, eſt agere ea quæ conferunt ad ſalutem, quæ adeò affixa eſt huic venerando nomini, vt ſint res indiuiduæ, & ſaluari ſit idem ac nomini IESV iugiter adhærere.

Bernard ſer. 5. in Cant.

Et hoc clamant Sancti, in quibus Bernardus, ſalutis ſummam refundit in nomen hoc ſacroſanctum. *Nec tantum lux eſt nomen IESV, ſed eſt & cibus; an non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fouet affectiones; aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur.* Hoc nomine ita afficiebatur Auguſtinus, vbi huic nomini dedit ſuum nomen, vt Ciceronis ad Hortenſium librum, quo aliàs maximè afficiebatur, pertæſus tandem abiurârit, eo quòd inibi nomen IESV deeſſet, & Thomas à Kempis aureo libello notus ait: *Eſſe ſine IESV grauis eſt infernus; eſſe cum IESV, dulcis eſt paradiſus*. Alia nomina, eo nomine mutila ſunt quod non ſint energica, ſed hoc nomen eſt practicum & efficiens ſalutis quam inſonat, nimirùm ſecum vehit eum, cuius ope omnia noxia illicò diluuntur; in ea mente eſt Bernardus. *Cum nomino IESVM, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum; eundémque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio: hæc omnia ſimul mihi ſonant, cum inſonuerit IESVS; ſumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tanquam pigmentarias ſpecies, hoc tanquam vnde acuam eas; hîc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius quod eſt IESVS, ſalutiferum certè, quódque nulli vnquam peſti tuæ inueniatur inefficax, ſemper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quò tui omnes in Ieſum, & ſenſus dirigantur & actus.*

Auguſt. l. 3. Confeſſ. c. 4.
Thom. à Kēp. l. 2. de Imit.
Nomen Ieſu cordi infuſum facit paradiſum.
Bernard ſer. 15. in Cant.
Nomen Ieſu pronuntiatum quid mentibus ingerat.

Huic etiam doctrinæ ſubſcribit cabaliſtica diſciplina, quæ ex litteris nominum alto ſcrutinio diſcuſſis, abdita myſteria ſæpiùs aucupatur; iuxta artis huiuſce ſtatuta, ſpeculor in quatuor litteris Hebræis, non infimam Theologiam, & hanc moralem quatuor his litteris adumbratam ישוע: prima littera, & nominis caput eſt, י *Iod* minima litterarum, & ex qua componuntur omnes alij characteres Hebræorum, minimus hic character initians nomen IESV, clamat Dominum hunc rerum, ab humilitate ſuiſſe auſpicatum noſtræ ſalutis exordia, vt ait Apoſtolus. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*: ideò primum Theoreina diſciplinæ Chriſtianæ ab hoc Pædagogo propoſitum, eſt hoc. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*; Littera proxima eſt ש *ſchin*, quæ figuræ tricuſpidis Trinitatis notitiam, ſeu fidem explicatam à Chriſto edoctam notat, cuius inſcij prope fuêre Iudæi, vt & adhuc in eo myſterio cæcutiunt, dum impugnant tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis: tria item vota religionis importat hæc figura ש tribus velut diſſita lineis; tres rurſus virtutes theologales refert: quòd autem ſit numero ſecunda figurat ſecundam Perſonam Trinitatis habituram tres ſubſtantias in vna hypoſtaſi, ſcilicet deïtatem, animam & corpus, cuius myſterij in vnitate conſiſtentis, tertia littera rationem aperit: vau enim eſt cooiunctio, docens Chriſtum in humanis, trinâ ſubſtantiâ decorum noſtram induiſſe naturam, vt nos ſibi nexu indiuiduu ſociaret, vt & ipſe orauit. *Oro Pater, vt vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus*. Vltima demùm littera ע *ngahim* ſignificat oculos, vt vel hinc ſciant homines IESVM eſſe ſcopum, ad quem ſi velimus eſſe conſcij ſalutis æternæ, debemus continuò collimare: de eo quippe dictum, *Poſuit me tanquam ſignum ad ſagittam, ad oculorum noſtrorum aciem eò dirigendam, id eſt ad Dominum IESVM aſpectandum, hortatur ille Apoſtolus qui & imitator Chriſti: Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*. Viuacis huiuſce nominis hiſtorias forte ſciſcitaris! nec hîc deero, & afferam ex ipſis incunabulis Eccleſiæ; taceo obſeſſos à dæmone, ſoſpites audito nomine IESV, vnde & ſtupentes diſcipuli, ſed audi Galliam hoc nomine IESV, factam primogenitam Eccleſiæ. Anno quadringenteſimo nonageſimo nono, Clodouæus Rex Idolorum cultui addictiſſimus, tentatur à Clotilde coniuge & Reginâ Chriſtianâ, de abiurandis hiſce ſimulachris, & ritu Chriſtiano amplexando, dubius

Ieſu nomen apud Hebræos eſt fonax myſteriorum.
Philipenſ. 2.
Ieſu nomen Hebraicè ſcriptum refert myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.
Ioan. 7.
Iob. 16.
Epheſ. 5.
Luc. 10.
Ex HISTORIA.

Greg Tur. de geſtu Franc. l. 2 c. 50.
Clodouæus Rex concepto propoſito dandi ſuũ nomen Chriſto vincit hoſtes.

Rex, vrgentis Reginæ preces non abnuens, differebat tamen gerere morem deprecanti; illum ancipitem diſtraxit aliò, ingruens bellum in gentem quæ è Septemtrione in Galliam irrupetat; vtroque coëunte exercitu, primus Gallorum impetus emarcuit, hoſte fero, in Gallos acriter animo ferroque ſæuiente. Res iam ad Triarios deuenerat, cùm Clodouæus inuocatis Ioue, Baccho, Marte, & Venere, irritâ prece, deprehendit tandem eſſe inania omnia ſua ſimulachra. Hinc cautior mente, & oculis erectis cœlum verſus ait, ô Domine IESV, dilecte Clotildi, opis tuæ dignare me valido ſuffragio, & nutanti ſuccurre regno, quod tibi ſoſpes & integrum priſco abiurato cultu, Chriſtiano obſequio mancipabo. O portentum! hoſtis qui Gallos palantes agebat, mutata ſorte capeſſit fugam, & fugax Gallus animo redux hoſtem inſequitur, qui penè internecione extinctus, victoriam ceſſit cœlo partam populo triumphanti, qui vt à Rege ſuo didicit, facinus egregium hoc editum eſſe auſpiciis IESV, qui præſto fuit dum impos eſſet omne ſimulachrum, populus ſuum in Dominum IESVM teſtatutus obſequium, Chriſtianos induit animos, conterens omnia ſua inualida ſimulachra.

Quænã ſint idola quibus homines impij litare ſolent

Vtinam hoc exemplo conſultum nobis eſſet, multa forent propitia quæ ſiniſtra: multis quotidiè iactamur æſtibus, immò & hoſtibus crebris & variis impetimur. *Inimici hominis domeſtici eius*: quiſque à ſua propria concupiſcentia abſtrahitur tentatus & illectus; Sed cui litatur? Baccho & Veneri; quippe vt vitæ tædium plerique leuent, indulgent Baccho & Veneri; an hinc vegetior animus & mens facta quietior atque ſecurior? minimè verò, immò magis patet hoſti anima noſtra, ſuis idolorum cultibus, atque deliquiis Infirmior. Quid operæpretium eſt? Audi ex Bernardo.

Matth. 10.
Ieſu nomen animo verſatum quot commoda conferat.
Bernard. Serm. 15. in Cantica.

Ieſu nomen vitiorũ omnium æſtus ſedat.

Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor IESVS, *& inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum: labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis, duritia vt aſſolet cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ; cui fons forte ſiccatus lachrymarum, inuocato* IESV, *non continuo erupit vberior, fluxit ſuauior? cui in periculis palpitanti & trepidanti, inuocatum virtutis nomen, non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? cui quæſo in dubiis æſtuanti, & fluctuanti, non ſubitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo: cui in aduerſis diffidenti, iam iamque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina. Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammas, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.*

Ieſo nomen pictũ ægros curat.

Chronicon. FF. Minor. in vita S. Bernardini.
Ieſu nomen pictum in labaro à S. Bernardino.

Ingrati in meam profeſſionem animi notas incurrerem, ſi ſilerem pietatem ſeraphicæ religionis in hoc nomen IESV cuius etiam cuſo charactere, Religio Capucina, dato, ægris difficiles morbos aſſolet hoc nomine IESV illicò compeſcere; & hic facet nominis IESV cultus, ſancto Bernardino maximè fuit cordi, & ab eo ad nos vt eius abnepotes, eſt velut hereditatio iure deuolutus. Hoc nomen ſacro labaro inuſtum, ſanctus ille totâ Italiâ circumtulit, & eius ope laſciuiam extinxit, pietatem extinctam accendit, adeóque mira edidit hoc nomine fretus, vt pingi ſoleat ille Sanctus, irradiante pectori eius, hoc nomine ſacro IESV, cui affingere lubet ſymbolum Solis ſuos radios ſpargentis vſquequaque, hoc titulo. VIGET QVODCVMQVE VIDET; cui enim præſto eſt IESVS, huic & præſtat omne bonorum agmen, & viget quodcumque videt, ſicut & VIGET QVICVMQVE VIDET, & meditatur effectus quo exerit viuax illud nomen IESV, quo vigente vigebit & religio Chriſtiana; ſicut enituit quondam præſente Conſtãtino Magno Imperatore, quem cum obiurgarent periti quidam Philoſophi gentiles, quod miſſis ſimulachris, vt transfuga diuertiſſet ad Chriſtianos, quorum inanem fidem eſſe iactabundo ore dictitabant: orant tandem Cæſaream maieſtatem vt in medium producat doctiſſimum quemque Antiſtitem catholici ritus, vt diſputatione inita probent futiles eſſe rationes quibus ſtat Religio Chriſtiana. Annuit Imperator, cuius nutu prodiit in medium vir ſimplex, nullo eloquio inſignis, nomine Alexander, & is Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui Philoſophum multa meditantem, ſic affatus eſt Deo plenus. In nomine IESV Chriſti præcipio tibi ne loquare: hoc nomine IESV velut fulmine percuſſus Philoſophus ille conticuit, ſteritque Conſtantini hoc nomine fides illibata.

EX SYMBOLIS.
Camerar. Centur 5.
HISTORIA.

Ieſu nomen pronuntiatũ ſilentiũ imponit Philoſopho.
Sozom. l. 1. c. 7.
Nicephorus l. 8. c. 10.
Alexander Epiſc. quomodo ſilentium impoſuit Philoſopho Gentili.

Inſurgit in animum ſæpè importuna caro, & titillatione lethali vellicat mentem, ſed macte, ô fidelis athleta Domini IESV; hoſtis ille acer hoc nomine compeſcetur.

Nominibus eſt vis quædam inſita ex Zoroaſtro.
Plutarchus in vita Scipion.

Zoroaſter nominibus ineſſe quandam vim eſt commentus, & probârunt hoc Romani poſt cladem ad Cannas acceptam; eâ enim plagâ labante Republicâ, & optimo quoque capere detrectante clauum: Rei ſumma poſita eſt penes Scipionem; hoc enim nomen cùm idem ſonet ac fulcrum ſeu baculum cui imminet æger, Roma alio iam Scipione clara, euaſit & hoc Scipione illuſtrior. An Saporis nomen Regibus Perſarum auitum potuit ſine piaculo omitti, ſicut & Pharaonis Ægyptiis? Antoninus Pius, quia benè audiit apud Imperium, Seuerus Imperator voluit omnes Imperatores ab hoc dici Antoninos, ſicut & Auguſtos ab Auguſto, & filium ſuum Baſſianum, Cæſarem creans, ex tunc dixerit Antoninum, qui & Imperator extitit Antoninus Caracalla. Et quia vox latina, ſecundus, æquiuocè ſonat proſperum & beatum, ſummi Pontifices eâ voce adeò capti ſunt, vt ab anno milleſimo octogeſimo octauo omnes, Pontifices ſint nuncupati Secundi, vſque ad annum milleſimum centeſimum quadrageſimum quintum, quo æuo ſedêre Vrbanus II. Paſchalis II. Gelaſius II. Calliſtus II. Honorius II. Innocentius II. Cœleſtinus II. Lucius II. ſed hi Pontifices nomine tantùm tenùs fuêre ſecundi; quidam enim fuerunt extorres vt Gelaſius, alij ab Imperatore diſſiti, varias ærumnas exantlarunt; vt vel hinc liqueat nomini dumtaxat IESV inditam eſſe bonorum omnium congeriem: alia verò nomina quantumuis auguſta & magna, alternante ſuas fortunâ vices eſſe lethalia & fato ſæpius obnoxia: Luculenti vades huius aſſerti ſunt Auguſtus, & Conſtantinus Imperatores,

Nomina quædã vſurpata vt fauſta à Regibus & ſũmis Pontificibus.
Ex Baronio ab an. 1088. vſque ad 1145.
Secundus vox æquiuoca captata à multis Pontificibus.

Hiſtoria.

ratores,ſi qui vnquam bello paceque conſpicui.

Caſſiodorus in Chronico an.476.

Auguſto rerum potiente, coiere Romani in vnum Imperium tanti faſtigij, vt ſuæ moli impar, poſtmodùm ſub alio Auguſto non nutarit modo, ſed in varias diſſitum partes omnimodè corruerit,& tranſierit ad Barbaros, capto Auguſto ab Odoacre Erulorum Rege, anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Eodem & fato deſiit Græcorum Imperium,auſpicatum à Conſtantino Magno, eâ belli gloriâ inſigni, vt toti orbi retratum illuxerit ille Conſtantious Helenæ filius,donec alter Conſtantinus Paleologus, etiam Helenæ filius, ſui ab Eccleſia Romana diuortij luens pœnas, à Mahomete ſecundo Turca exutus imperio, & vitâ nomen Conſtantini vſquequaque Græciæ fecit ſuo caſu perexoſum. Fuiſſet Græcia nomine Iesv beatior, ſed quia negauit Spiritum ſanctum ab eo procedere,eius imperium non proceſſit,ſed ad Turcas illicò retroceſſit.

Chalcond. in Mahomet. 2. ſub an.1453.

Ex Ivre Canonico.

Cap. 2. de teſtib. Canone in nomine Domini diſt. 23.

Ptolomæus lib. 4. de iudiciis c.3.

Ideò iure ſacro cautum, *vt nomen Domini omnes actiones noſtras auſpicetur*, item & ſancitum, *vt nomen Domini apponatur principio cuiuſlibet inſtrumenti*: quaſi eo illic nomine illucente,nefas omne ab eo ſcripto protinùs arceatur. Diceres hoc iure Canonico affingi nomini Iesv vim, quam ineſſe Soli Matheſis ementitur: non enim tantùm eſſe vim vitalem Soli, ait hæc garrula diſciplina,ſed & fore Reges ait, qui nati ſunt horoſcopante Sole in ſigno Maſculino,ſtipato altero ſydere errabundo. An non quadrat & hoc Chriſto, de quo ſub vocabulo ſapientiæ, hominum ſapientiſſimus ait. *Per me Reges regnant,per me Principes imperant.* Quidni & vitam præſtet hoc vitale nomen Iesv? cùm id egerint Imperatorum aliàs emortua ſimulachra.

Mathematica.

Prou.8

Ive Civile.

Cod. Theod. leg. 1 de his qui ad ſtatuas confugiunt.

Statua Imperatorum.

Teſtis hæc ſanctio Imperatorum Valentiniani,Arcadij, & Theodoſij. *Eos qui ad ſtatuas vel euitandi metu, vel creanda inuidia cauſâ, confugerint ante diem decimum, neque auferri ab aliquo,neque diſcedere ſponte perpetimur; ita tamen vt ſi certas habuerint cauſas, quibus confugere ad Imperatoria ſimulachra debuerint, iure ac legibus vindicentur.* Si nomen lapidi inſculptum hominis morti obnoxij, potuit ſic mederi alteri homini nominis emortui ſuffragia ſciſcitanti,qualem ille mutuabit opem qui eam à vegeto nomine Iesv ſupplex emendicat; eſt enim nobis Iesv idem ac Græcis eſt ἴασις ſalus & medela,vt benè ait Bernardus: *IESVS mel in ore,in aure melos,in corde iubilus, ſed eſt & medicina: labitur quis in crimen, nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?* Hæc reſpiratio facilis, index eſt vitæ redncis ex ſummo Medicorum Hippocrate, Εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν εἰς σωτηρίην, *Spirationis facilitatem exiſtimare oportet magnam vim ad ſalutem.* Cùm igitur omnigeniti boni tota congeries ſit in nomine Iesv, exclamemus cum Bernardo. *O quàm bonus, quàm ſuauis es Domine IESV animæ quærenti te, IESV redemptor perditorum, ſpiritus anxiati latitudo, animæ lachrymoſæ & poſt te currentis in ſudore ſolatium.* Denique ſi me audis.

S.Bernard. l.15 in cant.

Ex Medicina.

Hippocrates li.1.præſag. cap.10.

Animæ noſtræ avgvstvm nomen
IESVS erit favstvm
omen et esvs.

VT CHRISTVS CIRCVMciſus nomen Iesv, ſuo ſanguine demeruit, ita & nos ſalutem hoc nomine partam debemus impigrè comparare.

In hæc verba.

Factum eſt vt circumcideretur puer, & vocatum eſt nomen eius Iesvs.

Sectio IV.

Ex re Medica.

Durat. in præn.Coac.

Ex Philosophia.

Ex Theologia.

S.Thomas 1. 1.q71.art.2.

S.Dionyſ.l. de diuin. nomin.c.4.

PEriti Medicæ artis crebiò circumferunt iſtud Theorema, à lædentibus & à iuuantibus petuntur indicationes, id eſt, ſi calidis exacerbatur æger, calida eſt ægritudo, atque adeò refrigerantibus,ſeu pharmaco diſſono qualitati noxiæ compeſcenda, ſic conſuletur ægro ἔργῳ καὶ λόγῳ,experientiâ & ratione, dubiaque ſalus fiet hac cautione certior. Hac indagine ſcrutati ſunt Theologi, animæ δυσκρασίας, ſeu malum habitum qui exurgit ex peccato ad hoc vt occurrant animæ deliquio: Sic arguunt hi animæ conſultores. Vniuſcuiuſque rei natura eſt forma, ſecundum quam res illa ſpeciem hanc ſortitur; at homo in ſpecie conſtituitur per animam rationalem; quicquid igitur deuiat ab ordine rationis, id etiam inſurgit in naturam hominis quatenus eſt homo, & bonum hominis eliminat & expungit: quippè ex Dionyſio: *Bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe, & malum hominis eſt,præter rationem eſſe*; hinc virtus humana quę homini inurit bonitatem & actibus eius, eatenùs eſt ſecundum naturam hominis, quatenùs eſt conſona rationi: vitium verò ſecus, in tantum eſt contra naturam hominis,in quantum à recto rationis tramite deflectit. Rurſus Theologia ſpeculatur in homine naturam bipartitam, in rationalem, & in ſenſitiuam: beneficio ſenſuum homo ad actus rationis euehitur: ideóque plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis; plures enim ſunt qui aſſequuntur principium rei, quàm eius perfectionem,& hinc virulenta mali ſeges; nimirum peccata repullulant, quia homines morem gerunt appetitui naturæ ſenſitiuæ. Benè peccatum dicitur deliquium ſeu defectus, quia à Deo deficit homo, ſpretâ ratione quæ nos ad Deum ire compellit: vnde Hebræis peccatum dicitur עון *ngauon* iniquitas quia eſt contra rationem, & quia homo inſurgit in Deum vt carnis agat partes. Dicitur etiam peccatum rebellio, nam eadem vox פשע *paſchang*, rebellionem, & peccatum ſonat, dum à Deo reprobus auertitur rationis impos ruit in cloacam, ſeu colluniem partis ſenſitiuæ. Dicitur Græcè παράπτωμα id eſt lapſus; nimirum à ratione deflectere in partem ſenſitiuam, in quâ cum bruto conuenimus,hoc eſt non lapſus tantùm, ſed alta colliſio.

Peccatum quid ſit.

Ex Lingvis.

Radix eſt ngauah עוה *iniquè agere.*

paſchang פשע *rebellare.*

Peccatũ eſt rebellio.

Peccatũ qua ratione diſtrahat hominem à Deo.

Quæres vnde à Deo diſtrahatur homo, cùm ſit ille omnium bonorum apex? Reſpondeo hominem non poſſe in Deum ſcandere, niſi quibuſdam ſcalis; ſunt autem hæ creaturæ,quarum ſpecies egregia mentibus ingerit aliqualem idæam ineffabilis boni; at homo dùm capitur

ſpecie

ſpecie ſenſuali, quæ titillat ſenſus, hæret in fucato bono, quo deluſus ſuam explet noxiam voluptatem, cui reuera quadrat emblema, quo mel ex Herculeâ lectum & ex aconiti flore ſatum, eleganti vaſe porrigitur, quo illicò paſti homines, alto ſopore demerſi apoplectici extioguuntur, hoc verſu deſuper.

Impia ſub dulci, melle venena latent.

Peccati pernicies attenditur penes duo.

Ex præfatis duo ſunt ex peccato, animæ inimica, ſcilicet auerſio à Deo, deuiante ratione, & delectatio ſenſualis quam ingerit caro; è duobus his hominem lædentibus, petitur theologica indicatio ſalutis vtrique reparandæ. Nimirum pharmacum diluitur quo ratio Deo obſequitur, & ſenſuum quæuis illicita, pœnâ adhibitâ compeſcuntur. Duo hæc pœnitentiam ſartam tectamque conſtituunt; & occurrunt duplici pœnæ quâ reprobi plectentur in æternum: vna eſt pœna damni, ſita in priuatione viſionis eius quâ beantur in cœlo Sancti, & hæc infligitur ob auerſionem à Deo: alia eſt pœna ſenſus quæ inuritur ob voluptates, quibus erat reprobi caro aſſueta deliciari. Pœnitentia ſatisfactura vſquequaque, rationem reuocat ad amuſſim, in Deum dirigendo, & ſenſuum deliria premit adhibitâ pœnâ, qualis eſſe ſolet ieiunij, veſtis hirſutæ, & hiſpidæ, qualem Helias & Ioannes pœnitentiæ Prodromi aliàs ex ſacro codice præferebant. Hîc obiter ride Hæreticorum inſaniam, qui totam pœnitentiæ hiſtoriam, mentiuntur eſſe ſitam in ceſſatione à delicto, & hoc vt genio ſuo ſeu libidini liberalius indulgeant: eo enim abſurdo dato ſequuntur & hæc, expungenda eſſe ieiunia, & cætera diſſona ſenſui: quæ ſunt tamen inſtituti Chriſtiani, & Apoſtolici exemplo rata. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar:* immò & ipſa pœnitentiæ etymologia partes noſtras agit. Pœnitere eſt quaſi pœnam tenere, & Poëta Auſonius eam ſic loquentem edit.

S. Thomas 3. p. q. 85. art. 3.

Pœnitentia totam labem peccati diluit.

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe vt pœniteat, ſic Metanœa vocor.

Ex IVRE CANONICO.

Can. Quem pœnit. de Pœnit. diſtin. 1.

Can pœnitentia.

De pœnit. diſtinct. 1.

Can non ſufficit De pœnit. diſtin. 1.

Et hoc clamat titulus moralis huiuſce ſectionis, quâ infero Chriſtum non induiſſe ſalutare nomen IESV, niſi effuſo ſanguine in Circumciſione, vt edoceret nos ſalutis æternæ nequaquam fore compotes, ſi non lachrymis retroacta diluamus. Sunt autem lachrymæ ſanguis è corde fluens, vt ait Baſilius; nec meum putes eſſe hoc inuentum tropologicum: ſanctio eſt iſta canonica. *Quem pœnitet omninò pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat.* Et altero canone. *Pœnitere eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando.* Ne quid hiulcum deeſſet hoc iure ſacro ad genuinæ pœnitentiæ ſeriem: ſic ſe habet hæc norma canonica. *Pœnitenti non ſufficit mores in melius mutare, niſi de præteritis malis ſatiſfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis & ieiuniis.* Strepant & ganniant hæretici, non ſunt audiendi clamante iure canonico, quo nefas eſt arbitrari hominem ſontem, & emortuum lethali noxa poſſe fieri rediuiuum, non diluto lachrymis, & aliquâ pœnâ, piaculo.

Ex IVRE CIVILI.

Cod. Theod.

Hoc idem eſt & iure ciuili ratum, multiplici lege in quibus hæ ſunt. *Vnuſquiſque pro crimine in quo fuerit deprehenſus metum congrua ſeueritatis excipiet.* Hæc lex eſt Imperatorum Valentiniani & Valentis. Aliam accipe affinem Imperatorum Arcadij & Honorij. *Sancimus ibi eſſe pœnam vbi & noxa eſt.*

lib. 9 & Leg. 18. de Pœnis.

Ex MATHEMATICA.

Ptolemæus l. 3. de iudiciis c. 12. & 13.

Hanc mulctæ rationem latæ in homines ſontes, liceat petere ex placito Matheſeos, cui eatenus tantùm, quatenus ad mores attinet, aſſentimur. Ptolemæus ait homines infauſto ſidere natos, variis iactari ſolitos æſtibus, nec ad magna ſcandere, niſi multo ſudore exhauſto, & in ea eſſe ſorte putat hos, quibus Planeta Dominus horoſcopi eſt in domo laboris, ſeu in domo cadente: ſic enim Mathematica nuncupat aliquas cæli partes in duodecim diſſiti ſectiones, ex hoc delirio licet, probo titulum ſectionis, nos non fore ſalutis æternæ conſcios, niſi multiplici labore præuio. Quippe Geneſis noſtra eſt infauſta; naſcimur enim filij iræ & naturâ deuiâ exiſtimus in domo laboris cum Adamo cui dictum eſt. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Quod & ſubiit ille, etſi regio clarus imperio Dauid. *In laboribus à iuuentute mea:* vnde & ait. *In flagella paratus ſum.* An non in cadente domo editus eſt homo, natura eius originali deliquio ſauciata. Audi prognoſticum S. Gregorij aſſerentis, nos eſſe editos in domo putri. *Ipſe quotidianus corruptionis defectus, quid eſt aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Quid inde? niſi ad laborem orta conditio; nimirum vt ſubiicit idem ille ſanctus, *Ad magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator ait. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.* Hinc callem ad ardua ſudore manantem, nec non & ſanguine purpureum ingreſſi ſunt Martyres animo non nutante; ſciebant enim gloriæ, ſicut & ferculi Salomonis aſcenſum eſſe purpureum, id eſt & Chriſti, & eius athletarum ſanguine rubeum, & hac purpurâ coruſcantem. Eorum agones admiratur eodem & brauio clarus Cyprianus. *Quibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi Martyres? robur pectoris veſtri, & perſeuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? toleraſtis vſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt, finem doloribus quem tormenta non dabant, corona dederunt; laniena grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deiiceret, ſed vt homines Dei, ad Deum velocius mitteret. Steterunt torti torquentibus fortiores & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſata ac laniata membra vicerunt, inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens plaga diu repetita, quamuis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſeruis Dei, iam non membra ſed vulnera, fluebat ſanguis qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas, & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret.*

Geneſ. 3.

Pſalm. 87.

Ex SS. PATRIBVS.

Gregor Homilia 37. in Euang. ibid.

Beatitudo magnos agones petit.

Cyprian. lib. 2. Epiſt. 6.

Martyrum conſtantia commendatur.

Hiſtoria Eccleſiaſtica.

S. Auguſt. l. 3. de anima c. 10.

Hunc aſcenſum eſſe purpureum, & nullum alium ab hoc eſſe, præoſtendit Deus ſanctæ Perpetuæ Martyrio poſtmodum inſigni, vidit ea ſcalas cœlum verſus erectas & ad mundi apicem vſque pertingentes, in quas cùm ſtupens eſſet intenta, animaduertit has ſcalas eſſe multiplici acumine gladiorum hiſpidas, nec poſſe à quopiam mortalium, corpore innoxio pertranſiri; quaſi vel hinc eam Deus vrgeret ad agonem quem fortiter obiit, decurrens multa

ſupplicia

ſupplicia quibus ſuperior, ceſſit tandem fatis ſuo ſanguine purpurata.

Hiſtoria profana.
Plutarch in Scipione & Catone.

Ipſi &.Gentiles inania nomina nundinantes, mercati ſunt ea tumida nomina, conſertâ ſæpè manu cum hoſte valido, à quo icti, cœpere ſuos gloriæ titulos, ſanguine deſpumante. In his fuêre principes, Scipiones Africanus atque Numâtinus, & Cato dictus Vticenſis ab vrbe Vticâ, pereuntis huiuſce Catonis ſanguine cruentata.

Hiſtoria.

Si ſanguinis effuſum inde nomen, præmium dignum ſatis ſupérque putauêre Gentiles; quales, opinaris, aculeos addidit Sanctis, gloriæ perennis illa certitudo manans de ſanguine effuſo, & Chriſti nomine minimè deſignato? Inglorium putauêre corpus, quod eſſet minimè lacerum in cauſa nominis IESV. Teſtis ille de quo S.Greg.Nazianz. coæuus illi Sancto, quem cùm Iulianus fidei deſertor infidus, torqueri iuſſiſſet exquiſito ſupplicio, ait tortori eum fuiſſe vni parti ſui corporis iniurium, quia toto penè corpore lacero in fidei obſequium, eſſet aliquod adhuc membrum penitùs illibatum. Verè hic dignus nomine æterno, quod liberali ſanguinis ſui libamine demeruit. Et equidem credo vt in libro diſcolore, charactere vario litteræ miniatæ aliis præeunt veluti capitales: ita & in libro vitæ, aliis eminent nomina ſanguine tincta beatorum; imò & Tertullianus in ea fuit mente, Angelum ſtantem pro foribus paradiſi exerto gladio, nemini aditum cedere peruium, niſi ei cuius ſanguine ſit hebes & obtuſa acies gladij, ignauos omnes ab aditu illo gloriæ coërcentis: Sic ille. *Quomodò Perpetua fortiſſima Martyr, ſub die paſſionis, in reuelatione paradiſi, ſoles illos commartyres vidit ſuos, niſi quia nullis romphæa paradiſi ianitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint?*

Greg. Naz. oratione in Iulianum.
Martyris cuiuſdam conſtātia admiranda.
Tribulationibus honorantur Sācti.
Tertul. lib. de anima. c. 55.

Hoc ipſum intendit Chriſtus, ipſo momento paſſionis ſuæ cùm diſceſſurus à cœna ait ſuis Symmyſtis. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*: quaſi diceret, ô diſcipuli, ne tentate aliud iter in cœlum, ab eo quod ineo, ſanguine meo madente. Idem Dominus rediuiuus inculcauit. *Oportuiſſe Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Nec myſterio vacat, quòd coronâ aculeis hiſpidâ fuerit in morte ſua redimitus; hinc etenim edocuit ſuos, pœnarum quæuis acumina aſſumpta, ſe ſe nobis in coronam gloriæ coaptare; Hoc eſt expertus Maximilianus Imperator, qui multis difficultatibus ſæpe iactatus, Imperium nactus multiplici bello lacerum, vbi ſudorem deterſit copioſum, factus tandem quietior, pro ſymbolo ſumpſit Malum punicum, cuius eſt hæc indoles à natura, vt pomum illud coronâ cingatur eodem tempore, quo formantur intus multiplices acini rubentes, veluti ſanguine perfuſi. Imperator hoc mirificè pomo delectatus, aſſumpſit in teſſeram æui quod egerat in firmando Imperio, & huic malo punico titulum hunc inſcripſi. PER TOT DISCRIMINA RERVM, dicens ſuam coronam, vtique magno conſtitiſſe, nec tot eſſe rubentes acinos in ponico malo: quot ille ebiberat æſtus & ſudores. Alludebat ad Heroem illum, cui Latij diadema proſtabat, multo ſanguine libato, Deo Latij tutelari,

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in Latium, ſedes vbi fata quietas,
Oſtendunt.

Luc. 22.
Luc. vltimo.
Tribulationibus gloriæ & coronæ emuntur.
Ex SYMBOLIS.
Typotius lib. ſymb.

Igitur homò ſi cœlos anhelus optas, malum punicum tuæ inſideat menti, ſtipatum ſuo lemmate. Per tot DISCRIMINA RERVM, nullas tibi fige patiendi metas, labores vt annuli in catena non ſuccedunt ſibi tantùm, ſed intimè connectuntur. Huius rei teſtem meditare Chriſtum, cuius nomen IESV ſanguine partum fuit, ab eo nominis exordio in Circumciſione & tandem eodem Domino animam agente in Cruce, nomen IESV titulo Crucis inuſtum, fuit ſanguine delibutum; quippe capiti Chriſti impoſitum quod ſpinæ cruentabant, non fuit exanguis hic titulus, immò morti Dominus adiudicatus ob nomen ſuum: ſic enim populus Pilatum vrgebat. *Nos legem habemus, ſecundum quam debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Audacius dicam: ni Dominus pati debuiſſet ſalutis hominum causâ, hoc nomine IESV non eſſet inſignitus. Etenim Angelo hoc nomen aperiente Virginis Matris ſponſo ſancto Ioſeph ait: *Vocabis nomen eius* IESVM, *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Vbi particula (enim) coniunctiua, quandam cauſalitatem inuehit humanæ ſalutis, ad nomen IESV, cuius initia in Circumciſione rubea, vltimum demum acceperunt editæ ſalutis humanæ, in ara crucis, incrementum. Etſi enim eiuſdem charitatis fuerint omnia opera Chriſti, paſſio tamen eius habuit effectum quem non ſortita ſunt reliqua opera Chriſti, quia genus operis iſtius, nempè paſſionis, maximè conueniens fuit ſaluti hominum reparandæ, multa enim coïëre requiſita ad naturam humanam reducem, quæ ſanctorum Patrum aliqui prælibarunt. Primum eſt virtutis idea homini proponenda: omnigenæ autem virtutis ſpecimen imitandum, ineſt paſſioni, vt ait ſummus Apoſtolorum apex Petrus. *Si benè facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum, in hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* Vides hoc textu ſequelam Chriſti indici nobis ex paſſione quam obiit: & in ea eſt ſententia Auguſtinus. *Sapientia Dei hominem, ad exemplum, quo rectè viueremus, ſuſcepit.* Secundò genus illud mortis diluebat aptè crimen quod incurrit homo edendo de ligno lethali, paſſus eſt enim Dominus ſe ligno affigi, quaſi reſtituens fructum, quem Adam inde ſuſtulerat, vt ait in Pſalmis. *Quæ non rapui, tunc exſoluebam*: hinc ait Auguſtinus. *Contempſit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum, ſed quidquid Adam perdidit, Chriſtus in cruce inuenit.* Subdit & aliam rationem Chryſoſtomus. *In edito loco, & non ſub tecto paſſus eſt Chriſtus, vt ipſe etiam mundaretur aër, ipſa item & terra idem ſenſit beneficium, decurrentis de latere ſanguinis ſtillatione mundata.* Aliam & ex proprio penu ſubiicit rationem Sanctus Thomas dicens: Chriſtum in excelſo mortuum, vt nobis viam ſterneret ad excelſa. Vnam excogitauit adhuc Auguſtinus ſuo dignam ingenio, Sic ille. *Non fruſtrà tale genus mortis elegit, vt latitudinis, & altitudinis, & longitudinis, & profunditatis, de quibus Apoſtolus loquitur, magiſter exiſteret: nam latitudo quæ eſt in eo ligno, quod tranſuerſum deſuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus: longitudo in eo quod ab ipſo ligno, vſque ad terram conſpicuum eſt; ibi enim quodammodo ſtatur, id eſt perſiſtitur*

Gloria laboribus emitur
Chriſtus ſāguine effuſo mercatus eſt gloriam.
Luc. 2.
Ex THEOLOGIA.
S. Thom. 3. p. q. 48.
Ieſu nomen beneficum hominibus.
Ex SS. PATRIBVS.
Auguſt. lib. 83. quæſt. quæſt 25.
Pſalm. 64.
Serm. de paſſione.
Chryſoſtom. Homil. de Cruce & latrone.
S Thom. 3 p. q 46. ar. 4.
De gratia vet. & noui teſt. c. 26.
Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.

perſiſtitur & perſeueratur, quod longanimitati tribuitur: altitudo eſt in ea ligni parte, quæ ab illa quæ tranſuerſum figitur, ſurſum verſus relinquitur, hoc eſt ad caput crucifixi, quia benè ſperantium ſuperna expectatio eſt. Iam verò illud ex ligno quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, profunditatem ſignificat gratuita gratia. Liquet ex hac congerie rationum, Chriſtum maximè meruiſſe nomen ſuo ſanguine, Saluatoris, eaque eſt Chriſti & crucis affinitas, vt Romani Imperij potiſſimum labarum, Chriſti nomen habe☧ret, cruce & littera Ro figuratum hoc ſigno, vbi vides litteram Chi referre decuſſatam crucem X quam ipſe Conſtantinus diademati affinxit: vndè Baronius benè infert Chriſtum in cruce, & in Chriſto crucem, & quod ſummum eſt, Chriſtum ex cruce demonſtrari eſſe verè Chriſtum id eſt vnctum: hoc enim ſonat vox Græca Χριςὸς ἀπὸ τῦ χρίζειν quod eſt vngere, ſicut & hinc dicitur Meſſias quod Hebræis idem eſt ac Græcis Χριςὸς משיח *Maſchiach.* à radice משח *maſchach* nullibi æquè ac in cruce fuit liberali vnctione perfuſus, vt benè arguit Theodoretus.

Chriſti nomen cruce figuratum.

Euſebius lib. 1. vita Conſt. c. 25.

Chriſtus in cruce vnctus.

Baron tom. 3. annal. ſub anno 312.

Non vnguentum ſimpliciter, ſed effuſum dixit ſponſa; quemadmodum enim vnguentum in vaſe concluſum, incluſam continet & ipſam odoris fragrantiam, ſi autem effundatur, ipſum quoque aërem replet: ſic Dominus Chriſtus ante paſſionem, paucis erat notus, at poſteaquam crucem mortemque ſuſtinuit; ac veluti corporis vas aperuit, continuò odoris ſuauitate mundus vniuerſus completus eſt, ob id ſponſa ait, vnguentum effuſum nomen tuum, quaſi dicat effuſiones, & fontes multiplices, qui totum orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, vnicam habent venam & originem, vnguentum tuum, in eo namque inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, & ipſe cuncta ſimul Spiritus dona, vt homo ſuſcepit. Hac vnctione ſicut athletas vnxit milites ſuos Imperator Conſtantinus, Chriſti nomen clypeis & vexillis apponens, vt ait Prudentius.

Theodoret. in c. 1. Cant.

Chriſti nomẽ fuit oleũ effuſum in Paſſione.

Prudentius lib. contra Symmach.

Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Idemque Poëta ſacer, inducens Conſtantinum Romam alloquentem, poſt extinctam tyrannidem vrbis huius, cui populi omnes ingemebant, ait Imperatorem vexilla ſua nomine Chriſti præfulgida, illuc intuliſſe, vt nomini Chriſti idola cederent, quæ illic anteà ſæuiebant. Audiendus de hoc Prudentius nomine Conſtantini.

Chriſti nomen inſeriptum labaris & clypeis militum.

Agnoſcas Regina lubens, mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro, præfertur in haſtis.

Vbi ſupra.

Satis ſuperque credo rata eſſe, quæ ſunt titulo præpoſita ſectionis huius, nomen Iesv ſanguine partum, ſollicitare noſtram ignauiam, ad hoc vt impigrè crucem & nos etiam amplectamur, cùm ex ea vitæ immortalis latices, ad nos vſque abundè deriuentur, & vtinam animos induerēmus æſtuantes, Sancti illius, cuius pietatem ebibes forrè, ſi eodem & Spiritu Chriſtum ſic compellas. *Diligendus es, mi Domine, toto corde, totâ animâ, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es, & quomodò fiet iſtud in me niſi per te? Adhæreat anima mea poſt te, quia tota virtus eius pendet ex te, ad tua paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino, adiuua imperfectum meum: odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his, horum virtute ab aſtutiis Sathanæ me cuſtodi, ac me conforta vt iugum mandatorum tuorum, ſuaue mihi fiat, & onus crucis tuæ ſit animæ meæ leue.* Et ſi ſint luculenta ſatis ea quæ hactenus hauſta ex vario fonte propinaui, ſeruaui tamen bonum vinum vſque adhuc, & in calce ſectionis, ſicut in epularum exitu depromo poma noua & vetera: etenim gemino exemplo ſtabilio neminem poſſe nomen Iesv, niſi effuſo ſanguine copioſo, aut ſudore multo ſaltem ebibito, congruè demereri. Huiuſce veri vadem ſe præſtabit Vas electionis Paulus Apoſtolus, qui vnus electus eſt à Deo, vt nomen Iesv portaret in Gentium fines, inuios aliis Apoſtolis; ſed vnde Paulo tanta (præiudicium eminentiæ vehens) Dei benignitas? vnde ſoli ex illibato Apoſtolorum choro, nominis Iesv tam intima & alta impreſſio, vt vnus ille dixerit, Domini Iesv ſe ſtigmata circumferre: ſic enim lætitiâ geſtiens ineffabili ait velut impos ſui. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini mei Iesv in corpore meo porto.* Expendenda eſt ad trutinam codicis ſacri tanta dignatio, & audiendus Lucas viarum eius fidus & indiuiduus comes, qui ſeriâ narratione diſcutiens conuerſionem Pauli, ait Dominum Ieſum dixiſſe Ananiæ demandans ei curam Pauli. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus & filiis Iſrael: ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* huiuſce textus accipe meum ſenſum.

Bern. tod. in Med. tat. de Paſſione Domini Ieſu.

Tribulationes Paulum aptauerunt in vas electionis.

Galat. 6.

Actor. 9.

Ex Cantico, Domini Iesv nomen oleum eſt effuſum, cuius vnctione homines omnes lethali plagâ ſaucij, fuêre ſoſpitati, vt gentes exanimes, vt pote neſciæ Chriſti fierent hoc balſamo rediuiuæ, operæ-pretium fuit aptare vas congruum illius olei myſtici dignitati: at nullum aliud orbe toto vas oculis Dei adeò enituit ſicuti Paulus, cuius etiam Deus ipſe ſpeciem eſſe demiratus dicitur apud Chryſoſtom. *Cælum ſuum ſeruans terminum & canonem, eadem ſtatione conſiſtit, mentis verò Paulinæ ſublimitas, omnes cælos tranſcendit, ipſique Chriſto conuerſatur. Eſt autem tanta eius pulchritudo, vt & Deus illam deprædicet. Aſtra quidem cùm fierent, admirabantur Angeli, hunc verò Deus ipſe admiratus eſt dicens, vas electionis iſte mihi eſt, cælum iſtud ſæpe à nube obtegitur, Pauli verò mentem nulla obnubilauit tentatio, ſed in mediis quoque tempeſtatibus ipſam meridiei claritudinem ſuo ſplendore ſuperauit.* Et S. Thom. Aquinas, legens in Iesv Siracide Simonem Pontificem fuiſſe. *Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo.* Diuertit illud elogium ad Paulum Apoſtolum Doctor ille Angelicus. *Paulus fuit vas auri ob ſapientiam, ſolidum ob charitatem, ornatum cæteris virtutibus.* Anteà dixerat Hieronymus *Vas electionis eſt Paulus, quia eſt vas legis, & SS. ſcripturarum armarium:* & luculentius idem ait alibi. *Electionis vas tuba Euangelij, rugitus Leonis noſtri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, qui myſterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei magis miratur quàm loquitur.* Denique vas fuit admirabile Paulus opus Excelſi. Excelſi inquam illius, qui Paulum effinxit ad exemplar

Ieſu nomen quare dicatur oleũ effuſum.

Chryſoſtom. Hom. 18. in cap. 11. ad Roman.

Pauli Apoſtoli encomia.

Ex SS. Patribvs. Eccleſ. 50.

S. Thom. in præfat. ad epiſt. Pauli. Hieronym. in cap. 8. Oſe. idem ep. 61. ad Pãmach.

Filij

Bernard. Serm. 15. in Cant.

Filij ſul, cuius nomen debebat effundere in varias orbis oras, hoc myſtico oleo inungeodas. Oleum vt pabulum ignis, facit ad luminis iocrementum, & ad hoc alludit Bernard. diceus: Gentibus illuxiſſe lumen fidei, prædicato nomine IESV, ſicut effuſo oleo ignis aſſurgit, & lux diffunditur. Sic ille. *Vide nunc idem oleum de effuſo ſponſi nomine, lucet prædicatum. Vnde enim putas in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux effuſa, niſi de prædicato IESV? Nonne in huius nominis luce, Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

Ecclеſ. 43.

Inſtabis iſta eſſe encomia Pauli, ſed uon cauſas electionis eius ritè diſſoluentes? capio te, facturus ſatis ſi dixero vas illud terſum quod ſæpe lymphatum aqua putint alluit, vnde arguo nihil fuiſſe mundius Paulo, cuius næuos anteà contractos, ex zelo deuio à fide, iugis ſudor ex diurno labore impenſo fratribus, nec oon & ſanguis ſæpe effuſus optimè diluerunt: eâ munditie enituit, vt Chyſoſt. illi faciat impares alios Apoſtolos. *Nullus Paulo maior eſt, aut etiã æqualis.* Hanc vaſis huiuſce uitelam peti à ſudore, & ſanguine Pauli, ipſe Dominus IESVS Ananiæ prænuntiat: vbi enim ait, *Vas electionis eſt mihi iſte;* continuò ſubiicit rationem ſeu cauſam. *Ego enim illi oſtendam, quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* quaſi diceret Deus: tantos ille exantlabit labores, nominis mei ergo, vt ſudor vndequaque defluens vt cryſtallus, Paulum aptet in vas omoi vitro lympidius, ita vt Paulo quadret ſymbolum eius qui globum in tabula præſerebat cryſtallinum, hoc titulo. Ex GLACIE TANDEM CRYSTALLVS EVASI. Volebat author lemmatis inſinnare aquam, quæ hyeme ſæuâ riget in rupibus, mutari in cryſtallum, ita & ærumnis æquo animo acceptis, homines illi fortunæ ludibrio aſſuetos, fieri cryſtallinus, vt videre eſt io Paulo, qui Apoſtolatus ſui diploma accepit ſudore ſuo, & etiam ſanguine conſignatum: vt potiùs vocatus ſit ad patiendum, quàm ad ageodom; ideóque fidelibus orantibus ne iret Hieruſalem, vt vitæ ſuæ conſuleret, ait. *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Ex his conſtat Chriſtum ſuos anteſignanos accingere ad labores, antequã ad coronas, & ad hoc alluſit Mutina Columna præpoſitus agminũ Eccleſiæ, qui in potiori labaro, maiuſculo typo has voces inuſſerat, AGERE ET PATI FORTIA ROMANVM EST.

Act. 14. & l. 1. de promd. Actor. 9. Tribulatione lucida fit anima.

Ex SYMBOLIS. *Sadeler. lib. 3. Symbol. vbi ait fuiſſe Lud. Gonz. ducis Mant. Actor. 21. Typotius lib. Symbol.*

Probatem magis ſi dixiſſet AGERE FORTIA Romanum eſt, fortiora pati Chriſtianum eſt, quippe ea eſt tota gloria fidelium, ipſi Paulo maximè cordi: ait enim, *Gloriamur in tribulationibus.* Sunt etenim viæ quas Deus ſternit ad gloriam, & velut quidam indelebiles gratiæ characteres, quibus exornatæ beatorum mentes, à noxia colluuie reproborum, in hoc ſæculo diſpeſcuntur. Ab hoc ooo abhorret Auguſt. ſic Deum affatus. *Oſtende perſecutori non ſolum bonitatem, verum etiam ſeueritatem tuam, patiatur quod fecit illos & pati, qui faciebat, ſentiat & ipſe quod aliis inferebat. Ego* (inquit) *illi oſtendam, quæ illum oporteat pro nomine meo pati, qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O ſæuitia miſericors: vides illum præparare ferrum, ſecturus eſt, non peremptorus.* Liquet ex præfatis, vas illud aptius eſſe ad aſſeruandum oleum effundendum, id eſt, nomen IESV, quod ampliore ſudore madet, ideóque Paulo, ſupra alios Apoſtolos fuiſſe creditom nomen IESV, quia plures aliis Apoſtolis obiit paſſiones, quas luber hîc ex ſacro codice recenſere. Paulus miniſterium ſuum conferens, cum aliis diſcipulis Deo plenus ait: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego, vt minus ſapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies, quadragenas vnâ minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in frigore & nuditate.* Vides quo ſit vas hoc ſanctum igne conflatum, vtque aliis præeat in gloria qui omnes etiam ſuis paſſionibus aoteuertit. Vnde & futuræ gloriæ propè iam conſcius ait. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor.*

Rom 5.

Auguſtin. Serm. 14. de Sanctis.

2. Cor. 11.

Cor. ibidem

Ex enaſcentis Eccleſiæ viridario, poma vetera decerpſimus hactenus; diuertamus ad eiuſdem grandæuæ Eccleſiæ hortos peramœoos, collecturi poma noua, futura antidotum pomi quod extitit toti Adami proſapiæ virulentum. Poma noua ſunt fructus illi, quos edidit illa inſignis ſocietas nomine IESV nuncupata; huic fuere petuij calles Pauli Apoſtoli, cuius tramitem iniens Ignatius à Loyola, creditum fuit illi nomeo IESV, cuius ſignifer egregius ille, eodem prnpè quo & Paulus ære mercatus eſt oomen IESV, qoo docta æque & pia ſocietas eios, vt titulo decoratur, ita vt mihi quoudam meditanti panegyrim de S. Ignatio, nihil melius occurrerit quàm vtriuſque Sancti omnimoda pene relatio, cuius accipe ſynopſim, donec proximo volumine luculentam edam homiliam de hoc Sancto, in tractatu de Patriarchis.

P. Ribaden. in vita S. Ignatij à Loyola.

Militiæ non ignarus extitit Paulns, qui & armata manu ſtipatus ſæuiebat in Chriſtianos, dum cælicâ voce perculſus eſt, & Chriſto dedit manus, oobili ſtemmate clarus Ignatius, volebat & poſteris ſuis gloriâ bellicâ prælucere, ideò arcem prnpugnaturus accepit, vbi impigri ducis obiens omnia munia, directa eſt in arcem obſidione cinctam, ingens machina, quæ igne, ferroque lethali fœta, globum enixa eſt, adeò ingentes ſpiritus vehentem ſecum, vt arcis Ignatij propugnacula ſaxo prævalida, ſuo impetu terebrarit. Lapides hac colliſione diſſiti, æmulantes indolem globi, valido niſu reſilientes è compage ſuâ, in proximos quoſque vſquequaque ſæuierunt. In his fuit Ignatius, cui femur hoc attritu contritum eſt; imponitur lecto, vt quieto corpore vulneri conſulatur: ille quietis impatiens, vt labori aſſuetus, cubile exoſus, librum petit cuius lectioni decubitus tædium leuet. O Dei arcana abdita ſæculo! potrigitur codex vitæ Sanctorum, obuiam habet vitam Sanctorum Petri & Pauli, quam vt ille decurrit, ſenſit illapſum eumdem hunc ſpiritum, qui perculit Paulum, quo & ipſe ſenſim actus, hæc infima quæque faſtidiens, anhelus ad maiora, induit animum Pauli, qui arbitratus eſt omnia vt ſtercora, vt lucrifaceret Chriſtum, quippe ex eo decubitus articulo, ſæculi huius ſpecioſa quæuis vt vilia crepundia Ignatio nauſearunt. Diceres

Igaatij à Loyola comparatus cum Paulo Apoſtolo.

nunc globum fuiſſe vocem cœlitus miſſam, quæ corpus attriuit; vt vel hinc ſpiritus valentior exurgeret, & hæc Pauli atque Ignatij paria propè fuerunt exordia. Calente in dies Ignatij pietate, Deus eum multiplici paſſione decoctum, vt vas in honorem euexit in Societatis nomini ſuo IESV ſacræ Anteſignanum, nec ante Ignatio credidit nomen IESV, quin ille Pauli labores omnes obiſſet, & aculeatum pœnitentiæ ſenticeta, aliis inuia peragraſſet, vt liquet ex ſerie vitæ eius, quam facile eſt componere cum Pauli ærumnis ſupra recenſitis, accipe hîc ſuccinctam epitomen.

Fuit Paulus, *in itineribus ſæpe*, Ignatius Palæſtinam, Galliam, Italiam, Hiſpaniam, multaſque alias peruaſit oras AD MAIOREM DEI GLORIAM, fuit enim hoc ſymbolum eius votis, tantum Dei gloriam, totis ſuis animæ corporiſque niſibus anhelantis.

Periculis latronum Paulus fuit obnoxius: Ignatius pecuniæ ſummam, quæ collata fuerat in vernaculos vſus, ſocij ſui perfidia vſurpatam perdidit, vnde coactus eſt ſuam leuare inediam, ſtipe poſtmodum mendicata. PERICVLIS IN MARI iactatus eſt Paolus: an non Ignatius? qui transfretans mare Cyprium, dum dyſcolos nautas argueret, illi Sancto iniurij necem, ſed perperam intentarunt; cum enim Ignatium deponere cogitaſſent in inſulam inanem, reflante vento fuerunt aliò deportati: PERICVLIS EX GENTIBVS fuit Paulus impetitus, ita & Ignatius; nam Turcis effuſis in oras Aſiæ, non inde peregrinans reſiliit Ignatius: PERICVLIS EX GENERE doluit Paulus; moleſtum eſt etenim à ſuis

Ignatij agones multi.

excipi peſſimè: hoc ſenſit Ignatius, nam eiuſdem cum eo ſtemmatis affines & propinqui, pertæſi nouum vitæ genus, tanquam degenerem nobilis priſcique ritus, quotidie ſubſannabant: PERICVLIS IN FALSIS FRATRIBVS, tentatus eſt Paulus, forſan & grauius Ignatius, qui falsò delatus ad Rectorem collegij ſanctæ Barbaræ, propè non fuit exceptus virgis palàm, & hoc Pariſiis ad inſtantiam quorumdam, qui zelum ſuum iniquum abdebant pietate ementita. Fuit & aliàs inſidiis iniquorum hominum qui ſe pios eſſe ſimulabant, actus ad fidei dubię tribunalia, velut hæreſeos vile mancipium; & quia nouus hic æmulus Pauli, debebat colligere ſocios, qui portarent nomen in Gentes quaſque remotas, oſtendit ei Deus adhuc neophyto, quanta oporteret eum pati pro nomine IESV. Nemo ſociorum Ignatij tenuit pœnas obuias,

S Xauerij animus anhelus in anguſtias.

imò vnus qui & S. Xauerius, Romæ in Xenodochio, ægrorum curam gerens cùm cœlitus didiciſſet, ſe plurima perpeſſurum in India, fidei cauſa ſeminandæ, exclamauit eâ quâ contentione potuit. PLVS DOMINE, PLVS, PLVS, eaque vocis intentio ſocium eius proximo decumbentem cubiculo perculit: ô dignum alumnum alterius Pauli!

Lib. 1. vitæ S Xauerij c. 7.

Nec myſterio vacat, quod mille iam, & quingenti prope anni effluxerant à Chriſto nato, & nulli tamen piorum hominum congregationi, ſuum nomen Dominus IESVS indiderat: rem dicam nobilem ſanè Ignatij ſequacibus, & quæ cauſam ingerat, ob quam prætéritis aliis anteà familiis huic ſanctæ Ignatij proſapiæ inſederit nomen IESV; ab argumento à ſimili eruam rationem.

Ex HISTORIA. Du-Pleix in vita Henr. 4. ſub ann. 1591.

Audiuit olim Henricus IV. Gallorum Rex inclytus, Alexandrum Farneſium virum vtique gentis ſuæ decus, aperto Marte properare in Galliam, ancipitis regni iura prælio diſcuſſurum; occurrit ei Rex vſquequàque impauidus; ſed ne armis ſuis proderetur rutilis, atque liliatis, arma hæc regia exuit, expectauêre omnes dubij quemnam Heroum qui in acie illa erant multi, hoc dignaretur honore: vt cum eo commutaret arma. Rex nobilem euocat præualidum cui nomen Meſplez, & hunc toto aſpectante exercitu, regio hoc induit apparatu, dicens: nequaquam elegi hominem inglorium, de probato eius animo conſtat, non alium noui qui in medios hoſtium cuneos, arma mea inferat validius, & Galliæ nomen exoticæ genti terribile præoſtendat. Paulò pòſt claſſicum inſonat, concurrunt acies æquo Marte, ſed vtroque exercitu fatiſcente, canitur vtrimque receptui, & vbi ſe ſe collegerunt acies, ſingulis ſuis quæque caſtris, prodit in medium ſtrenuus eques, regiâ panopliâ conſpicuus, regique aſtans multo hoſtium ſanguine rubens, quem ſuo ſudore diluerat. Gratulabundus Princeps eum amplexatus eſt, vt qui nutanti regno, fulcrum ſuo ſe ſanguine præſtitiſſet. Ita & actum eſt cum ſocietate IESV: retrò ſæculis hæreſes emergentes, religioſi plerique extinxerunt; ſed ſæculo Ignatij tota Anglia, & aliæ in Pannonia oræ defecerunt à fide, & Sathanæ perfidia, variis diffuſa ſæculis, ſuum totum virus effudit in hoc æuum, quo hæreſis omni ſcelere compacta, in Eccleſiam arietans, non modò Dynaſtas ſæculi præpotentes euertit, ſed & Præſules diſtraxit à paſcuis, & in his Cardinalem Caſtilionem. Quid putas actum cum vili vulgo, vbi hæc hydra ſæuiit in purpuram; & peruaſit ſacrum illud collegium antea inuium hæreticis; Reuera opus erat lectiſſima manu, quippe ad Triarios deuentum erat, Chriſtus ſocietati enaſcenti nomen ſuum indidit IESV, quod nomen eſt armatura, & vis neſcia vinci, vt aiebat Dauid æmulo ſuo, moli & armis ſuis plus æquo confidenti. *Venis ad me cum gladio & haſta; ego autem venio ad te in nomine Domini.* Quod ſi quæ congregationes, hoc nomine IESV ſe deſignant, hoc actum eſt earum arbitrio tantùm, & non Dei, qui ſoli myſticę ſoboli Ignatij nomen IESV affinxit; ſciebat enim ſocietatem illam amore feruidam, nomen IESV in gentes illaturã, nec defuit fides illi præſagio, etenim pluſium ſociorum martyrio Societatis initia purpuraſcunt. Nec vnquam ſolet, plurium ordinum ſocietas alma parens, ingruentes procellas in zelum eius ignauia detrectare. Vt Dauid & Ionathas mutauêre veſtes, in teſſeram mutui amoris, ita & Ignatius arma ſua, & veſtes anteà nobiles, pendulas ſacrat aræ ædis Montiſſerrati, & Chriſtum induit pauperem & humilem, nomine etiam eius accepto, eodem & IESV Domino annuente. Itaque ſic liquet ſocios nomine IESV nuncupari, quia vt ſtrenuis arma ſua Chriſtus ceſſit, ſciens illa hæc arma, multa ab eis, dira ſtrage vitiorum, fore tandem decora, eorum proprio ſanguine coruſcante. Quid liues inuide, inuite legens Societatis encomia? diſrumpêre (credo) medius ſi incurris in volumen proximũ, vbi de ſancto fuſiùs Ignatio: ſi ego deuinctus amore iſti Deo plenæ ſocietati, illi bonus ſũ, quare oculus tuus iſta

Henricus IV. ſtrenuũ militem elegit cui ſua arma commendaret in medios hoſtes inferenda.

Ieſuitæ exterminatores hęreſeos.

Florimond. Raymond li. naſc. hæreſis.

Cardinalis Caſtilio deſertor fidei.

Ieſuitæ quare dicantur Socij.

Ieſuitis & religioſis B. Franciſci ineſt communis affinitas.

torue

Hoc capitul. Generale habitum eſt an. 1565. ex Ribad. in appendice ad vitā Ignat.

torue libans elogia, nequā eſt? Neceſſitudo quædam mira intercedit, inter ea omnia quæ coeunt in ſimiles ritus; ideò Religio Seraphica S. Franciſci ſtigmata ferens eius, cuius & inclyta Societas nomine Iesv gaudet, ſanxit in Comitiis Generalibus habitis in vrbe *Valladolid* vulgò dicta, inter vtramque familiam fore fœdus minimè diſpeſcendum; vtraque enim familia ſigniferos habet, eo priuilegio inſignes, quod aliis abditum eſt, etſi alta pietate conſpicuis, & ne in hoc themate ſileam, B. Franciſcum, quid melius probat noſtram ſectionem de nomine Iesv demerendo ærumnis & iugi labore? Neſcit ſtigmata Domini Iesv Beatus hic, niſi corpore lacero flagellis, & vigiliis, & inedia exhauſto; viri pietatem Deus eo modo teſtatus eſt, quo & Arabes ſuum affectum in Regem, qui ſi eſt multiplici vulnere ſaucius, ille charior eſt Regi, qui ſimilia inducit, & infligit ſibi vulnera. Nemo ſanctorum eſt, qui ſtigmate Chriſti patens latus, & apertas manus habuerit, vt & pedes ſimiliter confoſſos: neſcio etiam, an quis ſanctorum, corde ſuo amorem inuſtum habuit erga Deum ſimili charactere quo & Franciſcus eſt ſtigmata Domini nūdinatus. Quidni ergo fœdus interſit, inter vtramque familiam, Societatis ſcilicet & Franciſci, cùm in eius ſigillo ſocietatis vtriuſque familiæ teſſera reperta clamet vnionem? Nimirùm crux ſic depicta † eſt Patris Seraphici Franciſci ſtemma, quod manibus præfert in vera ſua effigie, & nos Capucini, tanti Patris legitima proles, quaſi illa crux ceſſerit in ius noſtrum, habemus eam pro ſymbolo, vt quorū vita arctior, atque ſeuerior Chriſtum clamat, & hunc crucifixum: ſocietatis verò index eſt nomen Iesv, quod priſco tempore ſic notabatur ſine cruce Iesv, & nota crucem ſeraphicam, eâ quâ deorsùm vergit parte, deſinere in acumen, † cùm tamen ſuperiores eius aliæ partes ſimæ ſint & obtuſæ. Diceres illud ex compoſito eſſe, vt inſereretur crux ſigillo ſocietatis, quod exurgit ex litteris Iesvs, quibus inſigitur † Franciſci, & vtriuſque familiæ, ſic eo nomine concordia propalatur. Vtque IHS mirè concordant ea quæ eodem collimant, ita viget vtrimque charitas vnius familiæ in alteram, vt quarum ope Dei nomen & paſſiones omnibus innoteſcant.

Athenæus lib. 6. c. 6.

S. Franciſcus multis anguſtiis init ſtigmata Chriſti.

Ieſuitæ & Minores quomodo participent nomen & Crucē Chriſti.

VT NOMEN IESV, ANGELO priuſquàm homini innotuit, ita & his qui viuunt Angelico ritu, intimè inuritur Iesvs, at quia reprobi neſciunt Iesvm, ille etiam nomen eorum expungit.

In hæc verba:

Nomen eius Iesvs vocatum eſt ab Angelo priuſquàm conciperetur.

Sectio V.

Apoc. 2.

Angeli nomē commune hominibus.

ANgeli nomenclaturâ denotari paſſim homines, vtraque Scripturâ ſanctiore nouâ ſcilicet & antiquâ liquet: ipſo ferè exordio Apocalypſis Deus Angelos vocat Epiſcopos Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ & alios contermi-nos illis oris: nec antiſtites modò, ſed & presbyteros Paulus nuncupat Angelos. *Debet mulier velamen habere ſupra caput ſuum, propter Angelos.* Gloſſa in hunc locum Angelos ait innuere ſacerdotes. Item & in codice æui ſuperioris, mulier illa non ingloria Thecuitis nonne titulo Angeli dignata eſt Regem Dauid. *Domine mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei.* Ex his poſſet menti alicuius inſidere, hominem poſſe eo ſanctitatis euehi, vt naturam indueret Angelorum; cùm enim Chriſtus, Patrem cœleſtem æmulandum homini præfixerit. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Scopum nobis exhibuit Angelo potiorem, atque ita homines poſſe, & præire Angelis ſic innuit, non tamen aſſeruit tranſire in naturam Angelorum.

1. Cor. 11. Nic. de Lyra in 1. Cor. 11. 2. Reg. 14.

Ex philosophia.

Nimirum ex Philoſophiæ aſſerto; cuiuſlibet rei ſpecificum eſſe non variat, ita vt eo ſuperſtite, aliam ſuperinduat eſſentiam; eſſentiæ enim ſunt determinatæ ad vnum falſaque eſt illa propoſitio, quæ definitionem enuntiat exoticam definito, qualis eſt hæc, homo pietate inſignis eſt Angelus; quippe Angelus & homo ſunt termini diſparati, qui nequeunt de ſe identicè prædicari. Cùm igitur legis in titulo ſectionis, nomen Iesv innotuiſſe priùs Angelo, quam homini vt vel hinc vrgeremur Angelico ritu, vitam agere, ne ſubrepat tibi anhelare ad eſſentiam Angelorum: ſed æmulare meliora chariſmata, id eſt gratiam illam, quâ Deo ſunt accepti; licet enim natura Angelorum ſit ſubſtantia, & gratia Dei accidens, nobilior eſt gratia quia eſt ordinis ſuperioris, vtpote naturalia omnia tranſcendentis, ſicuti concordant Theologi. Ideòque in ſeſſione beatorum in gloria, non habetur ratio eſſentiæ Angeli, aut hominis; vtraque enim natura ex ſe, ab initio fuit impos ad gloriam, vt conſtat ex Angeli lapſu, quem & ſubiit homo incautus: ſed quiſque brauio donabitur conſono gratiæ quâ fulgebit, fietque vt plerique Angelis gratiâ ditiores, in gloria etiam Angelos anteuertant, quomodo autem & pij homines dicantur Angeli, audi Doctorem qui Seraphici nomen, multiplici gratiarum dote demeruit.

Eſſentiæ ſūt incommunicabiles indiuiduis alterius ſpeciei.

Ex theologia.

S. Bon. lib. 2. ſentent. diſt. 22. 30.

In nomine tria ſunt quæ ſpectantur, vox, ſignificatum, & ratio innoteſcendi; vox ſignificat ex inſtituto & non ex natura, vt vox, hæc *Angelus* eſt nomen officij non naturę, ſic homo dici poteſt Angelus, ſi aliqua facit quæ Angelus: res denotata primariò voce Angeli ex inſtituto, eſt ſubſtantia merè ſpiritalis, & in eo ſenſu Chriſtus dictus aliàs Magni conſilij Angelus, ab officio ſuo, nequit altero ſenſu dici Angelus, quia non eſt corporis expers, & de eo ait Pſaltes. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Ratio innoteſcendi in Angelo eſt ipſum eſſe ſpecificum ad quod nequit homo pertingere. Rurſus nomen aliquod communicari poteſt ſimpliciter, vt Angelis omnibus eiuſdem naturæ, ſed non aliis entibus: Alio modo nomen poteſt idem pluribus affingi diſparatis, ſecundum quid, vt homo, & canis Moloſſus dicuntur aliquando leones, quia viribus præſtant æquè leoninis: & homo dicitur Deus, in quo aliquid elucet deitatis; in eo ſenſu Angeli nomen homini quadrat, ſi eâ nitelâ nitet quâ Angelus, id eſt ſi ſit gratiâ Dei præfulgidus; eaque Deus ratione beatos aſſimilat Angelis, quiâ non erūt corporea mole grauas. *In reſurre-*

Angelus homo quando nuncupatur.

Pſalm. 8.

Nomina quomodo rebus imponantur.

Matth. 22. *ctione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo,*

Angeli nomen quomodo mereatur homo.

Ieſus quibus ſe communicet.

His igitur qui ſe præſtiterint Angelos vitâ ſuâ defœcatâ nomen IESV plenè innoteſcit; & non ſicuti tepentibus, quibus ore tantum inſonat IESVS, manibus inſciis, & hoc ſponſa clamat, *Oleum effuſum nomen eius*, id eſt, amanti ſe effundit IESVS non ore, ſed corde tenus; ſed ad manus vſque, incunctante virtutum praxi impigrè deriuantur, vt expertus ait Bernardus, ſic inuehens in animam quaſi nauſeat ad diuina.

EX SS. PATRIBVS.

Bernard Serm. 14. in Cant.

Habet oleum, ſed reconditum, habet in codicibus, ſed non in cordibus; foris hæret in litera, contrectat manibus vas plenum: ſed & clauſum; nec aperit vt vngatur, intus eſt vnctio ſpiritus, aperi & vngere, & iam non eris domus exaſperans. Quid facit oleum in vaſis ſi non ſentias & in membris? quid tibi prodeſt, pium ſaluatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus? oleum eſt, effunde, & ſenties virtutem eius quæ triplex eſt, triplicem (ait) nominis energiam; quæ amore, dictis, & actibus innoteſcit, actus autem amoris eſſe indices non tantùm Innuit ſponſus dicens:

Cant. 8. *4. Reg. 10.*

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Sed & Iehu Rex Iſraël; amoris indubij à Principe Ionadab ratum fixumque petiit argumentum.

Amor ſincerus opere probatur.

Principis Ionadab fidem ancipitem, tentauit aliquando Iehu Rex, an à partibus Achab eſſet ille, & ait Ionadab venienti ſibi obuiam, *Numquid eſt cor tuum rectum, cum corde meo, ſicut cor meum cum corde tuo? & ait Ionadab, eſt: Si eſt* (inquit) *da mihi manum tuam, qui dedit ei manum ſuam; at ille leuauit eum in currum ſuum.* Multi

EX SS. PATRIBVS.

exerunt linguam, ſignatam equidem nomine IESV; ſed manus in ſinum referunt, expuncto hoc nomine, complicatas. Confeſſori exigenti an ſit rectum cor tuum, ais, eſt rectum in corde Dei. Quid facis ementita pietate fucum? ô anima repens, alget cor tuum da manum otio torpentem, & ea re ſua deſidia condemnabit. Pones IESV nomen generale ſignaculum: nam ex Bernardo.

Bernard. Serm. 15. in Cant.

Habes vnde brachio medearis, & cordi, habes (inquam) in nomine IESV vnde actus tuos, vel prauos corrigas, vel minus perfectos adimpleas; itemque vnde & tuos ſenſus aut ſerues ne corrumpantur, aut ſi corrumpantur, ſanes. Hoc ipſum vrget Ambr.

Ambroſ. Lib. de Iſaac. c. 8.

Sigillum Chriſtus in fronte eſt, vt ſemper confiteamur: in corde, vt ſemper diligamus: in brachio, vt ſemper operemur, vt ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis, ipſe eſt ſignaculum noſtrum quem ſignauit Deus. Concordat Greg. *Super cor, & ſuper brachium ſignaculum ponitur, quia voluntas & actio deſignatur: ſignum quippe tota mens ſancta interius, & exterius Chriſtum portat, quia dum in eius meditationibus aſſiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non ceſſat.*

EX MEDICINA.

Anatomici omnes in cap. de arteriis.

Arteriarum deſcriptio.

Res medica apprimè explicat affinitatem illam cordis & brachij, quæ tanta eſt vt ad impetum cordis brachij pulſus exſiliat: ſic igitur fatur illa ars humani corporis inſpectrix. Arteria magna prodiens è ſinu ſiniſtro cordis ſurſum vergit & deorſum, pars aſcendens diſpeſcitur ad iugulum in duos ramos ſubclauios, ex quibus alij editi ſurculi diſcurrunt, ad coſtas & ad mammas, ex his ſubclauiis capit ortum ramus axillaris, diffuſus toto brachio, vnde oritur arteria Baſilica duplex, vna profunda, altera ſubcutanea: ſubcutaneæ ſurculus ille eſt qui ad carpum emicat, & quo tentato, ex eius alternante pulſu, diaſtolen cordis & ſiſtolem auguramur: cum enim arteriæ brachij ſint propagines eius, quæ eſt inſita cordi, eo cientur motu, quo & cor ſe ipſum exagitat, ita & in moralibus, amore perurgente cor, nequeunt torpere manus impigræ, neque brachia feriari.

Hoc videre eſt in his quos diuinus agit amor, neſciunt moras, & vt ſponſa cantici, dilectum non lento gradu ſeduli iugiter inueſtigant. Inſtabis forte, qui ſint hi quos amor hic ſacer æſtu ſuo ciet? conſule ſectionis huiuſce titulum, ex quo diſces eos eſſe qui referunt Angelos, vitâ ſuâ neſciente næuos; quo enim quis purior, eo etiam & Deo propior, cuius vicinia iuſti gratiores effecti vegetantur; & hoc ex Mathematicis non modicum lumen accipit; eſt enim à ſole deducta hæc egregia aſſimilatio: ſic fatur cœleſtis illa diſciplina. Et ſi cœlum omne ſtellis irradiet, & figuræ multiplices globum cœli cingant, quæ ſuas energias habent ſingulares quibus deorſum influunt, tamen ea ſola ſigna, quæ lineam Ecclypticam ſequuntur, Zodiaci nomine nuncupantur, id eſt ſigna vitalia ὅτι τὴν ζωὴν διδῶσι, quia dant vitam; dare autem vitam hæc ſigna dicunt Matheſeos periti, quia non adeò recedunt à linea quam peragrat ſol, à qua tamen toto cœlo, alia deuiant aſtra, vt ſunt ea quæ vtrumque polum cingunt; ideóque Ptolomæus & Firmicus Principes huius artis, in ſchemate cœli, rationem tantum habent ſignorum Zodiaci, aliis velut prætermiſſis, quaſi non eſſent in rutilanti ſyderum choro. Ita & in toto hominum cœtu hos dies vitales & vegetos, qui à recto Solis noſtri, Domini IESV non deflectunt calle: hi gratiore Dei dignantur aſpectu, iuxta illud Pſaltis, *Oculi Domini ſuper iuſtos:* his ſe totum IESVS infundit, quia illi ſui veluti neſcij, toti ſunt in his quæ Deum ſpectant. Vbi autem quempiam Deus aduertit eâ nitelâ inſignem, excipit vt Angelum: etenim ex Origene & Beda ἄγγελος quaſi, ἀγῆς id eſt ſine terra, vnde hi qui velut corporis expertes, vitam neſciam carnis agunt, Angelos æmulantur, nimirum ſoli Deo intenti, eum inclinant ad amorem, quo ſaucius ipſe Deus: ſe nomenque ſuum benignus impertit.

Amor vehemēs ſe actione prodit.

EX MATHEMATHICA.

Ptolomaus l. 4. de iudiciis cap. 3.

Iul. Firmicus l. 2. c. 27.

Zodiacus vnde ſic dicatur.

Pſalm. 33.

EX HISTORIA.

Ieſus in quos præcipuè homines influat.

Hæc argumenta Diuini amoris in homines benè de Deo meritos æmulati ſunt Dynaſtæ præpotentes Galli, & Hiſpani. In his Carolus VII. Rex Gallus, hærens in præmio quo dignaretur affines Virginis Heroinæ quæ ſanguine ſuo litauit gloriæ Francorum, & quam facinorum egregiorum eius monumenta vocant, Ioannam *de Vaucouleur*, voce vernaculâ, Rex beneficiorum eius non immemor, Regia ſtemmata, ſcilicet lilia conceſſit in parma, futura gentilia familiæ, quæ Bellonam hanc ediderat, voluitque eſſe familiæ nomen DV LIS, à liliis regiis, quæ virginis illius emortuæ; aſperſa ſanguine floruerunt. Ita & Deus, Deos vocat eos qui vale dicto ſuis rebus, Dei ſe totos obſequio manciparunt.

Du-Pleix in vita Caroli ſept.

Ioanna heroïna quo honore dignata à Carolo VII.

Roblea in vita Cardin. Ximenij.

Eadem & trutina merita perpendit Franciſci Ximenis, Ferdin. ille Magnus Rex Hiſpanus: multùm ſanè debuit Hiſpania, ærumnis Præſulis huiuſce Toletani, qui ſpiritu, corpore & ære ſuo ſaluti publicę incubebat, ſudores Franciſci terſit omnes, Ferdinandus hoc brauio, fecit eum dictante Pontifice Cardinalem; & vt purpuræ

Ximenes nuncupatus Cardinalis Hiſpaniæ.

adiiceret inſigne decus:& in Hiſpania præcipuũ addidit titulum regiæ proſapiæ, nuncupans Ximenem Cardinalem Hiſpaniæ. Obſtupuit Ximenes,& vt eſt gens Hiſpana gloriæ cupida, ingentes animos iugiter verſans : eſt enim aptiſſimâ ad grandia quæque ea aſſequutura ſanè, ſi polleret impetu Gallo, qui & maiora ederet facinora ſi eſſet Hiſpani propoſiti tenax. Hoc titulo Cardinalis Hiſpaniæ Ximenes, quaſi ſibi grauis, accinxit ſe ad alia egregia, quibus ad gloriam retrò partam; noua fieret acceſſio. Hac cautione prouiſum eſt brauio beatorum; nam ex Ioanne, hæc eſt gloria æterna : *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei & Agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium, & omne maledictum non erit amplius, ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.* Magna ſunt quæ anteà prælibauit, ſed minima ſunt, ſi conferas cum nomine IESV, frontibus inſcripto beatorum, & cuius ſuffragio beatæ mentes inſeruntur familiæ altiſſimæ Trinitatis. Quare eodem quo Bernardus ego palato afficior. *Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi IESVM, ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi IESVS: IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Et ſi magna tripudia beatorum recenſeat Ioannes, niſi legiſſem nomen IESV inuſtum fronti beatorũ, fuiſſent biulca gaudia.

Apoc. 22.

Bernard. Serm 15. in Cantica.

Ieſu nomen eſt cõdimẽtum omniũ librorũ perfectis.

EX SYMBOLIS. *Typotius l. 1. Symbolor.*

Ad hoc fortaſſe ſuo ſymbolo reſpexit Vrbanus ſextus apex Eccleſiæ, qui pro teſſera ſua columbam radiantem pingebat, hoc titulo IN VNITATE DEVS quaſi diceret Dei nomen iis inſcribi, qui alieni ſunt ab omnibus, vt vni Deo tantùm adhæreſcant. Ab aliis verò, id eſt à reprobis longè abeſt Deus, à quo & ipſi longè abſunt: iuxta illud Pſal. *Longè à peccatoribus ſalus:* & illud, *Ignorans ignorabitur.* Virgines conſule fatuas, de virginitate ſibi blandientes, Dei gloriæ prorſus incuriæ, & proprij tantum decoris anxiæ, audierunt exploſæ ſe reſpui à Deo dicente *Neſcio vos*, eſt enim ſanctio canonica. *Nomen auferri alicui propter malitiam* : & alibi idipſum ingeminans ait. *Nomine debere priuari quempiam, ratione criminis.* Ad hoc alluſit gemebundus Vates, dicens, Nazaræos non eſſe agnitos in plateis, quia denigratæ erant ſuper carbones facies eorum. Iuris Canonici ritum æmulatur & Ius Ciuile, quo Imperatores Arcadius, & Honorius ſæuierunt in nomen Eutropij viri conſularis. En lethale decretum, quo morte ciuili mulctatus eſt ille nequam. *Omnes res Eutropij qui quondam præpoſitus fuit ſacri cubiculi, ærarij noſtri calculis adiunximus, erepto ſplendore eius & conſulatu à tetra illuuie, & à commemoratione nominis eius, & cœnoſis ſordibus vindicato, vt eiuſdem vniuerſis actibus antiquatis, omnia muteſcant tempora, nec eius enumeratione ſæculi noſtri labes appareat.* Ita & quondam Roma filium Scipionis, quia degener erat & nebulo, exuit nomine pleno dignitatis, & Alexander obuium habens militem, nomine Alexandrum, deſidem & vecordem, ait ei. Aut muta nomen, aut muta mores, hoc demum eſto vice colophonis, & altæ ſententiæ.

Nomine exui pœna eſt canonica.

Eutropij damnati quænam pœna fuit.

Pſal. 118.

IVS CAN. *Gloſſa fi. in can. qui nec. 2. q. 7. gloſſ. 1. in Can. admonere 33. qu. 2.*

IVS CIVILE. *Cod. Theod. lege 17. de Pœnis.*

Scipionis filius nomine paterno exutus.

ILLI TANTVM SE DEVS INFVNDIT TOTVM, QVI IN DEVM TANTVM, SE EFFVNDIT TOTVM.

HOMILIA
DE
CIRCVMCISIONE
DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ.

1. QVIA laboramus verborum inopiâ, neceſſe eſt vt opitulante metaphorâ, conceptus noſtros exeramus, ideò ſcriptura ſacra quæ phraſi non inſueta edita eſt, communes ſcribendi tropos frequenter vſurpat; exempli gratiâ ſæpius hominem nuncupat arborem.

2. Arboribus ineuntibus conſilium de inaugurando rege, oliua prima inter arbores rogata eſt, vt regnaret, Iudic. 9. Chriſtus Rex hominum, oliua fructifera vocatur à Pſalte regio : hodie inſcinditur in Circumciſione, vt homines illi inſerantur, qui fuerant hactenus oleaſtri, id eſt adulterini fœtus, quippe à natura integrâ defecerant. Hoc igitur homiliæ eſt inuentum : ſcilicet Circumciſionem, in Chriſti carne innoxiâ fuiſſe ſciſſuram, cui homines inſiti prioris ſtatus compotes euaſere.

3. Eoſdem retulere prouentus homines, ex Circumciſione Chriſti, quos ſurculus haurit à ſtipite, cui medullitus incumbit, nimirum flores, frondes, atque fruges, id eſt ſpem, altos animos ad virtutem, & quæuis egregia facinora Dei propitij aurâ probis & innoxiis aſpirante.

4. Tandem ſinio hortans auditores, ad xenia exhibenda Chriſto, à quo tot deriuata bona xenij locum tenent, imò & ipſe xenium ſe dedit nobis, & anno quóque redeunte repetit donum illud. Ne autem ego videar illiberalis, in eo donorum Dei exuberante profluuio, ſingulæ cuíque profeſſioni xeniola liberalis impertior.

PRÆFATIO.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus.
Lucæ 2.

Ægyptus diu Hebræis importuna, quos vexarat moleſtiis annuis, ſollicitauit tandem iram Dei, vindicem ærumnarum quas Hebræi auitâ ſorte ſubierant, is autem ſuit genius vltor Hebræorum, primogenitos cuiúſque familiæ Ægypti, morti repentinæ addixit, quaſi Manibus Hebræorum quos necarant Ægyptij verberibus, hac vltio parentaret. Ne autem Angelus vindex, huic Ægyptiorum fato, Hebræos inſontes inuolueret, hac cautela Deus occurrit. Sanxit vt populus innoxius, ſanguinem aſpergeret ſuperliminari portæ ſingularum ædium, vt Angelo Ægyptiis irato, victimæ ſeu agni ſanguis obuius, iram eius inflecteret, quæ aliis in ædibus non aſperſis ſanguine agni, ſubitaneâ à primogenitis nece ſæuiebat. Eadem & hodie Chriſtiani omnes gratiâ dignati ſunt: nam ira Dei quotannis orbe toto deſæuiens, fideles Deo addictos præterit innocuos, quia in apice anni, velut in ſuperliminari introitus: id eſt hodie anni exordio, ſanguis rubet effuſus, eius in quem credimus, Chriſti infantuli circumciſi. Nec hoc cruore tantùm placatur ira Dei, ſed eo etiam ingenio, quo Africam leonum impetus frangunt, quibus obiectus infans ſeu virgo, dehiſcit ira hactenus elatior. Nouit Eccleſia, reprobos vrgere Dei iuſtitiam, vt animaduertat in ſcelera, quæ repetita impunè in molem immenſam, & hanc inuiſam Deo coaleſcunt. Anno quoque recurrente, hæc diua parens Deum factura propitium, ipſo die auſpicante annum, obiicit Deo Patri, ſuccenſo hominum deliquiis, infantulum & virginem quorum occurſu, omnes iræ motus inſurgentes non deiicit modò, ſed adeò amorem excitat beneuoli Patris, vt ſupercilio depoſito ruat in amplexus Eccleſiæ, meritis huius puerili rediuiuæ. Si puerum, & virginem neſcis: audi textum præfatum. Vocatum eſt nomen eius IESVS. *En pueri nomen; Virginis autem eſt Maria, quam recolimus dicentes* AVE MARIA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

Homo arbori comparatur.

VArietate rerum adeo natura nitet, vt nec ipſa Rhetorica dictione multa luxurians ſufficiat ad genuinam rei cuiúſque indaginem, vnde ne tacita videretur, loquax illa ars diſſerendi, multos inuexit loquendi tropos & figuras, velut obſtetrices quarum opitulante manu, ſuos conceptus, veluti fœtus edendos valeat explicare. Harum figurarum ſeries importuna eſt, quam texunt oratores, ſed ſcriptura ſacra delectu cautior, ab vſu loquendi non abhorrens, eſt parcior in figuris variis, ſed frequens in iiſdem, quales ſunt hyperbole, atque metaphora, eas vt ſibi familiares, & Palæſtinis agnitas, in quorum plagâ editus eſt Codex ſacer, hos, inquam, tropos identidem & crebriùs vſurpauit. In eadem metaphorâ multi ſunt, & conſtantes varij textus ſacri, ſcilicet in ea quâ arboris typo, homo deſcribitur. Dauid vocat, *Lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Huic præcentori & canoro Pſalti ſuccinit, vox clamantis in deſerto, dum hortatur homines, vt myſticas arbores, ad edendos fructus pœnitentiæ. Eodem & tenore Iudas Apoſtolus; ſontes & noxios homines vocat. *Arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas, eradicatas.* Denique adeò copioſi ſunt textus, quibus homo appellatur arbor, vt ſi eruerentur omnes ex ſuo natali ſolo, ex eis ſylua denſa, latéque patens exurgeret.

Scriptura ſacra figuris aſſueta.

Pſalm. 1.

Luc. 3.
Iudæ 1.

Eam ob rem fortaſſe Deus hominem in paradiſum voluptatis introduxit, vt qui arbor eſſet, diſceret ab aliis arboribus frugiferis & patulis, edere fructus naturæ ſuæ conſcios & conſonos, & loco ſuo ſtare, ſicut & arbores, id eſt quæ vltra ſunt, non auidè appetere; ſed arborum inſtar quæ deorſum altas radices agunt, ortum ſuum humilem ex terrâ, animo recolere, & ſic ſatori ſuo, iugi obſequio deſeruire. Sed vt arbor Danieli præoſtenſa, quia ſuis auſa eſt ardua cœlos pulſare ramis, exciſa eſt, ita & homo præcoci appetitu immaturæ deitatis inſoleſcens, eamdem quam & arbor illa infœlix ſortem incurrit, præſciſſus eſt homo; nam mors agens ſecuris acutæ vices, hominum vitam aliàs perpetuam, breuiuſculo tandem termino decurtauit. Vtque arbor germen non amiſit, Deo iram moderante quam excitauerat illius arboris procera moles, in quam cauerat hoc edicto. *Succidite arborem & diſſipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite.* Ita & hominem Deus omnino non extinxit: nam Adam licet morti obnoxius, nouem ſæcula decurrens, letbali ſuæ ſententiæ ſuperuixit.

Homo dicitur arbor.

Daniel 4.

Hæc ſoſpes & longæua vita, in ſobole germen edidit vegetum & multiplex, ex quo tanquam è radice nouus ſurculus emergeret, qui vietam arborem exhauſto ſucco redderet priſtino ſtatui. Nam ex filiis Adam, ad Mariam vſque longo tractu deuolutis emerſit Chriſtus, tanquam nouus ſurculus è radice, quæ nuſquam emarcuit. Hic autem è veteri germine ſtipes oriundus, arborem iam effœtam priori nitelæ reddidit, & plenè renouauit. Chriſto namque in humanis edito, arbor illa primæua, in hoc Adami ſurculo ita refloruit, vt liceat nobis vſurpare ſymbolum comitis olim Mauritij, quo patris ſui Guillelmi de Naſſau, martiales animos induiſſe loquaci lemmate ſuam hanc teſſeram ſpectantibus ingerebat. Erat talis idea ſymboli; ſurculus videlicet in arborem exurgens patulam & proceram, hoc titulo, FIT TANDEM AVRCVLVS ARBOR. Hoc ſurculo ſe ſignabat Mauritius, qui Batauos nactus exercitus ad ducatum, eadem quâ pater dignitate conſpicuus, in arborem dicebat ſe excreuiſſe, cuius expanſis ramis opertus exercitus, irritos omnes hoſtium

Typotius lib. Symbol.
Mauritij Ducis Batauorũ ſymbolum egregium.

hoſtium impetus faceret hac tutelâ. Chriſto nato, fas ſit & nobis, vſurpare lemma hoc plenum maieſtate. Fit tandem ſurculus arbor; nam Ieſus ex Adami carne deductus, licet ſit eiuſdem arboris emergens ſurculus, ipſo ſui ortus momento, arborem totam refert, ipſo Adamo & tota proſapia eius illuſtrior. Si arboris nomen inueſtigas, Dauid animo præſcio, illud aperiet. *Sicut oliua fructifera in domo Dei.* Ieremias eodem ſpiritu Nomenclatore, arboris iſtius ſpeciem edocuit. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit nomen tuum.* Hodie inſcinditur hæc oliua, vt nos naturæ aliàs integræ, ſurculi infideles, huic arbori recens innatæ & inſciſæ fœliciter inſeramur. Dicam ergo primò, Circumciſionem Chriſti fuiſſe inſciſionem oliuæ, ſecundò dicam nos huic inſciſioni inſertos, eoſdẽ hauſiſſe fructus quos haurit ſurculus inſertus viuaci trunco. Indi nomina rebus, veluti characteres quibus agnoſcantur, Philoſophus eſt aſſertor dicens, nomina eſſe ſigna rerum, quò fit, vt Philoſophia, in cuiuſque rei indagine, biuio ſedula procedat, videlicet rimando quid rei, & quid nominis, id eſt naturam cuiuſque rei explorat quilibet doctus, & nomen inditum rei etiam ſedulus inueſtigat. Hoc & nos trito calle indagemus; quare vſurparit Chriſtus Dominus oliuæ nomen potiùs quàm Cedri. An fortè quod oliua virens ſit perpetuò, & Chriſtus virore ſingulari fuerit inſignis, inter arbores alias, ſicut & homo ſpecioſus præ filiis hominum? Minimè verò, non enim viror præcipuum eſt quod Deo arridet in oliuâ: in hoc enim eam hædera, laurus, & infima buxus antecellunt. Ab oleo dictus eſt oliua puer hic recens natus, iuxta præſcij Salomonis effatum. *Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te:* Oleum verò miſericordiam refert, quæ ſicut oleum alios ſubiicit ſibi liquores, ita & illa opera Dei ſupergreditur, iuxta illud: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Græci eadem penè voce, oleum ἔλαιον & miſericordiam ἔλεος efferunt; à te ergo ſibi chara, Deus ſcilicet à miſeratione nomen oleaceum vſurpauit. Nimirum etſi ex Theologia ſint operum Dei omnium comites indiuiduæ, iuſtitia & miſericordia, quia cùm Deus agat modo debito ſapientiæ ſuæ, & bonitati, eſt in agendi modo iuſtitia Deo reddens, quod illi conuenit: rurſus quicquid in rebus agit, illud totum edit, ſecundum ordinem conſonum rei, ad cuius ſe naturam aptat ille præpollens artifex, & eſt iuſtitia rei tribuens quod debetur ex natura; licet, inquam, eluceat iuſtitia, miſerationem tamen magis liquet enitere. Etenim iuſtitia quæ in quouis opere Dei micat, ex eo quòd Deus ſuum cuique tribuit, ea, inquam, iuſtitia aliquod eſſe præſupponit, quod ſit veluti præiacens materia informanda, eo quod Deus inſinuare intendit, ex iuſtitia dictante tales influxus, illud autem eſſe quod præiacet iuſtitiæ influenti, opus eſt miſericordiæ, quæ cùm aliquid eduxit ex nihilo, illud reuera ex ſumma miſeria euocauit, cùm eſſe ei qualecumque ſit, impertiuit. Itaque cùm eſſe præexiſtens, ſit miſerationis præclarum editum facinus, & habeat rationem cauſæ primæ, iuſtitia verò rationem induat cauſæ ſecundæ, & influxus ſit potentior cauſæ primæ, induit nomen ſibi congruum Deus in humanis; ad hoc quippe carnem ſubiit, vt carni ſuæ inſciſæ, nos quaſi emortuos inſereret, ſuâ vitâ ſoſpitandos. Ad hoc aſpexit Apoſtolus cùm ait. *Ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam.* Hac oliuâ Deo ceſſit dominium omnium noſtrum, ſicut & Mineruæ principatus olim Athenarum, de quo ei cum Neptuno crebra litigia, quibus vt occurreret Deorum æquus Senatus, decretus eſt Athenarum dominatus, ei qui rem eduxiſſet in medium maximè conſonam & vtilem homini. Annuunt Neptunus & Minerua, ſeque accingunt ad edendum aliquid, quo edito fierent Athenæ iuris Dei producentis. Neptunus dehiſcente terra fudit aquas, quæ alueum ſibi molientes, emerſerunt in fluuium perutilem maximè ciuitati. Aquarum hæc ſubita diuortia, altique vortices, Neptuno ampla tulere ſuffragia. Etenim ille aiebat aquas minimè duntaxat vtiles eſſe, ſed & omninò homini neceſſarias, vt quæ ex Thalete, rerum omnium ſint primum exordium: accedit formula iuris quâ is cui aquâ & igne interdicitur, in exilium illicò deportatur; morſque ciuilis intentatur ei, cui aqua ſubtrahitur, hocque quaſi præiudicio, videbatur prope non Minerua cauſâ cecidiſſe. Sed illa Neptuno cautior, vt quæ ſui iuris facit omnes diſciplinas: illa, inquam, aſtus ſui ſpecimen editura, oliuam ſpecioſam, virentem & patulam, multiplicique bacca frugiferam, derepente protulit. Ad huius enatæ oliuæ repentinum ortum, cenſere Dij, Mineruæ primas iure dandas, & ſummum in Athenas decus atque dominium, etſi Neptuno perperam reclamante. Licèt enim aqua referat vitam, ſitam in humido, vt caloris inſiti pabulo, flocci tamen eſt, viuere, niſi ſuperaddas & benè viuere; benè autem viuere, miſerantis Dei beneficium eſt, ſicut & viuere facinus eſt Dei præpotentis. Arrident autem hominum cœtui chariſmata miſerantis, magis quam opera præpollentis: vnde aqua potentiam Dei ſignans, oliuæ ceſſit, quæ miſericordiæ Dei familiare oculis obiicit argumentum. Sic aqua diluit totum Neptuni ambitum, & oliua Mineruæ ſuffragata, regimen peperit, cui ſe lubens ſubdidit gens non ignara ſuaue fore dominium eius, quæ oliuæ ſymbolum vſurpans, aquarum exoſa fluctus alternantes, qui arguunt animum inquietum & impotem ſui, pacem, ſibi placida oliuæ teſſera vendicabat. Non inſulſum ſanè eſt Græcorum hoc commentum, nec ineptum myſterio, cui iam incumbimus, imò conducit quàm maximè, nam ſtat ex ſcriptura, quam ſacram nuncupamus, homines refugas & alienos à Deo, bifariam à Deo reuocatos ad primum obſequium: ſemel enim Deus hominum genus, ab effuſa noxâ compeſcuit, nimirum quando hiante cœlo, nimij imbres alluentes hominum genus multo ſcelere putidum terras inundarunt; Rurſus idem rerum omnium opifex Deus, homines ſibi deuincturus, alio ſchemate ſollicitauit, ad ſuum regimen ſubeundum, & hoc cùm in oliuæ ſpeciem in Bethlehem editus eſt. Vtrobique Deus idem meditatus intentum, ſeu reditum hominis ad meliorem frugem, ſed aquis homo ferocior expauit, Deum aquâ lethali terribilem, nihilo enim hinc melior fa-

Pſalm. 51.
Ierem. 11.
Chriſtus oliuæ comparatus.
Pſalm. 44.
Cant. 1.
Pſalm. 144.
EX THEOLOGIA: *S. Thom. 1. p. q. 21. art. 4.* Miſericordia & iuſtitia quomodo coeant in omni opere Dei.
Rom. 11.
Varro.
Neptuni & Mineruæ diſceptatio pro Imperio Athenarum.
Oliuæ mira cõmendatio.

ctus eſt Cham, iniurius in parentem; imò & nequitiæ ſuæ virus totum in ſobolem miſerè tranſcolauit. Ceſſit reuera felicius oliuæ in Bethlehem emergentis noua genitura; nam vt primùm enata eſt hæc oliua, ſcilicet Dominus Ieſus, noſtras miſeratus ærumnas, & auitas clades, à Deo hactenus exul, & ſequeſter homo, reduce greſſu ad oliuam hanc protinus acceſſit, ſciens Deum qui olim homines aquâ vindice fugauerat, eoſdem iam palantes homines, velle communicata miſeratione ſuâ, velut oliuâ terras opacante cicurare. Ideóque nullâ obſtante morâ, Hieroſolyma penè tota confluxit in Bethlehem, in huius oliuæ recentis apricatura ramis, iuxta præfatum olim à Ioatham filio Gedeonis. *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem. dixeruntque oliuæ, impera nobis.* Mox enim nato Deo, homines quos cœcus lumini redditus vidit, vt arbores ambulantes, & in his reges ab oriente velut arbores inſignes & proceræ, ſe incunctante obſequio iſti nouæ oliuæ perpetuo deuouerunt. In rei iſtius quaſi præludium, Salomonis templi eximij, oſtiola fuerunt ex oliuâ: præſcius enim erat Rex Deo plenus, homines non aliunde ad Deum acceſſuros quàm viâ oliuâ multiplici conſitâ; id eſt gentem iram Dei promeritam, non adſtituram Deo ſecuram vt in templo, niſi eo propitio atque miſerante. Noë iram Dei exuberantem collegerat, aqua montium apices inundante, ſed vbi dubius inueſtigans animum Dei, emiſit aues exploratrices & nuntias, quæ referrent qualis eſſet orbis vniuerſi facies atque ſtatus, didicit à columba præferente ramum oliuæ, iam expiatis ſæculi ſordibus atque piaculis, aquæ ſæuientis vndas & vortices inclinari. Ita & gens Hebræa, quæ hactenus Dei minas & dura verba, imò & verbera repetita ſenſerat captiua in Perſide, Babylone, & demum Cæſari ſeruiebat, vbi deprehendit Mariam columbam innoxiam geſtare oliuam Dominum IESVM; hæc, inquam, gens præteritorum velut immemor iam malorum, ad aſpectum huius paciferæ oliuæ, cœpit aſpirante quaſi fauonio, reſpirare. Natura humana quæ ſoſpes & integra, erat in arbore Danielis graphicè figurata, hodie repullulans in hac oliua ſuſcitata ex germine derelicto, in tale ſurrexit faſtigium & cacumen, vt aues cæli, id eſt Angeli ramis eius inſederint: nam Angelorum chorus imminens Bethlehemitico vico, fœdus Dei initum cum homine, homini promulgauit. Enuntiatum eſt hoc tenore fœdus. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Vtque omnes animantes paſcebantur ſub ramis arboris præfatæ, Danieli prænſtenſæ, ita & Chriſtus oliua, exuberante bacca grauis, & multiplici fronde virens, homines confluentes vndequaque opacauit.

Iudic. 9.
Marcel. 8.

3. Reg. 6.
Templi Salomonis portæ quare ex oliua.

Luc. 2.

Sed quia non ad refrigerium tantum, contra æſtum ſolis æſtuantis, hæc oliua ſurrexerat, ſed vt naturam degenerem, ſicut ſurculum adulterum ſibi inſertam, redderet nitori primo, vnde defecerat, circumciſionem lubens & vltrò ſubiit Chriſtus, vt ſuæ huic ſciſſuræ, homines omnes infectos reuocaret ad vitam, penè exanimes, eos ſuo ſucco & hoc opimo vegetando. Fuit hæc ſciſſura quaſi medicum inſtitutum, quo ſi humoris inſani eluuies alluit omnia membra, Phyſicus inurit capiti cauterium, vt hoc hiatu capitis patientis ad moram, eamque perbreuem curetur æger, ſi non plenè; ſaltem viuacior fiat hac ſciſſurâ caro, & membra ipſa hoc vulnere leuigata. Chriſtus caput Eccleſiæ circumciſionem eſt ex compoſito paſſus ad bonum vniuerſi, & ei vt capiti hoc fuit inuſtum cauterium, quo purgatis omnibus cachexicis membris fieret naturâ humana vegetior. Fruſtra enim hæc oliua nata, ſi non homo oleaſter in eam inſertus, ſuam exuens naturam effœtam & morbidam, Chriſtum induiſſet illi intimè coaptatus. Nimirum homini benè quadrabat ſymbolum eius, qui ſurculum exciſum, è tabula referebat, hoc titulo: AVT IVNGI, AVT MORI; ſi quidem ſurculus vitæ imbellis, expirat non inſertus trunco; ita & homo penè exanimis debuit Chriſto, aut iungi, aut mori. Ne moreretur autem homo, ſubuenit ei Deus decumbenti. In cuius auxilij typum Deus inſtituit hocce myſterium quo culpam ab Adamo contractam prima origine & vteri exordio diluit & expunxit, innuens idem myſterium in Chriſto peractum, non vni tantùm indiuiduo profuturum, ſed ſanguinem indè profluentem, toti proſapiæ daturum bonorum omnium maximum incrementum. Fuiſſe autem primam & legalem circumciſionem, ideam gratiæ quæ animam ſequitur illibatam, audi Ambroſium. *Signum circumciſio corporalis, veritas circumciſio ſpiritualis, illa membrum amputat, iſta vitium.* In eo autem quod Abrahæ ſeni, & Iſaac infanti præcepta fuerit circumciſio idem Ambroſius infert hominem, omni ſuo æuo aliquod noxæ legere contagium, quod dilui tantùm poteſt Deo propitio, qui ideò tale ſacramentum inſtituerat ad leuamen: ſic fatur ſanctus ille Ambroſiam fundens. *Nec ſenex proſelytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideò omnis ætas ſacramento idonea:* quaſi diceret. Tota ſoboles ab Adamo diffuſa decubuit ægra, eidem etiam dilutum eſt pharmacum, quod eam hauſtum illicò ſoſpitaret. Puerulis potiſſimum indicta circumciſio, clamat cum Propheta. *Bonum eſſe homini, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua,* & hoc ſignat Ambroſius. *Pulchrum etiam vt ab ipſis incunabulis, inſigne religionis adoleſceret, & puderet vnumquemque ætatis prouectioris, vel labori, vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia viciſſet.* Sed ne ab arboris inſciſſæ figurâ deuiemus, quam in ſcopum accepimus ratione Chriſti hodie patientis hanc inſciſſionem, ab ipſo intento legiſlatoris anſpicemur. Homini degenti in paradiſo arbore multâ ſato, indixit Deus ne arbori ſcientiæ boni & mali manus inferret: huius præcepti Adam incurius, fructum carpſit arboris quæ violata eſt in exſciſſo ramo, qui Adamo obſequente Deo fuerat hactenus illibatus. Pro hoc exſciſſo ramo vindicando, Deus ſciſſuram indixit humano corpori, ſic circumciſione humana reparans, inſciſſæ arboris damnum & iacturam, & hoc inſinuat ſcitè S. Bernardus. *Tranſgreſſus eſt homo præſcriptum ſibi modum, & conſtitutum ſibi terminum prætergreſſus, vnde & auertens ab eo faciem ſuam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici ſui placabilis fieri incipiens, rurſus modum inſtituit, promulgauit legem, ſed non priori ſimilem vſquequaque; Ea ſiquidem ad*

Circumciſione quare paſſus eſt Chriſtus.

Epheſ. 5.

EX SYMBOLIS:
Scipio Barg. lib. Symb. Italica lingua impreſſo.

Circumciſio quid ſignificet.

EX SS. PATRIBVS.
Ambroſ. l. 2. in Luc. & c. 2.
Circumciſio neminem excipiebat.
Ambroſ. lib. de Abraham.
Thren. 3.

S. Ambroſ. epiſt. 2 ad Conſtantium.

S. Bernard. ſerm. 2. de Circumciſ.
Circumciſione quare ſubiit Chriſtus.

cantelam

cautelam fuerat, hæc ad medelam, ibi prohibitio facta, ne ſuperfluitas ſubintraret, hîc iam indicta abſciſſio eſt, vt ſacramenti remedio, quæ ſubintrauerat, tolleretur. Poſtremò illa quidem in arbore data eſt lex, ne fructu eius veſceretur, hæc in proprio corpore, vt caro præputij ſcinderetur.

Iudæ 2. Quia autem homines omnes erant arbores autumnales; & radicatæ ex opimo paradiſi ſolo neſcientes fructum, non potuit emundari genus hominum circumciſione vernaculâ; Ex ſtipite humano, exortus ſurculus creuit in oliuam, oleaſtri vnde proceſſerat amarore carens: hæc oliua Chriſtus eſt, gentis emortuæ ſoſpitator. Ex hac arbore oleacea, cultor hodiernus in circumciſione ramuſculorum truncat, vt arboris paradiſi exciſſæ fieret ſatis, & pœnâ talionis humanâ arbore mulctatâ, Adami delinquentis, aliqua tandem deriuata proles, damnum arbori ſacræ illatum, omnimodò reſarciret. Igitur circumciſus eſt puer Ieſus, vt aliquâ parte ſui truncus, faceret ſatis illi arbori mutilæ eâ parte quâ homo decerpſit lethale pomum, eâque ſciſſura, ita coaluit prior arbor, vt Deo propitio, homines omnes in gratiam propè redierint. Nequibant autem homines à Ieſu diſſiti, adoleſcere potiùſque diu humanitate Dei apertâ in Bethlehem: ideò puer hic grandæuus quì Deus, & infantulus, quâ ſanguine concretus ſubiicit circumcidi, vt homines omnes ſurculos inſertos ſibi vegetaret.

Plinius in hiſtor. natur. Quidpiam ſimile Plinius iactat, de feraci quodam trunco, cui arboris omnigenæ ſurculi inſerti, coaluerunt in arborem cornu-copiæ referentem: quippe in ea repetire erat eum frugum prouentum vberrimum, quem plures arbores cultori non ingratæ edunt; ſicque arbor vna potuit grauida pomis & diſtincta baccis, pancarpij nomine nuncupari. Superat omnem fidem, vademque non inuenit Plinij relatio, quippe non coëunt ſine diſcrimine ſurculi; aſt fides noſtra non laborat in credendo Chriſtum fuiſſe arborem, adeò vegetam & viuacem, vt toti hominum proſapiæ ſuffecerit, inſitæ diuino huic ſtipiti, à quo decus ſuum totum emendicat.

Arbor quædam ferax omnium fructuum.

Auget miraculum ordo præpoſterus, ſcilicet ſurculus genuinus & electus inſcribitur trunco communi, nec erumpentes inde fructus nomenclaturam capiunt ab hoc trunco ſubſtante ſurculis; ſed ſecus eſt: nam ipſemet truncus nomine priore deperdito, ſurculi fruges parturit, ſuæ quaſi immemor geniturę. In circumciſione verò Chriſti, homines adulterini fœtus, ſurculi infideles, Chriſto inſerti ſunt inuita natura, ſed gratia inuitante, ſuóſque non exerunt fructus homines vilia capita, ſed fœtus edunt congruos ſtipiti, ſcilicet Chriſto, à quo Chriſtiani nuncupantur.

Rom. 11. Hoc ingerit Paulus admirans naturæ vices alternatas. *Tu contra naturam inſertus in bonam oliuam, ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es.* Cùm Paulus pinguedinem oliuæ ediſſerit, compendioſè enumerat fructus, in hominum ſobolem vniuerſam, ex circumciſione pueruli Ieſu redundantes. Nempe vt omne id quod exerit oliua, totum eſt ab eius pinguedine, ita quicquid homo floridum aut frondoſum, aut fructuoſum edit, id omne eſt opitulante Chriſto, cuius totum eſt quod viuimus, & qualecumque eſſe ſumus, & hoc eſt ſocium pinguedinis oliuæ nominari. Etenim vt ſurculus ſtipitis humorem haurit, vnde viret, frondeſcit, atque luxuriat, ita & homo Deo incumbens, diuinos parturit fœtus, quorum eſſet impos diſcretus à Deo; quod probè callens Auguſtinus, ſic Deum, vt ei totus inhæreret feruidè compellabat. *Peto à te, bone Ieſu, vt venias in me, quia non eſſem, ſi non eſſem in te.*

Circumciſionis Chriſti effectus in homine.

S. Auguſt.

Nec obiicias Abraham, Iſaac, Iacob & alios generis noſtri proceres innoxios, flore, fronde, & fruge conſpicuos extitiſſe, non inſitos tamen Chriſto circumciſo, adeoque perperam dici Chriſti corpus apertum, vt huic hiatui homines inſitos, atque ita recreatos, hæc deifica ſciſſura ritè fœcundaret. Caſſa illa eſt inſtantia: nam etſi Chriſto non inſiti fuere Sancti omnes prodromi ſiue præcurſores Chriſti, etſi, inquam, illi oliuæ exortæ non fuerint apparati, illi tamen fide inſerti ſunt, ea tantum diſcreti à nobis intercapedine, vt nos Chriſto nato adiungamur, illi verò ſint Chriſto inſiti naſcituro. Ad hoc aſpicit Paulus dum Hebræos in deſerto, fide in Chriſtum aſſerit eſſe ſoſpites aſſeruatos. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Nec obſtat cauſam non edere effectum, niſi ſit illa edita prius, Chriſtum vero Patriarchis poſteriorem non potuiſſe influere, antequam exiſteret: hæc enim inſtantia viget tantùm in Phyſicis, ſed non in meritoriis; nam cauſa meritoria præuiſa, & erit effectus antequam è ſuis exeat inuolucris. Verbi gratia præpotens quidam Princeps de fide certus militis generoſi, præſcius facinorum quæ heros hic eſt propediem editurus, congiaria illi multiplicat, filiosque donatiuo notat, in gratiam patris, cuius rei bellicæ gloriam præſcit, quæ licet nondum eniteat vt cauſa, emicat tamen in effectu, qui cauſæ ſuæ præit, dum regia dona facinus anteuertunt. Ita & Chriſtus cauſa adæquata meritorum omnium noſtrum, licet quâ homo eſt, ſit ſuis inferior atauis, dedit tamen eis vnde mererentur, ſiquidem illi credentes in Chriſtum venturum, illi adiecti ſunt, atque adeò flores, id eſt ſpem ſuam totam frondes & virorem, id eſt decorem omnem, denique fructus, id eſt virtutem ſuam, à Chriſto Domino fide vegeta mutuarunt; Idipſum Chriſtus inſinuat Symmiſtis ſuis, eos edocens hoc tenore. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis; Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Liquet hinc ſanctorum omnium qualecumque decus non innatum illis, ſed à Chriſto Domino fluere, vt à trunco in ramos, vita omnimodè deriuatur.

Patriarchæ quomodo fuere participes meritorũ Chriſti.

1. Cor. 10.

Chriſti merita præuiſa quomodo fuerint hominibus propitia.

Ioan. 15.

Igitur ſedulo ſcrutatori eorum quibus factus eſt compos homo, ex pueri iſtius inciſione, præſtò eſt reſponſio. Nimirum bonorum omnium tota ſupellex quâ prædiues eſt beatus ille ſanctorum chorus, à Chriſto eſt; ſi quidem è duobus, alterum eſt penes nos, veluti ſurculos impotes ſui, aut iungi, aut mori. Dei enim eſt dare ſicut & ſtipitis influere, hominis autem

Chriſtus omnia ſua nomina honorifica ſanguine ſuo mercatus eſt.

autem eſt, impertita gratanter excipere, ſicut & ſurculi humorem exugere, virorem precariò induere, & omne ſuum decus, emendicatum à ſtipite confiteri. Sed quid moramur in texenda ſerie eorum omnium fructuum, quos arbor hæc inſciſſa protulit. A nomine indito puero circumciſo, ediſcamus hunc prouentum. *Vocatus eſt IESVS*, id eſt ſaluator vt ſonat vox Hebræa: & hoc nomen ſanguine ſuo tinctum accepit, ſicut & alia trina cruci ſuperpoſita, ſcilicet Nazarenus Rex Iudæorum: qui enim Ieſus dictus eſt circumciſus, habuit nomen iſtud ſanguine ſuo purpuratum ipſa nocte paſſionis, cohorte petente Ieſum Nazarenum, occurrit ei idem Ieſus, tunc dictus Nazarenus, ſed ſuo cruore rubens quo deſudarat orans. Rurſus paulò poſt flagris cæſus, & capite coronâ ſpineâ terebrato, audit à ſuis ſicariis, *Aue Rex*: regiumque nomen ſanguine ſuo tinxit; Demum in cruce, Iudæorum nomen adiectum eſt, IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, ſed hoc vltimum ſanguinis hauſit reliquias omnes, aperti corporis vndequaque. Reditus hinc in patriam, à qua deuij errabamus, ſanguine patuit, ſicut & Græco Regis, qui ait: *Sanguine quærendi reditus & virgine cæſa*: ſalus ſiquidem noſtra, ſanguine parta eſt, & cæſa carne virginea Domini, & parentis omnium noſtrum. quia verò ſalus inuoluit plurima chariſmata, ne longas trahant expenſa moras, breuiter enodabo illa. Ex Philoſophiæ placito, cùm nomina rebus indita ſint, vt earum eſſentiam veluti claues aperiant, rebuſque ſingulis ſuæ ſint ſingulæ dotes atque cenſus, ideò tanta nominum ſeges occurrit, vt his quaſi notis rebus appoſitis, res ipſas affines aliis rebus eiuſdem ſpeciei, vario ſaltem nomine diſpeſcamus. Hoc ſcitum non latuit Iſaiam, qui Vates eſt ſi quis alter ſagax, & præſertim in his quæ Chriſti ſunt. Intelligens hic Propheta nomen Ieſu inuoluere magnam gratiæ congeriem, abditam illo nomine quod ſalutem clamat, nec poſſe omnia chariſmata, ſciens Iſaias adæquatè vno nomine propalari. Tacuit alto ſilentio nomen hoc, ſignificatione potens & opimum, quæ autem abduntur intimè, cortice nominis huius Ieſus aperuit. Quia hic multa demetenda ſeges eſt gratiarum, repetito ductu falcis peracuræ impigri meſſoris, intentum Dei præcipuum illa cælica voce latens, plurium verborum tractu Vates ſedulus explicauit. *Filius datus eſt nobis, vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Textus huiuſce ſacri, eximium accipe ſcholiaſtem, Sanctum ſcilicet Bernardum. *Magna quidem nomina, ſed vbi eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen, nomen IESV, in quo omne genu flectatur, fortè in his omnibus, vnum illud inuenies, ſed expreſſum quodammodo & effuſum, nempe ipſum eſt de quo ſponſa in Cantico amoris ait. Oleum effuſum nomen tuum. Habes ergo vnum ex his omnibus appellationibus IESVM, nec omnino, aut vocari poſſet, aut eſſet Saluator, ſi fortè quippiam horum defuiſſet. Nunquid non verè admirabilem, cum ſinguli ſumus experti, in mutatione vtique voluntatum noſtrarum: hoc nempe eſt ſaluationis noſtræ principium, cùm incipimus reſpuere quod diligebamus, dolere vnde lætabamur, amplecti quod timebamus, ſequi quod fugiebamus,*

Ex SS. PATRIBVS. Ieſu nomen côtinet omnia nomina Chriſto indita.

Iſai. 9.

S. Bern. ſer. 2. de Circũciſ.

Cant. 1.

Ieſu nomen quanta admiranda contineat.

optare quod contemnebamus. Admirabilis planè qui hæc operatur mirabilia, ſed nihilominus & conſiliarium ſeſe exhibeat neceſſe eſt in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione, ne fortè ſit nobis abſque ſcientia zelus & voluntati bonæ prudentia deſit. Sanè opus eſt vt Deum probemus quoque, in remiſſione videlicet priorum delictorum, quia nec ſine hac ſalus nobis conſtare poteſt, & nemo poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus. Verùm ne id quidem ſufficiat ad ſalutem, niſi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eiſdem rurſum concupiſcentiis ſuperemur, & fiant nouiſſima noſtra peiora prioribus. Videtúrne tam aliquid deeſſe Saluatori: planè deeſſet quod maximum eſt, niſi & pater eſſet futuri ſæculi, vt per eũ ſcilicet in immortalitatem reſurgeremus, qui per præſentis ſæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc ſatis, ſi non etiam princeps pacis, patri nos reconciliaret, cui traditurus eſt regnum, ne fortè ſicut filij perditionis, vtique non ſalutis, reſurrecturi videremur ad pœnam: multiplicabitur ſanè eius imperium, vt meritò Saluator dicatur etiam pro multitudine ſaluandorum, & pacis non erit finis, vt veram noueris eſſe ſalutem, quæ non poſſit timere defectum.

Ne igitur aperto hæreamus in vado, ſcilicet in nomine IESV, à Propheta, & Bernardo interprete luculenter expenſo, nec quis ſit gratiarum inibi contextus, ſagaci quæramus indagine, nimirum Dei in nos effuſi, ſeges vberrima chariſmatum tota patet hoc nomine ſciſcitanti. Nempe totum dedit, qui ſibi nihil reliquit: faſque eſt dicere Chriſto paſcenti nos, atque recreanti ſuo ſanguine hodie effuſo: Hoc os de oſſibus meis, hæc caro de carne mea, nam ab eo totum eſt, quòd viuimus & mouemur, quodque vſurpat Ambroſius de ſtipite Crucis, hoc & licet Chriſto vt oliuæ, aptius applicare. Sic fatur hic Sanctus. *Vt tener ſurculus veteris exciſſus ab arbore in alterius fœtu radicis inſeritur, ita populus ſanctus, ſurculi veteris cicatricibus enudatis, in nouo illo crucis ligno, tanquam gremio piæ parentis fotus inualeſcit, Spirituſque ſanctus in hoc carcereum corpus infuſus, velut in altas demiſſus terrarum ſcrobes aqua ſalutaris, diluit quicquid eſt fœtidum, membrorumque noſtrorum habitus, in cæleſtem erigit diſciplinam.*

Fuit & parùm Deo in carne decurtato, bona ſua elargiri nobis, ſed & adiecit, mala noſtra ſubire omnia, quæ dolorem poſſunt incutere, vt hinc eius liqueſcet amor, qui hominem malis illi vernaculis exuit, vt bonis Deo ſoli addictis indueret, & vtriuſque naturæ mirâ côpagine Chriſtus exurgeret, de quo hominis Deique naturæ idioma, vt commune rectè prædicatur: Audi in hoc Bernardum iſti defixum compagini. *Nil Deo ſublimius, nil vilius limo, & tamen tantâ dignatione Deus deſcendit in limum, tantáque dignitate limus aſcendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur, quicquid pertulit limus, Deus in illo pertuliſſe dicatur.*

Anno vertente, puer hic ſanguine ſuo rubens, ſe nobis totum dedit, nouos efficiens, & ſæculum nouum, ſicut & ait ipſe. *Ecce ego noua facio omnia*: fortè vt renouando effœtos homines, hoc nomine nouo ſignatos & inſignes, eoſdem etiam in ſuo & firmaret obſequio, hoc ſuo nomine IESV, qui aliàs proprio innixi nomini titubarant. Hanc olim ſenſit firmitatem

Geneſ 2.

Ambr. l. 9. in Luc. cap. 20. Circumciſio Chriſti quã ſalutaris hominibus.

Incarnatio communia fecit Dei & hominum idiomata.

S. Bern. ſer. 3. de vigilia Natiuit. Chriſti.

Apoc. 1.

Antiochia olim cõcuſſa ventis, eſt firmata cõſcripto in ædibus nomine Ieſu.

Antiochia vrbs percelebris, poſtquam nomine Ieſu dignata eſt. Nutabat hæc ciuitas ſæpiſſimè, crebro terrarum motu, ingenſque ruina imminebat vrbi, quam abditi cuniculi ventis graues, ferre non valentes volebant excutere, turrium apices, tectaque templorum ſuo caſu, eoque quotidiano præibant generali diſpendio, totaque Antiochia ſui ſtatus impatiens, ſe ſe ad excidium, multiplici ratione patens accingebat. Præmoniti ciues morti propè non deuoti, hac cautelâ cauerunt minas. Nomen IESV ſingularum ædium portis maiuſculo charactere inſſerunt, eóque ſacri nominis nouo præſidio, tuti ciues ita firmati ſunt, vt compeſcerent motus effrænes ſalientis ſui ſoli, & terræ non ferentis molem impoſitam, mobilis vſquequaque.

Nicephorus l.17.c.3.

Numinis præſidium teſtata eſt, nomine nouo aſſumpto, vrbs illa firmata nomine Ieſu: nam quæ dicebatur Antiochia, dicta eſt à Dei nomine *Θεόπολις*, id eſt vrbs Dei. Nos item qui crebro concutimur paſſionum æſtu, inuramus cordi tenaciter hoc Dei nomen, imò & manibus id feramus, teſtantes opere nos illi eſſe totos addictos, & facili negotio quoſuis hoſtium in nos ſæuientium, ſtabiles & fixi, impetus eludemus.

Antiochia quare dicta Theopolis. Ex Hiſtoria.

Victoriæ copulam cum nomine Dei habemus, ex ore ipſius rerum omnium aſſertoris. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum.* Nec opinêre dari nomen Ieſu beatis olympioneis, eo quòd vicerint; imo ſit hoc tibi ſtatum viciſſe ſanctos omnes, fuiſſeque ſuis ſuperiores hoſtibus & vitiis, quia nomen hoc altis mentibus abdiderunt. Hoc nomen Ieſu, anno quoque recurrente obiicitur nobis, & xenij loco datur, noſque ſollicitat ad tale donum pro modulo rependendum. In more fuit olim poſitum Caligulæ, vt quas populo gratias anni decurſu contuliſſet, earum exigeret fœnus in anni redeuntis exordio, penſumque illud quod à populo ferebatur, in argumentum amoris exhiberi Imperatori ſuo, idem Caligula xenij nomine nuncupabat.

Apoc. 2.

Caligula quare Xenia exigebat.

Suetom. in vita Caligul.

Xenia vnde dicta.

Xenij autem nomen Græcum eſt, ἀπὸ τῦ ξένου: nam ξένος idem eſt ac hoſpes, dona verò quæ hoſpitibus fiebant, dicebantur xenia, Inde anno quolibet renouante, ſuum omnes incolæ noui, ſeu aduenæ hoſpites talis anni, donaque eâ ratione facta vocant xenia, quaſi in gratiam facta eius anni, apud quem eo toto tempore contribules hoſpitamur. Chriſtus formam nobis exhibuit xenij referendi, dum ſeretum nobis præbuit in xenium. Vicis autem rependendæ ſpeciem habemus egregiam in Hebræis, quos quia multis obſtrinxerat beneficiis, totum præfectus Generalis, Ieſus Naue filius nouo gratitudinis ſchemate, animum ſuum gratum teſtati ſunt, omnémque næuum ingratitudinis abſterſerunt. Quippe ait textus ſacer. *Cùm complêſſet ſorte diuidere terrã ſingulis, per tribus ſuas, dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Ioſue in medio ſui, iuxta præceptum Domini.* Nec vacat inſigni myſterio, illa ſtatio Ioſue Mediaſtina, quâ notabant, amorem ſui Principis, amore rependere, corque ſuum quod in homine mediat, ſuo directori indubiè conſecrare. Factum hoc eſſe iuxta præceptum Domini, non temerè ſubiicitur, hoc enim abditum aperit myſterium; ſiquidem ille IESVS fuit magni nominis vmbra, prætulit enim nomine Dominum IESVM, cui debemus omnia noſtra, in quorum gratiam indictum eſt nobis, vt diligamus eum ex toto corde noſtro, & hoc eſt ei dare poſſeſſionem in medio ſui, iuxta id quod ſacro codice perhibetur. In hæc ſe totum xenia compoſuit olim S. Auguſtinus Deo ſic ſedenonens. *Totus eram in morte, totum me reſuſcitaſti, tuum ſit totum id quod viuo, totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota mea viuat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberaſti, vt me totum poſſideres, tota vita mea quæ perierat in miſeriâ meâ, reſuſcitata eſt in miſericordiâ tuâ.*

Ioſue 9.

Ioſue Dux quare habitauit in medio populi Iſraël.

S. Auguſt.

In exemplum xeniorum huius ſpeciei, proſtat facinus egregium in hiſtoriâ Gallicâ, quæ eſt vſquequaque ferax actuum inſignium. Eâ tempeſtate quâ Regnum illud bello ciuili ſibi iniurium, Henricum Borbonium, & hunc Regem abiurauerat, Dux quidam nomine *Vitri* bello clarus, in arcem vulgo *Meaux* dictam ſe ſe receperat, vnde Regi ſuo clades eaſque varias interminabat. Rex ſi quis vnquam compoſitus ad gratiam, Ducis animum tentat, cor inuitat ad amorem ſuo Principi debitum, tenuit Dux amoris impatiens, vrget Henricus ſui & aliorum victor, animumque ferum eò perculit, vt cùm Dux ille mente reuolueret, quâ pœnitudine Regem inflecteret, ſubiit animum eius, egregiâ præpotenſque Regem formula demulcêdi. Inſtabat nouus annus, ſcilicet MDXCIV. xenia Regi parat, Rex dubius fidem explorat, & neſcius quem habituræ finem eſſent moræ, quas ille trahebat miles egregius, accipit ipſo anni exordio, à caduceatore miſſo, præfatum Heroem vrbem illam feciſſe regij Iuris, populumque vltrò fauſta precatum regi; vitam ſcilicet æuiternam & triumphos, ipſumque Præfectum vrbi, totum ſe Regis ipſius obſequio mancipaſſe. Gratulabũdus ad hæc Rex inuictus, & ad tales factus extemporaneos; alij inquit ſpecioſa componunt xenia rutila gemmis, ſed non accedent ad inſigne donum Herois iſtius, qui præter vrbem conſpicuam, quam ditioni meæ adiecit, ipſe etiam totum ſe dedit in xenium, non ero ego parcior, animoque deiectior in referendâ gratiâ, nam ſi potens ſe deuouit meis obſequiis, faciam eum ego inſularum adiectione præpotentem.

Vitri herois facinus inſigne in gratiã Regis Henrici IV.

Scipio Duplex in Henr. IV. ſub ann. 1594.

En germanam ideam xeniorum, quæ hodie exigit à te Deus, ô homo refuga, qui es diſſitus à rege tuo. Hactenus cordi tuo adſtitit hic Dynaſta, vitæ neciſque tuæ arbiter indubius, non violentum petit exhiberi ſibi cultum, ſed vltroneum, exuit titulos claſſicum redolentes: non hic eſt Dominus Deus exercituum bello ferox, fuſoque agmine multo terribilis: dicitur Iſaiæ: Princeps pacis, exoſus iurgia atque diſcordias, concordes animos aucupatur. Quid à caupona, gulo, militas contra Deum? Quid è fornice inhoneſta, mœche, lædis caſtos obtutus virginis, infantuli? Quid denique reprobe, ex peccato vt arce prouocas Regem tuum? Odiorum ſit hodie ſatis ſuperque, aperi fores ambas animæ tuæ, ſcilicet intellectum atque voluntatem ſubiice Deo, teque totum trade in xenium, ſcelerum tuorum Deus hîc immemor, primæ te gratiæ reſtituet & decori.

Xenia quæ Deus exigit ab homine

Iſai. 9. 89.

Ex vita Socratis. Antiſthenis amor ſingularis erga Socratem.

Magni fecit quondam Socrates affectum Antiſtenis: condiſcipulis enim munera ferentibus præceptori ſuo, ait Philoſopho. Nihil habeo me dignius, ô Magiſter, me ipſum tibi trado, ad nutum tuum facturum me totum. Te, inquit, Philoſophus, in meas partes accipio, & quem informem te tuliſti, reddam aliquando comptum, ingenuum & multiplici ſcientia præpollentem. Etſi, ſimus minus Deo digni, dignus eſt ille cui nos indignos offeramus in xenium, quando & ipſe prior cœpit hoc certandi genus, factus ipſe donum, cui ſi alternante dono, & reciprocante xenio, nos reprobos addicimus, non abnuet pius Dominus, Parens & Præceptor: ſed nos aliquando probos effectos, nævis omnibus & maculis abſterſis, reddet nos nobis ipſis, omni fœnore ſanctiores. Erumpamus ergo in voces teſtes obſequij noſtri, & Pſalti regio concinamus. *O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Sed heu cum recolo naturam xeniorum quæ dat Deus, & eorum quæ nos referimus, ſubit meam mentem interpretatio xeniorum, in quibus luſerunt æuo noſtro Galli, vt ingenio faciles, ita & ad lepores idonei atque perfœlices. Anni M.DC. exordio, Henricus Rex, & dux Sabaudiæ mutuis xeniis ſuum teſtari ſunt affectum Pariſiis, quo Gallia penè tota nobilis aduolarat, Rex Gallus dedit hoſpiti ſuo, id eſt duci, adamantem inſignem qui Regis ideam inciſam referebat ingenuè; Dux qui benè audit ſemper quia non illiberalis, prædiuitem ſupellectilem ex cryſtallo diaphanam, Regi dedit in xenium; & hinc varios ſeminandi iocos, aulicis fuit optimum argumentum. Plerique inferebant ea omnia eſſe vitrea, quæ regi Gallo, Dux ille cryſtallo inſignis promiſſa ingerebat, de ora Saloſſeoſi reddenda. Ea verò quorum Rex aſſertor erat, ſtata fore atque indubia, vtque tenaci eſſent in adamante fortiter exarata. Non fefellit fidem rei euentus, xeniorum ſymbolo iam præſcitus: quippe Sabaudus immemor promiſſorum reſilijt, Gallus verò in eum inſilijt, vt ante promiſerat, ſi non ſtaret Dux verbo, quo ſe Pariſiis obſtrinxerat. Ita & Dei donata illata nobis, firmo adamante ſignantur, quaſi æterna, ea verò quæ Deo promiſſa facimus, quamuis aura afflante nutantia, vt infirma & caduca vitro apprimè figurantur. Nempe non ſibi conſtat homo, inſcius enim eorum quæ mox propoſuit, & eſt Deo pollicitus, pœnitens facti, ad eadem reuertitur, vnde retulit ante pedem, eidemque ſe obligat lethali noxæ, quam diluit anteà lachrymarum largo profluuio; ideoque vitrea omnia cenſentur ea quæ Deo rependimus, in gratiam eorum chariſmatum, quæ ad nos en influente velut inexhauſta ſcaturigine deriuantur.

Scipio Duplex in Henr. IV. ſub ann 1600. Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi, & Ducis Sabaudiæ Xenia reciproca.

Ex Historia:

Vt animo imbelli ſubueniam, & vos omnes inermes accingam ad Dei validum obſequium, paraui xenia, ex circumciſione ſumpta. Fiebat hæc ſciſſura gladio, ego item & gladium acui, ſingulæ cuique profeſſioni, qua ſe circumcidat. Xenium hoc Chriſti eſt & non meum. *Gladium, inquit, veni mittere, & non pacem.* Id eſt, nolo ego reprobos quieſcere in fæce noxiorum ſuorum actuum, ſed ingero diſciplinam, cuius intra methodus, adinſtar eſt gladij, quo omnia hominum facinora, à recto virtutum tramite deuia reſcinduntur.

Matth. 10.

Xenia alio item & nomine dicuntur ſtrenæ, quia ſtrenuis militibus dabantur. Gladium vobis vt ſtrenuis dabo in ſtrenas, vt & fiatis ſtrenui, eum aptabo ſicut olim ornauit gladium ſymboli ſui Alphonſus Carretus qui pingebat gladium, ei intorto oliuæ ramoſculo, hoc lemmate. Vtroqve clarescere pvlchrvm: innuens clarere bello & pace, id valde eſſe glorioſum. Dixi Ieſum eſſe oliuam ſciſſam in Circumciſione, particula carnis exciſſæ erit ramuſculus oliuæ, inhærens gladio, quem do omnibus in ſtrenas: Vtroqve clarescere pvlchrvm, id eſt, Res virtute plena, Chriſtum mitem & humilem hîc, & aliàs in vitia acerrimum inſectari.

Symbolum fidelium. *Typotius lib. Symbol.*

Ecclesiæ miniſterio addicti, accipite gladium Phinees ordinis Leuitici, qui zelo Dei percitus, mœchantem gladio confodit, ſcortumque ſimul. Nota gladij erit auis quam vocant paradiſi, ea miros concentus edit, rore tantùm paſcitur, amica liberioris aëris; nunquam incubat terris, ſed ex arbore pendula vix vacat à volatu, ita vt cadere in terram & mori, idem ſit huic aui, quæ hoc titulo gaudet. Nescit contagia terræ. vos ô Leuitæ, eſtis alites cœli, quibus ſacer ineſt cantus, & è cœlo victus paratur annuus; caſtitas annexa characteri veſtro, arcet à vobis omnem libidinem: ſacerdoti idem eſt mori, ac terrenis rebus incumbere: hic enim ordo. Nescit contagia terræ.

Num. 25. Sacerdotum quale officium. *Paradinus lib. Symb.*

Nobiles, accingo vos gladio Henrici quarti Regis olim Galli, in quem ille cudit, in qua gladius erat corona eminente, & ara gladio ſubiecta, hac ſerie verborum circumductâ. Pro ara et regni cvstodia. Hoc lemmate, gladius veſter neſciet priuata diſcutere iurgia, ſed religioni ſacer & regi, quibus erit hæc acies expedita, alias ſemper hic erit enſis innoxius, & illibatus.

Lexius lib. numiſm. Nobilium quænam ſint vices.

Ivdices & Symmiſtæ omnes iuſtitiæ: accipite gladium Imperatoris Friderici tertij, qui gladio ſuo librum ſupponebat hoc titulo. Hic regit ille tvetvr: indicans omnia regenda, & iudicanda iuxta librum legis, & conſcientiæ ductum, vt gladio exſcindenda munera, & alia quæ ſincerum vſum iuſtitiæ remorantur.

Iudicũ quænam ſunt munia.

Consvles, en vobis præbeo gladium Matthathiæ, qui magiſtratum geſſit in ciuitate Modin: ille gladio confodit ciuem, qui aliis ſcandalo, thus offerebat gentili ritu: ita & vos arcete vel caſtigate dyſcolos, nota gladij erit alueare, cui camerarius lemma inſcribit iſtud Labor omnibvs vnvs. Vt enim omnes mellificant apes, ita & vrbis bono debent conſules inhiare.

Camerarius in lib. Centuriarum. Conſulum quænam ſint partes.

Mercatores, vobis affero gladios populi Iſraël reducis in Hieruſalem, de quo ſic codex ſacer. *Vnâ manu faciebant opus, altera tenebant gladium: ædificantium vnuſquiſque gladio erat accinctus.* Ita veſtras ædificate domos atque familias, vt male parta reſcindatis, & memores ſitis ſupernæ Hieruſalem. Nota erit ſymbolum Cardinalis Turnonij, ſcilicet Manna, hoc ſcripto deſuper. Non qvæ svper terram. Ne ita terris attendite, vt non & cœleſtibus intendatis.

1. Eſdr. 4. Mercatorũ quænam eſſe debeant ſtudia.

Coniv

Typotius lib. ſymb.

Conivgati habetote gladium, quo Suſanna abegit adulteros. Notum erit lemma principiſſæ Lotharingæ, quam Renatam vocant: duo rami oliuæ ducti in coronam hac voce, Cor vnvm et anima vna. Vt duæ oliuæ in gyrum coëuntes efficiunt coronam, ita vir & vxor dummodo concordes, digni ſunt qui coronentur.

Coniugatorū quænam ſites. Viduarum qualis debet eſſe cura.

Ex Symbolis:

Vidvæ concedo gladium Iudith, quo proſtrauit Holofernem inſidiantem pudori, quo erat inſignis hæc vidua. Nota gladij erit ea, quæ Margaretæ Valeſiæ coniugis Henrici regis Nauarræ, habebat pro ſymbolo Heliotropium ſolem versùs directum, hac voce. Non inferiora secvtvs. Diceos ſe regio ſanguine ſatam, nupſiſſe regi. Vos viduæ Chriſto nubite. Non inferiora secvtæ.

Typotius lib. Symb. Geneſ. 3.

Virgines veſtri iuris erit gladius Cherubini, qui erat igneus, atque verſatilis, quo aditum ad paradiſum obſerabat: gladius hic erit notatus mure pontico, quem vulgo dicunt *Hermine*: hoc lemmate, Malo mori qvam foedari. Virgo eſt hortus concluſus, cuius emiſſiones paradiſus; hic gladius eſt amor puritatis, quâ ſolâ virgo oritur, eaque debet vnica gloriari.

Virginum qualis debet eſſe ſollicitudo.

In hoc omnes omnium veſtrum gladij conueniunt, ſcilicet quod circumciſionem ſapiunt, exoſi omne ſuperfluum, vnde vos omnes æquè compello, vt Ieremias Iudam illum Machabæum cùm aureum gladium dedit ei. *Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei.* O vrbs mihi dilectâ, gratanter habe hæc xeniola, gladium ſcilicet in quo agmina dæmonum fundes, victoriâque inſigni partâ gaudio geſties æuiterno. *Faxit Deus.*

Chriſtianorū omnium quæ debeat eſſe communis profeſſio.

TRACTATVS PRIMI CAPVT TERTIVM,

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI.

EVANGELIVM. *Matth. 2.*

1. Cvm natus eſſet Iesvs in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Re-
gis, ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi
eſt, 2. qui natus eſt Rex Iudæorum? 3. Vidimus enim ſtellam
eius in Oriente, & venimus adorare eum. 4. Audiens autem
Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. 5. Et
congregans omnes Principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis,
vbi Chriſtus naſceretur; at illi dixerunt ei, in Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum
eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda; nequaquam minima es in princi-
pibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Iſraël. 6. Tunc He-
rodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit
eis, & mittens illos in Bethlehem dixit: ite & interrogate diligenter de puero,
& cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. 7. Qui
cùm audiſſent Regem abierunt, & ecce ſtella quam viderant in oriente, ante-
cedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Videntes autem ſtel-
lam gauiſi ſunt gaudio magno valde. 8. Et intrantes domum, inuenerunt pue-
rum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris
ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham. 9 Et reſponſo accepto in
ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in Sectiones.

1. *Qvi exuunt ſeruitutem peccati, ab ipſo oriente gratia ſunt Reges.*

2. *Sed non eatenus Reges, quin alium ſupra ſe Regem habeant, cui ſuum obſequium ex ipſo oriente præſtant.*

3. *Eos dirigente lumine deſuper id eſt ope Dei.*

4. *Quam vbi ſubolet Dæmon fremit, & ſaxis in pœnitentiis exordia; capita conglomerat vitiorum, vt Chriſti enaſcentis in corde fidelium ortum impediat.*

5. Sed anima regia pertæſa Dæmonis moras conſulit ſacerdotes, ad quorum ſacra ſubſellia, cœlitus omnis nos fulgor compellet.

6. Dæmon aperto Marte nequiens illudere neophytis, quos iam ſacerdotes ſacris aluerunt, clam illos ſollicitat, agens aſtu vt redeant ad vomitum.

7. Perperam ſanè agit Angelus ille nequam, nam hi quibus deſuper radius affulget, nequeant arceri à Bethlehem, à domo panis, id eſt, à communione.

8. Cuius facti participes flocci pendunt opes, honores, & omnia quæ faciunt homines immortales, eorum ſtatus eſt procidere ad pedes Chriſti: eorum diuitiæ, lubens inopia, eorum gloria, Dei obſequium. Demum immortalitas eorum qui ſe Deo deuouerunt, eſt mortem ſponte oppetere, ſi Herodes eam velit intentare in odium Chriſti.

9. Non igitur eſt, quod vafer hoſtis reditum pœnitentum præſtoletur, quippe cœlitus edocti aliud vitæ genus, noxios abdicant ritus inolitos, & aliud induunt ſchema viuendi, inſueto calle pergentes ad patriam, beatis mentibus aſſignatam.

VERVM DOMINIVM EST penes eos, quibus gratiæ fulgor exoritur; hi vero vilia ſunt mancipia, qui peccatis obſequuntur.

In hæc verba:

Ecce Magi ab Oriente venerunt.

SECTIO PRIMA.

EX PHILOSOPHIA: Ariſtotelis. *Lib. 2. de generat. c. 4.*

PHiloſophiæ hoc Theorema crebriùs inſonuit in lycæo. *Idem manens idem ſemper aptum eſt producere idem.* Hoc Ariſtotelis oraculo ſtat mea concluſio, titulo præpoſita ſectionis, quæ ſic ſtabilitur ritu Philoſophico. Homo in ſtatu gratiæ dominium ſui habuit, ſed hi quibus affulget gratia, ſunt in eodem ſtatu, ergo ab ipſo oriente gratiæ dominium ſui habent, & verè domini ſunt, quia idem manens idem ſemper aptum eſt producere idem: Nec inſtes hominem iam non eſſe eundem, clamante Theologia, hominem peccato ſaucium, ad egregia quæuis facinora claudicare. Eſto, homo deliquium aliquale patiatur, illud eſt phyſicum totum & naturale, etenim infirmior lapſu ſuo facta eſt natura priùs alacrior, ſed homo dominium ſui, & innoxia quæque non habuit à natura, ſed à gratia Dei eleuante naturam ad ſuperna, ad quæ intentus Adam, dum gratia viguit, infima illi quæque nauſearunt, ſed eadem Dei gratia eſt ſuperſtes, nec brachium Domini abbreuiatum eſt: ergo eoſdem cenſus & prouentus, ſecum illa vehet, quibus & inſignis fuit Adam, cuius noxam etſi ab eo deducta proſapia contraxerit, ſummo indolis humanæ ludibrio, eò quòd hinc natura fatiſcat ad diuina; illi periculo occurrit ſatis ſuperque gratia Dei, reſarciens ea quæ ſunt peccato diſſita, naturam perficiens, quæ ſi infirma dehiſcit, lapſu Adami iam gratiæ illapſu exurgit, eo erecta quo nequaquam auſa fuiſſet intendere.

EX THEOLOGIA: *S. Thom 1. 2. q. 83 art. 4.* Gratia Dei hominē ſtatui primo reſtituit.

In rei huiuſce typum, in ea quam decurtimus hiſtoria, nato Domino Ieſu, ecce reges ab Oriente venerunt, & hoc minimè citra myſterium proponitur, quod meo ſenſu eſt iſtud. Protoplaſto homine edito in gratia, illicò is omnia ſua direxit in Deum, ad hoc eum gratia compellente, ſed factus ſuo caſu deterior, Chriſtus hominem induit, priſcóque reddidit, imò & potiori ſtatui, quem vt ſignaret Deus, euocat reges ab Oriente Deum enixè inquirentes, vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Inſinuans hac ſedula Regum indagine, cui inſtabant ab oriente, homini reſtituto & gratia Dei inſtituto, ſua rursùs ſarta tectaque eſſe omnia, ſi quidem illi quibus gratiæ ſplendor irradiat, verè Domini ſunt & Reges, pertæſique infima & ſoli Deo intenti, ad alia neſciunt anhelare. Nam vt ſe habet forma in phyſicis, ita & gratia in ſupernaturalibus, ſed formæ in phyſicis non ſunt otioſæ, nam vnumquodque eſt propter ſuam operationem, & operari ſequitur eſſe perfectum, quod eſt à forma actuante materiam, ergo & multò magis actiua erit anima à gratia illum informante, cùm ſupernaturalia feruentiùs ſuas exerant actiones quàm agentia merè naturalia, ſed effectus formalis gratiæ Dei, eſt reddere hominem Deo gratum; at homo Deo gratus ei ſoli ſua reddit obſequia. *Nemo enim duobus Dominis poteſt ſeruire.* Vnde Deo ſoli addictus homo, ſuperior eſt aliis omnibus rebus quibus inſeruiunt vilia capita deuota ditis: vt enim arguit ſanctus Thomas. *Bonum gratiæ vnius, eſt maius bono naturæ totius vniuerſi.* Igitur animam bono ſuperiore gaudentem, quomodo inferiora bona poterunt inclinare?

Matth. 2.

Gratia Dei non eſt otioſa.

S. Thom 1. q. 11. a. 1. 1. *Luc. 16.*

S Thom. 1. 2. q. 113. art. 9.

Si aliqua obiectione nutaret iſta concluſio tropologica, de dominio hominis in gratia, ſubiicio columnas immobiles quibus hæc veridica theſis innitatur. Scriptura ſacra primas agit fulcri vices. In Apocalypſi dicitur Chriſtus Princeps Regum terræ, ſicut non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium, vt ipſe ait Dominus explicans quare Deus dicatur Deus Abraham, Iſaac & Iacob: ita non eſt Princeps ſeu Rex niſi Regum; nam ex Philoſopho eſt realis relatio domini ad ſeruum: vnde ſicut non eſt Deus mortuorum in peccato, ita non eſt Dominus eorum, qui Chriſti dominium exuerunt, vt induerent cuiuſuis piaculi ſeruitutem, iuxta illud. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Sed eorum tantum eſt Dominus, qui ei totis ſuis niſibus obſecundant. Qui autem ſint hi, diſce ex titulo Chriſti femori inſcripto. *Rex Regum, Dominus Dominantium.* Quaſi diceret, etſi verè ſit Dominus & noxiorum hominum, & iuſtorum, curam eorum tantùm habere ſe, qui non detrectant eius imperium illi obſequendo impenſè: ſed aliorum ſontium atque rebellium hominum flocci, ſe imperij titulos vt rem nihil dedignari.

Gratiæ Dei dignitas quanta.

Apoc. 1. Deus quorū ſit Dominus. *Apoc. 19.*

Idem Apoſtolus piorum hominum infulas explicans, & ſtemmata regia ſic ait. *Princeps Regum terræ lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum.* Quale autem ſit

Apoc 1.

regnum

regnum beatarum hic mentium, quas Reges terræ nuncupat textus, vide ex figura regni Macedonum Regis; de quo codex Machabæus ſic: Alexander *decidit in lectum, & cognouit quia moreretur, & vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant enutriti à iuuentute ſua, & diuiſit illis regnum ſuum, cùm adhuc viueret, & obtinuerunt pueri eius regnum, vnuſquiſque in loco ſuo, & impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos annis multis, & multiplicata ſunt mala in terra.* Exquiſita deſcriptio hæc, dictante Spiritu Sancto edita, myſticum quid portendit, in eo quòd Christum delineat in eo procinctu paſſionis obeundæ, cùm pridie quàm pateretur, de morte ſua longum in cœna texuit ſermonem, & ſuis diſcipulis cum eo triennio toto enutritis, regnum ſuum partitus eſt dicens. *Ego diſpono vobis, ſicut & Pater diſpoſuit mihi regnum.* mortuo Chriſto, Apoſtoli impoſuêre ſibi omnes diademata, & filij eorum poſt eos, id eſt fideles Apoſtolorum diſciplinâ ſati, regiè etiam vixerunt, dominium ſui poſſidentes. Multiplicata ſunt autem mala in terra, id eſt ſi piis verè regnantibus edomito ſæculo, peſſimum aliquod editur facinus; quæris vnde efflnxerit, & tantæ labis anxiè ſciſcitaris exordium, conſule textum præfatum, cuius extrema ora malorum omnium ſemen, ſua crepidine propalabit. Sic habent extrema textus. *Multiplicata ſunt mala in terra.* Audis vnde malorum omnigena ſeges? è terra: nota vocem, ergo horum malorum ſunt expertes qui ſunt de ſupernis. Hi autem ſunt iuſti, verè Reges & domini qui nulla ſui parte tangunt terram, niſi pede quo terrena premant & conculcent, vt eius attritu dominium eius illicò conſequantur, ſicut & ipſe ſpopondit Deus. *Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit, nullus ſtabit contra vos, terrorem veſtrum, & formidinem dabit Dominus veſter ſuper terram, quam calcaturi eſtis, ſicut locutus eſt vobis.* Vides terrena cuncta pauere ad occurſum eius qui terrena cuncta premit pede, qui excuſſit puluerem mundi totum.

Regnum iuſtorū quale ſit.

Luc. 22.

Terra malorum fons.

Terra ſpreta dat ſui dominium cōtemptori.

Deuter 11. locus moraliter explicatus.

EX SS. PATRIBVS:

Non is ſum cui ſoli adhibeas fidem? ſed in ore adhuc trium verbum hocce ſtabit; ad hoc bonis auibus eſt repertus mihi Rupertus, quo nemo mihi luculentior teſtis hîc occurrit, qui explicans has voces Apocalypſis. *Princeps Regum terræ*, ſic egregiè decurrit hunc locum. *Princeps Regum terræ. Quorum vel qualium Regum terræ? illorum eſt Princeps iſte, qui etſi non vulgò dicantur, ſunt tamen reuera Reges terræ, quia terrenitatem ſuam regere, id eſt, carnem crucifigere norunt liberi à peccatis, ſerui autem iuſtitiæ; ergo Regum iſto Princeps eſt. O verè pulchrum & glorioſum Principis huius principatum, qui omnes ſubditos ſibi Reges, ſine regnum, & regale facit ſacerdotium!* Hæc è Ruperto prælibato, me ſilente clamant propoſitam theſim iſta ſectione, ſolos videlicet homines innoxios eſſe dominos. Accedit Gregorius ſicque fatur. *Qui membrorum ſuorum motus benè regere ſciunt, non immerito reges vocantur.* Hoc idem habet Ambroſius, nullum æquè ſummum ſciens hoc æuo dominium, ac eorum qui ſunt ſui iuris. In hoc ſanctorum choro ſtrepat & gentilis anſer inter olores; hic eſt Seneca Tragœdus.

Rupert. in c. 1. Apocal.

Chriſtus quibus imperat.

Reges terræ qui ſint.

Gregor. lib. 1. Moral. c. 9.

Ambroſ. l. 2. de Abraham cap. 10.

Regem non faciunt opes:
Non veſtis Tyriæ color;
Non frontis nota regia;
Non auro nitida trabes.
Rex eſt qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet:
Qui tuto poſitus loco;
Infra ſe videt omnia:
Mens regnum bona poſſidet.

Seneca in Hercul. fur.

Reges hi ſunt qui ſuas regunt paſſiones.

Suo liberali ſtylo eadem propè Cicero iam dixerat. *Regium eſt ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſeruias, contemnere omnes libidines.* His ſuperior Alexander iſtud verſabat ore ſæpius oraculum, *εὐπράττειν καὶ κακῶς ἀκούειν βασιλικόν ἐστι. Benè facere, & malè audire regium eſt.* Et quandoquidem in Græcum ſermonem incidimus Vox Græca Κύριος quæ dominium ſonat, ex Tuſano primariò ſignificat hominem qui eſt ſibi proprius & ſui iuris, vt ille ait *κύριος αὐτὸς ἑαυτοῦ*: vnde deriuatur aduerbium *κυρίως*, id eſt propriè per ſe, quaſi ea lingua nemo ſit Dominus niſi ille qui eſt in gratia: ſolus enim ille eſt ſui iuris, quippe peccato perpetrato, homo cedit in ius diaboli; vnde & peccantes dicimus impotes ſui. Fauet & lingua Hebræa, cui vox אדן adon, Dominus venit, à radice אדן, eden, quæ ſignificat baſin, quaſi nemo poſſit eſſe dominus ſine gratia quæ eſt baſis, & radix omnis dominij, & qua eliminata homo non dominium tenuit, ſed tranſiit in inane pecus, Pſalm. *Cum in honore eſſet, non intellexit, ſed comparatus, &c.*

Cicero orat. pro P. Sylla.

Regiè viuere quid ſit.

Κύριος. quid ſignificet.

Dominus vnde dicatur.

Huius Theologiæ non ignarus Rex Henricus Quartus Galliæ Rex, qui apud hæreticos aliquando diuerſatus, æuum egit inquietum & induciarum expers, & licet regno natus, habitus tamen vt exterris, donec affulgente ei gratia Dei, valedicto perfidiæ Caluinianæ, initiatus ſacris fidei myſteriis, virus euomuit hæreſeos. Tunc titulo regis inſonante, Gallia prona Henricum excepit reducem ad caſtra Eccleſiæ; vnde ille aduertens, ſe vbi catholico ritu vixit, Regem illico habitum, & coiuiſſe nomen Regis & gratiam, numiſma cudit vbi H. primo charactere ſui nominis exarato, corona cælitus eminente, has Pauli voces præferebat in ora numiſmatis circumductas. GRATIA DEI SVM ID QVOD SVM, quaſi diceret, baſis vnica mei dominij eſt gratia, cuius cùm eſſem expers, vtpote extra Eccleſiam, & hæreticus, vtebar ego iniquo populo, ſed vt affulſit gratia, extiti gratus, dominiumque tulit illa mei gratia baſis regni, & vt Rex ille in dicendo ſalea miſcebat crebrò, aiebat: Canon Miſſæ viam mihi aperuit ad regnum & non Bombardæ vulgò *Canon*. Hoc optimi conſultores Dynaſtæ Catholici, ſæpiùs ingeſſerant dicentes. Galliæ regnum inclytum, eſſe Eccleſiæ potiſſimum decus & inſigne, nec eo vnquam Gallos perpeſſuros inaugurari hominem infidelem, quippe Dei gratia, & nomen Regis Galliæ minimè diſpeſcuntur. Aliàs ad faſtum diceretur, Dei gratiâ Rex Chriſtianiſſimus. Inſurgeret, credo, Gallia tota in volumen iſtud, ſi ſileret concrepante regno, imò & Eccleſiâ totâ clamante pietatem LVDOVICI IVSTI, quæ ita omnium

EX SYMBOLIS:

Lukius lib. numiſmatū.

Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi effatum de gratia Dei.

EX HISTORIA:

Dupleix in Henr. 4.

Ludouici Iuſti, Regis Chriſtianiſſimi pietas cū ſubditis amabilem præſtat.

omnium deuinxit animos, vt licet multo impoſito ære gemant populi, hoc vnum eſt ſolamen quo pondus ingratum leuant. Regem habemus innoxium, & cui gratia Dei altè inſita, regnum firmat inconcuſſum. Nec vlla retrò hiſtoria explicat Regem, in cuius caput crebriores textæ inſidiæ vndequaque, nec cui plus videantur & ipſi cælites inſudaſſe, nimirùm cùm gratia à tenens ei innata vnguiculis, incrementa in dies maiora acceperit, nequit labare regnum, neque Rex ipſe, in eo gratia minimè titubante.

Valentiniani pietas euexit illum in apicem Imperij Ammian. lib. 26.

Imperio & nutanti, eâ cautelâ cauit Roma, extincto Iouiniano Imperatore, ne enim incurreret denuò in Iuliani tempora inuiſa Deo, in Imperium euexit hominem, cuius ſub Iuliano pietas affulſerat, data enim ei optione à Iuliano aut exilij, aut maximæ præfecturæ, ſi Diis thus incenderet; ille verè ſui iuris, & ſummo dignus Imperio maluit exulare; animum reuera verſans validum vt & nomine præferebat. Fuit enim is Valentinianus, cui gratia Dei viam ſtrauit ad tribunal, cui ſe inclinant regna.

Ex Mathematica.

Ptolemæus l. 4. de iudiciis c. 3. Suet. in Nerone.

Solis efficacia ex Aſtrologia.

Neſcio quid affine garrit Mathematica loquax, dum ait ex Ptolemæo puerum cui naſcenti connaſcitur ſol, alio Planeta comite, fore regem, aut ſaltem eminentis fortunæ ſortem habiturum; huic delirio fidem fecit Neronis horoſcopus, vbi idem articulus refluentis æui, fuit Solis Orientis, & editi fœtus exordium, Sed eſt conſona magis fidei catholicæ mea concluſio, quæ ſpondet altum dominium ei, cui gratiæ lumen exoritur: ea namque ſeruitutis impatiens, neſcit iugum aliud ab eo, quod à Deo ſuauiter impoſitum, non ingerit ſeruitutem, ſed dominium vehit inconcuſſum. Nec vnquam fallit Matheſis iſta Chriſtiana, dum arguit dominium, ex illucente gratia Dei, homini qui emergit ex peccatis, quorum illuuie fœdam inciderat ſeruitutem.

Ex Medicina:

Lu. Duret. in pra. coac. Hippocratis

Alludunt ad gratiam Dei, & Medici dicentes, dominium naturæ in humores noxios, non eſſe quid vulgare & inſitum cuilibet corpori, vt ſunt & aliæ vernaculæ facultates ſenſuum exteriorum; eodem namque morbo plura vexante corpora, fiet vt vno tantum ſoſpite, cæteri tamen homines extinguantur ex inopia facultatis incognitæ medicis, qua facta natura vegetior, morbus extitit, vt dicunt ῥᾷστος πραότατος, εὐφορώτατος ἀσφαλέστατος, facillimus, manſuetiſſimus, mitiſſimus, tutiſſimus; vimque hanc diuinam aiunt & dicunt θεῖόν τι, quid diuinum: adeò verum eſt, ſemper aliquid ad diuinum dominium quodque comitari, ſi tamen verum eſt dominium, & non nomine tenus, quale eſt dominium de quo canon eſt hic.

Ex Ivre Canonico:

Can. quo iure diſt. 8. Gloſſ. relig. in extrauag. execrabilis. Ioann. 22. Can. placuit de conſecr. diſtinct. 4.

Dominia rerum, & ſic meum & tuum, ſunt de iure humano, & non de iure diuino. Et in hunc dominandi ritum ſæuit ius Pontificium hoc tenore. *Dominationis amor quos inuaſit, iugum diſciplinæ fecit reſpuere.* Sed de vero dominio procedit hæc ſectio, quæ dominium in noxia quæque & gratiam indiuiduo nexu ligat, ſicut & Canones ſacri ſanciunt & decernunt, & in his accipe hunc. *Gratia Dei, qua iuſtificamur per IESVM Chriſtum, remittit peccata, & ne reiterentur, adiuuat.* Audis dominium in exterminando peccato, & rurſùs in arcendo illud, ſi regreſſum velut poſtliminiò velit intentare, nullumque adeò inſigne dominium auêre poteſt homo, ac iſtud quo ſui compos, nullius hærere poteſt incurſibus, ſæuiant enim & homines, cute tenus tantùm hominem pium exagitant, animo ſui iuris exiſtente: & illud dominium verè eſt directum, de quo iuriſtæ ciuiles aiunt, aliud eſſe à dominio mixto vel vtili: ſolus enim Dominus directus habet ciuilem poſſeſſionem, & ſine omni alia obligatione liberam poteſtatem habet rei, quod dici nequit de dominio mixto vel vtili, ita Iuriſperiti.

Ex Ivre Civili.

l. 3. § ex contrario ff. de acquir. poſſeſ.

Dominium directum quale.

Vnde ſic arguo ex iure ciuili, Dominium eius circa rem aliquam non eſt plenum, ſi ratione rei talis, alicui deuincitur pœnaliter, vt puta de Comite & Marchione, qui ratione ſui dominij, ingruente bello cute & ære deuincti ſunt Regi, fitque vt qui in ſubditos iniquum olim teſtati ſunt dominium, aliquando luant pœnas ad claſſicum conuocati, ſed eius plenum eſt & directum dominium, in quem nec Rex ipſe poteſt de iure decernere ſi fidei datæ iura ſeruauerit illibata, ita Duces Burgundiæ plenum habuêre dominium nobilis huiuſce prouinciæ, ratione cuius humili obſequio præſtito Regi Gallo, nihil exigebat Gallus niſi quod lubens Dominus expendebat.

Dominium plenum quid ſit.

Ita & à pari homo genio indulgens corporis ſui non habet directum dominium, etſi ſanus Baccho Venerique vacet: nam hoc dyſcolo ritu, pœnis addicitur æuiternis: imò & ipſi Dynaſtæ præpotentes, rerum dominio inſignes, dominium directum non habent, quia coronæ ipſæ, vt aiebat Zaleucus, tot ſubſunt ærumnis, vt ſuos baiulos ſudori multo faciant obnoxios & hinc querelæ.

Zaleuci effatum de nequitia regni.

——heu ſortis acerba
Et miſera regale decus magnóque timori
Suppoſitos Regum caſus, pacique negatos.

Maphæus in ſupplemento Æneidos.

Is ergo qui ſuum Deo gratum & ex animo pendit obſequium, neſciens labem, omniſque peccati expers, is, inquam, vnus eſt Dominus verè & ritè nuncupandus. Imò & iure pontificio. *Serui & captiui infideles, poſt baptiſmum libertatem conſequuntur.* Iure ſic inſinuante hominem qui ceſſit in iura Dei, excutere iugum cuiuſcumque ſeruitutis, ſicut & ſecus nullum ſtare poteſt dominium penes eum, quem peccata coërcitum fœdo nexu deuinciunt, quippe is dæmonum obſequio mancipatur. Et ex Seneca. *Nulla eſt turpior ſeruitus, quàm quæ voluntaria.*

Ius Canonicum. Extrauagāt. dignum & rationale Pij Quinti.

Ex SS. Patribvs.

Lib. de gratia & libero arbitr.

Nec homo ingloriius, ad leuamen infamiæ debet obiicere Dæmonum technas: etenim ex Bernardo. *Noſtra voluntas nos mancipat Diabolo, non poteſtas eius:* & Ambroſius dilucidè. *Neminem iugo ſeruitutis Diabolus poſſidet, niſi ei priùs ſe vendiderit ære peccatorum.* Eóque infamiæ deuenitur à reprobis, vt obliti hominem, illicò pecus induant, & hoc inſinuat Pſaltes. *Nolite fieri ſicut equus & mulus.* Homo namque non peccat, niſi ratione expuncta, quâ ſulâ diſſiti ſumus à pecore, cum quo conuenimus expertes facti rationis, vt benè Ambroſius. *O homo cum peccaſti, aliud eſſe cœpiſti, & quod eras eſſe deſiiſti, vt fieres ex homine pecus.* Hominem autem fieri pecus, idem penè eſt, ac annihilari, vt querulus de ſe Propheta confitetur. *Ad nihilum redactus ſum & neſciui.* Neque poteſt efferri genuinè magis peccati iniurioſa ſeruitus, quàm dùm oſtenditur, homines tranſmutare in pecus.

De vita beata. S. Ambroſ. in Pſalm. 118. Pſalm. 72. Geneſ. 1.

Nimirùm

Nimirùm ex codice ſacro liquet, nomen ſeruitutis impoſitum pecori ab initio, & non homini; Deus enim hominem pro-regem conſtituens ait. *Dominamini vniuerſis animantibus*; vbi

S. Auguſtin. lib. 1. in Geneſim. Geneſ 9.

Auguſtinus. *Conditio ſeruitutis iure intelligitur impoſita pecori, nomen iſtud culpa meruit non natura.* Et primus hominum cui iugum hoc fuit impoſitum, eſt Cham minor natu filiorum Noë, qui patri ſuo iniurius, ſeruitutis mulctam piaculo dignam accepit. *Maledictus puer Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.*

EX IVRE CANONICO.

Quàm autem vilia ſint capita quæ ſeruiunt, omnia iura clamant. Sic canon iacet, *Seruus reputatur vilis perſona.* Et ne in mancipia ſola cadere ſeruitutem hallucinetur homo, ſic habet

Can. de ſeru. diſt. 54. gl. ſeruos. in cap. ita quorumdam. De Iudæis gl. libertas in clem. ſi.

idem ius alibi. *Seruitus inducitur de iure canonico, item de iure gentium, & de iure naturali.* Et explicitè ea ſeruitus quam expendo, & in quam ſtylum exacuo, eam videlicet quam peccata vehunt, ſic notat iſte canon. *Seruitus quadam eſt, quâ ſubijcitur quis peccato.* Immò à peccato traxiſſe originem, primam ſeruitutem arguit ius hoc ſanctum, ex eo quod ebrius Noë, ſui impos inhoneſtè iacens, dedit anſam filio ſuo indecori riſus, qui fratrum eius addixit obſequio, iſtum hunc minorem patri, qui vt præfatus ſum, eum ſeruum fore ſanxit; & hinc iſte

De hæreticis can. ſexto die diſtinct. 35. gloſ. 1. in can. pia mentis. 16. quæſt. 7.

canon. *Seruitus habuit originem ab ebrietate.* Vnde inferre eſt eum verè liberum, neſcinmque ſeruitutis, in quem humana deliquia ius ſuum non exercent, vt ſanctè reuerà efferre hæc ſanctio. *Seruitutem non recipit, quod humani iuris eſſe deſijt.*

EX IVRE CIVILI:

Non nomine tantùm tenus, ius ciuile infamiam aperit ſeruitutis, quæ delicto contrahitur, ſed & in talia mancipia ſæuit atrociter. Primò ius hoc, ſeruos non flocci tantùm homines vocat, ſed & nihili homines, ſic enim ſe lex habet. *Serui pro nullis habentur.* Eò nihili præceps actus eſt Rex Tyri, qui vt à Deo defecit, hanc ſubiit ſententiam. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Ezechiel. 28.

Suffragatur hiſtoria, iuri ſæuienti in vilia capita, peccatis obnoxia, etſi aliquando diademate fulgida: vt in Domitiano legere eſt, cuius acta ſenatuſconſulto non reſciſſa ſunt modò vt iniqua, ſed & eius cadauer Regiis exutum infulis, extremo habitum eſt ludibrio, & eo quod neſciit vnquam infimi mancipij cor-

** Lege quod artinet ff de regul. iu.*

pus exanime. Mirum etiam, vt malè exceptus eſt Eutropius vir Conſularis, ſed nequam, præter enim nomen eius expunctum, ſic Imperatores Arcadius & Honorius de eo ſanxerunt.

EX HISTORIA:

Suet. in Domit. Cod. Theod. lege 17. De pœnis.

Omnes ſtatuas, omnia ſimulacra tam ex ære quàm ex marmore, ſeu ex fuſis, quàm ex quacumque materia, quæ apta eſt effingendis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisque priuatis, ac publicis præcipimus aboleri, ne tanquam nota noſtri ſaculi, obtutus polluat intuentium.

Vides hoc tenore, peccati contagio pollui & lapides, qui referunt hominem, quem fecere piacula vile mancipium, & huic qui peccato morem gerit dominium omne illicò deperire.

Hiſtoria *Veneta Petri Iuſtin. ſub ann. 1354.*

Inſigne exemplum recolit in hiſtoria ſua, Veneta Reſpublica virtute inſignis, vt & bello potens, Marinum Falerium rerum præclarè geſtarum, domi foriſque virum inſignem, ad Reipublicæ apicem ſummum euexerant, illi penes quos erant plena ſuffragia. Dux effectus, mole ruit ſua, oneri quippe tanto impar voluit etiam illud tranſmittere ad ſuos, velut hæreditario iure, ſicque effectum, vt qui debuit eſſe vindex & aſſertor Venetæ libertatis, acerrimus fieret vſurpator. Veneti iugum ſeruitutis exoſi, ſubodorantes in Marino Falerio quid

Marini Faleri Ducis Venetorum ſupplicium.

ferinum, & abhorrens à priſtina comitate, & ſpirans immane dominium, imminenti iugo cautius occurrerunt. Etenim proceres Reipublicæ ſtipante cateruâ armatorum, impij ducis ædes cingunt, in eas arietant & irrumpunt, furentem hominem infulis malè meriti ducatus exuunt, & calente adhuc animo vindice ſuæ libertatis, cognitum reum lictori tradunt capite feriendum, ex faſtis eraſum nomen eius, tituli omnes nobiles expuncti, & in ea ſerie ducum Reipublicæ, quos Veneti ordine quoſ-

Veneti libertatis ſuæ propugnatores acerrimi.

que ſuo habent, abeſt effigies Marini Falerij, & hiante lacuna, vacua ſedes eius oſtenditur, nigro obducta velo, hoc atro colore tetram indolem hominis huiuſce præoſtendens: vel hinc conſtante mea theſi, huius eſſe vile caput & impos dominij qui peccato ſe inclinat, vt diſertè ait, aureo decurrens eloquio Chryſologus. *Debet abijcere habitum ſeruitutis, qui*

Serm. 13.

ſe Regem credit diuinitus conſecratum. Et Apoſtolus ineſſe ſeruitutem omni lapſui, quem peccata cient, ait. *State ergo & iterum nolite iugo ſer-*

Luc. 15.

uitutis contineri. Hinc prodigus ſciens, vitio ſuo incurriſſe ſeruitutem, vt eam exueret ait. *Surgam & ibo ad Patrem.* Quæ verba expendens Chryſologus ait. *Senſit ruinam, ſenſit lapſum, qui dixit ſurgam.* Ne ego inolito penſo deſim,

Serm. de prod.

hoc adſtruo theorema.

QVI SERVILE SVVM CAPVT EFFERT, SVPRA RERVM OMNIVM CAPVT, IS EST VILE CAPVT.

OMNIA PRÆALTA QVÆQVE, ſunt infra Deum, in quem gloriam & decus omne refundunt.

In hac verba:

Rex Iudæorum.

SECTIO II.

EX PHILOSOPHIA:

REges ab Oriente Ieroſolymam verſus iter ſuum dirigentes, vt recens edito litarent Regi, titulum ſectioni præfixerunt, quem operæ-pretium eſt oſtendere, rerum præclare geſtarum gloriam, in Deum eſſe refundendam: ipſâ hoc ſuadente Philoſophiâ, quæ ait primum in vnoquoque genere eſſe menſuram ceterorum. Vnde arguo ſic, menſuratum eſt quid poſterius ab eo quod ei indidit menſuræ modum, & ſi quod eſt illi menſuræ decus, illud totum eſt reponendum penes eum à quo rei norma effluxit: cauſa enim cauſæ eſt cauſa cauſati. Ad Philoſophiæ amuſſim, perpendêre ſuos titulos regios Magi, qui inquiſiére Chriſtum Regem, vt ad eius incunabuli crepidinem ſuas infulas inclinarent, teſtaturi ſuo obſequio Reges omnes vicarias agere Dei vices, cuius eſt hoc ſolemne edictum. *Per me Reges*

Prou 8.

Gloria omnis quare eſt in Deum refundenda.

regnant , per me Principes imperant. Rerum omnium eſt aliquale principium , ad quod deuenitur , ne in immenſum perperàm incurratur : huic autem principio ſua omnia debent, ea quæ hinc effluunt. Vnde cùm gloria comes rerum geſtarum perquàm bellè effluxerit ab ea prima,cuius alia omnis gloria coruſcans radius eſt minimus, piaculum eſſet alicui , Deo debitum decus ſibi impiè vendicare.

Ex Theologia:

S.Thom.2.2. q.103.art.1.

Item 2 2.q. 131 art.1.

Rem impiam Theologi , conſono nomine notant : quippe eam gloriam quam ſibi quis temerè vſurpat , nuncupant vanam : ſic enim Doctor Angelicus ſpeculatur. Honor importat quandam reuerentiam exhibitam alicui in teſtimonium excellentiæ eius. Circa hominis excellentiam ſunt attendenda duo : primum quidem , quod id ex quo nitet homo , non eſt ab homine,ſed eſt quid à Deo homini inſitum, cui & non homini ideò gloria reddenda. Secundo ſtatum cuique debet eſſe illud quod à Deo accepit,debere dirigi ad ſalutem propriam, vel alienam : qui ergo ſiſtit in eo teſtimonio excellentiæ ſuæ, adulterino ſinè capitur & inani,

Gloriæ cupiditas quoties eſt damnãda.

hæc enim hominum gloria,non ea eſt quæ præclaro cuique facinori debet imponere colophonem. Ideo & congruè vana hæc gloria nuncupatur. Tripliciter autem appetitum honoris accidit eſſe virulentum , primò cùm quis appetit exhiberi ſibi teſtimonium excellentiæ quam non habet , vt Caligula ementitus ſe Deum cupiens adorari. Alio modo gloriam ſibi aſſumens , velut inſcio Deo partam , vt Angelus nequam in quem acuit ſuum ſtylum Ezechiel.

Sueton. in Caiig.

Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. Demum deuiatur in appetitu gloriæ cùm in ea quis quieſcit , vt in debito fine , vt fecit aliquando Themiſtocles, cui cum ingredienti locum Olympiæ,tota Græcia aſſurrexiſſet geſtiens ait hoc honore terſos eſſe ſudores omnes,quos copioſos hauſerat ſaluti Græciæ incumbendo.Rurſus ex Ambroſio: *Gloria eſt quaſi clara cum laude notitia*,rei præfulgidæ in aliquo , omnis autem qualiſcumque eſt nitela noſtra , opaca eſt,ſi ei minimè Deus affulſerit.Ideoque ait Apoſtolus. *Qui gloriatur, in Domino glorietur , non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt,ſed quem Deus commendat.*

Themiſtoclis vanitas

Ezechiel.28.

Plutarch. in Themiſt.

S Ambroſ. & Aug l.83. quæſt.q.31.

Gloria quid ſit.

2.Cor.10.

Ex Ivre Canonico:

Can.inter verb.11.q.3.

Gloria quomodo reſpuenda.

Iure Canonico optimè cauetur inani gloriæ,hoc tenore, *Inter verba laudantium,ſiue vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in ea non inuenitur bonum,quod de nobis dicitur, magnam triſtitiam generare debet , & rurſum ſi in ea non inuenitur malum,quod de nobis homines loquuntur , in magnam debemus lætitiam preſilire: quid enim ſi homines laudent & conſcientia nos accuſet?aut quæ debet eſſe triſtitia,ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos eſſe demonſtret : habemus Paulum dicentem , Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Rurſus eodem iure, gloria noſtra,ſi qua digni ſumus,Domini noſtri tota eſt,hac lege.*Seruus quidquid acquirit,acquirit domino.* Ideo Chriſtus ait , *Luceat lux veſtra coram hominibus & videant opera veſtra bona , & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Can de rebus diſtinct.4.

Morale de Thymiam. Exod.30.

Gloriæ quæ Dei eſt,ipſe rerum Dominus typum dedit in eâ contexturâ aromatum quam thymiama vocant , ſic enim de eo ſanxit *Sanctum ſanctorum erit vobis thymiama,talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros , quia ſanctum eſt Domino ; homo quicumque fecerit ſimile,vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* In eo ſita eſt typi ratio quæ gloriam Dei refert : ſcilicet, vt multiplici aromate coëunte in compagem, exurgebat hoc ſyntagma ſeu compoſitio ſuaueolens,cui ſuppoſitus ignis adſtantes templo Dei,fragrantiâ ſuâ mirificè recreabat:ita & multa chariſmata,dum animam Deo ſacram faciunt inſignem , aſſurgit hæc anima in pietatem quæ ſpectantes excitat ad honorem exhibendum viris pietate nitentibus ; ſed vt Deus vetat,odore perfruendum,ita & eliminat à gloriâ,eos omnes qui indulgent gloriæ,quæ ex virtute deſinit vſquequaque. Etenim *Soli Deo honor & gloria.* Hac thymiamatis ſanctione ſibi cauit ſponſa, vberum ſuorum fragrantiam refundens in Deum,cuiuſuis boni principium.Sic enim Deus affatur ſponſam.*Meliora ſunt vbera tua vino,fragrantia vnguentis optimis.* Illicò ſponſa ait,ab eo hanc eſſe ſuauitatem. *Oleum effuſum nomen tuum,ideò adoleſcentulæ dilexerunt te,*

Thymiama gloriæ Dei ſymbolum.

Gloriã ſibi arrogare nefas.

T.mot.1.

Moral.cant.1.

Ex SS.Patribus.

Morale de Ioſeph.

S.Bern ſerm 13.in Cantica.

Concinnot Paries ſponſæ referenti gloriam Deo.In his audiendus eſt Bernardus.*Ioſeph cùm domum & omnia bona Ægypti Domini ſui , ſibi credita ſciret,dominam non ignorans exceptam, & ob hoc non acquieuit contingere ; non eſt,inquit, ex omnibus bonis Domini mei , quod non in mea poteſtate ſit,vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: Mulierem nouerat, gloriam eſſe viri,& iniquum ſibi iudicauit, vice contrariâ ingloriam facere eum,qui ſe fecerat glorioſum. Aduertit homo Dei ſapientiâ prudens,virum vxorem fortiter tanquam propriam zelare gloriam,ſibique ipſi retinuiſſe ſeruandam , non alij crediſſe , & ad non conceſſum manum extendere non præſumpſit.Quid ergo?homo Zelat gloriam ſuam,& Deum audet velle fraudare de ſuâ quaſi non Zelantem : Sed audi quid dicat, Gloriam,inquit,meam alteri non dabo, abiuro prorſus , ne fortè ſi vſurpauero non conceſſum, perdam merito & oblatum,Tibi Domine,tibi gloria tua maneat illibata.* Gloriam vſurpatam abſorbere & conceſſam gloriam res eſt ſcita Caſſiano.

Pſalm.141.

Caſſian lib. vndec.c.6.

*In via hac qua ambulabam,abſconderunt laqueũ mihi,vt in hac ipſa virtutũ viâ,quâ gradimur tendentes ad brauium ſupernæ vocationis , noſtris elati ſucceſſibus corruamus ; & ita fit vt qui aduerſarij conflictu non potuimus ſuperari , noſtro triumphi ſublimitate vincamur.*Ne igitur mens Deo grata, gloriâ ſibi exhibitâ dehiſcat in inane praculum, morem illicò gerat Bernardo optimè conſulenti. *Origo fontium & fluminum omnium mare, eſt virtutum & ſcientiarum Dominus IESVS Chriſtus. Quis enim Dominus virtutum , niſi ipſe eſt rex gloriæ ? continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo , ex illo fonte manant ; non ſolum autem ; ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio , ſi quis moribus placet , inde eſt , inde ſcientiæ,inde ſapientiæ ſermo,theſauri ſi quidem ſapientiæ & ſcientiæ ſibi omnes abſconditi ſunt.Quid? caſta conſilia,iuſta iudicia , ſancta deſideria, nonne riuuli fontis illius ſunt?Quod ſi copia aquarum ſecretis ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter,æquora repetunt,vt vnde rurſus ad viſus vſuſque noſtros,iugi & infatigabili erumpant obſequio;cur non etiam ſpirituales riui,vt arua mentiũ rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum,vt iterum fluant, remittatur ad ſuum principium cæleſte profluuium , quò vberius terræ*

S.Bernard. vbi ſuprà.

Gloria virtutum eſt in Deum refundenda.

refunda

refundatur. Qualiter inquis? qualiter dicit Apoſtolus. In omnibus gratias agentes, quidquid ſapientia; quidquid virtutis habere te confidis, Dei virtuti, & Dei ſapientia deputa Chriſto. Et hoc præſtitere Magi qui quod erat eis deſuper, liberali manu porrectum effundentes ad incunabula Chriſti, illud totum ſuo principio tradiderunt. Et ſi ſileant ora præcentorum, Sanctorum videlicet Patrum, ipſo Iure ciuili notatur ambitio, & genuinus innuitur modus, gloriæ bonis artibus acquirendæ: & hæc eſt lex. *Honoris augmentum non ambitione: ſed labore ad vnumquemque peruenire debet.* Item eodem Iure diſpereunt illi prædia ſua, qui priuato Iure & Principe inconſulto, vala regia, ſeu alios titulos, & ſtemmata Principis illic ſtatuit, vt hinc loco conciliet reuerentiam. Vnde ſic arguo. Ille cauſa cadit qui titulos vſurpat regios hiſcoque addicitur illud, quod ſtemmate regio temerè fuit inſignitum, ergo quæcumque egregia hominum facinora, non cedent in eorum merita, ſi ex eis gloriam hominum aucupentur. Cùm enim gloria ſit ſtemma Dei inconceſſum aliis, ille qui hoc ſibi titulo regio blandietur, illicò fruſtrabitur ſuis quibuſque actibus vtique bonis, ſed perperam eaſudaris. Ne hos ſibi titulos vſurparet Auguſtinus, ſui nihili conſcius Deum ſic compellabat. *Bona mea inſtituta tua, & dona tua, mala mea, delicta mea ſunt, & iudicia tua, propter nomen tuum, nequaquam deſeras cœpta tua, conſumma imperfecta mea.*

Honor verus quomodo acquiratur.

EX IVRE CIVILI. *L. Sancimus c. ad legem Iul. repet. L. ne quis c. vt nemo priuatus.*

Auguſtin. lib. 10. Conf. cap. 4. Humiliationis præclarũ argumentũ.

Ipſa etiam Mathematica omnem exoſa typhum in homine, hoc inuento leuat cauſas ſuperbiæ, quam ſic Ptolemæus eliminat, omnia bona ſunt vel interna vel externa, ſi interna ſunt bona, vel ea ſunt, vita, genuina complexio, ſarta tectaque ſanitas: at hæc, inquit, infudit è cœlo prima domus horoſcopi, quæ vitæ præficitur. Si honore exciperis & infulis inſigniris: hoc habes ab ea parte cœli, quæ mediat, eſt enim illa domus decima, quæ portendit inſignia recens edito fœtui. Si bonis eatenus ditior effectus es, quid tibi blandiris de arte ſagaci, aut ingenio ſedulo ad coaceruanda quæque: hæc omnia ſuppeditat (inquit Ptolemæus) quarta domus auro theſauriſque fœta. Si nobilis clarus, hymenæo gloriam tali connubio nundinaris: grates habe ſeptimæ Domui, quæ ſanxit tale coniugium. Si tubâ ſtiparis amicorum, ne meritis crede cateruam hanc arridentem tibi, ſed refunde in vndecimam domum tibi propitiam, & ex qua vt equo Troiano, militat tibi armata manus amicorum. Demum cœli ille ſedulus inſpector nihil penè hominum proprio Marti permittit: ſed in cœlos refundit optima quæque: quaſi non ignarus eius quod ait Apoſtolos. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Vnde ſic infero. Honor eſt id quod exterius exhibetur alicui, in teſſeram excellentiæ inſitæ illi vt propriæ, ſed nulla nobis vt ex propriis inſita eſt excellentia, ſed è cœlo tota fluxit, ergo ſoli Deo gratias referam indefeſſas, & in eum refundam gloriam omnem atque decus, Auguſtino morem gerens ſic monenti. *Agnoſce te à Deo habere, & ex te nihil habere, vt nec ſuperbus ſis nec ingratus, dic Deo tuo, quia accepi non quia habui, quia tu dediſti, non quia merui.* Diceres coire ſcientias omnes, vt hominem admoneant optima quæque

EX MATHEMATICA. *Ptolemæus l. 3. de iudiciis cap. 12. 13.*

Iacob. 1.

ineſſe ei precario è cœlis: nam & ipſa medica ars vetat, medicum ſibi arrogare gloriam reducis ſanitatis, ne in ſcomma incurrat Menecratis medici, qui obſeruatos ægros Iouis nomen ſuis quibuſque literis inſcribebat nomini ſuo adiunctum: quaſi ipſe Deus eſſet ſoſpitans, vt & Iupiter dictus aliquando ſoſpitator. Cùm igitur inſanus ille, impio typho tumens, ſcripſiſſet Ageſilao Regi epiſtolam hoc titulo. *Menecrates Iupiter Ageſilao Regi ſalutem.* Rex exoſus hominis fatui faſtum, reſcripſit ſtylo Laconico ſcomma notans inanem planè Menecratis animum: nimirum in ampla charta, hæc duo tantum repoſuit. *Menecrati ſanitatem:* innuens eum eſſe malè ſanum, imò inſanæ mentis, qui artis medicæ peritiam eò homines euehere poſſe crederet, vt vitæ neciſque iura poſſit ſuo arbitrio moderari. Sanctiùs reuerà medici noſtrates, quibus eſt natura morborum optima medicatria, vtens medico vt obſtetricante manu, cuius ope genitura id eſt valetudo ſit æquior, & ne adhuc æger vanitatis aucupio teneatur, adſcribens naturæ ſuæ validæ, morbi victoriam, Galenus refundit in cœlũ totam genuinæ criſis hiſtoriam. Luna enim propitia, criſis laudabilis exurgit, quæ alioquin iniqua foret. In eaque eſt mente, Regius ille medicus, quondam Andreas Laurentius, dum ait faciliorem fore criſim ſi ſeptimanæ Lunæ incidant in ſeptenarium diem ægritudinis. Huiuſce rei periculum fecerat medicus, & hoc experto fretus noluit editum Ptolemæi inficiari: quippe criſeon omnium ratio omnis, à Luna petitur ex illo Principe Aſtrologiæ. Et Hippocrates quaſi in cælum refundens ſanitatem reducem, ait nullam eſſe ſi non accidat diebus decretoriis, ὁκόσοισι δ' ἂν οἱ πυρετοὶ παύωνται μή τε σημείων γενομένων λυτηρίων, μή τε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσιν, ἀποστροφὴν προσδέχεσθαι χρὴ τούτοισιν, id eſt. Quibus febris deſinit, non cum ſignis ſolutionis, neque diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet. Quaſi diceret, nihil eſſe perfectum inſcio cœlo, vnde dies optimè decernentes. Eſto ſit altæ pietatis obſequium, refundere in Deum omne decus fluens ex egregio facinore, non fuere tamen gentiles expertes huiuſce Theologiæ, vt videre eſt in Græcis, è quibus Solon haud vulgaris ſapientiæ, tabulam auream, quæ à Thalete Philoſopho aliis Philoſophis dicata fuerat, cùm ei poſtremò addicta fuiſſet hæc tabula vt hominum ſapientiſſimo, ille neſciens faſtum, Apollini fecit hanc rem ſacram, vt Deo, à quo ſapientiam credidit effluxiſſe. Hoc exemplo cautiores Athenienſes, quos & ipſe Solon fecit multa lege edita comptiores: Iouem depinxere manu victoriam demulcentem, quaſi indicarent non eſſe humanæ indolis opus victoriam, ſed Deo propitio illam in partem, quam Deus ſtatuit protinus inclinare. Et hoc Victoriæ ſimulachrum in manu Iouis, Pauſaniæ æuo ſuperſtes erat; ſicut & ait ipſe. Hac idea edoctus Pytho, vir ille ſtrenuus qui Cotym Regem Thraciæ audaci facinore extinxit molientem internecionem Athenarum: cùm ad ſuos redux exciperetur vlnis patriæ ſuæ, quæ eum publicæ libertatis diceret aſſertorem, ille velut indebiti decoris impatiens ait. Non mihi ſed Deo habete gratiam: ego quidem manum ſuppoſui tanto facinori, ſed ciente Deo tantum eſt hoc editum facinus: & hoc ex Plutarcho.

Auguſt. in Pſal. 8. EX RE MEDICA. Deus bonorum omniũ auctor. *Plutar. in Ageſil.*

Criſis ratio omnis vnde petenda.

Galenus lib. de diebus decretoriis. And. Laurens lib. 3. de criſibus c. 13. & 14. Ptolemæ. lib. centiloquij cap. 6. Hippocrat. lib. 3. præſagio.

Ex Hiſtoria.

Laërtius in Thalete & Valerius lib. 4. cap. 1. Pauſanias in Atticis.

Thaletis Philoſophi modeſtia.

Victoriarum à Deo. *Plutarch. in Politicis.*

Timoleontis laudati egregii reſponſum.

Probus in vita Timoleont.

Non reuerà aliis impar fuit ille Timoleon Corinthius, qui cùm Siciliam effuſam in ſuas laudes audiret epinicio geſtientem, ait Deo grates habendas à quo directus erat in ſolamen attritæ prouinciæ, cui aliæ hactenus ingemebant. Ille Dux domi ſuæ ſacellum erexerat Deæ *Αὐτοματίας*, id eſt rerum quæ cœlitus accidunt, vt enim nihil Deo inſcio credebat accidere, ita & ei rerum omnium gloriam faciebat ſacram, vt fonti decoris omnis & gloriæ, vt teſtis eſt Probus.

Titi Imperatoris humilitas.

Philoſtratus in vita Apollony.

Non ceſſit Græciæ Roma bello & virtute potens; imò vt æmula rerum præclarè piéque geſtarum, nulli piæ genti fuit impar in eâ re. Vnum è pleriſque argumentis priſcæ pietatis hoc eſto facinus egregium, quod edidit Titus Veſpaſianus Ieroſolymâ ſolo æquatâ, & deletâ propè gente Iudæorum, quæ adeò inuiſa omnibus erat populis, vt eius exterminio geſtiens orbis vniuerſus, conuenerit Titum & coronâ aureâ caput eius voluerit inſignire. Reſpuit diadema Titus, dicens Iudæos extinctos eſſe à Deo perfidæ genti irato ſeque Dei vindicis egiſſe vices, ideóque coronam ad Deum eſſe meritò transferendam. O rem Chriſtianam & dignam elogio Philoſtrati!

Cõſtantinus Magnus Deo refert victoriæ ſuæ gloriam.

Euſebius lib. 9. c. 9. & Nicephorus lib. 7. c. 30. Hincmarus in vita S. Rem.

Si caliganti Tito hoc affulſit lumen, quid mirum, ſi Conſtantinus ille Magnus profligato Maxentio Tyranno, & reſtitutâ Româ priſtino decori, effuſi populi in occurſum, Pæana non attendit, & epinicij incurius, arcus triumphales, & fornices victoriæ ſuæ inſignia faſtidiuit, dicens ſe non victoriam, ſed Deo exercituum cuius eſt vincere, militaſſe. Vt poſterâ ætate liqueret auita pietas hæc Conſtantini, ille ſtatuam quæ ei poſita eſt, in egregij facinoris editi monumentum, voluit crucem præferre manu, vt vexillum quo percellente, hoſtes internecione profligauit. Item & ſanxit in baſi ſtatuæ ſuæ hoc inſcribi crucis encomium. *In hoc ſigno* SINGVLARI, *quod eſt vera virtutis inſigne, vrbem Romanam Senatumque, & populum Romanum iugo dominationis tyrannicæ ereptum, priſtinæ libertati, nobilitatique reſtituit.* Hæc comus illi Euſebius.

Anaſtaſius in Hormiſda. Æmonius lib. 1. c. 24. Du-pleix in Franc. 1. ſub an. 1525. Clodoueus Rex coronã ſuam deponit ad pedes Eccleſiæ.

Non ſilebo Clodouæum Regem Gallum: is enim depoſito faſtu cum gentili ritu, coronam ſuam auream quæ regnum vocabatur, miſit ad Hormiſdam ſummum Pontificem, Beati Petri dignum ſucceſſorem: eoque munere viſus eſt oppignoraſſe regnum ſuum, in Eccleſiæ Romanæ præſidium, Deoque dicare, atque in perpetuum ſupra firmam petram, Petrique confeſſionem ſtabilire: & vt, ait Aimonius. *Vt eo facto patenter oſtenderet, ſe Deo non fore ingratum, dum ad ipſius Apoſtoli ſepulchrum inſigne mitteret Regium, ſciens ſe à Chriſto, ſolio Regni eſſe donatum.* Hæc ille.

Hannibal virtutem in hoſte veneratur.

Habet aliquid virtus inclinans & ipſos hoſtium animos, vt videre eſt in Hannibale honorante corpus Marcelli emeriti ducis, hoſtis ſui acerrimi: hoc item liquidò conſtat ex Gallorum animo: ea enim gens quam leuitatis plerique inſimulant, prona eſt ad optima quæque: ea inquam, eſt admirata modeſtiam Caroli Quinti Regis Hiſpani, qui vt audiit ad Papiam Gallos malè habitos ab exercitu ſuo, Regemque Gallum deueniſſe in poteſtatem Hiſpanorum, pleroſque nobiles Gallos eidem fato fuiſſe obnoxios, is reuerà dignus imperio quod diu geſſit egregiè, ad rei inſperatæ nuntium hæſit, tandem oculis & manibus cœlum verſus erectis, nullo edito ſigno inanis omnino lætitiæ, Deo gratias egit, ſupplicationeſque toto regno indixit, quibus Deo ſoli referretur gloria victoriæ de Rege, qui non humanis opibus, aut arte magiſtrâ ceſſerat in ius Hiſpanorum, ſed Deo ſic Galliæ piacula vindicante. Lubet hic ſuccenſere cum Bernardo, vilia capita ſibi vendicare gloriam, quam reges ipſimet aſpernantur. Sic ille, *Tibi vnde gloria, putide puluis, tibi vnde? de vita ſanctitate, ſed ſpiritus eſt qui ſanctificat, ſpiritus dico non tuus, ſed Dei.* Non curant ingentes animi gloriam hominum, quam infra ſe eſſe ſciunt, vt pote ſe Deo dignos eſſe ſatagentes, hoc Bernardi eloquium ſæpe recolentes, *Animam Dei capacem quod minus eſt Deo, non replebit.* Eis ſemper inſonat, Regis Euandri oratio ad Æneam.

Caroli V. Imper. moderatio poſt victoriam celeberrimã.

S. Bern. ſer. 23. in Cant.

Gloriandi anſa non eſt homini.

Æneid. 9.

Aude hoſpes contemnere opes & te quoque dignum
Finge Deo.

Hiſtoria Pontificum Ciaconij in Gregorio 14. Typotius lib. Symbol.

Magnorum hominum ritu, Gregorius decimus quartus euectus ad ſummum apicem orbis vſquequàque Chriſtiani, pro ſymbolo accepit verſiculum. *Dextera Domini exaltauit me.* Eodem planè actus eſt ſpiritu, Marcus Barbaricus Dux Venetus, qui martiales impetus ad Dei gloriam expendens, hanc animi ſui teſſeram fecit: nimirùm Herculem pinxit elidentem fauces leonis inſurgentis; hoc titulo deſuper imminente. NON MIHI DOMINE, SED NOMINI TVO DA GLORIAM. Prælibata hactenus, ſectioni fecêre fidem indubiam quam ſic vt fibulâ claudo.

Marci Barbarici Ducis Veneti humilitas.

QVIA VANA GLORIA SVA TOTA PERIT, HVIC VERA GLORIA TOTA PERIT.

IVSTI AD DEVM MVLtiplici lumine diriguntur.

In hac verba:

Vidimus ſtellam eius in Oriente.

SECTIO III.

Morale ex Geneſ. 1.

IN ea recenſione mundi quâ accuratè explicat Moſes, non citra myſterium eſt verſus iſte, in ipſo penè textus exordio, *Terra erat inanis & vacua; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Diceres hoc tenore, tenebras & inane, indiuiduo nexu ſibi ſociari, & animam næuis implicitam, & Dei abſentiâ opacatam, nihil vegetum exerere poſſe; ſed vbi lumen gratiæ affulſit, videre eſt omnia nouam indolem induere, & vigore quaſi deſuper inſito recreari, vt palam eſt in Magis, quorum nulla planè recenſio eſt in ſcriptura, priuſquam ſtellam in Oriente conſpexiſſent: quippe eorum mens inanis & vacua. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Hinc argumentum tituli ſectionis, quo ex Magorum progreſſu, ad ſtellæ exortum, infero iuſtos non ad Deum dirigi, niſi præuio lumine, id eſt aliquo auxilio quo Deus nos dignatur congruè ad finem, cui Dei beneficio coaptamur. Lumen verò Dei auxilium ritè referre, audi ex Dionyſ. ἐπ' τ' ἀγαθοῦ γὰρ τὸ φῶς ἐστὶν εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος.

Humiliandi ſe homo habet multa argumenta.

L. de diuinis nom. c. 4.

Ex

Ex PHILOSOPHIA.

Ex ipſe enim bono lumen eſt & bonitatis imago. Sed antequam Theologiæ immenſum pelagus transfretemus, & gratiæ Dei lumina diffundamus, aptemus nos & accingamns in littore, id eſt capiamus à Philoſophia quid ſit lumen, & quis eius vſus.

Ariſtoteles lib. 2. de anima cap. 7. tex. 69.

Philoſophorum ille cui lumen amplius affulſit, ſcilicet Ariſtoteles coruſco ingenio rutilans ait. *Lumen eſſe actum perſpicui, eâ ratione quâ perſpicuum eſt.* Quo fit vt extincto lumine ſpecioſa quæque corpora tenebreſcant, ſintque nobrs quaſi non entia; nam vt videantur obiecta, lumine indigent, non vt medium tantùm illuſtretur, ſed vt ipſum obiectum viſibile fiat; non enim color vt color eſt, adæquatum eſt obiectum viſus, ſed vt lumine illnſtratus: lumen enim concurrit tanquam cauſa partialis, vnà cum colore ad emittendam ſpeciem, vt benè arguit Durandus. Quo fit vt per ſe etiam lumen, ex parte coloris requiratur; concurrere verò lumen eo modo, nec tantùm vt diſpoſitionem ſiue medij ſiue obiecti, ex eo conſtat, quod nulli agenti merè naturali inſitum ſit, exigere formam naturæ potioris, vt ſolam diſpoſitionem requiſitam ad ignobiliorem formam; at lnx præſtantior eſt, & imagine coloris, & ipſo vtique colore: ergo non ſe habebit lux dumtaxat vt diſpoſitio, ad traiiciendas colorum imagines in oculum, ſed vt cauſa partiatim eas edens ſimul cum colore obiecto, & experientia palam eſt, eò melius videri & colores quò magis lumine accenduntur. Vnde ſtat illa concluſio: obiectum ex luminis participatione fieri actu viſibile.

Lumen quid ſit.

Durandus in 2. diſt. 28.

Ex THEOLOGIA.

Hoc lumine ſic accenſo, Philoſophia lucidas prætendit faces Theologiæ, quæ ait hominem eſſe quaſi non eſſet, ſi lumine gratiæ non cœlitus illuſtretur, nec peruium eſſe oculis miſericordiæ Dei, niſi hoc fulgido lumine radianre: & hoc innuit Pſaltes, *Oculi Domini ſuper iuſtes.* Quaſi dicat iuſtos fieri viſibiles, ex gratia inhærente, veluti lumine colllustrante. Nam ſicut color etſi aliquale obiectum viſus, debet lomine ſuperindui, ita & virturum habitus etſi Deo ſint grati, vt caſtitas, ſobrietas; ſi tamen ſint gratiæ expertes, non videntur à Deo ſcientiâ approbationis.

Pſalm. 33.

Gratia Dei facit opera noſtra Deo grata.

Auxiliũ Dei duplex.

Ne autem anſa caligandi detur, in luminis hoc diſcurſu, eſt è Philoſophia repetendum aliud eſſe è cœlo lumen affulgens, vt ſunt coruſcationes ortæ ex eliſione nubium, & ſyderum omnium rutilus aſpectus; aliud verò lumen eſt quibuſdam rebus deorsùm inſitum, vt igni carbunculis & qoibuſdam animalculis noctilucis, ita & Dei auxilium eſſe duplex, quo dignantur homines; aliud eſt generale quo homines & cætera quæque ſtãnt in hoc rerum vniuerſo, & quo deſinente quæuis peſſum irent, vt codices ſacri clamant. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quomodo quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* Cui occinit Paulus. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Sap. 11. Rom. 1. S. Thom. 1 p. q 8. a. 1. & q. ar. 140. 1.

Deo tantùm affulgente ſtare hoc totum quod eſt, hac ratione patet: ſicut opus artis humanæ ſupponit natnram, ita opus naturæ diuinam artem, materia namque artefactorum eſt à natura, naturalinm verò à Deo per creationem, ſed artefacta, in ſuo eſſe ſuperſunt beneficio naturalium: domus enim ſoliditate lapidum & coagulo calcis fit diuturna, ergo & naturalia virtute Dei in ſuo eſſe ſeruabuntur. Rursùs magis dependent à Deo creata omnia, quàm lumen à corpore luminoſo, cùm prima cauſa plus effectum afficiat influxu ſuo, quam ſecunda, ſed lux niſi conſeruetur à corpore lnminoſo, illicò interit; ergo & creaturæ ceſſante Dei concurſu, in nihilum recident, & hoc prædicat Paulus. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Et genti infideli id adſtruit, teſtimonio aſſumpto ex Poëta gentile. *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.*

Gratiæ Dei omnes ſunt indigni.

Hebr. 11. Actor. 17.

Ex SS. PATRIBVS.

Sancti omnes Theologiæ candidati, ſuum calculum adiiciunt, quo annuunt eſſe verum fore omnia inuiſibilia, & nihilo obnoxia; ſi Dei auxilio velut lumine illuſtrata non eſſent. Theologiæ apex Dionyſius ſic ſua fundit oracula: τὸ μὲν γὰρ λέγεται διὰ τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι παντοκρατορικὴν ἕδραν συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν τὰ ὅλα, καὶ ἐνιδρύουσαν, καὶ θεμελιοῦσαν καὶ συσφίγγουσαν, ἀρραγῆ ἐν ἑαυτῷ τὸ πᾶν ἀποτελοῦσαν. *Illud enim dicitur quod ipſe eſt ſedes quæ tenet omnia, quæ omnia & continet, & complectitur, & firmat, & fundat, & conſtringit, & vniuerſum in ſe indiſſolubile abſoluit.* Dionyſio non impar Auguſtinus, eam ſic firmat ſententiam. *Creatoris potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ, quæ virtus, ab eis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret, neque enim ſicuti cùm ſtructuram ædium fabricauerit, quis abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus eius; ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit ſi ei Deus ſuũ regimen ſubtraxerit.* Id & ait compendioſè Gregorius, cui & eloquenti de ſede Petri quis eat inficias? ſic ille. *Sic eſt intus, vt extra ſit, ſic circumdat vt penetret, ſic præſidet vt portet, ſic portat vt præſideat.* Claudet agmen Anſelmus. *Neceſſe eſt vt ſicut nihil factum eſt, niſi per creatricem præſentem eſſentiam; ita nihil vigeat, niſi per eiuſdem ſeruatricem potentiam.*

S. Dionyſ. lib. de diu. nom. cap. 10.

S. Auguſtin. 4. ſuper Gen. ad litteram c. 12.

Gloriæ omnimodæ argomenta sũt in Deo Dei encomia.

S. Greg. hom. 17 in Ezech.

S. Anſelm. in Monologio cap. 12.

Ex PROFANIS.

Nec ad fideles tantùm ſeſe diffudit illa ſcientia, ſeu lux, omnium entium eſſe ſartum, tectumque tenens, ſed & Philoſophiæ orbæ lumine fidei, illuxit hæc veritas, ſcilicet nos tantùm affulgente Deo eſſe. Primas tenet Triſmegiſtus aiens. *Mentem id eſt Deum, ſe ipſa ſtare, conſeruatricem rerum omnium, in eâque vniuerſa viuere & ſubſiſtere.* Huic affinis eſt in eadem ſententia Seneca dum ait. *Deum eſſe rationem incorpoream, cauſarum cauſam, cuſtodientem & regentem omnia.*

Mercurius Triſmegiſt. in Aſclepio. Senec lib. de conſolat. fratru.

Sed eſto ſilent omnia, hoc lumine Dei præfulgida, nequeantque eſſe inſcio Deo, hoc lumine tamen Magi fuerunt inglorij, eorumque ſaluti malè conſultum eſſet hoc lumine, quod impos eſt ad Deum homines deducere palàm, abſque alio luminis incremento. Ex eo enim quod Deus hominem creet, & iam adultum foueat & recreet, non ex eo ſolo homo virtuti inhiat, aut Deum ſedulus inueſtigat, vt videre eſt in Magis, qui etſi ſpeciali gratiâ Dei, ſyderum exortus & occaſus probè callerent, nihilo tamen inde ſanctiores, imò incogniti ante alterius luminis exordium & illapſum.

Ex THEOLOGIA.

Ideò aduertendum non intelligi nomine gratiæ, ſemper illam qualitatem animæ inhærentem, quâ ſimus Deo grati; ſed intelligi primariò hac voce donum Dei datum citra meritum alicnius, inde gratia quaſi gratis data: donorum

autem

Gratia Chriſti, ſeu per Chriſtũ quænam ſit.

autem Dei alia ſunt quæ abſtrahunt à ſalute, vt cognitio aſtrorum multo labore parta, eſt donum Dei, quo intellectum diſponit ad capeſſendas diſciplinas. Hoc donum Dei, Theologia vocat quidem gratiam Dei, ſed non gratiam Chriſti, quia, inquit, ea eſt gratia Chriſti, quam nobis ſuo ſanguine demeruit: at Chriſtus non ideò mortuus eſt, vt diſceremus diſciplinas quæ ex ſe nihil conducunt ad ſalutem. Alia eſt item gratia quæ non quidem iuſtificat, ſed hominis vellicat animum ad Dei amorem, & ſalutem animæ adſtruendam, hæc dicitur gratia Chriſti ſiue per Chriſtum, & quâ inconſultâ nemo poteſt aliqnod bonum opus exerere in ordine ad ſalutem. In huiuſce rei fidem, Deus primo die lucem edidit, quæ in modum globi gyrans, ſuo motu diſpecuit primum diem à ſecundo, & hunc à tertio, quem quartus excepit, lumine ſolis illuſtrior. Fuit enim Sol quarto die creatus, & effectus de lumine hoc triduo toto præfulgente: Ita & antequam Magis oriretur ſtella faciens peruium Chriſtum, aliud lumen naturale præfulſerat, ſcilicet ſcientia aſtrorum, quæ quandiu ſpeculatiua fuit, extitit à dono Dei, quod abſtrahit à ſalute, & fuit lux informis; ſed vbi ex ſcientiâ aſtrorum nouerunt ſtellam hanc nouam, eſſe & indicare quid diuinum, quod poſteà quæſierunt, fuit hoc gratia Chriſti ad modum Solis influentis.

Pererius in Geneſ. 1.

Lux primo edita quid ſignificet.

Primo Magorum æuo, lux vernacula quædam illuxerat, quæ non eos diſpeſcebat ab inolito gentium ritu, ſed vbi noua lux affulſit, de Chriſto ſolliciti, ſuos exoſi lares Ieroſolymam tendunt, illic audituri vbi Chriſtus adnaſcatur. Vides hinc quale ſit diſcrimen lucis humanæ, & eius quæ deſuper illabitur hominum menti, lux hominum, ſeu ſcientia quâ periti grande venantur ſibi nomen, à Chriſto diſtrahit, vt conſtat ex Iudæis quos magna peritia legis diſtendens velut vtres vento graues, noluerunt inquirere Chriſtum natum; conſultum ſibi ſatis ſuperque exiſtimantes, ſi ea quæ Chriſti erant, alios edocerent. Procul hinc iſta ſcientia quæ diſtendit, & qua typhus inſurgens ſuos remoratur aſſeclas, ab indagine pueruli IESV. Hac luce infernâ imponit Dæmon hominibus, ſicut & qui piraticam faciunt, noctu mediis in ſcopulis ignem accendunt, quo deluſi tranſfretantes, illuc aduolantes impingunt & naufragi cedunt in iura prædonum.

Lucis diuinæ & humanæ, differentia.

Iulianus deceptus à Magis.

Ex Hiſtoria.

S. Gregor. Naz. orat. 1. in Iulian. Ammian lib. 22. ait Iul. vſum Maximo qui erat Mago.

Sic malè periit Iulianus ille deſertor auitæ fidei, qui Magorum perfido lumine deluſus, eorum infidam ebibit indolem, abnegato Chriſto cuius lumen extinctum Iulianum tenebris illis quæ palpari queunt, illicò mancipauit. Quippe libauit ſimulachris, totamque colluuiem idolorum ſuos Deos fecit, quibus tandem luit pœnas, non ſibi conſtantis ingenij. Dum enim auſcultat Mago pollicenti Pæana de Perſis, impingit in factum, quo cadens eius corpus, præiuit ille caſus huic, quo Iulianus præceps actus eſt in abyſſum tenebrarum.

Auerroes quare fidei Chriſtianæ deſertor.

Hoc exemplo nihilo cautior factus Auerroës, qui nomen ſuum dederat Chriſto, pertæſus lumen quo fideles Chriſto ſemper adſtant, retrocedens ad gentiles Philoſophos, eorum ratione excæcatus, ea tandem caligine mulctatur, quam tenebroſus turbo ſemper exagitat. Æquius nobiſcum agetur, ſi Magorum lumine edocti, eodem & quo illi calle ad Chriſtum impigrè properemus. Sed notandum eſt ad integram tropologiam, non perperàm adnotari, illos fuiſſe in Oriente, & illic eis affulſiſſe ſtellam: hinc enim innuit textus, aliqualem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, quod vt aperiam, conſulenda ſunt Theologorum oracula. Aliquas eſſe diſpoſitiones ad iuſtificationem ſeu gratiam, quâ quis denominatur iuſtus, decretum eſt Concilij Tridentini: & inter alias diſpoſitiones timorem diuinæ iuſtitiæ reponit, juxta illud. *Timor Domini expellit peccatum.* Et ibidem, *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Vaſquez explicans hunc timorem, qui eſt initium ſapientiæ, ait eſſe communem diſpoſitionem, quæ homines fideles peccatis obnoxios, facit reduces ad gratiam, à qua perpetratis noxis exciderunt. De hac enim gratia hic ago, cùm diſputo eam dari illis qui ſunt in Oriente, id eſt qui ſe diſponunt ad hoc lumen. Non eſt enim mihi ſermo ad infideles, in quibus Theologi clamant, nullas dari diſpoſitiones per ſe, ante fidem, ad gratiam Dei demerendam, ex ſolis naturæ viribus, niſi valde remotas, vt aiunt Durand. Sot. Medina, &c.

Ex Theologia.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap 6. Eccleſiaſt. 1. Vaſquez 1. 2. diſp. 203. c. 9. Durand. in 2. diſt. 28. q. 5. Sotus lib. 2. de natura & gratia c. 5.

Medina c. 2. q. 105. ar. 6.

Cæterùm appello Orientem gratiæ, odium quo peccator exoſus priſtinos ritus ſuos, oculos ſurſum erigit, vt hinc exoriente lumine, amor eius in Deum ebulliat: & hæc eſt diſpoſitio quam Tridentini Patres exigunt prælibatâ ſeſſione 6. cap. 6. Qui enim Dei causâ, vitam retroactam pertæſus incipit Deum ſapere, ille reuera eſt in Oriente, vnde lux gratior emergit.

Mathematica etſi lumine ſyderum vegetari omnia clamet, tamen tantùm tribuit Orienti, vt aſſerat eum Planetam qui exurgit, ita totum hemiſphærium ſuâ virtute perfundere, vt reliqua ſydera velut aſſurgant Orienti ſtellæ: fecitque virtutis inſitæ orienti energia, vt illa cœli plaga, quæ deſcribit horiſontem verſus Orientem, dicatur Ptolemæo, domus vitæ, quaſi ſydera alibi, vitæ hominum incuria, illi tantùm incumbant, dum in Oriente ſuas exerunt vires, & quo plures Planetæ naſcente puellulo, Orientem fauſtè aſpexerint, nato vitæ amplius ingerent incrementum. Ita & auſim dicere, quo plures ad virtutem erunt æſtus, ex ipſo Oriente gratiæ, vegetiorem quoque fore vitam ſpiritualem eius, quem Deus lumine ſuo dignabitur, vitæque animæ melius eſt conſultum quàm corpori: non enim noſtri eſt iuris, noſtri natalis exordium, ideóque nequit aſtrorum nequitia vllis artibus emendari, quibus iniquis imbelle corpus editum eſt, ſed noſtrarum eſt partium, Deo ciente nos, & vellicante voluntatem ad ardua quæque amplexanda, aduocare & virtutes, quarum voto concepti habitus, comite gratiâ exurgent poſteà in cumulum aptum altiſſimæ ſanctitati. Hinc anſam captâ, ô Dei præco, monendi fideles, ne in vacuum gratiam Dei accipiant, & incurrant in diſcrimen, quod diù ſponſam Cantici malè accepit. Audierat illa, typus animæ neophytæ, ſponſum pulſantem ad ianuam, ſegnior facta pulſanti diſtulit aperire, & ingeminante ſponſo pulſus ſuos, illa tandem pergens ad ianuam, Dilectum deprehendit aufugiſſe: hinc lachrymæ & ſudores copioſi ebibiti, nimirùm anxia diſcurrens per vicos & plateas, per tela, per enſes (vulnerauerunt enim eam vigiles, & tulerunt pallium eius) multo exhauſto

Ex Mathematica.

Ptolemaus lib. 3. de iudiciis c. 12. & 13. Ioan. Schonerus de iudicio.

Primæ domus Planetæ exurgentis mira virtus.

Cant.

Gratia Dei non in vacuũ recipienda.

labore

labore reperit Dilectum, quem facili negotio excepiſſet, impetenti oſtium, ſi non fuiſſet aperire dedignata. Ita caueant pœnitentes, Deum abigere reuocantem ab inolita noxa, ne fortè aliàs ſeſe abdat, imo receſſu cùm nobis noxia quæque nauſeabunt.

Iudas remorę ſuæ luit & luet in æternum pœnas: hunc Dominus ſibi oſculo, perfidiæ notas inurentem, ad pœnitentiam ſollicitauit amicâ voce, dicens. *Amice ad quid veniſti?* In Cœna animum anteà pulſauerat: ſed homo nequam & flocci Deo vocanti iniurius, vbi de reditu cogitauit, ſui impos fruſtrà clamauit. *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Abdito quippe Dei iudicio, crepuit medius, & lapſa ſunt viſcera quæ Dei illapſum anteà reſpuerunt. Eandem obiit ſortem Rex iniquus Antiochus, qui martyres Machabæos, de ſalute ſua ſpreuit anxios, & monitores ſcelerum quibus Deum vrgebat ad vindictam, diris deuouit ſuppliciis. Nimirum ſceleſtus ille ictus à Deo exigente pœnas ab homine nefario. *Apprehendit eum dirus viſcerum dolor & amara internorum tormenta, & quidem ſatis iuſtè, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorum torſerat viſcera.* Sanus olim immemor Dei admonentis, Deum ſenſit immemorem æger, vt & ait textus ſacer: *Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuinâ admonitus plagâ, per momenta ſingula, doloribus ſuis augmenta capientibus, & cum nec ipſe iam fœtorem ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Adeò verum eſt, Deo orienti aſſurgendum, ne nobis ſerò orientibus occidat.

Matth. 27.
Actor. 1.
Iudas quare deſperauit.
Antiochus quare actus in deſperationem.
2. Machaba. cap. 9.

Ex Historia.
Euſeb. in vita Conſt.
Cōſtantinus Magnus quare idola cōminuit.

Cautiùs egit Conſtantinus, qui affulgente ſibi lucida cruce, illicò abiurauit Deorum inanium cultum, vt illucenti Deo militaret: neſcit quippe tarda molimina Sancti Spiritus illuſtratio, vt & Paulus ipſe teſtatus eſt, adhuc extorris à fide, in quam virulento pectore ſæuiebat. Vbi enim luce cœlitus illapſa Chriſtum ſciuit, dedit ſine mora manus, vt ſic ſcribit Lucas. *Subito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi, Saule Saule quid me perſequeris? Qui dixit, quis es Domine? ille, ego ſum IESVS quem tu perſequeris, durum eſt enim contra ſtimulum calcitrare, & tremens ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere?*

Actor. 9.

Hunc lucis ſiue gratiæ conſenſum, cum oratione quâ ad Deum dirigimur, beneficio lucis, bellè explicat Hebræa dialectus in qua vox *techinna* תחנה quæ orationem ſonat, deducitur à voce quæ ſignificat gratiam, quà Deus noſtri miſertus eſt: & ne quis gratiæ lucem putet infœcundam Hebræi lucem & pluuiam eodem vocabulo notát; etenim *or* אור ſignificat lucem, & pluuiam, ita & gratiæ lux non eſt ſterilis, ſed eſt pluuia vtique alluens animas, quæ inde fiunt fœtæ, multâque virtute grauidæ. Ideò Pſaltes miſericordiam Dei ſollicitans ſedula prece, Deum orat vt tantùm illuceat. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Et alibi *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Rationem ſalutis adfert. *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Et congruit Theologia, quæ docet gratiam non eſſe quid theoricum, & merè ſpeculatiuum,

Lux & pluuia eodem vocabulo efferuntur Hebraicè.
Pſal. 66.
Pſal. 79.
Pſal. 88.

ſed practicum vt affectum mouet, & explicat manus ad agendum.

Nec erit abs re inſerere effectum lucis, quæ aliàs capiti inſedit Regis Henrici quarti Galli illius Herois: ancipiti regno vtebatur ille, emortuo ſuperiore Rege: exoticæ gentes Hiſpanæ, & Italæ ſuccurrebant populo detrectanti Regem ſuum, qui cùm Alexandro Farneſio iturus obuiam, ſe accingeret ad prælium, ex improuiſo lux quædam, veluti facula inſedit capiti regio: timere omnes & malè ominari, cœlos forſan inuidere terris animum hunc Martialem, ac velle proinde illum Martis ſyderi ſociare eo extincto. Riſit Rex impauidus malum omen, imò inquit, aſtra luce viam aperiunt ad egregia facinora. Macte ſequamur luminis huiuſce ducatum ad excelſa, inde enim lumen illapſum, illuc etiam ſuos euehet & ſequaces. Vt dicto fidem faceret, paruâ licet manu, aggreditur hoſtem magno ſtipatum agmine, æmula caſtra Gallico terrore percellit, & multo ſanguine effuſo, redux ad ſuos oſtendit, non numeroſa manu, ſed valida conſtare victorias, lucemque cœlitus affulgentem, non in caſſum illucere, ſi impigros homines illa nanciſcatur. Quid ergo nos deſidia diſſoluit, ignauiâ marceſceores, Deo gratiæ ſuæ radios vſquequáque diffundeote. Liber te cum Hieronymo ſugillare, ô homo inglorie, & diuinæ lucis incurie. *Quid facis in paterna domo delicate miles? vbi vallum, vbi foſſa, vbi hyems acta ſub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit, ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus egreditur, ecce bis acutus gladius ex Regis ore procedens, obuia quæque metit, & tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de vmbra egrederis ad Solem! corpus aſſuetum tunicis, lorica onus non fert, caput opertum linteo, galeam recuſat, molliem otio manum, durus exaſperat capulus. Audi edictum Regis tui, qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit. Recordare tyrocinij diem in quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in ſacramenti verba iuraſti,* & infrà. *Quid agis in ſeculo qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbra premunt, quamdiu famoſarum vrbium carcer includit? crede mihi neſcio quid plus lucis aſpicio, libet ſarcina corporis abiecta, ad purum ætheris euolare fulgorem.*

Ex historia Gallica.
Dupl ix in Henric. 4. ſub an. 1592.
Henrico IV. Regi Chriſtianiſſimo lux ſenſibilis affulſit.
S. Hieron. epiſt. de laude vitæ ſolitar. ad Heliodor.
Cenſura in Chriſtianum ignauum.

Non eſt aliunde petenda praxis, ad quam nos vrget lux deſuper affulgens, quàm à Magis ipſis, qui ſtellæ ductu ſuis retrò habitis, & de Chriſto tantùm ſollicitti, eius tandem compotes facti: quid ſit & nobis agendum fusè exemplo ſuo docuerunt.

Adſtipulatur & huic theſi res medica, lucem ingerens non eſſe otioſam, ſed omnino efficacem, luce enim corpora recreantur, & validiora fiunt. Nimirùm ex Medicis ſinguli quique dies in quatuor partes diſpeſcuntur, quæ ſingulæ ſingulos humores afficiunt, iuxta tempeſtatum ordinem, à natura præſtitutum. Meridies bilem afficit & mouet; calore enim ſuo bilis æſtatem refert: Solis occaſu melancholia excitatur, autumno ſimilis qui ſuccedit æſtati: media nocte pituita fluit, hyemis algorem ſuo rigore referens; ſed oriente Sole poteſt illud occini, ſaluo Cantici decore. *Iam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit:* námque ſanguis qui à meridie ſtagnans quieuerat, vt extinctus alio humore ſuis vicibus toto pectore refluente, dum Sol oritur, corpus

Ex re medica.
And. Laurent. lib. de criſib.
Humores quales in die fluunt, & refluunt.

corpus mirum in modum afficit; vt enim Sol oriens limpido rore alluit terras, ita & corpus humanum ſanguine ab intus foras euocato recreat, eo enim refluente vegetior fit calor inſitus, & ſpiritus limpidiores hinc enati totam facilius circumagunt molem, & impellunt eò quò diligentis impetus voluerit. Hos ſpiritus lucidos eſſe conſtans eſt opinio Medicorum, qui fauet eorum affinitas cum luce à qua aliquale accipiunt incrementum. Item & actiuam eſſe hanc lucem, liquet ex motu qui fit ex cerebro irradiante, & velut eiaculante radios ſuos, in partem quæ cietur, vnde quidam morbi curari difficiles in teneris vnguiculis, calente ætate nullo negotio diſſoluuntur, & habent vt loquuntur medici periti ἀπαλλακτικὴν, id eſt diſceſſionem διὰ τὴν ἔκλαμψιν ἐμφύτου θερμότητος ob ſplendorem caloris inſiti: ſtat ergo noſtra theſis, lucem etiam in phyſicis & medicis non ferre deſidiam.

Duret. in coac. Hippoc.

Ex SS. PATRIBVS.

L. 4. di tin. vltima. a. 2.

Sanctus Bonauentura tres aſſignat potiſſimos lucis effectus. *Manifeſtare, delectare, dirigere.* Et hos videre eſt in Magis, quibus hæc ſtella Chriſtum fecit manifeſtum, vt ideò dicatur hoc feſtum, manifeſtatio; id enim ſonat vox Epiphania ἀπὸ τὸ ἐπιφαίνειν deſuper apparere. Summo gaudio reges affecit lux exorta, & demum direxit ſoſpites ad præſepe. Alium effectum adiiciunt Theologi, ſcilicet vt lumen naturale, ſeu ſcientia quæ parta eſt proprio Marte, hominem ad ſeipſum reflectit, & quaſi amore ſui captum, ita afficit vt infletur: ſcientia quippe inflat; ita lumen cælitus affulgens hominem extenuat, & ſui nihili conſcium in Deum rapit, ſicut & lumine Solis aquarum portio tenuis ſurſum fertur. Vide Deum lumine ſuo omnia ad ſe colligentem ex Dionyſio. *Ex ſe omnia quaſi ex ſtirpe, quæ omnia tenet in lucem profert, & ad ſe vt ad profundum quod omnia capit, conuertit omnia, eáque continet.* Idem liquidiùs hanc lucis indolem explicat dicens. *Lux colligit, conuertitque ad ſe omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illuſtrantur, quæ caleſcunt, & vno nomine, ea quæ ab eius ſplendore continentur.* Quid ergo noui, ſi Magi lumine illuſtrati Deum inquirunt? neſcit alias indagines hæc lux ſuggerere. Ideò Magi rationem reddituri, cur Ieſum anhelantes, tot viarum diuortia permeaſſent, reſpondebant. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare.* Quaſi dicerent: omnia cœli Phœnomena callemus, nec vllum ſydus peritiam noſtram latet, nihil tamen hactenus ad Ieſum direxit, ſtellæ huic recens emergenti, debemus aliqualem gratiæ ſenſum ob ducatum. Ita ô homo qui hæc mea decurris ſcripta, vel hinc diſce eſſe flocci pendenda omnia mundi lumina, quibus inſignes ſunt hoc æuo reprobi; eſto diuitiæ, dignitates quæ quibuſdam affulgent, faciant illos illuſtres atque conſpicuos, quia tamen hæc lumina neſciunt Chriſtum & ab eo, orbe toto deuiant, crede Pſalti. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Æmulare meliora chariſmata, ea nempe quæ ad Deum, non inuio calle nos conducunt, ſicut & fecit Apoſtolus, cuius hi ſunt æſtus feruidi. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucri faciam.* Sæculi quantumuis lumina affulgeant papilionum & muſcarum ſunt vilia ludibria, quæ lethali incendio eos tandem abſumunt, qui incautè circumuolant ad hæc inſida lumina accenſa tantùm vt deludant, lædant, & collidant hos omnes qui colludunt. Deum homines allicere ad ſe, lumine gratiæ, adeò verum eſt, vt & ipſi Imperatores qui Dei typum gerunt, noxiis hominibus iam lethali ſententia perculſis à iudice, gratia ſpeciali ius fecerint appellandi, ſicut & in cauſa quæ eſt de fortunæ bonis, in multiplici cauſa, qui lite ceciderant, Cæſarem appellabant. Quo munere Principes ſubditorum animos, ad non inuita obſequia demulſere: accipe legem quæ luminis inſtar affulget eis, quos morti iam deuouit Iudex: ea eſt Conſtantini Imperatoris. *Minimè fas eſt, vt in ciuili negotio libellis appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cuiuſlibet iniuria genus, ſeu tormenta, vel etiam contumelias perferat appellator.* Filij eius & ipſi Imperatores, Conſtantius & Conſtans in ciuili cauſa, ſicut & in ea quæ erat de vitæ momento, ius appellandi ſanxerunt hoc tenore, *Iudices enim in ciuilibus cauſis, tum etiam in criminalibus, in quibus vita hominum, ſalusque quodammodo ſata tractantur, appellationes admittant, nec denegent vocem, in ſupplicium ſententia deſtinatis.* Et Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius populi ita fuere amantes, vt nullum voluerint eſſe ſui iuris in appellatione reſpuenda, quod ſi hanc gratiam Principis contempſiſſet, ſic in eum erat cautum hac lege. *Reuocare appellationem ſuam vnicuique minimè permittatur, ſed ſacro auditorio, totius negotij examinatio reſeruetur. Quod ſi hac lege neglecta, gratiam ſciuerit appellationis, & ipſe quinquaginta libras argenti, & eius officium parem ſummam condemnationis inferre cogetur.* Adeò verum eſt principum gratias eſſe lumina quæ colligunt, imò & colligant vinculo quodam amoris, eos in quos hæc lumina diffunduntur.

Lib. 4. de Diuinis nomin. cap. 10.

Lib. 4. de Diuin. nomin. cap. 4.

Pſal. 36.

Philip. 3.

Ex IVRE CIVILI.

Appellandi ius datum.

Cod. Theod. l. 2. de appellationibus.

Cod. Theod. leg. 10. de appellationibus.

Cod. Theod. lege 48. eodē titulo.

Appellandi ad ſummum Pontificem omnibus eſt ius in cauſis Eccleſiaſticis.

Iure etiam canonico fas eſt cuiuis ſubdito Pontifici, ad ſedem hanc appellare, ſi grauetur, & hinc canon. *Appellare poteſt ad ſedem Apoſtolicam, quicumque fuerit grauatus.* Imò & reis inuitis, Eccleſia de cuius iure ſunt illi rei, ſi ſint in ditione eius, gratiam hanc vitalem impertitur hac ſanctione. *Appellare poteſt quis, nomine rei condemnati in criminibus, etiam inuito reo.* Qui canones vim ſuam exerunt tantùm circa eos, qui ſunt de iuriſdictione Papæ, vt docent iidem Canones ſancti, dum ſic ſanciunt. *Appellari non poteſt à laico ad Papam, niſi in his quæ ſpectant ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam.*

Ex IVRE CANONICO.

Can. ſi quis veſtram 2. quæſt. 6.

Gloſſ. in can. non ſolum 2. q. 6.

Gl. 1. in can. cuncta. 9. q. 3.

Ex præfatis palam fit Dei intentum, dum prætendit vnicuique gratiam: id enim totum eſt, vt Deus ipſe conſulatur, & ei debita pendantur obſequia, quibus mereamur gloriam, quâ qui dignabuntur, nuſquam erunt inglorij: quippe futuri Reges; iuxta illud Pſaltis. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Quos etenim gratiâ accingit, hi eſto ſint omnium peripſema, Dei obtutibus ſunt regio diademate conſpicui, vt innuit Vates Deum laudans. *Qui eleuat de ſtercore pauperem, vt eum collocet cum principibus, cum principibus populi ſui.* Hoc gratiæ decus agnouit Rex Gallus Ioannes, qui congregationem olim inſtituit equitum, quibus ſtellam dederat in teſſeram, hoc titulo circumſcriptam; MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. Quaſi innueret, regios ineſſe animos illis quibus lumen deſuper affulget; Vnde ſic

Pſalm. 20.

Pſal. 112.

Ex SYMBOLIS.

arguo.

Du-ple'n in Ioann. Rege Gallo. Gratia nos ad cœleſtia dirigit.

arguo. Deus tibi adſtat, ô homo pro foribus, ictu repetito crebrò ad cordis oſtium pulſat, luminis deſuper illapſo, nouas multiplices ingerit menti tuæ: ſi ſis inde cautior, benè tibi, & regium quid te manet, nam MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. Sin vero ſecus abis per inuios calles, malè tibi, vt pote qui lixarum & agazonum ingenium habeas, & non regio iuſtorum tramite pergas ad gloriam: hoc enim altè mihi inſidet oraculum.

NON LABITVR, CVI GRATIÆ LVMEN ILLABITVR.

VITÆ REPROBÆ DESERtores, tranſeuntes ad caſtra Dei multos patiuntur obices.

In hac verba.

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma.

SECTIO IV.

Exod. 12.

GEns Hebræa ſpoliatis Ægyptiis, exiit illinc grauis exuuiis, auróque diues, vt Deo ſuo ettabunda litaret, molto itinere emenſo, appulit tandem ad oras Palæſtinæ, quod vbi reſcitum eſt ab infida gente incolâ tunc terræ illius opimæ, turbata eſt gens illa anxia de aduentu Hebræorum, qui illuc acti, duce columnâ ignis, & Deo ſternente viam, editâ ſtrage plurium hoſtium, exterminium noxiis gentibus intentabant. Habuere reuerâ Palæſtini Amorrhæi argumentum metus haud inanis, ad ingreſſum Hebræorum, qui erant illaturi cladem omnigenam incolis huius terræ, quam Deus populi ſui obſequio mancipârat. Diceres hunc tumultum eſſe ideam turbinis huius, qui hodie inuoluit Herodem, & Ieroſolymam in Magorum aduentu quęrentium, vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum; non irrito metu perculſi fuerunt Herodes & Iudæi edocti, Magos ducatu ſyderis illuc appuliſſe, veneraturos Deum, cuius incuriâ Ieruſalem ſuæ ideò cladi foret obnoxia. Audiens Herodes turbatus eſt & omnis Ieroſolyma cum illo, mente præte præſagâ præſentiens, ſe ob editi in lucem puetuli necem, aliquando funditus euertendam. In turbato Herode cum Ieroſolymâ totâ, audito cultu quem Magi deferre Chriſto ſeſe accingebant, ſubodotur inolitum dæmoni ritum & reprobis, vbi quiſpiam reſilit à priſcâ indole noxia, vt ſanctius ineat vitæ genus; omnia námque tunc ſuſdéque verſa, remoras nectunt quibus animas præpediant, ſeceſſum à vitio feruidè meditantes: vnde enaſcantur tot obices ad virtutem, conſulamus omnes ſcientias.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſtoteles l. de prædic. c. 10. & l. 10. Metaph. c. 6.* Contraria quænam dicantur.

Philoſophia ſuas prætendendo faces, ait, reprobos non fore innoxios, quia contraria continuam patiuntur antitheſim, nec coëunt, quippe ex Ariſtotele. *Contraria ſunt ea quæ ſub eodem genere maxime diſtant, & eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt, niſi alterum eorum inſit à naturâ.* Vnde ſic arguo: Virtus & vitium ſunt ſub eodem genere habitus, & pugnant ad inuicem oppoſitione contrariâ: ergo ſi vult irrepere virtus inanimam infamem vitiis, illic erunt excitandæ crebræ tragœdiæ. Nimirum vitium vbi altas radices egit, ægrè admodum cedit habitui contrario, in eâque ceſſione, pugnâ diuturnâ ſuas alternante vices, mitis anima torminibus continuò diſtorquetur, intellectus, vt Herodes è regio animæ ſolio, ſpeculans inuios ad virtutem calles, totam colluuiem ciuitatis excitat, id eſt paſſiones vrget, vt voluptati vernaculæ hactenus ſuam præſtent opem, vt virtuti obſiſtant, & eius faciant irrita conamina, ſitque ſæpe vt ancipiti litigio, in varia diſtractus animus, niſu languente deficeret, niſi vt Magis, ab oriente ſydus deſuper affulgeret. Herodem hunc ſenſit infenſum Auguſtinus, & Ieroſolymæ ſeu infidæ carnis obices multiplices fregit, gratia cœlitus eum percellente. Audiendus ille. *Ægrotabam & excruciabar, accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac voluens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo iam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen, & inſtabas tu in occultis meis, Domine, ſeuerâ miſericordiâ flagella ingeminans timoris, & pudoris, ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur idipſum exiguum, & tenue quod remanſerat, & reualeſceret iterum, & me robuſtius alligaret: dicebam enim apud me intus, ecce modo fiat, & cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebam, & non faciebam, nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabam, & reſpirabam, & item conabar, & paulò minùs iam tanquam attingebam, & tenebam, & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam haſitans mori morti, & vita viuere, pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum.* Hæ ſunt technæ, quas obiiciebat Auguſtino peruicax intellectus, vt alter Herodes in varios ſe gyrans anfractus, ob Chriſtum pulſantem ad animæ fores: quippe molienti meliorem frugem Dæmon & intellectus, vt vigiles è ſpecula enuntiant multa, ægrè neophytis exantlanda.

EX SS. PATRIBVS. *Auguſt. lib. 8. Conf. cap. 11.* Peccādi habitus ægrè corriguntur.

Vt ſui ingenij conſciam fecit Ieroſolymam Herodes, ita & intellectus futura virtutis opera præſentiens inuiſa carni, eam trahit in conſenſum, vt velut agmine facto irruant ambo in virtutes, earum exordia prælocando, vt expertus eſt Auguſtinus, poſt eliſos motus ab Herode, id eſt intellectu præſago laborum, quibus ſuos virtus ſequaces facit obnoxios. Sic ſuas egit caro vices infenſa virtuti, quam ombibat Auguſtinus, cupedias quibus erat aſſuetus, ingerebat caro, & virtutem habitu hiſpido ad horrorem vſque depingebat: ſed ipſe Auguſtinus ſua trophæa clamet. *Punctum ipſius temporis, quo aliud futurus eram, quantò propius admouebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem, ſed non recutiebat retro, nec auertebat, ſed ſuſpendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatū, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant, dimittis ne nos? & à momento iſto non erimus tecum, vltra in æternum, & à momento iſto, non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? quas ſordes ſuggerebant, quæ dedecora!* Audiſti turbatam Ieroſolymam, vide iam ſtellam deſuper affulgentem Auguſtino, qui ſic ait. *Aperiebatur ab ea parte quâ intenderem faciem, & quo tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, vt venirem neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum, ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de marito te, Domine.*

S. Auguſt. vbi ſuprà.

Auguſtini conuerſio quibus fuit tentata moris.

S. Aug. ibid.

Quot exempla ad ſanctitatem Auguſtino obiecta ſunt, tot ei ſydera de cœlo micantia coruſcarunt, ſimilia ſtellæ quæ Reges vehebat ad Chriſtum: his nimirum exemplis, ille ait ſe eſſe prouocatum, vt Chriſti rueret in amplexus: ſic enim ſuæ mentis anxiæ tragœdiam claudit, inducens contioentiam ſic loquentem, & firmantem animum qui nutabat. *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ; an vero iſti, & iſta in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis, quid in te ſtas & non ſtas? proiice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas, proiice te ſecurus, excipiet te & ſanabit te.* Vides quã apta relatio Auguſtini vacillantis, cũ Magis anxiis quomodo Chriſto recens edito ſiſterentur.

Aug ibid.

Ex THEOLOGIA.
S. Thom 1. p. q. 95. a. 1.
Eccl. 7.

Philoſophia quidem aperuit ex virtutis & vitij dyſpathia, motus exurgere contrarios, ſed nos reliquit inſcios cauſæ, quæ vitia hominum mentibus inſeruit, vnde nos exurgunt obices ad virtutem. Theologiæ hoc opus eſt, ea enim ſola eſt diſciplina, non inſcia exordij malorum quæ nos vrgent, & à virtutis incepto tramite remorantur. Sic fatur illa ſcientia. Ex ſcriptura. *Deus fecit hominem rectum.* Ea autem rectitudo in eo ſita fuit, vt ratio Deo ſubderetur, rationi verò aliæ potentiæ, & animæ corpus: prima autem ſubiectio qua homo morem geſſit Deo, dedit homini dominium in ſubiectas ei potentias, vt præmium obſequij quod ratio Deo exhibebat. *Quamdiu enim homo ſupra ſe Deum audiit, tamdiu infra ſe ſubiectas habuit ratio omnes animæ potentias,* vt ait Auguſtinus. Hæc autem omnigena ſubiectio corporis ſub anima, & inferiorum virium ſub ratione, non erat ex natura, ſed à dono gratiæ quæ tranſcendit ea, quæ natura inuia præoſtendit. Si enim ſubiectio illa carnis ad animam fuiſſet à natura, remanſiſſet in homine poſt peccatum, ſicut & naturalia remanſerunt in Dæmone, poſt lapſum eius, vt ait Dionyſius, ſed ex Auguſtino. *Poſteaquam præcepti facta eſt tranſgreſſio, confeſtim gratia deſerente diuina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt, ſenſerunt enim motum inobedientis carnis ſuæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Vnde liquet fuiſſe à gratia, & non à natura, quod in homine nullus eſſet vitio locus: igitur Adami vitio tota eius proſapia infecta eſt: generans enim, edit ſimile ſibi ſecundum ſpeciem: at ſpeciei ex natura, non erat proprium habere potentias omnes rationi ſubiectas: hoc enim erat gratiæ originalis inſtitutum, qua deperdita peſſimè ſe habuit homo factus vitiis omnibus obnoxius.

Lib. de natura & gratia cap. 15.

Gratiæ effectus in anima.

Lib. de diuin. nom. 1. 24.

De Ciu. Dei cap 13.

Ex RE MEDICA.

Natura enim eius ægra, in habitum tranſiit, quem habent illi quibus hepat malè affectum eſt: languent enim ad omnia: ſic liquet originale hoc peccatum eſſe inordinatam quandam diſpoſitionem, prouenientem ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua ſtabat ratio priſcæ illius iuſtitiæ originalis: ſicut etiam ægritudo corporalis, eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſoluitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis, ex qua hominis *εὐτονία καὶ εὐεξία*, bonus habitus, omnia faciens *συνθῆκας κατὰ λόγον*, vt aſſolet ſecundum rationem, ideò & peccatum originale dicitur animæ languor, naturæ deliquium, & peccati fomes. Vtque ſunt morbi qui à parentibus ad filios deriuantur, ſicut lepra, calculus, podagra, epilepſia, ex germine contrahente virus ægritudinum illarum, quæ ſeſe ſic in prolem inſinuant: ita & Adamus fecit nos cõſcios mali, in quod incurrit eius natura lapſa. In hoc autem originali peccato, formale eſt priuatio iuſtitiæ originalis, ratione cuius volũtas ſubdebatur Deo: materiale autem eſt omnis inordinatio virium animæ, quæ in eo potiſſimùm attenditur, quòd animæ vires inordinatè, & quodam velut impetu feruntur ad bonum carnale, potiùs quàm ad incommutabile bonum, & hæc inordinatio dicitur concupiſcentia radix omnium peccatorum. Ita S. Thomas.

Duret. in coac. Hippoc.
Morbi quidam hæreditarij.

S. Thom 1. 2. q. 82. art. 1. & 3.

Theologica enarratio explicat, vnde obices ad virtutem ſuboriantur nobis etiam inuitis, videlicet tota hominis rixa quam patitur, ortum habet à peccato, quo cùm ſit exutus dono gratuito, ratione cuius concordes erant potentiæ infimæ & ratio, eò decidit vt ſe habuerit caro aduerſus ſpiritum, ſicuti ſe habuit ratio reſpectu Dei, in quem quia inſurrexit ratio, ita & caro inſurgit aduerſus ſpiritum, qui ſi de Deo inquirendo aliquid meditetur, turbantur Herodes & vniuerſa Ieroſolyma: quia cùm vitium tranſierit in habitum naturæ, poſt lapſum, adeò altas radices egit, vt diuelli nequeat, niſi aperto Marte: nec eſt à propoſita pugnà reſiliendum, cùm deſuper aſtra nobis affulgeant propitia. Vt enim Magorum pietas in Chriſtum enituit, victâ Herodis aſtutiâ, & eluſis technis eius, ita & ſanctorum virtus multum ſibi adiecit, motus carnis indomitæ, alienos à ratione fortiter & impigrè compeſcendo, gratiâ cœlitus aſpirante.

Virtuti obices quinam ſemorentur.

Vt enim miſerationes Dei ſuper omnia opera eius, ex hac animæ & corporis contentione Deus eum elicit fructum, quem ex diuiſione linguarum in extructione turris Babel, cuius factum depreſſit Deus, ex diuortio orto inter artifices, ob diuiſionem linguarum: ita & idem rerum Dominus, patitur corporis & animæ diſſidium, vt typhum elidat in homine plus æquo aſſurgentem; & ea fuit ſententia Abbatis eruditi Danielis. *Linguarum oborta repente confuſio, ſacrilegos auſus hominum nefandoſque cõpeſcuit, etenim permãſiſſet, etiam ibi aduerſus Deum, imò aduerſus eos qui diuinam eius attentare cœperant maieſtatẽ, conſenſus noxius, niſi eos diſpenſatione Dei, repugnans inter ſe diuerſitas linguæ, per diſſonantiam vocis, in meliorem ſtatum proficere compuliſſet; & quos ad excidium ſui animauerat pernicioſa conſenſio, ad ſalutem reuocaſſet, bona vtiliſque diſcordia: incipientes ſcilicet humanam fragilitatem intercedente diuiſione ſentire, quam per noxiam conſpirationem elati antea neſciebant.*

Geneſ 1.
Ex SS. PATRIBVS.

Caſſian. collatione 4. cap. 11.
Babel turris confuſioni obnoxia.

Iſtud inſitum corpori cum animâ litigium, non obeſt virtutis encomio, ſed adiicit incremẽtum: quippe ea quæ infra nos ſunt, minimè ſunt noſtri iuris, dum ratio non deuiet, corpus inſaniat, obſtet Herodes & Ieroſolyma tota ſcurram agat, & rideat pietatem emergentem: pergunt tamen regiæ mentes ad incunabula Chriſti. Quod ſi pigeat reges imitari vt emeritæ virtutis, non erit operoſum animalia vilia forſitan inſectari: ſcilicet vaccas quas Philiſtiim plauſtro nouo iunxerunt, cui impoſita erat arca Dei, ſic habet textus. *Tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi, & poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Audi tropologiam ſectioni noſtræ maximè congruam. Incumbit nobis ire in Bethſames, id eſt, in domum

1. Reg. 6.

Conſuetudo mala ægrè ſuperatur.

ſolis;

ſolis;hoc enim ſonat vox Bethſames, compoſita ex *Beth* בית domus, & *chemech* שמש Sol : cælum verſus ab ortu noſtro gradimur, impoſita nobis eſt arca Dei,vbi manna & tabulæ decalogi in plauſtro nouo. Plauſtrum nouum eſt Euangelium cui credimus & dedimus nomen noſtrum;fides quam vehit illud plauſtrum, manna Euchariſtiæ concludit,& decalogi praxim, duæ vaccæ ſunt partes ſenſitiuæ,iraſcibilis & concupiſcibilis, vitulos habent domi concluſos quos lactant, nimirum appetitus plerumque noxios, quos ratio præſidens huic myſtico commeatui, compeſcit & concludit. Eſto mugiant vaccæ, non tamen declinant,ſed eunt in directum,ſenſere ludibria carnis,& ipſi ſanctiores,ſed,ierunt in directum : infirmitas hæc ſeu mugitus non eſt peccatum, ſed peccati reliquiæ, quibus eſſe cautiores admonemur. Quid ergo morarum ad virtutem cauſas nectis,ô homo, indolem inquietam,animum indomitum, & carnis inſurgentis impetum præpotentem? ne eſto inſipientior vaccis, quas vituli non à propoſito greſſu retardarunt. Benè monet Abbas Theonas. *Alterius eſt meriti qui pacem inerti fælicitate conſequitur,alterius qui triumphum glorioſis virtutibus promeretur;huius enim potentia vitiorum omnium debellatrix,digna miraculo eſt, illum quem facultas boni in ſua tuetur ignauia, dignum magis cenſendum duxerim ſecuritate,quàm laude.*

Virtus eſt fortior in eo qui nactus eſt indolem iniquam.

Caſſian.collat.22.c.3.

Ex Historia.

Andreas Fauyn.in Hiſtoria Nauarra ſub anñ 1559.

Iſta deliquia ad quæ reparanda impotes ſumus,regno nos non indignos faciunt,& ad hæc occurrit elegans hiſtoria Gallis communis & Hiſpanis. Deſponſata fuit Philippo II. Regi Hiſpano, Iſabella filia Henrici II. & ſoror trium poſtea Regum Franc. II. Caroli IX. Henrici III. Magna nobilium ſtipante caterua deducitur hæc Regina,ad oras vtrique regno conterminas, illic regio apparatu excipitur à Cardinale Toletano, & Antiſtite de Burgos vulgo nuncupato. Ibi vale dicto ſuis, vt ad Hiſpanos diuerteret, & extrema libans oſcula Principum regij ſtemmatis, de more Gallico, quòd tamen nefas eſt Hiſpanis, quorum Regina neſcit oſcula cuiuſquam principis:à ſuis,inquam,diſſita hæc regia virgo,cecidit penè exanimis, anima non ferente tale diuortium : præſto eſt Cardinalis Toletanus, cui commeatus regij erat cura potiſſima demandata,huic Regina incumbens, & à deliquio tantiſper recreata, audiit à Cardinale verſiculum hunc Pſaltis. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam,& obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Eo hîc ſilente, Præſul de Burgos adiecit. *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Tandem animæquior facta, etſi naturali genio renitente, contendit in Hiſpaniam conſors Regis potentiſſimarum, & prædiuitum ditionum. Vides deliquium non obſtitiſſe quò minùs regio diademate præfulgeret. Nec noſtræ infirmitates etſi multiplices facient à regno beatitudinis alienos,dum pergamus inoffenſo pede, & omnibus quæ ingerit caro, ratione iugiter & validè reluctante.

Iſabellæ filię Franciæ receſſus à Gallia quã moleſtus.

Quid demirere luctam in infimis, cum & Mathematica cœlis ineſſe diſſidia clamet & raram eſſe demonſtrent geneſim, cuius beneuolum ſydus,ſyderis infauſti non vitietur aſpectu. An non Ptolomæus ait,Planetas alios,Martis,& Saturni pollui contagio; an non eſt caput apud Aſtrologiæ principes de odio planetarum? nec inde tamen,ait Ptolomæus,debet animo quiſpiã cadere,ſi Saturnus infauſtè irradians,fecit minus æquum Iouem, qui ſeorſim æquam pollicetur ſortem : eſt, inquit,ille, ſapientia iniquo ſyderi ſuffragandum, nam ſapiens dominabitur aſtris. Vnde ſic arguo. Si penes hominem eſt, illapſus infauſtos ſyderum diluere,vita rationi conſona, ergo & erit minoris operis, carni obuiare vellicanti. Fecit hoc Socrates cuius cùm geneſim inſpexiſſet ex lineis Chiromantiæ, vir peritus in artis huiuſce ludibriis, hominem dixit eſſe nequam & flocci, qui tam iniquo cœlo editus eſſet in hanc lucem : Quòd cùm reſciuiſſet Socrates, diſcipulos ſuos cõpeſcuit in rabulam illum ſæuientes : dicens eum verè ex ſyderibus ominatum eſſe;quippe,inquit,nouercante natura lucis vſuram accepi,& corpus ad noxia quæque pronum,ſed Philoſophia obſtetricante, nactus ſum æquiorem ſortem, euectus ad ſapientiæ apicem quem vos ſuſpicitis. Quod ſi fas extitit homini Gentili ſuæ ſalutis incurio,& inſcio meritorum Chriſti,occurrere genio,quem peſſimum infuderant ſydera ingrata, æquius nobiſcum egit gratia, qua media poſſumus reſcindere leges iniquas, quibus caro ſibi facit obnoxiam rationem, vt & querebatur Apoſtolus dicens. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quæ eſt in membris meis.*

Ptolomæus l.1.de iudiciis. c.12.13.14. Schonerus in Iſagoge.

Virtus corrigere poteſt indolem iniquam.

Socrates virtute ſua reparauit naturæ vitia.

Rom.7.

Iure ciuili cautum eſt in leges iniquas à Tyranno editas, & hoc edicto Conſtantini Magni Imperatoris, cuius hæc eſt lex. *Remotis Licinij Tyranni conſtitutionibus & legibus, ſciant omnes veteris iuris,& ſtatutorum noſtrorum obſeruari debere ſanctionem.* Eo iure gaudemus beneficio, & gratia Chriſti,cuius ope lex peccati anteà deſæuiens, ſanguine Chriſti ferè expuncta eſt, & ius vetus rationis in inferiores potentias inualeſcere cœpit,apud eos qui ſunt Chriſti impigri ſectatores. Et caro quæ peccato originali,dominium in animam vſurpauit, mulctata ieiuniis, aliiſque piis Eccleſiæ ritibus, rationis tandem ſenſit inuita ſummum imperium, ſubdita legi quam tulerũt Imperatores Valentinianus, Theodoſius,& Arcadius,cuius en tenorem. *Nullus ſibi honorem audeat vendicare,quem tyrannica conceſſit audacia, ſed ad priſtinum ſtatum damnata præſumptio reuocetur.* Ad priſtinũ ſtatum caro reuocatur,ſi coërcita pœnis,rationi morẽ gerit,& ad hoc pœnitẽtiæ inſtitutę corpori delinquenti.

Ex iure civili.

Cod.Theod. lege 1. De infirmandis his quæ ſub Tyrann.

Leges iniquæ non obſeruandæ.

Cod.Theod. lege 6. De infirmandis.

Hinc editus ille textus pontificij iuris. *Pœna delicto imponitur, vt malitia delinquentium, non inueniat ſucceſſorem & exemplar puniti delicti retrahat alios ab offenſa.* Eſt & alter textus huic affiuis. *Pœna imponenda cauſa eſt,ne facti peruerſitas,tranſeat præſumptionis in exemplum.* Demum nulla eſt pœna detrectanda, ſi ducatum præſtet ad Chriſtum,exemplo regum quos ad Chriſtum procedentes, non terruit immenſa ferè viarum intercapedo, qua diſſiti erant à Bethlehem, hyems ea tempeſtate rigens, eorum pietati teporem non ingeſſit. Præſepe, & humilia incunabula Chriſti,nihil eorum detraxere fidei, nec ingruentes procellæ ab Herode mouerunt ab intento. Demum is rerum dominus qui adduxit Reges, multa nominis ſui cauſa paſſos, eoſdem ſoſpites & deduxit in præmium laborum, quos primi gentilium fidei candidati, hilares exantlarunt.

Ex Iure Canonico.

Cap. 1.§ fin. de ſchiſmaticis.lib.6. Cap. quando § ne autem de maledicis.

Pœnæ quare criminibus indictæ ſint.

Nec deſunt ſymbola quæ excitent ad deuorandos obices,obuios illis qui grandia meditantur.

Ex Symbolis.

tur. Occurrit ingeotis animi dux Venetorum Andreas Vandramini, qui hoc ſymbolo genium ſuum infractum præoſtendit. Pinxit proceram quercum reflante vento immotam, immò & turbine ſæuiente inconcuſſam, hoc lemmate, NVLLI CEDIT. Quaſi diceret ſe egregia molientem, nequaquam nectere moras, etſi reflatent vndequaque obices, ſed aduerſa niti fortuna, nullis cedendo moris. Camerarius ſimili ferè ſymbolo oſtendit, hominem quo plures reſecat obices, eò & euehi altius: pinxit ille oleam, cuios reſecti plerique ſurculi, fecerant ad edendos fœtus ſuos aptiorem, ea enim eſt arboris illius indoles, vt fiat ſæpius amputata fœcundior: titulum hunc appoſuit reſectæ oliuæ. TANTO VBERIVS, hoc te lemmate ſic compello. Forſan es exoſus, ô homo triobolaris, ſceleri cuique pœnas impoſitas, vt ieiunium, gulæ reſecans ingluuiem, & libidinis extinguens incendium: tibi ingrata eſt reſtitutio reſcindens malè parta. Macte, fortiter, amputa, nam TANTO VBERIVS cælo creſces, quantò hîc ooxia reſecabis: hæc enim mea eſt, & conſtans ſententia.

Ægidius Sadeler lib. 3. ſymb.
Ducis Veneti animus infractus.
Camerarius in centuriis.
Pœnitentiæ vberes fructus.

NON INCVMBIT HONORI, QVI SVCCVMBIT ONERI.

GRATIA DEI, LVMINE inſueto irradians deſuper ſollicitat nos conſulere ſacerdotes.

In hæc verba:

Et congregans omnes ſacerdotes.

SECTIO V.

Ex THEOLOGIA.
S Thom 1. 2. q 111 art. 2.

ET ſi gratiæ omnes ex ſpeciali dono Dei editæ ſint, & Deum agnoſcant primigenium fontem, non eum tamen & eundem ſortiuntur finem gratiæ omnes, licet ab vno eodémque fonte deriuentur: verbi gratia, cognitio rerum abditarum qualem habent Philoſophi, peculiare Dei auxilium & gratiam quærit: non enim eſt à natura, alioquin eiuſdem diſciplinæ candidati, eam æquè callerent, poſt eandem oauatam operam, & hoc tameo ſecus accidit: quippe aliqui concluſiones in præmiſſis norunt, quas alij vix præuio diſcurſu & ratiocinatione venari queunt: ergo non naturæ donum eſt, ſed Dei. Quia tamen hac cognitione rerum infernarum, homo formaliter non in Deum fertur, non dicitur hæc gratia, lumen inſuetum deſuper irradians: nam cùm ſit auxilium debitum oaturæ ſpecificæ hominis cognoſcere, cognitio illa habitualis fiet viribus naturæ, cui Deus debet dare conſequentia ad eſſe: quòd ſi fiat limpidior notitia in vno quàm in alio, eſt gratia velut aſſueta naturæ, etſi iam ſit donum Dei, non tamen eſt inſuetum atque ſupernaturalis ordinis. Alia iam eſt gratia, quæ hominem quaſi ex naturæ cancellis euehit ad excelſa, & inuia naturæ, quæ hoc lumine excitata, cæleſtia anhelat, & egregia quæque facinora meditantur, quibus fieri poſſit gloriæ compos tandem aliquando. Hæc gratia dicitur auxilium indebitum: homine etenim conſtituto io genere & differentia, ſatis ſupérque Deus ſuas egit partes, cùm inuſſit proprietates effluentes à natura. Hanc gratiam dicimus, lumen deſuper irradians, & eſt io duplici differentia.

Cognitio alia naturalis, alia ſupernaturalis.

Alia eſt gratia actualis, altera habitualis, & vtraque etiam diſpeſcitur in duas. Gratia actualis eſt actuale Dei auxilium, quo mouetur anima ad bene operandum, ſiue moueatur intellectus ad credendum in Deum & in Eccleſiam, ſiue voluntas æſtuet in amorem; iſta gratia actualis aliquando ſanctificans eſt formaliter, vt actus dilectionis intenſæ, qua anima tota ebulliens ſuas omnes hoc igne diluit noxas, inſtar Magdalenæ, de qua dictum eſt. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Sed vt plurimum, gratia actualis non ſanctificat formaliter, ſed diſponit & inducit ad Deum, ideóque aliàs dicitur, gratia excitans, operans, præueniens, aliáque patitur oomina, iuxta reſpectus varios. Gratia habitualis eſt qualitas quædam inhærens animæ, ex mera Dei bonitate, qua homo fit Deo gratus. Vt enim Deus creaturas diligens, ad bonum nanciſcendum, cooſonum oaturæ illarum, noo ſolum mouet eas ad actus naturales, puta ad bibendum & edendum, vt ſibi ſic conſulant, ſed etiam largitur eis formas, & virtutes quaſdam quæ ſunt principia actuum, vt ſecundum ipſas inclinentur ad eiuſmodi motus. Verbi gratia ouis inclinatur ad paſcua, quia inde debet ſibi annonam trahere, piſces exoſi terras in aqua luxuriant, & varia hæc rerum ingenia à Deo cuique ſunt inſita, vt optato fine ſingula quæque potiantur. Ita item prouidus hominum parens qui *Diſponit omnia ſuauiter*, diligens hominem ad habendum ſupernaturale bonum, dedit & infudit homini qualitates ſupernaturales, ſeu formas naturæ indebitas, ſecundum quas homo ſuauiter & promptè moueatur ad conſequendum ſupernaturale bonum, ad quod Dei dono gratuito homo deſtinatur. Hæc dooa ſupernaturalia, hominem ad Deum dirigentia, nuncupamus gratias habituales, quibus anima nauſeans ad infima, habitudinem quandam ad Deum acquirit hac gratia habituali. Gratia autem habitualis vna eſt ſanctificans formaliter, alia noo ſanctificans formaliter, ſed perficiens hominem in ordine ad opera ſupernaturalia. Gratia habitualis ſanctificans formaliter, eſt ipſa gratia inhærens animæ, ſeu ipſe habitus charitatis, vt volũt illi qui gratiam & charitatẽ non diſtinguunt.

Gratiæ multiplex eſt diuiſio.
Luc. 7.
S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 2.
Gratia habitualis quid ſit.
Sap. 8.
Gratiæ habitualis diuiſio in ſanctificantem, & in non ſanctificantẽ formaliter.

Gratia habitualis non ſanctificans formaliter, eſt habitus fidei, ſeu habitus virtutum aliarum infuſarum, quæ ex ſe præciſè non faciunt hominem Deo gratum, niſi accedente alio dono, quo formaliter fit anima Deo grata. Ex præfatis liquet, nos qootieſcumque in Deum ferimur, hoc fieri lumine deſuper illapſo, quod excitat primò, poſtea adiuuat, & demum perficit auſpicata, vt optimè ait Auguſtinus. *Vt velimus gratia operatur, cùm autem volumus, vt perficiamus nobis cooperatur.* Liquidius gratiæ tenorem explicat hoc contextu. *Præuenit vt ſanemur, ſubſequitur vt ſanati vegetemur, præuenit vt vocemur, ſubſequitur vt glorificemur.*

Ex SS. PATRIBVS.
S. Aug. l. de grat. & libero arbit. c. 17.
Idem l. de natura & grat. 3. c. 73.

Iam vt titulo fiat ſatis huiuſce ſectionis, quæ è ſenſu litterali, moralem inueſtigat. Dico Reges ab oriente Ieroſolymam ibi deueniſſe, & ibi conſuluiſſe ſacerdotes, vt eorum ductu, explicitè docerẽtur in his ad quę ſtella implicitè percellebat, ſtellamque priùs duxiſſe ad ſacerdotes, quàm ad Chriſtum: imò & Herodem conſtat, non conſuluiſſe ſacerdotes, niſi vbi innotuit illi ſtella

Regum,

Sacerdotes conſulendi ab homine pœnitente.

Regum, à quibus vt audiit. *Vidimus ſtellam eius in Oriente.* Ex tunc conuocauit collegium ſacerdotum. Huius litteræ ſenſus moralis hic eſto. Omne lumen, ſiue omnis gratia Dei, etſi Deum primariò inſinuet inquirendum, in executione tamen, priùs dirigit nos ad ſacerdotes: vt cùm iuſtus volens iuſtitiæ incrementum, ex ſacra ſynaxi, priùs ad ſacerdotem accedit, quàm ſacro pane paſcatur: vt & peccato obnoxius, antequam ex ſacramento gratiam exhauriat, debet conſulere ſacerdotes. Hæc tamen concluſio, quia emittur ex inquiſitione Magorum, qui conſuluere ſacerdotes prævio lumine, potiſſimum eſt intelligenda de gratia Dei excitante, & præueniente nos: hæc enim non iuſtificat via ordinaria extra ſacramentum, etſi gratia Dei non ſit alligata ſacramentis. De excitante igitur ſeu præueniente gratia, erit hæc ſectio, à Philoſophis auſpicanda.

Ariſtoteles l. 2 phyſ. cap. 3. text. 29.

Ex Lycæo prodiit iſtud cauſæ finalis encomium: ſcilicet finem eſſe cauſam cauſarum: quia finis eſt id cuius gratia aliquid fit, vnumquodque autem pendet ab eo cuius gratia fit, & omne illud à quo aliquid per ſe pendet, verè ac propriè cauſa illius eſt. Verbi gratia cauſa efficiens, nonniſi cauſa alicuius operatur, ideóque neceſſe eſt moueri à fine, antequam formam in materiam introducat: ſicque motio finis antecedit cauſalitates omnium cauſarum, ſaltem origine, & dignitate, nam præſtantius eſt agere, quam agi, & in ordine mouentium, id excellit quod mouet non motum, quo pacto ſe habet finis, cùm ipſe moueat cauſas cæteras, ipſe verò finis minimè moueatur, vt eruditè ait Ariſtoteles. Ergo cùm bonũ habeat rationem finis, eſt enim *id quod omnia appetunt.* Vbi primùm, bonum mentibus illuxerit, cauſam excitabit ad agẽdum. Sed nota duplicem eſſe finem, vnum qui actionem agentis nequaquam anteuertet, vt forma quæ per generationem acquiritur, alium verò qui actioni præexiſtit, & in cuius effectionem non cõſpirat agens, ſed ideò operatur vt ei coniungi & aſſimilari poſſit, vt eſt Deus: & quo maior erit conuenientia bono, nota etiam maiorem fore rationem illud appetendi, Vnde ſic arguo. Omne quod conuenire poteſt, & quadrare homini, illud eſt in Deo, qui pulcher eſt & bonus in ſummo, quæ duo, vt ſummè appetibilia omnia ad ſe rapiunt, & percellunt, vt ait Dionyſius. *Quidquid eſt ex pulchro, ac bono, & in pulchro bonoque eſt, atque ad pulchrum bonumque refertur, & quæ ſunt ac fiunt boni pulchrique cauſa ſunt, & fiunt omnia, ipſumque omnia intuentur, & ab eo mouentur, ac continentur, eiuſque cauſa & per ipſum, atque in eo eſt omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, materiale.* Ergo Deus maximè appetitum debet hominis inclinare. Diuiditur autem appetitus in naturalem, ſenſitiuum, & intellectiuum. Appetitus naturalis, eſt appetitus innatus, quo res abſque vlla notitia fertur in id quod ſibi conueniens eſt, vt appetitus quo materia appetit formam, & ignis pabulum ad ſui conſeruationem. Appetitus ſenſitiuus eſt appetitus innatus, quo res inclinatur in bonum ſibi quadrans, præeunte notitia ſenſus, & diſpeſcitur in iraſcibilem & concupiſcibilem, vtroque enim appetitu cietur anima ad boni cuiuſuis indaginem. Appetitus intellectiuus, eſt appetitus innatus, quo res mouetur in bonum ſibi congruum; præambula tamen notitia in-

Finis eſt cauſa cauſarum.

Ariſtoteles l. 3. de anima c. 10. text. 54. 1. Ethic.

Bonum habet rationem finis.

S. Dionyſ. l. de diuinis nomin. c. 4.

Boni & pulchri & finis nexus indiuiduus.

Appetitus in quot ſpecies diuiditur.

tellectus, hic autem appetitus eſt voluntas; dicitur autem appetitus elicitus, appetendi actus, quo potentia præeunte cognitione fertur in ſuum obiectum. Huiuſmodi actus ſunt, amor, ſpes, deſiderium, quibus incitamur in res propoſitas ab intellectu, aut à ſenſu; ignoti enim nulla cupido: vnde ſicut ſe habet lumen ad colores, ita & cognitio ad bonum, & quo maius eſt lumen, magis etiam color afficit ſenſum, ita & quò maior obiecti ſeu boni cognitio, eò validius appetitum mouet, ſeu nullo lumine naturali innoteſcit nobis Deus, ad ſalutem acquirendam, ergo indiguit homo lumine naturæ fines tranſcendente, & hoc lumen eſt gratia, quæ animæ Deum obiicit, vt amantem ſui, & anxium de ſalute eius. Voluntas hoc lumine perculſa Deo afficitur, & incipit noxia quæque faſtidire, & quo lumen hoc ampliùs diffunditur, & Deum apprehendit anima vt eum à quo habent omnia ſpecioſa vt ſint talia, ſicut ait Dionyſius. *Eò quod pulchrum eſt vnum, acta ſunt omnia, & pulchri cauſa fiunt omnia.* Tunc ſui impos, ad Deum anima anhela velis remiſque fertur impigrè, & vt media in executione, præeunt aſſecutioni finis, qui præexiſtit actioni; homo cui Deus illuxit gratia præueniente & excitante, potiora media ſagaciter inueſtigat, ſcilicet ſacerdotes quos conſulit de meliore frugi obeunda, poſt confeſſionem quam explicat confeſſori, vt medium neceſſarium ad ſalutem iis quibus datur copia confeſſoris, & qui poſt baptiſmum incurrerunt lethale piaculum, vt iure Pontificio non ſancitur modo, ſed hoc explicatur eſſe de iure Diuino ex Concilio Tridentino, & alio Canone de ea fertur hoc elogium. *Confeſſio animam à morſu liberat, & aperit paradiſum.* Igitur cùm nemini data ſit poteſtas ſoluendi à peccatis hominem pœnitentem, niſi ſoli ſacerdoti, primus effectus gratiæ Dei excitantis voluntatem, ad odium vitæ retroactæ, erit eam ducere ad ſacerdotes, ſicut fecit ſtella Magos, & lux quæ Paulum de cœlo circumfulſit, direxit ad ſacerdotem Ananiam, vt ab eo ſacris allueretur aquis: & licet Deus alia ratione Paulum potuiſſet aggregare cœtui fidelium: voluit tamen vt is ſortiretur effectum lucis de cælo coruſcantis, quæ vt Magos, & Herodem direxit ad ſacerdotes, ita & Paulum tranſmiſit ad Ananiam ſacerdotem: qui erat vnus ex diſcipulis Domini: at ex Canone, *Sacerdotes ſunt loco diſcipulorum ſubrogati:* Imò quod eſt honoris apex, textus ille ſacer ſic eos effert. *Sacerdotes dicuntur Patres & Magiſtri Regum & Principum, & omnium fidelium,*

Appetituum actus qui ſint.

Voluntas nõ fertur in incognitum.

S. Dionyſ. ibidem.

EX IVRE CANONICO.

Concilium Trident ſe. 14. can. 18. de ſacramento pœnitentiæ & vade ſeſſione cap. 1.

Cap. Ecce nũc de pœnitent. diſt. 1.

Can. in nono diſtinct 21.

Can. Quis dubitet diſt. 96.

Sacerdotum dignitas & poteſtas.

Can. Nos qui diſtinct. 40.

Canon. cum ſcriptura 83. 1. q. 1.

Et hinc anſa mihi, vos benignè compellandi, ô ſacerdotes, vt ea nitela fulgeatis, quæ perſonam decet quam agitis, Eccleſiæ conſultores, & vt parenæſis mea luculentior ſit, audite quid canones ſacri ſanxerint de vobis, & heu de me inomerito ſacerdote! *Sacerdotes debent innoteſcere, non ex locorum, vel ex generis claritate, ſed nobilitate morum, non vrbium claritate, ſed fidei puritate.* Si quid tamen humani, pœnitens aduerterit in ſuo ſacerdote, ſciat nihil demi ſacramento, ex miniſtri infirmitate, dum omnia requiſita conſtent ex parte pœnitentis, & hoc Canone ſtabilitur. *Sacerdotum officia conſiderat Deus, non merita perſonarum.*

Sacerdotum obligatio vt virtutibus emineant.

Imò & Imperatores æmulantes Dei beni-

Ex Ivre Civili.

gnitatem, coius & aliquales agunt vices, in hoc rerum ergaſtulo, quædam crimina relaxarunt iis, qui ad Eccleſias ſacerdotum officinas transfugerent, quæſituri præſidium in vmbra Petri, & diurna ſtatione ſacerdotum. Huius beneficij aſſertores fuere Theodoſius, & Valentinianus Imperatores. *Pateant ſummi Dei templa timentibus, nec ſola altaria, & oratorium templi circumiectum, quod Eccleſias quadripartito intrinſecus parietum ſeptu concludit, ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita, ſed vſque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oraturus geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus, vt inter templum quod parietum deſcripſimus cinctu & poſt loca publica, & ianuas primas Eccleſiæ, quidquid fuerit interiacens, ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere, ne qui hoc auſus ſit, cùm diſcrimen ſuum videat, ad expetendam opem ipſe quoque confugiat.* In gratiam quaſi ſacerdotum, qui in Eccleſiis relaxant culpam, Imperatores pœnas illic etiam piè condonarunt.

Cod. Theod. leg. 4. de his qui ad Eccleſias confugiunt.

Eccleſia olim fuit refugium ad aras confugientibus.

Benè igitur ſibi conſuluut illi, qui conſulunt illos animæ conſultores, quibus inſciis nequit ſalus deperdita reparari. Vnde & in iure Pontificio, *Sacerdotes etiam Medici nuncupantur.* Et hæc eſt inter eos affinitas: ſcilicet vt ſicut æger medico ſe aperit, vt ingerat ille ſanitatem, ita & anima ſaucia ſe totam prodit, vt ſacerdos humore noxio deprehenſo, ſciat per ὀχετεύειν repurgare animam quam alluit noxia colluuies: vtque imperitia medicorum pereunt plerique decumbentes, ita & deficiunt plerique pœnitentes, niſi in congruos incidant ſacerdotes, quibus hæc lex eſto curandi animas petita è re medica, & à ſummo artis Dictatore. *ἃ δεῖ ἄγειν ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.* Quæ ducere oportet, ducenda maximè qua natura vult, & per loca illi conuenientia. Hoc aphoriſmo venerandus ille ſenex, de natura benè meritus, non vult temerè excernere humores, ſed ex dictamine naturæ, vt ſi crebrò eructet homo, & os affluente humore madeat, molienda vomitia. Si in die critico ſtillicidium ſanguinis exiguum è naribus exſiliat, fotu aquæ calidæ caput eſt imbuendum, quo poſſit liberalior ſanguis implere criſim inchoatam, & hoc eſt purgare per loca quæ naturæ & morbo conueniunt, ſicque liquet, morbo agnito, conſulendos eſſe peritos medicos. Ita vbi homo quidpiam in ſe deprehendit examine præuio noxium: conſulit ſacerdotes ſi eſt ſalutis amans. Sacerdos non illicò confeſſionem expetat, ſed videat quid in ægro moliatur natura, id eſt quid dictet ſynderesis, ſi ſuſpirat altè, aperiatur ingeniosè os pœnitenti, vt euomat peccatum, quod reticuit hactenus, ſi auro alieno crumena loculique turgeant, euacuetur ille tumor reſtitutione iniuncta. Et ſic in aliis noxis erit procedendum ſacerdoti, appoſitè ad regulas artis. Mathematica etiam vult ſe conſuli in extirpandis morbis, qui imminent homini etiam ſano, lumine nimirum deſuper illuſtrata, futuri præſaga, medelam quà occurratur morbo, ſollicitat. Verbi gratia, hominis inſpecta geneſi, ſi aduertit malè affectum inibi Saturnum, videlicet combuſtum vt loquuntur; id eſt iuxta Solem, vel retrogra-

Ol Medici in Canon. Conuertimini de pœnit. diſt. 1.

Ex re medica.

Sacerdotes ſunt Medici.

Hippocrat. lib. 1. aphor. aphor. 21.

Criſis infirma eſt adiuuanda.

Ex mathematica.

And. Laurent. l. 3. de criſibus. c. 5.

Saturnus quos morbos ingerat.

dum in quinta domo, homini cui ita Saturnus iniquus eſt, pronuntiant imminere, febres, quartanas, lepram, ſcirrum, cancrum, ſtrumas, maligna vlcera, melancholiam, hepatis & lienis obſtructiones, aliáque quæ regius habet Medicus Andreas Laurentius: adeò verum eſt omne lumen deſuper irradians monere homines, vt conſulant eos, quorum conſilio, omnia pro votis eueniant. Sed quicquid omnes diſciplinæ clament, nihil aptius homini occurrere poteſt, conſilio ſacerdotum, quorum ope atque induſtria, pœnitentes Dei ſacris, atque beneuolis ſiſtuntur obtutibus, facti confeſſione domeſtici, qui antea fuerant extorres inconfeſſi: prodigo etiam ipſo teſte qui genio indulgens, abierat in regionem longinquam, & confeſſus, dicens Peccaui, fuit gratiæ ſtola priſtina redimitus, ideò Sancti confeſſionis encomia extollunt multifariam.

Confeſſionis efficacia.

Ex SS. Patribvs.

Si quis vnquam confeſſionis encomiaſtes, is fuit Auguſtinus, cui non fuit ſatis ſacerdoti ſua pandere deliquia, ſed & foliis ſcripſit mandata typis quos nulla diluet ætas, ſic ille. *Fit veniale per confeſſionem, quod criminale erat in operatione.* Rationem adfert alibi. *Neque faciliùs ab inimico deuincimur, quàm cùm ſuperbiendo eum imitamur, nec vehementiùs eum proſternimus, quàm cum humilitate Dominum ſequimur, nec ei acutiores dolores infligimus, quàm cum plagas peccatorum noſtrorum confitendo, & pœnitendo ſanamus.* Huiuſque remedij neceſſitatem ſic explicat. *Peccata ſiue parua, ſiue magna ſint, impunita eſſe non poſſunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo iudicante plectuntur: ceſſat autem vindicta diuina, ſi confeſſio præcurrat humana.* Auguſtino ſuppar Ambroſius ſic hortatur. *Qui iaces in tenebris conſcientiæ, & suorum delictorum ſordibus, quaſi in reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, vt iuſtificeris; ore enim fit confeſſio ad ſalutem.* Bernardus verò ſic ſuum calculum adiicit. *Ama confeſſionem, ſi affectas decorem, rouera vbi confeſſio, ibi pulchritudo, ibi decor, ſi peccata ſunt, in confeſſione lauantur, ſi bona opera, confeſſione commendantur. Cùm mala confiteris, ſacrificium eſt Deo, ſpiritus contribulatus, cùm Dei beneficia dicis, immolas Deo ſacrificium laudis.*

S. Auguſt. lib. de vera & falſa pœnit. cap. 10. Id. in hom. il. 50 tom. 10.

S. Ambroſ. ſerm. de pœnit. cap. 17.

S Bernard. epiſt. 113. ad Soph virginem.

Confeſſionis energiam expertus Imperator Rodolphus primus, viarum comitem ſemper habebat ſacerdotem, quo inſcio ſciebat neſciri Deum, & quo conſulto, ſatis ſuperque conſulitur ſibi, Deo ſurſum diluente ſcelus, quod deorſum ſacerdos expungit. Imò & homines inclinat ad veniam, ingenua confeſſio facinoris, etiam teterrimi, vt fidem facit multiplex hiſtoria, de qua paradigma hoc vnum eſto. Dynſtam præpotentem, nomine Vincentium Samotulum Palatinum depoſuit quondam à ſua Præfectura Rex Poloniæ Vladiſlaüs, ſed Palatinus inglorius, & impar tanto dedecori, defecit ad hoſtes Regis Poloniæ, quorum ſtipatus agminibus, multas intulit clades Vladiſlao, qui clam ſollicitauit Palatinum ad meliorem frugem, ille ſuam pertæſus animi perfidiam, tentaturus pietatem Regis ſui, omnibus inſciis & ſolo rei nouæ conſcio Rege, eum conuenit, & pronus retroactæ vitæ amniſtiam rogat, obſtringens ſe voto, calente pugna ſe tranſiturum ad partes Regis ſui, cum ſelecta manu, & ſic editurum ſtragem hoſtium, quæ clades illatas Regi ſuo ritè compenſaret. Vladiſlaüs Palatinum ſuppli-

cem

Ex historia:

Imperiali S. Lazari ſub ann. 1291. Iod. Herburt. in Hiſtoria Polona ſub ann. 1331.

Rodolphus Imp. comitē ſemper habebat ſacerdotem à cōfeſſionibus.

Vladiſlai Regis miſericordia in Palatinum perduellem.

cem comiter excepit, & facti pœnitentem, reddidit priſco decori & infulis: quippe eius ope deleuit hoſtes, à quorum ſteterat antea partibus: quoties heu à Deo defecimus, ad ſenſuum caſtra inimica Deo, vt carni militantes, animæ clades inferamus: Deus vrget ad reditum, clam conſcientia reclamante, & palàm per nuntios ſuos, verbi ſacri Præcones anxios de ſalute hominum infidorum, inculcantes illud Dei propitij, *Redi, redi, præuaricatrix ad cor.* Etſi qui ſint qui Deo morem gerant, hos Deus confeſſos recipit in priſtinam gratiam, eorumque virtute reduce, magnas vitiorum delet turmas.

Ierem 3.

Pollux. l. 3. onomaſticon.

Diceres Deum obſeruantiſſimum moris antiqui, quo ſponſæ velata ſemper facie procedentes, quando faciem denudabant, accipiebant dona à ſponſis ſuis, hac aperta facie delinitis, & hæc dona dicebantur Ἀνακαλυπτήρια reuelatoria. Deus in Cantico, nonne ſponſam ſic compellat. *Surge, amica mea, propera & veni, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora, capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Nota myſterium, videlicet capi vulpeculas, quando velamen exuitur imminens faciei. Etenim tædium confeſſionis, & rubor quem ingerit ſcelus apertum, ſunt vulpeculæ quibus anima noxia diſſecatur. Quidquid nos à confeſſione diſtrahit, id totum eſt à dæmone, cuius aſtutiæ ſunt vulpeculæ, quæ in foueam decidunt, cum incurrunt in patulas aures ſacerdotis, cui homo ſua impia confitetur.

Confeſſio Deum Peccatori conciliat.

Cant 2.
Morale.

Quodque magis demirere, Deus non expungit tantùm næuos faciei, quæ ſe aperit ei in confeſſione, educto velamine ſilentij, quo ſuas anteà maculas obduxerat: ſed & adijcit Ἀνακαλυπτήρια reuelatoria dona: nimirum gratias quæ fluunt ex illo ſacramento, quo ſuſcepto abſque obice, infunditur ex opere operato gratia iuſtificans, ſtipata multis auxilijs, ad faciendum irrita conamina dæmonis inſurgentis: fitque vt facies obducta maculiſque fœda, miſſo velamine fiat aperta terſior, & gratior diuinis obtutibus, ſacerdote agente vices pronubi ſeu paranymphi, caſtos hymenæos Dei cum anima procurantis. Habet huius officij ſacerdotum aliqualem ideam priſca hiſtoria, quâ referente Gellio compertum eſt, neminem olim potuiſſe adoptari in filium alterius, niſi Pontifice ſuis ſuffragijs annuente: & hoc clamat Christus. *Oſtende te ſacerdoti*, ſi vis abdicato titu reprobo, in Dei filium adoptari. Quippe via ordinaria, vt loquuntur Theologi, homo qui dedit vitio multiplici nomen ſuum, nequit in cœtum fidelium, ſacerdote inſcio coaptari: is enim vnus poteſt delère chirographum quo ſe quis peccato obſtrinxit, & induſtria ſua flectere hominem antea tacitum, vt prodat ſua confitendo deliquia, ita vt ſacerdoti queas affingere ſymbolum de quo Capacius.

Dona reuelatoria quænam.
Ex priſca Hiſtoria Auli Gellij lib. 5. cap. 19
Adoptio olim qua formula facta ante Pontificem.

Ex Symbolis:
Pœnitentia non fit inconſulto ſacerdote.

Symbolum illud apud Capacium eſt imago ſphingis. Sphinx olim fuit monſtrum humana facie, & voce proponens ænigmata, dicebatur ſphinx ἀπὸ τῦ σφίγγειν, id eſt à conſtringendo: ſenſus enim eius ænigmatum erat valde conſtrictus & obſcurus. Sphinx Capacij, hunc titulum præfert. Incerta animi decreta resolvet, quo ſymbolo innuit author, in te patiente tricas inſolubiles, conſulendos eos qui quoſuis ſciunt explicare nexus, quales hæc ſectio aſſerit eſſe ſacerdotes, qui facta à Deo poteſtate, Incerta animi decreta resolvunt, dum ſe pedibus eorum aduoluunt animæ pœnitentes. Denique, quod eſt rerum omnium ſumma, hoc ſit oraculi vice.

Capacius lib. ſymbol.
Sphinx vnde dicatur.

Statius in Thebaide
Confeſſionis neceſſitas.

Individva svnt, confessio in solo et confessio in coelo.

DÆMON APERTO MARTE nequit obeſſe, ideò clam nectit inſidias.

In hæc verba:

Tunc Herodes, clam vocatis Magis.

Sectio VI.

VBi Herodes explorauit Magorum animos, omnino pronos in cultum pueruli Iesv, non auſus eſt ſuam aperire perfidiam, ne Reges exoſi immane ſcelus, ab eo deficerent: ſed ementita pietate, clam eos ſollicitat ad reditum, vt poſteà conceptum virus in eos euomeret, vt in aſſertores, & præcones noui Regis, à quo Herodes ſibi metuebat. En idæam dæmonis inſurgentis in animas, quas non leonino more, ſed in modum vulpeculæ ſolet impetere. Quippe nemo apertè poteſt Deum habere infenſum, ſed Dæmonis aſtu ab eo per vias obliquas, homo impiè deflectit. Nec id omnino latet Philoſophos, qui aiunt potentiam quamuis, ad naturale ſuum obiectum referri, reſpectu tranſcendenti, & ab eo ita eſſentialiter dependere, vt extra obiectum ſuum, nequeat vlla potentia diuagari, eamque eſſe indiuiduam rationem potentiæ & obiecti, vt potentiæ non definiantur niſi per obiecta, vt ait Ariſtoteles cum docuit, *Actus & obiecta eſſe ratione, ſeu definitione priora potentiis.* Vnde eruitur iſta concluſio. Voluntas nequit ferri in malum, malum enim eſt obiectum omnino diſſonum à voluntate, quæ cùm ſit appetitus intellectualis; nequit ferri niſi in obiectum, cui inſit aliquid appetibile, ſed id quod eſt diſconueniens, non eſt appetibile, imò odium & fugam ingerit apprehenſum: ergo voluntas non in aliquod peccatum incurret, quia ex Philoſopho, *Omnis appetitio tendit in bonum.* Et peccatum eſt ſumma malorum omnium.

Ex Philosophia:

Ariſtot l. 1. de anima c. 4. textu 33.
Appetitio in bonū tendit.

Ariſt lib. 8. Ethic. cap. 1.

Theologia diſcutiens eamdem quæſtionem, indubiam hanc aſſerit theſim. Nec ipſos dæmones & reprobos poſſe odiſſe Deum: odium enim eſt quidam motus appetitiuæ potentiæ, quæ non mouetur niſi ab aliquo apprehenſo, Deus autem dupliciter apprehendi poteſt, vno modo ſecundum ſe ipſum, vt eſt ipſa bonitas, & rerum omnium finis, & ſic Deum nemo odiſſe poteſt, quia voluntas ab obiecto ſuo nequit deuiare. Alio modo Deus poteſt apprehendi per effectus, cùm ſcilicet inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſunt autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati, ſicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum, per legem diuinam, quæ duo repugnant voluntati deprauatæ vitio ſuo; in ordine ad tales effectus, ab aliquibus

Ex Theologia:
Odiū nequit ferri in Deū.
S. Thom. 2. 2. q. 34 art. 1.

quibus Deus poteſt odio haberi, inquantùm ſcilicet apprehenditur, vt peccatorum prohibitor & pœnarum inflictor. Duplex hic modus apprehendendi Deum, cadit etiam in virtutes.

Virtutem nemo poteſt odiſſe.

Nimirum virtus poteſt apprehendi, vt conſona rationi, & quid homini conueniens, & quâ homo illuſtrior exiſtit, & vt ſic virtus apprehenſa nequit odio haberi. Alio modo virtus apprehendi poteſt, vt habens quid diſſonum carni, cuius inquieti motus, virtute velut fræno inhibito compeſcuntur: vt abſtinentia effrænem gulæ reprimit appetitum. In eo ſenſu virtutem odêre mali, formidine pœnæ, quam obit caro in ea virtutum praxi, ita & vitia bifariam poſſunt conſiderari. Primo vt quid deuians à recto tramite, & hominem addicens pœnis æternis: in ea ſpeculatione, vitium ingerit horrorem tædiumque ſui, nempe voluntas nequit ferri in obiectum, cum diſpendio ſui. Quomodo ergo dæmon hominem facit peccatu obnoxium, cùm non ſit peccatum niſi ſit voluntarium? Reſpondeo hoc fieri clam, & non palàm; nam dæmon vitio prætendit ſucos, & ingerit menti quaſdam delicias, comites indiuiduas voluptatis, aliàs illicitæ. Verbi gratia,

Geneſ. 3.

Euam ſpiritus ille nequam aggreſſus, non ſuggeſſit ineſſe mortem virulento pomo, ſi illud comederet, ſed egregiam pomi ſpeciem oculis obiecit, guſtuique ſaporem ineſſe gratum illi fructui ſuaſit, ſicque Euam quam marte aperto non mouiſſet quidem, clam perdidit imperitam. Vide ex textu ſacro, obiecta ſenſuum ludibria, in quæ impegit voluntas hominis irretita. *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo qui comedit.* Hinc vides voluntatem ferri in malum, ſub ratione alicuius boni, id eſt conuenientiæ, in qua ſita eſt tota ratio appetibilitatis.

Dæmonis inſidiæ lineatæ egregia figura.

Ex Figvris:

Aliam dæmonis typum accipe, quo lethales inſidias eſſe deprehendes, quibus clam inuoluit animas ſanctiores, quibus in aperto nulla poteſt ingerere diſpendia. Regia hiſtoria miris encomiis effert Abner, præpoſitum militiæ Regis Iſraël de eo hoc eſt celebre Dauidis encomium. *Manus tuæ non ſunt ligatæ, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati.* Hunc Heroem, odio immani habebat, alter præfectus militiæ Ioab, & is æmulus Abner: quippe ambo diuerſo Principi militabant. Signis explicatis Ioab non poterat æmulum ſuum, ex animo profligare: rem iniquam excogitat, fingit amicitias, & ſimultatum expunctas eſſe cauſas omnes, perfidus ementitur, & Abner credulum ſic perdidit, vt hoc textu deſcribitur. *Ioab miſit nuntios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira, cumque rediſſet Abner in Hebron, ſeorſum abduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur in dolo, & percuſſit eum ibi in inguine, & mortuus eſt.* Dæmonis nuntij perfidi ſunt, ea omnia quæ ſuggerunt, vt auocet à ciſterna, id eſt à lachrymis, & à pœnitentia: tamen cum ſæpe nihil noxij eluceat, incautè Dæmoni ſæpius auſcultant. Verbi gratia, faces libidinis vult Dæmon cupiâ pio ſupponere, mulieris pietatem proponit inſignem, qua inclinatur homo ad innoxia colloquia, ſpecie virtutis imitandæ, vel ſaltem admirandæ: repetita colloquia animum ad modium portæ reuocant, ſcilicet ad phantaſiam & ad oculorum fores multis exitio, & dum oculis ebibit formam egregiam mulieris, quam initio caſtè deperibat, percutitur in inguine: illic enim ſulphur eſt, quod facilè concipit ignes libidinis æſtuantis, perítque miſer cui Dæmon in dolo locutus in medio portæ, id eſt, vt primò vidit mulierem, non apperiit ſtatim, ſed conſortio pietatis animo concepto, in eadem tandem malè periit porta, quæ fuit exordium tantæ tragœdiæ. Caue igitur dolos, ô homo, cautior aliorum crebris diſpendiis, & crede ſanctis qui in dæmonis verſutias toto pectore debacchantur.

2. Reg. 3.

Ibidem.

Ioab induſtria vt occideret Abner.

Lacrymarũ fluxũ impedit dæmon.

Dæmonis aſtutia vt auertat reprobos à pœnitentia.

Ex SS Patribvs.

S. Leo ſerm. 7. de natiui Domini.

Sanctus Leo Pontificio culmine inſignis, aperit Dæmonum technas. *Non deſinit antiquus hoſtis tentationum laqueos vbique prætendere, vt quoquo modo fidem credentium valeat corrumpere, nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus inuidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat, nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat, omnium diſcutit mores, omnium ventilat curas, omnium ſcrutatur affectus, & ibi quærit cauſas nocendi, vbi viderit quemquam diligentius occupari.* In eadem mente fuit Beda venerabilis quondam ſenex, & omnium rerum peritia ſagax, ſic ille. *Sæpe antiquus hoſtis, poſtquam mens noſtra tentationum certamen ſuſtinuerit, ab ipſo ſuo certamine ad tempus recedit, non vt illata malitiæ finem præbeat, ſed vt corda quæ per quietem ſecura reddidit, repente rediens, facilius inopinatè irrumpat.* Eadem planè ait aliâ ſerie verborum Caſſiodorus. *Bellum graue, quia occultum, quia cum fortiore, hoſtis inſidiæ non videntur, aduerſarius nec labore deficit, nec victus aliquando diſcedit, ſed tantò atrocior redit, quantò eum per diuinam gratiam debellari poſſe contigerit.* Liquidius adhuc ſoluit vincula Dæmonis Ambroſius. *In ipſa tentatione accipe diaboli verſutiam, ſic tentat vt exploret, ſic explorat vt tentet.* Benè ergo Hieronymus inuehitur in verſipellem ſpiritum nuncupans eum, *Hoſtem cui nomina mille, mille nocendi artes.*

Beda in lib. ſuper Lucam.

Dæmõ quãdoque recedit vt acrius redeat.

Caſſiodorus in Pſalm. 51.

S. Ambr. l. 4. in Lucam.

S. Hieron. l. epiſtolar.

Dæmonis inſidiæ quã metuendæ.

Ex Hiſtoria:

Iudic. 16.

Omnigenæ hiſtoriæ exempla proſtant, quibus multi perierunt inſidiis, quos vis aperta non nouiſſet. Quid Samſone fortius? hunc vocauit muliercula imbellis, *latentibus apud ſe inſidiis*, perijtque fraude, Heros interritus. Et vrbs Hai, quæ Ioſue fecerat hactenus irrita conamina, flocci pendens innumeros globos, & phalanges agminum Iſraël, dolo ſenſit direptionem, quam aperto Marte minimè metuebat. Sic enim Ioſue ſuos affatus eſt. *Ponite inſidias poſt ciuitatem, nec longius recedatis, & eritis omnes parati; ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, aſcendemus ex aduerſo contra vrbem, cumque exierint contra nos, ſicut ante fecimus, fugiemus & terga vertemus, donec perſequentes ab vrbe longius protrahantur, putabunt enim nos fugere ſicut prius, nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis ciuitatem, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, vt iuſſi.* Multi ſanè eluſerunt plures dæmonis auſus, ſed ſecuriores inde effecti, longiùs inceperunt procedere ab arce, id eſt à ſuorum cuſtodia ſenſuum, à qua Iob nũſquam recedebat: dixit enim. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Finxit fugam dæmon, ſopita omni tentatione carnis, incauti

Ioſue 8.

Dæmonis bellũ nullas patitur inducias.

Morale.

Iob.

incauti homines iam incurij inſidiarum, omni ſe cœtui immiſcent, vnde ex improuiſo mens eliſa ruit, quæ ſui compos atque ſollicita, ſemper antea triumphârat, fœdo igne æſtuat anima, corpore etiam eo libidinis incendio conflagrante.

1. Pet. 5.

Has dæmonum verſutias, probè callens Apoſtolus, fidelium auribus inſuſurrat. *Vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

Plutarch. in Lyſandro.

Si ab Hebræis diuertamus ad Græcos & Romanos, reperiemus ſemper inſidiis rem bellicam vtrobique cõſtitiſſe. Scitum eſt apophthegma Lyſandri, vice appendicis eſſe aſſuendam vulpinam pellem pelli leoninæ, ſi in aliquo deficiat, imò Græcis innata calliditas locum fecit adagio.

Æneid. 2.

——— dolis inſtructus, & arte Pelaſga.
Quidquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.

Excidium Troiæ clamat Græciam armis impotentem, aliis tamen omnibus præualere fraude. Nec eſt quod Roma ingloriàs prædicet inſidias; nunquam enim Hannibalem fregiſſet agmine explicato, vt experta eſt in Marcello æmulo Hannibalis, rem egit aſtu, Fabio ſemper Hannibali è collibus imminente, vt incautum inſidiis opprimeret. Didicerat Roma ſuo extremo penè periculo, quantùm poſſint inſidiæ, cùm Galli noctu in capitolium irrumpentes, Romani imperij tantum non expunxere decus, & ne exoletas putet inſidias bellicâ gloriâ, qua ſibi populi præpotentes nõ immeritò blandiuntur: vide vtrique populo eſſe vernaculas inſidias, & vt auſpicemur à Gallis. Quomodo iuris eorum fuit vrbs potentiſſima Mediomatricum, quam Metas vocant? An non aſtu & ementito pacifico colloquio, cuius epilogus fuit præambulum vrbis captæ, victoriâ incruentâ. Hiſpani cautiores Gallis in eo genere pugnæ, ceperunt Ambianum, cuſtodibus occupatis in colligendo nuces, & hæ nuces magno conſtiterunt Henrico Regi, qui eas redemit multis tormentorum globis. Quomodo autem ſint eludendæ inſidiæ, eximiè oſtendit Dux celebris inter Heroes Dominus *de Monluc* vulgo nuncupatus, cuius vtinam peritia, cautiores fiamus aduerſus ingruentes dæmonum aſtus.

Plutarch. in Fabio.
Inſidiæ familiares omni nationi.
Plutarch. in Camillo.
Du-pleix in Henric. 2. ſub an. 1553.
Du-pleix in Henr. 4 ſub ann. 1598.
Monluc in ſuiſmet commentariis.

Marchionis Marignani & Monluci Ducum licet æmulorum comitas reciproca.

Senas vrbem Italiæ ſui olim iuris, vtpote Rempublicam, obſidebat Rex Hiſpanus: audita oppreſſione Senenſium ab Hiſpanis, Gallia velut omnium orphanorum parens præſto fuit vrbi iam nutanti, auxiliares copias tranſmiſit: quæ ſubueniſſent Gallis exiſtentibus in vrbe, in præſidium, Domino *de Monluc* agente Præpoſitum belli: is ſæpius irruptione factâ, hoſtium caſtra turbauerat, imò & Hiſpano ſanguine cruentarat, eoque admirationis deuenerat, vt eſſet miraculo Hiſpanis, quorum Præfectus Generalis Marchio *de Marignan* vir vtique ſtrenuus rerumque geſtarum minimè inglorius, Gallum ſicut & mirari & ſuſpicere, ita & amare cœpit: ea enim eſt virtutis indoles, vt animos ſibi aſſueros conſociet, etſi ſint aliunde diſpares. Itaque mutuis epiſtolis teſtati ſunt ambo, quanti ſe facerent, & ſtante fide quam iurarant æmulis Regibus, inierunt ambo ciuile fœdus, ſine diſpendio tamen armorum, quibus vtrimque hoſtiliter agebatur: Animum ſuum ciuilem voluit Gallo præoſtendere Hiſpanus ſciens vrbem inedia premi: inſtabat dies natalis Domini IESV, mittit caduceatorem, qui cophinos veheret ad portas volatilibus plenos & lagenis optimo vino inſtructis: adſtat ille, & deponit ſarcinulas, cum epiſtola ad Præfectum dominum *de Monluc*, qui palam aperta charta legit, Marchionem *de Marignan* illa donaria mittere, vt dies feſtus inſtans alacriùs ageretur, nec communis orbis exultatio naſcente Chriſto, impediretur vrbis inedia, & hæc eſculenta eſſe indices animi Marchionis in Gallum, cuius egregia facta, hoſtium etiam animos inclinabant, ad reuerentiam ſuſpiciendi Herois propugnatoris vrbis.

Hac publicè prælecta epiſtola, hæſit Gallus anxius, quid opus eſſet facto; tandem ait. Non ſuſpicor ineſſe virus eſculentis miſſis ab Hiſpano: comperi enim hominis indolem, ab atroci facinore alienam, ſed alias ſubodoror inſidias, hominis ſtrenuè peraſtuti: credit iſtis gulæ cupediis demulcere incautos, & ego ſimulantem amicitias ſagaciùs cura inſolita præcauebo. Itaque, ô ſocij, quiſque in ſua ſtatione accinctus hac nocte inuigilet ſibi, ſi quidem ſuboleo technas, in hoſte nobis hodie propitio. Non defuit fides ingenioſo præſagio, etenim nocte opaca Hiſpanus arbitratus Gallos donariis ſuis eſſe dementatos, clam admouet inſidias mœnibus ſcalas, vt inſciis Gallis irrumperet: ſed illi impigri aduolantes imminent hoſti quem è muris deturbatum fugant edita ſtrage multa hominum, quorum præuiſæ inſidiæ ceſſerunt in ruinam artificis, cuius dolum pietas obduxerat. Vtinam fieremus hac cautela doctiores in eludendis dæmonum technis, quas prætendunt, non die natali Domini IESV tantùm, ſed aliis etiam omnibus, quos ſacra quæpiam ſolemnitas facit illuſtriores. Dæmon antea ingerit quoſdam altæ pietatis ſenſus non officit, quin opimo Euchariſtiæ eſculento ſaginetur anima; mundi etiam ſuffragio applaudit beatis mentibus, ſed tandem prætextu diei, aliquam recreationem ſuggerit eſſe capiendam animumque relaxandum à ſeuero habitu, incauti morem gerunt, & ſæpe dies feſtus, fit dies faſtus atque ſuperbiæ, cui cùm indulgent homines, technarum Dæmonis incurij, patent inſidiis quibus opprimuntur iidem, qui ſuos antea hoſtes oppreſſerant. Igitur ô mens tuæ ſalutis benè ſollicita, ſi quid tibi arridet, & proſpere cedit, habe illud dubium totum, & metue alternantis fortunæ vices, neſciens quid veſper vehat.

Gulæ inſidiæ ſunt cauendæ.
Proſperitas eſt ſuſpecta.
Ex SYMBOLIS:

Lubius lib. numiſm.

Hac cautione ſibi conſuluere Batauì, quos Hiſpanus vt vidit defeciſſe, & in Rempublicam ſurrexiſſe exoſum nomen Hiſpanum, fruſtra armis aggreſſos, tentauit tandem delinire obſequiis, ſed Batavi ex perfidia facti & infidi, detrectauere fidem pollicitis Hiſpanorum, cuderuntque numiſma in quo pax erat figurata, obſita manicis atque compedibus; his vocibus in ora numiſmatis circumactis. PAX PATET INSIDIIS. Ita & peritiſſimi quique ſanctorum, nequaquam fuerunt ementita pace ſegniores, id eſt, vbi vacabant à tentatione, non ideò genio indulgebant, quia PAX PATET INSIDIIS. Quippe in induciis ſubodorati laqueos, animum à piaculo minimè relaxabant, bonum dolum, malo Dæmonum dolo, opponentes, vt

Pacis inertia eſt timenda.

canonico

Ex Ivre Canonico:

Cap intellex mus de adulteriis. c. ſtatuimus 13. De officio deleg.

canonico Iure licet. *Dolus cum dolo compenſatur.* Nefas enim eſſet Dæmonem dolo facere omnia ſui iuris, reclamat iſta ſanctio Pontificia. *De dolo & fraude non debet quis commodum reportare.* Nihil namque malis artibus, cedit in ius perpetuum vſurpantis, ideò reſiliendum à Dæmonis obſequio, qui iniquè ſibi vendicat delinquentes, teſte Eua, quæ vbi technas deprehendit, conqueſta de Dæmone, Deum appellauit dicens. *Serpens me decepit.* Debet quiſque dolos Dæmonis expertus ſiſti Iudici, in tribunali pœnitentum, vt expungat Deus titulos, quibus Angelus nequam homines ſuo obſequio mancipauit: Cadet enim causâ fraudulentus vſurpator, ſic enim & iure ciuili prouidetur homini defraudato.

Ex Ivre Civili.

Lege Diuus de reſtitutionibus in integrum.

Lege 1. § & generaliter d. gl. ex facto. d. l. 1. § 1. De dolo malo. Lege fraudi. 79. de Regul. iur.

Dolo aduerſarij deceptus, potius eſt reſtituendus, quam detur ei contra aduerſarium actio. Quid ſit autem dolo agere, lex explicat. *Dolo facere videtur, quicumque petit id, quod exceptione qualibet poteſt elidi, vel quod petere non debebat.* Denique ius exoſum omnem calliditatem, ſic in eam inuehitur. *Dolus malus eſt omnis calliditas, & fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum vel decipiendum alterum adhibita.* Nec ſi omnis Dæmonum tentatio ſuum ſortitur effectum; fraudis tamen rationem non amittit omnis iniqua ſuggeſtio, qua Angelus ille nebulo percellit animas, vt & probatur hac lege.

Dæmon agit in nos dolo.

Fraudis interpretatio ſemper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. Vnde ſic arguo. Omne quod ingerit dæmon, id totum ſpirat hominum necem; ergo fraudi nomen ſuum non detrahet, tentationum exitus fauſtus ei qui ſtrenuè motus iniquos compeſcuit inſurgentes, nec deſinet eſſe fraus tentatio, etſi non decepit.

Ex re Medica:

Non mentibus tantùm texuntur inſidiæ, imò & corpori, quorum ſanitas impetita clam & inſcio ægro, periculo propior eſt, quàm cùm palàm noxius humor deſæuit in hominem decumbentem: quippe apertus hoſtis ſedem occupans medico peruiam, poteſt facili negotio inde deturbari; ſed cùm latens humor, medici peritiæ ſe occultat, lethales inſidias vitæ nectit, à quibus valde operoſum eſt expediri.

Hippocrates lib. epidem. morborum

Morbi quidam cognitu difficiles.

Critones, morbus ſtupendus.

Exemplum adfert Inſulæ Coi decus Hippocrates, cui morbi inuij nemini vnquam patuerunt. Inuiſit ille aliquando Critonem hominem Hippocrati ex facie notum, intumuerat Critoni pollex pedis, & inde latens humor ſorſum vectus, fomitem virulentæ febri ſubminiſtrans hominem peſſimè agebat, illic anomala omnia & abdita ſummo Medicorum, qui ſubodorans inſidias mortis occultæ, vidit ægrum poſtera die morientem.

Hippocrat. Coaca. 16. libro 1.

Idem Hippocrates iam grandæuus, multaque experientia edoctus aſſerit, eos qui conualuerunt, ſi tamen crebriùs algent, patere inſidiis noxij humoris, qui putreſcens vitæ periculum faciet, audi ſenis oraculum [illegible] *Quibus effectis ſanis, crebrò rigores fiunt, ij loco fluxus ſanguinis, empyema patiuntur.*

Rigores crebri in conualeſcentibus mali ſunt ominis.

Quod ſic moraliter expendo. Hi quibus friget crebrò deuotio, non benè diſponuntur ad fundendum ſanguinem, potiùs quam deuiare à Chriſto, ſed potius hi rigores orti ab aliquo deliteſcente humore prauo, ſunt indices abſceſſus mox futuri: nam tentatio occulta deſinet in pus fœtidum, & in tabem qua æger miſerè contabeſcet. Huic meo prognoſtico fidem faciunt omnes qui à recto virtutis tramite deuiarunt.

Sydera quædã infauſta.

Verbi gratia ſciſcitare ab homine, quem libidinis humor noxius & putidus exedit & depaſcit, vnde ille fœtor, & putida colluuies? Reſpondebit morbi initia fuiſſe rigores, tepente videlicet pietate, ingruens tentatio extinxit fomitem amoris diuini ſcilicet gratiam, quâ eliminatâ, inundans humor tranſit in abſceſſum in cordis receſſus irrumpentem: hinc crebra deliquia quæ hominem totum perditè depaſcuntur. Vides quam peius ſit clam impeti, quam palam.

Ex Mathematica.

Dauid Origanus in ſua Iſagoge ad Aſtrologiam.

Idipſum etiam clamant Mathematici, qui mente præſaga dicunt ſibi patere omnia: nimirum nihil adeò metuunt, vt abdita ſydera. Etenim vbi de Planetis in ſchemate cœli rite diſpoſitis, regia pronuntiauere, in gratiam editi fœtus, anxij tamen ſunt, ne ſydus aliquod è firmamento influens iniquè diluat ea omnia, quæ fauſta fore ex ſchemate cœli prædicabant. Verbi gratia, quis Venerem habeat in ſigno Tauri, in prima domô ſuæ geneſeos, inde Mathematicus quidpiam inſigne ominabitur puero, qui Venus in Tauro domicilio ſuo gaudet. Tamet ſi Venus impingat in gradum, quem occupat ſtella quæ micat in oculo Tauri: quam Aldebaran vocant, mortem inde violentam imminere iactant ſyderum inſpectores. Hoc theoremate mortem iniquam prædixit heroï Gallo Bironio, Petrus Broſſens inſignis geneſeos artifex: aiebat enim ille omnia portendere imperium Bironio, & Planetas, & duodecim ſigna conſpirare in apicem honorum, ſed cauendas eſſe inſidias ſyderis, cui nomen caput Meduſæ, ſeu caput Algor: hoc enim portendere inſidias, & à tergo capitis abſciſſionem. Si tibi omnia affulgeant læta, dubiis inuigila. Sed eſto, omnes ſint cauendæ inſidiæ, eæ potiſſimum quæ ab Angelo refuga prætenduntur, ſunt ſedula mente præuidendæ: fauebit hoc meum Theorema.

Petrus Matthæus in Bironio ſub an. 1602.

Ducis Bironij infauſta figura genethliaca, cendum Aſtrologis.

Dæmon non irrumpit, sed irrepit, eam ob rem ingenio hominis insideant, genii mali ominis insidiæ.

ANIMA DÆMONVM EXPEDITA laqueis, pergit in Bethlehem, id eſt domum panis, ſeriò Euchariſtiæ intenta.

In hac verba:

Mittens illos in Bethlehem.

Sectio VII.

Ioſephus lib. Antiquit. Iudaicarum.

IOſephus templi Iudaici ſedulus inſpector, & interpres rerum myſticè illic editarum ſcribit in limbo menſæ aureæ, cui panes propoſitionis incubabant, fuiſſe inſculptas exquiſitè facies Regum Iſraël, Deo vel ſic indicante Regum eſſe prouidere ſuis & occurrere inediæ ſubditis imminenti, hoſque omnes Reges depictos in menſa panibus addicta; diceres editos in loco panis, ſiue in Bethlehem, hoc enim ſonat vox illa Bethlehem,

Facies Regũ inſculptæ menſæ panũ propoſitionis.

Beth

Beth בית domus, *lechem* לחם panis, cùm enim omnia Regibus affluant, eorum palatia debent eſſe domus panis, populo areuti inediâ. Talem ſe præſtitit Pharao occurrens fami, quæ inſtabat toti Ægypto, de qua præmonuit eum Deus, vt eum penes quem debeat eſſe cura panis: & alius abdicauit ſe Regno, quia non potis erat ſufficiendo pani, populo quem fames eaque valida perurgebat: aiebat enim, *Nolite me conſtituere Regem, in domo mea non eſt panis.* Illa ſanè menſa panum propoſitionis; notata regibus, quorum erant illic facies expreſſæ, fuit figura loci, in quo editus eſt Rex Regum Dominus Ieſus natus in Bethlehem, vt in domo panis: quid igitur mirum, ſi Magi ab Oriente, ſuam famem aperientes omnibus, eam tandem leuant in Bethlehem, quo direxerant eos ſacerdotes, à quibus audierant Chriſtum illic naſciturum. Relictâ igitur Ieroſolyma, vbi deſiderium ſuum de videndo Chriſto non expleuerunt, in Bethlehem illicò contenderunt.

Iſa.

Diceres Bethlehem fuiſſe menſam, cui Chriſtus futurus panis vitæ proponebatur: ad hanc igitur menſam accedunt Reges, ab Oriente ſaginandi, non vt hinc menſæ ſuas inſculpant facies regias, vt in alia olim menſa panum, ſed vt in hac menſa panis, adorent faciem Regis Regum, qui naſcitur in domo panis, vt omnibus conſona cuique prouideat eſculenta: regiam enim eſſe curam liquet ex legibus, quibus Imperatorum commendatur diligentia, in curandis horreis. Habes legem Imperatorum Valentiniani, & Valentis ad Voluſianum Præfectum vrbis. *Caueas ne Vrbaniciani officiales, annonariis neceſſitatibus miſceantur, omnia participe præfecturâ annonaria diſponas ac iubeas ad curam propriam reuocari, ad iſtud autem negotium, arbitratu ac tuo iudicio, nobilis, prudens, fidelis, optimè ſibi conſcius, pro integritatis meritis adponatur cuſtos, ac menſor, qui vel frumenta modio metiatur, vel iuſtis æſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito.* Eadem & curâ fuerunt inſignes Arcadius, & Honorius Imperatores. *Nihil prius ex horreis conſequantur, quàm omnis Canon, qui antiquitùs eſt inſtitutus, fuerit completus, cognoſcente officio vrbicaria præfectura, decem libris auri eſſe mulctandum, ſi quæ decreuimus, fuerint temerata.*

EX IVRE CIVILI:
Cod. Theod. leg. 1. De cōditis in publicis horreis.
Cod. Theod. leg. 2. eod. tit.
Principû eſt prouidere an ionam populis.

Et Eccleſia quæ ſacrum Imperium exercet in animas, Iure canonico ſuis prouidet fidelibus horrea ſacra, pane vitali inſtructiſſima. Vnde hi canones effluxerunt. *Euchariſtia in loco ſingulari, mundo, & ſignato ſemper honorificè collocata, deuotè & fideliter conſeruari debet.* Et ne inutilis panis ille recondatur, Eccleſia quoſque adultos ſanxit, ſemel in anno ſaltem illo pane paſci. *Euchariſtiæ Sacramentum recipere tenetur quilibet doli capax, ad minus in Paſcha.* Et hoc pane ſacro ſacerdotes reficiebant eos, quos ſacris myſteriis initiauerant, vt hâc eſcâ fierent vegetiores.

EX IVRE CANONICO.
Cap. ſane de celebratione Miſſarû cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentia & remiſſione.

Reges ab Oriente cœlitus illuſtrati, Neophytorum egêre vices, quæ diu in Eccleſia viguerunt, vt ſcilicet gentilis, cui fidei radius aliqualis illuxerat, traderetur ſacerdotibus imbuendus à quibus ſufficienter excultus, fiebat tandem panis viuifici compos, hac ſerie deuenerunt in Bethlehem domum panis Reges illi Neophyti, nam ducatu ſyderis illucentis, conocêre ſacerdotes, qui eos edoctos direxerunt in Bethlehem. Inde hoc mihi morale occurrit: panem hunc eſſe tantùm panem Regum, id eſt eorum qui regiè ſe geſſerunt in omnibus, ideò dicebatur panis propoſitionum, panis facierum *lechem* לחם *Panim* פנים. Nullæ autem erant facies in ea menſa ſacra, aliæ à faciebus Regum, quæ illic inſculptæ, menſam illam regio apparatu dignabantur: Deo ſic innuente menſam ſuam, eſſe menſam Regum ſeu hominum quos nulla peccati labes, dæmonum vouit obſequio. Si igitur homo ſpiras ad honorem menſæ huius, habe te in omnibus regiè, nam regibus tantùm hæc menſa coaptatur: & hoc ſancti Patres inculcant, in quibus S. Ambroſius explicans illa verba Chriſti. *Vbicunque fuerit corpus, illic erunt Aquilæ.* Intelligit de corpore Chriſti, quod ab aquilis, id eſt regiis mentibus circumagitur. Sic ille. *Eſt corpus de quo dictum eſt, caro mea verè eſt cibus, circa hoc corpus vera aquilæ ſunt, quæ alis circumuolant ſpiritualibus.* Et ſanctus Cyrillus. *Accedentibus ad benedictionem myſticam, miniſtri myſterij magna voce clamant, ſancta ſanctis, ſolos ſanctificatis ſpiritu, tactum & ſanctificationem corporis Chriſti congruere ſignificantes.*

MORALE.
Panes propoſitionis quare dicti panes facierum.
EX SS. PATRIBVS:
S. Ambroſ. l. 8. in Luc.
S. Cyrillus lib. 12. in ioann.

Regiæ menſæ intereſſe, ſolis licere Regibus, liquet ex Iure gentium, ſed & aduocari poſſe ad eam quoſpiam oſtendit egregiè Rex Ludouicus duodecimus Gallus, qui cum Ferdinandum Regem Arragonum, conuiuio exciperet, voluit Rex Gallus, vt & accumberet & conuiuaretur Ferdinandus Conſaluus, qui & regias nuper profligarat acies, dicens illum eſſe dignum regiis epulis, qui etiam regibus victor inſultaſſet. Ecce Reges ab oriente, ab Herode tentati, vt dubiam eorum fidem in Chriſtum labefactaret: impij Regis omnia eliſere conamina, & eam ob rem ſydere præeunte, ſacris Chriſti ſiſtuntur obtutibus, in domo panis, velut Reges & Regis infidi victores ſtrenui. Libet hic percontari, ab omnibus qui ſe ſe ſacræ iſti ingerunt menſæ, an vnquam regium aliquid exantlarint, ſed ſpeciatim noua quaque acceſſione, ſe quiſque interroget hac methodo. Heu anima mea, nuper aſſediſti menſæ Domini ſaucia plagis exceptis in agone cum ſuperbia, libidine, & auaritia, Deo te arctè deuinxiſti, nuſquam ampliùs te ſubituram iugum vllius vitij, ſed regiè in poſterum habituram te irruente Dæmone, an immemor obſequij in quod tu iurasti, ſeruilem vitam egiſti? Vbi victoria de aliquo vitio reportata? vbi habitus nequam expuncti? vbi virtutes impigro niſu procuratæ? Quod ſi quis non victorem ſe, ſed victum deprehendit, iam non fidenter accedat, vt Rex, ſed in modum canis, micas emendicet de crepidine ima menſæ, quæ cùm ſit regia, Reges tantùm allicit & inuitat. Fauet ſymbolum quo exceptus eſt Rex Henricus quartus, à quo cùm defeciſſet Gallia pene tota, pœnitens facti prona ſuſcepit regem hunc, qui immemor defectionis, oſtendit ſe omnibus propitium. Burgundia vltima propè fuit, quæ detrectata obſequia legitimo tandem Regi exhibuit, immemori iniuriarum quas ab ea hactenus acceperat. Et vt egregio monumento ſuam fidem teſtaretur ingenuam poſteris Diuio vrbs nobilis, & opimæ prouinciæ caput, Regiam effigiem marmoream erexit, & inſeruit fornici editæ quæ

EX HISTORIA:
Du-pleix in Ludouic. 12. ſub an. 1501.
Regis Ludouici XII. & Regis Ferdinandi conuiuium.
Ferdinandi Conſalui meritum.
EX SYMBOLIS.
Diuio vrbs nobilis.

Ex Mathematica:

Diuionis ſides erga Henricum IV. Regem Chriſtianiſſimum quo ſymbolo oſtenſa.

eminet ædibus comitiorum vrbis, hoc titulo aureo charactere ſuperpoſito imagini. SOLEMQVE SVVM SVA SYDERA NORVNT, alludens ad Planetas qui ſemel in anno iunguntur Soli, à quo ſuum lumen emendicant, cùm enim Sol omnia ſigna Zodiaci permeet, & decurrat vnius anni ſpatio, & Planetæ omnes ſint in aliquo duodecim ſignorum, neceſſe eſt vt Soli aliquando occurrant, & cùm eo concurrant, coeuntes in eodem ſigno. Faxit Deus, vt nos errantia ſydera, aliquando Chriſto Domino in Euchariſtia ſociemur, vt verè dici queat, SOLEMQVE SVVM SVA SYDERA NORVNT. Erant reuerà ſydera Magi alio ſydere acti, ideoque Solem ſuum Chriſtum, ſua ſydera norunt. Qualiter autem recreati fuerint illi Reges in ea domo panis, id ſciunt illi quos abundè ſancta Communio ſaginauit, & cuius effectus, ne repetita nauſeent, vide ſequenti tractatu de Euchariſtia, vbi ſcientiæ omnes explicabunt tibi vberes fructus, qui ex Euchariſtia deriuantur.

QVI DEI SACRIS GAVDENT amplexibus, omnia illicò faſtidiunt, opes & honores, &c.

In hæc verba:

Obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

SECTIO VIII.

Ex Theologia:

SArcinulis oneratus homo, ſi incidit in ſacculum auro grauem, gemmiſque prædiuitem, incunctanter exuit omnes has ſarcinas, vt impedimenta ad portandum obuias ſibi diuitias; ea pari ratione ſe accinxere Reges, vt poſt Chriſti amplexus, Deo pleni redirent ad propria, depoſuere omnia quæ ſolent eſſe oneri eis quos Deus lumine præuio ſollicitat ad ſui obſequium. Scilicet opes, aurum offerendo, abiecere faſtum proni & ſupplices aduoluti Chriſto, honoris ſæculi fumos exoſi, vt thure teſtati ſunt: demùm faſtidierunt omnia, quibus auent homines fieri immortales, apud abnepotes inani ſpe gloriæ, ſui leuantes tædium interitus: ſpreuère Reges hanc inanem gloriam, quâ proaui nequaquam inglorij tranſmittuntur ad poſteros, & hoc indicauit myrrha, quam Chriſti præſepio fecere ſacram, in poſterum ambituri decus, ab eo quod Chriſti humilitate partum, ſequaces ſuos beat in æternum, Igitur Reges apprimè edocti lumine ſydereo, opes & honores, gloriamque totam ſæculi coruſcantis, ſi cum Deo componantur, eſſe vilia puerorum crepundia: vbi facti ſunt compotes Domini Ieſu, faſtidierunt omnia, offerentes aurum, thus & myrrham, ſcientes vtique in Deo eſſe congeriem rerum omnium præclararum.

S. Thom. lib. part. q. 4. art. 1 & 2.

Reſeranda ſunt oſtia Theologiæ, vt Chriſti Dei perfectio pateat nobis pro modulo noſtro, ſicut & Regibus aperta eſt, qui eius amore capti, miſſa fecere reliqua omnia, quæ cæteri hominum magno emunt. Sic igitur de Deo fatur altiſſima diſciplina. Deus eſt ſuum eſſe, ait enim. *Ego ſum qui ſum*, & nomen eius Hebræum *Iehoua* יהוה, fluit à radice *Haiah* היה, quæ ſignificat eſſe. Aſt ipſum eſſe eſt perfectiſſimum, comparatur enim ad omnia, vt actus, nihil enim habet actualitatem, niſi in quantum eſt, itaque ipſum eſſe eſt actualitas omnium rerum, quæ cum non ſint, niſi ab ipſo eſſe, nullas habent perfectiones, quæ non in Deo præexiſtant: quia implicat aliquid eſſe actû ab alio quàm ab ipſo eſſe: at Deus eſt ſuum ipſum eſſe, & eſſe rerum omnium vt pote quæ fluxerunt ab hoc eſſe: ad quid ergo Reges aſſeruaſſent aurum, inuento Deo rerum omnium Domino, cuius facti compotes, Deum omnium, & omnia in Deo poſſidentes. Continentur in Deo perfectiones, quæ tribuuntur ei abſque metaphora, dupliciter, ſcilicet formaliter, & eminenter: Formaliter eſſe in aliquo, eſt eſſe ſecundum formalem conceptum rei prædicatæ, ita bonitas, ſapientia, & alia attributa Dei ſunt in Deo formaliter, ſi enim eſſent in Deo tantùm cauſaliter, quia ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem ingerunt hominibus, eſſet hæc impropria locutio, atque metaphorica, Deus eſt ſapiens, iuſtus, bonus, ſicut eſt hæc impropria locutio, medicina eſt ſana; quia etſi cauſa ſit ſanitatis, non tamen eſt formaliter ſana, ſed cauſaliter. De Deo propriè & formaliter dicitur, quod ſit ſapiens, iuſtus, bonus, ergo iſtæ perfectiones ſunt in Deo propriè & formaliter, vt benè arguunt ſancti Auguſtinus & Ambroſius. Nec obſtat, quod ſapientia, & bonitas ſint accidentia, Deus verò ſit accidentium impatiens: nam verum eſt eas perfectiones eſſe qualitates in hominibus, in Deo verò ſecus, quidquid in Deo eſt, Deus eſt, nihilque illi accidit, qui eſt ſimpliciſſimus actus.

Exodi.

Deus eſt ſuum eſſe.

S. Auguſt. l. 7. de Trinit. c. 1.

S. Ambroſ. in prolog lib. 2. de fide, ad Gratianum.

Attributa Dei quomodo prædicentur.

Alio modo rerum omnium perfectiones ſunt in Deo eminenter id eſt eminentiori modo, quàm ſint in rebus ipſis. Quod vt fiat liquidius, explico ea quæ deſiderantur ad eminentem complexionem, ſeu continentiam. Primò vt aliud in alio eminenter dicatur contineri, requiritur vt id quod continet, ſi præſtantioris naturæ quàm id quod continetur, vnde plantæ non dicuntur eſſe eminenter in ſemine, nec in cauſa ſua vniuoca. Secundò operæ-pretium eſt vt illud quod minus præſtans eſt, aliquo modo in illo præſtantiori reperiatur & hoc fit quatuor modis. Primò ſi res per ſeipſam ſit in alia, ſicut in cauſa ſua, ſic qualitates & accidentariæ perfectiones, continentur eminenter in ſubſtantiis à quibus effluunt, ita & radij in Sole. Rurſus res contenta debet eſſe in alia, per quaſdam ſui ſimilitudines, ſic omnia inferiora dicuntur eſſe eminenter in intellectu, cùm ea intelligit: quia ſunt in ipſo per ſuas notiones, quæ ſunt expreſſæ ſpecies & imagines, rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipſum intelligibile. Hoc modo Philoſophi dicunt intellectum fieri quodammodo omnia, & omnia in ipſo exiſtere: ratione huius continentiæ, intellectus eſt cauſa exemplaris rerum, ab ipſo extra productarum. Tertiò requiritur in continente eminenter, vis agendi vel ſe extendendi ad obiecta, quia cauſa ſuperior poteſt nobiliori modo quidquid poteſt cauſa inferior: hoc modo ſenſus externi continentur eminenter in interno, & ſenſus

Perfectiones rerum quomodo ſint in Deo.

Eminenter eſſe in aliquo quid ſit

internus

internus in intellectu, nam intellectus percipit omnia quæ ſenſus interior, & nobiliori modo. Quartò requiritur vt contenta eminenter ſint in continente ſecundum ordinationem, & æſtimationem, ſeu ſecundum rationem boni & appetibilis; ſic media ſunt eminenter in cauſa finali, quia ſolum propter finem æſtimantur, & ad illum ordinantur, & tota illorum bonitas ex fine pendet. Hi quatuor modi perfectiſſimè locum habent in Deo continente eminenter omnes perfectiones rerum, omnia enim ſunt in eo, vt in cauſa efficiente, & vt in cauſa exemplari, ratione idearum quæ ſunt viuæ notiones & ſimilitudines rerum, rerum ipſarum effectrices, vt ait Dionyſius. Sic: *Exemplaria autem dicimus, eſſe eſſentia rerum effectrices rationes, quæ in Deo ante coniuncta fuerunt.* Rurſus in Deo ſunt omnia, vt in cauſa vniuerſali, & finali ad quam omnia referenda ſunt, & hoc idem Dionyſius adhuc ait. *Eorum ergo quæ ſunt omnium, principium, & finis eſt is, qui omnia antiquitate antecedit: principium quidem vt author: finis autem vt cuius cauſa facta ſint omnia, eorúmque terminus.* Ideóque vocat Deum ille ſanctus, οὐσίαν ὑπερούσιον eſſentiam ſupereſſentialem ὑπεράγαθον καὶ ἀγαθότητα ὑπέρθεον θεότητα bonitatem omni bonitate, deitatem omni deitate conceptibili eminentiorem. Et S. Bernardus de Trinitate loquens omnia eam eſſe ſic aſtruit. *In ea, & multa in vnum, & diuerſa in idem rediguntur, vt nec numeroſitate rerum ſumat pluralitatem, nec alterationem de variatione ſentiat*, & infrà. *Iam de magnitudine, bonitate, iuſtitia, ſapientiaque idem per omnia, quod de diuinitate ſentimus: vnum in Deo ſunt, & cum Deo; nec enim aliundè bonus, quàm vnde magnus, nec aliundè iuſtus, aut ſapiens, quàm vnde magnus, & bonus, nec aliundè denique ſimul hæc omnia eſt, quàm vnde Deus, & hoc quoque, non niſi ſe ipſo.* Igitur benè flocci ſuas fecerunt opes Magi, ampliore cenſu Deo propitio potituri.

Ex SS. Patribus. — *L. de Diuinis nomin. c. 5. S. Dionyſ. ibidem.* — *S. Bernard. ſerm. 80. in Cantic.*

Ancillatur Philoſophia propoſitæ theſi, nam cùm ex Ariſtotele, *Omnis appetitio feratur in bonum.* Quo maior erit ratio appetendi, maiori etiam ciebitur impetu homo in obiectum, at in Deo coëunt omnia, quæ vrgere poſſunt appetitum; in eo quippe ſumma ſunt omnia, in aliis verò eſt quidpiam hiulcum, atque deficiens, nequiens appetitum adæquare, ergo vt maius lumen offuſcat minus, ita & appetitus quo quis fertur in Deum, omnes alios exhaurit appetitus, ita vt homo terrenis addictus, ſi deſiderio Dei feruido teneatur, iam languebit ad optima quæque ſibi chara, vt & fecere Reges, pertæſi ſuas opes, effuſas ad præſepe Domini cuius ſactis dignati ſunt amplexibus, vt enim ait Gregorius. *Omnia humana, quæ iuſta, quæ pulchra ſunt, Dei iuſtitiæ, & pulchritudini comparata, nec iuſta, nec pulchra ſunt, ſed nec omnino ſunt.* Hanc Dei eminentiam ingerunt mentibus noſtris, Canones ſancti, vt Deo inſiſtamus, in his accipe gloſſam. Noſcitur, in extrauag. ad conditorem Ioan. 22. *Deus eſt via in exemplo non errans, veritas in promiſſo non fallens, vita in præmio, ſcilicet æterno non moriens.* Ideò inquit Canon. *Deum contemnere propter nummos, nihil eſt miſerius.* Etenim ex alio Canone. *Deum timens non conſentit malo.*

Ex Philoſophia: Ariſtot. l. 8. Eth. c. 2. Appetitus & boni ſocietas. — *S. Gregor. lib. 35 moral c. 2. Perfectiones Dei quantū aliis emineant.* — *Ex Ivre Canonico: Canones, duo ſunt 12 q. 1. Can. qui omnipotentem 11. q. 3.*

Quomodo autem Dei participes futuri ſimus, ſuggerit idem Ius ſanctum. *Deo placere non poteſt, qui cupiditati inhæret.* Imò alia ſanctio ſic habet. *Deo militans non debet ſe immiſcere negotiis ſæcularibus.* Et hoc religiosè obſeruatum eſt ab eis, qui Chriſto ſuum dedere nomen. Taceo Apoſtolos quorum hæc vox: *Ecce nos reliquimus omnia, vt ſequeremur te.* Clamat eos qui adhærent Chriſto, expedire ſe à laqueis huiuſce ſæculi, vt & fecit Princeps publicanorum. *Qui non poterat videre IESVM præ turba, quia puſillus erat.* Audis turbas Zachæo iniquas, & obices ad Dei præſentiam, ſed vbi aſcendit in arborem Sycomorum, & dominico dignatus eſt obtutu, ait Chriſto. *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Vt altius repetam, vim diuinam ſoluentem à laqueis eos qui Deo ſiſtuntur, audi Danielem qui Angelum agentem Dei vices vbi aſpexit ait. *Domine mi in viſione tua, diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil remanſit in me virium.* Strictæ reuera compages ſunt, opes, & eæ ſæpiſſime partæ malis artibus; ſtrictiores adhuc hæ compages, quæ ſæculo mancipant pleroſque homines, infulæ dignitatum; tamen hæ compages omnes in viſione Dei, id eſt illucente gratia Dei contritæ diſſoluuntur. Sileo ſuperioris ſæculi decus inſigne Carolum quintum Imperatorem, qui in viſione Dei, id eſt ſuggerente Deo, compages ſuas comminuit, militaturus Deo qui in ſæculo triumpharat. Sed eſt miraculo, repentina mutatio præpotentis Herois, & Dynaſtæ Carolomanni fratris Pipini Regis & patrui Caroli Magni Galli. Is vrgente Dei gratia, compages quibus annectebatur ſæculo, ita diſſoluit vt Reges qui venerant ab oriente ſuperaret: illi enim Chriſti cauſa ſemel in ſtabulum ingreſſi, Deo proni ſeruierunt, ſed hic Princeps vale dicto ſæculo, humili habitu, ſtemma regium ementitus, in montem Caſſinum ſe recepit vbi monaſticam profeſſus vitam, curam egit ouium ſtabularium agens, cóque vilitatis ſe depreſſit, vt verbera inflicta tacitus ſuſtineret: & heu nos veluti Dei noſtri incurij, imò & neſcij credimus nobilem agere vitam, & tamen conſortes prodigi paſcimus porcos, ſcilicet noſmetipſos, fœdiores porcis, vtpote qui in libidinis tetra colluuie volutamur.

Can. bonorum diſtinct. 47. Can. conſequens diſt. 88. — *Ex Hiſtoria. Matth. 19. Luc. 19. Daniel. 10.* — *Caroli V. Imperatoris ad clauſtrū tranſmigratio.* — *Hiſt. Hiſpan. ſub an. 1557. Leo Oſtienſis lib. 1. Chron. Caſſinat. Hiſtoria Veneta Petri Iuſtian. ſub ann. 978.*

Dei etiam ſpecie captus Petrus Vrſeolus Dux Venetorum inclytus, abdicato principatu, vt compage qua diſtrahebatur à Deo, clam aufugit in Aquitaniam, piè victurus ſoli Deo, qui ſæculo ſatis ſuperque militarat, nequaquam inglorius. Adeò verum eſt humilitatem Chriſti animo conceptam pio ingerere tædium rerum humanarum, vt etiam Mathematica ſuis delitiis aliquid præſagit affine iſti ſectioni. Sic igitur Ptolomæus. *Cui naſcenti ſol illucet in cadente domo, ſtipatus altero ſydere, hic pauperem aget vitam.* Colligitur hoc theorema à contrario ſenſu præſagij ibidem editi, quo ait Reges fieri eos, qui naſcuntur Sole inaſcendente, & comite altero planeta. Vnde ſic arguo. Qui Chriſtum meditatur in ſtabulo, domo reuera cadente & iniuria temporum obſoleta, in qua erat & alterum ſydus, nempe Maria ſi hæc ſpeculatori pietas enaſcitur, quiſquis ille eſt, Deo addictus erit, & pauperem vitam aget, exoſam opes & ſæculi fumos, ideóque beatus ille qui procul negotiis, quippe erit cum Deo paupere ditior, iis qui ſæculi compage impliciti rutilant ad tempus, paſſuri poſtmodum æterna deliquia.

Ex Mathematica: Ptolomæus lib. 4. de iudiciis cap. 3. Petrus Vrſeolus Dux Venetorum ſe abdicat Principatu vt religioſā vitam agat.

deliquia. O ſi daretur hortari homines anteis manicis & compedibus irretitos, & ſi cælitus indereretur eis imago pueruli IESV rutilantis in cadente domo, eidem & ſorti forte ſubiacerent, cui Reges ab oriente, quos Chriſti & Mariæ inopia egit ad floccipendium opum, cui ſe deuouerunt omnes quos humilis Chriſtus, ſui fecit impigros eſſe ſectatores: vt ſunt Monaſticæ vitæ profeſſores, qui etiam Iure ciuili monentur, de abdicando ſæculo hac ſanctione quam ediderunt Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, cuius accipe tenorem. *Quicumque ſub profeſſione monachi reperiuntur, deſerta loca & vaſtas ſolitudines ſequi atque habitare iubeantur.* O rem fœdam! eò Monachos deueniſſe, vt tacitis Abbatibus, Principes coacti fuerint inclamare, & monere eos quibus viſus eſt Chriſtus in domo cadente, Maria inibi affulgente, debere inire æternum cum ſæculo diuortium, & vacare ſolitudini, cuius deſiderium ſuggerit Hieronymus Heliodoro. *O deſertum Chriſti floribus vernans, ô ſolitudo in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni Regis extruitur, ô heremus familiarius Deo gaudens. Quid agis frater in ſæculo, qui maior es mundo? infinita heremi vaſtitas te terret, ſed in paradiſum mente deambula, quotieſcumque illuc cogitatione conſcenderis, toties in heremo non eris.*

EX IVRE CIVILI:
Codice Theodoſ. leg prima de Monach.
Monachi iuſſi habitare loca deſerta.
S. Hier. Ep. ad Heliod.
Deſerti laudes.

Floccipendium opum, & honorum Dei cauſa eſt argumentū animi in meliora mutati, cui gratia affulgens omnia ſecernit inimica ſaluti, & cōfertim & ſubitò, vt & medici notant in ægro reduce ad ſanitatem, mediante criſi, huic enim ſi natura fuit propitia, & lux illa vitalis omnibus affulgens illuxerit fauſtè, illico natura ſecernit humorem morbificum, ægrumque hoc impedimento liberum, reddit priſtinæ ſanitati; ſic enim definiunt criſim Medici, *κρίσις ὀξύῤῥοπος ἡ ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγίειαν. Criſis eſt repentina mutatio, ad ſalutem.* Et hæc definitio intelligenda eſt de bona criſi, quam Regius medicus Laurentius vocat *τελείαν* perfectam *πιστὴν* fidam *σαφῆ* manifeſtam, in qua hoc notatur, vt humor erumpens foras, exeat *ἀθρόως* confertim & copioſè, vt decet pro viribus ægri, & cura morbi, qui ex hac ſecretione deperit. Vnde ſic arguo. Opes & ſæculi faſtus ſunt impedimenta animæ, & velut noxia quæpiam quæ ſalutem remorantur; Dei gratia eſt lux vitalis vegetans animas quæ tepebant anteà: ergo illa lux efficax, & potens vbi cuipiam illuxerit, ille ſe expediet à noxiis, ſcilicet ab opibus, & ſæculi faſtu, vt & fecere Reges effuſo auro, & thure appoſito cunis pueruli IESV. Collige ex præfatis ô homo, te lethaliter fortè decumbere, ſi noxij hi humores animam totam alluunt, ſi loculi tui ſint ære alieno graues, ſi animus ambitione tumet, & veſica fellis concepta indignatione turget. Effuſione ſola, preſtat animæ ſalus, opes malè partas refundendo, & benè partas effundendo in pauperum manus.

EX RE MEDICA:
Andreas Laurentius lib. 1. de criſibus cap. 3.
Criſis quid ſit.
Opes ſunt impedimēta.

Dixerim hæc impedimenta eſſe abdicati ſæculi exuuias, ſimiles veteri corio quod exuit ſerpens, qui obſoleta pelle impeditus, hanc deponit vt induat nouam, qua ſit expeditus ad ſua quæque munia alacrius obeunda, vt ait Tertullianus. *Serpens quod ſortitus eſt, conuertit corium, & æuum, ſiquidem vt ſenium perſenſit in anguſtias ſtipat, pariterque ſpecum ingrediens ab ipſo ſtatum limine eraſus, exuuiis ibidem relictis, nouus explicat cum ſquammis & anni recurſantur.* Serpentem pro ſymbolo accepit is quem refert Hieronymus Ruſcellius, hoc titulo, ALTERA MELIOR innuens nouam pellem, quæ erat veteri ſuccedanea, meliorem eſſe; ita & nouum ſtatum pœnitentis eſſe veteri ritu noxio potiorem. Depone ergo, Chriſtiane, cum Regibus ſæculi ſarcinas, & indue ſtolam Chriſti, meliorem Diaboli centonibus. ALTERA MELIOR poſitis exuuiis eris hilarior, Deoque charior, & aptior cœlis, ſi vero ſecus tua tibi recondis, omnia diſperennt; nam

QVI SVA NON DEO DERELINQVIT; IDEO DELINQVIT.

EX SYMBOLIS:
Tertullian. lib. de pallio.
Serpens qua induſtria renouetur.

DÆMON POENITENTES ſollicitat, vt redeant ad vomitum, ſed illi alias ineunt vias.

In hæc verba:

Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

SECTIO IX.

LIcet cauſæ vniuerſales ſpirent, imò & coeant in bonum vniuerſi, cauſæ tamen ſingulares aliquando deuiant. Verbi gratiâ, Sol & homo generantes hominem, intendunt educere fœtum validum, & vegetum, quo edito forti & benè compacto, fit plerumque, vt fœtus adulterino lacte paſtus, induat malum habitum: ita & in moralibus, plerique à bono deficiunt, à Dæmone deluſi, etſi lumine deſuper affulgente moneamur, de bono totis viribus inſectando: vt videre eſt in Magis, quos etſi ſydera inoffenſo pede veherent ad Chriſtum, Herodes tamen inducebat eos ad reditum, verſus Ieroſolymam exoſam Chriſtum, & à cultu eius prorſus alienam. Omnibus autem allucere radios ad bonum appetendum, ſicut & Magis, Ariſtoteles qui præextitit Magis ſic inculcat. Vltimus finis in rebus agendis, eſt ſicut principium in diſciplinis; at nemo poteſt concluſioni aſſentiri, niſi in virtute principiorum: ergo neque velle aliquid, niſi ex intentione finis. Et ex ſancto Thoma, vt ſe habet primum efficiens in phyſicis, ita & vltimus finis in intentione, at ſublato primo agente, eſt impoſſibile dari vllum effectum phyſicum, ita & ſublato fine vltimo, dari nequit morale aliquod deſiderium; ſed cum homo ſit vir deſideriorum, & nequeat vacare à deſideriis, creatus eſt à Deo illuſtratus lumine, quo apprehendens ſummum bonum, id eſt Deum, in Deo totus erat occupatus, ſed poſtea Dæmone ſuſurrante deuiauit paſtus lethali cibo, ſcilicet pomo cui inerat lethale virus, cuius tota proſapia ſaucia laborauit poſtea in aſſequendo fine, & licet Deus ſanguine ſuo diluerit antidotum, quo virulenti pomi qualitas noxia ſopita eſt; Theologi tamen aiunt originale peccatum, adueniente gratia tranſire reatu, ſed actu tamen remanere, quoad fomitem, id eſt, illapſu gratiæ iam hominem fieri aptum cœlo, ſed naturæ motus effrænes non ſedari.

EX PHILOSOPHIA:
Cauſæ vniuerſales non deuiant ab intento.
Cauſæ ſingulares aliquando deuiant.
Ariſt. lib. 2. Phyſic. c. 9. S. Thom. q. de vlt. fine.
Finis in rebus agendis, eſt ſicut principium in diſciplinis.
EX THEOLOGIA:
S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3.
S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 2.

Hoc enim peccato, natura humana primò corrupta eſt, deinde perſona; at in aliis peccatis ſecus accidit; nam homo peccans lethaliter corruptionem ingerit tantum, quantum ad id ſolùm quod eſt perſonæ, vt ait ſanctus Doctor, in reparatione autem ſalutis hominum, natura imbellis adeò extitit, vt licet reſtituta ſit ſoſpitati, non tamen integris viribus, ſitque vt cum ab vna reſilit noxa fortiter reſiſtendo, in aliam foueam incautè cadat. Verbi gratiâ. Quis vigetur fœdo cogitatu vellicante ſenſum, homo gratiâ inſignis, validè excutit has ideas, arietantes in cor, & vt facilius clauum clauo trudat, prauas ideas pellit, ideâ ſanctiori, ſcilicet recolens paſſionem Chriſti: ſed heu liber à tentatione venerea, iam in ſuperbiæ ſcopulos impingit, ſibi de ſanctitate blandiens: & hoc deflebat in ſe Auguſtinus dicens ſe vanitati fuiſſe inuium, quia multis olim peccatis obnoxius, habebat quod ſentiret de ſe humiliter: tamen, inquit, ego expers vanitatis, inde aucupor vanitatem, quod ſim impos vanitatis. Dæmon noſtræ conſcius infirmitatis, non deſperat de reditu, etſi videat ad Chriſti incunabula procumbentes, ideò ſollicitat, ſuggerit, & vrget ad noxia quæque quibus antea renuntiauimus: ideóque cauendum nobis ea cautione Regum qui reuerſi ſunt per aliam viam, etſi Herodes plus ſolito ſuccenſeret, vt & Diabolus illuſus à Neophytis excandeſcit, vt aiunt ſancti, extra quorum agmen audiendus eſt Tertullianus. *Peruicaciſſimus hoſtis ille, nunquam malitiæ ſuæ otium facit atqui tunc maximè ſæuit, cùm hominem plenè ſentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiſcat neceſſe eſt, veniâ peccatorum permiſſâ, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis ſuæ retro eraſos dolet, quod ipſum & Angelos eius Chriſti ſeruus ille peccator iudicaturus eſt. Itaque obſeruat, oppugnat, obſidet ſi quâ poſſit aut oculos concupiſcentiâ carnali ferire, aut animum illecebris ſæcularibus irretire, aut fidem terrenæ poteſtatis, formidine euertere, aut à via certa peruerſionibus detorquere, non ſcandalis, non tentationibus deficit.* Ideò Gregorius. *Pugnator meus malignus ſpiritus, qui viuentem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta.* Iſidorus Gregorio occinens. *Tunc contra eum quem poſſidet Diabolus acrius ſæuit, quando ſe diuina virtute, ab eo expellendum cognoſcit.* Et congroè ad hanc ſectionem monet Sanctus Leo. *Multa ſollicitudine præcauendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis capiantur iterum inſidiis & iiſdem rurſum quibus renunſiauerunt erroribus implicentur, non enim deſinit hoſtis antiquus transfigurans ſe in Angelum lucis, deceptionum laqueos vbique protendere, & , vt quoquomodo credentium mentes corrumpat, inſtare.*

Peccatū quomodo afficens naturā.

Dæmonis aſtutia in tentandis hominibus.

Ex SS. Patribus.

Lib. de pœnit.

Lib. 18. Moral.

Lib. 3. de ſum. bono.

Nemine ſua ſarta tectaque conſtare adcò, vt non ſit timendum à lapſu, ipſa etiam Mathematica garrit, dicens etiam ſi fauſta ſint omnia in ſchemate cœli, quo illucente natus eſt infans, fore tamen in reuolutione, id eſt, anno aliquo reuertente vt gradus qui fuit horoſcopans (ſic enim loquuntur) infauſto ſydere teneatur, vnde cum is gradus ſit moderator vitæ, præuidendum eſt ſedulo imminenti ſyderi maligno, omni cautione ne noceat, dum incurret in gradum illum zodiaci, penes quem eſt tutela nati; & hæc Cardanus delirat cùm ſe dicit authorem reuolutionum. Vnde ſic arguo, Dæmones innumeri aëre toto diffuſi nos obſident, & rimantur hominum mentes, quæ effugere nequeunt vſquequaque Dæmonum omnia ſedula ſcrutinia, quibus deprehendunt vnde nutremus, & ſit lapſui anſa propitior, vt ait Lactantius. *Scit aduerſarius ille noſter, quanta ſit vis huius cupiditatis, quam quidam neceſſitatem dicere maluerunt, eamque à recto bono ad malum transferre maluerunt. Illicita enim immittit deſideria, vt aliena contaminet, quibus habere propria ſine delicto licet: obiicit quippe oculis irritabiles formas ſuppeditque fomenta & vitiis pabulum ſubminiſtrat, tum intimis viſceribus, ſtimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumque decipiat*, Ita Herodes Magos luculenter excepit, vt ad reditum demulceret, dicens renuntiate mihi: vbi Chryſologus ſubtiliter ait. *Conuenienter dixit renuntiate mihi, quia ſemper diabolo renuntiat, qui peruenire feſtinat ad Chriſtum: propriè ergo Herodes à Magis ſibi renuntiari debere dicit, qui ſe diaboli ſciebat tenere locum, Satanæ nouerat implere perſonam.*

Serm. 8. de nat. Domini.

Ex Mathematica.

Cardanus l. de iudiciis cap. 6.

Reuolutiones planetarum quid portendant.

Lib. 3. diuin. Inſtitution.

Cupiditatis inſitę magnū periculum.

Serm. 158.

Nec etiam medici in eo argumento tacent, nemini gloriandum de ſanitate reduce aſſerentes, cùm pleruinque noxius humor reſiduus homini deliquia moliatur, hinc Hippocratis præcautio, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίῳ πυρετῶν ἀλιτήριον κακά. *Reliquiæ febris extinctæ ſuperſtites in hypochondrio malæ.* Nota apud medicos vocari hypochōdria, regionem illam quæ eſt infra coſtas adulterinas, ſeu nothas, quæ aliqua ſui parte ſunt cartilagineæ, & hoc ſonat vox hypochondrium, ἀπὸ τοῦ ὑπὸ ſub & χόνδρος cartilago. Sic hac voce intelliguntur lien, & hepar. Itaque Hippocrates vult reliquias humoris noxij ſtabulantes in hepate, ob obſtructiones parere recidiuas: inde ſic moraliter arguo. Hepar eſt ſedes appetitus concupiſcibilis, iuxta illud, cogit amare iecur, in eo hypochondrio viget adhuc igniculus, ſeu, peccati fomes, quantumuis enim fuerimus confeſſione repurgati, ſuperſtes eſt tamen aliqualis humor degener à natiuo animæ conſono, vt indicat illa lex diſcors corporis & animæ; ergo metuendum à lapſu, ad quem nos impellit cacodæmon, & quo maius imminet periculum, ab incuria noſtra, maior eſt adhibenda cautio.

Ex Medica.

Hipp. prorrh. 7. ſect. 11.

Recidiuæ in morbis cauſæ.

Et hoc monet Ius Canonicum iſto Canone. *Periculum maius vbi vertitur, ibi cautius agendum eſt.* Nullum autem imminere poteſt periculum æqualis momenti, ac eſt animæ periculum, ideóque nulla alibi cautio debet præualere ei, quam animæ ſalus exigit, & vt homo non eat inficias, peccati diſcrimen eſſe periculum, ita ſonat alter Canon, *Periculosè dicitur fieri, id, quod eſt peccatum fieri.*

Ex Iure Canonico.

Cap. vbi periculum de electionibus libro 6.

Canon. quod ait, diſt. 14.

Quòd ſi ſcrupulis obnoxium credis ius hocce Canonicum, quo periculi nomen inuritur peccato, & eamobrem velis prouocare ad ius ciuile; eaſdem inibi reperies eſſe leges quas ius pontificium edidit, teſtes ſunt iſtæ leges *Periculum propriè dicitur, quod culpa contingit.* Quaſi alia pericula ſint cute tantum tenus, vbi non ſit animæ iactura, & vt eatur obuiam periculis, iure ciuili idem cauetur, quod ſupra iure Canonico, hac explicita lege. *Periculum maius vbi eſt, ibi cautius eſt agendum.*

Ex Iure Ciuili.

Gloſſa, niſi periculū in leg. item quæritur § ſi gēma lege 1 §. ſed & ſi quis.

Ius Canonicum. *Can.neganda 3.q.11.* Periculum quid ſit.

Inter eas omnes cautelas quæ ſuadentur, hanc arbitror eſſe potiorem, quâ Magi ſibi prouiderunt recedendo ab Herode, ſi enim rediiſſent ad infidum Regem, forſitan eos adhuc neophytos, verſipellis ille dementaſſet: Eorum exemplo admonemur ea vitare ſollicitè quæ relaxare queant animum Deo addictum, benéque monet. *Ob pericula vitanda, multa fiunt & dimittuntur.*

Ex Historia: Achioris hiſtoria.

Eamobrem malè ſibi conſulunt, qui Deo dedere nomen ſuum & clam tamen Angelum nequam audiunt ſuſurrantem. Vbique terrarum lethale fuit omne commercium cum hoſte cum quo diſceptatur, imò ipſa ſuſpicio, mortis cauſam fecit olim Achiori, vni ex Dynaſtis qui ſtipabant Holofernem: quia enim ille in laudes effuſus eſt populi Hebræorum, damnatus extra caſtra Holofernis ceſſit in iura hoſtilis exercitus, & ecce ſententiam quam protulit Holofernes: *Ecce ex hac hora illorum populo ſociaberis, vt dum dignas gladij mei pœnas exceperint, ipſe ſimul vltioni ſubiaceas.* Et in ea obſidione celebri Metenſis ciuitatis, quam cinxit Carolus quintus illic ingloriòs, cùm hoſtilia caſtra per cuneos ingenioſè ductos, iam mœnibus adſtarent, & Gallos propugnantes iniuriis laceſſerent, & eis eadem dialecto fieret ſatis: vrbis præfectus inſigni ſolertiâ Franciſcus à Guyſia metuens ne inter mutua colloquia hoſtium, quædam irreperet perfidia, ſanxit ne quis hoſti reſponderet, licet inſultanti. Et hoc ſanxêre ſancti omnes, ne Dæmone impia ſuggerente, quis terat tempus obſeruando quid Angelus ille refuga debacchetur: quippe aſpernando vincitur Dæmon & non auſcultando.

Iudith.6. Metenſium obſidio. *Ambroſius Paraus in ſua relatione illius obſidionis cui interfuit an.1553.*

Franciſci à Guyſia cautio dū obſidetur vrbs Mediomatricum.

Si hoc obſeruaſſet comes ab Hardech non ingloriè lictoris gladio cecidiſſet. Is vrbi Iauarino præfectus, clàm litteras excepiſſe fertur è ſagitta pendulas, quas emittebat Turca obſidione premens ciuitatem, his litteris delinitus, auri ſummâ vrbis deditionem compenſauit, quod vbi reſcitum eſt ab Archiduce Maximiliano, exauthoratus comes, luit capite ſcelus quod litterarum inſpectione perpetrarat. Heu quam lethales ſequelas habent. Eſt itaque audiendus S. Iſidorus. *Diabolus ſerpens eſt lubricus, cuius ſi capiti, id eſt primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus in intima cordis, dum non ſentitur, illabitur.* Per aliam viam reuertentes, diabolo non occurrent.

Hiſt. Turcica in ſupplemēto Calchondyla ſub ann. 1588.

S. Iſidorus l.3. de ſumm. bono.

Et hoc ſonat egregium ſymbolum, à Franciſco Villaua recitatum. Et auicula quam accipiter ſoſpitem relaxauit, hoc titulo. ADVERSO TVTA VOLATV: etenim ne incidat in vngues auis carniuoræ, alias init vias: ita & tu, ô anima, dæmonis tuta technis non fies vſquequaque libera, niſi peccandi anſas effugeris, & tunc eris ADVERSO TVTA VOLATV. nam

COELVM VERSVS TENDIT, QVI SOLVM AVERSVS, NON INTENDIT.

Ex Symbolis: *Franc. Villana lib. ſymb.* Occaſiones peccati vitandæ.

HOMILIA
DE EPIPHANIA DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ.

1. CVm appetitus feratur in bonum vtile, honeſtum & delectabile, Dæmon obtulit homini lethale pomum, vt vtile ad adeptionem Deitatis quam ei ſuggeſſit, vt bonum honeſtum; & Dæmon poſtmodum adiecit ſcientiam omnigenam boni, & mali, vt bonum delectabile: hominem ſic dementarat, idem ſpiritus aſſentator vt ſibi deuinciat, obiicit palàm aurum, & thus, id eſt opes & honores, opes vt bonum vtile, honores vt bonum honeſtum, & fruitionem vtriuſque boni, vt quid delectabile, ſed clàm ſubiicit Myrrham abditam, id eſt ſyndæreſim.

2. Erit ex his prælibatis iſta inuentio peculiaris Homiliæ. Dicam hodie antitheſes Dei regnantis, & Diaboli tyrannidem exercentis. Nam primò Diabolus homines excæcarat, & Deus ſtellâ, id eſt lumine deſuper illuminat: quia reprobis ingerit notitiam peccatorum, vt ad Deum redeant propitium.

3. Dæmon aurum vſurpatum ſuggerit, & obiicit, Deus autem præcipit reſtitui tales opes, & ingerit menti floccipendium opum, quas pœnitentes nihili faciunt. Idem Angelus nequam facit vt reprobi typho intumeſcant, & honoribus quos inſtar thuris adolet ille ſpiritus tenebrio, qui eſt Rex ſuper filios ſuperbiæ: ſed Chriſtus vult thus deponi ad pedes ipſius, quia humilitate regnat.

4. Myrrham tandem Dæmon ſpargit; nam & ſuperbi & diuites & deliciis inescati, nauſeant, iugi punctura lancinante conſcientias malè conſcias, ſed Chriſtus Myrrham pœnitentiæ, quæ ei profertur à contritis, condit in mel.

5. Demum finio, vrgens homines vt nomen ſuum dent Regi, tyrannidem Diaboli abiurent.

PRÆFATIO.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. *Matth.* 2.

DVm eſſet Hebræa gens anxia de Rege eligendo, cœlitus admonetur Samuel coronam imponere capiti Saulis, qui tunc de aſinis deuiis tantùm erat ſollicitus. Obſequitur Vates, Regemque ſalutat eum quem aperuere cœli, Rex ille inauguratus, procero corpore omnibus eminuit: nam ex codice ſacro, Altior fuit omni populo, ab humero & ſurſum. *Beatiores fuere Magi in ſua perquiſitione Regis Hebræorum, cœlitus enim edocti ſunt adorare Regem, eum quem in ſtabulo repererunt, cum boue & aſino. Igitur Reges, loquente cœlo, exeunt è patria, viam carpunt & emenſo longo itinere, appellunt ad ſtabulum, illic primi Regem adorant, ſuaſque coronas pedibus infantis appendunt, vt diuino tholo, & affulgente fide rimantes indolem Regis in præſepio, veluti pro throno ſedentis, aduerterunt Regem hunc altiorem omni populo ab humero ſurſum; nam caput Christi Deus. Vtque Magi coire in puero illo vidêre tria hæc, Diuinitatem, regnum, & mortalitatem, fidei ſuæ argumenta conſona præbuerunt. Etenim offerentes aurum, thus & myrrham puero, eo ipſo, Regem, Deum, & mortalem, elingues iſti Magi, typo loquaci confeſſi ſunt. Et matrem prium venerantes cuius filium adorarant, dixêre beatam, eam cuius dotes eximia eò euexerant, vt eſſet thronus tanti Regis qui frequens erat in manibus matris, & ipſius cordi puellulus amore ſaucius incubabat. Eam ob rem non eo inficias Magos à ciuili cultu minimè abhorrentes, primis Christo redditis obſequiis, Matrem debito cultu excepiſſe, & angelico ritu eandem ſalutaſſe ipſiſſimis verbis.*

EXORDIVM HOMILIÆ.

OMnigeni boni tricipitem eſſe rationem, omnium peritorum ſtat concors authoritas, quippe ex Ambroſio, atque Thoma, bonum omne trifariàm diuiditur in vtile, honeſtum & delectabile, iuxta triplicem motum appetitus tendentis in obiectum, quod ciet appetitum, qui cùm moueatur tantùm ad bonum, tot erunt ſpecies & ideæ boni, quot etiam aſſignabo modos, qui appetitum petturgebunt. Res autem eatenus eſt bona, quatenus eſt appetibilis, nam bonum eſt id quod omnia appetunt. Mouetur verò appetitus tripliciter ad bonum. Primò mouetur ad id, vt ad terminum, & eſt bonum honeſtum quod propter ſe optatur, ſed quia multi ſunt obices qui morantur optatum hunc finem, appetimus ea quæ faciunt ad adeptionem boni, amore cuius æſtuamus. Et hæc media ad finem, cum moueant appetitum qui ad bonum dumtaxat accenditur, ſortientur etiam titulum boni, & dicentur illa media, bonum vtile quod appetitur in ordine ad vltimum finem, hoc verò fine adepto, ſi quieſcimus in illo fine, illa quies in termino dicetur bonum delectabile, & verè huic quieti competit nomen boni, quia adeò excitat appetitum, vt quietis huius ergò, nihil non exantlemus.

S. Ambroſ. l. 1. officio. c. 10. S. Thom. 1. p. q. 5 art 6.

Boni diuiſio in tres ſpecies.

Ex Theologia:

Hunc boni triplicem callem ingreſſus eſt Dæmon, vt hominem alliceret, & vt ignoti nulla cupido, ſpiritus ille lucifuga, ementito lumine homini oſtendit lethale pomum, vt bonum vtile ad apotheoſim, inſinuans huic pabulo eſſe germen inſitum deitatis: Hallucinans homo, fructum carpit quem vtilem credit ad habendam deitatem, quæ hominis erat finis aucupandus. Ne verò cacodæmon vllam ſpeciem boni illibatam omitteret, in homine expugnando, totam iſtam tragœdiam concluſit in bono delectabili, nam qui pomum ante prætenderat, vt bonum vtile, & animos erexerat ad infulas diuinitatis vt ad bonum honeſtum, demùm aſturè, callidus ille technarum artifex, velut cupediis obtentis, hominem delectabili bono pollicito dementauit. Etenim cùm bonum delectabile ſit quies in termino, ſiue fruitio boni honeſti, hoc fore bonum ingens homini ſic mentitus eſt ſycophanta. *Eritis ſicut Dy ſcientes bonum & malum.* Nam cùm delectet hominem maximè ſcientia, cuius flagrant omnes, rerum omnium indagini inſiſtentes, homo ſuſpicans animi ſummam fore ſibi voluptatem, Dæmoni incautè adhæſit, & miſerè à Deo optimo deuiauit.

Boni ſpeciẽ fucatã prætendit dæmon, cùm tentat homines.

Expugnato ſic homine, Angelus ille nequam, ſuum in homines voluit hactenus firmare dominium quod recens inierat. Sic igitur ineſcauit ſibi ſubditos, Dæmon peritus in hominum aucupio. Prætendit hominibus aurum, & thus, & myrrham, ſed abditam, id eſt diuitias quas vtiles eſſe dixit ad omnia: item honores qui thuris inſtar in fumos deſinunt: ſed quia deficit quies noxus actibus, myrrham ingeſſit, id eſt ſyndæreſim & mentis aculeos inſeruit ineſcatis. Et hoc adhuc tramite incedit callidus ille aſſentator; quippe ſciens hominum appetitus moueri tantùm in bonum vtile, vel honeſtum aut delectabile, fucata quædam & veluti laruas obiicit mentibus, quæ vt apprehendunt obiecta induentia rationem boni, gliſcit appetitus & petit hæc ſimulacra boni delectabilis in voluptate iniqua, vtilis in auro vſurpato, honeſti in honorum ambitu nefario, ſed omnes illæ cupediæ myrrha, id eſt ſyndæreſi diſſoluuntur. Dum hoc Dæmonis impetium ſtaret, auro, thure & myrrhâ, Chriſtus enaſcitur vindex hominum libertatis, & vt benè Chryſologus. *Verus Rex expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, inſtauraturus orbem, libertatem redditurus aduentat.* Si quidem hæc tyrannis, euerſorem vnum hunc metuebat ſibi, qui hodiè ad hoc enituit, vt ait Ioannes. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.*

Ex SS. Patribus:

S Chry. olog. ſerm. 156.

1. Ioan 3.

Ruinæ ſuæ præſcius cacodæmon, Herodem armat in infantem, iurat occaſum Solis Orientis, demùm ſuo nutante regno rabidus excandeſcit Dæmone impulſore, & moliente necem Regis exurgentis, coeunt Herodes & Iudæi in eius perniciem, diceteſque Chryſologum fuiſſe tragœdiæ ſpectatorem. *Nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi, nil parenti, ſed vt audiunt natum, parant naſcenti mortem, innocenti dolos, ſcelus pio, unde gladios, ſoli milites, vagienti necem, pœnam parenti: & vt vix miſceatur ſanguini, crudelitas acerba cunabulis bella indicit, vbera telis vrget, clypeos illidit gremiis,*

Chriſtus dæmonem ſuo dominio exuit.

S. Chryſolog. ſerm. 158.

Magorum pietas in Chriſtum.

Tom. I. G 3 *quatenus*

quatenus humanum diuinamque ſobolem, ante ſepulchrum faciat vitrare quàm mundum. Hæc ille itarum Dæmonis explorator, Dæmonis & hominum peſſum iuit apparatus hic lethalis, directus in occubitum Regis mox ſurgentis, incurrunt in ſolidum, dum credunt illidere incunabula. Et quod Græci commentantur de ſuo Hercule patuit in Chriſto. Dicunt hunc Heroëm diuino ſtemmate ſatum, duos ſerpentes eliſiſſe in cunis, faſciis vix ſinentibus, liberas eſſe manus. Commenti fidem habes in Chriſto qui geminos ſerpentes, Dæmonem & Herodem puerulus eneruauit.

Hercules in cunis ſerpentes dicitur occidiſſe.

Ex prælibatis accipe inuentionem iſtius homiliæ De Epiphania Chriſti. Dicam hodie patuiſſe mundo antitheſes Chriſti regnantis, & Dæmonis ſuam tyrannidem exercentis. Primò Dæmon homines excæcarat, & Deus hodiè facem deſuper accendit, in ſtellæ modum, quæ Regibus illuxit, ad Ieſum puerulum indagandum. Secundò dæmon auro & thure, id eſt diuitiis, & honorum faſtu ſuos aſſeclas compenſabat, hodiè Reges pedibus Chriſti ſuas opes, & omnem ſuam pompam inclinant, confitentes penes hunc Deum præpotentem, eſſe veras opes, & ſummum decus quod iam cecinerat Pſaltes. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Tertiò dæmon vbi dementauit homines auro, & fumo honorum, adiicit myrrham inducens deſperationem, ſed hi qui dedere ſuum nomen Chriſto, myrrham pœnitentiæ pendunt, quâ morti æternæ quæ inſtabat eis, illicò ſubducuntur. Hi quos Tyrannus inimicis ſubdidit ſibi, æterno exilio plectuntur, nuſquam inuiſuri patriam, ſed qui Chriſti pedibus aduoluuntur, redeunt in patriam ſuam per aliam viam: in hac ſtabit antitheſi totum hoc Homiliæ illius inſtitutum. Præcipuis Chriſti feſtiuitatibus indita ſunt vocabula, quorum nomenclatura diei recurrentis myſterium eloquitur. Ita hoc feſtum nuncupatur Epiphaniæ voce Græca ἀπὸ τοῦ ἐπιφαίνειν, deſuper apparere, quia deſuper ſtella radiante Chriſtus illuxit Magis, inſinuans iam detergi caliginem impietatis quam diabolus offuderat, & diffuſas orbe toto tenebras mox ceſſuras ſyderi radianti. Ea fuit & mens Auguſtini. *Poſt exhauſtam ſacra religionis aulam, inter oppreſſi latebras cubilis, & duriſſimi præſepis anguſtias, in quibus infinita maieſtas ſtabulabatur, inter crepitantes neſcios querela ploratus, ac pios infantis teneroſque vagitus, dum pendet ad vbera, & vilia patitur Deus inuolucra pannorum, repente hodiè de cælo, terra ſydus illuxit, & totius mundi diſſipata caligine noctem vertit in diem, ne dies celaretur in nocte, paſtoribus Angeli Magis ſtella demonſtrat, vtraque loquitur lingua cælorum, quia iam ceſſauerat lingua Prophetarum.* Dæmon lucifuga, caligine obtenta, dominij ſui in animas iacit exordia: etenim nemine amante malum, præſtigiator ille, variat ſpecies & ideas rerum, quas ſic fucatas obiicit hominibus, quorum acies obtuſa iam caligat, & hinc ſortitus eſt nomen principis tenebrarum: ſicut enim Dei eſt illuceſcere, ita & proprium eſt Diaboli cæcutire. Ne igitur horreat homo ad obtutum mali, ad quod eum percellit oſor Angelus, menti eius offundit tenebras, quibus hebes intellectus, rei ignarus, incautæ voluntati ementita bona præoſtendens, hanc faſcinat, & hinc axioma. *Omnis peccans eſt ignorans*, & illud Vatis. *Neſcierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant.* Ideò dum Angelus ille tenebrio, homini cæco ducatum præſtat, ambo in inferi foueam miſerè collabuntur.

Pſalm. 111.

Chriſti & dæmonis antitheſes.

Dæmon vt princeps eſt tenebrarum ſemper orditur à tenebris.

Ex SS. Patribus. S. Aug. ſerm. 33. de Epiph.

Cognitionẽ ſui impedit dæmon.

Cæcitatem animæ ingerit Dæmon.

Pſalm. 81.

In caligine diffundenda Dæmon imitatur indolem corui, qui primò cadaueris eruit oculos, antequam voret liuidi corporis membra purulenta: non etenim ille Pſychophagus depaſcitur animas, quin mentis oculos effoderit, ſicque ingraueſcente malo, graſſatur Dæmon ſæuiens in animas quas vrget in præceps & abruptum, nullo lumine miſeris affulgente. Effuſæ tenebræ ſequelam iſtam habent, præuiſam Pſalmographo. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant.* Nimirum vbi tetra peccatorum nox hominem inuoluit, beſtiarum omnium armenta miſerum terrent & lacerant: quippe reprobi patent omnibus noxiis actibus, à quibus ob tenebras ingruentes, ſe ſe nequeunt expedire. His nebulis olim inuoluerat Auguſtinum ſpiritus nebulo, vnde & irretitus, in mala ſe ſe plurima totum effuderat, vt luget idem Sanctus cui ſicut & Magis, Chriſto irradiante lumen affulſerat, cùm hoc fleuit. *Cæcus eram, amabam cæcitatem, & ad tenebras per tenebras ambulabam.* O miſeriam! in caligine caliginem amplexari.

Dæmonis & corui comparatio.

Pſalm. 103.

Cæcitate percuſſus olim Auguſtinus.

S. Auguſt. lib. Confeſſ.

Dauid præſcius malorum quæ inuehit caligo quæ peccato præit, in eodem Pſalmo ſubdit antidotum, quo conualere queant omnes, quos tenebræ addixere plagis. Sic ait Pſaltes ſubodorans myſterium hodiernum. *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum.* Magi hactenus infideles, erant ab inuicem terrarum aliqua intercapedine diſſiti, ſed vbi primum ortus eſt Sol, congregati ſunt, ſcilicet lumine deſuper irradiante, ad cultum Chriſti pueruli conuenerunt. Exiuit homo ad opus ſuum qui enim degebant in tenebris, Dæmonum facinora edebant peſſima, ſeducti & caligantes; opus ſuum perficiunt, ſoluta cæcitate, opus autem hominis præcipuum, eſt obſequium Dei, cui ſe deuouêre Magi; abdicato enim errore ſuo cum tenebris, lumine inſolito deſuper animos educente Deum, Regem, & mortalem, Chriſtum vtique, aduoluti pedibus eius, ei cultum quam maximum impenderunt.

Pſalm. 103.

Lux primo edita.

Suum itaque Deus auſpicatur imperium à lumine, ſicut & Dæmon à tenebris. Mundum deducturus ex nihilo, incepit à lumine; rerum enim omnium primogenita fuit lux. Dixit enim primo Deus: *Fiat lux*, imò & Imperatores ſubodorati quid regium in lumine, volebant ſibi præire faces accenſas, vt ex lumine prænio, plebs inferret præſentiam proximæ Maieſtatis. Et exquiſitæ adeò dignitatis extitit vſus ille luminis, vt Commodus Imperator, conceſſis vxori ſuæ infulis imperij, luminis tamen vſum, ſibi ſoli addixerit. De Deo etiam præfatum eſt à Dauide. *Ignis ante ipſum præcedet.* Deo enim noſtris illapſuro mentibus, luminis quædam aſpirat aura, qua antea hominum mentes, cæcitate deſides excitantur. Ita Deus Paulum ſuo addicturus imperio, præmittit lucem. *Subitò circumfulſit eum lux de cælo.* Et hic fulgor fuit veluti prælodium gratiæ, qua præfulſit ille gentium Eccleſiaſtes, iuxta illud Dauidis,

Gen. 1.

Ex Historia; Herodian. in vita Cõmodi Imperatoris.

Pſalm. 96.

Actor. 9.

Pſalm 35.

Dauidis. *In lumine tuo videbimus lumen :* Id eſt, in gloria tua nos aliquando fulgebimus, ſed præuio gratiæ lumine nobis affulgente. Sic Reges proni, Regi gloriæ non ſiſtuntur, niſi ducatu ſigni luciferi : quod ſic refert Auguſtinus. *Dum roſea polum faces, & noctium fulgentia aſtra decernunt, tunc inſolitum repente natura lumen extimuit, pauit ſubito ſtelliger axis, & aſtra tremula famulantur ad cunas, ſurgebat ab ima crepidine poli, ingens fomite vaſto globus, vibrantes ſpargens radios, rareſcunt fulgore alieno, ſtellarum ignes obtuſi, & vt Chriſto plenum reddat obſequium temperat gradum, donec Magos ducat ad puerum, & ingrediatur paruum ſupplex gentilis hoſpitium. Ne Deus in carne poſitus eſſet obſcurus, ſerauit cælum. O infantia, cui aſtra famulantur ad cunas, cuius eſt iſta magnitudo ſuperna gloria, ad cuius pannos Angeli excubant, & ſydera obſecundant, & Reges trepidant : ô beatum tugurium, ô ſedes Dei ſecunda poſt cœlum !* Hæc ille aureo ſtylo, decurrit.

Ex SS. Patribus. S. Aug. ſerm. 1. de Epiphan.

Stellæ, quæ Magis illuxit, elegans deſcriptio.

Ex Philoſophia lumen corporale, alio non eget lumine, quo videatur, ſed ſecus eſt de lumine ſpiritali, gratia enim iuſtificans non habetur, ſine alia gratia excitante, quæ eſt præambula ſequelæ gratioris. Primum ergo lumen quod affulget homini, quem Deus reducem ad ſe pellicit, eſt ſui ipſius cognitio : agnitâ nempe nequitiâ, hominem vrget ad Deum, reproborum ſortem vltro miſerantem. Hoc lumine, omnes quos facti pœnituit, Deo redditi ſunt. Rex pœnitentium ait. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.* Cogitatione lumen accenditur, cogitatio ſydus eſt : conuerti pedes meos, in acceſſum ad Deum. De prodigo ait ipſemet Chriſtus. *In ſe reuerſus ait, ſurgam & ibo ad patrem.* Regreſſus à peccato, ingreſſum in ſe præcurſorem habuit, & non ad patrem repertus filius, niſi irradiante nouo hoc lumine repedauit. Senſum hunc, ex textu elicit Chryſologus. *In ſe reuerſus eſt, in ſe ante rediit, vt rediret ad patrem, qui à ſe ante receſſerat, cùm receſſit à patre, à ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. Ait ſurgam & ibo ad patrem. Iacebat qui dixit ſurgam, intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico. Ibo ad patrem. Qua ſpe, qua fiducia, qua confidentia? qua ſpe? illa qua pater eſt, ego perdidi quod erat filij, ille quod patris eſt non amiſit, apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore, ipſe qui interuenit & exorat affectus.*

Ex Philoſophia. Lumen corporale, quomodo differat à lumine ſpiritali.

Pſal. 118.

S. Chryſol. ſerm. 2.

Cognitio ſui eſt initium conuerſionis animarum.

Hoc igitur ratum eſto : ſcilicet neminem fore Dei, cui ſui non eſt cognitio, ea enim eſt ſtella quæ ducatum præſtat ad Dominum, benè Bernardus. *Eſt primum hominis ſapientiam affectantis, contemplari quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid infra, quid ſupra, quid contra, quid ante, quid poſtea.* Imò & Seneca hominem nimis audacter faciebat compotem hac cognitione Deitatis. Sic ille. *Tantum ſapienti ſua, quantum Deo omnis ætas patet.* Et vt eſt contrariorum eadem diſciplina, lumen hoc eſt ſalutis exordium, ſicut neſcire ſe eſt caligo, inferi porta, vt habet Iſaias. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Adſtipulatur Chryſologus. *Improbus aſpectus ſuas non reſpicit ad ruinas, alienos currit & decurrit ad lapſus, ſua cæcus ad crimina, ad aliena errata perſpicax, malorum ſuorum neſcius, alienorum eſt accuſator & teſtis, ſuum tepidus ad reatum, ad alterius, & innocentis flammatur, & exardeſcit examen.* Eam ob rem homo ſi vis dare nomen tuum Deo, & inſcribi militiæ noui Regis, noſce te ipſum, hæc quippe ſententia eſt ſtella deſuper illapſa, cuius fulgore, pleríque alias ſaucij vegetantur. Et hoc Senecam non latuit. *Hoc ipſum argumentum eſt, in melius tranſlati animi, quod vitia ſua quæ adhuc ignorabat videt, quibuſdam ægris gratulatio fit, cum ſe ipſos ægros eſſe ſenſerunt.* Vbi Dæmon excæcauit ſua mancipia, inuia cœleſti lumini, aurum eis obiicit. Auro pulſa fides, auro venalia iura, hoc metallo rutilo, ſibi ſic addicit homines incurios opum cœleſtium, vt præmonet Pſaltes, *Simulachra gentium argentum & aurum : ſimiles fiant illis qui faciunt ea : oculos habent & non videbunt.* Quo textu vides reprobos excæcatos eſſe primum & Dæmonem opibus eos poſtea demereri. Sed illæ opes teſſeræ ſunt ſeruitutis, æquè ac caliginis, vnde Deus diuitiarum erat & inferni dominus cæcus, & ſurdus ex Luciano, πλοῦτος τυφλὸς ϗ κωφὸς, quia, *Qui diuites volunt fieri incidunt in tentationem, & in laqueos Diaboli*, ex Paulo Apoſtolo. Caliginis & ſeruitutis exemplum recenſet Chryſologus diuitis epulonis. *Iſte diues, imò diuitiarum captiuus, ſeruus opum, & ipſis cenſibus compeditus, tantùm pompæ immobile ſepulchrum, in quo pietatis ortus vtique & viſus defecerat, & auditus, non tam perſonam, non pauperem, ſed ipſam miſericordiam deſpicit, ad ianuam ſuam Lazaro ſic iacente.* Et hanc cæcitatem ſugillat Auguſtinus, qua caligat homo inhians auro. *O carnale pectus, quomodo te alta & profunda auaritiæ caligo excæcauit?*

Ex SS. Patribus. S. Bern. lib. de conſiderat.

Seneca epiſt. 54.

Iſai. 5.

Serm. 139.

Cognitionis ſui vtilitas.

Senec cap. 6.

Cœcitatem opes ingerunt.

Opum nequitia.

1. Tim. 6.

S. Chryſ ſer. 121.

S. Aug. lib. 3. in epiſt. Parm.

Diuitiarum & inferni nexus.

Poëtarum apex Maro ait, ineſſe vim auro homines trudendi ad inferos, fingit Heroem illum Æneam accepto à Sybilla ramo aureo, illicò dehiſcente terra ad ima deportatum, Anu fatidica ſic auri indolem edocente,

Sed non ante datur telluris opaca ſubire,
Auricomos quàm qui decerpſit ab arbore fœtus.

Æneid. 6.

Et dum recenſet Anchiſes varias tormentorum ideas, quibus rei addicuntur in tartaro, luculenter meminit auarorum.

Et qui diuitiis ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis.

Itaque optimè dictæ ſunt diuitiæ. Plutonis compedes, illis enim ita auari vinciuntur, vt ſeſe ægrè admodum poſſint ab his auri nexibus expedire. In hoc eſt ſeruitutis ingenium, à quo planè abhorrent Reges qui hodie Chriſti ſe deuouent obſequiis, auri vim magnam effundunt, Diaboli ſic vincula diſcutiunt myſticè profitentes floccipendendas opes, amore illius, penes quem tantùm ſunt veræ Gazæ, ſuſpicantes enim in puerulo, quid regium & cœleſte, tres hi viri vtique Reges ſuo ſpreto principatu, cœlum auri ſui ſpontaneo munere coëmerunt. In hoc verè Reges & Principes viri, Hebræis ſiquidem, Princeps & liberalis eorum lingua vernacula ſonant eadem. Auri effuſione, teſtati ſunt Magi ſe dominos auri eſſe, cuius dominium maxima pars hominum ſubire non detrectat, vt ſcite probat Hieronymus : *Qui diuitiarum ſeruus eſt, cuſtodit eas vt ſeruus, qui ſeruitutis diſcuſſit iugum, diſtribuit eas vt dominus.*

Diuitiæ & diabolus eodem nomine efferuntur.

Nadib נדיב *à radice nadab* נדב *eſſe liberalem & principem.*

Chryſoſtomus egregia alluſione Græca, ſeruitutem opum diſcernit à dominio, nam opes Græcis dicuntur χρήματα, id eſt vtilitates ἀπὸ τοῦ

Diuitiæ à Græcis denominantur ab vtilitate.

χρόος, id eſt ab vtendo, & tales ſunt domini opum, his enim vtuntur modicè; aſt auaris ſunt κτήματα ἐκ χρήματα, poſſeſſiones non vtilitates. Imò κτήματα ἄχρηστα poſſeſſiones inutiles. Vt vtiles eſſent Magis, eas cauti Domino conſecrarunt. Et hoc eſt ſecundum argumentum hominis iam in ius Dei tranſeuntis, vt qui Dæmonis egerat mancipium, aurum excolendo, effundat illud Deo placiturus. Eum ſe præſtitit contemptorem auri Princeps ille Zachæus natus telonio, Dæmonio olim aſſuetus auri tenax erat, ſed vbi Chriſto ſe deuouit, ait. *Domine ſi quem defraudaui, reddo quadruplum.*

Reſtitutio quomodo fieri debeat.

Luc. 9.

Nonne & Rex Sodomorum Diaboli in hoc referens typum, voluit homines variante belli ſorte captos, pecunia ſibi comparare, dicens Abrahæ, *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Etenim parui pendit aurum, ille nequam nundinator animarum, dummodo larga auri profuſione, homines ſuæ ſalutis immemores, hoc velut hamo tandem aucupetur. Quippe ait auido auri, Da mihi animam, cætera tolle tibi. Fitque voti compos, plerique etenim animas dæmoni mancipant rei familiaris ergo.

Gen. 14.

Ex HISTORIA:

Franciſcus Petr. in hiſtoria Belgic. ſub an. 1566.

Harlem vrbe in Belgio qua ratione capta.

Luculentam habet hiſtoria Belgica, ſuper hac re tragœdiam, in vrbe luente pœnas nimij cultus quem impendit auro. Hæc vrbs nomine Harlem defecit à Rege Hiſpano, ſtetitque à partibus infidorum Eccleſiæ, ſicut & Regi, hæreſis enim æquè diſpeſcit ſuos & ab Eccleſia & à Rege ſuo, aduolat Prorex heros Magnanimus Dux Albenſis, vrbem obſidione premit, muros quatit, & miles accingitur in vrbem protinus irrumpendam. Incauti ciues rogant aliquales inducias, quarum ſtante mora poſſint inire de vrbe reddenda conſilium. Annuit Prorex, & ne indultæ moræ bellum protraherent, vrget ciues deſcribere capita quorum tenore, teneretur in poſterum ciuitas ab Hiſpanis. Quas putas inſcripſere ciues Hiſpano leges, dum victor intraret vrbem prædiuitem? Audi & mirare facinus, retro ſæculis inauditum. Homines hi fere omnes, auro magis quàm ferro excolendo aſſueti, plus timuere ſuis diuitiis, quàm ſaluti, vtque direptioni occurrerent ciuitatis, ea lege paciſcuntur. Scilicet cedere quidem vrbem, in ius Hiſpanorum, daréque ſe animas in arbitrium victoris, dummodo, tripudians miles, & inſolens æqua ſorte, facultatibus ciuium parceret, opibus eorum penitus illibatis. O peſſimi Conſultores, animas dedere, quid proderit mundi lucrum, paſſo animæ detrimentum. Signatis vtrimque ſyngraphis, ingreditur armatus miles, deditóſque ciues ad arbitrium, ſub iugum mittit, intactas quidem ille reliquit opes, ſed quia corpora ceſſerant in ius eius, auaros deteſtatus animos vrbis, vitæ incuriæ, ad duo hominum millia laqueo præfocauit. Hi diuitiarum aſſeclæ, & auri vilia mancipia, vltro pepigiſſent cum Rege Sodomorum dicente, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Sed Abraham ſe ipſo dignum edidit facinus, vt qui Dei totus erat, animum regium teſtatus, has nihili fecit opes dicens. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli, & terræ, quòd à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas ego ditaui Abraham.* En reuera fidum Dei ſeruum & integrum ſæculi contemptorem.

Diuitiarum amor perdidit Belgas.

Gen. 14.

Ex SS. PATRIBVS.

Inſtabis fortè opulentum fuiſſe Abraham? fuerunt & Reges hodierni, ſed vt aurum Deo dedicarent, ita & Abraham ſibi pauper, & pauperi diues, vt benè ait Chryſologus. *Abraham non ſibi, ſed pauperi diues fuit, & opes non habere, ſed prorogare geſtiuit magis, magiſque in ſinum pauperis, quàm in horreis recondere ſuas ſtuduit facultates, ſicut toto vitæ eius ordine edocetur, nam peregrinus ipſe iugiter laborauit, ſub tentorio manens ipſe, ſine tecto aduenam manere non paſſus eſt. Et hoſpitum hoſpes ipſe ſemper excepit, extorris patriæ domicilij neſcius, ipſe & domus omnium fuit & patria, ſciens ſe non incubatorem, ſed diſpenſatorem diuinæ poſitum largitatis, vt vindicaret oppreſſos, abſolueret captiuos, eriperet iam iamque morituros, ipſum ſe morti nouus bellator addicit apud quem pietas in alterum, vita ſua charior fuit, Abraham ſuſcepto hoſpiti adſtitit, non aſſedit, & fuit iſte non conuiua hoſpitis, ſed miniſter.* Deus verè in hoc diuite triumphabat. An non & fideles vt primum Chriſtus fide regnare cœpit, ſuas adportabant opes ad pedes Apoſtolorum, hinc profitentes obſequium ſingulare Deo, nam vt ait Chryſologus, Euangelio taxantur opes vt noxiæ. *Diuitiarum fallax fugatur illecebra, cupiditatum furens flamma reſtinguitur, auaritiæ rabies veſana mitigatur.*

S. Chryſol. ſerm. 121.

Diuitiæ quomodo ſine iniuria.

Ex SS. PATRIBVS.

S. Chryſol. ſerm. 104.

Diuitiæ ſunt fugaces.

Diuitis nomen aliquid diuinum redolet, diues enim quaſi diuus, hinc diuites adoleri ſibi volunt thura, videlicet honores & gloriam, nam ex Auguſtino, *vermis diuitiarum eſt ſuperbia.* Cùm enim quempiam euexerunt opes vel iniquæ, quaſi ad hoc pararetur aurum, vænennt præfecturæ, auro quæque proſtant: denuum prędiuites omnem mouent lapidem, quo queant cæteris eminere. Fitque Dæmonis aſtu vt qui auaritia ſeipſo peior homo euaſerat, iam incremento nequitiæ fiat peſſimus, Angelo ſpiculatore animarum neſciente moras, ſed vrgente iugites in abyſſum, ſuæ Tyrannidis vilia mancipia. Vt enim quis auro quaſi bracteatus incedit, in more poſitum eſt, vt ex auaro, ſtatim ad faſtum & pompam compoſitus inſoleſcat. Hinc videre eſt auro & thure firmari tyrannidem Diaboli, quam vt declinent Magi, thus adolent Regi ſuo infantulo, thure Deum profitentes, cui ſoli vt Regi ſæculorum honor & gloria. Quemadmodum enim gentiles quondam Imperatores, aquilæ ſymbolum capiebant, vt teſſeram imperij, ita Dæmon ſuperbiam quæ notatur in aquila, Chriſtus verò columbam aſſumpſit. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ.* Hoc humili typo indicans ſeruulis, elatos animos eſſe demittendos.

S. Auguſt.

Matth. 10.

Quamobrem idem opifex regni, probè callens in quo ſit ſita tota ratio regni cœleſtis, aiebat ſimile eſſe regnum cœlorum grano ſinapis, quod adeò minutum eſt vt effugiat penè oculorum aciem, & diſcipulos blandè conſolatus ſic affatur eos. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum;* hæ verò phraſes nihil aliud ſanè quam regni cœleſtis humilia eſſe fundamina proteſtantur. In ea eſt mente Beda. *Puſillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionem nominat, quia videlicet Eccleſiam ſuam quantalibet iam numeroſitate dilatatam, tamen vſque ad finem mundi vult humilitate creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate peruenire.* Agnouere Magi ſydere edocti humilia eſſe Euangelij præludia, ideóque

Matth. 13.

Luc. 12.

Beda l. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Eccleſia quare dicatur puſillus grex.

Procs

Matth. 2.
Stabuli Bethlehem elegans deſcriptio.
S. Aug. ſerm. 21. de Epiph.

Procidentes adorauerunt eum. Proni depoſuere faſtum ad infantuli pedes, qui iuuetili planta, editus in ſtabulo, ſuis humilibus exurdiis typhum ſæculi depreſſetat, vt piè meditatur Auguſtinus. *O cœleſte palatium, in quo habitat Rex non gemmatus, ſed incorruptus, cui erant pro mollibus thoris dura præſepia, pro laquearibus aureis, fumida culminum tecta, ſed ſyderis obſequio decorata. Quid homo circumſcriptus corpore ampla prætoria, & diuerſorum colorum marmorum cruſtis, atque fulgentibus bracteis ædes pretioſas, atque decoras exornet? delectatur Deus in lapide duro, dum vult ſuccurrere mundo.* Vaniloqua Græcia mentiatur Herculem in cunis, duos eliſiſſe ſerpentes: puerulus hic tres contriuit, ſuperbiam humilitate ſua, auaritiam paupertate, voluptatem in duro præſepio, cuius decubitum vtique ſuſtinebat: ſuam iactet Cæſar victoriam de Ponto, cuius gloriam poſteris annis, ambitioſa tituli pompa dedicauit. Quippe titulum victoriæ veluti gloriæ ferculum prætulit in ipſa triumphi ſerie amplo charactere, VENI, VIDI, VICI. Chriſtus necdum ſæculi limen attigerat, puerulus, & exegit tamen triumphum de vitiis, quorum typica inſignia, & notæ ſymbolicæ infantis huius, de faſcia iam victoris, pedibus aduoluuntur. Seſe regum faſtus inclinat ante humilem, diuitiæ in puluerem effunduntur ante contemptorem mundi: myrrha defertur ei qui voluptatis ſenſum omnem excuſſerat, & qui amarore pœnitentiæ omnem corruptelam ita condiebat, vt in poſterum, macerata foret corruptionis neſcia caro pœnitentum. Necdum accinctus ad prælium venerat, & hoſtem attentè viderat, quonam graderetur inceſſu; vicit tamen, fugauit, profligauit.

EX HISTORIA.
Suet. n. in vita Iulij Cæſar.

Chriſti victoria de dæmone, mundo & carne fuit citiſſima.

Video te deſiderare myrrham in pompa qua Dæmon tripudiat, triumphum agens de reprobis, quos auro, & gloria faſcinatos circumagit orbe toto, non longe abeſt myrrha, licet recondita, ne viſa ſuperbis & auaris, reſiliãt atque reſipiant. Myrrha quæ noxarum omnium eſt ſequela, nuncupatur ſyndæreſis, quæ hominem vrget & lancinat aculeis exquiſitiſſimi ſenſus, iniquo aliquo facinore perpetrato. Quemadmodum enim ſcorpius animal virulentum, brachiis ſuis mentitur amplexus, cauda recondente lethale virus, ita & Dæmones, obiectis opibus, gloria, atque deliciis, amicos ſe ſimulant hoſpites, ſed vbi inſinuatint ſe ſe homicidæ illi ſpiritus, animas ſydæreſi inquieta laniant, iugique punctione terebrant hominem totum, quem demum graſſante peccatorum lue, miſerè depaſcuntur. Habet Paradinus egregium ſymbolum hominis reprobi, & Diaboli myrrha delibuti. Leporem pingit cinctum aculeis vndequaque, hoc titulo, MALO VNDIQVE CLADES, quippe conſcientia hominis nequam male ſibi conſcia, tremula ſemper eſt & pauida, ſicut & lepores, & velut aculeis acta, puncturis eſt iugiter obnoxia. Dæmone ipſo ſic vltore, cui volens anima mancipatur. Hunc reprobi ſtatum iniquum, præfato lineatum typo leporis, compendioſe Paulus ſic deſcribit, cùm ſuas ærumnas recenſet. *Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus, foris pugnæ, intus timores.* Iuſto Dei iudicio caro eſt quietis impos & neſcia, quia deducens animam ad infima, reſilit ab ordine à Deo ſibi præſtituto, & hoc inſinuat Auguſtinus. *Iuſſiſti Domine*

Reprobus vndique malis concutitur.

EX SYMBOLIS.
Paradinus lib. Symbol.

Caro ſemper inquies.

2. Cor. 7.
EX SS. PATRIBVS.
S. Aug. lib. Confeſſ.

& ſic eſt, vt ſit ſibi pœna inordinatus animus.

Indulſit animo quondam Petrarcha, & neſcio an ſaucius tam ſcitè deſcripſerit furias erynnes, quæ animas ſontes perenni tormine diſcruciant, ſic ille. *Peccata patre conceptuque tartareo edita, confuſionem, & præcipitium, & horrorem, & naturam propria originis non dediſcunt, furiæ ſunt pediſſequæ, quæ ſtimulis ſemper ardentibus, cæcum atque tranſuerſum ſemper animum exagitant.* Adiice Ieremiæ ſacrum teſtimonium. *Quoniam vilis facta es nimis, iterans vias tuas, obteriet Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum:* quid enim ei poteſt eſſe boni, qui à bonorum omnium fonte Deo deuiauit. Idem alibi myrrhæ acrem, & vellicantem ſaporem explicat. *Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies, confuſa eſt & erubuit, & reſiduas eius in gladium dabo, væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ? in vniuerſa terra omnes mihi maledicunt.* Totus hic Prophetæ contextus eſt in ſequela peccati deteſtanda. Accipe breuem eius paraphraſim. Anima quæ peperit ſeptem, ea eſt quæ edidit plurima facinora, ſi quidem omnes noxæ ſeptenario numero concluduntur, defecit anima eius: nam peccatum eſt deliquium, quo à Deo, qui eſt fons vitæ, abeuntes, ruimus in abyſſum, vt ait Auguſtinus. *Quid mihi ſum Domine ſine te, niſi dux in præceps?* Et hoc confirmant voces ſubiectæ, occidit ei ſol, &c. notant enim gratiam deperditam. *Reſiduas eius in gladium dabo.* Si quid boni antea actum eſt, illud emergente malo perit. Item patitur reprobus in bonis & naturæ & fortunæ, imò & in filiis, ſicut liquet in Achab, cuius omnes filij parentis iniqui culpa miſerè perierunt. *Væ mihi mater mea!* Reprobi alma parens eſt voluptas, quæ lactat eum vbere diffluente, ſed in ea lactis dulcedine, qua ſe ingurgitat, inſitum eſt germen rixæ quam patitur homo reus, vt qui noluit habere pacem cum Deo fixam & ratam, in varia & diuerſa tandem multiplici diſcordia tractus perturbetur. Vide qua myrrha Diabolus condierit opes diuitis eius, cuius ager erat ſeiax. *Cogitabat intra ſe dicens, quid faciam, quòd non habeo quo congregem fructus meos?* Vbi ſic Chryſologus. *Miſerum quem vbertas ſterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecere mendicum, humanus ager, inhumanum Dominum ſuſtinebat, & quod terra fundebat largiter, concludebat & congregabat anguſte, vt eſſet alienorum cuſtos, qui eſſe ſuorum noluit prorogator, ingratus Deo, ſibi nequam, hoſtis pauperum, diuitum nota, carcer naturæ.* O ſortem iniquam facultatum, quibus ita ſolliciti incubant homines inſenſati! Sed audiamus iterum de hoc Chryſologum. Miratur ille ſanctus hominem hunc diuitem cogitabundum in opibus, nec in his vſpiam geſtientem, ſic enim loquitur Chriſtus de hoc prædiuite. *Cogitabat intra ſe:* vbi Chryſologus. *Digno conſiliario ſe vſus, qui mali animi non poterat habere ſolatium, non poterat habere collegam. Mens impia cum impietate certabat, & patiebatur inteſtinum bellum, qui miſericordiæ pacem perdiderat & quietem,* (cogitabat intra ſe dicens quid faciam?) *interogantis vox eſt, & quem putas interrogabat iſte? erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam Diabolus poſſeſſor inſederat, & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* (Quid faciam quod non habeo?)

Audiſtis

Petrarch. de vit. ſolit. lib. 1. tract. 2. c. 4.
Peccati quanta ſit nequitia.
Ierem. 2.

Ierem. 15.
Peccatum homines malè afficit.

S. Aug. lib. Confeſſ.

4. Reg. 10.
Luc. 12.

Diuitiæ homines anxios efficiũt.

S. Chryſol. ſerm. 104.

Luc. 12.
S. Chryſol. ſerm. 104.
Diuitiæ ſunt in ruinã diuitũ, qui eas nimis depereunt.

Audiſtis quomodo non habet diues, ecce clamat, Non habeo, verum eſt, quia non habet ſemper, qui quærit ſemper. Sed audiamus quid ei reſponderit conſiliarius internus (Deſtruam horrea mea.) *Euidenter apparuit qui latebat, qui à deſtructione incipit ſemper inimicus agit, agit, vt quæ habes deſtruas, & quæ concupieris non reformes, miſer diues ignarus de præſentibus, diſputas ſtultiſſimè de futuris.* Hac contextura Chryſologus probat ineſſe diuitiis, libras centum myrrhæ vtique mordicantis.

Honorib eſt & ſua myrrha.

2.Reg. 18. Eſther. 3.

Eſſe & ſuam myrrham honoribus liquet, ex vtraque Hiſtoria, cùm ſacratiſſima tuio profana. Vide quam fuerit anxius Abſalon, anhelis pulſibus auens imperium præcox, cuius habenas ſapiens moderabatur Pater: Nonne & Aman ſaturatus honoribus decubuit, credulus nimium deeſſe ſibi ad gloriæ ſummam aliquid, ſi non eſſet Iudæis iniurius, & eorum cladem acerrimus vltor intentaret. Themiſtocles aliena gloria vigil, noctes egit inſomnes, animo verſans egregia facinora Miltiadis, cuius ſe lumine opacari ſuſpicans, ſe ipſum ferre non poterat. Hi denique typho ſuo crepuere omnes, tumidi ſupra modum. Ideóque gloriam eſſe vſquequaque myrrhatam, imò & ingratam ſuo ſuſpendio, & indecora morte hodie proteſtantur.

Plutarchus in vita Themiſtocl.

Ambitio quomodo ſuos aſſeclas agitet.

Pænitentia eſt myrrha.

Æquiorem myrrha finem ſortitur, Magorum illa quam Chriſto detulerunt, nam pœnitentiam ſignat quæ propria eſt eorum, qui aurum malè partum Chriſti cauſa reſtituunt, & proni veniam exorant, expuncturi nouo viuendi ſchemate, retroactæ vitæ reprobos actus. Hanc myrrham obtulit Ezechias, dum ait Domino. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Myrrha quidem initio ingrata, ſed vſu fit gratior, nam ea condiri, pœnitentes adoleſcunt. Myrrham pœnitentum variare, ipſe Chriſtus eſt aſſertor, dicens ſymmiſtis ſuæ diſciplinæ. *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Etenim ſicut hi quos Dæmon auro & thure donat, id eſt opibus & gloria beat in ſæculo, exortes ſunt à patria quæ ſurſum eſt, ita & hi qui opes ſuas & gloriam Deo deuouent, comite myrrha pœnitentiæ, etiam ſi aliàs errarint à patria, in eam tamen hilares, Deo dante, repedabunt.

Iſai. 38.

Ioan. 16.

ChriſtusRex noſter.

Hoc tramite Chriſtus patriam ſuam repetiuit ab ortu ſuo, floccipendens aurum à Magis effuſum; pauper enim natus, pauperior vixit, & obiit tota nuditate pauperrimus. Thus Deo Patri adoleuit, ſectatus humilitatem quæ Angelis extitit miraculo tenus, vt Bernardus piè meditatur. *Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis ſupernæ. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate quo coronauit eum mater ſua; ſed his deliciis vſque modo caruiſtis: hanc hactenus dulcedinem non guſtaſtis; habetis ſublimitatem eius, ſed humilitatem eius non vidiſtis.*

S. Bernard. ſerm. 2. de Epiphan.

Cùm præcipuè nobis datus ſit paruulus iſte, & filius natus, Dominus Deus & Rex noſter, hortatur homines idem ſanctus Abbas vt Regi ſuo totos ſe conforment. *Vobis dicimus, filiæ Sion, animæ ſæculares, debiles, delicatæ, filiæ, non filij, in quibus nihil eſt fortitudinis, nihil virilis animi. Egredimini filiæ Sion, egredimini de ſenſu carnis, ad intellectum mentis, de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ, ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra veſtra, & de cognatione veſtra, & de domo patris veſtri, & videte Regem Salomonem, alioquin non erit tutum vobis videre Eccleſiaſtem, idem enim qui Salomon, id eſt pacificus in exilio eſt, Eccleſiaſtes, id eſt concionator erit in iudicio. Idida, id eſt dilectus Domini in regno: in exilio manſuetus & amabilis, in iudicio iuſtus & terribilis, in regno glorioſus & admirabilis. Egredimini & videte, nam vbique Rex eſt; licet enim regnum eius non ſit de hoc mundo, tamen Rex eſt etiam in hoc mundo.*

S. Bernard.

Chriſto quomodo ſit occurrendum.

Bernardus ſuo ſanctiloquio homines vrget ad ſequelam Regis, qui virtutes habet omnes pro teſſera regni ſui, vt innuit Pſaltes. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam procede proſpere, & regna.* Sic enim perorat Bernardus. *Suſcipite coronam paruuli propter vos Regis veſtri, & vnà cum Magis humilitatem eius adorate, quorum fidei deuotio vobis hodie proponitur ad exemplum.*

Pſalm. 44. S. Bernard. ſerm. 2. de Epiphan.

Sed heu, hunc Dominum Ieſum, quem Reges, auro regem ſuum confitentur, ſicut & thure & myrrha Deum immortalem, multi homunciones dominum habere dedignantur. Etenim plerique exoſi virtutes præpotentis huiuſce Regis, aiunt. *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Sic excuſſo Chriſti dominio, illi perduelles, carne ſuada, quæ ſunt ſæculi huius duntaxat, & corporis inſectantur.

Homines compelluntur ad ſequelam Chriſti qui Rex noſter eſt.

Hodie querula virgo & Mater infantis, Deum Patrem eo compellat ſtylo quo & Bethſabée Regem Dauid. Rex ille deperibat hanc Reginam qua ſatus eſt Salomon, & in amoris indubij certius argumentum, iureiurando pollicitus eſt abdicaturum ſe regno, in gratiam filij eius Salomonis. Geſtiit mater impos ſui, ſpe regni, ſed breui decumbente Rege inualido; Adonias & ipſe filius Dauid alia vxore editus, Regem egit, & inſcio patre, ſibi vni regias infulas arrogauit: Bethſabée Adonia cautior, conuenit Regem & prona eum ſic affatur. *Nonne tu Domine mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo, quare ergo regnat Adonias?* Ita & cælitus Maria certior facta de regno filij ſui, Gabriele paranympho. *Paries filium, & vocabis nomen eius IESVM, hic erit magnus & filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Eſt tamen caſſa promiſſio, irritúmque Dei iuſiurandum, Chriſtus enim non agit vices ſuas, nec obit munia Regis, homine reluctante.

3. Reg. 1.

Luc. 1.

Quamobrem Maria alma parens Regis, oratione querula Deum patrem ſic vrget, fidémque promiſſi ſtantis adhuc ſollicitat. Nónne Domine mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens. *Paries filium, hic erit magnus & filius altiſſimi, regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Regnauit equidem IESVS meus in aliqua plaga, ſcilicet in ſanctis, ſed heu regni huius inſtat finis: Regnat Adonias, ſiquidem imperium in animas dæmones vſurparunt. Quare regnat Adonias, quare regnat Aſmodæus dæmon ille inhoneſtus, carnis illuuie homines coinquinans? Quare regnat Mammon, dæmon opes reprobis obiiciens, quibus vænit homo? Quare regnat Lucifer ſpiritus ſpirans elatos animos, & anhelans ſuperbiam, quâ homines alta ſapientes facit ſui iuris? Quare demùm Domine Deus omnia vitia proſtant, & ſunt in pretio, virtutibus penè omnibus abrogatis? Tua eſt

EX FIGVRIS.

B.V. Mariæ querula quia Chriſtus nō munia Regis obit in animas noſtras. Chriſti dominium debent omnes ſubire.

Pater

Pater æquè an mea iniuria, ſi hæreditas tua vertatur ad alienos. Iuſtè equidem Regina cœli quereris apud Deum, eſſe ingratas hominum mentes, regnauit reuera Adonias, caro nos ſuo addixit imperio, irretitos illecebris, gula cupediis ſuis ſibi nos deuinxit, aurum ſuo fulgore rutilo noſtros perſtrinxit oculos, gloria faſtu ſuo ſupra modum erexit animos, ira cor noſtrum intumuit, æſtuauit & vindicta: Demum acedia reſolutos vitia omnia nos ſibi deuouerunt. Sed vt Bethſabee populum reducem excepit, comiter ab Adonia præuentum; ita & tu pia Mater ſuſcipe reduces promittentes æterna obſequia Regi Domino filio tuo.

Ex Historia. Spondeo pro vobis auditores, & paciſcor. Habetote ratum Chriſtum ea lege accipere imperium in vos qua olim Iouinianus Imperator; is mortuo Iuliano Imperatore, ſufficitur in locum demortui, ſed ille aduertens exercitum cuius ſuffragiis poſcebatur ad coronam, eſſe addictum idolis, vtpote deceptũ ab apoſtata, abnuit imperium, fruſtra ipſum exercitu depoſcente. Aſtant primores exercitus, vtique proceres Imperij, rogant cauſas cur detrectet imperium. Ego, inquit Iouinianus, Chriſtianus ſum, & exercitus eſt gentilis, nolo imperare viris qui gentili ritu viuunt: vbi hoc audiit exercitus, exclamauit, abdicamus idola & amodo ſumus Chriſtiani, Imperator noſter eſto, Iouiniane: Chriſtum diciris Regem veſtrum, ô reprobi, ſed ille veſtrum neſcit imperium. Ego, inquit, ſum Chriſtus, ſolis ego impero Chriſtianis & non idololatris, vrge & voca homo, imò inuoca hunc Regem & dic: Amodò Domine Deus vale dico deliciis, opibus, & gloriæ, & Reges imitatus, hæc omnia tuis addico pedibus, futurus Chriſtianus in æternum. AMEN.

Ruffinus lib. 1. cap. 2. Theodoret. l. 4. cap. 1. Sozomenus lib 6. cap. 3. Socrates lib. 3. cap. 19. Iouinianus nõ vult imperare Gentilibus.

TRACTATVS PRIMI

CAPVT QVARTVM,

IN FESTO

RESVRRECTIONIS DOMINI.

EVANGELIVM. *Marc. 16.*

1. MARIA Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venienres vngerent IESVM. 2. Et valde manè, vna Sabbatorum, veniunt ad monumenrum, 3. orto iam ſole. 4. Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? 5. Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde, & introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt, qui dixit illis: Nolite expaueſcere: 6. IESVM quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, 7. non eſt hîc, ecce locus vbi poſuerunt eum. 8. Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

1. *Corpus Chriſti plagis affectum, ſunt pauperes quos eleemoſyna inſtar olei vngit.*

2. *Citò vngendi ſunt, ne hoc vnguentum vapeſcat.*

3. *Furtim etiam, nemine conſulto, ſufficere enim debet Sol, ſcilicet Deus qui irradiat, & videt hoc facinus.*

4. *Ipſius paupertatis aditus difficilis eſt.*

5. *Quem qui habet peruium, Angelico dignatur obtutu.*

6. *Quo docetur, pauperes verè reſurgere.*

7. *Sola enim moritur inopia, ſed non inops.*

8. *His qui pauperes vngunt, dicitur, ite, nam profectus eorum adiuuatur illa vnctione, ſicut & rota ſiunt & cientur oleo volubiles. Animam impinguari hoc oleo, liquet ex ore Dei cuius oracula verum ſemper eructarunt.*

PAVPERES SVNT CHRISTI corpus extinctum, quod inungunt eleemoſynæ fidelium.

In hæc verba:

Emerunt aromata vt venientes vngerent IESVM.

SECTIO PRIMA.

PHiloſophia Theologiæ præambula, vt quæ terminos diſcutit & aperit, quibus hæc ſacra Ex Philosophia.

ſacta diſciplina, myſteria ſua queat explicare; rerum igitur & nominum indagatrix Philoſophia, trifariam vſurpat hoc nomen corpus. Primò vt eſt genus ſubalternum ſubſtantiæ, & ſic complectitur omnem ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma. Secundò corpus accipitur vt pertinens ad prædicamentum quantitatis continuæ, & ſic importat trinam dimenſionem, longitudinem, latitudinem, profunditatem. Tertiò demum corpus ſignificat alteram partem compoſiti ſubſtantialis, vt cùm dicimus hominem componi ex corpore & anima, & in eo ſenſu vſurpauit Ariſtoteles, dicens: *Animam eſſe actum corporis organici*, In eo ſenſu corpus dicit diuerſas in ſito partes, & figuras ad diuerſa opera vitæ deputatas, & vna adinuicem compage intima ſubſiſtentes.

Gabriel diſt. 11. q. 1. art. 1. Corpus quot modis accipiatur.

Ariſt. l. 2. de anima cap. 1. text. 4.

EX THEOLOGIA.

In eo ſenſu Theologi diſputant de corpore Chriſti, dicentes corpus Chriſti aliud eſſe verum, aliud metaphoricum. Verum corpus eſt illud quod ſumpſit ex Maria Virgine, & illud corpus dicitur, ſaccus pretij noſtri, iuxta illud Pſalmi. *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.* Vbi Auguſtinus. *Ecce Chriſtus paſſus eſt, ecce mercator oſtendit merces, ecce pretium quod dedit, ecce ſanguis qui effuſus eſt, in ſacco ferebat pretium, percuſſus eſt lancea, ſciſſus eſt ſaccus, & manauit pretium orbis terrarum.* Metaphoricum Chriſti corpus, eſt illud quod tale dicitur, per tranſlationem, ratione ſimilitudinis quam habet ad verum corpus Chriſti, & tale corpus eſt tota Eccleſia, quæ ideo dicitur corpus myſticum potiùs, quam metaphoricum. Licet enim res omnes myſticæ, quæ per tranſlationem dicuntur, ſint metaphoricæ: vox myſterij indicat eſſe rem ſacram, qua aliquid ſacrum innuitur: nam μυέομαι ſignificat, doceor, in ſacris. De hoc corpore myſtico ſic ſanctus Theologus, ſcilicet Thomas. Ea eſt differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum, quòd membra corporis naturalis ſint omnia ſimul, membra autem corporis myſtici non ſint omnia ſimul, neque quãtum ad eſſe naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt ab incunabulis mundi, vſque ad finem: neque huius corporis omnia membra coaleſcũt, quantùm ad eſſe gratiæ, quia eorum etiam qui ſunt in vno tempore, quidam gratia carent, poſtmodum habituri, aliis iam habentibus. Itaque liquet membra corporis Chriſti myſtici accipi, non ſolùm ex eo quod ſont in acto, ſed etiam ſecondùm quod ſunt in potentia. Vniuntur autem fideles triplici vinculo, quo perfectiſſima ſtat compages myſtici corporis Chriſti, ſicut & corpus verum humanum tres animæ gradus ſortitum eſt, qui membra minimè diſſita compaginant: ſcilicet vim vegetantem, ſenſitiuam, & rationalem, reſpondentes, fidei, charitati, & gloriæ. Fideles omnes coëunt in vnum corpus Chriſti, ratione fidei, qua etſi omnes non ſint in gratia, tamen ita viuunt, vt non ſint extra corpus Eccleſiæ: habent enim aliqualem gradum vitæ, nam licet fideles peccato lethali obnoxij, fidem habeant mortuam, vt expertem gratiæ, non tamen eatenus mortui ſunt, vt careant vita, quæ ſufficit ad hoc vt ſint membra corporis Eccleſiæ, ratione fidei vim vegetantem habentis, etſi non ſentiat Chriſtum inhabitantem quando eſt ſine operibus. Secundò vniuntur fideles ratione charitatis, ſeu gratiæ, & hæc vnio ſimilis eſt ei quæ exurgit, ex anima ſenſitiua, quâ percipiuntur res conſonæ, & diſſonæ corpori. Nimirum anima gratiæ Dei compos, fugit omnia quæ diſſoluere poſſunt myſticam hanc compagem. Denique beati omnes in vnum exurgunt myſticum corpus, mediante gloria, quæ refert animam rationalem, qua homo ſpeculatur cœleſtia; ita & beati, mediante gloria, & eius lumine, pleráque habent peruia, quæ in humanis inuia ſunt. Ex his patet ratio omnis, ob quam dicatur Eccleſia, corpus myſticum, vt & dixit Apoſtolus. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*, & alibi, *Membra cùm ſint multa, vnum corpus ſunt.*

Pſalm. 26. S. Auguſt. in Pſalm. 29. Paſſionis Chriſti effecta.

S. Thom. 3. parte q. 8. ar. 3.

Fides vnit fideles.

Charitate vniuntur fideles.

Rom. 12. 1. Cor. 12.

Corporis illius myſtici variæ ſunt partes, quæ referunt varia membra Chriſti. Pontifices vt apices Eccleſiæ, figurant caput Chriſti; Doctores linguam: hi qui vitæ actiuæ dant operam, deſcribunt manus: alij verò qui alios nutriunt, ſunt ſicuti venæ quæ ſanguinem impertiunt: pauperes verò ſpoliati omni fortunæ cenſu, & veluti ſæculo mortui, genuinè mentibus noſtris ingerunt corpus Chriſti extinctum, cruore madens, multiplicique hiulcum plaga, & hanc pauperum ideam eſſe affinem corpori Chriſti emortui, ipſemet Dominus IESVS ait, cùm Maria Magdalene vnguento vnxit pedes eius, vnde querulus Iudas ait. *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Dixit IESVS: *Sinite illam, vt in die ſepulturæ meæ ſeruet illud, pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Qua ſerie verborum, Dominus ait corpus ſuum extinctum vngendum oleo, ſicut & pauperes eleemoſynâ, & ita pauperes ſua etiam eſſe agnoſcit membra, ſed corporis mandati ſepulturæ, fitque palàm quod ait Paulus. *Chriſtus multa membra habet in corpore ſuo.* Alia quidem vegeta & valida, vt fuerunt Apoſtoli decurrentes orbem totum, alia infirma, imò & extincta vitæ ſenſuali reproborum hominum, vt ſunt pauperes, & hoc diſpenſatione Dei congrua cuiuſque ſaluti, Apoſtolo teſte. *Nunc autem Deus poſuit membra, vnumquodque in corpore, ſicut voluit.*

Pauperum dignitas. Eccleſiæ varia ſunt mẽbra.

Ioan. 12.

Rom 12.

1. Cor. 12.

Et ea pauperum ſors, eſt multo beatior eâ, hominum eorum qui Chriſtum referunt egregia perpetrantem, vt ſunt præcones verbi Dei, Præſules, Thaumaturgi ſeu miraculorum eximij patratores, hæc enim munia gratis data, non efficiunt formaliter, neque proximè hominem Deo gratum: imò ſicut Chriſtus, has obiens vices multas perpeſſus eſt ærumnas, imò & mortuus eſt, ita & Antiſtites & Doctores verbo Dei inſtantes, aliique miraculorum gloria inſignes, multa patiuntur dæmonum, ſæculique conamina, quia impetiti ſæpe deficiunt. At ſicut corpus Chriſti exanime, glorioſum extitit, vt cui ingemuerit Sol ſuo deliquio, & terra nutans horruit hanc mortem, quam plurium corporum reſurrectione compenſauit: ita & pauperes nequaquam inglorij, non habent quod timeant; nam paupertas gratiæ propior eſt, quàm alia chariſmata antea recenſita. Sanè, ne in vado hæreamus, nota hîc agi tantùm de ea paupertate, quæ eſt volũtaria, & ad omnes poteſt pertinere ſtatus.

Pauperum ſors beata.

Vna eſt, cùm omnia affluunt, ſpiritus tamen floccipendit opes, & paupertatem amat, hæc cadere poteſt in Reges & ſæculi quoſque præpotentes. Alia eſt quæ accidit ex iactura opum, & quam tamen cùm ingruit, ſuſcipiunt alacriter,

Pauperum encomia.

hi

hi quibus imminet hæc paupertas, eamque priſtioo ſtatui præferunt opulento. Vltiina demum eſt quæ vltro appetitur exouiis ſæculi penitus abdicatis: & de hac ait Chriſtus. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Alia autem inopia quæ eſt inuita, laude caret, & ex Hugone vocatur egeſtas; ab hac egenus dicitur Hebraicè אביון *Ebion*, id eſt deſiderans, à radice *aba* אבה *voluit, concupiuit*, quia pauperes inuiti, inquieto appetitu cientur ad omuia. At paupertas ſpiritus alio vocabulo Hebræo benè deſignatur, nomenclatura conſona ſuo diuino ſtatui. Na, ריש *reſch, paupertas.* idem ac ראש *Roſch* quod ſignificat caput vel rem ſummam, & præſtantiſſimam, aleph enim & iod, litteræ ſunt mutabiles apud Hebræos, imò ראש *Roſch*, quod rem ſignificat præſtantiſſimam, vſurpatur à Salomone pro paupertate ראשך *Reoſcheca paupertas tua.* Pauperes ergo etſi quaſi tumulo addicti, non ſunt inde viliores: vt enim corpus Chriſti emortuum, æquè Deo fuit vnitum, ac dum viueret, & inſuper nullas ſenſit iniurias, qoibus erat obnoxium dum viueret: ita pauperes non minus Deo grati quàm diuites, imò diuitibus in eo præeunt, quòd neſciunt ærumnas quibus ſubiacent opulenti, multis vitiis obnoxij, quorum expertes ſunt pauperes.

Matth. 5.

Hugo l. 1. c. 9. de clauſtro animæ.

Prou. 6.

EX MATHEMATICA.

Ptolemæus lib. 3. de iudiciis c. 12. 13.

Mathematica aliquid ſuggerit aptum propoſito, nimirum in ea cæli partitione quam diſpeſcunt Aſtrologi, quarta domus dicitur, domus hærediratum & theſaurorum; huic autem domui ſignum à mundi exurdio inſitum eſt, cui nomen eſt cancer; cancer autem quid retrogradum ſonat. Vnde ſic arguo. Quarta domus eſt domus tenebroſa, eſt enim infra terram collocata, & oppoſita domui cæli quæ meridiem occupat, ſicut & qoarta domus mediam noctem: ergo diuitum domus opaca, ob rerum affluentiam quæ facit eos multorum ſcelerum conſcios, atque implicitos vmbris ſcelerum, quibus vt plurimum diuites opacantur.

EX SYMBOLIS.

Typotius lib. Symbol.

EX SS. PATRIBVS.

Huic domui præeſt cancer, ſignum præferens animal retrogradum, & ſymbolum viarum quas ineunt diuites, deuiantes à cælo, quo pauperes ſpiritu pernice greſſu tendunt, vt & hoc ſymbolo egregio oſtendit Laurentius Truchſeſius, qui pinxit ſphæram terreſtrem cui cancer inſidebat hoc titulo. Orbis iter indicans hac figura cancri, homines terræ indigenas, retrogrado greſſu incedere, nihil directè agentes, ſed retrorſum omuia, quippe diuites ferè omnes, quaſi immemores cæli, tantùm abeſt vt eò tendant, quin potiùs retroacti præcipites feruntur aliò, id eſt verſus domum illam quam Mathematici vucant domum theſaurorum, quæ eſt infima domus figuræ cæli, domos abſcondita, & abdita denſæ caliginis inuolucris. Ad hanc fortè domum alluſere Sancti Patres, cùm de auro diſputarunt, vt de re quæ animos ad ima deponit. In his audiendos eſt Chryſologus. *Aurum natura graue, grauius fit auaritia, hinc eſt quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem, & vehementius aggrauat corda, quàm corpora, naſcitur in terra profunda, ſectatur ipſa montium fundamenta, perque ima venarum, cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repedat ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus ſemper, alta mentium, ſemper in terrena demergit.* Et Auguſtinus hominis qui inhiat auro, miſeratus ſortem, quæ eum deorſum inclinat, exclamat. *O carnale pectus quomodo te alta, & profunda auaritia caligo excæcauit!* Magis adhuc appoſitè S. Ambroſius. *Ipſum nomen conſidera. Diuitem Gentiles inferni præſulem, arbitrum mortis Ditem appellant. Quid niſi mortem diues inferre nouerit? cui regnum de mortuis, cui ſedes infernæ ſint.* Alludit hic ſanctus ad duas voces has Græcas πλοῦτος πλούτων, πλοῦτος ſignificat diuitias, & πλούτων ſonat Deum inferni, quaſi idem eſſet, diuitem eſſe, & eſſe inferni mancipium. Et hoc Dominus IESVS quaſi aſſeruit dicens. *Diues difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Ex præfatis, nota diuites & paupetes hac eſſe diſſitos intercapedine, vt corpura pauperum, velut emortua humi iaceant, húmilitate ſua humo velut affixa, ſed eorum mens cœlos ſupergreſſa nequaquam ſerpit. Diuitum verò ſecus corpora, vt vegeta erecta ſunt, quippe alij equitant, hi vehuntur curru, & in magnis ambulant, ſed mens eorũ deorſum abiecta ſerpit, & cæli incuria, inclinatur importuno auri pondere rutilantis: imò dicere auſim diuites eſſe auro cũſepultos, & velut impotẽtes ad egregia facinora, cùm opes eos faciãt inglorios, vt omnigenæ hiſtoriæ clamant.

S. Chryſolog. ſerm. 29.

Diuitiarũ & damnationis ſocietas.

S. Auguſt. l. 3. in epiſt.

Parmenian.

S. Ambroſ. lib. de Nabu.

EX LINGVIS.

Matth. 19.

Diuitiarum pernicies.

Diuitum & pauperum differentia.

Sileo militem illum Acham nomine, qui auri ſpecie captus, in diſcrimen ferè reuocauit agmina Hebræorum. Prætereo Craſſum qui Conſul Romanorum malè audiit, ob auri nimiam cupidinem; Vt canis in Nilo prælibato tantùm Oratores Spartanos, auro quod clam Rex Perſa miſerat, fuiſſe dementatos, & Ephoris ſuaſiſſe vt reuocarent inde, ſcilicet à ditione Perſarum, Regem Ageſilaum qui Spartanum nomen terribile Perſis fecerat vſquequaque. Et ne à Gallia reuocemus ſtylum, plerique Galli, ferri & necis ſtrenui contemptores, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, ceſſerunt auro Hiſpanurum, eòque deuentum eſt, vt auro inſeruiens, Regem ſuum Gallia detrectaret. Sed aptius adhuc meo propoſito, auri compedes inglorias eſſe explicat facinus execrandum Equitis Melitenſis, cui nomen S. Clemens. Is erat Præfectus Generalis claſſis nauticæ expeditæ. Cùm traiiceret fretum, quod diſpeſcit Siciliam à Melita inſula, incidit in Turcas monitos de tranſitu claſſis huiuſce Melitenſis. Præfectus Generalis magnam vim auri ſecum vehens, vbi ſenſit globis igneis ſuas terebrari naues, honoris ſui, atque Melitenſium equitum penitus incurius, de operibus ſuis tantùm ſollicitus, nauim ſuam eripit periculo, capeſſitque fugam, aliis nauibus hoſtium furori permiſſis, eáque die Melita Religio iacturam talem eſt perpeſſa, qualem hactenus minimè ſenſerat. Quærentibus poſtea vnde tanta clades? Reſpondebant Melitenſes, ab auri inſana cupidine, quæ Præfectum claſſis omninu dementauit, qui meritas tandem luit pœnas, quippe in manus ſuorum traditus, ipſo etiam conſcio ſummo Pontifice, cuius irritæ fuere preces, vt ei remitteretur ignauia, ingloriè periit lethali laqueo, etſi ſuo ſtemmate nobili reclamante. Laqueum enim eſt exoſa nobilitas, etſi criminibus obnoxia, ſed in reum iſtum ita debacchatum eſt, vt quia ſuorum decus & gloriam, infra ſuas gazas poſuerat, ita infra decus omne, & gloriam laqueo miſerè diſperiret. Vide in Euangelio aliquid ſimile, Chriſto diſſerente

EX HISTORIIS.

Ieſue 7.

Plutarc. in Craſſo.

Duplex in Henr. IV.

Diuitiarum exempla.

Hiſtoria Melitenſis.

Bauſini lib. 20. c. 9.

Equitis Melitenſis miſerandum fatum.

Baudinus in eodem l. 20. cap. 9.

rente de regno cælorum, quod ſolis tantùm pauperibus proſtat, multis ſe ad hanc cæli expeditionem accingentibus, floccipendio opum, quidam adoleſcens, alioquin ingenuus detrectauit pugnam, ſibique fuga conſuluit, reſte Matthæo. *Abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones.*

Michaëlis militis Siculi facinus audax.

Ita multi irritas faciunt conciones, quia multas poſſeſſiones habent, hi verò qui ingenui ſunt cultores beatæ paupertatis, vt expediti, ad omnia egregia proni, ſeſe ſtrenuè gerunt, & inde beati. Eadémque hiſtoriâ Melitenſi prodirum eſt, dum fugeret Præfectus Generalis, auro grauis, multáque Gaza diues, & relinqueret Turcis inſigne Religionis ſuæ labarum, adoleſcentem ſtrenuum cui nomen Michaël, audacter in labarum naui affixum irruiſſe, & inde eruiſſe, vnáque manu tenuiſſe, altera autem gladio exerto incolumem aperuiſſe ſibi viam, per medios Turcas, & deueniſſe Melitam, vbi vexillo repoſito, bene exceptus à Principe glorioſam vitam egit, auctus brauio, multiſque donis, in præmium egregij facinoris exantlati. Age nunc. Si tibi daretur optio, opum Præfecti fugientis, & paupertatis huiuſce Michaëlis, vexillum, & gloriam Inſulæ Melitæ reſtituentis in integrum; nonne anteponeres paupertatem glorioſam, ante opes inglorias, & quarum finis interitus? Quid cunctaris homo, in eadem naue es, qua illi Melitenſes; non tibi res eſt cum Turca, ſed cum dæmone maioris peritiæ, & inſidiarum. Ille Chriſtum viuentem auſus eſt aggredi, in deſertum irruens vt in arcem, in quam ſe receperat athleta cæleſtis, imò & baiulans Chriſtum, illum aliò tranſtulit, ſed corpori eius extincto, & mandato ſepulturæ, nequaquam fuit iniurius. Expauit dæmon emortuum corpus, in quod viuum antea ſæuierat, timuit corpus exutum, quod indutum ſua veſte ſpoliarat affigendum cruci. Nec putes vacare myſterio quod corpus exanime aromatibus ſit conditum & inunctum; pertinet ad Reges vnctio, & moriens Chriſtus, morte ſua triumphauit, ideò morienti titulus regius impoſitus. Quid igitur homo, detrectas paupertatem, qua Chriſtus vicit, regnat & imperat? Dæmon diuites aureis compedibus irretitos, præmittit ad inferos, vt titulos ſuæ victoriæ, ſed irrito ſemper auſu paupetes aggreditur, ideò monet Hieronymus, *Nudi cum nudo colluctemur, facilius deiicitur qui habet vnde teneatur.*

Ex SS. Patribvs.

S. Hieron. lib. epiſt.

Paupertas cognata virtutibus.

S Chryſol. ſerm 28.

Imò omnia paupertati occinunt, vt vſquequaque agenti triumphos, de ingruentibus inimicis, vt diſertè ait S. Chryſologus. *Quòd ſit virtutibus cognata paupertas, terrena & caleſtis comprobat diſciplina. Athleta ad luctamen nudus accedit: confligit cum fluctibus nauta nudus: miles in acie, non niſi expeditus aſſiſtit. Qui tendit ad philoſophiam, totum quod in rebus eſt, ante contemnit, eſt ergo virtutibus cognata paupertas.*

Ex re medica.

Ipſa etiam ars medica, inuigilans ſaluti hominum, dubiam ait eſſe ſanitatem hominis, cui venæ turgent ſanguine prædiuites, & cuius habitum ad ſummum ſanitatis ſurrexiſſe deprehendit, imminere enim periculum homini nimium ſano, ait Hippocrates, quia natura ſui impos in eodem ſtatu nequit conſiſtere, ſic ille. ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν, οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτῷ οὐδὲ ἀτρεμέειν. *Hominum exercitatorum bonus habitus qui ad ſummum euaſit, periculoſus eſt, natura enim in ſuo ſtatu diu manere nequit. Poſtquam ergo in otio ſit, nec iam tum ad eius bonitatem quidquam adiungi poſſit, reſtat vt labatur in deterius.* Ratio huius aphoriſmi militantis contra ſanitatem nimiam ex affluentia ſanguinis eſt multiplex. Primò cauendum ne tenellula illa vaſa in quibus feruet ſanguis, dehiſcant hiatu lethali, & ſanguis qua data porta ruat, vt & euenit Attilæ Hunnorum Regi, cui ſanitas exquiſita lethalis exſtitit, quippe ditior ſanguis irrumpens hunc extinxit. Rurſus periculum eſt, ne extincto calido natiuo, nimia ſanguinis vbertate, præcipiti vitium lapſu rapiantur homines, vel ne interceptis carotidum viis, ſpiritus vitalis aditus ad cerebrum prohibeatur. Igitur cum turgent vaſa, totáque corporis moles à circumfluo ſanguine, imminet periculum, nam vt ait Liuius. *Quamuis prævalida corpora ab externis cauſis tuta videantur, ita ſuis ipſa virtutibus onerantur.* Ideóque bene Quintilianus: *Prauior eſt omni fame, ſagina.* Et ad hæc appoſitè Seneca. *Ita fato placuit nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam, nihil enim mutationis periculo exceptum, non terra, non cælum, non totus hic omnium rerum contextus: certis eunt cuncta temporibus, naſci debent, creſcere, extingui.* Idéque metro extulit Lucanus.

Hippocrat. aphoriſ 3. lib. p 1.

Sanitas nimia ſuſpecta eſt.

Attilę Regis mors ſubita.

Ex Profania.

Titus Liuius.

Gulæ incómoda.

Quintilianus Seneca l. ep. ad Lucilium.

Lucanus l. 8. Pharſal.

In ſe magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum.

Cardinalis Syluij dictũ mirabile.

Ex Historia.

Card. Franciſci Cabrera in vita Sylnij.

Multi in humili ſorte beatam egere vitam, qui vbi cœperunt diteſcere, perierunt, quod probè callentes viri probi, horruerunt opes & honores? In his fuit Syluius Antonianus vir emeritæ virtutis ſuæ, qui euectus in Cardinalem, timens virtuti ſuæ, aiebat viro cuidam ſancto: Pater mi ora pro me ne pileus hic rubeus me perdat. Et Cæſar Baronius factus Cardinalis, ſæpius Clementi octauo factus eſt importunus, vt hoc eum honore, vt onere liberaret.

Pſal. 61.

Quid igitur operæ-pretium ſi affluunt opes, & loculi auro copioſiori diſtenduntur? Vnum, ſed difficile conſulit Dauid. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et hoc operoſum valde exiſtimo, quippe aurum ſuo pondere deorſum inclinat diuitum corda: ideò diuinum Vatis conſilium, Dei opem ſpecialem inuoluit. Chriſtus aliam ſuggerit viam, eamque compendioſam, qua quiſque poteſt diuitiarum arctis nexibus expediri, ſcilicet: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et hoc conſilium quadrat cautelæ Hippocratis, qua occurrit imminenti periculo eius qui nimio ſanguine ſanitatem præfert æquiorem. Sic ille; τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀνατροφῆς λάβῃ τὸ σῶμα. *Bonum habitum ſoluere confert ſine mora, vt corpus rurſum incipiat nutriri.* Modos euexiam diſſoluendi, petitur à phlebotomia, ſeu emiſſione ſanguinis, vacuato quippe ſic corpore, itur obuiam periculo mortis ingruentis. Cum monuit Chriſtus dare eleemoſynam, conſuluit aperiri loculos, qui venarum inſtar humore copioſo tument, quando nimio diſtenduntur auro. Dare eleemoſynam eſt ſanguinem emittere, qui vitalis ſit emiſſione, ſicut & retentione noxius. Eleemoſyna ſit cathartica ſeu purgatiua diuiti, & habet rationem vnctionis in paupere, nam eleemoſyna oleum eſt & vnctio, vt dicam proxima ſectione. Quod autem mulieres piæ venerint vngere corpus Chriſti, hoc inſinuant eſſe proprium

Luca 11.

Ex re medica.

Hippocrates Aphoriſmo 3. lib. p. 1.

Eleemoſynæ commoda.

Ex ivre canonico.

Eccleſiæ habere pauperum curam, Eccleſia enim ſub mulieris typo figuratur, & curam pauperum eſſe penes Eccleſiam, ſanxere Canones ſacri, è quibus hos accepi.

Canone 1. 10. quæſt. 2.

Pauperes viuere debent de bonis Eccleſiæ, ita vt nulla ſit alienatio boni Eccleſiæ, vnde pauperibus ſubueniebatur. Ne autem ſæculares hoc onere liberi eſſe videantur, altero Canone omnes hoc vinculo vinciuntur. *Pauperibus ſubtrahens neceſſaria quæ tenetur erogare, ſuperat prædonis crudelitatem.*

Canone gloria 12. q. 2.

Ex ivre civili.

Iure etiam ciuili ita prouiſum eſt pauperi, vt ſi à Principe in ius vocetur inops, expenſæ opes pendente lite cadant omnes in Principem, abſque vllo diſpendio pauperis, & hæc lex potiſſimum viget in Galliis, vt iuris ciuilis notæ marginales fidem faciunt, ſic enim habent. *Pauper aliquis ſi habet litem cum Rege Francorum, & non habeat vnde faciat expenſas litis, Rex ei adminiſtrat aduocatum, vt veritas cauſæ eruatur.* Sic vtroque iure, vnctioni pauperum piè prouidetur, diuites verò iure ciuili ad plura munia obſtringuntur, vt clamant iſtæ leges. *Diues plus obligatur quàm pauper, quia plus ei committitur.* Et alibi, *Diuites & non pauperes ſunt eligendi ad officia ciuitatis.* Cùm ergo tutiores ſint pauperum vices, eas ego lugens obeo, & ad eas ſubeundas hortor exclamans.

Leg. 001. Cod. De iis qui numero liber.

Lege Pauperum, ff de excuſat. mun.

FACESSANT OPES, QVIA FACESSVNT OPVS, PAVPERVM HVMILITAS HVMILITAT.

NVDORVM CORPORA CITO ſunt vngenda, id eſt eleemoſyna eſt citò facienda.

In hæc verba:

Et valdè manè veniunt ad monumentum.

SECTIO II.

MYſteriorum ſeges vberrima proſtat, in ſerie rerum geſtarum poſt Chriſti corpus tumulo mandatum: nec perperàm ſcriba ſacer enumerat exquiſitè mulierum ſolertiam, dum pergerent ad monumentum. Hinc nobis exemplum obiicit, vt notat Gregorius. *Audiſtis quòd ſanctæ mulieres quæ Dominum fuerant ſecutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, & et quem viuentem dilexerant, etiam mortuo, ſtudio humanitatis obſequuntur, ſed res geſta aliquid in ſancta Eccleſia ſignat gerendum: ſic quippe neceſſe eſt vt audiamus quæ facta ſunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis ſint ex eorum imitatione facienda.*

S. Gregor. Magnus. hom 21. in Euangelia.

Ex philoſophia.

Iuxta hoc Gregorij theorema mulieres illæ, quæ ſub ortum Solis venerunt ad monumentum, vt vngerent corpus emortuum Chriſti Domini, inſinuant opera miſericordiæ eſſe exhibenda incunctanter: detrahit enim eleemoſynæ ſuum decus, ille qui eam ſerò facit & coactè. Etenim de ratione virtutis eſt vt ſit impigra, & liquet ex Philoſophia, cuius genius Ariſtoteles ait. *Virtutem eſſe habitum, qui reddit bonum hominem, qui in eo habitu induius eſt.* Vnde ſic licet arguere: Natura vltrò fertur, & impigrè ad ea quæ ſunt illi conſona & idonea, vt videre eſt in ſenſibus cunctis, qui cientur ad obiecta ſua; ac

Ariſtoteles l. 2. Ethic. c. 6.

naturale eſt miſereri hominum, qui indigent ope noſtra; miſericordia enim dicitur quaſi faciens miſerum cor, inclinat enim corda ad depellendam miſeriam miſerorum hominum, & hæc miſericordiæ virtus, de genere eſt earum quas Ariſtoteles vult nobis eſſe inſitas à natura. Igitur ſi natura illicò fertur ad merè naturalia, vt ad bibendum & edendum, multò magis mouebitur, & valentiori motu adiuuata à virtute, quæ ipſam naturam ægram vegetat & perficit, fietque vt homo etiam fidei Chriſtianæ neſcius, tinctus virtute morali, eleemoſynis vacet, vltrò & incunctanter.

Ariſt. 2. Ethic. c. 1.

Democritus aiebat deperire laudem beneficio, quod non citò præſtabatur, vt teſtis eſt Stobæus; & Lucianus gratias celeres vocitabat,

Gratiarum actio debet eſſe citiſſima.

Celeres gratiæ dulciores, ſi autem tardauerit
Omnis gratia vana, neque dicetur gratia.

Et Poëta Auſonius à nomine ipſo gratiæ, velocitatis eius deſumit argumentum.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Calculumque ſuum Ouidius breuiloquio ſuo adiicit.

Gratiaque officio, quod mora tardat, abeſt.

Stobæus lib. ſentent. Lucianus. Auſon lib. Epigram. Ouid. lib. 3. de Ponto.

Si infidelibus innotuit illa eleemoſynæ gratia, ſita in diligentia quam reuocauere ad praxim mulieres illæ ad monumentum valde manè, facilis erit nobis demonſtratio Theologica, ad fideles exhortandos vt eleemoſynis vacent incunctanter: quippe neſcit moras Religio Chriſtiana, dum ſe ſe effundit in inopum miſerias expungendas, ratio petenda eſt ex Theologico penu.

Ex theologia. S. Thom p. 2. q. 68. ar. 1.

In homine duplex eſt principium mouens, vnum quidem interius quod eſt ratio; alterum exterius, quod eſt Deus: ómne autem quod mouetur debet diſpoſitum eſſe ad motum quem imprimit cauſa mouens, & quò nobilior eſt cauſa motrix, eò etiam nobilius diſponi debet, id quod moueri debet: vt diſcipulus quem quis vult imbuere ſcientiâ exquiſitâ, debuit diſponi aliis ſcientiis præambulis ad illam ſummam diſciplinam. Ita virtutes humanæ perficiunt hominem & benè diſponunt, ſecundùm quod homo natus eſt moueri per rationem, in his quæ interius vel exterius agit: ſed quatenus homo mouetur à Deo, alios habet habitus infuſos præſtantioris ordinis, quàm ſint virtutes cognitæ Philoſophis: & hi habitus ſunt, ſeptem dona Spiritus ſancti, ſicut virtutes morales ad obediendum rationi, vt autem vires appetitiuæ natæ ſunt moueri per imperium rationis; ita & vires omnes humanæ mobiles ſunt ab inſtinctu Dei, vt à quadam ſuperiori potentia; ideóque in omnibus potentiis, quæ poſſunt eſſe principia humanorum actuum, ſicut ſunt virtutes, ita etiam ſunt dona Spiritus ſancti, ſcilicet, in ratione, & in vi appetitiua; ratio autem eſt ſpeculatiua & practica, & in vtraque conſideratur apprehenſio veritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & ad iudicium de veritate, ad apprehenſionem veritatis perficitur ratio ſpeculatiua per primum donum Spiritus ſancti, quod dicitur intellectus, practica verò ratio perficitur per aliud donum, ſcilicet per conſilium; ad rectè autem iudicandum, ratio ſpeculatiua perficitur per donum Sapientiæ, ratio verò practica perficitur per donum ſcientiæ. Virtus autem appetitiua, in his quæ ſunt ad alterum, vt eſt eleemoſyna, perficitur

Spiritus ſancti dona.

per donum pietatis, in his autem quæ ſunt ad ſeipſum, virtus hæc appetitiua perficitur per donum fortitudinis, contra impetus ingruentes. Denique hæc potentia appetitiua, perficitur per donum timoris contra concupiſcentiam inordinatam, iuxta Pſaltem. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Cui occinit filius eius. *In timore Domini declinat omnis à malo*: in ore duorum horum teſtium quis queat ambigere. Conſtat ex præfatis ſeptem dona Spiritus ſancti extendere ſe ad eaſdem potentias ad quas ſe extendunt virtutes morales, quæ occupant intellectum & voluntatem. Inde patet veritas huiuſce ſectionis, quæ prædicat eleemoſynam debere fieri valde manè, id eſt citò: nam ſi virtutes morales homines faciunt impigros ad actus illarum virtutum: gratia quæ adijcit ad naturam virtutibus initiatam, faciet homines vegetiores. Igitur cùm pietas ſit donum Spiritus ſancti cœlitus infuſum, quid mirum ſi mulieres piæ, ſolertes extiterunt in obſequiis ſuis expendendis? Et rurſus cùm pietatis pars ſit eleemoſyna, non erit paradoxum dicere, eleemoſynam vt eſt à Deo dictante, neſcire moras: fauet ſymbolum eleemoſynæ quæ ſub olei typo deſignatur. Ad hoc alluſere Græci eâdem penè voce, oleum & miſericordiam efferentes: nam ἔλεος miſericordiam ſonat, & ἔλαιον oleum ſignificat.

Pſal. 118. *Prou. 16.*

Gratiæ effectus ſalutares.

Eleemoſynæ & olei comparationes.

Ex SS. Patribus.

Rurſus vt oleum paſcit & recreat feſſos, vulneribus que medelam adfert, ita & eleemoſyna, inediam pauperum leuat eſculentis, inopiâ fatiſceſcentes hilariores facit, ægriſque ſubueniens, reuocat ſanitatem, nec deſunt ſancti qui eam oleum nuncuparunt. In his accipe Hieronymum, qui virgines infundentes oleum lampadibus ſuis interpretatur de eleemoſyna, quam animæ ſanctæ adiiciunt aliis virtutibus, vt & in epitaphio Paulæ inſinuat. *Te compello, Paula, cuius in largiendo profuſa benignitas, æternum apud ſuperos tropheum ſtatuit, tu enim ne rogantes vnquam repulſam paterentur, pecuniam mutuo, imò ad vſuram accipere ſolita, ac prodigalitatis accuſata, ſic lampadi infundens oleum, id eſt continentiæ decus, miſericordiæ operibus exornans admiſſa es ad ſponſi nuptias, ineffabili etiam miſericordia ſempiternùm fruitura.* Eundem olei typum vſurpauit Chryſologus, eleemoſynam cùm deſcribit, nomine pietatis: illi enim eleemoſyna, miſericordia, & pietas nomina ſunt ſynonyma. *Quod oleum lucernæ eſt, hoc ieiunio pietas, ſicut lucernæ lumen, olei pinguedo ſuccendit, & moderato paſtu facit illud ad totius noctis ſolatium perlucere, ſic pietas facit ſplendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem, quod diei ſol eſt, hoc eleemoſyna noſcitur eſſe ieiunio.* Et hæc olei figura, idonea eſt propoſito noſtro de eleemoſynâ citò faciendâ: nam oleum res naturâ ſua graues, facit mobiles vt rotas, quarum axis rubigine factus aſperior, ſi oleo inungatur, lubricante in eo rota, motui fit aptior, ſicut & fores in cardine vncto cientur volubili motu. Nec erit operoſum hiſtoriis comprobare faciles motus, quos ingerit pietas hæc in proximum, vbi Spiritus ſanctus infuderit hoc donum.

S. Hieron in epitaph. Paulæ.

S. Paulæ encomia ob eleemoſynas.

S. Chryſolog. ſerm. 8.

Ex Hiſtoria.

Auſpicemur à codice ſacro, vnde obiicitur nobis Zachæus præputiens homo, qui vbi Spiritus ſancti præſenſit auram, ait Chriſto. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Quid putas indicare vocem hanc, ecce, niſi promptitudinem, quæ comes eſt eleemoſynæ erogandæ? Huiuſce facinoris egregiam gloriam dicitarus eſt Serapion Zachæo ſanè doctior, in hac diſciplina: quippe viſo paupere penè nudo, ſuas ipſe veſtes illicò depoſuit, vt pauperem indueret. Non longè eſt ab hoc ſancto, Rex ille Angelus nomine Oſvvaldus, qui cùm impranſus audiiſſet, die Paſcharis in platea ciuitatis, eſſe pauperes ieiunos, ille iam diſcumbens accepit paropſidem argenteam & prægrandem, lautioribus eſcis plenam, eam vtique illibatam, & miſit ad pauperes, quibus etiam vas illud argenteum dono dedit, vt hinc pecuniam ſibi compararent. Sed quo te proſequar encomio ô Ludouice eleemoſyna beatior, quàm Galliæ regno præpotente? o beate non fuit tibi ſatis ire obuiam inopiæ eorum quos tu cognoueras, ſed tecum habuiſti ſemper centum & viginti pauperes, quos vt inſigne decus aulæ regiæ circumducebas, veluti legionem Prætoriam, ratos parum eſſe dare illicò eleemoſynam, niſi etiam captares anſam egenis diuitias erogandi. Adſtipulatur & ars medica propoſito noſtro, de eleemoſyna citius eroganda: nam bonam criſim à mala diſtinguit, ex velocitate, quæ, ſi deeſt humoris effluxus, vocatur illa criſis ἀτελὴς imperfecta ἄπιςος infida, quia de ratione bonæ criſis eſt, vt ſit ὀξύῤῥοπος μεταβολὴ ἐν νόσῳ πρὸς ὑγείαν, repentina mutatio in morbo ad ſalutem. Eleemoſyna eſt actus pietatis elicitus à voluntate, quæ vltrò mouetur ad ſanitatem pauperi largiendam, effundendo opes quæ affluxu ſuo diuiti ſunt noxiæ, & effluxu ſuo ſunt pauperi ſalutares, & vt bona criſis fit καθ' ὁρμὴν ab inſtinctu, φύσεως ὁρμωμένης naturæ concitatæ, ita & eleemoſyna debet ſequi impetum Spiritus ſancti, cuius inſtinctus eſt morarum impatiens.

Luc. 19. *Palladius in vit. Patrum.*

Hiſtoria Anglica. *Sub an 650. de Oſvval. Beda.* *Ioinuilleus in vita S. Ludou. cap 84.* S. Ludouici amor in pauperes.

Ex re medica. *Andr. Laur. lib. 1. de criſib. c. 3.* Criſis optimæ ſigna.

Cœli non volubilitate ſua tantùm diligentiam clamant, ſed ex modo influendi, qui ex Matheſi attenditur ex lumine; etenim vt aiunt ſyderum inſpectores, lumen eſt vehiculum influentiarum, ita vt, ſi decumbat æger, & Sol patiatur ecclypſim in loco aſpiciente gradum, quo aſcendente natus eſt æger, ceſſurus eſt illicò fatis, imò quidquid opum abdit terra ſuis viſceribus, illud totum eleemoſyna eſt, quam radij ſolis liberalius erogarunt. Vnde ſic infero. Primum in vnoquoque eſt menſura cæterorum; at prima eleemoſyna ea eſt, quam cœli in terras erogarunt, eas ſyderum lumine vegetando, ergo aliæ eleemoſynæ typum cœli debent æmulari: cæli autem lumen ſuum ea velocitate diffundunt, vt videatur lumen agere in inſtanti, ergo eleemoſyna ſi cœleſtis velit eſſe, ſit velox & ex animo incunctante, ſicut hortatur Paulus de eleemoſyna diſſerens: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Hæc autem hilaritas, promptitudinis eſt comes indiuidua, vt benè Auſonius.

Ex Mathematica. *Ioan. Schon. li. de iudiciis Planetarum.*

2. Cor. 9.

Auſonius.

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum,
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Et dicere auſim multorum eleemoſynas eſſe Deo ingratas, quia fiunt remiſsè, & velut animo renitente, nam vt benè Iure Canonico edocemur

Ex iure Canonico.

cemur. *Deus non eſt remunerator nominum, ſed aduerbiornm, id eſt non remunerat Deus bonum quod fit, ſed quod benè fit.* Quaſi dicat Deum non attendere in eleemoſyna, beneficium, ſed diligentiam, quam etiam ex charitate proximo debemus impendere, vt ſeit iſta ſanctio canonica. *Diligens in ſuis, ſimiliter debet eſſe in alienis.* Ratio legis petitur à ſimilitudine corporis myſtici, & corporis humani, ſi enim pes grauatur, illicò manus ſuam porrigit opem, & oculi ſagaci indagine ſcrutantur locum, vnde oritur dolor. Ita cùm ſimus alter alterius membra, & pauperes pedum ſibi veodicent locem, & diuites referant typum manuum, debent porrigi ad pauperes, ſi oolunt eſſe obnoxij canoni eos ſugillanti. *Diligentiam quam debuit, ſi quis non adhibeat, imputatur ei.* Ad hoc alluſit Ambroſius, quando dixit homicidas eos eſſe diuites, quorum incuriâ, pauperes inediâ conſiuiouuntur. Sic enim ille, *Si negas, necas.*

Glo 2. in cap. 1. de colluſione detegend. gl. alius in can diſplicet 23. q. 4.

Capite, ad audientiam, de homicid.

Ex Ivre Civili.

Iure etiam ciuili poſſumus & vrgere diuites ad impigrè nauandam operam eleemoſynis erogandis. Primò occurrit hæc lex, *Diligens ſi non ſit quis in re depoſita, ad eum modum quem hominum natura deſiderat, fraude præſumpta non caret.* Qua lege ſic arguo io diuitem. O homo, poſſides aurum per mudum depoſiti, quod Deus penes te depoſuit, teneris ad rei depoſitæ conſeruationem; conſeruatur autem aurum dando, & non abdendo, ergo ſi recondis, fraudis incurres notam, tecumque malè agetur, cùm ſiſtêris ad tribunal, illic enim audies. Iudicium ſine miſericordia, ei qui non fecit miſericordiam, nec obiicias te tuis diligenter attendere; nam ex iure, *Diligentia ſua, nemini debet eſſe damnoſa.* Imò imminente periculo, quiuis proximo curam maiorem debet, quàm ſit ea quam impendit bonis ſuis ampliandis, vt optimè ſtatuêre leges. *Diligentiam eamdem adhibere in alienis ſufficit in bonò, qualem in ſuis, ſed in malo non toleratur paritas, quia negligentia in ſuis toleratur quæ in alienis non toleratur.* Aliaque ſimili lege, idem eſt ſtatutum. *Diligentiam eandem adhibere in alienis qualem in ſuis non ſufficit, ſi modò diligentiùs adminiſtrari non potuerant.* Igitur cùm omnia iura clament diligentiam, in adminiſtratione rerum, quæ depoſiti rationem habent, erit reuerà diues iniurius ſibi, ſi ignauè ſe habeat, in erogandis bonis, quæ eo ſolo ſunt appetenda, vt in pauperes effundantur.

L. quod Nerua, & ibi gl. nam etſi. Gl. cui in leg. ſi merces 22. § maior d. l. loc. aut. gl. conſpand. in l. ſi conſtans § ſi maritus.

Diligentia quàm ſit laudabilis.

§ igitur cum quis, in fin. inſtitut. de obligat.

Diuitiæ quomodo ſint diſpenſandæ.

Egregio ſymbolo idipſum teſtatus eſt Matthæus Balbanus Eques Lucenſis, qui pro ſymbolo pingebat galeam, in quam nummi deſuper irruebant, hoc titulo, Expetendæ opes vt oignit largiamvr. Eo animo fuit olim Tiberius Imperator, non ille gentilis qui malè audiit, ſed alter Chriſtianus qui effuſus in inopes, cum ſuas omnes gazas erogaſſet, incurius opum, imò & ſui, in theſaurum incidit, quem cùm agnouiſſet ſibi diuinitus oblatum, ait: oon vis Domine Deus liberalitate vinci, ego amore tui me ipſum exui, vt pauperes induerem, & quaſi fœneraret beneficium, vſuram refers, dum theſauro iſto compenſas expenſas opes meas in pauperum vſus: ſed nec ego vincar in hoc genere certamiois, etenim videbo quis noſtrûm faciat finem, tu effundeodi diuitias, & ego refundendi in vſus pauperum. Hoc dicto, opes has expendit omnes, & addixit pauperibus. Ex præfatis exurgit hoc theorema.

Ex Symbolis.

Hieronymus Ruſtellius lib. ſymbol.

Greg. Turonenſis de Tiberio refert hæc, lib. hiſtor. 4. cap. 17.

Si in pavperes cito non bona erogar: hoc scito, frvstra Dei dona rogar.

ETSI ELEEMOSYNA OMNIVM oculis eniteat, ſoli Deo placere debet.

In hæc verba:

Veniunt ad monumentum, orto iam Sole.

Sectio III.

Sole iam ſuos explicante radios, perrexere mulieres ſanctæ ad monumentum, vncturæ corpus Domini Iesv, neque tamen de cuiuſuis hominum occurſu, vlla recenſio fit ab enarratore huiuſce hiſtoriæ, fortè quia vt Solis non poterant fugere intuitum, ita & illæ mulieres ſolius Dei oculis placituræ, etſi aliorum oculos nequirent effugere. Solis igitur fit mentio & non alicuius alterius, etſi copioſa turba vias impediret, illa tempeſtate ſacra diebus Paſchalibus, vndequaque enim exoticæ gentes conuenerant Ieroſolymam. Quidpiam morale ſubodoror, quò mouemur eleemoſynas noſtras debere ſolius oculis Dei eſſe ſacras, & noo hominũ obtutibus, vt hinc gloriolæ aliqualem auram turpiter aucupemur: hoc enim vanitatis afflatu, vt aura peſtilenti corrumpitur eleemoſynæ ſana conſtitutio, vt liquet ex Philoſophia. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.* Sed vana gloria, ob quam fit eleemoſyna, eſt finis malus, ergo & eleemoſyna erit mala, ſi hac lue perfundatur. Et vt liquidior ſit iſta concluſio, diſſerendum eſt de bono, & malo in actionibus, ſicut de bono, & malo in rebus: vnaquæque autem res tantùm habet de bono, qoantùm habet de ente: nam bonum & ens coouertuntur: vnde homo cæcus habet de bonitate quòd viuit, ſed malum eſt ei quòd non videt, ideóque cæcus oon habens plenitudinem eſſendi homini congruentem, non eſt perfectus. Ita & de eleemoſyna eſt philoſophaodum: nam ſicut ad perfectionem hominis conſtat, eum debere coaleſcere ex anima, & corpore inſignito ſuis organis, vt quæque potentia ſuas exerere poſſit actiones; ita ad perfectionem eleemoſynæ requiritur, vt opes erogatæ in pauperes, dirigantur ad debitum finem. Ideóque eleemoſyna impertita pauperi, bonitatem quidem materialem habet, ſed ſi fiat inanis gloriæ gratiâ, iam caret debito fine, & cùm actiones ſpecificeotur à fine, cuius finis malus eſt, ipſum etiam malum eſſe neceſſe eſt.

Vana gloria cauenda in eleemoſyna.

Ex Philosophia. *Ariſt. lib. 3. top.*

Homioom gloriam quæ captatur ex eleemoſyna, eſſe finem malum, patet ex eo quod ille finis eſt malus qui vſurpatur indebitè; at gloria non debetur homini danti eleemoſynam, ſed Deo impulſori, & largitori bonorum quæ ſunt in loculis diuitum ſicut io gazophylacio pauperum, vt ait Auguſtinus. *Quæ ſuperflua iacent, aliorum ſunt neceſſaria, ſuperflua diuitum, neceſſaria ſunt pauperum, res alienæ poſſidentur, cùm ſuperflua poſſidentur, quidquid nobis Deus pluſquam opus eſt dedit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum traſmiſit, quod ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.* Ergo ſicut indebitè gloriaretur quæſtor ſtipendia militibus diſtribuens

Ex theologia.

S. Auguſtin. in Pſal. 147.

Diuitiæ pauperibus ſunt communicandæ.

de regia gaza;ita & flocci eſt pendendus homo diues, inſoleſcens de eleemoſynis quas elargitur, de iis quæ accepit à Deo diſpenſandis. Ex præfatis, eleemoſyna ſemper eſt bona, ex parte materiæ, bonum eſt enim leuare inopiam pauperum; ſed mala eſt ex ordine ad finem indebitum,quem voluntas ſibi proponit,licet enim ratio proponat eleemoſynam voluntati vt aliquod bonum imperatum à Deo, voluntas tamen non collimat ad hunc ſcopum, ſed hoc bonum quandoque operatur, vt gloriam nundinetur, quæ eſt comes indiuidua bonarum actionum, & in hac deuiatione voluntatis eſt malum, vt

S. Thom. 2. 2. q. 30. a. 1. 2. 3.

Ex IVRE CANONICO.

Gl. forſitan in in can. quamobrem De pœnit. diſtinct. 2. g. oſ 1 in can. vnde 65. 1. q. 1. gl. 2. in cap. 1. de colluſione detegenda.

doctè explicat S. Thomas, cuius doctrinam ſecuti Canones ſacri, ſic monent. *Eleemoſyna non valent niſi ex bono fonte procedant.* Actionum hominum, vt boni & mali ſunt capaces, voluntas eſt fons; voluntas autem rationem finis induit, qui ſi ſit de gloria aucupanda,eleemoſyna hoc fine vitiatur, vt eodem iure ſancitum eſt. *Eleemoſynam dare in vanam gloriam, eſt peccatum:* Quod eò deterius eſt, quòd in Deum pugnat, donis a Deo inſtitutis, ad gloriam ipſius Dei. Sed adhuc apertius ius illud ſacrum edocet

Eleemoſynæ bonitas vnde petenda.

nos ritum erogandi bona ſua pauperibus. *Deus interrogat cor, & non manum, non conſiderat quæ fiunt ſed quo animo fiunt.* Si quis igitur ab hac Canonum norma deflexerit, in eleemoſyna diſtribuenda,ſciat ſibi malè conſultum, quia Solis radios, id eſt Dei aſpectum aſpernatus, defert aromata placiturus turbis, quarum aura virulenta vapeſcent aromata,id eſt eleemoſynæ.

Ex SS. PATRIBVS.

S. Iſidorus li. 3. de ſummo bono c. 64.

S. Leo ſerm. de collectis.

S. Thom. 1. 2. q. 18. ar. 4.

S. Dionyſ. lib. de diuin. nominib. c. 4.

Nihil adeò exoſum habuere ſancti Patres, vt gloriam partam eleemoſynis, in eam debacchantes eo quo potuere niſu, in his S. Iſidorus ſugillat diuites inglorios, ex eo quod gloriam mercantur eleemoſynis. Sic ille. *Neſciunt impertire pauperibus,& inde magis augent delicta,vnde redimere debuerunt:* Et S. Leo. *Muneribus Dei iuſtè & ſapienter vtendum eſt,ne materia boni operis fiat cauſa peccati.* In moralibus enim, bonum eſt ex integra cauſa,vt ab obiecto, fine,loco,tempore, aliiſque circunſtantiis, vt probat S. Thom. malum verò ex quolibet defectu rerum quæ coeunt ad rationem boni, & hanc doctrinam S. Thomas hauſit à Dionyſio. *Bonum ex vna integraque cauſa exiſtit, malum autem ex multis ſingularibuſque defectibus exiſtit.* In defectibus autem, primum locum tenet adulterinus finis, qualis eſt vanitas quam intendit homo eleemoſynam impertiens.

Eleemoſynæ cautio.

Pace aliorum Sanctorum dixerim, nemo melius Chryſologo ſtylum ſuum acuit in inanem hanc gloriam,vt in fœtum viperinum, bona tamen matre ſatum, id eſt ex pietate in pauperes, ſcribere non grauabor, fuſiorem ſermonem ſancti huius qui in hæc verba Saluatoris.

Matth. 6.
S. Chryſol. ſerm. 9.

Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Sic enarrat. *Agit nobiſcum Deus, agit in hoc ſeculo ne quid nobis pereat in futuro: hic præceptio cœleſtis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere,ſummouere inanem gloriam, ſic iuſtitiam vult celare iuſtitia, quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam,ſpectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit. A Deo genita cœlum ſpectat, in oculis agit diuinis,ſupernis virtutibus miſta,ſemper a Deo ſolo vt glorificetur expectat. Iuſtitia quæ ſe humanis oculis locat diuini patris non poteſt expectare mercedem, voluit videri & viſa eſt, voluit hominibus placere & placuit, habet mercedem quam voluit, præmium quod habere voluit, non habebit.* Quà verò de cauſa ſint hæc præmiſſa ex ſequentibus audiamus.

S. Chryſol. vbi ſuprà.

Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te ſicut hypocritæ faciunt. Pergit S. ille qui ſupra. *Bene tuba, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt,non ciuilis,non miſericordia dedita, ſed clamori,ſeditionis vernula,non alumna pietatis,oſtentationis nundinatio, non commercium charitatis,*

Eleemoſynæ commendatio.

eleemoſynam quiſquis oſtentat, inſultat. Sed dicet aliquis: ergo in conuentu, in plateis.in triuiis, neganda eſt miſericordia, non præbendus eſt victus: planè & in omni loco,& in omni tempore facienda eſt miſericordia,ſed ſic quomodo docuit miſericordia author,vt non terra nota ſit miſericordia, ſed cœlo,non hominibus inſinuata,ſed Deo; in plateis, in triuiis ſuum pietas habet ſecretum, econtra platea triuium eſt, cum in ſecreto facit hypocrita nil ſecretum; Deus monendo, ſic vota culpat non loca, ſenſum non opera,ſtudium non datorem,arguit largientem ad ſuam famam, non ad pauperis famem, indicat,non vbi facias,quando facias, ſed qualiter facias. Homo daturus Deo,da ſecreto, vt quod dederis,non ſit oneris, ſed honoris. Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Putas quam vult neſcire alterum, qui te ipſum qui facis vult aliqua tui parte neſcire, ſicut ſunt nobis in dextera virtutes, ita nobis pars vitiorum in ſiniſtra: ergo vt opus eſt dextera, quod facit tacitus dator; quod facit dator garrulus hypocriſis eſt ſiniſtræ;hypocriſis,dolus, ſimulatio,fraus, mendacium,elatio,tumor,iactantia, inſiſtunt nobis, & imminent a ſiniſtris, quoties ergo nobis cum bonitate,pietate, cum miſericordia cauſa eſt, neſciat hoc ſiniſtra,ſiniſtra eſt,quæ nobis animarum prælia ſemper indicit, & ne virtutes in effectum veniant, laborat, fratres in hoc ſeculo fugiamus quæ à ſiniſtris ſunt, ſi in futurum à dextris deſideramus adſtare. Hactenus Chryſologus, quo nemo acutius.

Morale.
Geneſ. 32.

Præfata clamant ſolum Deum attendendum, & hoc hæc figura firmat. Iacob facturus ſibi Eſaii fratrem ſuum propitium,ait. *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, poſtea videbo illum,forſitan propitiabitur mihi.* Vides Iacob intendiſſe primò faciem fratris, antequam exhiberet opima dona miſſa in occurſum eius, nec fuiſſe iactantiæ apparatum illum gregum, quos miſit ad Eſaü, ſed dona præambula fœderis quod inibat. Ita in eleemoſyna Deus ſolus eſt attendendus,etſi eleemoſynæ vberes omnium oculos alliciant, vt beneficum hominem admirentur. Poteſt in confirmationem prædictorum adduci illud ex iure ciuili.

Eleemoſynæ qua cautione faciendæ.

Ex IVRE CIVILI.

Gl. hac pia in § ſed neque effuſus, in authent. quomodo oportet Epiſcopos. L. priuilegia Cod. de ſacroſanctis. gl. p. in ibid.

Eleemoſyna non eſt, vnum altare tegere & alterum detegere. Qui enim ſibi gloriam vendicat ex pietate Dei, altare nudat, vt inani gloriæ erigat inane ſimulachrum, quod ſi in eleemoſyna vanitas non præit, ſed eam ſubſequitur iniuſſa, tunc vanitas eleemoſynam omnino non corrumpit, etſi næuos aliquales inurat;etenim non dominam agit, ſed pediſſequam tantùm, ideóque non eſt ab ea temperandum, neque vſquequáque feriandum,iuxta hanc iuris ciuilis ſanctionem. *Eleemoſyna conſueta dari, imminuta debent præſtari.* Nam etſi aliqua gloriola ſubrepens imminuat eleemoſynæ decus illibatum,non tamen expungit totum; eodemque iure hoc habetur. *Eleemoſyna conceſſio, abſque certa quantitate valet.* Nimirum non eſt irrita prorſus eleemoſyna, etſi aliquali vanitatis aura

decurte

decurretur. Sed ſi gloriæ inani tantùm litat homo, tota illi petit eleemoſynæ gratia, imitata fumum qui ſua leuitate ſurſum latus, nihil ſui niſi nigredinem linquit illic, qua vehitur ad ſuperna. Ita & eleemoſyna, dum hominem beneficum ſupra ſe attollit, affuſa peccati nigredine maculat, & deturpat, vt ſubindicat Chryſoſtomus. *Non eſt sagrata Deo, quæ viſa fuerit ab hominibus eleemoſyna, ſed quæ ideò facta eſt vt viſa ſit.*

S.Chryſoſt. in Matth. 6.

EX SYMBOLIS: *Villana lib. ſymbolorum*

Huius vacuæ eleemoſynæ ſymbolum idem erit, quod Villana fumo adiecit ſurſum aſſurgenti, hoc lemmate, QVOD LEVIS, ALTA PETO. Si quæris, cur talis eleemoſyna merito careat? reſpondebo, quia leuis: ſed inquies, quid inde; reſpondebo rurſus, QVIA LEVIS, ALTA PETET, nihil niſi vulgi plauſu paſcetur inani. Ab hac vulgi virulentia nos diſtrahit Chryſologus dum ſic monet. *Deus de cordibus non de manibus facta metitur, & de ſenſu non de locis opertum colligit qualitatem, miſericordiam coram ſe ſolum vult fieri, qui ſolus eſt miſericordiæ & remunerator & teſtis: vnde homo ſi in paupere, Deo fœnerat, teſtes homines non requirat, fides arbitros non requirit.*

S.Chryſol. ſerm. 9.

EX HISTORIA: *Marulus l. 1. c. 2. & Sabellicus l. 2. c. 1 Fulgoſius lib. 4. c. 8.*

Huic conſilio geſſere morem viri omnes pij, & eleemoſynæ ſectatores, fugientes arbitros ſuæ pietatis. Nemo neſcit egregiũ facinus Nicolai Epiſcopi vtique ſancti, qui metuens pudori trium puellarum, quarum inopia dubiam earum virginitatem fecerat, noctu inſcius omnibus ſacculos auro graues per feneſtras iniecit, vnde & virgines illæ matrimonio iunctæ honeſtis viris: ſoli Deo placere ambiens vir ille beneficus, toti etiam incognitus innotuit mũdo. Alio aſtu beneficentiæ gloriam eluſit Apollinaris Alexandriæ Patriarcha, qui hominem nomine Macharium olim prædiuitem, & poſtea iniquo fato egenum, volens adiuuare ſimul & pudori eius conſulere, finxit, in antiquis Eccleſiæ ſcripturis inuentum eſſe reſcriptum vetus, quo liquebat Alexandrinam Eccleſiam deuinctam eſſe patri Macharij iam defuncto: rumore hoc ſparſo adit Macharium pudore & inopia afflictum, rogat vt acceptâ ſummâ auri non modicâ, velit diluere debitum hoc hactenus ignoratum. Annuit ille, & ſic conſultum eſt pauperi, quem pudor arcebat ab eleemoſyna mendicanda. Hoc attendant illi, qui pudoris pauperum incurij, emunt gloriam faciendo alios inglorios. Hos pungit Chryſologus. *Fugienda eſt hypocriſis, fugienda, fratres, quæ captiua gloria verecundiam pauperum non releuat, ſed fatigat, quæ de gemitu inopis pompam ſuæ gloriationis inquirit, quæ ſuam laudem dilatat, pauperis ex dolore, quæ de miſeria pœnitentis famam ſuæ oſtentationis expandit.*

Apollinaris Alexander quàm propẽſus in pauperes.

S Chryſol. g. ſerm. 9. Hypocriſis eſt fugienda.

Argueret inſcitiæ in hiſtoria Veneta, ſi ſilerem egregiam indolem Petri Vrſeoli Ducis inclyti Venetorum, qui clam inuiſebat pauperes ægrotos duplici ſic eleemoſynâ recreatos, ſemotis arbitris, ſcilicet ſpirituali ſolamine, hortando eos ad diluenda peccata, & elargiendo opes quæ ſufficerent ad reimpetrandam egeſtatem. Eadem Reſpublica florentiſſima ſub Duce Ciano, inſtituit procuratores ſancti Marci, qui clam egenis ſuccurrerent. Habet & in hac palæſtra coronam ſuam, Coſmas Mediceus Dux olim Hetruriæ, qui amicorum ope multa pleriſque erogabat, neſcientibus vnde ipſis

Bergomenſis lib. 11. vbi de Petro Vrſeolo.

Sabellicus lib. Ennead. 1.

Pontanus de liberalitate cap. 7.

tanta bonorum ſeges afflueret. Quippe ille ſciebat, optima quæque latebras inſectari, & virtuti oculos hominum, eſſe vt lumina reguli ſerpentis, qui lethale virus aſpiciendo ſpargit. Diceres & inſenſata quæ eminent aliis, metuere aſpectum hominum, vt aurum, margaritæ, vniones, & pretioſa quæuis abdita terræ viſceribus.

EX MATHEMATICA. *Iob Schonerus lib de iudiciis planetarum.*

Mathematica loquax non ſilet, in hoc argumento, ait enim virtutem Planetarum tunc eſſe præpotentem, cùm Planetæ ſunt in Caſimi, vox eſt exotica, ſed hâc peregrinâ dialecto, hoc intendunt, ſcilicet Planetas ſuas exerere potiſſimas vires, cùm Soli ita ſociantur, vt ſint in coniunctione partili, ſiue in eodem gradu eiuſdem partis lineæ ecclypticæ: quod quando accidit, tunc Planeta deliteſcit, vtpote Solis lumine, ereptus oculis mortalium; ita & qui virtutis heroicæ, ſpecimen aliquale edere meditantur; pergant ad Caſimi, id eſt æmulentur Solis ſui, nempe Dei intimam vnionem, vni Deo ſtudeant, & ſic omnes omnium oculos effugient, exoſi hypocriſim quæ incuriâ oculorum Dei, eſt anxia tantùm, quomodo illudat oculis hominum, vt eam pungit Chryſologus. *Iuſtitia quæ eſt hypocryſis, iuſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit, decipit audientes, ſeducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit ſæculo, Deo non fit, mercedem rapit præſentem, præmium non quærit, cæcat oculos, cæca ipſa non videns vult videri.* Vt contrariorum contraria eſt ſcientia, falſa iuſtitia ſi videri optat, vera refugit oculos.

Hypocriſis nequitia. *S.Chryſolog. ſerm. 9.*

EX RE MEDICA. *Hippocrates lib. 2. epidem. ſectione 1.*

Fauet & medicina propoſito noſtro, de latebris rerum optimarum: licet enim prædicet eam criſim eſſe bonam quæ eſt manifeſta, non vult tamen ſigna futuræ criſis ſtatim emergere & ſe adſtantium oculis prodere, hoc eſt enim decretum ſummi Medicorum. τὰ δὲ κρίνοντα ἐπὶ τὸ βέλτιον, μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, *Quæ in melius iudicant non ſtatim debent apparere,* alia ſunt ſigna indicantia ſpeciem criſis, vt faciei rubor indicat hæmorrhagiã, alia ſunt ſigna coctionis, vt nubecula continua & laudabilis vrina: ſigna indicantia non debent ſtatim apparere, notant enim naturam præcipitem; ſigna verò coctionis naturam validam clamant, ita in bono opere duo ſunt. Vnum eſt ſe ſe prodere & velle monſtrari digito & dicier hic eſt, hoc ſapit vanitatem & damnatur. Aliud eſt quid bonum, ſcilicet charitas, quæ animam amore decoctam oſtendit, & hanc Deus vult videri: vt glorificetur ex ea Pater cœleſtis, omnium chariſmatum auctor. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Cæterum, virtutes indolem florum æmulantur, qui ſe explicant ad radios Solis, & aliis ſyderibus ſe occultant. Virtus aperit ſe Deo, aliis verò ſe abſcondit. Vt hoc præſtes lector, hoc meditare.

Matth. 5.

AFFINIA SVNT TVRBA, ET TVRBO,
QVI GLORIAM EX TVRBA METITVR,
TVRBINEM METET.

PAVCI SVNT PAVPERTATIS religioſæ ſectatores.

In hanc vocem:

Quis reuoluet nobis lapidem ex oſtio monumenti?

SECTIO IV.

LApidis importuna moles impoſita oſtio monumenti, quo claudebatur extinctum Corpus Chriſti, fecit anxias mulieres, ſuos dirigentes greſſus ad monumentum, quod dicere auſim eſſe typum vitæ religioſæ, cuius aditus eſt paupertas, dicente Chriſto ei qui vult initiari myſteriis huiuſce vitæ. *Vade & vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus.* huic oſtio, ſeu exordio vitæ religioſæ, incumbit ingens lapis: id eſt difficultas. Quod autem monumentum illud eſſet figura clauſtri hominum Chriſto addictorum, palam eſt ex eo quòd ibi erat corpus crucifixum, & extinctum; religioſi autem tribus votis ſicuti clauis cruci affixi ſunt, & iugi mortificationi inſiſtentes, mortui ſæculo, minimè ſibi viuunt: vnde autem oriatur illa difficultas adeundi clauſtra, quorum oſtium eſt paupertas, petendum eſt à multiplici ſcientia. Primas demus Philoſophiæ, quæ eſt veluti præambula Theologiæ ei prætendendo faces.

Matth. 19.

EX PHILOSOPHIA: Porphyrij in Iſagoge. cap. 1. & 2.

Philoſophiæ dogma eſt: ſpecies quæ diuidunt genus, eo ordine ita diſſitas eſſe, vt ſuperiores ignobilium in ſe totam perfectionem poſſideant, poſſintque eaſdem ſortiri vices, quas ſpecies infimæ ſortiuntur. Verbi gratia rationale ſenſitiuum, & vegetatiuum, ſunt ſpecies diuidentes animam, quæ ſe habet vt genus ad has ſpecies. Anima rationalis quæ eſt dignior aliis ſpeciebus, ſcilicet animâ ſenſitiuâ, & vegetante, facit vt non tantùm homo intelligat, quod eſt potiſſimus effectus eius, ſed vt etiam ſentiat cum brutis, & nutriatur & augeſcat cum plantis, & triplici appetitu moueatur ſecundùm tres animæ ſpecies quas poſſidet; nam appetitu innato planta appetit irrigari ſi marceſcit: ita & ſtomachus inediâ fatiſcens, vellicatur à natura, etiam homine inuito: ea enim quæ ſunt homini communia cum plantis non ſunt ſubdita rationi, vt nutriri, digerere, aſſimilare alimentum alim. Rurſus animalia appetitu ſenſitiuo cientur validè, ad ſequelam boni conuenientis, vt lupus patiens famem, valido impetu fertur & irruit in prædam imbellem, vt etiam ſecùs, ſi animal quid obuium habet vitæ ſuæ inimicum, appetitu ſenſitiuo ſuggerente conſeruationem ſui, hoc refugit toto niſu, vt videre eſt in lepore quem canes velociùs inſequuntur. In hoc etiam conuenit homo cum brutis, & cùm vegetiores ſint hominis appetitus quàm brutorum, ita etiam ſagacius inuigilat mediis, quæ conducunt ad ea facienda quæ ſuggerunt ſenſus, qui ſi aliquid obiiciunt homini conſonum, illicò fertur ad hoc, vt & validè diſtrahitur ab his quæ ſenſus dictat eſſe inimica naturæ; quòd ſi accedit ratio ancillans ſenſibus, homo velut impos ſui non agit, ſed agitur ab obiecto, circa quod hallucinans ratio delitauit. Verbi gratia, vnumquodque ſui eſſe eſt amantiſſimum, ideóque appetit illud eſſe perenne; hinc homo conſtans anima & corpore, fertur ad ea quæ faciunt ad vtriuſque partis tutelam & iuuamen, vt ad epulas quibus conſulitur optimè corpori, & ad gaudia, & delicias quibus homo genio indulgens, triſtitiæ anſam omnem auertuncat. Senſu talia dictante, ratio cæcutiens ſenſibilia obiicit voluntati, quæ appetitu elicito, ita illis adhærens eſt, vt nequeat inde diuelli, niſi Deo propitio atque ſuffragante. Et hæc cauſa difficultatis qua homo cruciatur, cùm cœlitus vrgetur ad arctioris vitæ ſanctius inſtitutum. Etenim ſenſus nihil apprehendunt in vita religioſa, niſi aſperum & hiſpidum, ideoque ex iis omne quod cruciat animum moliora ſentientem, diſtrahunt in diuerſa, & inde dolor, qui eſt triſtis affectio, ſequens apprehenſionem rei contrariæ animali, ob diſſolutionem continui. Senſus autem adhærentes obiecto delectabili, habent ſe in modum continui quod dolorem maximum ingerit diſſolutum.

EX THEOLOGIA: S. Thom. 1. 2. q. 5. art. 3.

Theologia hanc nobis inſitam eſſe difficultatem aſſerit, ex peccato originali, quo homo cæcutiens, eo lumine orbatus eſt, quo ſpiritualia bona innoteſcebant illi, vnde cùm homo altioris boni neſcius diſtrahitur à bono ſenſuali quo iam gaudet, eam renititur, & hæc renitentia difficultatis nomine nuncupatur. Duplicem autem proceſſum habet originalis noxa, vnum quidem à carne ad animam quam inficit, & ille influxus eſt prior in carne quàm in anima, generatione, & tempore: ordine autem naturæ fluit ab anima in corpus, & eſt in anima vt ſubiecto, quo vitiato, potentiæ eius eidem corruptioni fuerunt obnoxiæ. Et cùm operari ſequatur eſſe, ab eſſe vitiato, vitia tantùm queunt emanare, à quibus ſi Deus hominem reuocat, affulgente deſuper lumine gratiæ, inſurgunt motus conſuetudini inolitæ ſuffragantes, vt diximus ſenſiſſe Auguſtinum, cuius reuocanda huc animæ cum corpore diſſidia. *Punctum ipſius temporis quo aliud futurus eram, quantò propius admonebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem, ſed non recutiebat retro, nec auertebat, ſed ſuſpendebat; retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant, dimittiſne nos?* Vide ſuprà reliquas animi contentiones, capite tertio, ſect. 4 Hieronymus ætate ſuperior Auguſtino, corporis & animæ diuortia inualeſcere ait, ex praua conſuetudine: ſic ille. *Aſperam nobis & inſuauem virtutum viam, nimia fecit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in alteram partem transferatur, inuenitur ſemita iuſtitiæ lenis.* In hanc inuehitur conſuetudinem prauam S. Cyprianus. *Fruſtra quidam qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non fuerit in ſpiritualibus ſequendum, ſi melius fuerit, à ſancto ſpiritu reuelatum.* Itaque homo ſenſibus addictus, poſt originalem noxam, inolita conſuetudine vitiis irretitus, ſi Deo percellente vocatur ad clauſtrum, anxius exclamat. Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? quis diluet difficultates obuias? quas noxia conſuetudo virtuti oppoſuit, vt lapidem ad oſtium monumenti, ſicuti alludit Auguſtinus? *Nolum impoſita ſepulchro, eſt vis dura*

EX SS. PATRIBVS: S. Aug. lib. 8. Conf. c. 11. Conuerſio Auguſtini quot paſſa eſt anguſtias.

S. Hier. epiſt. ad Celant.

S. Cypr. epiſt. ad Iubaian.

S. Aug. hom. 45 in Matth.

dura conſuetudinis , quâ premitur anima , nec reſurgere , nec reſpirare permittitur ; dictum eſt autem , quatriduanus eſt , reuera ad iſtam conſuetudinem de qua loquor , quodam progreſſu , peruenit anima , prima eſt quaſi titillatio delectationis in corde , ſecunda conſenſio , tertia factum , quarta conſuetudo.

Senec. in pro. Cicero 1. de legibus.

Conſuetudinis prauæ importunam molem ſenſere Gentiles , in quibus Seneca ait eſſe, *grauiſſimum imperium conſuetudinis.* Et Cicero, *Corruptela mala conſuetudinis,igniculi extinguuntur à natura dati , exoriunturque , & confirmantur vitia contraria.* Quàm autem ſit difficile amouere hunc lapidem,Seneca ait : *Diu in iſtis vitiis iacuimus , euelli difficile eſt , non enim inquinati ſumus , ſed infecti.* Et alia epiſtola hoc luget. *Tunc conſummata eſt infœlicitas, vbi non ſolum turpia delectant ; ſed etiam placent , & deſinit eſſe remedio locus , vbi quæ fuerant vitia , mores fiunt.* In eadem arena luſerunt & Poetæ : in his Ouidius.

Senec. ep. 58. idem ep. 28.

Ouid. lib. 5. de triſtib. eleg. 13.

> *Adde quod ingenium longa rubigine læſum*
> *Torpet, & eſt multò quàm fuit ante minus.*

Iuuen. ſaty. 7. Conſuetudo quàm potẽs.

Et Iuuenalis,

> *Laqueo tenet ambitioſi*
> *Conſuetudo mali.*

Ex Ivre Canonico.

Cap. Miſſa. 56. de elect. cap. dilect. de arbitr. cap. cum inter. De conſuet. c. 1. de conſuet. Conſuetudinis malæ nequitia.

In prauas conſuetudines quæ virtutem inuiam faciunt , omnia iura debacchantur : & in rei huiuſce fidem accipe hos Canones Iuris Pontificij. *Cõſuetudo praua amittit nomen conſuetudinis , & appellatur corruptela.* Et ne quis in prauæ conſuetudinis praxim allegaret iſtum Canonem. *Conſuetudo eſt altera lex , & pro lege ſeruanda.* Ius ſacrum liquidius ait , hoc duplici ſtatuto. *Conſuetudo contra Eccleſiaſticam diſciplinam non valet.* Vt autem valeat ſic fert Canon. *Conſuetudo vt valeat , debet eſſe rationalis, & non contra vtilitatem Eccleſiæ.* Igitur ô homo, expedi te à laqueis qui animam tuam præpediunt meliora cogitantem:iura cum praua conſuetudine diuortium , ſi non vis incurrere in ſcopulos neceſſitatis quos aperit , & ipſum etiam Ius ciuile, vbi hoc legitur ſapiens Theologiam potius quàm Iuriſprudentiam.

Ex Ivre Civili.

L. Neratius. § ſi ſeruus in add. marg. de ſeruo corrupto. Lib quod non ratione, ff. de legib. in authen. habita & ibi gl. ex peruerſu C. ne filius. Imperatores 71. de contrahend. empt.

Sic ſe habet lex monens,vt eatur obuiam noxiæ conſuetudini ſubrepenti. *Ex conſuetudine peccandi generatur quidam habitus , & talis ſecundum Philoſophos qui poſtea euelli non poſſit , & ideò eſt reſiſtendum principiis.* Et quaſi Ius ciuile coiret cum iure canonico, ſic fatur iſta lege: *Conſuetudo peruerſa non eſt ſeruanda.* Quid ergo operæ-pretium vbi ſenſus omnes reuocandi ſunt ad meliorem frugem, corpore reluctante, & praua conſuetudine priſcis vſibus inſiſtente: & ſuggerente virtutis oſtium , & Religionis ingreſſum magnis obicibus obſerari ? Reſpondeo diluendas omnes inſtantias certis iſta lege. *Conſuetudini poteſt per pactum renuntiari & derogari.* Ita plerique, ſæculum abiurantes , nouo inito fœdere cum Deo , recentiori pacto & voto, veteris omnia ſcelera diluerunt, fruſtrà renitente carne , quos vt alij ſequantur , lubet inſerere qua ratione technas eluſerit Thomas Aquinas , quibus eum dæmon præpedire tentauit.

Ex Historia:

Ex vita S. Thom. Thomæ Aquinatis conuerſio tentata.

Stemmate nobili fuit olim Thomas , ante primam lanuginem , pertæſus ea quæ ſunt ſæculi , & ne deeſſet Deo vocanti , inſcius parentibus ſacrum ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt , quod vbi reſcitum eſt à cognatis , in eum ſæuiêre omnes , imò & ſorores cum clam conuenêre , vt à propoſito reuocarent ; quodque impium eſt, intromiſſâ puella pudori facturo labem ; ſed adoleſcens qui Deo iam dederat nomen , accepto titione è camino , compellit ad fugam pellicem, quâ exploſâ , ille ante crucem pronus Dei ſe totum obſequiis impigrè mancipauit, meruitque hoc facinore egregio laureolam virginum. Eadem ſors manet Thomæ ſequaces: etenim vbi ſpiritus cogitat ſæculi fugam , potentiæ omnes ſenſitiuæ inſurgunt, vt animæ ſorores, fratremque ſuum ſpiritum tentant à Deo diuellere ; demum ipſa caro, pellex impudica , ſuggerit impiè quæ horret animus meminiſſe,ſed cruce vt titione fugatur impudicum agmen : is enim qui cruce ſcit cœlum demereri irritos facit auſus in ſui perniciem inſurgentes.O dæmonis aſtutiam ! ipſi filij & viri ſancti , ſpecie amplioris boni , moras nectunt meliori frugi , vt ſuperiore ſæculo palam fuit. Nam cùm Carolus quintus Imperator abdicare vellet imperium , in gratiam fratris ſui Ferdinandi, & regnum Hiſpaniarum in gratiam filij ſui Philippi , tenuit ipſe filius , lachrymarumque profluuio , patris ſui propè non extinxit amorem ſeceſſus atque diuortij cum ſæculo. Quid quod ipſe Pontifex Paulus IV. vir alioquin ſanctus , Carolum voluit vrgere ad reſumendum imperium ; orbe pene toto Caroli pietatem , ſub ſpecie pietatis impugnante. Maiorem ſane ſe præſtitit ille Imperator, quàm fecerit aliàs , alius Imperator Arcadius , quem cùm omnes deprecarentur Epiſcopi contermini Gazæ , vt idola euerteret, illic habita in magna reuerentia , renuit ille dicens ſe fore imparem tumultui qui inde à gentilibus imminebat. Heu quoties te , beneuole lector , & me Deus admonuit vt idola noſtra peſſum irent , quoties de vanitate comprimenda , de ſenſualitate refrænanda , de ira compeſcenda, motus ingeſſit animæ ſalutares , & toties reſtitimus , impotes reſiſtere turbæ gentilium , ſcilicet deſidiæ, malæque conſuetudini , quæ altas apud nos egêre radices.Pudeat nos in eo te vinci a fœmina,ſancta videlicet Paula , quæ cùm ad Chriſti præſepe pergeret naue vecta , filium auerſata eſt , ne eius intuitu anima difflueret in ſæculum , audiendus eſt teſtis eius conſtantiæ Hieronymus.

Hiſtoria Imperialis ſub an. 1558.

Caroli V. Imperatoris conſtantia in ſæculo abdicando.

Marc. Circon. in actis S. Porphyrij Epiſc. Gazæ.

S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ. Paulæ diligentia & pietas.

Deſcendit ad portum , fratre , cognatis , affinibus, & quod his maius eſt , liberis proſequentibus , & clementiſſimam matrem , pietate vincere cupientibus , iam carbaſa tendebantur , & remorum ductu , nauis in altum protrahebatur , paruus Toxotius ſupplices manus tendebat in littore. O mulierem Heroïnam neſciam ſæculi , imò nec ſui! Pergit Hieronymus. *Ruffina iam nubilis, vt ſuas expectaret nuptias , tacens fletibus obſecrabat , & tamen illa ſiccos tendebat ad cœlum oculos , pietatem in filios , pietate in Deum ſuperans, neſciebat ſe matrem vt Chriſti probaret ancillam. Torquebantur viſcera , & quaſi à ſuis membris diſtraheretur , cum dolore pugnabat , in eo cunctis admirabilior , quod magnam vinceret charitatem , inter hoſtium manus, & duram captiuitatis neceſſitatem nihil crudelius eſt , quàm parentes à liberis ſeparari. Hoc contra iura naturæ , plena fides patiebatur , imo gaudens animus appetebat , & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens , in*

Paulæ conſtantia in ſæculo abdicando.

ſola

ſola Euſtochio, quæ & propoſiti & nauigationis comes erat, acquieſcebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis qui cum ea vehebantur, littora reſpicientibus, ipſa auerſos tenebat oculos, ne videret quos ſine tormento videre non poterat. Et nos, iterum ingeminem, putet, impotes eſſe ad relinquendas paſſiones vernaculas, & vilia mancipia carnis.

Ex Symbolis: *Franciſcus Villana lib. ſymbol.*

Præalta quæque ſunt obicibus inuoluta, vt videre eſt in Palma, quæ quia victoribus ſacra, corticem aſperum obiicit, vnde & ſymbolum eius hunc titulum præfert, Fructvs qvia dvlcis et asper. Ne aſpera deterreant quæ Religioſa profeſſio præoſtendit, dulciora ſunt quæ receſſibus abdit intimis vita hæc illibata.

Ex Mathematica: *Ptolemæus l.3. de iudiciis c.52.13.*

Mirum quàm benè garrula Matheſis obſeruat ex Ptolemæo in ea domo quæ eſt duodecima, in ſchemate cœli diſſiti in duodecim partes, coire ſimul, hoſtes & paupertatem: ex hac enim domo garriunt Aſtrologi, an ſit futurus inops infans & multos paſſurus hoſtium inſultus. Vnde ſic arguo, ſi paupertatis religioſæ domum ingrederis, patieris hoſtes, potentias omnes ſenſitiuas carni militantes: & deforis inſurgent in te viri vſquequaque dyſcoli; nam domus paupertatis, eſt domus etiam quæ cuneos hoſtium præfigurat.

Ex Medicina: *Duret. lib. 1. prænotionum in coacas, tract. 1.* Rigoris deſcriptio.

Ridet hos impetus vt inanes ars medica, nec terretur rigore qui ægrum concutit & diuexat, notat enim victoriam caloris naturalis, qui quia inualeſcit, reducem vocat ſanitatem, noxios humores expellendo. Etenim ex Dureto: Rigor eſt concuſſio compaginis totius, maximè partium poſticarum, quæ adiacent lumbis, metaphreno, ceruici ad caput, dum ſcilicet proritantur appulſu cacochymiæ illuc è vaſis confluentis, & viam ad exitum affectantis, quem quia tam citò non habet, partes exacti ſenſus vbi ſubſiſtit, vellicando laceſſit, cum affectione caloris viuifici qui eſt in corde; tunc enim viuificus ille calor intro recurrit, dum cacochymia foras excurrens, ac primo appulſu paſſa repulſam, concuſſionem mouet. Ita gratia Dei viuifica, vbi cordi inſedit, etſi ab inſultibus crebris impetatur, ex parte carnis & ſenſuum, intro recurrens, foras expellit obices omnes; quos ſuggerunt potentiæ ſenſitiuæ, & licet initio tremant neophyti qui Religioni ſuum dedere nomen, ille tremor eſt cute tantùm tenus, dum propoſitum intro tenax eſt ſuperſtes: Et ex Hippocrate, ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ῥίγεος ἐπιγενομένου λύσις γίνεται, *à febre ardente habito, rigore ſuperueniente ſolutio.* Ita qui validè obiecta ſibi intimè diluit obſtacula ſenſuum, etſi carne reniiente, nullos in poſterum hoſtium ſuſtinebis auſus, actu vno pietatis intenſo habitum pariente; licet enim videatur vel interius diſcrimine carnis illos æſtus ingerente, ſi tamen etſi tremens ingrediatur ſepta clauſtri; rigor ille non obſtabit quin ſolutio ſequatur à ſæculo, cuius amor vt febrilis, animam igne depaſcit, qui eſt præambulus ignis infernalis. Hoc igitur meditare, affinia eſſe, χαλεπὰ καὶ τὰ καλά, difficilia & pulchra. Ideoque.

Hippocrat. l. 4. Aph. 58. Rigor eſt ſalutaris febri.

Non obstent obices, qvin tvas obeas vices.

ANGELI PRÆSTO SVNT IIS, qui altiſſimæ paupertatis ſectantur inſtitutum.

In hæc verba:

Introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris.

Sectio V.

MVlieres anxias de lapide reuoluendo, minimè deterruit importuna moles lapidis obturantis oſtium, maiorque in eis extitit fides, dubio quod eas angebat; & equidem credo in præmium obſequij quo volebant dignari corpus Chriſti tumulo mandati, habuiſſe obuium Angelum in ſepulchro ſedentem, cœleſti habitu, cuius aſpectu etiamſi perculſæ fuerint, non modicum tamen inde percepêre ſolatij. Ita & hi qui pergunt ad monumentum religionis pauperrimæ, in qua nuda ſunt omnia, aſpera quæque facilia inueniunt, Angeliſque quaſi ſociati, vitam Angelicam agunt, & hoc aperire incumbit iſti ſectioni.

Ex Philoſophia:

Lycæi hoc eſt familiare proloquium. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe ſe, vt duo homines qui eundem habuere patrem, erunt fraternitatis vinculo ſociati: & frater dicitur quaſi ferè alter: item duæ albedines quæ omnem candorem nimis genuinè referent, erunt ſimiles adinuicem. Hoc axioma religioſam paupertatem, homines probat in Angelos conuertere: nam Angelum eſſe, eſt habere ſpiritum à terrenis omnibus expeditum, ſolique Deo intentum: at hoc præſtat hæc paupertas Deo ſacta, nam hominem totum ſoluit ab infimis vt ſit vni Deo ſacer, & illi ſoli eius deſudet ingenium. Quid ergo mirum ſi Angelis ſunt affines, viri Deo altiſſima paupertate deuocti; cùm Angeli & homines à terra defœcati ſunt, iidem vni tertio nempe Deo, eius tantùm obſequio mancipati.

Paupertas homines facit affines Angelis.

Ex Theologia. *S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4.*

Theologia arctiori vinculo colligatos homines & Angelos edocet nos, ratione gratiæ, qua mediante regeneramur, & ſimus participes naturæ diuinæ ſecundùm quandam ſimilitudinem. Sicut enim homo per potentiam intellectiuam, participat cognitionem diuinam, virtute fidei, & ſecundum voluntatem particeps eſt amoris diuini, virtute charitatis; ita etiam per naturam animæ, cui inſita eſt gratia, velut in ſubiecto primario, homo eſt particeps naturæ diuinæ aliquali modo, ſecundùm quem dicitur filius Dei, iuxta illud Ioannis. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Non ſimus autem filij Dei fide, niſi ea gratia Dei informetur. Ex præfatis ſic arguo. Quo nobilior erit ſimilitudo, arctior erit affinitas rerum, quæ in hac ſimilitudine conueniunt, at nulla eſt nobilior qualitas qualitate gratiæ, ergo nulla etiam arctior affinitas ea quæ intercedit inter Angelos & homines, quos paupertas exuit opibus, vt gratiâ indueret. Quid igitur mirum? ſi Angeli aſpectu dignatæ ſunt mulieres, ſolo diuites

Ioann. 1.

aromate,

atomare, quod fecerant Domino Iesv ſacrum, & cuius diſciplina ioitiatæ Apoſtolorum æmulæ, ſeſe ſæculo ſubduxerant, vt pauperem agerent vitam.

Ex SS. Patribus:

Rurſus Aogeli inſtar apum floribus gaudeot, animalſque circumagunt, quæ virtutum floribos vernaot: at paupertas vltronea, qualis eſt ea quæ vouetur, omnibus eſt virtutibus idooea, earumque conſots ſtipatur eis, vtique omoibus vſquequaque. Huic vni paupertati ſuarum virtutum incrementum debere confeſſus eſt Auguſtinus. *Ego perfectionem de qua Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratiâ ipſius adiuuante ſic feci: quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego quàm quiſquam alius, ſed magis Deus quàm ego, & ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor.* Et Beatus Proſper in laudes paupertatis effuſus ſic ait. *Quo pretio quies huius temporis aptius comparatur, quàm vt ipſi mundo, omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuerſarum cupiditatum materia refundantur, & ſancto beatoque commercio, ematur Chriſtiana libertas, fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate ſublimes.* Habuêre ſanè Sancti Patres, laudum ſanctæ paupertatis maximum argumentum, experti quàm ſiot Deo propiores illi qui ſuum nomen beatæ illi dederunt inopiæ. Sed demiror Ethnicos homines, pudore ſuffundere Chriſtianos, dum miris encomiis floccipendium opum extulerunt, ſectantes & ipſi illam inopiam quâ ſibi æternum peperêre nomen.

S. Auguſtin. epiſt. 59.
Paupertatis voluntariæ encomia.

S. Proſper. in epiſt. ad Demetriadem.

Diogenes aiebat ſe vbique notum & famoſum, quia ἄοικος, ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερόβιος, *carens domo, ciuitate, patriâ, pauper, & vagus de die in diem precario vitam agebat.* Ita Laërtius. Et Demonax Philoſophus qui floruit Adriano Imperatore, omnibus propè fuit miraculo, eaoſus adeò omnia hæc infima, vt neque ſibi præpararet viaticum, carpens iter, ſed ſuam leuaret inediam, obuio quoque pane quem erogabant hi quos offendebat in itinere. Obiit vir grandæuus & clarus publico ſumptu, ille qui publicos ſumptus fuerat omnino pertæſus. Ita Volaterranus. Sed præſtat audire encomia paupertatis, à viro infidele, & aliàs obſcœoo Apuleio. Sic ille. *Paupertas olim Philoſophia vernacula, frugi, ſobria, paruo-potens, æmula laudis, aduerſum diuitias, poſſeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio benè ſuada, neminem vnquam ſuperbiâ inflauit, neminem impotentiâ deprauauit, neminem tyrannide efferauit, delicias ventris, neque vult vllas, neque poteſt; quippe hæc, & alia flagitia, diuitiarum alumni ſunt, maxima quæque ſcelera, ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies, ſed quem in aliqua laude miramur, cùm paupertas ab incunabulis nutricata eſt, paupertas, inquam, priſca apud ſæcula, omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos, in Ariſtide iuſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta, eadem paupertas etiam populo Romano Imperium à primordio fundauit.*

Diogenis effatum in gratiam paupertatis.

Laërt. lib. 6.
Demonax Philoſophus ſe ſua paupertate commendauit omnibus.

Volaterran. lib. 15. Antrop.
Apuleius Apologia l. 1.
Paupertatis mira elogia.

Diceres paupertatem eſſe præambulam egregiorum facinorum, vt ſit palam ex omnigena hiſtoria. Phucionem olim Alexander, nobili legatiooe honorauit, & adiecit magnam vim auri, & cùm Phocion peteret rationem à legatis quare Aleaander tantas opes in vnum Phocionem congereret. Reſpondêre Macedooes, quia ſolus tu, ô Phocion, viſus es illi præditus virtute illibata, atque adeò vir probus. At ille, ſinat me ergo talem, & ſuas ſibi ſeruet opes. Quaſi diceret, paupertatem, & virtotes eſſe comites indiuiduas. Paupertate diu ſterit Spartana Reſpublica, quæ opibus, poſtea peſſum iuit, & ne Chiliades texam, audi Claudianum.

Pauper erat Curius, Reges cùm vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm ſperneret aurum.
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

Ex Hiſtoria.

Plutarch. in vit. Phocion.
Phocionis effatum in gratiam paupertatis.

Claud. in 4. Honorij Conſul.

Et vt ad Eccleſiaſtica reuertatur oratio. Alexander V. Pootifex quò ampliores ſpiritus hauriebat, eò erat profuſior io pauperes, ideò dicere erat ſolitus, ſe diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, & mendicum tandem vbi factus fuit Archipræſul Eccleſiæ. Quid in vicario Chriſti immoror, ipſemet Chriſtus nonne fundamina poſiturus Eccleſiæ auſpicatus eſt à paupertate? dum ait. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hinc aoſam accipiebat Iulianus Imperator fidei deſertor, ſpoliandi Chriſtianos: dicens eorum religiooem in paupertate ſtabilitam. Hanc Iſagogem vitæ Chriſtianæ edocuit Principem Ioſaphat regno natum, ſenex Barlaam, qui vt de Principe terreno, Regem cœlorum faceret, imbuit eum altiſſimo myſterio paupertatis; nam regno cautum induit vilibus exuuiis, quæ ſufficerent cœlo, & nodum euexit ad virtutis apicem, quem eximia crepidine antea dioes, noo auſus eſſet intueri. Vt miſſas faciam omnes regulas cuiuſuis ſanctioris inſtituti, ipſa Societas Iesv adeò egena habuit exordia vt meruerit inopiâ ſuâ nomen eius, cuius ſequuta paupertatem, genuinè typum referebat. Et licet ſanctus Patriarcha Ignatius Collegiis voluerit eſſe prouiſum, ne animus curâ futuri diſtraheretur io plurima; tamen Patres Societatis iam grandæuos, & de religione benè meritos, altiori ſtatui deſignatos, quem vltimam profeſſiooem vocant, vt ſuos triarios expeditiores cœlo, omoibus facultatibus exuit, voluitque æuum ſuperſtes agere mendicando, propoſiti huiuſce tenax, ſocietas hæc illuſtris domos quas vocat profeſſas, inopes habet & duntaxat precario ſubſiſtentes. Illic veterani milites, & olympionicæ palmati omnes, atque laureati, ſolâ inopiâ prædiuites accipiuot laboris exantlati digna præmia, paupertatem. Sed quid in peregrinis moror, cùm mira clament Canones ſaocti de mea profeſſione Seraphica, quam genuinus ille typus crucifixi Sacer Franciſcus in hactenus inauditam paupertatem euexit, vt hæc religio fuerit Eccleſiæ miraculo. Quippe alumoi eius ſoli, pedites, nudiſque pedibus omoi rerum adminiculo abdicato, vim faciunt cœlo. Et eſto religioſi alij ſigillatim ſiot paupeтes, tamen io communi neſciunt paupertatem, habentque quo freti neſciant vſquequaque aculeos altiſſimæ paupertatis, quæ alus poteſt obiicere illud Auguſtini ſic arguentis. *Facilius eſt quibus careas contemnere, quàm poſſeſſa non amare,*

Ciaconius in Alexand. 5.
Alexãder V. Papa diuitias exoſus.

S. Ioan. Damaſc. in vita Barlaam & Ioſaphat.

Societas Ieſu ab altiſſima paupertate ſuum eſt auſpicata inſtitutũ.

Ribadeneira in vita S.

Diuitiarum incommoda.

S. Aug. epiſt. 34. ad Paulinum.

amare, arctiuſque terrena conſtringunt adepta, quàm concupita. Nam vnde iuuenis ille triſtis diſcedit, niſi quia magnas diuitias poſſidebat? aliud namque eſt incorporare nolle quæ deſunt, aliud incorporata diuellere, illa enim velut extranea repudiantur, iſta velut membra præciduntur.

Ex Ivre Canonico: Paupertas B. Franciſcum commendauit.

Vt autem Deus oſtenderet quàm ei proxima eſſet illa animi nuditas diffluens in nudipedem hominem, inſtitutorem vitæ ſpoliatæ, hunc ſcilicet B. Franciſcum, quintuplici ſuo ſtigmate decorauit, vt qui è beatorum choro vnus familiam erexiſſet nudi inſtituti, quanti Deus faceret hanc regulam, nudo etiam & aperto (Chriſti inſtar) ſuo corpore demonſtraret. Quodque demirere magis, Eccleſia ipſa demirata vnum hoc Franciſci mendicans inſtitutum, in Concilio generali mitis editis encomiis, de regula aliis omnibus admirationi, inſeruit iuri canonico pontificias haſce panegyres, quibus dignata eſt heroinas animas altiſſimæ inopiæ ſectatrices, & ne zelum fortè inuidorum acuam, ſufficiet aliqua referre ad ſolamen alumnorum tanti Patris. Sic Papa Clemens quintus. *Hortus ſi quidem eſt Fratrum Minorum ſancta Religio, quæ muris regularis obſeruantiæ, firmiter vndique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit, cum aromatibus quæ ſuauitate mira vniuerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt, hæc eſt illa cœleſtis vitæ forma, & regula quam deſcripſit ille confeſſor Chriſti eximius ſanctus Franciſcus ac ſeruandam à ſuis filiis, verbo docuit pariter & exemplo.*

Clementina, exiui de paradiſo. De verborum ſignificatione, in ſexto.

Minoritarũ Religio celebrata in Concilio Generali.

Dic quæſo lector, ſi quæ alia Religio talem Encomiaſtem haberet, ſcilicet ſummum Pontificem, effuſum in laudes & in elogia religionis, cuius inopiæ impares ſunt aliæ omnes paupertates, quot edita eſſent commentaria in verba illa glorioſa alumnis Beati Patris; ſed quòd plerique authores Seraphici taceant has laudes inſertas iuri canonico, hoc dandum humilitati quæ eſt ſocia paupertatis, vt enim illic paupertas tota viget, ſtipatur & illa agmine ſolito virtutum. Nec ego Capucinus immeritus, id eſt ſectator ipſiſſimæ regulæ, quam plerique profitentur labiorum tenus, has meæ profeſſionis hîc ſcripſiſſem laudes, niſi pro more meas ſectiones omnium diſciplinarum textu comprobarem, & cum Iuris canonici mentio incidit, non potui ſubtrahere iſti volumini encomia inſerta iuri canonico. Suſpexére ſanè paupertatem, & ipſi periti iuris ciuilis, ſed impares ſe ſenſerunt oneri tanto ſubeundo, vt fidem faciunt iſtæ voces. *Paupertas quandoque prodeſt, ſed Deus nos liberet à tali prodeſſe.* Quippe ſequela ſanctioris inſtituti, magnos exigit animos, & quales ſæculi Philoſophia neſcit. Illis prouidit egenis Ius ciuile dum ab eorum claſſe eliminat eos qui aliunde quam ab eleemoſynis, victum ſibi parare queunt, ſic enim lex ſæuit in eos qui ſe inopes impiè mentiuntur. *Mendicantes publicè ſine neceſſitate, poſſunt inſpici, & qui eos inſpexerit & prodiderit, ... eſſe probauerit, dominium eorum conſequitur, ſi ſunt ſerui, & ius colonatus, ſi ſunt liberi.* Denique Seneca inſpecto Euangelio vnde effluxit ille ritus ſtrictiſſimæ paupertatis, dicitur in has erupiſſe voces. Hoc inſtitutum verè beatum eſt, ſed ſupra hominem, reſque operoſa valde in homine non ſentire hominem, aliaque effutiit homo ille prædiues erſi Philoſophus, quæ recenſuit Petrus Venerabilis.

Ex Ivre Civili: *Gloſ. nu lum in §. ſed noſtra de ſeruili cognatione lege prima cod. de mendi. antib validis. lib 11. Petr. Vener. Ab Clun de epiſt Sen ad Paulum*

Ex Mathematica. *Ptol. lib. 3. de iudiciis c. 12. Schonerus de Domino domorum.* Piſces ſunt ſymbolum paupertatis.

Eſto extrema quæque patiantur inopes fortiſque domique, Chriſto tamen gaudent quem ſtipant omnia chariſmata, & reuera fauet Mathematica, quæ dùm duodecim ſigna Zodiaci diſtribuit ea ratione, quâ creditur editus orbis, piſces occupant duodecimam domum, quæ eſt miſeris aſſignata; diceteſque conſulto effectum, vt piſces aquis aſſueti, referrent religioſam inopiam, quæ plerumque madet dono lachrymarum quæ fluunt ex repetita memoria retroactæ vitæ, aut ex idæa Chriſti paſſi, & quia ieiunii ferè ſemper ſunt religioſi profeſſores eminentis inopiæ, vt hi qui dedere ſuum nomen B. Franciſco, qui maximam anni partem agunt, paſti tantùm gramine, atque piſciculis, congruè dixeris eſſe in domo piſcium, qualis eſt illa quam Matheſis aſſignat miſeris & egenis in ſchemate cœli. Sed audi rem miram, ex eodem fonte Matheſeos Vnaquæque domus vendicat ſibi vnum Planetam cuius dominio gubernata gaudet: Sole autem & Lunâ exceptis, planetæ alij, duas domos, ſeu duo ſigna regunt, in quibus, Sagittarius & Piſces gaudent optimo Planetarum: Iupiter eſt dominus vtriuſque domus, Iupiter autem dicitur Planeta ſummè beneficus, & fortuna maior. Ita & in domo paupertatis arctiſſimæ eſt Dominus Iesvs beatorum apex & fauſtior ipſo Planeta Iouis; Chriſtum illic eſſe, audi aſſertorem Hieronymum. *Super nudam metuis humum, exeſa ieiuniis membra collidere? ſed Dominus tecum iacet.* Rurſus ſagittarij ſignum eodem Planeta regitur quo & piſces, quaſi verum eſſet pauperes & mendicos ſagittarum peritia pollere, id eſt eſſe orationi idoneos; orationes enim iaculatoriæ nuncupantur, quia ſagittarum inſtar, pauperes eas iaculantur. Huiuſce gratiæ pauperibus inſitæ à Deo non inſcij ſæculares viri, nos Capucinos obtuunt, vt fuſa prece faciamus eis Deum propitium, dæmoneſque ab eis arceamus iaculis hiſce noſtris. Ita vt liceat vſurpare illud Dauidis. *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum*, id eſt orationes Minorum ſeu Capucinorum dæmones vſquequaque confoderunt. Quò enim quis pauperior, eò etiam aptior ad fundendas preces, vtpote cuius animus ſolutus omni cura rerum, non diffluit ad terrena.

S Hier. epiſt. ad Heliod.

Capucini paupertate cõmendati. *Pſalm. 63.*

Ex re Medica. *Fernelius lib. de methodo generali curandi febres. cap. 2.* Paupertatem natura commendat.

In efficienda parcitate, ſuas & partes agit Medicina, ſanitatem conſtituens in parcitate, ſicut & ægritudinem in aliquo ſuperfluo, qualia ſunt plethora, & cacochymia vt benè explicat Fernelius, nitidum iubar Medicæ diſciplinæ. Quod vt reſcias lector, operæ-pretium eſt ſcire, humores quibus humani corporis compago coaleſcit, eſſe in duplici differentia. Alij ſunt naturales inſtituti ad animalis obſequium: alij verò excrementitij qui ſuas habent ſedes & lacunas quas impleant. Alius eſt ſanguis alimento ſacer, alius excrementitius diffluens in lienem. Vna eſt pituita naturalis transfuſa in venas, vt eius ope lubricet ſanguis corpore toto fuſus pituitæ vehiculo, quæ vbi ſuas egit partes, deorſum fertur ad renes & hinc ad veſicam lotium effectura; alia eſt pituita excrementitia reſidens in fundo ventriculi, tamquam

reliquiæ

reliquiæ primæ coctionis imperfectæ. Alia bilis eſt naturalis, quæ inferioris ventriculi membranas intimas alluens, ventriculi calorem adauget, aliáque portio inteſtina vellicans, clyſteris vices obit, & alia excrementitia reſidens in veſica fellis, aliaque item porracea, non genita ab hepate, ſed à ventriculo nequeunte, cibos noxios probè digerere. De his humoribus natura ſagax, ſui amans, parca manu libat vt ſarta tectáque ſit ſanitas. Etenim ſi prædiues ſit caro bonis humoribus, illicò fiet morbis obnoxia, ob plethoram. Sed ſi parcè ſe habeant humores illi etſi naturales fit σῶμα εὔκρατον, validum corpus; ita & humores excrementitij, ſi affluant, ex hac plethora impura, languidum corpus ægritudine diſſoluetur. Quòd ſi ab excrementis illis ſe expedit homo, optimè conſulitur illius ſanitati: ſicque liquet corporis conſtitutionem ingenuam eſſe penes parcitatem. Sic & benè philoſophari poſſumus de animæ ſano, imò & ſanctiore inſtituto, facta relatione ad corpus. Ex hoc medicorum dogmate ſic arguo. Vita hominis in duplici cardine tota vertitur, ſcilicet in bonis fortunæ, & in bonis corporis, bona fortunæ ſunt opes & honores, verè bona excrementitia, nam opes ſunt terra decocta radiis deſuper effluxis: honores vaporis inſtar & fumi, fuliginem poſt ſe linquunt nigredini ſeu peccatis obnoxiam, homo ſcatens talibus excrementis, id eſt homo prædiues & ſuperbus valetudine vtitur inſana: bona corporis ſunt, valetudo, veſtes, & eſca, qui natura liberali, prodigente veſtes & eſcas corporis vtiles ad viuendum, qui, inquam, hæc requiſita parcè admittit, paupertatis ſeraphicæ causâ, ille non ſanus tantùm eſt, ſed & ſanctus.

Natura exoſa ſuperflua omnia.

Neſcio an eò collimarit Academia Altorfina, eo ſymbolo quo pinxit vinitorem putantem ſurculos enaſcentes in vite luxuriante, hoc titulo. OBSTACVLA CROANT, indicans fortè, nos fore feraciores, ſi circumfluentes opes abdicemus. O religioſi ſeraphici vos compello, quid moratur virtutis incrementum! OBSTACVLA CROVNT profeſſioni noſtræ, quam ſanctior purgat inopia. Igitur inde vberes gratiæ fructus enaſcantur.

EX SYMBOLIS. *Lib ſymbol. Acad Altorfina.* Paupertate conſulitur homini.

POTIOR EST OPVM EFFLVXVS, QVAM AFFLVXVS.

PAVPERVM EST REGNVM cœlorum.

In hanc vocem:

Surrexit.

SECTIO VI.

Elementa ſymbolica.

VBi ſe mulieres piæ inclinauerunt in monumentum, viſuræ corpus Christi extinctum, audierunt ab Angelo corpus illud rediuiuum ſurrexiſſe, nec obſtitiſſe nuditatem, quin ſtolâ gloriæ corpus illud redimitum exurgeret, probauitque Dominus ex ſe, quod antea promiſerat, ſcilicet regnum cœlorum eſſe pauperum, & hæc aſſertio ſtabilienda nobis eſt, omni ſcientiarum choro, ex quo prima prodit Philoſophia aſſerens elementa ita eſſe ad inuicem comparata, vt duo extrema ſint, alia verò duo media, quæ diuidunt vtriuſque elementi extremi diſſitas qualitates. Terra ſummè grauis eſt, id eſt ſuo pondere infra alia elementa fertur; ignis verò ſummè leuis, quia alia omnia tranſcendit; aqua verò ſequitur proximè genium terræ, ſicut & aër ignem ſua leuitate æmulatur, ſitque vt corpora omnia grauia ſint vel leuia, in tantùm quantùm de elementis participant, ad quæ pertinent illæ qualitates grauitatis & leuitatis, ita quædam ligna leuiora aliis, quia naturam aëris referunt, ex poris ſenſibus quidem inuiis, ſed tenuta repletis aëre, ita & metalla quædam præ aliis grauitant, vt aurum quia ex terra maximè compacta coaleſcunt. Nec inſtes terræ grauitatem ſummam minime competere ex eo quòd metalla illi præponderent. Reſpondeo enim noſtratem hanc terram, quæ ſincera non eſt, ſed vicinorum elementorum concretione permiſta, quemadmodum naturalem ſimplicitatem non poſſidet, ita nec ſummam grauitatem, quam ſi poſſideret, nihil eſſet ea grauius, vtpote cuius beneficio cætera grauia ſunt. Ex præfatis ſic ago Philoſophum. Quo quis minus habebit de natura terræ, minus etiam ingraneſcet: ſed paupertas qualis eſt Seraphica, nihil omnino terrenum ſapit, ergo nihil eſt, quod eam remoretur ſydera tranſcendentem: non enim ſentit auri grauedinem opumque molem cordibus importunam. Sed præſtat audire Theologos.

EX PHILOSOPHIA.

Alexander Aphrodiſæus lib. 2. problematu q 72. Leuinus l. 2. de natura mineral c. 6.

Paupertas terrena omnia ſupergreditur.

Peccatum eatenus eſt peccatum, quatenus conuerſionem dicit ad creaturas, & auerſionem à Deo, ergo ſi quis nulla cupidine creaturarum teneatur, ad eas minimè conuertetur, atque adeò nullis erit peccatis obnoxius: talem autem eſſe, id eſt ſine næuis, hoc ex hoc ſæculo beatitudinem anteuertit: nihil verò eſt quod hominem faciat expeditum ab omnibus rebus, æque ac paupertas, abſtrahit enim mentem ab his quæ corda præpediunt, & cum ex Auguſtino. *Non poſſit vacare amor in anima amantis, anima exoſa omnes terræ cupedias, adhærebit Deo, ideóque cœlis poſtmodum inſeretur.* Ruſus ex S. Thoma. *Paupertas ſpiritus reſpondet dono timoris Dei*, ſicut & antea dixerat Auguſtinus. *Timor Dei congruit humilibus, de quibus dicitur, Beati pauperes ſpiritu.* Cùm enim ad timorem filialem pertineat Deo reuerentiam exhibere, & ei ſubditum eſſe, id quod pertinet ad huiuſmodi ſubiectionem, erit etiam & timoris: ex hoc autem quòd aliquis ſe Deo ſubiicit, deſinit quærere in ſe ipſo, vel in aliquo alio magnificari niſi in Deo, hoc enim repugnaret perfectæ ſubiectioni: eamobrem ex hoc, quòd aliquis perfectè timet Deum, conſequens eſt quòd nó quærat magnificari in ſeipſo per ſuperbiam, neque etiam magnificari in exterioribus bonis, ſcilicet honoribus atque diuitiis, quorum vtrumque pertinet ad paupertatem ſpiritus, vt ſignificat exinanitionem inflati ſpiritus, apud Auguſtinum, vel vt notat abiectionem rerum temporalium vltro factam, Spiritu ſancto hominum corda percellente, vt luculenter explicant S. Ambr. & S. Hieronymus in margine recenſiti.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 2. 2. q. 10 art. 5.* Peccatum quid ſit. *S. Auguſt.* *S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 12.* *S. Aug. l. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 9.*

Sic connexione quadam hæc paupertas vehit ſecum virtutum agmen, vt & Hebræa ſonant, nam eadem vox ענוה *nganah*, radix eſt iſtarum vocum ענו *nganau*, & עני quæ ſignificant paupertatem, manſuetudinem, humilitatem: &

S. Ambr lib. 7. in Luc in cap. de beatitudinibus. S. Hieron. in Matth. c. 5.

Paupertatis & virtutum omnium nexus.

Diogenes vocabat paupertatem ἀρετὴν αὐτοδίδακτον virtutem quæ per ſe addiſcitur, vt ait Stobæus: dicebat enim diuites egere pluribus regulis, atque præambulis, vt frugaliter viuant, vt corpus exerceant laboribus, ne corporis ambitioſo cultu teneantur: hæc autem omnia paupertas non tam docet quàm reducit ad

Stobæus ſermone 95.

Paupertas eſt lucerna mala aperiens.

Stobæus ſermone 93.

Apuleius apologia 1.

praxim. Adiiciebat idem Diogenes, paupertatem eſſe ſubſidium ad Philoſophiam: nam quæ Philoſophia, longa ſerie rationum perſuadere conatur, hæc eadem & paupertas non ſuadet tantùm, ſed & cogit; ita Stobæus, qui item refert Ariſtonem dicere ſolitum paupertatem eſſe lucernam quæ omnia mala cauenda aperit. Quid ergo mirum, ſi cœli qui creati ſunt beatis mentibus, capiunt pauperes, quibus nihil eſt in hoc ſæculo beatius, vt aiebat Apuleius. *Cupio me ad pauciora coercere, tantò futurus beatior, quantò collectior.*

Eleemoſynis quidem cælos demereri poſſe, nemo eſt qui eat inficias, ſed compendioſiore via, pauperes mercantur imperium illud cælorum, quod ideò comparatur Margaritæ, quam qui inuenit homo, vendidit omnia ſua & comparauit eam. Paupertatem autem homines euehere, vide ex Petro, qui omnia omnia penitus abdicarat, ambulat ſuper aquas; Hebræi autem extorres à natali ſuo ſolo Ægypti, hac gratiâ minimè dignati ſunt, vt mare ſolidum eis præſtaret obſequium; erant enim Hebræi ſpoliis & auro graues, atque adeò aperuit ſe mare eis, quos irretitos auro noluit ſuſtinere: factumque eſt vt opulentis aquæ dehiſcerent, quæ pauperem Petrum poſtea ſubleuarunt.

Ex Historia.

Hiſtoria Imperialis ſub ann. 1277.

Diuitiæ contemptæ hominem cœlo dignum efficiunt.

Abdicatas opes, cælo reponere contemptores ſuos, omnes ſancti Deo propiores clamant, & ne nimius ſim in recenſendis hiſtoriis ex Sanctorum vita vernaculis, duas abditas hiſtorias huc reuocabo, quarum allegoria ſectioni noſtræ ſuffragatur. Vidit olim Pannonia hominem reuera nobilem, ſed indigum rerum adeò, vt obſoleta veſte eâque Cinericia vteretur diebus feſtis & profeſtis, ita vt Regi Bohemiæ Ottocaro eſſet ioco vir ille nomine Rodulphus, comes Hapſburgenſis, ob incuriam ſuam in veſte illa renouanda; ſed quò Rodulpho minor opum cura, maior inerat aliunde ſolertia virtutum, quarum fama perculſi electores Imperij, hominem euexerunt in Imperium, cuius obſoleta veſtis fuerat anteà ludibrio Bohemiæ Regi, qui qui vt vocatus ad tribunal noui Imperatoris, penſurus obſequia, quibus Imperio ſubdebatur gens Bohema, adfuit Rex ille quondam iniurius Rodulpho, vbi autem reſcitum eſt in aula aduenisse Ottocarum auro gemmiſque rutilum, vt pronus ſeſe Rodulpho demitteret Imperatorem agenti de ſublimi throno: iuſſit Imperator adferri ſibi eaſdem humiles veſtes, quas olim riſerat Ottocarus, dicens: hodie Ottocari Regis faſtus & opes omnes, meam honorabunt inopiam, quæ quia me euexit in Imperium, æquum eſt è throno Regum gazas videat ſibi ſupplices inclinatas. Fuitque res digna miraculo, videre hominem antea modicæ ſortis tenere primas, & Regem antea ſubſannantem, demiſſo corpore pronum in ima crepidine throni, è quo plus eminebat Imperator. Plerique diuites hodie ſugillant inopes, ridéntque modeſtiam quæ nitet in veſtibus: ſed in-

Rodolphi Imperatoris animus exoſus opes.

ſtat illa dies, qua ſpontanea & religioſa paupertas euecta ad cælos, videbit infra ſe omnem ſuppellectilem prædiuitum hominum flammis addictorum, qui antea tamen pauperibus inſultarant. Luculentus eſt teſtis epulo, cuius byſſus & purpura reclamauere Lazarum gaudentem de ſinu Abrahæ, & floccifacientem preces eius, qui mendicum aſpernatus, eius poſtea poſcebat opem, vt cuius eſſet regnum cælorum, inopia nundinatum. Luc. 16.

Vicina Imperio Polonia, aliud ſuppeditat inopiæ exemplum. Elizabeth quondam mater regis Hungariæ ad Polonos eorum Regi deſponſata diuerterat, eo mortuo Regina hæc vt opibus opima luxu diffluebat, eâque petulantia, vt ſui, Deique oblita, ſcandalo eſſet toti Poloniæ, quæ dyſcolam hanc Reginam exoſam, exuit opibus & in ordinem redegit; Illa quam opes caligine perculſerant, facta ſanior inopiâ, rediit ad ſe vnde opes eam extulerant: reditum meditatur in patriam ſuam, cuius benè memoriam priſcæ illius opes expunxerant, vrgente inopiâ pergit ad ſuos, qui eam lautè exceptam, & miſerati eius egeſtatem, habuerunt vt Reginam. Multos hodie Deus adſcribit cælis eodem penè ritu: nam cùm immemores patriæ cæleſtis, genio indulgeant incurij ſalutis æternæ, inſpirat floccipendium opum, & paupertatis voto emiſſo, adſcribuntur poſtmodum cælis, quò pergunt non inuio pauperibus virtutum calle, ſpontaneique illi pauperes experiuntur, ingenti vtique prouentu, pauperum eſſe regnum cælorum. In eam ſententiam, ſcilicet pauperum eſſe regnum cælorum, conſpirant omnia ſenſa Patrum, qui iam & ipſi cælis adſcripti ſunt. Audi Chryſoſtomum iam grandæuum. *Paupertas eſt manu ductrix quædam in via quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus tranquillus. Interroganti cuidam ex Eucrito malletne eſſe Crœſus, an Socrates? Reſpondit, viuens mallem eſſe Crœſus, ſed moriens Socrates. Sentiebat licet diuites in hac vita abundarent, eorum ſortem tamen poſt hanc vitam eſſe deplorandam, cum iuxta Domini pronuntiatum, facilius ſit camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Eadem & mente Ambroſius ait. *Voluit autem à paupertate Dominus ordiri ſermonem beatitudinis, tum quia ſicuti malorum omnium radix eſt cupiditas, ita Euangelicæ perfectionis origo eſt rerum intereuntium contemptus, & voluntaria paupertas, tum quia in diuitiis & honoribus mundus ponit ſuam felicitatem; conueniebat vt reſecto eo, quod maximè homines ſectabantur, contrarium illius primo loco induceretur, & ab eo inciperet beatitudo, iudicio diuino, vbi ærumna reputabatur humana.* Eodem etiam ſpiritu actus Auguſtinus ſic. *Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inueniri, cælum enim quibus theſauris conferri poſſit, quod paupertati videmus indultum? vt ad regnum cælorum veniret, diues poſſeſſione ſua obtinere non potuit, nunc obtinet vt contemptu perueniat.*

Ioannis Herbus in hiſtor. Poloniæ ſub ann. 1376.

Elizabeth Reginæ Poloniæ proſperitas illi noxia fuit.

Ex SS. Patribus.

S. Chryſoſt. ſerm. 15. in epiſt. ad Hebræos.

Paupertatis encomia.

Lib. 7. in Lucam.

Paupertas beatitudini viam aperit.

Sermone 28. de verbis Apoſtoli.

Et licet encomia paupertatis habeant ſe in modum paradoxi, id eſt præter opinionem hominum; non defuere Gentiles, qui inopiâ ſuâ fecere ſibi nomen grande, aucupantes inde beatitudinem. Inſultabat Scipio diuitibus egeſtate ſua, inopia ditior gloria, quam fuerint auari locupletes tota gaza ſua: & cùm Romanus

Plutarchus in vita Scipionis.

Scipionis paupertas ſingularis.

nus quidam vtique diues, oſtendiſſet ei clypeum prædiuitem, quem ſiniſtra manu geſtans & ventilans gloriabatur auro, quo rutilus & coruſcus erat, faſtum eius Scipio ſic repreſſit. Romanum ciuem oportet ſpem ponere in dextra armata gladio, & non in ſiniſtra clypeo contecta. Ad quod alludens ego dico eſſe fidendum dexteræ, à cuius parte ſunt virtutes, in quibus imminet & paupertas; & timendum eſſe à ſiniſtra, quæ tegit opes. O Chriſtiane & Romane miles, quid ventilas opes? illæ ſunt à ſiniſtris, muta locum, ama parcitatem & eris à dextris virtutis Dei, ſcilicet paupertatis. Huc reuoca Chryſologi effatum. *Sicut ſunt nobis in dextera parte virtutes; ita nobis pars vitiorum in ſiniſtra, tumor, iactantia, inſiſtunt nobis, & imminent à ſiniſtris: ſiniſtra eſt, quæ nobis animarum prælia ſemper indicit, & ne virtutes in effectum veniant, elaborat. Fratres in hoc ſæculo fugiamus quæ à ſiniſtris ſunt, ſi in futurum à dextris deſideramus adſtare.* Nonne ſpontanea paupertate inſignis Epaminondas, terrori fuit Reipublicæ Spartanorum, cui cùm Iaſon homo præpotens obtuliſſet auri talenta quinquaginta, ille hanc vim auri reſpuens, mutuò accepit à ciue quinquaginta drachmas, vt eſſent pro viatico, in ea expeditione quam moliebatur in Peloponeſum, cùmque reſciuiſſet ſatellitem è ſuis accepiſſe pecuniam à captiuis, exauctoratum dimiſit è caſtris: mihi, inquit, da ſcutum, tu verò tibi cauponam eme in qua viuas; non enim vlterius pericula adire voles, cùm diues ſis effectus. An non & Lycurgus Rempublicam ſuam inopià fecit inſigniorem aliis omnibus, quas eius æuo, auro potens Græcia iactitabat. Interrogatus legifer ille amans paupertatis, quare vetuiſſet hoſtium cæſorum cadauera ſpoliari? Ne, inquit, dùm ſpoliis incumbunt, pugnam negligant, ſed paupertatem vnà cum ordine ſeruent. Heu quot hodie fideles Chriſtiani, nomine tenus, alios exuunt bonis ſuis, malis artibus, & intenti ſpoliis illis, in ſua ſcrinia congerendis: incurij ſunt pugnæ, quâ laceſſit eos dæmon, gulæ indulgent, libidinibus æſtuant, vindictâ ſæuiunt in quoſque homines ſibi iniurios, ſimul enim & paupertatem, & virtutem abdicarunt. Idem Lycurgus interrogatus quomodo Spartani hoſtium inſultus eluderent? ait, ſi amantes fuerint parcitatis, nimirum ad opulentos, ſpes prædæ hoſtem inuitat, nec facilè euadere queunt ſarcina graui præpediti. Pauperes nequaquam eſſe inglorios, ſed eis cœlorum apicem aſſignari, ipſa etiam Mathematica cœleſtis, hac vice veridica, optimè coniicit. Etenim domum infimam ſuppoſitam centro terræ, vocat domum Theſaurorum; & quaſi inglorium eſſet, Gazas poſſidere, domum oppoſitam infimæ illi & ingloriæ domui, vocat domum honoris & gloriæ; ea eſt in apice cœli quem Sol decurrit in Meridie, & numero decima eſt illa domus. Mathematica neſciens quid eructet, fatur tamen in meo propoſito magnalia. Sic enim infero. Nihil tam oppoſitum eſt theſauris, ſicut eſt paupertas ſpiritus: ergo ſi opes ſunt ingloriæ, & eamobrem abditæ, & relegatæ ad infima terræ; pauperum erit locus inſignior, ſcilicet regnum cœlorum. Domus decima oppoſita domui prædiuitum, eſt domus in qua viget obſeruantia Decalogi; pauperes enim peccare neſciunt, vt ait Apuleius. *Maxima quoque ſcelera, ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies, vbi contra temerè, vitia inter illuſtres viros comparent.*

S. Chryſolog. ſerm. 9.

Ælianus li. 11. Epaminondas paupertate commendatus.

Plutarchus in Lacomc. apophthegm.

Lycurgus Paupertatis amantiſſimus.

Paupertate Spartani ſuperiores aliis.

EX MATHEMATICA.

Ptolemæus lib. de iudiciis c. 12. & 19.

Diuitiæ homines faciũt inglorios.

Apuleius apologia 1.

Chriſtus ſol Eccleſiæ decurrit illam domum quæ meridiem occupat, qui enim nudus oriens recubuit in præſepio, nudus occidens occubuit in cruce: huius paupertatis deſiderio accenſa ſponſa Canticorum ſciſcitabatur à ſponſo. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Verè quieſcunt pauperes, at diuites perpetuò ſunt anxij; vt & ille aiebat, qui de Imperatore ſuo benefico querulus erat, dicens à Principe ſe ſpoliatum eſſe ſomno & otio: nam de eius benignitate, de paupere diues effectus eſt, vnde inſomnes agebat noctes, quia opes ſunt inquietæ, & ſuos habent peſſimè ſectatores. Ita Plutarchus. Dum igitur ſponſa petit decimam domum, in qua rutilat meridies, locum ambit oppoſitum opibus, locum ſcilicet vbi paupertas tunc gratiâ ditiſſima gloriatur: ſcit enim opes ignobiles facere aſſeclas ſuos, imò & lethales eſſe, & relegare diuites in ima terræ, id eſt in ſepulchrum.

Cant. 1.

Plutarch. in Sympoſ. li. 2.

Habent medici lethale præſagium, quo arguunt hominem decumbentem ceſſurum illicò fatis: & hoc congruit eis quos noxiæ ſibi deuinxerunt opes. Audi Hipocratem οἱ δὲ τοὺς πόδας γυμνοὺς εὑρίσκονται ἔχων μὴ θέρμους κάρτα ἐόντας, καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὸν τράχηλον καὶ τὰ σκέλεα ἀνωμάλως διερριμμένα, καὶ γυμνὰ κακὸν· ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει. *Si verò nudos pedes nec admodum calidos, & manus, & collum, & crura diſpergat inæqualiter, malum eſt; ſignificat enim inquietationem.* Videlicet dùm vruntur interiora, & pedes inquieti iactantur, & frigidæ manus continuò mobiles quieſcere neſciunt, hæc extinctionem caloris inſiti in proximo clamant, ea planè ratione, cùm quis animæ ſuæ pedes, id eſt affectus ſpargit, & extendit ad diuerſa, manuſque ad aliena porrigit ſibi vendicanda, audacter pronuntia hunc relegandum in domum quæ eſt theſauris aſſignata, ſcilicet ad infima terræ, vbi ſcaturiunt vermes tumulorum indigenæ. Igitur cùm contrariorum contrariæ ſint ſequelæ, vides hinc probari meam ſectionem quæ pauperes euehit ſurſum, nam ſi opes deprimunt, paupertas euehet ad ſuperos: ideò fortè Eccleſia petitura à Deo locum in cœleſtibus, orat vt ſit imitatrix inopiæ Sanctorum omnium pauperrimi ſancti Franciſci, qui proximè eſt Chriſtum aſſecutus, qui fuit pauperum inſtitutor. Sanctum igitur Franciſcum, Eccleſia æmula paupertatis Chriſti, ſibi in ſcopum proponit inopiæ, ſic Deum compellans. *Deus qui Eccleſiam tuam ſancti Franciſci meritis, fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena deſpicere, & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudere.* Scit quippe Eccleſia Deo plena, cœli gazas inopiâ comparari, & quia ſpiritus ille paupertatis inſedit altè animo S. Franciſci, hunc patronum accipit, pro rebus omnibus abdicandis.

EX REMEDICA.

Hippocrates lib. 1. præſag. cap. 4.

Mortis ægro imminentis nota.

S. Franciſcus exemplum paupertatis altiſſimæ.

Paupertatis priuilegia ſtupenda.

Spiritum ſanctum ineſſe paupertati Iure etiam canonico liquet, cuius ſunt hæc verba, *Paupertatem voluntariam diligens dicitur habere Spiritum ſanctum.* Et ne pauperes inuiti arrogent ſibi encomia ſeraphicæ paupertatis, ſic Iuriſperiti explicant. *In paupertate non eſt perfectio ſimpliciter, ſed in ſequela Chriſti.* Quanti autẽ valeat hæc paupertas Chriſti ſequax, adiicit interpres.

EX IVRE CANONICO.

Gloſ. finali in cauſ. ſi quis 8 q. 2.

Gloſſ. cum autem in Clem exiui, § 1. de verbor. ſignificatione. Clem. ninia exiui de parad. De verbor. ſignificat.

Paupertas eſt perfectionis inſtrumentum. Sed quid moror in Iuriſperitorum encomiis, cùm ipſe ſummus Eccleſiæ moderator, & apex Clemens Quintus, Beati Franciſci ſectatores dixerit eſſe profeſſores ſummæ paupertatis, & humilitatis quoad affectum ſimul & effectum, audi ex Canone teſtimonium ſummi Pontificis. *Vir ſanctus fratres ſuos in paupertate ſummâ, ac humilitate fundare voluit quoad affectum pariter & effectum, ſicut ferè regula tota clamat.* Audis à Pontifice, Franciſci paupertatem dici ſummam, quia cultores ſuos efficit ſummos, & alto cælo repoſitos.

EX IVRE CIVILI. *Lege humili Cod. de inceſtis nupt. Glanm. in Lenim 4. §. in ſingul. de tranſactio n. Lege non tantum 10. §. eos de excu ac. tutorum.*

Ipſo etiam Iure ciuili paupertas minimè ingloria eſt, vt habet iſta lex. *Pauper licet ſit quis, ſi tamen ab ingenuis parentibus ſit natus, cenſeri non debet ignobilis, & humilis.* Quare enim paupertas eſſet ignobilis, cum ſit idonea virtuti, quæ eſt parens nobilitatis inclytæ. Eodem iure pauperes aliquando ditioribus anteponuntur, vt habet gloſſa. *Pauperi magis prouidetur quàm diuiti.* Et ne pauperes acceſſione opum facti ditiores, ſuis induſtris poſtea gaudeant, cauent leges, vt hoc ſit vnum ſolamen pauperi, quod in aliquo etiam ditiori ex hoc ſæculo præit. Sic ſe habet lex, *Paupertatis priuilegium non tenet adauctis facultatibus.*

EX SYMBOLIS. *Lib. ymbol. Acad. Altorf. S. Cyprianus.*

Agmen claudet ſymbolum Academiæ Altorfinæ, quæ plantam ſeu fruticem altè exurgentem pinxit, cuius vas guttatim & parcè infundebat aquam, hoc titulo. ADDE PARVM PARO, Quaſi diceret frutices obrui nimio affluxu aquarum, recreari verò parcitate & exurgere. Ad te, ô profeſſor ſanctioris inſtituti. Adde parum paro. Profeſſio tua eſt de paro. Adde parum paro, id eſt noli indulgere vſui laxiori, ſed parcè conceſſis vtere, ne inferas crimen voto emiſſo de ſumma paupertate. Diceris Frater Minor. Hoc parum eſt & paruum, adde parum paro, viue vt vouiſti, & audi Cyprianum: *Sufficiat tibi Deus tuus, quia tu ſufficis Deo tuo.* Demum ſcito ſummam ineſſe quietem inopiæ ſectatori, cruciari verò diuitiarum aurea mancipia, & hinc mea ſententia,

VERE INOPES CVBANT, SED OPES EXCVBANT.

GLORIOSÆ SVNT RELIQVIÆ pauperum, at diuitum omnia quæ ſuperſunt, ingloria ſunt.

In hac verba:

Ecce locus vbi poſuerunt eum.

SECTIO VII.

Iſaie 11.

DE Domine IESV ſoſpitatore hominum atque Angelorum, præfatus eſt vates. *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* Et quia Angeli priores percepere merita Chriſti, ideò primi venerati ſunt Chriſti ſepulchrum, veluti reliquias ex contactu Domini IESV ſacras. Chriſtum autem eſſe redemptorem Angelorum diſce ab Auguſtino. *Qui erexit hominem lapſum, dedit Angelo ſtanti ne caderet, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc de captiuitate deffendens ex hac ratione, fuit vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.*

S. Aug. lib. contr. Iul. cap. 20.

Prior venerabundus adſtitit ſepulchro Angelus, mulieribus ingerens obſequium exhibendum loco vbi fuerat adorandum corpus Domini, illic triduò repoſitum: hæ enim voces. *Ecce locus vbi poſuerunt eum,* pias vrgebant mulieres, ad honorem tumuli eius, in quem ſuum amorem pretioſo aromate teſtabantur. O paupertas verè ſumma, quæ ſuos & ſequaces non euehit modò, vltra omne id quod dicitur cœlum, ſed & reliquiis pauperum inſerit quædam ſemina gloriæ. Quare autem Deus in ſectatores inopiæ ſuæ ſit adeò beneficus, interrogemus omnes ſcientias,

EX PHILOSOPHIA. *S. Thom. p. 1. q. 3. ar. 3.*

Age ô Philoſophia, quare corpori extincto pauperis Deus honorem impertit? Ratio eſt quia actiones ſunt ſuppoſitorum: ſuppoſitum autem & natura non idem ſunt in rebus compoſitis ex materia & forma: natura enim ſeu eſſentia rei alicuius comprehendit ea tantùm, quæ ſpecificantur in definitione rei, ſicut humanitas, dicit ea quæ ſunt in definitione hominis, ſcilicet animalitatem & rationalitatem: his enim duobus, homo eſt homo, & hoc ſignificat humanitas, hoc ſcilicet, quo homo eſt homo; materia autem indiuidualis cum accidentibus omnibus indiuiduatoribus ipſam, in diffinitione ſpeciei minimè recenſetur: non enim fit mentio in diffinitione humanitatis, carnis huius vel oſſium, neque pellis; ideo hæc caro, neque hæc oſſa, & alia accidentia deſignantia hanc materiam, non concluduntur in humanitate, & tamen in eo quod eſt homo, includuntur, vnde id quod eſt homo, habet in ſe aliquid quod non habet humanitas, & eamobrem non eſt omnino humanitas idem ac homo. Cùm ergo in paupere, non humanitas ſenſerit ſolùm inopiam, ſed hic homo qui eſt ſuppoſitum addens aliquid indiuiduans humanitatem, gloria debita paupertati refunditur in pauperum reliquias, quæ cum anima fecere ſuppoſitum ex quo egregia facinora pauperis emanarunt. Sic vides carnem & oſſa aliquali priuilegio honoris gaudere, quia corpus ſubdidit ſe animæ ſuggerenti inopiam. Imò ſicut vnguentum quod vnxit Aaron Antiſtitem, defluxit in oram veſtimenti eius, quod inde extitit ſacrum, ita & diuina virtus quandoque deriuatur in beatorum veſtes, ſicut in veſtimenta quibus enituit eorum inopia, vt videre eſt in illa paupere tunica Sancti Pauli eremitæ, quam ſibi Sanctus Antonius vendicauit, de qua ſic Hieronymus. *Ne quid pius heres ex inteſtati bonis non poſſideret, tunicam eius ſibi vendicauit, quam in ſportarum modum, de palmæ foliis ipſe ſibi contexuerat, diebuſque ſolemnibus Paſcha & Pentecoſtes, ſemper Pauli tunicâ veſtitus eſt.* Audis honorem exhibitum vili tegumento, quo Paulus ſe inopem, totâ vitâ præſtiterat.

Reliquiæ Sanctorum venerabiles.

S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ.

EX THEOLOGIA. Meritum boni operis vnde petatur.

Theologia in te ſancta, luculentiora monſtrabit, Sic illa. Sicut peccatum conſiſtit in hoc, quòd Deo contempto, homo creatis adhæret; ita meritum virtuoſi actus conſiſtit è contrario, in hoc quod homo, contemptis cunctis creaturis Deo inhæret ſicut fini: virtus igitur tantò erit potior quantò quis maiora contemnit Dei causâ; tria autem ſunt quæ homo poteſt contemnere, bona exteriora vt opes, bona corporis, vt ſunt valetudo, voluptas, deliciæ: bona animi inter quæ præcipuum bonũ eſt voluntas, quatenus per voluntatem homo aliis omnibus

vtitur

vtitur bonis. Hæc autem omnia præſtat paupertas Deo ſacra, quam nuncupamus paupertatem ſpiritus, quam profiteotur Religioſi omnes, & præcipuè ſectatores legitimi Beati Patriarchæ Franciſci, quorum inopia vt omoium ſumma,

Clem. exiui §. licet de verb. ſignificatione.

ſicut nuncupat eam Clemens Papa, eſt menſura cæterarum, quæ tantùm habent perfectionis quantùm accedunt ad eam ſeraphicam. Paupertas, inquam, cuiuſuis religionis approbatæ, omnia abdicat bona, primò exuit exteriora formali voto de proprietate neſcienda. Rurſus abiurat booa corporis, profitendo caſtitatem, non enim eſſet vſquequaque pauper ille, qui ſui corporis ius haberet. Item inopia ſancta ieiuniis aſſueta, vale dicit epulis, & aliis cupediis quæ corpori arrident. Demum voluntatem, quæ eſt potiſſima animæ Margarita, Religio quæque facit Deo ſanctam, ideóque ex præfatis liquet quàm generoſa ſit paupertas, cuiuſque meriti, cùm vt Deo torus adhæreat homo, ea omnia aſpernetur, ratione quorum homines nequam, & Dei incurij miſerè diſpereunt.

Ex prælibatis fit palam, paupertatem ſpontaneam, vt eſt facinus heroicum, gratia Dei informatum eſſe meriti non modici: quid ſit autem meritum explicat S. Thomas dicens.

S. Thom. 3. p. q. 49. ar. 6.

Meritum eſſe actionem, quia iuſtum eſt, vt agenti aliquid detur. Quomodo autem corpus ſancti alicuios à Deo exaltetur, explicat idem Sanctus vbi agit de exaltatione corporis Chriſti: Sic ille. Meritom importat quamdam æqualitatem

Meritũ quid ſit.

iuſtitiæ; vnde & Apoſtolus ait, qoòd ei qui operatur, merces imputatur ſecundùm debitum, vt cùm aliquis ſibi ex iuſta voluntate ſobſtrahit quod debebat habere, meretur vt ei amplius ſuperaddatur, quaſi mèrces iuſtæ voluntatis.

Rom. 4.

Ideò quia Chriſtus in ſua paſſione humiliatur ſe qoadrifariàm, honore etiam quadruplici dignatus eſt. Primò mortem ſubiit indebitam: ideo reſurrexit.

S. Thom. 3. p. q. 49. ar. 6.

Deſcendit ſecundò in inferiores partes; ideò aſcendit in cœlum. Patuit opprobriis eorum qui cuſtodes erant ad ſepulchrum, ideò ſedet ad dexteram patris. Et quia hominum paſſus eſt iniqua iudicia, ideò veniet diſcuſſurus omnium hominum quæque facinora. Et licet per priora merita Chriſtus meruiſſet corporis ſui gloriam; tamen quia corpus ex charitate fuerat ſubiectum paſſionis eius, meruit ſuam exaltationem per modum cuiuſdam compenſationis. Ita & in ſanctis, licet anima fuerit principium merendi; tamen quia corpus fuit ſubiectum quod inopiæ potiſſimum patuit, atque adeò extitit inſtrumentum meritorij actus, ideò ſanctorum etiam corpora plerumque miraculis eluxerunt.

Ratio autem cur viri inopes inglorij dum degunt in hoc ſæculo, defuncti poſtea clareant miracolis hæc eſt, quòd Deus diſponens omnia ſuaoiter, det mercedem operibus congruam, verbi gratia, Abraham filium vnigenitum, morem Deo gerens voluit immolare, ideò redditus eſt illi filius, futurus inde parens numeroſæ prolis.

3. Reg. 3.

Dedit Deus optionem Salomoni poſtulandi quæcumque magis arriderent, ille gloria ſæculi, opibuſque neglectis, ſapientiam petiit à Domioo, ideò quæ Dei ergo, homo neglexerat, accepit à Deo cum fœnore. Sic enim reſpondit Deus.

Diuitias Salomoni ſocci fecit.

Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam, ad diſcernendum iudicium; ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit: ſed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus.

Reliquias Tyranni perſecuti ſunt.

Ita & pauperes, quia floccifecerunt opes & gloriam, vt æmuli Chriſti, ſpontaneam eius ſectantes inopiam, hominibus habiti viliores, ideò glorioſè excipiuntur à Deo, eorumque gloria refluit in omnia quæ pauperibus quondam fuerunt adminiculo paupertatis, vt in corpora, veſtes, aliaque quæ fuere ſacra pauperum contactu.

Euſeb. l. 1. hiſt. Eccl. c. 6. Ioã. Cochlæus lib. 3. hiſtor. Huſſitar.

Ab hac veneratione reliquiarum mioimè deterreant hæretici, nam omnes exoſi pietatem odere ſtigmata pietatis. Ita Diocletianus & Maximianus Dynaſtæ præpotentes, ſed Gentiles ſæuierunt in ſepolchra martyrum, vt ait Euſebius.

Ex SS. PATRIBVS.

Fidei deſertor Iulianus Imperator, etiam in fidelium corpora deſæuiit, vt exprobrat ei Gregorius Nazianzenus. Hæretici omnes pertæſi ſanctitatem, voluerunt expungere elucentes ſanctitatis in ſaoctorum corpore characteres, vt videre eſt in Cochlæo: ſed omnes legitimi alumni Eccleſiæ ſanctæ, venerati ſunt ſemper emicantia io reliquiis ſanctorum germina ſanctitatis. Audi chorum ſanctorum Patrum.

S. Ambroſ. ſerm. 1. de Sanctis Nazario & Celſo. S. Hieron. epiſt. 53. ad Riparium. S. Aug. epiſt. 103. ad Quintianum. S Baſil. in pſalm. 115. homil.

Ambroſius ſit præcentor. *Honoro in carne martyris, exceptas in nomine Chriſti cicatrices: honoro viuentis memoriam, perennitate virtutis; honoro in cineribus ſemina æternitatis.* Occinit Hieronymus. *Honoramus martyrum reliquias, vt eum cuius ſunt martyres, adoremus.* Et Auguſtinus ſcribens Quintiano. *Qui has ad te litteras perferent, ſimul reliquias gerent beatiſſimi & glorioſiſſimi martyris Stephani, quas non ignorat ſanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis.* Et ſanctus Baſilius his omnibus aotiquior ſic ait, τίμια τὰ λείψανα τῶν ὁσίων αὐτοῦ. *Honorabiles reliquiæ ſanctorum eius.*

EX HISTORIA:

Sozom. l. 7. c. 10. Socrates hiſt. lib. 3. c. 16. Ruffinus hiſtor. l. 2. c. 33. Exod. 13. 4. Reg. 13. Actor. 5. & 19.

Hiſtoria multiplici liquet honor habitus reliquiis. Ex Sozomeno, Antiochia tota effuſa eſt in occurſum reliquiarum ſaocti Meletij martyris. Eadem vrbs ſimili cultu excepit corpus ſaocti Babylæ martyris, vt teſtis eſt Socrates. Ex Ruffino, Theodoſius ille Magnus, non tam armorum apparatu ſe accinxit ad bellum contra Eugenium vſurpatorem imperij, qoàm iugi prece fuſa ante reliquias martyrum: Imò ante Eccleſiæ prima incunabula, viguit honor exhibitus reliquiis, ſanctiſſimo ſtante ritu Synagogæ. Moſes ſecedens ex Ægypto extulit oſſa Patriarchæ Ioſeph, quæ condidit in terra Sichem. Vnius Prophetæ extincti, Leo licet homicida mortuum veneratur, quem viuum extinxerat. Eliæ pallium fluminis aquas cohibet & aperit eius diſcipolo Eliſeo, cuius demortui oſſa fecere rediuiuum hominem iam defunctum. Et enaſcente Eccleſia, vmbra Petri, nonne fuit ſalutaris ægris? & Pauli Apoſtoli ſudaria & ſemicinctia, quæ eundem ſanctum attigiſſent, reſtituebant ægrotis priſcam incolumitatem.

S. Baſilius orat. de S. Iulitta. Geneſ. 2.

Et S. Baſilius ait fontem erupiſſe de ſepulchro S. Iulittæ martyris, Deo ſic aſſertore, gratiarum fontes limpidiſſimos ex ſanctorum corpore ſcaturire.

Paupertatis cum ſanctitate mirum commerciũ.

Sicut autem fluuius qui egrediebatur de loco voluptatis, inde diuiditur in quatuor capita, quæ vniuerſam terram orientalem alluunt,

ſcilicet in quatuor fluuius ille flumina diſpeſcitur: ita & gratiarum fluuius, qui è reliquiis ſanctorum olim effluxit, poſtera mundi ætate diuiſus eſt in quatuor veluti capita, cùm in quatuor mendicantium ordinum inſtituta defluxit. Etenim ſeneſcente mundo nullibi tam crebra miracula, ſicut apud mendicantes illa ſcaturiunt: vbi non oſſa modò ſanctorum pauperum, imò & veſtes aliáque eorum vſui conceſſa ſpirant quidpiam ſalutare, ita vt ægris affluentibus ad Eccleſias vbi conduntur ſacræ reliquiæ, petatur ab eis, vbi eſt locus vbi poſuerunt eum.

Ipſi etiam Gentiles diuinum aliquid ſubodorati ſunt in Philoſophorum ſuorum reliquiis. Nonne magno væniit lucerna illa Epicteti, qua ſola diues agebat noctes inſomnes, vt inſtaret Philoſophiæ. Nonne & Iulianus apoſtata qui ad Ethnicos ritus ſe totum compoſuit, flagella illa quibus tentabatur conſtantia puerorum Spartanorum, magnifecit, ſicut & zonam Anaxagoræ. Quanti emiſſet impius ille lachrymas Heracliti, & quàm vltro idem licitatus eſſet gentilis æui anilia figmenta, quæ ei obiicit coæuus S.Gregorius Nazianzenus,

S.Greg.Nazianz. orat. 3. in Iulian.

Regis Chriſtianiſſimi Henrici IV. amor in Venetos.

Noſtrates etiam Reges Galli, nunne miraculo ſunt exoticæ genti? Nonne Regum Galliæ ſacræ manus, vt cælitus vnctæ fundunt miracula, tactu ſuo ſtrumas detergendo, vt & ipſi experti Hiſpani, Gallorum æmuli ingenuè confitentur: diceres etiam Gallorum animos refluere in gladios eorum, vt arbitrata eſt Reſpublica Veneta quæ gladium Regis Henrici IV. Galli ab eo Rege dono miſſum, adeò veneratur vt habeat theſauri inſtar. Item & Dynaſta præpotens Polonus, Comes Tancinus valedicens Henrico Tertio ab eo petiit ligulam caligarum, vt eam cuti ſuæ inſereret in monimentum amoris quo ardebat, Rex beneficus detractum ſibi annulum dedit huic Polono, qui regium hoc pignus prepoſuit aliis omnibus gazis; quaſi quid regium ineſſet huic annulo, ex regio contactu. Imò & Turcæ non cultui tantùm habuere ſepulchrum Mahometis, ſed oſſibus Heroum aliquam ineſſe vim Martialem arbitrantur. Ideo mortuo Schanderbechio Duce eximio Chriſtiano, eius effoderunt tumulum, & hinc eruta oſſa, inuicem partiti ſunt, facturi amuleta, quæ ex collo pendula putauere inditura animos generoſos, quibus Schanderbechius ipſe ciebatur,

Dupleix in Henr.IV.

Idem in Henric.III ſub ann. 1574.

Paulus Iouius in elogio Schanderbechy.

Tancini comitis amor in Henricũ III. Regem Chriſtianiſſimum.

EX REMEDICA.

Aquæ Medicinalis efficacia.

Fernel. l. 4. & c. de methodo medendi

Diuitiæ multos perdiderunt.

Aulus Gellius l. 3. noct. Attic. c. 9.
Cic. l. 4. de natur Deor.
Strabo l. 4.

Ipſa etiam res medica probat ineſſe ex contactu virtutem rebus, dum non pharmaca ipſa ſecundùm ſubſtantiam propinat, ſed aquas tantùm vbi pharmaca fuere macerata? verbi gratia, quis lienem vult purgare, & bilem refluentem, ſic Medicus decernet potum. ℞. aqu. ſtil. cichor. ℥v. Rhei el. ʒ ii. fol. ſen. mund. ʒ iiij. infundantur horis octo, & colaturæ adde ſirupi roſatum ſolutiui ℥ ij. vides hic Rheum neque folia ſennæ dari ægro, ſed aquam tantùm cui inſedere res tales catharcticæ ſeu purgatiuæ, ſicut & èconrra aqua ſtillatitia etſi cardiaca, fiet lethifera ex contactu rei noxiæ, vt napelli; ita ea, quæ pauperum fuerunt vſui, ſunt omnia viuica, ſed ea quæ diuitibus vſui fuere noxio, ſunt & lethalia: vt de Cnei Seij equo patet, cuius dominus miſero affectus ſupplicio, omnes periere miſerè qui eius equo vſi ſunt: tres enim domini illius equi, Dolabella, Caſſius, Antonius, peſſimo deceſſere fato, vt ſcribit Gellius. Ita & omnes, qui aurum Tholoſanum accepere malè habitos eſſe, author eſt Cicero, & fuſiùs Gellius vbi ſupra. Auri pernicies inde affluxit, quòd eſſet è templo Apollinis deportatum apud Tholoſates, vnde cum Q. Cepio Conſul hanc vrbem diripuiſſet, milites eius hoc auro graues, multis acti cruciatibus extincti ſunt.

Auri Tholoſani quanta pernicies.

EX MATHEMATICA.

Iul. Firmius. Schonerus. Origanus. vbi de iuditio Planet.

Hippocrates proph. l. 7. ſectione 1.

An putas deeſſe Aſtrologis aliqua quæ probent eſſe reliquias? Minimè verò: nam Mathematici omnes aſſerunt gradum cui inſedit proximè Planeta, induere naturam Planetæ ſiue benefici, ſiue malefici: verbi gratia, naſcatur quis aſcendente primo gradu Arietis, ſi inde proximè diſceſſerit Saturnus, puer editus erit melancholicus, qui alioquin debuit eſſe bilinſus, quia gradus ille igneus eſt, atque adeò idoneus bili; ſi verò Iupiter inde mox abierit, indolis ſuæ beneficæ reliquias illic ſuperſtites refundet in fœtum, qui inde ſanguine copioſo ſcaturiet. Ita maleficus planeta malè afficit locum cui inſedit, ſicut & febris malè agit partes, quæ ex eius præſentia malas inde contraxere reliquias, vt ait Hippocrates, *τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίῳ πυρετοῦ ἐκλιπόντος κακόν. Reliquiæ febris extinctæ ſuperſtites in hypochondrio mala.*

EX IVRE CANONICO.

Conc.Trid. ſeſſ. 25. de inuocat. ſanctorum cap. fina. li. de reliquiis & veneratione.

Non vult inglorias eſſe reliquias ius canonicum, ſed ex Concilio Tridentino incumbit Epiſcopis inſtruere plebem de cultu debito reliquiis, item ne manibus profanis attrectentur, ſic editus eſt Canon. *Sanctorum reliquiæ extra capſam oſtendi non debent, nec etiam vendi poſſunt.* Itaque quidquid ganniant hæretici, ſuus ſanctas manebit honos reliquias, & quidquid Dynaſtæ ſæculi præpotentes laborent, vt pingant æternitati, ſibi ſtruendo Mauſolæa, & tumulos marmore incruſtatos, nomen eorum erit inglorium, imò & corpora execranda, vt Domitiani Imperatoris, cuius cadauer Senatuſconſultu, ludibrio habitum, proiectum eſt in Tyberim, futurum eſca piſcium, quia ciuium facultates vſurpatas, ſuas fecerat eſcas.

EX IVRE CIVILI.

Lege decernimus 26. C. de Epiſcopis.

Lib Symbol. Academia Altorf.

At Iure Ciuili ſancitur honos habendus ſanctis incuriis opum & honorum huius æui, ſic ſe habet lex, *Reliquiæ ſanctorum, iudicio Epiſcopi in locis ſacris debent collocari, nec debent apportari ad loca profana.* Diuites verò ſecus ſi ſint infames, deportantur in cloacas. Cæterum etſi mortis lethali falce præciſi ſint pauperes: illis congruit ſymbolum vſurpatum ab Academia Altorfina, quæ roſam exſcitſam ſuaueolentem depingebat hoc titulo. VIRTVS POST FATA SVPERSTES. Vt enim roſa emortua adhuc ſpirat odorem gratum, ita & pauperes ſuaueolent, & quod de ſuis olim Senatoribus Roma adhuc infidelis dixit, poteſt eadem iam ſanctior vſurpare: Scilicet corpora ſuorum procerum, licet extincta balſamum exhalare: id eſt in eorum reliquiis atque cineribus, virtutem ſuos ſpiritus exhalare. Proceres autem Romanæ Eccleſiæ ſunt pauperes Apoſtoli, aliique inopes ſancti, quorum eſt VIRTVS POST FACTA SVPERSTES. Huius virtutis atque inopiæ fragrantiam ſentiens Deus in paupere, benedicit ei, ſicut Iſaac filio, de quo ſic ſacer textus. *Vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam, benedicens illi ait, ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det*

Morale.

Gen. 25.

tibi

tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini & olei, & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus, eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Verè pauperes agri pleni, vnde ſeges vberrima virtutum omnium, illic madet ros gratiæ deſuper illabentis, ante pauperes extinctos accenditur oleum in pendula lampade, eorum tumulis inferuntur panes & vinum, vt presbyteris aut egenis erogentur, incuruantur ante eos eorumque cineres, Principes, imò & ipſi Pontifices, habetque Hieronymus inde luculentum argumentum præferendi tunicam Pauli, vtique viri ſancti Eremitæ Regum Gazis, cùm ſic feruidus exclamat anhelans inopiam.

S. Hieronym. ſic e nduis vitâ S. Pauli eremitæ.

Pauperibus cœli patent.

Libet eos interrogare qui ſua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus veſtiunt, qui vno filo villarum inſuunt prædia, huic ſeni nudo quid vnquam defuit? vos gemma bibitis, ille naturæ concauis manibus ſatisfecit, vos in tunicis aurum texitis, ille ne viliſſimum quidem indumentum habuit mancipij veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet, ille veſtem Chriſti nudus licet, tamen ſeruauit, vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis; Paulus viliſſimo puluere coopertus, iacet reſurrecturus in gloriam, vos operoſa ſaxis ſepulchra premunt, cum veſtris opibus arſuros. Parcite quæſo vobis, parcite ſaltem diuitiis quas amatis. Cur & mortuos veſtros auratis obuoluitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus lachrymaſque non ceſſat, an cadauera diuitum niſi in ſerico putreſcere neſciunt? Obſecro quicumque hæc legis vt Hieronymi peccatoris memineris, cui ſi Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quam Regum purpuram cum pœnis ſuis. Hæc ille, cui ego occino hoc effato.

QVÆ DE PAVPERE SVNT RELIQVA, RELIQVIÆ SVNT; AT DE DIVITE QVÆ RELIQVA, HÆC SVNT DELIQVIA, ATQVE QVISQVILIÆ.

EIS QVI PAVPERES VNGVNT ſuis eleemoſynis, dicitur, ite, nam profectus eorum eleemoſynis adiuuatur.

In hæc verba:

Ecce locus vbi poſuerunt eum, ſed ite.

SECTIO VIII.

MVlieres beatæ quæ perrexerant ad monumentum vnctum corpus Chriſti, redierunt eodem aromate prædiuites, motuque Angeli percitæ, ad hanc vocem, ite, hauſerunt ſpiritus ampliores. En reuera typum eleemoſynæ, quam qui erogat, non amittit, ſed quaſi Deo fœnerans reportat ad vſuram; nam ei gratia adijcitur, qua greſſu velut pernice ambulans in via virtutum; callem hunc impigrè emetitur, & hoc Theologia tibi faciet palam.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. 2. q. 68. art. 1.

Gratiæ Dei excitantis neceſſitas.

Iſai. 11.

Homo vt ſui impos moueri nequit in bonum, niſi aliquo motore ciente: motor alius eſt naturalis, alius vero ſupernaturalis: motor naturalis eſt ipſa ratio hominis, quæ ſuggerit actiones conſonas naturæ humanæ, quæ virtutibus acquiſitis potentias facit faciles ad bonum, & motus hic à virtute impellente, effectus ſortitur egregios: inde enim Philoſophi, caſti, ſobrij, aliſque extitere miraculo, vt Plato, Pithagoras, & Socrates, aliique huius reſ ſeræ Philoſophi; ſed homo cùm à Deo percellitur, valentiori fertur œſtro, fit autem mobilis homo à Deo ex donis Spiritus ſancti, quæ in hoc diſpeſcuntur à virtute, quòd virtus hominem facit ſuſceptiuum motus à ratione ſuggeſti, ſed donum Spiritus ſancti, hominem accingit vt Deo mouenti, vegetiore feratur impetu: inter hæc autem dona eſt pietas, cuius pars non modica eſt eleemoſyna, ideò mulieribus quæ venerant ad monumentum erogare eleemoſynam ſeu opus miſericordiæ dicitur (Ite) quia pietas vt donum Spiritus ſancti, facit pias mentes mobiles ad excelſa: nam ſi pietas naturalis Philoſophos excitauit ad leuandam pauperum inopiam, quid faciet pietas illa quæ deſuper eſt indita fidelibus, quos ſpiritus ſanctus non ſinit indonatos? Eleemoſynam greſſus noſtros vrgere in cœlum ipſe Dominus ait, dum hortatur. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Cùm porrigit tibi manum pauper, eâdem te manu ad cœlum vehit: Audiendus in hoc themate Chryſologus, *Manus pauperis Abrahæ ſinus eſt, vbi quicquid pauper acceperit mox reponit. Theſaurus cœli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit ne in terra pereat reponit in cœlum. Theſaurizate inquit vobis theſauros in cœlo. Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti, quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum: Da pauperi, vt des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis, hoc habebit alter. Clamat Deus, miſericordiam volo, qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo ſibi quod deſideras vult negari. Eſt in cœlis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias peruenitur.* Ait illas miſericordias, noſtros ciere greſſus. Et Chryſologo ſuppar Auguſtinus ſic. *Fœcundus eſt ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cœli eſt pauper, per quem venitur ad patrem; incipe ergo erogare ſi vis non errare, dicit tibi Chriſtus: Da mihi ex eo quod dedi tibi, de meo quæro, da & redde, habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem, temporalia mihi das, æterna tibi reſtituam, te ipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.*

Ex SS. PATRIBVS:

Spiritus ſancti dona ad quid inſeruiant.

Eleemoſynæ efficacia.

Serm. 8.

De verbis Domini.

Eleemoſyna familiaris eſt Turcis.

Nec ea vis eleemoſynæ Turcas latet qui eo tempore quo ieiunant, menſas habent cuiuis pauperi lautè diſpoſitas, habentque in votis optima quæque dare pauperi, quia eleemoſynam aiunt ad Deum deferri, eorumque largas eleemoſynas demiratus eſt præſens Guillelmus Poſtellus.

EX HISTORIIS:

Guil. Poſtel. in relatione eorũ quæ vidit apud Turcas.

Elei etiam olim & ipſi infideles, aras ſuas frondibus oleæ obtegebant, facturi Deos ſuos propitios olea, quia ea eleemoſynam refert, qua iuſtitiæ Dei gladius vindex fit hebes & obtuſus in eos quos tuetur eleemoſyna, vt videre eſt in Zenone Imperatore, qui cùm virginem

Pauſanias in Eliacis.

Zeno Imperator eleemoſynæ virtutem expertus.

in primo ſpir. cap. 175.

egregia forma deperiret, eam rapuit, iouitâ matre puellæ, quæ dum reclamaret opem Beatæ Virginis Mariæ, & expeteret pœnas crimine tanto dignas, apparuit ei Regina virginum, aſſeuerans ſibi maximè eſſe cordi vindicare ſcelus ab homine obſcœno impiè perpetratum, qui homo nequam iam luiſſet pœnas, niſi eleemoſynæ eius quas quotidie erogabat ſæpius obſtitiſſent. Hinc infero eleemoſynam quæ reprobum impedijt, quin ad tartara truderetur, ſi fiat ab homine iuſto, accelerare greſſus eius cœlum verſus, ſicut & expeditè voluitur ea rota cuius axis oleo perunctus eſt. Ille enim qui multis ſua bona erogauit, ab iiſdem pro eo rogantibus adiuuatur, vnde ſcitè ait Chryſologus. *Fruſtra accuſant peccata, quem pauper excuſat.* Ea fortaſſe ratione victor extitiſſet Baiazethes ille Turcarum Imperator, ſi morem geſſiſſet cuidam benè conſulenti. Sic ille conſultor aiebat auaro illi qui ſuas ſecum gazas vehebat. O præpotens Imperator, Tamerlanem adorturus eroga tuas opes militibus tuis, vt alacriores militent tibi, quem alioquin vt tenacem non ſequentur, & tunc tibi victo cadent opes, vt ceſſuræ in victoris arbitrium, quas ſi nunc elargiris exercitui iam nutanti ad occurſum Tamerlanis, cuius numeroſior exercitus, tuorum animos iam diſſoluit, milites tui, auro ſtabunt impertito, qui iam labant tua ſordida parcitate, nec tibi ſic impertitæ deperibunt opes: nam earum ope victor factus, cedent in ius tuum caſtra Tamerlanis, quæ ditiora ſunt tuis. Non audiit conſultorem Baiazethes, qui vtroque exercitu coeunte derelictus à ſuis habitus eſt ludibrio ab hoſte, qui eum captum vinculis aureis præpeditum iuſſit, & caueæ ferreæ addixit, vbi miſerè diſperiit. O homo prædiues! ſi das pauperi, ille tibi ſuam præſtabit opem contra hoſtilia caſtra vitiorum quæ te oppugnant, ſi negas, nemine tibi ſuffragante facili negotio inimicis irruentibus exueris. Ideò benè monet Chryſologus. *Homo da in terra pauperi, quæ tibi manere vis in cælo, Homo commilita hic pauperi, ſi vis ibi regnare cum ipſo.* Sed quia bonum non eſt bonum, niſi benè fiat, audi eleemoſynæ circumſtantias. Ex ipſo iure canonico, prima eſt vt fiat in gratia, vt habet iſte Canon. *Eleemoſyna & ſacrificia non placent Deo quæ offeruntur ab impiis.* Secunda eſt vt de benè partis fiat, ideò ex Canone. *Eleemoſynæ non ſunt faciendæ ex fœnore vel vſuris, nec ex quolibet malè acquiſito.* S. Thomas tertiam addit conditionem, ſcilicet charitatem debere ordinatam eſſe, ideò eleemoſynas debere fieri melioribus, & dantibus ſpiritualia, ab eis enim recipiuntur orationes pro fœnore, vt videre eſt in religioſis, qui iugiter in oratione excubant pro benefactoribus ſuis, & Chriſtum religioſos aliis prætuliſſe pauperibus liquet ex his; *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi Auguſtinus. *Qui ſunt qui habitabunt æterna tabernacula, niſi ſancti Dei? & qui ſunt qui ab eis recipiendi ſunt in tabernacula, niſi qui eorum indigentiæ ſeruiunt.* Ipſo etiam iure ciuili cautum eſt vt ſit diſtinctio meritorum in eleemoſyna facienda, vnde hæc lex. *Super eleemoſynis faciendis conſtituti ciues, non debent illas extraneis pauperibus dare.* Quæque igitur ciuitas ſuos alat mendicantes non externos. Eleemoſynæ ſic elargitæ quadrat ſymbolum quo Villaua pingit oleum oliuæ aliis liquoribus eminens, hac voce, SVPERAT QVIA FVSA LIQVORES. Ita miſericordia effuſa in pauperes, tranſcendit alia bona opera, & ne videar prædicare Capucinis mendicis, ſuperſedebo, nec patiar alias loqui ſcientias, ſufficiat tibi hoc decretum.

PAVPERI GRATIAM CVM DAS, GRATIA DEI TE CIRCVMDAS.

S. Chryſol. ſerm. de Epulone & Lazaro.
Chalcondylas in hiſt. Turcar. in vita Baiazit.
Baiazethis auaritia eum perdidit.
Eleemoſyna vt proficiat qualis eſſe debet.
S. Chryſol. ſerm. 7.
EX IVRE CANONICO:
Canſcriptum eſt 14. q. 5. Canone, poliſe 14. q. 5.
S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9.
Lucæ 16.
S. Aug. ſerm. 35. de verbis Domini.
EX IVRE CIVILI.
Lege finali. C. de annonis ciu. l. 2.
EX SYMBOLIS.
Villaua lib. Symbol.
Eleemoſynæ dignitas.

HOMILIA
IN DIE PASCHALI.
SVMMA HOMILIÆ.

1. EX Philoſophia cùm omne agens intendat finem, Chriſtus tota ſuæ vitæ ſerie Reſurrectionem intendit, quæ eſt finis Paſſionum eius: nam, vt inquit Paulus, ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra, ideò dæmon vt Gentiles & Iudæos auerteret à recto fidei tramite deuiantes, ridiculam fecit reſurrectionis fidem, vti etiam hoc fine expuncto, tollit de medio virtutum praxim quæ eò collimat.

2. Eccleſia quotannis Paſcha recolit, vt fidem reſurrectionis adſtruat. De hac reſurrectione dicturus hoc ſumo inuentum Homiliæ, ego comparo Chriſtum vermiculo ſerico, id eſt bombyci, & oſtendo ortum & vitam vtrique affinem.

3. Vt bombyx opere conſummato, abdit ſe tumulo, vnde exit alatus; ita Chriſtus, vltro & lubens tumulatus eſt, ſed inde exiit, de morte agens pompam & triumphum.

4. Reſurrectione ſua Chriſtus nos etiam ſuſcitat, vt & bombyx, vbi exiit è tumulo ſuo, grana edit quibus alij vermiculi ſerici prodeunt, qui etiam ſuſcitabuntur è ſepulchro ſuo, Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, virtutum ideas ſuperſtites nobis reliquit, in quibus eſt germen vitæ æternæ.

5. Demum finio inſinuans quo calle ſequamur IESVM reſurgentem.

PRÆFA

PRÆFATIO.

Non eſt hic, ſurrexit. *Matth. 28.*

IOSEPH ille Patriarcha qui domum Putipharis, tantis ſibi deuinxerat obſequiis, iniquè à domina ſua defertur ad maritum, qui carceri eum addixit tribus annis, ſed Deo cuſtodis ergaſtuli animum inflectente, Ioſeph ſqualorem loci neſciuit. Sic enim habet Codex ſanctus. Fuit Dominus cum Ioſeph, & miſertus illius, dedit illi gratiam in conſpectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos. *Iniquiore iudicio morti adiudicatus eſt Christus, ſynagoga eum deferente ad Pilatum, eiuſque inſtituto, tumulus Christi, cuſtodia cinctus eſt ad cautelam, milite armato agente excubias ad ſepulchrum. Sed Deus tradidit in manu eius omnes vinctos, nam ſi Ioſeph non inglorius fuit in carcere, Christus inſignior fuit in tumulo, vnde vinctos è limbis ſoluit & eduxit. Poſt triennium Ioſeph emerſit ex ſua cuſtodia, futurus Prorex in Ægypto. Poſt tridnum Christus nullo eductore qui praeiret ad ducatum, ſed virtute ſua peruaſit molem impoſitam ſibi & ſepulchro, vt corregnaret Deo Patri ſuo. Luxerat vt extinctum filium ſuum Ioſeph, alter Patriarcha Iacob; ſed deterſit luctum, vbi audiit ab aliis ſuis filius.* Filius tuus Ioſeph viuit & regnat in Ægypto. *Luxit B. V. Maria filium ſuum IESVM cui & ingemuit morienti, adſtans cruci, lachrymis largo profluuio manantibus alluit corpus Christi, è cruce depoſitum, vbi pendulum illud aſpexerat oculis vberrimo fletu delibutis. Illi & Eccleſia non modo condoluit, ſed & collachrymata eſt, occinens illud Ieremiæ.* Cui exæquabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion; magna eſt enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui? *Sed Deo mœſtas alternante vices, eadem Eccleſia compaſſa nuper orba Matri, eidem & congaudet, dicens: Filius tuus viuit & regnat.*

Gen. 39.

Ioſephi Patriarchæ & Chriſti comparatio.

Thren. 2.

REGINA COELI LÆTARE, ALLELVYA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

EX PHILOSOPHIA: *Ariſtoteles l. 2. phyſic. textu 31.* Finis eſt cauſa cauſarum.

ABditarum rerum Philoſophia ſagax indagatrix, hoc verſat axioma vſquequaque verum, & Ariſtoteli frequens. *Finis eſt cauſa cauſarum*: Mouet enim finis cauſam efficientem, vt ſuam vim exerat ad edendas actiones conſonas fini qui percellit & excitat omne agens, & licet in executione, finis minor natu ſit in cauſis; in intentione tamen aliis omnibus præit cauſis ſuâ genitura? Etenim quæuis cauſa ſe accingens ad agendum, & explicans ſuas vires, præſciit antea quo ſit operatura fine, nec in phyſicis tantùm ſtat illud axioma, ſed & in rebus quæ ad fidem pertinent, viget quàm maximè, vt videre eſt in myſterio quod hodie recolit Eccleſia, quæ nuper obiecit quidem Chriſtum exuentem noſtri corporis exuuias in morte quam obiit, ſed hodie rediuiuum memorat exurgentem. Et hæc reſurrectio Chriſti prima fuit intenta à Deo, licet ei præierint tormina paſſionis. Nam ex Hugone Cardinali. *Mors principalis, ſed reſurrectio complementum.* In ea quippe ſitus eſt fructus ærumnarum, quas iniit Chriſtus, noſtræ ſalutis ergo. Si enim ab occubitu ſuo minimè ſurrexiſſet Chriſtus, & reſurrectionis noſtræ ideam non dediſſet, perperam & incaſſum, hominum ille ſoſpitator tot agones exantlaſſet.

Hugo Card. in Pſal. 40.

Itaque hodie, ex Hugone complementum colimus myſteriorum Dei, dum celebramus Paſcha; nam ad reſurrectionem collimabant ea, quæ Deus homo edebat egregia, & hæc eſt velut fibula, nexu indiuiduo ligans omnia fidei noſtræ arcana, vt benè arguit Paulus. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra.* Quaſi diceret cum Hugone reſurrectionem eſſe omne fidei complementum. Et hoc Dæmonem non latuit, qui vt homines infidos faceret, & à ritu Chriſtiano alienos, ridiculam fecit reſurrectionem gentibus & Hebræis. Nimirum gentes Paulo hoc prædicante myſterium Athenis, ſubſannabant illum vt ait Lucas: *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant.* Ex Hebræis verò Sadducæi Chriſto eo nomine fuerunt iniurij, vt reſurrectionis aſſertori. Conuenerunt enim Chriſtum vt hoc infirmarent dogma, quod merum figmentum eſſe contendebant, ex hoc quòd mulier viro mortuo repetens varia coniugia, in reſurrectione diuortia ſuſcitaret inter legitimos ſuos olim coniuges. Imò & Philoſophia clamans, à priuatione ad habitum, non dari regreſſum, hoc dogma non ſuſtinet. Quippe ait reſurrectionis fidem, rationi qua ſola conſtat homo, penitus aduerſari. Et in hoc nota verſutiam Sophiſtæ Angeli, hominum callidi deceptoris, vt multos faceret à virtute deuios. Non prima fronte in abruptum vitiorum præcipites egit, ſed facta reſurrectione dubia ſuaſit eſſe irrita omnia quæ obeunt media, fideles Chriſto addicti: Cùm enim finis ſit cauſa cauſatum, reſurrectione expuncta ex fide noſtra, certiſſimè omnia egregia facinora, quæ ad reſurrectionem conducunt, homini nauſeabunt. Eam ob rem Eccleſia acta Spiritu ſancto præ omnibus feſtis hoc voluit inſignire ritu indicto ſub piaculo, ſcilicet vt cùm liberum ſit cuique vacare ab Euchariſtia, diebus aliis quantumuis ſolemnibus: hac die tamen nemo ſit ſui iuris. Quippe omnes Chriſto ſe deuouent illi conuiuantes hoc epulo ſacro, quo nouo fœdere quaſi inito cum Deo, ſpe concepta de reſurrectione ſua noua obſequia paciſcuntur. Imò vt vberiùs Eccleſia geſtiat, Pſalmorum penſum abbreuiat, decurtans officium, hymnorum loco, omnibus horis ingeminans illud Pſalmiſtæ tripudium: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Nimirum Alma parens Eccleſia ſcit fideles, ſi cogitent reſurrectionem quæ beabit homines, virtutum etiam callem qui eo vergit, ituros. Igitur Auditores hodie benè paſti opimo corpore Chriſti, hæc eſt dies quam fecit Dominus, vt nos ad exemplum ſui extinctos reficiat, adunando corpus & animam. Exultemus & lætemur, animo habentes hoc fixum, vt hæc reſurrectio quæ eſt cauſa finalis omnium agonum Eccleſiæ, nos vrgeat & excitet validè ad virtutis praxim huic fini conſonam fortiter obeundam. Vt reſurrectionis ideam aliqualem ingeram, eius quæ nos manet, inſtante mundi deliquio, explicabo hodiernam Chriſti rediuiui reſurrectionem.

1. Cor. 15.

Reſurrectio Chriſti eſt complementum myſteriorum fidei.

Act. 17.

Matth. 22.

Reſurrectio à quibus impugnata.

Pſalm. 17.

ſurrectionem. Dicam primò Chriſti comparationes cum vermiculo bombyce, qui vbi ſuas impleuit vices, claudit ſe tumulo, & reſurgit alis aſſumptis.

Secundò dicam, quid emolumenti ad nos deuenerit, Chriſto ſuſcitato. Quemadmodum verbi Dei præcones doctiſſimi, edocturi plebem imperitam non Græcè loquuntur, aut aliâ quâuis erudita lingua, ſed idiomate vernaculo, populo rudi ſe aptantes, ſuos edunt conceptus; ita Deus in codice ſacro, ſuum eloquuturus in humanis exordium, ſymbola non aſſumpſit erudita, difficilia captu, ſed rebus vſus eſt obuiis paſſim, & quæ abditi ſenſus neſciunt inuolucra. Quippe in eo Pſalmo qui totus eſt præſcius Chriſti patientis, ſic Pſaltes rerum dominium pingit. *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Nomine vermis, bombycem ego ſuſpicor, vermiculum qui ſericum net, & pectit; hoc enim humili typo huiuſce vermiculi, Deus ortum ſuum ex Virgine, vitæ totius & ſenem, nec non & exitum, imò & reditum ex ſepulchro, nobis breuiter ſanè & myſticè lineauit.

Pſalm. 21. Chriſti cum verme comparatio.

Vermiculus ille antequam efformetur in vermem, præexiſtit in modum grani adeò tenuis, vt diſſectionis ſit penitus impatiens, Verbum caro factum ante carnis vſum quam aſſumpſit, præextitit ab æterno. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Æternitas autem eſt tota ſimul, ex Boëtio ſic eam deſcribente. *Æternitas eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Adde quod granum hoc rotundum, ſuâ hâc figurâ, Verbum eſſe æternum enuntiat, æternitas enim orbiculari forma, typice figuratur.

Ioan. 1.

Boët. lib 5. de conſol proſa 6.

Granum illud eſt ſubobſcurum, ita & quid ſit Deus, non obſcurum modò eſt, ſed & ineffabile, quia *Poſuit tenebras latibulum ſuum. Nubes & caligo in circuitu eius.* Cabaliſtæ Dei naturam, penitiori rimantes indagine, Deum vocant aleph tenebroſum, pingentes litteram Aleph א in ora abyſſi tenebrarum, & Gentiles olim ſimulachrum Dei, marmore nigro efformarunt ſymbolicè, Deum eſſe inuium cognitioni noſtræ, illa nigredine deſignantes.

Pſalm. 17. Pſalm. 96. Rober. Flud. in l. Cabala. Pierius in Hierogly. de Deo.

Germen illud ſinu mulieris ſotum, componitur in animalculum adeò exiguum, vt fallat ſenſum, Deus illapſus in ſinum Virginis Mariæ quæ æſtuauit amore Dei, igne decocta Spiritus ſancti quo ignita incanduit tota, inquit Ildefonſus; Deus, inquam, ex ſinu Virginis exiit, habitu inuentus vt homo, ſed adeò exilis vt ſe eſſe vermem prædixerit non hominem, exortum ſuum ſacro Codice prælibante. Et hanc exilem huius vermiculi ſpeciem Paulus explicare volens ait. *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens.* Iſaias non paruum, ſed paruulum nuncupat, adeò erat cordi Domino Deo humilitas, vt ab ea maluerit dici paruulus, quàm à diuinitate Deus. In eam ſe compoſuit epitomen Verbum abbreuiatum ſuper terram, vt turgentes hominum animos, hac ſua humili indole ſugillaret.

Ex SS. PATRIBVS: *S. Ildef. de laud. Maria*

Philip. 2. Iſai. 9.

Hunc ſcopum obiicit Bernardus, Chriſtum ſcilicet ad quem oportet collimare. *O ſponſa Chriſti agnoſce, quia Deus humilis venit: agnoſce quia ſe in forma ſerui humiliauit, ambula ſicut ille ambulauit, ſequere exemplum eius, imitare veſtigia illius, eſto vilis, eſto deſpecta, eſto abiecta, diſplice tibi; qui enim ſibi vilis eſt, ante Deum magnus eſt, qui ſibi diſplicet, Deo placet, eſto paruula in oculis tuis, vt ſis magna in oculis Dei. Qui extollitur, humiliabitur. De excelſo grauior caſus eſt, de alto maior ruina eſt, humilitas caſum neſcit, humilitas ruinam nunquam incurrit.*

Bernard. lib. de modo bene viuendi ſerm. 39. Chriſti humilitas quanta.

Vermis ille adoleſcit ad oculum, & mirum eſt ex quàm tenui præludio exurgat in longiuſculam molem. De puerulo Ieſu, hoc habet textus ſacer. *Ieſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Id eſt qui apud Deum erat perfectiſſimus, aperiebat per ſingula momenta temporum, nouos gradus inſitæ virtutis vt benè Bernardus. *Tu homo cùm proficis, non quando, nec quantum nis proficis, ſed te neſciente tuus moderatur profectus, & tua vita diſponitur, at verò puer IESVS, qui diſponit tuam, ipſe diſponebat ſuam, & quando & quibus volebat ſapiens apparebat, & quibus & quando volebat ſapientior, quanquam in ſe nunquam eſſet niſi ſapientiſſimus.*

Luc. 2.

Homil. 1 ſuper Miſſus. Profectus animæ & Chriſti in quo differãt.

Vermis ille, pinguis cibi neſcius, modico tantùm gramine paſcitur, & Chriſtus non modicè tantùm vixit, ſed & impaſtus multos egit dies. Bombyx ore ſericum net, illud in tenuia fila trahens, aptum ad veſtes texendas tanti pretij, vt æuo Aureliani Imperatoris, ſerici fila penſarentur auro. Chriſtus ore ſuo dedit quo tegamur, cùm viam edocuit, quâ poſſumus ipſomet auſpice, virtutum omnes habitus inſectari. Bombix quietis impatiens ferias neſcit, ſed tandiu impigrè operi inſiſtit donec penſum ſuum reddiderit integrum; ita & Chriſtus impiger, in breui expleuit tempora multa, vt Bernardus luculenter. *Ipſe hominis ſeculique author, quandiu in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, nunquid ſtetit? Et quidem teſte ſcriptura, pertranſiit benè faciendo & ſanando omnes; pertranſiit ergo, ſicut non infructuoſè, ita non remiſsè, non pigrè, non lento greſſu, ſed quemadmodum item de eo ſcriptum eſt. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendis qui & ipſe pariter non curris, & quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideò Paulus aiebat: Sic currite vt comprehendatis. Ibi Chriſtiane, tu fige tui curſus profectuſque metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam, factus eſt obediens vſque ad mortem, quantumlibet ergo excurreris, ſi vſque ad mortem, non perueneris, brauium non apprehendis, brauium Chriſtus eſt, quòd ſi illo currente tu gradum ſiſtis, non Chriſto appropias, ſed magis elongas, timendumque tibi eſt, quod ait Dauid. Ecce qui elongant ſe à te Domine, peribunt.*

Ex Hiſtoria.

Flauius Vopiſcus in Aurelian. Aureliani Imperatoris modeſtia in veſtibus.

S Bernard. epiſt. 254. Actor. 10. Perfectionis ſtudiũ debet eſſe impigrum. *Pſalm. 18.*

1 Cor 9. Philip. 2.

Pſalm. 72.

Opere ſuo conſummato bombix tumulum ſibi parat, quo ipſe lubens includitur; ita & Chriſtus ſalutis noſtræ expleto negotio ait in cruce, *Conſummatum eſt.* Et ſpontaneam mortem appetens alieno non inuitus tumulo reconditur. Nam vt præfatus eſt Iſaïas: *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Tandem vermiculus aſſumptis alis erumpit de ſepulchro ſuo, ita & Chriſtus poſt triduanum decubitum, velut aliger pernix, & vegetus exurrexit. Vt indubia reſurrectionis Chriſti fides ſtaret, ille diſcipulis, imò & Iudæis antea prædixerat, aſſerens corporis ſui templum diſſolutum, poſt triduum ſuſcitandum, ſic vt ait Chryſologus: *Dedit reſurrectionis fidem, & fides reſurrectionem Chriſti* à mortuis ſuſcitati: prior præco fuit Angelus clamans.

Iſaia 52.

Ex SS. PATRIBVS. *Serm. 74. Matth 28.* Chriſtus Dominus vitæ & mortis.

clamans. *Surrexit non eſt hic.* Quod non inconſultè factum eſt, vt mooet Chryſologus. *Vides quia venit Angelus, vt factis aſſereret ſermus, quæ Dominus prædixerat verbis, & doceret moriendi, & viuendi penes illum poteſtatem fuiſſe, qui ante mortem ſuam prædixerat reſurrectionem, nam vtique qui ſcire potuit; potuit & cauere, ſed quia vincere potuit, declinare contempſit, qui reſurgentis gloria ſepeliuit morientis iniuriam.* In ore Chriſti & Angeli, duorum teſtium probatorum ſtet igitur reſurrectionis fides inconcuſſa.

Chryſolog. ſerm.75.

Synagoga impugnauit fidem reſurrectionis.

Sciebat Chriſtus coituram Synagogam, vt inficiaretur homioem quem Crux indecora ſuſtuliſſet, potuiſſe reſurgere: ſciebat rerum omoium ille ſpectator, Iudæos omnes in hanc fidei arcem arietem impulſutos, & eam ob rem cautione adhibita prædictionis ſuæ & Angeli nuntiantis illud myſterium, occurrit fidei infirmorum, nutantes ſic animos præuiſione ſua confirmando. Non fuit Dauid inſcius technarum quas molita eſt Syoagoga, cùm cuſtodes adhibuit ad ſepulchrum, vt eluderet potentiam Chriſti reſurgentis, ſic ex perſooa Verbi in humanis loquitur Pſaltes. *Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me, dixerunt, numquid qui dormit adiiciet vt reſurgat?* Huius verſus exegeſim adfert Hugo breuiloquio inſignem. *Verbum*, contra verbum Dei, *iniquum*, contra æquitatem, *conſtituerunt*, contra iudicem, *aduerſum me*, aduerſarij veritatis: *numquid qui dormit.* Mors Chriſti dormitio dicitur, quia breuis; *Adiiciet vt reſurgat*, Mors Chriſti principalis: Reſurrectio complemeotum. Verè verbum ioiquum ſtatuere Iudæi cùm dixêre cuſtodibus. *Dicite quia vobis dormientibus venerunt diſcipuli eius & furati ſunt.* Quid tam iniquum quàm iniquos armari ad iniquitatem aſſerendam, vt ſolo adæquetur ſolium æquitatis. Vt cæca eſt malitia, excæcauit & Iudæos malitia eorum, vt benè ſugillat eos Auguſtinus. *Dormientes teſtes adhibes, verè tu ipſe obdormiſti qui ſcrutando talia defeciſti.* Auguſtino bilem mouit inſana Iudæorum calliditas, & inſulſum conſilinm, quo cuſtodum teſtimonia præuenerunt. *Damus vobis pecuniam, & dicite quia vobis dormientibus, venerunt diſcipuli eius; & abſtulerunt eum. Quid eſt quod dixiſti, ô infælix aſtutia? Tantúmne deſeris lucem conſilij pietatis, & in profunda verſutiæ demergeris vt hoc dicas?* Sanctus Hieronymus in hunc locum ait Iudæos infudiſſe ſibi verbum impietatis.

Pſalm.40. Hug. Card. in Pſal.40.

S. Auguſt. in Pſalm.63.

S. Aug. vbi ſuprà.

S. Hieron in Matth. c 28. Rom 6.

Ex Historia: *Du-pleix in Clodouæo ſub ann 499.*

Sed fruſtrà arietatum eſt, Chriſtus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Iudæi diffiteantur vti libuerit Meſſiæ deïtatem meotientes non ſurrexiſſe à mortuis, nos in ea fide ſumus, quæ affulſit olim Gallorum genti, cum Rhemigio initiante myſteriis fidei præpotens illud regnum, populus ille vltro peſſumdans ſua ſimulachra, illorum ritus penè abdicauit. Cunctabatur Rex Clodouæus dare nomen Chriſto, neſcio quid dubius adhuc anhelabat, nutabat animus vale dicturus idolis ſuis, populi ſui mentem ſuper hac re anxius timans, expectabat an Deos inolitos, inſolito Deo ſcilicet Chriſto poſtponeret gens hactenus infidelis. Vt reſciêre Galli Regē cunctabundū in dandis manibus Chriſto quia metuebat regno, fortè perituro ob defectiooem populi pertinacis in cultu idolorum: omnes animo concorde conuenerunt Regem exclamantes inculta voce. O Rex abdicamus vltro Deos mortales, ſcilicet Heroës mortuos quos incautè colimus, & obſtringimus tibi fidem noſtram, nullum nos habituros vnquam Deum præter Ieſum immortalem, à cuius cultu reſilire nolumus vſquequáque. Hac feruida profeſſione fidei Clodouæus animæquior, Sancto ſe Rhemigio rtadidit inſtituendum, qui ſacrâ diſciplinâ imbutum Regem, baptiſmo alluit, & hac deifica aqua exuberante, ſubmerſa ſunt Galliæ ſimulachra. O fælicem Galliam ſi ſtetiſſet ſoli addicta Deo immortali! ſed quia nebulooi Caluino, non mortali tantùm, ſed mortis æternæ mancipio, aliqua parte ſui dedita eſt, ſæpius infirmatur. Nam vt benè Cardinalis Hoſius ait, non coëunt Chriſtus & hæreſis.

Clodouæus quare moras fecit in fide ſuſcipienda.

Chriſtus eſt Deus immortalis.

Dij Gentiles ſũt mortales.

Quid, ô fideles, inſectamur opes, gloriam, corporum ſpeciem egregiam, & deliciarum illecebras? Caduca ſunt hæc omnia. Eſto, ô reprobe, iſta ſint tibi Dij quibus à teneris vnguiculis es deuinctus. Dij ſunt: ſed mortales, ini cum hoc multiplici ſimulachro diuortium, & da manus Chriſto qui reſurgens à mortuis non moritur modò, ſed eos qui ſe ei deuouent facit immortales. Reſurrectionis reuerà ingens eſt arcanum, ſed ei multa naturæ vernacula ſuffragant, & in his eſt obuius bombyx, quem quidam tulit olim pro ſymbolo: volens enim indicare, ſe emerſiſſe ex periculo, in quod ex compoſito incurrerat, pinxit, peruadentem ſuum tumulum illum vermiculum aligerum, hoc titulo, Et feci et fregi. Sed hoc lemma Chriſto reſurgenti titulo potiori coaptatur. Etenim Chriſtus volens tumulo reconditus eſt, vltro ſe laqueo mortis inſeruit, ſed & fregit. Offerens ſe, fecit vt iniret vincula, Et facit et fregit, & vt Præcentor regius occinit. *In retiaculo eius cadent peccatores ſingulariter ſum ego donec transeam.* Omnium hominum pendulas exuuias orbe toto mors oſtentat, in titulis vexillorum quæ ſepulchris imminent, aut abſcondit in tumulis; ſed exurgens Chriſtus, pleroſque eripiens morti ſecum excitauit. Sic enim habet ſacer textus. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.*

Ex symbolis.

Baptiſta Port. hoc ſymbol. vſus, author. Ceſare Capaccio lib. Italè impreſſo.

Pſal.140.

Matth.27.

Præter bombycem, aſſertorem domeſticum reſurrectionis, ſemina omnia, in putredine extincta, reſurgunt in ſtipite recens emergente. Et ne ab aliis tritum callem ingrediar, omnium loco, ſatis erit Phœnix qui compacto buſto, funeriſque ſui pompâ peractâ, vltro occumbit, vt ait Tertullianus: *Phœnix de ſingularitate famoſus, ſemetipſum libenter funerans renouat natali fine diſcedens.* Vnde Græcis dicitur ille Reſurrectionis indubius teſtis, *θνήσκων ἐκ ἀναβιώσκων.* Moriens non moriens, quis ergo dubiam rem faciet cui vndiqne conclamatur?

Reſurrectio probatur ex multis naturæ exemplis.

Tertull. lib. de Pallio.

Et ipſa tumulandi Chriſtum formula loquitur mortem fuiſſe ab eo alienam: in ſepulchro enim alieno conditus eſt, idque à myſterio noo eſſe procul ediſſerit Ambroſius. *Habeant tumulum qui ſub lege ſunt mortis, victor mortis non habuit tumulum, non enim ille ſepulchrum mortis deſiderabat, qui de morte triumphum quærebat, in aliena ſepultura Dominus iacuit, quia pro aliena moriebatur ſalute: vt quid illi propria ſepultura qui in ſe propriam mortem non habebat?* Ideoqne ritu planè contrario ſepelitur ei, quo Dynaſtæ quique potentiſſimi reconduntur. Nimirum ab

Chriſtus cur non habuit tumulũ proprium

ipſa

ipſa Imperatorum inauguratione, tumulo prouidebant, ſepulchrique titulum initiabant hoc tenore. HIC IACET, &c. Aſt Chriſtus precariò mandatur terræ nec titulus inuritur tumulo quid enim titulus mendax? HIC IACET, quandoquidem non iacebat: alia igitur opus eſt inſcriptinne, non elingui, ſed loquaci, & erit iſta quam in corde ſanctarum mulierum, ore ſuo Angelus exarauit, ſcilicet, NON EST HIC, SVRREXIT. De Alexandro, de Cæſare, & de vnoquoque inclyto cedente faris ſingulariter inſcribitur, HIC IACET. Aſt de Chriſto non ſcribitur, ſed clamatur præcone cœlo, NON EST HIC, SVRREXIT. Iacere eorum eſt qui victi ſunt, ſurgere autem eſt eius qui aſſurgens in triumphos, mortem quæ vicerat hactenus infirmauit.

Iſai. 11.
Mors Chriſti fecit homines rediuiuos.

Ne igitur epigraphem mortis quære in tumulo, quem vita fecit currum triumphalem, vt prædixerat Vates. *Erit ſepulchrum eius glorioſum*, vtque in pompa bellica, milites erepti manibus hoſtium præeunt victori; ita Chriſtus poſt triduum ſurrecturus præmiſit, vt aſſertor eſt Mathæus, *multa corpora quæ dormierant*, quæ ſurrexerunt, diceret quot corpora fuerunt rediuiua, tot & fuiſſe pompæ Chriſti fercula triumphalis. Morti ſerepta ſunt hæc corpora; quia corpus Chriſti neci indebitum ſuſtulit, vt ait Auguſtinus. *Tantum valuit ſanguis ille, vt neminem Chriſtum indutum, morte debita, retinere debuerit, qui Christum morte indebita, vel ad tempus occidit.* Alludit hic Sanctus ad Pelicani vulgare facinus, quo, ſanguine ſuo adhuc calente alluens pullos extinctos, diluit mortem; ita & Chriſti morientis effuſus cruor, pleroſque mortuos reddidit immortales.

Matth. 17.

Lib. 13. *de Trinit. c.* 16.

EX HISTORIIS.

Inſtabis forſan, Chriſtum incongruè dici viciſſe mortem, cùm ab ea ipſemet occubuerit. Leuo ego inſtantiam dicens primò potuiſſe non mori, & in hoc fuit morte ſuperior. Secundò & id eſt incrementum gloriæ vltro oppetens mortem, arietat in arcem eius, ſcilicet in ſepulchrum ex quo referens corpus animatum, quod prius erat emortuum, tulit inde mortis exuuias, ſicque mors reduce vita fuit penitus enetuata.

Pauſan in Arcadicis.

Simile litigium compoſuit quondam Græcia, in comitiis Olympiæ: coibant illuc ſingulis quibuſque quinquenniis fortiſſimi quique mortalium; facturi periculum virtutis ſuæ, cui ſi integra foret, volebant coronidem imponere. In his duo Athletæ vegeti & fortes adſtiterunt vnus nomine Arrachion, alter anonymus, deſcendunt ambo in arenam, vnguibus & roſtria agunt, Aſia & Europa teſtibus diſcriminis huiuſce ſingularis. Proſternitur Arrachion, & retro apprehenſus ab æmulo, qui vultum eius ferre non poterat, ſenſit ſibi fauces elidi, proditoria & infideli pugna, nec quicquam ille ſegnior factus inſtante ſibi morte totum ſe colligens, ſemianimis licet, adeò validè ferit hoſtem, vt eius æmula morte quam intulit egregiè & fortiter ſuam mortem quam obibat ſorte iniqua, plenus gloriâ compenſatit; vtriuſque patria petit ab Aſſeſſoribus, athletam ſuum coronari, validæ vtrimque rationes. Videbatur Arrachion victus, vt qui prior cecidiſſet, & qui ſaucius primus expirarat, vnde & alter aliqua mora ſuperſtes, cenſendus erat victor, quippe æmulo inſultabat mortuo, in ipſo agone ſuo extremo. Secus tamen viſum eſt arbitris; etenim Arrachion qui prior obiit, victor eſt habitus vniuersâ Græciâ conclamante. Quippe æmulus ejus, eum aggreſſus eſt ponè & non antè, aſtutus incurrit in incautum; ſed Arrachion roboris ſpecimen edidit coronâ dignum, qui animam agens & quaſi tantùm ſemi-homo, integrum hoſtem ita eliſit vt eodem quo & ille cederet fato, quod fecit alter, erant inſidiæ, quod egit Arrachion fuit hoc virtutis dignæ cedro; nam morientem, vincere alterum præualidum, res eſt coronanda. Eodem egregio facinore edito Chriſtus occubuit: mors enim eum per inſidias aggreſſa eſt, oſculi quippe teſſerâ, vinctus eſt IESVS, & iniquis teſtibus adductis in medium, ceſſit in ius mortis, non impunè tamen mors hoc infideli diſcrimine extinxit Chriſtum: nam ille moriens eripuit morti, illa corpora Sanctorum quæ antea dormierant, & ſe poſtea extinctum erexit, morte expuncta, quâ ſic eliſâ ſimul & eluſâ, Chriſtum vt victorem æquè ac piè lauream.

Arrachion. mortuus triũphauit.

EX SS. PATRIBVS:
S. Aug. ſerm. 19. *de reſurrection.*

Quamobrem inſultat morti Auguſtinus. *Vbi eſt mors aculeus tuus, nonne confregit illum Dominus meus? O mors quando Domino meo haſiſti, tunc & mihi periſti: viciſti in morientibus, victa es in reſurgentibus.* Habet tenerà Auguſtinus quod rideat aculeum mortis, poſt Chriſtum reducem à mortuis: aculeus enim ille adeò fuit hebes & obtuſus, ex quo impegit in Chriſtum, vt non horruerit acumen eius, vna puellula nomine Agnes, vltrò occurrens morti ſibi nequiter intentatæ. Virilem eius deſcribit animum ſanctus Ambroſius. *Quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret, hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis, totum offerre corpus, mori adhuc neſcia ſed parata, vel ſi ad aras inuita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis, trophæum Domini ſignare victoris, nunc ferratis colla manuſque ambas inſerere nexibus, ſed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus, nondum idonea pœna, & iam matura victoria, certare difficilis, facilis coronari.*

S. Ambroſ. lib. 1. *de virg.* Agnetis virginis & Martyris encomia.

EX HISTORIA.
Plutarch. in vita Ageſil.
Perſæ qua induſtria redditi contemptibiles Græcis.

O hactenus inermem mortem! ô imbellem, quam infantes vltrò appetunt, & oppetunt fortius, fuit indecorum morti diſcrimen quod iniit cum Chriſto, ſicut & bellum fuit iniurium Perſis, quod indixêre Spartanis. Concurrerunt agmina, cominus & eminus certatum eſt: horruerant Græci Perſas cataphractos & bellico apparatu conſpicuos, ſed calente Marte, palantes egerunt Perſas, & altis ferro ſublans è medio, reliquos vinculis addixerunt. Tandem tepente feruore Martiali, Ageſilaüs & ipſe Rex Spartanus canit receptui, coeunt milites in caſtra, illuc adducuntur & captiui Perſæ iure belli, exuuntur cute tenus; explicantur obeſa & procera corpora, nitens erat nudorum habitus, ſed non vt Græcis ſpirans robur & virtutem. Ideóque increpans ſuos Rex Græcos ait: O Spartani in poſterum ne Barbaros hos timete, nudos obiicio & inermes, vt vel hinc ediſcatis eſſe homines muliebres, & nihil maſculum anhelare. Eodem ritu Chriſtus morte ſuperata, eam exuit corporibus quæ mors antea victrix induerat, ſed vbi ſurrexerunt corpora hæc rediuiua, ſpoliata mors inermis apparuit. Vnde & Chriſtus cautione hac præmonuit, non eſſe mortem vſque adeò terribilem. *Nolite timere*

Matth. 10.

eos qui occidunt corpus , animam autem non poſſunt occidere. Mors imbellis & punctione carens , hac Chriſti cohortatione infantes ipſi morti ierunt obuiam , martyrum gloriâ laureati.

Reſurrexit Chriſtus vt reſurgamus.

Et hoc præcipuum intendit reſurgens Chriſtus , ſcilicet eripere nos ærumnoſis indecoræ mortis , & facere compotes vitæ neſciæ interitus , ideò reduce Chriſto tremuit terra , quaſi horrore præuio viſcera eius quatiente parturiret mortuum , quem antea deglutiuit. Et cum hoc reſurgente, vel inuita alios euomeret,quos prius abſorbuit ; hinc diceres , terram quia ſurrecturi ſumus , iam ad noſtra excipienda corpora nauſeare. Audiendus hîc Chryſologus,

Matth.28. S. Chryſolog. ſerm.74. Terra quare tremuit in reſurrectione Chriſti.

Ecce terra motus factus eſt magnus : mouetur chaos , diſſiliunt ima terrarum, timet terra , montium tremunt pondera , orbis fundamenta quatiuntur , corripitur tartarus, ſiſtuntur inferna, addicitur mors , quæ in reos tendens , incurrit in iudicem , dominata ſeruis , exarſit in Dominum, ſæuiens in homines , proſiliit in Deum. Meritò ergo perit lex tartari , remota ſunt inferni iura, poteſtas mortis ablata eſt. Denique redduntur corpora , redintegratur homo , vita reparatur, & conſtat de venia iam totum,quia in authorem vita mox eſt transgreſſa ſententia. Vtque vineæ florentes odore ſuo lethales ſunt ſerpenti, & vitales homini. Ita & Chriſtus qui ſe vitem vocat ,cùm floruit iuxta Pſaltis vaticinium, *Refloruit caro mea*, nidore ſuo mortem extinxit , & homines vitæ reddidit æuiternæ. Huius vitæ Angelus ſpecie ſua ideam aperuit nobis , vt rimatur Chryſologus. *Angelus Domini deſcendit de cœlo. Reſurgente Chriſto , morte pereunte , terrenis redditur cœleſte commercium. Erat aſpectus eius ſicut fulgor , ſplendore tali referebat ſpeciem noſtræ reſurrectionis & formam , quia reſurgentes per Chriſtum , Chriſti mutantur in gloriam.* Huius Reſurrectionis fore compotem Eccleſiam præſciit Pſaltes , cùm cecinit : *Tu exurgens miſereberis Sion , quia tempus miſerendi eius , quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius.* Quem verſum explicat Doctor Seraphicus de Eccleſia reſurrectura , beneficio Chriſti reſurgentis, ſic ergo ille. *In hoc miſereberis Sion vt exurgas , & readificetur per reſurrectionem, nam ſeruis tuis Angelis placuerunt lapides eius,ſcilicet animæ ; nam lapides Sion cœleſtis ſunt viui.* Eodem & ſpiritu actus Auguſtinus , quo & Bonauentura , illi præierat pluribus ſæculis eundem decurrens Pſalmum. *Nunc eſt tempus ,vt ædificetur Sion , nunc intrant lapides in ſtructuram,væ lapidibus qui non placent ſeruis iſtis.*

Ioan.15. Pſalm 27. S.Chryſol. vbi ſuprà. Pſalm.101. S. Bona ſerm. de reſurrect. in Pſal.101.

Hodie apertus eſt abditus ille verſus Regij Prophetæ : *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli.* Etenim Chriſtus habitus à Iudæis vt blaſphemus, & à cœlo extorris, ponit ſupernæ Hieruſalem hodie fundamina , aduocans Angelos opifices, vt in ordinem redigant lapides idoneos operi , id eſt aptos cœleſti patriæ ſuſcitandæ. Nempe intereſt & in re eſt Angelorum, vt lacunæ & hiatus impleantur , qui ſunt ex ruina ſpirituum nequam. Ideò ſpiritus hi beati , ſedulò inſtant huic operi , & animas excolunt , quas nouerunt aptas aſſidere ſedibus ſeſſore vacuis : has verò dumtaxat , ſeſſio hæc beata manet, quæ à mortuis , comites Chriſti indiuiduæ ſunt , in Paſchate rediuiuæ. Væ,inquit Auguſtinus,lapidibus qui non placuerunt ſeruis iſtis , id eſt væ homini defixo in fæcibus ſuis : væ reprobo qui eſt exanimis,ſecretus à gratia,nihil enim ingratum coire poteſt ad ſtructuram huius cœlicæ ciuitatis. Si quid ergo lethiferum te extinguit homo , illud cautior hactenus euome , anhela ad vitam,& ſaucius viſo tuo, Deo tuo ſupplex ſiſtere ſoſpitanti.

Pſalm.117. Reſurrexit Chriſtus vt & nos reſurgeremus.

Vrgebat Chriſtum , voto repetito Dauid, vt citò reſurgeret : *Surge Domine in requiem tuam , tu & arca ſanctificationis tuæ.* Vbi Auguſtinus ſic. *Arca eius eſt Eccleſia , ſurrexit prior , ſurgat Eccleſia , non auderet ſibi in reſurrectione corpus promittere , niſi prius exurgeret caput.*

Ex SS. Patribvs. Pſalm.131. S Auguſt.in Pſalm.131.

Suum ventilet Aſia templum Epheſinum, cuius ædificio & ipſi intendere Reges , reputantes omini fauſto , ſi ſuis exhauſtis opibus cuique Regi Aſiæ , ſingulæ quæque columnæ ſtarent rutilæ margaritis : ſuperna Ieruſalem conſtat viuaci ſplendidaque materia , ſcilicet animis hominum, quibus nihil niſi regium inſitum , ſic vt ſummi Regis poſſint palatio cohærere. Iactet & Nero ſuum ingens palatium, ad quod erigendum Romam penè totam abſumpſit vt ex poliriore nec non & potiore ruina artifices non deeſſent palatio. Vnde illud ſcomma iactitatum.

Dianæ Epheſinæ templũ quàm magnificum.

Ex Historia: Sueton in vita Neronis. Ædes Neronis quàm amplæ.

Roma domus fiet, Romani cedite Veios.
Si non & Veios occupet iſta domus.

Chriſti ſuperno palatio non ſat erat orbis iſte ſenſibus patens , deſcendit ad inferos , illinc eruturus lapides quadros , viros vnque ſanctos qui eidem præierunt Domino naſcituro. Iactabat ſe Auguſtus vltimo fine decedens relinquere ſe Romam Marmoream quam latentiam inuenerat. Sed Chriſtus qui è ſinu Patris illapſus in ſinum Virginis vidit vacuos ordines Angelorum , vacantes ſedes homine aſſeſſore dignabitur, & ſic inſignes reſurrectione ſua Hierarchias Angelorum non ſinet his lacunis ampliùs indecoras.

Roma marmorea. Suetonius in Auguſto.

Habent codices ſacri ſignram affinem iſti myſterio. Quippe cautum erat , vt ex pecunia templi emerentur lapides inſtaurando templo perutiles. Quo voluit inſinuare Deus , pretio ſanguinis ſui qui eſt pecunia templi redimendas animas quibus vt lapidibus debet templi cœleſtis ingens illa moles , iugiter eminere. Vænuit equidem homo totus , mercante Dæmone , nec erat eius integri iuris , quo à Deo præfectus eſt ſenſibili creaturæ , prædiuite emptore opus erat qui eum ſolueret obſtrictum ære alieno,pecuniaque probatiſſima indigebat,obæratus. Soccurrit Chriſtus ſanguine ſuo,de quo Bernardus. *Traditus eſt propter peccata noſtra, nec dubium quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum,quàm peccata noſtra in malum.* Ex quo pretio ille ſanctus, ſalutis humanæ , indubium colligit argumentum.

4.Reg 12.

Ex SS.Patribvs.

S.Bernard. ſerm.1.de Annunc.

Seruos ſuos Deus in omnes mundi plagas miſit,vt compararent lapides congruos templo gloriæ. Miſit Apoſtolos ; *Et in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Hodie præcones verbi ſacri ad hoc recenſet opus , vt vices obeant Archangeli clamaturi:*Surgite mortui.* Hoc & ego inſono claſſicum, Auditores,ſurgite mortui;ad hoc vos Paſcha ſollicitat, vt ait Gregorius. Etenim Deus feſtiuitates ſuas non vult recoli tantùm mente tenus , ſed & exigit vt illæ etiam ad

Pſalm 18.

S. Gregor. homil. 21. in Euang.

praxim impigrè dirigantur. Gregorij ſummi Pontificis ſuper hac re conſulendum eſt oraculum; eſt enim Antiſtitum decernere ritus feſtiuitatum. Sic ille: *Res geſta, aliquid in ſancta Eccleſia ſignat gerendum: ſic quippe neceſſe eſt vt audiamus quæ facta ſunt, quatenus cogitemus, etiam quæ nobis ſunt ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum qui eſt mortuus credentes, ſi odore virtutum refecti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profectò illius cum aromatibus venimus: illæ autem mulieres Angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia videlicet illæ mentes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutum odoribus, ad Dominum per ſancta deſideria proficiſcuntur.*

Feſtiuitates quid ſignificent.

Adiicio ego, neminem viſurum Chriſtum hominum ſuſcitatorem, niſi & ipſe ſurrexerit, & hoc liquet ex hac ſolemnitate Paſchali: qua docemur Ieſum, qui ſurrexit, viſum tantùm ab Angelis, à ſanctis mulieribus quæ illius tumulo adſtabant, & à diſcipulis ſanctitate conſpicuis. Eſſe autem Angelum; aut hominem ſanctitate inſignem eſt eſſe aliud à mortuo, & iacente in lurida cadauerum colluuie; ſed indicat ſtatum pietate eminentem.

Si itaque, auditores, vultis fieri compotes myſteriorum Dei, & præcipuè diei huiuſce Paſchalis. Reſurgite, ſi quidem vt ipſe Dominus ait: Deus eſt Deus viuentium & non mortuorum: quomodo autem ſit reſurgendum audi Auguſtinum. *Ad exemplum ſuſcepit à te in quo moreretur pro te, in verbo caro mortua eſt & reſurrexit, timebas mortem, mortuus eſt, deſperabas reſurrectionem, reſurrexit.* Audi myſterium, in Verbo caro mortua, ſubſiſtebat enim illa caro, eam ſuſtentante Verbo, quod enim ſemel aſſumpſit non dimiſit. Ita & tu ô homo moriare in Verbo; caro tua verbo diſpereat. Si quid carnale viuax viget in te, moriatur in verbo confeſſionis. Confitere, libido deficiet, marceſſet caro, patietur venter inediam. Demum confeſſionis verbum quod eſt ſalutare ſpiritui, lethale eſt carni, ſi quidem hoc verbo, ſed integro, quicquid eſt corporis, exhalatur. Eſt necanda caro ſi vult reſurgere, ſiquidem hæ mortis & vitæ vices alternant etiam in ſemine, vt explicat Paulus ſic: *Inſipiens tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur.* Hoc igitur eſto tibi ratum, carnis extinctæ deliquium quod fit confitendo, eſſe præludium animæ reſurgentis.

Matth. 22. S. Auguſt. in Pſalm. 70.

Reſurrectio animæ quomodo fiat.

1. Cor. 15.

Et hoc ibidem inſinuat Auguſtinus cùm aſſerit carnem quæ in verbo defecerat, in eodem verbo ſurrexiſſe, ſurgit tenerà caro pœnitentum, ſed non obnoxia corruptelæ, cui in verbo valedixit, iniens cum toto vitiorum agmine diuortium: præbet caro in confeſſione iugulum, caro quæ ſilens operta vixit, loquens aperta perit, ſed hoc verbo reſurgens innouata caro vitæ redditur illibatæ. Os apertum reuocare vitam liquet, ex luculenta figura ſcripturæ ſanctioris. Eliſeus vir ſanctitate inſignis rogatus eſt à muliere Sunamitide vt filium ſuum qui ceſſerat fatis, reuocaret ad vſuram lucis; annuit Propheta; & præmiſit diſcipulum ſuum nomine Giezi dicens. *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, pones baculum meum ſuper faciem pueri.* Præſto fuit Giezi, iuit, vidit & poſuit baculum ſuper faciem pueri. *Et non erat vox neque ſenſus, reuerſuſque in occurſum eius, nuntiauit ei dicens. Non ſurrexit puer.* Eliſeus ſortem acerbam miſeratur orbæ matris, accelerat, ingreditur cubiculū pueri extincti, incuruauit ſe & incubuit puero, & poſuit os ſuum ſuper os pueri, breuique temporis intercapedine, repetens illud oris ori impoſiti ſacramentum, puer qui mortuus hactenus, ſepties oſcitauit. Aperto oſtio vocauit ille vir magnus Giezi, vt matrem pueri accerſeret: adeſt cita mater & geſtiens ſpe concepta de filio ſuſcitato. Antequam reſeram hiſtoriæ iſtius penitius abditum myſterium, aduerte Vatem hunc nihil inconſultò patrantem, præmiſiſſe baculum ſuum imponendum faciei demortui, & baculo illo imbelli ad hoc negotium vitæ reducis, puerum tandem oſcitando reuocatum.

4. Reg. 4. Reſurrectio infantis viduæ precibus Eliſei quid moraliter ſonet.

Eadem eſt Eccleſiæ facies, quæ & erat familiæ mulieris Sunamitidis. Eccleſia luget filium ſuum, ſcilicet hominem Chriſtianum, peccato lethali demortuum; Chriſtum orat, vocat, inuocat, vrget Alma parens, vt extincto ferat opem, Chriſtus in hanc ciuitatem me miſit ſeruum ſuum, vt Chriſtianum aliquem excitem. Præcepit ille ſoſpitator animarum. *Tolle baculum meum, & pone ſuper faciem pueri.* Baculus Chriſti, crux eſt, obieci crucem toto decurſu ſacri ieiunij, dum hortatus ſum vos pœnitentiæ calles inſectari. Sed heu non fuit vox neque ſenſus, nemo ſuſcitatus in Paſchate, imò luxus, illecebræ, conuiuia, & cætera mala recrudeſcunt, vt luget Bernardus. *Amatores ſæculi, inimici crucis Chriſti, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Chriſtiani, toto hoc tempore Quadrageſimali ad inſtantes inhiant dies reſurrectionis; heu vt & liberius indulgeant voluptati, obnubilat, fratres ſolemnitatis lætitiam materia triſtior, ſed ipſius plangimus ſolemnitatis iniuriam, quam diſſimulare non poſſumus, nec in ipſa, imo minus in ipſa: Proh dolor peccandi tempus, terminus recidendi, facta eſt reſurrectio Saluatoris. Ex hoc nempe comeſſationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitia repetuntur, & laxantur concupiſcentiis frena, quaſi ad hoc ſurrexerit Chriſtus & non magis ad iuſtificationem noſtram. Sic honoratis miſeri Chriſtum, quem ſuſcepiſtis. Venturo paraſtis hoſpitium confitentes peccata cum gemitu, caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes, & ecce ſuſceptum proditis inimici, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo.* Et hæc ad vos, Auditores, tempora deuoluuntur.

Anima ſi confiteatur reſurgit à peccato.

Ex SS. PATRIBVS:

S. Bernard. ſerm. 1. de reſurrect.

Recidiua peccati frequens poſt feſta.

Igitur meæ omnes conciones peſſum eunt; perperam dehiſcente Quadrageſima. Crucem prædicaui & Chriſtum obieci vtique crucifixum, & quia non ſurrexiſtis, inanis eſt prædicatio noſtra. Quid operæ pretium eſt? Chriſtus incuruatur, os ſuum ori tuo imponit, ô reprobe, vt qui non afficeris Dei tui ærumnis exceptis tui cauſâ, vel aliquando confeſſus, tandem redeas ad vitam ſepties oſcitando.

Plerique reuerà fuerunt oſcitantes hodie, ſed non plenè, nimirum non patula fuit ſatis oſcitatio, quia non fuit illa ſeptuplex, quia licet homo ſit confeſſus ſex peccata, tacitus tamen ſeptimum ſcelus, & id ingens abdidit, celans illud confeſſori, mente recole quo ritu reuixerit infans ſuſcitatus. *Oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.* De anima reproba ait Vates. *Babylon fornax accenſa ſeptuplum.* Igitur lachrymis aſpergenda ſepties vt penitus extinguatur.

4. Reg. 4.

Caſſa eſt omnis illa confeſſio vbi non ſepties oſcitat homo. Id eſt, nulla eſt confeſſio quæ

Confeſſio quando fiat irrita.

mutila:

mutila : benè confiteris ſimultates , periuria, ſermones iniurios, ſcommata atque dicteria, ſed quid eloqueris in alio turpi facinore, aut in ære alieno, malis artibus tibi parto. Aperi libidinem, ingenuè explica malè parta, Chriſtiano exoticos actus omnes pande, tunc reſurges quia pleniùs oſcitaſti.

Ex Ivre Civili. *Lege 8. de indulg. criminal. Cod. Th.*

Reſurrectionem tuam hoc tempus Paſchale ſollicitat , & cenſuere nefas Imperatores aliquem vel carcere condi eo tempore, quo ſepulchra ſuos mortuos expuerunt. Vnde & Ambroſius ſtylum ſuum acuit in Imperatorem Valentinianum , eò quòd ſuaſione Iuſtinæ Auguſtæ matris ſuæ, pios viros addixerit carceri eo tempore , quo rei laxari ſolent, inſinuans eſſe piaculum quemquam in Paſchate quouis ergaſtulo mancipari. Legem tamen de reis relaxandis tempore hoc ſalutari noluit facere Imperator Valentinianus Iunior, adulteris & homicidis, adeò infandum cenſuit hoc geminum ſcelus vt eſſet impos libertatis ; ita & Chriſtus hoc die Paſchæ omnibus vinctis adeſt propitius, iampridem abditos euomuit terra , limbi patuere clauſtris apertis, demum omnia Chriſto digna, retro occluſa ſeris, reſurgente eodem Deo & Domino reſerantur. Soli tantùm adulteri, & homicidæ cauſâ cadunt. Adulteros dico eos qui ad alios thoros inſiliunt ; homicidas nuncupo illos qui bonis aliorum vſurpatis, eis mortem accelerant ; compendioſa enim vita eos manet quos iugis tenet inedia. Si igitur ſciſcitaris ex me, qui ſint rediuiui hodie, Reſpondebo omnes qui integrè oſcitarunt in confeſſione: benè autem eſſe confeſſos omnes, exceptis homicidis, id eſt raptoribus, vindicatiuis , & his qui fœda libidine conflagrarunt.

S. Ambroſ. epiſt. 33.

Valentinianus carpitur ob iniuriam in feſta Paſchalia.

Vt bombycis idea concludat Homiliam, dico bombycem cùm exit de tumulo ſua grana edere, quæ ſunt ſemina vermiculi inde naſcituri; & poſtea ſequuturi genitoris vitam & reſurrectionem. Chriſtus à reſurrectione ſua multa commendauit ſuis Diſcipulis , quorum praxis habet inſitum ſemen vitæ , cuius ſunt latices immortales. Et quemadmodum bombyx non induit alas quin aliquandiu quaſi extinctus tumuletur, ita nec Chriſtus reſurrexit, quin morti fuerit obnoxius ; ita nec tu homo, plenè inibis Chriſti reſurgentis commercium , ſi non moriaris iis rebus, quibus diſpeſceris à Deo tuo; Faxit Deus.

TRACTATVS PRIMI
CAPVT QVINTVM,
IN DIE FESTO
ASCENSIONIS
DOMINI.

EVANGELIVM. *Marc. 16.*

1. RECVMBENTIBVS illis vndecim , apparuit illis IESVS. 2. Et exprobrauit incredulitatem eorum , & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe , non crediderunt. 3. Et dixit eis , euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur. 4. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur. 5. In nomine meo Dæmonia eiicient. 6. Linguis loquentur nouis. 7. Serpentes tollent. 8 Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. 9. Super ægros manus imponent , & benè habebunt. 10. Et Dominus quidem IESVS poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. 11. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, 12. Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in Sectiones.

1. *CVM fideles in vnum conueſcuntur, pacificè illis adeſt IESVS.*
2. *Fidem adauget , & tædium ingerit præteritæ vitæ infidelis.*
3. *Exhortatur vt aliorum infidelitatem abſtergant prædicando.*
4. *Non tam verbis quàm operibus , & præſertim his.*
5. *Inuigilent ſemper dæmonem inſectari.*
6. *Studeant verba ſana & ſancta eructare.*
7. *Satagant vitia ſerpentia exſtirpare.*
8. *Caueant ex iniquo reproborum conſortio aliquod obire contagium.*

9. *Imò dent operam reprobos peſſimè ſe habentes ad meliorem frugem reuocare.*

10. *Hos ſedulos, & ſagaces Euangelij operarios Chriſtus reuerà in cœlum præceſſit, quo inoffenſo calle ſuos dirigunt greſſus.*

11. *Dum proficiſcuntur prædicantes vbique, id eſt perfectioni inſiſtunt incunctante virtutum praxi alijs præeuntes.*

12. *Deo illis iugi inflexu propitio, & eorum cœptis annuente, vt liquet ex egregijs facinoribus ab illis editis, quæ arguunt opem Dei, & gratiæ deſuper illapſæ maximum incrementum.*

DEVS CONCORDES FIDELIVM cœtus amat, eiſque medius aſtat.

In hæc verba:

Recumbentibus vndecim Diſcipulis apparuit illis IESVS.

Sectio Prima.

DIſcipulis olim adunatis Chriſtus rediuiuus exhibuit ſe præſentem, Thomam verò diſſitum ab aliis, ſuâ præſentiâ minimè dignatus eſt, ſed hodie Apoſtolis coeuntibus in eundem chorum, eos omnes aſpectu ſuo recreat, hac dignatione ſubindicans quanti faciat charitatem, quam vbicumque vigere viderit, illic ſtatim adeſt, & hoc eſt argumentum multiplici via comprobandum, præeat Philoſophia.

Ex Philosophia:

Nihil in rerum natura vacat, ſed vnamquamque formam ſua quæque manet inclinatio. In his autem quæ cognitione pollent, forma eſt nobiliore modo, quàm in aliis cognitione carentibus, quæ ad vnum tantùm determinantur, vnde reſilire nequeunt: verbi gratiâ, ignis ita determinatus eſt ad vrendum, vt non ſui ſit iuris ad non comburendum; ea verò quæ pollent ratione habent inclinationem quâ mouentur ad congrua, idoneaque ſibi & hæc inclinatio eſt voluntas, quam ſic definit Ariſtoteles, vt ſit quid mouens motum; etenim in homine qui mouetur, idem Philoſophus tria ſpeculatur. Primum eſt id quod mouetur, id eſt anima ſeu totum ſuppoſitum; alterum eſt quod mouet, id eſt voluntas; tertium demùm eſt id quo mouetur, & illud eſt obiectum, cuius apprehenſio bona, ſuam etiam bonitatem indit voluntati; cuius inclinatio cùm ſit indita à natura, ex ſe bona eſt; quippe vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Hæc autem inclinatio in rationali creatura, ſi eſt elicita vt hominem actu ferat, dicitur amor, ſi verò hominem refugam aliò diſtrahat, dicitur odium. Hac inclinatione homo ſecundum ſpecificationem, amat omne quod vnum eſt cum eo, quia vnum & bonum idem ſunt. Alia autem eſt vnitas phyſica, quâ compago corporis vna eſt, & ſecundùm quam amat homo omnia ſua membra. Alia item vnitas, ſecundum quam ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei inuicem inclinantur: quòd ſi diſſideant ea quæ ſpeciem eandem ſortita ſunt, deuiant à natura, quæ anhelat iugiter vnitatem: eſt enim opus naturæ, opus intelligentiæ, quæ collimat ad bonum & ad vnum, vt inimica diuortij. Ergo homo naturaliter debet alios homines diligere, ſi nolit ſe probare degenerem, quia omnes homines coeunt in vnitatem eiuſdem ſpeciei. Rurſus cùm ratio poſſit voluntati aliam proponere vnitatem, ſcilicet eam quâ fideles omnes in gratia Dei coaleſcunt, homo alios homines ſub ea ratione amans, vt ſint omnes gratiæ Dei participes, eodem iam & ille actus ſpiritu, vnum corpus efficit myſticum cum aliis, quod eſt Eccleſia, a qua Chriſtus nuſquam abeſt, quippe eſt caput Eccleſiæ. Amor quo homines alios, vt conſimiles amat, eſt merè naturalis, vt & in infidelibus liquet; atque adeò Deus non hoc amore prouocatur, vt illic adſit alio ritu quàm alibi, ſed is amor, quo ſe fideles quaſi depereunt in ordine ad ſalutem, eſt ſuperioris ordinis, Deoque quaſi, vim facit, vt adſit per gratiam illis, quos hic amor ſacer adunauit.

Ariſtoteles lib 3. de anima text. 54.

Motus quid importet.

Geneſ. 1.

Amor proximi eſt naturalis.

Ex Theologia.

Cap. 11.

Ex Theologia Deus omnia fecit in numero, pondere, & menſura, & cùm nihil oderit eorum quæ fecit, amat omnia quæ ſeruant numerum ſuum, & pondus. & menſuram; ſi amat, ergo illic eſt, quia Dei amor eſt ipſemet Deus, & vt ait S. Auguſtinus, *Non amat & deſerit.* Igitur erit Deus in cœtu fidelium qui concordant & æſtuant amore mutuo in ordine ad ſalutem. Nam beatæ illæ mentes, ſuum ſeruant numerum, pondus, & menſuram: amor eſt pondus ſeu inclinatio animæ, vt ait Auguſtinus. *Amor meus, pondus meum.* Hoc pondere inclinantur ad inuicem fideles; rurſus numerus pluralitatem dicit, quam debet amor attendere, ſuos autem omnes numeros implet amor proximi cùm neminem à charitate ſecernit. Demùm proximo amor exhibitus infra Deum eſt amor ad menſuram; ſicque ſuis omnibus numeris abſolutus amor ille proximi, eſt ad amuſſim quam præficit vnicuique Deus, qui fecit omnia in numero, pondere, & menſura, quod ſic explicat Auguſtinus. *Menſura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei ſpeciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem, & ſtabilitatem trahit.* Et hæc tria, inquit S. Thomas, non conſequuntur omne ens, ſed illud dumtaxat quod eſt perfectum: perfecto ergo amore fidelium, non aberit Deus, quo ſolo conſtant ea quæ ſunt ſuis numeris abſoluta. Non peccatur in amore quoad pondus, aut numerum; quiſque enim in alium fertur ducatu ſolo naturæ, ſed in menſura ſæpius, ab vnoquoque deuiatur; quidam enim proximum amant, quia illis vtilis eſt, magnum ſui amoris prouentum inde inſectantes, alij obſcœno amore feruntur, & vt locuſtæ pedes recuruos habent ventrem verſus, ita & proci verè porci, animæ ſuæ pedes id eſt affectus reflectunt in ventrem, id eſt in ſpurcitias, atque libidinem.

S. Auguſt. tract. 49. in Ioann.

Charitas Deū homini conciliat.

S. Thom 1. p. q. 5. art. 5.

Locuſta eſt ſymbolum amoris in propria commoda recurrentis.

Ibitur obuiam deliquio amoris, ſi ad eam normam dirigatur, quam explicat S. Thomas, dicens duo in amore eſſe attendenda: Primum eſt bonum quod vult alicui, ſecundum eſt ſubiectum, cui vult illud bonum. Si alicui propter ſubiectum amatum velit quis bonum, erit amor ſimpliciter amicitiæ; ſi verò non propter illud, ſed in ordine ad ſe, fertur in ſubiectum, eſt amor concupiſcentiæ, quæ virulentum facit amorem, cuius vt ſit actus innoxius, debet attendere tantùm bonum proximi, & cùm maximum proximi bonum ſit Deus, hoc, in

Amor Chriſtianus quid attendat.

S. Thom 1. 2. q. 26 ar. 14. Amoris variæ ſunt ſpecies.

proximo

proximo debemus velle, & etiam procurare quod ſit in Deo, ſicque partes ingenui amoris implebimus, quem Theologi nuncupant charitatem, quæ eadem ſpecie in Deum fertur & proximum. Sic habes tres amoris ſpecies. Vna eſt amor concupiſcentiæ, alia eſt amor amicitiæ ordinis naturalis, vt cùm volumus ſimpliciter aliquod naturæ bonum amico noſtro, ſcilicet vt benè ſe habeat, vt polleat ingenio, faciatque ſibi magnum nomen. Tertius eſt amor amicitiæ ſuperioris ordinis, cùm quis amatur causâ Dei, & hic amor eſt virtus Theologalis, non moralis: eſt enim idem ſpecie actus quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus, vt ait S. Thom. cuius accipe rationem. Habitus non diuerſificantur, niſi ex hoc quod variant ſpeciem actus, omnis enim actus vnius ſpeciei ad eumdem habitum pertinet; cum autem ſpecies actus ex obiecto ſumatur ſecundùm formalem rationem ipſius, neceſſe eſt quod idem ſpecie ſit actus qui fertur in rationē obiecti, & qui fertur in obiectum ſub tali ratione, ſicut eadem eſt ſpecie viſio, qua videtur lumen, & qua videtur color ſecundum luminis rationem, ratio autem diligendi proximū, Deus eſt; hoc enim debemus in proximo diligere vt in Deo ſit: liquet ea præfatis, eundē ſpecie actū eſſe quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus; quamobrem habitus charitatis non ſolum ſe extendit ad dilectionem Dei, ſed etiam ad dilectionem proximi, iuxta illud Ioannis. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Dum hac charitate mutua feruerent Apoſtoli, Chriſtus illis apparuit hodie in Euangelio, eaque nos etiam dignatur gratia, noſtris illabens animis, cùm inuicem ardemus amore Chriſtiano. Deus namque charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hoc charitatis illibatæ priuilegium S. Gregorius benè explicat, dum eam eſſe ait veſtibulum portæ ædificij illius myſtici quod præoſtendit illi Deus. Quaſi diceret Deum illâ ad nos introire portâ, quæ binam amoris dimenſionem habet: ſic ille.

S. Thom. 2. 2. q. 25 art. 1.

Amor proximi eſt de præcepto.

Ex SS. Patribus: S. Gregor lib. 2. in Ezechielem hom. 16.

Menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis, quia quiſquis hic dilectionem Dei & proximi ſeruare ſtuduerit, ipſe ad æternitatis atrium pertingit: vita igitur noſtra vt duobus ſit cubitis menſurata, tendi quotidie debet per amorem Dei ſimul & proximi, non eſt enim charitas vera ſi minus à duobus cubitis habet: vnde Moyſes cùm per colores veſtium, electorum virtutes exprimeret; in ornamento Pontificis bis tinctum coccum iubet adhiberi: quid namque per coccum niſi charitas deſignatur, quæ ſemper flamma amoris accenditur, ſed coccus bis tingitur, quando non ſolum ex amore Dei; ſed etiam proximi noſtra charitas inflammatur, ecce qualis eſt charitas, quæ per diuerſitates mentium accenditur, concremat, conflat, & quaſi in vnam auri ſpeciem reformat, ſed in eo quod ſe electi ſic amant, ad illum neceſſe eſt, vt feſtinent, quem æterno gaudio in cœlis videre mereantur. Hactenus Gregorius, cui ætate ſuperior Auguſtinus ait charitatem, *eſſe tunicam inconſutilem Chriſti, quo ad vnum ſcilicet Deum peruenit, & omnes in vnum colligit.* Sicut enim Chriſtus erat in tunica ſua, ita & in medio eſt fidelium, qui charitate induuntur. Rurſus vt in annulo Pyrrhi Apollo medius inter muſas ſpectabatur, ita & vbi eſt virtutum chorus,

Charitas eſt porta paradiſi.

Charitas eſt tunica Chriſti.

S. Auguſt. tractat. 105. in Ioan.

illic eſt & Chriſtus, ſed vbi eſt charitas, ea ſtipatur toto virtutis agmine, vt ait Apoſtolus. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum.* Itaque omnes virtutes conſuluit Chriſtus dum charitatis edictum promulgauit, vt ſcitè aduertit Auguſtinus. *Meritò magiſter bonus dilectionem ſic ſæpe cōmendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non poteſt haberi ſine cæteris bonis quibus homo efficitur bonus.* Et ne quis de amore ſolo Dei quandoque ſibi blandiatur; ſanctus ille idem amorem proximi ſuadet ſic. *Omnes homines etiam inimicos veſtros diligatis, non quia fratres non ſunt, ſed vt fratres ſint, corpus Chriſti vbi iacet, membra ipſius vbi laborant, ibi eſſe debes vt ſub capite ſis; Audi Prophetam, latum mandatum tuum nimis, extende charitatem per totum orbem, ſi vis Chriſtum amare, quia membra Chriſti per totum orbem iacent, ſi amas partem diuiſus, in corpore non es; ſi in corpore non es, ſub capite non es, quid prodeſt quia credis & blaſphemas, adoras illum in capite, blaſphemas in corpore, amat ille corpus ſuum, ſi tu te præcidiſti à corpore ipſius, caput non ſe præcidet à corpore ſuo.* Quaſi diceret ille ſanctus, corpus Chriſti myſticum eſt Eccleſia, cuius fideles in vnam coeunt media charitate compaginem; huius corporis caput eſt Chriſtus cuius ſpiritu vegetantur illæ tantùm partes, quæ eadem vnione coaleſcunt: ſicut & in re medica, membra diſſita à trunco, cadaueris induunt formam, & diffluunt in ſaniem, vtpote præciſa à corpore quod quandiu capiti ſubeſt, eius etiam tamdiu gaudet influxu, quo feriante membra paralyſi illico diſſoluuntur.

1. Cor. 13.

Charitatis encomia.

S. Auguſt. tractatu 87. in Ioan.

Charitatis amplitudo quanta ſit.

Idem homilia 10. in epiſtolā primā Ioan.

Præſtat in hoc themate audire Fernelium vnum è principibus medicis, ſic ille. *Prior cerebri pars ſenſus, poſterior vero motus principium eſt, atque ſedes, meninges autem tactus ſunt origo, omnium autem animalium functionum cauſa efficiens eſt cerebrum ſuis meningibus conueſtitum. Qui nerui multâ medullâ confecti ſunt, mouendi inſtrumenta exiſtunt, tangendi autem ij quos maiori ex parte meninges protulerunt, hoc ſi exquiſitius pronuntiandum eſt, motus voluntarij proprium organum eſt muſculus, qui cùm ex ſimplici carne, ex vena, arteria, atque neruo conditus ſit; ex neruo tamen, qui inter cætera principatum habet. cuique præcipua mouendi functio refertur accepta, vim omnem aſſumit, hic in muſculi principium, quod caput appellant, infertur, primum in paucas portiones diſtributus, ſed quæ rurſum in alias, tandemque in fibras prætenues diffindantur.* Hactenus Medicorum eloquentiſſimus, cui pauperàm obijcies non omnes neruorum propagines oriundas à cerebro, cùm ſint infiniti propemodum neruuli diffluentes à ſpinali medullâ: præſto enim aiet Fernelius, medullam ſpinæ eſſe à cerebro, ſicque primum in vnoquoque genere erit menſura cæterorum, & cauſa cauſæ erit cauſa cauſati. Ad hoc autem vt diffluat toto corpore ſpiritus animalis, debere vniri membra, his autem vnitis, dummodo non ſit obex, ecce ſpiritus quo tota compages hominis vſquequaque vegetatur, capite affatim largiente annonam congruam vnicuique membro. Vides quomodo cohæreant ſpiritalia & corporea: ea enim ſe habent ratione ſpiritus Dei ad

Ex re Medica. Fernelius lib. 5. de animæ facultatibus.

Cerebri & neruorum nexus.

membra Eccleſiæ ſcilicet ad fideles, ſicut ſpiritus animalis ad membra corporea, ſed membra corporea diſſita, non recreat ſpiritus ille à capite diffluens, ita nec ſpiritus Dei homines agit, qui rixis,& contentione iugi diſpeſcuntur. Accipe ex hiſtoria ſacra, ſpiritum Dei in concordes homines cœlitus influentem. Fugiebat Dauid conſpectum & occurſum Regis Saül. *Venerunt autem, & de Beniamin, & de Iuda, ad præſidium in quo morabatur Dauid. Egreſſuſque eſt Dauid obuiam eis, & ait, ſi pacificè veniſtis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: ſi autem inſidiamini mihi pro aduerſariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum & iudicet. Spiritus verò Domini induit Amazai Principem inter triginta, & ait. Tui ſumus ò Dauid, & tecum fili Iſai, pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis; te enim adiuuat Deus tuus. Suſcepit ergo eos Dauid, & conſtituit Principes turmæ.* Expende nomina huius hiſtoriæ ex Hebræa indagine, & diſces myſterium Dauid דויד idem eſt ac dilectus, à radice דוד *dud*, id eſt amare, ad hunc veniunt viri Beniamin & Iuda, id eſt filij dextræ, hoc enim ſignificat *Beniamin* בנימין. Viri Iuda ſunt filij confeſſionis, Iuda enim confeſſionem ſonat à radice *iadah* ידה confiteri. Igitur filij confeſſi & filij dexteræ, id eſt prædeſtinati veniunt ad dilectum, id eſt ad proximum quem charitate proſequuntur, ille obuius iungit dextras, vbi tot amoris coeunt iudices; ſanè hinc non aberit Deus, ideò ait textus, *Spiritus verò Domini induit Amaſai Principem inter triginta.* Eum qui amore intenſiore æſtuabat, Spiritus Domini induit, *Amaſai* עמשי idem ac *munus populi.* Amor autem eſt primum munus quod offertur, & à quo alia omnia munera deriuantur. Hoc munus Spiritus ſanctus illapſu ſuo beat. Amaſai erat Princeps; nam charitas principem locum obtinet in virtutum choro: Dauid conſtituit eos principes turmæ, neſciunt enim ſeruiles animos illi quos charitas euexit ad virtutum apicem, ſed omne etiam tranſcendunt decus, vt videre eſt luculento exemplo Poloni Ducis. Is nomine Leſcos filius Caſimiri Regis reſpuit regnum ſibi debitum, quia ea lege dabatur vt Palatinum Sandomiriæ ſpoliaret, Palatinus ille Leſco erat intimus, & qui Leſcum ſupplex orabat ne abdicaret ſe regno, paratum ſe ſecedere ditione ſua, vt vel ſic omnia Leſco conſtarent ſarta tecta, ſed Leſcus regnum Poloniæ poſtpoſuit charitati quâ ſolâ regnatur in cœlo. Eligitur ergo alius in Regem nomine Romanus dux Vvaldimiriæ, amoris expers, & in proceres quoſque deſæuiens, dicens abigendas eſſe moſcas, vt ſuauius mella deguſtentur; ſed audi cataſtrophen diſparis exitus. Romanus Rex amoris neſcius, ita ſe exoſum omnibus fecit, vt ſanguine ſuo fuſo à ſicariis, dilueret aliorum ſanguinem quem ille copioſum impius effuderat. Hoc ſublato tota Polonia admirata Leſci modeſtiam, & amorem in ſuos, petiit in Regem, & vel inuitum præfecit regno. Plerique ſibi ſatis conſultum eſſe arbitrantur, ſi ſuæ incrementum fortunæ faciunt, diſpendio aliorum, ſed Deo vindice peſſum eunt omnia, quæ malis conflantur artibus, nec vnquam niſi illæſa charitate coaleſcunt. Audi & alium Regem incurium regni ſui, vt amoris in proximum

Ex Hiſtoria.
1. Paral. 12.
Concordia Deum conciliat.
Hiſtoria Polona Ioan. Herbur. ſub ann. 1204.
Leſcus regnũ reſpuit vt cha ritatem ſeruet.
Ioinuillaeus in vita S. Ludouici.

numeros omnes abſolueret. Is fuit S. Ludouicus Galliæ Rex, cœlo ſoloque clarus, qui rediens è conflictu cum Saracenis, multo vtrinque ſanguine exhauſto, recipientibus ſe ſingulis ad ſua quæque caſtra, accepit fratrem ſuum Carolum Andegauenſem captiuo ab hoſte, ducique vinctum ad hoſtilia caſtra, Ludouicus eo nuntio perculſus oblitus eſt ſe Regem, vt memor eſſet fratris. Illicò collecta expedita manu, irruit in cuneos ſuâ prædâ graues, iidemque hoſtes qui æquo marte cum eodem Rege conflixerant: nunc amoris eius in fratrem horruerunt impetus,& fugam capeſſentes, Carolus redux ceſſit vt & victoria in iura Ludouici.

S. Ludouicus morti ſe exponit amoris fraterni gratia.

Non erit abs re, meminiſſe hic effati illius Praxitelis pictoris eximij, in cuius officina erat tabula amoris, naturam adeò æmulantis, vt etiam intuentium animos inflecteret ad amorem. Renunciatum eſt Praxiteli, officinam ſubito incendio conflagraſſe, heu, inquit, ille diſperij, ſi amor meus & periit. Pretioſa quæque diſpereant, dummodo conſtet amor. Quid tibi ô homo tractamus peritura omnia, quæ & nos corpore perituros tractant: hoc vnum caueamus ne amor excidat; eius enim caſu occiduor omnia, & eo ſtante, medius noſtrum ſtat & Chriſtus, ſicut & hoſtis hominum acerrimus dæmon adſtat eis, qui amorem ſuum à ſuis cordibus expunxerunt: experiuntur enim illi iniquam Troiæ ſortem, quæ ea parte patuit hoſti, quæ ignem extinxerat. Vnde Paulus Iouius egregium hoc ſymbolum finxit, dùm vrbi Troiæ quam diripit hoſtis, hunc titulum præfecit TENENT DANAI QVA DEFICIT IGNIS. Ita & ſi ſciſcitaris qua irruit parte dæmon; & agmina vitiorum maiores faciunt impreſſiones! diſce ex ſymbolo, TENENT DANAI QVA DEFICIT IGNIS, id eſt vbi amor in proximum extinctus eſt, ecce inuidiam & ſurculos eius, odium, detrectationes, iniurias, furta, verbera, & alia quæ nunquam irrepunt, neque irrumpunt in animas, niſi quà deficit ignis, id eſt anima noſtra non eſt vſquequaque vitiis obnoxia, niſi ex diuortio inito cum proximis, quibus ſi coïuimur amore mutuo, iam ſtipatur toto agmine virtutum.

Ex SYMBOLIS.
Paul. Iouius libello de ſymbolis.
Troia quomodo direpta.

Non eſt aſpernanda Mathematica, quæ aſſerit cum Philoſophis Solem eſſe originem rerum quæ vegetant & ſentiunt, quippe Sol & homo generant hominem: hinc fit vt Sol ille viuificus, ſignis Zodiaci quibus ſemper adeſt præſens, vt qui minimè deuiet à linea ea Ecclyptica quæ permeat Zodiacum: hinc, inquam, fit vt Sol maiorem impertiat vim viuificandi illis ſignis quàm aliis conſtellationibus, quia coeunt plures ſtellæ in eam cœli plagam, quam Zodiacum vocant,& cùm ſint velut concordes atque adunatæ illæ ſtellæ, Sol illis medius adſtat; nam qualecumque decurrat ſignum, Sol ſemper eſt medius Zodiaco tot habens gradus à dextris, quot habet à ſiniſtris: & quare putas Ieſum duodenario Apoſtolorum aliàs ſic præſentem, niſi quia vnanimes & concordes erant, ipſomet Iuda etiam impotente ſcindere concordiam: quiſquis igitur Solis iuſtitiæ, ſeu Chriſti influxus propitios optat, cum aliis conueniat, animos enim indiuiduos, Chriſtus eorũ comes ſequitur ſemper. Non tamen vult Chriſtus nos hominibus noxiis aſſentiri, vt ait Aug.

Ex MATHEMATICA.
Sacrobosco 1. de ſphær.
Solis efficacia.
Charitas nõ fertur in vitia hominũ.

Sic

D. Aug. lib. de vera innocent. c. 2.

Sic diligendi ſunt homines, ne eorum diligantur errores, quia aliud eſt amare quod facti ſunt, aliud odiſſe quod faciunt. Deum reuerà adeſſe iis quos charitas habet, inſinuant & ipſi Canones ſancti, quos accipe. *In charitate exiſtentibus omnia Deus cooperatur in bonum, etiam lapſus & errores occaſionaliter, quia fortiores reſurgunt, præbendo eis occaſionem magis ſe humiliandi, & pœnitendi.* Alio item Canone. *Charitas plurimum iuuat eam habentem, ad reſiſtendum vitiis & peccatis,* & vt reſciant fideles eam charitatem ſitam eſſe in vnitate & pace cum proximis, eodem iure ſic fit palam. *Charitas quæ operit multitudinem peccatorum, proprium donum eſt catholicæ vnitatis & pacis.*

Ex IVRE CANONICO. *Can. talibus de pœnitentia, inſt. 2. can. multa 38. 5. q. 1.*

Nec ipſa tantùm iura ſanctiora ſollicitant nos ad eam charitatem, quâ ſolâ Deum demeremur, ſed etiam præſtant id ipſum iura ciuilia, quorum accipe leges. *Pax & Charitas ſolidum vinculum, ad cuius obſeruantiam quilibet ex præcepto tenetur.* Diceteſque ius ciuile ad hoc tantùm inſtitutum, & excubare Magiſtratus, vt contribules, & indigenæ omnes amicum agant ænum. In quo autem ſitus ſit amor ille, Ius indicat ſic. *Amicitia eſt idem velle in licitis, & honeſtis, vnde non eſt amicitia inter latrones.* Tantique eſt momenti homines facere concordes, vt poſſint etiam inuiti compelli ad mutuam concordiam, vt eodem iure liquet. *Ad concordiam iudex poteſt cogere partes diſcordantes inter ſe, etiam ad eorum incommodum.* Cæterùm crede Saluſtio, cuius eſt hoc theorema. *Concordiâ res paruæ creſcunt, & diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Mea autem ſententia hæc eſto.

Ex IVRE CIVILI. *Lege finali in add. marg. De re militari, gloſſa finali in lege lata culpa 223. §. finali de verb. ſig. gl. 1. in L. ſi ſo nero 28. de ſeruitute ruſticorum.*

DISCORDIÆ FINIS, EST VECORDIÆ AFFINIS.

FIDES NON EST EX SENSVVM penu, ſed ex dono Dei:

In hac verba:

Exprobrauit incredulitatem eorum.

SECTIO II.

APoſtolos de reſurrectione Chriſti anxios, & eam ſenſuum ſcrutinio addicentes, vt fecere Petrus, & Ioannes properantes ad ſepulchrum, vt probarent an eſſet corpus rediuiuum, ſicut & Thomas, qui viſu, & tactu ſuam voluit ſtabilire fidem. Hos, inquam, Apoſtolos ſuos Chriſtus eruditus carpit abiturus in cœlum, eorum infidelitatem caſtigans verbis aſperioribus, quia his qui viderant eum ſurrexiſſe non crediderunt, inſinuans non eſſe affinia, fidem & organa ſenſuum, ſed eſſe ſuperioris ordinis vtpote à Deo, qui cùm rediuiuus ſe aperuiſſet quibuſdam diſcipulis, debuerant Apoſtoli credere eis quibus ſe Deus ipſe reuelarat, & non ſenſibus adhærere. Nihil enim ſtare poteſt indubium, quod adminiculo ſenſuum acquiſitum eſt, ideóque extitêre Philoſophi Pyrrhonij ſectatores, aſſerentes nullam dari ſcientiam, à qua ego non longè abſum ſententia, non quòd negem Adamum, & Salomonem, alioſque raros ſeu paucos homines, illucente Deo, fuiſſe ſcientiſſimos, ſed quòd pauci ſint qui colliment ad ſcopum veræ ſcientiæ; dum enim ſenſuum indagini doctiſſimi quique tribuunt multa, dubias fecere quaſque ſcientias, etiam eas quæ ſunt obiectiuè certiores. Fruſtra igitur homo fidei incrementum venatur ex ſenſibus, cùm micanti deſuper lumine fides irradiet. Audi in hac palæſtra Philoſophiam.

Pyrrhonij quinam fuerint.

Adeò verum eſt, ancipitis diſcriminis eſſe omnia ſcibilia, vt in ipſo lumine cæcutiant ſummi Philoſophi: & quod demirere magis, in re pellucida qualis eſt lux, S. Thomas ab Alberto magno diſſentit etſi Philoſophiæ primos exceperit radios ab Alberto, qui aſſerit lucem cœleſtem ſpecie diſſitam eſſe à luce ſublunari. Nam lux ſequitur naturam corporis lucidi, vt nobiliſſimus actus eius; at Sol verbi gratia, & ignis ſunt diuerſæ ſpeciei, ergo & lux quæ ab vtroque corpore diffluit. Rurſus ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei mutuis ſe iuuant auxiliis, vt calor calori additus, ſed lux Solis in meridie lucem candelæ exhaurit, nec ab ea intenditur; item corpora cœleſtia miros edunt effectus adminiculo lucis, cuius vehiculo deorſum influunt, at ignis mediante luce nihil operatur; ſed medio tantùm calore eſt actiuus. Demum lumen candelæ augetur lumine facis, ſiue flamma depaſtæ, ſed Solis lumen acceſſionem non ſuſcipit à quouis incendio: ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Ex præmiſſis infero, fidem quæ eſt ſuperioris luminis irradiatio, eſſe diuerſæ ſpeciei ab ea notitia, quam venatur homo ſenſuum aucupio, nec fieri poſſe vt lumen illud cœleſte capiat augmentum, ex inueſtigatione rerum ſenſilium. Eamobrem in ſuos durius inuehitur hodie Chriſtus, quia viſu & tactu ſuam voluere ſtabilire fidem: audienda de his Theologia.

Ex PHILOSOPHIA. *S. Thom. 4. diſt. 44. q. 2. art. 4.* *Albertus Mag. 2. parte ſumm. qu. de lumine.*

Lux quid ſit.

Theologiæ Genius Thomas ait cuiuſlibet cognoſcitiui habitus obiectum, duo habere, ſcilicet id quod materialiter cognoſcitur, quod eſt ſicut materiale obiectum, & id per quod cognoſcitur, quod eſt formalis ratio obiecti, vt in ſcientia quauis, materialiter ſcita, ſunt concluſiones; formalis verò ratio ſciendi ſunt media demonſtrationis, quibus in notitiam alicuius concluſionis deuenitur. Sic in fide, formalis ratio rei creditæ eſt veritas prima, cuius reuelatione aſſentitur fides, ſic fides innititur primæ veritati vt medio. Materiale autem fidei, non eſt Deus tantùm, ſed ea quæque, quæ ordinem habent aliquem ad Deum, à quo reuelata ſunt: ergo cùm omnes aliæ infimæ veritates, eatenus tantùm ſint veræ, quatenus habent aliquid congruum veritati, fruſtra à ſenſibus quærimus adminicula fidei noſtræ, aut à ſcientiis, cùm diuerſa ſit planè ratio formalis aſſentiendi rebus. Bifariam enim aſſentitur rebus, hominum intellectus. Primò quia mouetur ab obiecto quod eſt per ſe ipſum cognitū, ſicut patet in primis principiis quorum eſt intellectus, vel quia obiectum eſt cognitum per aliud, ſicut patet in concluſionibus quæ ex præmiſſis innoteſcunt, & hic aſſentiendi modus procedit ab habitu ſcientiæ. Alio modo inclinatur intellectus ad aſſenſum, non quia ſufficienter moueatur ab obiecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis quàm in aliam, quòd ſi aſſentitur anxiè & dubiè, aſſenſus erit opinio, quòd ſi ſecus firmiter obiecto propoſito adhæreat ſine formidine, & res fuerit ei obiecta, vt à Deo reuelata, iam erit fides, cui nequaquam

Ex THEOLOGIA. *S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1 & 4.* Fidei ratio formalis quæ.

Ariſtoteles l. 6. Ethic. c. 2.

poteſt ſubeſſe falſum, ex ipſiſmet Philoſophi æ fontibus. Nam ex Ariſtotele. *Nulla virtus perficiens intellectum ſe habet ad falſum, ſecundum quod eſt malum intellectus.* At fides eſt virtus Theologalis perficiens intellectum, quatenus Deo reuelante illuſtratur: malè igitur conſulunt ſibi qui fidei dogmata ſubiiciunt ſenſuum examini, vt dixere ſancti in quibus hos accipe quibus præit Auguſtinus.

Ex SS. Patribus.

Fides non conciliatur humanis rationibus.

S. Auguſtin. in Ioan.

S. Ambroſ. lib. de Trinit.

S. Hieron. epiſt. 5.

S. Gregorius hom. 26. in Euangelia.

Noli intelligere vt credas, ſed crede vt intelligas. Et magiſter eius Ambroſius, *Aufer argumenta, vbi fides quæritur, in ipſis gymnaſiis ſuis iam Dialectica taceat, piſcatoribus creditur, & non Dialecticis.* His ſuperior ætate, & grandæuus Hieronymus. *Eſt fides, vt definit Apoſtolus, ſubſtantia rerum quas ſperamus, & index rerum quas non videmus, credere & videre quis non debet.* In eadem mente Gregorius. *Diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Sed heu quale experimentum præſtare queunt ſenſus, hallucinantes in rebus etiam peruiis, vt videre eſt in re Medica & in aſtris. Acutiſſimi hominum inter ſe litigant de re domeſtica, vt ſunt venæ, & nerui, quibus tota corporis humani compago ſubſiſtit. Plato ait venarum originem eſſe in corde; at Medici omnes cum Galeno, Hepar clamant eſſe, vnde ſeriem totam venarum emanat: naturæ genius Ariſtoteles ut ſe ſenſuum experimento didiciſſe, neruos oriri a corde, vbi ex diſſectione apparent innumeræ fibræ neruorum, quæ inſtar villorum quos radices fruticum edunt, arguunt neruos inde ſuas accipere propagines, quæ toto corpore diffunduntur. Rurſus cor eſt principium vitæ, inquit Ariſtoteles: ergo ab eo deriuantur nerui, quibus vt organis ſpiritus animales animant totum corpus. In Ariſtotelem inſurgunt Medici, Hippocratis & Galeni aſſeclæ omnes, in quibus Fernelius auitæ diſciplinæ propugnator acerrimus, multas adiicit rationes experimento ſenſuum, quas tu conſule, loco citato. Rurſus noſtrates Medici, & hoc æuo ſummi diſſident inter ſe de re cuius deciſio pertinet ad ſenſus. Fernelius, & Duretus, & Veſalius, ſeptem neruorum paria agnoſcunt è cerebro oriunda, quorum deſcripſère ſoboles. Sed Laurentius & ipſe ſicut illi Galliæ Regis Medicus, plures agnoſcit coniugationes quam ſeptem & has oculis luſtraſſe ſuis affirmat. Fernelius & Duretus coæui, ambóque ſummi Medici, dum calculi renum ortum inueſtigant, non coeunt in eamdem ſententiam. Sic enim ait Fernelius, *Comperi omnem calculum in veſica concluſum, rudimentum quoddam è renibus traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret, ac plerumque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, & quoſcumque exemptos veſicæ calculos obtriui (obtriui experiundi gratia permultos) in eorũ medio quaſi nucleum reperi, verum rudimentum è renibus exturbatum, diuerſi quàm reliquum integumentum, ac inuolucrum, & coloris & ſubſtantiæ.* Duretus non impar Fernelio, inficiatur eſſe vſquequaque veram Fernelij ſententiam, vnde ſic argumentor. Si in re adeò vernacula, qualia ſunt humana cadauera, ipſi etiam caligant oculi peritorum, quali putas caligine ſuffundendos oculos, qui fidem ſuam ex ſenſuum ludibrio metientur.

Venarum origo quænam ſit.

Ex re medica.

Plato in Timæo.

Ariſtoteles l. 2. de part. animal. c. 10.

Fernel. de animæ facultatibus lib. 5. cap. 13.

Fern. l. 1. de part. corpor. cap. 9.

Neruorum coniugationes quot ſint.

Apd. Laurēt. l. de Anatom. cap. de neruis.

Calculi in renibus effectum.

Fernel. lib. 6. de partium morbis & ſymptom. cap. 13.

Duretus l. 3. præn. coacar.

Sed ne quid illibatum ſit ſuperſtes in hac ſubiecta materia, de dubia notitia ſenſuum conſule Aſtronomos, quorum partes ſunt perpendere cœli gyros, & ſyderum ortus & occaſus aſſignare, ita vt ne vel latum vnguem dicant ſe à legitimo puncto aberrare; & tamen æuo noſtro inſurrexit in Hyparchum & in Ptolemæum Aſtronomiæ Principes Ioſephus Scaliger, arguens eos inſcitiæ, ſectatoreſque eorum. Sic ille. *Quid nunc hiſcere audebunt qui tam pertinaciter defendunt quod ignorant? nam profectò non quod ſciant certò vllum ſphæra ſtellatæ motum in conſequentia eſſe, ita prædicant; ſed quia ita pueri didicerunt, quæ ſenes dediſcere pudet: Quicquid eruditorum Aſtrologorum eſt, concurrant huc, & omnes operas ſuas conferant, vt illum fabuloſum motum tueantur, nihil agent, ſatis eos ſummonebit Eudoxi, & Eratoſthenis, & totius vetuſtatis authoritas, profectò furor eſt aduerſus hæc pertendere, ſpero tamen neminem tam à vero auerſum fore, qui tantis, tamque luculentis teſtimoniis confectus, & depoſitis manus vltro non det, & ingenue fateatur ſe cum Hipparcho & Ptolemæo, & cum omni Aſtrologorum natione iocularitèr & pueriliter erraſſe.* Multos habuit ſuæ opinionis aſſeclas Ioſephus hic, ſed ne vel hæc eius ſententia ſtaret, eam veluti delirium notat Dionyſius Petauius è Societate Iesv, ſcientia aſtronomiæ ipſa ſydera tranſcendens. Ille, inquam, vbi demiratus eſt altam Scaligeri ſuperbiam in eo charactere mox allatu, quem & ipſe Petauius integrè deſcribens, ſic commentatur. *Hæc eo integra deſcripſi vt inanem hominis ἀλαζονείαν, & confidentiam in re ludicra, & falſiſſima illius admiratores agnoſcerent, ac quibus argumentis, imò nullis penitùs adductus, tantum nouitatis importare cœleſtium in rerum doctrinam inſtituerit.* Imò ipſi famoſiſſimi Ephemeridum contextores, hacce tempeſtate facilè principes inter Aſtronomos, nonne ſe mutuis conuitiis procaciter excepêre? quibus prolegomena fœtent Ephemeridum, quas vterque conſcripſit, dum ſeſe inuicem carpunt, quòd vnus Planetam vnum fecerit vno toto ſigno retrogradum, qui tamen erat directus, alius verò ſugillat æmulum, quòd gradibus integris aberrarit in planetis ſuis quibuſque cancellis aſſignandis, variiſque allatis erroribus ambo ſe ebrios & aſinos vocant, tragœdiam illam totam ſcandalo concludentes: non defuit alter nomine Galilæus qui aſſeruit plures eſſe Planetas quàm ſeptem, ſicque fundamina quatiens Aſtrologiæ meo ſuffragatur intento, ea omnia quæ ſenſuum aucupio acquiruntur, eſſe eiuſdem rationis cum ſenſibus, quibus obuia quæque illudunt ſæpè. Itaque exclamare lubet cum Ambroſio. *O theſauris omnibus opulentior fides, ô virtutibus corporeis omnibus fides fortior, medicis omnibus ſaluatior!* Fauent & canones ſacri, in quibus

Ex mathematica.

Ioſephus Scaliger de emendatione temporum l. 4. p. 31.

Scaligeri ſuperbia.

Scientia omnis hominũ dubia eſt.

Dionyſius Petauius l. 3. variarũ diſſertationum.

Ioan. Maginus & Dauid Origanus in præfat. ad Ephem.

Ambroſ. de virginit.

Accipe hos. *Fidei regulam cuſtodire, & non deuiare à ſtatutis patrum, eſt prima ſalus.* Ita & ſecuritas, vt videre eſt in Apoſtolis qui turbabantur, apparente eis Iesv, quia nondum erant altè radicati in fide, vbi autem firmati ſunt, fortiores poſteà ipſis Regibus extiterunt. Ideò iſte editus eſt canon. *Fides medica vbi eſt, ibi eſt turbatio.* Rationem autem ſecuritatis alibi reddit eadem diſciplina Iuris ſanctioris. *Fides eſt ſcutum, per quod omnia iacula inimici extinguere poſſumus.* Vnde ſic arguo. Cùm nobis fide omnia

Ex iure Canonico.

Can. prima 25. q. 1. can. non turbatur 24. q. 1. can. qui reſiſtit 11. q. 3.

nia bona proſtent ,& nihil niſi anceps conſtiterit vnquam à ſenſibus , iugiter eſt ſtandum à fidei partibus.

Fidei encomia.
Ex Ivre Civili.
Lege 3. Cod. de ſumma Trinit. gloſſ. penult. in c. 1. §. ſi per quos ſiat inueſtitur. & gloſſ. pen. in c. 1. De noua forma fidelitatis.

Fidei ſeſe etiam inclinauêre Iura ciuilia,dum noluêre ſacra fidei myſteria diſcuti à profanis. *Fides Chriſtiana non debet tractari à clericis vel militaribus , vel alterius conditionis coadunatis turbis publicè,cùm irrogetur ex hoc iniuria iudicio conciliorum.* Vnde ſic procedo. Cautum ex lege hac , ne fidei decreta deuoluantur ad profanos iudices,ne fiat iniuria conciliis, quibus ſe prima veritas aperuit , ſed ſenſus noſtri ſunt iudices infideles , & infra primam veritatem; ergo arcendi ſunt à rebus fidei. Rurſus iiſdem legibus. *Fides non eſt praſtanda ei qui vult contra fidem verſari.* Sed ſenſus controuerſa faciunt dogmata fidei,ergo nulla eis eſt adhibenda fides. Meritò igitur *Recumbentibus vndecim diſcipulis , apparuit illis IESVS & exprobrauit incredulitatem.* Fideles omnes nihil dediſſe ſenſibus liquet ex omnimoda hiſtoria fidelium : vt Apoſtolus probare incipit ex ſcriptura , dum fidem Abel, Henoch,Noë & Abrahæ extulit. De Noë autem explicitè ait. *Noe reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur , metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ , per quam damnauit mundum, & iuſtitia quæ per fidem eſt , hæres eſt inſtitutus, fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem , & exiit neſciens quò iret.* Nullâque ferè ora , orbe toto remota , quæ non martyres habuerit qui teſtati ſunt ſanguine ſuo vera eſſe myſteria fidei noſtræ,etſi ſint inuiſa ſenſibus , quorum lumen nihil commune habet cum lumine fidei, ſicut habet omnia communia cum fide hæreticorum: vt fit palam hac hiſtoria cuius ſe vadem præſtat præſul Antoninus.

Hebr. 11.
Ex Historia.

S. Antoninus Archiepiſc. Florent. 3. parte Chron. titulo 19. c. 1. § 4.
S. Dominicus quo miraculo probauit fidem ſuam.

Diſcordes extitêre Diu Catholici & Albigenſes hæretici,quæ fides eſſet illibata , rem detulerunt ad futurum prodigium , annuente & S. Dominico qui aderat illi diſcrimini,conuentum eſt vt accenſo rogo publicè liber vtriuſque fidei mandaretur rogo , & eum librum qui ſuperſtes eſſet incendio fore aſſertorem fidei indubiæ,eámque ancipitem fore fidem cuius eſſet depaſtus ignis omnes articulos. Facto igitur ignis accenſi periculo , liber hæreticus abiit in fauillam , reſiliente è flammis libro catholico. Inſtant hæretici vt rurſus iniiciatur , fideles nequaquam obſtant , tertiò eundem librum produnt flammis,ſed illæ impotentes agere in hunc librum,ſartum illum tectúmque reliquerunt, fide ſic catholicâ præualente. Ita moraliter, ſcito fidem omnem quæ ſenſibus accenditur , flocci pendendam eſſe, quia lumine ſenſuum adaugetur : eſt enim ordinis naturalis , atque adeò eſt redigenda in fauillam , vtpotè peritura , ſicut & ſenſus , quæ enim ſe mutuò intendunt & adaugent,ſunt eiuſdem ſpeciei : at ſecus hoc tibi ratum eſto , eam fidem quæ reſilit à ſenſibus , nec ab eis accenditur , eſſe luminis alterius , ſcilicet altioris.

Ex Symbolis.
Typotius lib. Symbol.
Charitas è cœlo oriunda.

Neſcio an ad hunc attenderit ſcopum Aloyſius Eſteoſis Cardinalis,qui pro ſymbolo aſſumpſerat Prometheum ignem de cœlo ſuffurantem , hoc lemmate Altiora , indicabat eminens ille Cardinalis,nullam deorſum eſſe lucem quæ ſuperiori lumini queat aſſimilari;Cardioales animos indue, ô homo Chriſtiane,ita vt tentatione prouocante ad ſenſus decreta fidei, illicò reſpondeas. Altiora , id eſt alia eſſe tribunalia, quorum edicta tuam ſtabiliunt fidem, de quo accipe meam ſententiam.

Non coeunt fidei assensus , et sensus accensus, seu extinctus.

QVI SINT LEGITIMI Fidei Præcones.

In hæc verba :

Prædicate Euangelium omni creaturæ.

Sectio III.

CHriſtus Dominus ſuæ prouiſurus Eccleſiæ, prædicationis onus Apoſtolis impoſuit : quos enim inſtituerat Epiſcopos, eoſdem vult & habere curam ouium ſibi commiſſarum, & cùm officium illud paſtorale animas potiſſimùm reſpiciat impinguandas , cibum ille decernit quo paſcantur animæ. Prædicate , inquit , Euangelium,& inde patet miſſio neceſſaria prædicanti: eſt autem miſſio deputatio alicuius ab eo qui poteſtatem habet ad obeundum miniſterium Eccleſiaſticum ; qualia ſunt,ſacramentorum adminiſtratio , & prædicatio Euangelij. Extraordinariæ miſſionis author eſt Deus , qui hominum ope alios vocat homines , & huius miſſionis extraordinariæ teſſera eſt miraculum , quo quis à Deo immediatè oſtendit ſeeſſe miſſum. Ita Moyſes Pharaoni teſtatus eſt prodigiis miſſionis ſuæ veritatem. Ita & Chriſtus Dominus, & poſt eum Apoſtoli. Miſſio ordinaria eſt ea, qua à Pontifice ſummo inſtituuntur Epiſcopi,& ab his Dei verbi præcones accipiunt ius prædicandi,quod nemini competit,niſi annuente Epiſcopo, aut ſummo Pontifice , iuxta illud Pauli: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur ?* De hac miſſione erit hæc ſectio ferè tota literali ſenſu contexta , vt proximæ ſectioni moralem campum aperiat.

Miſſionis extraordinariæ ſigna quænã ſint.

Rom. 10.

Ex Theologia.

Prima fronte animum pulſat iſta miſſionis inſtitutio, & onus impoſitum prædicandi : nam ſi fides eſt donum Dei cœlitus illapſum,ad quid præcones ſacri diuerberant aures , cùm & hoc ſæculo dyſcolos quoſque videamus homines, etiam auditores verbi Dei. Rurſus ſi fides , concionum ope animis auditorum inſideat , iam à ſenſibus ſuam capiet originem : & hoc ſuperiore ſectione impugnatum eſt. Audiendi in hoc Theologi & in his S. Thom.

S. Thom. 2. 2. q. 6. art 1.
Fidei ſumma quid requirat.

Ad fidem duo requiruntur. Primum eſt obiectum.Secundum eſt credentis aſſenſus,vtrumque eſt à Deo. Primum quidem, quia credibilia quæ ſunt materia fidei , excedunt rationem hominis,& eamobrem non cadunt in notitiam humanam, niſi Deo reuelante. Quibuſdam res fidei reuelatæ ſunt à Deo immediatè,vt Apoſtolis & Prophetis, quibuſdam autem proponuntur à Deo mittente fidei prædicatores , iuxta illud. *Fides ex auditu.* Vt à cauſa proponente exterius, vt ſubiicit Apoſtolus. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt ? quomodo credent ei quem non audierunt ? quomodo audient ſine prædicante?* Ad hæc obiecta materialia non ſtatim fides excitatur,vt videre eſt in hæreticis , & in infidelibus,

Rom. 10.

Ibidem.

bus,quibus etſi proponantur credibilia, illa tamen procacitate ioficiantur. Alterum quod requiritur, eſt credentis aſſenſus, qui eſt reuerà etiam à Deo. Poſſumus autem io eo aſſenſu duplicem cauſam ſpeculari, vnam exterius indocentem, vt eſt miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem. Sed neutrum horum eſt cauſa ſufficiens, quia ex multis qui eidem interfuêre miraculo, eidémque concioni, alij credunt, alij verò ſecus deteriores fiunt. Alia igitur eſt aſſignanda cauſa interior, quæ hominem moueat interius ad aſſentiendum fidei. Pelagiani ponebant liberum arbitrium hominis ſolum, aiebántque initium fidei eſſe in nobis, in quantum parati ſumus ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei, conſummationem autem fidei eſſe à Deo nobis proponente ea quæ credere debemus, ſed impia eſt ea ſententia. Etenim cùm homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, ſupra naturam ſuam eueharur, neceſſe eſt, quod hoc inſit ei à ſupernaturali principio interius mouente; hoc autem principium eſt Deus, cuius donum eſt fides, ſiue conſideretur ex parte aſſenſus, ſiue ex parte obiecti materialis, quod etſi proponatur à prædicante, hoc non obſtat quin à Deo ſit id totum, quod inde deriuatur. Cùm autem Eccleſia ſit vt caſtrorum acies ordinata, Philoſophum audiamus edocentem quid ſit ordo.

Fides qualē aſſenſum poſtulet.

Ex Ariſtotele. *Prius & poſteriùs dicuntur ſecundum relationem ad aliquod principium.* Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris, vnde oportet vt vbi eſt aliquod principium, ibidem etiam & ſit aliqualis ordo. Dato igitur quod Eccleſia ſit in ordine conſtituta, concedenda eſt aliqua prioritas, à qua deueniatur ad alia; Illa prioritas in Eccleſia eminet in capite quod eſt Chriſtus, ſeu vicarius agens eius partes, Pontifex ſummus apex Eccleſiæ; ab hoc deinde Antiſtites, & ab his prædicatores qui Eccleſiæ pabulum diſtribuunt.

Ex PHILOSOPHIA. *Ariſt lib. 3. Metaph.*

Et hoc benè figurat ars Medica, quæ ait hominem totum moueri, ſicut & mouetur equus, cuius ſeſſor eques, imperat motum; imperium autem illud fertur ad equum mediante fræno, quo ad læuam aut ad dextram inflexo, etiam illò vergit equus; ita & ratio imperat motum ex arce ſua, ſcilicet capite, imperium illud diffluit ad muſculos mediantibus neruis vt quibuſdam canalibus, muſculi demum percelluntur, animali eos ſpiritu alluente. Ita & Eccleſia aliquali parte ſua muſculos refert; nam ſicuti muſculi partes ſunt diſſimilares vapore diſtincti, neruulis atque venis, necnon & arteriis, ita & plerique ſtatus hominum diſpares coëunt in vnum Eccleſiæ corpus myſticum, cuius caput Papa infundit per prædicatores ſpiritum, quo fideles mouentur ad ſuperna.

Ex REMEDICA. *Anatomici omnes vbi de muſculis. Fern. de partib. corpor. lib. 1. c. 5.* Motus corporis humani qua ratione fiat.

Nec arbitreris cœleſtia inordinatè procedere dum influunt, ex Iamblico, quem priſca Philoſophia Platonicorum quondam ſuſpexit: quicquid viuit & vegetat, eſt à Luna, tamen quia Luna luce lucet aliena, ab aliis planetis ſuperioribus accipit vim ſuam influendi: quaſi ſine influxu ſuperiorum, illa impos eſſet ad impertiendum ſuos aſpectus beneficos: Diceréſque hunc planetam propitium non agere niſi præuia miſſione, ab aliis enim in ſphæra ſuperiore micantibus accipit Luna modum, quo vim ſuam inferioribus impertiat, ne quid tumultuariò fiat & præter ordinem, quo violato omnia peſſum eunt. Sed hic Planetarum ordo, inferior multò eſt eo qui viget in Eccleſia, cuius micantia omnia ſydera, de cathedra Petri ſuum lumen emendicant. Et vt petra olim fingitur extitiſſe vocalis ex contactu lyræ Apollinis; ita hæc Petri ſedes non canora tantùm eſt in perſona Pontificis, ſed & dat etiam præconibus verbi ſacri, vt ſint & ſonori, iuxta illud: *Dat verbum euangelizantibus virtute multa.* Et vt illi qui conſulebant Apollinem, dum ex antro ſpecúque templi exſiliebant, œſtro perciti quodam promebant oracula; ita & hi quos ſedes Petri emittit ad prædicandum, ſanctiora eructant oracula. Eandem Petri hodie diſſeminari fidem, ipſo influente Petro, audi eiuſdem Petri ſucceſſorem & vtique S. Leonem. *In vniuerſa Eccleſia, Tu es Chriſtus filius Dei viui, quotidie Petrus dicit, & omnis lingua quæ confitetur Dominum, magiſterio huius vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captiuorum eius vincula diſſoluit: hæc eruit mundo, inſerit cœlo, & portæ inferi aduerſus eam præualere non poſſunt. His itaque modis, dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtiuitas cathedræ S. Petri, vt in perſona humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo, cum commendatarum ſibi ouium cuſtodia perſeuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Manet ergo diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta petra fortitudine perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non relinquit.* Et quia non potis eſt Archi-preſul Eccleſiæ immediatè vacare concioni, ſuis quibúſque prouinciis Epiſcopos mittit, qui eas partes agant, vel etiam preſbyteros quandoque Pontifices mittunt, vt Epiſcoporum ſacra obeant munia prædicando: teſte hac epiſtola Gregorij ſecundi Papæ, ad ſanctum Bonifacium preſbyterum, quem direxit in Germaniam. *In nomine indiuiſibilis Trinitatis, per inconcuſſam authoritatem B. Petri Apoſtolorum Principis, cuius doctrina & magiſterio fungimur, & locum ſanctæ Sedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ Religionis inſtituimus, atque præcipimus vt in verbo Dei (quo igne ſalutifero, quem Dominus venit mittere in terram, enixere videris) ad quaſcunque gentes infidelitatis errore detentas, properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri, veritatis ſuaſione deſignes, &c.* Tamen licet plerique obeant prædicatorum partes, hoc eſt ex indulgentia & miſſione Antiſtitum, quorum eſt primariò prædicare, vt benè arguit S. Thomas, cùm ait ex S. Dionyſio, perficere proprium eſſe Epiſcoporum, & perficere idem eſſe ac docere: nam intellectum perficiunt & illuminant, tenebras ignorantiæ detergendo, ecce verba Dionyſij. *Demonſtratum eſt igitur Pontificum quidem ordinem, vim perficiendi habere, ac re perficere, ſacerdotum autem illuſtrandi vim habere, atque lucem afferre, miniſtrorum verò, expiandi, & ſecernendi vim habere: quòd ſcilicet Pontificum ordo, non ſolum re perficere poſſit, verùm etiam, illuſtrare ſimul & expiare.*

Ex MATHEMATICA. *Iamblicus li. de Myſter. Ægypt.* Luna quomodo influat. *Pſalm. 67.* Ex SS. PATRIBVS. *S. Leo Papa ſerm. 2. de anniuerſ. ſuæ Aſſumpt.* Fides vera in Eccleſia non deficiet. *Ex Villibaldo Epiſc hac epiſt. ſcripta eſt anno 719. idib. Maij ann. 3. Imperij Leonis ſecundi.* *S. Thom. 3. p. q. 67. art. 1. S. Dionyſ. l. de Eccleſ. hierarch. c. 5.* Epiſcoporũ eſt alios perficere.

Defectu huius influxus, hæreſiarchæ ſuum ſparsêre virus, quod hinc alienum eſſe à diſciplina Apoſtolica oſtendit Tertullianus. *Cedant hæretici origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordines Epiſcoporum, ita ab initio per ſucceſſiones decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit authorem*

Tertullian l. de præſcr. Eccleſiæ Romanæ dignitas.

&

& ſucceſſorem, hoc certè Eccleſiæ Romanæ eſt peculiare & proprium, cathedra ſua originem à Chriſto deducere, & per omnes ætates decurrentem in ea Epiſcoporum, & Paſtorum legitimè miſſorum, ſibique ſuccedentium catalogum texere, quantumcumque etiam temporalis dominij forma fuerit immutata. Eodem aculeo pungit hæreticos Cyprianus. *Ij ſunt qui ſe vltrò apud temerarios conuenas, ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, nomen Epiſcopi aſſumunt.* Quodqoe magis ſtupeas, Lutherus & Caluinus perduelles Eccleſiæ & Anteſignani deſertorum fidei, hanc miſſionis neceſſitatem agnoſcunt, vt legitima ſit diſciplina quæ ab homine prædicatur. Cùm enim proprium ſit Pontificum prædicare fidem, nemo illis inſciis poteſt vſurpare illud onus, ſicut Angelorum inferiorum nullus poteſt ſuperiorem ordinem tranſcendere. Ideóque & nefas irrepsêre nefarij homines in ouile Chriſti, infido paſtu animas incautas perimentes. Benè eos percellit Dionyſius. *Inferiores enim ordines, ad maiora ſuperioraque munia tranſilire non poſſunt, ac præterea nefas eſt eis, manus huic oſtentationi adhibere,*

S. Cyprian. l. de ſimplicitate prælatorum.

Luther. in c. 1. epi. ad Gal. Caluin. li 4. inſtitut c. 3. §. 13. & 14.

S. Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia, c. 1. p. 5.

EX HISTORIA.
Baronius in Clemente ſub ann. 95. Beda lib. 1. hiſt. Gentis Angl. Theophanes in annalibus, ſub ann. 742.

Miſſiooem hanc pendere à capite Eccleſiæ ipſa hiſtoria ſacra clamat. Sanctus Clemens in Gallias miſit Dionyſium, qui fidem ſuo ſanguine madentem illic ampliauit. Ex Beda S. Gregorius Papa, Religioſum nomine Auguſtioum, miſit in Angliam quam ille fidei Chriſtianæ conſciam fecit. Sergius Papa ex Surio plures Epiſcopos miſit ad Germanos, quos ſic ad Eccleſiæ caulas adduxit. Theophanes ait S. Bonifacium petiiſſe à Zacharia Papa, vt ratas haberet Eccleſiarum inſtitutiones, quas illic erexerat demùm, annuente tantùm Pontifice poteſt ab vllo hominum diſſeminari fides, niſi ſacris canonibus velit qoiſqois ille eſt facere iniuriam, quibus miſſio ſtatuitur expetenda, & ne ab Epiſcopis putet eſſe quiſpiam hanc miſſionem. Iure Canonico, *Illi obligantur ſuperiori poteſtati, ſcilicet ad obſeruationem Canonum.* Et ne à Regibus ſuam habere aliquando miſſionem credant, ſic habet alter Canon. *Epiſcopi non tenentur venire ad concilium, ad citationem Regis vel Imperatoris.* Eſſe autem ſub tutela Papæ, monet alter textus. *Epiſcopalis ſedes ab Apoſtolica ſede tueri & defendi debet.* Cui ſedi ſubdiri Epiſcopi, ius habent miſſionis, vt hoc Canone perhibetur. *Epiſcopalia iura dicuntur Canonica, obedientia, ſubiectio, reuerentia, inſtitutio, deſtitutio, correctio, reformatio, cenſura Eccleſiaſtica, iuriſdictio cauſarum omnium ad forum Eccleſiaſticum pertinentium, pœnitentia, & Sacramentorum omnium quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda, collatio.*

EX IVRE CANONICO.
In extrauag. Sancta Romana ioan 22 Can. concilia, § hinc etiam Diſt. 17. Can. 1. 8. q. 5. c. cũ querente. c. De Officio Ordin.

Quod ſi in profanis ritè ordinatis, poteſtas in alios, aliqualis eſſe dignoſcitur, quid ni & in ſpiritualibus, quorum conſequentia potior eſt quàm rerum temporalium: eſſe autem multiplicem poteſtatem temporalem, audi iuriſtas. *Poteſtatis verbo plura ſignificantur, in perſona magiſtratuum dicitur Imperium, in perſona liberorum dicitur patria poteſtas, in perſona ſerui dicitur dominium.* Quale autem diſcrimen incurrat, qui dubiam facit ſæculi poteſtatem, audi ex lege. *Poteſtatem principis negans, ſuper quibuſcumque adminiſtrationibus, vel promulgandis dignitatibus, committit crimen quaſi ſacrilegij.*

EX IVRE CIVILI.
L. poteſtatis 2. 15. de verbor. ſignificatione. Lege 5 Cod. de diuerſ. reſcrip.

Prædicatores hac miſſione expediti volant vt ſagittæ emiſſæ ab arcu, quæ aliàs inutiles ſunt, arcu enim non emittente, ſagittæ nullius ſunt vſus. Sagittis verò aſſimilari præcones ſacros, audi Pſaltem. *Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum,* Quem textum Hugo Cardinalis explicat de prædicatoribus, quos vt excuſſos & expeditos, Chriſtus direxit in omnes orbis plagas. His autem ſagittis myſticis apto ſymbolum Franciſci à Lotharingia, qui arcum & ſagittas depingebat, coronâ deſuper eminente, hoc titulo, VNITA TRIVMPHANT. Non enim ſagittæ ab arcu diſſitæ coronam vllam poſſunt acquirere: neque vlli prædicatores etiamſi regulares, ſine miſſione triumphum de ſua concione reportabunt. Etenim vnita triumphant. Sit ergo hoc ſtatum.

Hugo Cardinal in Pſal. 126.

EX SYMBOLIS.
Typotius lib. ſymbol.

VBI NON EST MISSIO, IBI EST AMISSIO, ET NON LVCRVM.

PRÆDICATORES DEBENT enitere virtutum ſignis.

In hæc verba:

Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur.

SECTIO IV.

APoſtoli prædicationis nequaquam obiere munus, niſi Spiritus ſancti igne decocti, hoc exemplo monentes non eſſe prædicationi incumbendum, niſi eis qui multa virtute freti ſobolem poſſunt edere Deo placituram; & hæc ſectio erit addicta verbi Dei præconibus virtutum incuriis, quorum heu & ego! faxit Deus non ſim de reprobo grege. Vt ergo cautiores ſint in animarum conuerſione, audiant.

Deus hominem edocturus nihil eſſe perpetuum ſub hoc cœli tractu, omnia mutationibus crebris fecit obnoxia; tranſeunt enim elementa quæque in naturam eius cum quo aliquali ſui parte conueniunt, & vt facilior eſſet vnius in alterum reciproca mutatio, inſitas habent elementa qualitates ſymbolicas, quibus coëuntur. Verbi gratiâ, terra ſicca eſt, & frigida; aqua verò frigida & humida, atque ita aduerſantur ſibi ratione ſiccitatis terræ, & humoris aquei; ſed in qualitate frigida concordant. Rurſus aër humidus eſt, & calidus, & cum aquæ contrarius ſit calore, ei tamen humiditate copulatur, ſuper hunc ignis calidus, & ſiccus, aëri reſiſtit ſiccitate, cum quo tamen calore nectitur, & ita fit, vt ſingula elementa duo ſibi hinc inde vicina ſingulis qualitatibus, velut quibuſdam amplectantur vlnis, aqua terram frigore, aërem humore, aër aquam humiditate, ignem calore, ignis aërem calore, terram verò ſiccitate, & hac vinculorum varietate, Philoſophis dicitur mundi harmonia cohærere, vt & verſibus luſit Boëtius.

EX PHILOSOPHIA.
Alcinous lib. de doctrina Platonis.

Elementorũ qualitates ſymbolicæ.

Tu numeris elementa ligas, vt frigida flammis
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Boëtius, l. 3. de conſolat. Philoſophia Metro 9.

Sic etiam Deus prouidit conuerſioni hominum. Voluit præcones verbi eſſe ſanctos, vt vel hac ſymbolica qualitate excitarent ſemina virtutum inſita quibuſuis hominum animis. Cùm enim verbum Dei prædicatum accendat auditorum corda, ea facilius inclinabuntur ad virtutem, ſi

Prædicatores debent aliis eminere.

prædica

prædicator virtute ſua, præoſtendat virtutem poſſe fieri vernaculam. Ita Dauid ſanctior factos ait. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Theologia liquidiùs probat eos, qui volunt aliis fidem ingerere, debere enitere virtutibus: ait enim Angelicus Doctor, ad fidei veritatem non pertinere tantùm credulitatem cordis, ſed etiam exteriorem proteſtationem, quæ non fit verbis tantùm, quibus quis fidem confitetur; ſed validius fit illa profeſſio, factis atque virtutibus, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit; iuxta illud Iacobi. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* De alis verò vt fidei iniuriis, queritur Apoſtolus, querulis hiſce verbis. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Ergo vt fidelem ſe exhibeat prædicator, debet habere fidem, vtique viuacem: at ex Apoſtulo, *Fides ſine operibus mortua eſt.* Rurſus etſi moueatur interius voluntas ad aſſenſum fidei, Deo percellente, habet tamen aliquando extrinſeca quædam, quibus anima moueatur ad credendum, vt perſuadentis authoritas, eloquentia, & rationum pondus, ſed nulla eſt argumentatio æquè efficax, ac ea qua virtus ipſa ſe factibilem probat, dum fit à præcone fidei, cuius teſſera ſunt virtutes.

Pſalm. 50.
EX THEOLOGIA.
S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 3.
Iacob. 2.
Tit. 1.
Iacob. 2.

Ideo Paulus Timotheum effotmaturus in præconem verbi Dei, ſic eum inſtituit. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.* Ex Olympiodoro dicitur Deus loqui in manibus prophetarum, quia omnia quæcumque Prophetæ audiebant facienda faciebant. Formam prædicandi edocuit Ioathan, vnicus & ſuperſtes filius Gedeonis, de quo ſic codex facet. *Stetit Ioathan in vertice montis Garizim, eleuatáque voce clamauit.* Sic commentatur Damianus. *Prius aſcendit & poſtmodum clamauit, antè conſurgit in montem, & ſic eleuat vocem, quia niſi doctor, virtutum culmen prius aſcendat, inaniter clamat.* Eodem quo Damianus ſpiritu actus Gregorius ſic fatur. *Gallus cùm iam edere cantus parat, prius alas excutit, & ſeipſum feriens vigilantiorem reddit, ſe priùs prædicatores exerceant, in ſanctis actionibus, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce, ſe antè per ſublimia facta excutiant, & tunc ad benè agendum, alios ſollicitos reddant; priùs alis inſonent, quàm cantus emittant, ſic quod locuti ſunt, operibus clamant, & cùm perfectè in ſemetipſis vigilant, tunc dormientes alios ad vigiliam vocant.* S. Auguſtinus incidens in illud Cantici. *Omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt inter eas,* ait. *Hi ſunt qui rectè præcipiunt, & vt præcipiunt, ita viuunt.*

EX SS. PATRIBVS.
2. Tim. 4.
Olympiodorus.
Iudic. 9.
Petrus Damianus.
Prædicator qua cautione debeat aliis prædicare.
S. Greg. l. 30. moral. c. 4.
Cant. 4.
S. Auguſt. in Pſalm. 3.

Nonne & Medici ſuaſuri vſum pharmacorum, ipſi in ſe periculum faciunt, etiam veneno hauſto, vt ſe vidiſſe quoſdam ait Mathiolus, qui vt theriacæ ſuæ pararent famam, publicè toxicum glutiebant, quod infirmare dicebant ſuo ſolo antidoto; Alij vulnera infligunt ſibi gladio exerto, balſami ſui virtutem aperturi, corpore ſuo operto plagis.

EX RE MEDICA.
Mathiolus in libros Dioſcorid.

Morte ſua fidem fecere ſuis ſcriptis, inſignes duo Mathematici, quorum vnus Ioannes Maginus longè antè ex directione Planetarum diem prædixit quo ceſſurus erat fatis, alter Ioannes Regio Montanus Sixto Pontifici charus, & ſummus in ea parte Aſtrologiæ, quæ directiones ſpectat. Præuiderat ſe veneno periturum, fidem fato fecere, filij Trapezuntij, cuius ſcripta carpſerat Regio Montanus. Ita & tu ô præco, qui prædicas verbo Dei perire vitia, morere tu peccato, & viuacem facies tuam hac morte myſtica diſciplinam. Alioquin vitio tuo erit & doctrina vitioſa. Ex ipſo iure Canonico, cuius eſt Canon. *Doctorum malorum mala eſt doctrina.* Et explicitè ius ait. *Docere non poteſt alios, dum quis eſt in peccato.* Tandem formula Iure Pontificio præſcribitur ad quam ſe debent componere doctores. *Doctor non debet eſſe arrogans, ſed humilis: habet hoc proprium doctrina arrogantium, vt humiliter neſciant proferre quæ doceant, & rectè quæ ſapiunt, rectè miniſtrare non poſſint.* Nec miror Iure Pontificio, prædicatorum vitam expendi, ad trutinam virtutis, cum & Iure ciuili nefas ſit Doctorem legum eſſe vitiorum næuis obnoxium, vt lex iſta clamat. *Ad docendum liberalia ſtudia, non debet quis admitti, niſi priùs fuerit approbatus, atque examinatus in moribus, & in ſcientia.*

Ioannes Regio Montanus ſuâ mortem præſciuiſſe dicitur.
EX IVRE CANONICO.
Can. commenimus. §. item Taraſius 1. q. 7.
Can. cum exaud. etc. Diſtinct. 50. gl. de doctorib. in proœmio lib. 6.

Hiſtoria tota clamat, quò quis Magiſter ſanctitate enituit, eò eum etiam fructus vberiores edidiſſe, ideo Seneca aiebat Lucilio. *Eum elige magiſtrum, quem cum videris, magis demireris quàm eum audieris.* Ageſilaüs hominem verſipellem quem ei præficere parentes voluerant, iuuenis adhuc recuſauit dicens, ſe nolle in magiſtrum recipere alium hominem, quàm eum qui parentis poſſet obire vices, id eſt cuius doctrina inſtar lactis eſſet quo ingenuè paſceretur. Et vnde putas priſcis Eccleſiæ ſæculis, gentiles caternatim confluxiſſe ad Eccleſiæ caulas? Non aliunde ſanè quam eos vrgente virtute ſanctorum, qui præcones erant verbi ſacri, & qui morte fortiter obitâ pro Chriſto, ſinceritatem ſuæ fidei teſtabantur. Et reuerà Eccleſiæ fundamina beatorum martyrum ſanguinè coaleſcunt. Vis noſſe quantùm exempla præpolleant verbis? Vide apud Philoſtratum, Apollonium Philoſophiæ ſuæ ambitioſæ virus verbis non æquè diſſeminaſſe, ac virtutis ementitæ ludibrio; cùm enim ille dæmonum aſſecla & Chriſtianorum oſor, vellet impia ſua dogmata fulcire, virtutis ſe ſtudioſum eſſe ſimulabat, hocque inani virtutis ſuæ ſimulachro, ita homines dementauit, vt & ipſe Philoſtratus eius encomiaſtes, demens quoque, virtutum illa ludibria ventilarit vt cedro digna.

EX IVRE CIVILI.
Lege Magiſtros C. de profeſſoribus lib. 1.
EX HISTORIA:
Senec. ep. ad Lucil.
Plut. in Ageſilao.
Philoſtratus in vita Apollonij.

Edidit olim ſpecimen ſanctiùs ſuæ diſciplinæ Beatus Franciſcus, qui cùm declamaret in fœtidæ libidinis colluuiem, quæ aulam Frederici Imperatoris fecerat impudicam, voluit præpotens hic Dynaſta tentare an Seraphicus ille præco, verbo tantùm tenus pudicitiam ſectaretur, mandat cuidam aulico, vt clam meretricem inducat noctu in cubiculum Seraphici Patris, eligitur mulier ſpecioſa, in libidinemque compoſita, hæc inſcio Franciſco intromittitur, cubilique admota, vbi vir ſanctus decumbebat, eum excitat, & pellicit ad peccandum. Ille, vir emeritæ virtutis, illico ſurgit, & accedens ad focum cuius prunas multo cinere aſperſerat, eas ſpargit nudúmque corpus volutat in prunis, ſenſúque doloris emergentis ex corpore ſemuſto, extinxit libidinis æſtus, & animum pellicis perculit ad amorem caſtitatis. Huius tragœdiæ cataſtrophen vbi reſciit Imperator, pœnitens facti fuit, & ipſe præco laudum viri ſancti, cuius virtuti plus datum eſt quàm doctrinæ. Simili prope ratione tentauit Ezelinus Tyrannus probitatem Sancti Antonij à Padua prædi

Prædicatorũ ſanctitas quã potens ad conuertendas animas.
Chron. minorum in vita S. Franciſci.
S. Franciſcus opere ſuas prædicationes probat.
Chron. minorum in vita S. Ant.
S. Antonij Paduani virtus confirmauit eius conciones.

prædicatoris eximij. Miſit vas aureum plenum nummis, hancque curam baiulis vaſis demandauit, vt eum occiderent, ſi vas illud acciperet, ſi verò ſecus reſpueret illas opes, venerarentur eum, haberentque vt ſanctum. Accedentibus igitur deputatis à Tyranno, vbi Sanctus has vidit opes explicari ſibi deſtinatas, auerſatus eas, mandat Ezelino, vt emendet noxios actus ſi inſtanti iuſtitiæ Dei vellet ſeſe ſubtrahere. Quòd ſi ſancta vt ardua nimis non arrident, audi facinus egregium principis adoleſcentis.

S. Ambroſ. l. de Valentinian. Valentiniani Imperatoris mira caſtitas.

Valentinianus iunior, potitus Imperio, ægrè ferebat nobiles adoleſcentes litare formæ ſpecioſæ cuiuſdam meretricis, quæ ſpecie ſua percellebat omnium hominum corda quæ nutabant ad aſpectum eius, fruſtra monuit aulicos ſuos Imperator: aiebant enim, mulierem illam tantos ſpirare libidinis æſtus, vt ea præſente nemo ſui iuris eſſet. Imperator aduocat mulierem in palatium, illa aduolat, ornata quàm potuit adſtat imperatori ſtipato agmine nobilium, quibus in ſcortum intentis, iuuenis imperator nuſquam oculos direxit in faciem pellicis egregiæ, etſi multo tempore illic adfuiſſet. Ea dimiſſa ait Valentinianus, ô Iuuenes, ne cauſemini animos veſtros impotentes ad libidinem compeſcendam, oculos auertite, ſicut me vidiſtis auertere, & eritis veſtri iuris: potior fuit exempli perſuaſio quàm verborum. Demum ſciat verbi præco non temerè Ioannem Baptiſtam antitypum omnium qui Chriſtum prædicarunt, non gratis comparatum eſſe lucernæ à Chriſto Domino, qui de eo ſic fatus eſt. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Nam priùs debet prædicator ardere charitate, quæ parens eſt egregiorum facinorum, quàm lucere verbis. Neſcióque aliud ſymbolum aptius prædicatori, quàm illud apud Franciſcum Villaua. Is candelam pinxit hoc titulo. VT LVCEAT ARDET. Hoc & ego ingero. VT LVCEAS ARDE. Egregiæ actiones fomites ſunt charitatis, cuius pabula ſunt virtutes, quarum ardorem lux ſequetur amplior, diffuſa verbis, alioquin hoc audi.

MORALE. *Ioan. 5.* — Prædicatoris ſymbolum. EX SYMBOLIS: *Franciſcus Villaua lib. Symbol.*

VERBI DEI NON EST PRÆCO, SI VITIIS OBNOXIVS, SED PRÆDO NOXIVS.

VERBVM DEI PRÆDICATVM, dæmones omnes de mentibus auditorum eliminat.

In hæc verba:

In nomine meo Dæmonia eiicient.

SECTIO V.

EX PHILOSOPHIA: *Ariſt. l. 6. Ethicor. c. 3.*

EX ſummo Philoſophorum Ariſtotele, veritas eſt habitudo quædam inter rem, & inter intellectum: vt enim ſe habet bonum ad voluntatem; ita & verum ad intellectum: ideò vt nullum eſt bonum, niſi ratione ordinis ad voluntatem; ita & nullum eſt verum niſi per reſpectum ad intellectum: veritas igitur ſecundùm illam habitudinem eſt conformitas inter intellectum & rem cognitam, ſicut & falſitas eſt difformitas inter rem cognitam & inter intellectum. Quod vt explicet Albertus ille Magnus, ait veritatem ſitam eſſe in compoſitione illa mentali, quam facit intellectus inferendo vnum ex aliis: nam in prima apprehenſione non eſt mendacium, ſed in ſecunda incipit eſſe mendacium, cum iudicat falsò, & in tertia pertinaciter iuſſum eſt mendacium, dum ratio deluſa concludit. Ex his vide quomodo verbum Dei dæmones omnes eliminet. Dæmones irrepſerunt in hominem, verbo habito cum homine, cui fecere fucos ingerendo falſa, nimirum fore Deum ſi feralis pomi concupitum antea carperet edulium, audiit falſum mens incauta, & ſuſpicans dicto ineſſe quid ſpecioſum, præbuit aſſenſum, quo falſitas, agendo radices altas, Adami proſapiam factam inde obnoxiam multiplici mendacio vſquequaque dementauit: nam vt habet commune effatum, omnis peccans eſt ignorans; ſi quidem Angelus nequam induens habitum lucis, obiicit homini res noxias & lethales, ſicuti ſalutares; facinore autem perpetrato, hallucinans homo cedit in dæmonis arbitrium. Sed vbi verbi Dei prædicati incipit lux affulgere, iuxta illud Pſaltis. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Tenebræ quas offuderat dæmon, illicò deterguntur, & abigitur ille princeps tenebrarum: verbum enim Dei ex Bernardo. *Eſt ſpeculum veritatis, nemini blanditur, neminem palpat, talem in eo ſe quiſque reperiet qualis fuerit,* Et alibi adhuc ſic. *Spiritus eſt verbum, ſpirituſque anima, & habent linguas ſuas, quibus ſe alterutrum alloquantur, præſentesque indicent, & verbi quidem lingua, fauor dignationis eius, animæ verò deuotionis feruor, huiuſcemodi linguam ſuam, cùm verbum monet volens ad animam loqui: non poteſt anima non ſentire, viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus.* Hoc gladio verbi Dei, dæmones arcentur ab anima, ſicut & homines à paradiſo, gladio fugabantur eo quem Cherubinus exertum præferebat, erat gladius ille flammeus, ita & ſcriptura ſacra prædicata luce ſuâ detegit noxia quæque. Audi Auguſtinum. *Scriptura, vt fidelis ſpeculi nitor, nullius accipit adulandam perſonam, ſed ad laudanda, & vituperanda hominum facta illis ipſa indicat.* Et ſuppar Ambroſius ſic ait. *Paſcua ſunt libri ſcripturarum cæleſtium, in quibus recreamur & reficimur, cùm ea quæ ſcripta ſunt, deguſtamus, vel ſummo ore libata frequentius ruminamus.* Verbum Dei inde prædicatum, animas paſcit edulio quod eſt antidotum eius quo depaſto, dæmon abſorbuit hominum genus, ad hoc alluſit Hilarius. *Vt per os in alimoniam corporis cibos ſumimus; ita per cor ad viuificandam animam eſcas doctrinæ cæleſtis accipimus, quæ niſi amplificato, & patente corde attracta quodammodo fuerint, non proderunt.* Nec verbum Dei tantùm eſt aduerſus mala præterita remedium, ſed & ingruentia mala præſentia frangit dæmonémque fugat.

Albert. magnus tract. 2. cap. 3. — Verbum Dei fugat dæmones. — *Pſalm. 18.* — EX SS. PATRIBVS. *S. Bern. serm. 46 in Cantic.* Verbi Dei efficacia. — *S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtũ, c. 65.* — *S. Ambroſ. ſerm. 14.* Scripturæ ſacræ encomia. — *S. Hilar. in Pſalm. 118.*

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1 p. q. 114. art. 2.*

Ex Theologia dæmon tentatione ſola præualet in homines, ergo quiſquis diluerit tentationes eius, ille erit dæmone ſuperior, ſed hoc præſtat verbum Dei: igitur verbo Dei Angelus hic tentator aufugiet. Tentare ex S. Thoma, experiri eſt, dæmon tentans facit experimentum vitium noſtrarum vt noceat, & hoc trifariam. Primò obiiciens gratioſa quibus vellicet ſenſus,

& eos innata cupedine captos alliciat, vt conſenſum animæ eliciant, & hoc peccatum eſt fragilitatis, alio modo neſcios homines agit præcipites in aliquod malum, vt Paulum quem zelo inſulſo perculerat in fideles Chriſtianos,

1.Timoth.1.

vnde ipſe ait. *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Tandem Angelus ille verſipellis alios ſcientes ciet in peccata, vt aliquam libidinem expleant, carnis aut vindictæ, illic enim bonum aliquod ſubolent, ſub cuius ratione malum habent pro obiecto. Huic tricuſpidi tentationi occurrit verbum Dei, firmat enim nutantes animos, eóſque neſcios inſtruit vt ait Apoſtolorum apex Petrus.

2.Petr.1.

Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies elucēſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Vocat firmiorem ſermonem, effectiuè; confirmat enim eos, qui corde patulo excipiunt. Secundò lucernam nuncupat, quia ignorantiæ tenebras abſtergit, vt explicitè ait Pſaltes.

Pſalm.118.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Denique ait luciferum oriri in cordibus, id eſt gratiam, ſeu Spiritum ſanctum, quibus eliminatur malitia omnis. Spiritum ſanctum irruere in eos quibus inſinuatur verbum Dei, liquet ex actibus egregiis quos Lucas ſcripſit.

Actor.10.
Pſalm.118.
Chriſtus naſcens ſilentium indicit oraculis.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circumciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Ideò ſpiritus nequam verbo Dei cedit, quo infunditur Spiritus Dei. An non ideò gloriatur Dauid redux à peccato, ex prædicatione Nathan. *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.*

Ex Hiſtoria.
Plut lib. cur ceſſauerunt oracula.

Et ne in ſenſu morali omnino verſeris, vide in hiſtoriis dæmones eliminatos à templis, ex verbo Dei diſſeminato. Ipſe Plutarchus infidelis cauſam quærit, cur æuo ſuo muta extiterint oracula, nulla autem alia profectò adferri poteſt, præter verbum Dei, quod eo tempore ab Apoſtolis vbique ſpargebatur. Quod & probatum eſt in Serapidis templo, vbi dæmon ait ſe non reſponſa daturum amplius, ſi non inde recederet Apollinaris præco verbi Dei. Deo confirmante quod antea ſpoponderat, prædicatores verbi dæmones electuros. Figuram accipe ex ſcriptura.

Surius in vita S. Apoll.
1.Reg.16.

Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Quod ſi tanta fuit virtus citharæ, vt ad ſonum eius horruerit dæmon, verbum Dei multo potiores ſortietur effectus, dum enim dæmon turpia quæque ingerit, animamque in varia diſtrahit illicita, ſæpe vnâ concione auditâ, peſſum eunt dæmonis hæc omnia tentamina, teſte Auguſtino quem vitiis irretitum, concio S. Ambroſij Deo reddidit, dæmone profligato.

S. Auguſt. libris confeſſ.
Verbi Dei contemptores quomodo caſtigati.

Vim inſitam verbi Dei, expertus dæmon, nauſeam verbi ſacri ſuis ingerit aſſeclis: ſic enim perpetuus inhabitat noxiorum hominum mentes, vt videre eſt in eo textu.

Morale.
1.Reg.8.

Noluit populus audire vocem Samuelis; ſed dixerunt: nequaquam Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes. Reuera ſunt gentiles dæmonique addicti, qui renuunt audire verbum Dei, eſtque eis Rex Angelus nebulo, qui pertæſos verbum Dei, deuincit ſibi arctiſſimè: vbi ergo quempiam aduerteris aures ægras habentem, inſonante verbo Dei, idipſum eſſe lethale pronuntia.

Ex re Medica:
Hippoc. coacarum lib 2. c.16. prænot.

Medici vbi empyicos (id eſt eos quibus pus in thorace effuſum eſt) vident ſurdeſcere, inferunt inde mortem, & nigras eiectiones, & cruentas. Ita & Theologi eos quibus noxæ animam fecere purulentam, cùm viderint non capere verbum Dei quod eis inſonat, aiunt nihil niſi lethale & tetrum poſſe egeri ab his hominibus incuriis verbi Dei, imò & cruenta dum ſæuiunt in proximos. Medica prænotio eſt Hippocratis. *τοῖσιν ἐμπύοισι κώφωσις γινομένη αἱματώδεα διαχώρησιν σημαίνει τούτοισι πρὸς τὴν τελευτὴν μέλανα διαχωρέει. Surditas quæ cadit in empyicos, cruentam excretionem denuntiat, atque his ſub finem vitæ nigra ducuntur.*

Ex Mathematica.
Iulius Firmicus L.2.c.17.

Et Mathematici, qui vt ait Firmicus, morbos omnes referunt ad aliquod ſignum Zodiaci, & ad Planetam qui dominus eſt talis ſigni, aiunt ſignum Arietis capiti dominari, morboſque ingerere dum tale ſignum fit maleficum, huius autem ſigni Planeta, Mars eſt, naturæ igneæ eſt hoc ſignum; iuxta illud.

Ignea ſunt, Aries, Leo, Chiron, terrea Taurus.

Vnde infero, nunquam magis dæmonem atrocitate in animas, quam cùm caput afficit ſurditate, agit enim Arietem, & ſpiritum Martialem, rixarum fontem: qui enim obſurduit ad verbum Dei, miſcet vbique tragœdias, & quaſi alius Mars quietis impatiens, & naturæ igneæ, ignibus tandem inferi perpetuis addicetur.

Ex Iure Canonico:
Clement. 1. de pæn. & remiſſion.
Doctores quantùm honorandi.
Exto inter cunctas §. verum.
De priuil c. cū ex iniuſto, de hæretic.

Alij verò ſecus dicto Dei audientes, vberes inde fructus carpunt: eſt enim viuum & efficax verbum Dei inducens homines ad virtutem, iuxta illud ex Canone ſacro. *Verba exhortatiua & deprecatiua quandoque imponunt neceſſitatem, & obligant ſicut præceptiua, puta ob reuerentiam perſonarum, quando materia eſt neceſſaria.* Sanxitque ius ſacrum prædicandi munus omnino neceſſarium. *Verbi Dei propoſitio eſt ad ſalutem valde neceſſaria.* Et ne verbo Dei fiat iniuria dum prædicator contemnitur, præcipuo honore habendos eos qui prædicant, ſanxere iura ſacra, vt fit palàm iſto textu. *Doctores in Eccleſia ſunt valdè honorandi, vnde eorum ordo eſt quaſi præcipuus, & priuilegiatus in Eccleſia.* Iure etiam ciuili ſuus quemque Doctorem legum manet honos, quo nefas eſt vti homines ex nefario concubitu oriundos, vt eſt in hac lege cautum. *Doctoratus eſt honor & dignitas, & ad illum gradum illegitimus aſpirare non poteſt.*

Lege honor §. 1. in add. marg. de muneribus.

Cæterum Academia Altorfina, orbem verbo Dei ſtare, egregio hoc ſymbolo teſtata eſt, pinxit globum ſeu ſphæram incumbentem libro, hoc titulo, HIS INNITITVR ORBIS. Quaſi diceret, ſi ſubtrahas librum cui inſidet orbis, illico ſuſdéque ruet. Attige ergo, ô auditor, aures idoneas verbo Dei, hoc enim innititur orbis, & hoc dæmones abiguntur, ſed inſtabis.

AD VERBVM DEI, DÆMON FVRIT, ESTO, DEMVM FVGIT, PRÆSTO.

QVOMO

QVOMODO VERBVM Dei, linguas auditorum dirigat.

In hac verba:

Linguis loquentur nouis.

Sectio VI.

Ex Philoſophia. *Ariſtoteles lib. 1. de interpr. cap. 1. Idem l. 8. Metaphyſ. cap. 4.* Verbum mentis quid ſit.

VErbo Dei redditum hominem meliori frugi, vti etiam nouâ linguâ: vide ex Philoſophia, cuius apex Ariſtoteles ait. *Voces eſſe ſigna conceptuum*, & alibi, *nomina eſſe ſigna rerum.* Quales ergo erunt conceptus, tales erunt & editæ voces, talia etiam nomina homines eructabunt, ſed verbum Dei, hianti corde, & auribus patulis exceptum nouos ingerit conceptus, vtique alienos a noxiis olim ideis, quas verſabat homo nequam: ergo & voces quas edet ille neophytus, concordes erunt recentiori conceptui. Ad hoc alluſere Sancti, ſcilicet Auguſtinus. *Verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi quod intus latet.* S. Baſil. *Verbum noſtrum totius noſtræ cognitionis imaginem refert, quod enim ſecundum cor nouimus, hoc verbo proferimus.* Greg. Nyſſen. *Humana mens ſonis intelligentiæ ſuæ occulta manifeſtat.* Damaſcenus appellat vocem, *Angelum intelligentiæ, id eſt conceptuum nuntium.* Plotinus appellat vocem *interpretem animi*, & Philo vocat ſermonem fratrem mentis, eúmque comparat Aaroni, qui fuit interpres fratris ſui Moſis.

Ex SS. Patribus. *S. Aug. l. 11. de Trin. c. 11. Baſ. hom. 1. in Ioan. Greg. Nyſſ. de hominis creat. c. 9. Plotinus de virtute, c. 3. Philo. l. quod deterius potiori inſidiatur.*

Ex Theologia: *S. Thom. 3. p. q. 36. art. 2. 1. Pet. 4.*

Rurſus olim legati ſuas obituri vices, Mercurio linguas faciebant ſacras: erat enim eloquentiæ Deus in delirio Gentilium; ita & hi qui percepere verbum Dei, linguas illi ſuas dicant & conſecrant: & hoc Theologia nobis inſinuat? cùm ait Spiritum ſanctum procedere à Verbo, aliàs enim Spiritus ſanctus non diſtingueretur perſonaliter à Verbo, perſonæ enim diuinæ ab inuicem diſtinguuntur tantùm per relationes oppoſitas: at Spiritus ſanctus nobis innotuit igneis linguis. Vnde ſic arguo, Verbum Dei ad extra ſic ſe habet, vt verbum Dei ab æterno ad intra, ſed ab æterno, Verbum ſpirat Spiritum ſanctum, vnà cum Patre, per modum vnius principij, ergo Verbum Dei quod concepit auditor intellectu docili, innoteſcet linguis igneis, id eſt ſermone amorem ingerente, iuxta illud Petri, *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Et vt perſonæ Trinitatis ſunt vnius eſſentiæ indiuiduæ, operantúrque ſimul ad extra; ita & verbum Dei prædicatum, vbi in intellectu altas radices egit, erumpit in voces amore feruidas. Voces autem illæ tria dicunt quæ referunt trinitatem; voces ſeu loquelæ diſtinctis expreſſæ verbis, fuere præuiæ in intellectu, qui typus eſt Patris, illæ verò vt ſunt verba, referunt Verbum ab intellectu procedens, nequeunt autem emitti verba illa ad extra, niſi ciente ſpiritu, ceu halitu valido, cuius ope vox editur, vt & in diuinis dicitur Verbum conceptum de Spiritu ſancto, id eſt verbum innotuit in humanis operante Spiritu ſancto ad Verbi incarnationem: vt enim incarnatio dicit actionem, ea eſt totius Trinitatis; ſed vt dicit terminationem, ab vna tantùm perſona terminatur, ſcilicet à perſona Verbi.

Ex Hiſtoria: *Victor lib. de perſecutione Vandalica.*

Quod autem verbo Dei linguæ dirigantur, conſtat ex Hiſtoria ſacra, vbi gentiles ipſi audita prædicatione Petri linguis loquebantur nouis, vt & Apoſtoli, quódque fidem ſuperat, Chriſtiani quidam in perſecutione Vandalica ſub Hunnerico Rege Ariano, ob Dei verbum prædicatum, ea pœna mulctati ſunt, vt eis eruerentur extirpatæ linguæ: tamen vt ſtante causâ ſtat effectus; ita & verbo Dei viuo vigente in animis beatarum illarum mentium, ſancti illi confeſſores, licet elingues, ſonorè tamen vt antea, & explicitè prædicabant, vt ſcribit Victor. Adiicit Gregorius, vnum ex his libidinis contagio euaſiſſe mutum, periiſſeque in eo ſimul & loquelam, & verbum viuum, ſcilicet charitate animatum. Verbum Dei non eſſe tacitum, ſed ſonorum vide ex Iuſtino Philoſopho. Is luſtratis omnium diſciplinarum ſeu Philoſophorum inſtitutis, aliquid hiulcum & diſſonum vbique reperit, ſed vbi myſteriis fidei Chriſtianæ initiatus eſt, verbum hoc non elingue fuit, Imperatorem adiit, fidémque audacter ei prædicauit. Ex præfatis collige eos quorum lingua vacat à loquela ſancta, & quæ facilis eſt ad turpia, & ad noxia quæuis, hos, inquam, infer eſſe à verbo Dei dilitos, & exleges, id eſt ſine lege; & audi in hoc themate medicos, aliquid idoneum aduertentes, ex diſſectione corporum.

S. Gregorius dialog. l. 2. cap. 32. S. Iuſtinus ipſe in dialogo cum Typhone. Luxuria mutum facit hominē.

Ex re Medica. *Andreas Laurent. l. Anatomia. cap. de muſculis.* Lingua mouetur decem muſculis.

Ex Laurentio Medico, & famoſo cadauerum inſpectore, lingua mouetur decem muſculis, quaſi innuente naturâ, ſi decalogus ſeu denarius præceptorum minimè obſeruetur, elingues fore homines: rurſus idem ait eos qui ex natura obſurduere, eſſe etiam æuo ſuo toto tacitos, quia neruuli quidam ab aure in linguam diſcurrentes vitiati, adimnot auditum ſimul & loquelam: quæ duæ facultates vt gemellæ, eodem neruulo ſociantur. Idipſum videre eſt & in moralibus, vbi ea eſt aurium & linguæ proportio, vt qui non vult audire ſacra, nolit & eadem omnino loqui, nec eſt etiam quod vrgeas ad confeſſionem, homines exoſos conciones; neſciunt quippe loqui, neque Deum humili confeſſione demereri, atque garruli ad profana, ſilent in re ſacra.

Ex Mathematica. *Ptolemæus l. 1. de iudiciis cap. 12. 13. 14.* Mercurius Planeta loquelæ præeſt.

Garruli non ſilent hîc Mathematici, vtpote in ſubiecto de loquela. Ptolemæus Aſtrologorum apex, ait Mercurium Planetam qui loquelæ præeſt, ſuam deperdere omnimodam virtutem, ſi ſit in aliqua domo obſeſſa à maleficis ſyderibus, qualia ſunt Saturnus & Mars: dicitur autem domus obſeſſa, quando ſignum in quo eſt Mercurius, eſt inter alia duo ſigna, quæ habent ſydus infauſtum: hoc ego ſic expendo moraliter ad intentum noſtræ lectionis, quæ eſt de verbo Dei dirigente linguam. Si homo ſit aliquali noxa præpeditus, lingua eius (quam refert Mercurij Planeta) eſt in domo obſeſſa, quippe vitiis irretitus homo, dura obſidione cingitur. Quid ergo, Chriſtiane, ab adultero ſancta tibi poſcis enarrari? lingua eius obſidetur à Venere ſeu libidine: neſcit enim præter obſcena loqui, quid pia ſciſcitaris enuntiari tibi ab homine cupido vindictæ? lingua eius obſidetur à Marte, qui vt igneus nihil niſi igneum & lethale ſpirat. Cæterum vt Mercurius Planeta induit naturam Planetæ cui adiungitur; ita & lingua Mercurio ſacra, naturam habituum capit, quos acquirit homo præuiis actibus qui ſi reprobi ſint,

reproba etiam homo eructabit, ſi verò homo innoxiis rebus fuerit aſſuetus, miſcebit etiam innoxia colloquia, iuxta illud obiectum Petro mentienti, & deſpectanti Chriſti diſciplinam. *Verè Galilæus es; nam & loquela tua te manifeſtum facit.*

Ex SS. Patribus. Hugo Victorinus lib. 2. de anima Sermones a. n mos produnt. S. Sidonius Apollinaris. lib. 3 epiſt. S. Gregor lib. 5. Moral.

Linguam referre indolem vitiorum, & virtutum, audi ex Hugone. *Vanus ſermo vanæ conſcientiæ eſt index, mores hominis lingua pandit, qualis ſermo oſtenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur, ſermo vanus non erit abſque indicio, quia ab omni ſtatu rectitudinis deuiant, qui per vana verba dilabuntur.* Hugoni ſuperior Sidonius ille ſanctus ſic fatur. *Quibus circa honeſtatis nitorem, lingua polluitur infrenis, his conſcientia quoque ſordidiſſima eſt, quia facilius contingit, vt quiſpiam ſeria loquens viuat obſcœnè, id eſt immundè, quàm valeat oſtendi, qui pariter exſtat improbus dictis, & probus moribus.* His adde Gregorium. *Praui ſicut in ſenſu leues ſunt, ita in locutione præcipites, quia quod conſcientia leuis concipit, leuior protinus lingua prodit.*

Ex Iura Civili. Gloſſ. abſ. lat in add. margin in legem, de haeredibus in lucuendis. L. quidam in ſuo 27 de conditione inſtitu.

Habet & ius ciuile penſum ſuum, quod expendat iſti ſectioni, ſic enim iuriſtæ fantur. *Ex loquentis perſona, deprehenditur mens loquentis.* Et alia item lege ſic habetur. *Ex ſermonibus præſumitur quis furioſus, vel non ſanæ mentis; talis enim præſumitur, cuius verba gerit, & talis cuius & geſta ducit.*

Iure etiam canonico loquela perhibetur eſſe index animi, vt habetur hoc Canone. *Ex verborum prolatione, quandóque cognoſcitur intrinſeca hominis natura.* Et ad hoc inſtitutum eſſe loquelæ vſum, vt animum prodat, explicat hoc ius ſacrum, nimirum lingua in homine vices obit eaſdem quas & agit acus in horologio; ibi enim acus horarum index loquitur momenta quæque fluentia: ita & abditos animi receſſus lingua pangit; vt enim ait Canon, *Verba inſtituta ſunt, non vt per ea ſe inuicem homines fallant, ſed vt per ea quiſque in vlterius cogitationes ſuas proferat.*

Quòd ſi quis verbi Dei incurius, déque ſua ſalute parum ſollicitus, linguam exerit indiſcretè, ea parte ſe diabolo prodet, imò & hoſtibus, qui nebulonem ex iniqua loquela prædicabunt. Ita capitur piſcis, nomine purpura, de genere conchyliorum. Is linguam præacutam iaculatur cominus in oſtrea vicina ſibi, ſed hoc acumine excitata oſtrea, explicatas conchas illicò complicant, piſciculúmque prædonem ea

Ex iure canonico. Can. hoc habes d. ſimil. 46. Can. is autem 22 q. 2. Ex Symbolis. Camerarius lib. Centur. de piſcibus.

parte capiunt, quam protulit indiſcretè: ita & plerique effuſi in ſcurriloquia, iniurias, aliáque reproba, exertâ linguâ diſpereunt, facti prædæ eorum quos ſugillant, eiſque quadrat ſymbolum, quod compegit Camerarius, pingens purpuram piſciculum, qui exertâ linguâ oſtreum pungens, ab eo concluditur, hoc titulo. PRÆDA PATET ESCA SVI. Ita ô homo vaniloque, ea tui parte quam effundis, id eſt lingua tua, pates eſca hoſti quem prædam tuam facere intendebas: Ne igitur lingua procax & garrula deprædetur animam tuam, dirige eam ad normam & amuſſim verbi ſacri. Nimirum

LINGVAM DEI VERBVM DIRIGIT, QVÆ DILIGIT VERVM.

VERBI DEI SECTATORES impigri, ſerpentibus vitiis occurrunt:

In hac verba:

Serpentes tollent.

SECTIO VII.

SErpentes induere typum peccatorum, phraſis eſt Scripturæ ſanctioris, vt legere eſt apud Salomonem. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* *Prouerb. 23.* In eodem ſenſu Ieſus Syracides ait. *Eccleſ. 21.* *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* *Vitij cũ ſerpente comparatio.* Verbo autem Dei eliminare nos poſſe hos ſerpentes, eſt penſum huiuſce ſectionis, quam ex Philoſophis auſpicabor.

Ex Philoſophia. S. Dionyſ. c. 4. li. de diuin. nomin. Ariſtoteles Metaphyſ. c. 2. & lib. 1. Ethic. c. 1.

Philoſophia ſedula rerum indagatrix inquirit an virtutes ſint homini naturales, & ait eſſe naturales, ſi naturale accipiatur pro eo quod eſt homini conueniens. Nam homo naturâ ſuâ particeps eſt rationis. Ideóque ex Dionyſio naturale eſt ei ſecundùm rationem viuere, ergo cùm actiones virtutis in ſapiente ſint conſentaneæ rectæ rationi, conſequens eſt, vt hominis naturæ conuenientes ſint. Ruſus ex Ariſtotele homo naturaliter inclinatur ad cognitionem veri, & ad appetitionem boni, ſed virtutes intellectuales feruntur in verum, ſicut & morales feruntur in bonum, ergo cùm naturale ſit vnicuique perfici ſecundùm naturam ſuam, & virtutes hominem perficiant in ordine ad verum, & ad bonum, ad quæ ex natura propenſus eſt homo; in propatulo eſt, homini virtutes eſſe in prælibata acceptione naturales.

Virtutes an inſitæ ſint homini.

Tamen in eo ſenſu homo non deſinit à peccato, cùm deuiat à recta ratione; nam virtutes ex eo quod homini conueniant, non tamen inſitæ ſunt à natura niſi in ſemine, id eſt inchoatiuè tantùm: vt autem ſemina virtutum ſurgant in frutices, & inde enaſcantur vberes & opimi fructus, debent hæc ſemina multipliciter irrigari, alioquin vitio pullulante, virtutum exordia penitus extinguerentur. Hæc autem rudimenta virtutis, exculta ab homine impigro, ſuum accipiunt ex pluribus actibus incrementum. Et virtutes iſtæ acquiſitæ dum idoneis actionibus adoleſcunt, vitia eliminant ſibi oppoſita, id eſt ſerpentes tollunt, cùm voluntas ab eis auertitur, quorum ſe primitus obſequio mancipatat. Voluntas verò ſe ſe expedire nequit ab ea re quam antea deperiit, niſi ratione aperiente fucos quos vitia rebus offuderant. Nequit autem ratio prælucere voluntati, niſi edocta; hoc autem fit verbo Dei, quod diſcutit nubes omnes quibus abdunt ſe vitia quæque ementita ſpeciem bonitatis: ergo verbum Dei, dum explicat rationi cauſas indicendi bellum vnicuique vitio, & voluntatem excitat ad odiũ rei elicitæ, ſerpentes dicitur extinguere.

Ex Theologia.

Theologia liquidior eſt in re ſacra. Ait hæc ſacra diſciplina, gratiam Dei differre à virtute, quod virtus ex Ariſtotele, *Ex quadam diſpoſitio perfecti*; id eſt diſponens hominem ad operandum congruè ad naturam hominis; gratia verò ſecus hominem eleuat & diſponit ad præalta

& exce

& excedentia naturæ conamina ; eſt autem hæc gratia aliquando inſtrumentaliter in re corporea, vt in ſacramentis ex S. Thoma, aliàs in verbo Dei declamante contra vitia, quorum horrore concepto ex contritione prævalidâ, gratia illabitur, ſerpentes omnes eliminans. Vt enim in ipſa voce ſenſibili & merè naturali, eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit à conceptione mentis ; ita & potiori ratione verbum Dei prædicatum, vt à Deo eſt, validiore impetu quatiet animas auditorum, vt vitia eliminent, quæ vt ſerpentes irrepunt in incautos ; dicique aliqualiter poteſt, verbum Dei prædicatum, eſſe de genere eorum ſignorum quæ practica nuncupantur, vtpote efficientia res eas quas ſignificant, & hæc eſt Pauli diſciplina docens verba Dei inducere auditores ad virtutum praxim, quas ingerunt auribus auditorum: ſic enim ait Vas electionis. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quippe anima diuiditur, verbo Dei audito, à noxijs affectibus ; manus arcentur à quouis neſario contactu ; & pedes demùm retrocedunt à locis infauſtis, ad quæ aliàs pernice greſſu ferebantur, magno animæ diſpendio. Dicitur etiam ſermo Dei diſcretor cogitationum vtpote diſpeſcens ideas innoxias à reprobis, & ingerens nouos habitus, qui ſunt propagines fidei Chriſtianæ. Denique gladio aſſimilatur, quia proprium eſt verbi Dei, extirpare vitij omnes ſurculos emergentes. Et huic energiæ verbi Dei quadrat ſymbolum Academiæ Altorfinæ.

S.Thom. 1.2. q.110.a.1. Ariſt. 7.phyſic.textu 17. S.Th. 3.part. q.62.art.4.

Verbi Dei efficacia.

Hebr.4.

Ex SYMBOLIS. *In lib.ſymb. Academiæ Altorfinæ.*

Huius Academiæ profeſſores inducturi diſcipulos ad literarum indaginem, & ad attentionem lectionum, habent in libro ſuorum ſymbolorum, librum apertum cui gladius exertus incumbit, hoc titulo : VIRTVTEM DOCTRINA PARAT, id eſt doctrina armat nos in vitia, quæ vt ſerpentes lethiferi virtutis gladio reſecantur, virtutis autem gladius educitur ex libris ſicut è vagina ſua. Chriſtus ipſe Dominus, vbi euangelizare incepit, dixit veniſſe ſe mittere gladium in terras; quo ſcilicet vitia præſcinderet : nimirum VIRTVTEM DOCTRINA PARAT. Fac ergo, ô impiger auditor verbi Dei, vt virtutem doctrina paret, id eſt, ne in vacuum, & inane volet irreuocabile verbum : hoc enim eſt contra rationem verbi Dei, vt fatur Iſaias. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti ; ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quodcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud, pro ſaliuncula aſcendit abies, & pro vrtica creſcet myrtus.* Nota ſalices arbores infructuoſas & nullius vſui eſſe animas ſontes & nequam, quibus vt verbum Dei prædicatur, ſurgunt in excelſas abietes, id eſt in virtutem, qua media, tales auditores fiunt idonei ædificio cœleſtis ciuitatis. Item vrtica mutatur in myrtum, quando vitia obtuſis aculeis tranſeunt in virtutes, quæ ſunt proſapia verbi Dei.

Doctrinæ & virtutis nexus.

Ex SS. PATRIBVS.

Verbum Dei eſſe gladium amputantem omnia noxia audi ex Caſſiano. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, caro enim & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, & ideò quiſquis ab huius ſanguinis effuſione gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei, voluerit inhibere, illud Ieremiæ maledictum incurret. Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine; hic namque eſt gladius, qui illum noxium ſanguinem, quo animatur materia peccatorum ſalubriter fundens quicquid repererit in membris noſtris carnale concretum reſecat, & abſcindit, ac mortificatos vitiis, viuere Deo, & ſpiritualibus facit vigere virtutibus.* Vides hoc gladio diſſecari ſerpentes, & pugnari pro virtute, ſcitè Procopius. *Dei ſermo ſolet animas noſtras excolere, ſuoque tempore doctrina vt aratro renouare, & latentes earum cogitationes proſcindere.* Et Ambroſius : *Cur deſperandum quòd Dominus loquatur in hominibus, qui locutus eſt in ſentibus, atque vtinam meas quoque illuminet ſpinas, erunt quibus de rubo audita vox noſtra ſoluat de pedibus calceamentum, & impedimentis corporis exuatur mentis inceſſus.* Quomodo autem verbo Dei innoxia diſſita ſint à reprobis, audi ex ſcriptura. *Factum eſt cùm audiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſrael.* Quippe Hæbrei illucente verbo Dei, noluere miſceri gentibus, ne eorum induerent ritus : ideoque eos à ſe vt ſerpentes ablegarunt.

Caſſianus collat. 10. c.8. Ierem.48.

Doctrina ſana à Deo fluit.

Procopius in c.28.Iſai. S. Ambr.lib. 1.de virgin.

2.Eſdr. 13.

Nonne & verbo Dei, Hebræi percuſſi in deſerto à ſerpente ignito, audientes dicto Dei ſanati ſunt, qui ſpreto hoc verbo Dei, ſerpentum virulentis ictibus fuerant antea caſtigati. Vt Apollo ſagittis ſuis confecit Pythonem ſerpentem :

Ex HISTORIA. *Numer.21. Claudianus 7.panegy.*

Cæruleus tali proſtratus Apolline Python.

Ita & prædicatores verbo Dei vitia quæ ſerpunt, validè confodiunt, illæſis tamen hominibus, quos ſoſpites & integros hæc tela ſeruant, dum ſæuiunt in ſerpentes : Fitque miraculum affine huic quod celebrat Manilius, qui ait hominem ſagittarium egreſſum foras ad venationem, habuiſſe obuium filium ſuum in ora nemoris denſi : luctabatur puer cum ſerpente qui ſuis ſpiris & flexibus, puerum implicitum veluti vinculis, fecerat quaſi impotem ſui. Pater, cui nomen Arcon, eo diſcrimine filij ſui perculſus, ſagittam eâ peritiâ direxit in ſerpentem, vt eum occideret, filio ſuo ſuperſtite. Si cauſam egregij facinoris ſciſcitaris : Ars fuit eſſe Patrem : ita & Præcones verbi Dei, dum acuunt linguas ſuas, non impetunt homines vitiis irretitos, ſed ſerpentes terebrant tantùm, dum in vitia debacchantur : quòd ſi arduum putas declamare in vitia citra periculum eius qui vitio ſcitur obnoxius, hoc ratum habe, prædicatorem qui Patris obit vices, ita arguiſſe vitia, vt homines amare non deſinat. Ars fuit eſſe Patrem : ad hoc alludit Gregorius. *Arcus eſt ſcriptura de qua ad corda hominum ſicut ferientes ſagittæ ſic terrentes ſententiæ veniunt, hunc arcum Deus tetendit, quia ſe peccatoribus per ſcripturarum minas exhibet: in eo parauit vaſa mortis, quia ſecundum eloquij ſui ſententiam, eos qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat.* Serpentium genimina pullulant vbi non eſt frequens verbum Dei, vt & in Anglia olim ferarum adeò ingens extitit turma, vt regiones incultæ remanſerint, quia Rex Guillelmus graui edicto cauerat, ne quis venationi operam daret : Ita & ſatagit dæmon, ne fideles audiant verbum Dei; certior factus, magnam inibi fore vim ſerpentũ, vbi non inſinuerit

Arcon qua induſtria liberauit filiũ à ſerpente. *Manilius in Epigram.*

S.Greg. lib. 19.Moral. c.18.

Scriptura ſacra cũ arcu comparata. *Andr. du Cheſne in hiſt.Angl. ann.1085.*

verbum Dei, cuius punctione vitia corrigantur.

Ex Ivre Canonico.

Iure canonico nemo reſilire poteſt ab hac cenſura verbi Dei, vnde ille Canon *Contra correctionem, & morum reformationem, nulla conſuetudo poteſt allegari.* Quare autem vigeat ille ſacer vſus, explicat iſte Canon. *Correctionis peccati finis eſt, vt quis à vitio retrahatur ad virtutem.* Et

Ex Ivre Civili.

hanc vim Ius ciuile ſuis ait ineſſe legibus. *Lex coercet delicta puniendo, vt vnius pœna ſit metus aliorum.* Item. *Lex eſt cui communes homines decet obedire, quadam inuentio & donum Dei, decretum tamen hominum ſapientum, correctio voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum.* Ibidem. *Legem præſidere, & bonis, & malis, & principem & ducem eſſe oportet, id eſt bonis meritum, malis pœnam.* Quaſi dicerent omnia iura, bonis diſciplinis eliminari ſerpentes, id eſt eradicari vitia.

Ex re Medica.

Durctus in ſchol. ſuper praxim Holerij.

Vermes è corpore quomodo educantur.

Res medica vermes qui ſcaturiunt in viſcere, nouit educere iniecto enemate ſeu clyſtere ex lacte, probatiſque liquet experimentis, homines in quos dormientes ore hiante ſub dio, ſerpentes irrepſerant, fuiſſe liberatos iſto modo. Homo pendulus capite deorſum ligabatur, ori eius vas lacteum purum ſubiiciebatur, vt ad odorem lactis ſerpens foras erumperet, & hoc ſemper ceſſit fauſtè atque feliciter; ita & hi qui carnales ſunt & ſerpentini ritus, lacte verbi Dei curantur, erumpentibus foras ſerpentibus abditis antea, vt ſe curaſſe Corinthios ait Apoſtolus. *Ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Vide dediſſe potum id eſt medicinam, hoc enim ſonat vox illa apud Medicos, vt apud Dioſcoridem, qui conſulit potum ex ſero lactis vbi macerata fuerit fumaria, herba amarore ſuo ingrata, quo vermes omnes eliminat.

1. Cor. 3.

Dioſcorides lib. 4. c. 101. Mathiolus.

Ex Mathematica.

Dauid Origanus in Iſagoge ad Aſtrologiam. Actor. 14. Vide apud Origanum circulum in quo gyrat Mercurius.

Mathematica verbi Dei energiam eleganti animaduerſione aperire poteſt ex eo, quòd nullus eſt Planetarum, qui adeò intimè ſoli ſocietur ſicut Mercurius, qui eſt etiam in ſcriptura ſacra eloquentiæ præſes, vt legere eſt in Actis Apoſtolorum, vbi gentiles auditâ eloquentiâ Pauli, vocabant eum Mercurium. *Vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat Dux Verbi.* Cùm ergo Planetæ omnes deuient à Sole, & vnus tantùm Mercurius nequeat ab eo elongari vltra viginti quatuor gradus, miram vim emendicat à Sole; ita & verbum Dei, ipſi Deo ſic vnitum eſt, vt auditores verbi Dei non longè abſint ab ipſo Deo, ſicut non à vero abeſt hæc mea ſententia.

VERBI DEI VIRTVS, VITII VIRVS RVMPIT QVOD IRRVMPIT.

FIDELES CHRISTIANI, EX iniquorum conſortio non fœdantur.

In hæc verba:

Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.

SECTIO VIII.

SIcut Apoſtoli abhorruerunt à veneno, ita & fideles odiſſe debent omnia iniquorum omnium conſortia, vt pote virulenta, cùm tamen iidem diſcipuli, proceres Eccleſiæ coacti ſunt fidei ſuæ facere periculum, hauſtu lethiferi potus, mortiferum calicem minimè detrectarunt. Ea etiam ratione vrgente charitate, fideles poſſunt dyſcolis adeſſe cœtibus, nec inde tamen vllum contrahere contagium, & hoc eſt argumentum huiuſce ſectionis, quæ inculcat fugam hominum reproborum vt plurimum, aut ſaltem vitam diſſitam à moribus improborum, ſi ab eorum nequimus nos expedire conſortio.

Ex Philoſophia.

Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſibili. c. 4. Auerroes lib. 7. Metaphy. com. 22. & 31.

Philoſophiæ placitum eſt, ſubſtantiam eſſe actionis impotem, ſi ſit accidentium expers, vtpote quæ accidentium ope ſuas obit actiones, & hoc clamat Ariſtoteles, ſic. *Nihil quatenus aqua, aut ignis, aut quidpiam aliud, agere aut pati natum eſt, ſed omnia quatenus contrarietatem ſubeunt, eatenus agunt patiunturque.* Quod idem eſt ac, ſubſtantiam non agere niſi mediis accidentibus, quod Auerroës ſic probat. Eiuſdem eſt & formam inducere, & materiam præparare, ac ſenſu etiam ipſo liquet accidentibus ineſſe vim præparandi, vt calori lignum exſiccare: ergo inſciis accidentibus ſubſtantia nulla aliam generabit. Cùm ergo anima noſtra ſit ſubſtantia, indiguit accidentibus ne torperet, itaque data ſunt ei accidentia quibus ferretur in bonum, aliis interim eam aliò ferentibus, ſi malum aliquod occurreret, hæc accidentia ſunt amor & odium, vnde ſic ad propoſitam arguo ſectionem, ea quæ probè ſe habent, nec deuiant à natura, id agunt ad quod inſtituta ſunt. Verbi gratiâ, amor fertur in bonum, & odium hominem diſtrahit ab omni noxio, ſed iniqua conſortia præferunt ſpeciem mali: ergo fidelis quiſque, cœtus iniquos ſedulò fugiet. quòd ſi ratione boni alicuius obligatur cœtibus impiorum, ſicut olim Apoſtoli, & hodie Præcones verbi Dei, nullum inde contrahent virus, quia amor feretur in naturam hominum, quam debemus amare vt imaginem Dei; odium verò bilem acuet in vitia, quæ naturæ iniuria ſunt, vtpote cui næuos ingerunt, vnde ait Auguſtinus. *Sic diligendi ſunt homines, ne eorum diligantur errores, quia aliud eſt amare quod facti ſunt, aliud amare quod faciunt.* Conſtat ergo ex Philoſophia, hominem, cui mala & impia conſilia arrident, deflectere à probo hominum ritu, qui à quouis malo abhorret; impij autem cœtus ſummum inuehunt malum, ergo & impigrè declinandi.

Amor in quid feratur.

S. Auguſt. lib. de vera innocent. c. 2.

Ex Theologia.

S. Thom. 1. 2. q. 110. ar. 3.

Gratia & virtutes quomodo differant.

Gratia in eo diſſita eſt à virtute, quòd virtus aliquam tantùm potentiam perficit, vt actiones eius rectæ rationi congruant. Verbi gratiâ ſobrietas arcet omnes à guſtu cupedias, totaque eſt in gula corrigenda; at gratia animæ inſidens vt ſubiecto, ita ſe habet ad virtutes, ſicut & ſe habet anima ad ſuas potentias, quæ ſunt virtutum ſedes, ſed anima eſt principium potentiarum, ita & gratia erit principium à quo virtutes defæcatæ, ſeu perfectæ oriuntur: ergo ſi homo infidelis expers gratiæ, nequit amare malum, à potiori homo gratiâ inſignitus inſequetur malum, & quò magis erit lethiferum illud malum, eò etiam maiori percelletur œſtro homo Chriſtianus, ideò exoſus noxios cœtus, quia nihil niſi obſcœnum ſpirant: quod ſi ciente eum charitate, nebulones flocciqué viros cogitur inuiſere, nullam inde colluuiem trahet, neque contagium, ſicut neque Ioannes ex veneno hauſto, incurrit in vitæ aliquale diſcrimen.

Sed,

Sed, pie lector, vis meam in hac re ſententiam, quare fideles lædantur vnquam ab impiorum importuno conſortio; audi me & equidem benè collimantem. Ideò ſanè Iuſti non læduntur à reproborum noxis, quia hi ſagaciter ſeſe expediunt ab iniquo commercio quando adſunt, fugiuntque ſedulò turbas quando non expedit vt frequentent, mundus enim totus in maligno poſitus eſt, typumque ſui habet Babylonem, de qua ſic fatur Iſaias.

Iſa. 13.

Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, habitabunt ibi ſtruthiones; & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis. Dracones notant ſuperbiam, quæ eſt mundo vernacula; Struthiones referunt hypocriſim, nam ſtruthio auis inſtructa pennis mentitur volatum, ſemper inceſſura pedes. Piloſi ſunt ſatyri detractores, cantilenis vitam notantes omnium etiam inſontium. Vlulæ homines notant iniurios, & blaſphemos. Syrenes denique notant fœdam libidinem.

Iſai. 48.

Egredimini de Babylone: Intonat Iſaias, quid enim lucri, cum ſuperbis, hypocritis, viriſque mordacibus aut blaſphemis, vel quid emolumenti cum Venere, à qua innumera fluxere diſpendia.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. lib. Meditationum.

Audiendi Patres & in his Bernardus mundi deſertor. *Qui ſocij fuerunt in vitiis, ſocij erunt in pœnis, vna namque pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat.*

S. Auguſt. lib. de contemptu mundi.

Hanc mundi fugam diſertè ſuadet Auguſtinus. *Si Chriſtus pro te de cœleſti ſede deſcendit: tu propter ipſum fuge terrena, ſi dulcis eſt mundus, dulcior eſt Chriſtus.*

Conſortia mala, quæ ſunt cautela fugienda.

Idemque alibi mundi technas aperit ſic. *Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus, magis cauendus, cum ſe allicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni.* Perditam mundi indolem pungit aculeo ſuo

Saluian. l. 4. de prouidentia Dei.

Saluianus ſic: *Quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, vbi religio ignobilem facit, ſtatim enim vt quis melior eſſe tentauerit, deterioris abiectione calcatur, ac per hoc omnes quodammodo mali eſſe coguntur ne viles habeantur, vnde meritò clamat Apoſtolus 1. Ioan. 5. ſæculum totum in maligno poſitum eſt, meritò enim totum eſſe in malo dicitur, vbi boni locum habere non poſſunt.*

Ex profanis.

Imò & profani homines, ſollicitauere ſuos intimos ad perpetuum cum mundo diuortium. In his eſt Seneca, mundi tædium ingerens ſuo

Senec. epiſt. 54.

Lucilio. *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti, ad illam nemo peruenit occupatus.* Quare autem expedire quiſque ſe debeat à laqueis

Mundi, fuga ſuadetur.

mundi, ſubiicit idem Philoſophus. *Quid tibi vitandum præcipuè exiſtimem quæris? Turbam, nondum enim illi te tuto committeres, nunquam mores quos extuli, refero, aliquid ex eo quod compoſui turbatur, aliquid ex his quæ fugaui, redit, quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vſque adeo affecit, vt nunquam ſine offenſa proferantur; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur, inimica eſt multorum conuerſatio, nemo non aliquod vitium nobis, aut commendat, aut imprimit aut neſcientibus allinit, conuictor delicatus paulatim eneruat, aut emollit, malignus comes quamuis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit, quid tu accidere his moribus credis, in quos factus eſt publicè impetus.* O hominem dignum qui fidei myſteriis initiatus, ſæculi virus vbique ſparſum ſua prædicatione dilueret. Petrarcha homo ſæculo addictus, ſi quis vnquam alius, demum exoſus ea quæ mundi aſſeclæ depereunt, fugit ipſe, ſolo receſſu à ſæculo gaudens.

Petrarcha de laude vitæ ſolitar. lib. 1. tract. 4. c. 2.

Audiendus ille. *Quia vulgi iudicio viuimus, per denſa raptamur, & quaſi per tenebras alienis veſtigiis inſiſtentes, ſæpe periculoſas & inexplicabiles vias ingredimur, & euſque prouehimur, vt ante ſimus neſcio quid, quàm quid eſſe velimus. Peſtes, quas fugare non poſſumus, fugiamus, difficillimum erit, quin & ſi alius fueris, quales cunctos inueneris, talis fias.*

Ex re Medica:

Fernelius l. 1. de morborum cauſis, c. 13.

Impia conſortia declinanda eſſe, ex re etiam medica ſuaderi poteſt. Quippe ex medicis, omnis ægritudo cauſam habet externam vel internam, internæ cauſæ ſunt humores deuiantes à recto naturæ inſtituto, cauſæ externæ plures ſunt ex Fernelio medico regio. In his ſunt eſculenta, aër, & alia: de aëre ſic ille ſtylo ſuo peracuto. *Qui circumfuſus eſt nobis aer, in intima quæque penetrans, nos etiam contagione immutat, neque nos ſolùm, verùm etiam ſolidiſſima quæque, vt ligna, lapides, & metalla, quæ aliter pluuioſo cœlo affici notamus. Tanta quidem vis eſt aëris per cuncta rerum meabilis: huius autem quàm cæterorum vis maior, & efficacior ad morbos infligendos, & plures temporum tempeſtatumque mutatione, aut ex ſalubri loco, in grauem tranſitu, aut exorta temperie, aut quibuſuis aëris inquinamentis, quàm victus mutatione pulſantur morbis: is quippe vnus plurimos pariter attingit, cuius non vt cæterorum incommoda facilè declines, in cor viſcus nobiliſſimum, in cerebrum, in corpus denique omne promptè penetrans, ſuis vitiis omnia perfundit, acutorum ferè morborum author, morborum verò hic opifex eſt, vel qualitatum immoderatione, vel ſubſtantiæ vitio, vel ſubita inſolentique mutatione. Qualitatum intemperies calidior, frigidior, humidior, aut ſiccior, humores ipſumque corpus immutat.* Hactenus Fernelius.

Aër inſalubris cauſa eſt morborum.

S. Auguſt. lib. confeſſ.

Petrarcha l. de remediis vtriuſque fortun.

Vnde ſic arguo, vt alicubi aër ſuo contagio corpora inficit, alioquin optimè conſtituta; ita & iniqui cœtus ſua colluuie, ſanctiores eadem homines, vt de ſe ait Auguſtinus. *Pudebat cum impudentibus non eſſe impudentem.* Fugiendique ſunt homini cœtus vbi ſiccior eſt aër.

Dialog. de choreis.

Agrip. lib. de vanit. ſcient. c. de choreis.

Petrar. lib. de laude vit. ſolit. tractat. 3. cap. 2.

Aret aërio alea, ludiſque aliis, vbi pietas omnino marcet, nihilque niſi iniurium inſonat, omniaque ſunt plena rixarum, retrahendi pedes ab eis locis, in quibus aër calidior corda depaſcit, choreas intelligo, diaboli choros, vbi libidine æſtuant homines, igneque tartareo diceres omnia conflagrare, vt benè aduertit Petrarcha.

Chorearum nequitia.

Sæpe ibi matrona diu ſeruatum decus perdidit, ſæpe ibi virgo didicit quod melius ignoraſſet, multarum ibi fama periit pudorque, multæ denuum, inde impudicæ, plures ambiguæ rediere, caſtior autem nulla, pudicitiam choreis ſæpe ſtratam, ſemperque impulſam oppugnatamque videmus. Agrippa homo ipſe impius, rem impiam deteſtatur, *Saltatio laxamen petulantiæ, amica ſceleris, libidinis incitamen.* Fugiendus aër humidior, vt fluxionum fons perennis, ita & cauponæ, epulæque largiores in quibus iuſculis omnia vinoque madent, & hinc fluxiones animæ lethales; demum omnia conſortia abiuranda in quibus friget amor Dei, & optima quæque rigent; Chriſtianè enim monet Petrarcha. *Vt loca grauia etiam firmiſſimam valetudinem tentant, ita bona quæque menti, necdum adhuc perfectæ & conualeſcenti ſunt aliqua parum ſalubria.*

Ex Mathematica: *Iulius Firmicus lib. 3. c. 3.*

Peſſima quæque ſuum inferre virus Mathematici clamant, dum aiunt Iouem & Venerem Planetas beneficos, & benè fortunatos, infortunati ex veneno Scorpij. Si enim hi Planetæ fuerint in octaua domo ſchematis ſeu figuræ cæli, quæ eſt domus ſigni ſiue conſtellationis Scorpij, læduntur hi Planetæ, ſcorpij contagio. O homo incutie aliarum diſciplinarum, audi ſaltem hocce theorema cœlo ſatum, nimirum: Perfidè ſcorpius exerit brachia ſua innoxia quibus alliciat, cauda tegit ſpicula lethalia quæ figat incautis, mundus ſpeciem præfert ſuis ſequacibus innoxiam; ſed vbi quiſque ſe deuouit obſequio ſæculi, ingerit illi ſuum virus, ſæculum hoc lethale, ideò ſcorpio ritè figuratur: nam extrema gaudij luctus occupat.

Ex Symbolis. *Typotius lib. ſymbolorum. Pſalm. 17.*

Sæculum exoſus Cardinalis Criuellus, pro ſymbolo habebat ceruam quæ ſuum hinnulum in loco remoto ab aliis feris edebat in lucem, hoc titulo. A SEMITIS IMPIORVM ELONGOR. Ita & tu anima Chriſtiana, ſi vis illæſos virtutis tuæ fœtus habere diu ſuperſtites, A SEMITIS IMPIORVM ELONGARE, altéque inſideat menti effatum Pſaltis regij. *Cum electo electus eris, cum peruerſo peruerteris.*

Ex Hiſtoria. *Euſeb. de vit. Conſtantini, l. 4. c. 35. Ludouicus Brunus in orat. funebr. Regin. Iſab.*

Ferdinãdi & Iſabellæ Regum Hiſpaniæ induſtria vt exercitus Deum conciliaret.

Animum adeò alienum habuit ab iniquo cœtu, Imperator Conſtantinus ille Magnus, vt vbi dedit nomen ſuum Chriſto, abiurato ritu gentilium, ab eo momento vetuerit imaginem ſuam appendi templis idolorum; vel hinc indicans ſe longè abeſſe ab idolis, cùm nec imaginem ſuam illic adeſſe vellet. Æuo ſuperiore, Ferdinandus & Iſabella Reges Hiſpaniæ, parato exercitu aduerſus infideles, amandauerunt à caſtris ſuis homines nequam, vt puta, lenones, blaſphemos, aleatores, dicentes vbi Dei cauſa agitur, nullum debere iniri fœdus cum eis qui Deo ſunt inimici. O homo, viuere militare eſt, gerimus cum Dæmone bellum neſciens inducias. Deo militamus, reſcindendum eſt fœdus, ſi aliquale contraximus cum reprobis, quorum impia conſortia Deo ſunt penitus inimica, ſi quidem omnis affinitas cum inimico, dubiam facit fidem noſtram, vt oſtendit olim Carolus ſextus Rex inclytus Galliæ, qui comitem Oſtrenantium ſibi charum, vt audiit Richardi ſecundi Regis Angli accepiſſe teſſeram, quam ille dabat equitibus Anglis, illicò Rex Gallus Comitem exoſus aula regiâ iuſſit excedere nuſquam rediturum, quia hoſti liliorum amicitiæ nexu ſeſe deuinxerat. Eamdem & nos incurrimus ſortem, cùm impiorum cœtibus adſumus, ſuſpecti Deo ſumus, & arcemur à cœtu fidelium.

Ex Ivre Canonico: *Gloſſ. verbum in c. 1. de poſtul. Prælat. c. 1. de iudiciis. cum deſideres 15. de ſent. excom. Can. his igitur, diſt 23. Can. Presbyt. diſtinct 23.*

Clerici à communi vita debent ſecerni.

Hinc Ius Canonicum. *Segregat à cœtu fidelium eos qui ſcienter adſunt excommunicatis, eos adiuuantes.* Vnde alio Canone hoc habetur. *Sententia excommunicationis videtur promulgari per illa verba: nullus communicet tali.* Demum alibi. *Excommunicatio vbi pluribus eſt nota, debent ſcientes vitare excommunicatum, citra omnem excommunicationem.* Suos verò clericos Eccleſia, vtpote ritus ſanctioris, non vult alienos eſſe modò ab excommunicatis, ſed & à cœtibus profanis, vt clamat hoc decretum. *Clerici à vulgari vita debent eſſe ſecluſi, à mundi voluptatibus abſtinere, non pompis, non ſpectaculis intereſſe, conuiuia publica fugere, priuata non tantùm pudica, ſed & ſobria colere.* Et alia ſanctione. *Clericis prohibita ſunt tripudia, & ſaltus turpes.*

Ex Ivre Civili: *Cod. Theod. l. 4. de maleficis.*

Magi non conſulendi.

Religioſa etiam ſe præſtitere Iura ciuilia, dum ſæuierunt in eos, qui impios homines atque ſortilegos conſulebant: ſic enim ſanxit Imperator Conſtantinus. *Nemo haruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo hariolum, Augurum & vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur.* Ex prælibatis liquet, homines frugi, debere eſſe diſſitos ab impiorum cœtu: ego autem ſic.

VIRTVTIS CONSORS IMPII VIRI VIRVS, SORTAM SEV CONSORTIVM MINIMA SORTIATVR.

HOMINES DESIDIA TORPEſcentes curantur impoſitione manuum id eſt exemplis: virtutes enim ſunt manus.

In hæc verba:

Super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Sectio IX.

Ex Philoſophia: *Ariſtoteles l. 3 de anima texta 2.*

EX Philoſophia. *Intelligere eſt quoddam pati.* Quippe nihil eſt in intellectu quod non præfuerit in ſenſu, à quo ſpecies veluti tranſcolatæ mentibus inuruntur. Ex earum autem impreſſione patitur intellectus paſſione perfectiua, ſed non paſſione corruptiua. Ex hac ſpeculatione Lycæi, vide quomodo hominum tepor incandeſcat, & quomodo virtutum praxi agnitâ, homines deſides excitentur, & curentur à ſua vecordia, hac impoſitione manuum. Sic arguo.

Amor accenditur ad menſuram notitiæ.

Quò maiorem rei alicuius impreſſionem ſuſcipiet intellectus, maiorem etiam de ea re ſcientiam ſibi vendicabit, vt videre eſt in eo qui attentior eſt alio, dum Philoſophiæ prælector abdita pandit, ore dilucidante quæſtiones. Is enim inter diſcipulos, qui amplius patulas didicit aures vt audiat, potiorem notitiam aucupatur eo qui perfunctoriè tantùm audit, vt in eadem concione, is qui virtutis audit encomia, ſui compos & non animo vago magis ad eam inclinatur, quàm alios qui aurium tantùm tenus audit, & non tranſmittit in animam ea quæ præco verbi Dei inſinuare ſatagit. Rurſus quò liquidior notitia alicuius boni emicat, & rutilat, eo vegetiore motu cietur amor in bonum illud præoſtenſum, ſed ea notitia quam ingerunt oculi, eſt viuacior eâ quam aures inſinuant, vnde magis inclinamur ad amandum hominem eo viſo, quàm auditâ famâ meritorum, vt experta eſt regina illa, viſo Salomone; 3. Reg. 10.
non habebat enim vltra ſpiritum: ergo virtutum praxis exhibita hominibus magis excitabit deſiderium ſui, quàm eius panegyres atque paræneſes, habent enim oculi vim ſuadam, qua non pollent aures.

Ex Theologia: *S. Th. 1. part. q. 111. Art. 1.*

Ita & in rebus fidei, etſi aſſenſus fidei ſit à Deo, vtpote ſupra hominum captum: tamen res fidei propoſitæ ad credendum, mouent intellectum ad aſſenſum, iuxta modum quo ob-

iiciuntur

ricientur homini, alius enim alio melius inſtruit, mouet, & attrahit. Inter ea autem quæ vrgent aſſenſum ad credendum, ſunt miracula potentiſſima; at virtutes heroicæ ſapiunt plerumque miraculum, faciuntque vim magnam ad virtutis obſequium. Hinc parænefes Apoſtoli ad Timotheum.

1. Timoth. 4.

Exemplum eſto fidelium in verbo, & conuerſatione, in charitate, in fide in caſtitate, vt profectus tuus notus ſit omnibus. Simile quippiam ingerit Tito.

Tit. 2.

In omnibus præbe te exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile. Et Petrus omnes affatur ſic fideles.

1. Petri. 2.

Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.

Ex SS. Patribus:

S. Ambroſ. in Pſal. 118.

Succinit Apoſtolis omnis ſanctorum etiam Patrum chorus, qui totus eſt in encomiis exemplorum: Præeat aliis Ambroſius. *In pleriſque, iuſti affectus, iam monitio eſt correptionis, perfectioribus lætitia eſt.* Eodem & tono Gregorius.

S. Gregorius lib. 9. Moral.

Bona quæ ipſi facere negligimus, hæc ad correctionem nobis Deus ab aliis fieri demonſtrat, vt qui præceptum non attendimus, ſaltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil ſibi mens noſtra difficile exiſtimet, quod perfecte peragi ab aliis videt. Hoc idem ferè Bernardus ingeminat.

S. Bernard. ſerm. 2. de reſurrect. Domini.

Sermo quidem viuus & efficax, exemplum operis eſt facilè perſuadens quod intendimus, dum factibile probas eſſe quod ſuademus. Et Hieronymus Epiſcopum monens de cura paſtorali, non hortatur ad ſtudium loquelæ comptioris, ſed ad virtutum praxim.

S. Hieron. epiſt. ad Heliodorum.

Domus Epiſcopi & conuerſatio quaſi in ſpeculo poſita, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ, quidquid fecerit, id ſibi omnes faciendum putant. An non ideò Chriſtus vocauit Euangelium ſemen & aratrum? *Semen eſt verbum Dei.*

Luc. 8.

Epiſcopus debet aliis prælucere.

Vt enim ſemen manibus terræ mandatur, & non ore, ita & virtutes Euangelicæ non ſuadentur ore, ſed & incunctante praxi, vt clamat omnigena hiſtoria, ex qua accipe miram propagationem Euangelij, non ore garrulo, ſed manibus impigris.

Ex Hiſtoria:

Conſtantino Magno deſertore Gentilium, & profeſſore fidei Chriſtianæ, miſſi ſunt in diuerſas orbis oras præcones verbi Dei, vt gentiles expungerent ritus: in his Meſſoribus ſanctis, fuit presbyter Abrahamus virtutis emeritæ, miſſus Lampſacum vrbem infidelem, vbi cùm prædicare incepiſſet, Gentiles in eum debacchati, plagis morte tenus affecerunt; poſtera die Sanctus ſanior factus, anhelans ſalutem ſuorum perſecutorum, in ſectam eorum inuehitur, Deum enixè orans pro eorum ſalute.

Abrahami presbyteri mira virtus.

Ephraim lib. ſui teſtam.

Illi nihilo mitiores, rurſus lacerant plagis corpus iam priſco vulnere laniatum, corpuſque crediturum exanime, exponunt feris inſtante nocte. Aſt Chriſti Athleta rediuiuus, manè precibus & lachrymis infidos homines vrgens ad meliorem frugem, iniuriarum immemor, & de ſalute eorum tantùm ſollicitus, ita hâc ſuâ patientiâ deliniuit animos impiorum hominum, vt dederint nomen ſuum Chriſto, cuius diſciplina homines adeò incurios ſui faciebat, vt æquo animo iniurias ferrent. Denique fide imbuti, venerantes ſanctum illum presbyterum, is qui facilis fuerat ad ferenda opprobria, non tulit gloriam, quam fuga arreptâ illicò declinauit; ſic humilitate & patientiâ ſuâ, hic prædicator adiecit Eccleſiæ populum; quem ad fidem Chriſti verba rectiora percellere nequiuiſſent.

Ribadeneira in vita B. P. Franc. Borgia.

Borgiæ Ieſuitæ tota ſanctitas.

O operum energiam, quæ præpotentem olim Dynaſtam compulit ad has voces, quas edidit vbi Reuerendiſſimum Patrem Borgiam Societatis Iesv reduxit ad fores Palatij. Timeo (inquit regreſſus ad ſuos) ne vita illibata huius Patris, mores perditos omnium noſtrûm aliquando damnet.

Vidit & Gallia quantùm poſſit idea virtutis heroicæ, Henrico tertio rerum potiente; regnum diſpari religione diſſitum, magna patiebatur in pietate deliquia: quippe ſilent leges inter arma, reſque erat prope miraculum in algente illo ſæculo, reperire hominem cuius deuotio non teperet imbecilla. Non tacita tamen erant ora prædicatorum, pulpita reſonabant omnia, ſed incaſſum, quia non imponebantur manus ſuper ægros, id eſt ore garrulo, erant manus elingues & tacitæ, nullo virtutis facinore conſpicuæ.

Ex vita R. P. Angeli à Ioyoſa.

P. Angeli à Ioyoſa conuerſio multos perculit ad obſequiū Chriſti.

Sed ecce tibi virum celebrem orbe toto, Henricum à Ioyoſa Ducem vtrique & Parem Franciæ, qui pertæſus ſæculi huiuſce inſulas & honores, veluti vilia crepundia, dedit nomen ſuum Seraphicæ Religioni Capucinorum, poſitis exuuiis mundi induit ſaccum atque cilicium. Vbi increbruit fama rei inſperatæ, ſtrepere omnes, & admirari, nec admirabundi tantùm, ſed & ſequaces fuere propoſiti plerique nobiles, qui Capucinorum familiam enaſcentem in Galliam propagarunt.

Pluſque potuit in aula regia vnius hominis egregium facinus, quàm prædicatorum omnium conamina. Idem iam adultus inter Capucinos, cum ſocio iter agens diuertit ad caſtellum hominis hæretici, quem reuerentia Regis ab impietate non potuit amouere. Is audito eſſe ad fores duos Capucinos, qui inſtante nocte rogarent iura hoſpitalitatis. Ducite (inquit) illos ad ſtabulum fœno paleaque recreandos. Accipit illicò curam Reuerendi Patris Angeli à Ioyoſa ſtabularius, eum introducens in locum ſtercore fimoque ingratum: vir Deo plenus reuoluens animo prima redemptionis noſtræ rudimenta edita in ſtabulo Bethlehem, lætus vt pueruli Iesv conſors noctem illam egit penè inſomnem, ſed non vacantem à pio cogitatu; crebras enim fudit preces pro conuerſione hominis hæretici. Sub diei crepuſculum albeſcente cœlo, exit Pater, reſiduum carpens iter, ſed eo non longè, adfuere nobiles qui eum quærebant ſollicitè: Dominum loci interrogant, an apud illum ea nocte diuerterit homo famoſus virtute ſua, ille ait duos quidem Capucinos in ſtabulo ſuo pernoctaſſe, nec eorum vnum eſſe Ducem à Ioyoſa; non poſſe enim fieri vt tantus vir ſe incognitum præſtitiſſet, patienter ſubiens pro diuerſorio ſtabulum.

Ingemuere nobiles ad hominis iniurij dictum, aſſerentes eum grauiter offendiſſe Ducem à Ioyoſa; ille ſe comitem eis adiungit, vt virum aſſequantur, quo viſo procidens ad pedes eius, & demirans in eo patientiam Chriſti, hæreſim abiurauit, factus eo exemplo catholicus.

Ex Ivre Canonico:

Can. nolo 12. q. 1. Can. Multi ſacerdotes. § ideoque diſt. 40.

Etiam iure canonico vrgemur ad exempla exhibenda.

Nolo vt aliquis de vobis inueniat malè viuendi occaſionem: prouidemus enim bona, vt ait Apoſtolus, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus,

minibus, propter nos conſcientia noſtra nobis neceſſaria eſt, propter vos fama noſtra non polleat, ſed debet pollere in vobis. Alio item canone ſic. *Si benè vixeris, & benè docueris, populum inſtruis, ſi benè docueris, & malè vixeris, tu ſolus condemnator eris, nam benè viuendo, & benè docendo, populum inſtruis quomodo viuere debet; benè autem docendo, & malè viuendo, Deum inſtruis quomodo debeat te condemnare.* Non deeſt in hac re ius ciuile. Lex eſt, *Exemplar ſi deficit & exemplatum.* Quod ſic moraliter explico. Vbi nemo virtutis exhibet exempla, verba viduata factis erubeſcunt, vt ait Lactantius. Exemplis tota res medica conſtat, imò & petitis à belluis; Dictamni virtutem cerui ſuo experimento docuerunt, ſicut & hirundines virtutem Chelidoniæ. Muſtella Ruthæ antidotum, in ſerpentes diſcrimen obitura præoſtendit. Hippotamus acumine iunci, punctionem venæ eſſe ſalutarem, euacuato ſanguine fæculento demonſtrauit. Cyconiæ clyſteris vſu ſuo roſtro adhibito dum purgantur, in medicinam clyſteres etiam inuexerunt. Et cùm Medici dicunt à lædentibus & à iuuantibus indicationes peti, nonne clamant conſtare omnia viſu, non auditu? Ideò ex habitu ægri ſenſibili, vitam ſeu mortem illicò pronunciant, vt ſic Hippocrates. *πρόσωπον διαφθορᾷ θανάσιμον facies cadaueroſa letiſera.* Ita & in moralibus non garrulitas hominem viuacem arguit, ſi cadaueroſa ſeu reproba ſit facies eius, id eſt ſi nihil niſi peccata ex eo diffluant.

Ex ivre civili. *L. in teſtamento quidam 27. de condit. & demonſt.*

Ex remedica. Belluæ dum ægrotant, sua norunt antidota.

Hippocrates l. 2. c. 5. coacæ.

Erroneam eſſe Aſtrologorum diſciplinam arguit Picus Mirandula, ex eo quod, quidquid ſciunt, dicant ſe experientiâ didiciſſe, habeantque prætetita exempla, Martis Planetam in prima domo horoſcopi, vulnus in facie deſignare, aliaſque nænias decantantes, credi volunt vt quæ exemplis fulciantur. Vnde ſic argui poteſt in ſyderum garrulos inſpectores. Nuſquam à mundi exordio cœli fuerunt in eodem ſchemate ſyderum omnium; non enim omnimoda ratione Planetæ ſubſunt ſtellis firmamenti: ergo nullum certum indicium emanare poteſt, de ſitu ſyderum quæ nuſquam antea coiuerunt; ergo cùm talis aſpectus non fuerit vnquam editum exemplum, balbutiet ille qui ſuum in re ignota profert iudicium. Quemamodum exempla allata multos fecere Mathematicæ ſtudioſos, ita & virtutes reuocatæ ad praxim homines ſollicitant ad earum ſequelam, quiſque etiam rerum quas exhibet, vices & recipit; Cyconiæ adultæ grandæuos parentes educant in nidulo, & hoc exemplo minoribus ciconiis exhibito, ipſæ effœtæ paſcuntur à ſuis pullis: ſicut vipera ſecus, quia matris exeſo ventre prodit in lucem, eamdem expetitur ſortem, morte ſua luens pœnam mortis intentatæ matri, vt habet ſymbolum Camerarij, qui viperæ morienti hunc titulum apponit. Svo perit exemplo. Sed heu nos non modò, ſed & multi, malo exemplo malè diſpereunt. Faxit Deus vt virtute noſtra rutilante plures poſtmodum ſoſpitentur.

Ex Mathematica. *Picus Mirand. opuſculo contra Aſtrolog. Seuerus de virtute Planetarum.* Aſtrologiæ indicia quomodo probantur errorea.

Ex Symbolis: *Camerarius lib. Centuriarum.*

Conversio animarvm manet ea qvæ manant ex manibvs,
Qvarvm mvnia et mvnera svnt virtvtes.

CHRISTVS DISCIPLINÆ SVÆ ſectatores fore beatos, oſtenſurus aſcendit in cœlum:

In hac verba:

Poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum.

Sectio X.

Disciplinas alias eſſe ſpeculatiuas, alias verò practicas, Philoſophiæ prolegomena clamant. Practicæ ſunt illæ quæ operationem aliqam ingerunt, vt Philoſophia moralis quam Ethicam vocant: ea enim ſuos diſcipulos vrget ad virtutem, quæ tota in actione conſiſtit. Ita & fides Chriſtiana, indiuidua bonorum operum comes, omnino practica eſt, vt exemplo ſuo fecit palam Dominus Ieſus Chriſtus, qui vt ait Lucas, *Cœpit facere & docere.* Ne autem gratis legifer ille ſanctus ſuos ſymmiſtas videretur imbuiſſe ſacris ſuis inſtitutis, illis ſpectantibus ſe ſe cœlis inſeruit: hac ſua aſcenſione inſinuans Euangelij praxim ſeu imitationem Chriſti, ſuos ſequaces euehere ad ſuperna, & hoc eſt iſtius ſectionis argumentum.

Ex Philosophia: Diſciplinæ diuiduntur in ſpeculatiuas, & in practicas.

Ex Philoſophia ſanctiore quam profeſſus eſt S. Thomas. *Idea eſt forma quam aliquid imitatur, ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Ergo homini ſeſe determinanti ad Euangelij praxim, ex intentione præambula, danda fuit idea, ad cuius imitationem morem gereret Euangelio, & hæc idea ſeu exemplar eſt Chriſtus Dominus. Rurſus, ne nutaret homo in fide præmij quod manet ſectatores Euangelij, congruum erat, vt ipſe legiſlator cœlos aſcenderet; hac ſua aſcenſione facturus certiores ſuos diſcipulos de brauio ſequacibus Euangelij reſeruato, vt & ait Bernardus. *Ad claudendam tunicam tuam inconſutilem Domine IESV, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat vt videntibus diſcipulis per medium aeris, ſicut actis Dominus aſcendas ſuper omnes cœlos, ex tunc probabitur quia Dominus vniuerſorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleſti, & iam tibi profectò debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur.* Alluſit ille ſanctus ad hæc verba Auguſtini, *Dominus noſter IESVS Chriſtus, dum naturam humanam ſyderibus importauit, credentibus cœlum patere poſſe monſtrauit, dum vincentem in cœleſtibus eleuauit, victorem mortis, quò ſequamur oſtendit.* Et infra. *Aſcenſio Dei, Catholica fidei confirmatio fuit, vt ſecuri in poſterum crederemus, & miraculis illius, cuius etiam in præſenti perciperemus effectum.* Adeſt Auguſtino Leo Papa. *Non ſolùm hodie cœli poſſeſſores firmati ſumus, ſed ſuperna cœlorum in Chriſto penetrauimus, ampliora recepturi per ſuam ineffabilem gloriam, quam per diaboli perdideramus inuidiam, quia quos diabolus de primi habitaculi felicitate eiecit, hos Dei filius ſibi incorporatos ad patris dexteram collocauit.* Ætate ſuperior his omnibus Tertullianus, cò collimarat iſto verborum tractu. *Quemadmodum nobis pignus & arrhabonem ſpiritus reliquit, ita a nobis arrhabonem carnis accepit & vexit in cœlum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ;*

S. Thom. de veritate q. 3. art. 1.

Ex SS. Patribvs. *S. Bern. ſer. 2. de Aſcenſ.* Aſcenſionis Chriſti effectus.

S. Auguſt. in Act. Apoſt.

S. Leo Papa ſer. de Aſcen.

Tertull. lib. de reſurrect. carnis.

ſecuri

ſecuri igitur eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis & cœlum & regnum Dei in Chriſto. Demum vt lex Euangelij quæ debebat expungere legem typicam, quæ cœlitus erat edita in vertice montis Sinaï, vt hæc, inquam, lex Chriſtiana cœlitus etiam effluxiſſe liqueret, æquum erat vt legifer Dominus IESVS, ipſa etiam ſydera tranſcenderet. Ruiſus ex Theologia ſancti Thomæ, meritum importat quamdam æqualitatem iuſtitiæ iuxta Apoſtolum *Rom. 4. quod ei qui operatur, merces imputatur ſecundum debitum.* Cùm igitur Chriſtus infra ſuam dignitatem ſeſe deiecerit, ea humilitate, cuius hiatus fuit inſtar abyſſi, debuit exaltari ſupra omnes cœlos, vt ait Apoſtolus. *Deſcendit primum in inferiores partes terræ; qui autem deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos.* Ex hac ſua aſcenſione vt humilitatis præmio ſuos diſcipulos ad arduam hanc virtutem inclinauit. Quiſquis ergo Chriſti inhæret veſtigiis, ille in hoc æuo virtutum apicem aſſequitur, & poſtmodum multa virtute fœtus ſuperis adſcribetur: etenim paſſionis Chriſti ſequela cœleſtia regna proſtant.

EX THEOLOGIA: *S. Thom 3. p. q 46 art. 6. Epheſ. 4.*

Imperij Romani ſtemmata à Papa aſſignata.

Crux viam ſternit ad Imperium.

Ex Hiſtoria.

Ex Hiſtoria Imper. ſub ann. 1013.

Ex eadem hiſtor ſub an. 1376.

Venceſlaüs declaratur indignus Imperio.

Vxor Ducis Gandiæ exemplo ſui viri virtuti operam nauat.

Et hoc typicè inſinuauit Benedictus Papa, qui Henrico ſecundo daturus inſignia Romani imperij, dedit globum aureum gemmis coruſcum, cruce deſuper inſita globo, vt reſciret cruce nos fieri dominos mundi, imò & cœlorum. O homo fidei Romanæ profeſſor impiger, tolle crucem Chriſti & hoc ſtipite calca mundum, & ſic ſedulus imitator Chriſti, beatis etiam mentibus adſcribêris. Imitatores Chriſti eſſe dignos imperio egregiè oſtendit alius Pontifex, ſcilicet Gregorius vndecimus, qui teſtitit eis qui ſua ſuffragia deſtinarant Venceslao principi dedito gulæ: noluit Pontifex in imperium euehi hominem nequam, dicens ab eo qui erat mancipium ventris nihil poſſe niſi vilia deriuare. Quaſi diceret, ſolos Chriſti ſectatores dignos Imperio. Quis ergo dedignetur crucem Chriſti, quæ vehiculum eſt ad ſuperos. Vtinam eo cieremur œſtro, quo olim Duciſſa Gandiæ, vxor Franciſci Borgiæ Ducis, interrogata quare depoſita cultiore veſte, humiliore quàm par eſſet vteretur apparatu; illa ait, video ſponſum meum vtique ducem indutum cilicio, ego ſedula imitatrix, nequeo inhiare vanitati. O anima quid anhelas ad terrena? Chriſtus Dominus ſponſus tuus totus eſt à terrenis expeditus & intentus cœlo. Audi Bernardum intonantem. *Quid facis in cœno, quæ de cœlo es?* Inſide cruci & tolleris à terra; iuxta illud Chriſti. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Adminiculo crucis non eripieris tantùm rebus infimis, ſed & in cœlos efferêris. Quippe cruce ſicuti claue idoneâ, cœleſtia reſerantur.

EX SYMBOLIS:

Ad hinc luſit Paradinus typico ſymbolo. Pinxit ille duas claues decuſſatas, id eſt in modum crucis diſpoſitas, titulo hoc adhibito. HIC RATIO TENTANDI ADITVS. Quaſi diceret, ſi tibi vis patere cœlos, quos inuios tibi tua fecere piacula, adhære cruci, ea quippe EST RATIO TENTANDI ADITVS, fruſtraque alienus à cruce, tentas introitum cœli; imitare Chriſtum baiulum crucis, & eius ſequelâ cautior fies regni cœli compos.

EX MATHEMATICA.

Ideam ſui obiecit nobis Dominus IESVS, vt ij qui Mathematicas docent, ſeſe diſcipulis ſuis præbent ſpeculandos, vt enim vident propoſitiones Euclidis voce tenus explicatas, non poſſe capi, verbi gratia has. *Bimediale ſecundum, niſi in duas lineas tantùm ſub termino ſuo diuidi poteſt. Ex binis ſecunda mediis, ad vnum duntaxat ſignum diuiditur in nomina.* Ne inutili verborum tractu diuerberent aures auditorum, virgam accipiunt quâ lineas ducentes, aperiunt ſenſum actione manuali, qui abditus erat dictionis inuolucro. Multa legiſer noſter verbo docuerat, ſed homines obtuſi ad verba Chriſti, ad eius verbera fuerunt excitati, nimirum Dominus crucem ſibi baiulans aſcendit montem Caluariæ, vbi eas virga lineas duxit, patientiæ & humilitatis typum ingenuè referentes. Hac regula crucis, fidem inuenit Chriſtus apud eos, quos miracula flectere non poterant; multi enim qui viuo inſultarant, ingemuerunt poſtea morienti, vt Lucas ait. *Videns centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens, verè hic homo iuſtus erat, & omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reuertebantur.* Vides crucem ingeſſiſſe tædium peccatorum, & eos excitaſſe ad pœnitentiam quos miracula primitus obdurabant. Quiſquis igitur ſydera meditatur, crucis etiam vehiculum amplectatur: hæc enim eſt ratio tentandi aditus.

Euclides lib. 10 elem. Geom Prop. 38. prop. 44

Exemplorũ vis mira.

Luc. 23.

EX REMEDICA.

Dioſcor. lib. herbarum c. de abſynth.

Abſynthij virtutes.

Medicorum etiam Dominus Ieſus aſſecutus eſt inſtitutum, qui ſcientes ineſſe abſynthio virtutem, quæ excitat appetitum, nauſeam detergendo, herbam amarore ſuo ingratam in vino macerant, vinumque illud propinant ægris, quos vt inuitent ad hanc potionem, ipſi etiam Medici abſorbent hauſtum abſynthij, ægris ſuo exemplo præituri. Ita & Dominus in cruce vinum hauſit felle dilutum, vt occurreret nauſeæ quâ pereunt homines, rerum tædio ſupernatum. Ideò præfatus eſt ex Ieremia. *Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle.* Et ne auerſetur homo pharmacum, Chriſtus ei inculcat ſe etiam abſynthio paſtum. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* Et ibidem Ieruſalem tranſgreſſioni ſuæ medelam à Domino quærit, in virtute abſynthij & fellis. *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis.*

Ierem. 23. Threnor. 3.

Duplex in vita Henr. ſecundi.

Eo ferè modo Fernelius Medicus ſummus, nutanti regno Galliæ occurrit, cùm enim decennium totum egiſſet Catharina Medicæa infœcunda; Henricus ſecundus eius ſponſus, iniquo animo ſuam liberorum ferens orbitatem, audiit à medico, Catharinam ſponſam vtique regiam, fore fœtam regibus, ſi in animum induceret ſuum deglutire pillulas ex myrrha, vt quibus ineſſet virtus mirifica detergendi mucaginem tenacem in vtero, quæ glutine ſuo, officiebat omnino conceptui; vt medici ſenſum accepit Heroina mulier, nequaquam pertæſa myrrham, eam deglutiit, idque crebra repetita vice, vnde & fuit fœtu multiplici fœcundata. Vidit Deus ab æterno animas noſtras fore infœcundas, hominem induit ille rerum Dominus, & in paſſione ſua, totus aſperſus eſt myrrhâ. Ideò ait in Canticis. *Meſſui myrrham cum aromatibus meis*, & ſupra. *Vadam ad montem myrrhæ.* Sponſa ruens in amplexus eius tota perfuſa eſt myrrha, ideò ait. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Quid inde ô ſponſa? *Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ.* Quaſi diceret,

Cant. 5.

Cant. 1.

Cant. 5.

ceret, dum intimo corde verſo paſſionem Chriſti, ille eſt mihi faſciculus myrrhæ, & eius exemplo, amara omnia lætè & animo æquo

Myrrhæ virtutes.

ſuſcipieos, manus meæ ſtillauerunt myrrham, & inde enata multa virtutum ſoboles, quâ ſtipata ſum ſponſa ſydera tranſcendens, meiſque virtutibus arridee & ſponſus, dum ſurſum

Cant. 3.

euectam ſic compellat. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

S. Bernard. Cant. ſ. 43.

Beroardus in hunc locum ſic ſcribit. *Quia inter aduerſa & proſpera verſans, nouit vtrobique pericula non deeſſe, medium huiuſcemodi vberum ſuorum vult habere dilectum, cuius aduerſus vtraque continuâ protectione munitam, nec læta extollant, nec triſtia deiciant: Tu quoque ſi ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum, de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione reuoluens: quo poſſit dicere & tu, faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea.*

Ex Ivre Canonico: Can. Tenere diſtinct. 31. In extrau. diuinis exemplis depen.

Iure canonico etiam vrgemur ad ſequelam Chriſti. *Exemplum Dei tenemur nos ſequi, & quod ipſe fecit tenemur & nos facere.* Et vt habetur alio canone. *Exempla diuina debent eſſe regula noſtra.* Alioquin ambulabimus vias difficiles. Quicumque autem regulam Chriſti ſecuti fuerint, pax ſuper illos, inquit Paulus. Igitur ne fruſtra deſudarit nobis Dominus Ieſus,

Ex Ivre Civili. In principio inſtit. de codic. Auth. ſi quis & ibi. gloſſ. 1. C. de edendo.

exemplis illius inſiſtamus, vt & implicitè monet Ius ciuile cuius hæc eſt lex. *Exemplum principis ſequendum eſt.* Et ne aliorum hominum quorumuis exempla, ad ſequelam ſui ſollicitent, eodem iure ſic cauetur. *Exemplo priuato ſeu publico non creditur, niſi producatur originale.* Soli ergo originali Chriſto fides adhibenda, & deuiandum ab aliis exemplis minimè conſonis diuino exemplari, ſi & velimus in cœlis Deo ſociari, nimirum hæc eſt mea ſententia.

Qvi Dei castra non saqvvntvr, hi astra non assaqvvntvr.

CHRISTI VESTIGIIS INSISTENTES proficiunt, ſuoque exemplo aliis prædicant.

In hæc verba:

Illi autem profecti, prædicauerunt vbique.

Sectio XI.

CHriſtus multis laboribus exantlatis, multoque edito ſpecimine omnigenæ virtutis, cœlos aſcenſurus, ſymmiſtas ſuos profecturos in omnes orbis oras iuſſit vbique prædicare; quippe omnes imitatores Chriſti, non ſtant otioſi, ſed proficiunt, iuxta illud. *Ibunt de virtute in virtutem*, aliiſque prælucent, ſuarum coruſco lumine virtutum. Et hæc Theolo-

Ex Philosophia. S. Thom. 1 p. q. 45. art. 7. Effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ.

gica aſſertio probari poteſt, ex Philoſophiæ prædiuite penu, ex quo ſic arguo. Vt ſe habent phyſica in phyſicis, ita & moralia ſe habent in moralibus; ſed in phyſicis effectus omnes ſuos explicat niſus, vt aſſimiletur ſuæ cauſæ, vt calor intenſus ab igne editus, ita demùm incandeſcit vt fiat ignis: ergo & in moralibus homo initiatus Chriſti ſacris, cui virtutes obiiciuntur, ab eodem Deo Domino iugiter excultæ; is inquam diſcipulus impigrè ſe accinget, vt ſuum prototypum Chriſtum aſſequatur, eius veſtigiis inſiſtendo. Chriſtum autem ſibi proponere in ſcopum, ad quem omnes dirigantur actus, hoc eſt velle proficere, & ad virtutem totis niſibus anhelare.

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. Gratia dicit rectũ velle.

Rurſus ex Theologia, gratia oon deſtruit naturam, ſed perficit: ergo ſi homo in naturalibus deſiderat perfici, à potiori ille quem Chriſtus gratiâ ſuâ dignabitur, ampliores ſpiritus hauriet ad perfectionem aſſequendam. Etenim ex S. Thoma, gratia ſecum vehit rectitudinem voluntatis; dicitur autem voluntas recta, ea quæ fertur in bonum conoeoiens ſed nihil magis vnicuique congruit quàm perfici: ergo ille cui Chriſtus illuxerit, coruſco lumine gratiæ, ille idem proficiet ſemper morarum impatiens. Vt enim Chriſtum apprehendat currentem, curret & is pernice greſſu, vt piè ait Bernardus.

Ex SS. Patribus. S. Bern. epiſt. 254. Profectus animæ metas neſcit.

Currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit, & quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi. Sic currite vt comprehendatis: ibi tu Chriſtiane fige tui curſus metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam, factus eſt obediens vſque ad mortem, quantumlibet ergo cucurreris, ſi ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis, brauium Chriſtus eſt, quod ſi illo currente tu gradum ſiſtis, non Chriſto appropias, ſed te magis elongas. Apoſtoli profecti ſunt in varias mundi plagas, ideam Chriſti animo præferentes, pluſque in via virtutis profecêre, quàm pedibus terram peragrando, id eſt plura pietatis ſpatia coofecerunt, quàm itinera prædicando. Qui enim eſt Chriſti ſedulus imitator, is ferias neſcit; ſed vt perpetuus virtutum opifex iugiter operatur. Audi Deum ipſum aſſerentem perfectionem ſequi præſentiam eius, animo meditatam: ſic enim affatur Abraham. *Ambula coram me, & eſto perfectus.*

Geneſ. 17.

Et Moyſes ſacrâ diſciplinâ inſtituens populum inſcium rerum diuinarum, ait ei. *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo.*

Deuter. 18.

Hanc autem perfectionem ſitam eſſe in aſſimilatione Chriſti, audi Apoſtolum. *Corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto IESV.*

Coloſſ. 1.

Ideò ex Auguſtino. *Chriſtianus patientiæ, caſtitatis, humilitatis, pietatis eſt nomen, Chriſtianus ille eſt, qui non nomine tantùm, ſed & opere eſt, qui in omnibus Chriſtum imitatur, & ſequitur.*

S. Auguſt. de vita Chriſt. cap. 6. Chriſtianum eſſe quid ſit.

Neſcio quid affine huic vidit cæcutiens Apuleius, in caligine ſui ritus infidelis. Sic enim ille. *Nihil eſt ſimilius, & gratioſius Deo, quàm vir perfecto animo bonus, qui in tantùm homines cæteros antecellit, quantùm ipſe à Diis immortalibus antecellitur.*

Lucius Apul. de Deo Socr.

Ex Hiſtoria. In vitis Patrum.

Hominis Chriſtiani virtutem omnimodam pendere ex imitatione Chriſti, clamant multiplices hiſtoriæ, & ea in primis Venerandi Patris Heremitæ, à quo cùm nobilis quidam adoleſcens petiiſſet theoremata vitæ ſanctioris, ille oſtenſo crucifixo ait: Fili ecce regularum omnium breue compendium, qui enim Chriſto intendit crucifixo, nequit à recto pietatis vnquam tramite deuiare. Simile quidpiam egit inſtante morte Rex Hiſpanus Philippus ſecundus. Is reuerà Catholicus integer magis animo, quàm corpore depaſto ægritudine importuna, iam

Petr. Matth. in hiſtor. ſua ſub an. 1599.

ceſſurus

ceſſurus fatis aduocat filium ſuum, regnorum hæredem mox futurum, pietate auitâ ei inculcatâ, ſcriniolum ei offert, quod à Carolo V. Imperatore patre ſuo acceperat vt rem ſacram, & pignus amoris paterni, atque in teſſeram regiæ pietatis, aperto ſcriniolo eduxit hinc crucifixum & flagellum ſanguine purpureum, omnibus attonitis rei inſperatæ ſpectaculo, Rex moribundus ait filio ſuo intento ſupellectilis ſacræ: Fili, rerum mearum præclarè geſtarum gloria vtique ingeos affluxit, ſed heu & effluxit: nihil de æuo quod grandæuus egi, mihi conſtat niſi id quod conſonum eſt crucifixo, cui vt ſe aptaret auus tuus Carolus Imperator abdicato ſæculo ſeceſſo gaudens, cruci & ipſe ſedula meditatione affixus, hoc flagello ſuo ſanguine tincto terſit næuos, quos antea contraxerat, & moriens has ſuæ virtutis reliquias voluit mihi reſeruari, quas & ego cedens fatis tibi dicatas iam commendo, vt congruam agas vitam Deo tuo crucifixo, & actionibus non diſſonis ab hoc typo, titulum Regis Catholici merearis. Hæc ille.

Philippi II. Regis Hiſpaniæ mors Catholica

Pignore hoc ſacro diues filius, Chriſti in cruce ideam adeò altè infixit menti, vt vitam dehinc egerit illibatam. Regibus Hiſpanis in hoc genere pietatis præiuerat S Ludouicus Rex Gallus, qui Iſabellæ filiæ ſuæ Reginæ Nauarræ, moriturus miſit cilicium ſuum, & flagellum, quo carnis inſolentiam compeſcebat. Hanc ſuam filiam epiſtola longiori exhortans ad ſequelam Domini Ieſu, cuius exemplari omnia reformantur. Patris ſui ſacras exuuias, piè excepit Regina, ſingulíſque hebdomadis eas induens, ſanctior effecta eſt. Ita & Chriſtus moriens ſuam dereliquit crucem, vt eam tolleremus, à qua ſumus viciſſim ad ſuperos efferendi; quippe ei quadrat ſymbolum quod finxit Ambroſius; pingens auem quam nuncupat auem paradiſi: ea dicitur dorſo portare pullos ſuos adhuc tenellos, & hac ſarcina graui, ei titulus apponitur. MEOS AD SYDERA TOLLO. Ita & crucifixus eos qui illi inhærent non ſinit deorſum repere, ſed de progreſſu ad virtutem ſollicitos AD SYDERA TOLLIT.

Ex Chr. S. Dionyſij. *S Ludouicus moriturus miſit filiæ ſuæ cilicium.*

EX SYMBOLIS: *Ambroſ. lib. Symb I.*

Ad exemplum Chriſti omnia proficere, etiam ipſa Mathematica adſtruit, cùm omnia inferiora creſcere ait, ad Planetarum luminis incrementum, & hoc videre eſt in ouis editis in plenilunio: ea enim albumine multo pollent, imò Aſtrologi pueros natos eodem plenilunio non fore vitales, tuto pronuntiant, ob affluxum nimij humoris: vnde arguo, eos quibus Chriſtus plenus gratiæ irradiat, magnum etiam augmentum gratiæ accipere ex eius aſpectu, id eſt ex eius imitatione.

EX MATHEMATICA. *Dan. Orig in Genethliacis.*

Fauet & res medica, quæ ex diſſectione corporum animaduertit partes quæ ſunt in continuo motu, donatas eſſe amplioribus vaſis, & copioſiore allui ſanguine, vt eſt palam in pulmonibus, qui venam arterioſam excipiunt & arteriam venoſam: etenim ea quæ iugiter cientur, plus calent & æſtuant, maiorique indigent paſtu, quo reparent ea quæ nimio diſpereunt æſtu: ita & hi, quorum perfectio nullas patitur moras, quoniamque feruor minimè tepet, ſanguinis Chriſti maiorem affluxum recipiunt, id eſt Chriſti patientis dum ſectantur exempla, ad eoſdem gratiæ Chriſti fluenta ampliora deriuantur. Et hi ſectatores verè elingues,

EX RE MEDICA: *Andreas Laurent. l. 4. Anatomia cap. 3.* Exempla ſuã linguam habent.

præcones ſunt luculenti verbi ſacri, quippe opera ſunt ſonora, etiam ſilente lingua, vt benè ait Cyprianus. *Efficacius eſt vita quàm lingua teſtimonium, habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam, tacente lingua.* Ideò Iure Canonico plus vrgemur ad exempla virtutis exhibenda, quàm ad loquelam intonãdam, en Canones. *Ab exemplis ſanctorum patrum debemus arguere:* Id eſt non allegando exempla ſanctorum, ſed ea manibus exhibendo, rationem adfert ius illud ſacrum hoc Canone. *Nã exemplum trahitur a minoribus quod factum eſt a maioribus.* Ideò ait vates, quàm ſpecioſi pedes euangelizantium, id eſt ſpecies tota, & pulchritudo præconum verbi Dei petitur ex affectu eorum ad virtutem, affectus enim ſunt animæ pedes, virtutes autem ſunt validæ manus.

S. Cyprianus de duplici Martyrio.

EX IVRE CANONICO. *Can. Moyſe 8. quæſt. 1. Can. cum quidam de iureiur.*

Suffragatur etiam ius ciuile, cuius hæc eſt lex. *Exemplari creditur, vbi originale caſu eſt deperditum.* Vnde ſic argno, Chriſtus eſt originale omnium omninò fidelium, ſed illud originale non eſt ſenſibus humanis peruium; ergo erit adhibenda fides exemplari, ſcilicet prædicatori, qui ideò debet eſſe virtute conſpicuus, ne ſuo deſit officio, poteſtque æquiuocè vſurpari in ſubiecta materia lex iſta: *Prædicata talia ſunt qualia demonſtrant ſubiecta, & econtrà talia ſunt ſubiecta qualia prædicata permittunt.* Quæ lex etſi logicis terminis, ſit ad literam expendenda, de terminis qui enunciantur, de aliis etiam terminis; tamen moralem etiam ſuſcepit iſtam gloſſam, ſcilicet res prædicatas quantumuis ſacras induere naturam ſubiectorum, ſeu prædicatorum à quibus enuntiantur vulgo, ſicut & aqua etiamſi innoxia, canalis ſæpe ſaporem colligit vnde effluxit; etiam econtrà æquum eſt, vt ſubiecta id eſt præcones verbi Dei, ſe componant ad naturam rerum quas prædicando diſſeminant plebi, id eſt: Si concionator humilitatem Chriſti populo inſinuat, res eſt prodigij loco, ſi idem virtutis Encomiaſtes turgeat Diaboli typho. Nam vt ait Lactantius *Qui docent tantùm, nec faciunt, ipſi præceptis ſuis detrahunt, bonum eſt autem recta & honeſta præcipere, ſed niſi & facias, mendacium eſt, & incongruens, & ineptum, non in pectore, ſed in labris habere bonitatem.* Denique ſtat hæc mea ſententia.

EX IVRE CIVILI. *Lege 1. Cod. de teſtamentis. l. ſtipulatio iſta § 5. hæc quæ iam de verb. oblig.* Doctrina ſine operis exemplo mutila eſt.

Lactantius Firmianus l. 3. diuinarum inſtitution. 8.

SALVAMVR SEQVELA DEI, NON LOQVELA, QVIPPE DEVS EVEHIT AD COELOS SOLOS SEQVACES SVI, NON LOQVACES.

COOPERANTIS GRATIÆ ſuffragio, fideles ſuas exerunt actiones.

In hæc verba:

Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

SECTIO XII.

NOs nihil inſcio Deo poſſe operari, ſed Deum ipſum omnia in nobis agere, & in eum gloriam omnem eſſe refundendam, liquet ex priſca Philoſophia, cuius hoc eſt axioma. *Primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum.* Ergo cùm Deus ſit ens entium, erit cauſa omnium

EX PHILOSOPHIA. *Ariſtoteles lib. 10. Metaph. textu 2.*

entium, nihilque reale edi poteſt, non influente Deo. Bene ergo Apoſtoli, & egregiè ſegeſſerunt, cooperante Domino: nam cùm operari ſequatur eſſe, Deus habens eſſe perfectiſſimum, habet & ſimile operandi genus, ſcilicet omnimodè exquiſitum: ideóque ſubijcit ſcriba ſacer, Signa ſubſequuta eſſe verbi Dei præconia, quippe non eſt irritum verbum, quod Deo cooperante ſeminatur.

Ex Theologia: Ioan. 15.

Rurſus ait Chriſtus. *Sine me nihil poteſtis facere.* Quod Theologi ſic explicant. Actiones humanæ ſunt in duas bipartitæ claſſes. Aliæ ſunt ordinis naturalis; aliæ verò ſuperioris ordinis, & nullæ exeri poſſunt Deo feriante; gratia enim Dei vtrobique ſuos ſortitur effectûs, etenim gratia Dei vt auxilium ſonat, neceſſaria eſt homini etiam in merè naturalibus vitiatis à primo fœtus exordio, & licet debitum ſit homini tale auxilium, illo tamen deſinente omnia hominis vacare neceſſe eſt: nihil enim Deo excepto eſt ſuum eſſe, cum ergo creata omnia habeant ſuum eſſe à Deo, ab eo etiam ſuum habebunt operari, nec agent vnquam, niſi Deo cooperante; quia cauſa prima plus influit in effectum, quàm cauſa ſecunda. Quòd ſi res eſt de actionibus quæ hominem ſupra ſe efferunt, vt ſunt actus fidei & charitatis, nemo vnquam inficiatus eſt, niſi inſanæ mentis, hominem precariò tantùm habere ſe ad illa egregia facinora, quæ non exantlantur niſi Deo cooperante, nihil enim agit extra ſphæram ſuæ actiuitatis, tota autem hominis actiuitas eſt concluſa cancellis ordinis inferioris: ergo homo nequit niſi irrito conamine, excedentia vires ſuas intentare; ita S. Thomas.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 2.

Gratiæ Dei neceſſitas.

Ex SS. Patribus. S. Auguſt. lib. de gratia & libero arbitrio. S. Bernard. ſermo 83. Caſſianus l. 4. de inſtit. cap. 10. S. Auguſtin. tract. 81. in Ioan.

In ea & mente ſunt ſancti Patres, in his Auguſtinus ſic. *Gratia ad hoc datur, vt lex compleatur, vt natura liberetur, & peccatum non dominetur, vt velimus, ſine nobis operatur incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens, ſine illo autem nihil operante, cùm volumus ad bona opera nihil valemus.* Auguſtino aſſentitur Bernardus. *Quærere Deum non poteſt anima niſi præueniatur vt quærat.* Item & Caſſianus ſic. *Patet initium noſtræ ſalutis, domini fieri vocatione dicentis: exi de terra tua: & conſummationem perfectionis, ac puritatis, ab eodem ſimiliter tribui cum dicit, & veni in terram quam monſtrauero tibi, id eſt quam non ex temetipſo noſſe, vel induſtria tua valeas reperire: ſed quam ego tibi non ſolum ignoranti, ſed etiam non inquirenti monſtrauero. Vt ergo inſpiratione Dei preuocati, ad viam ſalutis accurrimus, ita etiam magiſterio ipſius, & illuminatione deducti, ad perfectionem ſummæ beatitudinis peruenimus.* Rurſus Auguſtinus. *Siue paruum ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.*

Ex Historia: Ioſue 7. Iudic. 16.

Hiſtoria ſacra iuge Dei auxilium eſſe neceſſarium proteſtatur, ad egregia quæque facinora. Nonne Ioſue vigente Dei ope triumphauit, & Deo non influente, hoſtibus ceſſit ob furtum Achan? Nonne irruente ſpiritu Domini in Sanſom, victor extitit ille qui recedente ſpiritu hoc viuaci, illicò emarcuit? Denique an non & ipſi Ægyptij videntes mare dehiſcere ante Hebræos, confeſſi ſunt inuiſibilem Dei manum aquas diſpeſcere, in obſequium populi Deo ſacri, dixerunt enim. *Fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos; & ait Dominus ad Moyſem, extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus & equites eorum, cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ.*

Exod. 14.

Nota Moyſem non extendiſſe manum, niſi Deo exhortante, quo monemur, bona opera minimè perpetrari, niſi Deo dirigente manus noſtras, vt & ait Pſaltes. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Idemque Rex vates totum quod eſt tribuit Deo. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.* Gratia Dei aſpirante mira fieri, accipe vadem Philippum I. Regem Gallum, qui Deo plenus, ſtrumas omnes vnico contactu diluebat, & delebat; ſed vbi libidini indulſit, atque adeò fuit expers gratiæ, deperiit illi virtus illa ſalutaris. Deo ſic indicante, gratiæ eſſe totum id quod tranſcendit naturæ fines. Carolus Rex Gallus ſapiens nuncupatus, ſuæ ſpecimen ſapientiæ dedit regno, cùm bellum indicturus Angliæ, auſpicatus eſt à Deo, quem ſupplicationibus publicis & confeſſione demeruit.

Pſalm. 72.

Pſalm. 117.

Philippus Rex Galliæ à Deo deſeritur ob peccatum.

Guibertus Abbas Nogent. Contra Philippo Regi ſub an. 1091. Froiſſart cap. 258. ſub an. 1369.

Rurſus eadem Gallica hiſtoria, rem conſonam habet ſubiectæ materiæ de gratia Dei, qua mediante omnia conſtant nobis. Sic habet illa recenſio ſuperioris æui, Franciſco I. rerum potiente. Præfectus rei maritimæ, quem Admiralem vocant; is erat nomine Chabot vir potens, bellóque paceque inſignis, rerum præclarè geſtarum plus æquo inſoleſcens, Regis animum perculit, & fecit iniquum ſibi. Admiralis plus æquo confidens ſibi, ſpreuit iram Regis, petijtque ſibi dari cenſores, qui in ius vocarent ſeriem totam vitæ ſuæ; annuit Rex, præſidioque ſuo deſtitutum hominem cenſuræ exponit, quam vt ſubiit, iudicum ſententiâ habitus eſt reus, & inſulis honorum exutus, poſtmodum mulctandus exilio: ſenſit ille, etſi ſerò, proſpera omnia ipſi cecidiſſe Rege propitio; quo aduerſo, omnia fuerant eum auerſata, inde pronus Regem orauit, vt immemor vanitatis eius, eum in priſtinam reciperet gratiam. Rex miſeratus hominem, ait: ô Admiralis, ideò te permiſi tuo iuri, vt vel hinc reſcires ſtare te duntaxat, aurâ meâ iugiter adſpirante. Ita & plerique excidunt à Dei gratia, dum ſibi blandiuntur.

Du pleix. in Franc. 1. ſub ann. 1540. Admiralis Chabot punitur à Franciſco I Rege Chriſtianiſſimo.

Ex Symbolis: Du-pleix in Henrico II. ſub an. 1547. Heluetiorũ amor in Galliam.

Hanc opis diuinæ neceſſitatem egregio ſymbolo confeſſi ſunt Heluetij, quos cùm elegiſſet in patrinos filiæ ſuæ Rex Gallus Henricus II. hi proceres aliquot Pariſios delegarunt, iconem auream ad Regem deferentes, in qua manus deſuper tenebat pendula tredecim ligamina, quæ ſunt tredecim tribus Heluericæ, hoc titulo deſuper. SI DEVS PRO NOBIS QVIS CONTRA NOS? Reuerà Dei manu, id eſt auxilio deſuper influente, caſſi erunt niſus omnium noſtrorum hoſtium; ſed ſi manus Dei ſeſe ſubtraxerit nobis, inertes & erunt manus noſtræ, ſicut & Hebræorum deſides erant manus, cùm remiſſæ manus erant Moyſis orantis pro populo oppugnante Amalech. Sic enim habet textus ſacer. *Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis, cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem, paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Quia graues erant manus Moyſis, ſuſtentabant eas conſortes eius, Aaron & Hur. O homo, graues ſunt

Exod. 17. Gratia Dei neceſſaria ad mandata obſeruanda.

manus

manus tuæ acediâ atque deſidiâ, opem Dei emendica, vt tuæ hæ manus deſides erigantur. Hoc ſuadet tibi ius Canonicum hoc tenore. *Auxilium humanum cùm non ſupereſt, tunc debemus recurrere ad diuinum auxilium.* Item hoc Canone. *Sine gratia mandata diuina impleri non poſſunt, & aſſerens contrarium, anathema eſt.* Poteſt & iure ciuili ſcire homo, ſe egere auxilio Dei: hoc enim iure ſic docemur. *Auxilio nouo indigent quæ de nouo emergunt.* Qua lege ſic arguo. Multa emergunt, imò & inſurgunt in hominem improuiſa, ergo & nouo eget ille auxilio, quo retundat impetus ingruentes; hoc autem nouum auxilium eſt gratia Dei, qua cooperante Apoſtoli claruere ſignis, doctrinam ſuam firmantibus, ſigna autem potiora ſunt virtutes, quibus inuicem excitamur, vt ait Gregorius. *Volantia animalia ſe viciſſim feriunt alis ſuis, quia ſanctorum mentes in eo quod ſuperna appetunt conſiderantes, inuicem alterius virtutibus excitantur.* Et vt ait alter Archipræſul Leo. *Validiora ſunt exempla, quàm verba, & plenius opere docetur, quàm voce.*

Ex Ivre Canonico:
Gloſ. in ſumma 26 q. 2.
Canone finali de Conſecratione.
Diſt. 4.
Lege de ætate
Ex ivre civili.
§. ex cauſa de interrogat. actio.
S. Greg. l. 24. Moral.
S. Leo ſerm. de ieiunio.

Gratiam non irritam eſſe in anima, ſed edere ſigna ſuæ præſentiæ, colligi etiam poteſt ex re medica, cuius genius Hippocrates hunc edidit Aphoriſmum, γυνὴ ἔγκυος ἢν μὲν ἄῤῥεν κύει εὔχροος ἐστὶν, ἢν δὲ θῆλυ δύσχροος, *mulier grauida, ſi quidem marem concepit, viuida colore eſt, ſin autem fœminam fœdo.* Maris enim conceptio arguit calidi copiam, & quâ omnia vegeta prægnanti ſuccedunt; ita & anima gratiâ Dei fœta, nihil niſi maſculinum & heroicum ſpirat, vtpote quæ virtutum proſapiâ ſit grauida; Domino enim cooperante, ſigna viuida eâque plurima ſubſequuntur.

Ex remedica.
Hippocr. l. 5. aphoriſ. 42.

Adſtipulatur & Mathematica, pronuntians eos eſſe Martiales otiique neſcios, quibus in Horoſcopo mediat Mars, dicimuſque vulgo beatos homines natos, ſydere fauſto illucente. Imò & Schonerus procerum Aſtrologiæ inhærens veſtigiis, venatur Planetam natiuitati dominantem, ex caſu fauſto vel infauſto, cui puer editus aliquando ſubiacuit; adeò verum eſt ſigna ſubſequi cauſam ſignificam, qualis eſt gratia quæ exoſa vecordiam, vtpote actiua & iugiter influens, multiplices ſortitur effectus. Eam ergo ſagaci indagine efflagitemus à rerum omnium ſoſpitatore, quo ſolo ſtamus, & conſtamus, nam

Ex Mathematica.
Schonerus de virtute Planetarum & de med. rectif. andi.

Omne opvs perit ei, qvi non petit opem Dei.

HOMILIA
DE ASCENSIONE DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ.

1. Singvlaritas perſonæ in Chriſto facit vtriuſque naturæ eius iura communia, ob communicationem idiomatum, hinc dicitur Chriſtus æternus.

2. Et ecce inuentionem iſtius homiliæ: ego comparo Chriſtum cum annulo qui eſt ſymbolum æternitatis: dico Chriſtum qui in conceptione de ſurſum venerat, hodie in Aſcenſione illuc redeundo clauſiſſe annuli extrema, & in hoc annulo eſſe inſitas omnes gemmas coëuntes in roſam, ſunt autem virtutes, quibus vt gradibus itur in cœlum

3. Chriſtus non ſolus habuit annulum, ſed & dedit eis quos educens è limbis, ſecum ad cœlos euexit, fuit enim vindex libertatis omnium hominum.

4. Nec tantùm patribus in limbo degentibus propitia fuit hæc Aſcenſio Chriſti, ſed & nobis, nam vt natus eſt nobis, ita & aſcendit pro nobis.

5. Et vt faciliores impetus noſtros efficeret, hæredes nos inſtituit earum virtutum quæ conducunt. Demum hortor auditores ad ſequelam Chriſti, cuius ducatus non fallit, ſicut ille pſeudo-Angeli, qui aſſurgens vltra modum, ruinâ præcipiti luit pœnas facinoris, & homines pœnæ criminiſque ſui cônſcios, typho ſuo perdidit intumentes

PRÆFATIO.

Videntibus illis eleuatus eſt. *Actor. 1.*

Vates Eliſeus, mente præſaga præſentiens, fore vt Elias, quo magiſtro hactenus vſus erat raperetur in cœlum, Eliam rogat vt in teſſeram priſci affectus, indueretur duplici eius ſpiritu, in procinctu receſſus ſui ab illa plaga, vt deportaretur in alias orbis oras, petitis his annuit vir grandæuus, ſed ea ſtipulatione præuia, Eliſeum fore voti compotem, dummodo in Eliam abeuntem ſuos figeret obtutus. Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiſti. *Ne caderet voto Eliſeus, accingit ſe ad videndum Eliam dum veheretur ad ſuperna, & ſic hunc aſcenſiom intentus duplicem*

Elia ſpiritum dicitur ebibiſſe. Stet ſua ſors Eliſeo, ſpiritum alterius vatis anhelanti, nos æmulamur chariſmata meliora, quippe ſi viderimus Christum hodie aſcendentem in cœles, nos dignabitur ſane illapſu Spiritus ſancti, à quo ſpiritu habuit Elias, vt eſſet ſanctus. Quotquot videre IESVM abeuntem hodie, tot etiam in die Pentecoſtes eius Spiritus ſancte influente fuêre recreati. Præſto igitur Auditores, adeamus hodie montem Oliueti, vnde Christus extulit ſeſe ad Superos, ne cauſemini aquarum diuortia, & diſſitam à nobis plagam multa terrarum intercapedine, nihil eſt inuium menti noſtræ, quæ arbitrio ſuo tranſuolat cœlos, ipſo Rege Pſalte conſcio, qui præſciens Christi aſcenſum, eum in ſpiritu ſic affatus eſt, quo & etiam nos modo eumdem Dominum IESVM hodie compellamus: Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. *Exuamus omne quod terram ſapit, induamus altos animos, vt expedits Christum aſcendentem attendamus, futuri conſcij ſpiritus eius in die Pentecoſtes. Vnum vos monitos volo, ſcilicet non accedendum ad montem Oliueti, vbi eſt hodie Virgo beata; quin ei rependamus ſalutis obſequium, dicentes:*

Aſcenſionis Christi meditatio homines aptat, vt aſcendant in cœlum.

Pſalm. 56.

AVE GRATIA PLENA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

Luc 8.
S. Damaſc. lib. 3. c. 6.
Conc. Epheſ. 1. in Cyril. præfuit canon. 4. tom. 1. Conc.
Idiomatum communicatio in Chriſto.

RESerato penitiore receſſu arcanorum Dei, quæ ipſemet Christus aperuit, vt hoc textu liquet. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni, omnia quæcumque audiui à patre, ea nota feci vobis.* Ex doctore æquè ac ductore, inoffenſo pede decurrimus ea quæ pertinent ad abdita quæque Dei, vt ſunt proceſſiones, relationes, notiones perſonarum, & alia ad quæ priſca Philoſophia orba fidei lumine caligauit. Itaque affulgente nobis cœleſti lumine, nouimus Deum induiſſe naturam hominum, & ita duas naturas coire in vnitatem perſonæ ſingularis, vt vtriuſque naturæ inta facta ſint communia eidem hypoſtaſi: & id ex Damaſceno vocant Theologi communicationem idiomatum. Et à Concilio Epheſino primo cautum ſub anathemate, ne quis actiones Christi ita diſpeſcat, quaſi ab vna natura diſſita ab alia ſeorſum emerſerint. Etenim cùm vtriuſque naturæ ſit vnum idemque ſuppoſitum, eadem hypoſtaſis ſupponitur, nomine vtriuſque naturæ: ſiue ergo dicatur homo, ſiue Deus, ſupponitur hypoſtaſis diuinæ, & humanæ naturæ; Ideóque de homine poſſunt dici ea, quæ ſunt diuinæ naturæ, tanquam de hypoſtaſi diuinæ naturæ, & alternante formula prædicandi, de Deo poſſunt dici, ea quæ ſunt humanæ naturæ, tanquam de hypoſtaſi humanæ naturæ. Sed ex Doctore Angelico admouenda eſt cautela quædam, ne in ſcopulos impingamus. Hæc eſt autem Theologica cautio. In propoſitione in qua aliquid de aliquo prædicatur, non ſolùm attenditur quid ſit illud de quo prædicatum prædicatur, ſed etiam attenditur ſecundùm quid de illo prædicetur: quamuis ergo non diſtinguantur ea quæ prædicantur de Christo; diſtinguuntur tamen ſecundùm id, iuxta quod vtrumque prædicatur, etenim ea quæ ſunt diuinæ naturæ, de Christo prædicantur ſecundùm diuinam naturam, illa autem quæ ſunt humanæ naturæ, prædicantur de eo ſecundùm humanam naturam.

EX THEOLOGIA.
S. Thom. 3. p. q. 16. art. 4.

Hodiernum Aſcenſionis dominicæ myſterium prææltam hanc Theologiam explicat, nec inconſultâ eâ diſciplinâ poteſt intelligi Pſaltes occinens Christo ſydera peruadenti: *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Ibi de Christo dicitur, quòd ſit Dominus, & quòd aſcendat: cùm Christus dicitur Dominus, ſecundùm diuinam naturam, cuius eſt rerum omnium dominium, dicitur Dominus; cùm dicitur aſcendere, hoc intellige iuxta humanam naturam, quia Deus cùm vbique ſit, nullum motione nouum poteſt adſciſcere ſibi terminum: ſed cùm vtriuſque naturæ vna ſit tantùm hypoſtaſis, in ea idiomata vtrique naturæ communia benè coaleſcunt. Huius catholici dogmatis accipe vadem Sanctum Auguſtinum. *Diſtinguamus quid in ſcripturis ſonet, ſecundum formam Dei, in qua æqualis eſt Patri, & quid ſecundum formam ſerui, quam accepit, in qua minor eſt Patre.* Et infra, dictorum hic non immemor, adiicit hæc. *Quid, propter quid, & quid ſecundum quid dicatur, prudens, & diligens, & pius lector intelliget:* Quaſi diceret, cùm audis Christum Dominum aſcendiſſe in cœlos, intellige Dominum qua Deus eſt, & crede aſcendiſſe qua homo eſt, vtrumque autem de vna & eadem hypoſtaſi vtrique naturæ communi catholicè prædicandum. Nam Christus vnum quid eſt, & non duo, iuxta Boëtij verus axioma: *Omne quod eſt, in quantum eſt, vnum eſt.* Cùm ergo Christus ſit vnus, & vnum, vt benè arguit Sanctus Thomas, illi vni conueniunt idiomata vtriuſque naturæ, ob id quod in abſtracto hæ duæ naturæ diſſitæ ſint, Christus tamen non eſt in concreto diſpeſcendus.

Pſalm. 67.

Ex SS. PATRIBVS.
S. Auguſt. l. 1 de Trinit. cap. 11. & cap. 13.

Boët. Lum omne quod eſt bonum ſit.
S Thomas 3. p. q. 17. art. 1.

Cæterùm vt conſtat ex præfatis, Christus extitit ſemper Deus, tamen captui noſtro ſe accommodans, in cœlum aſcendit videntibus diſcipulis ſuis, vt illuc abeundo vnde venerat, circulum concluderet, & ſic Deum ſe probaret, nam circulus eſt ſymbolum Deitatis, quæ ſicut & circulus, principio & fine caret. Hoc igitur erit inuentum homiliæ.

Dicam primò vitam Christi fuiſſe annulum, qui hodie clauſus eſt in Aſcenſione. 2. Dicam in hoc annulo omnes coïuiſſe gemmas. In vita quippe Christi rutilant omnes virtutes, ex ſequela quarum & nos donabimur annulo, id eſt, in cœlum euehemur. Æternitatem & tempus hac intercapedine diſſidere periti aiunt, quòd ex Boëtio æternitas ſit tota ſimul, tempus vero ſit menſura motus ſecundùm prius & poſterius. Vnde æternitas neſcit partes neque principium vel finem, tempus verò ſecus, exordium habet & exitum. Hinc Ægyptij aſſueti typis, circulum pingebant vt ſymbolum æternitatis: imò & Dei quem ideò gyrando voluit Pythagoras adorari. Et hoc eſt edictum eius, προσκύνει περιφερόμενος *adora circumactus.* Qui etiam ritus deuolutus eſt ad Romanos, quorum Imperator Caligula inſanus, inſulsè ambiens inſulas deitatis, amanter excepit Lucium reuerſum è Syria, quia Imperatori obuius, gyrauit agens ſe in orbem, & pronus ſalutauit, hoc ritu pro Deo habens Caligulam. Et Perſæ in ſuis ſacris Iouem appellabant circulum, id eſt æternum. Cùm ergo comparo Christum annulo, qui eſt figuræ circularis, ego dico eum

Boët. l. 5 de conſ. pro. 6.
Æternitas quid ſit.
Caligula ſalutatus vt Deus.

Lylius Gyraldus l. ſyntagm. vbi de ſymb. Pytha. Suet. in Cal. g.
Adoratio olim facta in orbem.

S.Thom 3.p. q.16.art.9. *Hebr.vltim.*

æternum eſſe, ac periude Deum, etenim ex ſancto Thoma ſimpliciter eſt falſum dicere de Chriſto: Hic homo incepit eſſe, quia hac demonſtratione notatur ſuppoſitum quod eſt æternum, & hoc idem Paulus aſſeruit. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Si ergo de Chriſti ortu aliquid dicimus, id de natura humana ſanè intellige, vt aſſumpta eſt in tempore, & in eo ſenſu Ioannes ait: *Verbum caro factum eſt.*

Ioan.1.

Circulus eſt figura referens Chriſtum.

Vide autem quomodo cohæreat circuli cum Chriſto relatio. Vt fiat hæc figura, linea è ſurſum ducitur à puncto, & ſe deorſum inclinans in gyrum, ad ſuum principium curua reflectitur; ita & Chriſtus è ſupernis ſe deorſum inclinans factus homo, redut tandem hodie ad ſuperna, vnde illapſus eſt, & ſic dum in aſcenſione ortus & reditus, vt duo extrema coëunt, exurgit typica ſanè figura circularis. Huic affine eſt, quod priſco fuit ſæculo in more poſitum, ſcilicet ſacra non eſſe ſarta tecta, donec circulum in ara illinirent ex ſanguine hoſtiæ, quo circulo conſtabat de perfectione ſacri, & hoc ſonabat vox græca frequens illi ritui τελειάς quod idem eſt ac perfectum eſt. Ita & conſummatum eſt quidem in Cruce ſacrificium, ſed vt plena & rotunda ſtarent arcana fidei noſtræ, Chriſtus ſcandens cœlos, circulum adimpleuit, Hoc vnum deſiderabat fides noſtra ad ſuum incrementum & integrum τελειάς, vt benè ſpeculatus eſt Bernardus. *Solemnitas iſta, fratres chariſſimi, glorioſa eſt, conſummatio eſt, & adimpletio eſt reliquarum ſolemnitatum, & felix clauſula totius itinerarij filij Dei: qui enim deſcendit, ipſe eſt qui & aſcendit hodierna die ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia; iam enim cum ſe Dominum vniuerſorum quæ ſunt in terra, & in mari, & in inferno probuſſet, non reſtabat, niſi vt aëris & cœlorum ſe eſſe Dominum, argumentis ſimilibus vel certè potioribus approbaret.*

Pierius l.39. Hierogl.

S.Bern.ſerm. 2.de Aſc.

Aſcenſionis Chriſti quænam ſit dignitas.

Igitur volens Chriſtus adaugere fidem fortaſſe nutantem diſcipulorum, qui etſi eum reſurrexiſſe ſcirent, non ſubodorabantur in eo deitatem ſenſibilem: reditum ſuum in cœlos vnde deſcenderat, fidelium voluit ſubiacere ſenſui, vt eo viſo, eripiente ſeſe mortalium cœtui, eum crederent Deum & Dominum rerum, crederent inquam, vtique ea fide quæ probata ærumnis martyrij nuſquam dubia vacillaret. A mea mente non eſt procul Bernardus. *Ad claudendam igitur tunicam tuam inconſutilem Domine IESV, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat vt videntibus diſcipulis per medium aëris, ſicut aëris Dominus aſcendas ſuper omnes cœlos, ex tunc probabitur quia Dominus vniuerſorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleſti, & iam tibi profectè debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria & in dextera Patris.*

S.Bern.vbi ſupra.

Ex Hiſtoria. *Plutarch.in Alexand.*

Alexandrum ſuum contemplatus aliquando Philippus Macedo, adoleſcentes eius annos videns gloria præcoci ſcintillare, geſtiens ait. Quære tibi, fili, alia regna; quia Macedonia te non capit. Ampliores in Ieſu Chriſto filio ſuo ſpiritus fore præſcijt Dauid pater eius, carne tenus; quippe Rex ille indolem Chriſti ſpeculans è longinquo, non ſe præ iubilo ſuſtinere valens, hunc verſum ſcribitur eructaſſe. *Exaltare ſuper cœlos Deus, & in omnem terram gloria tua.* Id eſt, Quære tibi alia regna vltra ſphæras ſublunares, illæ ſiquidem te arctant. Exaltare ſuper cœlos, qui infra terram, apicem tuum inclinaſti, ſcande ſydera omnia, & exurge vltra omnes Angelorum choros, & excelſa omnia tu peruade, quem ſortis iniquæ nuper tormina peruaſerunt.

Pſalm.56.

Alexander dictus dignus alio regno quam paterno.

Franciſcus ille Gallus Rex & heros, ſi quis vnquam alius, ambiit imperium quo cecidit, Carolo æmulo concurrente, ſed nihilo factus exhinc humilior, ſuum teſtaturus animum anhelantem plura regna, cudit numiſma in quo geminus erat mundus, hoc titulo circumducto VNVS NON SVFFICIT ORBIS. Equidem optimè ſi Rex pertæſus humilia mundi regimina, ad regna tantùm cœleſtia collimauit. Hoc ſymbolum ſanè eſt idoneum Chriſto, qui ſibi Eccleſiam cum militantem in ſuis fidelibus, tum patientem in inferis plenè deuinxerat. Quia tamen in vnum duntaxat orbem ſublunarem coëunt illæ geminæ Eccleſiæ, Chriſto VNVS NON SVFFICIT ORBIS: Ideóque ad aliud tranſit debitum ſibi regnum, ad quod humanitas nondum euecta, illic eſſet Patri, ſolio inſidens adſtitura.

Ex SYMBOLIS. *Luk in lib. numiſm.*

Franciſci Regis Chriſtianiſſimi animus ingens.

An non hoc præſciūt Regius Pſaltes, cum cecinit: *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomē illi,* vbi Gregorius. *Super occaſum Chriſte fuit aſcendere, ipſam mortem quam pertulerat, reſurgendo ſuperare.* Phyſiologiæ ſcitum eſt hoc, ſcilicet mori apes ſi aculeum figant oliuæ dum floret, licet floſculos emergentes impunè alibi depaſcantur. Simili ſorte mors impunè graſſabatur in omne hominum genus, ſed vbi erupit Chriſtus qui dicitur: *Flos de radice Ieſſe*, appetiit mors incauta floſculum oliuæ, nam & ſic nuncupatur etiam Chriſtus paſſim. *Oliuam vberem pulchrum, fructiferam, ſpecioſam vocauit nomen tuum.* Item & in Pſalmis. *Sicut oliua fructifera in domo Dei.* In hanc oliuam floridam impegit mors, ſed vt apis animam in vulnere ponit, ita & mors hunc floſculum pungens, aculeum ſuum protinus hebetauit. Nam vt reſurrexit Chriſtus, caro eius refloruit, & mors emarcuit. Audi Chriſtum dicentem in Pſalmo. *Refloruit caro mea.* Quod ſic explicat Maximus. *Refloruit caro Domini, cum de ſepulchro rediuiua germinauit, & in floris modum, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem.* In hoc floſculo depaſcendo, mortis acumen omne defeciſſe vtique obtuſum inquit Auguſtinus. *Vbi eſt mors aculeus tuus, nonne confregit illum Dominus meus? ò mors quando Deo meo haſiſti, tunc & mihi periiſti.* Igitur aptè Dominus nomen illi, qui aſcendit ſuper occaſum, habens ius vitæ & necis. Et vt Dominus, ingenti agmine ſtipatus animarum, quas ſecum vexit ad cœlos, auſpicatur regnum de quo ait. *Ecce ego noua facio omnia.* Verè Dominus qui non precariò adit cœlum, ſed peruadit omnipotens, triumphum agens hactenus Angelis inaſpectum.

Pſalm.67. S.Gregor. lib. 19 Mor.c.3.

Iſaiæ 11. Ierem 11. Pſalm.51.

EX SS. PATRIBVS.

Chriſtus morte ſuperior.

Pſalm.27. S.Maximus ſerm de Reſurrect.

S. Auguſt. ſerm.19. de Reſur.

Apoc.1.

Fœlix reuera fuit Hiſpania Siſebuto Rege ſuo, qui ea pietate refulſit, vt magnâ de hoſtibus victoriâ reportatâ, videns in caſtris ſuis pleroſque hoſtium captiuos, ſuam ſortem ægrè admodum patientes; Rex pius miſeria perculſus inimicorum hominum, illos ære ſuo redemit omnes, manumiſſos ſinens redire ad ſuos, ſicque Hiſpani Regis prædiuites Gazæ, fuere redēptio hoſtium eius, hactenus inaudita. Sortem

EX HISTORIA. *Chron.Lucæ Tudenſ. ſub ann 619*

Siſebuti Regis Catholici Pietas inſignis.

planè æquiorem ſortiti ſunt multi educti è limborum abditis ergaſtulis, Deo aliàs iniurij, eique noxis pluribus obnoxij. hi quia Deo propitiato deceſſerant ab vſura lucis huiuſce, ideo non damnati ad beſtias, ſed recluſi duntaxat; hos omnes Chriſtus ingenti pretio ſanguinis ſui, eduxit è caueis, & hoc meritorum theſauro ingenti appenſo iuſtitiæ Dei, hoſtes olim ſuos, recepit in gratiam, & eorum carcere vacuato, illos integrè ſoſpitauit. Hanc Chriſti ſanguine libertatem fuiſſe hominibus aſſertam

S. Aug. ſerm. 29 de Reſur. Epheſ. 4.

acuto compendio ait Auguſtinus. *Cum ſit mors noſtra pœna peccati, mors illius facta eſt hoſtia pro peccato.* Suffragio Pauli viget hoc aſſertum. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia; ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit, aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quaſi diceret nullam ineſſe hominibus, Chriſto inſcio, libertatem. Cóctepaotibus ergo buccis, hoc Pſaltis elogium ingeminent beatæ illæ mentes coëmptæ, facti ſanguinis huius commercio.

Pſalm. 67.

Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. nam etſi antea Chriſtus verè extitit Dominus rerum, non ſenſere tamen in limbo detenti patres, vim integram dominij Chriſti Regis, donec vindex eorum libertatis, eos hodie ſecum ad ſuperna vehens integre liberauit. Duplici titulo Chriſtum ſpectat Dominum rerum, primò quà Deus, à quo

Pſalm. 23.

omnia ſunt precariò iuxta illud: *Domini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.* Secundo, quà homo eſt, acce-

Matth. 28.

pit à Deo Patre omnigenum imperium. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra,* &

Ioan. 5.

rurſus. *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium.* Huius autem gloriæ Chriſto debitæ à Deo Patre, codices ſacri aliqualem ideam antea prælibarunt. Patriarcham Ioſeph prætuliſſe ſpeciem Chriſti, omnium ſanctorum Patrum eſt concors aſſertio, quippe iniquo zelo fratrum venditus, Dominæ ſuæ crimine ementito truſus in carcerem, inde tamen non emerſit inglorius,

Chriſti & Ioſeph Patriarchæ relatio.

ſed præfectus regno. Ita & Chriſtus vnius Apoſtoli infidelis perfidiâ væniit ære ſacrilego, ſynagogæ mendaci piaculo delatus ad iudicem non carceri tantùm, ſed iniquæ mortis ſupplicio exantlato, tumulo mancipatur. Inde reſurgens, coruſco lumine rutilans, Ioſephi figuram

Geneſ. 41.

impleuit, cuius ſeriem accipe ex Geneſi. *Dixit ergo ad Ioſeph (Pharao) Tu eris ſuper domum meam & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum regni ſolio te præcedam.* Cùm audis patrem, filium ſuum præcedere vno regni ſolio; hoc explica, ſecundùm eam naturam hominum, qua minor eſt patre, vt ipſemet ait

Ioan. 14. Ioan. 10.

Chriſtus. *Pater maior me eſt.* Etenim qua Deus eſt, coæqualis eſt Patri, vt ille inquit. *Ego & Pater vnum ſumus.* Sed huiuſce typi reliqua decurramus. *Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti, tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit, fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ.* Aſcenſus ille in currum præmiſſis, annulo, ſtola, & torque inſulis imperij aſcenſionem notat, & genua prona; clament in nomine Ieſu flectendum omne genu, in teſſeram agnitæ maieſtatis. *Dixit quoque Rex ad Ioſeph. Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti, vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Verè Chriſto inconſulto immobiles ſumus, nec enim niſi eo ciente motus noſtros, ferimur in bonum, Apoſtolo teſte.

Rom. 7.

Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur cuius gratia redempti ſumus, cuius aura aſpirante viuimus & mouemur, Dominum hunc merito iure dignamur, titulo ſaluatoris.

Ex Hiſtoria. Eſther. 3.

Sed in quo vertitur potiſſimus cardo Aſcenſionis Chriſti, eſt annulus ille, quo Pharao inaugurauit Ioſeph: annulum quippe fuiſſe teſſeram regni, vtraque clamat hiſtoria, cum ſacra, tum exotica. In ſanctiore hiſtoria, legere eſt Aſſuerum tuliſſe annulum ſuum & dediſſe Principi Aman, quem ſecundum à ſe, regno præfecerat, & hoc annuli ſigno, Dynaſtæ illius ius in omnes ſatis ſuperque fuit adumbratum. Ex peregrinis audiuimus Alexandrum

Quint. Curt. in vita Alex. Alexander annulo dato deſignat ſucceſſorem.

in extremo agone poſitum, dum rogaretur de ſucceſſore deſignando tacitum oculos direxiſſe in Perdiccam, & annulo ſibi detracto, hunc Principem annulo porrecto deſpondiſſe Macedonum regno. Annon & annuli ritu inaugurantur Epiſcopi, quaſi Eccleſias ſuas hoc ſymbolo deſponſantes. Omnium actuum Chriſti annulus eſt aſcenſio, vt Bernardus inſinuat:

S. Bernard. ſerm. 2. de Aſcenſione. Pſalm. 67.

Felix clauſula totius itinerarij filij Dei. Hoc annulo nobis innotuit dominium Chriſti, iuxta toties ingeminatum verſiculum Pſalmi. *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Sui in cælorum plagas iuris ſpecimen adhuc non ediderat Chriſtus, hodie cælos ſupergrediens

Pſalm. 113.

aperit veritatem præſcitam à Pſalte. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Hoc aſcenſu viſo pleriſque mortalium, ſeſe rerum omnium moderatorem liquido præoſtendit.

Plin. l. 33. c. 1. Pier. lib. 36. Hierogl. Annulorum vſum prior inuenit Prometheus.

Primum annulorum vſum à Prometheo dimanaſſe ferunt; is aliquando vinculo ferreo rupi alligatus, diras diluit pœnas, ſed inde tandem ſolutus in inſigne libertatis ſuæ, è catena ferrea, vnicum tulit annulum cui affixit fruſtulum lapidis, cui antea adhæſerat: ſic eo annulo ſibi effecto, & digito inſerto, aliis annulorum cupidinem fecit, & hinc ad poſteros fuit vſus annulorum longè lateque propagatus. Chriſtus tumulo abditus lapideo, totius hominum gentis vindices obiit pœnas, ſed ille aſſertor alienæ libertatis, corruptioni nequaquam ob-

Pſalm. 15.

noxius, vt cecinit Pſaltes. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Inde reſurgens aſcendit in cælum, ſicque reditum exitui copulans, annulum adumbrauit.

Annulus index libertatis.

Prometheus annulum geſſit vt indicem libertatis ſuæ, ita Chriſtus ærumnis obnoxius, quas trahunt noſtræ mortalitatis exuuiæ, voluit cælum repetere, & ſic vitæ ſuæ circulum con-

Pſalm. 87. Cattorũ lex de annulis.

cludere; aſt vt ait Pſaltes. *Inter mortuos liber.* Cælos aſcendit, vitam ſuam circulariter definiens, in annuli modum, aſcenſione ſua libertatem ab iniuriis huius vitæ, quaſi annulo ſignaturus. Ea fuit olim apud Cattos annuli religio,

Corn. Tacit. lib. de morib. German.

vt nemini annulus concederetur, niſi ei qui hoſtem deuiciſſet, vt ait Cornelius Ita nec Chriſtus annulum aſſumpſit, id eſt aſcendit in cælō, quin

dæmonem,

dæmonem, mundum, & mortem plenè ſeperarit; & quia Chriſtus non modò ſuæ, ſed & alienæ vindex extitit libertatis, alios etiam ſanctos limborum incolas dignatus eſt annulo, cùm ſecum etiam ad ſuperos, ſoſpites eleuauit. Etenim beatæ illæ mentes Deo ſatæ, ad Deum patrem qui eſt in cœlis redeuntes, & ipſæ aſcenſione ſua annulo donatæ ſunt. Nec aliter niſi Chriſto ſuffragante poterant liberati patres, & annulo cenſeri. Nefas olim erat, in ſeruitute degentibus circumferre annulum, vt aiunt, Papinianus & Vlpianus. Igitur hi omnes pij ſynagogæ proceres, de carcere educti, iure antiquo, & adhuc hodie potiuntur.

Chriſtus vindex alienæ libertatis.

EX IVRE CIVILI. *Papinianus & Vlpian lib. 40. Dig.*

Ex Alexandro, liberti qui annulo donabantur, nomine ſuo vetere eraſo, vſurpabant nomen nobile, equeſtris ordinis, quo ſeruitutis næuos iouſtos abſtergebant. Eadem ratione, & Patriarchæ velut obſides tenti liborum ergaſtulo, vbi primum manumiſſi ſunt, inſtar libertorum annulo dignati, abdicauere nomen obſidis & captiui, & induere nomẽ ingenuum, ſuperioris ordinis, id eſt beatorum: nam qui nudo nomine dicebantur patriarchæ & prophetæ, poſt annuli vſum, id eſt ab Aſcenſione ſua, ſanctorum nomine nuncupantur. In amoris præcipui notam Rex Perſa olim annulum dabat, cuius vſu, dynaſtæ erant quaſi Regis comites indiuidui. Eam ſortem experti ſunt omnes quos Chriſtus ſecum traduxit ab inferis; nam ipſius cohæredes, & gloriæ conſortes cœlo gaudent. Apage ſis, ô Apolloni, cum annulis quos accepiſti à Gymnoſophiſtarum Antiſtite Iarcha, quos numinis loco coluiſti, & vnde tibi arcana patere mentitus es; nam tuis, hi quos Chriſtus dat annuli longè præierunt. Nimirum cùm aſcendere in cœlum ſit annulum accipere; beati, quibus erat ſtipatus in aſcenſu ſuo Dominus, abdita hominibus multa diſcent & videbunt beneficio huius annuli. Nam Deo patente beatis, quid erit abditum eis: vt enim ait Gregorius. *Quid non videt qui omnia videntem videt.* Faceſſat hinc ille Gyges qui mediante annulo ſuo, exuto paſtoris habitu, regium induit, & veluti peplo dignus Reginam, extincto coniuge ſuo, deſponſauit. Commentum eſt id Herodoti, atque Ciceronis: Sed hoc fidei noſtræ eſt theorema indubium, eos omnes contegnare Chriſto, qui annuli vſum ab eo acceperunt. O felicem annulum, quo ſtat regnum Dei! ô felicem aſcenſum, qui nos conſcios facit cœleſtium, adſcribi ſuperis, ciuitate donat ſacræ Ieruſalem, liberat omnibus iniuriie, mortiſque neſcios, vitæ huius variis & iugibus eripit inuolucris.

Alex. Ab. Alex. lib. Genial. c. 2. Obſeruationes ſingulares de annulis. *Alex. ab Al. vbi ſup. Phil. in vita Apol. lib. 3. c. 13.*

S. Greg. l. 2. Mor. c. 3.

Cic. lib. 3. offic. Herodot. l. 1.

EX HISTORIA. *Sigebertus in Leone, ſub ann. 1053.* Leonis IX. Papæ pietas ſingularis.

Habet equidem ſuam laudem apud omnes & vtique cedro dignam Pontifex Leo IX. Ille Northmannis tota Italia graſſantibus, regionem illam hoſte popolante fœdatam miſeratus, occurrit hoſti, qui feliciori Marte Romanos fudit, & eorum Archi-preſulem ducit Beneuentum, multa ſtipatum manu ſuorum ciuium, quos morti erutos, ſors iniqua addixerat ſeruituti. Summus Eccleſiæ vertex Leo, nominis ſui non immemor, præſtitit ſanè ſe leonem magnanimum, diræ ſortis iniquitatem æquo animo ferens, ſuorum ciuium miſeriâ triſtior, quàm de ſua ſollicitus. Admirans hoſtis, Præſulis huius animum intrepidum, in habitum ſe mitiorem componit, anhelãs quid humanum in captiuum, iubet reſumere animum, & aſſerit inſtare moram, quæ eum reddat priſtinæ libertati. Ad hæc Pontifex: O Northmanni, mea me non libertas afficit, ſed me anxium faciunt compedes & manicæ meorum ciuium, ac proinde ne mihi loquimini libertatem, ſi non & adiicitis mihi meos omnes indigenas Romanos municipes atque contribules, quos ſi vincula præpediunt, volo & ego concaptiuus eis vinculis impediri.

EX SS. PATRIBVS. *Richard. à ſancto Victore tract. de gradib. charitatis.*

Quàm benè exclamat Richardus. *O charitas virtus omnibus præualens, & valens ad omnia!* Hoc amore in ſuos flagrans ille amans Pontifex, liber remittitur, & eius ergo Romani illi omnes qui in ius ceſſerant victoris. Ita & Chriſtus deſcendit ad inferos, vbi plures diſcernens conciues ſupernæ Ieruſalem, noluit ad ſuos repedare, quin dirutis vinculis, indigenas cæli animas à dira captiuitate vindicaſſet. Et hoc canit codex ſacer, *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.* Ideo aptè ait Bernardus in aſcenſione, Chriſtum, *Eâdem manu quâ fecerat, refeciſſe ea quæ defecerant.* Congruè igitur Deum dico patuiſſe hodie ſenſibus, cuius fides eſt penes intellectum ſenſibus inconſultis. Audiendus eſt Leo Papa. *Tunc igitur, filius hominis, Dei filius, excellentius ſacratiuſque innotuit, cùm in paternæ maieſtatis gloriam ſe recepit, & ineffabili modo, cœpit eſſe diuinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior.* Vtque duæ annuli extremitates coëunt ſub gemma, ita duas naturas coëuntes in hoc myſterio apparere ait Auguſtinus. *Videntibus illis eleuatus eſt; dum audis eleuatum, agnoſce militia cæleſtis obſequium, vnde hodierna feſtiuitas, nobis hominis, & Dei ſacramenta manifeſtauit, ſub vna eadémque perſona in eo qui eleuat diuinam potentiam, in eo autem qui eleuatur, humanam agnoſce ſubſtantiam.* Huius myſterij Vates quidam non inſcius eſt præfatus in hunc modum. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Quaſi diceret aſcenſionem Chriſti eſſe præludium noſtri aſcenſus in cælum ſuo tempore affuturi, vt ſpeculatur Auguſtinus. *Saluator noſter aſcendit in cælum, non ergo turbemur in terra, ibi ſit mens & hic erit requies, aſcendamus cum Chriſto interim corde, vt cùm dies eius promiſſus aduenerit, ſequamur & corpore.* Ne autem ſuſpicateris homo, cæli aditum nobis adhuc obſerari, tres deleuit obices Ieſus, qui hominem arcebant à paradiſo, in cuius foribus adſtabat Cherubin habens in manu ſua gladium flammeum verſatilem. Sic Angelus, gladius, & ignis obſtabant homini, regreſſum in paradiſum hunc voluptatis ſuæ virtute molienti. Chriſtus tres obices hos expunxit: aquas enim effudit ſalutares in baptiſmo, quibus extinguitur ignis ille comes noxæ originalis; ſanguine ſuo retudit aciem gladij homicidæ: ſanguine enim humano calente hebes fit acies cuiuſuis gladij. Denique Angeli omnes occurrerunt ei aſcendenti. Quippe reſonabant agmina ſtipantia Chriſtum. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Sciſcitantibus Angelis. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* ingeminatum eſt. *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Huius elogij repetiti ſæpè, refractæ voces perculerunt Cherubinum, vt paradiſi fores, non ſuo Regi tantùm, ſed & in poſterum toti electæ hominum proſapiæ reſeraret. Huius myſterij ideam Deus Iſaiæ præoſtendit: ſcripſit enim Chriſtum & Angelos colloquentes, & hos primum in admirationem compoſitos exclamantes. *Quis eſt iſte*

Epheſ 4. S. Bern. ſer. de Aſcenſ.

S. Leo ſerm. de Aſcenſ.

S. Aug. ſerm. 176. de tempore. Chriſti Aſcenſio aditũ cælis nobis aperuit. Aſcẽſio Chriſti fuit indubium argumentum diuinitatis eius. *Michæ 2. S. Auguſtin. vbi ſupra.*

Pſalm. 23.

Iſaiæ 63.

qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boʒra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor iuſtitiam & propugnator ad ſaluandum. In annulo Chriſti gemmas in modum roſæ adunatas admirabantur, imò & ſtupebant Angeli; quippe omnis virtutum chorus Chriſto aditabat, & aſcenſus ſui pompam, veluti gloriæ eximiæ ferculum exornabat. Noluit alia gemma ſuum annulum inſignire ſuperior Scipio Africanus, quàm ea quam Sardunychen vocant, quia ſola eſt quæ ceræ impreſſa nihil colligit. Ita & virtus etſi homo ea præditus verſetur in ſæculo, ſæculi tamen omnem excutit, imo non patitur illuuiem; ideò annulum ſuum, id eſt aſcenſum ſuum, Chriſtus voluit virtute multiplici coruſcare, vt vel hinc diſcerent homines, virtutum callem eſſe tenendum his qui inhiant cæleſtibus. Ideò cùm Angeli apud Iſaiam interrogant Chriſtum aſcendentem. *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Ille reſpondens ait. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*

Plin. l. 37. cap. 4.
Scipio Africanus quare Sardonichen in annulo habuit.

Verè Gentes abſunt ab aſcenſu Dei, id eſt anima non coaſcendit Chriſto, quæ ritu gentili vitiis obnoxia, fit grauior deorſum inclinans. A gentibus horret Chriſtus, nec vllum ei cum vitio commercium, vt benè inculcat Auguſtinus. *Scire debemus quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non auaritia, non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum medico noſtro, & ideò ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus & vitia & peccata deponere, omnes enim quaſi quibuſdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt.* Dixi annuli Chriſti gemmas eſſe virtutes eius, quarum ductu poteſt quiſque veſtigiis eius inſiſtere, & fieri conſcius regni quod anhelant vota noſtra: & in huius rei typum memor eſto Ioſue euntis in terram fluentem lac & mel. Ille heros nomine ſuo IESVM ſonans, Iordane tranſuadato, duodecim lapides & prægrandes, alueo Iordanis abdidit, vt inde ſciret poſtera ætas ſe hoc lapidum calle in Palæſtinam ab Ægypti plaga tranſmeaſſe. Ita & Chriſtus annulum ſuum annotauit multo lapide pretioſo, vt lapidum ſymbola quæ ſingula quæque referunt aliquas virtutes, viam ſignent, quà itur ad aſtra: & hoc non latuit Senecam cum ait. *Aſcenditur ad virtutem, deſcenditur ad voluptatem.* Chriſtum velle ſymmyſtas ſuos ſuis inhærere ſemitis, reſciuit Helena Conſtantini parens, pietate æquè ac ſtemmate inſignis Heroina, quæ pietatis ergo inuiſerat loca ſacra, erexit Eccleſiam in monte Oliueti, vnde Chriſtus ad propria hodie repedauit: ſed ea aëris pars, quam peruaſit Dominus in aſcenſu ſuo, fruſtra enitente architecto, non potuit obturari. Nam dum teſtudo templi concamerata ſpatium illud aëris attingeret, hiabat illico, patulum linquens aëri ſpatium, quo Chriſtus aſcendit, nec vnquam coaluere partes in hanc aperturam diſſitæ, Deo ſic volente, parere omnibus viam quà itur ad aſtra. Ruſus veſtigia pedum Chriſti quæ illic impreſſa ſunt, auro tecta ad inſigne decus noluere recondi, terra expuente omnia quibus voluit mulier ſancta hæc veſtigia pedum operire. Eamobrem effectum eſt vt deſuper aperto cælo, & deorſum patente Chriſti veſtigio, liqueret via qua directè tetendit ad ſuperos Dominus, qui & ad exemplum

S. Auguſt. ſerm. 15 de tempore.

Virtutes ſunt iter quo itur ad aſtra.

Ioſue 4.

Seneca ep. ad Lucillum.
S. Hieronym. De locis Hebr. in actis Apoſt.
Paulinus ad Senec. ep. 1.
Seuerus hiſt. lib. 2.

Eccleſiæ erecta in monte Oliueti mira ſingularitas.

videntibus diſcipulis eleuatus eſt, vt benè meditatur Bernardus, *Sicut cætera omnia eius qui natus eſt nobis, & datus eſt nobis: ita ipſa quoque ipſius aſcenſio, propter nos facta eſt, & facit pro nobis.* Mons Oliueti viam aperit Chriſti ad cælos, ſed hoc iter eſt hominibus inacceſſum. Aſt codices ſacri viam prætendunt vitæ Chriſti, cuius nos ipſi Deo ſequela ſociabat. Chriſti vita mons eſt, de quo Iſaias. *Venite & aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Hortatur nos Vates ad aſcenſum, id eſt ad meditandum quo tramite proceſſerit Chriſtus. Virtuti enim via nulla eſt inuia, ſemitæ Chriſti ſunt virtutes quas non inoffenſo tantùm, ſed pernice pede decurrens, ſydera ſupergreſſus eſt, & tranſcendit Angelorum choros niſu hactenus intentato. Nimirum virtus nauſeans ad terrena, in ſupernis tantùm figit ſuæ cupidinis metas, ipſo Domino Ieſu teſte, qui ſiſtere non potuit, quin poſitis infra ſe omnibus quæ ſunt infra Deum, & tandem ſuis vicibus expletis repoſitus ad dexteram patris excelſo ſolio reſideret. Et hoc luculento ſcribit ſtylo Leo ſummus Antiſtes. *Magna erat & ineffabilis cauſa gaudendi, cùm in conſpectu ſanctæ multitudinis ſuper omnium creaturarum cæleſtium dignitatem humani generis natura conſcenderet, ſupergreſſura angelicos ordines, & vltra Archangelorum multitudinem eleuanda, nec vllis ſublimitatibus modum ſuæ perfectionis habitura, niſi æterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio.* Scriptura ſacra ferax dogmatum, quæ myſterio multiplici ſignat, & inculcat, volens typicè inſinuare virtutes, quibus quaſi vehiculo Chriſtus euectus eſt ad excelſa, notat eum frequenter iuiſſe in Bethaniam, & à Bethania tandem deueniſſe in montem Oliueti, vnde terris ereptus, redditus eſt cælis: igitur inquirendum Hebraica indagine quid Bethania ſonet, vt virtutes quæ hac Hebraica voce ſonant poſtmodum inſectemur. Ex Hebræo fonte Bethania vox eſt compoſita ſignificans Domum obedientiæ, afflictionis, humilitatis, atque paupertatis. Nam cùm lingua ſancta, dictionum laboret inopia, ſingulæ quæque voces prædiuites ſunt in ſignificando, ideòque factum eſt, vt plurium auctorum verſio non concordet, & rurſus multa medulla latens ſub vno cortice, impinguat eos qui Hebraicè ſciunt. Ideòque iam ſeſe mihi obiicit ſeges vberrima demerenda.

S. Bern. ſer. 4. de Aſcenſ.

Iſai. 2.

S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ.

Nota myſterium Beth בה *hanu* ענה *obedire, affligere, humiliare, pauperem eſſe.*

Bethania iter Chriſti euntis ad montem Oliueti.

Cùm igitur audis Chriſtum à Bethania aſcendiſſe montem Oliueti, qui eſt mons miſericordiæ, nam oliua typus eſt miſericordiæ; explica moraliter miſericordiam Dei eos tantùm manere, qui virtute pollent quam Bethania ſua voce refert. Id eſt Deum eſſe propitium ei qui obedit, affligitur, humiliatur, pauper eſt: quod idem eſt ac, Deum illuc vbi eſt omnium penè virtutum agmen, aduolare. Rurſus hoc Bethaniæ ſymbolo ſubodoror, Chriſtum è Bethania in Oliuetum gradientem innuiſſe nobis, tramitem obedientiæ, paſſionis, humilitatis & paupertatis ineundum eſſe ei qui vult excelſa ſapere: ſicut breui-loquio ſuo Paulus enuntiat dicens. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ: qui deſcendit ipſe eſt, qui & aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia.* Humilitas enim mater eſt virtutum, quas Bethaniæ vox explicat; qui ergo matrem

Epheſ. 4.

habuerit,

habuerit, facili negotio proſapiâ totâ potietur.

Cæterùm ipſe Chriſtus ait humilitatẽm compendioſam eſſe viam ad aſcenſum. *Omnis qui ſe*

Matth. 62.

humiliat, exaltabitur. Et ne opera forent diſſona verbis, noluit prætermiſsâ Bethaniâ conſcendere montem Oliueti; quippe ab ortu ſuo humilem agens vitam, homo infimo greſſu, quo ſuis præire voluit diſcipulis, poſtmodum in conſonum ſibi locum, ſcilicet in ſydera, remeauit. Quomodo autem Deus excelſus apicem ſuum inclinare potuerit, doce nos; ô Bernarde, qui huius myſterij maximè conſcius extitiſti: audite loquentem.

S. Bern. ſer. 2. de Aſcenſ. Chriſtus iter nobis in cœlum ſtrauit,

Chriſtus cùm per naturam diuinitatis non haberet quo creſceret, vel aſcenderet, quia vltra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltauit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Vnde & tu fac ſimiliter: per humilitatem ad ſublimitatem aſcende, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam, qui aliter vadit, cadit potius quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Hoc humili greſſu Saül in Regem euectus eſt. Cùm enim Samuel de ineundo regno ſermonem exorſus, deſignaret Saül: ille alienus à regno in hunc humilem habitum ſe deiecit.

1. Reg. 9.

Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? Sed alternante ſuperbia, cecidit Saül, qui humilis ſurrexerat, & ea tantùm virtute rutilabat. Præſata liquent ex textu ſancto, vbi Vates Samuël, ſugillat Saül.

1. Reg. 15.

Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, vnxitque te Dominus in Regem ſuper Iſrael?

Plutarch. in Romulo. Humilitas ſuos profeſſores euehit in cœlum.

Et Romulus ille inſignis, vrbis Romæ fundamine, Dei inſulas ambiens à ſuis in fruſta diſſectus eſt, qui nequibant eius ferre ſuperbiam. Homicidæ tamen ſuum abdidere ſcelus, illud Romuli in cœlum aſcenſione prætexentes; eamobrem ait Tertullianus.

Tertullianus in apologet.

Romulum aſcendiſſe in cælum ſcalis mendacij. Eodem prope fato periit Simon Magiæ nomine infamis, Dæmonis ſuperbiam nactus, ideóque natus in ſuam perniciem. Etenim volens imponere credulæ genti Romanorum ſe Deo ſatum, poſſe ad libitum remeare ſurſum, inſpectante Roma, Chriſtum aſcendentem vir iniquus & blaſphemus voluit ementiri. Sed vltrice pœna ſuam diluit ſuperbiam, actus in præceps & eliſus.

S. Maximus ſerm. de Aſcenſione.

Dignus planè qui plantas amitteret, quia pennas aſſumpſerat. vt inquit Maximus. Icari prætereo caſum notum lippis atque tonſoribus.

Eſt ſanè quod miremur inſaniam hominum ſuperborum, quos cùm minimè lateat, ſuperbiam deprimere ſuos aſſeclas, typho nimium exurgentes; iugiter tamen ſuperbiunt, & vltra quàm quod ſatis, efferuntur & ambiunt aucupatâ vndequaque aurâ, cœtus ſuis, & id ſæpiſſimè malis artibus eminere. Hoc gemebundus flet Bernardus.

S. Bern. ſer. 2. de Aſcenſ. Humilitatis profeſſores rari ſunt.

O peruerſitas filiorum Adam, ô abuſio: quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leuiter aſcendunt, & difficilius deſcendunt parati ad honores: ad ſequendum autem te, Domine IESV, vix inueniuntur vel qui trahi patiantur.

Dixi obedientiam & patientiam in afflictione toleranda, eſſe ſobolem humilitatis: cùm ergo Chriſtus humilitatis exquiſitæ formam expreſſerit, debuerunt & aliæ virtutes eodem quo & humilitas tenore procedere. Equidem obedientiæ Chriſti & vitæ, idem fuit cardo in quo vertebatur Chriſtus, cuius eadem mora finem fecit æquè viuendi ac obediendi: Paulo ipſomet aſſertore. Sic ille.

Philip. 2.

Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens & habitu inuentus vt homo: humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Vide hoc textu humilitatem, obedientiam, & patientiam in obeunda morte: ſed audi has omnes virtutes eſſe Bethaniam, quà vergitur ad montem Oliueti, id eſt virtutum hanc ſeriem conducere ad aſcenſum. Idem vas electionis Paulus Apoſtolus vbi recenſuit Chriſti humilem habitum, in quo morem geſſit Patri, morte tenus, contextum hunc virtutum hâc clauſulâ concludit.

Ibidem.

Propter quod & Deus exaltauit illum. Innuens Saluatorem aſcendiſſe his virtutum gradibus. An non & Salomon prælibauit aſcenſus iſtius aliqualem ſpeciem, cùm ait.

Prou. 21.

Vir obediens loquetur victorias. Si quidem Chriſtus obediens penſi loco, euehitur ad cœlos. Item & anima carne titillante, mundo ſuadente, diabolo ſuggerente, Deo obediens, nonne eſt conſpicua triplici victoriâ, atque ideò dignanda cedro, & curru triumphali. In amoris ſui erga nos ſingulare pignus Dominus Ieſus, virtutum ſuarum ideam dereliquit, affectum hinc inſinuans maiorem eo quo arſit Elias in Eliſeum

4. Reg. 2.

ſuum diſcipulum, cui cùm raperetur in cœlum, pallium ſuum ex alto demiſit in teſſeram amoris indubij, ſed hoc pallio Eliſeus non ſanctior extitit: at virtutum habitu quem induit Chriſtus, mortui cœlos aſcendimus, & vitæ conſcij, ab omni planè vitio vindicamur. Ceciderit pallium Eliæ, ab Eliſeo collectum, quo edidit prodigia, non equidem inuidemus, dignati ſiquidem æquiore ſorte: nam Chriſto abeunte, cecidere gemmæ ex eius annulo, quibus ditati poſſumus multâ gratiarum gazâ, & illi adhærere poſtmodum, ſi tamen earumdem virtutum indefeſsâ iugique praxi, eiuſdem Chriſti veſtigiis inſiſtamus.

Haſce gemmas vult Deus noſtris manibus teri, & quaſi annulis inſeri, more Hebræorum, qui ab Ieruſalem procul poſiti & degentes, ſanctæ ciuitatis typum annulis imprimebant, ad quod alludit Rex præcentor.

Pſalm. 136.

Si oblitus fuero tui, Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Quaſi diceret: cùm ego in annulo pictam habeam Ieruſalem, non poſſum obliuiſci eam, quin & annuli & dexteræ manus memoria ſimul expungatur.

Ieruſalem picta in annulis Hebræorum.

Habenda eſt præ manibus & etiam nobis idea cœleſtis Ieruſalem, non deerimus huic parti, ſi Chriſti gemmas tractemus quotidie, & aſſueſcamus earum praxi, & nos ea manebit ſors quæ Ezechielem ſurſum euexit, vt ipſe ait.

Ezech. 8.

Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei & eleuauit me. Capillos eſſe cogitationum ſymbolum patet; manum capillos apprehendere, eſt practicas facere ideas boni, cuius ſpecies noſtris mentibus obuerſantur. Aptare ſe virtutibus Chriſti, operoſum ſanè eſt opus: ſed hæc manus attollit eos quos illa apprehendit, nec alio fine Chriſtus coram eleuatus eſt, niſi vt excitaret ad ſequelam, vt ait Bernardus.

S. Bern. ſer 4. de Aſcen.

Ab ipſo demonſtranda nobis erat aſcenſionis via, ne ductoris, imò ſeductoris iniqui aut veſtigium, aut conſilium ſequeremur: quia ergo non erat quo aſcenderet, deſcendit Altiſſimus, & ſuo nobis deſcen-

ſu,

ſu, ſuauem ac ſalubrem dedicauit aſcenſum.

Ex Hiſtoria. *Cornel. Tac. li 15. annal. hic refert de Seneca.*

Ex hac vita decedens Seneca, cui negatæ ſunt tabulæ, quibus inſtitueret hæredem, conuerſus ad amicos, ait. O amici, cùm fortunæ bonis exuar, ſicut & ſæculo, non peritura bona relinquam ſed æterna, ſcilicet imaginem vitæ meæ. Senecam habetote mentibus veſtris iugiter adſtantem, & nihil vnquam excidet vobis Philoſopho indignum. Chriſtus abiens ex hoc orbe ſublunari, nihil niſi perenne liquit. *Diſcite à me,* inquit, *quòd mitis ſum & humilis corde.* Vt adſcribamini cœlis, hoc vnum ſtatum ſit vobis, mei mementote. Specioſum munus moriens Scipio tranſmiſit in poſteros, ſcilicet annulum, in quo cælatura viuam eius imaginem expreſſerat. Dixi hoc toto tractu homiliæ, aſcenſionem Chriſti eſſe annulum in quo depicta eſt ſeries actionum Chriſti, qui dum nobis, cælo repetente eum, ereptus eſt; ideam annuli huius deſcribi voluit pagina ſacra, quæ tranſmiſſa ad totam Chriſti proſapiam, ſcilicet ad fideles, eorum animos ad Chriſtum pelliceret inſectandum.

Matth. 11.

Scipio depictus in annulo. *Alex. ab Alex li 2. dier. gen. cap. 19.*

Nolui dicere rem communem & ab omnibus huic materiæ ſubſtratam, ſcilicet hodie aptari illud de Chriſto Moſis eloquium. *Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos.* Sed ne intactam præteriiſſe videat hanc aquilam, accipe egregium Typotij ſymbolum, idoneum planè eius quam nunc decurrimus piæ feſtiuitati. Pinxit ille aquilam decidentibus pennis, iam vietis, aduerſo Sole, hoc titulo: Renovamini. Etenim habent hi qui naturæ ſimulas penitius inueſtigant, aquilam aquis immergi, & alas ad ſolem explicare, vt hoc irradiante ſydere, incaleſcant alæ, & plumæ inutiles factæ laxiores ventorum flabris cedant, & excidant, quibus ſuccedunt recentiores pennæ, quibus recens aptior ad volatum aquila vegetatur. Volare neſcit ille qui nimia grauedine præpeditus ait. *Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* O reprobi eſtis & vos eàdem mole vetuſtatis præpediti, Chriſtus vos pullos ſuos prouocat ad volandum, cauſamini vetuſtatem & alas ineptas; Renovamini. Alæ veſtræ ſunt affectus, itur ad Deum non pedibus, ſed affectibus, inquit Auguſtinus; veternoſos affectus alluite lachrymis, & deflete noxia quæque impiè perpetrata, ſiſtimini Soli, id eſt attendite ad Ieſum, vt eius affulgente gratia, nauſeet veſter appetitus ad ea quæ prius inolita, & acuatur ad inſolita, vt Chriſti demum eatis ad ſequelam, dicturi cum Bernardo. *Beatus qui vbique te ducem habet, Domine Ieſu, non illum refugam ſpiritum qui ſtatim aſcendere voluit, ſed percuſſus eſt; nos autem populus tuus ſequamur te, per te, ad te, quia tu es via, veritas, & vita, via in exemplo, veritas in promiſſo, & vita in præmio. AMEN.*

Deut. 32. Ex Symbolis: *Typotius lib. ſymbol.*

Pſalm. 37.

S. Bern. ſer. 4. de Aſcenſ.

TRACTATVS PRIMI CAPVT SEXTVM, IN DIE PENTECOSTES.

EVANGELIVM. *Ioan. 14.*

1. Dixit Iesvs diſcipulis ſuis, ſi quis diligit me, ſermonem meum ſer-
uabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum man-
ſionem faciemus. 2. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat, & ſermonem
quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris, hæc locutus ſum vobis
apud vos manens. 3. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in
nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero
vobis. 4. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 5. Non quomodo
mundus dat, ego do vobis, non turbetur cor veſtrum neque formidet; audiſtis
quia dixi vobis, vado & venio ad vos, ſi diligeretis me gauderetis vtique, quia
vado ad Patrem; quia pater maior me eſt, & nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt
cùm factum fuerit credatis: iam non multa loquar vobiſcum, venit enim Princeps
huius mundi, & in me non habet quidquam: ſed vt cognoſcat mundus, quia di-
ligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

1. *Quemadmodum cordis æſtus ad manum vſque decurrit, ita & amoris index eſt actio ſeu obſequium quod defertur amato, qui ergo Deum amat, dicto eius erit audiens impiger, nemo autem Deum amat, quin prius à Deo ametur, & hic amor Dei cum ſit Spiritus ſanctus, non eſt ſolitarius, ſed comites habet Patrem & Filium inhabitantes animam amore Dei ſauciatam.*

2. *Trium harum perſonarum abſentiam arguit contemptus verbi Dei, quod cum procedat à Patre*

Patre, ille qui ſermonem Dei non capit; nec etiam Patrem habet, neque Spiritum ſanctum.

3. *Qui ſuggerit omnia conſena cis quæ vocaliter edocuit ipſe Chriſtus.*

4. *A quo pacem accepimus omnimodam, vt præambulam Spiritus ſancti, cuius illapſus exigit mentes quietas vſquequaque,*

5. *Et alienas à turbine, quo verſantur in labyrintho inquietum illi quos mundus fucata pace delinit. Pax etenim Dei, ſecuros facit eos quos beat in hoc ſæculo, imò nec Chriſtum ad tempus ſecedentem beatæ illæ mentes ægre ferunt: ſciunt quippe eum præſentia ſuæ cupedias ſenſim infundere, alias verò quaſi in cœlum redeat, deſiſtere, ſubducendo ſe, ne nimia dulcedine capti deliciarum ſpiritualium, nobis magis blandiamur quàm Deo famulemur. Itaque debet amanti ſufficere ipſa Chriſti imago loquax, ſcilicet memoria vitæ eius, quam illibatam mundus carpere non potuit, ſed morientis coactus eſt ingemere, dum obedientia vſque ad mortem, ſpecimen egregium intuens centurio exclamauit, verè Filius Dei erat iſte.*

ANIMA AMORE DEI flagrans, omnem exoſa deſidiam, impigrè morem gerit Deo.

In hæc verba:

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.

SECTIO PRIMA.

Ex PHILOSOPHIA: *Ariſtotel. lib. 3. de anima. text. 31. Matth. 22.*

VT omnis diſciplina ſua habet principia quibus aſſentitur, iuxta illud Ariſtotelis. *Omnis intellectus rectus eſt.* Id eſt circa prima principia; ita & Religio Chriſtiana ſuis innititur principiis veluti fulcris, quæ ſi ſubducuntur, neceſſe eſt vt peſſum eat vniuerſa hæc myſtica compages. Quale autem ſit primum principium Chriſtiani inſtituti, audi ex ſerie Euangelica. *Interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum, Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? ait illi IESVS: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc eſt maximum, & primum mandatum, ſecundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.* Ex præfatis

Amor eſt primũ principium religionis Chriſtianæ.

in amore, vt in cardine ſuo, tota vertitur religio Chriſtiana: amorem hunc eſſe impigrum & practicum, aperire incumbit iſti ſectioni, in qua Philoſophia primas aget vices Sic illa arguit ex Ariſtotele, *Sicut ſe habent principia in ſpeculatiuis, ſic ſe habet finis in rebus agendis.* Vt enim intellectus vltrò inclinatur ad aſſenſum primi principij, ita & voluntas ſponte cietur in vltimum finem, & quò melior erit finis cognitus, eò validiùs in eundem potentia appetitiua percelletur: ſed Deus fide cognitus obiicitur homini Chriſtiano, vt ſummum bonum, & vt finis neſciens vlteriorem finem; ergo appetitus ſe totum in Deum pœnitus explicabit, eaque omnia explebit quæ conducunt ad fruitionem Dei. Nam media cùm appetantur propter finem: magnâ etiam ſolertiâ inquiruntur ab appetitore finis; igitur integer amator Dei teſtabitur amorem ſuum, virtutis obſequio, quo demeretur Deus. Quippe cùm virtutes media ſint ad Deum, amor

Ariſtotel. 2. Phyſic. textu 89.

Habitus infuſi & acquiſiti quomodo differant.

hominem Deo perditum diriget ad virtutum callem, quo inoffenſo pede peragrato, Deus intimè poſſidebit.

Ex THEOLOGIA. *Rom. 5. S. Thom. 1. 2. q. ... art. 1.*

Ruſſus ex Theologia habitus à Deo infuſi, non ſunt vt habitus acquiſiti, ... dum aliqui ſunt merè ſpeculatiui, vt ... ſcientia de gyro cœli & ſyderum ortu, ... in ſpeculatione ſita eſt. At habitus deſuper illapſi practici ſunt, hominemque ... ſe ipſo meliorem, eum inducendo ad virtutem, vt videre eſt in ... te quam virtutem Theologalem vocant, quæ non eſt virtus acquiſita ſed infuſa ex Apoſtolo. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Item charitas eſt amor in Deum reſpiciens communicationem beatitudinis æternæ, quæ cum excedat naturæ facultatem, amor qui ad ... fertur, eſt etiam ſuperioris ordinis, vt ſcitè ait S. Thomas, qui & probat charitatem ſtipatam eſſe toto virtutum agmine; quia Deus non minus perfectè operatur in operibus gratiæ, quam in operibus naturæ; at in Phyſicis non eſt principium alicuius operis, ſine eis, quæ deſiderantur ad illud exequendum opus: ſicut in animalibus inueniuntur organa quibus perfici poſſunt opera, ad quæ peragenda anima habet poteſtatem: ſed charitas vt ordinat hominem ad vltimum finem, eſt principium omnium bonorum operum, quæ in vltimum finem dirigi poſſunt: ergo illud principium non erit ſolitarium, & ſocias habebit alias virtutes, quæ ſunt velut indices charitatis: vndè Apoſtolus ait. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Vides laborem recenſeri, facta gratiæ mentione; cùm ergo gratia & charitas animam hominis imbuerint, ea vtique neſciens moras ſedula erit atque ſollicita ad omnium virtutum praxim, nihilque ſui excipiet à Dei famulatu; in cuius rei figuram hoc olim ſancitum eſt in victimæ oblatione. *Tollent ex ea in paſtum ignis dominici adipem, qui operit ventrem & qui tegit vniuerſa vitalia, ad. ... adolebitque ea ſuper altare ſacerdos in alimoniam ignis, ... ſuauiſſimi odoris.* Eo ritu monemur, debere nos ipſos deuouere in paſtum ignis ſacri, id eſt, amori diuino debere militare omnia noſtra. Quippe amor velut ignis, pabulo viget & augetur, amoris autem alimonia ſunt virtutes.

Idem 1. 2. q. 65. art 3.

1. Cor. 15.

Leuit. 3.

Exod 34.

Et quia amor ille efficax, eſt momenti præcipui, accipe aliã ſanctionem. *Primogenitum ... rum tuorum redimes, nec apparebis coram me vacuus.* Quæ lex eſt ſic moraliter expendenda, ſuperſtite tamen ſenſu literali. Cor tuum eſt primogenitum in cæteris membris, nolo cor illud creaturarum obſequio mancipari, vel illud premi nimio pondere auri, aut præpediri laqueis infidæ Veneris. Denique iubeo cor illud erui ab omni vitij mancipio, & in ingenuam libertatem gratiæ illico vendicari, vt mihi debiti amoris penſum exhibeat, & ne amoris inertia ... reſetar, non apparebis coram me vacuus, id eſt indigus bonorum operum, ſed manibus ... is virtutibus occupatis. Ad hanc trutinam ... pende amorem tuum, ô homo, & vide an redemeris primogenitum tuum: ſeu cor tuum tibi deperiit, vtpote liquatum igne luxuriæ, & alias ... ſum ſcrinio, quo theſauri tui reconduntur; & eſto redemeris amorem ... confeſſione ingenua, tamen vacuus ſemper aſteris Deo nulla virtute conſpicuus, Ideoque debitum Deo amo-

Morale.

rem

rem non rependis, ſed fucatum, atque adeò impiè fictis fucos Deo tuo, offerens ei amoris tantùm inane ſimulachrum.

Ex SS. Patribvs. [illegible]

Charitati eſſe affines alias etiam virtutes diſce ex Auguſtino. *In dilectione virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum eſt; id eligere, prudentia eſt; nullis inde auerti moleſtiis, fortitudo eſt; nullis illecebris, temperantia eſt; nullâ ſuperbiâ, iuſtitia eſt. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus? hoc Deus eſt, cui ſi aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.* Fatet & Gregorius. *Charitatem rectè prædicator egregius, vinculum perfectionis vocat, virtutes quidem cætera perfectionem generant, ſed tamen iam eas charitas ligat, vt ab amantis mente iam diſſolui nequeant.* Idemque alibi, *Charitatis enim ſit proprium, nutrire concordiam, ſeruare compoſita, diſſociata coniungere, praua corrigere, & virtutes cæteras perfectionis ſuæ munimine ſolidare: quiſquis in ea ſe radicè inſeruerit, nec à viriditate deficit, nec à fructu inaneſcit.* Bernardus vim amoris expertus exclamat. *O iugum ſancti amoris, quàm dulciter capis, glorioſè illaqueas, ſuauiter premis, delectanter oneras, fortiter ſtringis, prudenter erudis! O fœlix amor, ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas.* Amoris energiam egregio ſuo ſymbolo expreſſit Felix princeps Salernitanus, qui tardioris aliàs ingenij, vbi ſenſit amoris aculeos, factus alacrior, omnem exuit inertiam, nihil niſi heroicum ſpirans: huiuſce indolis nouæ rationem editurus, pinxit teſtudinem alis explicatis ſurſum vectam, hoc titulo, AMOR ADDIDIT ALAS, hoc lemmate facimus ſatis ſuperque eis, qui dyſcolorum hominum conuerſionem meditantes, admirantur eos quondam deſidia torpeſcentes, iam alacres ſpatia omnium virtutum emetiri, vtique celeri veſtigio; quippe, Amor addidit alas.

S. Greg. Regiſtr. l. 4. ind. 13. c. 95. Item regiſtr. l. 6. ind. 2. c. 112.

S. Bern. tractatu de diligendo Deo.

Ex Symbolis. *Typotius lib. ſymbol.*

Amor inertes aptat in ſtrenuos.

Ex Historia. *Pauſan. in Arcadicis.*

Quòd ſi ad hiſtorias eſt prouocandum, conſule Græcos priſcorum temporum, & in eis Arcades, apud quos erat barathrum, è quo ignium globi ſæpius emergebant. Hi Gigantes illic degere arbitrati, dicebant illos facere rem diuinam, nec aliis quam gigantibus eſſe fas incolere ſpecum, quæ fœta flammis ignes eructabat. Ita & ego moraliter explicans illud antrum flammiuomum, dico in amoris templum neminem induci niſi Gigantes & Heroes, id eſt animas rerum egregiarum opifices; nam ex Gregorio, vbi eſt amor, ibi magna operatur; quòd ſi non magna operatur, iam non eſt amor, ſi quidem amor odit inertes. Amoris ſui indefeſſi ſpecimen egregium edidit Stephanus Papa ſextus; is amore in Sanctos Martyres æſtuans, eorum corpora ſagaci induſtria in ſpeluncis quærens, iuſſit accendi lampadem & eam prægrandem, cui aqua abundè erat infuſa, adiecto tantiſper oleo. Mirum! arſit illa lampas ſeptem diebus & noctibus, etſi reboante vento, & oleo pauco non valente pabulum ſufficiens igni illi perpetuò miniſtrare. Fuit reuera mirabilis hæc lucerna typus amoris illibati quo in Deum ardere debemus: alitur hic ſacer ignis aquâ lachrymarum, & oleo gratiæ deſuper infuſo, incaſſum reflant obiecta vndique diſcrimina, nequeunt extinguere charitatem, vt teſtatus eſt Paulus, prouocans omnia aduerſa & iniqua: ſic ille. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos.*

Anaſtaſius Bibliotheca in Stephano, cap. 6. Stephani Papæ amor in Martyres.

Rom. 8.

Sponſa Canticorum, amoris acta flamine præpotenti, omnes obices aſpernata eſt, vt dilecti ſui fieret compos, inuenerunt eam vigiles, plagis affecerunt, & eam pallio exuerunt, nihili facit hæc omnia, amore leniente pœnas, ærumnaſque ſuo dulcore ſopiente. Et ſi à ſacris fas ſit diuertere ad profana; Ludouicus Rex Gallus huius nominis vndecimus, ſub initium regni ſui adeò deperiit Carolum filium Ducis Burgundiæ, vt cùm è venatione Rex redux audiiſſet Carolum per inuios calles & dumeta deuiaſſe, & errabundum in fruticeto pernoctare, ita eius abſentiâ perculſus eſt, vt iuraret ſe impaſtum & inſomnem fore, donec Carolus inuentus coram adſtaret: præſtititque rem cui ſe iuramento obſtrinxerat. Claudicat ſanè omnis ille amor, quo nos in Deum agi turpiter ementimur; & ſi componamus eum cum amore Regis huius Galli, amoris duntaxat erit ſpecies emortua. Quoties heu non Deum tantùm amittimus, ſed & emittimus, abigimus, vel de eo reduce minimùm cogitamus: non impaſti eum reuocamus, ſed dies ieiunio ſacros ſaginæ impendimus, ventrique ſaburrando. Vt Deus auerſus, fiat nobis æquius ſeu propitius, non vigiles modò inſtamus orationi, ſed ventris ingluuie ſomno immerſi, noctes dieſque conſumimus, eſcis vinoque conſepulti.

Cant. 5.

Du-Pleix in Ludouic. 11. ſub an. 1462. Ludouic. XI. amor in Carolum Ducẽ Burgundiæ.

Amoris noſtri forſan acuet ignauiam, æſtus ille quo arſit in Regem Galliæ Ludouicum duodecimum Archiepiſcopus quidam nomine, *de Salazar*; is vt vidit Regem ſuum accingere ſe ad expeditionem Genuæ, cuius ciues à Gallia defecerant: vt inquam ille aſpexit Regem cataphractum ferro premi, ait; & ego, ô Rex, ero indiuiduus tibi vitæ mortiſque comes, ambobus erit vnum & commune periculum, & vt dicto faceret fidem, exuit præſulis infulas, & loricam induit, ſanguine ſuo Regi ex animo citum præſtiturus obſequium: adiciens hoc ſingulare effatum ingentis affectus, ſcilicet, dedecere ſubditos eſſe inermes, Rege ſuo cataphracto, neminique licere vacare à bello, ipſo etiam Rege victoriam, vitæ diſcrimine demerente.

Du-Pleix in Ludouic. 12. ſub an. 1507.

Præſulis Salazar amor erga Ludouicum XII. Regẽ Chriſtianiſſimũ.

Libet hic deflere hominum ingenium amoris expers: Chriſtus amore noſtro, ſaucium nobis de cruce explicat corpus ſuum, aitque oportere pati vt pateat aditus ad gloriam, & nemo ſe ſocium adiungit Regi noſtro, qui vt ſuum in nos teſtaretur amorem, noſtras induit exuuias: nec volumus vicem rependere illi condolentes. Audi amorem Chriſti ex Chryſologo. *Paruus fuiſſet amor pauperis, quòd pauperem ſuſcepiſſet, niſi & paſſiones pauperis ſuſcepiſſet, & certè verus amor, non niſi paſſionibus probatur, verus amor eſt feciſſe ſuas anguſtiati anguſtias.*

S. Chryſol. ſerm. 14.

Mathematici omnes amicitias & odia Planetarum dum deſcribunt, aiunt verbi gratiâ odium maximum intercedere inter Saturnum & Venerem, quia Venere ſociata Saturno, beneuoli eius feriantur influxus: at ſecus inferunt ſummam amicitiam ineſſe Planetis Iouis &

Ex Mathematica. *Iulius Firmicus lib. 3. cap. 3.*

Ex re Medica.
Fernel. lib 6. de functionibus & humoribus, c. 6.

Veneris, quia mutuis aſpectibus ſuas explicant vires. Vides ergo ex Mathematica, amoris argumentum præualidum peti ab egregiis actibus, qui corde feruido perpetrantur. Et inde colligere eſt, eos Deũ minime amare, qui ad eius intuitum, in actiones heroicas non erumpunt. Sicut & Medici arguunt deficere in homine calorem natiuum & vitalem, ex defectu trium principũ actionum, quas ſortitur in homine calor hic diuinus, qui ex Fernelio, *Nunquam otioſus conquieſcit.* Sed dum integer eſt, operatur chiloſim in ventriculo, *aiμάτωσιν* ſeu effictionem ſanguinis in hepate, & aſſimilationem & nutritionem in reliqua tota compage corporea. Ita & amor vegetat omnes animæ partes, ſi præpotens ſit & feruidus: ſicut econtra languent animæ functiones, amore ſanctiore marceſcente.

Ex Ivre Canonico.

Hoc affirmat ius ſacrum hoc tenore. *Charitas & dilectio Dei ſeparat habentem eam ab omni malo affectu, ſicut & mors remouet quempiam ab omni actu terreno.* Alioque canone explicat amorem neſcire moras, dum ſic fatur. *Charitatem habet qui pro Chriſto ſuſtinere paratus eſt.* Ideò ſatis putant canones, homines vrgeri ad virtutem, ſi amorem inſinuent, dum ex gloſſa hoc pronuntiant, *Charitatem habe, & fac quidquid vis.* Quippe ex amore ſacro, nihil niſi ſacrum effluere poteſt.

Amor eſt furor.
Ex Ivre Civili.
In Authenticis quibus modis naturales efficiuntur legitimi § illud quoque, gl. 4 in l. 1. C de SC. Claudiã.

De amoris feruore nõ ſiluere iura ciuilia, ſiquidem paſſim amoris æſtus etiam furoris nomine nuncupatur, vt in Authenticis. *Amoris furore nihil eſt vehementius, quem retinere, Philoſophiæ perfectè mentis eſt.* Et alibi. *Amoris feruore nihil vehementius eſt.* Appoſitè igitur Dominus ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit:* actiones inſinuans eſſe indices amoris, iuxta illud, amoris probatio eſt exhibitio operis, reſpuit enim omnes amor inducias, neſciens feriari, ideò eſto hoc vice oraculi:

Homo vecors, amans incurius Dei,
est secors, et amans insurius ei.

QVI VERBVM DEI ASPERNANTVR, longè abſunt ab ipſo Deo.

In hæc verba:

Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.

Sectio II.

Ex Philosophia.
Ariſtot lib. 2. Phyſic. c. 2.
Fides quid ſit?

CONtemptum Verbi Dei eſſe argumentum animi Deum auerſantis, ſic probare aggreditur Philoſophia. Eiuſdem eſt amare finem, & media quæ conducunt ad hunc finem: ſed verbum Dei homines ad Deum ipſum dirigit; ergo qui verbum illud auerſatur, illo etiam & Deum ipſum aſpernatur. Rurſus ex Ariſtotele: Finis eſt id cuius gratiâ aliquid fit, ſed verbum Dei fit gratiâ ipſius Dei, ergo Deus eſt finis verbi, quod ideò nequit reſpui, quin etiã Deus ipſo contemnatur; vt & ait in titulo ſectionis ipſe Dominus inſtitutor verbi ſacri. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.*

Ex Theologia:
S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2.

Rurſus ex ipſo eodem Chriſto. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Ergo qui non audit non eſt ex Deo: & accipe Theologicã rationem; ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, attingi nequeũt ab homine non adiuto mediis quæ excedunt naturæ vires; at Dei cognitio requiſita ad charitatem, excedit naturæ facultatem, ergo indiget reuelatione quæ eſt lumen ſuperioris ordinis: hæc autem reuelatio ingeritur nobis verbo Dei explicante nobis ea quæ Dei ſunt, & tranſcendunt hominum intellectum: igitur ille qui non vult ſibi reuelari ea quæ inſinuant notitiam Dei, longè eſt à Deo, cuius ignoti

Verbi Dei amor quid ſignificat.
4. Reg. 17.

nequit eſſe libido aliqualis: & hinc vitiorum enata multa colluuies, vt videre eſt in filiis Iſraël qui ex Babylone venerant in Samariam, de quibus ſic ait codex ſacer. *Illi non audierunt, ſed iuxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant, fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes.* Multi hodie importuna ſyndæreſi laceſſiti timent quidem Deum, ſed quia non audiunt verbum Dei, imò illud rident, & iocantur in re ſacra, ideò ſuis idolis ſeruiunt, id eſt vitiis inolitis iugi obſequio mancipantur, fœda libidine inquinantur, auri alieni cupiditate ſtimulantur, vindictæ lethalis æſtibus lacinãtur, totque idolis adolent incenſum, quot ſunt vitia quibus impiè & turpiter obſequuntur. Eamobrem flagella Dei deſæuiunt in diuini eloquij contemptores vt benè ſuos commonuit Rex Ioſias. *Magna ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt Patres noſtri verba libri huius.* Nec aliunde flagella Dei repetita quatiunt hominum genus impium, niſi quia irritum eſt verbum Dei, vt ſecutus Deus eſt propitius eis qui morem gerunt concioni, ſicut expertus eſt Ioſias, cui dictũ eſt à Domino. *Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritũ cor tuũ, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus, contra locum iſtum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in ſtuporem, & in maledictũ, & ſcidiſti veſtimenta tua: & fleuiſti coram me, & ego audiui, ait Dominus, colligeris ad ſepulchrum tuum in pace.*

4. Reg. 22.
Ibidem.
Verbi Dei contemptus qui præſignet.

Hac ſerie hiſtorica liquet, non quoſvis auditores verbi Dei habere Deũ æquiorem, ſed eos quibus verbum auribus inſitum, ad cor vſque diffiuit & inde ad manus impigrè refluit, operum ſiaxam parturiens, & lachrymarum etiam reſeruans clarſtra, noxas omnes diluit his fluentis, & poſtmodum factori legis prædicatæ finem beatum tutò conciliat, & ne deficiant exempla obedientiæ, quã exigit ſanctior illa diſciplina, conſule Samaritas, qui audito nouo Rege diuinitus initiato conſenſerunt qui dicerent. *Serui tui ſumus, quæcunque iuſſeris, faciemus, nec conſtituemus nobis Regem, quæcunque tibi placent fac; reſcripſit autem eis litteras ſecundo dicens, ſi mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum Domini veſtri, & venite ad me hac eadem hora cras in Iezrael; Porrò filij Regis ſeptuaginta viri, apud Optimates ciuitatis nutriebantur, cumque veniſſent litteræ ad eos, tulerunt filios Regis, & occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum in Iezrael.* Singula expendamus, dixerant Samaritæ ſe eſſe ſeruos Iehu, ſed ille eorum detrectat obſequium, quod eſt oretenus; exigit ab eis alios affectus indices, ſcilicet multa ſpecimina obediẽtiæ, ratus os eſſe infidum, ſi eloquij humilis actus egregij non ſe præſtiterint aſſertores. Præclarum autem eis facinus indixit Rex in teſſeram indubij obſequij, ſcilicet tollerent capita filiorum Domini ſui, hi autem vltrò audientes dicto, ſeptuaginta capita præciſa detulerunt in campum Iezraël. O typum ingenuum animæ Deo ſacræ! ô auditor verbi Dei perperam ingeminas te eſſe Dei mancipium, aureſque patulas exhibere concioni: non tibi perorãti creditur, ſed capitibus amputatis filiorum Domini tui.

4. Reg. 10.
Iehu qua conditione regnũ capit.

Ex SS. Patribus.
S. Ambroſ. in Pſalm. 118.
Verbi Dei vtilitates.

Hæc autem capita, ſeptenarium numerum perficiunt: dæmon hactenus extitit dominus tuus; filij eius, ſeptem ſunt peccata lethalia, quæ capitalia nuncupant: niſi deleantur omnia, dubium eſt obſequium tuum. Quid libidini parcis, aliis iam noxis expunctis, vna hæc libido cui indulges, te Deo tuo arguit infidelem. Alius cætera exoſus piacula, anhelus ad vindictam, ſæuus ſuis inimi-

net inimicis,ſicque ſeptenario non impleto,Deum ſibi minimè conciliat. Samaritæ mactalis principibus venerunt in agrum Iezraël:vox hæc Hebræa ſignificat ſemen Dei זרעאל à radice *Zarang* זרע ſeminare & *el* אל Deus. Non deuenitur ad campum gratiæ ſeu ſeminis Dei,niſi eliſo omni ſemine noxio,& mactatis principibus noxis,quas diabolus pater peccati,in cordibus noſtris fœdè ſeminauit. Prælibata clamant, Dei verbo ritè excepto eliminari vitia,& virtutes inſinuari. Ille ſcripturæ ſanctioris clamor,habet occentores omnes vtique ſanctos,qui de hoc verbo fecêre verba ſuis teſtata monumentis. Præcentor ſit Ambroſius in hæc verba Pſaltis:ignitum eloquium tuum. *Ignis eſt verbum Dei, quem miſit qui ſecretas mentium diuina ardore cognitionis inflammaret affectus,qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet, bonus ignis qui calefacere nouit, neſcit exurere niſi ſola peccata;vrit enim ſermo diuinus vt corrigat conſcientiam peccatoris,non exurit vt perdat.* S.Auguſtinus Magiſtri ſui Ambroſij exhibit ſpiritum dum ſic fatur. *Quemadmodum formica æſtate colligit, vnde in hyeme paſcatur, ſic vnuſquiſque Chriſtianus in tranquillitate rerum,quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate & tribulationibus,quæ hyemis nomine ſignificantur,habeat,vnde ſpiritualiter viuat.* Eodem & ſpiritu edoctus Gregorius,ſic occinit in eo ſanctorum choro. *Scriptura ſacra cibus eſt nobis in obſcurioribus, eò quod quaſi exponendo frangitur,& mandendo glutitur,potus eſt in locis apertioribus,quia ita abſorbetur, ſicut inuenitur.* Nec ſolos recreat auditores verbum Dei, imò & ipſos reficit intonantes, & aliis prædicantes, vt ait Caſſianus. *Duplices congregat quæſtus rerum ſpiritualium diſpenſator,non enim lucrum ſolum,in illius qui audit profectu,verùm etiam in ſua diſputatione conſequitur,non minus ſemetipſum ad deſiderium perfectionis accendens ,dum inſtruit auditorem ; quamobrem veſter ardor,meus profectus eſt;veſtra ſollicitatio,mea compunctio eſt: nam vtique & ipſo mente torperem, nihilque in meo corde de his quæ expetitis , retractarem, niſi me veſter feruor,atque expectatio ad rerum ſpiritualium recordationem ſuſcitaret quodammodo dormientem.* Si ergo bonorum omnium prouentum colligit auditor ſedulus verbi Dei,nonne liquet eum qui auerſatur hoc ſalutare verbum, Deum etiam ipſum aſpernari , & patere omnibus prope vitiis,ſicut inſinuat rerum omnium opifex Deus per Ieremiam. *Quomodo dicitis , ſapientes nos ſumus , & lex Domini nobiſcum eſt;verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio,& mordebunt vos.* Reuera terpit lues peccatorum, vbi non viget verbum Dei, ſed homines tantùm intendunt doctrinis plerumque noxiis,vtpote aures tantùm ſuauiloquio mulcentibus , qui verborum elegantiorum dumtaxat ſtudet aucupio,rerum ſanctiorum incurius,vitiorum nunquam euomet virus, intima animæ præcordia quod depaſcit:eamobrem ſcitè ait Chryſologus. *In lectione quid ſpiritualis intelligentia lateat ſi ſcire volumus , verborum floſculos non quæramus,qui maturitatis fructum quærit, deſpicit amœna camporum,viola,roſa,lilia,narciſſus,grati flores, ſed gratior panis ; quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus ; quod dat panis vitæ , hoc ſcientia dat ſaluti : ſeponenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quando ſcientia depoſcitur ſerienda.* Quicquid eructet ſæculi ſuada eloquentia,nequit incantare regulos virulento ictu terribiles,id eſt peccata quæ inſident nobis , vt reguli in ſpeluncis , nequeunt curioſis periodis incantari , id eſt nequit profanum eloquium inſinuare nobis vitij inoliti plenum repudium.Ideòque dicitur à Propheta ſtylus mendax;nam quantùuis nitelâ ſtylus effulgeat ille ſæcularis, virtutis quam extollit ſpeciem tantùm ementitur.,Ideòque ait Bernardus:*Vinum ſcientiæ ſæcularis inebriat quidem;ſed curioſitate, non charitate;implens,non nutriens;inflans, non ædificans ; ingurgitans, non conſortans.* Et Dauid pertæſus eloquia aliena à Deo,ſic ait. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,ſed non vt lex tua.* Quippe infatuant diſciplinæ ſæculares , ſed lex Domini eſt neſcia næui,vtpote immaculata,& eamobrem excipiendum eſt verbum Dei maxima cum cautela,& reuerenti animi & corporis habitu, vt hortantur canones ſacri : *Euangelia non ſedendo , ſed ſtando debemus audire & fideliter adorare.*

S. Aug.lib. de decem chordis c.1.

S.Greg. lib. 2. Moral.c.23.

Caſſian.collat. 14.c.6.&.

Ierem 8.
Verbi Dei ſimplicitas eſt amanda.

S. Chryſolog. ſerm.18.
Scientia ſæcularis vana.

S. Bern.ſerm. 9.in Cantica.

Pſal.118.

Ex Ivre Canonico.
Canone Apoſtolico de conſecrat.diſt.1.

Huic ſanctioni morem geſſit Imperator Conſtantinus ille Magnus,qui Euſebio Cæſarienſi prædicante ſtabat nolens reſidere , quippe aiebat à ſtantibus debere excipi verbum Dei,vt animo altiùs inſideret. Humiliore ritu Rex Tartarorum voluit verba ſua excipi à Duce Moſcouitarum, quem recepit in ſuam fidem, ea lege, vt mandata Tartari Dux ille genu-flexo audiret:ſciebat enim Barbarus morem geri verbo, quod vltrò & reuerenter auditur. Quales autem gratiæ latices ad nos deriuentur è verbo Dei,ipſemet Deus prodigio ſingulari inſinuauit : nimirũ extitit olim fons in Leucothea Lucaniæ,qui penè aridus toto anni decurſu,ebulliebat tamen Sabbato Sancto,ſacerdote prædicãte,& verbo Dei diffluente,affluebant aquæ,quibus neophyti baptiſmate ſacro diluebãt vitæ maculas infidelis.Si hæ hodie aruerunt aquæ mirabiles,non ſtetit tamen fluxus gratiarum,quæ audientibus verbum ſanctum deſuper illabuntur. Siquidem auditores ſedulos concionum,copioſus imber chariſmatum alluit;ſicut ſecus omnia ſunt iniqua eis qui iniurij ſunt verbo Dei ; vt maximo ſuo damno ſenſit Dauid,qui verbi Dei immemor, maximis ſe piaculis adſtrinxit,quæ diluere nõ potuit niſi lachrymarũ & ſanguinis iugi profluuio, vt præfatus eſt ei Nathan. *Quare contempſiſti verbum Domini,vt faceres malum in conſpectu meo;Vriam Hethæum percuſſiſti gladio,& vxorem illius accepiſti in vxorem tibi,& interfeciſti eum gladio filiorũ Ammon ; quamobrem non recedet gladius de domo tua, vſque in ſempiternum.* Eâdê & nos plectimur mulctâ,gladius enim iuſtitiæ Dei,hominum ſanguine purpuraſcit , quia verbum ſacrum incaſſum excipitur,imò contemnitur ; ſed audi Deum vltorem floccipendij ſacrilegi. Innocentius II. Pontifex honorificè habitus vbique , diuertit aliquando apud Nouionenſes, qui eum indecorè ſuſceptum irriſerunt , nullâ habitâ ratione verbi Dei quod Archipræſul ille ſeminabat : ſed Deo vindice ciuitas hæc impia arſit tota;fauilla proteſtante,non impunè eloquia ſacra reſpui. Heu quot hacce tempeſtate Chriſtiani ardent & æſtuant,eos libidine depaſcente , neſcios vnde ſit fomes flammæ Tartareæ. Audiant me hæc pabula ignis venerei. Ideo flagrant obſcœna cupidine, quia Dei ſermo exploditur ab eis apud quos algente pietate, globi ingentes libidinis accenduntur.

Conſtantini Magni reuerentia erga verbum Dei.

Ex historia.
Euſeb.Cæſar. lib 4.de vita Conſtan.
Du Plex in Hiſtoria Peregrin. ſub ann.1474.
Leucothea fontis virtus mirabilis.

2.Reg.12.

Morale.

Auctuarium Sigiberti ſub ann.1131.
Nouionenſes durè caſtigati ob verbum Dei ſpretum.

Diceres omnia coniuraſſe in hos diuini eloquij contemptores ; ſic enim cauerunt in homines illos veluti ſacrilegos. *Euangelio [illegible] diens coram præſide debet accuſari.* N[illegible] in maleficum debent omnes inſurgere : [illegible] uerà omnino prauos & flocci homines , qui iniqui ſunt verbo Dei , appoſitè liquet ex Mathematicæ

Ex Ivre civili.
[illegible] lib.1.C de [illegible] ſacril.
Mercurij [illegible]

Ex Mathematica.
Scheneras de odio Planetarum.

maticæ fontibus, vbi enim illa diſciplina explicat odia Planetarum, ait duos tantùm Planetas odiſſe Mercurium, qui eſt eloquentiæ ſydus; duo autem hi Planetæ ſunt, Saturnus & Mars, qui iniquos faciunt influxus omnes Mercurij. Quod ſi ſciſciteris ab Aſtrologis, qui ſint Saturnus & Mars? Reſpondebunt tibi eſſe Planetas maleficos & ominis infauſti: ita & vbi audies aliquos minus æquos eſſe verbo Dei, ſcito eſſe maleficos, & iniquos homines, iuxta illud Domini Ieſu. *Si quis non diligit me, ſermonem meum non ſeruabit.* Vis noſſe, quid infundant illi malefici, blaſphemias, verba obſcœna, aliaque id genus, vnde talibus malè liceat ominari: ſicut & medici mortem vicinam eſſe denuntiant iis quorum humoris noxij affluxus aures diſcruciat: ſic enim eos damnat Hippocrates. ἢν τῆς ὠτὸς ὀδύνη μετὰ πυρετοῦ ὀξέος, καὶ ἄλλο τι σημεῖον τῶν ἀπευχθέων, τοὺς μὲν νέους ἑβδομαίους ἀποκτείνει, καὶ συντομώτερον παραφρονήσαντας. *Aurium dolor intenſus cum febre acuta, cumque ſiniſtro quopiam ſigno, iuuenes quidem ſeptimo die, aut etiam celerius occidit, & eos inſana mentis.* Ita planè multi inſaniunt, quia verbo Dei eos reuocante ad meliorem frugem, aures habent iugiter obſeratas. Quod ſi verbo Dei inſonante, pruriunt aures aut dolent alicui, & ægrè ferat hunc ſermonem, non ſeptimo die morietur, ſed iam eſt exanimis ſauciatus à ſeptenario peccatorum, quorum pus viruleorum aures iam obſedit: nam ſignum ſanæ ſanctæque mentis, eſt auribus patulis amplecti conciones, quibus aptare poteſ ſymbolum Cappaeij, qui pinxit gallum gallinaceum hoc titulo CANTV CIERE VIROS. Vt enim gallus ſuo cantu excitat alto ſopore ſtertentes, & Petrum memorem fecit animi ſui infidelis, quem alluit profluuio lachrymarum; ita & verbum Dei, vitio defixos homines & quaſi extinctos ſoſcitat, multiſque obiiciens ſuam perfidiam, deducit eos ad fluenta fletuum, vbi diluunt omnia piacula, quibus eos antea deoinxerat incuria concionum, quibus eſt vis inſita CANTV CIERE VIROS, ad virtutum praxim: quippe

Ioan. 15.

Ex Re Medica.

Hippoc. lib. 2. coacarũ, c. 3.

Aurium dolor funeſtus.

Ex Symbolis.
Cæſar Caparcius. lib. ſymbolorum.

VERBVM DEI DAT SCIRE, ET CIERE AD AMOREM, HINC DEVM ODIT, QVI NON EVM AVDIT.

Spiritus ſanctus aperit nobis chariſmatum omnium alueos.

In hac verba:

Spiritus ſuggeret vobis omnia.

SECTIO III.

Ex Philosophia.
Ariſtotel. lib. Meteor c. 13.

VEntum à Deo editum eſſe vt ſpiritum à quo agitur mundus, & vniuerſa quæque recreantur, vernacula eſt vnicuique notitia: ſicut enim vbi ſpiritus euanuit ex corpore animato, illico diſſoluitur caro; ita & quando non cietur orbis ventorum flabro, omnia propè veluti flaccida langueſcunt. Siquidem reflante hoc ſpiritu mundi, purgatur aër, qui purior ebibitur; paludes arent, quæ exſiccatæ non ingerunt ſuam colluuiem conterminis ſibi plagis; denique populi multa terrarum intercapedine diſſiti, ſuas communicant merces beneficio ventorum, quibus ſpirantibus, naues multiplici gaza graues, turgido velo volant in remotiores oras. Deinde vt vita in duplici cardine vertitur, tota ſcilicet in calido & humido; vtrumque præſtat ventus, quem etſi Ariſtoteles dixerit eſſe exhalationem calidam & ſiccam; tamen adiecerunt alij Philoſophi, vapores etiam immiſceri exhalationibus, vt videre eſt in Auſtro, qui ventus calidus eſt & humidus: & ita venti habent ab exhalatione quòd æſtuent, à vapore autem humorem quandoquè copioſum emendicant. Sed eſto ſpiritus ille fugax ſit vitalis, non ideo tamen eſt componendus cum Spiritu ſancto, à quo habemus bonorum omnium & prouentum, quemadmodum innuit Dominus IESVS in titulo ſectionis. *Spiritus ſuggeret vobis omnia.* Omnia vtique dona huiuſce ſpiritus, ſeptenario numero deſignata: ſicut enim omnia mala explicantur per ſeptem peccata lethalia; ita bonorum omnium influxus per ſeptem dona ſancti Spiritus ſatis ſuperque omnibus innoteſcit: & congruè omnia dona fluere ab hoc fonte prædicantur, iuxta Philoſophiæ placitum. *Primum in vno quoque genere eſt cauſa cæterorum.* At Spiritus ſanctus eſt primum donum, & hoc ab æterno, quod ſic aperit Theologia, cui datum eſt noſſe myſticæ alus abdita diſciplinis.

Venti vtilitas.

Conimbric. lib. Meteor. tract. 6. c. 1. tenent vapores humidos eſſe vitam ventorum.

Ex Theologia.
S. Thom. 1. p. q. 38. art. 2.
Spiritus ſanctus dicitur donum.

De ratione doni eſt, vt ſit gratuita donatio, ſine intentione ſubſequuturæ retributionis, & ſic donum, gratuitam donationem inuchit, formalitas autem gratuitæ donationis ſita eſt in amore; gratis enim quidpiam alicui damus, quia volumus ei bonum, & ſic amor induit rationem primi doni, à quo effluunt omnia dona gratuita, quæ dantur amatis. Quippe amato, antequam quidquid detur, amor iam præceſſit, quo quis inclinatur ad aliquid impertiendum ei. Ideò, cùm Spiritus ſanctus procedat vt amor Patris & Filij, procedit in ratione doni primi, vt & ait Auguſtinus. *Per donum quod eſt Spiritus ſanctus, multa propria dona diuiduntur membris Chriſti;* & vt Ægyptus alluitur, Nilo ſuas aquas diſpeſcente per ſeptem alueos; ita & ſe Spiritus ſanctus communicat hominibus, beneficio ſeptem donorum, quæ enumerantur à Propheta. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et his donis homo totus perficitur, & deponit hominis veteris exuuias; quippe caligo, quam peccati lues inuexerat, detergitur donis ſapientiæ & intellectus, & ſic intellectus humanus recreatur, lumine deſuper affulgente. Rurſus voluntas hominis, conſcia vt plurimùm motuum, quos ingerit inferior appetitus, languebat in diuinis: ſed dono pietatis & ſcientiæ erecta eſt illa potentia quæ repebat; nimirum pietas vt donum eſt Spiritus ſancti hominem præpotenti œſtro ciet ad diuina, & donum ſcientiæ eum vrget ad virtutum praxim, quam explicat illa ſcientia ſalutaris. Demum appetitus ſenſitiuus æquè communis homini & bruto, anteà pronus in ea omnia quæ ſunt amica ſenſibus, & inimica gratiæ, dono timoris Domini reparatur, & ne obiecta ſuis cupediis præpediant appetitum minus idoneum ad exterminium peccatorum, occurrit Spiritus ſanctus dono fortitudinis, quo anima quaſi cataphracta, dæmonum & carnis facit irrita conamina: cùm ergo homo conſtet ex intel-

S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 19.

Iſai. 11.

1. Thom. 1. 2. q. 68. art. 3.

lectu, voluntate, & potentiis ſenſitiuis, & omnia ſarta tectaque ſint, illapſu ſeptem donorum Spiritus ſancti; patet hominem totum reſtitui in integrum Spiritu ſancto propitio, quo etiam inſcio virtutes omnes morales nequeunt hominem priſtinæ indoli ſonoxiæ reddere. Etenim virtutes morales perficiunt tantùm vim appetitiuam, quatenus mobilis eſt imperio rationis; at dona Spiritus ſancti, non tantùm vim appetitiuam, ſed omnem hominem perficiunt in ordine ad Spiritum ſanctum, cuius motione & inſtinctu ad Deum fertur, vt ad hoc eum cui ab exordio ſuo totus inhiabat. Vides ex præfatis congruè de hoc Spiritu dixiſſe Dominum Ieſum, Spiritus ſuggeret vobis omnia. Ab hoc fonte fluenta gratiæ ebullire, aiunt Sancti omnes, qui in hoc themate ſuum exeruere ſtylum.

Ex SS. Patribus.
S. Cypr. orat. de Pentec.
Spiritus ſanctus quare dicitur ventus.
S. Bern. ſerm. de Pentecoſte.

Cyprianus hoc ſuo breuiloquio, magnam complexus eſt gratiarum congeriem. *Spiritus ſanctus dicitur ventus, vt reſpiratio, aſpiratio, ſuſpiratio, inſpiratio & expiratio, ab Spiritu ſancto, & cauſam habeat, & materiam, & prouentum.* Et Bernardus alludens ad dona Spiritus ſancti, quæ totum ornant hominem veſte veluti polymita, & diſcolore multiplici gratia, ſic fatur. *Ad faciendum bonum quod Spiritus bonus operatur, profectò monet, & mouet, & docet; monet memoriam, rationem docet, mouet voluntatem: in his enim tribus tota conſiſtit anima.* Sed vt nauſeæ occurram, quam repetitio importuna parit, conſule Homiliam de die Pentecoſtes, vbi fuſiore diſcurſu vtrumque locum expendo Cypriani & Bernardi. Auguſtinus hac aura aſpirante, omnia vitalia ait conſtare nobis.

S. Aug. lib. de Gratia.
Spiritus ſanctus quid ſit.

Spiritus ſanctus eſt Patris, & Filij amor & connexio; ad ipſum pertinet ſocietas, qua efficimur vnum corpus vnici Filij Dei: ſicut enim vnum corpus hominis multis conſtat membris, & vegetat omnia membra vna anima, faciens in oculo vt videat, in aure vt audiat, & ſic in cæteris; ita Spiritus ſanctus membra corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, continet & vegetat. Et ſicut humani corporis membrum præciſum, formam quidem qua membrum ſit & cognoſcitur, retinet; ſed nequaquam Spiritus ſequitur, quo præter vnitatem corporis viuat; ſic quicumque à prædicta pacis vnitate diuiſus eſt, hic ſacramentum quidem, tanquam formam retinet, ſed Spiritus præter vnitatem non viuit: fruſtra ergo foris de forma gloriantur, niſi intus Spiritu vegetentur.

S. Bern. ſerm. 2. de Pentecoſte.

Ruſus Bernardus. *Spiritus Paracletus dat pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen, pignus ſalutis, vt ipſe reddat teſtimonium ſpiritui tuo quòd filius Dei ſis; Robur vitæ, vt quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam eius, non ſolùm poſſibile, ſed etiam facile fiat; lumen ſcientiæ, vt cùm omnia benè feceris, te ſeruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum eſt: in tribus iſtis Spiritus ſanctus docebit te omnia quæ pertinent ad ſalutem.*

Ex Historia:
Guillel. Britonius in Philippo Auguſto Rege.
Labarũ cœlo datum Gallis.

Si quæ vnquam gens extitit fida Spiritui ſancto, ea fuit & eſt Gallia, quæ in expeditione quaque graui, vt in acie qua rerum ſumma diſcutiebatur, præter vexilla aſſueta, & ſigna liliata, inſigne adhuc labarum explicabat, quod vulgo nuncupabant Oriflambe, id erat linguis igneis conſitum in ſimilitudinem earum, quæ in die Pentecoſtes diſpertitæ diſcipulis inſederunt. Sunt qui credant hoc labarum referens has igneas linguas ſeu teſſeras Spiritus ſancti, fuiſſe cœlitus datum, vt Dei pignus ſingulare, in tutamen regni quod obibat Spiritus ſanctus. Ita ô anima Chriſtiana, ad cuius aures claſſicum inſonat quotidie, & cui imminent acies dæmonum præpotentes, explica te totam Spiritui ſancto, vt eius acta flamine præualeas, cautior facta exemplo Domini Ieſu, qui ſingulare certamen initurus cum Angelo tefuga, *Ductus eſt à Spiritu*, vt ex compoſito notat ſcriba huiuſce myſtici diſcriminis.

Matth. 4.

Du Pleix in Henrico III.
Henricus III. Rex Chriſtianiſſimus feſtum Pentecoſtes ſingulariter celebrauit.

Anno eo & Spiritu ſancto annuente Henricus III. die Pentecoſtes acclamatus eſt Rex Poloniæ, & anno vertente, eodem die ſacro Spiritui ſancto, adiecit Deus auitum regnum Galliæ, quorum beneficiorum Rex ille pius, vt memoriam faceret ſacram poſteræ ætati, torquatos equites inſtituit, quorum ſymbolum eſt columba in vmbilico crucis aureæ è collo pendulæ. In quorum equitum cœtum nemo aſſumitur niſi virtutis emeritæ, & moribus illibatis: creduntque potentes & proceres Galli, ſibi plus æquo conſultum, ſi poſt collectum puluerem multum in acie æuo ſuo toto, adſcribantur albo equitum, quos columba referens Spiritum ſanctum, diſpeſcit ab aliis. Dicam rem non iniuriam Gallis; eſt penes nos dignitas ſuperior torquato cœtu Gallorum, qui ſi imagine Spiritus ſancti ſibi blandiuntur, quidni & nos compotes facti huiuſce Spiritus ſancti, titulo potiore gloriemur? Qui enim gratiâ Dei initiatus eſt, habet Spiritum ſanctum animam ſuam incolentem. Fiunt Galli icone Spiritus ſancti, torquati equites, & hinc Regi propiores, amplioris honoris capiunt incrementum, creduntque ſuperioris eſſe ordinis, titulo ſancti Spiritus adumbrati; ſed quid hæc ad infulas gratiæ, quibus ſuos candidatos induit Spiritus ille ſacer, qui eos euehit ſupra omne quod eminet infra cœlos.

Ex ſupplemento hiſt. Turcicæ Calchondilæ ſub an. 1572.
Victoria reportata de Turcis, in ſinu Naupacti.

Illapſum ſenſibilem huius auræ ſacræ ſenſit æuo ſuperiore, claſſis illa Chriſtiana explicata ad Naupactum congreſſura cum agmine infideli Turcicæ gentis, Chriſtianum ſanguinem anhelantis. Illic erat numeroſior Turca, ampliore claſſe ferocior, erat Chriſtianis iniquum mare, vento hoſti propitio; pauere Chriſtiani, dubiam ominati victoriam, Diuinam opem vrgere multiplici prece, ſed non inani ſuſpirio: quippe quaſi pœniteret ventum fauiſſe Turcis, illico ceſſit à partibus fidelium, & ventus adeò ſe eſſe Chriſtianum profeſſus eſt, vt exploſis tormentis æneis ventus ille beneuolus noſtris, refundens fumum in claſſem inimicam, eam denſa caligine penitus opacarit; ita vt Chriſtiani inuiſi Turcis, eos penè deleuerint omnes, Spiritu ſancto in ſpecie venti, hoſtiles acies flabro ſenſibili profligante. Ita & tu, Chriſtiane, ſi tentaris honorum imò & epularum fumo, hos reuolue fumos in Angelum nequam, qui te vult fumis inuoluere: Spiritu ſancto reflante, refluent in hoſtes & ipſorum tela lethalia, tibique occinetur epinicium, quod olim in honorem Theodoſij inſonuit.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti. — *Claudianus.*

Greg. Turon. lib. 6. hiſtor. c. 18.
Leuuichildus Rex Hiſpanus hoſtis S. Spiritus.

Vt contrariorum contraria ſunt quæ emergunt: ita & impietas in Spiritum ſanctum noxia quæque parturit in blaſphemorum perniciem. Hiſpania quondam arſit bello nefando Patris in Filium, dum Rex Hiſpanus Leuuichildus iniurius Spiritui ſancto, iniurius etiam fuit piæ ſuæ

proſapiæ,

proſapiæ, cuius ſanguine etiam fuit ipſe ſatiatus. Eadem Hiſpania cautior facta, floruit vigente poſteà pietate. Quid Græciæ exitum infauſtum fecit? niſi gentis illius iniquæ in Spiritum ſanctum animus infidelis ab Eccleſia diſſitus, ob proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio: quam dum infitiator Græcus deficit ab Eccleſia ſchiſmate perduellis. Sed hûc defectum qui non ab Eccleſia tantùm fuit, ſed & à Spiritu ſancto, gens infida luit in die Pentecoſtes ſacro illi Diuino ſpiritui; eo enim feſto gens quæ ſe Eccleſiæ ſubtraxerat, Turcis addicta eſt, & quæ noluit dare manus Spiritui ſancto, animam totam Diabolo mancipauit, ſanguine ſuo ſuffocata: tantam enim edidit ſtragem Mahometes ſecundus Turca, vt Græcia penè tota Spiritum emiſerit, quia Spiritum ſanctum amiſerat.

Chalcondil. in hiſtoria Turc. in vita Mahometis 2. ſub ann. 1453.

Spiritu ſancto æquiore nobis, omnia arridere & vegeta eſſe, res Medica pro modulo ſatagit adſtruere, cùm ait ex Hippocrate. Τὸ μέγα πνεῦμα ἔξω πνεόμενον, σμικρὸν δ᾽ ἔσω, καὶ τὸ μικρὸν ἔξω κάκιστον δὴ καὶ ἐγγύτερον θανάτου. *Magnus Spiritus foras efflatus, intro paruus, & contra foras paruus peſſimus eſt ſanè, & morti propinquus.* Ita & in moralibus vbi qui Spiritum ſanctum, qui vtique magnus eſt Spiritus, foras efflat & abigit, aliquo piaculo obſtrictus, ille prope extinctus eſt, imò & iam fœtet ſimilis cadaueri in putidam ſaniem reſoluti. Tantique eſt reſpiratio, vt Latini animam à nomine Græco quod ventum ſonat nuncupatione, quaſi anima & ἄνεμος ventus idem ſint: & Hebræi animam dicunt *nepheſch* נפש quaſi à radice *nephach* נפח quæ vox reſpirationem ſonat, à qua vitæ noſtræ momenta tota pendent, vt bene Fernelius Medicus ſuo eloquenti ſtylo. *Quoad viuimus, neceſſariò ſpiritum de cœlo ducimus, nec animus ſine anima ſine ſpiritu & aere, teneri conſeruarique poteſt, inſpirati quam circumfuſi aeris tantò maior, & efficacior ad immutanda corpora vis eſt, quantò vberius & violentius is intrò ſubit Reſpiratione: primùm quidem, os, nares, cerebrum, aſperam arteriam, pulmonem, cor, omneſque arterias is confertè implet, exinde in omne corpus perſlabile mox quaſi momento diffunditur.* Hac luculenta recenſione partium, quas reſpiratio recreat, Medicus ille ſummus explicat quanti ſit momenti ſpiritus ille ductus ab extrinſeco.

EX RE MEDICA. *Hippocrates coac. l. 2. c. 9. prænotione 3.*

Reſpiratio facilis bona.

Fernelius lib. 1. de morborũ cauſis c. 13.

Mathematici ſagaces ſyderum inſpectores, obſeruant multa quæ congruunt influxui & proceſſioni Spiritus ſancti: aiunt enim Mercurium in coniunctione Saturni, qui eſt ſummus Planetarum, ventos edere: quòd ſi Mercurius in coniunctione Lunæ in ſigno aſcendente extiterit, portendit auſtrales ventos humidos & feraces annonæ opimæ. Liceat mihi Saturnum vſurpare ſummum ſyderum errantium, pro Deo Patre, & primâ perſonâ Trinitatis, Mercurium verò Deum eloquentiæ, & interpretem; pro verbo in quo ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei; hæ duæ perſonæ coniunctæ indiuiduo nexu amoris ſpirant Spiritum ſanctum, qui dicitur à Bernardo. *Vnus ex ambobus, vniens ambos.* Rurſus Mercurius ille ſacer, ſcilicet Filius Dei in coniunctione humanitatis noſtræ quæ variat vt Luna, fuit in aſcendente poſt diem Aſcenſionis; ideò poſtea in die Pentecoſtes factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, nec domum tantùm, ſed etiam animas gratiâ plenas induit multiplici chariſmate. Quippe ille Spiritus cuiuſlibet auræ nomenclaturam non ſortitur, ſed auſtri partes dicitur agere in canticis, vbi ſponſa Spiritus huius auram ſic inuocat. *Veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Fluunt ſanè omnia aromata aſpirante Spiritu ſancto; vt enim vultures aiunt concipere, ore patulo auſtrum abſorbendo, & ita etiam anima grauidatur charitate; ex illapſu myſtici huius auſtri, vt ait Apoſtolus. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Sciebat Mercurium eſſe in aſcendente, eadem anima amore Dei ſauciata, gradumque domicilij eius ſagâci ſcrutinio ſupplex inueſtigat. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.*

EX MATHEMATICA: *Ioan. Carolus in prima parte Ephemeridum cap. de mutatione aeris.*

S. Bernard. S. de Pentecoſte.

Cant 4. Spiritus ſancti influxus ſalutaris.

Rom 5.

Cant. 1.

Fluxum aromatum id eſt gratiarum fragrantiam, amoriſque ſacri incrementum pendere ab hoc auſtro, confirmari item poteſt egregio hoc ſymbolo, quod ſuis adiecit Camillus, qui pingit igneum ventorum flabris accenſum, hoc titulo deſuper CRESCIT SPIRANTIBVS AVSTRIS: hoc ſymbolo liceat mihi aeuere hominũ ignauiam in Deo redamando. O vecordes & amoris expertes homines qui algetis, audite me: Spiritus ſancti auram depoſcite, & eſt explicate amoris igniculũ, qui penè extinctus eſt in cordibus veſtris, procul dubio CRESCET SPIRANTIBVS AVSTRIS; Siquidem omnia ſunt hoc proſpera ventilabro, vt & iure Canonico inſinuatur nobis, cuius eſt hic Canon *Spiritus ſanctus cùm infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur.* Et ne in recenſendis Spiritus ſancti gazis Canones multiplicent, ius illud ſacrum compendiosè ſic diſcutrit: *Per Spiritum ſanctum, diffunditur in cordibus noſtris gratia.*

EX SYMBOLIS: *Camillus lib. ſymbolorum.*

EX IVRE CANONICO. *Canone. 1. De conſecratione diſtinct. 5. Can. illud plane 11. q. 3.*

Iure etiam ciuili decretæ ſunt pœnæ contra iniurios in Spiritum ſanctum: ſic enim ſanxerunt Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius. *Secundùm Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam deitatem ſub pari maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus, hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes, veſanoſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos.* Cùm igitur omnia bona præſtent ei quem obumbrat Spiritus ille ſacer, audi me tibi prouidè conſulentem.

EX IVRE CIVILI: *Lege 1. Cod. de ſumma Trinitate*

Spiritui ſancto iniurij plectuntur.

DEVM ORA, VT QVALIBET HORA ASPIRET AVRA TIBI, CVIVS DVM INFLVIT DONVM, AFFLVIT OMNE BONVM.

VT SPIRITVS SANCTVS MENtibus noſtris illabatur, animas poſcit vniformes multiplici pace.

In hac verba:

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

SECTIO IV.

Legifer noſter, bonique omnis inſtitutor Dominus Ieſus, aſcenſurus cœlos vnde Spiritus ſanctus erat in diſcipulos illapſurus, ſæpe ſæpius pacem inſinuauit eis, vt præambulam illi

ſpiritui, qui eſt omnino turbinis impatiens. Quomodo autem pax illi diuino flamini præire ſoleat, eſt inſtitutum huiuſce ſectionis, quam ordiar ab influxu quem ſenſere Apoſtoli in die Pentecoſtes, de quo ſic Lucas: *Erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Subodoror in hac exquiſita recenſione ſitus diſcipulorum abditum myſterium, aperiens naturam pacis, quam præambulam ſibi exigit ventus, qui afflauit turmam illam vniformem, vt conſtat ex ſerie hiſtorica, cuius hæ voces, *Erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco,* examen Philoſophiæ à me depoſcunt.

Act. 2.

EX PHILOSOPHIA.

Ex Philoſophia plura corpora nequeunt ſimul eidem loco coaptari; ergo diſcipuli non eodem omnes loco conſiſtebant, ſed per ampliationem idem cubiculum pro loco eodem largius vſurpatur in ſenſu literali; ſed ego qui altiore ſcrutinio ſeoſum moralem ſedulus inueſtigo, explico fuiſſe in eodem loco ſtrictè loquendo, & appoſitè ad titulum ſectionis. Ex Philoſopho: omne quod mouetur, vbi quieuit in termino, duo acquiſiuit externa, & vnum internum; duo externa ſunt ſitus & locus, internum eſt modus quidam intrinſecus, ratione cuius locatum ita eſt illic vt non ſit alibi, & dicitur vbi, eſtque ſpecies vna prædicamenti diſtincta ab aliis. Apoſtolorum ſitus, erat ſeſſio, locus erat cœnaculum, vltima cœna Chriſti inſigne, vbi ſeu modus internus erat vnicuique ſingularis. Seſſio notat quietem animi, cœnaculum ſeu domus aliena quâ vtebantur omnes diſcipuli, notat eos in rerum penuria fuiſſe eiuſdem inſtituti: gratia Dei quâ erant omnes illuſtres, erat modus internus, quo ab omni rerum inferarum cura diſſiti, ſoli Deo votis omnibus intendebant. Vnde ſic arguo vbi coëunt hæc tria, ſitus, locus, & vbi, idem eſt locatum; ſed Apoſtoli tunc eodem ſitu gaudebant, eorum quippe ſeſſio concordiam notat, idem habebant vbi, ſcilicet gratia eadem eis omnibus affulſerat, locus autem qui apud Ariſtotelem, eſt ſuperficies corporis ambientis, erat Deus in quo omnes ſumus & mouemur: ergo cùm chorus ille ſacer eſſet vnanimis, vno eodemque fuit loco circumſcriptus, vt & ſonat vox *pariter*: habes enim in textu, *erant omnes pariter*; aliàs enim non afflaſſet Spiritus ſanctus, omnem exoſus diſparitatem cùm igitur audis pariter, intellige concordes, ore, manu, & corde: vt enim in corpore humano diſcordia harum partium eſt lethalis, & abigit ſpiritum, qui compagem hanc membrorum viuificat; & ita alienus eſt Spiritus ſanctus ab eis, qui ementita concordia, ore tantùm tenus, cum proximo conueniunt, eum odio pluſquam Vatiniano opere perſequentes.

Ariſtoteles lib. 4. Phyſic. cap. 5.

Seſſio notat quietem animæ.

Ariſtoteles lib. 4. Phyſic. cap. 5.

EX RE MEDICA.

Audi Hippocratem diſparitatem illam caloris, & frigoris auerſantem ἢν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται αὖθις, θερμαίνηται· ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται μῆκος νόσου σημαίνει. *Quando in vniuerſo corpore crebra mutationes, vt ſi modò caleſcat; modò frigeſcat corpus, aut color alter ex altero fiat, hæc diuturnum morbum fore oſtendunt.* Ita & nequit eſſe Spiritus ſanctus ille viuax, vbi corde ſimulante amorem, frigent manus. Et Duretus Scholiaſtes Hippocratis doctiſſimus ait, vnamquamque hominis partem dum benè valet, ſpiritu abundare: eas autem partes quæ ægrotant, ichoribus acribus abundare, & ſæpe venenoſis, quæ adurunt epiderma, pruritumque generant; ita & ego audacter pronuntio eos qui benè valent, id eſt ſunt in eodem loco, ſeu in Deo radicari, ſeotire illapſum Spiritus ſancti.

Hippocrates lib. 4. Aphor. 40.

Duretus in coac lib. 1. c. 19. pranotione 1.

Spiritus ſanctus odit ignauos.

EX THEOLOGIA:

Theologia liquidior erit in re tota ſacra, & vltrò aperiet quomodo Spiritus ſanctus pacificis tantùm inſit, atque amore flagrantibus in Deum & proximum, ſic agit illa ſanctiſſima diſciplina; ita & nobis ſanctus Spiritus illabitur, ſicut & procedit ab æterno: at procedit Spiritus ſanctus viâ amoris, & licet Spiritus ſanctus ſit amor Patris & Filij, tamen priùs concipimus Patrem & Filium ſe amantes, quàm amorem editum agnoſcamus; eo etiam modo amore diuino æſtuante in nobis, anima noſtra Spiritu ſancto dignabitur: & vt Pater & Filius non ſunt duo principia Spiritus Sancti; ita & amor Dei & proximi non ſunt duæ diſpoſitiones ad illapſum Spiritus ſancti, quia eodem amore Deum & proximum diligimus, cùm Deus ipſe ſit ratio diligendi proximum: & licet Chriſtus in titulo ſectionis, pacem bis nominarit; vna tamen pax nos Deo nobis proximoque agglutinat, vt ait Richardus. *Bonum eſt glutinum tripliciter vniens virum virtutis.*

S. Thomas 1. parte q. 36. art. 1.

Spiritus ſanctus quomodo noſtris mentibus illabatur.

Richardus de gradibus charitatis.

Ruſſus hæc vnio præambula Spiritui ſancto figuris adumbratur, vt columba quæ ore ramum oliuæ referens, redux in arcam ſe recepit: columba hæc reuera fuit typus Spiritus ſancti, qui pace duntaxat vt olea deuincitur. Item Elias ſe accingens ad aduentum Dei, cuius deſiderio tenebatur, ſic habet codex ſacer. *Ecce Dominus tranſit, & Spiritus grandis & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio; non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis; non in igne Dominus, & poſt ignem, ſibilus auræ tenuis, quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio.* Quippe erat in ſibilo auræ tenuis Spiritus ille ſacer commotionis impatiens, qui immediatè ignem ſequitur, id eſt amoris æſtus, habet aditus ſui pacifici præcurſores. Huc etiam reuocanda figura ſupra recenſita, de filiis Iuda venientibus in occurſum Dauid, quos ille ſic affatus eſt. *Si pacificè veniſtis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis, Spiritus induit Amaſai principem inter triginta, & ait, tui ſumus; ô Dauid, & tecum fili Iſai, pax pax tibi, & pax adiutoribus tuis.* Nota hîc rem, quam ſilui ſupra, dum expenderem hanc hiſtoriam.

Geneſ. 8.

3. Reg. 19.

Spiritus ſanctus amat pacificos.

1. Paralip. 12.

Dauid in argumentum pacifici aduentus non fidit ori, imò nec manibus iſtorum militum, qui ſe vltrò & nomen ſuum illi dabant, ſed cordium ab eis cum ſuo intimam exigit vnionem; ait enim, cor meum iungatur vobis, Denuò vbi Spiritus ſanctus induit Amaſai, ille ter nominauit pacem, pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis, quaſi inſinuans ſe ideò Spiritu ſancto percitum, quia erat verè pacificus, nimirum pax omnimoda ternario numero concluderur, ore, corde, & opere; trina item pax reſpicit Deum, nos, & proximos, iuxta illud Pſaltis, *pax multa diligentibus legem tuam.* Et licet multa ſit pax, non multæ tamen ſunt paces; nam vt Deus trinus in perſonis, eſt tamen vnus vnitate eſſentiæ vtique indiuiduæ; ita & pax eſt trina in perſonis, quas ſociat in vinculo pacis, vnde & pax vnio nuncupatur: ſi igitur, ô homo teneris deſiderio Spiritus

Pſalm. 118.

Pax quid ſit.

ritus ſancti, eſto vnus hac vnitate, vt cùm teſſeram ſuam aſpexerit in te, protinus illabatur.

3. Reg. 31.

Hoc & forſitan intendit & Salomon, qui oſtiola templi fecit de lignis oliuarum, quia ad Deum nemo deuenire poteſt, niſi pacificus: quippe pax oliuæ ſymbolo deſignatur. Demum cùm dixi pacem eſſe præambulam Spiritui ſancto, intellige tantum illam pacem, quæ Deum nobis proximumque conciliat; ſolas enim mentes Deo gratas Spiritus ſanctus inhabitat, vt fidem facit ſubiecta hiſtoria.

EX HISTORIA.

Petrus Damian. epiſtola ad Dominum, & fratres Eremi. item alia epiſt. ad Nicol. Papã Nicolaum Cardin. Arragon. de geſtis pontificũ.

Coacto quondam Concilio prouinciali in Diœceſi Lugdunenſi ſub Victore II. Pontifice, qui illuc Hildebrandum legatum à latere tranſmiſerat, quidam Epiſcopus de ſimonia accuſatus, in negatione perſtitit impudenti. Legatus eum inficiantem crimen: iubet pronuntiare verſum hunc, GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO. Is illicò diſtinctè Patrem & Filium ore refert: at Spiritum ſanctum proferre minimè valuit. Quo Dei iudicio conuictus homo nefarius, humili confeſſione, & Epiſcopatus depoſitione ſuam diluit culpam, moxque expeditè ſanctum Spiritum ore libero recitauit. Deo ſic teſtante, homines conſcios alicuius piaculi diſpeſci à Spiritu ſancto, qui ſolas inhabitat mentes gratiâ Dei conſpicuas.

Simoniacus Epiſcopus nequit pronuntiare nomen Spiritus ſancti.

Hinc collige eos omnes qui diſſiti ſunt à ſpiritu ſancto, eſſe alicui peccato obnoxios. Iam eundem Spiritum auerſari diſcordes homines, audi ea hiſtoria.

Annales Belgici, ann. 1.

Belgas rebelles fugit columba.

Audiit aliquando Rex Gallus Carolus ſextus, Belgas defeciſſe à Comite ſuo, & perduelles inſtruxiſſe aciem, adeſt Gallus ſtipatus agmine copioſo, infidos homines ad ſanam mentem reducturus; Belgæ explicant exercitum ſuum, & Regi occurrunt ancipitem belli caſum tentaturi, dum coram adſtarent caſtra, ecce columba niue candidior deſuper volitans æmulos luſtrauit exercitus, veluti dubia quibuſnam labaris inſideret. Tandem pertæſa rebelles acies, diuertit ad Regem Gallum, qui animo pacifico venerat componere diſcrimina, quæ illic emerſerant. Vt autem vidêre Galli columbam incubantem vexillo regio, bonis auibus aggreſſi Belgas, eorum pertinaciam multo ſanguine diluerunt. Hanc columbam plerique arbitrati eſſe Spiritum ſanctum piè collegerunt Deum amoris odia deteſtari.

Petrus Bizarri.

Quid Deum dico, imò & homines naturâ ſuâ, quæ humana eſt, ita inclinantur ad vnanimes ſpiritus, vt omnes exoſi diſcordiam, dyſcolos quoſque etiam auerſentur, vt ſuo damno experta eſt Reſpublica Genuenſis præpotens quondam:

Genuenſis Reſpublica diſcordiis aſſueta.

cùm enim illic plures familiæ æmulæ ambirent ſummam rerum, diſtractis in diuerſa animis, vrbs tota arſit diſcrimine inteſtino; quod vbi reſcitum eſt à populis Reipublicæ obſequio mancipatis, plerique defecerunt à Genua, feceruntque ſe ſui iuris, indignum arbitrati coïre populo, qui vel ſecum minimè conueniret, conſtitit que effatum Saluſtij. *Concordiâ paruæ res creſcunt, diſcordiâ magnæ dilabuntur.*

EX SS. PATRIBVS.

S. Auguſt. de verb. Dom.

Pacis encomia.

Sancti omnes toti ſunt in affinitate pacis cum Deo reſeranda: in his Auguſtinus. *Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, connexio charitatis, hæc eſt quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari, hanc qui acceperit teneat, qui perdiderit repetat, qui amiſerit exquirat, quoniam qui in eadem non erit inuentus, à Patre abdicatur, à filio exhæredatur, à Spiritu ſancto alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini poterit venire, qui teſtimonium pacis noluerit obſeruare.* Idem hanc pacem ſociam eſſe iuſtitiæ ſic definit, ne fortè hallucinemur pacis inani ſimulachro.

Auguſt. idem in Pſal. 84.

Duæ ſunt amicæ iuſtitia & pax, tu fortè vnam vis, & alteram non facies; nemo enim eſt qui non velit pacem, ſed non omnes volunt operari iuſtitiam: iuſtitia & pax ipſæ ſe oſculantur, ſi amicam pacis non amaueris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te.

S. Leo Papa in ſerm.

Caſſiodor. in Pſalmos.

Leo Papa ſic. *Tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, cùm caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur*, cui ſubſcribit Caſſiodorus. *Pax eſt concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas.*

EX SYMBOLIS:

Typotius l. 1. ſymbol.

Quos inde prouentus bonorum omnium accipiant homines pacifici, audi ex ſymbolo Gregorij XIII. Pontificis, qui iuſtitiam & pacem in icone depingens, adiecit & cornu-copiæ, multiplici annona fœtum, hoc titulo in iconis ora circumducto IVSTITIA PACEM, COPIAM PAX ATTVLIT, innuens nullam eſſe pacem mentibus à Deo diſſitis, & iniuſtis: iis autem quos iuſtitia Deo gratos efficit & ſociat, bonorum omnium multam adiicit congeriem.

Pacis & iuſtitiæ nexus.

Quod & inſinuauêre Romani tempore pacis obſerantes templum Iani, dicentes hunc ſuum Deum pacis texere coronas quieto tempore, ſi quidem pax ſola beat & coronat tranquillos homines: & ex Tertulliano. *Pax noſtra diabolo bellum eſt, commune periculum eſt concordiâ propulſandum.*

EX IVRE CANONICO.

Can. audiuimus § ligandi, diſtinct. 24.

Sed quid moror in recenſendis effectibus Chriſtianæ concordiæ, eſtne aliquod cornucopiæ adeò prædiues, vt eſt Spiritus ſanctus, à quo ſunt omnia dona, qui influit in omnes, quos vnio dignos facit hoc illapſu, vt & habet iſte canon. *Spiritum ſanctum nemo accipit, niſi intra Eccleſiam, quia ipſa vnitatem, & gratiam facit.*

Canone nolo § pacem 23. q. 1.

Pacis vtilitas.

Quàm autem ſit gratioſus incolatus hoſpitis illius ſacri, infert alter canon, pacem ſic commendans, quæ ſpiritum hunc allicit & inuitat. *Pax humana, ſi tam dulcis eſt pro temporali ſalute mortalium, quanto dulcior eſt pax diuina, pro æterna ſalute Angelorum.*

EX IVRE CIVILI.

Lege finali de re militari.

Quaſi diceret, ſi omnia pro modulo ſectantur pacem hanc temporalem; quo & nos debemus anhelare niſu, ad eam quam mundus dare non poteſt pacem ex qua omnibus omnia bona proſtant, & ad quam iure etiam ciuili quilibet obligatur hac lege: *Pax & charitas ſolidum vinculum, ad cuius obſeruantiam quilibet ex præcepto tenetur.*

Troezenij quomodo ventos conciliabant.

Pauſan in Corinthiacis.

Si tamen viuaci deſiderat afflari aura Spiritus ſancti quem neceſſe eſt demereri eo ritu, quo alias Troezenij faciebant ſibi ventos propitios. Hi, vt refert Pauſanias, vt ventos æquiores haberent, qui iniquè anteà ſpirauerant, gallum gallinaceum in fruſta diſcerpebant, arbitrati mortuo animali quod claſſicum bellumque clamat, ventos fieri beneuolos. Auis illa contentioſa diſcordiam ſonat, ea eſt abigenda procul, ſi volumus nobis conciliare Spiritum ſanctum, qui eſt columba inſidens tantùm oliuæ, & non ſenticeto. Aliam viam aperit Pſaltes quà poſſimus ad hunc ſpiritum compendioſè deuenire, videlicet. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.*

Pſalm. 118.

Quaſi diceret oratione præuia, huius ſpiritus ego factus ſum compos. Sed ne ſit præpoſterus ordo, ante Spiritus

ſancti illapſum, oremus pacem præambulam huic flamini ſacro, iuxta illud. *Rogate quæ ad pacem ſunt.* Et poſtmodum multiplici prece fuſa, audiet vnuſquiſque: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Id eſt virtutum praxim ſequetur ea animi quies, ex qua abundantia emanat, ſegeſque vberrima gratiarum colligitur, hanc omnem ſeriem accipe ex hac mea ſententia:

Pſalm. 121.

SPIRITVS SANCTVS DEI AMOREM INGERIT EI; QVI MOREM GERIT DEO, CVM QVO PACEM HABENS CAPACEM SE EXHIBET, HVIVSCE FLAMINIS, FLVMINIS GRATIARVM.

SPIRITVS MVNDI, INQVIETOS agit aſſeclas ſuos.

In hæc verba:

Non quomodo mundus dat, ego do vobis.

SECTIO V.

EX PHILOSOPHIA.

LYcæi eſt hoc axioma vernaculum; illud eſt magis tale, quod magis accedit ad maximè tale, vnde iuxta contrariorum contrariam etiam diſciplinam, illud eſt minus tale, quod minus accedit ad maximè tale. Inde ſic arguo, Deus amans vnitatis, rixarum impatiens, eſt maximè pacificus: Spiritus ſanctus eſt ea vnitate Deus; ergo qui magis accedit ad hanc vnitatem, animo pacifico, plus ebibet de hoc ſpiritu, & erit magis rerum diuinarum conſors: at verò ſecus qui minus accedet ad hanc vnitatem, plus recedet ab hoc ſpiritu pacifico, atque adeò inquietè rotabitur, ſed mundus è diametro Deo opponitur, ergo & ſpiritus eius, quo neceſſe eſt verſari inquieto gyro mundi mancipia. Mundum & Chriſtum res eſſe omnino diſpares, neque coëuntes diſce ab ipſo Domino. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Audis vilia mundi capita exoſa Deum, & hinc noſcis ſpiritum mundi eſſe odij, rixarum, atque diſcordiæ: eamobrem de mundi ſequacibus ait Dauid. *Impij in circuitu ambulant,* quia pertæſi Deum, qui eſt rerum omnium centrum, gyrantes orbem nuſquam requie integra potiuntur. Benè ergo ideo legiſlator Chriſtus pacem ſuam eo commendat elogio, vt dicat à ſæculi pace ſeu ſpiritu diſcrepare. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis, non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Quaſi diceret, turbentur hi quos peſtilens afflat aura mundi, formident illi quos ementita pace ſecuros fore mundus decipit & dementat; vos manet ſors æquior, mea pace, vera vtique ſolidatos.

Ioan. 15. Mundus Deum odit.

Ibidem.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. p. q. 94. art. 1.* Mundus agitur ſpiritu nequam.

Ea Theologia euidentior eſt ſpiritus ille nequam, quo agitur mundus, nam peccare eſt voluntatis auerti à Deo: vnde ſic arguo, Deus eſt pax ſumma; ergo qui à ſumma pace diuiditur, ad aliud extremum deueniat neceſſe eſt, ſcilicet ad ſtatum quietis expertem, vt ait Pſaltes; qui elongant ſe à te peribunt, omnis quippe ruina in diuiſione ſita eſt: at mundus totus in maligno poſitus eſt, & peccatis omnibus obnoxius, ideoque à Deo diſſitus, ſpiritus prorſus inops; ergo perperam aſſeclæ mundi de pace ſibi blandiuntur.

Nempè vt benè diſcutit S. Thomas. Duplex vnio eſt de ratione pacis. Vna eſt ſecundũ directionem appetituũ in vnum aliquod appetibile; alia eſt, ſecundũ vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius: vtrique autem vnioni occurrit charitas; primæ quidem quia Deus diligitur ea animi intenſione, vt ad eũ omnia referantur, & ſic omnes appetitus in vnum ſummè appetibile feruntur. Secundam perficit charitas vnionem, cùm diligitur proximus ea charitate, quæ omnia facit cõmunia, alteriuſque voluntati morem gerit, vt ſibi ipſi: vnde Ariſtoteles inter amicabilia ponit identitatem electionis; & Cicero ait amicorum eſſe idem velle & nolle. Ergo cum tota ratio pacis ſit penes charitatem, mundus qui Deum non cognouit, & neſcius eſt charitatis, nequit eſſe pacificus: quòd ſi reprobi aliquas habent inducias, vacantes à turbine quo rotantur, decipiuntur à mundo faciente fucos, inanemque pacis ſpeciem præferēre homini nebuloni.

S. Thom. 2. 2. q. 29. art. 3.

Ariſtot. l. 9. Ethic. c. 4.
Cicero lib. de Amicitia.
Mundus turbat ſuos amaſios.

EX SS. PATRIBVS: *Auguſt. in Pſalm.*

Eam ob rem in perfidũ hunc atque deluſorem mundũ, Patres ſancti debacchantur, & in his deceptus quondam atque præpeditus Auguſtinus. *Ecce turbat mundus & amatur, quid ſi tranquillus eſſet? formoſo quomodo hæreres, qui ſic amplecteris fœdum? flores eius quomodo colligeres, qui à ſpinis nõ reuocas manum?* Ambroſius ſic exclamat. *Quàm rarus in terris qui poſſit dicere: portio mea Domine cuſtodire legem tuam, & quàm alienus à vitiis, & quàm ſegregatus à labe peccati, qui nihil habeat cõmune cum ſæculo, nihil ſibi huius mundi vindicet, non ſit corporalium poſſeſſor cupiditatum.* Gregorius vero ſic. *Ille huius mũdi veraciter mala ſentit, qui eius bonis inhiat, nec alia bona appetit.* Turbinem mundi explicat Caſſiodorus ex ſimilitudine maris. *Mari iuſtè comparatur mundus, quia falſitatibus amarus eſt, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commouetur.* Sortem miſeram hominum ſæculi amatorum deflet ſic Bernardus. *Pereunt in hoc mari magno & ſpatioſo, pereunt miſeri, dum peritura ſectantur, omittunt ſolida, quibus apprehenſis emergere & ſaluare poſſent animas ſuas; ita inquam pereunt, qui omiſſis veris & ſalutaribus ſtudiis, caduca & tranſitoria quærunt, à quibus nequeunt diuelli.*

Ambroſ. in Pſalm. 118.

Greg. lib. 6. moral.

Caſſiod. in Pſalm.

Bern. ſerm. de Aduent.

EX HISTORIA:

Quo turbine ſua mancipia quatiat mundus, quoque ſpiritu ferociant homines flocci, conſule Regum ſacram hiſtoriam, vbi leges odium quo arſit Saül in Dauidem, fuiſſe prodromum & præuium ſpiritui malo, qui Saul ad iniqua & ſæua omnia perculit. Sic habet textus ſacer. *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps: poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul.* Vides toruos oculos, aſpectumque trucem præiuiſſe ſpiritui malo, cuius audi auſus iniquos. *Tenebatque Saül lanceam, & miſit eam, putans quod configere poſſet Dauid cum pariete.* O ſpiritum mundi homicidam! Sed dices; ego ita ero addictus mundo, vt meo iugi obſequio deliniam eum, ſicque ſpiritum pacificum animumque æquiorem fortè demerebor. Eſto te componas in aſſentationem, totumque te mundo vltro deuincias, nemo dat quod non habet. Quid à turbulento niſi turbines accipias? proculdubio conſors fies horum populorum, qui vt delinirent ſpiritum Holofernis, ea codice ſacro, *Exierunt obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis; nec iſta tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare*

1. Reg. 18. Spiritus ſanctus quos deſerat.

Ibidem.

Iudith. 3.

predixerat; nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit, præceperat enim Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus. O iniquam ſæculi ſortem! multi ſe ſuaque deuouent mundo, ſectantes ingea epulas, & choreas, rati ſe quietè ſic victuros, ſed hæc bacchantium hominum obſequia præſtita mũdo, ferocem ſpiritum non demulcent: quippe animos ſuorum verſatum in gyrum verſat, & denique per abrupta diſtractos lacerat & diſcerpit; habet enim a dæmone mundus hoc edictum, vt eliminato ſpiritu pacis, alius regnet vſquequaque ſpiritus inquietus, quo miserè diſpereunt omnes, qui mundi ſpecioſa quæque deperennt, vt omnimodâ liquet hiſtoriâ. Equitum Rhodiorum facta recenſita rem habent omni æuo deteſtandam. Illic olim nobilis eques nomine *d'Amaral* Prior Caſtellæ, typho tumẽs, ſua ſpe deluſus, credens ſe eligendum in præfectum generalem illius ſacræ Deo militiæ: in eam acta eſt rabiem, vt clamârit velle ſe in ius cedere dæmonis, dum Religio Rhodia peſſum iret, nec ore tenus ſuã nequitiam teſtatus eſt, ſed Turca obſidente Rhodum, perduellia ille molitus eſt deditionem vrbis, Deo vero detegente perfidiã, lictori traditus eſt, perfidiam ſuo ſanguine luiturus; vtinam ille vnus malè habitus eſſet hoc ſpiritu nequam, qui mundi ſeruos ſuæ ſalutis adeò facit immemores, vt non detrectent dæmonum iura dum carni indulgeant, vt illicentis glorïolæ honore fugaci tandem aliquando potiantur.

Amaral. Prior Caſtellæ quanto typho intumuit.

Sed ſi quis vnquam expertus eſt animum infidum mundi, is fuit Aluarus Luna, qui Hiſpaniam totam rexit triginta annis, eóque ſupercilio, vt Regi ſuo terrori eſſet, adeò eum ſpiritus ille nequam ſurſum euexerat, deorſum poſtea deprimendum. Quippe extremo ſupplicio, ille omnis faſtus euanuit, eiúſque corpus truncum triduo iacuit expoſitum pelui ſubiecta hoc titulo: Date eleemoſynam Aluaro Lunæ vt terræ mandetur corpus eius exanime. An non liceat hominis ſuperbiam execrari eiſdem verbis, quibus arguit Iſaïas humiliatum Regem Tyri. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris, corruiſti in terram qui vulnerabas gentes?* & infra. *Qui te viderint ad te inclinabuntur, téque proſpicient, nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obuolutus, cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci quaſi cadauer putidum.* Nec eſt quod ego homo Gallus, Hiſpania inſultem, quaſi ſoli ſuperbiant, & hi tantùm experti ſint lethalem mũdi vertiginem; nam Gallica hiſtoria eſt veluti Scena & Theatrum ſanguine purpuraſcens. Et ne nimius ſim in re Gallis ingloria; duo præfecti generales militiæ, hos Conneſtabiles ſeu comites ſtabuli vocant, Romani verò præfectos prætorio; duo, inquam, ſcilicet Dominus à ſancto Paulo, & Carolus Borbonius regio ſtemmate, nefario mundi œſtro perciti in quos perfidiæ anfractus deuenere? quot edidere ſtrages? Demum vterque indolem ſuam in Regem ſuum infidam, morte iniqua diluit, ille palam in Theatro, & iſte in flagranti delicto glande ignea ſublatus è medio.

Ioan. Mariana in hiſtor. Hiſpan. ſub ann. 1463. Aluarus Luna quo fato interiit.

Iſaïæ 14.

Caroli Borbonij defectio à Rege ſuo.

Ipſa etiam res Medica agnoſcit iniquos ſpiritus ſeu flatus, vt ſunt hi qui paludes permeant, & cloacas aut caſtra multo cadauere putida, vt ait Fernelius: *Spiritus ille craſſus, denſus, caliginoſus, & aliena permiſtione inquinatus, ſpiritus obſcurat ſanguinem, & humores denſat, atque labefactat, cor mœſtitia perſtringit, mentem obnubilat.* Idcò Vitruuius ait in inſula Leſbo oppidum Mytilene eſſe magnificè extructum, atque eleganter, ſed imprudenter poſitum, in ea ſiquidem ciuitate, cùm Auſter aſpirat, ægrotant homines: quia putredinem ingerit aliis, illa aura madens ex nimio aquarum commercio, quod contraxit permeans aquas longè latéque diffuſas: Caue & tu in re morali loca ſpirantia aliquale virus, vt ſunt ea omnia quibus frequens incolit mundus, choreæ, cauponæ, & fornices obſcœnæ. Illic enim virulento ſpiritu cientur homines, quo poſtea dirumpuntur. Diſce ex Hippocrate, qui ſint Spiritus morti obnoxij, ψυχρὸν ψυχὴν μὲν θανάσιμον, θανάσιμον δὲ καὶ πυρετῶδες, καὶ λοιμῶδες. *Frigidus quidem ſpiritus eſt lethalis, lethalis etiam eſt æſtuoſus.* Dum mundus ingerit deſidiam, afflat frigus & algorem, dum libidine æſtuat, ſpiritum igneum anhelans, hominem totum redigit in fauillam: & hæc mundi peſtifera vicinia benè exprimitur Camerarij ſymbolo. Pingit ille viperam extinctam, quam veſpæ exedentes, contrahunt hoc eſu virus animalis emortui hoc titulo. TRANSFVNDIT PASTA VENENVM. Ita & ego hortor, vt fugias omnes iniquos mundi cœtus; ſpirant enim illinc flabra lethalia, quæ TRANSFVNDVNT HAVSTA VENENVM.

Fernel. lib. 4. *pathologia, c.* 13.

Vitruuius. Auſter vertus inſalubris.

Hippocr. in L. de flat. & frag. ...

Ex Symbolis: *Camerar. lib. centuriar.*

Mathematici ex ſuo Ptolemæo deſcribunt ſydera quædam infauſta, quæ turbines parturiunt atque tempeſtatea. Verbi gratia Kalendis Ianuarij, iuxta Ptolemæum, Aquilæ, & Coronæ ſtellæ occidunt, ſuóque occaſu tempeſtatea excitant. Reuerà in mundo gratiæ omnes occidunt, quæ nos ſimiles efficiunt aquilis, coronáſque texunt gloriæ. Quid mirum ſi mundi Spiritus ſit tot gyris atque turbinibus obnoxius? Rurſus ex eodem, pridie Kalendas Iunij oriuntur Vergiliæ, quæ ſunt ſeptem ſtellæ, tonitrua, procellas, & iniquos ventos excitantes. Ita & in mundo ſeptem peccata lethalia, ſydera errantia, & hominum errantium lumina infauſta ſemper oriuntur, nec vnquam occidunt, illic enim nuſquam eſt peccandi finis. Vis ſcire quid portendant? audi Apoſtolum. *Sydera errantia quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quomodo autem Spiritus boni ſiue mali dignoſcantur, audi ex Iure Canonico. *Spiritus an ſit ex Deo cognoſcitur, ſi quæ agit, ex ſpiritu agit, non contra obedientiam, nec contra Superioris determinationem.* Si ex ſpiritu agit, benè; nam eodem Canone; *Spiritu Dei qui ducitur, non eſt ſub lege.* Si verò contra obedientiam, malo cietur œſtro, pœnæ obligatur eidem quam incurrunt rei, quorum aura afflatus eſt ille correus, vt habetur Iure Ciuili, à quo hanc habeto legem. *Pœnam quam exigit vnus ex correis ſociis, tenetur communicare alteri.* Si ergo mundus eſt quietis impatiens, reprobi omnes eidem ſubditi diſcrimini, melius ſibi minimè conſulent, mundo à correia ſuis exigente eamdem ſui turbinis mulctam, qua plectuntur omnes Deum auerſati, vt cum ſpurca mundi illuuie conſenſerunt. Cæterum in argumentum genij inconſtantis audi me.

Ex Mathematica. *Ptolemæus l. de ſignificat. ſyderum inerrantium.* Aquilæ & coronæ ortus & occaſus.

Epiſt. Iudæ.

Ex IVRE CANONICO. Spiritus an ex Deo ſint, quomodo dignoſcantur.

Ex IVRE CIVILI. *Vide etiam Nouell.* 99. *de duobus reis.*

SI QVÆNAM SIT INDOLES MVNDI INQVIRAS? RESPONDEBITVR, INQVIES.

HO

HOMILIA IN DIE PENTECOSTES.

SVMMA HOMILIÆ.

1. QVia homo ſuperbiam ſuam eò euexit, vt Dei ſcientiam ambierit, ea ignorantia cæcutiit, vt ignoret adhuc naturam venti, & potiori ratione mens eius caligat in indagine Spiritus ſancti, quem dico eſſe ventum.

2. Naturam venti compono cum proceſſione Spiritus ſancti.

3. Oſtendo multiplicem affinitatem ineſſe vento cum Spiritu ſancto, ex parte effectuum vtriuſque, & hìc luculentos prodo effectus vtrimque.

4. Effectus venti recenſitos, & aptatos Spiritui ſancto, demonſtro latêre ſub cortice nominis Pentecoſtes; hoc enim vocabulum ſonat numerum quinquageſimum, qui erat ſacer Iubilæo, cuius indulta conceduntur iis, quos Spiritus ille ſacer percellit.

5 Aperio dæmonis aſtutiam, qui totum ſuum colligit virus, vt effundat in homines percitos hoc ſpiritu; ſcit namque Angelus ille refuga, Spiritum Sanctum & peccata non coire. Vbi autem homo hunc ſpiritum abiurauit, multiplici deliquio eſt obnoxius; vt ergo homo fiat compos huius ſpiritus, & hac recreetur aura cœleſti, oſtendo quo ritu debeamus hunc Spiritum demereri.

PRÆFATIO.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Sapient.* 1.

Pſalm. 75.

INſciis *ferè aliis gentibus, ſe totum Deus mentibus aperuit Iudæorum, vt occinit Pſaltes.* Notus in Iudæa Deus, *eóque acceſſit affectus in Hebræos, præpoſtere illo rerum moderator, vt viſus ſit Iſaiæ intra ſepta templi, excelſo ſedens ſolio, & hactenus inaſpectâ gloriâ rutilus; emergentes tamen hinc radios effuſus fumus opacabat. Iſaia nimirum teſte,* Domus repleta eſt fumo. *Largiore manu Chriſtus ditauit Eccleſiam, cuius ampliores fuere dotes eis, quibus alij populo præiuit Synagoga: quippe Deus non opaca fumi ſpecie ſe obiecit hodie Apoſtolis, ſed Spiritum ſuum ſanctum igne corusco liberalis impertiuit. Vt Iudæis ſe propitium oſtendat, ventilabro auræ tenuis Eliam dignatus eſt, ſed in gratiam Eccleſiæ, producit ventos de theſauris ſuis, quibus vt fideles ventilaret orbe toto diſpeſcendos, hodie Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Habeat ſuos ſibi fumos fumida Synagoga: melius Eccleſiæ conſultum eſt igne multiplici Pentecoſtes. Eccleſia diſſita eſt a Iudaiſmo, ſicut ignis à fumo diſpeſcitur. Res habet Eccleſia quarum vmbras tantum Iudæus inſpexit, figuris aſſuetus. Deus in fumo, id eſt, ſubobſcurè Iudæis innotuit; Eccleſiæ autem in igne, id eſt liquidius apparuit. Et ſicut aurâ exceptâ vultures concipiunt, ita Chriſtus vt fœtam faceret Eccleſiam, Spiritum ſanctum miſit in ſimilitudine venti, quem ego, vt aliquid de eo concipiam, conabor ebibere, ſicut & Dauid qui ait.* Os meum aperui & attraxi Spiritum, *vt hunc attraham Spiritum, os ego aperiam, dicens.*

Iſai. 6. Synagogæ prælata eſt Eccleſia. Pſalm. 134. Pſalm. 118.

AVE MARIA GRATIA PLENA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

ADeo eſt natura exoſa faſtum, vt etiam in re inanimi nequeat ſubolere typhum, quin eum illico deprimat, & quò maiores infurgunt motus, eò etiam minori vtitur fræno, vt eorum ſiſtat ſuperbiam, vt videre eſt in illo piſciculo, quem Plinius Echeneim, ſeu Remoram vocat. Etenim dum Pelagus æſtuat, ventus debacchatur, ſæuiunt procellæ, & deſpumantes efferunt ſeſe fluctus cœlo tenus, tunc reuerà naues, turgida vela ventibus flabris, inſoleſcunt. Hos ſcit natura nimios æſtus compeſcere; nam his poſitura modum, vtitur piſciculo Remora, cuius hæ ſunt partes. Roſtro breuiuſculo annititur naui, & ſua remorante vi explicata, impetum ſedat, quo gaudebat ante nauis, quodque non potuit Hercules contra duos, illud poteſt animalculum breue contra tres: nam inuitis, furentibus ventis, reluctante pelago, & inflatiſſimis tumentibus velis, citatiſſimos nauis auſus piſciculus ille remoratur. O quàm ingentes impetus retundit, etiam validarum piſciculus cogit ſtare nauigia quæ beneuolas captarunt auras, res imbellis imperat furori, quod nequeunt vincula vel rudentes, imò nec anchoræ iactæ pondere irreuocabili, hoc poteſt inermis piſciculus. Sic eludente ſuperbiam naturâ, in omnibus poſcente modum, qui ſi deeſt rebus ſuperbia tumentibus, facili negotio, ſuperba omnia conamina vt irrita compeſcuntur. Eamdem expertus eſt & ſortem inſoleſcens homo; nam dum ambiit

Plin. hiſt. nat. lib 32. c. 1. Remoræ piſcis mira virtus. Philoſophi ignorarunt naturam venti.

biit ſcientiam Dei, cuius ei cupidinem fecit dæmon dicens: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*, cæcutiit in cuiuſque rei vel minimæ notitia; & quia ventoſa ſuperbiit natio, depreſſit Deus humanæ mentis apicem, in indagine venti. Etenim variant Philoſophi, de vento varia imò & pugnantia dum loquuntur; ſic hominum præaltæ mentes, in auræ tenuis explicanda natura minimè coaleſcunt. Hoc venti ſeu ſpiritus themate propoſito, Chriſtus Dominus fecit hebes omne acumen ingenij, illius docti Nicodemi qui erat magiſter in Iſraël, quem ita affatus eſt. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* Nec Nicodemum tantùm hæc latuit ſpiritus notitia, ſed etiam tres proceres orbis vniuerſi nationes, quæ agentes de ſpiritu qui vſquequaque ventilat, inuicem diſcordes penitus extiterunt. Nam Hebræi, Græci, & Latini non concordant in hac ſubiecta materia. Hebræi mundi ſpiritum rem exilem adeò æſtimant, vt ſpiritum efferant nomine fœminino; vox enim, Ruah, eſt generis mulicbris. Latini verò ſecus vt videre ventos verſare mare, cogere nubes, ſyluas æquare ſolo, vbi inquam aduerterunt ſpiritus abditos aluo terræ, elidere rupes, diſſoluere montes, & quaſi nutante terra, orbem vniuerſum concutere; ſubodorantes aliquid maſculum, ventum ſeu ſpiritum virili nomine nuncuparunt. Inter duos populos de vento litigantes, Græcia non gaudet tantùm, ſed iocatur aſſueta dictériis: quippe vt eſt pertinacis ingenij gens Philoſophis olim fœta, & hominum ferax, quos mens defœcata fecit inſignes, ait ventum ſeu ſpiritum nullum habere genus maſculinum, ſiue fœmininum; ſed ſi quod habeat, illud neutrum eſſe, vt ex nomine neutro liquet τὸ πνεῦμα: ſic Græcia Mineruæ docta tutamine, arcem ſcientiæ tenens, indolem venti melius aliis inueſtigat. Adſtipulatur Græciæ ſuffragio & Regius vates, dum ventos eſſe penes Deum ſcribit, ideoque non ſubeſſe hominum menti rem quam abdit in ſua prædiuite Gaza, nam ſic habet ille Pſaltes: *Producit ventos de theſauris ſuis.*

Gen. 3.

Ioan. 3. Venti notitia difficilis.

Ruah רוח *ventus ſeu ſpiritus.*

Ex Philoſophia: Spiritus ſancti notitia latuit Philoſophos. *Ariſtotel. lib. Meteor.*

Ex dubia indagine ſpiritus huiuſce ſenſibilis, infer quàm ſinuoſa ſit notitia Spiritus ſancti. Ariſtoteles ſugillat omnes retro Philoſophos, vt inſcios naturæ venti, & nos ipſum Ariſtotelem totamque Lycæi ſobolem inſcitiæ arguimus, cùm agitur de Spiritu ſancto: imò & primores eius notamus illa caligine, qua Triſmegiſtum, & Platonem liquet in præalto Spiritus ſancti Myſterio cæcutire. Inſtabis Triſmegiſtum prælibaſſe ſaltem Spiritus ſancti fidem, cum ait? *Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem.* Aſt nec oram attigit huiuſce abyſſi, vt benè reſpondet Thomas, alter Triſmegiſtus: voluit enim ille Hermes dicere Deum vnum, mundum vnum edidiſſe, ſui ergo. Vrgebis Auguſtinum legiſſe in Platone. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*: nec fuiſſe procul à Spiritu ſancto. Reſpondeo hæc nihil ad rem; nam ibi Plato agit de ideis, quas Deo inferiores putat, & rerum cauſas à Deïtate diſſitas; atque ita deuians à Patre & Filio, qui ſunt vnum principium Spiritus ſancti, Plato & ipſe à notitia ſancti Spiritus aberrauit.

Ex Theologia. *Mercurius Triſmegiſt. in Pimandro, dialog 4. S. Thom. 1. p. q. 32. art. 1. S. Aug. l. 7. confeſſ. 9.*

Ex SS. Patribus: *Origenes in caput 1. Ioan. S. Hieron. ep. 65. refert. delusū à Platone cu Origenem.*

Itaque Platoni hæc ſacra non afflauit aura, cùm de Verbo quæpiam effatus eſt infra naturam Verbi, vnde erroris ſui carpſere præludia Origenes & Arrius. Sed dato non conceſſo innotuiſſe Philoſophis Patrem & Filium, coaruit tamen ab eis Spiritus ſanctus, eiſque aptat Auguſtinus illud Magorum, qui ſub Pharaone, cùm edidiſſent prodigia ſemel & iterum, ad inſtar Moſis & Aaron, tamen in ſigno tertio defecerunt, id eſt in Spiritu ſancto ſuam vim imbellem confeſſi ſunt: Dixerunt enim, *Digitus Dei eſt hic.* Vocari autem, Spiritum, digitum Dei phraſis eſt Scripturæ ſanctioris, quâ & vſus eſt Chriſtus, *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Nonne & ipſe Paulus Epheſi, vbi ſcientiæ tunc vigebant, quærens an accepiſſent Spiritum ſanctum, reſponderunt, *Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt audiuimus.* Vnde & Damianus vir pellucidi ingenij, pertæſus priſcam gentilium diſciplinam, in Philoſophiam ſæculi debacchatur: *Vbi ſunt oratorij ſermones, quos in fornace Rhetorica, omnis ille Philoſophorum chorus conflauit? nunquid non maximus Plato, ab intellectu tam puriſſimæ veritatis repulſus eſt? nunquid non acerrimo mentis ingenio, tangens non attingens diuinitatem Dei dicit? vnum inueni quod cuncta operatur, & aliud per quod cuncta operatur, tertium autem inuenire non potui? Rectè de Spiritu ſancto inſcius, qui illi non erat infuſus, qui ſanctarum reuelationum magiſter eſt.*

Exod. 8. Aug. gloſ. in Exod. 8.

Luc. 11.

Actor. 19.

S. Damian. ferm. de Annunc. Maria. Spiritus ſanctus quomodo reuelatus.

Verum enimverò fidelibus innotuit is ſpiritus, ſicut ſagaci fœminæ occurrit deperdita drachma, hæc mulier Euangelij fide clara, lucerna affulgente, rei amiſſæ compos effecta eſt: ita & Eccleſia de Spiritu ſancto edocta prius à Chriſto non pleno hauſtu ebiberat hanc doctrinam, at poſtmodum liquidò agnouit hunc Spiritum ſub ſpecie vehementis Spiritus, qui repleuit totam domū, illucente lumine Pentecoſtes. Ego igitur prævio hoc lumine S. Scripturæ.

Dicam primò Spiritum ſanctum eſſe ventum. Secundo aperiam effectus eius. Prima fronte mouebit ſcrupulum forſan, illa quam molior affinitas venti cum Spiritu ſancto, quippe nomen venti ſonat quid inferius nævos Spiritui ſancto, qui eſt coæqualis Patri & Filio. Dubio occurret S. Thomas docens nomen quodque bifariam poſſe affigi rebus: ſcilicet ſecundùm rem, & ſecundùm ſimilitudinem. Secundùm rem inditur nomen idem multis, cùm ſunt eiuſdem naturæ, vt eodem hominis vocabulo Plato, necnon & Socrates efferuntur. Secundùm autem ſimilitudinem, plura idem nomen habent, quia in aliquo conueniunt, vt Chriſtus dicitur Leo, qui vicit de tribu Iuda, ob fortitudinem qua pollet leo; dicitur Agnus qui tollit peccata mundi, ob manſuetudinem quâ miteſcit agnus; ita & Spiritus ſanctus, in proceſſione ſua, ab æterno & in effectu quem edit, in aliquo refert ventum: quid igitur mirum, ſi phraſi conſona Codici ſacro, & idem venti nomen, ambo ſortiuntur. Ventus ſcilicet & Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus vento comparatus.

S. Thom. 1. p. q. 13 art. 9

Ex Theologia: *Apoc. 5.* Spiritus ſanctus vnde dicatur. *Ioan. 1.*

Accipe igitur ea quæ ſunt vtrique affinia. Ex Ariſtotele, *Ventus eſt exhalatio calida & ſicca, in tranſuerſum agitata.* Quid aptius proceſſioni Spiritus ſancti, qui cùm procedat à Patre & Filio viâ amoris, nonne diceres eſſe exhalationem calidam & ſiccam? Nam amare eſt animam exhalare: eſt anima plus vbi amat, quàm vbi animat, & ex Platone, amare eſt ſibi mori, vt viuatur alteri; at mori ſeu efflare animam, idem eſt ac animam exhalare. Cœlum & terra coaleſcunt in vnum principium venti, terra enim exhalat, &

Ariſtot. lib. Meteor. c. 3. Ventus quid ſit.

cœlum

cœlum virtute ſua ciet & percellit, & licet coëant in edendo vento, cœli, & terra; non tamen ſunt plura Principia adæquata. Hoc amplius ex fide liquet, in proceſſione Spiritus ſancti procedentis à Patre & Filio per modum vnius Principij, cùm enim emanet ab vtroque, viâ voluntatis per amorem, & in Deo tantum vna ſit voluntas, non ſunt in Spiritu ſancto plurima principia recenſenda. Ad hoc facit illud Auguſtini, *Spiritus ſanctus eſt id, quo genitus à generante diligitur, genitoremque ſuum diligit.* Vnde & dicitur, nexus ex ambobus & vniens ambos. Sit ergo ſtatum, Patrem & Filium ſpirare Spiritum ſanctum, per modum vnius principij, quod in ſua ſingularitate præſtat principio ventorum, ſcilicet cœlo & terræ, quæ vt cauſæ partiales à ſe diſſitæ diſpeſcuntur.

Spiritus ſanctus quid ſit.

S. Thom. 1 p. q. 36. ar. 4. S. Aug. l. 6. de Trin. c. 5.

Aliud eſt in vento, quo deuenimus in aliqualem notitiam Spiritus ſancti, ſcilicet, ventum non poſſe alium ventum producere, quippe exhalatio eadem eſt numero in quamuis partem ceciderit: ita & amor in diuinis in quamuis perſonam cadat non facit amorem multiplicē, neque adeò plures Spiritus. Cur autē Spiritus ille ſacer nihil producat in diuinis, nec habeat aliam perſonam à ſe procedentem, hoc eſt fide & ratione ſtabilitum. Fides ex Codice ſacro nobis affulget, vbi aſſeritur Trinitas perſonarum, in vnius ſingularitate eſſentiæ: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Ratio quæ eſt fidei pediſſequa, ſic dominæ ſuæ ſuffragatur.

Spiritus ſancti cū vento relatio.

1. Ioan. 5.

EX THEOLOGIA.

Quicquid in diuinis generatur aut procedit, eſt ab intellectu, aut à voluntate: ſed totus intellectus diuinus exhauritur in generatione Verbi; nam totius intellectionis Dei Patris, Verbum eſt terminus adæquatus; hinc fit vt Verbum nequeat aliud Verbum generare, nam intellectus Verbi, non eſt intellectus numero diſtinctus ab intellectu Patris; ergo cùm nihil poſſit de nouo intelligere Deus, non poterit & de nouo aliud verbum à Deo generari; ita cum Pater & Filius eâdem voluntate ſe inuicem ament, tota voluntas diuina effuſa in amorem, ſpirat Spiritum ſanctum, einſdem numero naturæ, quæ & eſt in Patre & Filio: ergo cùm voluntas diuina, ad intra ſit hoc amore adæquata, Spiritus ſanctus non poteſt edere alium amorem; alioquin ille amor à voluntate Dei procedens, illam non æquaret, & ſic Spiritus ſanctus non eſſet Patri & Filio coæqualis. Nimirum ſi Spiritus ſanctus amore intenſiore, ſpiraret alium Spiritum, hoc eſſet quia Patris & Filij amor non eſſet infinitus, & in termino deficeret: ſed hoc impium eſt aſſerere; ergo & ſequela erit impia, ſcilicet piaculo tenus eſt dicere, Spiritum ſanctum ad intra poſſe aliquid edere, cum omnimode voluntas & intellectus Dei ſuis terminis adæquentur. Vides ad quos Theologiæ vortices & anfractus, hæc relatio venti nos deduxit, nec ineptè Spiritum ſanctum cum vento componi: ſiquidem, vt aduertit Genius ille Scholæ Thomas, nobis minimè proſtat copia verborum ſufficiens ad naturam rerum ſignandam ingenuè: & hæc nominum inopia, nos compellit vt affinia rebus aliquando etiam in ſacris, aliunde nomina mendicemus, vt videre eſt in ea, quam verſamus, materia: nam cùm in rebus corporeis ſpiritus impulſionem quamdam, & motionem ſonet, ventum enim ſeu flatum ſpiritum appellamus: & hoc nomine nuncupamus Spiritum ſanctum, qui amor eſt Patris & Filij: amoris autem proprium eſt, impellere & mouere voluntatem amantis, in eum cuius amore feruidus incandeſcit.

Spiritus ſanctus amor eſt.

S. Thom. 1. q. 36. art. 1.

Sed vt eò vnde effluxit refluat oratio, illic ſtandum eſt, vbi notitiæ ſuæ David fixit metas, de vento ediſſerens. Ait ille rerum nō ignarus, Deum produceřę ventum de theſauris ſuis; quippe penes Deum ſolum, eſt integra ſui cognitio: atqui Spiritus ſanctus eſt Deus, cum Patre & Filio eamdem naturam indiuiduam participans, etſi ſint diſſitæ perſonæ; nos igitur, obtuſæ mentes, naturam illius venti perperam indagamus. Alluſit ad hoc neſciens antiquitas, Enimvero Sicyonij, teſte Pauſania noctu ſacrificabant ventis, ſui obſcurā eſſe dicentes naturā venti, ſed non ideò ingloriam; ita & ego ſubiicio, noſtrá de Spiritu ſancto caliginem reddere nos equidem inſcios, ſed hæc inſcitia nequaquā faciet iniunos, ſi in Spiritum ſanctū anheli, intimo cordis affectu iugiter effundamur. Ex Pierio, Scytharum in ventos iugis adeò cultus erat, vt per ventos iurarent ſemper, vt per aſſertores vitæ ſuæ. Exigit Deus à nobis ritū ſanctiorem, ſcilicet vota noſtra, quæ ſi perculſa ſint hoc ſpiritu, nihil à nobis fiet indecorū. Spiritus ſanctus dicitur datus, quia amor eſt primū quod datur: ideò donū eſt nomen perſonale Spiritus ſancti, & hoc donū maximè mentes noſtras ſollicitat, vt nos gratos ei rependamus. Hoc ſuo more meditatur Bernardus. *Pater vt ſeruum redimat, Filio non pareit; Filius ſemetipſum libentiſſimè tradidit; Spiritum ſanctum vterque mittit; & ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tā vehemens amor, qui pro vilibus ſarcinulis, tam pretioſas merces expendit.* Lætitia ineffabili geſtiens Bernardus, eodem ſpiritu actus quem hodie colimus, has verè gratulabundus edidit voces. *Si celebramus Sanctorum ſolemnia, quantò magis eius, à quo habuerunt vt ſancti eſſent, quotquot fuere ſancti: ſi veneramur ſanctificatos, quanto magis cōuenit ipſum ſanctificatorem honorari. Hodie eſt feſtiuitas Spiritus ſancti, quâ viſibiliter apparuit inuiſibilis; ſicut & Filius, cùm nihilominus inuiſibilis in ſe ipſo, dignatus eſt exhibere ſe in carne viſibilem: hodie Spiritus ſanctus reuelat aliquid nobis de ſe ipſo, ſicut antè aliquid de Patre, & Filio noueramus; nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna eſt, nunc, autem ex parte cognoſcimus, reliqua credimus, quæ minimè ſufficimus comprehendere.*

Pſalm. 134.

Pauſan. in Corinth.

Sicyonij noctu vento ſacrificare ſoliti.

Pierius lib. hieroglyph. 42.

S. Bern. ſerm. de Pent.

Ibidem.

Spiritus ſancti feſtum quare celebrandum.

Deum Patrem aperuit nobis, rerum omnium exordium; Filius innotuit in humanis, cùm hominibus enim conuerſatus; Spiritus ſanctus ſpirauit inſtar ſpiritus vehementis, & illuxit in die Pentecoſtes, vt ait Bernardus. *Venit tunc ſuper diſcipulos, in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicarent.* Non inanis exiuit hic illapſus, nam vt in re medica, ſpiritus diffuſi toto corpore, cient corpus, ita totum corpus Eccleſiæ hoc ſancto & Deiformi ſpiritu vegetatur. Nam etſi opera ad extra communia ſint toti Trinitati, nec vna perſona aliis inſcijs, noſtri curam agat, ſanctitas noſtra attribuitur Spiritui ſancto, per quamdam analogiam, ad æternam proceſſionem eius: nam vt ſanctitas eſt rerum quæ ad Deum ordinantur,

Bernard. ibidem.

Quos effectus ſortitur Spiritus ſanctus.

ordinantur; ita & ſpiritus ille ſacer procedens per amorem, quo amatur Deus, ideò ſanctus optimè nuncupatur: ita S. Thomas. Sed vt in re propemodum infinita, id eſt in recenſendis effectibus huius venti hæc longè latéque patens non nimium ſpatietur oratio, conſulamus ſanctum Cyprianum. O vir ſancte, quem Spiritus ſanctus adeò perculit, vt vitam hanc pertæſus nihil niſi vitæ immortalis latices iugiter anhelares; Aperi nobis eas dotes, quas homines, hoc Spiritu ſancto perciti ſortiuntur. Litauimus auditores, præſtò eſt Sanctus ſic edocens: *Spiritus ſanctus dicitur ventus, vt reſpiratio, aſpiratio, ſuſpiratio, inſpiratio, & exſpiratio à Spiritu ſancto, & cauſam habeat, & materiam, & prouentum.* O ſeriem effectuum, homine ſancto dignam! Expendamus ſingula ſigillatim.

S. Thom. 1. p. q. 15. art. 1.

Ex SS. Patribvs.

S. Cyprian. oratione de Pentecoſt. 5.

Spiritus ſancti effectus quinam ſint

Pierius hieroglyph. l. 42.

Reſpiratio vitæ cauſa eſt adeò intima, vt ſint ſynonymæ voces, viuere & reſpirare, nec aliunde Scytharum genti animus in ventum pronus, niſi quia Scythæ credidêre vitam noſtram eſſe ventum, & his Græcia contermina adſtipulata eſt, dum ventum offert nomine quod Latinis animam ſonat: ſi quidem ἄνεμος Græcis eſt ventus. Rurſus hæc vitæ, & venti ſynonymia ſacro Codice comprobatur. Enimverò Adami corpus è terra coaleſcens, non vitæ compos extitit, quin in illud Deus inſufflarit: idem enim Deus qui in ſuos diſcipulos *Inſufflauit, & dixit accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ille & Adamo inanimi. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Et vt omnigenam vitam eſſe ab hoc ſpiritu, ſtaret nobis, ſic Hebræa ſonant. Inſpirauit in faciem eius ſpiritum vitarum; nobis enim hic ſpiritus, multiplex vitæ genus impertitur. Animarum autem viuere, eſſe penes gratiam, nemo eſt qui neſciat, niſi ſit ingratus gratiæ, cuius gratiâ, gratum eſt omne cui deſipit ingratum. Audi in hoc Apoſtolum. *Gratia Dei vita æterna.* Illud autem reſpirare animarum, eſſe à Spiritu ſancto docet idem Paulus. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ex his ergo conſtans eſt hoc aſſertum, huius Spiritus ſancti deliquio, animas expirare. Rurſus reſpiratio, conſolationem clamat; vbi enim mœſtis ſolamen aliquod adfertur, dicuntur reſpirare; nonne & vox paracleti idem ſignificat, græcis enim παράκλητος perinde eſt ac conſolator; & ſupplex Eccleſia eodem titulo Sanctum hunc Spiritum hac humili prece deprecatur. *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.* Eo ſolamine diues ſæpiſſimè Bernardus, ſic reſtatur ſuas animæ cupedias. *Dulciſſimum quiddam in Deo Spiritus ſanctus eſt, benignitas Dei, & idem ipſe Deus.* Vnde Ieremias meritò inuehitur in eos, qui Deo paracleto abiurato, fucata quærunt ſolamina. Nam inquit, *Amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum:* Studeamus ergo hunc paracletum iugi obſequio demereri. In effectuum Spiritus ſancti recenſione, reſpirationem excipit aſpiratio. Nam nemo aſpirat ad ſuperna, niſi ſpiritu eum ſurſum efferente: ideo dicitur à Pſalte, ſpiritus rectus: *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Rectus autem ille, vt qui ad terrena non curuatur, & ad cœleſtia totus erigitur; vt periculum fecit Ezechiel. *Eleuauit me*

Ioan. 20.

Gen. 2.

Rnab habajiſ רוח חחיום *Spiritum vitarum.*

Rom. 6.

Rom. 5.

S. Bern. ſer. 1. de Pentec.

Spiritus ſancti dulcedo.

Ierem. 1.

Quid ſit aſpiratio.

Pſalm. 50.

Ezech. 8.

ſpiritus inter cœlum & terram. Et rotæ quas vidit idem Vates, non vehebantur ſurſum, niſi eodem ſpiritu percellente. *Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur ſequentes eum, ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* Hoc contextu ait rotas eleuatas, quia Spiritus vitæ erat in eis, quod idem eſt ac ſpiritum qui dat viuere, ſeu reſpirare, dare etiam & aſpirare. Hic effectus innotuit hodie: Eccleſia enim vt nauis ſiſtens, & littori adhæreſcens, hac aura aſpirante, ſoluit à portu, vt duceretur in altum. Etenim Apoſtoli latuerant hactenus vitæ ſuæ conſulentes, ſed vbi hæc afflauit aura, cœleſtia tantùm meditantes, obiere quæuis pericula, & vt alios ſecum ſurſum eueherent, eos imbuêre fide, gentes alluerunt aquis baptiſmatis. Demum vt conſcij forent rerum cœleſtium, nihil non exanclarunt. Nec inconcinna erit Eccleſiæ adaptatio nauis illius quam depingit Cæſar Capaccius. Eſt ea nauis vt immota, dehiſcente mari: nautæ tamen operi ſe accingunt, & explicant vela ventis, hoc titulo. Aderit mox ventvs et vnda, Eccleſiam nauem eſſe, cuius gubernator ſit Petrus, nemo inficiatur, niſi ſit extra nauem; inſtante Pentecoſte, in portu quieuit illa nauis: ſed *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes.* Quid inde? Apoſtoli in omnes orbis oras velut à portu ſoluentes, hoc ſpiritu perciti tranſmigrarunt, iuxta illud. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed vnde inſuetus ille niſus iſti naui hactenus otioſæ, vnde inſolita conamina carinæ inhærenti ſolo? Hoc ſit tibi ſatis, Adfvit mox ventvs et vnda: nam ventus ille, gratiæ imbre adeò largo Eccleſiam alluit, vt ſeſe eripiens terris, ad cœleſtia tandem, veluti velis turgidis aſpirarit.

Ezech. 1.

Ex Symbolis:

Cæſar Capaccius lib. ſymbol. lingua Ital. impreſſo.

Actor. 2.

Pſalm. 18.

Eccleſiæ Nauis.

Nec temerè Cyprianus aſpirationi ſubiecit ſuſpirationem, vt effectum tertium venti huius ſacroſancti, qui enim aſpirat ad inaſpecta ſibi, hic ſuſpirat ob aſpecta diu hæc peritura: ideo in ſymbolo prælibato coëunt ventus & vnda; ſicut & in illo verſu vatis Regij. *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* Et ventus ille dicitur Auſter in Canticis. *Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Nam Auſtrum pluuiæ ſubſequuntur: Vnde & dicitur Notus, & Græcè νότος à voce νότις, quæ humorem ſignificat. Vide aſpirationem ſuſpirationi præire, exemplo Bernardi. *Tuliſti me, Domine, de domo patris mei & de tabernaculis peccatorum, & inſpiraſti mihi vt ſequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium ſemitam rectam, commorantium inter lilia caſtitatis, & tecum diſcumbentium in cœnaculo altiſſimæ paupertatis, & ego tot beneficiorum ingratus, multa commiſi illicita, & vbi ego peccator emendare debui peccata, peccatis peccata addidi. Heu me de quanto bono in quantum malum cecidi? vbi ſum, & vbi non ſum, ad quæ aſpiraui, & nunc in quibus ſuſpiro, quæſiui bona & ecce turbatio.* Quodque nouum fuit Traiani æuo, hodie eſt Eccleſiæ vernaculum, ſcilicet eo Imperatore moderatore rerum, crebra ventorum flabra concuſſere Antiochiam, vbi hiante terra, noui fontes illic eruperunt, & montes demiſſi

Quid ſit ſuſpiratio.

Pſalm. 147.

Cant. 4.

S. Bern.

Ex Historia.

Dio. in Traiano & id. ann. 111.

Antiochia concuſſa ventis.

ſunt ſolo tenus, vt authnr eſt Dio. Ita & Spiritu ſancto ciente aliquem, lachrymæ emergunt, deprimitur typhus omnis ille quo turgebat,& in nouum virtutis habitum,quiſquis ille eſt, adoleſcit. Ventos & lachrymas alternantes ſenſit ille, qui viciſſitudinem hanc expertus ait: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.*

Pſalm.118.
S.Bern in ſerm.ſuper Salue Regina.

Eamdem experiri ſortem eos, qui aſpirant ad cœleſtia, vult Bernardus. *Cogitantem quod patrem offenderis, eſt certè quòd pudeat, etſi non quod terreat; ipſe quidem patrem ſin exhibuit ſe tibi, ſed non tu illi æquè filium, qua fronte attollis iam oculos ad vultum patris tam boni,tam malus filius? Pudeat indigna geſſiſſe genere tuo, pudeat tanto patri vixiſſe degenerem: Exitus aquarum deducant oculi tui, operiat confuſio faciem tuam, vultum tuum pudor ſuffundat, occupetque caligo, deficiat in dolore vita tua, & anni tui in gemitibus.* Infœcundæ non ſunt hæ lachrymæ, quarum præludia ſunt crebra ſuſpiria; nam gemitus hi quia non elingues, litant & exorant, idqne Paulo teſte:

Rom.8.

Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid autem gemituum triſtia flabra vehant, inſinuat quartus effectus ſcilicet inſpiratio; nam abiurato ſpiritu nequam, nouum induimus hominem, vtique ſimilem Chriſto, dum cælitus inſpiramur. Id aſſerit Paulus.

Rom.8.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei. Et Chriſti Ioannes Baptiſta præambulo, ea teſſera Spiritus ſancti, Chriſtum in humanis nouit eſſe filium Deo ſatum; ait enim ipſe

Ioan.8.

Ioannes audiiſſe deſuper hanc vocem. *Super quem videris ſpiritum deſcendentem; & manentem ſuper eum,hic eſt, & ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Liquet ex his Spiritus ſancti commercium, homiues inſpirando conſecrare.

Ex Historia.
Theophanes. in Annal. & Cedrenus præſtigia Mahometis habens ſub ann. 630.
Mahometis induſtria vt coleretur.

Mahometem non latuit apotheoſis illa, quâ homines in Deos ſe componunt, dignati afflatu Spiritus ſancti; ille enim deſertor, & refuga omnigenæ pietatis, columbam edocuit, vt hoc lucifuga viſo, aduolaret, humeris inſideret,& roſtro vellicaret aures, quod vbi aduertit credula plebs, arbitrata eſt,hominem cui Spiritus ſanctus adeò frequens eſſet, non eſſe eiuſdem generis cum vulgo, atque ita hoc cum columba ficto colloquio, Turca Deum in Mahomete ſuboleuit. Sed apage hoc hominis impij delirium: in confeſſo eſt apud omnes,

Ezech.1.
Iudic.15.

Spiritu ſancto impulſore, maxima quæque edi facinora; impellit autem cùm inſpirat. Audi quo œſtro ciebantur animalia præoſtenſa Ezechieli: *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Sed vt res iſta, velut in plano ſit aperta, Samſonis hiſtoriam,vt ſpecimen opis, quam influit ſpiritus ille ſacer, ex parte meditemur. Viri Iuda Samſonem vinctum duxerunt aliquando tradendum Philiſtæis: ſed ex ſcriptura Iudicum: *Cum Philiſtiim vociferantes occurriſſent ei,irruit Spiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi; ita vincula quibus ligatus erat,diſſipata ſunt & ſoluta, inuentamque maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* In hunc textum & nos ſcholiaſtæ vices obeamus. Ex Dauide, noxij omnes actus ſunt vincula;

Pſalm.118.

ſic enim fatur. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* His veluti manicis atque compedibus præpediti, addicimur hoſti, videlicet Angelo hominum oſori teterrimo, præcipites nos dæmon agit in ruinam: ſed Deo miſerante iniquum hominis ſtatum,irruit ſpiritus Domini in hominem hunc irretitum ſuis pluribus noxis,& illicò inſpirationis ſubitæ beneficio, vincula diſſoluuntur. In propatulo ſunt viri plerique pij,aliàs impij, & veluti ſues Epicuri de grege: vnde iſta Metaſtaſis, & rerum adeò diſſitarum mira viciſſitudo? Aperiat ille qui præſcit. *Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, à Domino factum eſt*

Pſalm.117.

iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Velut maius, irruit Spiritus Domini, in noxiis actibus vinctos obſtrictos, & hac aura afflante, ſunt compedes protinus expediti.

S.Bern.ſer.1. de Pentec.
Spiritus ſancti effectus.

Fauet præfatis ex mea penuria Bernardus ſuo ditiore penu. Sic latè ſe effundens. *Ad faciendum bonum,quod ſpiritus bonus operatur, profectè monet,& mouet,& docet; monet memoriam,rationem docet, mouet voluntatem; in his enim tribus tota conſiſtit anima, memoria ſuggerit bona in cogitationibus ſanctis, atque ita ignauiam noſtram, torporemque repellit; propterea quoties huiuſmodo ſuggeſtionem boni ſenſeris in corde tuo, da honorem Deo,& age reuerentiam Spiritui ſancto, cuius vox ſonat in auribus tuis; ipſe namque eſt qui loquitur iuſtitiam. Et in Euangelio habes,quia ille ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, & aduerte quid promiſerit. Ille docebit vos omnia: dixeram enim quod docet rationem; multi ſiquidem monentur vt benè faciant, ſed minimè ſciunt quid agendum ſit,niſi adſit denuo gratia Spiritus ſancti, vt quam inſpirat cogitationem,doceat in opus proferre,ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Itaque cùm ſic adueniens ſpiritus totam poſſederit animam, ſuggerendo,inſtituendo,afficiendo,loquens ſemper in noſtris cogitationibus, vt audiamus & nos, quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans,voluntatem inflammans, non tibi videtur, quia totam domum impleuerunt diſpertitæ linguæ; nam in his tribus dictum eſt,animã conſiſtere totam.*

Hi effectus Spiritus ſancti, quos habet Cyprianus,deſinunt,& expirant in expiratione; ait enim dotem vltimam,quam ſpiritus ille impertit animæ,eſſe expirationem, id eſt animam habere ab hac aura ſancta,quòd expiret. Expirare autem eſt,exhalare ſpiritum,qui in ſinuoſis præcordiorum cæcis anfractibus, plus æquo feruens, pulmoni ingratus eſt, quem ideo cogit anhelare. Heu quot reprobos ſpiritus ebibimus, qui imis præcordiis alte deliteſcunt? quot libido prauos habitus inolitos inſpirauit nobis? quoties ambitio nobis, velut aura virulenta & peſtilens afflauit? quamdiu ſpiritus ille felleus ſpirans odia & vindictam inſpirauit nobis, inferre malum, pro rependenda vice eis, quos aliquo diſpendio emergente, fuiſſe nobis iniurios arbitramur? Spiritus illi nequam, nobis conſciis ſi degant adhuc in valuulis pectoris ægri, illud inficient, voca & inuoca,ò reprobe,ſpiritum, cuius afflatu quælibet aura lethalis exeritur. Puer Sunamitidis febrili

4.Reg.4.

ſpiritu decedens, non reuixit, quin Eliſæus ſuo communicato ſeu inſpirato ſpiritu, nouum ſpiritum ingeſſerit, quo ſuſcepto, ore patulo oſcitans febrilem ſpiritum, quo ante perierat puer expirauit: ſi inſcius es orationis fundendæ,ad hoc vt ſpiritus hic cœleſtis aſpiret,emendica à Propheta ſupplex eius orandi ritum; erit tibi propitius Ezechiel, qui vt campum vidit cadauere multo ſatum, miſeratus oſſa arentia,

Ezechiel.37.

ſic

-ſic orauit : *A quatuor ventis veni ſpiritus & inſuffla ſuper interfectos iſtos,& reuiuiſcant.* O prodigium,non fuit inane votum;ait enim *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt , ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis.* Dignaberis & tu vita,effectumque ſimilem eadem prece ſortieris. Annuit & Pſaltes. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.* Quidquid enim lethale eſt expirat,flante hoc ſpiritu ſic viuaci; aſpira , ſuſpira , vt inſpires , & demum mortiferum omne expires: dic ergo , non tam ore quàm corde patulo : *Veni ſpiritus à quatuor ventis & inſuffla ſuper interfectos iſtos.* Perierunt oculi, fœdis aſpectibus; periit tactus turpibus illecebris; os defecit turpiloquio , atque periuriis ; & aures intentæ illicitis , multiplex toxicum ebiberunt : inſuffla ſuper interfectos iſtos ſenſus meos, vt vel hac aura vitali reſpirent. Aderit mox ventus & vnda, reuiuiſcent in te ea quæ fuerant ante paſſa deliquium, & dabunt nomen ſuum Chriſto ſenſus tui , profeſſuri militiam quam exercent omnes qui militant Eccleſiæ , quæ eſt terribilis , vt caſtrorum acies ordinata.

Pſalm. 103.

Alium adhuc patiunt ſenſum expiratio,mortem enim aliquando ſonat : vnde & morientes dicimus expirare , & hic ſenſus benè quadrat Spiritui ſancto. Nam vt Auſter calidus & humidus diſſoluit carnes ; & corpori iniurius, facit illud ſæpe morti obnoxium : ita & Auſter ille ſanctus , offenſus eſt carni ſeu voluptati. Hoc enim ſpiritu corpora diſſoluuntur. Author eſt Paulus , *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis , ſi ſecundum carnem vixeritis , moriemini.* Ita & hi qui vitam agunt , ab omni labe defæcatam quam vulgo vitam ſpiritalem vocant , pingui dialecto dicuntur etiam mortificati , carne tenus : id eſt abhorrent à fœtidis, ſcilicet venereis , nauſeant ad gulæ cupedias, & veluti ſuam exoſi carnem , ſpiritui tantùm vacant ; quippe ſpiritus & caro quia non concordant, ita & neque coaleſcunt. Videre eſt inhabitantem hunc ſpiritum ſuas enarrare dotes, eas propalante vnâ virgine innoxiâ, ſcilicet ſanctâ Luciâ,quæ ait Paſchaſio ; *Caſtè & piè viuentes templum ſunt Spiritus ſancti.* Quaſi diceret, ſicut in templis non viſuntur animalium carnes, niſi ſubactæ gladio ſacerdotum : ita & hi morte morali plectunt carnem ſuam , quos in templum ſanctus Spiritus ſibi mancipauit. Adiecit hæc ſancta Virgo & holocauſtum fidei, verba ſancta non deeſſe eis , quibus ſanctus Spiritus afflauerit ; nam ad hoc diſpertitæ linguæ vento immiſtæ viſæ ſunt Apoſtolis , vt reſcirent inde Chriſtum omni lingua prædicandum. Nimirum ex Philoſophia verbum mentis non explicatur , niſi beneficio linguæ; & vt ſpiritus cientes totum corpus , naturam ſuam bonam , ſeu prauam inuunt linguæ , quæ ſua tinctura clamat corpus, ægrum ſiue ſanum; ita & quiſque , pius , aut noxius , loquelâ ſuâ omnibus aperitur. Sed quid in Africa totſimus Cyprianum , vt Spiritus ſancti vberes effectus penderet auriloquio ſuo , taceant omnes , non erit elinguis tamen iſta felicitas , nam & diſpertitæ linguæ clamant, Spiritus ſancti varia eſſe chariſmata ; quæ ſi interprete deficiente latent cupidos eius notitiæ , ſunt conſulenda duntaxat , mente perſpicaci abdita myſteria nomine Pentecoſtes. Græciſat iſtud vocabulum nam πεντηκοστὴ ἡμέρα,idem eſt ac quinquageſima dies : hodie igitur aſpirauit hæc aura, & illuxit ille ignis, quinquagenarium ſibi numerum vendicans , quo ſe propitium myſticè proderet hominibus. Etenim annus Iubilæi cadens in hunc numerum , illum fecit remiſſionis & indulgentiæ typum : ſi igitur ſciſcitaris quid ſit Pentecoſtes , dico amniſtiæ legem expunctionem retroactæ vitæ , & ſanctiones igneas ſeu amore feruidas , hoc nomine promulgari.

Auſter calidus & humidus.

Rom. 8.

Surius in vita ſancta Luciæ.

Luciæ virginis effatū de caſtitate.

Pentecoſtes quid ſignificet.

Ne multitudo tricas ingerat , diſpeſcamus ſingula ordine quæque ſuo. Iudæi anno tedeunte quinquageſimo , ſtatuto quintuplici erant obnoxij. Primò captiui manumittebantur , à quauis expediti ſeruitute. Et hoc abundè præſtat Spiritus diei Pentecoſtes, vt ait Apoſtolus : *Lex ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.* Vt ergo ſeruire peccato deterius eſt quàm hominibus ſubdi , amplior eſt libertas, quam ſpiritus impertitur. Rurſus anno Iubilæi, diluebatur gratis omne æs alienum debito contractum ; nec ante Iubilæum ſtipulata ſtabant. Sed audi quid dignius , *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Spiritus autem charitas eſt , & hoc ſpiritu , peccata quibus iuſtitiæ Dei deuinciebamur, & quæ luere oportebat pœna perenni , vno Spiritus ſancti illapſu omnimodè relaxantur. Item quos perpetrati facinoris alicuius enorme piaculum , fecerat extorres ; illi anno Iubilæi , exilio ſuo faciebant modum , reduces in natale ſolum : & hoc præſtat aura cœleſtis diei Pentecoſtes , ipſo aſſertore Dauide in Pſalmo : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Hi namque quos acta facinoroſa alienos à cœlo faciunt , donantur tamen iure cœli , ſi hoc ſpiritu percelluntur. Quartò exhæredes , qui hereditate ſua ceciderant,facultatum paſſi generale diſpendium , anno illo ſalutari faciebant ſua , ea omnia quæ ceſſerant in ius alienum. Pulſi fueramus cœlo, veluti degeneres, nulla affulgebat ſpes repedandi ad propria, ſed ; *Cum complerentur dies Pentecoſtes , factus eſt repentè de cœlo ſonus , tanquam ſpiritus vehementis.* Vt vel hinc reſciret homo ſe in cœlum vnde hæc afflabat aura , beneficio eiuſdem ſpiritus euehendum. Demum quos fecerat ſors iniqua mancipia, hi excuſſo iugo ſeruituris,anno Iubilæi erant ſui iuris;nullius enim præpedire libertatem erat fas,tempore quo laxa fiebant omnia : die Pentecoſtes Spiritus Domini irruens in fideles ſoluit vincula Iudaïcæ legis , adſcribens eos in libertatem Eccleſiæ , vt ait Apoſtolus : *Vbi ſpiritus , ibi libertas.* Etenim homines actos hoc ſpiritu , peccata neſciunt irretire.

Rom. 8.

1. Petr. 4.

Pſalm. 142.

Actor. 1.
Ioan. 3.

1. Cor. 1.

Seneca agnoſcit multiplices vſus venti. Primò peſtilens aër diluitur crebris ventorum flabris , ſiquidem aër vento diſcuſſus exuit omne contagium. Chriſtus inſufflans in ſuos diſcipulos ait : *Accipite Spiritum ſanctum , quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis.* Quaſi diceret , ſi quis contagio noxæ lethalis , incurrit in vitæ diſcrimen , ſuccurrite propitij , hoc quem inſpiraui vento , nimirum exceptus hic ſpiritus omne toxicum expiabit. Beneficio venti,diſſitæ a ſe inuicem plagæ , quas diſpeſcunt aquarum diuortia , ſuas communicant gazas,dum vectæ nauigio merces exoticæ proſtant orbe toto ; ita & quidquid cœlo toto diffunditur eximium , quidquid in Angelorum rutilo

Seneca lib. quaſt. natur.

Ioan 20.
Ventorum commoda.

cœtu eſt coruſcum, quidquid eminet ſurſum, id totum, Spiritu ſancto quatiente cœlos, largo chariſmatum profluuio terras inundauit. Porro ritus omnis quo quæque piacula diluebantur olim, Spiritui ſancto quadrat, penes quem eſt gratiæ tota congeries. Maroni tria viſa ſunt idonea, quibus defæcantur animæ, aliqua peccati illuuie ſordidæ; nimirum aqua, ventus, & ignis; eo enim fictore Vate, Anchiſes Æneæ oſtendit animas, aquarum, ignis, & ventorum examini ſubiacere.

Æneid. 6. Purgatorij mentio apud gentiles.

—— Animæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliæ ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Igitur, cum ignis, aquarum, & venti typo ſpiritus hic efferatur, dicitur enim fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritus; quis hunc ſpiritum peccata expungere poterit inficiari?

Deſiderare S. Spiritum eſt præludiũ influctus eius. *Pſalm. 118.*

Parum eſt docuiſſe cenſum, quo ditescit anima dignata hoc Spiritu ſancto, ſi non aperio, quænam ſint illa ſpiracula, quibus afflat aura hæc cœleſtis. Fides ſit penes Pſaltem quem illa ventilauit aura, quam ſe ſic ait ebibiſſe: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.* Quaſi diceret, primum quod explere oportet, vt aſpiret hic ſpiritus, eſſe apertionem oris, id eſt, eſſe in Spiritum ſanctum deſiderijs & votis omnibus anhelandum. Vt enim ore patente dum hiant homines, venti magnos ebibunt hauſtus; ita & hi qui multi ſunt & frequentes in deſiderando ſuperno hoc afflatu, tandem compotes voti fiunt, vt ſeoſit prouentu magno præfatus Vates, cuius fuſæ, vtique crebro, preces fuere præſidia ſpiritus eius, qui Regem hunc poſtea pietate conſpicuum obumbrauit. Audi ſpirantem & anhelum, litantem huic ſpiritui: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Nonne & Daniel quia vir deſideriorum erat, ſpiritus Angelici afflatum demeruit.

Pſalm. 50. *Daniel. 9.*

Votis his præuiis collimantibus in ſanctum Spiritum, debet ſe huius auræ candidatus accingere ad extirpandum omne contrarium Spiritui ſancto: nulla namque eſt conuentio Dei & Belial, peccati & gratiæ, & hoc modo ſancti Spiritus illapſum meruit Olympius Tribunus, qui idolorum cultui addictus, pertæſus hunc ritum gentilium, petijt à Sempronio martyre, qua ratione poſſet fidei myſterijs inaugurari. Cui ille, ô Olympi Tribune, ſi Domini IESV ſpiras obſequia, abdica prius omnia ſimulachra, nec oculos fallat auri ſpecies, quâ rutilant idola quæque; ſunt enim illa duntaxat ludibria oculorum, nec mica ſalis ineſt eis; ſunt metallum ſicut inanime, ita & impotens; Deum cole, qui ſpiritus eſt, vtique viuax, & qui eos quos perculit ſemel, dignatur vitâ neſciturâ finem; quod præſtare nequeunt hæc tua ſimulachra. Sempronio morem gerit Olympius, & ſuada fide, ſuos conterit fictiles Deos. Dum autem intenderet egregio illi facinori & in fruſta minueret hos fruſtra Deos. Vox hæc ei cœlitus inſonuit. Requieſcet in te ſpiritus meus. Fac & tu ſimiliter; peſſum eant ſimulachra, id eſt peccata omnia quibus obſequeris: idola tua ſunt fœminæ adulteræ, quibus adoles vota tua; ſimulachra aurea tibi ſunt opes malis artibus acquiſitæ. Peſſum ibunt hæc idola, ſi frugi vixeris, & requieſcet in te ſpiritus ille ſacer, qui bonorum omnium agmen ſecum vehit.

Olympij Tribuni cõuerſio.

EX HISTORIA. *Baron. in annalib. ſub ann. 259. Ex Actis S. Stephani Pap.*

Nota, dæmonis aſtutiam vt S. Spiritum expellat.

Sed aduerte dæmonis lethalem hominibus aſtutiam. Vt vidit olim ille ſycophanta, gentiles factos ritus Chriſtiani, & omnia eis propitia eſſe Byzantij, quò ſe contulerat Conſtantinus Imperator, & ipſe neophytus; dæmon fidelium oſor acerrimus, acuit in eos ſtylum philoſophi Sopatrj, qui etiam aggreſſus eſt rem hactenus nouam, vt in Chriſtianos velut effuſa bile tota deſæuiret. Vidit ille Auſtro flante vehi frumenta Byzantium, magicis artibus Auſtrum illo compeſcuit, reique frumentariæ ſummam peperit illic inopiam, quod vt compertum eſt Conſtantino, illum vindice ſecuri tulit de medio. Scit dæmon Spiritum ſanctum ferre nos in frumentum electorum, ſcilicet in Euchariſtiam, adigit nos ad peccandum, vt deſerat nos hic Auſter frumenta vehens, & ſic pereamus inediâ, vt hoc opimô pane minimè ſaginati. Nonne & eiuſdem Angeli deſertoris aſſecla fuit ille Paſchaſius, qui aduertens Virginem Luciam Spiritu ſancto percitam, eſſe Heroinam ſuperiorem ipſis ſuppliciis, eam eſt ſic affatus. *Iubebo te duci ad lupanar, vt te deſerat Spiritus ſanctus; at illa, ſi inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Ne igitur, homo, graueris pati dæmonum tentamina; haud eſt iuris noſtri, non ſentire, ſed noſtrum eſt minimè conſentire. Vide ergo an ſit in te Spiritus ſanctus, & ſi indigus es huius auræ, ſcito te ductum ad lupanar, aut aliò, vbi grauiter deliquiſti. Ex Geneſi Deus ait: *Non remanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Quid quereris, eſſe à te alienum hunc Spiritum ſanctum? Caro es, ô fœtide, caro es, & vtique membrum pellicis infidæ, caro es, ô mancipium ventris, caro es, anima ſuilla, Epicuri de grege. Vide ea quæ te fata manent, Authore Regio Vate: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Ne igitur querulus inueſtiges, quare crebris defectibus gratiæ Dei patiare deliquia, ſpiritus euanuit, emergente lethali noxa; ideo latens abibis in lutum, niſi occurrens morti audias Ezechielem: *Oſſa arida audite verbum Dei, ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis.* Etenim, ô reprobi, ſi morem geritis verbo Dei, Spiritus ſanctus illico veſtris mentibus illabetur. FIAT.

Eunapius lib. de vitis Philoſophor.

Geneſ. 6.

Pſalm. 103.

Ezech. 37.

TRACTA

TRACTATVS SECVNDVS *DE* EVCHARISTIA,

CVIVS MATERIÆ OMNES MORALITER expenduntur omnium Scientiarum ſyntagmate.

ACCESSERVNT OCTO HOMILIÆ de inſtitutione Euchariſtiæ,

MVLTIPLICI SCIENTIA POLYMITÆ, VERSANTES tropologicè eum ritum, quo ſe Chriſtus accinxit ad ſacroſanctum illud Sacramentum inſtituendum.

DEO INVOLVCRIS SPECIERVM in Euchariſtia abſcondito.

VOTVM.

VOLVMINIS huiuſce mei primo niſu ſeu tractatu me totum feci tibi ſacrum, DEVS ABSCONDITE: hoc altero meo conamine, operiſque mei tractu, nequeo quidpiam citra piaculum adiicere, alioquin omnia tibi tunc addicens, priſco illo meo obſequio, ementitus eſſem holocauſtum, ſi quidpiam in alios vſus mihi te inſcio reſeruaſſem. Non hîc igitur adſto, vt feram tibi aliquos cenſus, ſed vt à te referam nouas dotes, quibus & litare tibi denuo poſſim. Verba aperta emendico, quibus te VERBVM OPERTVM in Euchariſtia poſſim aperire, ne lector incurrens in hanc operis mei contexturam, impingat in tenebtas, quas offendit gens Hebræa in dedicatione templi Salomonis, vbi non poterant ipſi Sacerdotes miniſtrare, propter nebulam.

Ingredior campum, qui multos meſſores exercuit, ſcilicet Euchariſtiæ tractatum, vnde manipuli opimi quotannis exurgunt: Sed eſto plerique authotes meſſuerint in hoc agro Booz; ego velut alienigena, ſicut & Ruth, inueni ſpicas pleraſque & vberes, quæ fugêre manus metentium, quas in Eccleſiæ tuæ horreum, O PATER-FAMILIAS, inferre me accingens efflagito claues, id eſt opem tuam, vt expurgato hoc ſe[illegible]ine, & frumento electorum, à germine alieno, me fidelem fuiſſe probe[illegible]i reddenda ſegete vberrima agri huius, quem Tractatus hic ſuſcipit ex[illegible]lendum.

TRACTATVS SECVNDVS, DE

EVCHARISTIA.

ARGVMENTVM TRACTATVS.

IPSA vox Euchariſtiæ bonam gratiam ſonat; vt ergo in re adeò grata nihil ſit hiulcum & ingratum, nec aliquæ lacunæ defectum clament, omnes aggredior materias in hoc argumento cuiuis optabiles, ſiue doctrinam, & controuerſiam ſpectes, aut pietatem mediteris, vel denique rerum exquiſitarum auidus, hiſtorias ſelectas & hactenus illibatas inueſtiges. Ad hoc vberius exequendum, Euangelio diei feſti ſuperaddidi nouem verſiculos, præfatum Euangelium anteeuntes, ſicque textus vberior expenſus moraliter ad multas ſectiones titulos amplos ſuppeditans, viam aperiet ad terram ſacerdotalem, ex qua frumenti electorum ſegetes copioſas, fideli & ingenioſa falce demetemus.

TEXTVS EVANGELII.

1. QVI credit in me, habet vitam æternam. 2. Ego ſum panis vitæ. 3. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. 4. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. 5. Litigabant ergo Iudæi. 6. Ad inuicem dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum. 7. Dixit ergo eis IESVS, Amen, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 8. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, 9. in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me, &c.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

1. *EVchariſtia eſt panis filiorum, & non canum, id eſt infidelium.*

2. Ideóque dicitur panis vitæ, ſcilicet fidei, nam iuſtus ex fide viuit.

3. Qua fide fideles animati, hoc pane vegetantur, alio planè modo quàm Iudæi manna paſti.

4. Quippe adeò ſuculentus eſt ille panis, vt faciat ſuos edaces æternos.

5. Quidquid ſecus grunniant Epicuri de grege ſues heretici, quorum eſt litigare.

6. Dicendo. Quomodo? Dum autem neſciunt modum, in petendo. Quomodo, litigant ad inuicem circa hoc ſacramentum. Sui litigij atque diſcordiæ gladius, orbis penè vniuerſi concordiam diſpeſcentes, dum ſicut à Deo, ita & à ſuis Principibus deficiunt perduelles.

7. Litigij adhuc ærumnas patiuntur infideles opere, etſi fideles ore tenus, quando menſæ accumbunt ſacræ, lethali alicui noxa obnoxij, & præſertim litigio cum proximo: hos Deo infideles, conſcientia diſcors ſynderesi litigante, ſemper exagitat; fideles verò ſecus, vt concordes, id eſt vnius cum Deo & proximo cordis & animæ, pax ſumma manet, & vita mortis expers: nempe caro Dei, mortis neſcia, ſuis ſuam epulonibus vitam impertit.

8. Si tamen ſtomacho repurgato, illa caro recondatur, alioquin non eſt verè cibus, ſed toxicum. Principibus verò partibus id eſt ſtomacho, & Hepate valentibus, vt ſequitur aliti & alimenti viuax aſſimilatio; ita intellectu, & voluntate coeuntibus ad Dei obſequium, ſumma Dei ſubeſt vnio cum anima, hac eſcâ Deiparâ ſaginatâ.

9. Nimirum Euchymus ille cibus, & opimus, toto corpore diffuſus, omnes hominis vſquequaque regiones alluit & vegetat, vitam homini inſpirans, quam à Deo Patre Chriſtus homo habet in ſe deriuatam.

FIDES

FIDES VT NITIDVM IVBAR, prima debet elucere ei, qui vult fieri compos Euchariſtiæ.

In hac verba:

Qui credit in me, habet vitam æternam. *Ioan. 6.*

Sectio Prima.

Ex Philoſophia: OMnibus inſitum eſt ſcientiis, inniti quibuſdam principiis, quæ adeò fixa & rata ſunt, vt contra negantem talia principia, diſputare nefas ſit; vnde oculis cum auribus de nobilitate diſputantibus ad Mineruæ tribunal, illa primas auribus adiudicauit, vt quæ eſſent patulæ fores, quibus ſe ſcientiarum chorus mentibus inſinuat. Etenim cuiuſuis ſcientiæ profeſſores, non oculorum indaginem quærunt à ſuis diſcipulis, vt ſecreta rimentur, ſed aures peruias ad theoremata quæuis excipienda.

Ariſt. lib. 1. Phyſic. Hoc inſinuauit callidè Ariſtoteles Alexandro, quem ſcientiis cultioribus ſuſceperat imbuendum; ſiquidem animum diſcipuli volens conciliare ſibi, in limine ipſo ſuæ Philoſophiæ naturalis, titulum præfixit operi reuerentia plenum, Philoſophiæ primordia inſcribens *Περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, id eſt. De Phyſico auditu. Aures ſic ſibi vendicans, ad reuerentiam, dato oculis repudio, ne hactenus inuiſa ſibi vellent aſſueto ſcrutinio ſciſcitari. Ex Pythagoræ ſcholâ, fluxerat in lycæum fides habenda Prælectori, quam vt Pythagoras altius obſtringeret, quinquennij ſilentio neophytos ſuos addicebat, vt eo luſtro atque Olympiade tota taciti, ipſius dogmata exciperent; nil enim ſic ſcientiæ alicuius officit maieſtati, quàm cùm eius axiomata ſeu primæ dignitatis aſſerta, reuocantur in dubium; ſicut enim columnis valido niſu nutantibus, periſtylij moles ruat neceſſe eſt, ita & ſcientiam flocci pendi videre eſt, cuius prima principia, cuique dubia prædicare fas ſit.

1. Cor. 3. Hàc in ouile ſacrum irrepſerunt omnes planè hæreticorum Patriarchæ, diſcutientes auitæ religionis prima fundamina, & aſſerta Patrum ad ſuam trutinam infidam reuocantes, alia poſuêre fundamenta, ab eo quod Chriſtus Eccle- (Fides quid ſit.) ſiæ moli ſuppoſuit, atque ita factum eſt, vt dum aperire voluerunt fundamenta pietatis, impij euaſerint, neſcientes eſſe de ratione fundamenti, vt lateat; quò enim altius latet, eò (*Hebr. c. 11.*) ſublimius ſurgit inconcuſſa moles. Fidem autem eſſe Eccleſiæ fundamentum ait Apoſtolus. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Subſtantiam vocat, quæ ſtat ſub ædificio, rurſus quia ſtat per ſe; nam fides quæ eſt aſſenſus primæ veritatis, cognitæ per reuelationem, nulla rationum fulcra aliunde (*S. Bernard.*) emendicat, ſancto Bernardo aſſertore. *Nil eſſe tam contra rationem, quam velle ratione rationem tranſcendere.* Item ex Philoſophia, ſubſtantiæ omnes ſunt inuiſibiles, oculis enim tantùm accidentia ſunt obuia; ita & fides viſioni oppoſita, rerum non apparentium eſt argumentum: & quidem argumentum à priori, atque adeò indiſſolubile; ſtante enim prima veritate, ſcilicet Deo, fidei omnia theoremata ſacra, inde deriuata ſtabunt illibata.

Ex Ivre Canonico: *Bar. an. 863. Photij Patriarchæ nequitia.* Eamobrem in Concilio Epheſino, Eutyche, & Neſtorio condemnatis, poſtea Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, de fide malè meritus, Nicolaum Papam ſollicitans, vt denuo ad examen reuocaret quoſdam articulos antea iam exceptos vt de fide; impius inquam ille & occultus fidei deſertor exploſus eſt, anathemate mulctatus ab eodem ſummo Pontifice dicente, canonem eſſe Eccleſiæ, vt quod fidei dogma ſemel aſſertum eſt, nuſquam peſſum eat, neminique in æternum contra obſtare liceat, ipſomet Paulo atteſtante, nec eſſe ipſis Angelis adhibendam fidem, ſi à fide Eccleſiæ aliena quæpiam annuntient.

Huiuſce fidei conſtantia liquet ab ortu eius, nimirum à Deo eam infundente, qui cùm ſit ipſamet veritas, nil verum eſt niſi ea veritate, qua ſunt omnia vera, iuxta Philoſophiæ proloquium. *Primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum*; vnde ſi liceat Medicinæ, & Vraniæ ſeu Aſtrorum Matheſi, omnimodam fidem exigere, ab iis qui volunt dare nomen ſuum talibus inſtitutis: quis Deo aliquid aſſerenti, dictante fide, ibit inficias? Nemo planè niſi extorris ab Eccleſia, & Deo infidelis, quales ſunt Euchariſtiæ veritatem impugnantes. Audi ſan- (*S. Hilar. lib. 8. de Trinitate medio.*) ctum Hilarium. *Non eſt humano, aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum, quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè dicimus; ipſe enim ait, caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. De veritate carnis, & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.* Deo hanc veritatem incul- (Ex Symbolia. *Ex lib. ſymb. Acad. Altorf.* Fides excellent à ſupra rationes.) canti, quiſpiam incaſſum, lumina rationum tentabit opponere, vt ille perperam in meridie facem accenderet, lumini Solis obſuturam, quod egregio ſymbolo dixit ille, qui coruſco Soli faculam accenſam adiungebat in tabula, hoc lemmate adſcripto. Coelesti lvmine vincor. Academiæ Altorfinæ moderator, artifex huius emblematis, ſcitè hoc Laconico eloquio præmonuit, caſſas eſſe rationes à prima ratione diſſonas, & minimè congruentes, ratione dicente, Coelasti lvmine vincor.

S. Ludouici fides circa Euchariſtiâ. Beatus Ludouicus ea olim fide clarus, ſicut & regio ſtemmate conſpicuus, feſtinè vocatus ad Eccleſiam, viſurus in manu ſacerdotis infantulum, loco hoſtiæ, quæ amiſsâ ideâ panis, Chriſti infantis ſpeciem induerat. Nihil hæc ad me, ait Regius ille animus, alio lumine Chriſtum video in altari: viſu corporeo inueſtigent illum hi, qui cæcutiente fide, denſæ caligini ſunt obnoxij.

Ioan. 1. Ex SS. Patribvs. *S. Cypr. de cœna Domini.* Non aliunde panis iſte ſortitus eſt nomen panis filiorum, niſi quia filij, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, qui credentibus dedit poteſtatem filios Dei fieri. Eſſe itaque panem filiorum, eſt eſſe panem fidelium, qui hunc panem à profano non diſcernunt intuitu corporeo, ſed fidei; vt benè ſanctus Cyprianus. *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed panem ſanctum ſincera fide frangimus & diſtribuimus, dum quod diuinum, & quod eſt humanum, diſtinguimus, & ſeparamus, itemque*

ſeparata ſimul iungentes, vnum Deum, & hominem fatemur,

Surius in vita s. Baſil.

Oculo ſpiritali iſtud myſterium proſequendum, bellè ſanè inſinuant Eccleſiæ naſcentis inſtitutum, quo pixides ſacras quas Ciboria vocant, olim in Columbæ ſpeciem eſſingebant maiores noſtri, teſte ſancto Baſilio magno, vt vel ſic monitos facerent Chriſtianos, oculos habere columbarum, vt eſt in Canticis Canticorum. Columbæ quippe ſimplicitas neſcit de apertis ſibi dubitare: hac ſimplicitate carentem Eutropium ſugillat ſanctus Cyrillus. *Ἀνθρωποφαγίαν id eſt humanarum carnium eſum, myſterium noſtrum pronuntias, & irreligioſè ad craſſas cogitationes, vrges fidelium mentes, & humanis cogitationibus attentas ea tractare, quæ ſola pura & exquiſita fide accipiuntur.*

S. Cyril. ad Eu. rep.

EX HISTORIA: *Dio & Spartianus in Hadriano.*

Vt vitæ in diſcrimine poſitæ ſuccurratur, conſuluntur Hippocrates & Galenus: Medico adſtanti adeò religioſè creditur, vt Alexander munitus de lethali pharmaco ſibi à Medico propinando, maluerit ſuam ipſius vitam dubiam facere, exhauſtu poculi, quam fidem incertam exhibere Medico, cui ſe totum crediderat. Imperator item Hadrianus, licet ex turba medicorum deterior euaderet, penes eos maluit fidem ſuam reponere, quàm eâ depoſitâ ſe ipſum in meliorem frugem componere, vnde facta eſt ex nimia fide in medicos eius valetudo parcior. Hinc ſcomma in Medicos epitaphij vices gerens, tumulo Hadriani inſcriptum. *Medicorum me turba perdidit.*

Hadriani Imperatoris fides erga Medicos.

Ex eorum claſſe vnus, & is ſummus Fernelius, in morbis tot inuolucra reperit, vt librum texuerit hoc titulo. De abditis rerum cauſis, in quo omnes medicos in multis eſſe Pythonios id eſt cæcutire clamat, cùm Deo ſoli primigenios multarum ægritudinum ortus agnitos luculenter probat; quod antea Galenus affirmarat, θεῖόν τι aliquid ſubodorans eſſe diuini, in hominum temperie vitiata.

EX RA MEDICA: *Galenus.*

Nec tamen aperto vitæ diſpendio vacillat ægrotorum fides, licet potiſſimæ medicorum notiones ex ſignis plerumque æquiuocis eruantur, in quorum coniectura ſi peccatur, peccatum eſt id mortale patienti, qui inde tamen licet ex fide moriatur, martyrij non aſſequitur palmam. Crimine ab vno diſce omnes Medicorum techinas ex malè coniecta ægritudine. Decubuit quidam adoleſcens inquit Galenus πικρόχολος ἄνω, id eſt bilem euomens affatim, & ventriculo male affecto ſæua patiens ſymptomata: multis Phyſicis aduocatis ſæuiebat morbus, quippe ei ſatagentes euacuare bilem catharticis, hepar accendebant, omne enim purgans pharmacum eſt calidum; ſicque fiebat incrementum morbi, ex remedijs perperam applicatis. Rebus deſperatis, rei ſumma defertur ad Galenum, qui hepate reſtituto refrigerantibus, eum vitæ reſtituit, quem alij morti propè non addixerant.

Medici ſæpe falluntur in iudicio morborum.

Fernel. in pathologia.

Rurſus ex eadem diſciplina, vnus idem colicus dolor acutiſſimus, ex diſpari cauſa, vt plurimum capit exordium; à frigido videlicet phlegmate, renes alluente aut à bile in eadem regione renum æſtuante. Hallucinans Medicus in ſignis pathognomicis remedia fortaſſe diſpathica ſanitati præſcribet, & ſic extinguet decumbentem, nec ſic alij ſuperſtites ægri, de medici fide ſolliciti, ab ea deficient. Et Deo Domino rerum, neſciente falli, nec fallere, dicente Euchariſtiam eſſe panem vitæ, tabulæ viles, atque nihili infideles credere cunctabuntur.

EX MATHEMATICA.

Mirum quo faſtu Aſtrologia rationum impatiens, velit excipi à ſuis allectis futilia omnia iudicia ſua: nam nulla ſcriptura ſuffragante, vani illi omnes ex ſchemate cœli coniectores, ita conſulentibus imponent, vt eis quaſi ex tripode loquentibus, credatur à pluribus non tam ratione ductis, quàm oratione, & perſuaſione ſibi facta, vera eſſe quæ ab cœlorum inſpectoribus illis efferuntur: eoque veſaniæ deuentum eſt, vt ſicut Augures, qui fauſta omnia prædixerant fore Pompeio, in Cæſarem arma meditanti, ſeipſos deinum ſubſannabant credulo eis Duce profligato; ita & iam præſtigiis ſuis alios Aſtrologi dementantes, in ſe ipſos idem ſycophantæ debacchentur. Vt videre eſt apud Originum hoc æuo magni nominis Aſtrologum, qui elatum in eodem agone Ioannem Stofflerum ſcribit præbuiſſe ſe toti Germaniæ ridiculum, ementito præſagio. Nimirum Stofflerus peritus in Ephemeridum contextura, planetas omnes in ſchematis vno angulo deprehendens adunatos, ex ea coniunctione diluuium ſubodorans, proceres Germaniæ monuit, de mutanda ſede, donec aquarum futuri vortices inclinati, & ſiccati, priſtinum redderent incolatum. Multi Stofflero creduli ſe ſe receperunt ad præalta montium iuga, tempus præfatum ſecuri præſtolantes; ſed die ſignata à Stofflero elapſa, ſereno cœlo, non inane omnino de diluuio iudicium eſſe oſtendit; nam vel ſic Aſtrologi cerebrum deliraſſe & defluxiſſe patefecit. Quidquid adhuc hodie mentiantur huius farinæ circumambulones, Eccleſia in nebulones illos reclamante, & cenſuris inuehente, plerique nihilominus quaſi præpediti, in pſeudouatum illorum abeunt ſententiam. Fides noſtra Euchariſtiæ præſtita, non deliriis iuncta timet ſubſannari, Petro Apoſtolo inculcante rationem. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies elucèſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Et Pſalte præcinente. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Qua lucerna eumdem Chriſtum videmus in Eccleſia militante, in quem Angeli deſiderant proſpicere in Eccleſia triumphante? vt benè vni ex deuotis ſuis aſſeruit ſancta Thereſia adſcripta cœlicolis. Beata illa anima erepta ſolo, & cœlo capta, cuidam cœlos æſtu feruido cupienti, ait apparens præfulgida. Quid ſuſpiras anima Deo grata? quid de vultu Dei anxia fatigaris? quem quotidie frueris eum merito, illuceſcente fide; nos aliam Dei faciem non videmus, quàm quæ eſt in hoſtia, lumine tantùm differimus, lumen gloriæ nobis infuſum, lumen eſt felicitatis, ſed fidei lumen eſt virtutis.

Cicero de diuinatione.

Dauid. Orig. in Iſagoge. Stoffleri delirium de diluuio inſtante.

1. Petr. 1.

Pſalm. 118.

Ex Hiſtoria. *Ex vita ſancta Thereſ.* S. Thereſiæ reuelatio de Euchariſtia.

Sed inquies, quare Deus in Euchariſtia ſe abdidit ſpecierum inuolucris, nulla ad fidei ſolamen deitatis ideâ derelicta? An fortè hinc conſultum voluit inualidæ oculorum aciei? minimè verò: ſed vnus idemque noui inſtitutor teſtamenti qui veteris, eo ſemper ſe habet modo, quo olim præſtitit ſe Iudæis. Nimirum, *Deus eſt abſconditus. Thronus eius in columna nubis. Poſuit tenebras latibulum ſuum, nubes & caligo*

Eccleſ. 24. Pſalm. 17. Pſalm. 96.

caligo

caligo in circuitu eius. Ita vt nec Moſi vultum Dei expetenti, fas ſit aliquid Dei intueri, niſi poſteriora, id eſt, per ſpecies aliquas illi obiectas, Deum adumbrantes: videre enim Deum in creatis effectibus, eſt Deum à tergo, & à poſteriori ſpeculari. Ex hoc à nobis receſſu Dei penitiſſimo, idem præpotens opifex rerum, venerationem ſummam exigit à nobis, quam reuerenter expendimus vt tributum, dum oculos arcemus ab obrutu ſummi Dei, & ex Apoſtolo. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti.*

2. Cor. 10.

Guil. Poſtel. de moribus Turcarum.

Turcarũ reuerentia in Imperatorẽ.

Hoc honore Turcæ ſuum dignantur Imperatorem, vt ſe vidiſſe Poſtellus ſcribit, degens in Græcia: vbi enim eorum Archidynaſta ſuis ſtipatus cohortibus prodit in medium, omnibus in more poſitum eſt, oculos inclinare, & demiſſo vultu, ſublime decus humili corporis habitu venerari.

Dei imagines ex marmore nigro.

Nec adeò cæcutiit gentilitas, vt hoc ignorarit, ſcilicet Deum nobis occultum, ad hoc vt non ſit occultus, ſed apertus cultus noſter exhibitus Deitati. Marmore nigro Dei ſimulachra conſtabant vt plurimum, nigredine Dei obſcuritatem prædicante, vnde Memnon Deum ſe mentiens, ſimulachrum ſuum marmore nigro erexit. Inde Poeta:

Virg. lib. 1. Æneid.

Eoaſque acies, & nigri Memnonis arma.

Hanc Dei naturam abditam rerum omnium effectricem, cecinit obſcurè Orpheus, dicens tenebras edidiſſe lucem, id eſt, Deum tenebroſum nobis, feciſſe omnia quæ peruia ſunt noſtris obtutibus.

2. Paral. c. 7.

Hoc igitur ſtatutum eſto, Deum nobis ſpecies ſacramentales offundere, vt ſic per nebulam adoremus abditam deitatem, exemplo Hebræorum, qui in encæniis templi Salomonis, videntes denſa caligine nubis inuolui templum, venerabundi Deum odorati adorarunt. Imò & Seraphinorum acies caligans in aſpectu Dei, cultu hactenus inuiſo, eos egit vt duabus alis velarent faciem Dei, hoc ritu docentes Iſaiam Prophetam, & ſymmyſtam, Deum oculorum demiſſione coli magis quàm aſpectu, vt qui in vno oculorum ſponſæ ſauciatos, curioſos auerſetur aſpectus: & hoc firmat aſſerto Paulus. *Sine fide eſt impoſſibile placere Deo: oportet enim accedentem ad Deum credere.* Id eſt oculos deprimere, ne nimio ſplendore Dei exhauſto ſpiritu viſuali, cæcutiant. Quò enim oculus corporeus humilior, eò mentis acies acutior, inquit Bernardus. *Chriſtus tangi poteſt, ſed affectu non manu, voto non oculo, fide non ſenſibus.* Præierat iam Bernardo Auguſtinus. *Mentis humana acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, niſi per iuſtitiam fidei emendetur.* Corporis ſacri veritas, non pendet à ſenſibus, qui etiamſi res merè corporeas minimè videant, vtputa influentias cœli, quarum beneficio ſtant omnia, hoc non obſtat earum veritati.

Iſai. 6.

Hebr. 11.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. ſerm. 20. in Cant.

S. Auguſt. lib. 1. de Trin.

Ex symbolis.

Typotius lib. ſymbol.

Id ipſum fortè intendebat Philippus Spinola Cardinalis, in eo ſymbolo vbi Sol ſuas vſquequaque influentias, occultas tamen diſpenſabat, hoc titulo, NON CERNVNTVR, ET ADSVNT. Hoc lemma aptum ſanctiſſimo Sacramento, præfatis ſcitè admodum quadrat: nam ſi Dei, Veri Solis, in nubilo ſpecierum inuoluti, negas veritatem aſpectus, ſiue gratiarum benignos influxus: tibi ſit ſymbolum. NON CERNVNTVR, ET ADSVNT. Auerte ergo oculos tuos, quia qui oculo fidei videtur illuc aduolaſſe; oculo corporeo inquiſitus, videbitur illinc auolaſſe, cùm nihil inſolitum videatur in pane conſecrato, quod non præfuerit in eodem pane, dum profanus exiſteret.

Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17.

Euchariſtiæ fides.

Ex prælibatis, liquet myſterium iſtud longè alienum eſſe à ſacris Galatarum: qui pro aruſpice Philoſophum altaribus adhibebant, vt ratione, & diſcurſu, cum Diis patriis rem ageret. Euchariſtia elinguem Philoſophiam quærit: ideoque panis filiorum id eſt puerorum nuncupatur, & ſapientia quæ poſuit hanc menſam, non perſpicaces homines atque multiſcios conuiuas allicit ad epulas ſuas ſacras. Si quis (inquit) paruulus, veniat ad me, νήπιον Græcis infantolum ſonat, & particula negatiua νὴ & ἔπω dico, & infans, quaſi non fans: non linguæ ſuffragia ambit iſtud Sacramentum; cui ſufficit Herpocratis mutum eloquium, iuxta Hieronymi verſionem. *Te Deus decet ſilentium in Sion,* id eſt, in Eccleſia militante, gratiùs laudaris ore tacito, quàm patulo. Ita multis in hac materia curioſè nimis diſceptaſſe, quadrat ſcomma editum in Caraffam Cardinalem, qui de medio ſublatus eſt ob procaces in ſummum Pontificem editas voces; pinxit æmulus eius anſerem, hoc titulo. NOCVIT ESSE LOCVTVM. Anſeres enim, dum orbis plagas aquilis feraces permeant volitando, ſi ſtrepunt ſuo cantu rauco, aquilas ſic aduocant auidas prædæ; ita dum scioli plerique garriunt de hoc Sacramento, Sathanæ & aereis poteſtatibus fiunt infideles obnoxij: ſicque NOCVIT ESSE LOCVTVM.

Prou. 9.

Hieron. in Pſalm. 64.

Typotius in ſymbol.

Ammian. li. 25.

Ritum eumdem ſibi vendicat hæc menſa ſacroſancta, qualem petebat menſa Regum in Perſide, vbi ex Ammiano, pueri & hi ingenui, tacitique miniſtrabant. Vt igitur puro corpore menſa illa adeatur, ſit oculus noſter ſimplex, ex conſilio Domini IESV, & totum corpus lucidum erit. Taciti item miniſtremus, alieni ab his qui ſpecie ioci domtaxat, videntes communioni quoſdam inſtare frequentes obganniunt, & ſimulatæ pietatis inſimulant, indirectè detrahentes veritati Euchariſtiæ, quam dubiam inſuſurrant, cùm auertunt ab acceſſu animas eſurientes, quibus faſtidium ſuis volunt næniis ingerere. Eadem ſors manet eos, quæ tulit Ianum inter Turcas famoſiſſimum. Prætoriam ille cohortem, quam illi Ianiſſariorum nuncupant, excitarat ſpecie ioci in Selymum gentis illius Imperatorem: Aſt Selymus rei nouitate perculſus, animaduertit in Ianum, etſi Præfectum bello clarum, morti illum addicens, eò quòd inquit nunquam ſit in regia Maieſtate iocandum: hæc Iouius.

Iani Turcæ mors miſeranda.

Ex hiſtoria.

Paulus Iouius lib. viror illuſt. in Selymo.

Denique, vt panes propoſitionis templi Iudæorum, non apponebantur ad altare, quin candelabrum aureum accenſum multiplici lampade radiaret; ita nec Euchariſtiæ panis ſacer accipitur, niſi fidei lumine coruſcante. Nec vacat myſterio Dei præceptum de candelabro, cuius ideam expreſſit Moſi hac verborum ſerie. *Facies candelabrum ductile, de auro mundiſſimo, ac lilia ex ipſo procedentia.* Vt vel ſic intelligas Deum qui paſcitur inter lilia, paſci item ad lumina candelabri, id eſt ſacras epulas lumine fidei illuſtrari.

Exod. 25.

Clodouei Regis ſtemmata quæ.

Deus item qui futurorum præſcius eſt, Galliæ Chriſtianæ voluit prælibare decus; ea nempe quæ aurea lilia præfert in ſcuto cyaneo, pro

Regia

Regia Parma, armiſque gentilibus, habet hæc lilia procedentia ea candelabro, ſi quidem ea die qua Clodoueus Rex abiurata impietate, toti regno accendit fidei candelabrum, ſua priora inſignia abdicauit. Fuerant antea tres buſones, in memoriam gentis Francorum, quæ exordia ſua petebat à palude Mœotide; paludes autem buſonibus ſcatent. Miſſo ritu gentilitatis dimiſit buſones; vbi initiatus fuit fidei noſtræ myſteriis, ex hoc candelabro procedere lilia aurea, quæ tunc fuere inſignia regni Chriſtiani, & fidei adeò illibatæ, vt orbe toto ingemiſcente ſe Arrianum eſſe Gallia ſola hac ſue minimè ſaucia, lilia intacta prætulerit, ipſomet Hilario teſte, qui ait: Galliam ſolam neſcire monſtra, quod callidus Iulianus probè ſciens, vt Galliam ſibi deuinciret, contra Conſtantium Imperatorem Arrianum, ementita fide, catholicos amplexatus Epiſcopos, Religionis ingenuæ ſe aſſertorem fore pollicitus, Galliam ſic obſtrinxit.

Iuliani Imperatoris aſtutia.

S. Hilar. ep. ad Conſtantium ex exilio.

S. Rhemigij prædictio de duratione regni Galliæ

Imò & ipſe Rhemorum Antiſtes S. Rhemigius qui ſacro fonte alluit Clodoueum, eam dixit fore liliorum & candelabri connexionem indiuiduam, vt ſtante candelabro, ſtarent & lilia: id eſt ſtante fide, floridum & illuſtre fore regnum liliorum, & ſecus deiecto candelabro, lilia ruitura. Ludouicum Regem, & hunc ſanctum non latuit vaticinium verax; pluris enim fecit candelabrum, quàm lilia, fidei magis intentus propagandæ, quàm regni finibus ampliandis. Dicebat Rex fidelis, plus ſe debere vico Poſſiaco, quàm Regiæ Rhemorum ciuitati; licet vtrobique inunctus Chriſmate, nam ſacro baptiſmate tinctus Poſſiaci, fidei candelabrum illic acceperat; Rhemis verò vnctus in Regem, acceperat illic lilia Gallica; potiori autem beneficio, ſe Deo deuinctum, nomine Chriſtiano, quàm regio. Optimè ſanè Rex apprimè Chriſtianus.

Gallia deuota in Euchariſtiam.

Candelabri autem liliati, id eſt, fidei Gallicæ potiſſimum enituit ſplendor circa Euchariſtiam, in quam Gallorum ita zelus, & ſacer, & multus æſtuauit, vt Seraphicus Pater Franciſcus, ideò Galliam inuiſendi deſiderio maximo teneretur: adde Gallos fuiſſe primos inſtitutores concionum, quæ haberi ſolent toto ſacræ illius octauæ decurſu. Hiſpania ad pietatem prona, edocta vicinorum clade, quos hæreſis incendia vitiarunt, aditum prohibitura nouitati, oſtium aperuit amplum cultui ſacro, erga adorabile Sacramentum, ita vt concionum omnia præludia ſint à laude ſanctiſſimi Sacramenti, cuius elogio diſtinctè enuntiato, Thema concionis poſtea ſubiiciunt, omnia ſic ea myſtico candelabro conantes educere: ideoque zelum Deus ſimili miraculo hoc æuo compenſauit, quo olim antiquam Galliæ pietatem, nimirum duæ Burgundiæ duorum Regum diſtinctæ ditiones, ſingula miracula, fidei ſuæ ſignacula glorioſa habent, in ſacro theſauro recondita. Diuio hoſtiam ſacro-ſanctam ſanguine fuſo purpuream habet, quâ Deus Iudæi ſcalpro hoſtiam pungentis prodidit immane ſcelus: Dola verò inferioris Burgundiæ caput, ſicut & Diuio ſuperioris Burgundiæ, nomine Ducatus inſignis: iſta verò tantùm Comitatus nomine conſpicua. Dola inquam, hoſtiam habet ſacroſanctam ex vico Fauerneo adductam, & flammis ereptam diuinitus; cùm enim arderet Ecceſia B. V. Mariæ Fauerniaci, ordinis S. Benedicti diœceſis Biſontinæ, altari flammis circumacto, pixis argentea, quæ ea die populo fuerat expoſita; erat quippe dies Pentecoſtes 25. Maij: pixis inquam, inuiſibili ſuſpenſa manu, ſe leattollens, mediis ſtipata flammis, illæſas hoſtias in diem adhuc conſeruauit; Deo in vtraque Burgundia veritatem Euchariſtiæ igne & ſanguine propalante: ſanguine teſtante ſe illic hominem verum; ſicut & igne Deum, iuxta Prophetæ prædictum Pſalm. 96. *Ignis ante ipſum præcedet*, cuius verſiculi literas numerales ſi tu ritè texueris, exurgit annus 1608. quo anno, tale accidit ſæculis omnibus admirandum; ſunt autem literæ numerales in hoc verſu iſtæ maiuſculæ IgnIs ante IpſVM præCeDet, quæ ſi hoc pacto redigis in ordinem, MDCVIII. habes annum hoc miraculo inſignem.

Hiſpaniæ deuotio in Euchariſtia.

Diuionis pietas in Euchariſtiam

Ioan. Chiffl. in deſcript. Veſuntina curatis in ann. 1608.

Dolæ pignus ſacrũ hoſtia miraculoſa.

Euchariſtiæ realitas miraculis comprobata.

Dixi igne & ſanguine veritatem Euchariſtiæ ſtabilitam, & hoc calci ſupererat iſtius ſectionis explicandum, alioquin mutila foret, de fide circa Euchariſtiam ſuſcepta narratio, niſi ea ſuis numeris abſoluta, faceret palam ea quæ credenda ſunt tenaciter, circa venerabile Sacramentum, de quo quid ſit ex fide ſanciendum, accipe à Deo per figuram inculcante, ſub typo Agni in Paſchate immolati. Sic teatus: *Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis.* Vbi tria hæc, caput, pedes, & inteſtina, tria innuunt in hoc Sacramento deuoranda, id eſt credenda. Deuoranda ait, & feſtinanter, non autem maſticanda lentè: fidei proprium eſt omnia ſibi propoſita, ſine ſenſuum examine haurire, abſorbere, & hoc eſt deuorare; horum autem qui fidei articulos minutatim ad ſuam trutinam expendunt, & rationis ſaporem inueſtigant, proprium eſt maſticare lentè, quod nauſeantium eſt vitium, ægritudinem ſonans, arcet Deus ab hac menſa maſticantes, deuorantibus tantùm inuitatis, id eſt fidelibus, quorum ex Bernardo. *Fides recipit, quod ratio non præſumit.*

Exod. 12.

S. Bernard. de 12. gradibus humilitatis.

Tria ergo ſunt voranda videlicet caput, pedes & inteſtina, quæ tria inſinuant eſſe credenda in auguſtiſſimo Sacramento, ſcilicet Diuinitatem, corpus, & animam. Quippe tres illæ ſubſtantiæ realiter ſunt illic. Diuinitas capitis nomine ab Apoſtolo recenſetur. *Caput Chriſti Deus*: & Salomone vate. *Caput eius aurum optimum.* Nomine pedum corpus denotatur concretum ex carne & ſanguine. Inteſtina demum animam præfigurant, quæ intima cùm ſit, rebus etiam intimis coaptatur, qualia ſunt inteſtina.

1. Cor. c. 1.
Cant. c. 5.
Fides Euchariſtiæ olim adumbrata typis.

Accipe autem, quorſum iſtæ ſubſtantiæ omnes in Euchariſtia coaleſcant. Chriſtus Dominus corpus ſuum tale nobis exhibuit, quale ſubſiſtebat, alioquin non iam ſuum corpus, ſed alienum & ementitum dediſſet nobis, ſic inani dono dementatis: ſed corpus eius ſubſiſtebat hypoſtaſi verbi, verbum autem eſt Deus, inde habes duas ſubſtantias, ſcilicet corpus, & Diuinitatem; nam hypoſtaſis verbi quâ ſubſtat corpus, cum Diuinitate verbi conuertitur, ita vt ex communicatione idiomatum, ſiue proprietatum, poſſis eidem affingere ſuppoſito vtriuſque naturæ attributa: verbi gratiâ, Chriſtus eſt omnipotens creator, Deus mortuus eſt, & alia indicantia vtriuſque naturæ in eodem ſuppoſito commercium. Rurſus quia corpus

EX PHILOSOPHIA:
Ariſtot. l. 1. de anima
Budæus lib. de aſſe.

Chriſti

Chriſti erat verè corpus humanum, dicebat enim Chriſtus ſe filium hominis; forma autem corporis humani eſt anima, quam Ariſtoteles vocat actum corporis organici: dato ergo corpore, dedit illud perfectum; perfectum autem non eſt corpus hominis, niſi ab anima, quæ ideò dicitur Ariſtoteli Ἐντελέχεια id eſt perfectio: & vt Budæus opinatur, dicitur anima ab Ariſtotele Ἐντελέχεια quaſi τοῦ σώματος ἐντελοῦς συνοχή, id eſt corporis perfecti comprehenſio; dato ergo corpore perfecto, dedit illud animatum, & ecce tibi animam cum corpore & Diuinitate. Sunt tria hæc deuoranda, id eſt credenda.

Euchariſtia tres ſubſtantias cõtinet.

S. Epiph. l. de hæreſ.

Tres illæ ſubſtantiæ, præuiſa cautione inculcatæ ſunt in lege antiquata, ſub typo, præfato capitis, pedum, cum inteſtinis: præſciebat enim Deus ex Arrij, & Eutychis claſſe tartarea, ſobolem orituram, quæ trium illarum ſubſtantiarum veritatem impeteret. In his Arriani dubiam fecêre Deitatem, Chriſtum totum in ordinem, id eſt in creaturarum plagam relegantes. Antropomorphitæ, Deitatis quidem aſſertores, ſed animæ oppugnatores acerrimi, dicentes Diuinitatem animaſſe corpus aſſumptum, & geſſiſſe vices quas obit anima, noſtris infuſa corporibus: ſic corpori ſacro Chriſti formam informantem denegantes, ſcilicet animam, formam aſſiſtentem, ſcilicet diuinitatem affingebant. Baſilides & Apelles de Corpore Chriſti deliria ſomniarunt, ſicut & Manichæi phantaſticum fuiſſe Corpus Chriſti, non reale, ſacrilegi homines prædicarunt, ideamque tantùm corporis obieciſſe mundo, procaci ore blaſphemantes, plurimos hoc infideli toxico dementarunt. Sicque vides dæmonem, vt Cerberum tripicitem, in tres Euchariſtiæ ſubſtantias proteruè debacchatum: ſed canis ille ore rabido virus ſpargens: *Latrare poteſt*, inquit Auguſtinus, *ſed mordere non poteſt, niſi volentem.*

Hæreſes circa humanitatẽ Chriſti.

S. Auguſt.

Aduerſus trinam hanc impietatem prouiſum eſt à Chriſto Domino, eamet cautione quam idem Reparator hominum adhibuit Petri deliquio. Negarat Ieſum Petrus trinâ blaſphemiâ; Chriſtus poſtea rediuiuus ter eum interrogat: *Petre amas me?* Nimirum vt trinæ negationi reſponderet trina confeſſio, ita & virulentæ omnes cloacæ hæreticorum, odore tetro voluerunt inficere tres corporis Chriſti ſubſtantias. Putoribus his occurritur, fide exhibita auguſtiſſimo Sacramento; balſamum enim gratiſſimum, & oleum effuſum nomen eius. Trina confeſſio trium ſubſtantiarum occludet oſtia noſtra omnibus hæreſibus, iuxta Præcentoris Regis præſcium Pſalmum, in quo excitat ad triumphum & pæana. *Lauda Hieruſalem Dominum.* Habes enim encomij luculentum argumentum hoc. *Poſuit fines tuos pacem, & frumenti adipe ſatiat te.* Pane filiorum opimo paſcit, fideque inſtruit, à foribus tuis hæreticos arcet. *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.*

Petri trina confeſſio.

Pſalm. 147.

Denique fidei flores, vt vberes aliquando fructus, fœcundo Sole decoquentur, iuxta hoc meum ex alluſione faridicum elogium.

OCVLI CIRCA DEVM, IN HOC SOLO, OPERTVM CASSI, ERVNT CIRCA EVM, IN COELO APERTVM PERSPICACES.

EVCHARISTIA VIVIFICE influit in animam fidelem.

In hac verba:

Ego ſum panis vitæ. *Ioan. 6.*

SECTIO II.

VT nullius ſcientiæ quiſquam tractat ſubiectam materiam, niſi præuio Præludio, ita nec ipſemet Chriſtus de Euchariſtia fatur apertè, niſi præmiſsâ de fide præfatiunculâ proximâ ſectione explicatâ: poſtea ineffabile myſterium euoluit compendioſo ſtylo. Vide ſeriem edocentis: *Qui*, inquit, *credit in me, habet vitam æternam, ego ſum panis vitæ.* Quot verba, tot myſteria: *Qui credit in me*, Ecce præludium, fides enim præit noſtris myſteriis: *Habet vitam æternam*; En fidei laureola: *Ego ſum panis vitæ*, En cauſam effectricem omnium præmiorum, imò & pretium regni appretiati: huic ergo tractatum Euchariſtiæ, eo pos quo & Chriſtus tramite decurramus:

Ioan. 6.

Fides neceſſaria ad Euchariſtiæ venerationem.

Myſtagogus, ſeu rituum ſacrorum Præſul & Dominus Ieſus, Symmyſtis ſuis, id eſt diſcipulis initiandis bis ritibus, myſterium aperturus Euchariſtiæ, dicebat, *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni.* In præalta materia explananda eloquentiæ phaleras aſpernatus, non vſus eſt ambitioſo verborum ornatu, nec in Euchariſtia nuncupanda, faſtuoſo vocabulo delectatus; ſed humili dialecto, & ſchemate ſimplici eloquendi, Euchariſtiam dixit, Panem vitæ. Et reuera omne quod vocauit Adam poſterior, eſt nomen eius.

Accipe ea Philoſophia & ea Theologia, diuinos planè ſenſus illo vocabulo reconditos: ex Philoſophia, nomina ſunt ſigna rerum, & veluti quidam vocales iuſti characteres, naturam rei Laconicè prædicantes, iuxta eiuſdem Philoſophiæ axioma, *Sicut ſe habet res ad eſſe, ita & ad prædicari.* Nomine igitur congruo debuit explicari myſterium fidelibus inculcandum. Ruiſus cùm proprietates fluant ab eſſentia, quæ ideò ſaltem naturâ prior eſt influentiis ab ea deriuatis, volens periti præceptoris obire munia Chriſtus & Magiſter, hocce breuiloquio, ille qui verbum abbreuiatum fecit ſuper terram, & eſſentiam, & effectus luculenter aperuit.

A nomine auſpicemur & frangamus hunc panem, ſiquidem etiam panem frangere, eſt annuntiare verbum Dei iuxta illud: *Paruuli petiêrunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Nomine panis, codices ſacri omne alimenti genus ſignant, Hebræorum ritu, qui panem appellant לחם *lehem*, id eſt alimentum à radice לחם *leham*, id eſt nutrire: vnde in mundi exordio, etſi nullus adhuc panis exiſteret, nec multis infra ſæculis extiterit, Deus ſæuiens in hominem tefugam ait: *In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo.* Illic panis ſufficitur pro quolibet alimento.

Ierem. Thren.

Panis nomẽ quare inditũ eſt Euchariſtiæ

Geneſ. 3.

Sed quare inquies inditum eſt alimenti nomen illi myſterio, quod cùm ſit amoris præcipui pignus; aptiùs, vt videtur, erat alio vocabulo prænotandum. Reſpondeo ex Theológia, Euchariſtiam cùm ſit de genere Sacramentorum, communem

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 3 p. q. 60. art. 1.

Signum eſt ratio generica Sacramentorum.

communem cum eis inducere rationem genericam: ratio autem generica omnis Sacramenti eſt, vt ſit ſignum; ſignum autem eſt res nota, quæ ad cognitionem rei ignotæ conducit: igitur Euchariſtiæ Sacramentum debuit eſſe ſignum: de ratione autem ſigni ſacramentalis eſt vt gratiam inuiſibilem, tali Sacramento infuſam, ſenſibiliter inſinuet, & quaſi ſenſibus ingerat. Hinc factum eſt, vt Deo largiente nobis ſuum corpus & ſanguinem, ad alimentum, & optimum animarum paſtum, tale Sacramentum debuit ſibi vendicare nomen, quod animæ ſaginam & epulas luculentas mentibus indecer; atqui panis nomine, omnis eſca denotatur; optimè ergo Panis nomen inditum eſt myſterio ad animarum eſcam inſtituto: Maximè cùm ea, quibus homines vulgo vtuntur, debeant ſuum pro materia & forma Sacramenti, ex

S.Th.q.q. 60.art.5.

S. Thoma; in genere vero cibi, nil ſit pane communius.

Ex SS.Patribus:

S Chryſ. log. l.ſermonum. Zachar.

S Auguſt.ſ.2. in Paſcha.

Adde quòd nomine panis aptè denotatur ipſe Chriſtus, panis inuolucris obuolutus, Eccleſiaque item, nomenclaturâ panis ritè deſignatur. Ex S. Chryſologo. *Chriſtus eſt panis ſatus in Virgine, in Eccleſia fermentatus, noſtris illatus altaribus*. Ex Propheta dicitur frumentum electorum, in mola paſſionis attritum, iuxta illud. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra*. attritum, lachrymis delibutum & ſanguine, in maſſam coaluit, quæ amoris igne decocta, panem finxit qui ex Chryſologo: *Perpetuam edentes ſe paſcit ad vitam*. Eccleſia verò adumbrata pane, ex eo quòd multa grana, præeunte tritura miteſcant & tenuentur in album far, quod lymphatum in coagulum exurgens abit in maſſam, quæ decócta, panis propriè nuncupatur; ita & Eccleſia ex S. Auguſtino exurgit ex multis fidelibus, quos humilitatem crebrò inculcans catechumenis ſuis baptiſmi tandem aquis alluit, in modum farris albeſcentes, in maſſam eos fidelium ſic ſuſceptum baptiſma fidelium compaginat; denique ſic compactos, clibanus charitatis excoquit in myſticum panem.

Ne tamen oculis obiecta ſpecies panis vſualis, imponeret menti, nil inſolitum ineſſe ſpeciebus conſecratis, panem hunc eſſe vitæ adiecit, imò & panem viuum: vnde ſicut ſe res habet ad eſſe, ita & ad operari, panis iſte ſortietur effectum ſuæ naturæ conſentaneum, id eſt vitam impertiet, quam nomine ipſo præfert. Idem qui & in Euchariſtia Deus efficto protoplaſto de limo terræ, inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & in animam viuentem. Hebræa

Gene. 2.

habent רוח חיים *Ruah hahaim, ſpiraculum vitarum*. Quippe Deus, vt eſt fons vitæ omnimodæ, non eſt aliunde petenda quæuis vita, niſi ab eo Rege cui omnia viuunt. Quòd ſi Dei vnus afflatus, triplex vitæ genus indidit corpori, vegetale, ſenſitiuum, rationale; quis ibit inficias, homines hoc pane vitali refectos, multiplici vita vegetandos. Imo & vita mortis experte, vt liquet ex præmiſſis, & promiſſis: ait enim. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*. Dicitur hinc à ſancto Ignatio Euchariſtia φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον μὴ θανεῖν. id eſt medicamentum immortalitatis, antidotum contra mortem, nimirū mors quam ſubit homo paſtus illo pane, vitæ eſt exordium, occaſum neſcituræ, ex ſancto Cypriano. *Quòd interim moriamur, ad immortalitatem morte tranſgredimur, nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire, non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus*. Medicina faces lucidas offert, beneficio quarum, peruia nobis erit panis iſtius neceſſitas. Corpus (inquit iſta profeſſio ſagax æmula naturæ) conſtat calido & humido; naturalibus autem & primigeniis hiſce qualitatibus, diſſidio continuo obnoxiis, fit vt corporea moles peſſum eat, calido depaſcente humidum naturale. Vt enim ignis oleo lampadis exhauſto, ſæuit in lychnum, & lychno depaſto, demum extinguitur: ita & corpus humido ſenſim à calido abſumpto extinguitur. Vt lethali naturæ deliquio occurreret, prouida parens, ciborum amplos apparatus finxit ad delectum, vt alimento repararet quiſque vires effœtas, propter humidi deperditi ruinam, mortem meditantem: cuius voti vt fieret illa compos, vide ſagacis naturæ ingenium, ventriculo eſcarum coquinæ indidit appetitum, quo ſtimulatus homo cibos ingerat ori tranſmiſſuro ad inferiorem illam officinam: & quia delectatio perficit operationem, cibis ſaporem adiecit, vt guſtus allectus, dentiuoi laborem falleret in attritu: cibo & potu congeſtis in ſtomachum, láctea quædam ſubſtantia ex digeſtione ſuperſtes impenditur à natura, paſſa deliquia reparante.

S.Cypr.l.de mort.

Eucharistiæ vitales effectus.

S.Ign. ep.ad Ephes.

Ex re Medica.

Fern.lib 4. Phyſio ogia cap.7.

Corporis vita quomodo propagetur.

Vis quidem inſita eſt cibis amica naturæ, atque adeò ſubſtantia hinc elicita, vt affinis humido naturali, eius obeuntis vices gerit, & vires emortuas excitat: ſed ea virtus adeò parca manu indita eſt eſcis, vt nequeant facere corpora æuiterna. Fit enim plerumque vt æſtuante calore, humidum nullo ſuffragante cibo diſpeſcatur, & hinc diſpereat homo, quem Deus morti obnoxium ſic mulctauit, quia noluit eſſe æuiternus.

Maiori ſolertiâ prouiſum eſt animarum ſoſpitati, habet enim ignem ſæuientem quælibet anima in ſui perniciem; hæc flamma depaſcens vocatur fomes peccati, corporis & animæ ſtatum labefactans. Quippe corpus libidine vrget & inquinat; animam autem ſollicitat multiplici modo: ita vt anima domeſtico diſſidio inquieta, ſe ipſam nequeat ſuſtinere: hinc Apoſtoli ſuſpiria. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Digna planè peccati mulcta ex Auguſtino. *Sic vindicatur in ſuperbum, vt ſit ſibi bellum, qui noluit habere pacem cum Deo*. Ne ergo hos patiens importunos æſtus anima deficiat, itum eſt obuiam à Deo, iuxta axioma. *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*. Ea nimirum quæ conducunt ad talis eſſentiæ perpetuitatem.

Rom.6.

Euchariſtia eſt corporis & animæ vita.

Pharmacum ideò tale inſtitutum eſt, vt occurreret vtriuſque partis diſpendio, dum corpori & animæ mederetur. Hoc autem eſt Euchariſtia, quæ ab effectu dicitur panis vitæ, & quàm aptum ſit inuentum iſtud, collige ex primis rei medicæ rudimentis. Iiſdem nutrimur, quibus conſtamus, vnde piſcibus piſces, carne verò caro ſaginatur. Ergo homo, vt corpore & anima conſtans, nutriri debet aliquo quod anima conſtet & corpore, vt vtrique eius parti ſuccurratur. Hoc non præſtant edulia quæpiam; nam corpori tantùm inſtituta ieiunam animam non impinguant; igitur alter paſcendi ritus fuit adhibendus, vt homo totus paſceretur;

is nimirum in quo iam verſamur, ſcilicet panis vitæ, cuius ſpeciebus reconduntur Diuinitas, anima, & corpus Chriſti: vox panis corpus Chriſti ſonat, congruum ad corpus noſtrum ſarciendum, vitæ particula pani adiecta, dicit omne vitæ genus, quo particeps eſt Chriſtus, & Deitatem potiſſimum, à qua, vt fonte inexhauſto, gratiarum omnes limpidi latices ad nos longè latéque deriuantur; ad hos fontes inuitat omnes Chriſtus arentes ſiti. *Sitientes venite ad aquas.*

Veſpaſiani liberalitas erga Ægyptios.

Veſpaſianus luſtrans Ægyptum, Ægyptios aliquâ gratiâ volens afficere, dabat optionem dicens: Haurite à me tanquam ex Nilo inundante, & ſolum vſquequaque fœcundante: ille tamen mortalia duntaxat potuit elargiri, & ab ipſo quidquid potuit effluere, illud fuit potius à nihilo, quàm ex Nilo: Reges enim Deo appoſiti, nihili æſtimantur. A Deo confidenter hauriendum iuxta Iſaiam. *Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris.* Illi ſoli lemma quadrat ex Camillo, qui puteum pinxit, hoc titulo. FIT PVRIOR HAVSTV: quo enim maior gratiarum prouentus affluit ex Euchariſtia, eò Deus procliuior ad nouam congeriem chariſmatum mentibus noſtris ingerendam, adeò verax eſt illa ſymbolica putei aſſertio Euchariſtiæ coaptata. FIT PVRIOR HAVSTV.

Iſai. 12.

Ex Symbolis. *Camillus in ſymbol.*

Solis virtus mirifica in corpora.

Iatromathematica, ſeu Medicina Aſtronomica, vitalis facultatis energiam totam reponit penes Solem, quem ideò viuacem credidit hallucinans antiquitas: imò & adorauit ſub ementito nomine Apollinis. Philoſophia ſagacior, non vitalem aſſeruit eſſe Solem formaliter, ſed eminenter, id eſt, nobili quadam ratione ait Solem concurrere cum cauſis aliis ad generationem viuentium, inſpirando vitam, modo quodam anonymo; vnde & cauſæ æquiuocæ etiam nomenclaturam ſortitus eſt. Mathematica Philoſophiæ pediſſequa tantùm illi viuifico luminari attribuit, vt ſi aliquo infante edito recens, gradui aſcendenti in horoſcopo Sol adiungatur, ex hac coniunctione Aſtrologus ſchematis inſpector, natum viuacem & longæuum, audaci præſagio pronuntiet.

Ex Mathematica. *Schonerus l. de iudic.*

Potiorem longè rationem inferimus, in gratiam Euchariſtiæ, ad impertiendum vitam: ibi enim oculis fidei rutilat Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter; ſi ergo quiſpiam vitale edulium acceperit, quis niſi mentis inops audeat inficiari Solem in coniunctione animæ frequentantis venerabile ſacramentum, viuaciorem hanc effecturum, magnos & præaltos ſpiritus infundendo. Alluſit ex ſymbolo Marchio Pignonius. Palmam ille lineabat, ſuos dactylos exponentem Soli maturandos, hac epigraphe, NON ALITER. Indigitans eo pacto nos nil inſcio Deo Sole noſtro poſſe exerere perfectum. Eiuſdem Genij eſt Camerarij emblema, in quo arbores, ſuos Soli radianti flores aperiunt hoc titulo. SI SERENVS ILLVXERIT. Cœlica nempe hac luce omnia recreantur.

Ex Symbolis. *Typotius lib. ſymb.*

Ioan. Camerarius centur.

In vitæ typum effluentis ex hoc pane, Codices ſacri hiſtorias habent hanc veritatem adumbrantes, & vitam ineſſe pani proteſtantes. Dauid perſequente Amalecitas prædâ graues quam tulerant ab Hebræis, milites eius inueniunt puerum Ægyptium penè exanimem, ducunt ad Danidem, quo præſente, vt ait Codex ſacer: *Dederunt ei panem vt comederet.....*

Panis virtus ſalutaris.

1. Reg. 30.

cùm comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt, non enim comederat. Vides animam, illum propè non egiſſe, quia panem neſciebat: ſed vbi ieiunus panem deguſtauit, in alium mutatus eſt virum, imo & Amalecita domino ſuo abiurato, Dauidi adhæſit, à quo panem acceperat. Plenè id quotidie in Eccleſia adimpletur: multi in via mandatorum Dei patiuntur crebra deliquia, ſed pio aliquo ſuaſore, ſacris tandem ſiſtuntur altaribus, reficiendi pane viuifico euadunt in alios viros & Sathanæ dominio abdicato, æternis ſeſe Chriſti mancipant obſequiis. Ruſus Elias Reginæ homicidæ lethalibus petitus inſidiis. *Petiuit animæ ſuæ vt moreretur.* Sicque vitam pertæſus obdormiuit impaſtus; languenti adfuit Angelus, panem ſubcineticium appoſuit, quò recreatus Elias, mortis quam meditabatur oblitus. *Ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Horeb.* Quæris vnde morti æternæ fiant obnoxij plerique mortalium? totam hanc excitat Tragœdiam infida Iezabel, caro ſcilicet animæ perduellis. Videre eſt multos libidinis æſtu ſaucios, ſuæ ſalutis incurios, de vita æterna planè deſperare: hi reuerà non petunt animæ ſuæ, ſed procurant vt moriatur, hæc æternùm luitura flammis tartareis ſcelera, quæ contraxit igne luxuriæ. Sed Deus qui calamum quaſſatum non contetit, neque lychnum fumigantem extinguit, Angelum cuique tutelarem addixit, qui nos ſollicitet ad panis vitæ communionem, cuius frequentiâ, multi decurrunt inoffenſo pede ſibi hactenus inuios virtutis calles.

3. Reg. 19.

Caro infenſa eſt animæ.

Epularum regiarum fuit hoc vitale decus, vt in his, libertas mancipiis, vita ſontibus, multæ denique gratiæ petentibus, decreto regio ſancirentur: ita vt Perſis Regibus in epulo regio nefas eſſet facere quidpiam inconceſſum. Huc tùm Hebræis minimè incognito Magdalena animæquior facta, ad epulas venit quibus aderat Chriſtus, certa de menſa cui aſſidet Chriſtus nihil niſi vitale deriuari, fidem eius rei exitus non eluſit. Audi Chryſologum. *Ad Phariſæi menſam venit Chriſtus, non vt carnalibus epulis repleretur, ſed vt in carne negotium cæleſte miniſtraret, neque vt probaret poſita humanitus ante ſe, ſed poſt ſe geſta diuinitus approbaret; Venit mulier ſatisfactura Deo, non hominis placitura: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium. Dum taliter apportas diuinis oculis cibos, totas miſericordia copias ſic reportas.* Non paſſus eſt Chriſtus in aliud tempus gratiam protelari, neſciunt quippe repudium Epulæ Chriſtianæ: ideoque Magdalenæ ingreſſus ad Chriſtum conuiuantem, fuit à morte regreſſus, vt ait Damianus. *Sine vllo interuallo coniunguntur, & lachryma peccatricis, & indulgentia Saluatoris.*

Perſæ in epulis liberales. Ex Hiſtoria. *Herodot. l. 9.*

Luc. 7. S. Chryſol. ſerm. de Magd.

S. Damian. ſerm. de Magd.

Gens Abydena ritum habebat in Epulis, myſterio noſtro quid affine redolentem: nempe ſub finem epulatum, coronas apponebant, & puerum egregiâ formâ cuique oſculandum porrigebant. Quid hoc ritu fuerit abditum, totum illud fuit apud Abydenos, quibus non eſt quod inuideamus coronâ dignatis & oſculo infantis Angelica ſpecie coruſcantis. Epulæ noſtræ, pane vitæ illuſtres aliis omnibus præexcellunt: illic non oſculandus modò, ſed pectore recondendus datur Deus ſpecioſus forma præ filiis hominum, cuius pignora amoris exhibita in

Suidas in prouerbiis. Abydeni in epulis coronas adiecit.

hac menſa, ſuauiora ſunt quibuſlibet amplexibus, teſte anima, ſponſi ſui amore æſtuante in Epithalamio facto, & Euchariſtiæ delicias ſub oſculi typo prælibante. *Cant.1.* *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Et infra ſui impos, ob dilecti feruidos æſtus amoris, in has erumpit voces indices deſiderij inquieti. *Cant.8.* *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te? & iam me nemo deſpiciat, apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Sciebat ſponſa fatidica, vbi Chriſtus in domo Eccleſiæ Matris noſtræ foret, eum ſui copiam facturum in Euchariſtia, & in caſtos mirurum amplexus.

Cupientibus coronari in hoc conuiuio, eſt quod abundè faciat ſatis, ſicut & apud Abydenos. Etenim ex hoc pane gratiarum affluxus animas efficit victrices vitiorum, quibus ſeſe antea manciparant: vincere vero idem eſt, atque coronari, iuxta illud Iacobi. *Iacob.1.* *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Etiam hoc pane vitæ, fieri roboris incrementum præfatus eſt Dauid. *Pſalm 103.* *Panis cor hominis confortet.* Et ne vagemur in coronis perſcrutandis, in aperto eſt corona appoſità menſæ ſacræ, ex inſtituto Dei, ſic ideam menſæ panum propoſitionis adumbrantis. *Exod 25.* *Arca coronata quid ſignificet.* *Facies menſam de lignis ſethim, & inaurabis eam auro puriſſimo, facieſque illi labium aureum, per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem, altam quatuor digitis, & ſuper illam, alteram coronam aureolam* (& paulo poſt) *& pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Ruſus eàdem ſanctione Dei, Arca mannæ conſeruatrix erat coronata. Ex prælibatis liquet, in veteri lege coronatis rebus Euchariſtiæ typo ſacris, Coronas ineſſe multiplices viuifico pani, cuius olim ipſa meruit vmbra coronari.

Et ſi cæcutierit Græcia gentilis, tamen ex vicinia Hebræorum, apud quos Dei notitia titilabat, aliqua fidei noſtræ myſteria prælibauit. quæ teſſeris quibuſdam hieroglyphicis adumbrauit. In his eſt hæc diſcurſui de coronis conſentanea valde figura Symbolica, ex Typotio. *Typotius in ſuo lib.1.* *Sol olim pictus in corona ſpicea.* Solem (inquit ille,) aliàs veteres illi Myſtæ pingebant in corona, cuius contextura erat ex ſpicis triticeis: quid autem velint innuere coronando ſpicis hoc luminare maius, eſt adhuc in abdito, etſi cuique fas ſit, has ſegetes ingenij falce demetendi. Nemine hoc emblema diſſoluente, tentabo pro viribus. Etenim Sol, ex ſpicis ipſum ambientibus, multiplices intellectui meo radios ingerit, & ſenſus idoneos iſti ſectioni. Inprimis, ſpicæ ſunt Symbolum vitæ noſtræ, quæ ſtat alimento: alimentum autem communius, eſt panis ex tritico, ſpicis edito: ſpicarum verò genitor eſt Sol, quia ſemini collaborat, & ad perficiendas eas conducit quammaximè; ſolem coronare ſpicis eſt ei vitæ noſtræ ortum, ſeriem, & omnimodum planè contextum dedicare. Vt enim Paulus diſcipulos ſuos vocabat gloriam ſuam, & coronam, quia ad eorum eſſe ſpiritale operam ſuam ſedulus impenderat: ita & nos Solis coronа ſumus, quia victui noſtro ſtudet, è terræ intimis eruendo; In cuius fidem tholo eius penſiles ſpicas appendimus, ſicque vides panem Euchariſticum, quo vita Chriſtiana ſoſpes eſt, habere à Sole quòd ſit viuificus, id eſt habere à diuinitate quod ſit vitalis, ſicut habet à terra vt ſit panis triticeus, id eſt haber à natura humana quòd ſit corpus carne & ſanguine coaleſcens.

Circa coronam hanc ſpiceam ſubiicio corollarium, quo probabo coronas ineſſe ſanctiſſimo ſacramento. Sic itaque diſcurro. Etſi Deus vt cauſa rerum omnium præpotens & effectrix, virtutum & actionum quas exerunt cauſæ ſubalternæ, ſibi iure optimo vendicet decus & coronas: nam quidquid corona dignum eſt, à Deo illam dignitatem emendicat, cui omnes ſunt coronæ deferendæ, inſtar viginti quatuor ſenum in Apocalypſi coronas *Apocal 4.* ſuas deponentium ad pedes ipſius Dei coronantis quicquid eſt coronatum. Tamen ex coronis Deus hanc ſelegit, quæ emergit ex actione, in qua plura deitatis elucent attributa: ſicut etſi Rex in ditione ſua, Ducis, Marchionis, Comitiſque coronas cuique plagæ ſuperimponat gentilitiis parmis, atque vrbium latercuIis; tamen derelictis coronis inferioribus Ducum, Marchionum, & Comitum, aſſumit eam tantùm quæ magis arridet, ſcilicet regiam, quæ competit ditioni ex qua ſupremæ poteſtatis decus eſt penes eum, cui competit eius dominium: ita & Deus aliis quaſi diſſimulatis infulis, & honorum inſignibus debitis ipſi, vt rerum omnium architecto, coronam Sol ille iuſtitiæ, ſibi ſpiceam circumducit emergentem ex inſtituto ſacramenti, in ſpecie panis oriundi de ſpicis triticeis.

Enimvero Dei attributis vbique micantibus, ſicut & Planetis in æthere, in confeſſo tamen eſt apud omnes, nitere nobis ampliùs, & noſtris mentibus luculentius ingeri omnia quæ Dei ſunt, ex ſapore panis conſecrati, quàm ex claſſe tota rerum orbe toto diffuſarum: quo fit, vt corona ſpicea Solem circumagat, in ſpica & tritico triumphantem, & licet Sol omnia exerat vitalia, ſuis radiis influendo; vtilior tamen, & gratior eſt emergente ſpica, ex qua beneficus hic Planeta contexit ſpiceam hanc coronam.

Quiſquis ergo teneris deſiderio coronarum, Ex SS. ſeu vitæ coronandæ, accede ad hunc panem, Patribvs. cuius area & menſa coronantur: imò & ſpicæ, *S. Auguſt.* coronæ faciunt contexturam. Lubet exclamare cum S. Auguſtino. *O ſi poſſemus homines excitare, & cum eis pariter excitari, vt tales eſſent amatores vitæ permanentis, quales ſunt vitæ fugientis!* Sapientia poſuit menſam opiparè ap- *Prou.9.* paratam, clamitat in plateis, præconum eius ora raucedine iam fatiſcunt; pauci tamen appetunt has epulas, rerum aliarum & vilium conuictu deprauati: & hinc hominum genus imbecille, eamdem ob cauſam quam ſapienter intulit Medicus ſolers.

Peregrè proficiſcens Medicus quidam, di- *Medici cuiuſdam ſententia de ciuibus ægrotis cuiuſdam oppidi.* uertit ad oppidum, cuius vt vidit incolas luridа facie, & oculis bile effuſa croceis, ſciſcitatur quibus eduliis & quo potu vitam ſuſtentarent, iubet adferri quibus victitarent, & his ſubiectis examini, ait: O ciues, quamdiu malè poti, & malè paſti, tamdiu ægra valetudine vitam agetis infœlicem! Ita & nos, quamdiu parum ſolliciti de hac menſa, rerum externarum tenebimur appetitu, tamdiu infirma erimus ſalute, & nutante veſtigio in virtutum tractu,

crebris lapſibus, id eſt ooais ſæpe repetitis, ſacram hanc luemus mediam, quam vt leuemus, panem hunc Deus quotidianum fecit. *Si ergo* (inquit Ambroſius) *quotidianus eſt panis, quare illum poſt annum ſumis? Quotidie ſume, vt quotidie tibi proſit.* Creaturæ faſtidium ingerere quidem, ſed non poſſunt plenam voluptatem, iuxta illud Iſaiæ prædicentis fore vt aliquando molti virum vnum ſollicitent ad regnandum; ſed is regnum abdicabit, dicens: In domo mea oon eſt panis, ooo ſum Medicus. Idipſum creaturæ omnes iogeminant, vt ab eis deficias: aurum, caro, & hominum aura popularis, ſingula quæque clamant, medelæ autem non callemus, vitæ tuæ minas non eſt noſtrum reparare, vade ad Euchariſtiam ſacroſanctam, illic eſt panis, & vtique panis vitæ. Ego item humilis Eccleſiaſtes in choro præconum verbi Dei, occioo ſicut anſer inter olores.

S. Ambroſ.

HOC PANS TEIPSVM PASCE, VALES,
POSCE QVIDQVID VOLES.

MAIORI CAVT ONE ACCEdendum eſt a l Euchariſtiam quàm Iudæi ad ſuum Manna.

In hæc verba:

Manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt.

SECTIO III.

Euchariſtiæ cum manna relatio.

ESto, peritus ſit artifex aliquis pictor, ſi tamen vult edere artis ſuæ aliquod ſpecimen egregiom, illud omne auſpicatur à tenui lineatum tractu, quo figura ſubobſcurè adumbrata, rudem ſui ſpeciem ingerit oculis, ideam operis in tabella timantibus. Lineata pingui Minerua hæc figora, demum penicillo ſuperinducto ſuis coloribus induitur: ſicque æmula naturæ, homines ementitur, nec vnquam ſioe linearum aliquo præuio prælodio, edita eſt aliqua ſpecies egregia. Simili ſyntagmate, & contextura, Deus ſpecioſa quæque edidit. Verbi gratia in baptiſmo, & Euchariſtia velut in duplici cardine tota vertitur Eccleſia. Doo hæc potiſſima ſacramenta, Deus olim figuris, veluti lineolis pictor ingenioſus adumbrauit, vt SS. Patrum cœtus ſacer collegit ex ſcriptura.

Baptiſma quibus figuris fuerit adumbratū.

Ideas ſui præuias habuit Baptiſma, eaſque multiplices. Prima eſt Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Et hæc eſt figura baptiſmi, in quo eſt aqua Spiritu ſancto deſuper incubante, vt figuræ verba hebræa ſonant ורוח אלהים מרחפת *Veruah Elohim merahephetb*, id eſt, *Spiritus Domini incubabat.* Quaſi Spiritus ſanctus ex tunc incubaret aquis, vt eos ex hoc diuino fotu in baptiſmo fœcundaret, vt benè S. Hieronymus ex Hebræo fonte ſpeculatur. Et Tertullianus viuificandi energiam aquis inſitam, reponit penes Spiritum ſanctum. *Ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare poſſunt.* Alia figura eſt circumciſionis impoſitæ Abrahamo, & toti proſapiæ. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Fuiſſe autem figuram ait Apoſtolus ad Coloſſ. *Circumciſi eſtis, circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed circumciſione Chriſti conſepulti ei in baptiſmo.* Ruſus idem Apoſtolus baptiſmi figuram fuiſſe, ſubmerſionem hoſtium Iſraël in mari rubro, & tranſitum impunem filiorum Iſraël affirmat, qua peccatorum in baptiſmo ſubmerſio deootatur, anima ſic ſoſpite ex fontibus ſacris emergente. *Omnes in Moſe baptiZati ſunt, in nube & in mari* (& paulo poſt) *hæc omnia contingebant illis in figuram.* Mare rubrum lethale Ægyptiis, baptiſmum delioeat, peccatorum ruinam: nubes obumbrans, Spiritum ſanctum iouoluit, vitalibus aquis incubantem, ita SS. Patres Cyprian. Auguſt. Hieron. qui plures adhuc baptiſmi figuras agnoſcunt.

Ex SS. PATRIBVS. S. Hier l qu. in Gen. Tertul. l. de Baptiſmo. Gen. 17.

Coloſſ 2.

1. Cor. 10. S. Cypr. l. 4. ep. 7. S. Aug. tract. 11. in Ioan. S. Hieronym. S 3. ad Oceanum.

Euchariſtia etiam ſuas habuit ideas, Euangelio præeuntes & varias. Pura agnum Paſchalem, panes propoſitionis, panem & vinum Melchiſedech. Sicut enim Sol orbis hemicyclum, ex orieote luſtraturus, præalta montium iuga verſus occaſum illominat, antequam rutilus plenè in oriente niteat: ita & hoſtia ſacra, antequam vertici ſacerdotum irradians, eleuata coruſcarit in Eccleſiæ exordio, & fidei orieote, lucis præmiſerat antea radios verſus occaſum, ſcilicet Synagoga vergens ad occaſum, præſenſit hos aliquando ex Euchariſtia radios effluentes, & pellucidi magis, io manna coruſcant, quibus eſt hæc ſectio iotegra mancipanda.

Exod. 12. Exod. 25. Geneſ. 14. Exod. 16.

Sui ipſius effigiem adumbratam agnouit Dominus Ieſus in Manna Iudæorum, & vtrumque, ſcilicet Manoa & panem, vt corporis ſui ἀντίτυπα, & genuina ſigna ſociauit, in eo ſermone quem habuit de corpore ſuo ſacro; panis huiuſce vitalis ſpecie recondendo. *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt; qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et Paulus eleganter edocens Corinthios, oos eorum habere Corpus, quorum Synagoga tantùm fruebatur vmbris, Euchariſtiam Mannæ oppoſuit. Adſtipulatur claſſis vniuerſa Patrum affirmantium Manna fuiſſe Euchariſtiæ Symbolom ſpecioſum. Io his ſunt SS. Chryſoſt. Cyrill. Auguſt. & Theophylact. item Ambroſ. lib. 5. de ſacr. cap. 1.

Manna typus Euchariſtiæ.

Ioan 6. 1 Cor. 10.

Manoa datum eſt Hebræis io deſerto degentibus, & illac in terram manantem lacte, & melle meantibus, ſuperatis antea maris vorticibus Ægypto lethalibus, Hebræis autem innoxiis. Ita & Euchariſtia datur præuio baptiſmate, eis qui anhelant ad patriam, quam torrens voluptatis alluit, vt regius Pſaltes canit, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Rurſus habuit hoc ſingulare Manna, vt licet alij aliis excederent in eo colligendo, vna eis & eadem meoſura ſuperſtes eſſet, in quo videre eſt Euchariſtiæ virtutes, & effectum eumdem æquè profluentem ea minori hoſtia quàm maiori. Denique oon vacat myſterio, Mannæ contemptus, *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo,* Siquidem hæreticorum, imò & tepidorum fidelium ſignat Sacramenti huius faſtidium.

Pſalm. 35.

Num. cap. 21.

Potiſſimom verò Dei iotentum, & meo inſtituto morali congruum fuit, vt fideles ſe accingerent ad acceſſum corporis ſui ſacroſancti,

Exod. 16.

P 2 ſimili

ſimili cautione, qua Iudæi ſuo Manna ſruebantur. Tria autem ſunt prærequiſita in collecto Manna, moraliter expendenda. Primum eſt in Ægypto nequaquam pluiſſe Manna, at tantùm in deſerto, poſt miſſas helluonum ollas adipoſas, amandatis Ægyptiis, eorumque plagâ in æternum abiuratâ. Alterum eſt, rore præambulo, Manna ſolitum illabi. Tertium denium, antelucanis horis, albeſcente cœlo, & inſcio Sole colligendum Manna: vtpote, quod Solis æſtu liqueſcebat, quæ omnia exquiſitam cautionem clamant, ad acceſſum huius Sacramenti: quippe gratia, aliarum formarum inſtar, abhorret ab obice, neſciunt ſcilicet coïre contraria in eodem ſubiecto.

Mannæ collectio qua cautione fiebat.

Theologia diſceptatrix, quam ſcholaſticam vocant, reuocat in dubium diſpoſitiones ad gratiam; imò ne diſpoſitiones illæ, meritis eam noſtris ſubiiciant, & ſic gratia non ſit gratis data, negant gratiam iuſtificantem hominem in peccato lethali, ex aliqua diſpoſitione dependere: & Hoſius in Confeſſione Polonica ait eam fuiſſe mentem Concilij Tridentini. Vt huic doctrinæ faces adiiciam, vnum hoc ratum eſto: Nullis naturæ ſolius viribus exertis poſſe quempiam mereri de congruo gratiam iuſtificantem, ita vt quis natura inclinante pauperem ſuſtentans non inde poſſit dici diſpoſitus ad gratiam, ita Thomiſtæ omnes. Quia diſpoſitiones ad gratiam, & ipſa gratia habent ſe per modum motus, & termini, & ſic vnius eiuſdémque rei rationem induunt: cum ergo gratia ſit ordinis ſupernaturalis, & opera ope naturæ ſolius exerta, inferioris ſint ordinis; non poſſunt in eodem conuenire.

Ex THEOLOGIA.
Gratia prima non cadit ſub meritum.
Sotus lib. 2. de Nat. & gratia cap. 4. Seſſ. 6. c. 8. Hoſius c. 73. Cōfeſſ. Polon. In 1 2 quæſt. vltimo.

Quid ergo, ſpei animæ noxis lethalibus irretitæ, an vta inuia illi ad pabulum vitæ, ſiquidem ſolis naturæ viribus exhauſtis innixa, etſi præfatas diſpoſitiones Mannæ decretat, caſſus erit labor, & cum Iob lugebit menſes vacuos, & noctes laborioſas. Minimè verò perperam erit induſtria pœnitentis: nam aliud eſt agere ex mera natura, aliud ex gratia Dei comitante. Verbi gratiâ, dolor peccati conceptus formidine pœnæ infernalis, etſi non iuſtificet hominem ſic attritum, non eſt opus meræ naturæ, ſed actus gratiæ excitantis, fluentis ex habitu fidei, quo anima peccato ſaucia, credens Eccleſiæ, abhorret à pœna æterna. Itaque ſtimulis acta, & gratiæ excitanti cooperans, ſi ſe accingit ad Exomologeſim præuio examine, tota illa ſeries actionum erit diſpoſitio merens ex congruo gratiam iuſtificantem, quam etſi non mereantur opera merè naturalia, merentur tamen ea quæ eduntur ex habitu fidei, & gratia Dei auxiliante; hæc autem gratia Dei præſtò eſt ipſiſmet ſceleratis, imò & inuitos ſollicitat, inquit Bernardus. *Non petentibus, ſed impetentibus; non inuocantibus, ſed prouocantibus; non interpellantibus, ſed repellentibus Deus impertit gratiam*, ſupple excitantem, non autem iuſtificantem, quam poſſe de congruo nos mereri, per opera ex fide, & gratia Dei comite, aſſertum eſt ſancti Thomæ in 2. diſtinct. 27. art. 4. ad 4. S. Bonauent. in 4. diſtinct. 15. 1. parte. Deo igitur propitio atque opitulante, nam ex Bernardo, *Conatus noſtri nulli ſunt ſi non excitentur, & caſſi ſunt ſi non adiuuentur*, prima cautio ad colligendum Manna, erit exitus ex Ægypto, & is fiet Confeſſione exquiſita: eâ

S. Bernard.
S. Thom.
S. Bonauent.
S. Bernard.
Euchariſtiæ ſumptio quas cautiones prærequirat.

nimirum abiurantur Ægyptij, nempe dæmones & eorum pediſſequæ voluptates, ſycophantæ omnes nundinatores animarum, ollarum pabula noxia, & cupediæ omnes addictæ ventris obſequio. Exomologeſi abſolutâ, expeditus à remoris vota tua tardantibus, maris rubri fluctus tumidos permeabis innoxius. Facit Pſalmographus, *In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro: Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.* Iudæa Hebraice confeſſio eſt à radice *Iadah* ידה *confiteri*, & ſicut non eſt quis in Iudæa, niſi Ægypto derelicta: ita nec quis poteſt frui beneficio Confeſſionis ſanctificantis animas, niſi vale dicto peccatis & ſequelæ.

Pſalm 113.
Cōfeſſio neceſſaria ad Euchariſtiā ſumendam.

Non quiuis Ægypti receſſus, ſed is qui aquis ducit in in Iudæam, animæ ſuadetur, id eſt non quæuis Confeſſio delictorum, viam ſternit ad Synaxim ſacram, ſed ea quæ lachrymis delibuta tædium clamat vitæ reprobæ, actæ antea diſpendio ſalutis æternæ. Huius Confeſſionis ideam, vitæque pœnitentis accipe ex Pſalte pœnitente, *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.* Vis lachrymas, *Gemitus meus non eſt à te abſconditus. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Hanc Confeſſionem lachrymis teſtatam exigunt Canones ſacri. Canone petito ex S. Auguſtino. *Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat.* Lachrymis intellige dolorem intimum, quem ſi oculorum proluuio ſignare non potes, corde ſaltem contrito proteſtare, iuxta Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum non deſpicies.*

Ex IVRE CANONICO.
Pſalm 31. Pſalm 37. Pſalm. 6 De pœnit. diſtinct. 1. Quem pa. S Auguſt l. de pœnit.

Iudæam eſſe ſanctificationem, id eſt ingeri ſanctitatem Confeſſione hac lymphata, audi Chorum SS. Patrum, idipſum vno ore concinentium. S. Iſidor. ſic ſatur, *Confeſſio ſanat, Confeſſio iuſtificat, Confeſſio peccatis veniam donat, omnis ſpes in Confeſſione conſiſtit.* Caſſiodorus, *Mira compenſatio, ſtupenda viciſſitudo, Domino ſuo proprio mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere, quis non incitaretur illi ad præmium confiteri, cum non poſſit negare quod fecerit?* Idem, *O ingenioſa ſimplicitas & mille tergiuerſationibus cautior puritas, manifeſtare delictum, illic non iudex, ſed aduocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria confeſſione damnarunt.* Rurſus, *O beata Confeſſio, quæ æternum tollit opprobrium, nam quidquid reatuum inuenerit pœnitentia, perpetuis ſæculis reddidit abſolutum.* Denique decretum eſt irreuocabile Dei in Canone reſcriptum, & ex Ambroſio deſcriptum, *Non poteſt quiſquam à peccato iuſtificari, niſi peccatum ante fuerit confeſſus.*

Ex SS. PATRIBVS:
S. Iſidorus l. 1. cap. 12.
Caſſiodor. in Pſalm. 118.
Confeſſionis efficacia.
Idem in Pſalm. 31. Idem in Pſalm. 77. De pœnit. diſt. 1. Non poteſt S Ambroſ. de paradiſo.

Nec eſt pudori parcendum; eluendus eſt lachrymis rubor hic lethalis. Vbi ſponſus ex erubeſcentia vidit Sponſæ labia purpurea, *Labia tua ſicut vitta coccinea*, ex illico vidit labia candida ſponſi ſui, *Labia tua ſicut lilium*, quia Confeſſio pudibunda, candorem abſolutionis exigit à Deo condonante; ſcilicet ex Bernardo. *Quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet verecundia confitentis.* Demum pudor hic abdicandus eſt, gehennæ metu & ſpe regni, cuius fiunt compotes omnes ingenuè confitentes.

S Bernard. ſerm 3 in Cant.

Hac ſpe regni ſollicitata virgo quædam ſpecioſa, omnem ruborem abſterſit. Carolus Valeſius, Regis Philippi primogenitus, depetibat

Ex HISTORIA:
Caſar Noſtradam in hiſtoria Prouincia anno 1285.

in rebelles, dehiſcente terrâ, & ſerpente æſtuante, pœnas de conſcijs expoſcente? Samuëlis item Deus egit partes, cùm gens Hebræa ritus exoſa Pontificum, eum Magiſtratu exuit. *Non te* (inquit Deus) *ſed me abiecerunt.*

Ioſephus lib. Antiquit. Iudaicarum. Surius in vita SS Ambroſ. & Bernard.

Alexander ille Macedo ementitus ſe Deo ſatum, gloriæ ſuæ radios collegit omnes, obuiam factus Pontifici Hebræorum, quem Dei claritas circumfulſerat tanta, vt lucis impos Alexander, ex eâ cæcutiret. Quid Ambroſium exhibuit Theodoſio Imperatori, quem à templo ſceleſtum amouit, niſi claritas Dei quæ eum circumfulſit? Quid ducem Aquitaniæ famoſum multiplici crimine, Guillelmum illum furentem citò cicurauit, nonne ex Bernardo emicans ſplendor, furibundi perſtringens oculos qui indè manſuetior factus, meliori redditus frugi, & ipſe poſteà ſanctitate refulgens, toti illuxit Eccleſiæ? Sed quorſum hæc omnia? vt hac luce fiant omnes cautiores, in cultu rependendo, iuxta illud, *Cui honorem, honorem.*

Guillelmus Dux Aquitaniæ honorat S Bernardū.

Sixtus 4. in Bulla canoniz. S. Bonau.

Huius honoris Præſulibus exhibendi, ſpecimen inſinuant omnes diſciplinæ: & hoc per exceſſum, effuſæ in Proceres ſuos peculiari cultu recolendos. Theologi multa ex fide petita dogmata adorantes, ducatum petunt caligantes potiùs quàm rationes à magiſtris annuentes dicto Bernardi. *Nihil eſt magis contra rationem, quàm velle rationem ratione tranſcendere.* In dubijs quæ emergunt ex inſuetis ad religionem ſpectantibus, omnes Theologiæ candidati inconſultâ ratione ſubſcribunt Auguſtino, ſic effanti. *Tota ratio facti eſt potentia facientis.* Eóque honoris deuentum eſt, vt Gregorius decimus, vni Theologo, totas Eccleſiæ Dei difficultates, in Concilio Lugdunenſi commiſerit enodandas, & vni Bonauenturæ ſummo Theologo, ipſi omnes Primores Eccleſiæ attenderent, tanquàm oraculo cœlica dogmata propalanti: & ſummi honoris ergò; Theologi, Magiſtri inurunt nomen κατ' ἐξοχὴν, eis à quibus ſcientiæ ſuæ ſacros latices ebiberunt.

Diogenes Laërtius de vitis Philoſ. Homer. Iliad.

S. Bonauentura quantū honoratus à Papa Gregorio decimo.

Philoſophia non inculta, Ariſtotelem ſuum naturæ genium, & mentem clamat; Stoici omnes iurant in Zenonem & Cleanthem, Academici diuinum Platonem ſonant, Pithagoræi, verba Pithagoræ excipiebant, vt aſſerta probata ſatis, αὐτὸς ἔφα.

Philoſophi omnes ſectæ ſuæ auctores venerantur.

Cœlicæ Matheſeos aſſeclæ Ptolomæum & Tychonem habent vt Atlantes οὐρανοφόρους id eſt cœligeros: non enim aliundè petita Atlantis imago, cœlum humero ſuſtinentis, niſi quod Atlas ille, auus Mercurij Triſmegiſti callens ortus & occaſus ſyderum, cœlos omnes capere animo credebatur.

Atlas quare dicatur ſuis humeris ferre cœlum.

Medicæ rei ſtudioſi, ventilant elogium medicis præcipuum. ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Medicus pleriſque alijs præponderat vt dignior, ex Homero. Immo priſca ætas, ementita apotheoſi, id eſt deificatione, Æſculapium deum habuit ob rei medicæ peritiam, quâ multos ex agone extremo rediuiuos ſoſpitauit. Menecrates eandem callens diſciplinam, Iouem ſe ſuis literis inſcribebat, nec hodiè exoleuit Hippocratis, & Galeni opinio quâ θεῖόν τι aliquid ineſſe diuinum morbis inualuit: vndè Hierophilus olim dixit, pharmaca eſſe Dei auxiliatrices manus. Sic probâ illatione, medicus cenſeri poteſt, aliquid habere infuſum diuinitus, & non inanè dixeris, medicum eſſe Herculem illum, quem primæua ſæcula ἀλεξίκακον nuncupabant; eò quòd omnia mala radicitùs extirparet. Quid profana laudo, & ſacra moror? Ecce Ieſus Syracides, *Honora* (inquit) *medicum, propter neceſſitatem, diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur.* Huius effati praxim, Alexander eſt profeſſus, vitæ ſuæ incurius, vt Medici famæ conſuleret. Epiſtolam acceperat Alexander quâ de toxico monebatur diluendo in pharmaco, ſibi poſterâ die propinando à medico; adeſt medicus hora condictâ, prætendit Regi poculum, intrepidus Rex alterâ manu, ſuo porrigit epiſtolam medico perlegendam, dùm Pharmacum abſorberet, indubium ſic teſtatus animum, in medici periclitante famâ.

Æſculapius quare adoratus. Medici quare honorādi Menecratis ambitio.

Eccleſ. 38. Alexander quantum ſuo Medico detulerit.

Q. Curt. l. de geſtis Alex.

Eſto ſuus cuique honos, nihil moror, ſed cenſeo potiore cultu eſſe Antiſtites præferendos cum Theologis diuina impertiunt: vt Philoſophi nos docent ſapientiam defæcatam, nimirùm timorem Domini, ſapientiæ omnis exordium: Matheſim reuera indubiam indicant, ſcilicet quomodò cœleſtibus inſeramur; Medicinæ non exortes, præſtant ſe medicos in morbis propulſandis: ergo multiplici honore digni, vt inſonat Paulus. *Qui benè præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrinâ:* Et rurſus, idipſum inſinuat ad Hebræos. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.*

Epiſcopi quare maximè ſint honorandi. *Pſalm. 11.*

1. Timoth.

Hebr. 13.

Tua, res, ô homo, hîc agitur, nam tibi detrectas honorem, quem Præſuli negas ipſo Eccleſiaſtico affirmante. *Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore.* Accipe ergo penſum meum.

Eccl. cap. 3.

SE QVISQVE ECCLESIÆ EXVLEM VERSATVR.

SI ECCLESIÆ PRÆSVLEM NON REVERSATVR.

HOMILIA IN DIE

NATIVITATIS DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ.

1. QVIA Angelus eſt regreſſus impatiens, ideò eſt redemptionis expers, homo verò ſecùs, quia reuertibilis redemptus eſt. Regreſſus eius ad gloriam, fuit inſtar eius Nabuchodonoſor, & ecce tibi intentum Homiliæ.

2. Nabuchodonoſor de gloriâ inſoleſcit. Deus eum exuit regno, & in feram illum tranſmutat, ſaltem cute tenùs, tandem Deo miſerante, qui inter feras degebat, à Primoribus regni de ſylua vocatur ad ſolium, totius eum regni applauſu.

3. Adam ſuæ gloriæ cuſtos incutius, ab ea decidit, mutatus in pecus. Deo tamen propitio, homo de ſtabulo Bethlehem, vocatur ad regnum. Cœli proceres, id eſt Angeli, congaudent homini reuocato.

4. His expenſis finio, explicans quomodò poſſimus fieri compotes horum gaudiorum.

PRÆFATIO.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator. *Luc.* 2.

Septentrionales populi ſex menſes agunt in tenebris.

BOREALIS *gens penè tota (ſit penes Olaum fides) gens ea, inquam, quæ à polo petita latitudinis, octogeſimo ſubeſt gradu, plures agit menſes in Solis deliquio, atque adeò tenebris, longo tenore expanſis, nocturnum inſtar, viuit in opaco, tædio tenebrarum. Reditum Solis tardum ægrè ferunt hi populi, & vt laetiores Soli reduci occurrant, excubias locant in iugis montium, vt albeſcente cœlo, tubarum clangor Solem excipiat redeuntem. Euiſdem ſortis extitit omne humanum genus, plura ſæcula, in modum Veſpertilionis egit in tenebris, & vt Iſaia præoſtenſum.* Tenebræ operiebant terram, & caligo populos. *Patriarchæ, & Prophetæ excubantes præſtolabantur Solem orientem, ſcilicet Christum in humanis. Iacob inuocat* deſideratum gentibus. *Moyſes vrget:* mitte quem miſſurus es. *Iſaias clamat:* Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. *Denique ipſomet Chriſto aſſertore,* Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. *Hodie Angeli eminentiori ſitu, lucem hanc reducem hominibus prænuntiant; vnus chorum ſuum anteuertens, quaſi tubâ clangens, ait:* Euangelizo vobis gaudium magnum: *Huius gaudij fuit prænuntius Iſaias.* Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. *Huiuſce lucis irradiantis Bethlehemiticum vicum, primos excepêre radios, paſtores inſomnes, qui vt cœlum deluſcere, & inclinari in terras aſpexerunt, extemplò properant pernice greſſu, in Bethlehem, reddituri ſua obſequia, Soli, & Lunæ, id eſt Chriſto eum adorantes, & Mariæ eam venerantes Angelico affatu:* AVE MARIA.

EXORDIVM HOMILIÆ.

IN dubio Philoſophiæ cum Theologiâ coëuntis aſſerto, ſtat iſtud commune proloquium, bonum eſſe ſui diffuſiuum, ſeu vt aliis placet, rationem boni eſſe ſitam, in communicatione ſui: Quod Dionyſius explicat, bonum diffundi ratione deſiderij quod excitat, quia ex Ariſtotele, bonum eſt id quod omnia appetunt, vt conſonum ſuo eſſendi modo. Verbi gratiâ ignis non appetit viuere, ſed dumtaxat fomitem & pabulum quærit, vt in ſuo eſſe perſeueret: plantæ marceſcentes humorem exigunt, vt indè earum anima vegetans recreetur; animalia vinculo coërcita gemunt de libertate anxia, vt de bono conſono ſibi: homo verò boni infiniti compos abortu ſuo, altos concipiens animos, flocci pendens infima quæque, diuinum quid in ſe ſubodorans, ambiit heu heu, & hoc incautè deitatem, & vt triuiale habet adagium κύων σπεύδουσα τυφλὰ τέκνα τίκτει. id eſt, canis feſtinans cæcos parit catulos. Immatura in homine deitatis anxietas, eò totam adegit progeniem, vt idcircò omnes ferè homines à Deo alieni, in boni cuiuſuis indagine, fœda caligine cæcutirent. Angelum habuit homo præuium defectione ſuâ, ſed non ſocium, aut reducem in reditu: nam ex Dionyſio Angelus eſt naturæ deiformis, in ſua intellectione non ſubditur tempori: primâ apprehenſione plenè intelligit, ideò dicitur intellectualis, ideóque non potuit decipi: ergo ex merâ malitiâ peccauit, & non ex ignorantiâ, aut infirmitate: homo verò vnum infert ex altero; ideò rationalis dicitur, & non intellectualis; quia autem ſucceſſiuè cognoſcit, potuit decipi:

EX PHILOSOPHIA: Boni ratio in quo ſita ſit.

Lib. 1. Eth.

Geneſ. 3.

Angelus cur non redemptus.

EX THEOLOGIA: *Dionyſius Lib. de Eccl. Hierarc.* Dæmonis lapſus quare non ſit à Deo reparatus.

decipi: & eamobrem illic infirmitas, ſicut & humanitas; duo enim hæc ſynonimūs vſurpantur.

Alex. Alenſ. p. 3 membr. 2. q. 1.
Dæmonis peccatū grauius, peccato hominis.

Rursùs Angelus appetiit omnipotentiam Dei. *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo*; at Deus per omnipotentiam eſt principium, quia ex ea omnia poteſt, & nulli vult eam communicare: ideò ſumma ibi inordinatio, id appetere ad quod Angelus non erat ordinatus; homo verò omniſcientiam appetiit, ad quam erat ex natura ſua coaptatus. *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*: en ſuaſorem caſus, quia homo ad Dei viſionem erat euehendus, ex qua multiſcius foret ex mente Gregorij. *Quid non videt, qui omnia videntem videt?* Homo ergo appetens ſummam ſcientiam, non à ſcopo deuiauit, id eſt, non errauit ab obiecto, ſed deliquit in modo; modus enim collimandi ad hunc ſcopum, eſt gratia Dei ſpecialis, homo autem ſuo tantum conamine fretus, eſſe voluit omniſcius. Denique Angelus deliquit, nemine impellente, homo verò ſecùs, dæmone ei fucos & technas prætendente.

Ex SS. PATRIBVS.

Anſel. lib. 2. Cur Deus homo, c. 4.
Reparatio hominis quare neceſſariā habuit ſatisfactionē adiunctam.

Anſelmus aliam ſubiicit rationem, videlicet non angelicam totam naturam fuiſſe expunctam, Angelo occidente, quod tamen in homine extitiſſet, ſi homo rediuiuus Deo propitio non fuiſſet: perierat enim gens tota: deperdito homine protoplaſto, atqui ait Anſelmus. *Alienum eſt a ſumma bonitate, vt vllam creaturam rationalem penitùs perire ſinat.* Non potuit autem reparari, niſi per ſatisfactionem; hæc autem ſatisfactio incarnationem inuoluit, vt prætium ad noxas omnes plenè diluendas.

Gen. 19.
Aug. lib. 2. contra Gau. c. 21.
Potentia Dei duobus modis conſiderari poteſt.

Neque ſcrupulum moueat, aſſertum hoc proximè prælibatum, videlicet hominem non potuiſſe reparari, niſi præambulâ ſatisfactione; nam bicipiti modo potentia Dei ſe habet, noſtro concipiendi ritu; primò abſolutè, potentiam Dei in ſe poſſumus intueri, & ex hac indagine, omnia Deo poſſibilia eſſe inferimus, nemine reclamante, hac autem virtute præpollente non vtitur Deus; non enim omnes effectus exerit poſſibiles, altero vero modo, præpotens illa Dei virtus, ſpectatur in ordine ad iuſtitiam, & miſericordiam; & tunc potentia Dei connotat retributionem, ex proportione meritorum: & ſic homo ſine ſatisfactione non potuit reparari; quicquid enim Deus obiicit nobis, illud totum fit comite iuſtitiâ, quæ conſono cuique modo, omnia quæ potentiæ Dei ſunt, æqua ſemper lance moderatur. Sed vndè (*inquies*) iſta potentia Dei bipertita? an non gratis ea conficta eſt: minimè verò; eam enim ſancta Theologorum claſſis, emendicat ab Auguſtino, qui ab ea ſe expedit, ex codice ſacro ſuffragante. Multiſcius ille Doctor, exponens, quare cunctantes Angeli compulerint Loth, ad exitum ex Sodoma, & quorſum vnus iuſtitiam Dei dixerit impotentem, Loth præſente. *Non poſſum* (inquit Angelus) *quicquam facere donec exeas*: acutus ille Scholiaſtes, ſic enodat abditum myſterium. *Poſſum de potentia, non poſſum de iuſtitia*: quaſi diceret Deus, poſſum te inuoluere quidem, vindice flammâ, peccatis huiuſce ciuitatis; ſum enim omnipotens, ſed quia iuſtitia bonorum compenſatrix, arcet pœnas ab innoxio, non poſſum addicere flammis, eum qui nullo vnquam vitiorum æſtu conflagrauit: atque ita quod abſolutè queo, hoc connotatiuè nequeo. Liquet ex præfatis, hominem fuiſſe ſatisfactioni obnoxium; quæ autem fuerit illa, aperit Pſaltes. *Frater non redimit, redimet homo*: frater quaſi ferè alter; quilibet ex Adamo ſatus, eius næuos tanquam ex traduce contraxerat, vt ouo prognatus eodem: at homo degener, in pecus abierat. *Vt iumentum factus ſum apud te*; ideòque hominis pœnas diluere, iumentum nequaquam poterat, ergo (*inquit Pſaltes*) redimet homo, homo (*inquam*) ille, qui ſibi nil conſcius, è cœlo dehiſcens, & ſe deorſùm inclinans nos ſurſùm erexit, vt bene inſinuat Auguſt. *Exaltauit ſe homo, & cecidit, humiliauit ſe Deus & erexit*. Totam ſeriem hominis dilabentis, & Deo tandem miſerante reſurgentis, Daniel in Nabuchodonoſor graphicè lineauit. Inibi Rex obiicitur ſpecie arboris quæ patulis diffuſa ramis, cœlos vertice pulſans, terras obumbrabat, folia raro decore virentia, paſcebant oculos, ſicut & fructus multus leuabat inediam, eorum omnium animalium, quibus illic placuerat apricari; alites ramis inſidentes, edito concentu multiplici, & canoro, frequentes modulos repetentes, hoſque ſuaues, inuicem de muſicâ concertabant, ſibi conſonâ; ſed vt nihil omni ex parte beatum, omnis ille decor fugax breui diſperiit; namque voce deſuper edita, arbor exſciſſa, rami diſperſi, excuſſi fructus, folia ſubpallida, animalium receſſus præceps, & alitum volatus pernix, mœrorem ſummum iſta intuenti pepererunt. Hoc ſymbolo, Deus Regis huiuſce Chaldæi gloriam, & defectum, Danieli prænuntiat, & eodem penicillo ſtatum Adami oculis ſubiicio.

Pſalm. 48.

Pſalm 72.

Adami cum Nabuchodonoſor collatio.
Dan. 4
Nabuchodonoſor ſuperbia quomodo à Deo caſtigata.

Geneſ. 1.

Ex SS. PATRIBVS.
Homo in ſtatu innocentiæ fuit Angelis charus.

Adam tenera arbor & procera, vertice cœlo proxima, quicquid enim ſub cœlo magnum, illud erat minus homine, arbor hæc ramis diffuſa ſuis occupans terram, & animalia ſibi ſubiiciens, dominium hominis clamat, cui ſuberant omnia viuentia, folia inſolito virore decora, gratiam ſonant, quâ Adam Deo charus, alites deſuper occinentes, & pede crebro pulſitante ramo, notant Angelos affinitate quadam homini proximos, crebróque colloquentes, quæ omnia, vt æternitatis præludia, hominem denotant immortalem, vt ait Auguſtinus. *Deus hominem fecit; qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.*

Aug. lib. 1. q. non teſt.

Homo ſuperbiens excidit gratia Dei.

Nabuchodonoſor de gloria inſoleſcens regno cadit inglorius, immò & domo pellitur, ſub dio acturus ſeptennium, rore madens, fœno paſtus, inſtar bouis, & cute tenùs, feris per omnia coaptatus; ita & Adam typho inſueto tumens, vt vidit ſe multiplici dote conſpicuum, coruſco lumine ſuo quo inſignis erat, oppidò perculſus, Solis inſtar plus ſolito radiantis, paſſus eſt illicò deliquium, vt indicat ſanctus Auguſtinus: *Homo cupiditate experiendæ poteſtatis ſua, ad ſe ipſum tanquam ad medium prorutt, ita cum vult eſſe, ſicut ipſe ſub nullo, & ab ipſa ſui medietate, pœnaliter ad ima propellitur, id eſt, ad ea quibus pecora delectantur. atque ita cum ſit honor eius ſimilitudo Dei, & dedecus ſimilitudo pecoris: homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ille Dei Prorex orbe toto, diuino charactere inuſtus, faſtu ſuo fatuus effectus, infulis exutus, nec regno tantùm cadens, &

Aug. lib. 12. de Trin. c. 11.

eſt, confeſſis: nam Iudæus ex Hebræo confeſſum ſonat: ſceleratis autem qualis erat Aman ſuſpendium minitantur, quo Iudas malus malè paſtus periit, poſt Euchariſtiam, cuius menſa lethalis eſt omnibus noxa lethali ſauciatis, dum accedunt ad hunc cibum innoxium.

Regis in reginam amoris inibi fuit multiplex argumentum: ſed hæc, licet feruida argumenta, frigent, ſi ea componas cum Deo ſponſo ſeſe totum effundente in amorem animæ ineuntis eius connubia, in hac menſa Deifica. Eam lactat dans vbera: ori eius condiendo melle & fauo, oſculo multiplici collaborat: moratum impatiens animam ſemper ſollicitat, nec à ſe vel minimum diſtrahi patitur amator hic fidelis, de quo Bernardus. *Sponſus tuus non ſolùm amans, ſed & amor eſt.* Conſule Cantica Salomonis & ea perſentiſces feruida crebris amantium æſtibus. *Oſculetur me oſculo oris ſui: meliora ſunt vbera tua vino. Indica mihi vbi cubes, vbi paſcas. Ecce tu pulcher es, dilecte mi & decorus.* Vide iam ſponſum amore etiam ſuas alternante vices æſtuantem. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet, vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.* Tandem tota illa amantium caſta charaque colluſio, æterna vtriuſque eáque penitiſſimâ adhæſione concluditur. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.*

S. Bern.

Cant. 1.
Cant. 2.
Cant. 4.
Cant. 7.

Ex SS. Patribvs.
S. Cypr. de cœna Domini.
Euchariſtiæ dulcis odor & effectus.

Quicquid adiiciant ad hæc amoris indicia ſancti patres, illud totum eſt elingue. Audiendus tamen S. Cyprianus, qui ſacris ſæpe cupediis ineſcatus, licet eas non explicet planè, delibat ſaltem. *Hic panis omnium carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates: vide quomodo his qui Chriſti commemorant paſſionem, intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur, quantam ſuauitatem anima inquirentis vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant, vt deinceps peccatorum pocula horreat, & omnis ſapor delectamentorum carnalium, ſit ei quaſi rancidum, radenſque palatum acuta mordacitatis acetum, vt Chriſtum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo dicta & facta, iubilatione conſona laudes reſonent & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, ſed extinguit peccatum, cum ſopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Hactenus Cyprianus, cui adſtipulatur aureo ſtylo decurrens Chryſoſtomus. *Hæc menſa animæ noſtræ vis eſt, nerui mentis, fiducia vinculum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra.* Chryſoſtomo, Euchariſtiæ elogia luculenter efferenti, ſpemque vitæ & ſalutis reponenti, penes panem hunc vitalem, credidit feliciter Ludouicus vndecimus Rex Gallos, is vitæ dubiæ diſcrimen euaſurus, omnia tentauit quæ vrgere poſſunt reducem ſanitatem, ſed pharmacis inuitâ naturâ otioſis, adfuit quidam trux & μισάνθρωπος hominum oſor medicus; Regem de vita ſollicitum conſolatur, ſpe longioris æui, dum decretum ſibi velit ſubire medicamen. Rex eo promiſſo vegetior, nil cunctatur, exquiſitum iurat obſequium medico decernenti. Audi decretum immane, & cuius animus horret meminiſſe, ideò truculenta eſt pharmaci ſyntaxis ab eo præſcripta.

Nota animæ delicias.

S. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor.
Ex Historia.
Gaguinus in Ludou. XI.
Ludouici XI. Regis Chriſtianiſſimi pietas in Euchariſtiâ.

Sanxit ἀνθρωποφάγος ille medicus, vt Rex matutinus infantis alicuius innoxij calido ſanguine potaretur, aſſerens viuaces ineſſe ſpiritus infantium, quippe qui non longè abſint ab ipſomet fonte vitæ, cuius infantuli prima reſpirant exordia, atque adeò vitales hos ſpiritus, ſanguini inſitos, à Rege exhauſtos, artus eius emoriuos, ſtatui priſtino redditutos. Horruit Rex pius immane facinus, & ex impio decreto pium valde iniit conſilium, ſic apud ſe reuoluens medici crudele effatum. Hic naturæ vires eruditè callens, aſſerit vegetum eſſe, & viuacem ſanguinem paruulorum, vt qui ſint in primo vitæ hauſtu: quid moror, eſt in Euchariſtia, Chriſti non infantis, ſed perfecti, ſanguis omni alio ſanguine vitalior: Eſt adhibendus vſus ſanguinis huiuſce vitalis. Accingit ſe Rex præuia confeſſione: corporis, & ſanguinis ſacri ſemel iterúmque compos factus, alio omni pharmaco abdicato, redditus eſt ſic integræ ſoſpitati.

Itaque non humilis modò, ſed & regia vita capit exordium ab hoc pane, vt ſcit & gaudet Domus auſtriaca, celebris orbe toto, cuius ſtemmati periluſtri Deus Aquilam adiecit Symbolum imperij, ob inſignem pietatem illi familiæ auitam & perennem erga Sanctiſſimum Sacramentum, vt ferunt annales Imperij.

Ex Historia.
Hiſtoria Imperial. in Rodolph. 1.
Auſtriacæ domus pietas in Euchariſtiam.

Rodolpho Comiti Hapſburgenſi, à quo fluxit Auſtriaca proſapia, occurrit ſacerdos pedes, viâ tamen lutulentâ ferens viaticum ægro longiùs à villa conſtituto: Rodolphus eques, ad occurſum Domini ſui exiliit, & egregiæ veſtis incurius, panem hunc venerabundus adorat: parochum ſuperimponit equo, indignum ratus baiulum Domini ſui peditare, & ſe equo vehi. Pedes hinc comitatur ſacerdotem, ad ægri domum, vnde etiam fidum ſe comitem adiunxit peditando vſque ad Eccleſiam, cui præfectus erat hic ſacerdos, qui vt equum Rodolpho comiti reddere voluit, abnuit Comes, Abſit, inquit, equo vehar, cui vidi ſuperimpoſitum Chriſtum Dominum, Equum illum tuæ addico Eccleſiæ; ea tamen ſponſione, vt eo vendito, pretium addicas altari exornando, quo reconditur ſanctiſſimum Sacramentum: nolo qoippe meum eſſe amplius eqoum illum, qui ſeſſorem habuit cœli & terræ Imperatorem. O Rodolphe; quid Imperatorem ore præſago nominas, dum eius colis imperium quod in Sacramento rutilat, viam ſternis tibi, tuiſque ad imperium, vt tibi præfatum eſt illamet die: vaticinióque fidem fecit annus 1273. quo etſi Ottocaro Rege Bohemiæ potentiſſimo æmulo reclamante, Rodolphus Imperio auctus, Imperij inſulas accepit ab eo, quem pronus adorarat, ſub ſpecie panis immortalis.

Hoc inſinuauit planè menſa illa coronata duplici corona aurea, cui panes propoſitionis calidi ſuperimponebantur: vt ſcirent Reges & Imperatores, orbis moderamine eòque ſupremo conſpicui, vtráſque coronas, regias; & Imperij, innixas eſſe menſæ ſacræ, vt vidimus in Ludouico Rege, & Rodolpho, qui non Imperator tantùm, ſed & familiam ſuam in æuum euexit; licet enim aliæ familiæ, vt illæ quas vocant Naſſau, Luxembourg, Bauaricæ, imperij iura adeptæ ſint: Domus tamen Auſtriaca, quaſi iure poſtliminij reuocata, potitur Imperio, Deo ſic probante coronas

Exod. 25.
Corona duplex imminens olim menſæ panũ propoſitionis.

ronas inconcuſſas, quæ ex hac menſa fluunt; & hinc ſeries oon intermiſſa regum Galliæ, ex ſancta Ludouici ſancti proſapia, nimitum in inauguratione Regum Galliæ, corona regia rutilans gemmis altari ſoperimponitur, priuſquam capiti regio, ſimulque in eodem ſacro dantur Euchariſtia & corona, quaſi huiuſce ſacramenti, Galliæ ſit corona comes iodiuidua, vt quæ Regi infideli neſciat incubare. His tandem liquido conſtat, omnimodam vitam eſſe penes hunc panem vitæ, è quo & cœlorum regnum, & omnia inferiotis ab eo notæ alia regna, habent vt ſint æuiterna.

Ex Rituali Regis cōſecr. Corona Regum Galliæ altar' ſuperimponitur.

Quia verò regnis omnibus, & coroois præſtat animæ vita, beneficio Euchariſtiæ præſtita, paois ille non à regno, vel coroois nomen vitæ ſortitus eſt, quam ille item panis rite conſeruat, ne ad occiduum vergens aliquando deficiat: arcet eoim iſtud Sacramentom omne quod officit animæ rediuiuæ, vt experti SS. Patres norunt. Audiendi hoc pane viuaces duo ſancti, Bernardus, & Cyrillus. S. Bernardus. *Duo illud ſacramentum operatur in nobis, vt videlicet, & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum, ſi quis veſtrum non tam ſæpe modò, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo.* Eodem percitus œſtro S. Cyrillos ediderat hos effectus. *Euchariſtia ſedat, cùm in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis ſumus conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos, redintegrat, & ficus paſtor bonus qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.* Nil eſt quod illis præclaris effectibus adiiciam; dicere autem aliquid humilius, eſſet id balbutire, & noo agere eſcæ illius vitalis Encomiaſten.

EX SS. PATRIBVS. *S. Bernard. ſerm. de baptiſmo habito in die cœnæ Domini.* Euchariſtiæ virtus cōtra peccata.

Encomia autem iſta luculenta, & edita à conſciis meoſæ ſacræ, me penè ſecerunt immemorem partium, quas ſuſcepi in hoc volumine toto deuincto moribus refurmandis: hoc etenim ſonat titulus operis. Moralis Encyclopædia. Tropologiam auſpicabor ab animi deliquio quod patior, iſta typis mandans. Non eſt hoc figmento dandum, totus corde percellor, & validè meditans homines ementito nomine Chriſtianos, iactare multa ſe credere de hac menſa, & eius tamen penitus incurios, inhiare magis cibis & dapibus, vnde contrahuot morbos morti facturos obnoxios illos epulones, quibus ex Tertulliano, eſt pulmo templum, Deus venter, agape in cacabis feruet, & ſpes tota in culinis calet, his ventris ſui mancipiis, Cocus agit ſacerdotem, aliis quibuſuis ſacerdotibus abdicatis. Vis noſſe exitum harum epularum? Is eſt exitus à ſæculo, vrgente morte factus celerior, vt deflet æui noſtri Medicos ſummus Duretos, dicens Hippocratis æuo raras fuiſſe pleraſque ægritudines, quia parcius illo ſæculo viuebatur; ſed hac tempeſtate helluones dediſſe arthritidi ſeu morbo articulari, & calculo, familiarum incolatum. Vnde vites mortem indigenam, atque contribulem factam vitio helluonum, vt & Seneca gulam deteſtatus, præmonoit Lucilium ſuum. *Quidquid ferarum diſcurrit, quidquid auium volitat, quidquid piſcium natat, noſtris ſepelitur in ventribus, quæris cur moriamur? mortibus viuimus.*

Gulæ incōmoda.

Tertullian. l. in Pſych.

EX MEDICINA. *Duretus in ſcholiis ſupra Holerium c. de calculo. Senec. ad Lucilium.*

Fruſtra paterfamilias vrget inuitatos: illi de vita parum ſolliciti, mortem ſibi ſollicitant. O æger, quid inuocas ſacerdotem, quem tu ſoſpes & integer eluſiſti? inſtat mors, quam vt eſſet præſtò, eduliis lethalibus adiutaſti. Cibo lethali paſtus, quid mortem incuſas, quam lubens tu tibi conciliaſti? Morere infelix edulium mortis, & pabulum gehennæ, Euchariſtiam gratiæ eſcam, ingratus reſpuiſti ſanos, imò inſanus, eadem eſca cœli ſaucium euomit, ſocium helluonum.

Anima ſoſpes & ſuperſtes, tui compos, vel à lupo diſce diſcretionem booi paſtus, ex eo quod phyſiologia animaduertit. Lupus vrgente inedia, ventrem ieionum ſaburrat quaois obuia ſibi terra: ſed ventre hoc lutulento grauior, ſi carnes offendit, io illas totus effunditur; hac tamen præuia cautela, vt terram euomat primò, & ſic vacuum reficiat corpus eſca ſalutari. O theorema brutis omnibus hominibus inculcandum: opibus, dapibos, luxuriæ & aliis huius farinæ eſculentis, ô anima, quotidie lubens ineſcaris, quid conſcientiam clamas ingrauari? terra eſt quę te terit, iniquitates tuæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper te. Euome io confeſſione graue & lethale lutum, vt paſcaris carne Chriſti, qui tibi obuius eſt in ineffabili ſacramento; caro mea, inquit, eſt verè cibus. Si me non audis corripientem inter te ſolom, adhibeo teſtem S. Auguſtinum. *Quid per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ? Quære vnum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit tibi illud bonum.* Crede Auguſtino confitenti, dulce ſibi fuiſſe carere ſuauitatibus nugarum. *Intrabo* (inquit Deo) *omni voluptate dulcior, ſed non carni.* Has fruſtra tento ingerere menti delicias, pignus Amoris ſeſe quidem explicat amanti, ſed tantùm io hac cœna ſacra, vt Ioanni in eius pectore recumbenti; hinc collige hoc ſacrum Axioma.

Lupi induſtria.

Ioan. 6. S. Auguſt.

S. Auguſt. l. Confeſſ.

SESE QVIDEM VERBVM EXPLICAT AMANTI, SED VERBO NON EXPLICATVR AMANTI, NESCIT TINNIRE AMOR, SED TENERE.

HÆRETICI DVBIAM FECERE realitatem Euchariſtiæ.

In hac verba:

Litigantes adinuicem. *Ioan. 6.*

SECTIO V.

OTho Imperator, Ioannes, Rex Angliæ, & Belgij Comes, milite conſcripto coëuntes duxerunt exercitum ad Galliæ oras, quas Bouinas vocant, Philippo regi extrema quæque minitantes. Gallus obuius ſuorum ſic militum animos erexit. In mediis caſtris altare præaltum erexit, cui ſuperimpoſuit aureum diadema regni, acieique ſuæ proceribus aduocatis, eos eſt ſic affatus: O proceres, Galliæ lumina & columina, de corona controuertitur, in hac euertenda hoſtium cunei omnes in nos aduoari collaborant, veſtram opem ſollicito, pro tuendo decore regni, ne coronâ nutante, tota moles regni facto impetu diſſoluatur. Regem non feſellit ſpes concepta de corona præoſtenſa ex altari:

EX HISTORIA: *Rigordus in Philippo Auguſt. ſub ann. 1214.* Philippi Regis Chriſtianiſſimi induſtria vt Gallorum animos ad certamen acueret.

animos

animos nempe martiales Galli conceperunt, audientes illic agi de corona gloriáque gentis bello claræ. Diceres aſpectu coronæ gemmis auróque rutilantis, animari ad tutelam eius, victoriáque iam concepta, animos induere coronandos, ſicut & ſors fidem fecit: Nimirum Galli etſi impares numero, virtute tamen potiores, impetu facto, aduerſas vrgentes acies, & lethali rubente ferro agmina denſa terebrantes, inglorios ſic eneruarunt hoſtes conſulentes ſibi fuga, vt facinus egregium poſtera ætas adhuc miris efferat encomiis.

Eodem aſtu Eccleſia ſuos proceres accinxit in infidos litigantes circa veritatem corporis Chriſti, realiter exiſtentis in ineffabili Sacramento. Audiit claſſicum perfidorum, qui ſuo litigio panem hunc vitalem volunt ſuffurari: Eccleſia terribilis vt caſtrorum acies ordinata, altaribus vbique erectis ſuperimponit venerabile corpus, & fidelibus adunatis ait: Intuemini, ô fideles, haoc hoſtiam ſacroſanctam, ea eſt amoris Dei in vos ineffabile pignus, hæc eſt Fidei veſtræ potiſſimum decus, & corona: hoc veſtrum diadema nutat in altari, ab hæreticis impetu facto: Religio tota labat, corona ſi labitur. Mirum, hæreſi inſurgente, & faciente dubium Chriſti corpus in altari, plerique docti, hactenus in hac re taciti, ore facundo omnia plenè dubia diſcuſſerunt. Ipſi proceres, videlicet ſancti patres, certiores facti coronam hanc controuerti, hi quaſi agmine facto hæreticos omnes ita profligarunt, vt litigio diſſoluto, Euchariſtiæ fides in Eccleſia Dei ſteterit illibata.

De ritu verò quo Catholici certarunt ne ſis ſollicitus, ille eſt quem Codices ſacri ſcribunt à Chaldæis obſeruatum fuiſſe in pecora. *Chaldei fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos, &* Iob.1. *tulerunt eos.* Dum fideles agunt in hæreticos, agunt in camelos, & aſinos: hæreſis quippe tota carnea, nil niſi brutale & ferinum redolet, & reſpirat: agmine tripartito aggredimur aduerſas has turmas aſininas: ſcilicet agimus, ſcriptura ſacrâ, ratione, & authoritate Sanctorum Eccleſiæ enaſcentis, cuius tenorem primum fuiſſe orthodoxum, omnes in hoc vnanimes hæretici confitentur.

Hæretica perfidia ementitâ fide prouocat ad Scripturas, vt ad normam & amuſſim omnium credendorum: ſed quia vidit ſuas hinc aperire technas, & dilui Sophiſmata, quibus dementat incautos, ſuam aſperſit perfidiam bibliis, idiomate vernaculo cuſis, ne vel hinc aperta realitas CHRISTI ab omnibus crederetur. Crimine ab vno diſce omnes alias hæreticorum nugas, atque perfidias. Chriſtus probans carnem ſuam præſtare Mannæ Iudæorum, quod morti Ioan.6. Euchariſtiæ realitas probatur. obnoxios relinquebat ſuos Epulones, ait; *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Prauitas hæretica iugulum præcauens inde peti, noluit ſincera verſione reddere verba Chriſti dicentis ſe eſſe panem viuum, ſed ſic biblia hæretica mentiuntur, Ego ſum panis viuificans. Vis videre lethale virus abditum in hac voce, panis viuificans?

Omne edulium humanæ naturæ conſentaneum, viuificandi vim habet, & energiam quamdam vires reparantem, quæ calore humidum depaſcente lababant: ſic manna Hebræorum erat panis viuificans, ſicut & panis noſter vſualis viuificans eſt: ſed Chriſtus panem dicens dare præſtantiorem, adiecit, dare ſe panem viuum, id eſt panem cuius ſpeciei ſubeſſet corpus animatum, vita quæ de cœlo deſcendit, & ea eſt emphaſis Græca quæ eruitur ex ipſiſmet Bibliis Græcis hæreticorum. Ioan. 6. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος Ioan.6. ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. Et ne plebs ignara idiomatis Græci, hæreſi deperiret, Eccleſiæ tenebras, expunxerunt ſenſum vocum ἄρτος ζῶν panis viuus, has inſerentes, panis viuificans.

Rurſus præuidens Chriſtus fore vt hæretici tropum inueherent, & figuram, dicentes corpus metaphoricè tantùm, & figuratiuè eſſe in pane conſecrato, appoſuit explicitè vocem hanc verè, σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, *Caro mea verè eſt cibus:* Ioan.6. Atqui non poteſt eſſe cibus, niſi ratione paſtus, id eſt, panis conſecrati: ergo qui addit vocem ἀληθῶς, id eſt, verè, noluit figuratè accipi verba ſua luce clariora.

Demum quatuor Euangeliſtæ, & Paulus, referentes verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus* Luc.22. *meum*, nullam ibi dictionem figuratam agnouerunt: quod ſi figuratè tantùm Chriſtus corpus 1.Cor.11. ſuum in ſignaculo tradidiſſet, non verbis adeò ſinceris incautos codices ſacri decepiſſent.

Omnibus innotuit Bezæ ſacrilegi temerarius Luc.22. auſus, qui agnoſcens realitatem ex verbis Luc. 22. incongruum appellat Euangeliſtam, & obnoxium ſolœciſmo, quia dixit calicem effundendum pro orbis vniuerſi ſoſpitate; hoc enim græca ſonant, quę fidem noſtram ſartam tectamque ſtabiliunt. Vide impoſturam fœcundam & commentum audax. Ait ſe pleraque, & antiquiora exemplaria perlegiſſe, textuque concordi hæc verba notaſſe fauentia catholicis τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Vbi (noia) ait calicem effundendum ποτήριον ἐκχυνόμενον: atqui non vinum ſimplex effuſum eſt pro ſalute mundi; ergo calix ille erat ſanguis Chriſti. Argumenti vim ferre minimè valens Beza, ſuſpicatus eſt mendum in codice Græco, malens dicere fuiſſe Lucam incongruum grammaticum, quia verax eſt, quàm Lucæ Euangeliſtæ credendo, fidelem ſe catholicum ingenuè confiteri: ſic rationi ſuæ nimium attribuens, ſe rationis expertem, ſalutis æternæ diſpendio propalauit.

Ea enim eſt natura fidei quæ & Lunæ, ex cœlica Matheſi. Luna ſi infernè opaca fuerit, & quaſi ſubobſcura delitescat, oculis non peruia tunc ſupernè rutilat, maximè pellucida: eſt enim iuncta Soli, cuius ſubiecta radiis, ſuperior eius hemicyclus totus eſt coruſcus: cùm verò eadem Luna terram verſus irradiat, hoc ſuo plenilunio deorſum rutilante, pars eius ſuperior eſt tota luminis expers. Ita & fides, ſi infernè, id eſt, à ratione lumen emendicat, modica fit ſupernè, vt ait S. Gregorius. *Fides non habet meritum, vbi* S.Greg. *humana ratio præbet experimentum.* Si verò ſecus, fides excuſſerit tenues effuſos à ratione radios, clarior efficitur ex ſupernis, Deo nimirum dante ei maius luminis incrementum. Inde diſcipuli fidem ſuam accendentes, ad Ieſum accedebant. *Domine adauge nobis fidem*, & Pſaltes. *In lumine tuo videbimus lumen.* Tamen ſicut Philoſophus ait omnibus ſtellis inſitum eſſe aliquod lumen à natura, quod non eſt contrarium ei lumini quod ſol effundit in quælibet aſtra, coruſco lumine præfulgida; ita & Deus homini adiecit lumina rationis, non inimica lucis, quam fides excipit ex ſupernis, ſcilicet à Deo

ſolo,

ſolo, vt Sole radios hos fideles effundente in animas myſteriis ſacris initiatas.

Fides nō eſt contraria rationi.

Item etſi Medicina fateatur naturam eſſe medicatricem, & morborum curatricem: ea tamen profeſſio ſalutis humanæ ſollicita, pleraque ſagax excogitauit pharmaca, quibus naturæ dubiæ ſuccurreret, quia ex Herophylo, pharmaca ſunt auxiliares Dei manus. Ita etſi fides conſenſum ſola noſtrum extorqueat, & aſſenſum circa ſua myſteria, ratio tamen dubiæ occurrens fidei; eam indubiam firmat. Ratione igitur corporis Chriſti realitatem breuiter aſſeramus.

Sacramenti ratio in quo ſita.
Marci c. vltimo.
1.Cor.10.
Ex SS. PATRIBVS.
S Chryſoſt. hom.24. in 1.ad Cor.

De ratione Sacramenti eſt, vt verbis propriis explicetur & non typicis, atque figuratis: nam ibi ſigna conuenire debent cum re ſignificata, vt patet ex Baptiſmo cuius inſtitutor eſt Chriſtus. *Ite baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ergo cùm Euchariſtia ſit ſacramentum, vt volunt hæretici, debuit inſtitui verbis propriis, vt ſunt hæc quæ realitatem ſonant. *Hoc eſt corpus meum* Vnde hoc Sacramento realiter ſumi corpus Chriſti, ait Apoſtolus. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti, & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* S. Chryſoſtomus hic Pauli ſedulus interpres, ſic ait. *Horum verborum hæc ſententia eſt, quod eſt in calice, id eſt, quod à latere fluxit, & illius ſumus participes.* Idemque ait Paulum noluiſſe dicere, *μετοχὴν* id eſt participationem, ſed *κοινωνίαν* id eſt communicationem, vt notaret vnum eſſe communicantem & rem communicatam: & S. Cyrillus, ex eodem fonte probat Chriſtum in Euchariſtia vniri nobis realiter.

S.Cyril lib. 10 in Ioan. c.13.
Teſtamentū debet eſſe perſpicuum.
Matth.26.
Luc.22.

Secundò teſtamentum inſtitui debet verbis apertis, & non multis ſenſibus obnoxiis, ne hinc litigandi ſumant exordium illi ad quos hæreditas deuoluitur: atqui Euchariſtia eſt nouum teſtamentum, vt eam ipſe nuncupat Chriſtus, illam inſtituens. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti. Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine.* Hinc cæcus eos aſſerit Auguſtinus, qui non vident realiter corpus datum, illo explicito teſtamento. *Iudæi de crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur.* Quod ſi nefas eſt adiicere aliquid hominis teſtamento, vt ait Paulus. *Hominis confirmatum teſtamentum, nemo ſpernit aut ſuperordinat.* Quis niſi impius teſtamento Chriſti offundet næuos, dicens eum figuratè locutum, quaſi ignarum ſtyli quo cudi debent teſtamenta, id eſt verbis expreſſis, & apertis, vt cautum eſt iure Ciuili: quo fit vt ſi cui teſtamento legata ſit domus, hæres non poteſt opponere eſſe legatam domum pictam, de ratione enim eſt teſtamenti, vt ad literam voces expendantur.

S. Auguſt. in Pſalm.33.
Galat.3.
Leges verbis perſpicuis eduntur.

IVS CIVILE.
ff de legatis l.non aliter.
Tertul. de reſurrect. carn. c.8.

Tertiò leges verbis propriis eduntur, ne ſi ſenſus eſſet ſuboſcurus, exleges fierent delinquentes, occaſione capta ex verbis legem non benè prodentibus: ergo cùm hæ Chriſti voces, Accipite, comedite, facite, ſint præcepta, & corpus datum reſpiciant, circa quod verſatur hoc præceptum, propriè ſunt intelligenda hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſicut accepit Tertullianus. *Caro corpore & ſanguine Domini veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.*

S. Auguſt. li. 3. de doct. Chriſtian. cap.6.

Sed Achillæa ratio, qua Hectoreum omne cadit, ab hæreſi in realitatem intentatum hæc eſt, non meo Marte, ſed arte beati Auguſtini. *Nihil eſt obſcurè dictum in ſcripturis, quod ſpectet ad fidem, vel mores, quod non pleniſſimè dictum ſit in alius locis.* Explico Auguſtinum. Is eſt genius ſcripturæ ſacræ, vt vbi agitur de dogmate aliquo mentibus ingerendo, aut de præcepto cuius praxi & ſequela cautiores fieri debeant homines, ſi in tali dogmate aut præcepto, figura quæpiam ſit in modo loquendi, ſtatim ille tropus ad ſenſum intentum à Deo reuocetur, ne illudat ocellos incautos legentes huiuſcemodi dialectum: verbi gratiâ, præcipiebat Dominus Ieſus diſcipulis ſuis vitam alienam ab ea quam agebant Phariſæi, cute tenus ſancti, quorum hypocriſim deteſtatus ait tropicè diſcipulis, *Attendite à fermento Phariſæorum:* ſed quia præceptum erat, & eſt de ratione præcepti, vt ſi quæ in eo figura explicetur, ſtatim addidit. *Quod eſt hypocriſis*, explicans debere eos ab hypocriſi ſemper abhorrere. De reſurrectione corporis ſui extincti verba faciens dixerat, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ne quis ſuſpicaretur templi materialis compagem diſſoluendam, explicat Euangeliſta. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Cùm ergo Scriptura Sacra, nullum ſcrupulum mentibus ingerat, vbi tropicâ phraſi aliquid enuntiat, liquet hæc verba ſimpliciter eſſe intelligenda, *Hoc eſt Corpus meum*; nam aliquis Euangeliſtarum in re tanti momenti latentem tropum enodaſſet, ſi figurata dialecto Chriſtus ſuum illud Corpus fuiſſet elargitus, & hunc fuiſſe ſenſum omnium fidelium & Sanctorum Patrum non erit graue mihi facere palam: ſed labor erit in delectu, ne cuiuis Sanctorum Patrum faciam iniuriam ſi tacitum prætermitto. INOPEM ME COPIA FACIT. Diceres Sanctos omnes tabernaculo adſtantes hoſtiæ conſecratæ, eſſe ſexaginta fortes, agentes excubias ante lectulum Salomonis. Nolo hic conglobare ſententias de Euchariſtiæ realitate, atque adeò facere locorum communium ſyntagma recens: extant in hoc argumento cuſa volumina. Paucula patrum ſcita prælibabo, ne improbata maneat ex hoc genere diſceptandi realitas corporis adorandi: vt ergo ad noſtras partes attraham infideles, qui ſe orthodoxos mentiuntur, hanc catenulam texo, auſpicans à diſcipulo Apoſtolorum, Ignatio, qui de quibuſdam hæreticis Patriarchis Sacramentariorum, ſic eos hac infidelitate notat. *Euchariſtias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Euchariſtiam eſſe carnem ſaluatoris.* S. Dionyſius. *O Diuiniſſimum, Sacro-ſanctum Sacramentum, obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperit.* S. Iuſtinus. *Non vt communem panem, neque communem potum hæc ſumimus.* Tertullianus. *In Calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis ſui confirmauit.* S. Hieronymus. *Non vult eos ieiunos dimittere, ne deficiant in via; periclitatur ergo qui ſine cæleſti pane, ad optatam manſionem feſtinat peruenire.* S. Hieronymi coæuus Auguſtinus. *Verè magnus Dominus, & miſericordia eius vera, qui nobis dedit manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt.* Me carta deficiet, antequam Sancti Patres accincti ad tutelam huiuſce Sacramenti.

Luc.12.
Ioan.2.
Cant.3.
Ex SS. PATRIBVS.
S. Ignat. epiſt. ad Smyrn
S.Dion.l. de Eccl. Hierar. c.3.part.3.
S Iuſtin. Apol.2. ad Imp. Anton.
Tertul.lib 4. contr.Marcion.c.40.
S.Hier.in c. 15.Matth.
S.Auguſt.in Pſalm.33.
Pauſanias in Hiſtoria Græca.

Venit in mentem oraculum Apollinis, quo Megarenſes facti cautiores, nutanti conſuluere Reipublicæ. Miſerunt legatum Æſymnum Delphos, vt reſciret quid facto opus, in dubia tempeſtate, quâ malè ſtante eorum ſtatu, ſummum

erat

erat obitura periculum vrbs Megara, ni Deo aliquo propitio ſuffragium illico pararetur. Conſulitur oraculum adhibito piaculo, ſuggerit Conſilium, equidem laude dignum, & vtinam fierent hæretici eo Conſilio cautiores. Ecce oraculum, DEFERATVR AD MVLTOS. Redit ad ſuos Æſymnus, præſati neſcius oraculi, & quid in eo myſterij latitaret. Ne tamen legati deeſſet officio, refert editum oraculum, in Comitiis orans ſuper hoc oraculo, cuius ſenſum non capiens, longæui quidam proceres ciuitatis ſic ſunt interpretati mentem Apollinis. Deferre ad multos, eſſe ſenſum ſequi eorum qui nobis præierunt, & actus ſuos componere ad normam eorum, qui ſuperiori æuo beatam egere vitam. Applauſum eſt oraculo in hunc modum enodato, ſtatimque reuocatâ patrum memoriâ, quomodo ſe geſſiſſent rebus dubiis, & quomodo labanti Reipublicæ fuiſſet occurſum eorum ſæculo, Megarenſes inſiſtentes patrum veſtigiis, & ſe aptantes ad eorum inſtituta, ingruentem declinauere procellam, facti ſuorum Maiorum ſeduli ſectatores,

Megarenſiũ induſtria, vt explicarent dubium oraculum.

Velim hæreticos velle deferre ad multos, vt hortatur Iſaias. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulete in ea.* Nimirum non eſt litigium, quod non plenè diluat ſacer & ſincerus Senatus Sanctorum Patrum, quorum fides dubia neſciens, ad nos indubia deriuatur. Si itaque deferatur ad multos, benè nobis conſultum eſt à quibus ſtat vniuerſus Sanctorum chorus concinens. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui.*

Iſai. 38.

EX SYMBOLIS:

Sed vt Tigris cantibus excandeſcit, ſæuiens in muſicam; ita & hæretici, Patrum concentibus truculenti ſæuiunt, & in blaſphemias effunduntur, Cothurnicem referentes, quæ quo Luna ſplendidior, querulo cantu ſeſe eò diſcruciat ampliori, vt Symbolo exprimit Camerarius hoc titulo, IMPVRA QVID AVDES: ſit enim hoc inquieto cantu vt Cothurnix incauta, retibus aucupis innoteſcat, Euchariſtia inter Sacramenta rutilat, ſicut inter ignes Luna minores: hæretici exoſi lumen, vtpote lucifugæ atque tenebriones, ſæuiunt in hanc Lunam. Sed ô hæreſis impura, quid audes, loquela tua manifeſtam te facit, ſcilicet oriundam à Galilæa, id eſt, ab inconſtanti plaga; hoc enim ſonat voa Hebræa: ſibi enim parum hæreſis conſtans, non conuenit in aſſertis & concluſionibus, circa hoc Sacramentum. En Lutherani panem inuehentes cum Chriſto, quem ſic faciunt impanatum; Zuingliani verò Chriſtum abiurantes, vt nudo ſe ſe pane ingurgitent.

Camerar. in centur. de auibus.

Galal volubilem eſſe.

Inſtant hæretici ex Ioanne, *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam*; ergo Chriſtus non eſt illic, niſi ſpiritualiter, id eſt, per fidem & figuratè. Reſpondeo carnem, vt caro eſt, non prodeſſe, ſed vt vnitam Verbo prodeſſe; nam ex Deo qui viuificat habet hic panis totum ſuum eſſe vitale. Rurſus Chriſti caro eſt in Sacramento modo ſpiritali, quia corpus eſt totum in qualibet parte hoſtiæ, ſicut eſt anima in corpore: vnde corpus Chriſti eſt ibi non extenſiuè ad locum, inſtar corporum quæ locantur; corpus autem poſſe eſſe ſpiritale, & reale, ait Apoſtolus. *Seminatur corpus animale, & ſurget ſpiritale.*

Ioan. 6.

1. Cor. 15.

Diſcipuli increduli ſuſcitato Domino, etſi corpus Chriſti eis obuium appareret, putabant ſpiritum ſe videre; ita & hæretici infideles, corpus Chriſti minimè confitentur, ſed putant ſpiritum ſe videre, nihil illic reale confitentes niſi quod ſibi fingunt. Rurſus Chriſtus ait carnem non prodeſſe, quia Iudæi manducationem cogitabant, qualis eſt carnium, quæ cruentant eos qui deuorant eas ſanguine diffluentes, vt ſic explicat Auguſtinus. *Caro non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur, nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum non caro fieret, vt inhabitaret in nobis.* Ait Chriſtus. *Me non ſemper habebitis.* Id eſt, præſentia viſibili, ſed ſe fore inuiſibili præſentia eis comitem indiuiduum ait. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.*

Obiectiones hæreticorũ diſſoluũtur.

Matth. 26.
Matth. 28.

Denuo obiiciunt: inſtitutum eſt iſtud ſacramentum in memoriam Chriſti. Dixit enim in memoriam mei facietis; ergo ibi Chriſtus non eſt, cùm memoria ſit rei præteritæ non præſentis. Reſpondeo eſſe Euchariſtiam in memoriam paſſionis Chriſti, quæ reuerà iam præterita eſt; nec repugnat ibi Chriſtum referre ſe olim patientem, ſicut & Henricus Rex Gallus nomine quartus ita afficiebatur victoria, quam ad oras Sequanorum reportauit, fugatis Hiſpanis, vt retrò florentibus annis choreas Pyrrhicas inſtituerit, hanc victoriam Henrici referentes: ſuas egit partes Henricus ipſe, etſi perſonatus; ita vt Rex præſens eſſet idea ſui ipſius, hoſte fugato triumphantis.

EX HISTORIA.

P. Matthæus in Henrico.

Denique apud Auguſtinum inueniſſe gloriantur figuræ nomen inditum Sacramento: ergo non eſſe ibi Chriſtum, cuius figura panis ille nuncupatur. Reſpondeo primò ſanctum Auguſtinum multis in locis affirmare realitatem, nec vocando corpus Chriſti figuram, euacuare realitatem: nàm cùm Euchariſtia ſit Sacramentum, & omnia Sacramenta debeant habere figuras & ſignacula rei ſignificatæ, vnde dicta ſunt *αντίτυπα*; ſic erit panis figura Chriſti animas inеſcantis, ſicut & baptiſmi ablutio, figura eſt ablutionis animæ, quæ realiter eſt cum figura, ſicut & ipſe Chriſtus dicitur à Paulo. *Imago Dei inuiſibilis, figura ſubſtantiæ eius.* Et realiter tamen eſt eadem eſſentia numerica, quâ Pater eſt Deus, ita etſi Euchariſtia figura dicatur eſſe corporis Chriſti, erit inibi & idem corpus Chriſti.

Col. 1.
Hebr. 1.

QVID MORALE ELICI DEBEAT ex realitate corporis Sacro-ſancti.

MOſes myſteriorum Dei ſedulus indagator, vbi vidit ignem in ſpineto, lumine hactenus inaſpecto coruſcantem. *Vadam* (inquit) *& videbo viſionem iſtam magnam.* Non terruerunt eum ſpinarum acumina, quibus hiſpidus erat rubus, venerabundo greſſu nudoque veſtigio piè ſe accingens accedit ad vepres, quas lambebat ignis, reique nouæ ſeriem ſeriùs inueſtigat. Deum illic audit, diuino dignatus eloquio, ex homine in diuinam quaſi naturam tranſit, Deo illi dicente. *Ecce ego te conſtitui Deum Pharaonis.* Eadem & nos ſumus beandi ſorte, rimantes rubos & ſpineta, quibus hæretici ſepiuntur corpus Sacro-ſanctum. Diatris ignem ardere in ſpinis; rutilat enim magis illa

Exod. 3.

realitas,quo maiores ſpinarum faſces adiiciunt hæretici. Nec erit iſti veritati diſſonum lemma Cæſaris Docis olim Modenæ, qui Solem pinxit è nubibus emergentem, hoc lemmate, OBSTANTIA NVBILA SOLVIT. Quicquid tenebrarum offundant infideles, ſuis argutiis obſcuratores iſtud Sacramentum; tamen obſtantia nubila ſoluit, nec vllo vnquam æuo tenebreſcet. Accedentes ſicuti decet ad rubum hunc præſente Deo rutilum, nullis patent aculeis, imò Deo pleni aliam quaſi naturam induunt, facti diuinæ conſortes naturæ, vt præmonet ſummus Apoſtolorum vertex Petrus, à quo hanc apotheoſim ſeu deificationem accipe, dũ ſic de Chriſto fatur. *Per quem maxima,& pretioſa nobis promiſſa donauit,vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem, vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem* (& paulo poſt) *hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent,in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione: cui enim non præſtò ſunt hæc,cæcus eſt.* Quaſi diceret Petrus, nos Chriſto coaptatos, eius naturæ ſanctum inire conſortium, vitæ immortalis facti participes, alio planè modo quàm filius Sunamitidis ad vitam reuocatus: incubuit Eliſeus puero extincto & breuiuſculi corporis ad menſuram Propheta procerior ſe totum compendiosè decurtauit;hic verò ſecus anima emortua ſumpta idea vitæ ab Euchariſtia, debet ſe modo corporis Chriſti exiſtentis inibi coaptari, vt opimè paſta hac Angelorum eſca ſaginetur. Eſt autem illic corpus Chriſti realiter, ſed modo ſpiritali, vt ſonant hæc, *Verba quæ locutus ſum vobis,ſpiritus & vita ſunt.* Vt ergo ſint deifica, ea quæ Euchariſtiam participant,debent eſſe realiter & modo ſpiritali, quo corpora quaſi in naturam Angelorum euehat.

EX SYMBOLIS.
Typotius lib. ſymbol.
2. Pet. 1.
4 Reg. 4.
Euchariſtia concludit Chriſtum decurtatum.
Ioan. 6.

Philoſophia iſti Theologiæ lumen adiiciet, hoc aſſeren. Ens, vnum,bonum,verum,aliquid, res,idem ſonant,vt quæ connotatione tranſcendentali prædicantur. Igitur vt aliquid ſit realiter,debent coire bonitas,vnitas,& veritas,alioquin patitur res aſſignata deliquium. Vis,ô homo, coaleſcere realiter in idem Chriſti corpus, eſto realiter,id eſt verè, ſicut & docet Philoſophus. Veritas autem rei eſt conformitas cum ſuis principiis:verbi gratiâ,hominis Chriſtiani principium ſumitur ex baptiſmo, quo homo gratia Dei inſtitutus, graphicè refert imaginem Dei, ad cuius ideam natura hominis effecta eſt, ab ortu mundi enaſcentis:hinc homo lethali peccato obnoxius, quia excidit à gratia quæ vitæ Chriſtianæ fuit exordium,non eſt homo niſi fictè:verus enim homo ille tantùm eſt, & cenſetur qui conformitate gaudet, cum ſuis principiis,id eſt,cum gratia, & ſequacibus eius donis infuſis.

EX PHILOSOPHIA:
Ariſt. lib 4. Metaphy.

Itaque ô anima,lethalibus obnoxia, caſſa eſt communio tua, ſuper inueniente peccato,ſuiſque næuis gratiam obumbrante,te verum hominem ementiris,ineſt tibi deformitas, atque adeò falſitas. Non es homo realiter,ſed æquiuocè tantùm;Angelis ſic ignotus,& cœlo toti,vt deflet Ieremias. *Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in viis,qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Quid inde? *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum,non ſunt agniti in plateis.*

Euchariſtiæ virtus deperit animæ in peccato.
Ierem.
Thren. 4.
Ambroſius lib Symbol.

Te peccato ſaucium, poſt hanc Synaxim ſugillat Ambroſius, hoc ſymbolo. Hominem ſuperinductâ laruâ perſonatum pingit, hoc ſtemmate: VERA LATENT,DA VERVM CERNERE LVMEN. Verè vera latent, cùm gratiam expunxiſti, non agnoſceris in plateis,qui Diaboli laruam induiſti. Redi præuaricatrix ad cor. Da verum cernere lumen, ioſta priſtinæ gratiæ, vt Angelos pacis amarè flentes tandem aliquando conſoleris.

Ierem. 3.
Iſai. 33.

Solymannus olim gentis illius infidelia præpotens Archidynaſta,Rhodios equites pertinaci obſidione premens,eo tandem egit,vt de arce hoſti remittenda componerent.Stante pacto Rhodij hoſtem admittunt cedentes loco; voluit Solymannus ſiſti ſibi Præfectum equitum, quem hi Magnum Magiſtrum vocant, præſtò eſt ille pace belloque clarus, ſed infelix Magiſter Philippus *de Villiers*, vir grandæuus, & veneranda canitie inſignis, ſiſtitur Solymanno princeps inglorius, infelici habitu, & ad lachrymas compoſito. Obſtupuit Turca primò, admiratus alternantis, vt aiebat, fortunæ ludibria: Demum memor egregiè factorum præclari Ducis, animus ille calibeus, alta trahens ſuſpiria reſperſa lachrymis: Heu, inquit, durum hominis huiuſce fatum! heri erat ſummus, & hodie imus; miſeror ſanè caſum tanti viri, qui exulare cogitur, immemor ætatis ductæ in hoc æuum glorioſè. Eſt ſanè in homine reprobo vberius fletuum argumentum: erat quippe ens reale & verum gratiâ ſtante, quam ex communione hauſerat; ſed à Deo deficiens, ibi cum Dæmone de corde ei mancipando componit. Præpotens Deus, in quos anfractus ille deuoluitur! ad nihilum redactus eſt, & neſcinit, *Obſcuratum eſt aurum & immutatus eſt color optimus: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Lachrymis ſuis ſua aſperſit lamenta Vates, quæ homo immemor Dei à gemebundo exterit hoc Propheta, ſic deſleore animam teſugam. *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te,filia Ieruſalem, cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion,magna eſt enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Imagine Dei obliteratâ, ſi petis,Quæ eſt imago Chriſtiani peccatis obnoxij; reſpondebo eſſe imaginem Cæſaris,animæ videlicet gentilium tribus occupatæ, atque adeò flammis æternis eorum Cæſare mancipandæ. Huius animæ ſanè habitus deterior eo in quem Iob deuolutus, ita ſuorum perculſit animos, vt eo viſo defluente ſanie, & corpore denudato, taciti omnes tanti viri caſum expauerint: videbant enim dolorem eſſe vehementem, inquit ſacer Codex. Ipſa ſuorum olim peccatorum ita Sanctos pœnitentes idea perculit, vt eos memores illius ſtatus infelicis diceres velle ad tartara dehiſcere. Audi gemebundos, & hos imitare, & fleto cum flentibus, vt poſſis poſthac gaudere cum gaudentibus. S. Auguſtinus. *Quid mi pater me geſſiſſe recolo; merui mortem, & peto vitam; commoui Regem meum, cuius impudens inuoco præſidium; contempſi iudicem, quem temerè poſtulo adiutorem; inſolens renui audire patrem,quem demum præſumo habere tutorem. Heu mihi, quam ſerò venio, heu, heu, quam tardè feſtino, heu me,quia curro poſt vulnera, dedignans incolumis præcauere iacula, neglexi proſpicere tela, modò verò ſollicitor de morte vicina. Recentes cicatrices labe reſperſi, quia priſca*

I. Bodinus in Hiſtor. Melit. lib 9.
Ex Hiſtoria.
Ex Calchondila in Hiſt. Turc. in Solym.
Solymanni affectus erga Rhodiorum magiſtrum.
Pſalm. 4.
Thren. 4.
Thren. 2.
Iob. 2.
EX SS. PATRIBVS.
S. Auguſt. l. Medit. c. 3.

flagitia

flagitia modernis iniquitatibus reciprocani, & quæ diuina ſolidauerat Medicina, mea reſoluit prurigo phrenetica. Cuius quæ ſuperducta vulneribus morbum celauerat, ſaniæ erumpente putriuit, quia iterata iniquitas conceſſam miſericordiam exinaniuit.

Iudic. 7.

Ex Symbolis:

O lachrymas Deo gratiores eis, in quas effuſus idololatra Michas, noluit conſolari! *Deos meos* (inquit) *quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis quid tibi eſt?* Deum flebat ille quem fecerat; & non fles Deum, qui te fecit, imò qui refecit. Heu quali ſeſe lachrymarum diluuio Dæmon immergeret, ſi penes eum eſſet diluere fœdam imaginem, quâ deformis eſt, & infamis: noſtra inde beatior eſt ſors, cui lachrymis eſt conceſſum ideas gratiæ extinctæ reuocare; ſicut & lilio à radice exciſo datum germinare, ſi ceſpes immergatur aquis, vnde & lemma quo lilia aquis immerſa florent licet extirpata, hoc titulo, ET AVVLSA FLORENT. Diceres Deum voluiſſe lachrymis reuocare gratiam deperditam poſt Euchariſtiam ſumptam, ſicut & dixi lilia germinare. Ferunt enim, Mappam cœnæ ſacræ liliis acu inſitis variegatam fuiſſe & floridam: hancque Olyſſiponæ ſeruari in templo S. Rochi, quaſi inſinuaret Deus homines exciſos à gratia, quam ex pane vitali contraxerant, poſſe iterum eamdem haurire ex lachrymis, quibus anima immerſa, ET AVVLSA FLORET.

Lilia florent in aquis. *Symbolum hoc eſt in lib. Scipionis Bargaglij. Ita Laurent. Beyerlink in Theatro vitæ hum.*

Potens eſt ciere lachrymas reduces gratiæ, illa ſancti Bonauenturæ comparatio reprobi cum Diabolo, cuius collatione deterior inuenitur homo, gratiæ Dei expers, & eſſe reali deſtitutus: ſic piè meditatur. *Domine Deus tu impreſſiſti mihi amabilem imaginem tuam, & ego ſuperinduxi odibilem imaginem diabolicam, heu heu miſer ego homuncio; quod dæmonis imaginem ſuperimpreſſi ſuper imaginem Dei! Cur non odi eius imitationem, cuius abhorreo nomen! ille ſponte occidit, ego volens corrui; ille nulla præcedente vindicta peccauit ſuperbiens, ego viſâ eius pœnâ peccaui contemnens; ille ſemel innocentia deſtitutus eſt, ego multoties reſtitutus; ille ſe erexit contra eum qui ſe fecit, ego me erexi contra eum qui me refecit; ille Deum dereliquit permittentem, ego fugi Deum perſequentem; ille perſtat in malitia Deo reprobante, ego curro à Deo miſericorditer reuocante: Et ſi ambo contra Deum: ille tamen contra Deum non requirentem ſe; ego verò contra morientem pro me, Ecce cuius imaginem ego abhorrebam, cùm in multis me inueniam horribiliorem.*

Tom. 3. de Euchar.

S. Bonauent. in Solil. 3.

Pœnitentio animæ ſuſpiria.

Calor ille qui fletibus ineſt pœnitentium, viuida facit illorum corpora, & vera, ſicut & verum eſt Corpus Chriſti, ad cuius normam ritè componimur, & cui communicantes ſumus concorporei, vt ait Apoſtolus, σύσσωμα τὰ ἔθνη. Enimuerò medici verum corpus humanum, humido & calido ſtare ferunt, alioquin eſt cadauer, & cloaca vermium, ſentinaque ſpirans odorem tetrum, iuxta id, *Quatriduanus eſt, iam fœtet*, & Iſa. *De cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* Huic fœtori occurritur Sacramento, de quo ait Sponſa, *In odorem curremus vnguentorum tuorum. Trahe nos poſt te.* Fœtorem hunc peccati dilui Sacramentis, Deus palam omnibus fecit anno 579. quo Beatus Auitus Antiſtes Aruernorum Iudæos multos alluit ſacro fonte, quorum antea corpora fœteoria, ſuam hoc Sacramento graueolentiam illico diluerunt. Humido & calido inſitis cadaueri Lazari extincti; fœtorem excuſſit corpus tale rediuiuum. Fias inde cautior anima fœteos, lachrymis quas cieat amor immergere, & emerges Chriſti bonus odor, cadaueris horridi tetrum fœtorem exoſa, ſicque vero & reali bonoque corpore redux & Deo reddita potieris.

Epheſ. 3.

Ioan. 11.

Cant. 1.

Fortunat l. 5. Carminum.

Baptiſmus fœtorem Iudæorum deterſit.

Hæc item corporis omnimoda ratio ex Mathematica diſcotitur: vult Matheſis corporibus ineſſe trinam dimenſionem; ſcilicet altitudinem, quâ procera ſunt corpora; latitudinem, quà vſquequaque ſpatiantur; profunditatem, quâ dehiſcunt. Theologia factura nos concorporeos Chriſto, trina nos hac dimenſione compaginat, ex infuſione fidei, ſpei, & Charitatis: quod & firmat Auguſtinus. *Domus Dei credendo fundatur: ſperando erigitur, amando perficitur.* Spes erigit, fides humiliat, Charitas facit amorem noſtrum dilatando latum.

EX MATHEMATICA.

S. Auguſt.

Aſt ineffabilis ſumma myſterij, in eo ſita eſt, vt corpus hoc reale ſuis internis conſtans apprime dimenſionibus, fugiat tamen aciem oculorum, modo ſpirituali exiſtendo ſub pane hoc deifico. Et hæc eſt coronis, imponens colophonem virtutum myſticæ contexturæ: videlicet ea virtutum eſt ſyntaxis & ratio, vt licet concorporeæ ſint nobis, hominum tamen fugiant indaginem, & quaſi lucifugæ ſe ſe oculorum ſubripiant obtutibus, in eo quamdam cum ſancto Enoch anologiam præferentes, de quo ſic ſacer textus, *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quæris, cur homines virtute inſignes, fuga ſibi conſulunt declinantes oculos inſpectorum? fit tibi ſatis Codice ſacro. Non apparent, quia tulit eos Deus. Moſem recens natum Mater eius eâ cautelâ eripuit neci, quam moliebatur Pharao maſculis Hebræorum: aderant homicidæ, qui maſculos fletu ſe ſe prodentes iugulabant: ſed Mater Moſis videns puerum elegantem, abſcondit, & latebræ fecêre ſoſpitem infantulum, quem hominum aſpectus mortis imperio mancipaſſent. Si ergo trina dimenſione, & virtutum tenore inſigniris, habe te modo ſpiritali, & oculis inuio: ſi aliquos actus exeris elegantes, abſconde, ne Pharao inferat ruinam, eamque lethalem. Memor eſto Ezechiæ Regis incauti, qui Legatis Chaldæis oſtendit theſauros omnes, gloriam hinc inanem aucupatus, in cuius rei piaculum Deus miſſo Iſaia ad Regem, ait ei. *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ ſunt in domo tua.* Hos nimirum Rex auri ſui prædones habuit inuitus, quos lubens habuit inſpectores. Audiendus Auguſtinus. *Fodi fundamentum humilitatis, & peruenies ad faſtigium Charitatis.* Cæterum quia Chriſtus, & homines in Euchariſtia, mediante gratia coaleſcunt, iugiter hoc habe, & fixum, & ratum.

Geneſ. 5.

Vanitas fugienda.

Exod. 2.

4. Reg. 20.

S. Aug. l. 5. de verbis Domini.

SI GRATIÆ DECVS GERIS, DEVS ERIS.

LITIGIVM SECVNDVM de vtraque ſpecie.

CArolus ille bonus, Rex vtique Chriſtianiſſimus, qui de Gallorum fide ſollicitus, hæreticis internecionem aliàs intentauit: Is inquam de regno benè meritus, videns Clementiæ ſuæ quotidie & importunè peti fores

Ex Historia.

Hiſtoria Gallica an. 1572.

res à reis homicidij perpetrati; volens occurre-re profluuio ſanguinis, abſque alio ſanguine ef-fuſo, rem nouam cogitauit. Videlicet legem ferre de vitibus euellendis, dicens ineſſe vino ſemina iurgiorum, abſtemioſque neſcire ſan-guinem, iuxta Regis ſapientiſſimi effatum. *Cui væ, cui rixæ, cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum, nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Ideoque cum

Prou. 23.

ſint indiuiduæ comites duæ iſtæ effuſiones, vini ſcilicet & ſanguinis, eſſe vtrique ſanctio-ne eâdem obuiandum, fore equidem vt ſic dein-ceps ſe ſanguis habeat in venis, ſicut & vinum in dolio, quo quamdiu recondetur, tamdiu etiam ſiſtet & ſanguis. Sed vbi Carolus aperuit con-

Caroli IX. Regis Chriſtianiſſimi propoſitum de vitibus extirpandis

ſilium de vini vſu abrogando, audiit a quopiam: Caue ô Rex à decreto tali ſanciendo, non enim ea lege tot tibi conciliabis viros abſtemios, quot ebrios hoſtes, cum hæreticis in perniciem tui coituros. Idem incommodum paſſa eſt Eccle-ſia, dum ſuſtulit vſum ſpecierum vini conſe-crati reclamatum eſt à pleriſque, & præſertim à Germanis, Belgis, & Batauis, vbi appeten-tia vini eatenus viget, vt abſtemium eſſe detor illic opprobrio, & vrgenti ad potum detur in-iuriæ, ſi non illico compotatur. Nihil ideóque

Prou. 23.

mirum ſi rixantur ob Calicis vſum abrogatum; nam cùm ſtudeant calicibus epotandis, eis rixæ, & foueæ, & ſuffuſio oculorum, vt ex Salomo-ne præfatum eſt: & nota ſuffuſionem oculo-rum ſubiici calicibus epotatis, quaſi innueret Rex Deo plenus, cæcutire fidem eius qui vino indulget ampliori.

Ex re medica.

Medici omnes lib. Pathol.

Simile quippiam medici augurantur ex vini hauſtu immodico: nam nimio vino vapores inſurgunt, cerebri valuulas occupant, officinam turbant ſpirituum animalium, neruos humore ſuo noxio imbibunt, & ſic inuios reddunt ſpiri-

Vini incommoda.

tibus, vſui obſequio addictis. Vnde natura vin-dice ebrij omnes, & vini immodica appetentia infames, oculorum caligine ſauciantur. Ita & hæretici ex appetentia Calicis in fide cæcutiunt, dicentes mutilum eſſe Sacramentum, quod ſub vna tantùm ſpecie panis fidelibus impertitur. Huic litigio occurrimus ſic.

Euchariſtia tripliciter attenditur.

Ex Philoſophia æquiuocum omne diſtin-guendum, antequam de eo diſceptetur. Eo theo-remate cautiores, dicimus Euchariſtiam tripli-citer vſurpari, primò vt eſt Sacramentum, ſe-cundò vt eſt pignus amoris, tertiò vt eſt Sacri-ficium. Vt eſt Sacramentum, Euchariſtia tota eſt in vna ſpecie, nam ad rationem Sacramenti requiritur ſignificatio, & cauſalitas gratiæ: eſt enim Sacramentum ſignum, & cauſa gratiæ; ſub vna verò ſpecie ſufficienter eſt tale ſignum & cauſa: ergo ſufficit illa ſpecies ſumpta. Ver-bi gratia, panis plenè ſignificat paſtum; efficien-tia autem gratiæ cùm ſit à Chriſto Domino, qui æquè totus eſt ſub vtraque ſpecie, Eccleſia ple-nè dat Sacramentum ſub vna ſpecie. Vnde Chriſtus licet aliquando meminerit duarum

Ioan 6.

Ex SS. Patribus.

ſpecierum. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ibidem tamen explicitè ait vnam ſpeciem ſufficere ad ſalutem. *Qui man-ducat hunc panem, viuet in æternum.* Etiam vt eſt pignus amoris, Euchariſtia plenè in vna ſpecie recipitur: nam in eo amorem ſuum teſtatum reliquit Dominus Ieſus æſtuans amore feruido, vt ſe ipſum totum daret, quod eſt amantium perfectorum: id autem omnimodè præſtitit ſub vna ſpecie, quid ergo opus altera ad amo-rem explicandum? quandoquidem in hac menſa ſacra, corpore præſens ſumitur realiter, in vna, vt ipſemet præfatur. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex Hieronymo. *Ipſe con-

Hieron. Epiſt. ad Hedibiam quaſt. 2.

uiua & conuiuium, ipſe comedens, & qui comedi-tur.* Vides comedi ſub ſpecie panis, ſed Chriſti caro & ſanguis ſimul ſtant in verbo, neque ali-quando diſpeſcentur & anathemate ferit eos

1. Ioan. 4.

qui diuidunt Ieſum. Ioann. *Omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt.* Non eſt ergo ne-ceſſe inuehere vtramque ſpeciem, ad pleniorem gratiam exhibendam in Communione, quando quidem Chriſtus idem eſt in vna ſpecie, qui & in duabus, & licet in Eccleſiæ enaſcentis exor-dijs, vtraque fuerit ſpecies exhibita, paucis exi-ſtentibus Chriſtianis: ſæpe tamen ſub vna ſpe-

Actor. 2.

cie communicabant, vt Act. 2. *Erant autem per-ſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communi-catione fractionis panis & orationibus.* Illic panis iacet, ſine vino conſecrato eſt; diſcipulis ſuum

Luc. 24.

corpus dedit io Emmaus, cum cognouerunt eum in fractione panis, nec vlla fit ibi mentio vini, ſed panis; quem fuiſſe Euchariſticum aiunt

S. Aug. l. 3. de conſenſu Euangel. cap. 25

S. Hieron. in Epitaphio Paulæ.

Beda & Theophyl. in 24. c. Lucæ.

SS. Auguſtinus, Hieronymus, Beda, & Theo-phylactus. Item vt Chriſtiani alacrius ſe ad myſterium accingerent, eis licitum erat defer-re panè ſacrum, vt domi ſeorſum communican-tes, valentiores inde fierent. Nunquam autem vinum ſacrum penes ſe habuerunt; nam ex ri-tu Eccleſiæ antiquæ, Panis viuificus dabatur excipientibus illum manu: ſed vini ſpecies ex Calice tantùm offerebatur, & ſic ſub vna ſpe-cie tantùm aliquando fiebant huius Sacramen-

Tert. lib. 2. ad uxor.

S. Cyp. ſer. de lapſ.

S. Baſil. in Epiſt. ad Cæſariam Patritiam.

S. Hieron. in Apolog pro lib. in Iouinian.

Clem. Alex. lib. 1. ſtrom.

ti participes, vt liquidò eſt apud Tertullianum, Cyprianum, Baſilium, Hieronymum, Clemen-tem Alexandrinum.

Quare autem Eccleſia variarit in Calicis vſu, accipe ab ipſiuſmet Eccleſiæ ritu perpetuo, Eccleſia ſemper exoſa hæreſes, cauit ne fideles aliqua ingruente hæreſi, contagium eius con-traherent, leges ſanciendo omnino diſſonas hæ-reſi emergenti. verbi gratia, Manichæi dogma fuit Chriſtum habuiſſe corpus exangue phan-taſticum. Leo Papa, & Gelaſius vtramque ſpe-ciem iniunxerunt, vt vel ſic innoteſcerent eis Chriſtiani, labe Manichæa reſperſi: hi enim vt negantes ſanguinem Chriſti abſtinebant a Cali-ce ſacro, eaque ſanctione plerique Manichæi agniti, in exteras deportati plagas exularunt, vt ſcitè Æneas Syluius.

Æneas Syluius Dialog. contra Thaboritas.

Gabr. Biel l. 54. in Cant.

Hoſſtadius ſer. 61. de Euchariſt.

Hæreſi tandem deluſcente Manichæa, neſcit quippe hæreſis eſſe perpetua, Neſtorius ſuum euomuit lethale virus, quo aiebat ſanguinem Chriſti ſeorſim ſine carne eſſe ſub ſpecie vini: huic hæreſi obuiatum eſt à Concilio Epheſino, quod fuit tertium œcumenicum: ibi decreta laicis communio ſub vna ſpecie, vt hinc Chriſti diuinum corpus animarum, eſſe totum ſub vna ſpecie fierent hoc dogmate certiores, vt notant Biel & Hoſſtadius.

Rurſus quia hæreſis ingenium inquietum, pacis impatiens, duo alij nequam emergen-tes ann. 1312. Petrus Dreldenſis, & Iacobel-lus Miſnenſis, vtramque ſpeciem voluerunt laicis exhibere. Concilio Conſtantienſi ex-plicitè adhuc prohibita eſt, quia hæreſis illa Chriſtum ſacramento duplici diſpeſcebat. Con-cilio denique Florentino confirmata ſanctio, de tollendo vſu Calicis, Græcis ibi præſen-

tibus

tibus, ſuo Syngrapho firmantibus illud inſtitutum. Scrupulus vnicus eſt ſuperſtes, ſcilicet quare Chriſtus in ipſa inſtitutione ſacramenti calicem porrigendo vſus ſit imperandi modo.

Luc 22.

Accipite, Bibite, Hoc facite. Si enim eſt præceptum, caſſi ſunt canones diſſoni, Chriſti obſequio derogantes. Reſpondeo, Chriſtum cùm ſic effatus eſt, Apoſtolos allocutum, qui erant ſacerdotio inſignes: ſacerdoti enim vt ſacerdos eſt, incumbit neceſſitas vtriuſque ſpeciei conficiendæ, & ſumendæ in ſacrificio.

Geneſ. 3.

Nam Euchariſtia ſi ſpectetur vt ſacrificium, vtramque requirit ſpeciem præſignatam in ſacrificio Melchiſedec, qui panem & vinum obtulit, ſi quidem in ſacrificio paſſione Chriſti conſummatu ſanguis à carne ſecretus eſt, & ſpecie item diſcreta ritè deſcribitur, & ſignatur: aliàs in Communione ſufficit vna ſpecies, ſic Eccleſia annuente.

Communionem ſub vna ſpecie quare Laicis diſtribuit Eccleſia.

Primò vt ſicut fides Chriſtiana eſt catholica, id eſt, vniuerſalis, ita & ritus eſſet vniformis ſacramenti exhibiti: at Septemtrionales qui poli latitudinem 70. graduum incolunt, ſolo vini neſcio, expertes ſunt huius potus, & ſic ægrè poſſet communio toti genti miniſtrari. Secundò plerique vinum exoſi, odore ſolo, renitente ſtomacho ita nauſeant, vt quia abſtemij, ita eſſent abſtinentes ab hoc ſacramento: debuit ergo talis inſtitui ritus, qui vt ab antiquo non abhorret; ita & concordes facit in communione ſequaces huiuſce ſanctionis, quæ item ſuffragatur reuerentiæ debitæ in ſacramento, cuius guttæ plerumque excidebant fidelibus indiſcretè ingerentibus ſeſe ad altare: quo plerumque eſt factum vt ſit hoc irreuerenti caſu, calici ſacro impiè derogatum: cæterum cùm ſacerdotes Deo chariores ratione officij eius menſæ frequentes aſſiſtant, æquum eſt vt laici, eis tanquam Benjaminis Calicem regium derelinquant.

Elephanti quomodo excitentur.

Adeò pigra eſt elephantum procera moles, & ad bellum inepta, vt aſtu ſit cienda tarda hæc machina, carne & ſanguine coaleſcens: hoc ritu gentiles in Iudæos accincti ad prælium ſuos elephantes accenderunt, teſte ipſomet codice ſancto.

1. Mac. 6.

Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium. Cùm etenim ſanguinis ſpiritus incaleſcat, eos videtur inſerere oculis ſanguinis aſpectu rubentibus: imò & Catilina ſocios ſuos in patriam armaturus, fecit epoto ſanguine fortiores.

Vegetius lib. de re militari.

Quippe ſanguini aſſuetos, maiores inde nanciſci animos aſſerit Vegetius eruditus in re militari, qui ideò Duci militem conſcripturo conſulit, habere delectum eorum, quibus cruor effuſus infundit animos & infert laniones carnificinæ addictos, bello natos.

Tamerlani ſigna rubea

Nonne & Tamerlanes orbis vniuerſi pauor, ſuos accenſurus ad exterminium plagæ alicuius, ſigna explicabat purpurâ cruentata. Antonius Cæſaris extincti vindex acerrimus, veſtem eius ſanguine purpuream expandit in foro, cuius rubeo aſpectu erubuit ſuam ſegnitiem, ſi non in ſicarios, & Reipublicæ perduelles, illicò deſæuiret populus ille Cæſari aliàs addictiſſimus. Denique monemur oraculo, ſanguini ineſſe vocem & hanc ſonoram.

Geneſ. 4.

Sic textus. *Sanguis Abel clamat de terra.* Non ergo tacitum voluit eſſe ſuum ſanguinem Chriſtus, in ſacrificio, vbi diſtincta ſpecie diſpeſcitur à corpore ſuo, etſi idem Chriſtus vtrobique totus, ſit diuiſionis impatiens. Sanguinis hunc clamorem exaudiri vult, ab hominibus terrea mole prægrauatis, vt Iob antea præmonuit.

Iob. 6.

Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.

EX HISTORIA:

Inſtabis animo minimè ſaluris incutio; quonam illo ſanguine percellimur: Anima deſes atque Deicida vrgeris ad vindictam effuſi ſanguinis experendam ab his, qui auſu ſacrilego ſoſpitatori tuo manus impias intulerunt: tu ipſa es mens reproba, & Dei refuga, te vnam ſanguis ille ſollicitat, vt luas tibi pœnas congruas ſceleri perpetrato. Audi quonam piaculo ſit expiandus ille ſanguis impiè fuſus à noxiis, & à minori fias cautior argumento.

Mariana l. hiſtoria Hiſpanarum an. 531.

Amalaricus Rex Hiſpanus, hæreſi Arriana infamis, vxorem duxerat Clotildem regio Gallorum ſanguine claram, ſed pietate clariorem; tentauit Rex impius vxoris illibatam fidem, illa fidelior in dies eluſit aſtutias atque ſophiſmata Regis infidelis, qui inde ferocior, vnde mitior fieri debuerat,

Amalarici crudelitas.

Reginam verberibus ita cruentauit, vt ſanguine innoxio euberent eius linteamina. Fidei ſuæ, vitæque timens mulier, pertæſa & virum, & virus Arrianum, querulas mittit in Galliam literas ad fratrem ſuum, & hunc regem Childebertum: & quia impos erat ſcriptura referre iniurias, quibus obnoxiam fecerat Arrianus; literas inuoluit in ſindope, ſanguine ſuo purpurea. Accepit Rex Gallus beneuolè nuntium, ſed literis eductis è linteo, & ſanguine inſpecto, ingemuit Childebertus, & ſororis amantiſſimæ ſortem miſeratus, anxius de vindicta, bellum indixit Hiſpaniæ. Gallos armat in impium Gallici ſanguinis effuſorem, explicat linteum regio ſanguine rubeum, vt eruberent pudore Galli, ſi regiæ ſororis ſanguinem nollent diluere ſanguine Arriano, quo effuſo, ſanguini Clotildis vindices iuſti & pij parentarent. Ad arma concurritur, inſtruitur exercitus, explicatur acies, ſæuit miles in Regem Hiſpanum, qui vt armatus occurrit Childeberto, ille Clotildis ſanguine ferocior, & inſtar Elephantis, ad occurſum hominis ſanguine perfuſi, maiores æſtus patitur ad vindictam. Audito claſſico concurrunt acies. Diceres Hiſpanos ad victimam duci, ideóque dubios fugam nutante veſtigio meditari: ſed ne infideles illæ hæreſis Arrianæ reliquiæ ſupereſſent facinori in Clotildem edito, Rex Chriſtianiſſimus impreſſione facta, & Hiſpano exercitu eneruato, tantam edidit ſtragem, vt Rege etiam Arriano confoſſo, fuerit abunde tandem Clotildis ſanguini ſatisfactum.

Amalarici mors.

Præpotens Deus, quamdiu patieris nos vindictæ tui ſanguinis incurios? rubent altaria cruore tuo, nec ſic parentis ſortem anima noſtra miſeratur.

EX SS. PATRIBVS.

Quot orationes & verſus toto tenore Miſſæ ſacerdos pius enuntiat, tot querulas voces edit hic nuntius; liber expanſus in altari, Epiſtola regia eſt, è qua referuntur Chriſti impia ludibria illata à reprobis; corporale explicatum, linteum eſt ſanguine Chriſti rubens, nec anima calet ad vindictam: lubet cum Bernardo fletibus indulgere.

S. Bern. Meditat. de Paſſione. Chriſti.

Expergiſcere nunc anima, excutere de puluere, & contemplare virum hunc memorabilem, fletus deducite oculi mei, & liqueſcet anima mea igne compaſſionis, ſuper contritione amabilis viri huius. Diligendus es mi Domine toto corde, tota anima, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es, & quomodo fiet iſtud in me, niſi per te? Dehinc facto

Ex re medica. *Fernelius l. 2. de methodo medendi c. 6.* Sãguis Chriſti quare obiicitur Chriſtianis.

cto ſcrutinio peccatorum, qui ſanguinem Chriſti fuderunt innoxium, eorum extemplo iura perniciem, Medicos imitatus, qui vt ægros adigant ad meliorem frugem, decreta phlebotomia, ſanguinem effuſum decumbenti explicant, in quo peccet; en inquiunt in ſanguine tuo notas ventris helluonis, & vini hauſtus immodici, vnde hepar incaleſcens venas accendit, ſanguinique feruido intulit incendium. En luxuriæ depaſcentis totum corpus in ſanguine ſignacula, vbi nimia ſeroſitas, venas libidine effœtas eſſe clamat, & exhauſtas. En in ſanguine bilioſo, animi iratum impotis igneas reliquias. Denique medicus eruditus ægrum deinceps facit ex ſanguine inſpecto cautiorem, animumque eius acuit ad vindictam, epulis æterno vale indicto, & cum libidine facto perpetuo diuortio. Eadem cautela Deus obiicit ſanguinem ſuum nobis peſſima ægritudine iacentibus, vt noxiis actibus deprehenſis, ex ſanguine quem fuderunt, virtuti inſtantes, ſic retroacta Chriſti Dei vindices expiemus.

Ex Mathematica. *Matth. 16.* Friderici II. crudelitas.

Nec vnquam cœli rubent ſanguinea ſpecie antelucani, quin ſanguis ille aſperſus noret imbrium larga profluuia, vt aiebat Chriſtus. *Dicitis manè, Hodiè tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* E cœlo tibi oſtenditur Chriſti ſanguis, vt corde tuo ſpirantibus auſtris, crebris ſcilicet gemituum flabris acto, tempeſtas hæc pœnitentum ſit præambula pluuiarum, & ad vindictam effuſi ſanguinis vrgearis, dato repudio tuis antea riualibus, id eſt omnibus quos habuiſti comites ſceleris huiuſce perpetrati. Ita plerique defecerunt à Frederico Imperatore ſecundo. Ille vxore necatâ, & aliunde expletâ libidine luxurians, vitiis pluribus infamis, multos habuit in omni crimine conſortes: ſed die quadam ſereno cælo ecce tota aula inſpectante, deſuper obiicitur Chriſtus ſanguine perfuſus, & corpore quam plurimis aperto plagis. Flere omnes crebròque gemitu deteſtari tyrannum, cui adhærentes facti fuerant conſcij criminum, quibus ſanguis funditur innoxius. Tibi Chriſtiane in tremendo myſterio attollitur calix, ſanguine Chriſti purpureus, fias ſanguinis huius aſpectu valentior, ad expiandum delictum in nece Dei tui contractum; in hac expetenda vindicta, eſt tibi glorioſè obeunda mors, exemplo Niſi & Euryali: hi amore mutuo inſignes errarunt in ſyluis, quibus hoſtes obuij, vnum gladio cæſum deiiciunt, alter eminus viſo ſanguine amici effuſo, pernice greſſu fertur in Volſentem ducem, dilecti ſui homicidam, quo enſe vindice confecto & ipſe confoſſus, amico ſuo exanimis incubuit, amorem ſuum indubium, morte teſtatus obita, necem intimi vindicando. Quidni & à cane vindices animos mutuemur? Canis ſuo extincto domino manſit impaſtus, cadauere inde ſublato vt rogo mandaretur, veteri ritu cremandum, canis indiuiduus vtriuſque fortunæ comes, dolens addici flammis herum ſuum, ipſe præceps inſilit in flammas, quaſi vlturus heri ſui præceps incendium, eodem ſic quo dominus rogo canis abſumptus, nequaquam inglorius; vnde gratitudinis Symbolum, in quo canis domino ſuo commoriens, hoc epitaphio. Hero ſvpereſſe nefas.

Ex Hiſtoria. *S Lazari hiſtoria Imperialis ſub an. 1528.*

9. Æneid.

Camerarius in Centuria Quadrupedum. Canis fidelitas.

Moriatur anima mea Deus morte iuſtorum, immemor ſui, dum ſit memor tui, ô mi Iesv, pectore toto mihi vnicè excolende; in expiando ſanguine tuo non me pœnitentiæ ingrata terreant acumina; adhærere tibi & mortuo bonum eſt, cui Domino meo ſupereſſe nefas; commori tibi, viuere eſt; viuere ſibi, mors eſt; quia tibi omnium Domino ſupereſſe nefas, morti tuæ addictum, & de mea impendenda tibi indubium: audi me propitius te Bernardi ſtylo amore conſpicuo compellantem. *Adhæreat anima mea poſt te, quia tota virtus eius pendet ex te; ad tua paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino: adiuua imperfectum meum; odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his, horum virtute ab aſtutiis ſathanæ me cuſtodi.*

Ex SS. Patribvs. *S. Bernard. Meditat. de Paſſione.*

Anima vecors hactenus oblita tui, licet illita ſanguine Chriſti. Anima in delicias effuſa lethales, & ſanguinis Chriſti effuſi conſcias, ſiſte gradum, factura finem quo glorioſè Eleazar occubuit. Ille calente pugna Hebræorum in gentiles, ſanguine ſuorum perculſus, aduerſas acies penetrans, aduertit Elephantem armato milite terribilem: credidit Regem illo animali vehi, credulus ſe ſubmittit Elephanti, quem vltrice gladio cæſum ſternit, militeſque hac mole formidanda fretos ſic deturbans, ſuorum gladiis obiicit extirpandos; ſed victori magno conſtitit illa ſtrages, nam caſus Elephantis Eleazari occaſus extitit. Felix qui morte quam ſemel erat obiturus, vitam adeptus eſt in æternum producendam. Ea & tu ſorte beandus, ſi te Chriſti necem expiantem cita mors præoccupet, de tumulo erectura obeliſcum, huncque triumphalem, hoc titulo.

1. Mach. 6. Eleazari magnanimitas.

Optimo svi consvltori, cvltori
Christi sangvinis et vltori.

DE NOMINE TRANSſubſtantiationis.

Litigivm III.

Tigris homini infenſus.

EO cietur & furit œſtro Tigris in hominem, vt cùm nequeat irruere in eum, ſaltem in veſtes totam ſuam exerat rabiem, ſi eas inuenerit: eâ indole omnes ferè hæretici ſæuierunt in dogmata ſacra; vbi enim aſſerta fidei animaduertunt ſtare inconcuſſa, & irrita eſſe omnia conamina, quibus inſurgunt in decreta fidei, tandem in rerum exuuias, id eſt, ad nomina conuertuntur: vrgentes Eccleſiam, vt voces vſurparas aſſignet ex codice ſacro, quod vbi nequit Eccleſia, infideles illi acti in rabiem, nomina ſacra veluti veſtes quibus obteguntur res ipſæ, lacerant, & in ea rerum fidei ſignacula perfidi debacchantur, vt videre eſt in his vocibus, Tranſſubſtantiatio, Miſſa, Sacrificium, quæ nomenclaturâ ſuâ idem ſonant realiter, ac panem Euchariſticum, ſeu ſpecies panis & vini ſolas ſuperſtites, ſubſtantiâ panis & vini mutatâ in corpus & ſanguinem Chriſti, cuius ſacrificio incruento iugiter oblato, tota Eccleſia vegetatur.

Ex Philosophia. *Ariſtot. lib. 1. Phyſ. c. 6.*

Cùm audis in Tranſſubſtantiatione mutationem, intellige aliam ab ea quæ fit dum alternant formæ in eadem materia, quæ cameleontis inſtar, colores omnes induit obuios, verbi gratiâ, ex terra & aqua fit arbor ſucceſſu temporis, hæc arbor fit ignis clibano iniecta, ignis extinctus in aërem tranſit, & hic aër vapori admixtus, frigore concretus, in aquas vt plurimum reſolui

reſolnitur. Tamen his quatuor elementorum formis, vna eademque materia numero ſubſternitur, ex qua nihil omnino deperit: ſed in Transſubſtantiatione ſecus, tota materia in

Tranſſubſtātiatio quid ſit.

aliam tranſit, nam Tranſſubſtantiatio eſt totius ſubſtantiæ in totam aliam ſubſtantiam tranſitus ſeu mutatio, ita vt tota materia, totaque forma, in aliam materiam, & formam abeant. Ita panis & vinum quoad materiam & formam, mutantur in materiam & formam corporis & ſanguinis Chriſti: vnde hæc mutatio in aliquo conuenit & diſcrepat à creatione & à ge-

Ex Theologia: *S. Thom 3 p. q. 75. art. 8.*

neratione. Conuenit in ordine terminorum, ſcilicet vt poſt hoc ſit hoc, verbi gratiâ in creatione eſt Eſſe poſt non Eſſe; in Tranſſubſtantiatione eſt corpus Chriſti, poſt ſubſtantiam panis: in generatione eſt ignis poſt aërem, aut aliqua alia forma poſt aliam. Conuenit item Tranſſubſtantiatio cum creatione, quia in neutra earum eſt aliquod ſubiectum commune vtrique extremorum; concordat etiam cum generatione naturali, licet non omnimodè in hoc coit; quia in vtraque mutatione, vnum extremorum tranſit in aliud, ſicut panis in corpus Chriſti, & aër in ignem, non autem non ens conuertitur in ens; aliter tamen accidit hoc vtrobique, nam in hoc ſacramento tota ſubſtantia panis tranſit in totum corpus Chriſti; ſed in tranſmutatione naturali, materia vnius ſuſcipit formam alterius, priori formâ depoſitâ.

Tranſſubſtātiationis probatio.

Secundò conueniunt in hoc, quòd vtrobique remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione, differenter tamen; nam in tranſmotatione naturali remanet eadem materia vel ſubiectum, in hoc autem ſacramento remanent eadem accidentia. Denique hæc mutatio tranſcendit alias omnes, eſtque eis nobilior ratione ſui termini, qui non eſt alius à corpore & ſanguine Chriſti.

Ex SS. Patribus.

Huius Tranſſubſtantiationis accipe vades SS. Patres, quorum ſi vellem teſtimonia dirigere, exurgeret noua bibliotheca Patrùm, ſufficiet inſtituto meo aliqua ſubiicere, ne deſim propoſito de probandis ſectionibus, omni modo quo poteſt ad credendum anima deuinciri.

S Cyprian. ſerm. de cœna Domini.

Audi Cyprianum. *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Nota non eſſe inania Symbola, id eſt, figuram tantùm corporis & ſanguinis Chriſti; non enim omnipotentia verbi operæ-pretium eſſet ad magni nominis vmbram.

Tertull. 4 in Marcionem.

Tertullianus antea dixerat. *Acceptum panem corpus ſuum fecit, dicendo, hoc eſt corpus meum.* Non poteſt autem fieri corpus Chriſti, niſi tranſeat in materiam & formam corporis Chriſti, & hic tranſitus materiæ & formæ panis, in materiam & formam corporis Chriſti, eſt tranſſubſtantiatio.

S. Cyrill. Hieroſol. Catech. 4.

Cyrill. ſic ſubſcribit. *Aquam aliquando mutauit in vinum, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutarit, hoc ſciens, panem hunc qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat:* non hic credendum eſt ſenſibus, ſed Chriſto veritatis aſſertori; nam ex

S Chryſoſt. hom. 83. in Matthæum.

Chryſoſtomo. *μὲν γὰρ λόγος αὐτοῦ ἀπαράβατος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν εὐεξαπάτητος. verbu eius falli non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt.* Sed pace aliorum dixerim, nemo fuſiùs luculenta magis oratione, totam diſcuſſit iſtam quæſtionem quàm S. Ambroſius, cui totam hanc conſecro paginam. Sic ille.

S. Ambroſ. de iis qui myſteriis initiantur c. 9. Tranſſubſtantiationis figuræ.

Maior eſt vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutatur. Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens: rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur propheticâ gratiâ, bis naturam eſſe mutatam & ſerpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, ſubitò de fontium venis ſanguis cœpit erumpere, non erat potus in fluuiis: rurſus ad Prophetæ preces cruor ceſſauit fluminum, aquarum natura remeauit. Circumcluſus vndique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clauſus, virgam leuauit Moyſes, ſeparauit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congelauit, atque inter vndas via pedeſtris apparuit. Iordanis retrorſum conuerſus contra naturam, in ſui fontis reuertitur exordium nonne claret, naturam, vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis curſus eſſe mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit, numquid non præter naturam operata eſt gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura. Mara fluuius amariſſimus erat, vt ſitiens populus bibere non poſſet, miſit lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quàm infuſa ſubitò gratia temperauit. Sub Eliſæo Propheta vni ex filiis Prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt, rogauit Eliſæum qui miſerat ferrum, miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natauit, vtique & hoc præter naturam factum eſſe agnoſcimus; grauior eſt enim ferri ſpecies, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris eſſe virtutis gratiam, quàm naturam: quod ſi tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur: nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur, quod ſi tantùm valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo vt ſpecies mutet elementorum? de totius mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt, ſermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Sed ſuis vtamur exemplis, incarnationiſque aſtruamus myſterij veritatem. Numquid naturæ vſus præceſſit, cùm IESVS Dominus ex Maria naſceretur? ſi ordinem quærimus, viro nupta fœmina generare conſueuit; liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt: quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus IESVS partus ex Virgine. Vera vtique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt; verè ergo carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamabat Dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum; ante benedictionem verborum cæleſtium, alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem, corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum; ante conſecrationem, aliud dicitur; poſt conſecrationem, ſanguis nuncupatur. Hæc ille.

Eccleſia noua nomina inuenit ad res veteres exprimendas.

Speculanti ſeriem & contextum Ambroſij, nihil inuium erit ad fidem aſtruendam, quidquid obganniant hæretici debacchantes in nomen Tranſſubſtantiationis, dicentes nomen iſtud eſſe nouum, vtique contra decretum Apoſtoli in nouitates declamantis, cùm ait. *Profanas verborum nouitates euita.* Reſpondet Auguſtinus. *Non ait verborum nouitates: ſed addit profanas; ſunt enim & doctrinæ congruentes verborum*

1. Timoth. 2. S. Auguſt. in 1. Timot. c 2.

nouitates,

nouitates; res ipſa & ante nomina erant. Aduerſus Arrianos nouum nomen Patres condiderunt ὁμούσιον; *ſed non rem nouam tali nomine ſignarunt: nam ſi omnis nouitas profana eſſet, non à Domino diceretur, mandatum nouum do vobis, nec teſtamentum appellaretur nouum, nec cantaretur in vniuerſa terra canticum nouum.* In Eccleſia Latina vſus cepit huius vocis in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. anno 1215. & ea fuit indoles Eccleſiæ, vt contra hæreſes ingruentes adiouenire voces nouas, quibus fidem orthodoxam explicaret. Contra Neſtorium iniurium Deiparæ, quam matrem tantùm hominis & non Dei nuncupabant hæretici hoc germine infido ſati, Eccleſia in Concilio Epheſino inuenit vocem θεοτόκος, quæ noua, rem veterem clamat, ſcilicet Mariam eſſe Dei genitricem. Ita in Concilio Nicæno emeſit vox ὁμούσιος, conſubſtantialis; ſicut in Concilio Lateranenſi aduerſus eos, qui dicebant panem eſſe in Euchariſtia, inuenta eſt vox, Tranſſubſtantiatio.

Similem vocem alia tamen dialecto vſurparant Græci, priſcis Eccleſiæ temporibus. S. Gregorius Nazianzenus his vocabulis plerumque vtitur μεταστοιχειοῦσθαι, transelementari; at prima elementa panis & vini ſunt materia & forma. Aliàs Græci illi proceres Eccleſiæ dixerunt hoc myſterium μεταῤῥύθμισιν tranſmutationem, vt Chryſoſtomus, & Lexicon Geneuæ in voce μεταῤῥύθμισις, ait eſſe ipſam actionem τοῦ μεταῤῥυθμίζειν, quod eſt tranſmutare; at Euchariſtia olim dicta hac voce μεταῤῥύθμισις. Alij dixere μετασχηματίσαι, transfigurari, μεταποιῆσαι, μεθιστάναι, ſtatum & formam immutare. Hoc tibi ſit in exemplum antiqui Patris naſcentis Eccleſiæ, Gregorij Nyſſeni. πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν, *in hoc transelementans naturam apparentium* Adiice & titulum libri, quem conſcripſit Gregorius Nazianzenus. ὅτι ὁ ἁγιαζόμενος ἄρτος εἰς τὸ σῶμα τοῦ θεοῦ μεταποιεῖται, *quod panis ſanctificatus, in corpus Chriſti tranſmutatur.* Inſtant hæretici, Chriſti corpus vocari panem Ioan. 6. *Panis quem ego dabo pro mundi vita.* Ergo ibi eſſe adhuc panem poſt conſecrationem patet ex denominatione; vt enim ſe res habet ad eſſe, ita & ad prædicari. Reſpondeo ſtylum ſcripturæ eſſe, vt vtatur nomine inolito rei quæ tranſit in aliam, vt Exod. 7. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Ibi ſerpentes vocantur virgæ, quia antequam ſerpentium naturam induerent, erant virgæ Aaron & Magorum Pharaonis. Item in Matthæo. *Renunciate Ioanni: cæci vident, ſurdi audiunt:* cæcus videre nequit, neque & ſurdus audire; ſed hi quos Chriſtus reddiderat ſanitati, ſuam priorem denominationem ſeruant, more ſcripturæ ſanctioris, quæ, vt præfatus ſum, rebus quæ in alias abeunt, ſua prima nomina innrit; vt adhuc liquet hoc exemplo Lucæ, vbi Chriſtus dicitur recubuiſſe in domo Simonis Leproſi; Ibi Simon ſoſpes & integer dicitur leproſus, quia aliàs lepra eum infecerat. Ita & panis etſi tranſierit in ſubſtantiam corporis Chriſti; tamen nomenclaturâ nobis obiicitur, iuxta ritum ſcripturæ ſanctioris.

Sed quid moror in diſſoluendis technis hominum infidorum? cùm Concilium Epheſinum ſic moneat. *Ne deſtruas miraculum, cuius ratio inquiritur; ſi enim ratio facti inquiritur & nota eſt, iam non eſt prodigium, neque mirabile quod fuit perpetratum.*

Egregio Symbolo Paradinus hoc myſterium inſinuat; ait enim Auguſti æuo viſam coronam ſpicis triticeis intertextam, in cuius medio Sol irradians, plus ſolito geſtiens coruſcabat: adiicit ille hoc lemma, HÆC CONSCIA NVMINIS ÆTAS; quaſi diceret, fore vt Deus in pane triticeo tutius Eccleſiam ditaret aliquando, vt & fecit dum abditus eſt ſpecie panis: & reuerà HÆC CONSCIA NVMINIS ÆTAS; nulla enim eſt gens, cui Deus adſit, ſicut illi quæ paſcitur hoc pane.

Pleraque etiam miracula fidem faciunt iſti miraculo, de tranſitu panis in carnem. Sanctus olim Franciſcus ea qua erat comitate, annuit pietati cuiuſdam nobilis apud quem diuertit, vt cum eo diſcumberet; paratâ cœnâ, vir ſanctus menſæ accumbens, rogatur ab hoſpite, vt iuxta Euangelij libertatem, vtatur appoſitis cibis: non renuit ille, nec reſpuit partem pulli gallinacei, quam obtulit illi; ſed vbi audiit pauperem eſſe pro foribus, miſit ad eum exquiſitum illud obſonium. Mendicus ad aſpectum eſculenti huius lautioris liuore tabeſcens, ſtatuit ſecum, Dæmone conſultore, poſtera die dum prædicaret ſanctus, depromere palam carnem illam, & inde carpere ſancti laſciuiam. Præſtitit tandem quod mente conceperat; nam Sancto diſſeminante verbum Dei, aſtitit mendicus, & exerens opimam illam carnem, protenſa manu omnibus illam obiecit; videte omnes & attendite quibus hic technis homo emendicos ſanctitatem, illudat vobis: aſpicite quibus hic epulis hypocrita ſaginetur: heri aſſidens menſæ opiparæ, benè paſtus, mihi ieiuno dedit ſuæ cœnæ reliquias, quas cernitis. Mirum, putauit liuidus homo carnem obiicere, & ea verſa eſt in tenuem piſciculum cuius aſpectu, adſtantes hominis dementiam deteſtati, in eum declamantes multis ictibus exceperunt. Sed is viſo piſciculo pœnitens factus, inuidiam ſuam exoſus, confeſſus eſt ſe grauiter deliquiſſe, & illico piſcis primam naturam carnis induit, Sancto Franciſco omnibus enarrante ſeriem rei geſtæ, & quomodo pertæſus epulas, facturus tamen ſatis pietati viri nobilis diſcubuerit, animam eius verbo Dei refecturus, magis quàm cupedijs conuiuij potiturus; Deo etiam mittente hunc pauperem, vt haberet anſam abſtinendi à cibo quem tranſmiſit.

Alia item hiſtoria vnius naturæ tranſitus in aliam explicatur. Vir inops & indigus rerum, acceſſit quondam ad homines naue vectos, iocantes in ora maris, petiitque ab eis aliquid obſonij, quo ſuam leuaret inediam. Nauclerus immitis atque pietatis expers: ſecede, inquit, ô mendice, nihil tibi & nobis, quibus tantùm lapides adſunt, & non eſculenta. Pauper execratus hominis duritiam, ait; Eſto vt præfatus es, ô Nauclere, omnia quæ mandi poſſunt vertantur in lapides. O Deum vltorem hominum impiorum! obduruerunt eſcæ, factique ſunt panes lapidei, in varias mundi plagas deportati, vt ediſcerent homines ab hoc lapide pietatem. Quòd ſi hominum merita porrexerunt vmbram tranſſubſtantiationis; poterit & totum ipſa virtus Chriſti, vt habetur in Canone. *Panis eſt in altari vſitatus ante verba ſacramentorum, vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro*

Chriſti

EX LINGVIS.

S. Chryſoſt.

S. Gregor. Nyſſenus catecheſi 17.

S. Gregor. Nazian lib. quod panis, &c.

Ioan. 6.

Exod. 7.

Euchariſtia quare dicatur panis.

Luc. 7.

Concilium Epheſinum part. 3. c. 10.

EX SYMBOLIS.

Paradinus l. Symbolor.

EX HISTORIA.

Ex Chronico Minorum 1. parte in vita S. Franciſci.

S. Franciſci pietas in pauperem.

Sigibertus in chron. ea, ſub ann. 606 & Baron. tom. 8. ſub ann. 605.

Panis in lapides tranſmutatus.

EX IVRE CANONICO:

Can. Panis diſt. 2. de Conſecrat. Can. vtrum diſt. 2. de Conſecrat.

Chriſti: conſecratio autem quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Iesv. Ille Canon debetur Ambroſio; ſicut & iſte Auguſtino. *Credendum eſt quod in verbis Chriſti ſacramenta conficiantur; cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreantur, ſunt verba Dei poteſtate, & omni efficientia plena, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. In hoc ergo creatur illud corpus.* Hactenus Canon.

Ex ivre civili. *L. cum quidam 30. §. quod dicitur de adqu. hæred. leg. in addit. margin. ad Macedon.*

Imò ex Iure Ciuili illa fides ſtabilitur hac duplici lege: *Credendi iuſta ratio eſt communis opinio.* Ex præfatis Procerum Eccleſiæ ſententiis oſtendi priſcæ ætatis ſenſum eumdem fuiſſe, quem tenemus. Quidni ergo coeunt hæretici in eamdem ſententiam. Rurſus hæc eſt alia lex. *Creditur iuſtè, quod publicè & communiter creditur.* Et reuerà non orthodoxa modo fides eſt transſubſtantiationis, ſed & Catholica vbique, ab omnibus verè fidelibus impigrè propugnata.

Ex re medica.

Sed quid vagamur in fulcienda fide myſterij huius, cuius ideam quotidie circumferimus, dum ex re Medica, panis in carnem vertitur, & vinum in ſanguinem: nam cibus in ore attritus ventriculo primum commendatur; ibi concoctione prima lacteſcit humor, quem chylum medici nuncupant, vis expultrix albeſcente chylo, tranſuerſas fibras contrahens, ventriculum coanguſtat, atque iam confectum chylum à ſe excludit, detruditque per pyloron ad inteſtina, quæ quod exceperunt, prætereuehunt mediâ depellendi facultate, quæ inteſtinis ineſt longè valentiſſima, ad cuius muneris functionem vtraque tunica viſcerum illorum, fibras obtinuit tranſuerſas, & in orbem actas. Quoniam autem multiplex eſt inteſtinorum anfractus, & flexuoſa circuitio; non ita facile alimentum perlabitur, in tanta igitur viæ longitudine, defluentis materiæ quicquid coctum eſt, & ſalutare, opportunè in iecur per venas meſenterij tranſportatur: chilus in iecore diu multumque cunctatur, & in tranſitu hæret, eſtque tarda eiuſmodi tranſuectio loco retentionis, & moræ quæ abſolutæ concoctioni neceſſario debetur; quem igitur chylum ope venarum meſenterij præparatum, rudi quadam ſanguinis forma adumbratum iecur accepit, hunc per eam moram, & contagionem, vera & expreſſa ſanguinis ſpecie ornat, & perficit: ſanguis autem ſimul ac è venis amplioribus in anguſtiores exciderit, quas vnicuique parti natura dedit, omni tum qualitate, tum proprietate circumſtantis particulæ ſeorſim perfunditur, eaque commutatione partis naturam aſſumens, per oſcula, aut cæca exilium venarum foramina, roris modo, multiplici lapſu & erratico in omnem partis ſubſtantiam influit, perque omnia ſpatia diffuſus combibitur, appoſitus iam hic continenter aſſiduo partium calore conuertitur, & concoctione cogitur, craſſiorque fit, deinde verò coactus parti agglutinatur, & adhæret: ad extremum verò naturæ vi, & vniuerſa partis ſubſtantia ita concreſcit, ita ſubit mutationem, vt ei demum perfectè & vſquequaque aſſimiletur. Hæc fere Fernelius, qui ex naturæ officina rudimentum aliquale promit transſubſtantiationis panis & vini in carnem & ſanguinem.

Fernelius de functionibus & humoribus lib. 6. c. 4. 5. & 6.

Panis in carnem vertitur à natura.

Ex mathematica.

Mathematici ineſſe ſyderibus vim aiunt ad res aliquas procreandas; ait enim Conſtantinus Baſſus, oriente canicula, ſi Luna fuerit in Leone, vini & frumenti fore vbertatem, quaſi vis indita ſit Lunæ procreandi annonam hanc copioſam. An non eſt commune effatum, Solem & hominem generare hominem? ſi ergo ſydera è terra humore delibuta frutices procreare poſſunt, & etiam ſerpentes; quidni de pane queat Deus ſuum corpus producere? pro cuius fulcienda fide hoc meum eſto effatum.

Conſtantin. Baſſus in Geoponicis.

Mvlcta mvlta manet eos, qvorvm fides nvtat et mvtat sensvm et assensvm, vnde stat Transsvbstantiatio.

DIGRESSIO MORALIS DE Transſubſtantiatione.

Ex Ivre Canonico: *Cap. ſignificaſti 4. de electione.*

Ivs pontificium de meliori noſtra fruge ſollicitum, ſic omnes nos compellat. *Chriſti omnis actio debet eſſe noſtra inſtructio.* Ne igitur inanem omittamus hanc celebrem actionem, quâ tranſmutat panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum; aperiam ego modos idoneos, vt mutemur & nos: hoc enim Deus intendit ab omnibus, qui ſacris initiantur hiſce myſteriis: & quia omnipotentiæ Dei totum eſt iſtud opus, vt ait S. Thomas, imitemur Eccleſiam in noſtra conuerſione, ad ſtatum colnotem; nam reprobi ad gratiam tranſitus, virtutis eſt diuinæ. Eccleſia vtitur multa prece præuia antequam conſecret panem & vinum; ita & tu, ô homo, iuſta orationi, & Deum piê deprecare, animo tuo verſans illud Dauidicum. *A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc mutatio dextera Excelſi. Dextera Domini fecit virtutem.* Et vt cita ſit tua ex homine luteo in Deum mutatio; Deum vrge vt te exuat ſarcina tua, & induat virtute ex alto, nihilque à Deo extra Deum poſce.

Ex theologia. *S. Thom 3. p. q 75. art. 8. Pſalm. 117.*

Ita & hunc ſe deprecatorem exhibuit Pſaltes olim obnoxius multiplici noxæ. *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me.* Ibi Auguſtinus. *Aliud eſt inquirere à Domino, aliud eſt ipſum inquirere Dominum.* Accedit Iſaias. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis & dicet, ecce adſum.* Alia quæ petis, non aderunt ſemper; ſed ſi Deum ſolum quæris, aderit, vt benè explicat Auguſtinus. *Noli a Domino aliquid extra quærere, ſed ipſum Dominum quære, & exaudiet te, & dicet, adſum; quicquid dedero vilius eſt quàm ego.* Eò reſpiciebat Dauid. *Quoniam ad te orabo; Domine, manè exaudies vocem meam.* Baſilius ibi. *Oratio non ad hominem, ſed ad ſolum Deum collimat.* Ideóque forſan victimæ olim mactandæ, cœlum verſus dirigebant caput, vt vel hinc reſcirent homines, Deo ſoli debere nos intendere in oratione: ad quod alludit Oſeas Vates. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Hunc precandi ritum extollit Dauid. *Quoniam tu, Domine, ſuauis & mitis, & multa miſericordia inuocantibus te.* Ibi ſic Auguſtinus. *Inuocas quicquid in te vocas: porrò ſi Deum, propterea inuocas, vt veniat ad te pecunia &c. Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum non exauditorem deſideriorum.* Occinit Patri ſuo Dauid, Rex Salomon. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Rurſus Pſaltes *Voce*

Ex SS. Patribvs: *Pſalm. 33. S. Auguſt. in Pſalm. 33. Iſai. 58. S. Auguſt. in Pſalm. 33. Pſalm. 5. S. Baſil. in Pſalm. 5. Oſee 14. Pſalm 85. S. Auguſt. in Pſalm 85. Prouerb. 1.*

mea

Pſalm 76. *mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deum & exaudiuit me.* Sic commentatur Auguſtinus.
S. Aug. in Pſalm. 76. *Verè tunc tibi attendit Deus, cùm ipſum quæris, non quando per ipſum aliud quæris. Dum non Dominum inuocauerunt, id eſt Dominum non in ſe vocauerunt: ibi trepidauerunt timore vbi non erat timor: ideò de rerum præſentium amiſſione tremuerunt, quia non erant pleni illo quem non inuocauerunt.*

Iuſtificatio quomodo auſpicanda.

Auſpicandum igitur ab inuocatione, qua demeretur Deus, vt mutemur in alios: nam iuſtificatio cùm ſit ſuperioris ordinis, & tranſcendat omnes naturæ niſus, etiam præualidos; Deo indiget ad hoc, vt exurgat homo ab eo ſtatu, cuius molitur exitum. Deo tandem facto propitio, meditandum eſt Philoſophiæ Theorema.

Ex Philosophia: *Ariſt. lib. 1. de generat. c. 3. text. 17.*

Generatio vnius eſt corruptio alterius. Id eſt duæ formæ ſubſtantiales non coëunt in eadem vnáque materia: idéoque extinctionem diſceſſumve prioris, nouæ ſucceſſio conſequitur. Hinc edocemur eliminare omnes noxios habitus, ſi velimus Deum inducere in animas noſtras: non enim coëuntur, peccata & Deus.

Ex Historia.

Hac expunctione rerum omnium noxiarum, in diuinum hominem mutatus eſt Auguſtinus, vt & ipſe enarrat, cùm animo ancipiti & nutante in conuerſionis ſuæ exordio, audiit vocem deſuper ſuadentem, vt librum euolueret, qui iacebat in horto, vbi tunc degebat: erat is liber Epiſtolarum Pauli; morem gerit Auguſtinus beneſuadæ voci: ſublato volumine obuium habuit iſtum textum.

S. Aug. lib. Confeſſ. *Rom. 13.*

Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Didicit homo Neophytus abſtinendum omne commercium cum illa colluuie peccatorum, vt fiat anima compos Chriſti, quem vt quis induere poſſit, debet exuere habitus hos, quos Paulus ſupra recenſuit: & ſic generatio vnius formæ deſuper illapſæ, erit corruptio formæ inolitæ, & cui anima reproba primitus aſſueuit. Quod autem ait, carnis curam ne feceritis in deſideriis, ſapit Hebraïſmum, quaſi diceret, deſideria veſtra ne ſint carnalia: quod alibi clarius expreſſit.

Rom. 8. Hebræi & Ægyptij non veſcuntur ſimul.

Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vides corruptionem carnis præire generationi ſtatus merè ſpiritualis. Habet quidpiam hiſtoria ſacra, quod conducat ad ſenſum hunc moralem, qui hortatur homines vt abdicent omnia piacula, ante acceſſum ad ſacram ſynaxim, quâ debemus immutari. Rei huius accipe ideam, ex Epulis quibus Ioſeph fratres ſuos excepit in Ægypto.

Geneſ. 43.

Ioſeph ait apponite panes, quibus appoſitis ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus. Ægyptiis quoque qui veſcebantur ſimul, ſeorſum: illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiuſcemodi conuiuium. Seorſum, ô homo fidelis, amanda omnes Ægyptios, id eſt, actus quoſque nefarios: quippe Ieſus Hebræus eſt, nec illi conuentio aliqualis cum vili plebecula Ægypti.

Ex Historia. *Otto Friſigeſ. lib. 7. cap. 23.*

Nigros dicimus Ægyptios; ſed peior eſt nigredo quam inurunt omnia deliquia: ab his ergo ſecedas Ægyptiis, ſi vis conuiuere Chriſto. Affine eſt huic aliud exemplum Rogerij Regis Siciliæ, qui odio pluſquam Vatiniano olim arſit in Rainulphum Apuliæ ducem, quo extincto noluit Troiam ingredi Rex, donec inde cadauer inhumatum erueretur Rainulphi eius hoſtis, quo proiecto extra muros Rex vltro Troianos in fidem ſuam tunc recepit.

Conſortia mala ſunt vitanda.

Diſce Chriſtiane Chriſtum alienum tibi fore, donec foras emittas omnia ea quæ illi fuerunt inimica, vt ſunt odia, libidines, auri inſana cupido, aliaque nefaria; alioquin ſi tibi malè conſcius alicuius abditi in confeſſione deliquij, accedis ad Epulas Chriſti, & eum ſic inuocas, prouocas vltorem auſus tui ſacrilegi. Itaque non diſſue tantùm, ſed diſcinde fœdus initum cum eo omni quod Chriſto aduerſatur.

Ex Ivre Canonico: *Can. Antecessor 1. q. 5. Canone, nonnulli de Pœnitentia diſt. 1.*

Ad hoc nos Canones Sancti ſic compellant. *A communione improborum abſtinendum eſt.* Chriſti enim ſocietas innoxia homines quærit illibatos, ea autem ſocietate dignantur hi, qui compotes ſiunt corporis conſecrati; vt habetur hoc Canone. *Communio ſacratiſſimi corporis Domini, dicitur conſortium diuinum.* Qui ſecus faxit, in ſacrilegij crimen incurrit, nec non & in multiplices pœnas adſcriptas illis piaculo: ipſo etiam iure Ciuili,

Ex Ivre Civili: *Gloſſ. 4. in l. 5. Cod. de ſepulchro violato. Itē lege 6. ad legem Iuliam peculatus.*

Sacrilego pœna capitis imponitur, vel ſubiicitur beſtiis, aut deportatur, aut in metallum datur, ſecundum qualitatem perſonæ, & delicti. Heu quot hodie homines damnati ad beſtias, ob inconſultè Deum exceptum in altari, & qui in Deum debuere tranſmutari, feralis naturam pecoris induerunt. Is fœda libidine animum gerens in communione, ſordidum porcum refert, cuius cura duntaxat eſt de fœtido volutabro. Alter odio iniquo ſæuiens in proximum, Leonem, Tygridemque induit. Iſte qui auri cupidus eſt ſupra modum, damnatur ad metalla: nam dum malè parta non reuomit, torquetur anxia cuſtodia, nec vllum vſum capit rei, quæ eſt torturæ loco, non vſuræ. Denique capite plectuntur omnes iſti ſacrilegi, quia qui rationis expers eſt, ei caput eſt amputatum; Et rurſus omnis à Chriſto diſſitus, capite ſuo caret: nam Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.

Ex re Medica: *Fernelius lib. 6. Phyſiolog. a cap. 6.*

Si animus ad exotica nauſeat, diſce à te ipſo, ô homo, quomodo ſis in Deum transformandus: conſule medicos, qua ratione cibi vernaculi concocti tuam naturam induant; audi Fernelium. *Functionum, quæ natura duce ac magiſtra adminiſtrantur, ſumma ac ſuprema nutritio exiſtit: hæc autem à natura fit, quæ ſpiritus caloriſque appulſu & operâ alimentum aſſiduâ exagitat.* Calor ille in moralibus eſt amor, qui difficilia quæque digerit: amanti enim nihil difficile. Vide in Hebræis effectum mirabilem mannæ:

Sapient. 16.

Ad quod volebat vnuſquiſque, conuertebatur. Hanc reuera conuerſionem operatus eſt amor, quo tunc in Deum populus æſtuabat: nam poſtea algente Charitate, populus ille affectus tædio cibi deſuper illapſi nauſeauit.

Digeſtio quomodo fiat.

Si igitur, ô homo Chriſtiane, vis cibum optimum digerere, accende calorem emortuum, eo ritu quo medici languentem bene æſtum ſolent excitare. Hi vbi affluunt humores noxij, infenſi humori ſeu calori viuifico, catharticis ſeu purgantibus omnia iniqua expellunt foras, vt vacuato corpore, calor ille viuax inde vegeteretur, iuxta Hippocratem,

Hippocrates l. 1. Aphor. 25. Purgationis optimæ ſigna.

ἢ οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι, τὰ δ' ἐναντία δυσχερῶς. *Si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & leniter ferunt, ſin minus contra.* Examine præuio deprehendis exundare humorem diſſonum ei, quo vita ſtat incolumis; purga, confeſſione adhibita: expetitis amorem alium præualere amori, quo ſolo concoquitur panis Angelorum; elimina amorem

peregri

Auguſt. in Pſ. 31.

peregrinum, & audi Auguſtinum. *Dilectio vacare non poteſt; purga ergo amorem tuum, veluti aquam fluentem in cloacam conuerte ad hortum, quales impetus habebat ad mundum, tales habeat ad artificem mundi.* Olim flagraſti amore creaturæ quam ſpecies egregia amore dignam obiecit tibi: heu ô cloacam tuæ libidinis, pudeat te in fœtida defluxiſſe, & ama ſpecioſum forma præ filiis hominum. Opum rutilo ſplendore tuus caligauit amor, Dei incurius, vt diuitiarum cumulos longè latéque congereret; collige amorem effuſum in ſæculi gazas, & refunde in eum de quo ait Pſaltes: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Quippe amore omnia proſtant, vt benè Auguſtinus. *Vultis videre quàm ſit res fortis, dilectio; quiſquis propter aliquam neceſſitatem non potuerit implere quod iubet Deus, amet illum qui implet, & in illo implet.* Idem alibi. *Breue præceptum tibi præcipitur; dilige, & quod vis fac.*

Pſalm. 111.

S. Auguſt. in Pſalm. 121.

Idem in epiſt. Ioannis hom. 7.

EX MATHEMATICA:

Ptolemæus lib. 1. de iudiciis c. 22.

O homo lutee, futurus cœlicola conuerſione tua, deduc è cœlis ritum quo muteris in Deum, ſydera te docebunt apotheoſim, ſeu deificationem quam ambias: diſciplinæ huius periti, imò & primores, ex Ptolemæo docent, nihil fauſtum cœlitus illabi inſciis ſyderibus: ſydera autem influere excitata mutuis aſpectibus. Vnde ſic arguo: ſi nihil egregium editur in natura, otiante cœlo, & auerſis ſyderum aſpectibus; moliri nequit homo conuerſionem ſuam non adiutus eo iuuamine, quod depoſcebat Dauid. *Aſpice in me, & miſerere mihi, Domine.* Fides noſtros in Deum dirigit intuitus, & Dei cura eum ſollicitat, vt nos aſpiciat eo vultu, quem in Icone pinxit Gallia Regem ſuum Henricum quartum, poſtquam perduelles ſuos ſubditos omnes recepit in gratiam. Gallia, inquam, non ingrata, Regem ſuum finxit hilari & ſereno vultu, ſpirante gratias vſquequaque, hoc verſu numiſmatis oram circumcingente.

EX SYMBOLIS.

Lukius lib. Numiſmatū.

Vultu quo cœlum tempeſtateſque ſerenat.

Deliquia ſanè noſtra faciunt nos multis caſibus obnoxios, & procellis: ſed ſi Deus propitius aſpexerit, vultu quo cœlum tempeſtateſque ſerenat, omnia nobis proſperè cœlo benè ominante cedent. Totum enim gratiæ eſt, ſi mutemur ad gratiam, & licet fides noſtra ſit quoad aſſenſum, qui eſt actus vitalis editus ab homine; tamen ille actus vt eſt de re quæ tranſcendit hominum captum, à Deo eſt. Si ergo fideles Deo, gaudeamus eius beneuolis aſpectibus, non longè erimus ab ea tranſmutatione, quam ſuadet hoſtiæ & vini tranſitus in corpus & ſanguinem Chriſti. Vt ſydera fauſta patiuntur obices, quibus influxus eorū infirmantur; ita & gratia Dei haud ſuos ſortitur effectus in anima, quam noxæ lethales aliquando præpediunt: quod ſi noxia quæque eliſdamus; nos ea ſors manet, quæ ceruum, qui poſtquam ſerpentes multos eliſit, illico renouatur, vt fusè Tertullianus. *Ceruus & ipſe ætatis ſuæ arbiter, ſerpente paſtus veneno langueſcit in iuuentutem.* Peccata ſerpentia conteramus ore, confitendo, vt vel hinc ſubitò tranſmutemur: hoc enim facinus exigit præmium ſacra communio, cui vis eſt indita tranſmutandi, vt ait Euſebius. *Tibi nouum non debet videri quòd in Chriſti ſubſtantiam, terrena commutantur, te ipſum qui iam es in Chriſto regeneratus, interroga; dudum alienus à vita, intrinſecus mortuus exulabas, ſubitò ſalubribus myſteriis innouatus, de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri occulta pietate meruiſti.*

Cerui induſtria vt iuueneſcat.

Tertull. lib. de pallio.

Euſebius Emiſſenus homilia 5. de Paſchate.

Eccleſiæ anxia quomodo renouemur, conuerſionem noſtram eâ cautelâ ſollicitat, qua vſus eſt Iacob, de quo ſic Moyſes. *Iacob tulit virgas, ex parte decorticauit eas, atque in hunc modum color effectus eſt varius, poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent.* Sacramenta ſunt canales & aluei gratiæ, quæ ad nos inde deriuatur: in Sacramento Euchariſtiæ, vt in alueo ſpatioſo Eccleſia obiicit nobis Chriſtum, qui eſt virga de radice Ieſſe, vt ad ſpeciem hoſtiæ, ſaltem quod oculo peruium eſt, imitemur. Hoſtia alba eſt, & rotunda: petit Eccleſia vt exuas omnem animi nigredinem, qua Nazaræi eius candidiores niue, nitidiores lacte: Intendit alma parens, vt ſis totus teres atque rotundus, vt vel ſic Domini Ieſu perfectam indolem æmuleris, & poſſis vſurpare illud Iſaiæ. *A facie tuâ Domine concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum.* O homo, in Euchariſtia meditare virgam decorticatam, Chriſtum ſcilicet non exutum tantùm veſte ſua, & nudum crucifixum; ſed ſpeculare pendulum eruta pelle flagris, ita vt diſſoluta compage corporis, artus apparerent, eſſentque ſtamina neruorum peruia cernentibus. Vel hinc diſces, inueterate dierum malorum, deponere veterem hominem: in animum tuum induces, ô Æthiops, mutare pellem: forte viſo Dei tui typo excoriato, ô parde, poteris tuas diluere maculas, exuto corio verſipelli. Sed nota ſolas oues concepiſſe & non capras, aut ſi capellæ conceperunt, non ſunt recenſiti fœtus earum Codice ſacro. Multi quidem accedunt ad ſacram hanc ſynaxim, fideles paſſim, & infideles animæ, Dei ſiſtuntur altaribus: ſed oues tantùm, id eſt, animæ manſuetæ, & innoxiæ Chriſti ſpeciem concipiunt & referunt, tranſmutatæ in ſimilitudinem virgæ illius decorticatæ: aliæ verò reprobæ, vt laſciuæ capellæ nequeunt concipere Agnum Dei qui tollit peccata mundi, ſed pariunt hircos, actus ſcilicet reprobos. Ex Dioſcoride, herba quam vocant Agnum caſtum, vſu ſuo facit homines caſtos, quidni & homines aſſueti Euchariſtiæ, animos concipient idoneos huic virtuti? imò vt oues edebant diſcolores agnos, ad aſpectum virgarum quas varius color diſpeſcebat; ita & hi qui Chriſtum cogitant in hoſtia, inde ſumunt virtutis variæ congruum argumentum. Verbi gratiâ, te typho exurgentem inflat ſuperbia; meditare Chriſtum abbreuiatum ſub minima mica panis huiuſce conſecrati, & ſtatim dehiſcet in abyſſum mons ille editus gloriæ vſurpatæ. Si factus humilior, deſidiâ marceſcis ignauior; cogita Chriſti diligentiam, dum in inſtanti adeſt hoſtiæ conſecratæ. Demum audi Apoſtolum dicentem, nos diuites factos in omnibus in Domino Ieſu; quippe ille eſt Pancarpium, cornuque copiæ, vnde gratiarum omnium carpitur incrementum.

Geneſ. 30.

Iſai. 26.

Euchariſtia quibus ſit præcipuè ſalutaris.

Dioſcorides lib. plantarū.

1. Cor. 6.

Sed vide aſtutiam Sathanæ, qui totum ſuum colligit virus, vt infirmet omnia conamina noſtram conuerſionem vrgentia: ſciebat hic æmulus noſter, Paſſionis Chriſti arcana ſanguine purpurea, eſſe præualida vt homines inflecterent ad ſequelam Amantiſſimi Domini, duxit

Veneris ſtatua appoſita monti Caluariæ.

de

de ſalute noſtra, quam nobis Paſſione ſua demeruit: vt igitur dæmon memoriam montis Caluariæ expungeret, aut ſaltem faceret homines immemores Paſſionis Chriſti, ſuggeſſit impius Angelus Hadriano Imperatori, vt ſtatuam obſcœnæ Veneri erigeret in eodem loco, quo ſteterat crux vitalis: hac ſuaſione credulus Imperator voluit extinguere fidem Chriſti, vt teſtantur ſancti Hieronymus, & Paulinus; & adiicit Ambroſius, locum illum Sanctum fuiſſe à Venere Venerarium nuncupatum. Ideò fideles voti cauſa illuc accedentes, arbitrati ſe viſuros aliquales Paſſionis Dominicæ reliquias, quibus animati induerent animos congruos Chriſto patienti, vt ſe illi coaptarent; Chriſtiani inquam ſua ſpe deluſi, aſpectu Veneris libidinem inſpirantis, deteriores facti hac idea ſpurciſſima, redibant ad propria, veluti Circeo carmine dementati. O peritiam callidi hoſtis, hodie adhuc vſitatam! Multi adſunt Eccleſiis die aliquo magnæ feſtiuitati ſacro, accedunt animo frequentandi Euchariſtiam: ſed dæmon obiicit eis fœminas, aperto ſinu obſcœnas; vtique referentes impiam Venerem; hac ſpecie capti, imò & ſaucij homines incauti, domum repetunt ebibita lue, oculo libidinem ſitiente. O homò faſcinate, ſi oculus tuus te ſcandalizat, erue & proiice eum abs te; ini fœdus cum oculis tuis, vt ne cogitent quidem de virgine; eſto oculis & mente adeò compoſitus, vt nihil iniquum ſubrepat, quod obſtare queat voto, quod de accipienda ſacra hoſtia concepiſti. Cautior fias admonitione Patrum, in quibus audi Lactantium, cum depingit diabolum ſpecies varias prætendentem, vt in aliquam illatum noſtro vitio transformemur. Sic ille. *Obiicit oculis irritabiles formas, ſuppetitque fomenta, & vitiis pabulum ſubminiſtrat, tum intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat, atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumque decipiat; his obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit.* Ita & Cyprianus eum ſugillat. *Latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, vnde nomen ſerpentis accepit, ea eſt eius aſtutia, ea eſt circumuenendi hominis cæca & latebroſa fallacia, vt aſſerere videatur venenum pro ſalute.* Demum in tot ſe verſat figuras Angelus ille nequam, vt tandem induat nobis noxiam aliquam formam, & hoc deflet Saluianus. *Sicut exercitus pugnaturi, ea loca, per qua venturas hoſtium turmas ſciunt, aut foueis intercludere, aut ſudibus præfigere, aut tribulis infeſtare dicuntur, vt etiamſi non in omnia quiſpiam incidat, nullus tamen euadat penitus; ita etiam dæmones tam multas in vita iſta humano generi illecebrarum inſidias prætendunt, vt etſi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur.*

§ Hieron. ep. 13. ad Paulinum

S. Paulinus epiſt. 11. ad Seuerum.

S. Ambroſ. in Pſalm 43.

Ex SS. Patribus.

Lactantius l. diuinarum inſtitut. 6.

Dæmonis aſtutia qualis.

S. Cyprian. tractatu 3. de zelo.

Saluianus de prouidentia Dei lib. 6.

Morale.

Exod. 40.

Quia in varias ſe componit ideas dæmon, vt obſtet quo minus immutemur; ideò Deus præcauens techinas inimici, ait Moyſi. *Pones candelabrum in tabernaculo teſtimonij, è regione menſæ à parte auſtrali, locatis per ordinem lucernis.* Vt ab Aquilone panditur omne malum, ita ab Auſtro editur omne bonum; ideò lucernæ ea parte accendendæ, ne erremus: candelabrum autem, è regione menſæ, notat non caligando accedendum eſſe ad hanc Angelorum menſam; ſed mente ſedula & ſagaci omnia exploranda, quæ canenda nobis, & omnia meditanda, quorum chariſmata & indolem volumus. Eamobrem ſicut fures lucernas extinguunt, vt aliena bona diripiant; ita & Angelus prædo, hominum hebes obtundit ingenium, ne in Euchariſtia faciant gratiæ prouentum, qui debetur eis, qui priori abdicata figura iniqua, meliorem indolem nanciſcuntur, & ſic luteos homines facit hic inſidus artifex; vt deflet Ieremias. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, & immutatus eſt color optimus, filij Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli.* Dæmon reuerà figulus, quia de luto, & ad lutum prodit, & redit illud omne, quod ille luteus opifex aggreditur. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, ſicut in die honeſtè ambulemus.

Threu. 4.

QVI SOLO SE ABDICAT, COELO SE DICAT; QVI IRRITVM PRAVVM RITVM EGERIT, NON PARVVM MERITVM INGERIT.

PERPERAM IMPVGNANT hæretici Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium.

In hac verba:

Litigabant Iudæi adinuicem.

LITIGIVM IV.

PRima hominis ex ſacro Codice recenſio, inſinuat eum eſſe animal ſociabile: quippe de eo ſolo ait Deus. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Eſtque qui credat vocem, homo, deductam à Græco nomine ὁμός ſimilis; vt enim ſimilis ſimili gaudet, ita & homo ſecerni neſcit ab homine; aliis dicitur homo à voce ὁμοῦ ſimul, quia ægrè ferunt homines intercapedines atque diuortia. Naturâ ſuâ igitur homines adunati, vinculo non egebant, quo inuicem deuincti conuenirent; & hoc vtique ratum, ſi ſteriſſet in Dei famulatu prior hominum parens: ſed vbi à Deo defecit Adam, ſaucia hominum indole, diſſiti ſunt ab inuicem & ipſi fratres in incunabilis mundi, inſurgente Cain in Abel, cuius terram ſanguine cruentauit. Ne autem adoleſceret emergens in homine diſſidium in homines, Deus omnes decreuit homines nexu indiuiduo ſociare, eos ſibi ipſi media vna Religione coniungendo. Nimirum ex Iſidoro. *Religio dicitur à relegendo, quæ ſunt diuini cultus.* Vel etiam à reeligendo, vt qui à Deo deuij, regreſſu meliore ad Deum appellamus: ſeu magis congruè ad propoſitum, Religio ex Auguſtino dicitur à religando, vt qui exleges Deo fueramus iniurij; iam Deo redditi, vinculo præualido connectamur. Eſt autem religio, virtus quâ Deo debitum honorem & reuerentiam exhibemus; differtque illa virtus ab aliis, eò quòd virtus in genere ordinetur ad bonum; & iſta virtus habeat ſpecialem rationem boni: vbi autem ſunt ſpeciales rationes participandi genus; illic ſunt & diuerſæ ſpecies, vt rationale & irrationale, quia diſpari ratione communicant in genere animalis, ideò conſtituunt diuerſas ſpecies animalis. Ita Religio ſita eſt in peculiari ſibi bono; nam ordinatur ad exhibendum honorem

Geneſ. 2.

Homo vnde ſic nuncupatur.

Religio vnde dicta.

S. Iſidorus lib. 10. Etymol. cap. 17.

S. Aug. l. 10. de Ciuitate Dei. cap. 17.

Ex Theologia.

S. Thomas 2. 2. q. 81. art. 4.

honorem Deo debitum, quod non competit primariò; alteri virtuti: huius autem virtutis actus præcipuus, eſt ſacrificium, cuius hæc eſto genuina Theologiæ deſcriptio ex Bellarmino.

Bellarm. li.1. de Miſſa, c.2.

Sacrificium eſt oblatio externa facta ſoli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis, à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur. Dicitur oblatio, vt notetur genus ſacrificij; hîc enim ſacrificium accipitur pro actione ſacrificandi, & non pro victima quæ mactatur.

Sacrificium quid ſit.

Secundò dicitur oblatio externa, quia interna non eſt ſtrictè & propriè ſacrificium: nam cùm homo totum ſe eſſe Dei proteſtetur eo religionis ritu, & ille conſtet anima & corpore; debet vtrâque ſui parte, Dei obſequio mancipari: & ſic ſacrificium non erit interna tantùm, ſed & externa oblatio, vt ait Auguſtinus, *Sacrificium viſibile, eſt inuiſibilis ſacrificij Sacramentum.*

Ex SS. Patribvs.

S. Aug. lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 5.

Tertiò dicitur oblatio facta ſoli Deo: eæ enim oblationes, quæ fiunt hominibus, etiam propter Deum, non ſunt ſacrificia, vt videre eſt in Eleemoſyna, quæ & pauperi datur & Chriſto. *Quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.* Siquidem ſacrificium pertinet ad cultum latriæ, qui ſoli Deo exhiberi debet, vt dicitur in Exodo. *Qui ſacrificat Dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Vt & innuit Auguſtinus. *Quis verò ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit?* Et alibi, *dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret: nam obſequia cætera, quæ diuinitati debentur, & exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbia faſtu homines arrogare; rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi vt ſacrificaretur cum regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare, quicumque autem auſi ſunt, per hoc ſe Deos haberi voluerunt.*

Matth. 25.

Exod. 22.

S. Aug. lib. de Ciuit. Dei. c. 4.

Idem l. contra aduerſar. legis & Prophet. c. 18.

Sacrificij luculenta deſcriptio.

Quartò dicitur oblatio, ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis: hic eſt enim finis omnium ſacrorum; ſunt enim tributa quæ Deo redduntur, in teſtimonium ſupremi dominij eius, & noſtræ ſubiectionis, & inde potiſſimum laudem habet ipſa actio ſacrificandi, quæ alioquin non eſſet virtus ſpecialis; nam ex ſe opera ſunt indifferentia, occidere animalia, & ea igni mandare: Sed cum iſta fiunt ad ſignificandum omnia à Deo procedere, & in ipſius honorem conſumenda eſſe; iam ſunt opera religionis, & proinde optima, imò & cedro digna. Quintò dicitur oblatio facta à legitimo miniſtro; nõ enim quiuis vnquam ſe debuit ingerere ad ſacrificium exhibendum. In lege naturæ, ſacerdotes erant vel capita familiarum, vt Noë, Abraham; vel illi quibus Deus inſpirabat dictamine ſpeciali, vt videre eſt in Abel minore natu. In lege autem ſcripta ſoli filij Aaron; in lege gratiæ ſoli Epiſcopi & presbyteri ritè ordinati ſacrificare queunt. Hinc excluduntur à ratione ſacrificij propriè dicti multæ oblationes priuatorum hominum, factæ Deo ſoli: vt cùm fideles candelas accendunt, & conſumunt in templo, ad honorem Dei. Sextò dicitur, vt hæc oblatio ſit rei ſenſibilis, atque permanentis; vt nimirum excludantur à ratione ſacrificij propriè dicti, actiones tranſeuntes in honorem Dei factæ, quales ſunt Pſalmodiæ, preces, genuflexiones, & alia quæ fiunt à ſacerdotibus actu extrinſeco ad Dei gloriam, quæ tamen ſacrificia minimè nuncupantur. Septimò adijcitur, vt res illa ſenſibilis, ritu myſtico conſecretur; ſiquidem debet res illa quæ Deo offertur, ex profana fieri ſacra, Deoque dicata: etenim hoc ſonat ſacrificare, quaſi ſacrum facere, vt ait Diuus Thomas. Illa autem conſecratio ſeu dedicatio ſemper fiebat in lege veteri certo ritu, & cæremonia myſterium continente, vt impoſitione manuum ſuper victimam, vel oblationis eleuatione in altum. In hoc ritu diſpeſcitur ſacrificium à ſimplici oblatione, quia hæc nullum ſibi peculiarem modum poſcit, neque myſticam conſecrationem. Denique de ratione ſacrificij eſt, vt res illa conſecrata tranſmutetur. Nimirum ad verum ſacrificium exigitur, vt id quod offertur Deo in pacificum, planè deſtruatur, id eſt, ita mutetur, vt deſinat eſſe id, quod ante erat, & in hoc maximè differt à ſimplici oblatione, quæ interdum ritu myſtico eleuabatur coram Deo, ſed non deſtruebatur, niſi quando verè ſacrificabatur. Huiuſce rei eſt ratio biceps. Vna ob ſignificationem mortis Chriſti, quam priſca omnia ſacrificia liquet adumbraſſe. Altera verò ratio eſt, quia ſacrificium eſt ſumma proteſtatio ſubiectionis noſtræ ad Deum, & eſt ſummus cultus externus, qui exhiberi poteſt: ſumma autem iſta proteſtatio requirit vt non ſolùm vſus rei Deo offeratur, ſed etiam ipſa ſubſtantia, atque adeò eadem ipſa ſubſtantia conſumatur.

S. Thom. 2.2. q. 85. art. 3.

Hac rei ſenſibilis conſumptione omnimoda, outdinamur hoc eſſe ſuperſtes quod habemus: nam vt Iſaac morti iam deuotus, erutus eſt à faucibus eius, oblatione arietis, qui morte ſua luit necem inferendam primogenito Abrahæ: ita & nos res ſenſibiles offerimus Deo, eas conſumendo; profitentes fore vt perditum iret noſter ſtatus, ſi Deus ipſe ſua præpotente manu, nos non à nihilo vindicaret. Ita Carthaginenſes olim hominum capita mactantes, cautiores facti, capita cæparum ſubſtituerunt, tuncque conſumptio cæparum, fuit cuſtodia capitum humanorum. Ita & fideles homines oblatione & conſumptione rei conſecratæ, non ſolùm proteſtantur ſuum eſſe à Deo dependere, ſed etiam ſuum conſeruari, ab eodem Deo Domino deriuari; ſine cuius iugi influxu neceſſe eſt, agentia omnia illico feriari. Quippe ex Ariſtotele. *In agentibus per ſe & eſſentialiter ſubordinatis, inferius non cauſat, niſi dependenter à ſuperiore, ita vt ſuperius ſimul concurrat ad ipſum cauſandi actum.* Et ex eodem Philoſopho, cauſa prima plus & efficacius mouet quàm ſecunda: ſed Deus eſt prima, & ſuprema cauſa cui eſſentialiter, ac per ſe ſubordinari oportet omnia agentia creata; igitur nullum agens infra Deum poteſt aliquam, ipſo Deo inſcio, exercere actionem. Rurſus plus à Deo pendent omnia in ſuo conſeruari, quàm dependeat lumen à corpore luminoſo: ſed vel minimum deſinente influere corpore luminoſo, patitur eclypſim lumen; ita & creata omnia Deo ſeſe eis ſubtrahente, ſummo eſſent obnoxia deliquio: cui occurrunt homines ſacrificiorum ritu, quo res oblata, & conſumpta, & Deo teſtatur fidem noſtram, quâ noſtrum eſſe, atque noſtrum in eo eſſe ſtatum, ab eo totum fluere confitemur.

Ex Philosophia.

Ariſtot. lib. 2. Metaph. c. 2. textu 5.

Idem lib. 8. Phyſ. cap. 5. text. 42.

Immutabatur olim res oblata multifariam, & iuxta modum immutationis inuertebatur nomen rei oblatæ. Vna mutatio fiebat morte: cùm ſcilicet animal oblatum occidebatur, &

Sacrificiorũ olim variæ ſpecies.

dicebatur hoſtia ſeu victima. Alia mutatio fiebat vſtione, cùm res tota oblata cremabatur, & dicebatur holocauſtum, ab ὅλον totum, & καίω vro. Rurſus manducatione, oblata deſinebant eſſe, vt in immolatione, quæ erat de re inſenſibili, videlicet è farina, pane, dicebatur immolatio, à molendo; ea enim quæ immolabantur, fuerant antea contrita & perpeſſa molam. Alia denique oblationis immutatio fiebat, effuſione, ſi res eſſet liquida, vt vinum, oleum, aqua, & dicebatur libatio. Adeóque verum eſt, immutationem eſſe de ratione ſacrificij, vt nullum poſſit aſſignari ſacrificium, extra hæc prælibata, quibus aſſueuerunt homines Deum demereri, ne causâ illâ primâ fetiante, vacarent & ſecundæ, ſicque eo otio diſſoluta compage rerum, omnia diſpetirent. Et vt effectus dependet à cauſa, creaturæ omnes editæ à ſuprema omnium cauſa Deo, illi ſuo modo ſubſunt: ſed homines ſe ſubditos illi opifici rerum omnium effectori, oblationibus, atque ſacrificiis maximè proteſtantur. Tota autem ſeries ſacrificiorum diuiditur, ratione materiæ, formæ, & finis. Ratione materiæ, dicuntur victimæ ſeu hoſtiæ, & ſunt ſacrificia rerum viuentium: ſi verò ſint res inanimæ, vt panis, vt farina; talia ſacrificia, immolationes nuncupantur: ſi materia ſit liquida, dicitur libatio. Ratione formæ & finis, ſacrificium diuiditur in tria etiam genera, ſcilicet, in holocauſta, in hoſtias pro peccato, & in hoſtias pacificas. Holocauſta offerebantur propriè in cultum diuinæ Maieſtatis, ideóque tota cremabantur, vt reſoluta in vaporem ſurſum aſcenderent in ſignum, quòd quicquid habemus, Dei eſt. Hoſtiæ pro peccato dicebantur eæ, quæ offerebantur pro expiatione peccati, & hæ partim cremabantur, partim à ſacerdotibus in ipſo atrio ſancto manducabantur. Hoſtiæ pacificæ, quædam erant pro beneficio accipiendo, aliæ pro beneficio accepto, quæ in hoc differebant à ſuperioribus, quòd iſtæ poterant etiam in craſtino manducari; illæ autem debebant conſumi ipſo die ſacrificij. Nec ſolis Hebræis frequens fuit vſus ſacrorum horumce rituum; ſed vbicumque illuxit Dei alicuius agnitio, ibidem & viguere ſacrificia.

Sacrificiorũ diuiſio vnde petatur.

Primi Hebræi, vt Deo maximè deuincti, ſuum cultum multiplici ſacrificio prodiderunt; præter enim priuata ſacrificia, octo habuere ſolemnia, quæ certis anni feſtiuitatibus offerebantur ex præcepto, vt benè aduertit Sanctus Thomas. Primò, ſingulis quibuſque Sabbatis faciebant ſacra in memoriam creationis. Secunda feſtiuitas erat Neomeniæ, id eſt, nouâ quaque Lunâ, pro beneficio gubernationis diuinæ. Tertia Paſchæ, in memoriam liberationis ex Ægypto. Quarta Pentecoſtes, ob datam legem in monte Sina. Quinta Tubarum, in memoriam liberati Iſaac, cùm Abraham inuenit arietem cornibus hærentem, atque implicitum ſenticeto: in cuius rei teſſeram gens Hebræa ſolebat clangere corneis tubis. Sexta feſtiuitas erat expiationis, eo quòd Deus propitius fuiſſet populo (qui vitulum aureum pronus adorarat. Septima ſcenopegiæ ſeu Tabernaculorum, ob in deſerto ſeruatum populum, qui quadraginta annos egit in tabernaculis. Octaua denique ſolennitas erat collectarum, tunc

S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. Feſtiuitates multæ apud Hebræos.

colligebantur à populo neceſſaria ad expenſas cultus diuini, & ſignificabatur adunatio populi, & pax præſtita in terra promiſſionis. Ab Hebræis in Ægypto degentibus ante legem Moſaicam, quæ has aſſignauit octo ſolennitates, credo defluxiſſe ſacrificandi ritum in exoticas gentes, quas ſeries hiſtoriæ omnimodæ ſacrorum vſum habuiſſe clamat.

Vt à remotioribus auſpicemur, ſcilicet ab Indis. Gercetæ apud eos ſua ſacra voluerunt eâ nitere munditiâ, vt homines noxios arcerent à ſacrificio, quo Deum excolebant. Arabes Soli radios ineſſe deitatis arbitrantes, eorum omnium quæ colligebant partem aliqualem huic rutilo ſyderi conſecrabant. Troiani ex Homero integros greges habebant ſacros, quia inde victimæ legebantur. Dianæ Epheſinæ tot erant addicti ſacerdotes, vt à vulgo diſſiri, ſua ſeorſum haberent comitia, teſte Pauſania. Galatæ captiuos ſuos immolabant Diis, quorum ſuffragio victores extiterant, vt refert Alexander ab Alexandro, qui & ait Cappadoces cuique edito monti ſacrificare ſolitos, quòd hæc eminentia diuinum quidpiam præſeferret. Et Plutarchus ait repertas fuiſſe gentes exleges, & exreges, nequeuntes ferre legem, neque Regem, ſed nullas ſine ſacris: quippe ex Ariſtotele nequit vllus vigere ſtatus, Deo aliquo inculto. Cuius rei non inſcius Rex Cambyſes, iam ceſſurus fatis, Cyro filio ſuo Deorum cultum altè animo impreſſit, nec aliunde magis Xenophon Cyrum extollit, quem totum ferè fuiſſe ſcribit in ſacrificiis, quorum ritu edocto Numa Pompilius Romanorum efferas mentes, hac vmbratili pietate perpoliuit, Deorumque etſi fictilium Cicero cultum tanti fecit, vt hoc ſublato, dixerit, omnia fore infida & iniqua. Plinius Ciceronis de Religione encomiis adiiciens ait, penes eam eſſe vitam noſtram. In impietate Gentili, Galli aliàs fecere ſibi nomen maximæ pietatis, eâ reuerentiâ quâ dignari ſunt ſuos Druidas, eo enim nomine nuncupabant ſuos ſacerdotes, qui dicti ſunt Druidæ, à voce Græca δρῦς, quæ quercum ſonat: eâ nimirum arbore delectati Druidæ, ab ea ſibi oomenclaturam inuſſerunt. Audi hominis iniqui Gallis, eorum encomia pietatis in ſuos ſacrificulos. Sic Cæſar parum æquus Gallis, quos Romanorum obſequio mancipauit. *Druides rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, ac priuata procurant, religiones interpretantur, ad hos magnus adoleſcentium numerus, diſciplinæ causâ concurrit, magnoque ſunt apud eos in honore: nam ferè de omnibus controuerſiis, publicis, priuatiſque conſtituunt. Et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, iidem decernunt, præmia pœnaſque conſtituunt.* De iiſdem Plinius & de eorum ſacris, quæ magna obeunt pompa, luculentam habet in ſua hiſtoria recenſionem. Denique adeò familiaris fuit ſacrorum vſus Romanis toto orbe effuſis, vt bello paceque multa facerent ſacra, quæ dicebantur Hoſtiæ, quando procedebant contra hoſtes ſuos, quos ſi profligaſſent, ſua ſacra ſeu cæſa animalia victimas appellabant, à deuictis hoſtibus, vt Poëta hoc gemino verſu ſignat.

Ex Hiſtoria omniũ Nationũ. Probatur vſus Sacrificiorum.

Nob. lib. 44. Boëmus li. 2. c. 1. Homer. Odyſ. 3. Sacrificia multis Gẽtibus inolita. Pauſan. in Arcadicis. Alexand. ab Alex. dier. genial. lib. 6. c. 17.

Ariſtot. lib. 7. politic.

Xenophon lib. Cyroped.

Plutarch. in Numa.

Cicer. lib. 1. de natura Deorum. Plin. lib. 14. hiſt. natural.

Cæſar de Bello Gall. lib. 6.

Plin. Hiſtor. nat. lib. 16. c. 44.

Hoſtia vnde dicta.

Ouidius l. 1. Faſtorum.

Victima quæ dextra cecidit victrice vocatur.
Hoſtibus à domitis, hoſtia nomen habet.

Inſtabis forſan, lector beneuole. In propoſita controuerſia de ſacrificio Miſſæ, me nimia texere præludia, & quæres, ad quid omnium gentium recenſita ſacra? Adſum quæſito tuo facturus ſatis. Ideò infidarum gentium ritus atque piacula propoſui, quo magis hæreſim deteſtarer, quæ vult expungere Miſſæ ſacrificium ſacro-ſanctum; nec abs re ſecta illa Caluiniana dicitur Religio per antiphraſim vt bellum, ſic vocatur, quia minimè bellum, & lucus quia minimè lucet. Nulla vnquam Religio extitit, neque ſtare poteſt ſine ſacrificio: quo ſublato homines ſunt iniurij Deo, cuius dominium palam profiteri, & oſtendere dedignantur: & arcent à ſe diuina Chariſmata, quibus Deus influit locis ſacrificio exhibito conſecratis. Eamobrem priſci homines, & in his Heraclitus ex Rhodigino, ſacrificia aiebant eſſe medicamenta, eò quòd præpotentis pharmaci vice expurgent animam à morbis in hac generatione concretis.

Cælius Rhodig. lection. antiquarum l. 7. c. 2.

Ex LINGVIS. *Melanch. in Apolog. confeſſionis Auguſt.*

Primo perduelles hæretici debacchantur in nomen Miſſæ, vt in vocem peregrinam, rem etiam exoticam & incognitam Apoſtolis indicantem. Catholicos trahunt ad tribunal ſcripturæ ſanctioris, vt vel iode capitis ſententiam excipiant. O cæcas infidelium hominum mentes! hæretici cæcutiunt in re, quæ lumine ſuo perſtrinxit oculos ſymmiſtarum Caluini. Nam Munſterus & Melanchthon agnoſcunt Miſſam eſſe Hebræum vocabulum, de quo Moyſes in Deuteronomio. *Miſſah nidbath* מכח נדבת *oblationem ſpontaneam.* Vox Hebræa, Miſſa, ex alio homine Hæretico, ſcilicet Ioanne Buxtorfio, tributum ſignificat: ſic enim ille explicat מסם in radice *Maſaſ.* & ex homine impio vox iſta benè ſacrificij notionem induit. Nam de ratione ſacrificij eſt, vt ſit oblatio, quæ tributi vice Deo defertur, cui tale debetur obſequium. Ruſus ſacrificium in diſſolutione conſummatur; nam res oblata debet deſtrui, & penitus immutari, vt ſum præfatus in deſcriptione ſacrificij. Non igitur vox illa eſt adeò peregrina, vt eam inſcio Codice ſacro vſurpemus: nec poſtera tantùm ætate fidelibus innotuit hæc dictio, quam priſci Patres Eccleſiæ primores oſtendunt, ſuis etiam ſcriptis vſitatam. Sic Ambroſius. *Ego manſi in munere, Miſſam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt* [illegible]*buenires.* Auguſtinus illi ſuppar. *In lectione quæ nobis ad Miſſas legenda eſt, audituri ſumus.* Abdias Apoſtolorum diſcipulus, Miſſæ dictionem habet, vixit ille, Eccleſia enaſcente.

Buxtorfius in Lexico ſuo, voce. מסם. Miſſa vnde dicta.

Ex SS. PATRIBVS: *S. Ambroſ. l. 5. ep. 33. S. Aug. ſerm. 91 de tempore. Abdias l. 7. hiſt. certaminis Apoſt.*

Sunt qui vocem hanc aſſerant eſſe latinam, etſi legitimum habeat in Hebræis fundamentum: dicunt enim illi vocabulum illud, Miſſa, ſubſtantiuè ſumptum pro miſſione accipi, vel pro dimiſſione: Græci enim finita concione dicebant λαοῖς ἄφεσις id eſt, populis dimiſſio, quod & nos, Ite Miſſa eſt. Inualuit autem vox illa, quia catechumeni dicto Euangelio foras mittebantur, vt ait Iſidorus. *Miſſa dicitur catechumenorum, quia poſt Euangelij lectionem, catechumeni dimittuntur; Miſſa fidelium ad finem protenditur.* Ab hac autem frequenti Miſſione arbitrantur multi totum ſacrificium accepiſſe nomenclaturam illam Miſſæ, cui & ſuffragari videtur Auguſtinus ſic. *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa catechumenis, manebunt fideles.* Græci vocant hocce myſterium λειτουργίαν, quaſi munus ſeu miniſterium publicum. Syri qui hodie Chaldæa vtuntur lingua, quæ eſt Hebræa dialectus, arbitrati vocem מסה Miſſa non ſufficere ſanctitati huius myſterij, vtuntur hoc nomine *codeſcho* קורשא, id eſt, ſanctum ſeu ſacrum, à radice Hebræa קרש id eſt conſecrari. Alij ſpeculantes hanc vocem ſapere quid latinum, aſſeroere ſic dici, quòd in Miſſa vota noſtra, & orationes ad Deum feruentiùs, ideoque meliùs emittantur. Non planè auerſor hoc effatum, ſciens quàm validè Deus impetat, & quatiat hominum mentes intentas tremendo illi ſacro: hos expertus diuinos impetus Hugo Victorinus, vir ſummè affectus erga Miſſam, Etymologiam deduxit à feruore, qui illic inutitur, & quo ad Deum anhela vota maximè percelluntur. Magiſter ille, à quo poſteri Theologi ſacræ diſciplinæ latices ebiberunt, ille inquam Petrus Lombardus, derinat quidem Miſſam à mittendo, ſed non à miſſione, quæ fit deorſum, id eſt quâ emittimus vota noſtra, ſed ab ea miſſione quæ fit deſuper; hinc enim ait Deum mittere Angelum, qui ſacrificium illud deferat ad Deum ipſum ſurſum.

S. Iſidor. l. 6. Etymologiarum c. 19. S. Aug. ſerm. 237. de tempore. Miſſa catechumenorũ.

Hugo Vict. l. 2. de ſacram. part. 8. c. vlt. Magiſter in 4. diſtinct. 13.

Poſtquam diu arietatum eſt in mœnia ciuitatis; irruptione facta, milites furore percitì, igne ferroque ſæuiunt, obuia quæque conterentes. Ita & Hæretici debacchati in nomen Miſſæ, quo vt muro cingitur ſeries tota ſacrificij Auguſti; hæretici (inquam) vt dæmone iniquo ſati, reiecto & exploſo nomine Miſſæ, in nomen Miſſæ, quo vt muro cingitur ſeries tota ſacrificij Auguſti, in veſtes ſacerdotis, in cæremonias, & rem oblatam impiè declamarunt, vt in rem cuius neſcia fuere priora ſæcula, ſed ea ſorte mulctantur, qua ille apud Horatium.

Horatius.

——*Fragili quærens illidere dentem,*
Infringet ſolido.

Dum enim score ſcioli Romanam Eccleſiam nouitatis inſimulant, ſuam imperiti palam faciunt inſcitiam. Et vt à veſtibus ſacris ordiamur, illæ paſſionis Chriſti ideam genuinam referunt, & aliquid morale inſinuant. Amictus quo caput velatur, faciem Chriſti in paſſione velatam innuit: Chriſtus enim paſſionem verè auſpicatus eſt ab hoc velamine, & conſpurcatæ faciei ſuæ ludibrio. Rurſus ille amictus diſſluens in humeros, laborem, & bona opera clamat, quibus debemus cooperari Deo operanti ſalutem noſtram, vt ait Beda: & quia amictus albus eſt, candore ſuo, munditiem ſuggerit ex Rabano Mauro. Alba tunica linea Chriſtum obiicit nobis, veſte alba indutum; & irriſum ab Herode, hæc tunica linea protenſa ad pedes, adumbrat continentiam retinendam ad finem vſque. Zona, manipulus, ſtola, vincula Chriſti clamant, item obſeruantiam legis, iuxta id Pſalmi. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Caſula crucem habens figuratam, eſt Symbolum crucis, quam Chriſtus ſuarum pœnarum complementum accepit. Rurſus caſula veſtibus reliquis ſuperimpoſita, totumque tegens corpus, charitatem ſignificat quæ operit multitudinem peccatorum. Sic

Veſtes Sacerdotales in Miſſa quid ſignificent.

Beda li. 1. de Tabernaculo. Rabanus Maurus l. 1. de inſtitut. clericor. c. 15.

veſtes omnes illæ addictæ ſacrificio, licet ſint elingues, paſſionem tamen Chriſti annuntiant adſtantibus, moraliaque ſignificant, quæ ex Beda & Rabano Mauro proximè prælibaui. Non ergo ioania ſunt hæc Miſſæ ſimulachra vt obganniunt hæretici, ridentes veſtimenta, quibus ſacrificia peraguntur.

Ex SS. Patribvs. *S. Hieron l. 3. contra Pelagian. S. Chryſoſt in ſua liturgia.*

Vſum harum veſtium priſcis ſæculis iuolitum, oſtendunt SS. Patres, vt Hieronymus, qui candida ait clericos induere veſtimenta, dum adſtant ſacris. Chryſoſtomus refert preces, quas fundit ſacerdos, dum induitur ſacra illa ſupellectile. S. Gregorius vbi Angliam audiit, abdicato ritu gentili Chriſto dediſſe manus, miſit vaſa ſancta, & argenteas reliquiarum thecas, necnon & veſtes ſacras, idoneas Miſſæ celebrandæ, vt Beda refert. Patres verò omnes, & ritus integrantes Miſſam, quo ad ea quæ ſacrificio accidunt, non heri & nudiuſtertius irrepſerunt in Eccleſiam, ſed multiplici ſanctione Patrum inualuerunt olim. De introitu ſacerdotis ad altare, ad cuius crepidinem confitetur edita voce ſua piacula in genere, meminit Ambroſius. Item & de Kyrie eleiſon S. Gregorius. Orationes verò, & collectas (ſunt enim Synonymæ voces) habet Auguſtinus ſubſcribens Tertulliano de Collectis eiſdem memori. Has Orationes præcedit Canticum Angelorum, Gloria in excelſis, vt olim ſcripſit Teleſphorus; & ne peculiarum hominum inſtinctu credas, in Miſſam ſe ſe inſinuaſſe eas ceremonias, audi me tibi ex Iure Canonico, ſeu multâ Conciliorum ſerie, omnia comprobantem, & authoritate pontificiâ fulcientem.

Beda lib. 1. hiſt. c. 29.
S. Ambroſ. l. 4. de Sacramont. c. 2.
S. Greg. l. 7. epiſt. 62. S. Aug. epiſt. 107. Tertull. Apol. c. 39.

Ex Ivre Canonico:

Vualfridus, lib. de rebus Eccleſ. c. 22. Sozom. lib. 3. cap. 19.

Introitus conſtans ex verſu ſcripturæ, & Gloria Patri, à Celeſtino Papa inſtitutus, & à Gregorio Primo Papa conſtitutum eſt, vt caneretur, teſte Vualfrido. Verſus verò ille Gloria Patri & Filio, &c. compoſitus eſt in Concilio Nicæno, eóque vt teſſera fidei, Arriani diſcrepabant ad orthodoxis, vt ait Soxomenus. In Concilio Vaſenſi ſtatutum eſt, vt Kyrie eleiſon caneretur, ante Gloria in excelſis. Canticum Angelorum Miſſæ inſertum à Teleſphoro Papa anno Chriſti 119. Salutatio, Dominus vobiſcum, petita eſt ex ſcriptura veteri Iudicum, & Ruth. Orationes ſeu Collectæ, ex antiquis liturgiis, & de iis Canones ſpeciales, in Conciliis Carthaginenſi, & Mileuitano. Collectam ſequitur epiſtola adhibita ex vetere aut nouo teſtamento, iam in vſu, æuo Tertulliani. Verſiculi ſeu Graduale, à Diacono aſcendente gradum altiorem, canebantur, vt ait Rabanus. Adiiciebatur verſiculis Alleluia, ex Concilio Toletano. Vt aſſurgerent omnes ad lectionem Euangelij, fuit decretum a Clemente Papa Apoſtolorum diſcipulo, & ita ſtatutum in Conciliis Laodiceno & Carthaginenſi; ſicut & Credo, ex Concilio tertio Toletano. Offertorium præfatio ſequitur, ex conſtitutione Apoſtolica, quæ ſic habet. *Ordo conueniens, vt poſt prædicationem ſequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere, fides in Symbolo, laus in offertorio, fructus in ſacrificio.* Miſtio vini & aquæ, ſancita in Concilio Carthaginenſi. Orationes ſecretæ, ſtatutæ in Concilio Laudiceno. His expletis præfatio editâ voce decantatur, ex decreto Pelagij Secundi Papæ; ſunt tantùm nouem præfationes, vt ſcribit Gratianus; & ex eodem Vrbanus ſecundus in Concilio Placentino habito anno 190. addit præfationem B. V. Mariæ, vt habetur in decreto, adiicitur præfationi cuilibet, Triſagion ex Iſaia, vbi Seraphim Sanctus ter conclamant, & hoc Miſſæ appoſitum eſt, ex Concilio Vaſenſi.

Concil. Vaſeſ. celebratum 150. annis ante S. Greg. Sigebertus de Teleſphoro ſub ann. 129. Iudic. 16. Ruth. 2. Canones Concil. Carthag. Mileuit. Tertull. Apologet. cap. 39. Conc. Tolet. Canone 10. li. 2. conſtit. cap. 52. Conc. Laod. c. 16. Conc. Tolet. 3. Can. 2. S. Clem. l. 2. conſt. Apoſtolic. 57. Conc. Carth. 4. Can. 24. Conc. Laodic. Can. 19. Can. Iuuen. de conſecrat. diſtinct. 1.

Can. Sanct. diſt. 1.
Conc. Vaſ.

His præfatis ſuccedit pars Miſſæ quam Canonem vocant; alij verò actionem, eò quòd ſit pars in qua actio ſacrificij conficitur. Totum canonem, ad verbum expoſuit Alcuinus coæuus Carolo Magno, & hoc anno octingenteſimo. Leo primus addidit canoni verba iſta, Sanctvm sacrificivm, immacvlatam hostiam. Ex Strabone Gregorius Primus iſta inſeruit, Dieſque noſtros in ſua pace diſponat, vt idem ait Strabo, ex quo Alexander Papa meminit in Canone Paſſionis Chriſti. Poſt Canonem recitatur oratio Dominica ante tempora Cyrilli Hieroſolymitani, & ex Innocentij tertij decreto, Pax datur ante communionem. A Sergio autem Papa ante annos mille, ſtatutum vt diceretur Agnus Dei, poſt fractionem hoſtiæ. Denique de vltima benedictione fit mentio in Concilio Agathenſi.

Strabo c. 22.
S. Cyrill. Hieroſolym. Catecheſ. 5. Myſtag.
Concilium Agathenſe Canon. 47.

Cæremoniarum Miſſæ plures ſunt explicationes, vtique piæ, quæ totam concludunt ſeriem vitæ Chriſti, & omnes ferè concordant, eodem eas ſpiritu Dei ſuggerente. Liceat & mihi vnam è proprio penu depromere, ne aliorum potius ſcripta videar edidiſſe, quam cudiſſe noua. Ergo in toto hoc ſacrificio Chriſti paſſionem ſubodoror, nec video quomodo cohærere poſſint res diſpares in meditatione decurtata, id eſt quomodo natiuitas Chriſti meditata initio Miſſæ, & paſſionis myſteria coire poſſint, tam breui ſpatio, quale eſt illud quod intercedit inter introitum & eleuationem; nolo inficiari tamen, illud ſacrificium eſſe ſynopſim vitæ Chriſti, ſed proxima digreſſione morali, explicabo meam mentem, magis idoneam praxi, quàm ſit illa communis.

Caſſalius l. 2. de ſacrificio cap. 10.
Miſſa eſt ſacrificium.

Iam vigeor ad probandum, Miſſam eſſe propriè ſacrificium, quod vt præſtem, accipe aliqua præuia. Primò, panis & vinum, quæ offeruntur in Miſſa, & corpus & ſanguis Chriſti, non ſunt duo ſacrificia, ſed vnum; quidquid obſter Caſſalius: nam panis non ſimpliciter offertur Deo, ſed panis conſecrandus; ideò dicimus, Benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum: nec etiam offerimus corpus Domini abſolutè, ſed offerimus corpus in ſpecie panis, & ex pane confectum. Itaque ſicut olim offerebatur ouis viua, & ouis mortua, & licet viuum & mortuum ſpecie differant, ſi natura phyſice ſpectetur; tamen vnum duntaxat erat ſacrificium & non duo. Nam ouis viua offerebatur conſecranda per mortem Domino, & deinde per ignem abſumenda: ſic etiam, licet panis, & corpus Domini, res ſint maximè diſpares & diſſitæ, ſi eorum natura attendatur; vnum tamen ſacrificium efficiunt, quod eſt panis in corpus Domini tranſmutatus, ſiue corpus Domini in ſpecie panis Deo oblatum. Atque hinc eſt quòd in Miſſa non offertur panis, vt ſacrificium perfectum, ſed vt ſacrificium inchoatum. Rurſus nota oblationem panis, & vini, quæ conſecrationi præit, ad integritatem & plenitudinem ſacrificij pertinere,

pertinere, non tamen ad eſſentiam: nam illa vocalis oblatio non eſt neceſſaria, cùm quis etiam tacitus poſſit aliquid Deo offerre; ſed pertinere ad integritatem ſacrificij. Videre eſt ex Chriſto, qui in cœna eleuans oculos, & gratias agens ante conſecrationem, idipſum myſticè ſuos ſymmiſtas edocuit. Tertiò nota oblationem, quæ ſequitur conſecrationem, pertinere ad integritatem ſacrificij, non autem ad eſſentiam: Chriſtus enim illam non adhibuit, nec Apoſtoli initio, qui ſolam orationem Dominicam conſecrationi adiecerunt. Pertinere autem ad integritatem, liquet ex antiquiſſimis liturgiis, quibus poſtea iidem Apoſtoli oblationis ritum addiderunt, quales ſunt Liturgiæ Iacobi & Clementis. Denuo aduerte, ſacramenti conſumptionem quæ fit à ſacerdote, eſſe ſacrificij partem eſſentialem, ſed non totam eſſentiam. Eſſe de eſſentia ſacrificij patet, quia cenſetur conſummatio hoſtiæ reſpondere combuſtioni holocauſti, adeóque neceſſaria iudicata eſt illa conſumptio, vt ſanxerit Eccleſia in Concilio Toletano, ſacerdote emortuo ante communionem, oportere alium ſacerdotem ſuccedere, & conſummare ſacrificium. Nam in tota actione Miſſæ, nulla eſt alia realis deſtructio victimæ præter conſumptionem. Requiri autem realem deſtructionem in ſacrificio, patet ex definitione ſacrificij: nec obſtat quòd Chriſtus qui eſt primarius ſacerdos in Miſſa, non ſe ipſum conſumat aut manducet; nam dici poteſt conſumere, quia tradit ad conſumendum, vt in cruce ſe vere ſacrificauit, etſi ſe non occiderit, quia occidendum obtulit. Ita ſacerdos olim dicebatur combuſſiſſe holocauſtum, quia ignem ſubiecerat; non tamen ſacerdos comburebat, ſed ignis quem ille adiiciebat lignis addictia ad deſtructionem holocauſti: denique iſtud non eſt neſciendum; ſcilicet, Conſecrationem Euchariſtiæ, ad eſſentiam ſacrificij pertinere. Ibi enim tria fiunt, in quibus ſacrificij veri, & realis ratio conſiſtit. Primum, res profana fit ſacra, panis enim res aliàs terrena & communis, per conſecrationem vertitur in corpus Chriſti, rem videlicet omnium ſacratiſſimam. Nec inſtare potes, panem ergo ſacrificari tantùm, quia id ſacrum fieri patet, quod in rem tranſit ex profana prius: nam panis non remanet dum ſacratur, ſed in aliud vertitur, ideoque non panis, ſed id quod ex pane factum eſt, propriè ſacrificatur.

Concilium Toletan. 13. Canon. 3.

Sacrificium in quo ſit ſitum.

Secundò, in conſecratione res illa ſacra, ex profana effecta Deo offertur, dum in altari Dei collocatur: victimam enim in altari ponere, eſt reipſa Deo illam offerre. Et quia vi conſecrationis fit, vt corpus Chriſti & ſanguis incipiant eſſe re ipſa ſuper altare: mediante manu ſacerdotis; ideò verbis conſecrationis, vera & ſolennis oblatio celebratur. Tertiò, per conſecrationem res quæ offertur, ad veram, realem, & externam mutationem, & deſtructionem ordinatur: & hoc requiritur ad rationem ſacrificij: nimirum per conſecrationem corpus CHRISTI accipit formam cibi; cibus autem ad comeſtionem, & per hoc ad mutationem, & deſtructionem ordinatur. Neque obſtat, quod corpus CHRISTI, nullam in ſe læſionem incurrat, neque ſuum eſſe naturale amittat, cùm manducatur Euchariſtia; nam amittit eſſe ſacramentale, & proinde deſinit eſſe realiter in altari, nec amplius illic eſt eibus ſenſibilis.

Ex præfatis iam oſtendo, Miſſæ reuerà & propriè competere rationem ſacrificij, quia ei competit definitio ſacrificij: ſcilicet vt ſit Oblatio externa facta ſoli Deo, quà ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ Maieſtatis à legitimo miniſtro, res aliqua ſenſibilis, & permanens, ritu myſtico conſecratur, & mutatur. In Miſſa eſt oblatio rei ſenſibilis, ſcilicet panis conſecrandi, & corporis CHRISTI in ſpecie ſenſibili panis: eſt conſecratio, qua res profana tranſit in rem ſacram, quæ deſinit eſſe per communionem.

Ex SS. PATRIBVS.

Pſalm. 109.

Huic ſacrificio occinit omnis Sanctorum Patrum chorus, qui concorde voto compeſcit hæreſis Caluinianæ blaſphemiam, potiſſimum ex illo Dauidis loco. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Chriſtus ſemel ſe tantùm obtulit ſecundùm ordinem Aaron, cuius erat cruenta ſacra peragere, quod & præſtitit CHRISTVS in cruce ſuo ſanguine purpuraſceos: at inſtar Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit, Dominus IESVS ſe quotidie exhibet ſub ſpecie panis, & vini; quidquid grunniant Epicuri de grege Caluiniani, quibus obiicio ſanctos Patres, & vtique Doctores Eccleſiæ, illiſmet ſæculis, quibus fidem Caluinus ait fuiſſe omnino illibatam. Clemens Alexandrinus ſic. *Melchiſedech Rex Salem ſacerdos Dei altiſſimi, qui vinum, & panem ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ.* S. Cyprianus: *Quis magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter* IESVS *Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem, & vinum; ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem,* Et alibi idem, *ſignificata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert, & vinum; hoc eſt, inquit, corpus meum.* His ſuppar Ambroſius. *Conſtat pecudum victimas periiſſe, quæ fuerunt in ordine Aaron, ſed manere Melchiſedech inſtitutum, quod toto orbe terrarum in ſacramentorum erogatione celebratur.* Aduce Hieronymum. *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Chriſti panem, & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Saluatoris ſanguine, & corpore dedicauit.* S. Auguſtinus chorum hunc obſerabit, aliis ſanctis Patribus tacitis, eò quòd ſatis ſuperque controuerſiæ iſti finem imponant. Sic ergo Auguſtinus. *Melchiſedech prolato ſacramento menſæ Dominicæ nouit æternum eius ſacerdotium figurare*: & alibi. *Ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc offertur à Chriſtianis Deo toto orbe terrarum.* Illic de Melchiſedech verba præeuntia ſic ſociat, vt de eis quaſi de typo Euchariſtiæ aſſerat ſe meminiſſe. Antequam alias faces accendamus, ad elucidandum hoc ſacrificium, quod non celebratur ſine multis ceteris, diluenda eſt obiectio Molinæi hominis ridiculi, cui ſatis eſt agere Pantomimum, ſicut & Momum: quid enim aliud ageret homo ſcurra, quàm malitiam & inſcitiam tegere, imperito ſcurriloquio, vt videre eſt in reſponſione ad R. P. Arnulphum, vbi inopiam ſuam in re ſacra, ineptus idiota, ſola dicacitate diues, ſolatur ſalibus & iocis incongruis, in re

Geneſ. 14.

S. Clemens Alexand. l. 4. ſtromatum.

S. Cyprian. l. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium.

Idem ſerm. de cœna Domini.

S. Ambroſ. in c. 5. ad Hebræos.

S. Hieron. ep. ad Marcellã.

S Auguſt. ep. 95. ad Innocentium Pap. idem l. 10. de ciu. Dei c. 26.

Petrus Molinæus in Reſponſione ad Patrem Arnulph.

quæ dicitur Chryſoſtomo terribilis. *μυστήριον φρικτὸν καὶ φρικῶδες.*

Petri Molinæi ineptiæ.

Audi ineptiam, quam Molinæus arbitratur eſſe argumentum Achilleum. Si in vltima cœna Chriſtus corpus ſuum realiter exhibuiſſet Apoſtolis, in ſpecie panis; illi proni & ſupplices illum panem adoraſſent: ſed Scriba ſacer nullam texit mentionem cultus aliqualis, expenſi conſecrato pani; ergo fuit ille panis vſualis & non conſecratus. O hominem paraſitum, & conuiuatum vmbram! qui etiam in ſuprema Domini cœna nihil ſubodoratur niſi prophanum, & vnde liter gulæ, & ventri, quem delicatus Epulo iugiter ſic ſaburrat. Quæro à te, Molinee, an apoſtoli Chriſtum ſemper adorarint? & an cultus Chriſto exhibitus non ſuas habuerit inducias? Reſpondebis Chriſtum certiorem de eorum fide, non ab eis exegiſſe habitum illum humilem, atque pronum, quo latriæ cultum Domino Deo profitemur, vt videre eſt in Ioanne diſcumbente in ſinu eiuſdem Domini redemptoris. Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam, ſi Chriſtus ſpecie ſua Deum totum referens, non exegit hunc cultum, quare Apoſtoli Chriſto abdito inuolucris ſpecierum panis detuliſſent cultum hunc, quem eis idem Deus rutilus & coruſcans miraculis piè relaxabat, ſciens ſuos diſcipulos poſt Aſcenſionem hunc cultum Euchariſtiæ præſtituros. De ritu enim quo deberet aliquando ſumi ſciebat CHRISTVS Apoſtolos curam habituros; vt & ingerit Paulus, dum de hoc ſacrificio agens ait

1.Cor.11.

Corinthiis. *Cætera autem cum venero, diſponam.* In quem locum Auguſtinus ſpatians, ſic benè

S.Auguſtin. Epiſt.118.ad Ianuarium.

ſuo more commentatur. *Vnde intelligi datur quia multum erat, vt in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur, Saluator non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.* Adorationis autem fuiſſe cultum expen-

Theodoretus Dialogo 2.

ſum iſti myſterio, diſce à Theodoreto, *Νοεῖται ἅπερ ἐγένετο καὶ πιστεύεται καὶ προσκυνεῖται ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται, intelliguntur vt facta ſunt, & creduntur & adorantur vt exiſtentia quæ creduntur.*

Matth.26.

Vrget adhuc Molinæus, Chriſtum in cœna nihil obtuliſſe Deo Patri, at oblationem eſſe de ratione ſacrificij. Reſpondeo Chriſtum explicitè Deo ſe ipſum obtuliſſe, cùm ait. *Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.* Non enim poterat ille ſanguis diluere piacula, niſi oblatus Deo Patri, in expiationem delictorum.

Sed quid argumentis opus ad ſacrificij huius veritatem, cùm ipſa verba clament veritatem; ait enim Chriſtus. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Vbi nota verbum, facere, idem eſſe ac ſacrificare, etiam apud profanos, teſte Virgilio: imò ex Codice ſacro liquet, vbi Elias ait. *Ego faciam bouem alterum, & ignem non ſupponam.* ibi, faciam, id eſt, ſacrificabo. Et Virgilius.

Luc.22.

Virgilius. 3.Reg.18.

Cùm faciam vitulâ.

Item Hebræis idem verbum *gnauad* עבד ſignificat, *facere*, & *ſacrificare*. Cùm igitur ſit Chriſtus facite, idem eſt ac, ſacrificare; ad quid enim Paulus diceret. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Eſt enim intima relatio altaris, & ſacrificij, vt liquet ex primigeniis linguis, Hebræa ſcilicet & Græca; nam à verbo זבח *Zauach*, ſacrificare, fit *zeuach* זבח *ſacrificium*, & *miſbeach* מזבח *altare*. Et à Græco θυσία ſacrificium, fit θυσιαστήριον altare. Vnde altaria ſine ſacris, ſunt pietatis inania ſimulachra, & quicumque expungere voluerunt ſacrificium, iidem & aras etiam euerterunt. Ergo ſi probemus fuiſſe aras primitus in Eccleſia, probabitur ex altari ſacrificium. Fuiſſe autem altare ait Paulus loco proximè deſcripto, & altare vtique diſcretum ab altari Hebræorum, quod ſanguine redundabat. Noſtrum autem eſt immune ſanguini, & eamobrem noſtrum ſacrificium dicitur Græcis Patribus θυσία ἀναίμακτος, ſacrificium incruentum Ruſſus idem Paulus. *Qui altario deſeruiunt, cum altario participant.* Et ipſe Dominus IESVS ſuam formaturus Eccleſiam, ait. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo.* Vides theorema ſeruandum ab his omnibus, qui ſuum dedere nomen Chriſto, cuius ore ſtant altaris. Idemque Deus Antonio Patriarchæ præoſtendens procellas ingruentes Eccleſiæ ex turbine, quem Ariani erant paſſuri, omnia ſuſdeque quatientes, oſtendit illi Sancto Mulos, calce aras euertentes: nam ara incumbit potiſſimum pignus amoris Dei in nos, & illic pro tribunali ſedet ſummus rerum omnium moderator Chriſtus.

Hebr 13.

Facere & ſacrificare voces ſunt ſynonymæ.

1.Cor 9.

Matth 5.

S. Athanaſ. in vita S. Antonij. Hæreticos muli ſignificant.

Altaris eſt multiplex & luculenta mentio, apud grandæuos Eccleſiæ Patres. S. Cyprianus prohibet fieri ſacrificium pro quodam defuncto, qui ſacerdotem rebus temporalibus addixerat, & ab altari diſtraxerat. S. Chryſoſtomus. *Tu altare honoras, quod accipit corpus Chriſti.* S. Ambroſius. *Certatim milites nuntiare, & irruentes in altaria, oſculo pacem ſignificare.* Et S. Hieronymus tergens lachrymas, quas Heliodorus Epiſcopus fundebat in funere Nepotiani, recens emortui, pietatem maximè eam commendat, ex eius cura vt nitterent altaria, & cætera quæ ad cultum Dei pertinebant. Denique Tertullianus inter alia ſigna humilitatis, quibus pœnitentes ſuum animum contritum teſtabantur, iſta edit ſigna veluti Symbola pœnitentum. *Preſbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari.*

Ex SS. PATRIBVS:

S Cyprian. lib. 1. Epiſt. 9.

S Chryſoſt. homil. 20 in 2. Epiſt. ad Corinth.

S. Ambroſ. l.5. Epiſt. 33.

S. Hieron. in funere Nepo.

Tertul. lib. de pœnitentia

Nauſeant hæretici ad ſanctiora quæque, eos ad profana prouocamus; vt qui iniurij fuere, legi ſacræ, Iuri Ciuili reuerentiam exhibeant aliqualem. Eo iure liquet, Miſſam eſſe ſacrificium, & adeò ſolenne, vt Imperator Iuſtinianus vetuerit in priuatis domibus celebrari. Audi legem eius, quæ eſt in Authenticis. *Omnibus interdicimus magna huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius noſtræ ditionis, in domibus ſuis habere quaſdam quaſi orationum domos, & in his ſacra celebrare myſteria.* Incipit hæc Authentica. *Et priſcis ſancitum eſt legibus, nulli penitus eſſe licentiam, domi quæ ſacratiſſima ſunt agere.* Idem alia Authentica. *Si quis in ſua domo, aut in ſuburbano Eccleſiaſticum miniſterium miniſtrare præſumpſerit, aut aliis celebrare conceſſerit, ſine clericis ſanctiſſimo locorum Epiſcopo ſubiacentibus, iubemus hanc domum, aut ſuburbanum, aut prædium,*

Ex IVRE CIVILI:

Authentica & priſcis vt in priuatis. domibus. Coll 5.

Authentica ſi quis in ſua. De titulis Eccleſiaſticis collatione 9.

prædium, vbi tale aliquid delinquitur, locis illius Sanctiſſima Eccleſia vendicari, per Deo amabilem Epiſcopum & œconomum eius. O hæretice, iſtane tuum animum percellunt? Vides quâ reuerentiâ Imperator, de ſacrificio noſtro ſanciat; ſi non hæc arrident, tibi fas ſit ire AB ARA AD HARAM, id eſt ad ſtabulum: illic enim ſuos paraſitos primò initiauit Caluinus, vnus ex Diaboli Anteſignanis.

EX MATHEMATICA.

Hipparchus lib. 3. enarrationum in Arati & Eudoxi Phænomena.

Ne Mathematici in Atheiſmum incurrerent, ſi vt & Caluiniſtæ aras euerterent, ipſi ſyderum inſpectores habent in cœlis Aram ſuam, foco deſuper accenſo ad ſacrificium; eſt enim apud illos conſtellatio quædam auſtralis zodiaco circulo, quæ dicitur ab eis Ara, & in globo pingitur in modum aræ, cui ignis appoſitus in culmen attollitur: non longè ab ara, eſt alius Aſteriſmus ſeu figura, cui nomen crater; pingitur enim in modum calicis. Diceres ipſos etiam cœlos lucidis atque micantibus ſyderum typis referre præſtantiora Eccleſiæ Phænomena, id eſt clariora noſtræ pignora fidei: ſcilicet aram, & ſacrificium, quod innuit ignis in ara accenſus, & calix non longè ab ara, innuit ſacrificium non eſſe completum niſi ſub vtráque ſpecie. Euchariſtia enim ſi conſideretur in genere Sacramenti, totam habet rationem Sacramenti, ſub vna ſpecie: illic enim eſt totus Chriſtus, ſub quauis ſpecie conſecrata: ſed Euchariſtia ſi ſpectatur in ordine ad ſacrificium, exigit Aram, panem, & calicem; Aram ad oblationem panis, & vini ſpecies ad conſecrationem, & miniſtrum ritè ordinatum, ad hæc diuina celebranda myſteria, ab eo conſumenda.

Obſeruationes ex Aſtrologia pertinentes ad Euchariſtiã.

Hipparcus homo famoſus apud Aſtronomos, aduertit oriente cratere oriri & Leonem, quaſi Deus ab ortu mundi indicaſſet nobis, Leonem de tribu Iuda orientem in humanis, craterem ſeu calicem daturum nobis. Idem Hipparcus adiicit, oriente Ara, oriri & ſagittarij ſtellas, quæ ſunt à decimo quinto gradu ad vigeſimum tertium. Nota homines orationi deditos, eſſe ſagittarios: nam orationes iaculatoriæ, à iaculis nomenclaturam accipiunt: Cùm igitur audis, aram in cœlis erectam, & iuxta eam ſagittarij ſyderam icantia, mente præſagâ futuri, collige myſteriũ ab exordio cœli præoſtenſum: ſcilicet quando erigerentur aræ fidelium Chriſtianorum, multos affore qui ad crepidinem aræ ſuas funderent preces, inde ſagittas in cor Dei iaculantes. Quicquid ergo tumultuentur hæretici, quaſue Tragœdias excitent, noſtris aris iniurij, poſſumus illis inuitis noſtras aras erigere, cœlo nobis præbente ſuam, igne accenſo & parato ad ſacrum: & licet infideles, calices noſtros aureos, & argenteos in ſuam Babylonem deportarint, conflantes vaſa ſacra in vſus impios & profanos, ipſi etiam cœli craterem ſuum propitij atque beneuoli mutuabunt, & Caluino negante aras & calicem Eccleſiæ, Dauid clamat, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Quippe Ara & Crater, ſunt ſtellæ in firmamento, & non in orbibus Planetârum. Ara & Crater, ſunt iuxta duodecim ſigna zodiaci ad auſtrum; ita duodecim Apoſtolis exiſtentibus ad Auſtrum, calente amore Domini Ieſu in vltima cœna, vbi cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos; Chriſtus in ſuorum hoc conuictorum choro, Aram erexit, & Craterem propinauit eis. Vt diſciplinæ

Pſalm. 18.

Ara & crater conſtellationes ſunt.

EX RE MEDICA.

coeunt omnes ad ſacrificij Miſſæ veritatem fulciendam; ſuas etiam vult obire partes Medicina, quæ inter omnes olim ſectas maximè dedita fuit ſacris. Apollinem, & Æſculapium non indigetes tantùm habuit, vt Medicorum Antiſtites; ſed ſummos profeſſa Deos, vt qui rem Medicam maximè propagarint: nam ex Pauſania Athenienſes Apollinem vocabant Alexicacon, quaſi malorum omnium expulſorem: is enim Græciæ peſtem diluerat; filio eius Æſculapio Medico peritiſſimo, vt indigenæ cœli, Epidaurij templum celebre dedicarunt. Ex Plinio, Romani lue depaſcente Romam lethali virulentia, miſerunt Epidaurum legatos, qui Æſculapij deducerent ſimulachrum. Sed Deo in humanis aſſumente medici nomen, & rem: profana ceſſit ei illico Medicina, & aras erexit, quibus ipſummet medicum nouit incumbere; vt victimam incruentam, & inter eos ſcribas ſacros qui Euangelium texuere, ille qui ſacrificij cœnæ minutiora quæque recenſuit, erat antea ſua profeſſione Medicus, ſcilicet Lucas Euangeliſta. Medici ſanguini humano vim agnouere ſalutarem ad medendum, vt videre eſt in Conſtantino Magno, cuius lepram medici voluere humano ſanguine detergere, purpureo ad hoc balneo præparato. Alij ex ſanguine humano diſtillato, aquam colligunt in vſus mirificos: ſed Dominus IESVS Medicus ipſe, & Medicorum Deus, ſanguine ſuo aqua quæ de latere effluxit diluto, occurrit omnibus morbis, ſanguinemque ſuum quotidie exhibet in altari, vt Medicorum primus Lucas profeſſus eſt, & alij celebres Medici Coſmas & Damianus, hanc confeſſionem de Domino IESV, ſoſpitatore mundi, ſuo ſanguine ſubſcripſerunt. Et vt Chriſto rependerent reciprocas vices, ipſi etiam facti holocauſta, martyrium ſubierunt. Alter etiam Medicus nomine Vrſicinus, à Paulino Iudice, Rauennæ Chriſti causâ pœnis affectus, cùm nutaret in tormentis, animos ſumpſit diffluentes audito Vitali milite ſic hortante. *Vrſicine medice, qui alios curare ſolitus es, caue ne te mortis æternæ iaculo conficias.* Abdicato humani ſanguinis vſu Medici Chriſtiani iam ſuadent ægris vſum ſanguinis Domini IESV; quippe didicerunt iſtud Sacramentum eſſe, vt ait S. Ignatius, *φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον μὴ θανεῖν, medicamentum immortalitatis, antidotum contra mortem.* Cui aſſentitur Cyprianus. *Cùm verbis conſecrationis, panis benedicitur, tunc Euchariſtia fit medicamentum ſimul & holocauſtum.* Ideò Medicis iniunctum ex Canone, vt inuiſentes ægros, conſulant, & inducant eos ad ſalutaris victimæ ſumptionem, & moneant ſe non redituros ad decumbentis ædes, ſi non illico viuaci pane non fuerint antea recreati. Diceres hoc præſenſiſſe Dæmonem multis antea ſæculis & ſciuiſſe ſacrificia quæ fiebant, ceſſura ſacrificio incruento corporis Domini IESV. Nam Græcis homines mactantibus, reſpondit oraculum, alium Deum venturum, qui talia impia ſacra penitus abdicaret, vt ait Pauſanias. Non inficior Dæmonem, ex commercio aliorum Angelorum, deſuper didiciſſe ſeriem Eccleſiæ naſcituræ, & præſciuiſſe myſterium, cuius ſuggerit impugnationem hæreticis, qui etiam ſapere debuerunt lecto ſacerdotio in ſcripturis. Ad quid enim ſacerdotes instituti, ſi Eccleſia ab omni ſacrificio vacat?

Pauſanias in Atticis.
Plin. lib. 4. Hiſt. c. 5. & l. 19. cap. 4.

Apollo ἀλεξίκακος.

Ex libro actorum S. Sylueſtri.

Luc. 22.

Surius in vita SS. Coſm. & Damian.

Ex breuiarij lectione de Sancto Vitali.

S. Ignat. Epiſt. ad Epheſ.

Medici ſuadere debent ſacramenta ægris.

Cap. Cum infirmitas de pœnitentia. Et extrauagante ſuper gregem Pij V.
Pauſanias in Achaicis.

Hebr. 5.
Ibidem. 8.

Andi Apoſtolum indicantem ad quid ſint ſacerdores inſtituti. *Omnis Pontifex conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia:* & alibi. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur.* Fauetque derivatio vocabuli ſacerdorum: nam dicitur Sacerdos quaſi ſacra dans; & Græcis vocibus eadem etiam ineſt affinitas: ſiquidem ab ἱερεύειν ſacrificare, fit ἱερεῖον ſacrificium, & ἱερεὺς ſacerdos. Ruſus ab θύειν ſacrificare, fit θυσία ſacrificium, & θύτης ſacerdos. Sacerdotum verò eſſe munus alij ſuccurrere, docet Iacobus Apoſtolus. *Infirmatur quis in vobis, inducas presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum.* Vox preſbyteros, è Græco deducta, ſignificat ſacerdotes, vt fatentur ipſi hæretici, in ſuo lexico Græco; nimirum Stephanus ait vocem, πρεσβύτερος, apud auctores Eccleſiaſticos, idem eſſe, ac ſacerdos: & in eo lector ſtupe & demirare veſaniã eorum, qui in bibliis vernaculis, pro preſbyteris, reddidere ſeniores; quaſi Apoſtolus dixerit aduocandos homines grandæuos, vt decumbenti occurrant vnctione ſalutari. Vt in ore duorum aut trium ſterommne verbũ; Conſule Sanctos Eccleſiæ auitæ Patres, apud quos eſt ſacerdotum luculenta mentio. Sic Hieronymus. *Grandis dignitas ſacerdotum, ſed grandis ruina ſi peccant, lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum.* Ambroſius. *Sobriam à turbis grauitatem, ſeueram vitam, ſingulare pondus ſibi vendicat dignitas ſacerdotalis.* Auguſtinus. *Contemplamini quid ſit populo ſancto praeſſe, & conſiderate quale ſit diuinis Sacramentis inſiſtere; altari vacare debent, qui de altari viuunt, & talis conuenit cura ſinceritatis Sacramentis, qualia ſunt Sacramenta ipſa, quibus exhibent officia ſeruitutis, ne contra Deum offendant, ipſa quæ tractant.*

Sacerdos vnde ſic nuncupatur.

Iacob. 5.

Ex SS. Patribus.

S. Hieron. in Ezechielem libro 2.
S. Ambroſ. Epiſt. 26.
S. Auguſt. lib. de ſingularitate clericorum.

S. Dionyſ. cap. 1. lib. Eccleſiaſt. Hierarchia.

Coæuus ipſis Apoſtolis Dionyſius, ſacerdotes ait accedere ad dignitatem Angelorum, ratione gratiæ, quam eis Deus impertit; ſic enim ait: *Dat habitum, & efficaciam gratiæ ſacerdotibus dignam, id eſt vim diuini ſacerdotij, ex qua ad ſanctum ſacerdotij munus & officium venientes, ipſi ad naturas illas cœleſtes, quæ nobis præſtant, propius accedamus, conſtantis immutabiliſque earum quæ eſt Sancta firmitas, quam præſtare poſſumus, imitatione.* Vbi nota verba hæc, θεία ἱερωσύνη, diuinum ſacerdotium. Nec ſcio quid garrire queant Sycophantæ hæretici, qui habuere inglorios ſacerdotes; quaſi verò ſtare poſſit Religio ſine ſacerdote, & ſacrificio. In typum ſacerdotum Eccleſiæ, Deus olim hunc ritum inſtituit conſecrandi ſacerdotes. *Aaron & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, vt ſacerdotio fungantur mihi; filiis quoque Iſrael dices, hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras, caro hominis non vngetur ex eo.* Hoc textu Deus ſacerdotem ab homine diſſimm eſſe oſtendit, vtpote quem diſpeſcat vnctio, diuinum inurens quidpiam homini: dum enim ait, caro hominis non vngetur ex eo oleo quo initiatus eſt ſacerdus, liquidò enuntiat, ſacerdotem non eſſe in humanis, ſed altiora omnino tranſcendere. Vnde ſic arguo: Si ſacerdotium Hebræorum, quod fuit tantùm ſacerdotum Eccleſiæ aliquale rudimentum, eo decore Deus voluit inſignire, vt ſupra homines voluerit eſſe, illos quos vnctio diſcreuerat ab aliis; ſi, inquam, adeò fuere rutila ſacerdotij noſtri præludia; quales putas diffundere radios, legitimos Eccleſiæ ſacerdotes? tales planè qui ſatis ſint ad orbem penè totum illuſtrandum; ideò ait Dionyſius. *Quòd ſi ſacerdotum ordo illuſtrandi vim habet, profectò penitus abhorret à ſacerdotum ordine atque facultate, is qui illuſtrandi vi non eſt præditus.* Et vnde precor radians hoc inſigne ineſt ſacerdoti, niſi ratione ſacrificij, cuius eſt conſcius? nec aliunde magis Dionyſius Theologorum Apex commendare potuit Euchariſtiæ ineffabile ſacrum, quàm dignando ſacerdotes miris encomiis, ea potiſſimum ratione, quòd ſint initiati ſacris id eſt facti idonei, qui tanti extent compotes Sacramenti.

Exod 30.

S. Dionyſ. Demophylo Monacho Epiſt. 8.

Sacerdotes ſint Sancti.

Hinc anſa eaque ampla datur, vrgendi ſacerdotes, vt eos ſe exhibeant, quos vult officium quod ſacra vnctione ſuſceperunt. Caro hominis non vngetur ex eo, inquit Deus. O ſacerdos, vide an ſit aliquid in te humanum, an omnia in te niteant ſupra hominem: heu heu, nec modò ſapis hominem, aſt pecorum ritu vitam agis omnino belluinam! Vt quid vnctioni ſacræ ſubieciſti carnem libidine infamem? vt quid animæ peccatis obnoxiæ characterem inuſſiſti Sacroſanctum? Audi me proſpera conſulentem, erade titulos noxiæ ætatis, & animos indue congruos officio, cui te totum ſacra vnctio mancipauit.

Ex Symbolis: *Typotius lib. Symb.*

Cardinalis Ioannes Mediceus ſacerdotij dignitatem expreſſit hoc Symbolo. Pinxit Aaron in ima crepidine altaris, qui volens adolere Thura, hærebat ſtupens, hoc titulo. Qvò svm vocatvs. O Symbolum Eminentiſſimo Cardinale dignum. Vtinam cuique noſtrum, cùm altari adſtamus, occurreret iſtius Symboli recenſio. Qvò svm vocatvs; ſcilicet ego vile caput vocor ad altare, ad Deum formidando cœlicolis myſterio demerendum. Igitur ô præpotens Iesv, me vocatum ad altare, reuoca totum à profanis.

Miſſa probatur.

Ex Hiſtoria.

Vt à dumetis atque ſenticetis controuerſiarum ad gratiora diuertamus; probemus etiam Miſſam ex multiplici Hiſtoria, & auſpicemur à S. Luciano Martyre, qui in carcere Miſſam egit pectore ſuo vſus pro altari, & hoc priſcis Eccleſiæ temporibus, teſte Nicephoro. Vbi Conſtantinus ebibit Spiritum Chriſti, factus Chriſtianus, eâ pietate actus in Sacroſancta Miſſæ myſteria, vt tabernaculum conſtruxerit ductile quocumque vellet, & in caſtris eo vtebatur ad Miſſam audiendam, loquit Sozomenus: & eo Imperatore mortuo, Euſebius qui funeri adfuit, ait Miſſam pro eo celebratam. Sic ille ſuâ dialecto Græcâ, θεσμῶν θείων ϗ μυστικῆς λειτουργίας ἠξιοῦτο ϗ κοινωνίας ἱερῶν ἀπέλαυεν εὐχῶν. *Diuiniſque cæremoniis, & liturgia myſtica dignum habitum, & cõmunione ſanctarum precum fruebatur.* Et quia hæretici inſurgunt in Miſſam, vt in idololatriam, audiant Auguſtinum referentem, Matrem ſuam Monicam in ſupremo vitæ ſpiritu petiiſſe, vt ad altare ſui meminiſſet. Huius ſacrificij quanta ſit energia narrat Beda, vir omniſcius, qui ait Iuuenem nomine Iunua, fuiſſe creditum mortuum in prælio, fratremque eius dediſſe operam, vt Miſſa ſæpius diceretur pro eo, eoque tempore quo fiebant ſacra, ait Beda Iuuenem illum ſolutum fuiſſe vinculis, quibus erat apud caſtra hoſtilia præpeditus. O homo, quid gemis incurius tuæ libertatis, criminum vinculis irretitæ? dicis lethali cupidine vinctum, minimè poſſe reſilire à venereis amplexibus. Cùm quis

Niceph. l. 8. c. 31. Hiſtor.

Sozomenus l. 2. Eccleſiaſt. Hiſt. c. 8.

Luciani Martyris factum ſingulare.

Euſeb. Cæſarienſ lib. 4. vit. Conſtantini Imperatoris.

Conſtantini Magni pietas erga Miſſam.

S. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 12. & 13.

Beda lib. 4. Anglican. Hiſtor. c. 22. ſub an. 679.

quis de malè partis abdicandis te potentet vrget, ais aurto nexu captum non poſſe reddete ea quæ ſcis iniquis artibus acquiſita. Satage vt Miſſa tuis votis obſecundans, Deo offeratut, & facio te de meliote fruge certiorem.

Martinus Cromerus l. 3. de rebus Polonis ſub ann. 999. Ioinuilleus in vita S. Ludouici Hiſtoriæ ad Miſſam pertinentes.

Rem dicam forte cuipiam nouam? Cuiuſque pietatem dignoſci, ex animo quo quis adſtat Myſterio reuereudo. An non inde clarus Mieceſlaus Polonorum Rex inclytus, qui floruit anno 999. quo annuente, homines equeſtris ordinis gladios ſuos medio tenus ſtringebant, toto tenore Euangelij, ſuum ſic Deo teſtantes animum dictis illius obſequentem. Quales putas fuiſſe toto Miſſæ tractu eorum animos, qui ex ipſo Euangelio ſe omnino Deo Domino deuouebant. Rex iſte alium ingerit meæ menti Regem & hunc Sanctum: ſcilicet Ludouicum nostrum Gallum, quem nefas erat Miſſæ intentum, vel minimo temporis articulo reuocare. Illic enim præpotens & beatus Rex meditatione ſanguinis Chriſti perculſus, effuſus in lachrymas, non niſi madens domum ſuam ab Eccleſia repetebat. Nonimpar Regi Ludouico ſanè fuit Rex alius Anglus nomine Æthèlredus: huic pio Regi erat inolitum tenaci propoſito, nuſquam recedere ab inchoata Miſſa, quicquid aliàs etiam vrgens ingrueret. Tentata eſt eius conſtantia grauiter; eo enim in tentorio ſuo audiente Miſſam, caſtra turbata ſunt ex irruptione facta à Danorum exercitu. Sollicitant Angli Regem vt prodeat, ſuorum erecturus nutantes animos. Rex quæ Dei erant grauiora ratus flocci pendit querulas militum voces, curam exercitus ſui refundens poſt ſacra peracta: graſſabatur interea hoſtis impunè palantes agens Anglos; ſed Æthelredo Rege de Miſſa prodeunte, Angli nouos induentes animos, ita hoſtibus ſuis graues extiterunt, vt de eis inſignem retulerint victoriam, perenni memoriæ conſecratam. Hoc ſuo facinore Rex Anglus fortè dedit anſam adagio quod vſquequaque viget. Scilicet, Miſſam auditam nulla negotia remorari; nullique obeſſe tempus, quod impenſum eſt auditioni Miſſæ, Deo pij auditoris ſatagente curam, & ei fauſta omnia procurante.

Matthæus VVeſt. Monaſt. ex Annalibus Anglis, ſub ann. 871.

Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpan. ſub ann. 941.

Habent Annales Hiſpani quid ſolenne, & quod probet Deum anxium inuigilare rebus eorum, qui Miſſæ adſunt eo animo, quem ſibi vendicat tale myſterium; eo enim die quo Garſias Dux, obuia acie concurrit cum Barbara gente, ad Gotmatium oppidum: homo ille Chriſtianus ſacrificij huius ſciens energiam, primo diluculo audit ſacrum, ſtipatus alio egregio heroë, Ferdinando Antolino, qui ea pietate interfuit illi Myſterio, vt abeuntibus omnibus ad certamen quod inſtabat, Barbaris vrgentibus, ille ſolus remanſerit: admirari quidam Milites Antolini, hominis animum iam tepentem, qui ſemper ad claſſicum æſtuarat; quidam pietatis eius inſcij, accuſarunt eum ignauiæ, timori dantes moras, quas ſola pietas ingeſſerat. Interea Garſias Dux Antolino relicto, irruit in medias acies infideles, & dolens abeſſe Antolinum, nihilo tamen ſegnius agens, acinace ſuo, velut lethali falce, hoſtium capita demetebat. Eo autem cogitante, quare abeſſet Amolinus, de repente occurrit eques iiſdem armis Antolini, eiuſque referens ſpeciem, qui hoſtibus imminens, obuios quoſque cædens, hoſtilia caſtra ſuis peruia fecit, vnde & victoria ſtetit ab Hiſpanis: Sed Garſiâ

Antolini Ducis pietas.

miris elogiis efferente virtutem bellicam Antolini, vt cuius heroicis actibus gloria certaminis ceſſiſſet ſuis; nuntiauit quiſpiam Antolinum non adfuiſſe illi diſcrimini cum Barbaris, ſed in Miſſa adeò fuiſſe ſacris intentum, vt immemor belli, diem totum egerit in diuinis. Hæſit primùm Garſias incredulus, ſtuporemque auxit, quòd equus Antolini qui vacarat illa die, longè poſitus ab acie, circumferret tamen eadem vulnera, quæ fuerant inflicta equo quem ducebat Eques referens Antolinum, qui proculdubio habuit tunc Angelum Vicarium, eaſdem obeuntem vices, quibus ille ex officio tenebatur. Hinc maximè enituit pietas Antolini, & reſciuit gens Hiſpana, quod & vtinam omnes edìſcerent; ſcilicet, ingenua pietate, magis quam virtute bellicâ, quoſuis hoſtium impetus infirmari.

Ang. curā agun tum qui ſſæ attentior.

Quid ad hæc obiicient homines Chriſtiani tantùm nomine tenus, quos Miſſa longior adeò percellit, vt hebes eorum inde deuotio nauſeet ad diuina. Hi labantes erigant animos, animæquiores facti iſtâ ſententiâ.

PIACVLA COMMISSA, MISSA REMISSA FACIT.

DIGRESSIO MORALIS de Miſſa.

De praxi, & methodo audiendi Miſſam.

DEi amore ſaucius, legifer Hebræorum Moyſes, Deo quaſi importunus, eum ſic vrgebat. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Dixitque Dominus: facies mea præcedet te.* Altum manet abditum illo Dialogo myſterium; ſcilicet, non æquè Iudæis innotuit, vt hodie nobis, idem Dominus meus: quippe facies Dei eos præcedebat, qui figuris impliciti, & vmbris aſſueti, non coruſcum Dei vultum ferre valuerunt, quem nos in Euchariſtia fidei oculis intuemur. Deum à tergo quidem inſecuti Hebræi, figuras vmbratiles accepere Dei, quem nos realiter pectore excipimus. Et hoc innuit ille rerum opifex Deus, Moyſem ſic affatus. *Tollam manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Verba illa ſacra non ſine Theſeo, id eſt citra alicuius opem, minimè expendi queunt. Conſulamus Philoſophos.

Exod. 33.

Exod. 33.

Ariſtoteli ſicut & Græcis ſcire & videre, idem, eodemque plane verbo εἴδω ſignificant Græci ſcire & videre: cùm ergo Moyſes voluit videre faciem Dei, voluit ſcire à priori, id eſt, quæ Dei ſunt liquidò cognoſcere, quia ſcire à priori eſt ſcire per demonſtrationem, quam Philoſophi vocant, Propter quid; nam ex Auerroë talis demonſtratio oſtendit rem eſſe ſimpliciter & propter quid, hoc verò ſuum eſſe noluit omnimodè Deus explicare Moyſi: ſed à tergo tantùm illi innotuit, & hæc ſcientia à poſteriori dicitur, cùm aliquid per effectus innoteſcit. Sic Deus amorem ſuum aperuit Moyſi, quo deperit homines, curam agens populi ſui errantis in eremo. Et maximè enituit ille amor Dei, cùm terrâ negante annonam, errabundo populo, cœli feraces bonorum omnium, populum pane Angelico ſaginarunt. Reuerà panis ille ſacer indubius

EX PHILOSOPHIA. *Ariſt. lib. 1. Topic. cap. 1. Idem lib. 1. poſteriorum cap. 2. Auerroes in lib. 2. Phyſic. textu 22.*

Euchariſtia amoris index.

extitat

extitit amoris index, & ab hoc effectu gens Hebræa vidit Deum tollentem manum ſuam, quâ elatâ in ſublime, eduxit inde manna, cuius eſus, hunc eſſe Deo charum populum arguebat. Ea tamen omnis notitia ſeu viſio erat à tergo, id eſt, ab effectu. Videre enim faciem Dei, beneficium erat ſolis Chriſti diſcipulis aſſeruandum, quos inde beatos idem IESVS ab eis aſpectus pateuter aſſerit. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Eaque & nos beamur gratia, quotidie Deum intuentes, cum in ſacrificio Miſſæ imminent hoſtiæ capiti ſacerdotum: nobilior enim eſt fides quàm aſpectus merè corporeus: ſiquidem nobilitas viſionis ſumitur ab organi præſtantia; at oculi communes muſcis & formicis videre Chriſtum, qui non inde ſoſpites effecti ſunt, etſi Chriſto aſſueti, teſte Iuda: ſed intellectus eſt organum, quo fides Deum videt in hoſtia, non lumine à natura omnibus inſito, ſed radio deſuper illapſo, quo homo ita veritati fidei aſſentitur, vt pleriquе mortem obierint potius, quàm in dubium præſentiam Chriſti in hoſtia reuocarent. Maiuſque eſt Dei beneficium, eum videre oculis fidei in ſacrificio Miſſæ, quàm Chriſtum vidiſſe oculis corporeis, animo tantùm infideli. Et ex Auguſtino, Maria beatior extitit fide concipiendo Chriſtum, quàm vtero eumdem amplexando. Suos olim ſacerdotes Achæi putauere dignos quorum ſorti inuiderent omnes: quia illis ſolis erat fas cominus videre ſalutis ſimulachrum. Sed Apage profanum omne, æmulemur chariſmata meliora. Omnibus ad Miſſam aditus patet; hoſtia ſacra non eſt inane ſimulachrum ſalutis, ſed eſt ipſiſſima ſalus: quippe IESVS Hebræis ישוע idem eſt ac ſalus. Quare ergo nectimus moras, & non properamus videre eum, quem multi Prophetæ & Reges videre voluerunt, nec videre potuerunt? Negata eſt illa Domini facies Moyſi, quæ vltro nobis incuriis quotidie in Miſſarum ſolemniis exhibetur. Magnum fecit Dauid, quòd populus manducauit panem Angelorum; tamen Hebræi hoc pane Angelico paſti, vidêre tantùm à tergo Deum, quem nos aliter intuemur.

Matth. 13. / Luc. 10.

Ex Theologia: S. Auguſt. lib. 12. qu. 114. art. 5.

S. Auguſt.

Pauſanias in Achaicis.

Ex Ivre Canonico.

Can. vtuera mirabile eſt de conſecratione diſt. 2.

Audi ex Iure Canonico quàm præſtet hoſtia ſacra. *Conſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique corpus eſt vitæ: manna illud de cœlo, hoc ſuper cœlum: illud cæli, hoc Domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religioſè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit.* Eodem Canone, Iudæi à tergo deſcribuntur vidiſſe faciem Domini: ſcilicet in figuris: dicitur autem Eccleſia conſcia compoſque faciei. Ecce textum. *Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto: illos ad horam ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in æternum: Iudæus bibit & ſitit, tu cùm biberis, ſitire non poteris; & illud in vmbra, hoc in veritate: ſi illud quod miraris, vmbra eſt; quantum iſtud eſt, cuius & vmbram miraris? cognouiſti præſtantiora; potior etenim lux quàm vmbra; veritas quàm figura; corpus auctoris quàm manna de cœlo.* Nota Gratianum integrum hunc Canonem ex Ambroſio deſcripſiſſe. Et perpende prælibata verba. *Cognouiſti præſtantiora, potior etenim lux quam vmbra, veritas quàm figura.*

S. Ambroſ. lib. De his qui myſteriis initiantur cap. 8.

Et concede, Ambroſium voluiſſe innuere, Hebræos tantùm à tergo vidiſſe Deum; nos verò facie ad faciem, cùm ſacro adſumus Miſſæ myſterio. Sed heu quàm pauci dignantur Dei ſacris obtutibus; quia cautelas tanto debitas ſacro, impiè dedignantur.

Ex SS. Patribvs.

Philoſophia moralis quã venerabilis.

Ariſtoteles à Morali Philoſophia volebat iuuenes arceri, ne fieret iniuria diſciplinæ, quæ paſſiones effrænes ſatagit ſuo dogmate compeſcere, ideò cum iuuenes genio indulgeant neſcij regiminis, inuium eis voluit Ariſtoteles eſſe fanum, vbi virtutis emeritæ dogmata prædicantur. Ita & arcendi à ſacris pleriqne impij, & Miſſæ aſtantes animo protinus errabundo. Ne igitur nobis peſſum eant ſacra, benè monet Sanctus Nilus. *Eccleſiam vt cœlum adi, nihilque in ipſa ſeu loquere, ſeu cogita terrenum.* Quid autem animo tuo tunc debeat obſeruari, diſce ab eodem Sancto. *Conſidera cœleſtium bonorum decorem & nullum te capiet deſiderium terræ, nec aliud ex ea dulcium.* Quippe non acceditur ad Deum niſi animo, à rerum omnium infernarum indagine defæcato: ideóque olim ea cautione fideles monebantur à Diacono ante Miſſam. *Sancta Sanctis.* Inque rei huiuſce typum præmonuit Dominus Moyſem, volentem accedere ad rubum, ipſo illic Deo radiante coruſcantem. *Ne appropies, inquit, huc; ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Ita & ego præmoneo neminem poſſe ex Miſſa prouentum facere, niſi ſe totum piè collegerit, præuia excuſſione rerum terreſtrium, nudatis affectibus quibuſque diſſonis rei illi ſacræ, ad quam ſe accingit homo Miſſam auditurus. Moyſe ſuperior Abraham, ritum, quo debemus intereſſe ſacrificio incruento Miſſæ, ſuo ipſius exemplo graphicè antea linearat, in ea ſerie tota ſacrificij filij ſui Iſaac, quod animo conceperat. Cùm igitur ad locum excelſum pergeret, quem Deus elegerat egregio illi facinori, vide quibus ſe præambulis à cunctis obicibus expediuit. Sic habet codex ſanctus. *Eleuatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos, expectate hîc cum aſino; ego autem & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos; tulitque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium.* O germanam effigiem hominis, qui ſe idoneum deſiderat exhibere ſacris, nec aliunde venabor aliam praxim, quam fidelium mentibus ingeram, vt maximam gratiarum congeriem ex Miſſa audita referre queant. Si ergo ſumus filij Abrahæ, faciamus opera Abrahæ, & potiſſimum æmulemur eam pietatem, quà ſacrificium filij ſui Deo voluit exhibere. Primò vernaculis aliis omnibus curis abdicatis, de ſolo ſacro ſollicitus, ſeipſum etiam Domino deuouebat. Ita & tu, ô homo Chriſtiane, anxie de methodo, quâ poſſis adeſſe ſacris, totum te ſubtrahe aliis etiam piis meditationibus, vt tantùm ſacrificio Chriſti, omnino & totus occuperis; Et eſto Miſſa ſit veluti compendium & ſynopſis vitæ Chriſti; malim ego rei illi intendas tantùm, à qua ſuam Miſſa nomenclaturam emendicat. Id eſt, quia Miſſa eſt ſacrificium referens Chriſti integram paſſionem, ne tu deſis illi ſacrificio, etiam & tu Chriſti ærumnas omnes morte tenus, toto

S. Nilus in paræneſi. 57. Idem paræn. 74.

Exod. 3.

Geneſ. 22.

Miſſa eſt vitæ Chriſti compendiũ.

Miſſæ

Miſſæ tracto poteris ſedulò meditari. Eſſe enim intentum Chriſti, vt qui Miſſæ interſunt, habeant præ oculis crucis agonem, & totam aliam ſeriem paſſionis, liquet ex inſtituto Miſſæ, cuius partes eſſentiales omnes exhibuit Chriſtus in vltima cœna. Illic Chriſtus conſecrans panem ait. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Dixi ſupra, facite, idem eſſe ac, ſacrificatè; facere enim idem eſt ac mactare, inde carnifex dicitur, qui mactat carnes, & à verbo facio, fit interficio. Et olim propoſitum eſt iſtud Ænigma, in quo verbum, facio, ſignificat, occido, ſeu macto: ecce modum. PLVS LABORAVIT CÆSAR IN FACIENDO VERSV, QVAM VIRGILSVE SN TOTA ÆNESDE. Nam Cæſar vt Verſum Ducem eximium deleret & mactaret, plures annos egit multis laboribus & ærumnis fortiter exantlatis. Cùm igitur ait Chriſtus, vt in ſui memoriam fiat illud ſacrificium, vult vt ſacrificium ſuum animo verſent diſcipuli ſacra peragentes, vel adſtantes ſacris: & hoc monet Paulus dum ait. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Sed antequam aptem paſſioni ſacra Myſteria Miſſæ, vide quid fecerit Abraham, antequam perueneric ad locum ſacris ritè peragendis. *Eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos, expectate hìc cum aſino; ego autem & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Audis oculos eleuantem procul, & hinc edocentem nos non tumultuariò ad ſacra properandum, ſed præuiâ breui recenſione ſpiritali paſſionis Chriſti eſſe adeundam Eccleſiam: ne ſi in animo curis implicito pergimus ad templum imparati, rerum inanium ideis pluribus obruamur. Hoc igitur eſto theorema primum, non eſſe accedendum ad ſacra Myſteria, ſine, præuiis eleuatis oculis, id eſt, ſine præparatione: vt & videtur inſinuaſſe Deus eo ritu, quo volebat Thymiama imponi altari. Sic enim habet ſanctio hæc diuina. *Adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue fragrans manè, quando componet lucernas, incendet illud.* Vbi nota ipſo matutino tempore ſollicitum fuiſſe Aaron, & ad Lucernarum compoſitionem debuiſſe accendi: vnde notatur attentio quæ debet ſacro cuique myſterio prælucere. Igitur, ô anima, prius in teipſa accende lucernas, recollectione adhibita; & demum intereris ſacris, quæ piè meditata facient in te, ex te templum Dei, iuxta illud ſancti Nili. *εἰ θέλεις εἶναι ναὸς Θεοῦ, θυσίαν ἐνδελεχισμοῦ, τὴν προσευχὴν αὐτῷ τὴν διηνεκῆ πρόσφερε.* *Si vis eſſe templum Dei; ſacrificium aſſiduitatis, aſſiduam ſcilicet orationem, aſſiduè ipſi offeras.* Alioquin ſi vagus auſpiceris, & ſacris adſtes oullo pio præambulo adhibitó; in oratione tua patieris inuitus eos animi errantis diſcurſus, quibus antea lubens intendiſti: vt ſe audiiſſe ait Caſſianus ab Abbate Iſaac. *Quicquid ante orationis horam, anima noſtra conceperit; neceſſe eſt, vt orantibus per ingeſtionem recordationis occurrat: ex præcedente enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur, eorumdemque actuum, nobis orantibus, ante oculos imago præludens, ad priores faciet voltare diſcurſus; & idcirco quicquid orantibus nobis nolumus vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectoris exſrudere feſtinemus, vt poſſimus illud adimplere 1. Theſſalonic. 5. Sine intermiſſione orate. Et illud. In omni loco leuantes puras manus.* Scio equidem, & ſentio gemens, dæmones inſurgere multifariam multiſque modis in eos, qui ad Miſſam præparationem aliqualem vltro moliuntur. Nimirum Angelus refuga ſcit, totas animæ vires eſſe vt virtutem Samſonis, quæ capillis eius erat inſita; eamobrem callidus hoſtis gyrans, omnes tentat aſtus, quibus poſſit caput tondere noſtrum, eradendo cogitatus pios: Etenim inde tota oratio penitus infirmatur. Ita Gentes Nehemiam addictum muris Hierusalem auſæ ſunt ſæpius ab opere incepto auertere, ſcientes intercluſo aditu vrbis populo infideli, Hebræos vni Deo cœli & terræ cultum æquius impenſuros, ſarto tectoque templo. Vt autem eos arcerent à templo Domini, exoticæ Gentes ſtructuram muri callidè conatæ ſunt ſuâ inſtantiâ remorari.

Luc. 22. — *1. Cor. 11.* — *Geneſ. 22.* — *Præparatio ad Miſſam.* — *S. Nilus Parœneſi 118.* — *Caſſianus. Collat. 9. c. 3.* — *1. Theſſ. 5.* — *1. Timot. 2.* — *Iudic. 16.*

Præparatio ad Miſſam, habet rationem muri obſtantis, ne irrepat dæmon toto temporé quo ſacra fiunt: homo animæquior factus ope Dei, eludit dæmonum technas, ea ratione qua Nehemias obſtitit impiæ genti, ſuadenti vt vacaret à muro exſtruendo. Audi ipſum enarrantem. *Miſi ad eos nuntios dicens: opus grande facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur cùm venero, & deſcendero ad vos.* Fac & tu ſimiliter, & hoſti reuocanti te à præparatione Miſſæ, obiice verba Nehemiæ. *Opus grande facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur cùm venero.* Ita ſanè deſcendit qui deſiſtit, & oriatur à meditatione pia; oratio namque eſt aſcenſus mentis in Deum: ab aſcenſu autem feriari, nónne eſt deorſum inclinari, & negligentiæ anſam dare, ac proinde diſtractionibus quæ nos inquietos agunt, dum ſacris volumus incumbere? Audiendus eſt ſanè Caſſianus. *Si interpellare voluerimus Deum puro & integro cordis affectu; ab omni turbarum confuſione ſecedamus, vt ſit nobis omnia & in omnibus Deus, vt nos ad ſimilitudinem beatitudinis aptare poſſimus.*

2. Eſdræ 6. — *Caſſian. Collat. c. 10. c. 5.*

Eleuatis oculis procul, id eſt, peracta præparatione, pergendum eſt ad exemplar Abrahæ qui *dixit ad pueros ſuos, expectate hìc cum aſino; ego autem & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Pueri noſtri ſunt omnia quæ à nobis edita ſunt, & præſertim intimi cogitatus, qui ſe comites indiuiduos nobis ſemper adiungunt, inſeruntque rebus ſacris, etiam nobis inuitis. Abigenda planè importuna proles hæc carnalis; nihil enim niſi profanum ſapiunt ea, quæ diffluunt è nobis, ſi peculiari Dei influxu non ſurſum euehamur. Itaque dum limini Eccleſiæ imminemus, illic deponendæ omnes curæ, vt ſolus animus liber & expeditus Deo explicetur: corpus vt aſinus, & corporea quæque releganda ſunt, ne rudente aſino, fiat iniuria ſacris. Hoc Abrahæ exemplo cautior factus eſt Bernardus, qui initio precum ſuarum ſe ſic totum colligebat, vt videre eſt ex eo ſic ſcribente. *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite aſcendamus in montem, vel locum vbi Dominus videt, vel videtur,*

Geneſ. 22. — *S. Bern. lib. de amore Dei, c. 1.*

tur: cura, ſollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, ſeruitutes, expectate me hic cum aſino corpore iſto, donec ego cum puero, ratio ſcilicet cum intelligentia, vſque illuc properantes, poſtquam adorauerimus, reuertamur ad vos; reuertemur enim, & breui reuertemur quàm citiſſime.

Abraham tulit ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Ita & tu, ô pie ſymmyſta Dei, adhibitis cautelis proximè recenſitis, iam te compone totum ad Chriſti paſſionem animo reuoluendam, intuens ipſo introitu Miſſæ Angelum in horto lignum holocauſti, id eſt crucem Chriſto deſuper imponentem. Vt enim Hebræi tranſiere Mare rubrum, priuſquam Manna paſcerentur: ita & tu opimo hoc ſacrificio non antea potieris, quàm animus tuus Chriſti ſanguine purpuraſcat. In figuram huiuſce rei Deus voluit Hebræos ſacrificare tantùm poſt tranſitum maris rubri: ad hoc facit illud Auguſtini. *Cùm tranſieris mare rubrum, cùm eductus fueris à delictis tuis in manu & brachio forti, percepturus es myſteria quæ non noueras; quia & ipſe Ioſeph, cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam non nouerat audiuit; audies linguam quam non noueras, audies vbi debeas habere cor.* Diſce à ſponſa Canticorum, quæ ideæ menti tuæ debeant obuerſari. Sic illa. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem Thuris.* Altare refert montem Caluariæ, mons autem ille redolet myrrham, mortem ſcilicet Chriſti, quam ſedulus auditor Miſſæ, volens thus adolere precum, debet etiam piè meditari, non enim ſunt in Miſſa res diſſitæ, meditatio paſſionis, & orationes factæ in virtute fuſi ſanguinis Chriſti; ſicut & mons Myrrhæ, & collis thuris minimè diſpeſcuntur.

Auguſt. in Pſalm. 80.

Cant. 4.

Iſaac ſarcinâ ſuâ ligni onuſtum ſequebatur Abraham, de quo hæc ait textus. *Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium.* O ignem, & gladium quis mihi det amoris igne feruido conſumi, & myſtico compaſſionis gladio terebrari! Ita planè vtrumque clamant ignis, & gladius. Portat ignem Abraham, vt vel hinc moneamur amorem totum noſtrum colligere, vt eum ſubiiciamus illi ſacro, & gladium ſtringere quo & nos ipſos noſtris etiam manibus immolemus, id eſt, opera noſtra ita ſapiant Chriſti crucem, vt mortificati mundo & carni, exhibeamus graphicè Crucifixum. Non enim indubius amor oſtenditur, niſi operibus; vt & Zopyrus olim teſtatus eſt amorem ſuum in Darium plagis ſibi inflictis: & ſacerdotes Baal ſuam in eum pietatem fecere palam corpore lacero, & diſſecto lanceolis, rati ſi & ipſi ſeſe inſtar ſacrificij diſcinderent, ignem deſuper illapſurum, vt liquet ex Codice ſacro. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Quippe ſciebant, ignem & gladium, amorem & pœnitentiam, eſſe res prorſus indiuiduas.

Geneſ. 22.

Ex præfatis, nemo ibit inficias, Miſſam eſſe ſynopſim, qua paſſio Chriſti nobis obiicitur: vt autem conſulam omnibus, ideam ego proponam omnium agonum Chriſti, quibus aptari poſſunt præcipuæ & potiſſimæ Miſſæ partes. Non improbo tamen alias methodos, quibus plerique ſuos ſacrauere libros. Laus ſua quemque manet, ſed me nihil afficit æquè, ac ærumnæ & ludibria paſſionis Chriſti, dum recolo illud Bernardi. *Vbi eſt gloriatio tua Chriſtiane, niſi in nomine crucifixi Domini Dei tui, & Chriſti nomine quod eſt ſuper omne nomen, in quo qui benedictus eſt, ſuper terram benedicetur.* Accipe igitur ſeriem totã paſſionis, & vide quomodo cum ſacrificio incruento conueniat. Miſſam in tres ſeco partes, ſicut & tenorem agonum Chriſti. Prima pars Miſſæ eſt ab introitu vſque ad offertorium. Altera ab offertorio ad conſecrationem. Tertia demũ à conſecratione ſeu eleuatione hoſtiæ ad benedictionem.

S. Bern. meditatione de paſſione.

Ab introitu Miſſæ meditor Chriſtum aſcendentem in hortum Oliueti. Dum miniſtri altaris paululum ab altari ſecedunt, cogito Apoſtolos tantiſper ſecretos à Chriſto. Sacerdote deſcendente, & prono confeſſionem recitante, & tundente pectus, voce gemebunda dicente, *Mea culpa*, recolo Chriſtum in horto humili habitu inclinatum ante Deum Patrem, & eum deprecantem pro totius mundi omnigeno deliquio, & dicentem: Abba Pater, ego dum naturam hominum indui, etſi expers ſim peccati, tamen feci me obnoxium pœnis, quibus Adam exlex, totam ſuam addixit delinquendo proſapiam. Ideò quaſi egomet offendiſſem, nomine gentis infidæ confiteor tibi Pater, & oro in me deriuentur mulctæ, imò & omnia ea tormina, quæ luiſſent ipſi peccatores: me totum pœnæ deuoueo, quaſi eſſet hæc Mea omnis culpa, Mea Maxima culpa. Dum hæc piè verſo mente aliena ab omni alio ſenſu, ſacerdos altare repetit, & aliquibus recitatis, verſus populum ait: Dominus vobiſcum; puto me videre Dominum Ieſum monentem Apoſtolos: Vigilate & orate. Eodem rurſus ingeminante preces, quas Collectas vocant video Chriſtum oratione prolixâ fusâ Deo Patri ſermonem eum tertiò repetentem. Vbi autem tranſit ad aliam partem Euangelij, edita voce recitans verba illa ſalutis hominum reparatæ; intueor ego Chriſtum ab horto Oliueti procedentem obuiam turbis homicidis, quibus eum quærentibus ait: Quem quæritis? & eis dicentibus, IESVM NAZARENVM, ille adiecit; ego ſum. Quâ vltroneâ oblatione ſui, impleuit illud idem, quod figurat offertorium Miſſæ, poſt quod ſacerdos dicens: Orate fratres, audio vocem Chriſti, qui dum ſe obtulit vinciendum, ſollicitus de grege ſuo, ait infidæ genti Iudæorum: Sinite eos abire.

Miſſa refert totã Paſſionem Chriſti.

Sacerdos ſecretò quaſdam recitat orationes, ſuóque quaſi ſilentio adumbrat ſtuporem illum, quo perciti Apoſtoli, eum vt taciti imò refugæ minimè confeſſi ſunt. Rurſus inde figuratur etiam tacitus ipſe Chriſtus, Synagogâ falſis criminibus ei iniuriâ, imò aduerſus eum toto prætorio perſonante. Pergit ſacrificus ad præfationem, in qua dum exclamat: Surſum corda; inſonat auribus meis ille galli cantus, quo occinente, Petrus ter negauit Dominum, cui trinæ negationi Eccleſia occurrit, dum ter Domini Dei ſanctitatem feruidè profitetur: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Has omnes cæremonias excipit Canõ, cuius toto tractu Preſbyter iam erectus, oculis ſurſum erectis, aliàs pronus altari incumbens, demum brachiis explicatis, & poſtea manibus ſuppliciter iunctis, etſi reuerà præambulis his actibus ſe accingat ad conſecrationem; mihi tamen toto hoc contextu ſubiicit, Pilatum anxium de ſalute Domini Ieſu: ille enim aliàs expanſis manibus Chriſtum innoxium dixit: aliàs quaſi pronus voluit

exucie

exuere perſonam indicis, orans vt ipſimet Iudæi eum iudicarent iuxta legem ſuam. Ita me occupatum in ſententia mortis, quam meditantur Iudæi illi perduelles, audio campanulas tinnitu ſuo præeuntes eleuationi corporis Domini, animumque meum tunc ſubit clangor tubarum, quæ damnatum pronuntiant Ieſum Nazarenum, qui adeò feſtinè ad mortem eductus eſt, vt cruci affixus antea fuerit quàm morti creditus adindicatus. Eleuatâ igitur hoſtiâ, mens mea tota Chriſti ſanguine purpuraſcit. Cùm audio ſacerdotem qui recitat Pater noſter, &c. animum meum ſubit illa oratio fuſa à Chriſto in agone, veniam ſuis homicidis à Deo deprecante, *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Ad vocem autem illam, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miſerere nobis; meis inſonat auribus latronis oratio. *Domine memento mei.* Ad communionem, occurrit mors Chriſti, quâ animâ ad limbos deſcendente, & corpore ſuperſtite apud nos, ſic communicauit cum viuis & mortuis. Poſt communionem orationes referunt contritionem eorum qui, percurientes pectora ſua, dicebant. *Vere filius Dei erat iſte.* Dicente vero ſacerdote, Ite Miſſa eſt, cogito ſepulturam Chriſti, cuius funus piæ aliquot animæ comitantes, factæ ſunt compotes benedictionis illius: quam figurat benedictio hæc vltima, quæ concludit myſterium illud ſacroſanctum, quod eſt ſcaturigo gratiarum. Inſtabis, & non inſulsè; totum ſchema prælibatum, ſeu formam propoſitam, non eſſe conſonam propoſito meo morali: methodus enim illa audiendi Miſſam tota eſt in ſpeculatione ſita; nemo autem ex nuda operatione intellectus, meliores induit mores: ſiquidem dæmon omnia explicata myſteria ſpeculari poteſt, nec inde tamen eo mentis ſeu intellectus acumine ſanctior

S. August.
Miſſæ partes quomodo ſint reuocandæ ad praxim.

exiſtit. Ex Auguſtino. *Non faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, aut mali amores.* Vt ergo Miſſa proſit, non debet audiri tantùm mente tenus, ſed & omnes colligendi affectus, vt huic myſterio intenti, Deo iugiter obſequantur: parum enim eſſet, mente cœlos contingere, ſi vellemus reptando manibus & pedibus agere quadrupedes, id eſt, eſſent inania vota & irritæ preces, quibus æthera pulſamus toto Miſſæ tractu, ſi poſtea incurij vitæ cultioris, iiſdem adhuc vitiis obnoxij fœdaremur eâdem colluuie, atque volutabro. Memores itaque ſimus eorum animalium cœleſtium, quæ præo-

Ezechiel. 1.
Morale.

ſtenſa vati Ezechieli, ſpecie ſuâ multis grauidâ myſteriis, pleraque abdita propalarunt. Sic ille. *Scintillæ quaſi aſpectus æris candentis, & manus hominis ſub pennis eorum.* Et paulò poſt adiicit. *Et penna eorum extenta deſuper.* Tria commemorat Propheta ille Myſtagogus: Pennas, ſcintillas, & manus; quæ tria ſi deſint ſacrificio Miſſæ, reuerâ non litamus. Pennæ deſuper extentæ notant intellectum rebus intentum ſuperis, & ab his quæ deorſum inclinant, penitus alienum: dum ſcilicet ſpeculatur attentè ſeriem totam paſſionis Chriſti, quam genuinè adumbrat Sacrum, cui pius auditor adſtat. Scintillæ velut æris incandentis, indicant igniti voluntatem, ex illa contentione mentis, cuius etiam lumine anima tota amore flagrat. Etenim quomodo queat ille ſuum compeſcere amorem, qui in Miſſa cogitat Chriſtum amore noſtri, noſtras diluendo noxas, debitas eis luiſſe pœnas, libato ſanguine ſuo innoxio, & obita more ingloria, iuxta illud. *Maledictus qui pendet in ligno.* Denique manus clamant, fruſtra ſcintillas emicare, & incaſſum eminere pennas; & accingi ad volatum, ſi manus abſint; ad quid enim ſuos accendere affectus, & ſurſum erigere mentem, ſi torpente manu deſides à virtutum praxi omnino feriemur. Optimè ſanè Paradinus ait abſonas eſſe pennas ementito volatu inutiles; vnde hoc Symbolum texit. Pingit ſtruthionem Auem, cuius alæ impotentes ad volandum, et duntaxat ſeruiunt ad ornatum. Ille huic aui ſuas alas perperam explicanti, apponit hoc lemma ſeu titulum. NIHIL PENNA, SED VSVS.

EX SYMBOLIS.
Paradinus in Symbol.

Quaſi diceret: ad quid impotes ventilare pennas? Ita & ego inuehor in multos, qui ſacro dum interſunt alta gemebundi trahunt ſuſpiria, totique ſunt in cœlis oculorum tenus, quos ſi extra ſacra prouoces ad virtutem, ad quam collimare debent vota, preces & affectus; illi protinus reſiliunt à virtutum praxi. O hypocrita, NIHIL PENNA, SED VSVS. Vtere affectibus ad effectus. Quid dimidias ſacrificium CHRISTI? id eſt, quare te totum offers eius obſequio deuouendum, & dum ingruit occaſio virtutis obeundæ, vt refuga detrectas praxim, cui te totum verbis atque ſuſpiriis addixiſti? NIHIL PENNA, SED VSVS. Hoc igitur eſto ratum, debere eſſe manus hominis ſub pennis, ad hoc vt inſeratur homo cœlis; beneficio alarum illarum: & in hoc erroris argui hæreticos, qui ſola Dei manu hominem euehi ad cœlos obmurmurant; quaſi verò opera bona eſſent irrito edita conamine. Ait Vates, manus hominis eſſe ſocias & pennarum; quia ſi deſides extiterint manus, nequaquam impote pennâ vnquam cœlicolis adſcribemur. Accipe igitur Moralem omnino typum audiendi Miſſam.

Morale.

Primum quod ad ſacrum celebrandum requiritur, eſt locus ſacer: nam ex Iure Canonico, nefas eſt celebrare in profano. Ecce Canonem. *Sicut non alij, quàm ſacrati Domino ſacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre; ſic nec in aliis, quàm Domino ſacratis locis, id eſt, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis, Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet.* Adiicit Canon ritum Iudæis inolitum ex Deuteronomio. *Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris; ſed in omni loco quem elegerit Dominus Deus tuus.*

EX IVRE CANONICO:
Can ſicut non alij de conſecrat. diſtinct. 1.
Deuteronomij 12.

Ex Iure Ciuili in Authenticis oſtendi ſupra, & recenſui textum legis, quâ Iuſtinianus Imperator vetuit celebrari ſacra alibi, quàm in locis deuotis Altiſſimo, & ſtatuiſſe eum qui ſecus faxit, cadere loco, qui in poſterum erit Eccleſiæ, & non eius qui in eodem loco antea communi & profano procurauit celebrari Miſſam. Ita & primum quod præſtare debes, homo auditu-

EX IVRE CIVILI:
Authent. & Priſcu ſanctio, vt in priuatis col. 5.
Authent. ſi quis in ſua de titul Eccleſ. Col. 9.

ros Miſſam, eſt accingere te ad cor tuum exhibendum Deo ſacrum, in loco equidem ſacro: Chriſtus enim ſuo ſacrificio exigit à nobis mutuum etiam ſacrificium, ſi ſaltem volumus ei debitas vices rependere; ſiquidem ex Gregorio. *Res geſta aliquid in ſancta Eccleſia ſignat gerendum; ſic quippe neceſſe eſt, vt audiamus quæ facta ſunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis ſint ex eorum imitatione facienda.* Igitur ex ritu Eccleſiæ, ſi profanum quidpiam noſtris animis inſit, illud expiatione præuia totum Deo conſecretur; ita vt ſimus & nos Dei ſacellum:

Ex SS. PATRIBVS.

S. Greg. hom. 21. in Euangel.

S. Nilus Paræneſi 64.

S. Bern ſerm. 2 de dedicatione.

S. Nilus Paræneſi 104.

S. Bonauent. ſerm. 3. de dedicat.

S. Bern ſerm. 2 de dedic.

Euchariſtia petit animas mundas.

iuxta Beati Nili conſilium. Ἁγίαζε τῷ θεῷ τὸν οἶκον, οἶκον θεοῦ καὶ σαυτὸν κατασκεύασον. *Venerare Dei domus; domum verò Dei & te ipſum effice.* Sic ſe ideo Bernardus vrgebat. *Ne dederis, ô anima, ſomnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec inuenias locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Animam verò noſtram debere conſecrari in ordine ad ſacrificium, implicitè ait ſanctus Nilus. *Quandoquidem domi noſtra Eccleſiam, mentem quiſque ſuam habemus; peragere etiam debemus in ipſa Eccleſia, ſacrificia.* In quo autem ſtet animæ dedicatio, diſce ex Bonauentura. *Hæc ſanctificatio conſiſtit in mortificatione carnis, cum diſcretione, & compunctione, cum exultatione; ideò cinis, aqua, vinum, ſal apponuntur in dedicatione templi.* Bernardus adiicit minimè diſſolutam debere eſſe Eccleſiam quæ ſacratur; ſed ſartam tectamque, compage parietum non diſſitâ: quod ſic moraliter ille expendit. *Non intrabit Chriſtus vbi fuerint parietes declinati, & maceria depulſa: nonne enim corporis ſui domum integram anima vult habere, & exire illam neceſſe eſt, ſi fuerint à ſe inuicem membra diſperſa? Videat ergo & ipſa, ſi deſiderat habitare Chriſtum per fidem in corde ſuo, id eſt in ſeipſa; ſollicitè caueat, ne à ſe inuicem eius membra diſſideant, id eſt, ratio, voluntas, atque memoria: ſit ergo ſine errore ratio, vt benè congruat voluntati; talem enim voluntas amat, ſit & voluntas ſine iniquitate, quoniam ratio talem approbat: ſit etiam memoria ſine ſorde, vt nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confeſſione, & dignis fructibus pœnitentia deleatur: alioquin conſcientiam in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur.* Præierat Bernardo S. Nilus, nulla verborum ambage explicans, quâ nitelâ anima noſtra Euchariſtiæ futura compos, debeat inſigniri. *Ab omni corruptione abſtine, & myſtica cœna omni die particeps fias, ſic enim Chriſti corpus noſtrum fieri incipit.*

S. Nilus Paræneſ. 120.

Ex MATHEMATICA.

Ptolomæus l. 3 de Iudiciis c. 13.

Non omnia loca idonea eſſe ſacris, ipſa Mathematica facit palam; ſed ea tantùm quæ religione quadam, Domino Deo deuouentur: ideò principes Matheſeos diſciplinæ, omina ſua trahunt è peculiari domo cœli, quando pronuntiant aliquid de edito puero circa res ſacras. Verbi gratiâ, an puer futurus ſit ſacerdos aut addictus ſacris; hoc colligunt è nona domo, quam nuncupant domum religionis, huius autem ſignum eſt Sagittarius, cui præeſt Planeta Iouis, & quod maximè quadrat noſtro propoſito, conſtellatio quæ dicitur Ara, & ea quæ Sagittarium delineat, ſimul oriuntur; quaſi cœli ipſi innuerint, non eſſe aras erigendas, niſi in domo religionis, id eſt, in loco Deo iam deuoto, cui præſit non Iupiter, ſed ipſe Deus Iuuans Pater. Vt ergo, ô homo Chriſtiane, fias templum ſeu Domus Deo ſacra, compos aræ quæ capiat corpus Chriſti; eſto Deo ſacer, & inſtar Sagittarij omnia vota tua vt iacula dirige in ſydus illud beneuolum magis, quàm eſſe queat Planeta Iouis, quem Aſtrologi maximè beneficum arbitrantur, eóque ſic delirio Aſtrologiæ cautior fias.

Ex RE MEDICA:

Ex Scholiis Ludouici Dureti in praxi Iacobi Hollerij.

Ipſa etiam res medica vetat, vbique ſacra fieri ſanitati: quippe ratum eſt apud Antiſtites artis huiuſce ſalutaris, diſponenda eſſe loca, quibus æger litare cupit ſaluti reuocandæ. Verbi gratiâ, decumbit aliquis, & febribus æſtuat, feruida etiam tempeſtate, & torrido ſole; prudens Medicus ſataget, vt cubiculum ægri crebris aſperſionibus frigidæ conſpergatur: item vt ramis arborum virore ſpirantibus algorem innoxium, cubile febrientis obumbretur: vt eà cautelâ præuiâ cubiculum illud ſit aptius reduci ſanitati. Ægritudine verò ſecus algidâ, iidem moderatores vitæ neciſque hominum, Veſtali velut igne, id eſt perpetuo, locum decubitus ægri aptent: vt ſi hydrops ſit curandus, ex Medici decreto inuiolabili, cubiculum erit herbis aromaticis conſitum, vt amaraco, calamento, origano, menta, aliiſque eiuſmodi, quæ aëri igneos ſpiritus impertiūt, vnde incaleſcens locus ille ebibit aquas, quibus hydropici calor vitalis extinguitur. Quia ergo alget anima profana antequam ſe accingat ad audiendum ſacrum, pietate quàm maxima poterit excitet ſe, ſuos omnes colligat affectus, & refundat eos in Deum, cui ſe totam vult addicere vltroneo ſui ſacro, quo deſiderat æmulari ſacrificium quod in Miſſa peragitur: ſicque anima, Dei amore flagrans, accenſo igne charitatis, ſe facit idoneam, vt ſit templum congruum myſtico ritui, cui vult incumbere toto tractu Miſſæ, ſeipſam Deo faciendo ſacram. Hac igitur diſpoſitione, anima facta ſacellum Dei, ſic orabit, Ambroſio ſuggerente. *Te nunc Domine deprecor, vt ſupra hanc domum tuam, ſupra hæc altaria quæ hodie dedicantur, ſupra hos lapides ſenſibiles, & ſpiritales, quibus tibi templum ſpiritale dedicatur, quotidianus Præſul intendas.* Etenim quia nihil, inſcio Deo, nobis deſuper illabitur, ideo conſulo auſpicandum eſſe à Deo, cuius ope tantùm omnia vegetantur. Sacerdore introëunte in locum Miſſæ idoneum, & tu ſimiliter ingredere, id eſt redde te tibi, tuóſque compone ſenſus; ita vt non illis errantibus pariter & vageris. Cum audis eum confitentem, & in eo meditaris Chriſtum, hominum peccatorum vices obeuntem, pro quibus ſeſe offert, & ſubiicit, vt luat pœnas, exclama: Abba Pater, Tranſeat ille calix à dilecto, & in me deriuetur amaror omnis fellei poculi, quod diluerunt infideles Iudæi. De ſanguine meo ſupple guttas illas, quæ deflunt ex corpore filij tui, cuius ſudor ſanguine rubens, agonem eius eſſe perquam difficilem enuntiat.

Medicorum induſtria vt aptetur ægri cubiculum.

S. Ambr in epiſt. ad Hebræos.

Oratio in Introitu Miſſæ recitanda.

S. Auguſt. l. Medit. c. 7.

Rurſus oculos mentis dirigens in Dominum Ieſum, querula voce dic. Meas agis partes, Chriſte Deus fili Dei viui. Pronus inclinaris pondere peccatorum meorum incuruatus. Iniquitates meæ ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper te. O prodige fili, quid peccaſti? in cœlum, & in Patrem? Mea eſt fraus omnis, mea culpa, & mea eſt maxima culpa. Sæpe Chriſtum affare his Auguſtini verbis. *Quò nate Dei, quò tua deſcendit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò proceſſit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò peruenit compaſſio? Ego enim iniquè egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admiſi tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu tortura ſubiiceris: ego ſuperbiui, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens ſcelus inobedientia luis.* Hæc dum animo verſabis, erunt pennæ tuæ extentæ deſuper, imò & ſcintillabit amor, pio hocce cogitatu. Demum explica manus hominis, id eſt adiunge te Chriſto, & dic Deo Patri. Non mea ſed tua fiat

voluntas

voluntas, iſtudque propoſitum animo tuo tenaciter inhæreat, ſcilicet directurum te iugiter actus tuos omnes ad amuſſim diuinæ voluntatis, & ex eo temporis articulo, ſi te quidpiam grauat, illud totum ſubiice decreto Dei, tuámque mactá voluntatem, ſi velit inſurgere in id quod ſtatum eſt deſuper corpore reluctante. Et vt inconcuſſa ſint holocauſti tui præludia, nihil tui excipe à voluntate Dei, ſed omne quod es in affectu, & effectu, Dei obſequio integrè mancipetur. O te beatum! ſi tua voluntas eadem ſit, quæ Domini Dei tui; nihil enim vnquam inuito tibi accidet. Nam animo perpendenti omnia ex Dei nutu procedere; quicquid erit illud quod ſucceder, fauſtum ſit, vel infauſtum, tuæ congruet illico voluntati, quam ſi reuera Deo plenè ſubiecisti, velle tuum non diſcrepat à ſtatuto

1. Reg. 3.

Dei. Nóne hac praxi cautior effectus grandæuus Heli ſacerdos Hebræorum, intrepidè excepit malum omen, quo Samuel præfatus eſt ei ingruentia mala. Dum enim Vates nunciaret ei, mortem imminere filiis eius, & ſacerdotium transferendum in aliam familiam; ille ex voluntate Dei, cui ſe totum aptauerat, animæquior

Exemplum Praxis eliciter.

factus, ait. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Ita & tibi ſi occurrit quid ingratum, ne ſubitò nauſeet animus; ſed eum magis erige labantem, imò vrge & dic ei: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat, fiat voluntas eius; quippe voluntas Dei eſt ſanctificátio noſtra: Deinde Deum ſic compella: Nolo ego, pie Parens, vt tranſeat à me calix iſte, cuius fæce deguſtato noluiſti totum abſorbere, ſed mihi ad ſalutem reliqua propinaſti; ideo cum fæx eius non ſit exinanita, lubens ebibo poculum mihi tua voluntate dilutum: huic imminenti aſſentior infirmitati: huic annuo lubens opprobrio: ab hoc opum diſpendio minimè reſilio: nimirum omnia arbitratus vt ſtercora tui lucrandi ergô, nihil à te extra te ſupplex emendico. Si te in ea praxi ſedulum Deus inuenerit, dabis ei manus hominis, cui pennas, & ſcintillas primitus obtuleras.

Voluntatis diuinæ cum humana cõformitas.

In ea conſonantia Diuinæ voluntatis, vt in cardine verti ſummam vitæ ſanctioris, edocuit olim filium ſuum longæuus Patriarcha Tobias, qui propior fatis, hæc ſua extrema eloquia, altius animo filij ſui voluit inſidere. Scilicet illum ſic affatus eſt. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* An non & hoc

Tob. 4.
S. Auguſtin.

expreſſius Deum orabat Auguſtinus. *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus, ſi fecero voluntatem meam, deſeret me Deus.* Et hæc Theologia non latuit Athenodorum gen-

Seneca ad Lucil um epiſt. 10.

tilem hominem, quem Seneca laudat ab huc effato. *Tunc ſcito eſſe te ab omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam; ſic viue cum hominibus, tanquam Deus videat; ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Ruſſus dum ſacerdos orationes ingeminat, ſeu collectas multiplicat; cogitans Chriſtum quaſi pudibundum, & importunum Deo Patri multiplici prece, adiungam me & ego illi etiam pudibundè, vt quem pudeat toties offendiſſe, & iam velut impudenter poſcere veniam, quam nullo egregio facinore præmio demerui: hos ego Auguſtini incandentes æſtus

S. Aug. lib. Al duas. c. 3.

vſurpabo. *Cum quis odio dignus ſit, quâ fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam depoſcit? laceſſit iudicem qui poſtpoſita ſatisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi inſultat obnoxius ſupplicio, qui donari flagitat indebito brauio, & dulcem affectum Patris ſtultus exacerbat filius, qui poſt illatas contumelias, ante pœnitudinem hereditatis vſurpat celſitudinem. Quid, mi Pater, me geſſiſſe recolo? merui mortem, & peto veniam; commoui Regem meum, cuius impudens inuoco præſidium; contempſi iudicem, quem temerè poſtulo adiutorem; inſolens renui audire patrem, quem demum præſumo habere tutorem. Heu mihi, quàm ſero venio; heu, heu, quàm tardè feſtino! heu me, quia curro poſt vulnera, dedignans incolumis præcauere iacula! neglexi proſpicere tela, modò verò ſollicitor de morte vicina: vulnera vulneribus inflixi, quia ſcelera ſceleribus addere non timui: recenti cicatrices tabe reſperſi, quia priſca flagitia modernis iniquitatibus reciprocaui; & quæ diuina ſolidauerat medicina, mea reſoluit prurigo phrenetica; cuius quæ ſuperducta vulneribus morbum celauerat, ſanie erumpente putruit, quia iterata iniquitas conceſſam miſericordiam exinaniuit.*

Ex Historiâ. Thomas Stapleton in vita Thomæ Mori. cap. 6.

Tibi Deo ſic intento, Miſſa fugax, & breuior apparebit, imò nihil auertere poterit à Dei colloquio, quo dignaris, vt olim expreſſit Thomas ille Morus Anglus, vir orbe toto ſua pietate famoſus. Hunc vrgente negotio, Rex Henricus octauus iuſſit aduocari: miniſtri Regij properant ad Eccleſiam, vbi Thomas audiens & ſpeculans ſacra myſteria, paruipendit regia negotia. Ego, inquit, potiori Regi præſto obſequium, eius adſtando ſacris: his peractis morem geram Henrico Regi. Pudeat nos è Miſſa ſecedentes, non oblata ſed etiam leui captata occaſione diuagandi. Thomas Morus

Thomas Morus quã benè affectus erga Miſſam.

Regis ſui detrectat eloquia, beatior Dei colloquio, & nos heu ſæpe etiam in Miſſa, Miſſæ immemores, aliena planè ab hoc ſacro animo pertractamus, & eamobrem gratia Dei ſubtrahitur nobis incutiis; vt exemplo eo liquet,

Cæſarius lib. miraculorũ.

quod exhibet Cæſarius. Is ait, Probum, ſanè probum Ciſtercienſis familiæ ſacerdotem, dum ſacra perageret, ſolitum à terra euehi, ſi ea mente attentâ perageret ſi verò ſecus, animo à Miſſa diſſito celebraret, eâ gratiâ exui, & ſuo pondere

Probi ſacerdotis pietas.

deorſum inclinari. Ne igitur, ô homo, cauſeris tuam in pietate grauedinem, liquet tuæ cauſa deſidiæ quæ in dies ſerpit; quia perfunctoriè incumbis Miſſæ, cui dimidium te tantùm accommodas, corpore ſcilicet adſtans, animo verò penitus errabundo. Quid querulus defles te totum terrenis inhiare? Quid obiicis omnia interiora deorſum vergere? Tuam potius in Miſſa

Petrus Maffæus lib. 2. Hiſtoria Indica.

audienda increpa deſidiam; ſi animo erecto ſacris intereſſes, eadem te etiam ſacra ſurſum erigerent, & eriperent terris. Nec hoc latuit Indos, quos ſuperiore ſæculo alluit aqua ſalutaris. In his ſuſcepto baptiſmo, Dynaſta præpotens nomine Emmanuel, patruus Regis Ioannis rerum

Emmanuel.

potientis in regno Congi: ille, inquam, Emmanuel Princeps, ſciens gratiarum influxum ſequi aſſenſum & attentionem animæ quæ adeſt ſacris, ſe ita colligebat, nè diffluerent aliò cogitatus; vt eo ſemel audiente Miſſam, honorarios Ephebos edentes ſtrepitum ad fores Eccleſiæ, in zelum actus Princeps adiudicarit morti, ratus eos eſſe vita indiguos, qui impedirent ſacrificium vitæ. Et ni ſupplices obſtitiſſent alij

proce[illegible]res regni, obiicientes culpam illam eſſe [illegible] leuitati dandam, & non cuiuſmi impie[illegible]; [illegible]pheli illi capite ſuo luiſſent tumultum, quo Dei ſacro fuerant iniurij. Principi Neophyto non cedamus pietate in myſteria Sacroſancta.

Qua ſit Praxis in receptione Euangelij. Sed fortè dum inculco attentionem, eam ego alio diſtraho. [illegible] enim ad Euangelij textum peruenit ſacerdos, [illegible] tata [illegible] de altaris, hunc ſequamur, [illegible] comites indiuidui, qui ex oratione vegetior [illegible] ſuis occurrit hoſti[illegible]us. Dum ergo omne[illegible] diuine ſtantes Euan[illegible]lium, ſurg[illegible] & tu [illegible] puerulos Samuel, qui aud[illegible] Dei vo[illegible]. *Loquere Domine, quia ſeruus*

3. Reg. 3. [illegible] & [illegible] ſtum [illegible]

Luc. 16. [illegible] Euangelio. *Qui [illegible] venire post me [illegible], & ſequatur me.* Et ei [illegible] reſponde. Præſto ſum, Domine Ieſu, & qui[illegible] ſum iniquis deputari, ſocium me adiungo necis; etenim iniquus ſum, in iniquitatibus [illegible] cepi[illegible] & in peccatis concepit [illegible] mea. Hæc hilaris animi ſpecies exhibita [illegible], dum recitatur ſacer Euangelij diſcurſus, a[illegible]m diſponet ad praxim, quam dum aliquod in auſtum occurret, habebis ſic ad manum. V[illegible] gratia, iniuria affectus ab aliquo te habente pio [illegible] capite, & humili mancipio, ſtatim in[illegible]ent motus effrænes, & cupidi vindictæ nullas necte moras in cypho hoc deprimendo, & memor eſto te ſo[illegible] Chriſti, qui cùm in[illegible] ſt, aſſenſum elice à [illegible] volentate [illegible] et ſubi iugum obedij oppro[illegible], & [illegible] Chriſte. Hodie in Miſſa ſurrexi ad Euangelium, animum inclinans ad ludibria paſſionis tuæ, nunc pie Ieſu, ego iſto pollicitis, & hanc lubens amplector crucem, animumque meum ſ[illegible] contemptui, omnibuſque iniurijs, quibus mihi hactenus illuditur, non inuito. Agnoſco crucem hanc a te mihi propoſitam, & porrectam, vt hac ornatus, veſtigijs tuis inhæream, [illegible] & diſcipuli omnes ſequaces tui, crucis e[illegible]ſdem ſanctiſſimæ ſectatores. In hac praxi ſita eſt en[illegible]rgia Miſſæ auditæ, & non in oratione prolixa, quæ poſtmodum eſt [illegible] durata factus.

Quid in Offertorio orandum. Seriem Euangelij excipit Offertorium, quo quiſquis meditatur Chriſtum ſe vltrò hoſti[illegible] offerentem, debet & ill[illegible] primo adhuc offerre Deo Patri hanc hoſtiam immaculatam, rubentem eo ſanguine, qui deſ[illegible] ex ſudore agonis inſueti. [illegible] Deo quil[illegible] colloqueretur ex ore

S. Bernard. ſermone de Paſſione. Bernardi. *Reſpice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, [illegible] de excelſo cœlorum habitaculo, & intuere hanc Sanctam hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter Sanctus puer tuus Dominus IESV, pro peccatis fratrum ſuorum: & eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ. Ecce vox ſanguinis noſtri Domini IESV clamat ad te de cruce. Reſpice Domine in faciem Chriſti tui, qui tibi vſque ad mortem obediens factus eſt, non recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantam ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem acceperis. Vtinam, Domine, appendas in ſtatera peccata noſtra, quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro nobis paſſus eſt innocens filius tuus: certe [illegible] amor apparebit & magis digna, vt propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiam tuam, quam ſunt illa, vt pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas.* A Deo Patre recedens ad Chriſtum, vide eum ab Apoſtolo infideli Iuda oſculo traditum homicidis, & ſtupens eum affare cum Bernardo. *Accedentem ad oſculum ſan[illegible]ſſimi oris tui, trucem beſtiam auerſatus non es, [illegible] ſed os in quo dolus inuentus non eſt, ori quod abundauit malitia, dulciter applicuiſti. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conuentio tui ad Belial. Sed & hoc benignitatis tuæ fuit Domine, vt omnia illa exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire poſſint.* *S. Bern. de. vbi ſuprà.*

Chriſto Domino Deo Patri ſuo ſic reddito oblatione noſtra, offeramus & nos omne id quod ſumus vſurpantes idoneos verſus rei quam tractamus, quales ſunt verſiculi à Pſalte decantati. *Tuus ſum ego, ſaluum me fac. O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram? Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Hæc autem oblatio ad praxim erit ita reuocanda. Si Deus occulto ſuo iudicio, permiſerit te alicui diſcrimini importuno, verbi gratiâ, ſi te acuta diuexet ægritudo, aut ingens tentatio magnas faciat anguſtias ad Deum verſus ſic exclama. Agnoſco Deus ignem deſuper illapſum, ad conſumptionem holocauſti: ita plane hæc ægritudo ſeu moleſtia eſt flamma idonea meæ de meipſo oblationi decoquendæ, hic vre, hic ſeca, dummodo arrideat hæc mea tibi ſacra victima. Ita fiet vt ſi decumbas æger, accipias lectulum pro altari, & febriles æſtus, inſtar ignis teipſum hoſtiam ad gloriam Dei depaſcentis. Ita ſe quotidie aptabat ad æternitas ille, de quo ſic Gregorius. *Vir vitæ venerabilis Caſſius Narnienſis Epiſcopus, qui quotidianum offerre conſueuerat Deo ſacrificium, ſeque in lachrymis, inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat.* Et vtinam nos eadem ſuis manerer, quà cœlis adſcriptus eſt Arnus Vvirzeburgenſis Epiſcopus, qui dum in campo ſub tentoriis ſacra cele[illegible]raret ab infideli gente, cum oblationibus ſemetipſum offerens ſacrificio Melchiſedech, immiſcuit & hoſtiam iuxta ritum Aaron: nam oblatum panem conſecrandum ſuo ſanguine cruentauit occiſus in altari. Ita & faxit Deus, vt dum aliquà nos vrgente moleſtia Dei ſubdimur obſequio, anima noſtra Sancti Spiritus ſeu amoris igne decocta, ad ſuperos euehatur. O homo, ex hac praxi fiet, vt nuſquam te impar tum dæmon inueniat, dum enim me[illegible] e[illegible] ſacrificij matutini, pudebit te ſero di[illegible]ere, quod diluculo tam piè compegiſti.

Pſalm. 118. *Pſalm. 115.* *Praxis Offertorij.* *Narnij Epiſcopus Caſſius quomodo Miſſam celebrabat.* *S. Gregor. 4. Dial. cap. 56.* *Di marius lib. 1. ſub. an. 892.* *Arni Præſulis pietas erga Miſſam.*

Oblatione peracta, ſacerdos ſilentio ſuo obiicit tibi ſilentium Chriſti, in cuius Synagoga Iudæorum impie debacchante, & extorquente ſententiam mortis, quam emiſit etſi inuitus Pontius ille Pilatus, irrito conamine edito, pro Domino ſoſpitando. Recolenti tibi impiam ſententiam in Chriſtum latam, occurrant hæc lamenta Auguſtini. *Quid commiſiſti, dulciſſime puer, vt ſic iudicareris? quid commiſiſti, amantiſſime iuuenis, vt adeo durè tractareris? quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis. Ego, ego ſum tui plaga doloris, tua culpa occiſionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium: Ego tuæ paſſionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis cenſura conditio, & ineffabilis myſterij diſpoſitio! peccat iniquus, & punitur iuſtus. delinquit reus, & vapulat innocens, offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus. quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus: quod committit homo, ſuſtinet Deus. Ego enim iniquè egi, tu pœna* *S. Auguſt. lib. Meditat. c. 7.*

pœna mulctaris: ego facinus admiſi, tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ ſubiiceris. Inuide latronibus Chriſto adiunctis; etenim ſi pulchrum, vt ille aiebat, cum Phocione mori; melius eſt & commori Chriſto: & vtinam morte noſtra potuiſſemus & nos ſuffici in locum Domini præpotentis; non defuiſſent innumeræ victimæ, quæ Chriſti ſanguinem effundendum, non ſanguine tantùm ſuo, ſed & multiplici tormine redemiſſent. Vt autem amoris tui ſpecimen aliquale prodas, eadem exhibe quæ Dauid in Abſalon ſui amoris edidit argumenta. Is audita nece Abſalon in arbore demortui, lugens ſic deflebat hominem deperditum. *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?*

2. Reg. 18.

Eodem & tu cieatis amore in Deum tuum, humanis indutum, quem impij trahunt, morti ingloriæ iam iam addicturi: explica citius vota tua. O Ieſu mi dilecte, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, dilecte mi Ieſu? ô Ieſu mi dilecte, quis mihi tribuat vt moriar pro te? Hæc planè amoris indicia animum minimè ingratum ore præoſtendunt: ſed accipe praxim, & eam ex Auguſtino. *Ad exemplum ſuſcepit à te, in quo moreretur pro te, in verbo caro mortua eſt.* Quaſi diceret, Deus mortis impatiens, neſciuit aculeum mortis, ſed à te accepit quod potuit ſubiacere neci, vt & tu etiam afficeres morte, quod Deus ipſe noluit eſſe in ſe vitale perpetuum. Illud eſt caro, quam dum recolis in Chriſto morti addictam, eidem ſupplicio tuam ſubiice & tu, multis noxis, imò & criminibus obnoxius. Hoc præſtabis, ſi dum te ſollicitat caro ad epulas, libidinem, & alia quæque ſuauia, tu exoſus quaſque cupedias, omnia reſcindas quæ ſapiunt carnem, Deum ſic orando. Moriatur anima mea morte iuſtorum, quorum caro virtutum praxi iamdudum emortua eſt, vt animæ vita ſit poſtmodum æuiterna. Igitur, ô homo, memento mori carni & mundo, ſi vis Domino Deo tuo commori crucifixo.

S. Auguſt. in Pſalm. 70.

Praxis meditationis de morte Chriſti.

Me plura meditantem in hoc themate, obruunt opprobria, quæ euomunt Iudæi in Chriſtum propè moriturum. Occurre tali ludibrio occinendo, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, vt ſint encomia tua antidotum ludibrij, quo illuditur Chriſto. Accipe item ex Bernardo iſta elogia Chriſti tui. *O decor immarceſſibilis Dei excelſi, & puriſſima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam viuificans, lux omne lumen illuminans, & conſeruans in æterno ſplendore: mille millena lumina fulgurantia ante thronum diuinitatis tuæ à primo diluculo, ô æternum, ſubſtantiale, & inacceſſibile, clarum, & dulce profluuium fontis abſconditi, ab oculis mortalium, cuius vnda ſine ortu, cuius profundum ſine profundo, cuius altum ſine termino, cuius amplitudo incircumſcrutabilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructauit te cor Dei altiſſimi, de ſua impenetrabili abyſſo, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immenſus immenſum, & per omnia ſibi æqualem, & de plenitudine tua omnes accepimus: tu enim largiſſime fons omnis boni, ſeptemplicis gratiæ, pretioſum flumen de theſauris tuis emiſſis, cuius ſuaui dulcore huius noſtri maris, id eſt noſtræ infirmitatis ſalſuginem mitigare digneris, flumen olei lætitiæ, flumen vini meraciſſimi, torrens ignei vigoris.* Effuſus ego in laudes Domini mei Ieſu vſquequaque laudabilis

S. Bernard. ſermone de Paſſione.

Dum canitur Sanctus, & Chriſti laudes, quæ inde ſit elicienda Praxis.

optabo ſociari Angelis, vt illi choro adſcriptus nunquam vacare queam à laudibus. Ideò linguam meam ex tunc faciam Deo ſacram, atque adeò impotem hactenus ad verba inania depromendum. Hæc erit inde ſequutura praxis, ſub diem, implicitum fortè meme reperiam cœtui hominum, qui effuſi in cachinnos, miſcebunt impura colloquia. Aliàs iugi ſcurrilòquio ſuo ſic dicaces animos explicabunt; illicò ſanè prurìet lingua, & os grauidum ſalibus atque dicteriis, parturire volet, vt vel ſic ingenioſam hominis indolem prodat ſcommate egregio ceu verborum acumine confirmatam. O te virum virtutis illibatæ! ſi recolas, te in Miſſa tuâ exuiſſe linguam, eamque Deo feciſſe ſacram, ac proinde illam amplius non eſſe tui iuris, vt exeras ad profana quæque proferenda: ô te hominem emeritum! ſi dum es in procinctu aliquid enarrare, quod animos & auram conciliet auditorum, tunc dicteria tua, ſcommata, & omnes tui in dicendo ſales abortiunt. Hæc ſanè omnino operoſa praxis, ipſo etiam ad hoc impote Elipha Themanite, dum ait. *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Sed quia te, pie lector, informo, rebus arduis idoneum illud inculco tibi, quod aliàs Hieronymus intimo ſuo Heliodoro: *Nihil in te humile, totum ſummum, totum perfectum deſidero.* Cùm igitur in frequenti corona, ſentiet efferendi iocos lingua tua pruriginem; compeſce hoc volubile noxij ſermonis inſtrumentum, & tacitè dic Deo de Ambone cordis. Tibi ſoli optime Ieſu, ſeſe ſemper os meum aperiat. Tibi tantùm, ô Verbum, ſe explicent verba mea; imò & aliquando ſileat à bonis os meum, vt non hiet ad iniqua: etenim in multiloquio non deeſt peccatum.

Iob. 4.

S. Hier. epiſt. ad Heliod.

Dum interes Angelorum choris totus in laudibus Chriſti, ne te adeò demulceat ſuaue melos illorum Spirituum, vt te abſtractum prætereat eleuatio hoſtiæ conſecratæ: hoc enim potiſſimum aſpectu fit anima vegetior. Et Staniſlaus Hoſius Cardinalis ille, qui præfuit Concilio Tridentino, diutina decumbens infirmitate, dum in cubiculo ſuo ſacra fieri imperabat, ita ſe componebat, vt genibus flexis hoſtiam adoraret, nec alio corporis habitu quàm genu flexo, etſi æger, voluit intereſſe ſacris hiſce Myſteriis, Angelicis Spiritibus adorandis: cùm autem Medici ſuaderent vt in lecto audiret Miſſam, ægritudine obſtante ne in genua procumberet; ille aiebat. *Minimè conuenit, vt ad cibum ſumendum, è lectulo ſurgam; ad Deum laudãdum, proſtratus in lectulo iaceam.* Vis ſcire quare deſiderem vt videas Dominum; Audi ab ipſo Domino Moyſi legifero colloquenti. *Non videbit me homo & viuet.* Vt ergo moriaris ſæculo, & Domino Deo viuas; hortor vt oculo intendas in hoſtiam conſecratam, vt poriatis aſpectu digniore, quàm parentes Samſon, qui vbi viderunt Angelum cœlos aſcendentem cum flamma holocauſti, Manue ait vxori ſuæ, *morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Dum igitur intendis in hoſtiam, Deum ſic precare. Mihi ſæculoque diſpeream, ſumme Deus: mihi moriar, inquam; quia te vidi Dominum meum in ſacrificio amoris igne coruſcantem. Adſciſce & alias preces fuſas Deo Patri, cui filium crucifixum obiicies, in expiationem omnium peccatorum. Sic Auguſtinus.

Hoſij Cardinalis pietas erga Miſſã.

Reſcius in vita Staniſlai Hoſ. lib. 3. cap. 19.

Exod. 33.

Iud. 13.

Oratio, dum eleuatur hoſtia.

S. Auguſt. lib. Meditat. cap. 6.

Aſpice, pie pater, piiſſimũ filium, pro me tam impia

paſſum:

paſſum : reſpice clementiſſime Rex quis patitur, & reminiſcere benignus pro quo patitur : nonne hic eſt, mi Domine, innocens ille, quem vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti ? numquid non auctor vitæ hic eſt, qui vt ouis ad occiſionem ductus, tibique vſque ad mortem obediens factus, atrociſſima non timuit necis genus ſubire ? Recole totius ſalutis diſpenſator, quia hic eſt ipſe quem etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti : vere hæc eſt tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis aſcendit patibulum, quæ in aſſumpta carne triſte tulit ſupplicium. Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ maieſtatis, ſuper opus ineffabilis pietatis; intuere dulcem natum, toto corpore extenſum; cerne manus innoxias, pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrarunt manus meæ. Conſidera inerme latus, crudeli perfoſſum caſpide, & renoua me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & perfice greſſus meos in ſemitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis: viam iniquitatis amoue à me, & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te, Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc redemptorem mei, fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam ſpiritu vniri, qui mea non horruit carne veſtiri. Namquid non attendis, pie pater, adoleſcentis filij chariſſimi caput, niueâ ceruice deflexà, pretioſiſſimam reſolutum in mortem? Aſpice, mitiſſime conditor, dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis vnda : ſpecta, glorioſe genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea eſt ſubſtantia. Conſpicare Deus, Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum: hic eſt, Domine mi, quem propter peccata populi tui percuſſiſti, licet ſit ipſe dilectus, in quo tibi benè complacuiſti: hic eſt ille innocens, in quo dolus non eſt inuentus; & tamen inter iniquos deputatus eſt. Dum paſſioni Chriſti mens

Ex Hiſtoria.
Andr. Fauin in Hiſtoria Nauarra lib. 6. ſub ann. 1271.

intenta tua eſt, & innoxio eius ſanguine purpuraſcit: velim ego te eodem percieri æſtu amoris, & doloris, quo nobilis quidam Eques Cantaber. Is de edita portico puerulum brachiis ſuis geſtans vnigenitum filium Nauarræ Regis, incautè amplexatus infantulum, puer è manibus eius elapſus lethali caſu deorſum eliſus eſt in ſtratum duro ſilice pauimentum : ſtupens eques primum hæſit ſui impos; ſed redditus ſibi, deſuper aſpexit hæredem regni ſuo cruore rubeum cedere fatis in ſuo ſanguine palpitantem.

Nobilis cuiuſdam mors ſingularis.

Cui ille querula voce gemens ait. Suſtine pauliſper, ô princeps, & vitam produc protelando mortem, quam ego præcipitem intuli, habebis me necis illatæ ſocium & vltorem. Expecta me vindicem fati, quod te immaturum capit : meo heu te vrgente fato, me inſcio cecidiſti; ſed me conſcio mors tua, meo etiam ſanguine diluetur. Quid profuit tibi, infantule, naſci ſtemmate regio, ſi futurus eras impos infularum regni? Præcoci letho eripui te ſæculo, non adhuc ætate decoctum: oro ego manes tuos innoxios, vt mei ſanguinis libamine placari minimè dedignentur. Quia te ſoſpitem habere nequeo, à te inanimo ſaltem habeas inanimus, animamque reddam corpori tuo extincto, meo ipſius animæ diſpendio. Hoc breuiloquio animi ſui moleſtiam ſatis ſuperque teſtatus, ſe præcipitem egit iuxta principem emortuum, ibique cedens fatis morte ſua luit piaculum, quod in pueroli regij nece incautè contraxerat.

Vtinam & nos exitus idem ſæculo ſubtraheret, dum Chriſtus eleuatur, & populo proponitur adorandus : tunc enim recolitur idea mortis eius, quam nunc ex Auguſtino exquiſitè & compendiosè recenſui. Quid igitur obſtat, quin tunc dum anima rubet cruore Chriſti in ara crucis effuſi; quid, inquam, nos etiam à morte reciproca remoratur : quandoquidem incautè & nos Chriſtum vnigenitum Dei Patris immaturum morti, præcipitem dedimus fato. Dum ergo meditamur Chriſtum extinctum, eum ſic piè & querulè etiam alloquamur. Chriſte Deus, Fili Dei Regis Regum, rubes effuſo ſanguine à nobis, quos pudibundus inde rubor ſuffundit totos. Potuimus equidem inferre necem; ſed poſſumus referre vitam, quam incautè extinximus, impie delinquendo. Poſſumus, inquam, referre vitam; noſtram vtique eam in vltionem illatæ tibi necis, impigrè refundendo. Accipe igitur, ô Princeps Regum terræ, homines moribundos, morte ſua cupientes, ſi fas eſſet, tuam necem omnimodè remorari.

Ad hoc fortè alluſit Auguſtinus ſic affatus Deum. *Eſt, nate Dei, in hac admirabili tua diſpenſatione, eſt vnde fragilitas mea in aliquo ſuppeditet, ſi tua viſitatione compuncta mens, carnem ſuam crucifigat cum vitiis & concupiſcentiis; & hoc cum à te conceditur, quaſi iam tibi incipit compati, quia & tu pro peccato meo dignatus es mori.*

S. Auguſt. lib. Meditat. cap. 7.

Simile quidpiam habet & Bernardus. *Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confuſione dignum commiſeras? Prorſus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ cauſa extiti. Ego Domine vuam acerbam comedi; & dentes obſtupuerunt tui : quia quæ non rapuiſti, tunc exoluebas. Fletus deducite oculi mei, & liqueſce anima mea igne compaſſionis, ſuper contritione amabilis viri huius, quem in tanta amaritudine, tot vides affectum doloribus.*

S. Bernard. ſermone de Paſſione.

Ex Hiſtoria.
Thuringus l. 2. de vita S. Elizabeth cap. 11.
S. Elizabeth praxis in Miſſa audienda.

Accipe & aliam praxim, ad eleuationem hoſtiæ conſecratæ : ea fuit Sanctæ Elizabeth, regio ſanguine ſatæ. Fœmina hæc pietate clarior quàm ſtemmate ſuo inſignis, dum ſacerdos Canonem decurrebat præeuntem hoſtiæ conſecrandæ; illa Chriſtum recolens exutum in cruce, ſolâque nuditate conſpicuum, omnem deponebat ornatum, armillas ſcilicet & inaures, vniones, gemmas, atque monilia; denique omnem excutiebat à ſe ſupellectilem, quà fit acceſſio multa ad egregiam formam fœminæ iunioris, & cupidæ ſuæ ſpeciei. Hoc humili habitu, ſic Deum amans hæc anima precabatur. Faceſſant, ô Dilecte, ea omnia mundi ludibria, quæ poſſunt effingere placituram oculis quibus nolo: induar ego virtute ex alto, vt tibi ſoli congruat anima mea, quam enixè cupio planè huic ſæculo diſſonare. Nauſeet ſemper mundus iſte muliebris, vt ego munda, te ſolum Deum mundum appetam, qui potior es omni mundo. Non pudeat te doceri à Sancta hac fœmina, quem puduit ab incauta alia fœmina, ſcilicet Eua, ignorantiæ caligini mancipatum. Si igitur arridet

arridet hæc methodus; ſic te accinges ad adorandam hoſtiam. Rerum omnium, quæ alios ſpecie ſua exquiſita præpediunt, affectum exues, & pauperem animum indues, vt pauperis Chriſti, pauper & tu nuduſque referas in hoſtia nuditatem. Quòd ſi poſtea vertente die, aliqua cupido ſubit rerum, quarum mundus fugacem ſpeciem ingerit: ſi, inquam, aliquo caperis deſiderio rei pulchrioris; increpa ſic tuam cupidinem exundantem. Hodie in miſſa omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifacerem: quid igitur mihi cum cœno; quæ conuentio ſoli ad cœlum? *Dominus pars hæreditatis meæ, & portio mea in terra viuentium.*

b. Bernard. ſermone de Paſſione.

Rurſus ſi peroptas latriæ cultum exhibere Chriſto Deo abſcondito inuolucris ſpecierum, has Bernardi voces poteris vſurpare. *Nunc, Domine Redemptor meus, te vt verum Deum adoro, in te confido, in te ſpero; & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro, adimple imperfectum meum; ad tua paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino. Tua victorioſa crucis regale vexillum in nomine tuo, Chriſte, adoro; tuum ſpineum diadema, tuos rubentes ſanguineos clauos, tuo ſacro lateri immerſam lanceam, tua vulnera, tuum ſanguinem, tuam mortem, tuam ſepulturam, tuam glorioſam & victorioſam reſurrectionem, & glorificationem, Chriſte, ſupplex adoro, & glorifico: odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his; horum viuifico odore, ſpiritum meum, Domine, à peccati morte reſuſcita; horum virtute, ab aſtutiis ſathanæ me cuſtodi, ac me conforta, vt iugum mandatorum tuorum ſuaue mihi fiat; & onus crucis quod poſt te me baiulare iubes, humeris animæ meæ ſit leue. Quæ eſt enim fortitudo mea, vt iuxta præceptum tuum, mundi preſſuras tam multiplices inuicto animo ſuſtineam?* Varios ego explico ſupplicandi ritus, dum leuatur hoſtia; ſic referens erectionem crucis in qua Chriſtus, vt in thalamo ſedens, omnia bona elargitus, ſuos quaſi theſauros exhauſit. Dedit veniam ſuis homicidis: penes Ioannem depoſuit chariſſimum amoris ſui pignus ſcilicet Matrem eamque Virginem: dedit Paradiſum latroni præ ſupplicanti: denique dedit animam ſuam limbis, & corpus huic ſæculo. Audacter igitur ora, repulſam eo tempore neſciturus.

Surius in vita S. Thomæ. & Ludouic. Chlicthouens Conc. de S. Thom.

Placet etiam genius Sancti Thomæ, qui æquè pius ac doctus, cùm ſe antea totum collegiſſet, & ab exordio Miſſæ eripuiſſet aliis negotiis; ad eleuationem hoſtiæ, effuſus in Chriſtum vſurpat has voces. Tu Rex gloriæ, Chriſte, Tu Patris ſempiternus es filius, & reliqua Cantici illius Paſſionis Chriſti. Illa ingis idea idoneum eſt præludium ad communionem, cuius te indignum quando profiteris, tunc digniorem efficeris. Occine igitur ſacerdoti, cùm ait: *Domine non ſum dignus:* & quem non ſæpius recipere potes ore patulo; ſæpiſſimè vales excipere hiante corde, & viuaci fide, quâ Deus ſpiritualiter apprehenditur iuxta illud Apoſtoli. *Iuſtus ex fide viuit.* Et illud Auguſtini, quod habetur in iure Canonico. *Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti; credere enim in eum, hoc eſt panem viuum manducare: qui credit in eum, manducat eum, inuiſibiliter ſaginatur, quia & inuiſibiliter renaſcitur.* Nota hîc Auguſtinum loqui de communione ſpiritali, quæ fit actu elicito fidei informatæ charitate: nam

EX IVRE CANONICO.

Can. vt quid paras dentes de conſecrat. diſtinct. 2.

realis participatio, realis corporis in Sacramento, non fit fide tantùm, vt hæretici turpiter hallucinantur; ſed exigit ſumptionem corporis Chriſti ſub ſpecie panis conſecrati: ſpiritualis autem communio fieri poteſt toties, quoties quis elicit actum fidei, & credens Chriſtum eſſe in hoſtia conſecrata, deſiderium ſuum acuit ad illum totis niſibus amplectendum. Eo autem ſic concepto, anima ſic ſe Deo configurare ſataget, vſurpando vota Bernardi. *Tua viuifica morte tuum ſeruum Domine configura; faciens quidem in me vt moriar ſecundum carnem, viuam autem ſecundum Spiritum iuſtitiæ: ô Saluator meus & Deus meus, veniat, oro, tempus; vt quod nunc credo, oculis tandem reuelatis aſpiciam; quod ſpero nunc & à longè ſaluto, apprehendam; quod pro meis viribus deſidero, vlnis animæ meæ amplectar, & deoſculer, & in maris tui abyſſum totus abſorbear.* Et quia iterari poteſt illa communio mente tenus; vt fias aptior tanto chariſmati, habe penes te familiarem hanc eiuſdem ſancti precatiunculam, quâ Chriſtus ab ardente petitur corde, vrgente Deum Patrem, vt filium noſtris concedat amplexibus: audi Sanctum, ſuum ſuaue melos intonantem. *Dominus IESVS, hic eſt torrens voluptatis tuæ, Domine, quâ delicatam illam & glorioſam ciuitatem Ieruſalem quæ ſurſum eſt, iugiter potas, & lætabunda ebrietate facis æſtuare, vt tibi iubilent hymnum inceſſabilem, lucida illa, & flammea organa, in voce exultationis, & ſono epulantis, cuiuſque deſiderabilibus guſtus refocillari ſitibundæ fauces, exulis populi iugiter à te expectant, Domine. Sinite, Pater, vt catelli bibant de ſtillis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum illum, Domine, quem æſtuare feciſti inclytas primitias populi tui, inſigno ſolemnitatis noſtræ; illo quæſumus igneo ſtillicidio purga, innoua, illumina, inflamma, exhilara, & confirma: & vni cor credentium, tibi; vt vnum ſint, vnum ſapiant, vnum vnanimiter requirant, & apprehendant, & videant, & benedicant te Deum deorum in Sion.*

S. Auguſt. tractat. 25. & 26. in Ioan.

S. Bernard. ſermone de Paſſione.

Communio ſpiritalis quomodo ſit agenda.

Praxis hanc communionem exceptura hæc eſto. Si errabunda deſideria tua aliquando ſiſtant in creatis, & carnis curam feceris in deſideriis; ſic teipſum corripe & increpa. An ergò excidêre tibi vota tua, ô anima mea, ſitibunda rerum quæ ſitim non extinguunt, aſt acuunt ſalſugine ſua. In Deum hodie effuſa es, Dauidem imitatura tota die, ſicut & primo diluculo quando ceciniſti. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: ſitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea,* Auertere ergo à creatis, & conuertere ad Dominum Deum tuum, iuxta illud Pſaltis *Benedic anima mea Domine, qui replet in bonis deſiderium tuum.* Terrena nequeunt ſufficere hiatui, quo corda dehiſcunt hominum; ideò e qui ſufficit optatis, id eſt Deo adhærere tibi bonum eſt, & ponere in eo ſpem tuam. Si aſſueſcas præfatæ iſti praxi, irruant licet in te impetus & tentamina quæuis; nuſquam tamen te terrena quatient. Demum ſi adſtiteris Sacro iuxta amuſſim prælibatam, & cor tuum feceris holocauſtum Deo Patri ſacrum, vnà cum ſacrificio Miſſæ; cùm ſacerdos ait, BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEVS, tu eâdem benedictione beaberis, qua grandæuus Abraham ſe accingens ad mactandum filium ſuum, vt morem gereret Deo; qui ſic ei benedixit.

Pſalm. 62.

Pſalm. 102.

Gen. 22. dixit. *Nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me; benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli.* Ita & in fine Miſſæ, quia te totum Deo obtuliſti & omne quod eſt extra Deum à te penitus abdicaſti, ideò te manent omnes benedictiones illæ quæ hominem beare queunt. Sed inſtabis: Si ego in Miſſà parum attentus, ſpiritu alieno à ſacris ſic deueni ad extremum ſacri, quid facto opus? Dicam: Tu tunc imitaberis Eſaü, qui vt audiuit patrem ſuum benedixiſſe fratri ſuo minori Iacob: *Irrugiit clamore magno, & conſternatus ait: Benedic etiam & mihi, Pater. Reſpondit Iſaac: Dominum tuum illum conſtitui. Cui Eſau: Num vnam tantùm benedictionem habes, Pater? Mihi quoque obſecro vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: in pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Ita & tu cùm audies in calce ſacrificij ſacerdotem benedicentem populo, memor animi tui vagi eo tempore quo debuiſti ſacris intendere & attendere tibi, quem ſacra myſteria depoſcebant; iam tui compos effectus, etſi ſerò, dices: Hæc reuerà benedictio non me manet, ſed eos tantùm, qui ſpiritu & corpore interfuere ſacro, cui adfui corpore quidem tenus, ſed animo diſſito, ac proinde nihil mihi, & benedictioni illi; adiungam me ſocium Eſau, & dicam Deo Patri: Eſto, Deus, benedixeris fidelibus aliis, qui hîc adſtiterunt: Benedic etiam & mihi, Pater, irrugiens clamore magno, contritus ob incuriam præſtitam ſacris: Numquid vnam tantùm benedictionem habes, Pater? Eâ planè indignus ſum, quam audiui datam fratribus meis, qui eam pietate ſua & attentione meruerunt: Sed, parens optime, da lachrymis & dolori, quod meæ ſubtrahis ignauiæ: Quod negaſti animo à te ſic auerſo, reddito iam reuerſo: Benedic etiam & mihi, Pater. Si inſtar Eſaü fueris importunus, non recedes indonatus; imò dicam eò poſſe pertingere tuam humilitatem, eò quòd impiè adſtiteris Miſſæ; vt pertingat ad faſtigium meriti eius, qui maiorem curam adhibuit in audiendo ſacro, cuius diſpoſitio potior eſt charitas. Qui enim plus amoris attulerit, Myſteriis adſtando ſacris, referet inde plus virtutis: vnde hæc eſto rata ſententia.

Geneſ. 27. Morale.

MISSA QVÆ NON AMORE FLAGRAT, RES MISSA EST, NEC VIRTVTIS ODORE FRAGRAT; SED EA QVÆ EST AMORIS CONSCIA, NON EST VIRTVTIS INSCIA.

DIGRESSIO VLTIMA.

De efficacia Miſſæ, & quanti momenti ſit quotidie intereſſe ſacris.

Iulius Pollux lib. 6. c. loquacib.

ÆNeæ pelues Ioui Dodonæo ſacræ, & in orbem diſpoſitæ circum eius celebre celſumque ſimulachrum; hæ, inquam, pelues ita erant contiguæ, vt vnâ pulſatâ, etiam omnes illicò reſonarent, ſonitu per contactum ab aliis ad alias ſuccedente: vnde cùm res aliquæ concordant eodem ſuffragio, vtimur eo Iulij Pollucis adagio. τὸ ἐκ Δωδώνης χαλκεῖον. Æs Dodonæum; innuentes, ire omnes in vnam eandemque ſententiam. Nefas eſt reuerà ſacra componere cum profanis; ſed vbi profana queunt ſacris prætendere faces, eorum obſequium minimè dedignamur: vt & ego faciam palam hoc exemplo. Chriſtus medius eſt inter duo teſtamenta, quorum vetus nouo ceſſit: vtrinſque autem teſtamenti ritibus atque ſacris Chriſtus circumcingitur & vallatur; & figuræ priſcæ legis de Chriſto ita conueniunt myſteriis Eccleſiæ, vt ſacra noſtra, & ritus antiquos diceres æneas pelues, quarum vna vel leuiter icta habet & alias omnes ſubitò ſibi conſonantes. Etenim nullæ ſuperſunt figuræ pertinentes ad religionem, quarum non habeat Eccleſia complementum: vt expendenti ſingulas quaſque liquebit. Sed ne, vt fert adagium, extra chorum ſaltem, & vltra ſepta tranſiliam; ſiſtamus in ſacrificio Miſſæ, quod memoriter refert ſacrificium crucis, id eſt mortem Chriſti. Nemo inficiatur, vetera ſacra fuiſſe vmbras & figuras Chriſti ſacrificandi, & eas omnes ſortitas eſſe veritatem, quam primitus adumbrarant: ergo & Miſſa erit verè ſacrificium, ſicut & illud exhibitum in cruce. Nimirum ſacra Hebræorum erant ex animantibus, aut ex rebus inanimis, vt ex farre, aut ex liquidis, vt vino; quæ omnia in vltima cœna completa ſunt: illic enim ſe animatum Chriſtus obtulit Deo Patri; panem qui ex farre exurgit, conſecrauit; ſicut & vinum quod diſcipulis propinauit. Cùm igitur vna profertur figurarum antiquarum circa ſacra; ſtatim eiuſdem figuræ Miſſa clamat ſe habere veritatem: adeò benè res ſuis ſunt lineatæ figuris; ita vt figuræ & Miſſa compoſitæ, congruant magis quàm æs Dodoneum: & liceat vſurpare illud Iuuenalis. Iuuenalis.

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas Pulſari.

Vltimam autem cœnam Chriſti fuiſſe eſſentialem Miſſam, & in ea Chriſtum Apoſtolos ſuos inſtituiſſe ſacerdotes, vt ipſi aliique ritè ordinati offerrent corpus, & ſanguinem ſuum: hoc eſt de fide, ex Canone ſacro, cuius en tenorem. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi aliique ſacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, anathema ſit.* Antiquiorem accipe adhuc Canonem, quo Miſſa perhibetur eſſe res antiquato illo Agni ſacrificio deſignata. Gregorij Papæ eſt hic Canon. *Quid ſit ſanguis Agni, non iam audiendo ſed bibendo didiciſtis, qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* Ex his collige efficaciam Miſſæ, quæ continet eminenter omnia alia antiqua ſacrificia: in quibus alia erant in honorem Dei, vt holocauſta; alia in expiationem, vt victimæ; alia pacifica in gratiarum actionem, aut ad aliquas gratias impetrandas: his enim quatuor de cauſis eſt ſacrificium inſtitutum. Nimirum tenemur ad ſacrificandum Deo, ob omnipotentiam eius, ſine qua nequit homo ſubſiſtere: & quia Deo fuimus iniurij, eum ſacris ritè peractis ad veniam inclinamus: neceſſitati etiam occurrimus, cùm iiſdem ritibus gratias indebitas ſupplices demeremur, quibus acceptis, ingratitudinis notam expungimus, ſacra faciendo. Igitur cùm quadruplex hoc ſacrificandi genus viguerit in Iudæis; palam eſt Miſſæ etiam ineſſe omnimodam hanc

Ex IVRE CANONICO: Can. 2. Seſſione 22. Conc. Trid.

Canon. quid ſit de conſecrat. diſt. 2. S. Greg. hom. 22. in Euang.

Miſſæ efficacia.

hanc [illegible]tutem, & eam non eſſe tantùm ſacrificium εὐχαριστικὸν, λατρευτικὸν, κατα[illegible]τικὸν, ad gratias agendum, ad adorandum, ad impetrandum opportunum, ſed etiam καθαρτικὸν ad expiationem, & propitiationem idoneum: quidquid contra obmurmurent hæretici, qui nolunt Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium, ſed tantùm εὐχαριστικὸν, & λατρευτικὸν, id eſt, Miſſam rem eſſe congruam ad Deum adorandum, & ad gratias exhibendas. In quo nota [illegible] rum. Hæretici Euchariſtiam, quam dicunt eſſe nudam duntaxat figuram corporis C[illegible]ISTI, aiunt eſſe ſacramentum, atque adeò rem Deo gratam facere, cum qui Chriſtum paſſum recolit in ſumptione Euchariſtiæ. Rurſus aiunt [illegible] oblationem Deo tamen eſſe ſacrificium, quo Deum honoramus, & [illegible] gratias agimus, & in hoc genere concedunt, Miſſam, vt in ea eſt Euchariſtiæ ſacramentum, poſſe dici ſacrificium εὐχαριστικὸν, & λατρευτικὸν; non autem καθαρτικὸν, id eſt propitiatorium ſeu expiatorium: quia dum negant meritum bonorum operum, & aſſerunt ſolo ſacrificio crucis expiata eſſe delicta omnia; nolunt noſtræ ſubſcribere [illegible], Quaſcunque tamen excitent tragœdias, non deſinit Miſſa eſſe ſacrificium propitiatorium, vt probatur ex ipſa inſtitutione Miſſæ.

Luc. 22. Chriſtus in conſecratione corporis ſic ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis [illegible], & in conſecratione ſanguinis, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur: vnde [illegible] argumentum diſſolutionis impatiens. Omne ſacrificium quod fit cum [illegible] expiandi gratiâ, eſt propitiatorium: ſed Euchariſtiæ ſacramentum ad hoc inſtitutum eſt, vt ſonant hæc verba, Quod pro vobis datur, qui pro vobis funditur; ſi quidem dari corpus, & fundi pro peccatoribus ſanguinem, nonne illud eſt expiationis e[illegible]? Quid igitur eclamat hæreticus, ipſomet etiam Chriſto Eccleſiæ conclamante? Rurſus priſca Iudæorum ſacra fuere propitiatoria, vt videre eſt in libro Iob, vbi

Iob. 42. Deus ait amicis Iob. *Sumite vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Vnde ſic arguo: Sacrificium crucis vim ſuam exeruit ab ipſis incunabulis mundi; nec obſtitit tamen quominus eſſent alia ſacra pro peccato: ergo non obſtabit quin etiam ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium. Ipſe Lutherus, qui magis in Miſſam debacchatus eſt in libro de abolenda Miſſa, fatetur Euchariſtiam eſſe inſtitutam ad remiſſionem peccatorum. Peto, an vt ſacramentum, aut vt ſacrificium: ſi ait vt ſacramentum, [illegible], quia propriè eſt inſtituta ad conſeruationem vitæ ſpiritalis, vt innuunt ligna ſenſibilia quæ debent referre gratiam inuiſibilem ſignis [illegible] adumbratam; at ſigna ſenſibilia ſunt res inſtitutæ ad tuitionem vitæ temporalis, quæ vino & pane ſuſtentatur. Ergo illud quod primo intendit Euchariſtia, eſt animæ nutritio, & non remiſſio peccatorum, quæ debet præiuiſſe ſumptioni viuifici panis, ex præambula pœnitentia, quam debent accedentes ad ſacram ſynaxim obiuiſſe: ideoque iubentur ſe probare omnes qui cœleſtis huius obſonij volunt epulo

1. *Cor.* 11. ſaginari. *Probet autem ſeipſum homo & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Vnde vides abſurdam ſententiam, quæ ait Euchariſtiam inſtitutam ad remiſſionem peccatorum: quomodo enim [illegible] peccata, ſi Paulus [illegible] eum qui eſt in peccato, peccare adhuc dum accedit ad hoc ſacramentum, quod exigit præuiam diſcuſſionem vitæ [illegible], vt piacula [illegible] deleantur. Nec eſt quod reſpondeat hæreticus; non enim dicit culpam remitti mediante pœnitentia, ſed ſupereſſe pœnam, quæ tota expungitur virtute Euchariſtiæ: non inquam, hæc infidelis homo obiicit. Etenim culpa dilutâ ait & reſolui pœnam, nullumque proindè locum purgatorij [illegible]fitetur. Ergo ſi Euchariſtia non diluit peccata [illegible] & primariò, vt ſacramentum; [illegible] ſacrificium καθαρτικὸν ſit propitiatorium.

Si ad codices ſacros prouocent hæretici, audiant Paulum explicite ferentem in eos perfidiæ ſententiam. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Vt bombyces vermiculi fragorem tonitrui non ferunt, ſed concidunt inanimi, ita & ego dicam hæreticos, qui ſacrificium noſtrum propitiatorium impugnant hac Pauli ſententia, [illegible] diſpertire, aut ſaltem non ab errore ſuo reſilire.

Ex ſacra diſciplina ſolo Chriſti ſanguine diluta ſunt peccata noſtra. Chriſto enim non data eſt gratia tantùm, ſicut ſingulis perſonis; ſed vt eſſet caput Eccleſiæ, vt ſcilicet ab illo redundaret in membra; ideoque opera Chriſti ita ſe habent ad Chriſtum, &c. ad eius membra ſicut ſe habent opera alterius hominis ad ipſum; ſed homo in [illegible] conſtitutus, propter iuſtitiam patiens, hoc ipſo meretur ſibi ſalutem; iuxta illud Matth. cap. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Ergo Chriſtus per paſſionem ſuam non ſolùm ſibi, ſed etiam omnibus membris ſuis meruit ſalutem; ideo de eo ait Ioannes. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Paſſioni autem eius congruit [illegible] ſacrificij, quia [illegible] carne offerebatur. Secundo caro eius, quia [illegible] erat, & mortalis, erat idonea immolari. [illegible] quia erat innoxia, efficax erat ad emundanda omnia deliquia. Demum, quod hactenus fuerat inauditum, caro illa erat ipſius [illegible] caro offerentis; ideo ob ineffabilem [illegible] accepti[illegible]ma Deo, ac proinde ſummè propitiatoria. Et hoc explicitè enarrat Auguſtinus. *Quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro. & quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? & quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm ſine contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero & ex vtero virginis? quid tam gratè offerri, & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri.* Ergo [illegible] crucis propitiatorium fuerit, & in Miſſa idem offeratur quod in cruce, ideò Miſſa ſacrificium propitiatorium.

Inſtabis, Chriſtum [illegible], & ſicut eſt ſed hic tam Chriſtus nihil meretur: nam merendi cadit tantùm in viatores, homines vti, què mortales: ergo perperam Miſſa eſſe dicitur ſacrificium

Caluinus l. 4. *inſtitut. c.* 18. *§.* 13. 14.

Ex Theologia. *S. Thom.* 3. *p. q.* 48. *art.* 1.

1. *Ioan.* 1. 2. 2.

S. *Auguſt. l.* 4. *de Trinit. cap.* 14.

Miſſa eſt ſacrificiũ propitiatorium.

ſacrificium propitiatorium. Reſpondeo non ideò Miſſam eſſe ſacrificiũ tale, id eſt propitiatorium, eò quòd Chriſtus ſit beatus; ſed eò quod paſſus, & paſſioni eius omnimoda cõgruat ratio ſacrificij propitiatorij, vt ſcitè admodũ ait Auguſtinus; *Quatuor conſiderantur in omni ſacrificio; ſcilicet, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, vt idem ipſe vnus veruſque mediator, per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret cui offerebat, vnum in ſe faceret, pro quibus offerebat, vnus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat.* Quaſi diceret, Deus factus eſt homo Chriſtus, vt hoc homine offerente ſacrificium, ille eſſet cui offerretur: nam ille homo erat Deus. Ruſus ille etiam homo erat pro quo offerretur; quia naturam induerat pro qua offerebatur. Demum quod eſt rei ſumma, vt Deo vniretur homo ratione illius ſacrificij, quo reconciliati Deo ipſi vnimur, vt & orauit Chriſtus poſt ſacrificium cœnæ. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Sic vides paſſionem Chriſti, efficienter operatam eſſe ſalutem noſtram, cuius cauſa efficiens principalis Deus eſt: humanitas autem eſt inſtrumentalis, vtpote operata in virtute diuinitatis, ad homines ſoſpitandos. Igitur Miſſa ſacrificium ritè nuncupatur, & id propitiatorium; quia illud eſt quod Chriſtus obtulit in cruce: illic ſecundùm Aaron; & hic ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſub inuolucris ſpecierum panis & vini: iuxta illud Auguſtini recenſitum in Canone.

S. Aug. vbi ſuprà.

Ioan. 17.
S. Thom. 3. p. q. 48. art. 6.

EX IVRE CANONICO:
Can. ſemel immolatus. de conſecr. diſt. 2.
Can. Accipite, de conſecr. diſt. 2.
S Hieron. l. 4. in Matth. ad cap. 26.

Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Hoc autem immolandi genus, eſſe iuxta ritum Melchiſedech, alio Canone perhibetur, qui eſt Hieronymi. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Poſtquam typicum Paſcha fuerat completum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat; aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſcha tranſgreditur ſacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque in veritate ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.*

EX PHILOSOPHIA:
Ariſtot. l. 10. Metaphyſic. textu 7.

Nequeo cohibere Philoſophiam, quæ & in re ſacra geſtit diſcurrere: laudo obſequium, quo & volt etiam Miſſæ ſacrificiu famulari; probatura illud ſacrum non idoneum modò noxis diluendis, ſed maximè eſſe propitiatorium. Sic igitur illa ſcientia diſceptatrix ait ex Ariſtotele. *Primum in vnoquoque genere, eſt cauſa cæterorum.* Sed Chriſti ſacrificium eſt primum omnium in genere cauſæ meritoriæ, vt à quo habebant alia ſacra vim aliqualem propitiandi Deum, iuxta illud Leuitici. *Offerat ſacrificium, & orabit ſacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Ergo cùm cauſa formaliter, aut eminenter habet id quo influit; ſacrificium noſtrum erit ſummè propitiatorium, quia ab eo alia habuere, vt reliquam munditiam homini procurarent. Hæc concluſio videtur eſſe Auguſtini. *Illis ſacrificiis vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum, à cuius ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur.*

Leuitici 4.

S. Auguſt. quæſt. 57. in Leuiticum.

Sed ne in ſubiecta materia de virtute & energia Miſſæ, lacunæ aliquæ hiulculum faciant hunc tractatum; ſunt explicanda quædam. Primum eſt, ſacrificium Miſſæ à tribus offerri, diſpari tamen ratione: ſcilicet, à Chriſto, à ſacerdote, & ab Eccleſia. Chriſtus offert vt primarius ſacerdos; & equidem offert per hominem ſacerdotem, vt per ſuum proprium miniſtrum. Eccleſia offert, non vt ſacerdos, ſed vt populus per ſacerdotem: hîc enim nomine Eccleſiæ intelligo populum fidelem, vnâ eâdemque religione adunatum. Itaque Chriſtus ſacrificium offert per inferiorem, ſcilicet per ſacerdotem, qui vt miniſter Chriſti, eſt inferior Chriſto: Eccleſia autem offert per ſuperiorem, ſcilicet per ſacerdotem, qui vt ſacerdos, maior eſt reliquo populo; nimirum pro tota Eccleſiæ myſtica compage intercedit, vt mediator quidam pro populo ad Deum: ac proinde ſacerdos non eſt propriè in ea re Miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti, qui eſt potior & principalis mediator; nec ſic Eccleſia propriè ſacrificat exercendo actum ſacerdotis, ſed tantùm offert rem ſacrificandam, panem ſcilicet & vinum, & curat inde fieri ſacrificium, conſentit in ſacrificium, & demum ipſa Eccleſia ſeu plebs fidelis tota in Deum effunditur, ſuaque ei explicat vota, dum offert ſacerdos pretium redemptionis noſtræ. Tamen licet tota Eccleſia offerat omnia ſacrificia, quæ vbique terrarum ritè fiunt; non propterea omnes ſe eodem habent modo in hac oblatione: aliqui enim tantùm habitualiter offerunt, abſentes ſcilicet & ab Eccleſia diſſiti, vtpote in foro & alibi, ne quidem mente recolentes Miſſam, animo profanis vſibus occupato: tamen cupiunt habitualiter offerri ſacrificium, nec aliquo actu degenere, ſuum conſenſum vnquam ab hoc ſacrificio reuocarunt. Alij offerunt actualiter, vt hi qui interſunt ſacris hiſce myſteriis, quibus intenti actu elicito offerunt illud ſacro-ſanctum pignus, & æternum fœdus cœli & terræ. Denique aliqui cauſaliter offerunt, quia cauſa ſunt vt offeratur tale ſacrum; dum ſcilicet rogant, hortantur, & iubent vt ſacerdos faciat ſacrum: ſacerdos verò offert quidem, ſed vt ſacerdos miniſterialis.

Miſſæ virtus vnde attendatur.

Alterum eſt ſcitu digniſſimum in ſubiecto themate, ſacrificium Miſſæ non habere vim ex opere operato, eo modo quo habent ſacramenta: non enim operatur ſacrificium ſufficienter, & immediatè; neque propriè eſt inſtrumentum Dei ad iuſtificandum, vt Baptiſmus & abſolutio faciunt; ſed donum pœnitentiæ impetrat, per quod homo peccator ad ſacramentum accedere velit; & per illud iuſtificetur, vt ait S. Thomas, docens ſacrificium iuſtificare eos pro quibus offertur, non vt cauſam proximam; ſed donum contritionis impetrando. Et explicitè definitum eſt in Concilio Tridentino ſic. *Docet ſancta ſynodus, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri vt ſi cum vero corde, & rectâ fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno: huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit; vna enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc obtulit, ſola ratione offerendi diuerſa.* Ratione ſtabilitur illa ſententia Concilij, & S. Thomæ. Si ſacrificium immediatè iuſtificaret,

S. Thom. in 4. ſent. diſt. 12. q. 2. ar. 2.

Conc. Trid. Seſſione 22. c. 3.

requireret

requireret neceſſariò præuiam diſpoſitionem, in eo pro quo offertur ſacrificium, & ſic non liceret offerre ſacrificium pro iis quos ſcimus eſſe in peccato: ſed hoc eſt abſurdum; nam contrarium eſt in praxi, quia pro peccatoribus Miſſa validè & licitè dici poteſt. Secundò Miſſa non præpollet ſacrificio crucis; at illud non efficienter, & immediatè iuſtificauit reprobos omnes, licet pro omnibus ſe Deus homo obtulerit; ſed impetrauit vt per debita media, peccatores aliqui eſſent reduces ad gratiam. Demum ad peccatum immediatè tollendum, inſtituta ſunt duo ſacramenta, ſcilicet Baptiſmus, & Pœnitentia; illud pro infidelibus; hoc pro fidelibus: vnum pro peccato originali; aliud pro peccato actuali.

Ex Hiſtoria: Profana.

Tertium quod occurrit nequaquam ignorandum eſt: ſacrificium Miſſæ vt à Chriſto offertur, vim habere ex opere operantis, & hoc ineffabiliter, quia placet ex bonitate Chriſti offerentis; vt autem offertur ab homine, certum eſt valere Miſſam ex opere operato, quia placet Deo, etiamſi homo qui offert, non placeat Deo. Hinc collige, id quod eſt opus operantis reſpectu Chriſti, eſſe opus operatum reſpectu ſacerdotis. Dicitur autem illud habere vim, ex opere operantis quod vim habet ex bonitate, vel pietate eius, qui operatur; ita vt opus multum aut parum, aut nihil valeat, prout magna, aut parua, aut nulla eſt deuotio operantis; qualis eſt valor precum, & meritorum noſtrorum: illud autem dicitur habere vim ex opere operato, quod ex ſe valet, modò fiat ſicut lex præſcribit, quidquid ſit de bonitate vel malitia miniſtri operantis. Ita vt opus ſemper idem valeat, nec fiat melius ex miniſtri bonitate, neque peius ex miniſtri iniquitate. Talem eſſe valorem baptiſmi eſt de fide: nam ſiuè à bono, ſiue à malo miniſtro conferatur; eodem modo animam liberat à noxa, quam ex Adami contagione contraxerat. Ita & principalis effectus Miſſæ, quia non pendet ex bonitate ſacerdotis, ex opere operato eſt, & non ex opere operantis; ac proinde Miſſæ ritè celebratæ à malo ſacerdote ſuus non deperit effectus principalis.

Appianus lib. 5. bell. Ciuil.

Tamen indubium eſt, bonitatem miniſtri multum adducere, non quidem valori rei oblatæ, ſed vt oblatio gratior Deo ſit ex parte offerentis, cum enim ſacrificium ſit impetratorium, facilius ſuum exeret effectum, ſi ille qui offert, ſit Deo gratus: & hoc probatur ex Geneſi *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Prius Abel Deo placens aſpicitur, & ex virtute placita fuerunt & munera eius Deo grata. Hinc priſci ſacerdotes Moſaicæ legis multiplici ritu accingebant ſe ad ſacrificia, vt voti fierent citiſſimè compotes; imò & Gentiles etiam ſacerdotes, ſua ſacra præuio myſterio celebrabant. Athenis ſacerdotes albo calceamento ſua faciebant ſacra, auctore Appiano; hinc fortè referentes candorem affectuum, quo debet eſſe conſpicuus ille qui non vult perperam celebrare. Macrobius ait, Romæ ſacerdotem Herculis ſola lauro redimitum ad ſua ſacra procedere; quaſi indicaret, eum qui ſacrificare vellet domitori hominum & ferarum, debere etiam æmulari virtutem eius, quem ſacris volebat excolere, ideoque coronari lauro, quaſi iam egregio aliquo facinore virtutis exantlatæ, vitia propemodum omnia profligaſſet. Vtinam Chriſtiani ſacerdotes candidè calceati accederent ad altare, affectuſque ſuos, nigricantes ex creaturarum impio commercio, diluerent largo lachrymarum profluuio: maiorem inde congeriem gratiarum exciperent. Heu, ſi laureatis tantùm pateret acceſſus ad altare; quotus quiſque eſſet ſacerdos ille qui faceret ſacra. Si, inquam, ſolis victoribus & ſuperioribus ſuorum vitiorum eſſet fas celebrare Miſſam, quæ eſt ſacrum hominis Dei, qui vitia omnimoda debellauit; profectò viæ Sion lugerent, & non eſſet qui veniret ad ſolennitatem. Ex Silio Italico arcebantur mulieres ab Herculis ſacris, imò & expellebantur à vicinia templi ſues, ne grunnitu & fœtore ſuo, Herculi eſſent iniurij. Sic ille.

Genes. 4.

Sacerdotes Athenis quo ritu induti.

Macrobius l. 3. Saturn.

Silius Italic. lib. 3.

Fœmineos prohibent greſſus, ac limine curant
Setigeros arcere ſues.

Miſſa quam puritatem poſtulat.

Et heu hodie plerique ſacrilegi, animo muliebri, id eſt, Venereo, & depereunte laſciuas mulierculas, ſacris adſtant, & ſuis ſpurcitiam imitari, ex libidinis ſuæ fœtido volutabro ad ſacrificium tumultuariò properant. Diſcite, ô impij ſacerdotes, reuerentiam exhibere ſacris. Diſcite, inquam, vel à porco, eo equidem quem in ſuis Symbolis effinxit Villaua, qui ſordidum illud pecus, iuxta templum pinxit, hoc titulo deſuper. NON MIHI SANCTA LICENT. Siſte gradum, ô Sacerdos, tuo characteri faciens iniuriam. O ſus Epicuri de grege. NON TIBI SANCTA LICENT. Caue ſortem Heliodori, qui malè habitus virgis in templo prope non illic miſerè diſperiit, Angelos reuerere, penes quos eſt tutela templi.

Ex Symbolis.

Villaua lib. Symbolorum. 2. Machab. 3.

Fœmineos prohibent greſſus: ac limine curant
Setigeros arcere ſues.

Inſtabit fortaſſe quis & dicet, nihil planè conducere ad Miſſam, pietatem ſacerdotis, quia res ipſa quæ Deo offertur eſt gratiſſima: ſed hoc nihil ad rem; nam res illa quæ offertur non eſt ſacrificium, quia propriè ſacrificium eſt oblatio rei illius; ſacrificium etenim eſt actio, & non res permanens: cæterum licet res ipſa placeat Deo Patri; ex ſe tamen oblatio rei non placet: vnde in Euangelio plus placuit oblatio duorum obolorum facta à vidua innoxia, quàm magna vis auri, cuius oblatio erat à ſontibus & reprobis. Eamobrem Eccleſia ſacerdoti iniungit, ne fiat iniurius Sacramento atque ſacrificio, ne obnoxius fiat pœnæ quam incurrerunt impij ſacerdotes filij Aaron, quorum ecce funus deſuper illatum. *Apparuit gloria Domini omni multitudini. Et ecce egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare, quod cum vidiſſent turbæ laudauerunt Dominum, ruentes in facies ſuas. Arreptiſque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egreſſuſque ignis à Domino, deuorauit eos & mortui ſunt coram Domino.* Ita planè apparet Dominus in nebula ſpecierum panis, & vini, dum ritè ſacra fiunt, plebſque Chriſtiana effuſa in laudes Dei, piè recolit myſteria ſacroſancta. Sed heu quot ſe ingerunt ſacerdotes, corde igne alieno conflagrante, dum impudicè æſtuant; hi reuerà mortui coram Domino, licet hominibus faciant fucos pietate ementita. His iam inferorum clibanus ardet,

Leuit. 9. & c. 10.

expiaturus

expiaturus ignem veneream ignibus æuiternis.

Ex merito ſacerdotis aliquid adüci ſacris probauere ſancti, quorum aliqui humeros ſubtraxerunt oneri tanto, ſpeculantes quantâ nitelâ debeat anima coruſcare facturа ſacrum. In his fuit Seraphicus ille meus parens Franciſcus, cui Angelus oſtendens vas rutilum, omni cryſtallo lucidius, ait: En, ô Franciſce, typum puritatis quâ debet facturus ſacra ſacerdos emicare. Obſtupuit ſanctus ad fulgorem vaſis, & ratus terras neſcire talem munditiem, renuit ſemper ſacro ſacerdotis initiari charactere. B. Franciſci non degener alumnus, & filius inclytus B. Bonauentura, arbitratus impotem eſſe omnino facere ſacrum, ex virtutis inopia, quam præuiam poſcit tremendum hocce myſterium, diu abſtinuit à ſacris peragendis, donec animæquior factus eſt, ipſomet Deo cœlitus illum ad altare reuocante. Vt ſe mundiorem exhiberet Sacris, Nicolaus Papa III. totum ſe in altari fletibus aſpergebat: nec eo Pontifice quiſquam ſanctius egiſſe ſacra perhibetur. B. Franciſcus Borgia præpoſitus Generalis Societatis Ieſu, etſi nullius ſibi næui conſcius, tamen quotidiana confeſſione præuia ſacra hæc myſteria frequentabat. Cardinalis Hoſius ille Staniſlaus celebris orbe toto, pridie illius diei quo erat celebraturus, ferè impaſtus, orationi intentus, animam hoſpiti tanto, quantus eſt Deus, piè diſponebat, vt offerens non eſſet indignus hoſtiæ, quam Deo Patri conſecrabat. Neſcio an eò reſpexerint aliquando priſci Germani infideles, qui eos eliminabant à ſacris ſuis, qui clypeum abiecissent, quaſi dicerent non debere eſſe inermes eos, qui volunt intereſſe ſacris: & hoc etiam ipſum inculco, dum incumbo probare, Miſſam pij ſacerdotis vberiorem gratiæ prouentum impetrare; ne ergo abiice clypeum, id eſt, noli imparatus ad Sacra properare.

Ex Chronica Minorum in vita S. Franciſci.

Ibidem in vita S. Bonau.

Ioan. Nauclerus volumine 2. Chronologiæ ſub ann. 1278.

Pet. Ribaden. in vita B. F. Borgiæ c. 4.

Reſcius in vita Staniſl. Hoſij lib. 3. cap. 16.

Cornelius Tacitus lib. de moribus Germanorum.

Ex Mathematica.

Licet & adſtruere ex ipſa Mathematica, ſacerdotem benè affectum, Dei chariſmata demereri citius eo, qui nequam eſt; etſi ambo idem corpus Christi ſacrificent. Hæc Matheſis diſciplina de cœlis, & tota in cœlis ait, cœlos transfudiſſe ſuam virtutem in Planetas, quibus omnis inſita eſt cœleſtis energia; tamen Planetas pro vario ſitu ſuo, gratias has cœleſtes, aut magis, aut minus impertiri: habent enim, inquit Ptolemæus, aſpectus dextros & ſiniſtros. Rurſus dum oriuntur, ſeſeque efferunt Planetæ ſupra horiſontem, & cùm verticales imminent nobis; validius influunt. Si verò ſecus occidunt; tenues eorum languent influxus. Sic vides duos eiuſdem generis Planetas, penes quos ſunt eædem vires beneficæ, non eodem tamen modo ſuffragari terris; quia vnus attollitur, alter verò deorſum vergit & inclinat: congrua ſanè comparatio ſacerdotis & Planetæ ratione influxus; ninirum ſacerdos, vt fert adagium, ouo prognatus eodem, nec tam ouum ouo ſimile, vt ſacerdos & Planetæ, dum influunt. Quidquid enim eſt virtutis in cœlo, Deus Pater repoſuit penes ſacerdotes, qui in Miſſa manibus terunt Chriſtum, Dei virtutem & ſapientiam, quæ fecit in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, nihilque cœlitus illabitur nobis, inſcio ſacerdote, cuius ſacra, gratiarum multiplici rore madent, vnde & nos poſtmodum aſpergimur. Tamen licet duo ſacerdotes iiſdem initiati ſacris, idem cœli pignus tractent, & idem diſpenſent pretium redemptionis noſtræ; non erit tamen idem affluxus eorum influxuum, ſi merito diſpari ambo ſacrificent. Quippe ille cui gratia rutilans oritur, & qua micante radiat & ſacerdos, & ad apicem cœli euchitur, id eſt, ad faſtigium virtutis attollitur: ille, inquam, vir Deo plenus, ſacra faciens myſteria, ditiores cœli gazas aperit nobis, vberioreſque gratias demeretur, eo ſacerdote qui vergit ad occaſum, id eſt, cui gratia occidit obnubilata noxis. Etſi enim ſacrificio ſua vis non omnino diſpereat, ob ſacerdotem peccatis obnoxium; deperditur tamen omnis ille decor, quem adijcit vita innoxia ſacerdotum, quibus occidente gratia, languent eorum quoque ſacra.

Ptolemæus l. 1. de iudiciis c. 12. 13.

Salus credita Dea olim.

Ex re Medica.

Nihil æquè Medica diſciplina ſuis candidatis inculcat, ac vt ſe opportunos præſtent facturi ſacra Saluti; Salutem enim Deam eſſe crediderunt Achæi ex Pauſania: licet enim duo Medici idem pharmacum decernant duobus ægris; vnus benè habebit, altero tamen miſerè cruciato; quia diſpari capacitate peritus actiua paſſiuis ſcitè admouit; alius verò imperitus, rem bonam malè & perditè miniſtrauit. Eamobrem in ipſo limine ſcientiæ ſuæ ſalutaris, monet Hippocrates Medicos, vt nihil niſi præuia inſpectione ſedula & ſagaci moliantur aut decernant. Audi oraculum. *Κενεαγγείη ἣν μὲν οἵη δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἣν δὲ μὴ τοιαύτη, ἐπιβλέπειν καὶ δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ ἢ οὔ. Vaſorum enacuatio ſi quidem talis fit, qualem fieri oportet, confert, eamque ægri benè ferunt; ſi verò ſecus malè fit, ita & eam ægrè ferunt: conſiderare igitur oportet, & regionem, & horam, & ætatem, & morbos in quibus conuenit illa purgatio & in quibus non.* Miſſa ſanè optima eſt purgatio, quippe quæ eſt propitiatoria: non tamen promiſcuè diſpenſanda illa cathartica Medicina à quibuſque miniſtris probis & improbis; vt non tantùm obtuſior ſit virtus eius, ſed ne etiam iniquo ſacerdoti peſſimè conſulatur, vt videre eſt in ſubiecto exemplo, cui ſe vadem præbet Antiſtes Turonenſis, & equidem Sanctus, ſcilicet Gregorius.

Hippocrates lib. 1. Aph. 2.

Pauſanias in Achaicis.

Ex Hiſtoria.

Lingonenſi Eccleſiæ olim præfuit vir nebulo, nomine Pappolus, omni vitiorum colluuie famoſus, atque adeò altaribus indignus. Ille prædeceſſoris ſui Epiſcopi, Sancti Tetrici pietate nihilo cautior, vitam agebat Epicuri magis, quàm Præſulis. Eo perſeuerante ſacris adſtare altaribus animo impuro, non tulit diu hominem ſacrilegum Sanctus Tetricus etſi ereptus terris, & relatus inter Sanctos. Is dormienti Pappolo apparuit, vultu ad ſeueritatem & minas compoſito. Quid tu (inquit) hic Pappole, vt quid ſedem meam polluis? vt quid Eccleſiam peruadis? vt quid oues mihi creditas diſpergis? Cede loco & abſcede longius. Hæc dicens virga hominem ictu valido ferijt, qui pectore eliſo euigilans cruciatu magno tertia die impiam animam exhalauit: & quia iniquo pectore receperat hoſtiam; illa etiam parte ictus, vindicem Deum ſenſit, quem diu ante in ſacrificio contempſerat. Eumdem ſortitus eſt exitum Vdo Magdeburgenſis Epiſcopus, qui diu ſacrilegus Eccleſiam ſancti Mauritij polluerat, faciendo ſacra animo Venereo: ſed

S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus l. 5. Hiſtor. Francor. c. 5.

Pappoli Epiſcopi mors horrenda.

Ioan. Nauclerus in Chronog. ſub ann. 940.

ſancto

Baptiſta Fulgoſius, l. 9. c. 2.

Vdonis Epiſcopi mors iniqua.

Villelmus Malmesburgenſis de geſtis Angl. l. 2.

ſancto Mauritio actore, & eum à Deo depoſcente puniendum, noctu tractus ad altare, ibi ſecuri percuſſus, ſanguine ſuo luit pœnas debitas ſanguini Chriſti, quem impiè ſibi impius effuderat. Manè corpus inanimum, & truncum inuentum eſt; cuius exitum Canonicus nomine Fredericus enarrauit clero: quippe qui illi tragœdiæ adſtiterat agens vigilias nocte illa in choro, qui fuit theatrum ſcenæ illius horrendæ. Ferrea crate Canonici pauimentum operuere, ſanguine ſui Epiſcopi purpureum, quem aliis Epiſcopis dum inaugurantur, oſtendunt, vt illo ſanguine noxio diſcant, quomodo ſe debeant gerere in innoxium ſanguinem Chriſti, quem libant in altari. Si Deus in omnes adeò ſeuerè ſacerdotes animaduerteret, quam multa altaria impiorum ſacerdotum ſanguine deſudarent. Sed vtinam miniſtri omnes altaris, malè ſibi conſcij, omnino eſſent conſortes Diaconi illius, qui cùm impudicè verſatus eſſet, non neſcio Imperatore ſuo Henrico, & ab eo iuberetur in Miſſa decantare Euangelium, renuit accedere ad altare, animo minimè innoxio. Vrget Imperator tentaturus, an perſtaret Diaconus in ea reuerentia altari exhibenda: mandat vt exulet ſi non morem gerat, & ſuo deſit officio recitandi Euangelium. Ille pœnitens facti, nolens reus accedere ad altare, maluit ſubire ſententiam exilij, quàm præteritæ noxæ nouum ſuperinducere crimen. Itaque ſeceſſit ab Eccleſia, & ſuas conuaſans ſarcinulas, accinxit ſe ad iter ineundum, extra ditionem imperij, arbitratus ſatius eſſe cadere gratia Imperatoris, quàm Deo diſplicere, adſtādo ſacris ſine præambula confeſſione, quæ dilueret crimen, quo ſe Veneri obſtrinxerat. Diaconi ſui animum pœnitentem demiratus Imperator, eum reuocauit & blandè amplexatus eum, ait: Animæquior eſto, Diacone, tuam ego volui tentare conſtantiam, an reuera tæderet te peccati, quod me non inſcio perpetraſti. Ideóque quia terreni Imperatoris non curaſti minas, vt morem gereres Deo qui vetat quempiam pollutum ſacræ adſtare menſæ; in meam te recipio gratiam, & ſubrogo te primo Epiſcopo morituro, cenſeóque dignum qui geras Epiſcopatum, quandoquidem ſuſtinere nequis noxæ lethalis pondus, quo plerique non grauantur. Vtinam inquam omnes, qui hunc ſecuti ſunt errantem, ſequerentur etiam facti pœnitentem. Dices, præfata exempla probare quidem impios ſacerdotes, ſuo diſpendio celebrare; ſed non inferre ex noxia ſacerdotum vita, labem inſpergi ſacris, aut ea aliquà ſui parte remorari: Benè mones, & ſic cogis ad alia proferenda, quibus faciam palam, ſacrificia minus eſſe accepta Deo, ex ſacerdotis impij contagio: & vt luculentior Hiſtoriæ ſubiiciendæ fides adſtruatur, audi eam ex ſancto Damiano Cardinale depromptam. Sic ille. Princeps Beneuenti preſbyterum Sanctæ conuerſationis virum, & in diuinis officiis, ac præcipuè in ſolennitate Miſſarum indeſinenter aſſiduum excolebat, qui cùm quotidie ſacris myſteriis reuerenter inſiſteret, Angelus Domini ex conſuetudine veniebat, & vidente Principe, Sacramentum Dominici corporis ex offerentis manibus aſſumebat. Sed ô criminalis vitæ huius lubrica, & incerta conditio! nam qui Angelicis fruebatur obſequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repentè prolapſus eſt. Quid plura? peragendi myſterij ſacri tempus aduenit, preſbyter grauiter intus conſcientiâ remorante torquetur, ſe accingit, induit, accedit, trepidat, palpitat; nihilo tamen cautior effectus, offerre præſumit. Angelus aduolat, & inſpectante Principe, ſpongiam inſectam aqua, ſuper caput illius expreſſit, omneſque ſordes atque ſqualores, quos è corpore illius antea contraxerat, membris eius omnibus iterum ſuperfudit. Hoc viſo Princeps obſtupuit, preſbyterumque ſemotis arbitris interrogat, ſi criminis alicuius contagium incurriſſet. Negat ille; ſed vrgente principe tandem confeſſus eſt, ſe nocte ſuperiore Venerea colluuie deturpatum. Iam quæro, an Deus gratam habuit oblationem, quam nec Angelus ſuſtinere potuit, preſbyteri ſpurcitiam refundens in ſacrilegi caput, ne qua ſacerdotis impij aſpergine hoſtia fœdaretur. Accipe aliud exemplum, adhuc antiquius ex Prato ſpirituali, vbi Rumiliæ Epiſcopus dicitur aſſuetus videre Spiritum Sanctum ſacris illabentem altaribus, dum Sacra perageret: eo igitur faciente Sacrum coram Agapito Papa, ſtetit Epiſcopus homo Sanctus, eò quòd Spiritum Sanctum non videret deſcendentem in hoſtiam, ſicuti erat ſolitum aliis Sacris. Rogat Agapitus moræ cauſam; ille ait, Diaconum, qui illic aderat, ſuis obſtare Sacris, vtpote multis peccatis iiſque grauibus irretitum, ac proinde iuberet eum amoueri, eiicique foras, vt ineptum Sacris. Eo eiecto, adfuit illico Spiritus Sanctus, viſibilique influxu Miſſam inſigniuit. Vnde ſic arguo: Si præſentia impij hominis obfuit Sacro, quid labis intuliſſet ipſa preſbyteri offerentis iniquitas. Simile quidpiam accidiſſe olim Sancto Ioanni Chryſoſtomo ait Metaphraſtes. Cùm enim celebraret ille, ſenſit ſacrificio inferri diſpendium, à Diacono impudicè oculos ſuos in fœminam iaculante, & eo amoto, expertus eſt oportere omnia eſſe innoxia, vt ſacrificia ſint illibata. Vide ergo quam benè Iuſtinianus Imperator ait, ſacerdotes multa indulgentia recoli, tum ob perſonas, tum Dei ergô: nam vt ſacrificium ſit ſartum tectumque, & vndequaque excellat, duo concurrunt, Dei influxus, & vita innoxia ſacerdotis.

S. Petrus Damianus epiſt. ad Hildebrandum qui fuit poſtea Papa.

Punitio ſacerdotis indignè celebrantis.

Ioan. Moſchus in prato ſpirit. c. 150.

Metaphraſtes in vita S. Ioan. Chryſoſt. Legemus diſtinguemus 17 § ſacerdotio de Arbitris.

Vnde Miſſa de Sanctis. *Kemnitius pag. 810.*

Duo adhuc ſuperſunt enodanda. Vnum quare dicantur Miſſæ aliquæ de Sanctis. Alia eſt enim Miſſa de Beata Virgine. Alia de Angelis, aliiſque Sanctis, quod citra piaculū fieri nequit, inquiunt hæretici. Aliud explicandum eſt, quare pro mortuis etiā ſacra fiant. Vtrique dubio ſaciam ſatis.

Primo quæſito anſam dederunt hæretici dicentes, nos ſacrificare Sanctis, dum Miſſas dicimus de Sanctis, quorum dum meminimus in Sacris, facimus irritum mandatum Chriſti, qui ait. *Hoc facite in meam commemorationem.* Falsò perduelles illi, idololatriæ Eccleſiā inſimulant; non enim offerimus Sanctis ſacrificium Miſſæ, ſed vni tantùm Deo; ſicut nec Sanctis altaria dedicamus, vt benè admonet Auguſtinus. *Quis audiuit aliquando fidelium ſacerdotem ad altare dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud memoriam eorum offeratur.* Et alibi. *Nulli martyrum, quāuis in memorias Martyrū, conſtituimus altaria; quis enim Antiſtitum in locis Sāctorum corporum, aſſiſtens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule; ſed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronauit apud memorias eorū quos coronauit.* Ruriſus non officit memoriæ Paſſionis Chriſti, illa Martyrum ſeu Sanctorum aliorum commemoratio, quæ fit in

Luc. 22.

S. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 27.

Idem lib. 2. contra Fauſtum cap. 21.

Miſſa, vbi non offertur ſacrificinm pro Sanctis in augmentum gratiæ eorum ſeu gloriæ eſſentialis, quaſi oremus pro eis; ſed commemoratio tantùm eorum fit, vt & ipſi meminerint noſtri ante Deum, vt inſinuat Auguſtinus.

Idem tract. 84 in Ioan. & ſerm 17. de verbis Apoſt.

Cùm autem oramus, vt hæc oblatio proſit Sanctis ad gloriam; hoc intendimus, vt eorum gloria omnibus hominibus innoteſcat, & ad hunc finem dicimus Miſſam de hoc, & tali Sancto. Hoc igitur eſto ratum, nos in Canone Miſſæ, non orare Sanctos, etſi eorum illic fiat ampla memoria; ſed potius orare Deum, vt eorum interceſſione præſto ſit infirmitati noſtræ,

Ibidem, ibid.

vt ait Auguſtinus. *Ad ipſam menſam, non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus; ſed magis, vt orent ipſi pro nobis.* Ratio eſt, quia in Miſſa poſſumus à Deo petere media omnia ad ſalutem noſtram: at oratio Sanctòrum medium

2. Machab. cap. vltimo. Apocal. 1. S August. lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 27.

eſt præualidum, vt videre eſt io hiſtoria Machabæorum, vbi Ieremias & Onias Pontifex mortui, dicuntnr oraſſe pro populo: & in Apocalypſi, viginti quatuor ſeniores deſcribuntur offerre incenſum, quod Ioannes explicat eſſe orationes Sanctorum. Sanctus Auguſtinus ex hac memoria Sanctorum in Miſſa, ait fideles excitari ad eorum imitationem. Sic ille. *Vt de ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoria reuocatione adhortemur.* Adde nos maximè honorare Sanctos, quando Deo gratias agimus de gratiis illis collatis, quibus ad gloriam euecti ſunt, & nos inde eorum piè ſuffragia demereri. Sed accipe rationem potiſſimam, quare fiat mentio Sanctorum in Canone Miſſæ.

Sacrificium corporis Chriſti offertur nomine totius corporis myſtici, quod eſt Eccleſia; ſed ad corpus myſticum Chriſti pertinent omnes fideles, ſiue ſint beati, ſiue bic adhuc ſint in agone, vel deinum in purgatorio diluant alicuius piaculi reliquias; ideò in Miſſa omnium fit mentio beatorum, viuentium, & eorum quos flamma detinet in purgatorij clibano decoquendos. Sic dum omnium in Miſſa meminimus; confitemur communionem Sanctorum; ſont enim illi ſicut & nos membra Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus: & hoc ait Auguſtinus, dum ſcribit, ſacrificium altaris ſignificare ſacrificium geoerale, quo vniuerſum corpus Chriſti myſticum, id eſt tota redempta ciuitas offertur Deo per Chriſtum ſacerdotem magnum. Et quia ad compaginem illius corporis myſtici, pertinent etiam Sancti; ita etiam ſuo ordine nominantur: Cùm enim cœli, terra, purgatorium, vnam tantùm faciant Eccleſiam; vno eodémque etiam ſacrificio, ab eis Deus honoratur: vnde & nominantur viuentes, ſcilicet Pontifices, Reges, & circunſtantes, deinde Sancti, & poſt eleuationem fideles, qui pœnis aliquibus irretiti, noſtra ſuffragia præſtolantur.

Ex ivre canonico. Can. Quia paſſus de conſecratione diſt. 2.

Omnes autem fideles eſſe participes huius corporis ſacri, vt ſunt & ipſi myſticum corpus, liquidò habetur in iure Canonico, cuius ecce Canon. *Quia paſſus eſt Dominus pro nobis, commendauit nobis in iſto Sacramento corpus, & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit & nos ipſos: nam & nos ipſius corpus facti ſumus, & per miſericordiam eius quod accipimus ipſi nos ſumus.*

Eadem explicata ratio militat pro defunctis, quidquid ſtrepant hæretici, miras excitantes tragœdias, ob Miſſas pro defunctis. Nam ſacrificium veri corporis Chriſti, pertinet ad totum corpus Myſticum eius, à quo ſoli damnati excipiuntur, pro quibus nefas eſt offerre ſacra Deo, iuxta illud Auguſtini. *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis qui ſunt membra Chriſti?* Dico ſolos damnatos excipi propriè à corpore Chriſti; quia, infideles etſi non ſint actu membra Chriſti, tamen ſunt potentia:

De Miſſis pro defunctis. S. Aug lib. 1. de origine animæ cap. 9.

quippe poſſunt fieri fideles, quod non eſt de damnatis; ideò indirectè prodeſt Miſſa infidelibus, & hæreticis, pro quibus Eccleſia indirectè orat, dum petit à Deo, hæreſes extirpari, pacificari & augeri Eccleſiam, quod fieri nequit ſine conuerſione hæreticorum, quæ ſic implicitè à Deo petitur. Etſi vetitnm ſit explicitè offerre Sacrum pro hæreticis; quia tantùm eſt ſacrificium fidelium, pro quibus duntaxat publicè Eccleſia ſacrificat. Rurſus ſacrificium crucis, pro omnibns fuit oblatum ſine diſcrimine gentilium; imò & ipſi ſpeciatim nominati ſunt, cùm ait Chriſtus. *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Illic autem erant milites Romani infideles, maximè iniurij Chriſto toto tractu paſſionis; vt qui eum flagris exceperunt, plectentes poſtea coronam ſpineam, multiplici acumine, punctionéque moleſtam capiti Chriſti. Deniqne vbi ſacra recenſet hiſtoria, ludibria paſſionis, continuo ſubiicit. *Milites quidem hæc fecerunt.* Priſcis Eccleſiæ temporibus, offerebatur Miſſa pro Regibus Ethnicis & perſecutoribns Eccleſiæ, vt ait Tertullianus. *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius.* In lege veteri Hebræi fecere ſacra pro Rege Dario, & filiis eius infidelibus; ſicut & pro ſalute Heliodori gentilis, etiam in flagranti delicto eius in templum, quod voluerat ipſe ſpoliare. Vnde infero, ſi lex non obſtaret; poſſe publicè, & explicitè offerri ſacrificium Miſſæ pro hæreticis, & ſchiſmaticis, & infidelibus; quia omnes ſunt in potentia membra corporis myſtici Domini Ieſu Chriſti. Quòd ſi ſecus Eccleſia faxit, & illud vetuerit; illud eſt vt incutiat horrorem fidelibus ſuis, & ab aliorum errore deterreat, in quos vident Eccleſiam, piam alioquin Matrem, ſeuerè adeò deſæuire. Itaque non iure diuino prohibetur oblatio ſacra pro hæreticis; ſed cauetur id duntaxat iure Canonico: ipſaque Eccleſia, inolitæ pietatis nequaquam immemor, Miſſali inſeruit Miſſam ad tollendum ſchiſma, quod equidem tolli nequit cum amplificatione Eccleſiæ, ſine conuerſione ſchiſmaticorum, quos antea Eccleſia anathemate perculit: & ſic Eccleſia ſaltem indirectè orat pro ſchiſmaticis, directè orando pro vnitate Eccleſiæ: alioquin dicere oporteret, Eccleſiam, cùm petit tolli omnes ſchiſmaticos, petere eorum interitum; ſed hoc eſt impium & alienum ab Eccleſia quæ neſcit ſanguinem.

Miſſa pro defunctis. Cap. A nobis de ſententia excommunicat. Tertull. ad Scapul. c. 2. 1 Eſdr. 6. 2 Machab. 3. Miſſa poſſit necne offerri pro hæreticis.

Hæc prælibata adſtruunt Miſſas pro defunctis: nam ſi Eccleſia poteſt offerre Sacrum pro hæreticis & infidelibus (ſublata prohibitione canonica) quia poſſunt eſſe membra Chriſti; à potiori poteſt offerre pro fidelibus, in Purgatorio degentibus: & quia ab actu ad potentiam valet argumentum, ſeu conſequentia; vide Eccleſiam hoc feciſſe etiam ante Chriſtū natum.

Nomine Eccleſiæ intelligo fideles ſincera Dei religione adunatos. Iudas Machabæus iuſſit offerri ſacra pro peccatis mortuorum, quod factum approbans ſcriptura ait. *Sancta & ſalubris cogitatio eſt, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Quod ſi inſurgant hæretici, inficiantes illum librum non eſſe Canonicum: dicam primò, non eorum eſſe aſſignare Canonem librorum Sanctorum, quos Eccleſia iam recepit. Secundò, quando hoc daretur eis; tamen liber Machabæorum eamdem ſibi vendicaret fidem, quam Ioſephus hiſtoricos, aut Titus Liuius, ex eáque hiſtoria inferre poſſemus, ſacra pro mortuis facta eſſe apud Iudæos: non inde tamen poſſemus colligere licitum illud fuiſſe ſacrum pro mortuis, quia hiſtoricus non ſcripſiſſet dictante Spiritu Sancto. Igitur cùm de facto conſtet ex fide hiſtorica, quam ipſimet hæretici non denegant gentilibus hiſtoricis, vt Thucydidi & Plutarcho; videamus an ſit error in iure, ſi errasſent Hebræi in eo ritu faciendi ſacra pro mortuis. Chriſtus inuehi ſolitus in iniquas traditiones Iudæorum, hanc tacitam minimè præteriiſſet, ne Eccleſia ebiberet hoc lethale virus; de hac autem cenſura Chriſti, ne gry quidem, vt communi fertur adagiò: imò ſecus factitarunt ipſi Apoſtoli Eccleſiæ Antiſtites, vt legere eſt in veteri liturgia Iacobi, & Clementis, & ab Apoſtolis praxis illa ſacrificandi pro defunctis, in omnes orbis plagas eſt piè deriuata & iure Canonico non probata tantùm, ſed & explicitè commendata.

1. Mach. 12.

Licitè & piè fieri ſacra pro defunctis.

Ex Liturgiâ S. Iacobi & S. Clementis.

EX IVRE CANONICO.

Canone Viſũ de' conſecratio. diſtinct. 2.

Gallia Chriſtiana, ex ipſis Eccleſiæ incunabulis, & neſciens monſtra hæreſeωs, præbuit Gratiano Canonem iſtum ex Concilio Cabilonenſi. *Viſum præterea nobis eſt, vt in omnibus Miſſarum ſolennibus pro defunctorum ſpiritibus, loco competenti Dominus deprecetur: ſicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuſlibet neceſſitatibus Dominus deprecetur; ita nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolennibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem ſancta tenet Eccleſia, vt & in Miſſarum ſolennibus, & in aliis precibus, Domino ſpiritus quieſcentium commendet; dicente B. Auguſtino: non ſunt prætermittendæ ſupplicationes, pro ſpiritibus defunctorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate laudamus; defunctorum etiam, tacitis nominibus eorum, quos ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici; ab vna eis exhibeantur pia matre communi.*

Tertullian. l. b. de Corona militis.
Concilium 3. Carthagin. cap. 29.
Clemens l. 8. conſtitution. cap. 19.
Conc. Bracarenſe c. 34.
Conc. Vormatienſe c. 19.

Tertullianus, qui floruit anno Chriſti ducenteſimo, meminit orationum pro mortuis; & Concilia celebrata illis ſæculis, quibus Caluinus ait Eccleſiam fuiſſe illibatam, mentionem fecere ſacrificij pro defunctis, vt videre eſt in Concilio tertio Carthaginenſi celebrato anno 417. & Clemens antiquior eo Concilio trecentis annis, vtpote ſuppar Apoſtolis, hunc ritum commendat. Hiſpania ſecuta Canones Eccleſiæ, idem etiam ſanxit in Concilio Bracarenſi primo; ſicut & Germania in Concilio Vormatienſi.

EX SS. PATRIBVS:

S. Cyrill. Hieroſ. Catecheſi 5. myſtagogico.

Græcorum Patrum nemo eſt, qui fuerit ab Eccleſia Romana diſſitus in hoc ritu, Sacra offerendi pro mortuis: nomine enim omnium Græcorum ait Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus. *Maximum eſſe credimus animarum iuuamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius, & tremendi quod in altari poſitum eſt ſacrificij.* Non eſt quod recenſeam Latinorum Patrum ſententias, quandoquidem Concilia Latinæ Eccleſiæ, ſacrificia pro defunctis ſatis ſupérque decernunt: non tamen præterire queo illud Ambroſij, ſic Fauſtinum de ſororis eius obitu conſolantem. *Itaque non tam deplorandam, quàm proſequendam orationibus reor, nec mœſtificandam lachrymis tuis, ſed oblationibus animam eius Domino eſſe commendandam.* Hanc praxim non in Conciliis primò eſſe decretam ait Chryſoſtomus, ſed ab ipſis Apoſtolis eſſe traditam. Sic ille. *Non temerè hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis, defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem.* Demum Auguſtinus ait, corpus Chriſti in Sancta oblatione offerri pro tota Eccleſia, vt comprehendit beatos, & homines hîc degentes, & alios expiantes vitæ noxiæ reliquias in illo igne, quem vocat emendatorium, ſcribens in Pſalmum 37. ſic autem ſingulis Miſſa prodeſt ex Auguſtino. *Pro non valde malis propitiatio eſt.* Nam defuncti valde mali, ac proinde damnati extorres ſunt ab his Sacris. Pro Sanctis honorandis, id eſt, vt gratias agamus Deo de collato eis profluuio gratiarum, offerimus Sacra; nec Sanctos in Miſſa nominamus, vt oremus pro eis, ſed vt ipſi orent pro nobis. Ita Auguſtinus, qui ſic Miſſæ diſpeſcit fructus, vt ad Sanctos hinc deriuetur honos ſummus, quod nomina eorum recenſeantur in myſterio quod fit pro ſalute animarum, quaſi & ipſi ſint cooperatores Dei ad homines ſoſpitandos. Secundò inde ait Auguſtinus, ad viuentes homines gratiarum copioſos effluere latices, defunctis verò fidelibus flammarum exquiſita diſcuſſione feruentibus, ait ille Sanctus ſuaue refrigerium illo ſacrificio procurari.

S. Ambroſ. lib. 2. ep. 5.
S. Chryſoſt. homil. 69 ad popul. Antiochen.
S Aug. in Enchiridio, cap. 110.
Idem ſer. 17. de verbis Apoſtoli & tract. 84. in Ioan.

EX HISTORIA:

Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de vita Conſt.
S. Aug lib. 9. Conf. c. 12.
Poſſidius in vita S. Aug.

Si hiſtoriis rem vis enucleatiùs aperiri, huc reuoca quod ſupra recenſui, de Matre S. Auguſtini, in cuius funere ille ad altare meminit eius; nec excidat celebre funus Conſtantini Imperatoris cui adfuit Euſebius aſſerens pro defuncto ſacra Myſteria fuiſſe celebrata: his adiice S. Auguſtini exequias, quibus adfuit Poſſidius, qui meminit ſacrificij oblati pro hoc Antiſtite recens emortuo.

Vt colophonem imponamus iſti materiæ, valorem Miſſæ expendamus. Videtur eſſe meritò infiniti, quia qualis eſt res oblata, talis debet & eſſe oblatio, verbi gratiâ, oblatio gemmæ pretioſæ, ditior eſt oblatione rei vilioris; ſed Miſſa eſt oblatio Chriſti & meritorum eius. Reſpondeo, duplicem eſſe oblationem in Miſſa; alia eſt quæ fit ab ipſo Chriſto, qui eſt principalis ſacerdos, & hæc ſapit naturam offerentis, qui eſt valoris infiniti, non quod Chriſtus aliquid iam de nouo mereatur, quia non eſt viator, ſed poteſt impetrare vt aduocatus hominum fidelium, ſicut & beati qui vt comprehenſores, nec ſibi queunt neque nobis mereri, poſſunt tamen impetrare agendo pro nobis patronos eorum, qui ſe eorum ſubiiciunt piæ clientelæ: Chriſtum autem aduocati noſtri obire vices in cœlis, diſce à Ioanne conſcio ſecretorum eius, quæ peruia habuit recumbens in ſinu amantiſſimi Domini ſui. Sic ille. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem* — *S. Ioan. 1.*

tantùm , ſed etiam pro totius mundi. Sed quia Miſſa non eſt eo ſolo ſacrificium,quòd Chriſtus ſeſe offerat Deo Patri,aſt etiam requiritur oblatio,conſecratio,& conſumptio, quæ ſunt partes Miſſæ eſſentiales præſtandæ à ſacerdote , tunc hæc omnia finita ſunt , vtpote à ſuppoſito finito edita : aliud enim eſt res oblata , & aliud actio elicita ab homioe, quâ rem infinitam offert pro modulo ſuo,qui oeqoit ſuos tranſcendere fiues, ideóque modus ille finitus eſt.

Sit ergo prima cooclusio hæc. Si Miſſæ valor attenditur penes oblationem ſacerdotis vt eſt actio elicita ab homine , pretium eius variat pro merito cuiuſque ſacerdotis ; ratio eſt, quia id quod eſt ex opere operantis, tantùm valet,quantùm habet & meriti ſuppoſitum , à quo fluit talis operatio. Liquet etiam rei huiuſce veritas,ex hiſtoria ſacra, vbi oblationes Caio & Abel diſpari merito recenſentur;quia & virtute diſſiti erant ambo,qui ſacra peragebant , ac proinde vterque non litauit : & Dominus noluit offerri ſibi ſacrificium ab Elipha Themanite , & ſociis eius ; ſed à Iob homine queto patienter habita tribulatio decoxerat.

Miſſæ valor quantus ſit.

Iob.4 vltimo.

Secuoda hæc eſto concluſio. Valor Miſſæ eſt infinitus , vt attenditur hoc ſacrificium , à Chriſto oblatum vt à primo ſacerdote , & vt res oblata ipſemet eſt Chriſtus. Hæc concluſio eſt contra Bellarminum & multos alios Theologos,quibus aſſentitur , affirmantem id tenere, à quibus ego diſſentio ; quia ſacrificium Miſſæ idem eſt ac ſacrificium crucis , in quo ipſa hoſtia & offerens, nihil niſi infinitum clamant: nec eſt quod Bellarminus & alij Theologi dicant, ſacrificium crucis fuiſſe valoris infiniti ; quia Chriſtus ſe per ſemetipſom obtulit , at in Miſſa ſe offert miniſterio ſacerdotis & hinc valorem Miſſæ diminui : oam ſic aliud omnino eſſet ſacrificium Miſſæ ab eo quod ſuit in cruce celebratum ; imò nec vlla eſſet proportio voius ad alterum,iuxta axioma ſonans,finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem. Rurſus nulla eſt illa diſtinctio Chriſti ſe offerentis mediatè , & immediatè ; quicquid enim ſecus allegare queant aduerſarij , ipſe etiam Chriſtus ſeſemer offert Deo Patri in ſacrificio , & merita ſua quæ ſunt infinitæ Gazæ : atque adeò non fero illam ſententiam , qua valor ſacrificij Miſſæ decurtatur; quod admittit neque citra aliquod Miſſæ diſpendium.

Bellarmin. c. 4.lib 2.de Miſſa.

Ex Ivre Canonico.

Canon. Et dixit Dominus de conſecrat diſt.2. S.Auguſt.l. quaſt. Numeror.ū q.50. Can. vtrum ſub figura de conſecrat. diſtinct.2.

Quod autem ſacrificio crucis ſioe Miſſæ nihil detrahatur ob miniſtrum,id eſt, ob ſacerdotem, probo ex Iure Canonico, & ex Auguſtino à quo deſumitur ille Canon. *Et dixit Dominus ad Moyſen , & ad Eleazarum filium Aaron ſacerdotem, Tollite thuribula area è medio exuſtorum, & ignem alienum hunc ſeminate ibi , quia ſanctificauerunt thuribula peccatorum hominum in animabus ſuis , & fac ea laminas ductiles circumpoſitionem altari , quoniam oblata ſunt ante Dominum , & ſanctificata ſunt , & facta ſunt in ſignum filiis Iſraël. Non ergo in eis reprobari voluit quòd à talibus oblata, ſed hoc potius attendi antequam oblata ſint,id eſt , quia ante Dominum , vt plus in eis valeret nomen Domini antequam oblata ſunt quàm peſſimum meritum eorum à quibus oblata ſunt.* Si ergo hæc thuribula ſanctificata , quia oblata ſunt , nihil ob nequitiam ſacerdorom de ſua ſanctitate deperdiderunt ; quare idem ſacrificium crucis à Chriſto oblatum, aliquid diſpendij in valore patietur , ratione ſacerdotis ? cum ex Canone plus in rebus oblatis valeat nomen Domioi antequam oblatæ ſunt res illæ, qoàm peſſimum meritum eorum à quibus oblatæ ſunt. Adde , potiſſimam Miſſæ partem quæ eſt conſecratio , fieri verbis Domini Ieſu. Rurſus alio Canooe probo , nihil variare ſacrificium , etſi mioiſtri varient. Sic habet textus. *Intra Catholicam Eccleſiam in myſterio corporis Chriſti,nihil à bono maius,nihil à malo minus perficitur ſacerdote : quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris , & in virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis , nequaquam ad Chriſtum pertineret : nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat ; ita ipſe eſt qui per Spiritum Sanctum hanc ſuam efficit carnem,& tranſit vinum in ſanguinem.* Nec reuerà Chriſtus eſſet ſacerdos io æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,ſi non ageret ſacerdotem in ſacrificio Miſſæ.

Vltima concluſio. Etſi valor Miſſæ ſit infinitus ; tamen finitè hominibus pretium ſuum impertit. Primò quia ex Philoſophia, Omne receptum recipitur ad modum recipientis. Cùm ergo homines habeant eſſe dimioutum , in diſpoſitione ad gratiam ; ita & ſigillatim valor Miſſæ diſtribuitur. Secundò praxis Eccleſiæ hoc ſuadet : nam ſi ſe valor omnis Miſſæ explicaret , quoties Miſſa fit ad aliqoid à Deo impetrandum ; fruſtra reiterarentur plures Miſſæ eadem intentione : ſed ex vſu inoliro Eccleſiæ, pluries Miſſa fit , collimante ſemper ſacerdote ad eumdem ſcopum : ergo non incaſſum eſt illa repetitio Miſſæ ; quippe arguit , Deum aliquid toties elargiti,quoties ſacra fiunt. Quare autem non ille valor infinitus ſe effundat quoties Miſſa fit , prima ratio petitur ex mera Dei voluntate , qui etſi poſſit virtute vniua ſacrificij omnia concedere optata , & condonare deliquia quoad culpam, & quoad pœnam ; decreuit tamen vt pro ſingulis oblationibus applicaretur certa menſura paſſionis Chriſti , ſiue ad remiſſionem peccatorum , ſiue ad alia beneficia demerenda : nam & hîc ſicut & alibi,omnia fecit io numero,pondere , & menſura. Alia ratio eſt , vt hoc modo frequentaretur ſacroſanctum myſterium , quo ſolo ſtat Religio Chriſtiana : id enim requirebat ordo diuinæ prouidentiæ , cuius vias inueſtigabiles non eſt noſtruio altius perſcrutari ; quis enim iotelligit, cur in cœlo Chriſtus aſſiduè interpellet pro nobis , cùm vnica poſſit interpellatione omnia nobis impetrare ? Quare etiam pretium infinitum , quod in cruce acqoiſiuit , quo toti mundo ſubueoire potuiſſet,oon niſi quibuſdam , & in certa menſura quaſi ad trutinam voluerit Chriſtus applicari ? Myſterium eſt abditum & nobis ineffabile , quod à nobis exigit eumdem cultum , quo dignatus eſt cætera alia myſteria Apoſtolus, in ſtuporem actus dum exclamat. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ , & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius !* Melius igitur erit conſultum nobis,ſi agamus quomodo poſſimus in partem illius ſacrificij copioſè deuenire: erit autem fructus nobis vberior Miſſæ; Primò ſi eos nobis ſacerdotes eligamus , quorum vita queat citra ſacrificium, etiam nobis Deum facere propitium. Secuodò ſi eos nos præſtemus ante ſacrificium , quales exigit Deus animas donis ſuis

Ex Philosophia.

Rom.11.

cœleſti

cœleſtibus illuſtrandas. In hac planè diſpoſitione valoris Miſſæ excipiendi, totus vertitur cardo; non quòd Miſſa citra hanc præuiam cautelam ſæpe ſuos non exerat fructus, inſciis, imò etiam dicam inuitis illis, pro quibus offertur, vt patuit in Auguſtino, pro quo etiam Chriſtianis iniurio, pia Mater ſacerdotibus aduoluta, vt eum à Deo depoſcerent, ſenſit tandem illapſum gratiæ præpotentis. Sed hinc infero, vberiores ex Miſſa naſci fructus, ſi ſe homo accingit ad eos pietate præuia decerpendos. Quod & videre eſt, etiam in priſca lege Hebræorum, quando Deus in dedicatione templi Salomonis, profuſus extitit in populum, cui & ſe præbuit adorandum in nebula: quia penè tota gens Iudæorum multiplici cultu præambulo, ſe ad hæc ſacra prius accinxerat. Si autem ſciſcitaris ritum, quo Miſſæ prouentum poſſis tibi comparare; hunc diſce ab Elia, & expende ſingula quæque geſta ab hoc ſanctiſſimo Vate, vt ſacrificium eius igne deſuper illapſo conflagraret. Ecce textum codicis ſacri, vbi hæc ſacra & myſtica præambula recenſentur. *Ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitque aquaductum, quaſi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, & compoſuit ligna, diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna, & ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna, rurſumque dixit, etiam ſecundò hoc facite, qui cùm feciſſent ſecundò, ait etiam tertiò hoc facite, feceruntque tertio, & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquaductus repleta eſt: cùmque iam tempus eſſet, vt offerretur holocauſtum; accedens Elias Propheta, ait. Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſraël, & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum; cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Hactenus ſacra hiſtoria; genuinam nobis ideam obiiciens diſpoſitionis præuiæ ad ſacra peragenda, vel ſaltem audienda. Et ne in animum inducas tuum, abeſſe myſterium ab illa exquiſita enumeratione rerum, quas egit Vates, vt ignem cœlitus eliceret, ad hoc vt eo igne ſacrificium eius igniretur: neſcit enim textus ſacer verba inania texere, aut quidpiam citra myſterium enarrare. Itaque res præfatas ab Elia factitatas ante ſua ſacta, in typum Miſſæ faciendæ, vel audiendæ, ſedulò perpendamus.

3. Reg. 8.

3. Reg. 18.

De diſpoſitione requiſita ad benè Miſſam audiendam.

Miſſa quo ritu audienda.

Enucleanti mihi alto ſcrutinio recenſitam Eliæ hiſtoriam, occurrêre mihi ſex veluti puncta, ea vtique ad praxim nobis ad normam & amuſſim Eliæ reuocanda. Primò Elias ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini; ita & aptandum nobis eſt cor, vt altare ſacrum Domino, & anima ritè diſponenda ad ignem deſuper illabentem. Altare dicitur quaſi altum; vt ergo cor altaris naturam induat, debet exaltari, id eſt, ſi fuerit antea terrenis occupatum, debet rerum infimarum puluerem excutere, vt totum eo Miſſæ tractu, Dei obſequio mancipetur. Eamobrem ante Canonis exordium, ſacerdos initio præfationis exclamat: Surſum corda, vt hac paræneſi adſtantes redeuntes ad ſe, ſi antea deuiaſſent, verè reſpondere queant: Habemus ad Dominum, id eſt; perge, ô ſacerdos, altare Domino Deo ereximus, & hoc inſinuatur nobis ex Canone qui eſt Cypriani. *Quando autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus quàm id ſolùm cogitet, quod precatur, ideò, & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo Surſum corda, vt dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil ſe aliud quam Dominum cogitare debere, claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur.*

Ex IVRE CANONICO: Can. quando autem de cõſecrat diſt. 2. S. Cyprian. ſerm. 6. de orat. Dominica.

Secundò Elias fecit aquæductum, quaſi per duas aratiunculas, in circuitu altaris. Quid putas innui nobis hiſce foſſis altare cingentibus? Nihil omninò planè aliud ab humilitate, quam Chriſtus vult ſuis præire ſacris, & in cuius typum affertur illa communis figura Miphiboſeth, cui cum dixiſſet Dauid. *Tu comedes panem in menſa mea ſemper; adorans eum dixit. Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei.* Si enim ille etſi regio ſtemmate Miphiboſeth, hominis regis aditurus menſam viſualem, quaſi dehiſcente terra adeò deprimitur; iure potiori adituri menſam Dei adſtantes Sacris debemus & nos deorſum inclinari, iuxta illud Auguſtini. *Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, circumferens mortalitatem ſuam, & teſtimonium peccati ſui.* Confundere & erubeſce, quippe qui audeas tibi malè conſcius adſtare ſacris; tua illa confuſio erit foſſa cingens altare. Ea fuit præparatio animi, quâ ſe accinxit ad ſacra vir ſanctus Eſdras quem expedit audire perhibentem ſuam praxim, dum ſacrificij tempus immineret. Sic ille: *Sedebam triſtis vſque ad ſacrificium veſpertinum, & in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea, & ſciſſo pallio, & tunica curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi: Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlum, a diebus Patrum noſtrorum; ſed & nos ipſi peccauimus grauiter, vſque ad diem hanc, & in iniquitatibus noſtris traditi ſumus ipſi, & Reges noſtri, & ſacerdotes noſtri in manum Regum terrarum, & in gladium, & in captiuitatem.* Eſt reuerà quod omnino rubeamus, ſi penſemus id omne quod in nobis regium eſſe debet, dæmonis regis terreni obſequio mancipari; nimirum intellectus & voluntas, aliáque omnia animæ ſtemmata regia, vitiis obſequuntur. Itaque, ô homo, ante ſacrificium confundere, ſciſsóque non pallio, ſed corde contrito, Domino Deo tuo piacula confitere, & ſic foſſis egregiis altare Dei circumcinges.

2. Reg. 9.

S. Auguſt. l. 1. confeſſ. c. 1.

1. Eſdra 9.

Tertiò Elias ligna compoſuit: vide quam benè cohæreant ſacra & quomodo etiam hæc figura redoleat paſſionem Chriſti, ſicut & illa quam ſuperius expoſui de ſacrificio Abrahæ; ita & tu non compone ligna tantùm, ſed & teipſum componito, ad lignum crucis dominicæ meditandum: vt enim crux aptata eſt ad ſacrificium Chriſti, ita & menti ſuæ idem ſalutare lignum,

Miſſa nos ſollicitat ad Paſſionem Chriſti meditandam.

antequam inchoetur Miſſa, obuerſari debet; vt hoc ligno crucis, ignis amoris tui in Dominum Deum tuum accendatur: & eò reſpexiſſe videtur idem rerum Moderator & legifer Deus, cùm hanc tulit legem. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum.* Ego ſacerdos etſi immeritus, ſubiicio tibi, & amori tuo lignum crucis vt ardeas, ô homo Chriſtiane, antequam Deus ignis conſumens ſacrificio Miſſæ deſuper illabatur. Lege cautum eſt, vt matutino tempore ligna adiiciantur, & præeant holocauſto, Deo ſic anteuerti volente memoriam ſuæ paſſionis, quam ligna myſtica præfigurant. Et ne labores in aptanda ſtrue lignorum, hoc recole tecum Auguſtini ſoliloquium. *Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus eſt homo. Amore Deus inuiſibilis, ſeruis ſuis factus eſt ſimilis: amore vulneratus eſt propter delicta noſtra, tuta & firma requies eſt infirmis, & peccatoribus in vulneribus ſaluatoris: Securus illic habito, patent mihi viſcera per vulnera, quicquid ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ affluant; per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto: vulnera Ieſu Chriſti plena ſunt miſericordia, plena pietate, plena dulcedine, & charitate: foderunt manus eius, & pedes eius, & latus eius lanceâ perforauerunt. Per has rimas licet mihi guſtare, quàm ſuauis eſt Dominus Deus meus, quoniam reuera ſuauis, & mitis, & multa miſericordia eſt, omnibus eum inuocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus: copioſa redemptio data eſt nobis, in vulneribus Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri. Magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.* Hactenus ille. O te beatum! ſi ſic intentus paſſioni, componis ligna, quibus amor hominis, in Deum hominis incandeſcit.

Leuitici 6.

S. Auguſt. in Manuali c. 21.

Quartò Elias diuiſit per membra bouem, & poſuit ſuper ligna; ita & vt Miſſam audias cum vberiore prouentu gratiarum, diuide hoc ſacrificium per membra. Non enim audienti Miſſam ſatis eſt in genere meditari Paſſionem; ſed & ante Sacrum debet pius & fidelis quiſque ſcire, Miſſam eſſe trimembrem, vtpote ſitam in oblatione, conſecratione, & communione; & hæc membra à ſe inuicem diſſita debent animo diſpeſci, vt ſit homo paratus ad ſingulas quaſque Miſſæ partes Chriſto ſociari, id eſt ſe offerat Deo Patri in oblatione dum Chriſtus offertur; ſe Deo omnino deuoueat dum conſecratio peragitur; & demum in communione ſe ab omnibus alienis à Deo ſubtrahat, vt ſoli Deo communicet. Alioquin ſi non hoc ſacrificium per membra diſpeſcat; anima ex Miſſa vt longiore, facilè concipiet tædium, quo ad Sacra impiè nauſeabit.

Miſſæ partes omnes attendendæ.

Quintò ait Elias: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Nota hîc celebre myſterium. Elias alia præfata ſolus egit, id eſt ſolus altare compoſuit, ligna aptauit, foſſis hiantibus, & bouem ſine vllius ſuffragio per membra valuit diſcerpere; ſed vbi deuentum eſt ad effuſionem aquæ, vt impos, aliorum mendicauit opem, tum ad hauſtum, tum ad libamen. Pando ego cœleſte arcanum. Etſi reuerà multum ſit aram diſponere, cor aptando Deo; foſſas aperire, ſeſe deprimendo; componere ligna, meditando crucem; licet adhuc ſit aliæ ſcientiæ bouem per membra diuidere, diſtinguendo ſigillatim partes ſacrificij incruenti, vt poſſint ſingulis quibuſque partibus Miſſæ congruere actus pietatis, eliciendi ab eo qui vult ſine diſpendio gratiæ adſtare ſacris: hæc omnia minuta ſunt, cum hoc quinto myſterio comparata. Siquidem aquæ effuſio multiplicem petit opem: Ea autem effuſio notat lachrymarum imbrem, cuius aſpergine madere debent ſacra fidelium: ait Elias. *Implete quatuor hydrias aqua.* Quaſi diceret: illa quatuor myſteria iam peracta, quatuor hydriæ ſunt, ſed arentes; aquam infundite, Spiritus Domini ſuper aquas: in phyſicis quidem non coëunt ignis & aqua; ſed in moralibus res ſuot minimè diſſitæ, ignis & aqua; amor ſcilicet & lachrymæ: ſed quia res eſt operoſa valde; veſtram, ô ſocij & ſymmyſtæ, pero manum. Ita & tu reclama cœlites omnes, ad quos etiam pertinet iſtud ſacrificium, vt opitulentur tibi in compunctione acquirenda, & vbertim lachrymis effuodendis, quibus arentibus, deperit Sacris ſuus omnis decor, quo fletibus irrigata virent; vt ante me ſenſit Sanctus Gregorius. *Holocauſtum ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt; holocauſtum pingue eſt, quando hoc quod benè agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* Ne igitur ſit ingratum tuum ſacrum, id eſt, vt tu ipſe qui Deo Chriſto oblato ſociaris, minimè Deo diſpliceas; imple hydrias quatuor aqua, quatuor prima puncta huius figuræ lachrymis aſpergendo. Et quia nihil citius areſcit lachrymâ; ſubiicio tibi ſpeculationem Bernardi, quàm ſi habes ad manum, iturus ad ſacroſancta Myſteria, proculdubio alluent te imbres copioſi lachrymarum. Audi igitur ſanctum hooc agentem vices peccatoris: *Cogitantem quòd patrem offenderim, eſt certè quod pudeat, etſi non quod terreat, voluntariè genuit me verbo veritatis, deinde etiam non pepercit vnigenito, pro ſic genito; ita ipſe quidem patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego me viciſſim illi filium: quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni malus filius, pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto patre vixiſſe degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confuſio faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat, occupetque caligo, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Phoh dolor! quem fructum habui, in quibus nunc erubeſco. Si in carne ſeminaui, de carne non metam niſi corruptionem, ſi in mundo, & ipſe tranſit, & concupiſcentia eius: quid? caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors eſt. Infelix, & inſanus præferre non erubui æternis Patris amori & honori: confundor, confundor audire, ſi ego pater, vbi eſt honor meus? ſed etſi pater non eſſet obrueret, me beneficiis, ingratitudinis pudet, quamquam ad confuſionis cumulum arguar etiam reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione:* Hæc ille. Et equidem credo, eum hominem qui hæc mente ſedula verſabit, illico lachrymis immergendum, quibus & amoris igni ineſt ſocietas indiuidua, vt myſticè præoſtendit Deus Eliæ, dum ſacrificium eius aqua conſperſum flamma cœlica deuorauit. Quemadmodum enim aqua ſuperfuſa accendit calcem, ſiue lapides quos fornax antea depaſta eſt; ita lachrymæ fuſæ ob

S. Greg. in Pſalm. 20.

S. Bernard. ſerm. 16. in Cant.

paſſio

paſſionem Chriſti, qui eſt Petra amore decocta, animam defixam in hoc Chriſti agone, excitant ad amorem Dei, qui eam deinceps decoquit æſtuaotem. Hinc eſt quòd Elias poſt defoſſam humum, & ligna compoſita, fudit aquam, vt poſtea ſacra conflagrarent. Idemque cauetur Iure Canooico, quo vrgemur ad paſſionem Chriſti recolendam, quæ noo lachrymas rantùm ciere potens eſt, ſed & amorem accendere: ecce Canon. *Cùm ergo anima fidem habet dictis his, & conſiderat gloriæ ipſius magnificentiam, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus ac talis obediens fuit patri vſque ad mortem, pro noſtra vita; puto quia prouocari poſſit ad affectum, & dilectionem ipſius, & Dei Patris, qui vnico filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: talem ergo affectum, & fidem præparare debet in animo ſuo is qui panem & calicem Domini percipit.* Canoo iſte à Gratiano decerptus eſt ex Baſilio, qoi hæc dixit in nctaua Synodo; & proculdubio ea fuit praxis ſancti huius, dum ſacris adſtaret altaribus.

Ex Ivre Canonico.

Can. Timorè docet nos de conſecrat. diſtinct. 2. S. Baſilius Can. 70. octaua ſynodi. Can. ſedulo. diſt 38. S. Aug. l. de catechiſand. rudibus c. 9. 3. Reg. 18.

Sextò demum Elias feruida oratione quatiens cœlos, veluti alter Prometheus, inde ignem elicuit idoneum ſacrificio depaſcendo: noo longam texuit orationem ille Vates, inſinuans nos noo exaudiri in multiloquio, ſed breuiloquio cordis, vt Canon iſte inſtruit neophytos ex Auguſtino. *Nouerint non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum.* Quippe ex eodem Auguſtino, oratio eſt petitio, ſeu pius mentis affectus directus in Deum, & plerumque ne pigtiretur in vocem protompens, & ne irritas eſſe putares orationes, & inania vota ſanctorum, cœlum ignes euomuit quibus holocauſtum omoino deperiit. *Quod cùm vidiſſet populus omnis cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus.* Ita & is qui interfuit Sacro, & qui ſe Deo ſacrum

Chryſoſt. homil. 61.

fecit, totus ignitus apparet aliis, iuxta illud Chryſoſtom. *Recedamus ab hac menſa facti diabolo terribiles, tanquam leones ignem ſpirantes.* Omnéſque ſui ſpectatores excitat ad Deum lau-

Luc. 12.

dandum, iuxta Domini Ieſu proloquium. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Vbi enim quis fratrem ſuum videt exeuntem ex Miſſæ ſacrificio ſcintillare; io Dei laudes effunditur, & vſurpat illud Daui-

Pſalm. 117.

dicum. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.*

Sed quia amor non eſt otioſus, nec ſcit flamma quieſcere, quærens ſemper quod vſquequaque depaſcat; audi quid fecerit Elias poſt ignem

Quiſnam ſit fructus ex ſacrificio ſacroſancto emergens.

deſuper illapſum. Sic ait: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis, quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi.* O beatam cataſtrophen! qua anima amori viuere incipiens, moritur vitiis; & virtutum exortus, fit internecio peccatorum; ſiquidem anima quam decoxit amor, ſic ſuas omnes potentias vrget. Apprehendite Prophetas Baal, id eſt eliminate ea omnia, quæ hactenus fuere Diabolis obſequuta. Oculi, cauete à turpibus aſpectibus; aures, claudite patulas fores omnigeno effato inaoi; omnia mea denique, quod Dei noo eſt, quodque Deus non eſt, protinus abdicate. Benè.

Missa virtvte prævalet, si homo præmissa pietate calet.

Parænesis ad sacroſancta myſteria Miſſæ deuotè frequentanda.

NEmo oiſi ioſanus inficiatur fuiſſe adumbrata rudimenta Eccleſiæ à mundi incunabulis, & potiſſimum ea enitere in eis, quæ à rerum moderatore Deo factitata eſſe, ſcripturæ ſanctioris exquiſita narratione recenſentur: & ne longior erret oratio, expendamus locum iſtum Geneſeos. *Fluuius egrediebatur de loco*

Geneſ. 2.

voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phiſon, ipſe eſt qui circumit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt, ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus; & nomen fluuij ſecundi Gehon, ipſe eſt qui circumit omnem terram Æthiopiæ; nomen verò fluminis tertij Tigris, ipſe vadit contra Aſſyrios; fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates. Fluuius ille

Pſalm. 45.

Ex Theologia:

S Thom. 3 p. q. 6. art. 3.

egreſſus de loco voluptatis, eſt Dominus Ieſus. qui vt Verbum Dei, egreſſus eſt ab æterno de ſinu Patris, vt beatas mentes in æternum allueret eo flumine, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, vt Pſaltes canit; adiiciens, ſuperos potari torrente voluptatis. Vt homo factus, egreſſus eſt Ieſus de vtero Matris; hæc autem ſancta & illibata parens extitit reuera locus Angelicæ voluptatis: de Maria igitur Ieſus egreſſus eſt, vt Eccleſiæ ſuæ paradiſum irrigaret. Eſt autem Chriſtus fons, ſeu fluuius inundans omnem Eccleſiam, quæ cœpit ab Adamo: nemini quippe etiam nedum edito Chriſto, gratia data eſt niſi in fide Domini Ieſu, tale enim fuit ab æterno propoſitum Dei, vt credentibus fidem impertiret, vt ait Paulus. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam ſecundum propoſitum Dei.* Sicut autem oos credimus in ipſum, vt iam oatum; ita & priſcæ legis fideles animæ in Chriſtum crediderunt, vt in oaſciturum, eáque fide gratiam ſunt

Rom. 3.

adepti, vt inquit Apoſtolus. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* Sed nota Theologicam diſtinctionem Angelici doctoris: Chriſtus ante incarnationem erat caput Eccleſiæ ſecundùm humanitatem per operationem hominum in eum in quem credebant aliquando naſciturum, hæc autem humanitas ooo agebat in homines, vtpote non edita, etſi Chriſtus ſecundùm diuinitatem ageret ante ſuum exortum in humanis. Aſt editus ex Virgine, fuit caput Eccleſiæ per operationem hominum in eum, & per operationem propriam totam Eccleſiam gratia vberiore recreantem. Et ſicuti Nilus fluuius Ægypti ſuas diffundit aquas in ſeptem alueos diſſitas & diſcretas, vnde illud

Iuuenalis.

Poetæ. *Septemplicis oſtia Nili.* Ita Gratia Dei habet ſeptem ſacramenta, vt caoales quibus effunditur & alluit totam Eccleſiam: ſed quia omnia ſacramenta noo ſunt neceſſaria ſingulis indiuiduis hominum, vt videre eſt in ſacramentis Matrimonij, & Ordinis: hiſtoria ſacra fluuium paradiſi diſpeſcit in quatuor capita tantùm, quæ

adeò neceſſaria ſunt, vt illis arentibus marcida foret Eccleſia, quæ ſtat potiſſimum iſtis quatuor. Sacrificio, baptiſmo, pœnitentia, Euchariſtia, vt alueis gratiæ, & Religionis incrementis. Primus fluuius eſt Phiſon qui circumit omnem terram, vbi naſcitur aurum, & irradiant gemmæ; fluuius iſte Euchariſtiam notat, quæ non pertinet ad Æthiopes animas, ſcilicet pullo colore nigricantes. Hæc enim vt eſt ſacramentum, reponitur tantùm in theca gemmis autóque rutilante, nec alias poteſt circumire animas fluuius ille dictus פִּישׁוֹן à radice פּוּשׁ puſch, quæ idem eſt ac abundare & multiplicare. Fideles enim hoc ſacramento paſti, gratiæ gazis abundant, & diteſcunt, iuxta illud Pſalm. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt.* Etenim illud ſacramentum eſt fructus frumenti & vini, vtriuſque conſecrati, quibus oleum dicitur etiam ſociari, quia gratia oleo denotata, comes eſt indiuidua ſacramenti.

Pſalm. 4.

Secundus fluuius dicitur Hebraicè *Gichon*, גִּיחוֹן à radice *guach*, גּוּחַ id eſt eduxit, prodire fecit: fluuius ille, eſt pœnitentiæ ſacramentum, quod animas Æthiopes tergit, & dealbat; & aptè fluuius ille dicitur Gihon id eſt eductor, quia confeſſio prodit & educit peccatum, quod obſcura ſilentij fornix occultabat.

Tertius eſt Tigris vadens contra Aſſyrios, & hic eſt baptiſmus, qui animas quærit infideles, & vt tigris animal eſt velox, ita citiſſimè animas iuſtificat aqua baptiſmali.

Quartus fluuius, quem nos Euphratem dicimus, Hebræa nuncupant *perach* פְּרָת id eſt fructuoſum ſeu fœtificantem à radice *parah* פָּרָה fœtificauit, & hic reuera fluuius egregiè ſacrificium Miſſæ delineat: eſt enim Miſſa velut alma parens, multis grauida myſteriis, imò & omnibus fœta ſacramentis.

Miſſa impetratoria.

Atque adeò benè figurata fluuio, cuius nomen primitiuum, id eſt Hebræum, idem eſt ac fœtificare. Nam etſi Miſſa non ſit ſacramentum: aliquo tamen modo parit omnia ſacramenta, quia explicitè ſacerdos in oblatione calicis meminit ſalutis totius gentis humanæ: ſic enim ille Dei miniſter compellat Deum Patrem in altari. *Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam, vt in conſpectu tuæ diuinæ maieſtatis, pro noſtra, & totius mundi ſalute, cum odore ſuauitatis aſcendat.* Cùm ergo ſacrificium illud ſit impetratorium ſalutis, quæ mediis ſacramentis acquiritur; nonne & dici poteſt, ſacramenta, aut ſaltem bonum vſum cuiuſcumque ſacramenti parturire: Quippe Miſſa oblata pro fœmina prægnante facit vt fœtus edatur ſoſpes & incolumis, ſacris alluendus aquis baptiſmi. Denuo repetitum pro puerulo ægrotante, fit infantulus ille rediuiuus, vitámque agit ad tempus congruum ſacramento confirmationis. Calente ætate libidine æſtuat adoleſcens: & vt nimius æſtus inurit nigredinem, ita & ardor ille Venereus animam denigrat iuuenis huiuſce conflagrantis. Parentes anxij de meliore fruge filij ſui, curant fieri Sacra, vt retrocedat à præcipiti lapſu: annuit Deus, & virtute ſacrificij reuocat hominem inolitum vitiis, qui exoſus retroactam vitam, confitetur, & ſic fit conſcius pœnitentiæ ſacramenti. Ne autem redeat ad vomitum neophytus ille, parentes eum ſollicitant de vxore ducenda: conſulitur Deus facto Sacro, vt fauſtis auibus ineatur ſacramentum matrimonij: adeſt Deus propitius, & ſic Miſſa iſtud enixa eſt ſacramentum, in eo quod factum eſt, vt ſanctè nupſerit homo, qui antea vaga Venere laſciuire erat aſſuetus. Sed deſponſata mortua vxore, vir pertæſus iura matrimonij, cælibem ſtatum cogitat, Deum orat, & facit vt oretur, oblato Miſſæ ſacto, eo intento vt inſpiret nouum ritum. Deo etiam beneuolo, in animum inducit, abdicato ſæculo, ſacris initiari ordinibus; accingit ſe itaque ad hoc ſacramentum, & id beneficio Miſſæ. Denique in extremis poſitus, Miſſæ ſuffragio, quam ſategit ſæpius iterari, Viatico & extrema vnctione procuratur, ſicque vt eodem ſacrificio Miſſæ Deum percellente, & ab eo impetrante plura chariſmata, idem homo dignetur omnibus Sacramentis. Vide igitur quàm benè iſtud ſacrificium Euphrati fluuio comparetur, qui cum Hebraicè ſonet idem ac fœcundare, omnimodè congruit Miſſæ, cuius ſuffragio poteſt idem homo omnibus ſacramentis piè fœcundari.

Miſſa ad omnia bona eſt idonea.

Igitur optimè ſibi conſuluut illi, qui pio animo affecti ſunt in ſacrificium Miſſæ, ex cuius deuotione Theologi ſalutem hominis augurantur. Eo enim myſterio Deus omnibus hominibus adeſt; piis per gratiæ augmentum; impiis per iniqui animi decrementum: nec alio ritu queunt amplius animum ſuum prodere obſequentem Deo homines virtute inſignes, quàm ſi frequentes ſacris interſint. Etenim ſacrificium εὐχαριστικὸν, ad gratias agendas idoneum; λατρευτικὸν, ad cultum exhibendum Deo; κα[illegible]τικὸν, ad Deum oratione demerendum pro quauis neceſſitate ingruente; & demum eſt καθαρτικὸν, Deum omnibus noxiis propitiando, & validè demulcendo. Ideoque Reges Deo ſummè debitores, neſciere ſuum regium animum alienum ab ingratitudine, alia ratione quàm ſacrificio proteſtari, vt videre eſt hiſtorias omnium nationum ſedulò recenſenti. Nihilque adeò Deus exigit à Regibus ac animum propenſum in ſua ſacra. Ideóque voluit præpotens ille rerum Dominus coronari menſam, in qua reponebantur panes propoſitionis, vt hac vnione Menſæ & Coronæ Reges edoceret pietatem in Myſteria Sacroſancta. Literæ ſanctiores, præcipuas gentes etiam exoticas teſtantur magni feciſſe ſacra Iudæorum, quibus ipſi etiam Reges infideles voluere ſibi Deum facere propitium: nam de Regibus Hebræis eodem Codice ſacro conſtat, eò fuiſſe propenſiores in ſacrificia, quò etiam fuere ſanctiores. Primus obuius eſt Melchiſedech, qui Regiis inſulis voluit etiam adiicere decus inſigne ſacerdotis. Dauid frequens in ſacris, frequentiam gratiæ Dei apud ſe ſæpe præoſtendit. Salomon cùm Deo plenus extitit, templum Deo ſacris impleuit; & cùm à Deo defecit, à templo etiam Domini deuiauit: & vt Reges à ſacris non abeſſent, tranſitus erat eis à Palatio in templum, oſtiolo ſoli Regi peruio, quod claue aurea reſeratum, illico claudebatur. Et hanc auream clauem per manus tradidere Reges Ieruſalem ſuis ſequacibus, ſicut & Romani Imperatores ſuis hæredibus relinquebant fortunæ aureum & vt putabant non inane ſimulachrum. Vnde Ezechias audiens à Propheta Iſaia, vitæ vltimum inſtare diem; immemor regni, vertit ſe ad parietem, cuius compages eum à templo Domini diſpeſcebat: vt qui ſacris adeſſe non poterat totus; illuc ſaltem mente tenus impiger

Ex Historia:

S. Hieron. in Iſaiæ c. 38. agit de hac proximitate palatij regij & templi Dei.

aduo

aduolaret. Fleuit vbertim Rex ille pius, hoc libamine ſacturus Deo ſuo ſacra, quandoquidem morbus eum fecerat ad alia ſacrificia penitus impotentem; tantúmque valuit illa lachrymarum libatio, vt fuerit eius à morte imminente liberatio. Rex Ioſias exoſus impium cultum idolorum, cui ſe fecerant obnoxios priſci Reges, ſacra Dei reſtituit, vt teſſeras indubias ſuæ omnimodæ ſanctitatis. Sileo Iudam, illum Machabæum, qui egregia ſua facinora debuit ſacris, quorum fuit maximè ſollicitus, non pro ſe tantùm, ſed & etiam pro defunctis. Non demiror

2. Mach. 3.

homines initiatos ſacris ritibus, benè affectos fuiſſe in ſacrificia exhibita Deo præpollenti aliis omnibus Diis, quos ethnica caligo ſibi finxerat adorandos. Sed ſtupeo duos in religione Regum gentilium, qui fuere ſuis Diis iniurij, vt verum Dei cultum ſacrificio ei exhibito propagarent.

1. Eſdr. 1.
Cyrus benè affectus erga ſacra.

Primus occurrit Regum omnium illius æui potentiſſimus Cyrus rex Perſarum, & ille Gentilis, de quo ſic Codex ſacer. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per ſcripturam dicens: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius, ſit Dominus illius cum ipſo, aſcendat in Ieruſalem quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſraël.* Imò & hoc adiecit in eo diplomate, quod inuentum eſt ſub Dario Rege, qui & illud voluit eſſe ratum & fixum, ſua etiam regia ſanctione. En tenorem ſcripti

1. Eſdr. 6.

luculenti. *De arca Regis, id eſt de tributis quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſè ſumptus dentur viris illis, ne impediatur opus: quòd ſi neceſſe fuerit vitulos, & agnos, & hœdos in holocauſtum Dei cœli, frumentum, ſal, vinum, & oleum, ſecundum ritum ſacerdotum qui ſunt in Ieruſalem; detur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia, & offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius: à me ergo poſitum eſt decretum, vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo eius, & erigatur, & configatur in eo; domus autem eius publicetur, Deus autem qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnia regna, & populum qui extenderit manum ſuam vt repugnet, & diſſipet domum illius quæ eſt in Ieruſalem. Ego Darius ſtatui decretum quod ſtudioſè impleri volo.* O hominem etſi idolatram, hæreticos huius æui pietate ſuperantem! qui ſolo æquantes templa Dei, voluerunt ipſius eliminare Sacra; ſed eos perculit illa ſententia Cyri in homines ſacrilegos, quorum voluit corpora pendere de ligno inglorio, & domos eorum in mulctam deliquij publicari. Huius impietatis antidotum ſuſcitauit Deus Regem Ludouicum, qui Rupellam, in quam ſeſe receperat multa colluuies impiorum hominum, non modò publicauit, ſed & fecit exemplum publicum illatæ cœlitus vltionis.

Ne te prætereant verba quæ ſacer auctor præfixit Hiſtoriæ Cyri: illis enim innuitur peculiare donum Dei, Sic ſcriba Sanctus. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Regis.* Quaſi diceret, vir-

1. Eſdr. 1.

tutes alias fieri poſſe vernaculas homine enitente; ſed animum in ſacra Dei propenſiorem non eſſe rem humani conaminis, ſed Dei ſuſcitantis. Cyro, & Dario ſe etiam adiunxit Artaxerxes, Iudæorum ſacris & ipſe propitius. Imò & omnium hominum ſceleſtiſſimus Antiochus, qui non in ſacra tantùm, ſed & in Deum ipſum inſurrexit. Vbi vindicem Dei manum expertus eſt, vouit ſe ſacra præſtiturum Hebræis, & ſe fore etiam eiuſdem cum eis ritus, ſi foret ei Deus propitius. Nonne & Romani cum Machabæis fœdere inito ſacrificij eorum fuere participes, ſicut & Spartani populi Græciæ præpotentes. Sed meo iudicio vt cæteris inſignior Alexander, qui mente conceperat edomandum Marte proprio orbem vniuerſum: is inquam vt armis illuſtrior, cùm in Iudæam deueniſſet, obuium habens ſummum Pontificem Hebræorum, procidit ad pedes eius, non hominem illum eſſe, ſed Indigetem arbitratus, multóque honore dignatus ſacerdotem demum orauit, vt memor eſſet ipſius in ſacris. Ita Ioſephus.

Ioſeph. l. 11. Antiquitatum c. 8.

Me charta deficeret, ſi recenſere vellem Regum Gentilium pietatem in ſua ſacra, quibus, etſi peccarent in facto, non peccabant in radice ſeu primo ſuo intento, quo Deum honorare ſatagebant; ſed quia illius Dei omnino neſcij erant, omnia eorum ſacra vt impia reprobantur. Xenophon totus eſt in laudando Cyro Rege Perſa, quia & ipſe totus erat in ſacrificiis exhibendis. Ipſe Alexander adeò erat addictus ſuis ſacris, vt larga manu adoleret incenſum: vnde & eum Leonidas prodigi animi inſimulans obiurgauit; cui Rex obiecit damnandam vbique auaritiam, ſed potiſſimum in diuinis. Numa Pompilius Rex Romanorum, nonne edocto ritu ſacrificiorum, Romæ ſibi gloriam peperit immortalem? Sylla & Iulius Cæſar, bello clari, adeò fuerunt ſacris impliciti, vt ambierint etiam ſummi fieri ſacerdotes; quam dignitatem Cæſar ad alios poſteros Imperatores tranſmiſit, qui ſe ſemper ſummos ſacerdotes ſuis titulis inſcripſerunt, donec Imperio deuoluto ad homines Chriſtianos, illi ceſſerunt hoc inſigne nomen Epiſcopo Romanorum, qui & ſummus Pontifex ſolus proprie nuncupatur.

Ex Histo-ria pro-pana.
Xenophon lib. Cyropædia.
Plutarchus in vita Alexand.
Idem in vita Numæ & Syllæ, & Suetonius in Iulio Cæſare.

Et rem adeò indiuiduam eſſe cenſuit Roma Gentilis ſummum Pontificatum & Imperium; vt ne ab Imperio exciderent etiam omnes Chriſtiani Imperatores tenuerint nomen ſummi Pontificis, illæſo tamen iure Papæ. Eamobrem cùm Gratianus Imperator abhorreret à titulo ſummi Pontificis, vt indebito ſibi, abdicauit illud inſigne nomen Pontificis Maximi, quod alij Chriſtiani Imperatores vſurparant, traditum vnà cum infulis Imperij; vt vel hinc reuerentiam conciliarent Imperio, poteſtate tamen Romani Pontificis illibata. Itaque gentiles malè affecti in Gratianum quod exuiſſet nomen Pontificis Maximi, cogitauerunt euehere ad ſolium Imperij, Maximum, hominem perduellem & Tyrannum: ideóque alluſione facta ad nomen Maximi, arguto hoc Gratianum ſcommate ferierunt. Si Princeps non vult appellari Pontifex Maximus, admodum breui, Maximus, Pontifex fiet; id eſt, Tyrannus nomine Maximus, fiet Imperator & Pontifex, nam gens illa neſcia Chriſtiani ritus indiuiduo nexu ſacra ſua Imperio ſociarat. Vbi fides Chriſtiana deterſit caliginem quæ ſeſe offuderat orbe toto, vigente cultu idolorum, Principes Chriſtiani potiſſimum propenſi in ſacrificium Miſſæ referuntur. Euſebio teſte Conſtantinus Imperator, diebus profeſtis in palatio nemine conſcio vacabat orationi ſed diebus Dominicis palàm in Eccleſiis, adſtans Sacris omnium pietatem excitabat.

Histo-ria Im-perialis
Imperatores dicti Pontifices Maximi.
Zozimus lib. 4.
Euſebius. Cæſarienſis in vita Conſtant.
Procopius lib. de ædificiis Iuſtiniani.

Cedrenus in Annal. in Iuſtiniano.

excitabat. Quid de Iuſtiniano Imperatore, & Carolo Magno etiam Imperatore & Rege Gallo;ſi tacuero eorum affectum in Miſſæ tremenda Myſteria, lapides ipſi reclamabunt. Adeo enim multas Eccleſias erexit Imperator Iuſtinianus,vt Procopius librum texuerit, de ædificiis ab eo ſtructis; & Cedrenus ait ipſum, vbi renuntiatus eſt Imperator, dediſſe omnia ſua Eccleſiis,quibus tantum detulit ob reuerentiam ſacrificij,vt vbi Sacra fuerint illic ſacta,iam dominus loci cedat domioio, dicaturque oullius eſſe,id quod ſemel ſacrum effectum eſt.

EX IVRE CIVILI: *Lege nullius de rerum diuiſione. L. ſacra res eodem titulo.*

Ecce leges à Iuſtiniano ſancitas. *Nullius autem ſunt res ſacra, & religioſa, & Sancta; quod enim diuini iuris eſt,id nullius in bonis eſt.* Eadémque lege vetat alienari loca illa, quæ etiam vult remanere ſacra,etiam diruto ædificio, vt habet hic textus. *Locus autem in quo ades ſacra ſunt ædificata,etiam diruto ædificio ſacer adhuc manet.*

EX IVRE CANONICO: *Canon. Omnes de conſecrat. diſt. 2. Can. Baſilicas de conſecrat. diſt. 1. Can. Cognum ibidem. Can. Solemnitates ibid. m.*

Tantáque reuerentia locis illis ſacris non alia ratione inſita eſt,niſi ob ſacrificium Miſſæ, ſine quo res eſt minimè conſecranda, ex Iure Canonico: cuios ecce Canon. *Omnes Baſilicæ cum Miſſa debent ſemper conſecrari.* Nota,Eccleſias dici domus regias ſiue Baſilicas;quia oihil æquè regium Reges agunt,quàm adſtantes Sacris,quæ fiunt in hoc ſacro palatio. Et vt amplior eſſet Religio,priſcis Eccleſiæ temporibus, non poterat Eccleſia conſecrari, quæ inſcio ſuiomo Pontifice fuerat extructa, vt Iure liquet, cuius ecce ſanctionem. *Baſilicas nouiter inſtitutas,non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant nec ambiant Epiſcopi.* Quòd ſi ſecus faxit Epiſcopus, Canones vetaot eò duci publicas proceſſiones, in mulctam ſpretæ legis. *Certum eſt quidem, & noſtris præceptionibus conſtitutum, ne quis in Eccleſia,aut in oratorio, quod ſedis noſtræ non legitur permiſſione dedicatum, proceſſionem publicam putaret impendi.* Rorſus in honorem Miſſæ celebratæ, & celebrandæ in Eccleſia conſecrata, ſanxere Pontifices, Eccleſiæ conſecrationem quotannis eſſe celebri ritu recolendam: en decretum. *Solennitates dedicationum Eccleſiarum, per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ.* Demum ne ſit iniurius ſacrificio Miſſæ ſacerdos,cenſetur indignus miniſterio, ſi alibi celebret ſacra myſteria,quàm in loco, præfato ritu conſecrato,vt cauetur hoc ſtatuto. *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe ſacerdotij.*

Can. Nullus ibidem.

Hoc autem apparatu Apoſtoli & ſummi Pontifices accinxerunt ſe ad obeunda Sacra,vt ootarent, quò quis eminet dignitate, eò etiam propenſiorem eſſe in hoc ſacrificium adorandum.

EX HISTORIA. *Dupleix in Pepino, Carolo magno & Ludouico Pio.*

Et hoc fit palam ex Hiſtoria Regum orbis vniuerſi Chriſtiani, in qua recenſenda ne nimius ſim,ſatis erit aliqua exempla receoſere. Primi occurrunt Reges ſecundæ proſapiæ Regum Galliæ, qui ortum ducunt à Carolo Martello. In his tres primi Pepinus, Carolus Magnus,& Ludouicus Pius,ea fuerunt pietate inſigues;vt dum ioſtarent dies ſolennes, expedirent ſe à tumultu, quem curialium turba excitat,& in caſtella ſecederent,acturi priuatam vitam, ſolis intenti Sacris, vt fidem facit hiſtoria, qua etiam conſtat Carolum Magnum tot erexiſſe Eccleſias, vt nemo eas numerare queat; & ne inanes eſſent illæ domus ſacræ, Rex ille pius multis opibus auxit eas Eccleſias, vt illic crebrò fierent ſacra,vt Galliæ & Germaniæ clamant multiplices Eccleſiæ.

Imperatores quomodo agebant dies feſtos.

Idemque ipſe Carolus ſuæ pietatis in Miſſam hoc egregium ſpecimeo edidit. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis intererat ſacrificio Miſſæ, quod alius ſacerdos faciebat; eum iubet aduocari Carolus, vt cuius conſilio opus eſſet io vrgente negotio; renuit Epiſcopus relinquere ſacra incompleta. Deinò Imperator alios emittit viros vtique oobiles, qui Ludgerum cogant vel inuitum coouenire Principem. Aſt ille: Dicite Imperatori,me dum adſto Sacris, præſtare obſequium Regi Regum terræ,cuius negotia debent omnibus quibuſque negotiis Imperij præualere. Hoc audito Carolus laudanit Ludgeri animum, ſeque excitauit ad amplius ſacra illa myſteria venerandum.

Ex actis S. Ludgeri Epiſcopi.

Ludgeri Epiſcopi pietas erga Sacra.

Diceres ad Galliæ Reges tranſmiſſam eſſe pietatem in Miſſam, cum Chriſtianiſſimo Regno, de quo nec cogitare quidem volebat in Miſſa Rex Ludouicus nonus, & is Sanctus beneficio Miſſæ, cuius tempore nefas erat ad Regem accedere,cuiuſque rei cauſa pertractandæ,vt ſupra præfatus ſum. Illi ſuppar fuit alius Rex Angliæ Henricus III. qui tres quotidie Miſſas intentè audiebat;cui cùm Rex Gallus obiecisſet,bonum eſſe vt à Miſſa diuerteret ad audiendas conciones, quibus anima etiam vt verbo Dei ſaginatur;dedit Anglus hoc reſponſum reuerà regium: Malo,inquit,videre amicum meum,quàm audire alios de meo amico colloquentes: video Deum in Miſſa,& audio in concione,de eo texi ſermonem; ideò præſtat intereſſe ſacris, quàm adeſſe concioni. O Anglia ſi quid regium ſaperes,cum hoc Rege in Miſſa etiam ſaperes.

Andreas du Cheſne in Hiſtor. Angl. ſub an 1273.

Carolus quintus inſigne decus Hiſpaniæ, abdicauit Imperium,vt expeditius vacaret audiendæ Miſſæ,cuius ſuffragio effectum eſt, vt in extremo agone oblato ei viatico, Deus ſe ita præſentem exbibuerit, vt vix aliàs quiſquam ampliora ſpecimina pietatis ediderit.

Hiſt. Imperij. Ex vita Caroli quinti ſub an. 1559.

Mihi credo inſultarent Galli, ſi Regis Ludouici, quem ſoſpitem diu Deus babeat, animum ſilentio præterirem,quo audiente ſacra illa myſteria, omnes qui illic adſtant ad pietatem in Miſſam exemplo regio percellontur. Vt dies diei eructat verbum, ita & Ludouicus alium regem obiicit mihi,ſcilicet Alphonſum Siciliæ Regem, qui etſi Gallis fuerit iniquior, nolo remorari laudes quas exigit pietas illius in Miſſam, cuius ope fuit vſquequaque illuſtris:nunquam imparatus adſtitit ſacro illi Myſterio; ſed quotidie primo diluculo ingrediens priuatum ſacellum, multiplici prece animum ſuum colligebat, vt ſpeculandis Miſſæ myſteriis eſſet alacrior. Hoc præuio apparatu pergebat Rex ad Eccleſiam,vbi ſacrificio incruento ſua pronus pendebat obſequia, vt vadem ſe oculatum præbuit Panormita domeſticus huius Regis.

Ludouici Regis Chriſtianiſſimi pietas in Miſſam.

Reges multi benè affecti erga Miſſam.

Rurſus Canonici omnes inſtitutionis Regiæ orbe toto diffuſi, cùm vacant diuinæ laudi in choro, laudant implicitè pietatem eorum Regum, qui ſibi & poſteris ſuis prouiderunt, has inſtituentes Collegiales Eccleſias, vt offerrent quotidiana Sacra pro viuis & defunctis,vt videre eſt ex chartis inſtitutionis: hæc enim regia diplomata clamant regiam pietatem eodem tono, quo & in choro ſonant & reſonant diuinæ laudes. Nec ſolus Carolus Magnus hac deuotione conſpicuus extitit; ſed & illi coæuus Rex Angliæ Ethelſolfus ſanxit, anno 844. in perpetuum ſacerdotes Angli feriâ quartâ Sacra facerent

Raiaulfus lib 5. c 30 in Polychron.

Mariana lib. 18. Hiſtor. Hiſpaniæ.

rent pro defunctis. Idem & Ioannes Rex Aragonum cauit, vt quotannis plures Miſſæ agerentur pro eis, qui ſub eo militantes ceſſerant fatis.

Ex præfatis conſtat, Miſſam ſpirare quid regium, quo perculſi Reges piè afficiuntur in hæc myſteria, & neſcio an eò reſpexerit Apoſtolus ſic affatus ſacerdotes. *Vos gens Sancta, regale ſacerdotium.* Quaſi diceret: Miſſæ ſacrum non eatenus modò regale eſt, quia figuratum eſt à Rege Melchiſedech; ſed quia eſt ſacrificium cui præſtò debent adeſſe Reges. Nabuchodonozor oolebat ſuis adſtare menſis, niſi pueros de ſemine regio; ita & ſacra Menſa Chriſti animas tantùm repoſcit reuera regias: quòd ſi deeſt corpus tibi regij ſtemmatis, ô homo Chriſtiane, hoc memorare effatom. *Seruire Deo regnare eſt*, & freqoentare non pigeat ſacra myſteria, quæ etiam regios Regum animos eſſe probant, ſi Reges ipſi, illa hæc ſacrificia minimè dedignentur. Puto ego hominum iode indolem eſſe explorandato, an ſit pia vel impia, vt videlicet illi cenſeantur eſſe pij, qui freqoentes adſunt Sacris: alij verò ab Eccleſia extorres, qui ſunt à Sacris ſæpius alieni. Ita & aquila ſuos tentat pullos, an ſint adulterini fœtus: etenim Soli obiicit rutilanti recens editos, & attendit an eorum aduerſo Sole caliget acies; ſi non nutent oculi, pullos hoſce fouet vti legitimos: vnde extat Symbolum, quo pulli aquilæ ad Solem hoc titulo deſcribuntur. SVSTINVERE DIEM. Quaſi diceret hæc figura: Neſciſciteris, an iſti pulli ſint legitimi; hoc vno nobis conſtat genuina proles. SVSTINVERE DIEM. Ita & hodie teſſera indubia fidelium eſt Miſſa, in qua ſe explicat Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter: dum enim dubia eſt fides aliquorum; hoc vno argumento diluitur animus anceps. SVSTINVERE DIEM. Quid alia opus indagine, vt ſcias, an ſint pij & fideles hi qui quotidie Sacris interſunt? Si verò ſecus de aliis hoc iactetur. NON SVSTINERE DIEM, id eſt à Sacris abhorrent, ſuntque Miſſæ inioſi; nullo alio opus eſt ſcrutinio, quo homines ſacrilegos explicemus. Nam ſic planè Eccleſia inſert ſint oe ſui, an alterius gregis homines: nimirum Iure Canonico adſtrinxit fideles omnes ad audienda Sacra diebus quibuſdam aſſignatis. Ecce Canon. *Miſſas die Dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem ſacerdotis, egredi populus non præſumat; quòd ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Qua autem confuſione debeant notari homines parum ſolliciti de ſua ſalute & obſequio exhibendo Sacris, audi ex alio Canone. *Omnes fideles qui conueniunt in ſolennitatibus ſacris ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audiant: qui autem non perſeuerant in oratione, vſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiunt; velut inquietudines Eccleſiæ commouentes conuenit communione priuari.*

Daniel. 1.

EX SYMBOLIS. Aquilæ induſtria vt probet pullos.

EX IVRE CANONICO; *Can. Miſſas, de conſecrat. diſtinct. 2.*

Can. Omnes de conſecrat. diſt. 2.

EX PHILOSOPHIA.

Spurios autem eſſe homines qui Miſſam aueerſantur, nec eſſe omnino Chriſtianos, audi ex Philoſophiam ſectantibus. Sic illi. Operari ſequitur eſſe, & ſicut ſe res habet ad eſſe, ita & ſe habet ad operari; ſed eſſe Chriſtianum eſt eſſe filiale & obediens Eccleſiæ: ergo qui ooo obedit Eccleſiæ ooo habet eſſe Chriſtianum, atque adeò eſt degener, & adulterini fœtus; nam Eccleſia ſancieote vt Miſſæ interſint fideles, ille neſcius obedientiæ deoiat à ſtatuto: vnde non eſt quòd qois boni quidpiam expectet à talibos exereudum, iuxta Ariſtotelis axioma, ſcilicet. *Bonum ex integra cauſa.* At cauſa moralis boni alicuius petitur à multis circumſtantiis, quibus abſentibus cauſa non ſortitur bonos effectus, vtpote decurtata; at potiſſima circonſtantia bonæ actionis in genere morom eſt vt fiat in gratia, à qua tamen ex Canone ſacro excidunt illi qui declinant Sacra. Rurſus ex Philoſopho, *Ab inſufficiente cauſa nihil fit.* Cùm igitur tota noſtra ſufficieotia ſit à Deo, qui ſacrificio crucis dedit vnde vires ſufficerent nobis; ille qui hoc ſacrum refugit odiendo Miſſam, quæ eſt idem ſacrificium licet incruentum: ille, inquam, eſt refuga gratiæ. Rurſus ille non pleoè participat naturam rei, cuius eſt exoſus bonum conuenieos tali naturæ; at ex Philoſophia virtus eſt hominis naturæ ſummè conueniens: ergo virtutis oſor ooo plenè participat naturam hominis, quippe in eo deficit quod animus eius non inclinet ad virtutes, quarum cum potiſſima ſit Religio, vt quæ facit bonum hominem, quem Deo religat, & ſociat; ille planè beſtiam ſapit, cui eſt inſipida Religio, quæ cùm ſtare oequeat ſine ſacrificio, ille qui ad ſacrificia quæque nauſeat, eſt homo tantùm nomine tenus, vt qui deficiat in re maxima atque potiori. Ille autem quem Sacra delectant, totus teres eſt atque rotundus; ac proinde corona dignus, quæ ſua figura orbiculari notet animum teretem totum atque rotundum. Et hoc eſt quod ſum præfatus, ſcilicet animum qui inclinat ad ſacrificia, ſpiritus verſare regios, ſuæ ſalutis etiam omnibus ingerere maximum argumentum.

Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 6.

Ariſt. lib. 2. Phyſic.

Idipſum Mathematica ſubtili animaduerſione probat; ſcilicet aduertit iſta diſciplina cœlis intenta, vbi primom orta eſt conſtellatio quæ nuncupatur Ara, vt quæ depingitor inſtar Aræ io Sphæra ſeu globo cœleſtium imaginum: aduertit, inquam, Aram quidem ſurgere cum Sagittario, & Arâ ſic exortâ & quaſi aptatâ ad holocauſtum, igne deſoper emicante, ſtatim oriri Capricornum, qui eſt ſydus Imperatorum, vt dicunt Aſtrologi: nam occupat decimam domum qoæ eſt verticalis, atque adeò ſacra Regibus & Dynaſtis, quos ad honorum apicem euehit illud ſignum, ſi fuerit in horoſcopo propitium, vt nugantur Mathematici, aſſerentes multos Imperatores editos hoc ſydere. Vnde ſic arguo: Benè reuera erectâ Arâ ſtatim adeſt Capricornus regium ſydus, quia quicquid regium eſt, illud debet ſequi erectionem Aræ, & ante eam procidere. Videtur alluſiſſe ad illam Matheſim Ioannes Apoſtolus eximius & non nugax ſyderum inſpector, qui in Apocalypſi ſua ait vidiſſe aram ſeu thronum. Sic ille. *Ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens.* Diceres vidiſſe aram, cui incubat ignis, quippe Deus ignis conſumens, quid inde? audi ſequelam. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Vides regium apparatum ſequi aram; ne autem putes, fuiſſe inaoe ſimulachrum, Reges illi ante aram procidentes, hoc ſuo humili habitu, regiè omnino ſe geſſerunt, digni coronis quas Domini Dei io ara ſedentis obſequio manciparuot. Sic etenim Ioannes ſuum ſchema cœli piogit. *Quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas; in circuitu,*

EX MATHEMATICA. *Hipparchus lib. 3. enarrationum in Arati & Eudoxi Phænomena.*

Schonerus li. de iudiciis domorum cœli.

Apoc. 4.

Ibidem.

Ibidem.

&

& intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sāctus, Sanctus Sanctus, Dominus. Nónne quatuor illa animalia delineant quatuor Euangeliſtas, quorum ſcriptura ſacra teſtimonium locuples reddit ſacrificio Miſſæ, vbi explicitè triſagion decantatur, dum Præfationem Miſſæ ſacerdos ſic concludit, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pergit Ioannes. *Cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſecula ſeculorum, procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia.* Ita planè & Reges dum Sacris interſunt, nudo capite audiunt decantari in Miſſa Hymnos, & Pſalmos, Deum ſolum corona omnigena eſſe dignum, ſuo humili obſequio proteſtantes. Ex hac exquiſita anatome Ecſtaſis Apoſtoli liquidior apparet Hipparchi Aſtronomi ſpeculatio, dum Phœnomena cœleſtia congruunt etiam ſacris Myſteriis, quæ Ioanni Apoſtolo cœlitus obiecta ſunt, dum poſt aram erectam vidit ſydera regia quæ aram ſtipabant, & Deo aræ inſidenti ſua pendere obſequia. Pudeat igitur homunciones, vilia capita, filios terræ, dum adſtant Sacris, non attendere ad illa Myſteria; ſed etiam impios verſare cogitatus, & oculos impudicè rotare libidine ſcintillantes. Reges in cœlo ſuas demittunt coronas ad crepidinem aræ, effuſi in laudes diuinas; & nos heu humilia mancipia, triobolares homines, agazones, pudet genua flectere dum adſumus aræ, cui incubat Deus, factus holocauſtum pro terrarum orbe vniuerſo ſoſpitando. Cautiores facti in poſterum, ad Sacra alacriores accurramus, & eum Alexandri Magni animum induamus, qui rogatus, an in Olympia currendo ſui vellet experimentum facere, ait: Curram equidem & lubens, ſi dentur mihi Reges ſocij & æmuli concurrentes. O homo Chriſtiane, ex præfatis didiciſti, Imperatores & Reges addictiſſimos Sacris, imò & in cœlis deponi diademata ſecus aram, vt hoc apparatu dignius conueniatur ara; quid moraris, dum excitant te campanæ: claſſicum inſonat, vt milites Deo, iturus ad Sacra; quòd ſi pergas, memor eſto non ire modò renitente greſſu, ſed pernice aduola, vt qui habeas Reges eò concurrentes.

Ibidem.

Plutarch. in Alexandro.

Alexandri animus re-vera regius.

Hac pietate inſignis commendatur Ioannes Borgia, quo parente natus eſt Beatus ille Franciſcus Borgia Societatis IESV, vir emeritæ virtutis antesignanus. Is inquam Dux. Gandiæ, quocumque pergeret, ſiſtebat ad ſonitum campanulæ, & ſacerdoti ſe adiungebat baiulanti Sacra, indignum ratus non ſtipare Deum, cui decies centena millia beatorum ſpirituum obſequuntur.

P. Ribadeneyra in vita B. Franc. Borgia.

Ioânis Borgiæ mos Euchariſtiam comitandi.

EX RE MEDICA: Res medica fortè validius homines inducet ad ſacra frequentanda; quippe aiunt proceres huius viuificæ artis, vitæ munenta decurrere beneficio aëris ſalutaris: aër enim eſt pabulum ſpirituum, quibus corpora omnia vegetantur. Audiendus in hac ſubiecta materia Fernelius. Sic ille. *Offuſum nobis aërem ſanguine præditorum animantium natiuo calori, & ſpiritui, tum conueniens pabulum, tum refrigerationem præſtare, fumoſaque illius ſupernacanea excipere: his tribus ex cauſis eorum vita tuenda, conſeruandoque calore præfici in Phyſiologia diximus, vbi & illud animaduerſum eſt, aërem nobis circumfuſum arteriarum pulſu corporis vniuerſi calorem, eum verò quem ſpirando ducimus, vnius maximè cordis calorem, reſpiratione tueri, & conſeruare. Regio quidem temperata, locus editus, apricus, & perflatus, veris conſtitutio naturalis, ſtatus cœli placidus, & tranquillus, perflante Fauonio, ſalubritatem, bonamque valetudinem tuentur, nec quicquam corpora immutant.* Hæc diſertiſſimus Medicorum. Vnde ſic arguo, illa frequentanda ſunt loca magis idonea ſanitati, vt ſunt edita, aprica, & perflata Fauonio; ſed ita ſe habent Eccleſiæ toto Miſſæ tractu: quippe anima terris erepta, ad cœleſtia euehitur; aprico gaudens, dum hoſtiæ Sacro-ſanctæ beneuolos excipit radios. Denique homo flabris Spiritus Sancti, Fauoniis in hoc Sacrificio ventilatur. Quid igitur aliò diuertitis, ô homines anxij de ſalute corporea? quid venationis ergô Miſſas verè miſſas facitis, vt humores noxios, crapulæ nimiæ reliquias, equitando decoquatis? Mutate aucupium, conuenite Eccleſias, & hinc vobis cedent omnia ſalubria: quippe in Miſſa eſt veris placida conſtitutio; nimirum illic Deo propitio & placato, nihil ingratum ſpirat, omnia ſed virent virore gratiæ, quo etiam ipſa cœleſtia recreantur. Eccleſia rei medicæ non ignara, ſuos neophytos, id eſt nouella germina orta ex gentibus aſſuefaciebat ſenſim ad hunc ſalutarem aërem ebibendum, ne ſi pleno hauſtu ebiberent, citò deficerent. Vt enim medici, ægrum qui noxia febre exhauſtum decubuit diu in cubiculo immunio ventis, dum æger ille conualeſcit, arcent ab aëre liberiore, ne nimij aëris impos illico diſſoluatur. Ita Eccleſia catechumenos noluit toti intereſſe Miſſæ, ne dum rudimenta fidei ediſcerent, ignari adhuc integri myſterij, nutarent in fide; quam vt Eccleſia titubantem confirmaret, & pararet altiore initiandam myſterio, ſanxit homines illos adhuc rudiores, necdum tinctos aqua baptiſmali, audituros Miſſam, ab Introitu vſque ad Offertorium: & hæc pars Miſſæ dicebatur Miſſa Catechumenorum, in qua illa rudia genimina audiebant orationes ad Deum fuſas, Epiſtolam, & Euangelium, quibus docebantur, & mox dimittebantur, Diacono clamante, Sancta Sanctis, id eſt, ſolos Chriſtianos fieri poſſe conſcios ſacri ritus. Hac prima dimiſſione facta, pergebat ſacerdos ad conficiendum Sacrum, quod alia dimiſſio concludebat, ſcilicet. Ite Miſſa eſt, & ab hac duplici miſſione, Miſſæ nomen creditur emanaſſe, etſi Hebræa etiam vox eſſe cenſeatur מנחה Miſſa, vt ſupra dixi fuſius. De Miſſa hac duplici, ſcilicet Catechumenorum & fidelium meminere Sancti primores Eccleſiæ & aliqua Concilia, vt liquebit tibi marginem conſulenti. Et ne à re medica & ſalubri aliò deflectat oratio, ſic Fernelius aërem denotat inſalubrem. *Regio humida, locus in occidente demergens, humens pluuioſaque conſtitutio, tenebricoſum ſpiritum facit, corpus multo humore ſupernacuo onerat, cuius copia natiuus calor infringitur, & debilitata concoctione cruditates fiunt, quibus ex cauſis diſtillationes, diuturnæ febres, cachexia, vlcera putrida, eaque curatu difficillima, quin etiam corpora mollia, laxa infirmaque reddit, & obeundis vitæ muniis inepta.* Ita & planè eo tempore, quo quis adſtringitur ex præcepto, ad audienda Sacra, ſi alio pergat, procul dubio iniquioris aëris ſubitò contrahet lethale

Fernelius lib. 1. ad morborum cauſis cap 13.

Aëris efficacia mirabilis.

Miſſa fidelium.

Miſſa Catechumenorū.

Ex S. Clemente lib. 8. conſtitut. Apoſtolicorum. S. Dionyſ. lib. Eccleſ. Hierarchiæ c. 3. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. c. 50. S. Ambroſ. lib. 5. Epiſt. 33. Concil. Carthag. quarti. Valentin. c. 1. Fernelius vbi ſuprà.

Infauſtum eſt & lethale non audire Miſſam.

Ex Historia: *S. Antonin. Archiepiſc. Florent. in Chron. p. 2. tit. 9. c. 10. §. 2.*

lethale contagium; omnis enim locus, qui hominem à Miſſa diſtrahit, nihil niſi noxium, & morbidum ſpirat aut exhalat, teſte S. Antonino, referente duos adoleſcentes die feſto venandi gratia foras exceſſiſſe, quorum vnus interfuerat Sacris, à quibus alter impius abfuerat. Sed eo auctore diſpar omnino ſors extitit; nam illis in agro errantibus, ſpiſſæ ſeſe cœlo intendere nubes, & aëre opacante terras, cœli vltores impietatis hominum mugire cœperunt: tonitruo ſe & dæmones adiunxerunt. Hanc ſcenam infauſtam apparari in ſuum caput timuere venatores, nec prorſus inani metu: quippe & tonante cœlo, alias audierunt deſuper intonare voces, & has crebrò repetitas, Feri, Feri, & macta impios ſuæ ſalutis incurios, quas voces excipiens lethalis cœli fragor, fulmine illapſo alterius caput infregit; alio autem ſuperſtite, eædem voces eum etiam & ad necem validè depoſcebant: ſed dum vigerent amplius, vltoris vox alia cœlitus intonuit. Hebes eſt & obtuſa gladij vindicis acies, dum incurrit in hominem, qui aſtitit Sacris; ac proinde ego inermis ſum in eum, qui hodie Miſſæ interfuit. Quo audito reddita eſt cœlo priſtina facies lætior & ſerena, Sole ſuperante nubes, quæ totam illam tragœdiam obumbrarant. Hoc exemplo vides, aërem fuiſſe iniquum ei, qui à Miſſa deflexerat, eumque fuiſſe obnoxium diſtillationi, quæ deſuper illapſa miſerum ſuffocauit. Non eſt quòd alias ſcrutemur hiſtorias, vt viuacis aëris, aut lethalis indaginem habeamus: locuples eſt Gallica hiſtoria, & faxit Deus, vt inde fiat gens Gallica cautior, & in ſacrificium Miſſæ propenſior. Audi Tragœdiam, cuius ipſa Gallia fuit Theatrum ſuo ſanguine purpuraſcens. In locum vulgò *Crecy* conuenerant duo potentiſſimi Reges, Philippus VI. Gallus, & Edoardus III. Anglus, ambo ſtipati exercitu prævalido, & ſua omnia diſcrimina ſorti ambiguæ vnius prælij commiſſuri. Accingunt ſe acies æmulæ ad prælium orto Sole inchoandum: ſed vide diſparem apparatum; Galli iam animo victoriam concipientes, inquieto marte claſſicum expectabant, & vrgebant Anglos vt ſuas citò explicarent acies, Gallico furore conterendas. Cunctantur Angli, vt qui noctem egerant inſomnem, & impenſam noxis ſuis confeſſione diluendis, & primo diluculo omnes Miſſam audierant, Galli verò ſecus vt ſecuri de proſpero belli exitu, nec de Miſſa, neque confeſſione ſolliciti, dederant operam epulis atque cantioni: ſic vides duo caſtra aëre diſpari circumacta, aër teuerà viuax & vegetus agebat Anglos confeſſione expiatos, & Miſſa audita prævalidus; ſed Galliæ caſtris incubabat aër noxius & humidus, quem exhalarat Gallica crapula, & incuria Miſſæ. Quid pareret ille aër iniquior, niſi catharros, & hæmorragias ſeu ſanguinis multa profluuia; nil aliud omninò, vt videre eſt in progreſſu. Concurrunt acies, ſed non æquo Marte. Nimirum Angli, à quibus ſtabat Deus, primo impetu, impreſſione facta in aciem æmulam, eam edidere ſtragem, vt ad eius recenſionem etiam nunc pudore Gallia ſuffundatur, & in hoc adhuc laudanda indoles ingenua hiſtoriæ Gallicæ, quæ confeſſa, Gallos fuiſſe Deo iniurios, aſcribit illam victoriam Anglicæ pietati: adeóque ſuo diſcrimine edocta eſt Gallia, vt crebri in caſtris adſint viri pij & religioſi, Sacra facientes; imò & diplomate regio cautum, ne quis citra vitæ diſcrimen ſacrilegas inferat manus in Eccleſias hoſtilis antea ditionis: eaque fit pietate, vt cœlites ſint à noſtris partibus, inter quos ſilentibus legibus inter arma cuiuſque generis, vrgent tamen leges illæ, quæ Sacra volunt eſſe prorſus illibata; & inde credo hodie omnia Gallis proſperè cedere, eorum cauſam Deo propugnante.

Miſſam non audire die feſto quam ſit pernicioſum.

Froiſſardus c. 130. vol. 1. ſub an. 1346. 26. die Aug.

Gallorum ſtrages edita ab Anglis.

Anglorum pietas erga ſacrum.

Eâ cautelâ prouidet Eccleſia filiis ſuis, imitata Patriarcham Iob, virum vtique ſanctum, ex cuius hiſtoria accipe eius pietatem. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent & biberent cum eis, cúmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis; dicebat enim: ne forte peccauerint filij mei.* O hominum curas omnes in epulis & ſagina! Heu quò deuenere mentes Deo dignæ, vtpote pabulo cœleſti corporis & ſanguinis Domini recreandæ, ſi interſint ſacrificio Miſſæ, cuius fiunt participes aſtantes omnes, ſpiritali communione Deum illibatè depaſcentes. Nihil niſi crapulam homines nebulones & Epicurei mente verſant, coquinæ nidorem corpore & animo redolentes. Eccleſia quotidie conſurgens diluculo, offert holocauſta pro ſingulis, multiplicans Sacra, vt eorum ſuffragio, piacula quæuis hominum expungantur. Mittit Eccleſia alma parens præcones verbi Dei, vt fideles hortentur, & inuitent ad adſtandum Sacris, quæ eorum cauſa fiunt; ſed eâdem hodie tepent homines vecordiâ, qua & æuo Ieremiæ, cuius hæc eſt querela. *Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem.* Videtur & Salomon fuiſſe præſcius huiuſce intenti Eccleſiæ, cùm præcones verbi Dei inſtituit, qui omnibus diſciplinis vtuntur ad hoc vt homines inclinent ad myſteria ſacroſancta. Audi quam genuinè Salomon Eccleſiæ referat inſtitutum. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam, miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem.* Eccleſia eſt myſtica illa domus ſeu baſilica ſapientiæ excipiendæ idonea; quæ ſeptem ſacramentis veluti tot columnis incumbit, quibus & adiecit ſacrificium, quod immolationis & victimæ nomenclaturam habet: nam ea immolari dicebantur, quæ trituram molæ paſſa, à molendo nomen immolationis induebant rei oblatæ, vt farina, & placentæ dicebantur immolari: cùm verò erant res animatæ, has victimæ nomine nuncupabant. Iam collige myſterium ex ſententia Salomonis, dum ait in domo ſapientiæ victimas immolatas, adhibito vino, eoque miſto, propoſitamque menſam, quaſi ſacrificij complementum; & in animum induc tuum, graphicè eſſe hinc ſacrificia noſtra propalata. Nam in eis ſunt panis, & vinum miſtum aqua, & ſub nubibus harum ſpecierum rutilat Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui & Agnus ad occiſionem ductus. Ne autem inanis ſit illo apparatus ſapientiæ, & epulæ ſacræ ſine ſymmyſtis fiãt ingloriæ; ſapientia ancillas omnes mittit, id eſt omnes alias diſciplinas fidei pediſſequas occupat, ad ſuadẽdum hominibus cultum huius ſacrificij. Hoc ego præſtiti pro modulo hoc toto contextu de Miſſa, cui ſubieci omnes ſcientias vt ancillas eius, & hominum ductrices ad

Iob. 1.

Thren. 1.

Prou. 9.

hæc myſteria, quibus fideles dum ſunt intenti, ſunt in tuto, vt cincti arce inexpugnabili; & hoc rurſus ea qua poſſum contentione ingemino: O Mortales, venite ad arcem, ſcilicet ad Miſſam; nam diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret; ſi vos obuios habuerit extra Miſſam, vt incautos diſrumpet, & diſcerpet. Ad arcem iſtam forſitè reſpexit querulus Vates Ieremias, dum ſic homines hortabatur. *Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas; aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit, egreſſus eſt de loco ſuo, vt ponat terram tuam in ſolitudinem, ciuitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore; ſuper hoc accingite vos ciliciis, plangite, & vlulate, quia non eſt auerſa ira furoris Domini à vobis.* Vt autem auertatur, venite ad hanc arcem vbi immolantur victimæ ſalutares, idoneæ ad Dominum Deum citò propitiandum: nemo illic eſt impaſtus; quippe ſapientia miſcuit vinum, & propoſuit menſam, ad epulas & fercula, quibus hoſtes & aduenæ ſaginentur.

1. Petr. 5. Ierem. 4.

Pauſanias iacter quantumcumque volet aream illam Ioui ſacram, in monte Lycæo, in quam quiuis ingrediens adeò tutus erat ab hoſtibus, vt ſi quis eum inſequeretur, nequiret accedere ad locum; quippe rigebant eius membra, & effuſo corpore toto erat ille impos ad vindictam. Nec hominibus tantùm, ſed & brutis locus ille refugium præſtabat, & aſylum: nam ſi venator cuipiam feræ inſtaret, & fera pernice greſſu ad aream aduolaret, erat venatori nefas, areæ illius terricis hominum & ferarum ſepta tranſilire. Sed eſto dæmonum præſtigia aream illam fecerint adeò ſalutarem, in qua etiam adiicit ille Pauſanias, corpora non edebant vmbram, vtpote lumine perpetuo circumacta: quid hæc ad arcem noſtram Miſſæ? Illic erant beneficia ad momentum, & corpore tantùm tenus; ſed in Miſſa quibuſuis inuios ſe reddunt hoſtibus illi qui adſtant Sacris, & hoſtiâ ſacrâ Sole clarius irradiante, & illuminante animas, illæ Deo propitio, peccatorum ſuorum nebulis non amplius obumbrantur: quodque ſtupeas, animalia bruta illuc ingreſſa, exutâ prorſus ferinâ ſuâ indole, homines induunt. Etenim ſæpius accidit reprobos homines peiores brutis animantibus, Miſſam audientes, de meliore fruge animos inibi concepiſſe, vt videre eſt in celebri illo conuentu hominum nobilium, quibus cùm S. Bernardus faceret Sacra; Guilielmus Dux Aquitanus, homo ferox & multo crimine famoſus, hoſtiâ ſanctâ adeò perculſus eſt, vt ex hominibus infra pecudes, euaſerit celebri ſanctitate conſpicuus.

Pauſanias in Arcadic. Iouis area mirabilis.

Ex vita S. Bernardi.

Itaque vir pecori antea ſimillimus, poſitis in Miſſa ferinis omnibus exuuiis, non hominem tantùm, ſed & Angelum induit. Alij verò ſecus parum ſolliciti de audiendo Sacro, dæmoni peruij, ab eo raptantur in omnem vitiorum colluuiem. Neque deſunt hodie vernacula exempla hominum, quos vitia quæque ſemper exagitant; quia reperit eos deſertor Angelus extra arcem ſacrificij diuagantes. Nec iſta tempora hac impietate miſera, prætetiere Danielem præſcium futurorum, cuius ecce veridicum omen. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis.* Quid breuius? quid verius? Nonne Gallia velut exlex vſquequaque fœdata eſt deficiente hoſtia, quam hæreſis de templo expunxerat, graſſante piaculo, regno imminebat clades; ſed occurrit Deus, Henrico Rege facto compote ſacrificij huius, quo in Gallia reſtituto, vnde pleriſque in locis exularat, recepit & regnum decorem priſcum & nitelam: adeò vera eſt iſta ſententia.

Moralis.

Daniel. 9. Duplex in Henrico 4.

Miſſa audita ab Henrico IV. facit illi beneficia.

HIS QVI SACRIS ASTANT, OMNIA BONA PROSTANT, CVM VARO DISTANT, ABSCEDVNT BENEFICIA, ET ACCEDVNT VENEFICIA.

VOX ISTA, QVOMODO, eſt teſſera omnium hæreticorum, qui nec ſibi ad inuicem conſtant, ſed perpetuo litigio diſpeſcuntur.

In hæc verba:

Litigabant ad inuicem dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

SECTIO VI.

SCiunt Philoſophiæ candidati, huius diſciplinæ præludia ingerere ſpecies omnes, quamtumuis ſint diſſitæ, aut diſparatæ, vt loquuntur: eſſe tamen omnes in vna ratione generica concordes; quippe ſpecies diuidunt genus, quod vniuocè deber de multiplici & varia ſpecie prædicari. Iuxta hoc theorema: licet fuerint in Eccleſiam plures hæretici diſcordes ad inuicem impiè debacchati; vna tamen ineſt omnibus veluti ratio generica, vt teſſera inuſta, in qua hæreſes omnes vſquequaque conueniunt, ſcilicet rerum omnium dubia fides, quam teſtantur hac voce, QVOMODO. Dum enim ſtudent rerum indagini, quas dudum fides plenè diſcuſſit, eorum ſemper nutat animus inueſtigans, QVOMODO poſſint ſic ſe habere ſacra Myſteria, & apud ſe omnia perpendentes dogmata fidei, eligunt quod arridet, & non quod eſt ex fide Eccleſiæ conſtitutum; vnde & ſectæ illæ dicuntur hæreſes: nam αἵρεσις vox Græca electionem tenacem ſignificat ἀπὸ τῷ αἱρεῖν quod ſignificat eligere. In quo autem ſita ſit illa pertinacia, dicam: non in eo planè vt fidei, quam ſibi fingunt, tenaciter adhæreant; hoc enim repugnat rationi genericæ, in qua coeunt omnes hæretici, numquam ſibi conſtantes, vtpote quorum variant articuli fidei ad arbitrium cuiuſque dicentis, ſe ſenſiſſe illapſum Spiritus SANCTI, cuius actus dictamine nemini præterquam ſibi credit; & in hoc liquet hæreſeos cuiuſque pertinacia, ſcilicet vt ſibi tantùm credat: nam dum QVOMODO inquirit ſecta neſcitura modum, fidei ſibi erigit & ſtatuit inane ſimulachrum: & hinc inter hæreticos diſcordiarum fons & origo; quia dum omnes ad ſuam trutinam ſuos etiam expendunt articulos, perpetuò ſunt adinuicem litigio diſſiti; etenim concordia tantùm eſt penes Eccleſiam, à qua qui ſunt alieni, eàdem etiam intercapedine ab omni concordia diſperguntur, ſicut & diſperſi fuere illi, qui turrim Babel erigentes, diuerſi poſtea fuere labij. Ita & hæretici in Eccleſia, alterius turris iniquæ, id eſt ſuperbiæ, & confuſionis iecere fundamina; dum enim fidem concutere conati ſunt, pullare

EX PHILOSOPHIA: Porphyr. lib. Prædicabil.

Hæreſis vnde dicta.

EX HISTORIA:

pulſare cœlos aggreſſi ſunt, imò & in Sancta Sanctorum arietantes, arcam fœderis hoſtiam ſacram tentauerunt ex ſuo Sanctuario eliminare, dum dubiam fecere fidem Euchariſtiæ: ſed Deo vltore diuerſi labij extitere perduelles, eóque deuentum eſt, vt à verbis ad verbera; nam Lutherani, & Zuingliani, præuijs multis libellis iniurijs, poſtmodum adinuicem ſæpiſſime ſæuierunt, impletaque eſt prædictio Simeonis viri iuſti & grandæui, dicentis Chriſtum poſitum in ſignum cui contradicatur: & reuerà ad literam hoſtia ſacra eſt rotunda, ſicuti & ſigna quæ proponuntur in ſcopum, vt ad ea poſſint ſagittarij collimare. Vide Caluinum impetentem hoc ſignum, dum dicit nos facere iniuriam Chriſto, dum dicimus eſſe in hoſtia, quæ poteſt à vermibus & muribus corrodi. O hominem ſollicitum de cuſtodia hoſtiæ conſecratæ! ſed de eo benè præſcius Pſaltes ait. *Contaminauerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula: iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* Diceres texi hiſtoriam & non præſagium. Nam reuerà contaminauerunt Chriſti teſtamentum hæretici, dum nullitatis illud arguerunt; nullum autem eſt teſtamentum, vbi hæres excidit: voluit autem realitatem expungere hæretici ab Euchariſtia, quam Chriſtus inſtituens, teſtamenti nomine nuncupauit; ſic enim Eccleſiam ſuam hæredem ex Aſſe conſtituens ait. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Diuiſi ſunt ab ira vultus eius.* Quia in pœnam iniuriæ illatæ teſtamento, Deus diuiſit eos ab Eccleſia ſua. *Appropinquauit cor illius.* Et tantum abeſt vt hæreſis minuerit fidem huius teſtamenti, quinimò potius auxit; quia multis argumentis è ſcriptura & aliunde petitis, facta eſt res illa liquidior. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Caluinus vt ſyrenes ſuauiloquio demulcens animas, eas iaculo infidelitatis addixit neci. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Noli nimio ſcrutinio rimari cauſas inſtitutionis huiuſce ſacramenti: ſed quieſce in Domini verbis efficacibus, & practicis; & ipſe in præmium fidei, quam verbis eius tu præſtabis, te enutriet hoc pane Angelorum. *Non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* Nam anima fidelis non fluctuat: etenim Eccleſiæ fides inconcuſſa labare neſcit. Pergit Pſaltes. *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.* Omnium enim hæreſeon illa fuit cataſtrophe, vt hiante terra abſorptæ ſint: iuxta illud Pſalmi eiuſdem. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Hæreticos eſſe viros ſanguinum patet, priſca etiam tempora decurrenti, quibus Arriani, Donatiſtæ, & Manichæi, omnia ſuſdeque verſa ſanguine cruentarunt. Et æuo ſuperiore, Anglia, Belgium, & Batauorum plagæ, ab hæreticis fuſo ſanguine rubuerunt; ſed Deo vindice, & alternante vices, ipſi etiam hæretici ſuo effuſo ſanguine perierunt. Quippe eos manet ſors Iſmaëlis inquieti, de quo ſic fatur ſacra hiſtoria. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.*

Florimond. Raymond. li. de ortu hæreſeon.

Luc. 2.

Pſalm. 54.

Luc. 22.

Hæreſes fluxæ & labiles.

Geneſ. 16.

Vide hoc quadrare noſtratibus hæreticis, quorum manus ſunt in omnes. Primò Deum ipſum de ſuo throno trudere moliuntur, cùm inſurgunt & arietant in altare. Ruſus cœlos adhuc impij quatientes, ſanctos impugnant, dum eos in Eccleſia eſſe volunt inglorios, nolentes deferri ſanctis honorem, quem proceres Eccleſiæ ab ipſo exordio detulere. Ab Eccleſia triumphante, dum deueniunt in militantem, quis enarrare ſufficiat eorum auſus atque conamina in ſanctiora quæque? Quinque ſacramenta obliterant de numero ſeptenario; crapulam & epulas ieiunio ſubſtituunt; ſolennitates in dies profeſtos commutant; demum omnia ſacra miſcere profanis, hoc vnum illis ſtudium incumbit. Nec etiam minuſculæ ætati pepercit impietas: nam infantes editos recens non baptizant ſine prædicatione; maluntque interire puerulum, quàm deeſſe ſuæ impiæ ſanctioni, cauſantes infantulum etſi non aqua expiante lotum, fieri tamen conſcium ſalutis æternæ, in fide parentum. Sic vides hæreticos iſtos, leone terriores, qui manſueſcit ad occurſum pueruli, ſuamque deponit rabiem; quam tamen à pietate extorres ſacrilegi homines exacuunt, vt animas inſontes, ſuâ nequitiâ depaſcantur: quodque demirere magis, contra adagium, mortuis etiam inſultant.

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.

Sed hæreſis liuore infernali rabida, etiam dehiſcens ad inferos, inimica quietis animarum, quas vltor Purgatorij ignis exagitat, vetat pro eis fundi preces, negans ſuo more, id eſt, proteruè, nullas eſſe vindices flammas criminum, quorum ſanguine Chriſti culpa diluta eſt. Ex præfatis liquidò conſtat, hæreticos viros eſſe ſanguinum, vtpote neſcios pacis, quam cùm Deo denegarint, dum verborum eius veritatem inficiantur in Euchariſtia; nihil mirum ſi & viuis & defunctis, parum æqui, eo quod poſſunt toto conamine debacchantur. Ex Anglica Hiſtoria cauſam primitiuam omnium rixarum colligo myſtica indagine. Rex Henricus primus acerba verſabat odia in filium ſuum Martiali ſanguine præpollentem, eoque ſimultates excreuerant, vt acies vtrimque explicatæ, regnum in diſcrimen agi portenderent. Poſcitur in arbitrum Rex Galliæ Ludouicus ſeptimus; is vt amantiſſimus æqui celer aduolat, & expenſis mutuæ rixæ Patris & Filij omnibus argumentis, eorum ſic animos explorauit: conuenit ille Regem & porrexit vna manu panem, & altera ſaxum, daturus optionem: noluit Rex panem accipere, & inde ſemina iurgiorum. Ita & Eccleſia porrigit omnibus fidelibus panem ſanctum: ſed hæretici aſpernantes illum panem, in lapides incurrerunt; nimirum diruerunt Eccleſias & altaria. Faxit Deus vt iſti lapides panes fiant, id eſt, vt homines ſaxei, & cordis lapidei, panem viuificum adorent, & tandem aliquando reſipiſcant.

Ex Hiſtoria. Andr. du Cheſne in Hiſtoria Anglica ſub an. 1177.

Henrici I. Regis Angl. bellum cum filio.

Malè eis cedit elegiſſe lapides: nam Chriſtus eſt lapis, qui ſuper quem ceciderit ille, confringet illum; & vt canis lapidem mordens, læditur illæſo lapide, ita & hæretici ſæuiunt in lapides templi, Eccleſiâ tamen integrâ prorſus atque illibatâ: ſed vltrices Dei manus nequeunt hæretici declinare, vt ex ſubiecta liquebit hiſtoria Eccleſiaſtica. Spoleti quondam Epiſcopus Arrianus, multo milite ſtipatus,

Hiſtoria Eccleſiaſt. S. Greg. li. 3. Dialog. c. 29

petiit ab Epiſcopo orthodoxo Eccleſiam vnam, vt ſuis præſtigiis erroti manciparet: renuit ille, vtpote ratus, eſſe nefas tradere Sanctum canibus. Tamen Arrianus Antiſtes armata manu pergit ad Eccleſiam, Arriano, nomini vendicandam: fugerat cuſtos Eccleſiæ, omniaque lumina extinxerat foribus obſeratis. Adeſt homo ſacrilegus, vim inferre paratus Eccleſiæ, ad cuius fores cùm ille deueniſſet, illæ magno edito fragore vltro patuerunt, & lumine deſuper illabente, lampades accenſæ ſunt, Epiſcopo Arriano deſuper excæcato. Clamare omnes, credendum lumini Romanæ Eccleſiæ; cuius quicumque eſt expers, nequit non denſa caligine cæcutire. Vides hominem impium ſe accingentem ad diruendam Eccleſiam, accepiſſe ſuæ ſæuitiæ in lapides præmium congruum, nempe cæcitatem. Ita & hodie cæcutiunt hæretici litigantes cæcorum inſtar, & hoc in pœnam repudiati panis, & lapidum acceptorum.

Inſtabis, eos dicere ſe ſecuros de ſalute, & hoc longè abeſſe à tenebris: nec id abnuo; hoc clamant, & eſt eorum caliginis amplius argumentum, quòd ſuæ caliginis inſcij in foueam cadunt. Vis exemplum explicitum. Olim in Concilio Conſtantinopolitano, Polychronius monachus Monothelita hæreticus adfuit, ſummam ſui erroris ſcriptam in ſchedula præſerens palàm, & aſſerens à Deo ſibi reuelatum, in fidei ſuæ indubiæ argumentum, mortuos hac chartula adhibita ſuſcitandos, petitque à Patribus Concilij, vt fiat experimentum prodigij, quo debebat eius conſtare fides. Prodeunt omnes in forum, vbi iacebat inanimum corpus, ille mortuo ſuperimponit ſchedulam erroris; ſed nullo inde ſubſequente miraculo, exploſus eſt homo in quem animaduerſum eſt anathemate. En indolem hæreſis, quæ vergit ad occaſum; omnes de ſalute ſua facit illa certiores, ſed vrgente fato, in tenebris impij conticeſcunt. Nam vbi ab Eccleſia deſciſcunt, in vitiorum pene omnium cœno volutantur: ſicut exemplo ſuo eſt teſtatus Epicuri de grege Iulianus Imperator Apoſtata, qui dum orthodoxam fidem profiteretur; ſaltem ementito cultu, ſe ad actiones pias totum componebat, ne impij notam incurreret: ſed vbi defecit à fide, alium exoticum ritum amplexatus, prodibat in publicum medius inter magos, pellices, & cynædos, pueros ſcilicet nefando vſui procuratos, vt Chryſoſtomus ſuo auriloquio deteſtatur. Optimè ſanè Dux Alençonius Princeps Gallus Henrico ſecundo Rege ſatus. Is aliquando hæreticos homines tulit, plus quàm par eſt, illiſque eſt familiariter vſus, ſpecie exteriore, quam præfert hypocriſis hæretica, faciente fucos: ſed poſtea deteſtatus homines iniquos, & nefandos aiebat, hæreticos oculis illudere, nec obuiis quibuſque ſuam explicare nequitiam abditam pluribus inuolucris: ſed vbi eorum indoles ab aliquo explorata patet, illico homines flocci atque deteſtandos odio pluſquam Vatiniano abhorreri. Vnde aiebat hæreticos tolerari incognitos, ſed cognitos, omnium odia ſibi concitare. Intellexit heros ille hæreticorum animos eſſe perduelles, nec incumbere niſi diſcordiis, atque litigiis, quæ etiam eo ſæpe deueniunt, vt in

Polychronij Monachi induſtria, vt conuinceret hæreticum.

Acta Conc. illius quod fuit ſexta ſynodus Generalis in actione 15.

Fides ſincera probata miraculo.

S. Chryſoſt. oratione aduerſus gētes.

Dupleix in Henrico 3. cuius erat frater Dux ille Alençon.

Hæretici vt agnoſcuntur ſunt in odio.

Reges ſuos impiè coniurarint; vt patet ex illis eorum comitiis, vbi decretum fuerat in caput Regis Franciſci ſecundi Galli, & Reginæ matris eius; ad caſtrum Amboſiæ degentibus. Quod vbi reſciuere nobiles plerique hæretici, religionem illam abiurarunt, quæ in Reges ſuos inſurgebat. Et vnde putas orta profluuia ſanguinis, die illo ſacro Bartholomæo Apoſtolo, qui ne faſtus fuit hæreticis, quos extulit mucro vindex eorum criminum; non aliunde planè, niſi quia Carolus Rex pridie didicerat, neſarios homines ſibi Regi & aliis regni Principibus imminere: quippe in hurrendo conuentu procerum hæreticorum, fuerat decretum in Regem Carolum, Matrem eius; & in ſtemma regium vniuerſum, vt impijhomines ad regnum eueherent quempiam ſuæ farinæ hominem abhorrendum: ſed homines ſanguinum, & doloſi iuxta Pſalmum non dimidiauerunt dies ſuos; quodque notatu digniſſimum, Admiralis Caſtellio, caput hominum impiorum, & quo duce omnia ſuſdeque inuerterant: Is inquam, qui elementa omnia ante concuſſerat, ea nocte petiit & cum eo duodecim millia, Pariſiis, vbi luerunt ſuo ſanguine pœnas, quas inita in Regem conſilia depoſcebant. Et demirare iudicia Dei in capite coniurationis, ſcilicet in Admirali, qui vt litigiis aſſuetus, ipſa etiam elementa turbauerat; omnibus, licet extinctus, plectitur elementis: nam occiſus actus eſt præceps per feneſtram, & cadauer eius traductum luto, & ſpurco ſtercore inquinatum, ipſa etiam terra vlciſcente diſcordias à rixoſo ſæpius excitatas. Rurſus in ignem cadauer iniectum eſt, & ſemiuſtum in Sequanæ fluuium abiectum, vnde demum eductum ſuſpenſum eſt ad furcas Montisfalconi, vt illic eſſet ludibrio aeri & ventis vir nebulo, exoſus concordiam; nullumque fuit elementum quod non aliquas expeteret pœnas ab homine, qui fuerat in ſui ſæculi pœnam natus. Vides homini ſceleſto quadrare, quod ait Angelus de Iſmaële. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & omnium contra eum, & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula.* E regione fratrum, id eſt, ex aduerſo, & ipſe aduerſarius Admirabilis in technis ſuis Admiralis figere voluit tabernacula, dum inducere voluit in ſolium aliquem ſuæ ſectæ: quod vt præſtaret manus ſuas accinxit contra omnes; ſed vindicem etiam ſenſit manum rerum inanimarum, eumque Rex Carolus ita mortuum abominatus eſt, vt præteriens otas Montisfalconij vbi ex furca ingloria pendulum erat cadauer Admiralis putidum & ſanie diffluens, ſteterit Rex, & accedere voluerit ad fœtidas illas Admiralis exuuias: auerteutibus autem eum aulicis ab acceſſu ad fœtens illud & triſte ſpectaculum; Rex hominem deteſtatus ait: Non ſentio putidum hoc cadauer, imò placet hic odor, vt qui emanat à mortuo, qui ſi ſoſpes eſſet & ſuaueolens, Gallia peſſum iret, quæ hoc fœtore & graueolentia fit ſuperſtes. Et hæc aduerſus hæreticos auerſio inſita fuit Regibus omnibus Chriſtianis, in quibus æterno Elogio dignus eſt Philippus ſecundus Rex Hiſpanus, qui cùm audiſſet graſſari luem illam in Belgio; ille auitæ religionis propugnator acerrimus, Proreges eò delegat, qui enaſcens hoc lethale virus auerterent: Malo,

Hiſtoria Gallica anonymi authoris in Carolo 9. ait vnum ex coniuratis aperuiſſe Regi coniurationem & eodem nocte occiſos fuiſſe hæreticos.

Philippi II. Regis Catholici zelus erga fidem Catholicam

Hoc ſcribit Card. nalis Bentiuoglio in lib ſua delegatio apud Belgas.

Malo, inquit Rex, fide illibata inſignis, ita eſt, Malo ego cadere dominio Belgij, quàm habere Belgas hæreticos. O vocem dignam Imperio! Nam ea fuit ſemper Imperatorum mens, hæreſes inſectari.

Ex Ivre Civili: *Leg. priuile. Cod. Theod. de hæretic.* Hæretici indigni priuilegiis.

Iure Ciuili multifariam cautum eſt in nefarios homines: quandiu enim Chriſtiani Imperatores rerum potiti ſunt, tamdiu etiam in hæreticos ſancitæ leges extiterunt. Audi plures editas ſanctiones a viris vtique Imperio perquàm dignis. Primus occurrit Conſtantinus. Sic ille. *Priuilegia quæ contemplatione religionis indulta ſunt, catholicæ tantùm legis obſeruatoribus prodeſſe oportet, Hæreticos autem atque ſchiſmaticos, non tantum ab his priuilegiis alienos eſſe volumus, ſed etiam diuerſis muneribus conſtringi, & ſubiici.* His pœnis ſubiice legem hanc Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij.

Leg. Nullus Cod. Theod. de hæretic. Hæretici odio habiti ab Imperatoribus.

Nullus hæreticis myſteriorum locus, nulla ad exercendi animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio, ſciant omnes etiamſi quod ſpeciali quolibet reſcripto, per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum eſt, non valere: arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ, vnius & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicæna fides dudum à maioribus tradita, & diuinæ religionis teſtimonio, atque aſſertione firmata obſeruantia ſemper manſura teneatur. Arcadio etiam ſocio Imperij, Valentinianus, & Theodoſius adhuc ſeuerius in eos flocci homines animaduertendum rati, illos voluere pelli, & velut exulare, hac lege.

Leg. hæretic. Cod. Theod. de hæreticis.

Hæreticorum polluta contagia pelli, vrbibus vicinis proturbari; ac nullis penitus iubemus patere conuentibus, ne in quoquam loco ſacrilega cohors talium hominum colligatur, nulla eorum peruerſitatis, vel publica conuenticula, vel latiora erroribus ſecreta tueantur. Rurſus Imperatores exoſi luem illam peſtiferam noluerunt hæreticos in ſuis militare caſtris, rati victoriam non cœpturi hæreticis. Sic Honorius, & Theodoſius.

Leg. Eos Cod. Theod. de hæretic.

Eos qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici, intra palatium militare prohibemus, vt nullus nobis ſit aliqua ratione coniunctus, qui a nobis fide, & religione diſcordat. Et vt in re Medica dum venenum in venas irrepit, mittendus eſt ſanguis, ne in valuulas cordis irrumpat, & hominem inde perimat totum. Ita iidem Imperatores in hanc luem hæreſis, ſanguinis effuſione ſæuierunt.

Ex re Medica: *Fernelius li. 2. de meth. medendi c. 13.*

Sciant cuncti qui ad ritus ſuos hæreſis ſuperſtitione obrepſerant ſacroſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna, & proſcriptionis & ſanguinis, ne qua vera diuinaque reuerentia contagione temeretur.

Leg. Sciunt Cod. Theod. De hæretic.

Benè proſcribunt hæreticos iura Ciuilia; ea quippe cautela contagiu occurritur à Medicis, in quibus Fernelius ait morbos eſſe peſtilentes, qui contactu, mutuáque hominum ſocietate contaminant. Sed audiendæ ab eo cauſæ ægritudinis virulentæ.

Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 12.

Alia cum aere ſpirando trahuntur, vt peſtilentiæ ſemina; alia extrinſecus nos attingunt, vt rabidi canis, & venenatarum beſtiarum virus; alia intro ſumuntur, idque vel cibi, vel medicamenti ſpecie, venenum quod halitu nos ferit omnium præſentiſſimum, & efficaciſſimum eſt, nec humore, nec craſſiore materia tanquam vehiculo indigens, vt in nos agat & commigret; ſed tenuiſſimum cum ſit ſpiritu hauſtum, celerrimè per pulmones in cor vitæ viſcus nobiliſſimum, & in arterias, in omne denique corpus obrepit, primumque ſpiritus, deinde humores, poſtremo ipſam partium ſubſtantiam labefactat.

Peſtis quomodo contrahatur.

Hæc ille: Vnde ſic arguo. Venenum quod halitu nos ferit eſt omnium præſentiſſimum; ſed tale eſt illud hæreticorum: eorum enim os nihil niſi lethale ſpirat; ergo contra huiuſ halitum eſt fugâ ſibi citiſſimè conſulendum: nam alioquin contrahitur lues ſimillima illi quæ Iuſtiniani tempore graſſata eſt Conſtantinopoli, vbi quotidie efferebantur decem millia hominum: hoc autem virus ſic homines inuadebat: Dæmonis horrida ſpecies apparebat, & quiſquis ab hoc ſpectro feriebatur, ſtatim ægrotabat, ſiti æſtuabat, furebat, & demùm alto ſomno occupatus miſerè diſperibat, teſte Procopio.

Procopius de bello Perſico lib. 2.

Eodem fatu efferuntur illi, qui coeuntur hæreticis: feriuntur enim ſpectro nefario, eſt enim hæreſis cacodæmone terrior; eius colloquio mens ægrotat, fideſque Sancta labat, ſitit æſtuat, nam libido eſt indiuidua comes hæreſeos; furit, nam eſt rationis impos, quippe hæreſis pertinax eſt; demum ſomno opprimitur, quia hæretici dum bona opera impugnant, quid aliud niſi ſomnum hæreticus clamat, ſeu vecordiam, quâ velut alto ſopore grauatus occidit.

Peſtis horrida olim Conſtantinopoli graſſata.

Apoſtolus huic peſti occurrit declinando. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Eodem ſpiritu quo Paulus, agebatur & Ioannes, dum ſic ait. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, qui enim dicit illi Aue, communicat eius operibus malignis.*

Tit. 3.

2 Ioan. 10.

Audi ex Iure Canonico nequitiam hæreticorum hominum, dum ſuis coloribus effinguntur: ſic iſte Canon eos delineat, *Quid iniquius eſt, quàm impia ſapere, & ſapientioribus doctoribuſque non credere; ſed in hanc inſipientiam cadunt, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo obſcuro impediuntur, non ad Propheticas voces non ad Apoſtolicas literas, non ad Euangelicas authoritates; ſed ad ſemetipſos recurrunt; ideo Magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt.*

Ex Ivre Canonico: *Can. Quid iniquius. 24 qu. 3.*

Eorum denſam caliginem expreſſit egregiè vno numiſmate ſuo Henricus tertius Rex Gallus, exoſus ſi quis alius omnes hæreticos: pius Princeps in icone cudit veſpertiliones ad Solem, quaſi ad tenebras obertantes; hoc titulo in ora numiſmatis. Non cognovervnt lvcem præsentem. Et hæc eſt reuera ratio omnis cuiuſuis in fide cæcitatis; ſi illi et hæretici non cognouerint lucem præſentem, imò nec noſſe voluit, inquit Lactantius. *Ab his ſi fieri poteſt, humanitatis iure poſtulamus, vt non priùs damnent, quam vniuerſa cognouerint; ſed noui hominum pertinaciam, nunquam impetrabimus: timent enim ne à nobis reuicti, manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur: obſtrepunt igitur ne audiant, & oculos ſuos opprimunt ne lumen videant quod offerimus.* Hæc ille: & ſanè gens hæc infidelis, dum ſuum ingeminat, Qvomodo, nubes obiicit Soli veritatis illucenti. Præclarè Ambroſius ait totos in hoc Qvomodo occupari, dum hæc ſcribit. *Si de ſcripturis eruditus contenderis contra eos, & de ſcripturis Sanctis coargueris eos, ſtatim requirunt* Qvomodo: *aliud nouum dogma reperiant: non*

Ex Symbolis. *Tubeus lib. Numiſmatũ.*

Ex SS. Patribvs. *Lactantius lib. 5. inſtit. cap. 1.*

S. Ambroſ. ſerm. 11 in Pſalm. 118.

quarunt QVOMODO *ſaluentur, ſed* QVOMODO *ſuperent.* Eorum cæcitatem adſcribit Hieronymus illorum pertinaciæ, quæ ſibi tantùm credit & non Eccleſiæ: dicitur enim hæreticus ab hærendo, quia, diſſitus à fide, vni ſibi tantùm tenaciter hæret. Sic Hieronymus, *Multi ſunt qui ſimulantes fidem, non ſubditi ſunt fidei, ſibique fidem potius conſtituunt, quam accipiunt, ſenſu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt ſapiunt, & nolunt ſapere quæ vera ſunt: cum ſapientia hæc veritas ſit interdum ſapere quæ nolis.* Inde peritur eorum inquies animus: nam ex Theologia cognitio poteſt eſſe imperfecta tripliciter: Scilicet ex parte obiecti, medij, & ſubiecti. Ex parte obiecti hæretici nullam fidem habere poſſunt, quia res à parte obiecti non eſt ſicuti credunt, & cognoſcere profitentur. Verbi gratiâ, credunt Chriſtum in cœna dediſſe nudum panem, à quo abeſſet realitas corporis ſui ſacri; hoc autem credere eſt, errare in obiecto. Secundò cognitio deficit ratione medij, id eſt, ſi obiecti notitia non ingeritur nobis per medium demonſtratiuum, ſed per mediū probabile duntaxat. Ex parte ſubiecti differunt, fides, ſcientia, & opinio, ſecundùm diuerſas rationes, quibus noſtris mentibus inſeruntur: nam de ratione opinionis eſt, quòd intellectus aſſentiatur vni concluſioni, cum formidine oppoſitæ ſententiæ; ideò non habet opinio adhæſionem firmam, ſed nutantem: aſt de ratione ſcientiæ eſt quòd firmiter inhæreat cum viſione intellectiua; habet enim certitudinem præcedentem ex intellectu principiorum. Fides autem medio modo ſe habet: excedit enim opinionem, in hoc quod habet firmam hæſionem; deficit & declinat à ſcientia, quia non habet viſionem. Vnde ſic arguo: Si hæreticus rei quam credit non habet medium, quo fides ingeritur nobis, res illa credita non poteſt animum hæretici pacare; ſed hæreticus non habet vllum medium, quo res credita tenaciter inhæreat, nam reuelatio, quâ ſolâ ſtat fidei certitudo, non adeſt hæreticis; Deus enim non reuelat falſa: nec etiam ſcientificè ſciri queunt quæ prædicant; nam ſcientia eſt de veris tantùm & non falſis. Vnum ergo medium tantum ſupereſt, ſcilicet medium probabile, quo acquiritur opinio, quæ quia formidinem vehit, hæreſis nunquam ſibi conſtans in varias agitur partes, ſemper inueſtigans, QVOMODO fieri poſſit illud quod proponitur: nec eſt quòd ſcripturas clament; nam vt ſcitè admodum Tertullianus ait. *Credunt ſine ſcripturis, vt credant aduerſus ſcripturas.* Et Cyprianus morem illis inolitum à ſæculo Chriſti ſic deſcribit. *Ad nos ſæpe ſtudio contradicendi magis, quàm vera diſcendi veniunt; & clamoſis vocibus perſonantes, malunt ſua impudenter ingerere, quam noſtra patienter audire.* Et eamobrem notam incurrunt hæreſeos, etiamſi ſe ſemper orthodoxos eſſe mentiantur.

Hæreſis & curioſitas ſunt comites.

Ex Theologia: *S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 3.* Fides hæreticorū qualis nulla poſſit eſſe.

Tertullian. l. de præſcrip. cap. 23. *S. Cyprian. contra Demet.*

Diſce ex Iure Canonico, quid ſit hæreticum eſſe, & quomodo ab eis refugiendum: ſic Hieronymus hoc Canone. *Hæreſis Græcè ab electione dicitur, quòd ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem: quicumque igitur aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt eligens quæ peiora ſunt.* Benè ille ait, eos eligere peſſima opera carnalia: nam qui à ſpiritu deuius eſt, neceſſe eſt vt carnis contagio polluatur. Vide Lutherum vbi defecit à fide, ſollicitantem virgines Deo ſacras, vt ſepta cœnobij ſtrictioris impiè tranſilirent. Caluini recenſita Sodomia fœtet adhuc. Et Bezæ carmina impudica palàm faciunt, quibus Patriarchis fuerit edita hæreſis illa Caluiniana, quæ cum ieiunia expunxerit, & aperuerit clauſtra monialibus, datâ copiâ laſciuiendi; reuerà à Baccho & Venere cœpit ſecta illa lutea penitus & carnalis. Ideò quemadmodum caro exeſa à lepra, aliam etiam inficit carnem; ita & hæreticus ſuo contagio carnalia mentibus ingerit: ideóque hæreſim Canones vocant, *Crimen contagioſum.* Ad cuius extirpationem etiam principes ſæculares vrgentur Iure Pontificio ne in eorum ditione malo longius ſerpente hæreſis amplietur. Et ne virus hoc lethale quis aliquando contrahat, priſco Iure cautum erat, contra frequentantes hæreticos, in quos Pius quintus, homo etſi verè pius & humanus, adeò ſeuerè animaduertit, vt *Intercedentes pro reis in hæreſis cauſa, aut petentes aliqua ſuffragia pro eis, voluerit & eaſdem pœnas incurrere:* antea iam alio Canone, fautores, & hi omnes, qui eos recipiunt excommunicati cenſebantur, nec poterant in Eccleſia ſepeliri, nec pro eis orare licebat, ſi impœnitentes ceſſiſſent fatis. Et ne quis hæreticorum commercia ineat, ſub titulo ſanctitatis, vt cum eis oret, aliáque pia myſteria exerceat; Eccleſia ſciens, homines verſipelles hamum occultare, prætendendo fucos pietatis, fideles arcet ab his conuentibus ſub anathematis cenſura, has rationes referens, quibus ſuas vult eſſe ſanctiones inconcuſſas, ſcilicet. *Hæreticorum ſacrificia odit Deus, à ſe proiicit, & odit fœtorem eorum, hæreticorum benedictiones potius ſunt maledictiones, quàm benedictiones.* Alio item Canone ait: *Hæreticorum benedictionibus Deum maledici, eumque ideo maledicere quicquid benedicunt.* Et vt fideles ſuos enutriat in hoc zelo contra nefarios homines, eos etiam anathemate percellit poſt mortem. Vide quantis cautionibus egerit Eccleſia, vt graſſante hac lue, filios ſuos integrè ſoſpitaret.

Ex Iure Canonico: *Can. Hæreſis 24. q. 3. S. Hieron. in Epiſt. ad Galat.*

Clement. 1. §. Verum C. ex communicamus. §. moueantur de hæreticis. Can. Quia diguior. 24. qu. 1. Extrauag. Si de protegendis Pij quinti. Cap. Sicut ait § De hæreticis. Can. odio Deus 66. 1. qu. 1. Can. Maledicam 76. 1. qu. 1. Can. Sane profertur 24. qu. 2.

Ex Mathematica apprimè colligo indolem hæreſeos: nam Hipparchus, homo in Aſtronomia peritiſſimus, aduertit eſſe conſtellationem, quam Ophiucum vocant, id eſt anguiferum, quia in globo cœleſti depingitur eius loco, homo tenens anguem ſiue ſerpentem; dicitur Ophiucus ὀφιοῦχος ab ὄφις id eſt ſerpens, & ἔχω teneo, quaſi ὄφιν ἔχων anguem tenens. Ex Hipparcho ille Ophiucus ſeu anguem tenens, quando oritur, ſecum etiam trahit Chelas, id eſt brachia Scorpij. In cœli autem culmine Leonis ſydus irradiat, fitque vt orbis vniuerſus patiatur influxum Scorpij, & Leonis. Sic ſe habet natura hæreſeos; illa ſerpentes æmulatur, qui ſenſim irrepunt: vbi enim hæreſis alicubi exorta eſt, ſerpendo longè latéque diffuſa eſt. Item imitata ſcorpium, brachiis demulcendo, ſuum poſtea virus effudit. Vide Caluinum in præfatione ſuæ inſtitutionis. Nihil niſi beneuolum ſapit; ſcilicet omnes aduocat & allicit ad vitam cultiorem. Eccleſiæ nitorem priſtinum repromittens, exponit virtutis illibatæ nouum paradigma: ſymmyſtas ſuos componit in ſpeciem priſtinæ pietatis diſcipulorum Chriſti: ſectæ ſuæ, nomen reſtitutæ religionis inurit, ſeque ille technarum artifex nuncupat præconem noui Euangelij. Vides brachia

Ex Mathematica. *Hipparchus lib. 2. ſuarum enarrationū in Arati & Eudoxi Phænomena cap. 19.*

Hæreticorū indoles quæ ſit.

Caluin. præfatione ſua inſtitut.

quæ

qnæ demulcent, vide & iam letiferum virus. Confuſionem expungit, & Euchariſtiam ait eſſe corporis Chriſti figuram duntaxat, & inane ſimulachrum. Vota irrita facit, quibus Deo ſeſe religioſi homines indiuiduo nexu primitus obſtrinxerunt. Denique vt peſtilens aura depaſcit hominum genus; ita & hæc ſecta virulenta pleroſque extinxit: Sed, inquies, vbi leo influens? Hen, heu, ſi tacuero inſidorum hominum leoninam rabiem, lapides ipſi clamabunt. Quot enim Eccleſias euerterunt, & in quot fidelium hominum corpora Chriſtiana ſæuierunt? teſte ipſo Aubygneo homine nefario & hiſtoricorum ſceleſtiſſimo, qui licet pertinax hæreticus, inficiari nequit ſuorum rabiem in laniandis Catholicis. Et reuerà ebiberunt ex Caluino leoninam hanc indolem: qnippe Caluinus pro Symbolo pinxit, initio ſuæ inſtitutionis, manum armatam gladio & flamma circumactam, hoc titulo. NON VENI MITTERE PACEM SED GLADIVM. Quid ergo, ô animal infidum, & ſcorpio tertius! qoid ergo CALVINE perfida brachia primims explicabas, compoſita ad amplexus, ſi eras venenum præſentiſſimum poſtmodum effuſurus? Igitor, lector, ſi Sancti debacchantes in hæreticos, non eos pupugere ſatis, cape ex cœlo animorum ipſorum ſeriem & contextum ex ortu Ophiuci ſeu anguiferi hominis, quo oriente, omnia bona, gratiæ ſcilicet omnes & virtutes occidunt, & ſanguinis effuſio Leonino influxu portenditur: nam hæretici, ex Ambroſio, *quos non poſſunt ſermone decipere, eos putant eſſe gladio feriendos; cruentas leges ore dictant, & putant quod lex fidem poſſit hominibus impetrare.* Paucis eos deſcribit Tertullianus. *Scriptura ignem alienum imponentes, hoc eſt ſenſum, & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam introducentes, incenſum Domino non ſuaue, ſed execrabile offerunt.* Ideóque benè ignibus in eos animaduerſum eſt, à quo etiam ritu, homo Chriſtiane, ne deflectas.

Aubygneus in ſua Hiſtoria Gallica. Symbolum Caluini.

Caluini nequitia.

S. Ambroſ. oratione in Auxentium.

Tertullian. lib. de Præſcriptionibus cap. 22.

SI A TE DEDICETVR ARA IGNI, TIBI DICETVR, HÆRES SIS REGNI.

QVI VOLVNT ESSE PARTICIpes Euchariſtiæ, non debent exercere ſimultates, ſed eſſe concordes.

In hæc verba:

Litigabant ad inuicem.

SECTIO VII.

PEricles adoleſcens inuitatus ad epulas, quas parabat alius adoleſcens egregia forma conſpicuus, mirum eſt quo ſe apparatu ad has epulas accinxerit, & quo cultu ſe comptiorem effecerit. Interrogatus, quorſum adeò ſtuderet huic nitori antea inolito? Vt inquit, pulcher ad pulchrum vadam. O typum egregium curarum, quas verſare debet homo acceſſurus ad ſacram Domini IESV menſam! cuius cùm ipſe eam appararet, Ioannes teſtis oculatus ait fuiſſe præludia omnia illius actionis amore decocta. Sic enim ille. *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens IESVS quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Cùm ergo epulæ illæ totæ amore Chriſti caleant, ſi nolumus ab illis repulſam pati, & nos etiam amore conflagremus, vt amore feruidi ad Deum in Euchariſtia æſtuantem amore properemus: & ſi quis à nobis ſic accenſis, cauſam tanti æſtus cupidè ſciſcitetur, hoc eſto quæſiti reſponſum: Amore percellimur, vt ad ſponſum, qui non ſolum amans, ſed & amor eſt, accedamus. Quòd ſi amore ciemur ad hoc Sacramentum, non erimus ad inuicem litigantes, aſt concordes, vt conſulit titulus huiuſcè ſectionis, quam ex Philoſophia comprobamus.

Plutarchus in Pericle.

Ioan. 13.

Nulla vnibilia vnquam vnita ſunt, nec vniri qneunt ſine præuia aliqua diſpoſitione ad illam vnionem: at Deus, & anima vniuntur in Euchariſtia: ergo aſſignanda eſt aliqua capacitas ad illam vnionem. Quod vt intelligas, nota ex Caietano, vnionem trifariam conſiderari. Vnio enim primò ſumitur pro actione qua extrema vniuntur. Secundò pro relatione coniunctionis inter ipſa. Tertiò pro huiuſce relationis fundamento. De vnione Dei cum homine in Euchariſtia non loquimur, prout dicit actionem, qua illa duo extrema coeunt, neque vt vnio dicit relationem extremorum; ſed diſputamus de hac vnione, prout dicit fundamentum relationis extremorum. In compoſitis Phyſicis, fundamentum relationis extremorum quæ vniuntur, eſt cauſalitas formæ & materiæ, id eſt formam tradere ſeſe materiæ, ipſam actuando, & perficiendo, viciſſimque materiam ſubiici formæ, accipiendo eam fouendoque; itavt ex hoc mutuo complexu totum emergat: & vt ad propoſitam ſectionem Philoſophia benè conueniat, nunquam forma & materia coaleſcerent, niſi amore quaſi reciproco concordarent. Quod enim eſt amor in rationalibus, illud eſt appetitus in rebus inanimis. Si igitur homo inhiat vnioni ſuæ cum Deo, accingat ſe ad illam vnionem, amorem excitando, & abdicando omnia quæ poſſunt amorem omnimodum in Deum impiè remorari, vt ſunt rixæ, diſcordiæ, & litigia cum proximo, quæ hominem planè diſſonum faciunt huic amoris omnigeni Sacramento. Nimirum Tabernacula quibus occluditur panis ille ſacer, cuius vſu transformamur in Deos, iuxta illud. *Deos dixit eos, ad quos ſermo Dei factus eſt.* Tabernacula, inquam, illa vindicant ſibi Symbolum Ambroſij, qui amorem depingebat in oſtio horti perquam amœni, hoc lemmate in ſuperliminari portæ. AMORIS OSTIVM, NON HOSTIVM; quaſi diceret, non eſſe locum ſenticetis odij, atque litigij, in eo loco vbi omnia luxuriant floribus: ita & oſtiolum illud, quo educitur theca argentea concludens pignora Sacroſancta, EST AMORIS OSTIVM NON HOSTIVM, vt ipſemet Chriſtus aſſeruit, dum nos edocuit ritum accedendi ad altare cui imminent illa Tabernacula. Hoc enim vice legis, & ſanctionis voluit eſſe, in qua minimè diſpenſatur. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quòd ſi quæras rationem inſtituti, ſapientis amorem, & exoſi litigia? Reſpondebit tibi amantiſſimus ille Dominus, Tabernacula ſacra non parere, niſi Charitati, & illic eſſe AMORIS OSTIVM NON HOSTIVM, ac

EX PHILOSOPHIA.

Caietanus in 1. part. qu. 76. art. 1.

Vnio quot modis ſumatur.

Vnio animæ cum Deo quid ſequatur.

EX SYMBOLIS.

Ambroſius lib. Symb. 1.

Euchariſtia danda ſolis odio carentibus.

Matth. 5.

proinde reconciliationem peti, vt præambulum ad acceſſum ad illa Myſteria, quæ tota amoris ignibus incaleſcunt.

Ex re medica.
Aratus de Phænomenis lib. 3.
Aræ conſtellatio cũ igne depicta quid morale ſignificet.
Amor Dei & animæ nuptial. facit.
Ex SS. Patribus:
S. Bernard. 8. in Cantic.

Congruit huic ſtatuto amoris Mathematica animaduerſio, qua Aratus & Eudoxus aduotarunt, conſtellationem quæ dicitur Ara, non eſſe depictam in globo ſimplicem ſine nudam, ſed igne in ara accenſo, in cuius culmine eſt ſtella quam vocant, Lucidam Aræ. O idoneam noſtræ lectioni diſciplinam! eſto enim omnibus aliis ſyderibus eluceſcas, ſi ibi deſit Lucida Aræ, ideſt illa ſtella quæ emicat in flamma illa incumbente altari, non tibi ſacra fiunt; id eſt ſi omnibus virtutibus emineas, & tibi deſit amor Dei & proximi, ne accedas ad altare, vbi eſt AMORIS OSTIVM NON HOSTIVM. Amor eſt lucida illa virtus quæ altari imminet, & ſine qua altare non eſt Deo ſacrum. Audi Apoſtolum. *Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vide altare ſtipatum ſyderibus aliis, eſſe Deo ingratum, ſi deſit ſtella illa Lucida Aræ, quam nos amorem Dei & proximi nuncupamus. Hunc amorem eſſe vltimam diſpoſitionem ad vnionem Verbi & animæ, ait Bernardus. *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum ſimilem ipſi ſe exhibet per voluntatem diligens, ſicut dilecta eſt: ergo ſi perfectè diligit, nupſit; quid hac conformitate iucundius?*

Euchariſtia quare dicatur communio.
Pax datur ante comm.
S. Hieron.
S. Auguſt. tract. 26. in Ioann.
Exod. 16.
Rupertus lib. 3 in Exodum.
Pet. Damiani Serm. 72.
S. Fulbert.
Pſalm. 66.
Ex Sacris figuris.
Euchariſtia danda ſolis in concordia viuentibus.

Ipſa etiam vox Euchariſtiæ, dum ſumitur, amorem omnimodum clamat: etenim talis actio, communio nuncupatur, quaſi communis vnio; imò & olim Miſſa dicta ἀγάπη, id eſt dilectio: & in figuram mutui amoris, oſculo pacis præuio ſumitur ille Panis Sanctus. Vnde ait S. Hieronymus. *Ignoramus ſine pace communionem.* Auguſtinus Iudæorum litigia tribuit infideli animo erga Euchariſtiam. *Litigabant Iudæi ad inuicem, quia panem concordiæ non intelligebant.* Et in typum mutuæ Charitatis, legimus in Exodo manna extra caſtra cecidiſſe, Deo ſic indicante Euchariſtiam abhorrere à caſtris, id eſt à bello atque à litigio, vt etiam animaduertit Rupertus. *De caſtris exeundum tibi eſt, quicumque hoc minutum colligere contendis.* Ad quod etiam alluſit Petrus Damiani. *Si in te fomes ineſt liuoris & odij, non domicilium pacis, ſed campus ineſt certaminis.* Adiice & Sancti Fulberti paræneſim. *Viſcera charitatis extende, & ſume panem vitæ, interioris hominis alimentum.* Denique amoris neceſſitatem ſatis ſuperque Dauid inſinuat eſſe debere præuiam iſti Sacramento dum ait. *Igne me examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Vt enim coquitur panis, ita & anima eſt Charitate decoquenda. Rurſus hunc ſanctiſſimum panem, & hoc frumentum electorum habere inſita quædam cum amore commercia, duplici Hiſtoria ſacra liquet. Dauid furoris œſtro percitus in hominem nomine Nabal, à quo ingloriè, & iniuriè fuerat exceptus, ait ſuorum cateruæ militum: *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, vere fruſtra ſeruaui omnia quæ huius erant in deſerto, & non periit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono; hæc [illegible] Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane.* Audis animum æſtuantem, & ſanguinem vindi[illegible] male ſuadâ ſitientem A[illegible]di quâ ratione compeſcuit iram ebullientem, fœmina Deo plena, nomine Abigail. *Feſtinauit Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, &c. & poſuit ſuper aſinos, dixitque pueris ſuis præcedite me.* O Myſterium! Credidit nec inca[illegible]ſſum, pane & vino placandum Regem, cui obuiam facta ait prona. *Suſcipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi, Domino meo:* cui Dauid: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea, alioquin viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi, niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam. Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: vade pacificè in domum tuam.* Illa Mulier acta Spiritu Dei, eſt Eccleſia, quæ ſciens pleroſque fideles vltionis appetitu cieri in proximos, occurrit cum oblationibus ſacris ſpecierum panis, & vini, quibus abditum eſt Corpus Chriſti: ad aſpectum panis conſecrati, manſueſcunt homines, quos ira antea percelleb[illegible] Et dum peracta communione meminerunt illi, quos pupugeras iniuria, ſe mitiores factos beneficio panis, quem Eccleſia diſtribuit, ingemias agunt illi grates eodem planè contextu, quem Dauid vſurpauit. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum,* quo me ad pacem excitaſti: dum enim, ô ſancta Mater Eccleſia, Chriſti conſi[illegible]um explicaſti. *Vade & reconciliare fratri, & relinque munus tuum ad altare,* me ad concordiam protinus inclinaſti. hoc ſuaui eloquio tuo ſtetit ſanguis hoſtilis, cuius ego profluuia cogitabam: itaque hoc ſuadente pane, vadant pacificè in domum ſuam illi omnes, qui meum zelum acuerant. Accipe & frumenti ſacri ſuadelam ad concordiam optimè lineantem myſterium quod expendo. Ioſeph vbi fratres ſuos charè amplexatos remiſit ad Patrem ſuum Iacob, ſcriptura ſacra commeatum deſcribens, ſic concludit munera fratribus data. *Triticum in itinere paneſque portantes, dimiſit ergo fratres ſuos, [illegible] pro[illegible]ficiſcentibus ait: Ne iraſcamini in via.* Nihil enim æquè aduerſatur pani concordię, quàm rixæ atque diſſidia; & hunc ideo panem nobis fratribus ſuis Chriſtus dedit, ne iraſcamur in via: hæc ſiquidem vita via eſt, qua ad patriam contendimus: hoc pane Deus noſtra voluit compeſcere litigia, quia præſciuit, dum fugacis vitæ momenta decurrerent, fore irarum multiplex argumentum. Ne igitur, ô mortales, iraſcamini in via, vos enim omnes fratres eſtis, vno eodemq[illegible] Patre Deo ſati; & diſcite ab ipſo etiam pane Symbola concordiæ. Etenim panis exurgit ex pluribus granis tritici, quæ contrita deſinunt in farinam, quæ diluta tumet, & cocta tandem coaleſcit in panem; ſicut & vinum ex multis racemis coeuntibus effluit, Deo ſic ſpeciebus panis, & vini nos edocente pacem, ſine qua nobis ipſe Deus pacis inuiſus eſt: vt & Iure Canonico innuitur, cuius eſt hoc dignum e[illegible]. *Pacis auctor non bene ſine pace colitur.* I[illegible]eo e[illegible] [illegible] ſanctio. *Vt detur pax in M[illegible] poſt [illegible] nem corporis Domini, etiamſi [illegible] munis; vt vel ſic ſaltem fideles [illegible], M[illegible]*

1 Reg. 25.
Euchariſtia compeſcit iræ motus.
Abigail pane obuiat Dauidẽ placat.
Euchariſtia contracta ex pane notat vnionem.
Geneſ. 45.
Ex IVRE CANONICO.
[illegible] [illegible] cuſtodit.

[illegible]

Can. Pacem de conſec. diſt. 2. Can. Quia paſſus, de conſecrat. diſt. 2. S. Auguſt. Sermone de Sacramentis fidelib. feria 2. Paſchæ. Can. Quia paſſus §. ita Dominus de conſecrat. diſtinct. 2. S. Auguſt. Sermone ad infantulos.

eſſe myſterium pacis. Et S. Auguſtinus alludens ad vnitatem, quam panis compactus ex multis granis præfigurat, ſic nos hortatur hoc Canone. *Ecce quod accepiſtis; quomodo ergo videtis eſſe vnum quod factum eſt, ſic vnum eſtote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam ſpem, vnam indiuiduam Charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, teſtimonium accipiunt contra ſe, quia illi quærunt diuiſionem, cum panis iſte indicet vnitatem; ſic & vinum in multis racemis fuit, & modò vnum eſt in ſuauitate calicis poſt preſſuram torcularis.* Idem Auguſtinus alibi ſic ait, etſi in eodem Canone allegetur. *Dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis, & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit. Qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, teſtimonium contra ſe.*

EX IVRE CIVILI. *Lege 1. Cod. vt armorum vſus in ſcio principe. l. 11. Leg. Vnic. Cod. de caducis tollendis.*

Fitque vt homo diſcors, dum proximo infenſus accedit ad menſam illam ſacram, bellum inferat etiam Deo, quem eſt exoſus, proximum ſuum odio implacabili perſequendo. Ad hanc etiam communem concordiam omnes homines Iura Ciuilia ſollicitant. *Quibus belli indictio nulla eſt inſcio principe, ſine cuius iuſſu nullum prouocare licet.* Tanti eſt, omnes gentes, etſi aquarum ingenti diuortio diſſitas, connecti inuicem indiuiduo nexu pacis; ideoque ſi quæ homines litigia diſpeſcunt, ea ſunt componenda iuxta legem hanc eiuſdem Codicis. *Belli calamitas quod introduxit, hoc pacis lenitas debet ſopire,* vt animo concordi panem valeamus accipere concordiæ.

EX HISTORIA. *Cedrenus in Michaele Balbo.* Euchariſtiã accepturus Leo Imper. differt hoſtis ſui ſupplicium.

Hoc argumento pacis deliniuit animum Imperatoris Leonis Armeni, illius vxor Theodoſia, quæ cum videret Michaëlem Balbum ſtrenuum hominem, capite damnatum, quia fuerat iniurius Imperatori, & duci ad ſupplicium pridiè Natiuitatis Domini; hæc mulier zelo concordiæ percita accelerans ad Leonem ait: Memor eſto, Imperator, te die craſtina fore participem corporis ſacri eius, quem nihil æquè poteſt ac concordia demereri: Ob amorem Regis pacifici eſto & tu Princeps pacificus; ſi non vis edulium Angelorum cedere tibi in toxicum, noli panem vnitatis facere teſſeram diſcordiæ, qua forſitan in æternum à Deo diſpergeris. Morem geſſit ille bene ſuadæ vxori, & pepercit. Eodem ſpecimine pietatis teſtatus eſt indolem ſuam Chriſtianam vir Venetus animo ingenti, cui nomen Victor Piſanus. Is iniquè à Venetis carceri addictus, poſteà eductus graui bello exorto & eum depoſcente in generalem exercitu, glorioſè claſſi præficitur; ſed antequam graue illud ſubiret onus, innoxium ſe teſtatus eſt, & neſcium criminum, quorum ſuſpicio illum carceri manciparat; nolle tamen ſe memorem eſſe in poſterum iniuriæ illatæ; imò pro Republica, à qua fuerat contumelioſè affectus, velle ſe non militare modò, ſed ærumnas quaſque & belli moleſtias comites indiuiduas exantlare: in cuius rei fidem animo ſic pacato factus eſt Euchariſtiæ compos. O dignum omni acceptione virum! iniuriarum immemorem, vt aptior eſſet epulis ſacris, quæ ſolis patent fidelibus, qui in vnum myſticum corpus media Charitate coaleſcunt.

Petrus Bizarrus in Hiſtoria ſua ſub an. 1380. Victor Piſanus inimicis parcit ante communionem.

EX RE MEDICA. *Hippocrates l. Aphoriſ.*

Res Medica non diſſonat ab hoc inſtituto, quando ex oraculo Hippocratis ait, ante Canem & ſub Cane moleſtas eſſe purgationes. Canis quia latrat & mordet, eſt Symbolum odij & liuoris, ac proinde dico animam non debere accipere Euchariſtiam, quæ eſt remedium catharticum, Cane dominante, id eſt, vigente vltionis appetitu. Rurſus ita ſe habet Panis Sanctus ad animam, ſicut ſe habet panis vſualis ad corpus: ergo ſicut panis ille communis indiget calore corporeo vt proſit; ita & panis Angelorum requirit calorem ſpiritualem, ſcilicet amorem. Audi de calore illo quid ſentiat Fernelius. *Conſtans eſt, & rata ſententia, omnia viuentia propter incluſum in ſe calorem viuere, illius beneficio alimentum trahere, conficere, eoque nutriri ac ſuſtineri, augeſcere, procreare animantes, præterea ſenſu affici, & moueri, quantoque perfectiora hæc fuerint opera, tantò caloris vim atque ſubſtantiam vberiorem eſſe, neceſſe eſt hunc vitæ calorem præſtantioris cuiuſdam eſſe originis, neque ignei elementi rudiorem naturam redolere.* Ex præfatis duo in illo calore attenduntur. Primum eſt, beneficio illius alimentum trahi, & nutrire. Secundum eſt, calorem illum è cœlis ſuum emendicare exortum, & hæc duo congruunt Charitati.

Calor naturalis quàm beneficus ſit.

Fernelius lib. 4. Phyſiologiæ cap. 2. Charitas quid ſit.

EX THEOLOGIA. *S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 5. Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 2. 1. Ioan. 4.* Charitas nõ poteſt acquiri ſolis naturæ viribus.

Ex Theologia, Charitas non ſolùm dicit amorem Dei, ſed etiam amicitiam quamdam ad ipſum, quæ ſuper amorem addit redamationem mutuam, cum communicatione quadam mutua, vt ait Ariſtoteles, dum deſcribit amicitiam. Hanc Dei & hominis vnionem media charitate indicat Apoſtolus. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo ſine charitate caſſa eſt omnis Euchariſtiæ ſumptio, cibus enim ille cœleſtis digeri nequit ſine calore qui ſit etiam è cœlo oriundus, qualis eſt æſtus Charitatis cuius ignis non inferus eſt, ſed ſupernus, vt probat Angelicus doctor, ex hoc quod Charitas eſt amicitia quædam hominis ad Deum, fundata ſuper communicationem beatitudinis æternæ, quæ cùm excedat naturæ facultatem, Charitas quæ attendit illum finem, non poteſt acquiri potentia naturali, quia effectus naturalis non tranſcendit ſuam cauſam, ideo ait Apoſtolus. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Sic vides conuenire charitatem, & calorem, cuius miniſterio edulia concoquuntur. Quiſquis igitur ad Euchariſtiam ſe accingit, odia quæque deponat, ne charitatem extinguat: nam vt Agaperus quondam ait Iuſtiniano Imperatori, *οἷοι ἂν τοῖς ἡμετέροις γινόμεθα συνδούλοις, τοιοῦτον ἀεὶ ἡμᾶς εὑρήσομεν τὸν δεσπότην. Quales fuerimus in conſeruos noſtros, talem reperiemus Dominum.* Cauenda itaque ſors Perſarum, apud quos Rex ſignificabatur extinctus, quando ignis non ardebat. Ita planè, anima rigente, friget amor, & perperam aptatur Euchariſtia homini miniſtranda, cuius odium in proximos lethiferum algorem inſinuat.

S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 2. Rom. 5. Agapetus Diaconus in Parænesi ad Iuſtinianum. Amor proximi Deũ conciliat nobis.

EVCHARISTIÆ MENSA, E MENSA EST AMOR, A MORS CVIVS QVI RECENIT, HIC EXCADIT; QVI AMOREM NON FERT, AMAROREM REFERT.

EVCHA

EVCHARISTIA RELINQVIT animam impaſtam ſi indignè accipiatur ab anima, litigio peccati obnoxia.

In hac verba:

Litigabant ad inuicem.

SECTIO VIII.

Ex Theologia: Sacramentū quid ſit.

VT Euchariſtia præpollet aliis omnibus ſacramentis, ita etiam in ea plura ſunt ſpeculationis argumenta; nimirum conſecratio, manducatio, ſpecies panis & vini, & corpus, & ſanguis Chriſti: de eis omnibus quæri poteſt in quo conſiſtat ratio ſacramenti. Ad ſacramentum autem requiritur, vt ſit res ſenſibilis, non tantùm ſignificans, ſed etiam efficiens animæ ſanctitatem. Debuit eſſe res ſenſibilis, quia Deus prouidet vnicuique modo idoneo naturæ illius, iuxta illud. *Suauiter diſponit omnia*: & ſcriptura teſte, Deus *dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem*. Eſt autem hominibus inſitum à natura, vt ad rerum ſpiritualium cognitionem deueniant præuiis ſignis ſenſui peruiis: ergo cùm bona, quæ ſacramenta nobis ingerunt, ſint res ſpirituales; congruum fuit, vt illæ nobis ſignis ſenſibilibus innoteſcerent. Quodlibet autem ſacramentum tria noſtris mentibus ingerere debet, ſi adæquatè quis velit attendere ea quæ ſunt ordinata ad noſtram ſanctificationem, quæ conſiderari poteſt vel in cauſa, vel in forma, vel in fine. Paſſio Chriſti eſt cauſa ſanctificationis noſtræ: Gratia autem eſt forma ſanctificationis: Vltimus verò finis ſanctificationis animarum eſt vita æterna, & hæc tria quibuſque ſacramentis indicantur, ac proinde, ſacramentum eſt ſignum mnemoſynum ſeu rememoratiuum eius quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti. Eſt ſignum demonſtratiuum eius quod in nobis efficitur per paſſionem Chriſti, ſcilicet gratiæ: denique eſt ſignum prognoſticum ſeu prænuntium gloriæ, quæ nos gratia Dei inſignes excipiet aliquando præmiandos, vt angelicè ſpeculatur Angelicus Doctor.

S.Thom. 3.p. q.60.art.4. Sapient. 8.

Sacramentū tria habet cōſideranda.

S.Thom. 3.p. q.60.art.3.

Rurſus in ſacramento aliud eſt ſacramentum, & aliud res ſacramenti. Ex Auguſtino in ſacramento Euchariſtiæ, res duplex eſt, vna contenta, & eſt corpus Chriſti; alia non contenta, & eſt eius myſticum corpus, vt fusè explicatur hoc Canone. *Hoc eſt quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti.* Ratione autem corporis Chriſti, hoc ſacramentum dicitur res ſacra abſolutè, quia perficitur iſtud ſacramentum in conſecratione materiæ, & eſt res permanens: alia verò ſacramenta dicuntur res ſacræ in ordine ad aliud, & non abſolutè, quia in vſu ſeu applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum ea perficiuntur, vt Baptiſmus in ablutione, Confirmatio in chriſmatis conſignatione. Alia adhuc exurgit iſtius ſacramenti cum cæteris differentia, ſcilicet quòd id quod eſt res, & ſacramentum, eſt in materia Euchariſtiæ, id autem quod eſt res tantùm, eſt in ſuſcipiente, ſcilicet gratia quæ confertur: in Baptiſmo autem vtrumque eſt in ſuſcipiente, ſcilicet character, qui eſt res & ſacramentum; & gratia remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantùm: ſic de aliis ſacramentis iuxta naturam eorum eſt philoſophandum; nam omnia non inurunt characterem: ita diſputat S. Thomas.

S. Auguſt. l. ſentent. 1. Proſperi.

Ex Ivre Canonico: Can. Hoc eſt quod dicimus. De conſec. Diſtinct. 2.

Sacramentū & res ſacramenti.

S.Thom. 3.p. q.73.art.1.

Ex Philoſophia.

Habet item hoc ſacramentum, vt licet formaliter & perfectiuè vnum ſit; tamen materialiter eſt duplex ratione panis & vini, ſub vtroque enim totus eſt Chriſtus, & panis ſeorſim ſumptus totum continet quod & vinum. Sicut & è conuerſo vinum habet quod & panis poſt conſecrationem, & ſic faciunt duo ſacramenta, quia duplex eſt materia, ſed formaliter Euchariſtia eſt vnum tantùm ſacramentum: nam ex Ariſtotele. *Vnum dicitur non ſolùm quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuum; ſed etiam quod eſt perfectum.* Sicut dicitur vna domus, vnus homo: eſt autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiuſdem, ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum. Hac perfectionis vnitate Euchariſtia eſt vnum ſacramentum: ordinatur enim ad ſpiritualem refectionem quæ corporali refectione conformatur; ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum; & potus qui eſt alimentum humidum: ideoque etiam ad integritatem huius ſacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, iuxta illud Ioannis 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et ſic hoc ſacramentum eſt multa quidem materialiter, ſed eſt vnum formaliter, ſeu perfectiuè,

Ariſt. l. 5. Metaph. textu 9.

Euchariſtiæ Sacramentū quare ſit ſub ſpecie panis, & vini.

Ioan. 6.

Ex Theologia. Euchariſtia in multis differt ab aliis ſacramentis.

Eſt autem potiſſimum hoc ſacramentum, non vt ſacrificium aut communionem notat, ſed vt dicit ſpecies ſenſibiles continentes corpus & ſanguinem Chriſti: & nota hic ſummum intereſſe diſcrimen inter hoc & alia ſacramenta; nam alia ſacramenta conſtant elemento externo, & virtute diuina illi impreſſa, vt poſſint eſſe ſigna, & cauſæ; at Euchariſtia conſtat elemento ſeu ſpeciebus externis, & corpore & ſanguine Chriſti, quæ ſunt loco impreſſæ illius virtutis, & hinc emicat ſingularis eminentia huiuſce ſacramenti. Nam cùm alia habeant inſitam ſibi virtutem tranſeuntem; in Euchariſtia tamen eſt permanenter Chriſtus ipſe, qui eſt virtus & potentia Patris, atque adeò res eſt conſtans, & non fugax iſtud ſacramentum, quod non in actione conſiſtit, ſed in re permanente, ſcilicet in ſpeciebus, vt recondunt corpus & ſanguinem Chriſti. Et nota hanc formulam loquendi; nam corpus Chriſti non eſt ſacramentum, quia continetur ſub ſpeciebus; ſed potius ſpecies ſunt ſacramentum, vt continent corpus Chriſti. Nam ex Concilio Tridentino, hoc eſt commune Euchariſtiæ cum aliis ſacramentis, vt ſit ſymbolum externum, & viſibilis forma inuiſibilis gratiæ; at certè eſſe formam ſenſibilem, magis conuenit ſpeciebus, quàm corpori Chriſti, & hoc fit palam ex deducta ſimilitudine ab aliis ſacramentis: in eis enim licet concurrant ſignum externum, & virtus operatiua; nemo tamen dixit, ſacramentum eſſe virtutem effectricem, vt eſt in ſigno, ſed ſecus dixere Theologi omnes, ſacramentum eſſe

Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3.

Porphyrius deprædicab. 1. de ſpecie.

ſignum

ſignum, vt eſt effectiuum: ratio autem petitur ex Philoſophia; quæ docet genus primò poni, deinde differentiam; at ſignum eſt tanquam genus in definitione ſacramenti, virtus autem operatiua eſt differentiâ. Ex prælibatis liquet, Euchariſtiæ ſacramentum tenere inter ſacramenta cætera principatum, vt explicat addictiſſimus iſti myſterio Angelicus Doctor, qui plura nobilitatis Euchariſtiæ ſtemmata refert. Primò in aliis omnibus ſacramẽtis abdita eſt quædam virtus inſtrumentalis participata à Chriſto: ſed in hoc ſacramento eſt ipſe Chriſtus author gratiæ. Illud autem quod eſt per eſſentiam, potius eſt, & præſtat eo, quod eſt per participationem. Secundò finis eſt nobilior ſuis mediis; ea enim non attenduntur niſi propter finem: at Euchariſtia eſt veluti finis & conſummatio aliorum ſacramentorum; quia vnionem animæ cum Chriſto efficaciter operatur, ad quã alia omnia ſacramenta habent ſe diſpoſitiuè, vtpote ad hanc vnionem ordinata. Nam vt à ſacramento ordinis auſpicemur, ordinatur illud ad Euchariſtiæ conſecrationem, ſicut & baptiſmus ad receptionem eius, vt & Confirmatio hominem firmat ne vereatur ad illud ſacramentum accedere. Per Pœnitentiam & Extremam vnctionem, præparatur homo ad dignè percipiendum iſtud ſacramentum, quod etiam Matrimonium attingit in ſua ſignificatione, vt adumbrat Eccleſiæ & Chriſti Domini ſocietatem, iuxta illud Apoſtoli. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Demum ex ritu Eccleſiæ, nitet inſigne decus Euchariſtiæ; in ea quippe ſacramenta alia conſummantur, ordinati enim Euchariſtiam ſumunt, ſicut & baptizati ſi ſint adulti: nam finis cœleſtis Hierarchiæ in eius imitatione & coniunctione, ſcilicet Dei, conſummatur, ex Dionyſio. *Pulchritudo autem, quæ Deo digna vt ſimplex, vt bona, vt auctrix perfectionis, non eſt illa quidem admiſta omnino vlli diſſimilitudini; ſed tamen impertitur ſuum cuique lumen, pro cuiuſquè dignitate, & in diuino myſterio, pro immutabili eorum qui ritè initiantur ad ſe effictione perficit. Finis autem Hierarchiæ eſt Dei imitatio, quantum licet, ſeu cum eo coniunctio.* Cùm ergo Euchariſtia ſit potiſſimum ſacramentum, maior iniuria irrogatur ei, ſi accipiatur indignè, quàm irrogetur aliis ſacramentis, quibus ineſt quidem gratia, ſed non ipſemet author gratiæ Dominus IESVS-CHRISTVS; qui tamen eſt illic Deus abſconditus, & quaſi Sol ſpecierum nubibus obuolutus: adeóque neceſſaria eſt gratia, ex parte ſumentis myſteria ſacroſancta, vt quidam B. Thoma authore crediderint, corpus Chriſti deſinere eſſe ſub ſpeciebus conſecratis, vbi primùm attingitur labiis hominis ſibi malè conſcij; nam in forma conſecrationis dicitur hoc ſacramentum, Myſterium fidei: ergo qui non habet fidem Charitate informatam, id eſt qui peccato lethali eſt deuinctus, ille non recipit corpus Chriſti. Sed erronea eſt illa ſententia, vtpote deſtruens ſacramentum corporis Chriſti, quod eſt realiter permanens ſub ſpeciebus illibatis.

S. Thom. 3 p. q. 65. art. 3.
Euchariſtiæ nobiliſſimũ ſacramẽtum alia omnia antecedens.

Epheſ. 5.

S. Dionyſ. l. de cœleſt. Hierarch. c. 3.
Euchariſtiæ fit iniuria ab indignè accedentibus.

S. Thom. 3. p. q. 80 art. 3.

Alij abſolutè dixerunt, reprobos, dum recipiunt Euchariſtiam, non eam recipere ſacramentaliter; ſed hoc patitur gloſſam. Nam ſi ſacramentaliter reſpiciat rem ſuſceptam, hæretica eſt illa propoſitio, & eliminat realitatem corporis Chriſti quod ſuperſtite ſpecie panis, perſtat: ſed ſi vox illa ſacramentaliter attendatur ex parte ſuſcipientis, reuerà tunc anima nequam non ſuſcipit eam eſcam vitæ ſacramentaliter, id eſt, non ſuſcipit gratiæ influxum, qui ſequitur dignam Euchariſtiæ ſumptionem: ſed in perniciem & animæ diſcrimen impius accipit hoc nobile ſacramentum. Quare autem peccetur in indigna ſumptione, ſic aperit ſacra Theologiæ diſciplina. In hoc ſacramento ſicut & in aliis, id quod eſt ſacramentum, eſt ſignum eius quod eſt res ſacramenti. Duplex autem eſt res huius ſacramenti, vt præfatus ſum ſupra, ſcilicet res contenta, id eſt corpus Chriſti; & res non contenta, videlicet corpus myſticum Chriſti, quod eſt ſocietas ſanctorum. Quicumque ergo hoc ſacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe Chriſto eſſe vnitum, quod quidem fit per fidem charitate viuidam, cuius omninò eſt expers anima noxia, ac proinde manifeſtum eſt, eum qui in peccato lethali ſumit iſtud ſacramentum, committere falſitatem in hoc ſacramento, & incurrere ſacrilegium; eſt enim ſacramenti violator impius, imponens illi fucos, ſpecie pietatis ementita.

Euchariſtia cor ſumenda ſit in gratia.

S. Thom. 3. p. q. 80. ar. 5.

Euchariſtiã duplex eſt effectus.

Aſtipulatur Paulus. *Vnus panis, & vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus.* Quibus verbis inſinuat Apoſtolus, hoc ſacramentum non prodeſſe niſi membris vnitis cum capite, & aliis membris, & de eodem ſpiritu viuentibus, vt explicat Auguſtinus. At hi, quos lethale peccati virus extinxit, non ſunt viuida Chriſti membra, & Eccleſiæ, neque viuunt de ſpiritu Chriſti: ergo nihil eis ſacramentum prodeſt, imò nocet potiùs; quia mentiuntur eo ſigno, ſe eſſe id quod non ſunt, iuxta illud Pauli. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.*

1. Cor. 10.

S. Aug. tract. 26. in Ioannem.

1. Cor. 11.
Euchariſtiã quibus ſit diſpenſanda.

Fulcitur hæc ſententia auctoritate Sanctorum Patrum, qui omnes clamant, non eſſe danda ſancta canibus, nec proiiciendas eſſe margaritas ante porcos. S. Iuſtinus ſic fatur. *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alij participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lauacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto; & ita vt Chriſtus tradidit viuenti.* Et S. Cyprianus ſeuerè animaduertit in quoſdam ſacerdotes, qui dabant hunc viuificum panem peccatoribus nondum abſolutis. Sic ille. *Nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologeſi, nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Auguſtinus ideò clamat. *Innocentiam ad altare portate,* Et huic ſuppar Ambroſius. *Vbique myſterij ordo ſeruatur, vt prius per remiſſionem peccatorum, vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* Chryſoſtomus frequens in ſimilitudinibus, hac egregia vtitur. *Cum puritate accede ſemper, ſine hac ne præſumas vnquam, Regem vtique non audeas oſculari, ſiquidem os tuum olet grauiter, & Regem cœlorum impudens audes oſculari.*

Ex SS. PATRIBVS:
S. Iuſtinus in Apologia 2.
S. Cyprian. l. 3. ep. 14.
S. Auguſt. tractatu 26. in Ioan.
S. Ambroſ. l. 6. in Lucam cap. 37.
S. Chryſoſt. hom. 3 in ep. ad Epheſ.

In homines ſontes, iniurios Euchariſtiæ ob acceſſum impium & ſacrilegum, lege Iulia optimè cautum, qua beſtiæ, ignis, & furcæ decernuntur ſacrilegis: & liquidius Iuſtinianus explicat

Ex IVRE CIVILI:

Leg. ſacrileg. 6. ad l. Iuliam peculatus. Leg. 1. Cod. de ſepulchro violato. Leg. ſi quis in Cod. de Epiſcopis.

plicat naturam criminis hac lege. *Sacrilegij crimen incurrit, contrectans rem religioſam diſtrahendo*: & aliâ lege. *Sacrilegium perpetrans irruendo in Eccleſias, vel inferendo iniuriam ſacerdotibus, capitaliter etiam puniri debet per inquiſitionem.*. Quid quæſo decreuiſſet ille Chriſtianus Imperator in eos, qui pixidem ſacram qua occluduntur hoſtiæ ſacræ, ſuſtuliſſent? Credo ſacramento magis iniurios, qui illud mente noxia excipiunt; nam Deus hoc ſacrilegij genus exoſus, grauem ſe criminis huius vindicem præbuit & vltorem. Et vt à Gallia auſpicemur, vidit ea tragœdiam, quam vtinam omnes animo verſarent, dum meditantur acceſſum ad altare, religioſius fortè frequentarent amantiſſimum pignus redemptionis noſtræ. Præpotens quidam Gallus, nomine Thomas Merleus Dominus de Coucy, perduellis in Regem Ludouicum ſextum Regem ſuum, multiplici facinore famoſus, eò prorupit inſaniæ, vt perperam eum remorante conſcientia ſua, noluerit abſtinere à ſacris: ſed vt inde ſibi pararet aliquod eo fuco pietatis nomen, accinxit ſe ad communionem imparatus; quippe qui nullam pœnitentiæ partem obierat. Mirati omnes, hominem informem aſtare ſacris altaribus, vbi cùm ore hiante excepiſſet ſanctiſſimum corpus Chriſti, illico obrigente collo, protinus expirauit, quia peccauerat in vitam, ideo morte luit. Eos omnes, qui inopiè aſtant ſacris, & ſe ingerunt animo reprobo in epulas illas ſolis exhibitas Angelis, eadem manet omnino cataſtrophe, quæ extulit eos qui interfuere regiis epulis, quas quondam inſtituit amicis ſuis Sigiſmundus Battory Dux Tranſſyluaniæ. In aula Palatij regio apparatu menſæ ornatæ ſupellectile argentea radiabant, odore dapium appetitus excitatus, totus ferculis incubabat. Aduolant multi gulæ cupidine in tantis iiſque lautioribus epulis expleturi. Blandè excepti omnes diſcumbunt; ſed aduertit Princeps oculatus, iniuriarum non immemor, quoſdam irrepſiſſe in regale conuiuium, ſibi olim iniurios, & quos facti minimè pœnitebat: ille in flagranti delicto deprehenſos, a menſa detulit ad ſepulchrum; vino adhuc calente, audacem eorum & temerarium potum ſanguine diluit, quia cùm hoſtilem animum gererent, epulas ſolis neceſſariis atque fidelibus inſtitutas, inſido ſuo animo temeraſſent.

Ex Hiſtoria.

Sugerius qui viuebat eo tempore hec ſcribit in vita Lud. VI.

Euchariſtiã indignè ſumens quidã citò malè periit.

Hiſtoria Imperialis ſub Rodul. 2.

Sigiſmundi vltio de inimico accedente ad eius menſam.

Alio etiam ſimili fato, ſed Deo vindice, periit in regiis epulis vir Dynaſta Anglus, nomine Godvvinus, nequam & homicida, ſi quis vnquam. Is, inquam, occultè occiderat nemine conſcio fratrem Regis Edoardi, qui in ſuſpicionem ideo deuenerat, fratrem ſuum à nemine alio quàm à Godvvino ſublatum è medio. Eamobrem Rex aduocato eo in conuiuium, vt inter pocula exploraret, an ineſſet in vino veritas: adfuit ille animo compoſito ad periurium, ſi Rex eum de nece fratris ſui extincti conſcium vellet ſuſpicari. Multâ aſtante coronâ, Rege, & Godvvino conuiuantibus; Rex altâ trahens ſuſpiria, hominem ſicarium torvè intuitus ait: O Godvvine, me ſuſpicio non leuis exagitat, & eam planè nequeo diſcutere, te violentas iniecíſſe manus in fratrem meum. Aſt ille fruſto panis accepto, inolitâ ſibi impudentiâ Regem ſic compellat: Deum teſtor, ô Rex, me neſcium eſſe mortis fratris tui, cuius & caſum tecum gemens ego defleo; & vt innocentiæ meæ liquidius ex eo argumentum, Deum iniuriarum omnium vindicem æquiſſimum, eo quo poſſum animi niſu vigeo, vt me exterminet, ſi homicidij reum expertus eſt; & ne diuinæ vltioni flagella deſint, enixè nemeſim ſeu vltionem diuinam rogo, vt hoc fruſto panis miſerè diſpeream. O Dei iudicia, quibus nemo illudere poteſt! vir ſanguinum qui hactenus fecerat fucos, & innoxium ſe fuerat ementitus, vbi deglutire voluit panem cædis vlturem, gutture reluctante abſorbere panem, fauces contractæ ſunt, vnde & veluti ſuſpendio ſtrangulatus occidit, mortem quam ille perditè alteri intulerat ſic Deo vindicante. Paulo Apoſtolo teſte, multi occumbunt, quia non per eos ſtat, quin frater eorum eâdem humanâ naturâ editus Dominus Ieſus iterum moriatur. Quoties enim quiſque impingit in peccatum aliquod mortiferum, toties vt in ſe eſt, occidit Chriſtum, dum eum abdicat, & abiurat, & hinc multa malorum iras, quæ excipit illico fratricidas. Audi ex Apoſtolo vltrices Dei manus explicatas. *Quicumque manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Ne igitur graſſante lue lethifera, & bello depaſcente populos, quæramus extra nos cauſam malorum, quæ vniuerſum terrarum orbem Chriſtianum hodie populantur. Hæc vna eſt ſcaturigo malorum quæ ingruunt, ſcilicet, multi indignè manducant, ideò alij dormiunt iam defuncti, alios imbecillis Deus ad meliorem frugem ſollicitat. Et ne præfatam hiſtoriam Angliæ illibatam in genere morum prætereeam; peto à te, mi lector beneuole, quale eſſes Deo Patri reſponſum redditurus, ſi dum ore patulo te accingis ad ſacræ hoſtiæ ſumptionem, ſciſcitaretur a te querulus ille Pater: Fili, ſanguis fratris tui Ieſu clamat ad me de terra, vide an ſis tu fratricida, & caue ne te reum panis ille ad quem feſtinas abſorbendum ſubitò ſtranguler, & extinguat; cautiores forſan omnes fieremus, ſi mentibus noſtris ille inſideret cogitatus. Nimirum toties occidimus Chriſtum, quoties gratiæ Dei iacturam facimus; ideo dormiunt multi, & alij ſuperſtites imbecilles miſerum agunt æuum. Non modicam adiiciet fidem Cyprianus pœnis illis, quas Deus vltor exigit ab indignè aſtantibus ad altare: narrat enim pleroſque fideles, refugas, & deſertores malè habitos, quia impœnitentes voluere fieri conſcij ſacri myſterij: & vt clareat magis quam Deus ſit exoſus quæque piacula; narrat ille ſanctus, ſacramentum nequiuiſſe ſubſiſtere in ore puellulæ, cui de idolothytis, ſeu de cibis Dæmonio oblatis, quidpiam ori fuerat admotum: hanc enim nutrix impia detulerat inſciis parentibus ad idolum, vbi panis vino intinctus datus eſt ei de reliquiis ſacrifi ij nefarij.

Hiſtoria Anglica Andr. du Cheſne ſub an. 1050.

Godvvini mors ſtupẽda in menſa.

Euchariſtia indignè ſumpta mala multa vehit.

1. *Cor.* 11.

Euchariſtiã ſumpturus quid debeat à ſeipſo ſciſcitari.

Audiendum ex Cypriano, quis exitus excepit puellulæ communionem cum idolis. Sic ille. *Recepit filiam poſtmodum mater; ſed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis, eam ſecum mater inferret: ſed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens; nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu*

Euchariſtiã indignè ſumẽtes quàm diſtè olim à Deo excepti. Hiſtoriæ de indignè cõmunicantibus, quos Deus caſtigauit, eã

fluctua

fluctuabunda iactari, velut tortore cogente, quibus poterat iudicus, conſcientiam facti in ſimplicibus annis rudis anima fatebatur. Ubi verò ſolennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare; perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit, tunc ſequitur ſingultus & vomitus: in corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit, ſanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit; tanta eſt poteſtas Domini, tanta eſt Maieſtas, ſecreta tenebrarum, ſub eius luce detecta ſunt, ſacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. At verò ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus conſtituta, ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia intra fauces, & pectus admittens, angi, & anima exæſtuante concuti poſtmodum cœpit. Et preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa palpitans, & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. Et cùm quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire; igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipſe maculatus, de ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere & contrectare non potuit: cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit: documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente, mutetur. Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quàm multi vſque ad inſaniam mentis excordes, dementia furore quatiuntur? nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cùm per orbis multiformes ruinas, tam delictorum pœna ſit varia, quàm delinquentium multitudo numeroſa. Vnuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur: nec euaſiſſe ſe credat ſi eum interim pœna diſtulerit, cùm timere plus debeat quem ſibi Dei iudicis cenſura ſeruauit. Hæc ille ſanctorum pignorum Euchariſtiæ propugnator: quippe qui impuritatis oſor acerrimus noluit ſacra frequentari à ſontibus.

Euchariſtia quare infantem vexauit acerbè.

Euchariſtia refugit ab indignis accipi, vt hiſtoriis probatur.

Ex Ivre Civile. *Lib. 1. §. sed autem tecta ad Syllanum, §. finali. in Auth. vt fratrum filij ſucced. Collat. 9. Lib. 1. de in litem iurando.*

Eo æuo Cypriani, vt & noſtro, impij ſuccenſebant in ſacerdotes, eos arcentes ab altari, ſicut & hodie plerique debacchantur in Præcones verbi ſacri, quando ſacerdotes monent vt auertant ab altari reprobos, parum de ſua conuerſione ſollicitos, quos & æquum eſt ab altari detrudere, ſi crimen eorum omnibus innoteſcat, vt ſæpius eſt in Eccleſia factitatum. Nam ex Iure Ciuili. *Pœnam vel ſupplicium patitur quis in exemplum.* Et cùm hodie multi incurrant in idem facinus, quare non eidem pœnæ erunt obnoxij, quam plerique ſubierunt, turpiter eiecti ab altari? quia ex lege. *Pœnam parem exigit par delictum.* Hæc autem mulcta non diluit crimen ſacrilegij, ſed infligitur ob contumaciam, quam teſtantur impudenti acceſſu ad altare,

Vnde hæc lex ciuilis emerſit. *Pœna contumaciæ non dicitur pœna principalis.* Nam æternis ignibus addicentur poſtea, ſi impœnitentes ceſſetint ſatis. Iure Canonico liquidius eſt cautum, contra eos qui ſuo indigno acceſſu, piorum mentibus offendiculum præſtant: ſic Ius ſacrum. *Scandalum faciens Eccleſiæ indignus eſt eius auxilio.* Et non modò indignus ope quam flagitat. *Imò ſpoliandus etiam officio ſuo quiſquis eſt ob ſcandalum.* Nam ex Clementina. *Scandalus collenda eſt via, maximè illis per quæ cenſura Eccleſiaſtica vileſcit.* Et reclament quantumuis reprobi in miniſtros Eccleſiæ; eliminari debent à ſynaxi. Hos ſic affatur Cyprianus. *Alta & erecta ceruix, nec quia cecidit, inflexa eſt; tumens animus & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt; iacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur; & quòd non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. O tuam nimiam, furioſe, dementiam! iraſceris ei, qui abs te auertere iram Dei nititur; ei minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur, qui vulnus tuum ſentit quod ipſe non ſentis, qui pro te lachrymas fundit, quas forſitan ipſe non fundis; oneras adhuc crimen, & cumulas, & cùm ſis ipſe implacabilis ad antiſtites, & ſacerdotes Dei, putas circa te Dominum poſſe placari; accipe potius, & admitte quæ loquimur, quid ſurdæ aures ſalutaria præcepta non audiunt quæ monemus? quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident quod oſtendimus? quid percuſſa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cœleſtibus, & diſcimus & docemus? aut ſi incredulis quibuſdam minor eſt fides futurorum, vel præſentibus terreantur. Ecce eorum qui negauerunt, quæ ſupplicia conſpicimus, quos eorum triſtes exitus flemus? Nec hîc eſſe ſine pœna poſſunt, quamuis necdum dies venerit pœnæ; plectuntur interim quidam, vt cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum.* Hæc ille.

Ex Ivre Canonico. *Can. 2. Ne Clerici. Can. 3 de ſtatu Monach. Clem. cum ex eo de ſenten. Excomm.*

S. Cypr. ſerm. de lapſis.

Euchariſtia quibus ſit neganda.

Neminem imparatum ad hanc menſam debere pergere: & non niſi mente innoxia, apprimè explicat ars medica, quæ prohibet recipere multa medicamina, corpore minimè repurgato, ne humoris noxij malignitas, rei propitiæ caſſam faciat energiam; ita & Eccleſia indicit cathartica, ſeu purgantia pharmaca, id eſt, confeſſionem, antequam accedatur ad antidotum mortis, ſcilicet, ad viuificum panem: imò ex Hippocrate, non eſt comedendum, natura laborante in criſi; tunc enim natura ſecernit humores iniquos, morbi cauſas, vt eis ſecretis, valeat illos expellere. Ea etiam ratione, homo quem tædet vitæ retroactæ, & qui meditatur confeſſionem, quâ euomuntur noxia quæque inimica ſaluti; is inquam in eo agone non debet ſumere cibum Euchariſticum, cuius validè compos fieri nequit æger, & peccator, niſi corpore repurgato. Hæc autem animæ & corporis emundatio, peragitur exomologeſi, quâ omiſsâ, communicantes indignè obeunt ſortem virginis eius, cuius meminit Hippocrates. Ea erat Phylonis filia, quæ inſtante criſi, lautè cœnauit; ſed eadem die paſta interiit; & multi, vt præfatus eſt Apoſtolus, Euchariſtiâ malè paſti diſpereunt.

Ex re Medica. Euchariſtia quem petat apparatum. *Hippocr. lib. Epidem.*

Lienteria quid ſit.

Eadem diſciplina Hippocratis, arbitra vitæ neciſque, ait cibum qui non prima coctione digeritur, eſſe homini enutilem; nam Liente-

Duretus, in lib. 2. cap. 21. cap. 1.

Euchariſtia quando ſit noxia, & quibus.

tiam patit. Eſt autem Lienteria, fluxus cibi inutilis ob εἰρηνιν τ̃ πρώτης πέψεως, defectum primæ coctionis. Ita & Theologiæ proceres affirmant, eos qui indignè degluttiunt Angelicum panem, remanere impaſtos, ob infirmitatem caloris requiſiti ad coctionem Euchariſtiæ, quæ ſola virtute charitatis digeritur. Ideóque tota Euchariſtiæ virtus effluit & deperit homini, cuius alget amor, & quem gratia Dei non accendit: nec obſtat, eum qui impiè acceſſit ad altare, iam poſſe pœnitere, & ſic accenſutũ ignem, cuius æſtu hæc hoſtia diſſoluetur. Ex re medica certum eſt hoc Theorema. *Error in prima coctione, non corrigitur in ſecunda.* Ita qui noluit pœnitere ante ſumptionem ſacramenti, minimè etiam poſtea pœnitebit, alioquin gratia ſuum ſumeret exordium à ſacrilegio, peſſimo facinore perpetrato, & ſic homo ſacrilegus reluctãte efflato Domini reparatoris, colligeret de ſpinis vuas, & de tribulis ficus. Eſſe autẽ noxiam huiuſmodi indignè acceptã Euchariſtiam audi ex Iure Canonico.

Ex Ivre Canonico.

Can. qui ſcelerate de cõſecr. diſt. 2.

Qui ſcelerate viuunt in Eccleſia, & communicare non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad mundationem ſibi proficere, dicente Propheta: Quid eſt, quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? Numquid carnes ſancta auferent à te malitias tuas? Alio item Canone.

Can. quid eſt Chriſtum de conſecr. diſt. 2.

Quid eſt Chriſtum manducare, non hoc ſolum eſt, in ſacramento corpus eius accipere, multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apoſtolus. Qui manducat panem, & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Sed quomodo manducandus eſt Chriſtus? quomodo ipſe dicit: qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Si itaque in me manet, & ego in illo, tunc manducat, tunc bibit: qui autem non in me manet, nec ego in illo; & ſi accipit ſacramentum, acquirit magnum tormentum. Alium item accipe Canonem, qui eſt ex Auguſtino deſumptus.

Can. & ſancta mal. de conſecr. diſt. 2.
S. Aug. tract. 62. in Ioann.
Euchariſtiã male Iudas accepit.

Et ſancta malis poſſunt obeſſe, bonis ſunt ad ſalutem, malis ad iudicium, vnde Apoſtolus, qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit; non quia res illa mala eſt, ſed quia malus malè accepit quod bonum eſt: non enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Iudæ à Domino; ſalutem medicus dedit, ſed quia ille, qui indignus erat, accepit, ad perniciem ſui accepit. Et mala proſunt bonis, ſicut Angelus ſatanæ profuit Paulo, per malum enim fit bonum, cum benè accipitur malum. Pœnam quæ infligitur ſacrilego ore ſumentibus Euchariſtiam, præoſtendit Deus hac vetere ſanctione.

Leuit. 7. Morale.

Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ eſt oblata Domino, peribit de populis ſuis. Si vmbra Corporis ſacri munditiam præuiam exigebat, quem nitorem ſibi depoſcet ipſa realitas, & quibus flagellis excipiet homines auſu temerario polluentes noſtra potiora myſteria? Audi adhuc arcanum ex libro Regum, vbi hæc habentur.

1. Reg. 4. Morale.
Euchariſtia cur terrere malos debet.

Ophni & Phinees mortui ſunt & arca Dei capta eſt. Hinc diſce capi arcam Dei, ſi Euchariſtia committitur pectori immundo: nam anima malè ſibi conſcia extincta eſt, ſi in eo lethali habitu communicet. Arcam Dei, id eſt, hoſtiam ſacram ſuis obiicit hoſtibus, ſcilicet vitiis, quæ pullulant in anima immunda. Vtinam reprobi omnes eo agerentur ſpiritu, quo actus eſt Dauid poſt peccatum ſuum, de eo ſic textus facet.

1. Paral. 21. Morale.

Nec præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Deum; nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. Viſo gladio Angeli vindicis, Dauid obriguit. O reprobe ſi daretur intueri gladium qui tibi imminet accedenti indignè ad epulas Angelorum, qui alios omnes reſpuunt, quos non facit beatorum Spirituum gratia conuictores. Vellem vt gladium illum Angeli vltoris ſacrilegij ſæpius animo reuolueres; forſan ire ad altare, ô impie, minimè præualeres. Hic eſt gladius in cuius aciem incurrit laſciuiens ille ſenex, qui inſidiatus pudori Suſannæ, inſimulauit eam libidinis illicitæ, cuius iniquæ accuſationis cùm Daniel vellet ei ingerere pœnitudinem confeſſione vltronea, impœnitens ille ſenex ſtetit eo iniquitatis animo, quo falsò mulierem innoxiam accuſarat. Vnde & zelotes hic Propheta in eum ſic animaduertit.

Daniel. 13. Morale.

Mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium. Eâdem veheris naue; nam quoties, ô reprobe, iturus ad ſynaxim, confiteris confeſſione ementita, id eſt, aliqua enormia deliquia reticendo; toties mentitis in caput tuum, & cedis in ius Angeli vltoris, qui ſcindet te medium, corpus ſaniei & vermibus, animam verò dæmoni mancipando. Itaque ituro ad ſacra Myſteria, obuerſetur tibi gladius ille vindex, & eum ſortietur effectum, quem aliàs ſortitus eſt gladius, de quo Cicero: is ait Damoclem aſſentatorem Dionyſij tyranni Siculi fuiſſe à Rege appoſitum menſæ opiparè apparatæ, ſtipatum Ephebis, atque viris nobilibus, in obſequium compoſitis; ita enim ſanxerat Princeps, vt Damocles aliquid felicitatis regiæ deguſtaret.

Damoclis epulæ plenæ horrore.
Cicero.

Vbi Rex ille theatri Damocles menſæ aſſedit, vt Regiis epulis genio ſuo egregiè indulgeret, erigens oculos vidit è tabulato pendere gladium, ſetâ equinâ tantùm remorante caſum penduli huius enſis, qui capiti ſuo imminebat. Hæc ſpecies obiecta adeò hominem perculit, vt impaſtus è menſa ſurrexerit, dicens nolle ſe tanti emere epulas, quibus imminens gladius mortem citiſſimam continuò minabatur. O homo ſacrilege, qui frequentas epulas Angelorum, mente imputa: attolle oculos & videbis Angelum exerto gladio accinctum, vt ſcindat te medium, in pœnam animi impij, cuius tibi conſcius, ad ſacram menſam accedere minimè dedignatis. Ea ſanè cogitatio deterrebit ab impio acceſſu, & prouidum faciet rerum, quas illius menſæ congruus exigit apparatus.

Ex Symbolis.
Typotius lib. ſymbol.
Baſſanus rex filium ſuum plectit gladio.

Pio huic ſuffragabitur intento Symbolum Baſſani Regis Sicambrorum. Is filium ſuũ, reum iniqui facinoris, gladio plecti iuſſit, & hunc deinceps gladium, ſibi prodeunti palam præire voluit ſanguine filij ſui purpureum, vt hoc gladij vltoris ſpectaculo, populus cautior exiſteret, legibus obſequendo. Et deinceps vbique depinxit hunc enſem, hoc lemmate. Discite ivstitiam moniti. Hoc tibi volo ſemper obuiare Symbolum cogitanti de communione obeunda: nimirum putes exertum illic adeſſe gladium, cui iniuſtæ illæ voces, Discite ivstitiam moniti, arceus ab hac menſa omnes iniuſtos homines, à recto Euchariſtiæ tramite deuiantes. Non enim illis patet aditus ad menſam, quos ſibi peccata lethalia deuinxerunt, hoc præclarè ex Mathematica liquet.

Ex Mathematica.

Peritiſſimus ſyderum inſpector Hipparchus animaduertit fieri non poſſe, vt exoriente ea

con

Ex Mathematica: *Hipparchus l. 3. enarrationū ad Phænomena Eudoxi & Arati, c. 1.*

conſtellatione quam Hydrum vocant; pingitur enim in globo cœleſti adinſtar ſerpentis, ſeptuplo capite horribilis. Ille, inquam, Aſtronomus probat hoc ſerpente Hydro emergente, occultati Aram, quæ infra horiſontem eſt, Hydro ſuum diffundente virus. Ita etiam planè inuia eſt ara Euchariſtiæ ei, in cuius cor ſeptem capitales noxæ ſuum lethale toxicum effuderunt. Etenim non coeuntur Hydrus & altare, id eſt, peccata lethalia & communio non coeunt. Itaque meditanti tibi acceſſum ad altare, ſerio examine diſcute nebulas omnes conſcientiæ tuæ, vt queas aduertere, an Hydrus emerſerit, & dominetur tibi, tunc enim ire ad aras perperam intentabis, cùm Hydrus & Ara in diſſitis cœli partibus oriantur, ſcilicet Hydrus cum cancro, & Ara cum ſagittario. Hæc Aræ euerſio ad aſcenſionē Hydri ſerpentis, qui nullam Aram reperit deſuper imminentem terris, notat omnia infauſta ei, qui Hydro comite petit aras, quæ illi abſconditæ ſunt, & ſolis innoxiis apertæ ſunt.

Ara conſtellatio Aræ oppoſita.

Accipe figuram eorum iniquam ſortem explicantem. Elias vir Deo plenus, & flamine ſancto percitus, diuertit olim ad mulierem, cui filius vnigenitus erat, & is perquàm charus, qui præcoci fato deceſſit immaturus. Mater animo ſuo diſcuſſo, ſedula indagine credidit ſe indignam hoſpite tanto, quantus erat Elias, ac proinde eiulans procidit ante Sanctum, has voces querulas ingeminans. *Quid mihi & tibi vir Dei, ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Eidem pœnæ obnoxij ſunt omnes, qui Chriſtum hoſpitem excipiunt, animum geſtantes impurum; deperit illis quicquid habent charum. Caue igitur, impie, ne indignè ad altare accedas. Quid tibi & Filio Dei? Ingredietur ad te, vt rememorentur iniquitates tuæ, & interficiat animam tuam, eliſo antea corpore: ne igitur luas ſacrilegi pœnas, cautè accedas ad altare, Deum ſic deprecans: Quid tibi & mihi, Ieſu Chriſte Fili Dei viui? quid luci ad tenebras? quæ conuentio Dei & hominis vtique impuri? Ne ingrediatis ad me, vt rememorentur iniquitates meæ, & interficias animam meam, tuo indignam hoſpitio; ſed potius animam emortuam recrea viuifico pane tuo, cuius vt fiat illa compos, tu Deus hominum amans, neceſſaria ad hoc ei chariſmata propitius impertire. Si hac cautelâ præuiâ te accingas ad myſteria Sancta, ô homo Chriſtiane. *Non accedet ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo*, vt ait Pſaltes, præſcius malorum imminentium cunctis impiè accedentibus ad altare. Hoc igitur eſto effatum, in terriculum noxæ.

3. Reg. 17.
Morale. Euchariſtia ab indignis ſumpta eos malè habet.
Pſalm. 90.

QVI INDIGNE PASCITVR PANE VITÆ, IN VLTIONIS INSIGNE NASCITVR POENÆ CITÆ.

EVCHARISTIA RITE ACCEPTA, gratiarum magnos prouentus impertit.

In hac verba:

Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo.

SECTIO IX.

Neſtoris epulæ quales.

REm aliàs inaſpectam ſcribit Homerus fuiſſe propoſitam in celebri conuiuio

Neſtoris & Patrocli: nimirum Neſtor inſolita ſibi ſapientia inſignis, voluit apponi menſæ lancem, ſeu libram, & mel; poculum autem eius habebat quatuor anſas, quibus ſingulis erant affixæ columbæ ſingulæ, rutilis auro clauis. Voluit indicare grandæuus & ſapiens Neſtor, abeſſe mel, id eſt, ſuauitatem ab epulis, ſi deeſſet illa diſcretio, quâ cibi veluti expenſi ad trutinam ſunt ſumendi. Nam nimiâ crapulâ, lautiores etiam cibi nauſeant inſuaues. Hoc credo fuiſſe intentum Neſtoris à nemine obſeruatum. Interpretes aiunt, mel ſolitum apponi menſis, quia mellito vino Troiani vtebantur ex Homerô: de poculo taciti omnes; ſaltem nemo aperuit, quid innuerit Neſtor, quatuor illis anſis & columbis poculo adiectis. Arbitror eum inſinuaſſe, quatuor virtutes Cardinales vino immodicè hauſto deperire, & iiſdem quatuor virtutibus inniti proficuum vſum vini. Etenim ſibi fortiter eſt imperandum, vt arceatur exceſſus, & ſic fortitudo parens eſt temperantiæ. Rurſus prudentia adhibita, non eſt omnino abſtinendum à potu, ſicque iuſtitia comes erit prudentiæ. Item epulæ Dei immemores, hominem non ſapiunt, ſed redolent ſues Epicuri de grege: ideo columbæ inſident poculo Neſtoris, vt ſicut columba dum paſcitur ſuos diuidit aſpectus, è terra paſtum deſumens, & altero oculo cœlis intenta, vnde in eam omnia bona deriuantur; ita & homo Deo deuinctus, grati animi inter pocula ſpecimen editurus, gratias aget bonorum omnium largitori. Diceres has epulas referre ideam conuiuij, quod edidit Chriſtus in Euchariſtia, vt videre eſt ſingula perpendenti.

Homer. Iliade vndecima.
Epulis olim libra & mel appoſita.
Homer. lib. 6. Iliados.
Neſtor cur mel epulis appoſuit.

Primò, Neſtor appoſuit lancem & mel: Et nos etiam ingerimus fidelibus Chriſtianis, nullam deguſtari ſuauitatem ex hoc edulio ab his, quos iniquitas extra ſtateram conſtituit; ſiquidem lanx teſſera iuſtitiæ, & mel minimè diſpeſcuntur. Poculum illud quadruplici anſa inſigne, virtutes clamat præuias; vt accipi poſſit illud Sacramentum, cui etiam adſunt columbæ vt frumenti amantes: nam fidei oculum columbinum & ſimplicem ſibi depoſcit hæc hoſtia Sacroſancta. Demum lanx, mel, multiplex anſa, & columbæ, dum clamant, virtutes & gratiam debere eſſe comites epularum Chriſti, vt dignè quis aſſiſtat: hæc omnia, inquam, meo fauent inſtituto, & titulo ſectionis, quæ eſt de gratia præeunte ſumptioni viuifici Sacramenti, quod dignè acceptum largos pluit gratiarum imbres. A Philoſophia ordiamur.

Ex Ariſtotele ingenuo naturæ genio. *Anima eſt actus primus ſubſtantialis corporis organici, potentia vitam habentis.* Dicitur anima actus ſeu ἐντελέχεια perfectio corporis organici, potentiâ vitam habentis. Nomine corporis organici, ſanctus Thomas intelligit corpus in potentia proxima idoneum animari: vnde excluditur corpus mortuum, quod etſi omnibus organis animæ congruis ſit inſtructum; nequit tamen dici corpus aptum animari, ob formam cadaueris, quæ excluditur voce corporis organici. Ita & philoſophandum eſt de Chriſto, qui ita ſe habet ad animas noſtras, ſicut illæ ſe habent ad corpora noſtra; ait enim. *Qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Quemadmodum autem, abdita vi

Anima quid ſit.
Ex Philosophia. *Ariſt. lib. 2. de anima, c. 2.*
Ioan 6.

Euchariſtia quanam diſpoſitione debeat ſumi.

effectrice organorum, diſponitur corpus ad animæ receptionem; ſimili etiam modo anima aptatur ad Chriſtum: hæc autem adaptatio congruit ei, quæ organa format & diſcernit. Sicut enim calore viuifico naturâ corpus effingit vt animæ thecam; ita & anima charitate fit viuida, & eius habitus, quem requirit Chriſtus, vt illi in Euchariſtia tenaciter inuratur. Quamcumque autem diſpoſitionem patet homo reprobus, nolens reſilire à peccato, ineptus eſt ad Euchariſtiam; ſicut & cadauer etiamſi habeat figuras organorum, nequit ab anima tamen informari, quia abhorret à forma cadaueris. Perperam igitur plerique nolentes integrè confiteri, aut emendari, putant eleemoſynis, atque ieiuniis ſe fore idoneos ad vitam animæ percipiendam, cùm gratia magis abhorreat à peccato lethali, quàm anima poſſit corpus putidum, auerſari. Vt ergo homo vſum huius Sacramenti vitalis habeat beneficũ, præparet ſe pro modulo ad gratiam Euchariſtiæ præuenientem. Gratiæ vocabulo non intelligo quodlibet auxilium Dei mouentis liberum arbitrium: nam ad hanc gratiam, nulla eſt præparatio, quia ſi aliqua eſſet, ea procederet à libero arbitrio ſeipſum vrgente ad bonum amplexandum; ſed nullus eſt arbitrij conatus, Deo inſcio, & non ciente omnes animæ facultates. Ergo intelligenda eſt præparatio ad gratiam, vt ea dicit donum Dei habituale animam ſanctificans: hæc autem præparatio agitur multifariam, ſcilicet oratione, contritione, & pœnitentia. Gratia enim habitualis cùm habeat ſe per modum formæ, non irrumpit, ſed irrepit in ſubiectum, id eſt, præuias diſpoſitiones exigit, vt informet animam, quæ qualitate illa cœlica deſiderat inſigniri, vt luculenter ait S. Thomas.

Ex Theologia. Gratia præueniens non requirit diſpoſitionem.

S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.

S. Thom. 3. q. 62. art. 2.

Animæ effectus in corpore.

Animâ infuſâ corpori organico, nutriri incipit fœtus, & eo edito in lucem, animâ vegetante corpus, quæque potentia exerit ſibi conſonas actiones, auris audit, oculus intuetur, omnia denique exoſa ferias, iugiter operantur. Ita & vbi gratia ſeſe in animam effundit, omnia quæ ſunt animæ, viuificat & recreat: & eſto gratia omnis habitualis gratum faciens iſta ſortiatur; gratia tamen ſacramentalis, id eſt, illa quam ſacramenta efficiunt, habet energiæ multiplex incrementum, vti videre eſt apud proceres Theologicæ diſciplinæ. Primò gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam aliter infuſam, & ſuper virtutes & dona Spiritus Sancti quoddam auxilium Dei, ad habendum ſacramenti finem, ſicuti virtutes & dona Spiritus Sancti addunt ſupra gratiam perfectionem potentiarum. Rurſus gratia ſacramentalis eſt ad duo, ſcilicet ad tollenda peccata, & ad perficiendum hominem ad cultum Dei iuxta normam fidei Chriſtianæ. Item gratia & virtutes animam ſanant formaliter, ſed ſacramenta effectiuè. Denique gratia virtutum & donorum ſufficienter perficit animam, quoad generalem ordinationem actuum; ſed gratia Sacramentalis occurrit defectibus determinatis, quibus gliſcentibus anima labare poteſt & nutare, atque adeò hinc potiſſimum elucet gratia, quam, mediante Euchariſtia, nobis Deus propitius elargitur. Scilicet vt quemadmodum cibus benè concoctus nobis intimè vnitur; ita & Chriſtus, mediante hoc pane viuifico, intimè nobis adhæreſcat, iuxta Dei pollicitum. *Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in illo.* Vt enim coctio cibi naturalis, facta in tribus partibus, toto poſtea corpore diffunditur, vt nutriat quaſque partes; ita & Euchariſtia licet in animæ tribus potentiis potiſſimum concoquatur, animam tamen totam opimè impinguat.

Gratia ſacramentalis quid ſit.

Ibid. art. 5.

S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2.

Gratiæ & ſacramenti differentia.

Ioan. 6.

Audiendi in hac re Medici. Fernelius eloquenter ſuo more. *Quæ perfecta futura eſt coctio, haud quidem exiguo breuique tempore, ſed mora & cunctatione quadam abſoluitur: quocirca firmum ratumque eſſe debere duntaxat locis fieri hanc, vbi alimentum diu multumque hæret, & vis illa continendi valens eſt, ſimulque concoquendi facultas copioſo circumfluit & abundat calore; hoc autem tribus tantummodo locis conceſſum videmus, è quibus etiam triplex exiſtit concoctio, Prima in ventriculo, Secunda in iecore, Tertia in ſingulis partibus: Sua quamque antecedit præparatio, ſua ſequitur abſolutio: ſuum cuiuſque alimentum, tanquam ſubiecta materia, ſuus genitus humor.* Arguo hinc, Euchariſtiam non ſuos infundere effectus in animam, quæ ſubitò ad profana diſtrahitur; quippe concoctio moras exigit & non inſtans. In tribus potiſſimum locis illa peragitur: In intellectu, meditando Chriſti dignitatem, & noſtram vilitatem: In voluntate, amore eius æſtuando, qui ſe dedit in pretium, ſe exhibet in pabulum, & ſe ſeruat in brauium: Demum Euchariſtia digeritur in memoria, recolendo gratias, quibus obſtricti ſumus Domino Redemptori. Anima ſic concoquente panem hunc vitalem, ſenſus etiam corporis impinguantur: Oculi ad terrena cæcutiunt, & ſcintillant ad ſuperna: Aures obſurdeſcunt ad profana, & hiant ad ſermones de diuinis: Torpent manus ad illicita, & ad ſanctiora quæque promptius explicantur. Etenim Chriſtus tota anima diſperſus eſt, & hic etiam corporis membra omnia ſoſpitantur: Eamobrem ſæpius iteranda communio, iuxta aphoriſmum. Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν· πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. *Quæ corpora augentur, plurimum habent calidi innati; ideò multo egent alimento, alioquin corpus diſſoluitur:* Eamobrem Iure Canonico vrgemur ad hunc paſtum, quo ſolo conſtat hoc quod ſtamus: vnde olim rigida ſanctio Anacleti Papæ. *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus, ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Mitiùs agit Ambroſius, cuius eſt iſte Canon parænetICUS. *Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur; Qui ſemper pecco, debeo ſemper habere Medicinam.* Adiice & Canonem hunc qui eſt Auguſtini. *Qui manducant, & bibunt Chriſtum; vitam manducant, & bibunt: illum manducare eſt refici; illum bibere, eſt viuere.* Ne autem immemores ſimus apparatus innoxij, quem vendicat ſibi Sancta Communio; textum Iuris Pontificij hoc Canone concludamus. *Panem cœleſtem ſpiritaliter manducare, eſt innocentiam ad altare portare, peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera.* Et hunc Canonem Gratianus deſumpſit ex Auguſtino.

Ex re Medica. Coctio cibi in corpore perfecta quænam ſit.

Fernel. Phyſiologia lib. 6. c. 6.

Euchariſtia ſumptaquies animæ eſt neceſſaria.

Euchariſtiæ effectus in totũ hominẽ redundant.

Euchariſtia quotidie olim ſumpta.

Hippocr. lib. 1. aphoriſm. 14.

Ex Ivre Canonico.

Can. Peracta de conſecrat. diſt. 2.

Can. Si quotiescumque de conſec. diſt. 2.

S. Ambr. li. 4. de Sacram. c. vlt.

Canon. Qui manduc. de conſec. diſt. 2.

Can. Panem.

S. Aug. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli.

Idem tract. 26. in Ioan.

Ne nimius ſim in recenſendis hiſtoriis, de effectibus huius Sacramenti, vnam accipe luculentam. Conrados Imperator, & Henricus Dux Saxonum, diu mutuis odiis exarſerant, fruſtra

Ex Hiſtoria. Imperioli S. Laxari ſub anno 920. Conradus Imperator Euchariſtiã quo titu accepit.

fruſtra tentantibus amicis eorum componere ſimultates; eóque deuentum eſt inimicitiarum, vt cùm adoleſcerent auerſi Principum animi, Conradus ſuprema ægritudine decumberet. Vt afflictio dat intellectum, ille memor cœli, cœpit cogitare quæ Dei ſunt, & terrena obliuiſci. Reddit ſe ſibi, præterita acta ſua quæque animo verſat, vt effundat in aures legitimi ſacerdotis. Vrgente morbo, tollit ille moras, integrè confitetur, ſuáque omnia piacula lachrymis alluit, & demum pane paſcitur Angelorum, cuius vide effectum. Fratrem ſuum nomine Eberardum mittit ad Henricum hoſtem ſuum, cum inſulis Imperij, eum deſignans ſucceſſorem, plus valente in eò gratia Sacramenti, vt hoſtem eligeret regnaturum, quàm natura poſſet, vt fratrem ſuum ad ſolium eueheret. In typum bonorum, quæ ingerit hoſtia ſacrà, familia tota Obededom, ob arcam Dei proſperè egit in omnibus, & in tantùm, vt Dauid regio licet clarus Imperio, ſortem æmolatus Obededom, voluerit arcam ad ſe traducere:

2. Reg. 6.

Sic enim habet textus ſacer. *Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mēſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius, nunciatúmque eſt Regi Dauid, quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Dixitque Dauid: Ibo, & reducam arcam cum benedictione in domum meam.* Sed benedictiones, quas Ieſus impertit, multo præſtant eis, quas etiam omnes Patriarchæ exceperunt: ac proinde cùm ſit hoſpes noſter in communione, iure poteſt vſurpare verba Iacob benedicentis filio ſuo Ioſeph.

Geneſ. 49.
Euchariſtia animũ ditat

Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius. Nimirum cùm omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit, quam putas energiam effluere in animas, ad introitum eius Domini, à quo omnia quæ ſunt, habent vt ſint? Si licuit Iacob exprobrare ſocero ſuo.

Geneſ. 30.

Modicum habuiſti, antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. Quantò magis conuenit Chriſto, nos eodem affari contextu: O homo ante acceſſum tuum ad altare, nihili eras; ſed ad introitum meum affluentibus bonis, vſquequáque diues effectus es. Hic ſuccenſere lubet in eos qui fucatæ pietatis ergô, alios arcent ab altari, quaſi iniurios Chriſto eò quòd ſaucij medicum ſæpe conueniant, & famelici micas decidentes de menſa Domini ſui emendicent. An fortè volunt imprudentes homines, ea reuocare tempora, quorum ſortem fleuit præſcius Ieremias.

Thren. 2.

Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Et rurſus: *Matribus ſuis dixerunt, vbi eſt triticum, & vinum, cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.*

Ex Ivre Civili.

Hos homines ſuadentes parcum vſum annonæ cœleſtis, zelus indiſcretus facit obnoxios legi Iuliæ de annona, de qua ſic Vlpianus,

Dig. ad legem Iuliã de annona l. 2. Vlpian. l. 9. de offic. procenſ.

Lege Iulia de annona, pœna ſtatuitur aduerſus eum, qui annonam fecerit, ſocietatemque coierit, quo annona carior fiat. Et verè omnes qui prædicant contra eos qui ſæpius fiunt participes menſæ cœleſtis, ſocietatem ineunt, quâ annona carior fiat: ideóque lege Iulia ſunt cenſendi.

Ex Ivre Canonico:

Iure Canonico improbatur illa timiditas, quæ homines eliminat ab altari; & hinc iſte Canon. *Non prohibeat diſpenſator manducare pingues terræ in menſa Domini, ſed exactorem moneat timere.*

Canon. Non prohibeat de conſec. diſt. 2.

Ea fuit ſanctio Auguſtini, cui ſuppar Ambroſius habet hoc effatum tranſlatum in Canonem.

S. Auguſt. in Pſal. 48.
Can. Non iſte §. iſte panis de conſecrat. d. ſt. 2.
S. Ambr. l. 5. de Sacram.

Iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie quod quotidie tibi proſit, ſic viue vt quotidie merearis accipere. Hoc Canone duo commendantur: Primum eſt frequens communio, alterum eſt debitus apparatus, benè adumbratus à Rege Dauid ſic alloquente ſuos, vt legere eſt in Codice ſacro, vbi hæc habentur.

1. Paral. 22.

Ait Dauid cunctis Principibus Iſrael, præparate corda veſtra, & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite, & ædificate Sanctuarium Domino Deo, vt introducatur arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata in domum quæ ædificatur.

Ex SS. Patribus.

Hunc apparatum debere eſſe cordis, benè præmonuit Dauid, & poſt eum Cyprianus inculcauit.

S. Cypr. ſerm. de lapſis.
Veſtium pōpa ſuperflua damnatur.

Delicta noſtra reputemus, actus noſtros & animi ſecreta voluentes, conſcientiæ merita ponderemus, redeat in cor noſtrum, non ambulaſſe nos in viis Domini, & abieciſſe legem Dei: (& infra) *perſpicit ille abdita, & ſecreta atque occulta conſiderat, nec Dei oculos poteſt aliquis euadere dicentis; ego Deus approximans, & non Deus delonginquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ego ergo non videbo eum? nónne cœlum & terram impleo?* Et quia plerique cute tenus tantùm, ſe accingunt ad ſacra celebranda, ſatis ſupérque credentes eſſe ſactitatum, ſi niteat cutis, & facies terſior appareat, aut cultiùs induantur; audiendus denuo Cyprianus.

Ibidem.

An illa ingemiſcit, & plangit? cui vacat cultum pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti quod perdidit cogitare? Accipere pretioſa ornamenta, & monilia elaborata, nec diuini, & cœleſtis ornatus damna deflere? tu licet indumenta peregrina, & veſtes ſericas induas, nuda es, auro te licet, & margaritis gemmiſque condecores; ſine Chriſti decore deformis es, & quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine, & quæ nigri pulueris ductu, oculorum lineamenta depingis, vel nunc lachrymis oculos tuos ablue. Hæc ille.

Euchariſtiæ encomia.

Vt verò excitetur appetitus nauſeantis ad epulas ſacras, accipe effectus aliquales panis illius Angelorum, quo in Deum transformamur. Occurrit Irenæus.

S. Iren. lib. 4. c. 34.

Vt panis, qui eſt è terra, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti; ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Occinit Hilarius.

S. Hilar. l. 8. de Trinit.

Si verè Verbum Caro factum eſt; & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis, ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. His adiice Drogonem Epiſcopum Hoſtienſem.

Drog. Hoſtienſis, lib. 1 de Sacram. Dominica Paſſ.

Panis Angelorum, quem manducauit homo, putreſcere neſcit, non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum: illac reducit hominem, vnde traxit originem. Aliquid affine huic effatus eſt Cardinalis Damianus.

Pet. Damiani opuſc. 12. c. 33.

Hæ Epulæ, & menti noſtræ ſtomachum ſuauiter replent, & tamen cloacarum ſeceſſibus nihil debent; nihil enim de ſe prorſus egeſtioni relinquunt, ſed ad præbendas vires, per omnium ſe venarum poros diffundunt.

Ex Mathematica:

Colum lib. 11 c. 2. Plin lib 18. hiſt. nat

Spica virginis quid ſit.

Mathematica compendioſè fœtus vitales editos, ab hoc frumento electorum ediſſerit: nam ex Columella, & Plinio, decimo quarto Kalendas Octobris exoritur illa conſtellatio, quam vocant, Spicam virginis, & in exortu ſuo ſecum vehit ventum, quem Corum, ſeu Fauonium nuncupant, qui ventus eſt Auſtrinus, & is quem ſponſa Canticorum aduocabat, vt fluerent aromata. O idoneam Euchariſtiæ animaduerſionem Matheſeos! nimirum ea eſt ex frumento. ſeu ſpica orta ex Beata Virgine Deipara. Vbi primum illucet noſtris mentibus hoc rutilans ſydus, ſtatim aſpirat & Spiritus Sanctus, verè Fauonius, qui nos etiam quaſi exutis corporis exuuiis, totos ſpiritales efficit ad præſentiam ſpicæ Virginis, vt ipſe Chriſtus antea præfatus eſt, cùm ait. *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Id eſt, non tantùm ſpiritualiter intelligenda, quia corpus futurum erat in Euchariſtia modo ſpiritali, inuiſibiliter, & ſine quantitate externa occupante locum: Sed etiam verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, id eſt Sacramentum corporis mei erit effectiuum vitæ & ſpiritus. Nam mortuos excitabit, & corpori homines addictos faciet ſpiritales, aſpirante aura Fauonij, id eſt Spiritus Sancti. Inſtabis, optimam eſſe adaptationem Matheſeos, Spicæ, & Fauonij, ſi aliquo Sancti Patris teſtimonio oſtenderem, corpus & Spiritum ſimul adeſſe. Accipe Auguſtinum. *Humana caro, quæ erat peccato obnoxia, & ideò mortua, carni eius munda vnita, incorporata, vnum cum illo effecta, viuit de ſpiritu eius, ſicut corpus de ſuo ſpiritu; qui verò non eſt de corpore Chriſti, non viuit de ſpiritu Chriſti.* Habes & corpus, & Spiritum Fauonium. Habe & Symbolum quod maximè quadrat conſtellationi Spicæ Virginis, & auræ Fauoniæ. Æuo ſuperiore Sebaſtianus Rex Luzitaniæ, bellum illaturus Mauris, iuſſit hoc Symbolum labaro ſuo: ſcilicet pinxit ſtellas quaſi coëuntes in vnum aſteriſmum, ſeu imaginem cœleſtem; hæ autem ſtellæ plus ſolito radiantes, aliquod omen propitium indicabant, hoc titulo. CELSA SERENA FAVENT. Hoc Symbolo animæquior eſto, accedens ad altare. Illic eſt Spica Virginis ſydus maximè rutilum & coruſcum. Perge ſecutus hoc ſydere tibi illucente, aderit Fauonius: nam CELSA SERENA FAVENT; ſed memor eſto Sancta dari Sanctis tantùm, & negari ſontibus, vnde hæc ſit ſententia:

Ioan. 6

Euchariſtia figurata in ſpica virginis.

S. Aug. ep. ad Irenæum.

Euchariſtia eſt hominis vita.

Ex Symbolis.

Typotius lib. Symbol.

PANIS VIVVS FIT SANIS DIVVS, MALIS EST LETHALIS, QVI ALIIS EST VITALIS.

OCTO HOMILIÆ
DE
INSTITVTIONE
EVCHARISTIÆ.

EXPENDVNTVR MORALITER EA quæ Dominus Iesvs fecit ante Communionem, item & inſtante Communione, & demum poſt Communionem:

Idque omnium penè ſcientiarum ſuffragio.

ARGVMENTVM ET SERIEM HOMILIARVM proxima Præfatio faciet palam.

PRÆFATIO.

NVMEROSA *ſeges rerum, quæ ad Euchariſtiam pertinent, adeò diffuſa eſt eo tractatu, quem edidi de hoc Sacramento, vt ea copia me quaſi inopem fecerit in texendis homiliis, ſed dum ſcientiarum omnium penu perluſtraui ſagaciùs, nouam conceptuum congeriem pradiues hæc materia miniſtrauit. Vt Propheta erogata farina ſuccreuit, ita dum Publici iuris feci ſelectiora quæque mihi recondita, in eam molem ſurrexit iſte viuificus panis, vt ad contexturam octo homiliarum ſuffecerit, quas conſultis omnibus propè diſciplinis ſic dictaui, vt in illâ octauâ concionum, res nouæ & veteres coëant vſquequaque. Et licet omnes omnium tractatuum ſectiones præeunt homiliis, vt ſuo quiſque Marte ſeligat idonea conceptibus, quos voluerit adiicere concioni; rarus tamen extiti in toto hoc volumine, & parcus in repetendis, quæ expenſa ſunt alicubi: ſed, cùm ſeries homiliæ exegit, vt aliqua decerperem ex tractatu prauio, ſobriè id factum eſt, ne nauſea pareretur. Æquus igitur bonique conſule meas vigilias, beneuole Lector, quibus tibi impenſiùs conſultum eſt quàm Hebræis, quibus ſex diebus tantùm decidebat manna Angelorum eſca, ſeptimo die neſcio huius annonæ ſacræ. Ego largiore manu manna diſtribuo, totos octo Dies octauæ huius feſti, ſingulis quibuſque homiliis ſanctiùs excolendo.*

Compages tota homiliarum petitur ex inſtitutione Euchariſtiæ, circa quam tria expendo; videlicet quid fecerit Chriſtus in ipſa cœna, antequàm conſecraret ſpecies panis & vini: Secundò quid egerit ipſo articulo communionis exhibitæ Apoſtolis; Tandem quomodo concluſerit myſticam illam cœnam, ex cuius imitatione, genuinæ communionis optimum petitur argumentum. Singulis quibuſque diebus, textus & ſinguli variant, deſumpti ex ipſa Domini Ieſu cœna, cuius abdita myſteria expendo moraliter, toto hoc homiliarum tractu, illius vt ſynopſim nequando deſideres, accipe ſeriem concionum, quarum multiſecta tibi porrigitur iſto opuſculo contextura.

Prima *homilia eſt in hæc verba.* Surgit à cœnâ, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. *Hic aperio prima rudimenta vitæ pertæſæ reprobum ſuum ſtatum, & exoſæ facinora perpetrata, ingero virtutis ſtudium, quo vt linteo, properans ad Euchariſtiam eſt anima præcingenda.*

Secvnda *homilia iſtum textum præfert.* Miſit aquam in peluim, & cœpit

lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. *Iſta concione typum refero animæ prouectæ, & virtutis emeritæ, cui parùm eſt ſuos deſerere nęuos, niſi etiam adiiciat cultum exquiſitæ virtutis, cuius impigra praxis, ſequaces ſuos euehit ad altare.*

Tertia *homilia hoc themate decurrit.* Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. *Hîc explico, ante Communionem omnes colligendos eſſe affectus noſtros, vt nihil infra Chriſtum deſiderent: hoc intendit Dominus, quando ait, Deſiderio deſideraui hoc, &c.*

Qvarta *homilia eſt in hæc verba.* Vnus veſtrûm me traditurus eſt; & contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine? *Dico Chriſtum voluiſſe his verbis diſcipulos compellere ad examen conſcientiæ ſuæ, vt ſedulâ indagine explorarent, an ineſſet adhuc aliquis prauus affectus Euchariſtiæ iniurius, vt eum illicò abiurarent, veluti Chriſti Domini impium proditorem.*

Qvinta *homilia hoc contextu nititur.* Erat recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Iesv. *Dico, in ipſo momento Communionis Chriſtum recenſuiſſe mortem ſuam, vt diſcipulorum amorem excitaret; nihil enim æquè ciet amorem, quàm prauius alter amor: cùm ergo paſſio Chriſti ſit præpotens argumentum amoris Chriſti in nos, ea eſt recenſenda in crepidine altaris, vt amor mutuus incaleſcat.*

Sexta *homilia hoc prætendit thema.* Ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. *Acceptâ Communione refulget homo coruſco Dei lumine, & abſtractus ab inferioribus, Deo vnitur: Quippe claritas, & vnio ſunt effectus Euchariſtiæ, ritu debito frequentatæ.*

Septima *homilia eſt in voces iſtas.* Hymno dicto exierunt in montem Oliueti. *Dico, Chriſtum expletis Euchariſtiæ myſteriis, egiſſe gratias, noſque eius æmulos debere etiam agere gratias Deo poſt Communionem, & noua ſchemata refero gratias agenti Deo, vt his innixa typis anima, non laboret in quærenda methodo agendi gratias Deo poſt Communionem.*

Octava *homilia eſt in has eaſdem voces.* Exierunt in montem. *Dico, Apoſtolos Euchariſtiâ paſtos, proceſſiſſe cum Chriſto in montem, & hinc eruo ritum noſtrarum proceſſionum, quarum vſus inualuit infra octauam ſacram iſti myſterio. Tota autem iſtius homiliæ ſumma eſt, Communionem nos vrgere ad procedendum de virtute in virtutem: adeò vt vita hominis Euchariſtiæ compotis, ſit proceſſio iugis ad montem, non Oliueti tantùm, ſed & Caluariæ, ne Communionis effectus irriti collabantur. Huic proceſſui non deerit anima, Euchariſtia vegetior, ſi ſe quotidie interroget, quem illa die prouentum fecerit, qua parte ſui melior extiterit, quot paſſibus ad Caluariæ montem acceſſerit, id eſt qua ratione compaſſa fuerit Chriſto, cuius ærumnæ aſſumptæ, & patienter accepta ludibria, animam euehunt ad montem Caluariæ, ad cuius apicem eſt feruidè procedendum.*

Toto hoc homiliarum tractu, pie Lector, habes ſuppellectilem vtique prædiuitem, eorum omnium quæ pertinent ad hoc Sacramentum. In his homiliis Sacrificium Miſſæ tacitus, & conſultò præterij, quia in tractatu quipræit iſtis homiliis, feci mentionem de eo ſacrificio luculentam. Æqui bonique quæſo conſule meas vigilias in re tam ardua, quam diſcere magis vellem, quàm dicere aut docere. Sed ſi mel inuentum eſt in leonis exanimi faucibus, ore diducto patulis, & non dedignatus eſt Samſon ex hoc melle comedere, & partem referre parentibus; noli refugere hoc edulium ſacrum, vtique dulce ſuper mel & fauum, licet ab auctore prodierit indigno, penes quem tantæ Angelorum illecebræ deliteſcant. Non renuit accipere etiam à coruo panem Elias, etſi vſualis atque vernaculus eſſet ille panis. Ne igitur nauſeam pariat, quod hic panis ſanctus porrigitur tibi, obſequio hominis minus idonei. Si quid ſapit in his epulis, quod benè conditum demulceat animum tuum, nullam habeto mihi gratiam, ſed Deo, à quo teſtor, totum illud, ſi quid eſt optimum, effluxiſſe. Si aliqualem tamen grati animi indicem rependere vis mercedem, Deum ora vt me affectiuè eum præſtet in Euchariſtiæ vſu, quem me effectiuè exhibui ebarta tenus. Vale, & his vtere mecum.

HOMI

HOMILIA PRIMA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. EXORDIVM petitur ab impoſſibilitate vniendi duo extrema naturæ diſparis. Vnde infero, Deum & hominem, res diſſitas, non poſſe coïre in ſacrâ ſynaxi, ſine aliquo medio congruo illi vnioni; medium illud eſt apparatus is, quo ſe accinxit Chriſtus, antequàm porrigeret Apoſtolis viuificum panem. Tria autem fecit Dominus, quibus hæc erit homilia tripartita.

2. Primò Myſtagogus ille, Deo Patre conſulto ſurgit à cœnâ, inſinuans, ope Dei mendicata, eſſe epulas & alias carnis cupedias abdicandas.

3. Hac nauſeâ rerum inferarum conceptâ, dum à cœnâ ſurgimus, debemus Chriſtum, adhuc attendere, dum ponit veſtimenta ſua; eo quippe myſterio confeſſionem delineat, in quâ veteres habitus vitiorum expandimus.

4. Quod autem Dominus depoſitis indumentis, linteo ſe præcinxit, rem abditam ſubolet, videlicet non ſufficere confeſſionem ingenuam peccatorum, ſi etiam non ſubeat vitæ cultioris inſtitutum. Tria hæc expenſa homiliam concludunt, quæ eſt de contritione, confeſſione, & meliori fruge ineunda: is verò tenor eſt rerum quas expendo idoneè ad textum, vt hæc verba, *ſurgit à cœna*, faciam contritioni ſacra; ſicuti confeſſioni, iſta: *Ponit veſtimenta ſua*; linteum verò, quo ſe præcinxit Chriſtus, praxi virtutis omnigenæ mancipatur.

PRÆFATIO.

Surgit à cœna: & ponit veſtimenta ſua, & quùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. *Ioan.* 13.

RERVM Phyſicarum ſeduli ſcrutatores, ſolerti indagine rimantes apparatum, quo ſerpens accedit ad murænam ſuo acumine, duo deprehendunt conſona maximè myſterio, cui hæc omnis homilia deſudabit; primum eſt ſerpentem exuere corium vetus, ne muræna offenſa pelle rugata declinet. Itaque callidum animal ponit exuuias, & nouâ ementitâ ætate vires, demum puritatem ambiens ocyùs euomit omne virus, quo Murænæ fieri poſſet iniquior. Vtinam cautior eſſet homo ſerpentis aſtutiâ, & hinc deſumeret accedendi ad Euchariſtiam ſpecimen aliquale. Quòd ſi ingerit animo tedium, ipſa idea animalis, cuius ſpeciem induit Angelus refuga; Chriſti Domini inſtituentis rem ſacram veſtigiis penitus inſiſtamus. Et ne laboremus in ritu præambulo epulis, quibus ſe aptauit; vnicuique noſtrum textus propoſitus eſt altè & intimè conſulendus. Duo inde fiunt palam: ſcilicet, Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. *Cùm nudis à cœna ſecedentem, & quaſi pertæſum obſonia, diſce faſtidire cupedias omnes, quibus te totum hactenus, & auidè mancipaſti. Rurſus dum mente recolis* IESVM, *exuentem veſtimentum ſenſibus obuium, hoc eſto tibi ratũ & fixum; videlicet, meditanti acceſſum ad ſacram ſynaxim, omnia quæ ſenſus alliciunt, eſſe protinus abdicanda: quippe indecorum quidpiam neſcit menſam Domini, cuius matrem impensè veneramur.* Aue Maria.

Serpens ad murænã accedens virus euomit.

OMnium prope rerum genius ille eſt, vt nihil ab vno extremo deuiãs, cedat in ius alterius extremi, intercapedine inuacuâ; verbi gratia, nox opaca ſuas non diluit tenebras in inſtanti, aſt eas tergit albeſcente cœlo ſenſim, crepuſculo, & aurora prius interiectis. Non in Phyſicis tantùm ſtat hic ordo, ſed & fidei noſtræ myſteria eundem tenorem ſeruant: nimirum Deus hominem volens induere, aſpernatus eſt cuiuſvis fœminæ vterum vernaculum, vtpote contagio noxæ obnoxium; & delectu adhibito, Annam & Mariam adſciuit in parentes. In Anna, natura humana depoſuit omnimodas ſordes, & reliquit totas piaculi veteris exuuias: in Maria verò, nitela ampliore adiectâ, fuit eadem natura hominum penitus illibata. Hac cautione præuiâ Deus ſe accinxit, ad hominum formam capeſſendam: quaſi ipſe addictus eſſet iiſdem legibus, quas ipſe in natura ſanxit, vbi termini naturæ diſparis non coëunt ſine præambula diſpoſitione, ad vtriuſque naturæ vnionem intentam. Quò autem res ſunt à ſe diſſitæ longiùs, eò etiam vt coaleſcant locupletum exigunt apparatum. Hinc aiunt Philoſophi, alterari ſubiectum ſubodorans introitum formæ peregrinæ; item & actioni reactionem ſuccedere, quaſi priore formâ inuitâ, poſterior irrumperet.

Ex PHILOSOPHIA.

Ariſt. lib. 2. de generat. c. 4.

Cùm igitur hominum forma, aliena planè ſit à Deo; antequàm Deus eam aſſumeret, multimodè defæcauit. Primò aliquam rubiginem noxæ eraſit è parentibus Annæ, quæ vt futura parens Deiparæ terſior extitit; Maria verò præfulſit eo nitore, quo ſub Deo ſplendidior nequit intelligi. Eâ idem rerum Opifex propemodum ſerie, in Euchariſtia voluit homines ſibi intimè ſociari. Etenim tria aduertit ſcriba ſacer, non citra myſterium. Primum eſt, quòd Chriſtus ſurrexit à cœna: alterum, eum poſuiſſe veſtimenta ſua: demum ſe linteo præcinxiſſe, quaſi forent illa prælùdia Sanctiſſimi Sacramenti. Nam ſi vnum hominem aſſumpturus,

Homiliæ contextura. Et Diuiſio.

Euchariſtiæ inſtitutionẽ quærnã prælùdia præceſſerint.

tot

tot voluit præire oracula ſuis exuuiis in Bethlehem; iam omnes homines facturus Dei compotes, in ſacrâ ſynaxi, ritu peculiari voluit ad hoc myſterium adaptare. Dum ergo ſurgit à cœna, notat primò recedendum ab omni rerum carnalium colluuie, & hoc præſtitit parens Annæ, auiæ Chriſti Domini: exuens veſtimenta ſua Myſtagogus inſinuat, non ſufficere receſſum à vitiorum praxi, ſed veteres & noxios habitus eſſe deponendos. Tandem lintei præcinctio, decorem indicat gratiæ, quæ emicuit in Maria, ſicuti in Anna depoſitio veſtium. Rurſus tria hæc præfata innuunt confeſſionem, cui contritio iam præiuit; & ne infœcunda ſit exomologeſis, virtutes ingerit illa praxis præoſtenſa à Domino. Nimirum ſurgere à cœna, eſt animo concipere tædium eorum, quæ nos in voluptatis & cœnâ & cœno anteà volutarunt. Depoſitio veſtium ſonat confeſſionem, quæ habitus explicat, quaſi exuens veſtes obſoletas. Aſſumptio lintei mundi, virtutes vitiis oppoſitas eſſe ambiendas, animo præfigurat. In hoc triplici cardine, tota hæc vertitur homilia, quæ erit de præuiis ad epulas Chriſti: ſcilicet de contritione, notata dum Chriſtus ſurrexit à cœna. De Confeſſione quam lineat idem Deus, ponens veſtimenta. Vltimo de meliori fruge, quam inire debet homo confeſſus ad Communionem ſe accingens, quæ depoſcit linteamina munda, id eſt virtutis omnimodæ fulgidum ornamentum,

Ex SS. PATRIBVS.
Auguſtini cõuerſio vnde incepit.

Si homo neſcius viæ alicuius quam obire debet, fuerit alium nactus, qui ei inoffenſum ducatum præſtet, tutò ſe committit iniens calles, quos decurrit itineris comes opportunus; nos inſcios cliui, quò itur ad Dominum, edocebit Auguſtinus ipſe aliàs cœlitus edoctus: cùm enim pertæſus noxium vitæ genus quod egerat, hactenus verſaret animo melius inſtitutum, inſonuit auribus eius vox ingerens, ſanctioris vitæ typum eſſe de ſacro codice deſumendum. Sic ille. *Ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebro repetentis, quaſi pueri, an puella neſcio: Tolle, lege.* Non fuit ſegnis auditor, vt pergit enarrare. *Itaque concitus redij ad eum locum, vbi ſedebat Alipius; ibi enim poſueram codicem Apoſtoli, cùm inde ſurrexeram, arripui, aperui, & legi in ſilentio capitulum, quò primùm coniecti ſunt oculi mei: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Ieſum Chriſtum, & carnis prudentiam ne feceritis in concupiſcentiis veſtris.*

Lib. 8. confeſſ. c. 12.

Hæc vir Sanctus, qui Deo doctore didicit, eum qui alta ſapit, debere ſenſuum & carnis lenocinia omnia declinare: vti typicè præmonuit Chriſtus, dum à cœna ſurrexit. Non erit abs re ſequi Auguſtinum, Deo importunum repetitâ prece, vt eum ad ſuas fluctuantis animi ærumnas protinus inclinaret. Fuit & Platonis illud ingenium, nihil aggredi Deo inconſulto: poterit igitur quiſquis vſurpare voces Auguſtini, antequàm ſtrictâ indagine, ſui cordis intima perſcrutetur. *Et tu vſquequò Domine iraſceris in finem? ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum: ſentiebam enim me ab eis teneri, iactabam enim voces miſerabiles: quamdiu, quamdiu, cras, & cras? quare non modo? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amariſſima contritione cordis mei.*

Plato in Timæo.
Inconſulto Deo nihil aggredi.
S. Aug. vbi ſupra.
Auguſtini anguſtiæ quales, ante conuerſionẽ.

Auſpicatò ſanè decurrit, qui à Deo velut à carceribus incipit; & hæc formula Deum conſulendi fuit ingis Chriſto, qui leuans oculos ſuper, ſic notabat omnia inde nobis impertiri. Ne ergo labores inopiâ precum, accipe hanc breuiuſculam, & illi aſſueſce, antequàm te accingas ad ſacram Euchariſtiæ ſumptionem; vt illa magis arrideat, ſcito eam eſſe Auguſtini, Deũ amore feruido compellantis. *Lux quæ odio habes omnem maculam, vtpote mundiſſima, & immaculatiſſima, quæ tibi deliciæ cum homine? quæ conuentio lucis ad tenebras? vbi enim ſunt in homine deliciæ tuæ? vbi præparaſti tibi in me dignum Sanctuarium maieſtatis tuæ, ad quod introiens habeas delicias delectationis tuæ? mundum enim cœnaculum decet te mundans vitium, quæ non niſi a mundis cordibus videri potes, multò magis nec haberi; in homine autem vbi eſt templum tuum mundum, vt te ſuſcipiat, qui regis mundum? quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es mundus?* O te beatum, ſi Deo conſcio tua ſic omnia moderaris!

S. Auguſt. ſoliloq. 12.
Euchariſtiã ſumpturus quid debeat orare.

Ex PHILOSOPHIA.
Ariſt. l. 2. de anima, c. 9. textu 73.

Diuinæ huius opis efflagitandæ neceſſitas, ex ipſa Philoſophia eſt etiam liquidior, quâ conſtat cæcutire oculos etſi acutiſſimos, admoto obiecto, ſi lumen abſit; quippe ex defectu lucis omnia tenebraſcunt. Conſonat & ſacra diſciplina, quæ hominem veluti truncum, & mutilum clamat, opem ſuam Deo optimo denegante. Licet enim omnis gratia Dei conſcios non faciat eos, quibus cœleſtis afflat aura; tamen gratia quælibet irradians, hominem ciet ad maiora, Verbi gratia, dum hominis ſceleſti cor Deus excitat ad nauſeam voluptatum, motio illa non diluit noxas, ſed ſecum vehit lucem, quâ fœda deprehenditur eſſe facies peccatorum; hoc autem lumen intenditur atque remittitur, iuxta vniuſcuiuſque hominis apparatũ. Eamobrem Eccleſia Deo plena, ſuis alumnis hunc ſuggerit verſum, qui vtinam altas radices ageret, & noſtris penitius animis inſideret. *O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium; ſine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

Ex THEOLOGIA.
Gratia præueniens luci comparata.
S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.

Huius theologiæ non inſcia planè fuit priſca gentium diſciplina referens ſtatuam Memnonis marmoream aliàs elinguem, fuiſſe vocalem Sole deſuper illucente; quaſi diceret, homines impotes ſui, fieri ſui iuris, gratia Dei cœlitùs affulgente. Ne igitur prætexe onus confeſſionis importunum, ô homo marmoris inſtar obdurate; noli ruborem obiicere, qui præpedit linguam, ſua piacula loqui detrectantem; totum te Deo explica; excipe radios opis, quam impertit poſcentibus ea; tunc factus vocalior noxas omnigenas ei ad quem pertinet ingenuè propalabis. Vt aſſequaris intentum, ſic ora cum Auguſtino. *Omnes nos quaſi pannus menſtruatæ, de maſſa corrupta & immunda venientes, maculam immunditiæ noſtræ, quam celare præſertim tibi qui omnia vides, non poſſumus, in frontibus portamus, quare mundi eſſe non poſſumus, niſi tu mundaueris qui ſolus es mundus.* Neſcio an eò ſpectauerit Eccleſia, quæ Euchariſtiæ ſacramentum nunquam adminiſtrat, quin lumina veluti præambula accendat; quaſi diceret, illud quod agitur foris eſſe neceſſarij alterius luminis argumentum. Repetenda rurſus illa figura Moyſis, quæ ex codice ſacro. *Poſuit & candelabrum in tabernaculo teſtimonij, è regione menſæ:* non equidem perperam candelabrum adiicitur menſæ, vt qui ad menſam pergunt,

Ex HISTORIA.
Alexander ab Alex. l. 4. genialiũ dierum, c. 12.
Memnonis ſtatua.

S. Aug. Soliloq. 28.
Hominis ſtatus eſt immũditia plenus.

Ex FIGVRIS.
Exod. 40.
Candelabrũ templi quid deſignet.

gunt, reperiant antea candelabrum: id eſt, qui volunt fieri conſcij cœleſtis obſonij, lumine primitus illuſtrentur. Nota textũ addere, candelabrum poſitum è regione Auſtrali, & non Boreali: etenim ab Aquilone panditur omne malum: & vt elimatius rem totã apeiam: Lux enicans à parte Auſtrali, notitiam ſui indicat, & animam amore Dei conflagrantem: lux verò ad Aquilonem effuſa lethalis eſt; vtpote curioſos intuinis aoimæ præoſtendens: contra quos ſic cautum eſt. *Nulla curioſitate videant quæ ſunt in ſanctuario, priuſquàm inuoluantur, alioquin morientur.* Abdita ſunt reuera myſteria Euchariſtiæ, multis obnoxia fidei innolucris; penes hominem non eſt, quæ Deus voluit eſſe abſcondita reſerare. Itaque lucem deſuper illapſam, in proprios referat vſus ille cui Deus illuxit, & illicò ſurgat à cœna. Etenim cœna vita omnis hominis nefarij: vt cœna tenebras clamat, fit enim noctu, & cœnam nimiam crapula excipit, cui altus ſopor ſuccedit: ita ænum omne nebulonũ degitur in opaco ſeu caligine, quam iugis animi vecordia comitatur. Abdominis ſunt hæ pediſſequæ, tenebræ videlicet, atque deſidia; ſunt hæc vilia capita abiuranda prorſus homini, quem contritus animus vrget ad ſacras atque innoxias epulas Angelorum. Illud lupis dicunt inesse ingenium, vt vbi offendunt carnes, euomant cibos noxios quos anteà deuorarunt: ſaxit Deus vt reprobi non ſint infra lupos, cùm inciderint in ſactum Domini IESV corpus; ita vt eructent in confeſſione omnia lethalia, quæ ſuis pectoribus hactenus ingeſſerunt.

Curioſitas à ſacris arcenda.
Num. 4.
Euchariſtia tenebris eſt obuoluta.
Diuina ope mendicata, eſt abiuranda cæco.
Lupi quãdo vomant terram.

Et hoc eſt etiam rei medicæ frequens inſtitutum, quo cauetur vt æger abſtineat à pharmaco ſalutari, ſi ventriculi colluuies non fuerit anteà repurgata. Imò puſterã die homo medicamini obnoxius, ſi diſcubuerit immemor medicæ potionis, vbi ea venerit in mentem, ſtatim ſurgit à cœna, ne dapes ingeſtæ energiam Pharmaci remorentur.

EX RE MEDICA.
Fernel. lib. de Methodo medendi.

Communionem eſſe Medicinam ait textus Iuris Canonici. *Si non ſunt tanta peccata vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare.* Gloſſa hic notat, hoc Canone omnia lethalia peccata intelligi, quia hæc hominem arcent à ſacris altaribus, ad quæ aditus ei tantùm patet, qui ſe totum prorſus à ſæculi rebus reprobis expediuit. Alioquin iniurios pharmaco immortalitatis, ea ſors manet quæ multos, qui malè habiti ſunt, eò quòd ſe ingurgitarint ante potionem catharticam: quippe ventris ingluuies, & medicamenta non coëunt; ſicuti Euchariſtia, & ſenſuum deliria minimè coaleſcunt.

EX IVRE CANONICO:
Can. Si non ſint de cõſecr. diſt. 2.

Fuiſſe ſenſa Patrum eadem quæ ſuggero; audi ex Caſſiano qui hanc accepit ab Abbate Theona ſententiam, Pauli Apoſtoli eloquia recenſentem. Sic Abbas Deo charus. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles & dormiunt multi, ſpiritales ſcilicet infirmitates, ac mortes ex hac præſumptione dicens ſpecialiter generari; multi enim qui eum (puta cibum) illicitã præſumunt vſurpatione, infirmantur fide, & imbecills ſunt mente, paſſionum ſcilicet languoribus inuoluti, & dormiunt ſomno peccati, ab hoc ſopore lethali, nequaquam ſalutari ſollicitudine reſurgentes.* Nota ex Paulo, & Theona viris ſanctis, omnia animæ corporiſque deliquia, quæ communionem reprobatam excipiunt, hinc ſua ducere primordia, ſcilicet quòd ſacræ Epulæ præſumuntur. Si verò vocis huius, *præſumo*, vim expendas, noſces myſterium, ſiquidem præſumo idem eſt ac ſumo antè; nam, præ & ante, ſunt dictiones quæ ſynonymicns vſurpantur. Itaque ille præſumit Euchariſtiã, qui accipit ante præparationem debitam tanto ſacramento, quod frequentari debet duntaxat ab his qui à cœna ſua, & ſuo volutabro illicò ſurrexerunt. Is verò non præſumit, qui ante ſumptionem ſe accingit eo ritu, quem Chriſtus ſurgendo à cœna typicè præoſtendit; quo dixi compunctionem animæ deſignari. Fauet Abbas ille Theonas apud Caſſianũ, cuius eſt hæc pia paræneſis. *Compuncti ad remedia noſtrorum vulnerum recurramus, ne digni præſentis ſæculi breuiſſimã correptione non habiti, in futuro ſimul cum huius mundi peccatoribus condemnemur.* Compunctio eſt veluti quædam cordis punctio, quæ cordi nauſeam ingerit harum rerum, quarum memoria aculeos figit, exhauſtas delicias impunè, ſuo nunc importuno acumine caſtigantes.

EX SS. PATRIBVS.
1. Cor. 11.
Collatione 12. c. 5.
Euchariſtia ab indignis ſumpta, quid efficiat.
Caſſianus vbi ſupra.
Euchariſtia, & cõpunctio ſint ſimul.

Ne autem mẽs ſibi malè conſcia puſillanimis fiat, idem Sanctus hortatur, petitã ſimilitudine à re medica: nam vt ægritudo agnita compellit ægros ad medicum; ita & deprehenſa ſedulo examine deliquia, debent pœnitentes vrgere ad frequentiam ſanctiſſimæ medicinæ. Sic ille. *Non ex eo debemus nos à dominica communione ſuſpendere, quia nos agnoſcimus peccatores, ſed ad eam magis ac magis eſt propter animæ medicinam, & purificationem ſpiritus auidè feſtinandum: veruntamen ea humilitate mentis ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius noſtris vulneribus expetamus.*

Euchariſtiã non relinquenda quia ſumus peccatores.
Abbas Theon. Ex Caſſiano collat. 23. c. 21.
Euchariſtia eſt remediũ peccatorum.

Rurſus vt rebus medicis immoremur: non ſufficit ægro flere cauſas atque præludia morbi ſui, ſcilicet crapulam atque libidinem; ſed opus eſt euomere humores noxios, & aperire ſe medico: ita non ſatis eſt ſurgere à cœna, ſed & veſtimẽta deponere oportet; parum eſt odiſſe ſcelus, ſi & illud non euomas in confeſſione, vt ſordidæ animæ veſtes penitus exuuntur: in cuius rei fidem habes figuram ex ſacro codice luculentam. *Iacob conuocatã omni domo ſuâ, ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra, ſurgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Nihil à myſterio vacat in contextu iſto Geneſeos. *Bethel* בתאל idem eſt ac domus Dei; domus Dei eſt Eccleſia, cuius ambitu altaria continentur. Si quis domus Deo ſacræ deſiderio capitur, conuocet ille domum ſuam, moneat liberos atque vernaculos omnes, de exterminio impij ſimulachri. Domus tota colligitur, cùm anima ſuas potẽtias omnes, atque ſenſus ſubiicit examini, vt ſua idola prodant, habent oculi Deos ſuos, ſcilicet corporum formas egregias, quibus ſæpe ſæpius implè demouentur. Suis capiũtur idolis aures intentæ ſermonibus, qui dedecent caſtos, aut arrectæ ad verba quæ lacerant famam. Guſtui ſunt ſuæ fornices etiam, vbi ſimulachra plurima deliteſcunt. Paropſides & cacabi dapibus pleni ſunt delubra gulæ, quæ litat obſoniis. Voluntas exoſa atheiſmum, alicui ſe Deo ſemper addicit, effuſa in amorem rei cuius ſpecie fuit anteà delinita: ſcilicet ex Auguſtino. *Quod quiſque plus amat, hoc illi Deus eſt.* Abiiciendi ſunt dij alieni, & vni Chriſto attendendum: is enim non eſt alienus, vtpote eiuſdem naturæ nobiſcum, & finis ad quem debent noſtra omnia collimare. Subiicit Iacob. *Mundamini ac mutate veſtimenta veſtra:* ſiquidem eliminatis rebus noxiis, quæ ſtabulabantur in medio noſtri, id eſt in corde peccatis obnoxio,

EX FIGVRIS.
Geneſ. 35.
Euchariſtiã præcedat ſerium examẽ vitæ præteritæ.
S. Auguſt.
Euchariſtia ſtare nequit cum idolis.

obnoxio, eîncet crepuſculum vitæ ſanctioris, quæ cùm ſit ſordidæ veſtis impatiens, ſanctus Patriarcha monet exuenda reproba veſtimenta; id eſt deponendos habitus omnes nefarios, quos ad iniquam ſæpe reduximus praxim: exuuntur autem hi habitus, cùm penitus pertæſus homo vitam nequam, ſua ingenuè piacula confitetur.

Ex Historia. Chalcondylas in hiſtoria Turcica in vita Baiazet, ſub ann. 1484.

Epalis Turcæ aſſituni, cultioribus induti veſtibus.

Non incaſſum fit mentio veſtium ponendarum, nec fruſtra Dominus ſuas depoſuit: noxia quippe eſt illa compoſitio animæ, ſordida veſte ſacris epulis aſſiſtentis. Nimirum Deus lautiore amictu ſuos conuiuas iubet eſſe conſpicuos. Quod & Turcis in more poſitum eſt, quos ſi Tyrannus ſuæ menſæ iubet accumbere, eâ tantùm cautelâ patet diſcubitus, vt egregiis auroque tutilis veſtibus exornentur. Huius moris minimè neſcius Dynaſta quidam nomine Achomat, vocatus ad Principis epulas, cum ducibus aliis feralis imperij, aulam regiam ingreſſus, ſpeculans apparatum menſæ, ad quam ſe accingebant omnes ſymmyſtæ, aduertit in ſede vniuſcuiuſque conuiuæ auream eſſe veſtem explicatam, ſuum autem vacare locum, vbi cùm reſediſſet, amictus eſt pulla veſte, cuius aſpectu animis cadens vir aliàs impauidus, eiulans ait: Heu Princeps, quid peccaui, vt mediis epulis fati iniqui dederis argumentum; veſtis atra clamat mortem inſtare, meque animo tuo expunctum. Non eum mens præſaga feſellit: quippe lethi fuêre nigra illa veraque præludia; ſicuti ſecus ſpecioſæ aliorum veſtes, fuerunt indubiæ & conſtantes notæ grati animi Principis, Epulones illos hac teſſera demulcentis. Quid memoro Turcas, cùm in Euangelio quidam fuerit addictus pœnis inferis, quia velut inſcio Domino irrepſerat in myſticam menſam, ſine veſte nuptiali. Igitur vnuſquiſque ſuam veſtem luſtret ſedulò, ſi velit effugere mortem, quam Baiazet intulir ei, qui nigro amictu conuiuij gaudia conturbauit. Seipſum conuiua quilibet interroget, ſitne diſcolor habitus, & alius ab eo, quem vendicat ſacra communio; rubet animæ veſtis ſanguine pauperis, cuius bona direpta ſunt iniquis artibus; vt vſuris & litibus malè initis; fœtet illud indumentum libidinis aſpergine; maculas & pinguedinem colligit ex caupona; demum omne ſcelus fœdat candidum animæ veſtimentum. Eamobrem caueat anima noxia, ne Domini oculos offendat, in Euchariſtia diſcumbentis: ſi ſecus faxit, pulla accedens veſte, peſſum ibit neſcia venuſtatis. Ne autem veſtis Deo iniuria hominem adigat ad ſpei omnimodæ deliquium, offertur homini typus gratiæ reducis vtrique ſalutaris. Videlicet vt lethiferum exuat indumentum, quo medio ſi Principi Achomat vti fas fuiſſet, mortem ingloriam facilè declinaſſet; ſiquidem attam illam veſtem, necis imminentis prænuntiam, ſubitò proieciſſet.

Matth. 22.

Baiazet eum occidit qui nigro amictu erat in menſa.

Baron. in annalibus in Iuliano ſub an. 361.

Valentinianus refugit impia ſacra Iuliani.

O homines vitæ immortalis maximè incarios! penes vnumquemque eſt, ponere omnes criminum exuuias & ſymbola damnatorum; rari tamen ſunt qui ſe ſe expediant plenè, quaſi relinqui gaudeant, in mulctam æternam ſcelerum ſuorum, nexibus irretiti. Meliùs ſibi conſuluit Velentinianus militum præfectus ſtrenuus ſub Iuliano Imperatore, refugâ & deſertore fidei: cùm enim Princeps Apoſtata, in fortunæ impio delubro, ſuis eſſet intentus præſtigiis, & aquâ veneficâ ſe luſtraret; in Valentinianum hominem Chriſtianum reſiliit aſperſio, quâ adeò perculſus eſt vir Deo ſacer, vt guttulas gentilis aquæ ferre impos, veſtem in fruſta diſſectam protinus abdicarit, & elegerit abdicare ſe præfecturâ magis, quàm pollui Iuliani contagio. Non defuit Deus homini fidem ſuam impigrè propugnanti: nam ſublatis Iuliano & Iouiniano, ipſe rerum potitus eſt nemine reclamante. Si tuas verſare veſtes vacaret, ô anima ſegnis, quot maculas aduerteres, quas tu multiplices ex ſceleſto nebulonum hominum commercio contraxiſti: quòd ſi detrectas exuere veſtem, ne cadas aliquo lucro, quod parturit tibi impium conſortium; recole Imperium finis expers, vtpote æternum, quod te manet dato repudio criminibus, quæ innoxia tua tripudia remorantur. Quid gloriam aucuparis vtique fugacem, ex habitu tibi inglorio: obiiciam tibi, Chriſtiane, qui ſtolam gratiæ exuiſti, vt indueres alienam: obiiciam, inquam, illud quod ait S. Benedictus homini induto regalibus infulis. *Depone fili quod geris, nam tuum non eſt.* Cùm inhias honoribus, alieno habitu indueris. Depone fili faſtum & ſæculi pompam; hæc imago non Dei eſt, ſed Cæſaris; indue Dominum Ieſum Chriſtum, humilia conſectare. Quando, vt Mydas alter, nihil niſi aureum cupis attingere, veſte plus nimio coruſcâ incedis. Depone, fili, quod geris, nam habitus ille eſt Mammonæ & eius aſſeclarum; pauper amictus non dedecet diſcipulum eius, qui vltroneam profeſſus inopiam, ſequacibus ſuis prædiuites gazas aliquando largitur. Cæterum Domini Ieſu exemplo, veſtis exterior exuenda, vtpote næuis patens, & tunica interior eſt ad communionem, vtpote mundiſſima præferenda.

Valentinianus quare ſuas veſtes exuit.

Surius in vita S. Benedicti.

Veſtes quales deponendæ ſint.

Ex SS. Patribus. Euchariſtiæ præparatio qualis eſſe debeat.

De verbis Apoſtoli, ſer. 2. Veſtis atra damnata in conuiuio.

Annon id voluit inſinuare ſanctus Auguſtinus, ſic fatus. *Diligenter attendite, ſi ad menſam cuiuſcumque potentis hominis, nemo præſumit cum veſtibus ſciſſis & inquinatis accedere, quantò magis ad conuiuium æterni Regis: ideò ab altari Domini debet ſe vnuſquiſque inuidia vel odij veneno percuſſus, iracundia furore repletus, cum reuerentia, & humilitate ſubtrahere, propter illud quod ſcriptum eſt: Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? & illo obmuteſcente dixit miniſtris: Ligate illi manus, & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id eſt ad altare Domini, aut ebrius, aut adulter, aut odium in corde retinens præſumit accedere.* Hactenus ille. Equidem credo Auguſtinum, adeò ſollicitum veſtis huiuſce nuptialis, in impios inſurrecturum, qui ſqualido veſtitu, id eſt corde ſpurciſſimo ſacris altaribus aduoluuntur, & armaturum zelum ſuum alio acutiore textu, eo quo in Vatinium conuiuio importunum Cicero debacchatur.

Ex Profanis. Cic. epiſt. ad Quintũ fratrem. Vatinianus carpitur ob veſtem nigram in cõuiuio.

Fuit ex inſtituto priſcis Romanis, candidâ veſte diſcumbere in publicis Epulis, vt nihil indecorum agere, ſed omnia illic facere pura ſcirent, ex veſte etiam albicante, inſtituti tenax Cicero, aduertens Vatinium adeſſe celebri cœnæ atro amictu, non potuit ſibi temperare quin clamaret. *Quis vnquam cœnauit atratus?* Si Auguſtinus, & cœlites cuncti aſtarent menſis Eccleſiæ, & luſtrarent omnium fidelium veſtes, quot abigerent inde, exclamantes: componite vos admodum beatarum mentium, nigráſque veſtes, innocentia dealbate. Nemo Sanctorum

rum cœnauit attatus, tergire nigredinem, indicem criminum quibus opacus ille color optimè mancipatur.

Ex Figuris. Acham ob pallium occiditur.

Nullas impiæ veſtis omninò reliquias aſſeruandas, diſce ex ſacrilego Acham, qui ex vrbe Iericho deuotâ flammis, pallium aſſeruans coccineum, obrutus eſt lapidibus; ad ſupplicium ipſum Deo met expoſcente. Si quid pium occultas in confeſſione, illud coccineum eſt atque purpureum, imò coccum eſt bis tinctum: nam ſcelus omne ruber ſanguine Chriſti, quem, vt in ſe eſt, necat. Credidit Acham abdito pallio ſe ditiorem fore, ſed contra, res malè recondita, reliquam eius gazam abſumpſit, vt ait Scriba ſacer, cuius ecce textum. *Dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac: lapidauitque eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt.* Malè itaque conſulunt ſibi, qui malè parta refugiunt explicare. Etenim dum minimam facultatem nolunt confiteri iniquè adiectam ſummæ legitimè acquiſitæ, tota peſſum it familia, Deo confeſſiones mutilas vlciſcente. Cautior eo exemplo homo, exuat veſtes exoticas, vtque præſagas inſtantis fati longè eas abiiciat, id eſt ſincerâ confeſſione ſe explicet confeſſori pœnitens anima, adeóque ſuas horreat noxas, vt non ore tenus tantùm repudiet, ſed & abdicet praxi poſtmodum incunctante.

Ioſue 7.

Ex Ivre Canonico: Confeſſionis encomia.

Can. Ecce nunc de pœnit. diſt. 1.

Nimirum reproba eſt illa confeſſio quam polluunt crimina ſequutura; vt liquet hoc Canone, quo confeſſionis integræ encomia propalantur. *Ecce nunc tempus acceptabile adeſt, in quo confeſſio à morte animam liberat, confeſſio aperit paradiſum, confeſſio ſpem ſaluandi tribuit, vnde ſcriptura dicit, dic tu iniquitates tuas vt tu iuſtificeris: his verbis oſtenditur, quia non meretur iuſtificari qui in vita ſua peccata non vult confiteri: illa ergo confeſſio nos liberat, quæ fit cum pœnitentiâ, pœnitentia vera eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis quæ quiſquis commiſit, pœnitentia eſt, & præterita mala plangere, & plangenda iterum non cõmittere.* Hactenus hęc ſanctio canonica, quæ pœnitenti eaſdem præſcribit leges, quas medici indicunt ægris dummodò conualeſcant: ſit verbi gratiâ homo calculoſus, vino gulæ indiſcretæ; lapis ille inæquali ſuperficie veſicam lancinans, ægrum adeò diſcruciat, vt aperiri ſibi veſicæ collum vltro patiatur: educto lapide, non hominem linquit medicus ſagax, ſed cautè paſtum, & ſoſpitem factum, aſtutè monet de regimine poſtmodum obſeruando. Scilicet caueat à calidis, qualia ſunt aromata omnia, & vinum potens, abſtineat à crudis, vtpote phlegma creantibus; quia, inquit, cauſa efficiens calculi eſt calor immodicus, quo dũ renes æſtuant, coquunt phlegma, quod eſt materia lapidis importuni. Hortatur ſapiens ſanitatis redux, vt fugiat æger ea quæ fomitem miniſtrare poſſunt vtrique cauſæ, effectrici ſcilicet & ſubiectæ, alioquin ait perperam apertum corpus, quod incautè ſe exponit lapidi generando. Et hæc methodus curandi dicitur peritis rei medicæ, ἐνδε-λεχῶς τελείως, ſanare perfectè: nam ſi elinguis eſſet medicus ægro ſuperſtite, ille priſco genio indulgens, in priores ærumnas incurreret, abdominis ingluuie, & concreſceret lapis recens ob συγκεχυμένην coëffuſionem humoris καὶ ἐπιγένεσιν & propagationem materiæ, in renes & veſicam iugiter effluentis: ita & is, penes quem eſt cura animarum, debet ſedulò ſuis neophytis inſudare, præmonendo fruſtra os apertum in confeſſione, vt educerentur ſaxea crimina, ſi gratiæ redditus aſpernatur familiares ſcelerum anſas poſteà præcauere. Verbi gratiâ pœnitens quis libidinis æſtum aperuit, quo proſperè curatus eſt; fugiat neceſſe eſt quæque ſopitum Veneris incendium poterunt excitare, vt ſunt inhoneſta verba, atque commercia cum correis; Baccho, & Cerere parcè vtendum, quippe ſine eis libido alget.

Ex re medica.

Duretus in praxim Holerij.

Calculi in veſica cura.

Pœnitentia quas cautelas exigat vt ſit perfecta.

Hunc eſſe tenorem obſeruandum liquidò eſt ex Patribus, in quibus minimè vulgaris eſt, & illaudatus S. Auguſtinus, de confeſſione loquens, alludens ad rem medicam vtrique ſalutarem. Sic ille. *Hortatur nos ſæpius ſancta ſcriptura, ad medicamenta fugere confeſſionis, non quod Deus indigeat confeſſione noſtrâ, cui omnia præſtò ſunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus; ſed nos aliter ſalui fieri non poſſumus, niſi confiteamur pœnitentes, quod iniquè geſſimus negligentes; qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc diabolus non habet iterùm accuſare in die iudicij: ſi tamen confitens pœnitendo deleat quæ fecit, nec iterum renouet quæ egit.* Expende ſingulas Sancti voces, & inde deprehendes analogiam omnimodam intereſſe, inter ægrum qui conualuit, & inter hominem pœnitentem. Primò medicus laudat Pharmacum, diſpenſationem dicens eſſe Hippocratis, aut Galeni; ita & Auguſtinus confeſſionem commendat, ex codice ſacro eam ſæpe ſæpius extollente: medicus ingerit ægro eâ tantùm potione poſſe iri obuiam morbo, quo vexatur; ita & ſubiicit Auguſtinus, nullos poſſe fieri ſoſpites inconfeſſos. Medicus tandem ait, ſummam ſanitatis reſtitutæ eſſe penes repudium eorum omnium, quæ diſſoluere queunt probum corporis habitum; eâ item ratione concludit Auguſtinus, ſine fugâ occaſionum noxæ, irrita eſſe pharmaca pœnitentis. Siquidem Præſul ille ſcientiſſimus artis ſoſpitandi animas, ſic fatur. *Magnum eſt ſalutis medicamentum, non iterare quæ impiè geſſimus, nec priorum cicatrices vulnerum reſanciare.*

Ex SS. Patribus.

Sermone 66. de tempore.

Confeſſionis neceſſitas. Pœnitentis & ægroti comparatio.

Fuga occaſionis ad peccandum neceſſaria.

vbi ſuprà.

Ad hoc facit prudens inſtitutum equitum Rhodiorum, qui cùm aduerterent, magno ſuæ religionis incommodo, ægros diu imbecilles etſi non deeſſent pharmaca eis opportuna, cauſam ſciſcitantes à medicis, rei remorantis citam ſanitatem; reſponderunt illi, eam eſſe intemperantiam malè ſeſe habentium, inanes enim eſſe medicorum auſus, ſi ventri voluerit æger dum conualet, indulgere. Hoc audito, Proceres nobilis huiuſce ordinis, ſanxerunt in comitiis, eos omnes quorum ſaucia foret habitudo, victuros impoſterum, ex præſcripto medici, quod ſi ſecus faxint, eo ipſo ex infirmorum cœnobio deturbandos. Vigente hoc ſtatuto, eruti ſunt plurimi è faucibus mortis.

Ex Hiſtoria.

Bodinus in calce hiſtoriæ Equitum Rhodiorum.

Ægri viuãt ex præſcripto medici.

Iure etiam Canonico eliminantur à foribus Eccleſiæ, conſiliorum eius impij contemptores. Sic ſe habet Canon. *Si quis intrat in Eccleſiam Dei, & ſacras ſcripturas audit, & pro luxuriâ ſuâ auertit ſe à communione ſacramenti, & in obſeruandis myſteriis, declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, illum talem proiiciendum de Eccleſiâ catholicâ eſſe decernimus.* Eodem Iure Pontificio, ſacerdotum conſcientia obligatur, ſi incauti fuerint, hypocritis altaria permittentes, ſunt etenim plures qui ſe mentiuntur pœnitentes;

Ex Ivre Canonico.

Can. Si quis intrat de conſecrat. diſt. 1.

tentes,vt adirus pateat ad ſynaxim, & tamen tetroactæ vitæ impiæ, occaſiones & reptoba repetunt argumenta. In hos leges ita cauent.

Euchariſtiã qui refugit qua pœna dignus.

Can. nõnu'li de Pœnitentia diſtinct. 2.

Nonnulli ideò peſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi reddi communionem velint; hi non tam ſe ſoluere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare, ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt, cuius præceptum eſt, nolite ſanctum dare canibus, neque miſeretis margaritas veſtras ante percos, hoc eſt immundis ſpiritibus ſacra communionis non impendenda conſortia. Ambroſij eſt hoc dogma, iuri inſertum vt præpotens, ad ea quæ innouantur ſcelera compeſcenda.

Lib. 2. de Cain & Abel cap. 9.

Euchariſtiã ſacerdos prudenter pœnitenti det.

Adeò magni eſt momenti declinate cauſas delinquendi, vt in eo propè ſalutis cardo omnis vertatur; ſiquidem plurimi vltrò animi ſui explicant abdita confitentes, ſed referre pedem vnde recens abiêre, labor eſt eis penitus inportunus. Eſtque id facinus audax magis, dedignari concupita prius, quàm in confeſſione cui ſecreti ſigillum ineſt, pandete crimina perpetrata; hoc enim facit ſimplex oris apertio: aſt in repudio omnium voluptatum, quanta coëunt certamina? illa planè omnia quæ Auguſtinum teneræ pietatis, validè laceſſebant: ſic ſuos ille cruciatus aperit ad ſolamen eorum quos lucta ſimilis exercebit. *Nunne diuerſa voluntates diſtendunt cor hominis, cum deliberatur quid potiſſimum arripiamus? & omnes bona ſunt, & certant ſecum, donec eligatur vnum, quo feratur tota voluntas vna, quæ in plures diuidebatur; ita etiam cum æternitas delectat ſuperius, & temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima eſt non tota voluntate illud aut hoc volens, & ideò diſcerpitur graui moleſtiâ, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit, ſic ægrotabam & excruciabar, accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac voluens ac verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen.* Rei magnitudo non prætendat inertiam, ſed animos acuat ad gloriam, nullum à communione diſtrahat ea difficultas, expediendi ſe ab obiectis, quæ nos ſollicitant ad ruinam; imò potiùs excitet ea laus, quam meretur de dubio agone victoria reportata.

Ex SS. PATRIBVS: Pœnitentis pugna ſecũ. Lib. 8. Confeſſ. cap. 10. & 11.

Ex HISTORIA: Du-pleix in Henrico. 4. ſub an. 1592.

Fuit ea indoles Henrici quarti Gallorum regis inclyti, quem vt decus huius æui gentes omnigenæ ſuſpexerunt, is ſemper incurius de numero hoſtium, non quærebat an copioſus eſſet exercitus; ſed dumtaxat explorabat, vbi & quando ſua caſtra, hoſtilia agmina metarentur. Quippe impauidus Rex victoriam animo concipiebat ante congreſſum: vbi verò inæquali Marte ſuos deprehendebat vt impares numero fatiſcere; præpotens ille Heros de regreſſu cogitans, hoſtium irruentium impetum cautè, & validè declinabat. Remque præſtitit prope miraculum, dum occurrit Alexandro Farnezio Principi præfecto Caſtris Hiſpanorum. Ille numeroſo ſtipatus exercitu, Galliam ingreſſus, Regni caput Pariſios contendebat. Rex Gallus pertæſus Hiſpanicam pompam, exigua manu irrumpit in phalanges, eaſque primas aperit obuias & ſternit, ad ſuos minimè regreſſuras. Facinus audax demirans Alexander, & ſpeculans rarum hoſtem in denſa agmina incurriſſe, ſuas explicat acies, vt occluſo Regi viam præpediat ad ſuos integrè repedandi: pro nuto Ducis eximij, expanſa agmina Gallos cingunt. Diceres hîc finem fati Regis Henrici; fuiſſet ſanè Regis alterius: quomodo enim quingenti equites euaderent auſus viginti millium hoſtium? nihilo tamen ſegnior Henricus totum ſe colligens, atque canens receptui, multa edita ſtrage; ſoſpes & integer hoſtium ſpiſſa agmina penetrauit. Poſtera die equitem miſit qui reſciret à Duce Farnezio, quid ſentiret de exitu illo Regis ex acie adeò diffuſa. Alexander poſtulatus ait nobili illi viro: Dicito Regi me magnifacere facinus eius audax, quo ſibi fecit iter ad regreſſum, inuium planè; ſed adiice, me Farnezium nunquam retuliſſe pedem de agmine inimico. Voluit Dux Hiſpanus detrahere aliquid heroicæ actioni ob receſſum Regis, dum adiecit ſe non ſolitum recedere, ſed hoſtem cogere ad regreſſum. Hoc eſto, laus ſua quemque manet: in moralibus nullis eſſe implicitum occaſionibus noxæ, illud eſt gratiæ ſingularis; ſed vbi multa irrepunt, quæ hominem pelliciunt, ea omnia diluere, credo eſſe virtutis vtrique præpollentis. Dignum planè Deo ſpectaculum, homo pœnitens, & voluptatis omnes cupediæ coeuntes, ea tamen ſorte vt diſſoluat neophytus animus, laqueos omnes, quos inſidæ carnis illecebræ prætenderunt.

Henricus IV. Gallus hoſtium numerum non curabat.

Henric. IV. parua manu militum, hoſtis exercitũ aggreditur.

Deponenda igitur audacter vetera veſtimenta, licet inuita voluptate, quæ ſi remoretur egreſſum noſtrum, affigendo ſe veſtibus obſoletis, æmulemur adoleſcentis pudici Ioſeph ingenioſam aſtutiam; is heræ ſuæ adulteræ nefarios volens fugere amplexus, pallium depoſuit, quo à pellice aſtuta callidè tenebatur. Dum quis meditatur Euchariſtiæ ſumptionem, multa ei ſe offundunt, quæ abſterrent, animumque aliò diſtrahunt, aſtant pleraque facinora peſſima, eademque ſuggerunt quæ Auguſtino quondam: ſuadentque, exuere veſtes aſſuetas ad tempus, id eſſe facile negotium, ſed eaſdem nequaquam reſumere, rem eſſe ſupra hominem, & gratiæ ſingularis. Adiicit dæmon, tot ad virtutem obices eſſe, quot vitiorum ſpecies animis inſident, quæ emergente occaſione, quæ paſſim obuia eſt, virtutis incunabula frangunt. Facile eſt technas eludere, & fugare hoſtem vaferrimum impia ſuſurrantem: ad hoc facit Regis Henrici Galli generoſa reſponſio, cui cùm obiiceret hoſtis eum fuiſſe prope non captum, vtpote effuſo agmine circumcinctum ait: Non eſt ignauia hoſtibus impeti numeroſis, ſed inglorium eſt ignauis hoſtibus ſuccumbere, prælium detrectando. Ita dæmoni ſuggerenti tibi, te valladum obice multiplici, ſi abiures priſcos mores, diſcute inſtantiam eo planè modo quo Rex Gallus. Non datur vitio ſuſtinere impetus; innoxium eſt tentari, ſed irrita facere hoſtium tentamina glorioſum.

S. Auguſt. lib. 8. confeſ. cap. 11.

Fugere occaſiones peccati non eſt ignauia.

Henrici IV. Galli vox magnifica.

Longiùs forſan oratio diſcurrit, in hoc argumento veſtium ponendarum, quia tamen firmiter adhærentes, res eſt operoſa valde, ligulas omnes ſubitò diſſoluere, & rurſus aliud ſubeſt negotium, quæ ne reſumat homo depoſitam veſtem, eſt ſeriò præmonendus. Inculcanda ei pœna Giezi, qui cùm accepiſſet veſtem hominis à lepra mundati, percuſſus eſt eâ plagâ, quam debuerat etiam ex veſtium contagio præcauere. Sic homo recens à peccato ſanctior factus, erit edocendus. Si vitiorum habitus inoliti, animum ſuccutiunt, memor eſto hos habitus, eſſe veſtes hominis leprâ ſaucij; ſi ſpecies mulierum animum demulceat, ſcito eſſe

Ex Figuris. 4. Reg. 5. Veſtes fuere maleficæ Giezi.

libidinis

libidinis veſtem, cuius fœda colluuies, à te vnico conſenſu contrahetur. Demum ſi criminis alicuius idea deliniris, irrita fiet confeſſio, peſſum ibunt omnia de meliore frugi vota, vacuæ omnes recedent gratiæ cœlitus illapſæ, & in caput ruum lata in incautum Giezi ſententia deuoluetur. Sic in eum Eliſæus fatidico ſpiritu deſæuiit. *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas, ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Eo contextu damnantur omnia, quæ fuerant hominis leproſi; ita & ab homine quem pœnitet vitæ iniquæ, ſunt omnia retroacta crimina reprobanda. Aliàs etenim ſemini eius, id eſt, omnibus actibus adhærebit lepra, quia quicquid egerit, repetito ſcelere reprobum erit, Deoque exoſum; denique vt cœlis minimè dignum, erit ignibus inferis expiandum. Ei verò, qui ſordido amictu carere voluit, non faceſſet vllum negotium alia res obeunda, quia ſe accingit ad viuaces epulas Chriſti, qui vbi poſuit veſtimenta ſua, linteo ſe præcinxit, vt notaret poſt depoſitionem animæ ſordium, eſſe ſectandam munditiem, & vitiis expunctis, virtutis eſſe tramitem ineundum.

Confeſſionē quænam debeant excipere.

Prima Chriſtianæ iuſtitiæ rudimenta clamant, eſſe declinandum à malo, & bonum faciendum: huius homiliæ partes recenſitæ, mali repudium ſuasêre ſatis ſupérque; parænesi ad virtutis obſequium, pars hæc poſterior inſudabit: nam ſicuti parum eſt aperire vulnera medico, & ſaniem detergere quæ affluit, ſi non & balſamum infundatur, aut aliud quidpiam congruum reduci ſanitati; ita & flocci eſt, ingenua ſynceraque confeſſio delictorum, ſi pœnitens animo non concipit inſolitum vitæ typum, quo inito queat paſſas animæ ſuæ ruinas impigrè reparare. Hunc callem ingreſſus eſt Auguſtinus, qui vbi vale dixit impiis vitij cohortibus, vbi omnem excuſſit voluptatis præteritæ memoriam; Chriſtum induit plenè, totumque ſe virtutum omnium choro illicò mancipauit. Audiendus ille. *Sed vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitriũ meum, quo ſubderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leni ſarcinæ tuæ, Chriſte Ieſu, adiutor meus, & Redemptor meus? quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt carere ſuauitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eiiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas; eiiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior; omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & ſaluti meæ, Domine Deo meo.*

Ex SS. PATRIBVS.

S. Auguſt. Lib. 9. Confeſſ. cap. 1.

Gratia Dei mira ſuauitate perfundit animos.

Hanc Auguſtini de ſeipſo, qui digeret hiſtoriam; ille reperiet, eum in alium hominem illicò tranſiiſſe: conceptâ namque nauſeâ ſchematis eius æui, quod egerat antea, nouum ebibit ritum vtique innoxium, ſeque non ſegnem præſtitit virtutis omnigenæ ſectatorem. Vt autem pararet & ſequaces in hoc agone glorioſo, explicat quantas & ſuaues delicias ingerat virtutis amor, qui dum expungit obſcœnas voluptatis ſpecies, animam euehit ad gaudia Angelorum. Quemadmodum ſordidâ & fœtidâ veſte exutâ, homo graueolentiam minimè patitur; at ſuaueolentem veſtem induendo, odore grato perfruitur; ita qui diluit præteritas noxas, fœtoris eſt neſcius, & virtutem excolens balſamo illius illicò recreatur. Præſtita ſibi obſequia, Deus ſubitò compenſat, aliqua prælndia beatitudinis impertiens, quibus valeant homines, vitæ ærumnoſæ aliquales detergere moleſtias, ſicut exemplo ſuo edocet Auguſtinus, ſuauiter à Deo exceptus; vbi ſua ſordida depoſuit veſtimenta, & ſplendida lintea comparauit.

Non eſſe ad communionem ſeu menſam Dei accedendum vernaculâ veſte, liquet ex figuris priſcæ legis, & ex ea potiſſimum, qua ex inſtituto maiorum Hebræi albis induti agnum Paſchalem comedebant: fauet & cautio quâ Rebecca filium ſuum Iacob induit, vt oſculum præberet Patri ſuo epulanti. Accipe rem ex Geneſi, *Veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Eccleſia aſſeruat veſtes Domini Ieſu fratris noſtri primogeniti, his induit animas cùm ſuggerit ſtudia virtutis, cuius amictu quiſquis præcingitur, ille equidem inſigni linteo decoratur. Rurſus idem Codex ſubiicit, benedictionem patris fuiſſe filio impertitam, ob fragrantiam indumenti, vt legere eſt ibidem: ſtatim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri cui benedixit Dominus.* Anima ſancta Communione paſta, ager eſt odorem ſpirans, qui efflat ex flore frumenti; eſt enim Euchariſtia frumentum electorum: eo odore captus Dominus Deus, ſuorum Chariſmatum vberes latices elargitur. Illa item veſtium pompa requiſita erat, ad acceſſum in regias ædes Aſſueri, quæ inuiæ fuêre Mardochæo, ſacco ſeu veſte obſoleta induto, vt ait ſcriptura ſanctior. *Mardochæus ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti, & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui, & hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens; non enim erat licitum indutum ſacco, aulam Regis intrare.* Neſcio an à Perſis ad Turcas tranſierit ille faſtus & pompa veſtium, quarum nitela adeò religioſè exigitur ab impura gente, vt ipſis etiam legatis aliorum Regum, nefas ſit aſtare Turcarum Principi, ſine nitela veſtium; & ne peccetur in eo inſtituto, ſunt qui legato accedenti ad aulam regiam Turcarum, præbeant veſtes auro & gemma multiplici rutilantes. Putat gens ſuperba, fieri iniuriam ſolio, ſi vulgari habitu quiſpiam adeat Regem. Luculentum exemplum præbet generalis ille præpoſitus Rhodiorum Equitum, Philippus *de villiers*, poſt inſulæ Rhodiæ fata ſuprema, quibus ceſſit in ius Turcicæ tyrannidis. Vir grandæuus, traditâ vrbe iuxta condictum, cedere volēs inſulâ, Meſſinam verſus noluit vela dare ventis, Solymanno Turca Principe inconſulto. Aptauit ſe exitui Dux ille ſuo caſu infœlix, & vt ruinæ ſymbola referret, pullâ veſte luctum ſuum prætulit, eo amictu Solymannum aditurus; ſed vbi pergere incepit eò, vbi erat Princeps victoriâ ſuâ inſolens, negato aditu diu ſtetit ſenex veneranda canitie, & ſorte ſua miſerandus. Exigente eo rationem morarum, reſponſum eſt, non conueniri Regem atrâ veſte: itaque ſiſtendum, donec afferretur decens veſtis, eo iniquius ferente moras, allata eſt tandem aurea veſtis, quam pompaticè compoſitus, conceſſum eſt ei viſere Solymannum. Neſcio quid affine

Ex Figuris.

Euchariſtiā qua veſte ſit accipienda.

Geneſ. 27.

Veſtis fragrans Deum conciliat.

Ibidem.

Eſther. 4.

*Veſtē tritâ nefas adire Turcarum Dominum.

Ex HISTORIAE

Guillelmus Poſtellus libro de inſtitutis Turcarum.

Rhodiorum Magiſter quo apparatu ad Turcam acceſſit.

Bodinus in Hiſtoria Rhodiorum Equitum.

Solymannus Turca quomodo excepit Rhodi Magiſtrum.

ſubodoror in ſacris, nimirum Mahometes è ſacris bibliis multa collegit, quibus imperij ſui decus & inſigne, æuo ſuo pro modulo conſecraret. Legerat homo ſacrilegus veſtium apparatum, quo ſacerdotes adibant templum & inde deſumpſit in veſte ſuperbâ, regiæ ſymbola maieſtatis. Cùm ergo ritus ille, quo Princeps Rhodius adiit Turcam, ſpiret quid inſolitum, liceat nobis illum myſticè coaptare.

Plerique confeſſi ruinas ſuas, triſtem habitum animi corporiſque referunt, & præterita deflent piacula, ſatis ſibi credunt eſſe conſultum his lamentis, de virtute in poſterum exercendâ, minimùm cogitantes; ſi eo animo adeunt Eccleſiam, ſciant eſſe nefas conuenire Chriſtum in Euchariſtiâ, eo lugubri tantùm modo. Nam etſi pœnitere, Deo ſit placitum, ea tamen ſola veſtis pulla non arridet; opus eſt aliâ cautione, ſcilicet aurea veſtis eſt ſedulò comparanda: ſiquidem vitio exoſo, virtus eſt excolenda; quippe ea reuocata ad praxim, indubium eſt vitæ innosiæ atque cultioris argumentum. Hoc eſt quod intendo ex myſterio propoſito à Chriſto, cùm non poſuit veſtimenta ſolùm, ſed & linteo ſe præcinxit: quaſi elingui facto diceret, inane eſſe poſitas exuuias vitæ iniquæ, ſi non & ſtudeat vnuſquiſque ipſius Domini linteum aſſumere, id eſt mores innoxios æmulari.

Ex THEOLOGIA.

Peccati duo dicit.

Hoc dogma liquet ex Theologiæ principiis, quæ docent in peccato eſſe auerſionem à Deo, & conuerſionem ad obiecta, quæ ſunt infra Deum; vnde deducitur hic diſcurſus. Pœnitens anima ea eſt, quæ à peccato reſurgit, redux ad gratiam: ergo duo ſunt præſtanda, contraria eis, quæ hominem fecere à Deo hactenus alienum; id eſt debet homo auerti à creatis, & conuerti ad Deum. Declinat à creatis cùm ſua ponit veſtimenta; ad Deum verò conuertitur, cùm linteo ſe præcingit, id eſt cùm diſcinctus anteà nullo virtutis cingulo inſignis, iam fit multâ virtute conſpicuus, deuiando à peccato, & ad Deum retrogrado tramite gradiendo.

Ex SS. PATRIBVS:

S. Aug. in Manuali c. 25.

Totam hanc animæ pœnitentis Hiſtoriam concludit Auguſtinus, ſummam rei definiens eſſe in voluntate effusâ in omnigenum bonum. In propoſito themate ſic decurrit. *Nihil ditius bonâ voluntate Deo offertur. Bona voluntas Deum ad nos deducit, & nos in eum dirigit: per bonam voluntatem Deum diligimus, ad Deum currimus, ad Deum peruenimus, & eum poſſidemus: ô bona voluntas, per quam ad Dei ſimilitudinem reformamur, & ei ſimiles efficimur! ita amabilis Deo eſt bona voluntas, vt ipſe in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit. Bona voluntas illius ſumma maieſtatis Trinitatem ad ſe inclinat; ſapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat; charitas ad deſiderium bonitatis inflammat; paternitas in eâ cuſtodit quod creauit, ne pereat.* Hactenus Auguſtinus. Ille aſſerens, bona voluntate homines ad Deum currere, peruenire, & eum poſſidere; inſinuat eſſe pœnitentes linteo præcingendos. nam mutila eſt illa pœnitentia, quæ exoſa ſua facinora iniqua, non concipit innoxium vitæ genus, neceſſarium planè ei, qui vult fieri compos corporis Domini Ieſu, ſacroque illo epulo ſaginari.

Voluntatis bonæ miri affectus.

Ex MATHAMATICA.

Clauius in Sphæram de longitudine imaginum cœleſtium.

Non abhorret cœlica Matheſis ab hoc inſtituto, quo indicitur ſplendida veſtis ei, qui aſpirat ad eum panem qui electorum frumento coaleſcit: ea etenim diſciplina recenſens aſteriſmos ſeu imagines, quibus zona zodiaci diſpungitur, vnam commemòrat cui nomen eſt virgo, manu ſpicam porrigens, ea autem virgo veſte induta eſt conſitâ ſtellis adeò numeroſis, vt in virgine tota Aſtronomi viginti ſtellas ſupra ſenarium referant emicare: quaſi virgo illa cœleſtis non fuiſſet auſa attrectare ſpicam cœli, vulgari amictu, ne fieret iniuria frumento, quod reponi nequit alibi, quàm in linteo multiplici ſydere coruſcante. Duo inſinuat animaduerſio hæc cœleſtis: primum eſt ſtatus virginalis; alterum eſt numerus inſignis ſyderum, quæ coeunt ad myſticam hanc ſpeciem virginis illuſtrandam. Vtinam homines infima tandem aliquando pertæſi, diſcerent vel è cœlis, aſcenſum ad ſuperas haſce plagas; reſcirent inde, puritatem exigi ad ſpicæ ſeu Euchariſtiæ contactum, licitum tantùm ſtatui virginali, id eſt ſtatui adeò exoſo corruptelam, vt ſit de integritate tantùm iugiter ſollicitus. Sydera quæ rutilant, virtutum praxim ſedulam ſuo lumine præoſtendunt. Sit igitur fixum vnicuique, citra hæc duo, ſcilicet ſtatum virginalem, & ſydera, ſpicam non haberi: quippe eos tantùm manet, qui æmulantur indolem virginum; demum hoc frumentum, cœlo vtpote Deo Patre ſatum, ſtudio maximè virtutis omnigenæ delectatur.

Virgo ſpicā tenens in globo cœleſti quid ſignificet.

Euchariſtiæ præparatio inſinuata ex globo cœleſti.

Ex SYMBOLIS.

Typotius lib. Symbolorum Euchariſtia figurata ſymbolo ventilabri.

Eamobrem non remoror, affingere Chriſto Domino Symbolum Cardinalis Crinelli, qui pingebat ventilabrum purgans triticum, hoc titulo deſuper. *Sordida pello.* Loquaci hac picturâ innuebat pius Antiſtes, ſe non ferre reprobos neque eorum mores, aſt potius eos odio habitos longiùs amandare. Hoc ſanè Chriſtus eloquitur totâ illâ ſerie quam deſcripſi: nam ſi ſciſciteris, quid intendat ponens veſtimenta ſua, & linteo ſe præcingens; compendioſè dicam. *Sordida pellit*; id eſt nos edocet eo typo, quomodo priſci habitus exuendi ſint, & ſuperinduendi alij cultiores, quibus præterita queant deliquia reformari.

Procul hinc igitur eſtote vilia capita aſſueta ſordidis; talia vitiorum mancipia non capit hæc menſa, à qua Deus omnia *Sordida pellit*: vna hæc eſt ratio tentandi aditus ad Epulas iſtas, ſcilicet mundus amictus, ſeu omnium quæ ſordent integra purgatio. *Sordida pelle*, & ſic terſior non aderis modò conuiuio, ſed confeſtim ad paſtum panis viuifici compelleris. FAXIT DEVS.

HOMI

HOMILIA SECVNDA.

SVMMA HOMILIÆ,

1. PRIMA gratia meritum non ſupponit vt præuium; requirit tamen gratia ſacramentalis aliquam diſpoſitionem, vt dico in exordio homiliæ quæ eſt de diſpoſitione, quam depoſcit Euchariſtia, ad quam debet ſe quiſque accingere eo ritu quem Chriſtus indixit, mittens aquam in peluim, lauans pedes diſcipulorum, & linteo eos tergens, quæ tria faciunt iſtius orationis ad populum, integrum argumentum.

2. Aquarum effuſio, index eſt lacrymarum, quæ erumpunt ex concepto tædio peccatorum.

3. Lotione pedum illa calet aqua, nimirum affectus, qui ſunt veluti pedes animæ, lacrymis emundantur, perperam enim ſua defleret ille piacula, qui conſtare vellet ſibi eoſdem affectus inolitos, quorum vindices fletus opera reprobarunt. Hic obiter inuehor in eos, qui lauant quidem manus, dum noxios actus aperiunt in confeſſione; ſed illotis pedibus pergunt ad altare, præferentes eoſdem animos & propenſos ad prærerita deliquia: in hos ſacrilegos eſt toto pectore debacchandum.

4. Demum Chriſtus adiiciens deterſionem pedum, eo linteo quo erat præcinctus, edocuit affectus purgari à vitiis, ſi ſe virtuti aptent oppoſitæ vitio, cuius ebiberunt anteà contagium; virtus námque mundo linteo deſignatur. Hic aperio in quo ſita ſit ſumma virtutis emeritæ, & quo tenore debeat anima progredi ad apicem vitæ, à noxiâ omnigenâ defæcatæ.

PRÆFATIO.

Miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.
Ioann. 13.

Cygnus panem non edit niſi aquis tinctũ.

CYGNVS *auis fluuiis aſſueta adeò nitela ſua & decoris amans eſt, vt neſcia terræ propemodum eſſe videatur, ne ex luti contagio, pennas inficiat candidas ad æmulationem niuis: eam quam habitu munditiam præfert, ſeruat & in paſtu; ſi namque porrigitur panis, quo mirificè capitur, non illum deglutiet, quin prius intingat aquis, quaſi cibus ille madens, inde puritatis capiat incrementum. Themate propoſito, Chriſtus viuificum panem porrecturus, quidpiam ingerit affine indoli auis mundiſſimæ.* Mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum: *candorem Cygni illis impertiens, dum deterſit eo linteo quo antea ſe præcinxit. Hac lotione edocuit, non pedes tantum cute tenus ante ſumptionem panis ſancti, ſed & eſſe totam animam abluendam: eò quippe initio ritu fiet, vt anima delibuta lacrymis, quarum profluuium peperit mæror facinorum; fiet inquam, vt viuificus ille panis madeat, ſumptus ab homine ſua lugente piacula. Et eſto candori panis Angelorum nihil adiiciant animæ fletus; non irrita tamen erumpunt lacrymæ: earum virtus Deo inuiſibis, deflentis facit animum illibatum. Hunc imbrem ſalutarem, ſi virtutum praxis ſedula excipiat, candidum linteum ſuis pedibus adiecit homo, Cygni habitum induens: quippe deterſâ nigredine, quam vitia affingunt, albicat anima ſanctior effecta, & Deo propitio ſingulari gratiâ dealbatur. Luculenti vades horum effectuum fuerunt Apoſtoli: eteni moti induere candorem illum, cuius fieri poteſt compos vnuſquiſque, eundem tenorem ſeruans, præuia ſcilicet lotione pedum, id eſt præmiſſo repurgio affectuum, & myſtico linteo pedibus aduoluto. Eâ munditiâ erit candida hæc homilia tota, quæ ideò cedit in ius Deiparæ, cuius candor maculæ neſcius, fuit miraculo Angelis: eam ideò colentibus, vt inſignem ea albedine, cui ſunt impares beatæ etiam illæ mentes, à quibus mutuò capiamus normam, Mariam demerendi,* Aue Maria.

Euchariſtiæ præambulæ ſunt lacrymæ.

SAnctioris diſciplinæ dogma indubium eſt, non poſſe hominem vllo naturæ conamine demereri gratiam gratum facientem; ſi quidem res ſunt adeò diſſitæ, hominum auſus, & gratia, vt coire nequeant, ratione diuerſi ordinis, conſtituto homine in puris naturalibus, naturam verò gratia tranſcendente. Ne tamen fatiſcat homo, ſuorum inopiâ meritorum, quibus comparare nequit gratiam; Deus inſtituit ſacramenta, quorum frequentiâ poteſt homo fieri conſcius rerum diuinarum, dummodò ſe accingat pro modulo ſuo ad ſacra illa obeunda myſteria, quibus gratior Dei influxus illicò comparatur. Aiunt enim Theologi, remoto obice nunquam irrita eſſe ſacramenta: tollitur autem omnis obex, præuia diſpoſitione; bifariam autem anima diſponitur, negatiuè ſcilicet, atque poſitiuè; negatiuè quando nihil repugnat quin ſacramentum ſuum ſortiatur effectum, vt videre eſt in puerulis, quorũ næuos ab origine iniqua contractos, ſtatim diluit baptiſmatis aqua ſalutaris: nihil enim in eâ tenera ætate obſtat, quod remorari queat influxum gratiæ, comitis indiuiduæ ſacramenti illius, inſtituti ad hoc vt filij iræ redeant in gratiam. Alia verò diſpoſitio petitur ab adultis, videlicet poſitiua, dicens actus elicitos, qui quò viuaciores ſunt, eò etiam gratia vegetior

EX THEOLOGIA.
S. Thom. 2. 2. q. 109. art. 5

Sacramenta gratiam conciliant.

S. Thom. 1. p. q. 79. art. 5.

Gratia quas diſpoſitiones prætêquatat.

ſllabitur, quâ hominis rediuiui anima recreatur. Illorum actuum potiſſimus eſt contritio, ex Beato Thoma: & quia illa coaleſcit ex multis coeuntibus ad eum actum perficiendum; Chriſtus Dominus ideam rei adeò neceſſariæ præbuit, antequam cibo corporis ſui diſcumbentes Apoſtolos ineſcaret. *Surrexit à cæna, poſuit veſtimenta ſua, linteo ſe præcinxit*: quæ omnia clamant tædium retroactæ vitæ, & propoſitum inſtituti rectioris, vt fusè ſuperiori homilia edocui.

Ioan. 13.

Euchariſtiã quænam debeant præcedere.

Non hic tamen Deus in humanis manum mouit de tabula, ſed tria adiecit ſuperioribus aſſinia, vt apparatus ad communionem conſonus, altiùs noſtris mentibus inſideret. Primùm miſit aquam in peluim, deinde cœpit lauare pedes diſcipulorum, demum linteo pedes terſit, quo erat præcinctus.

Homiliæ diuiſio & contextura.

Aquarum calentium illa effuſio, animæ contritæ lacrymas clamat, indices triſtitiæ animum pœnitentem validè lancinantis: hinc prior homiliæ iſtius pars erit madida lacrymis: pedum ablutio, affectuum animæ munditiem loquitur, de qua altera portio homiliæ erit: tandem lintei vſus ad pedes detergendos, ſonat eas ſordes, quas anima contraxit ex vitiorum cœno, dilui tantùm virtutibus oppoſitis, quarum perpetua & ſedula praxis, ea deterſione pedum graphicè figuratur. Huic vltimæ actioni addicta erit homiliæ pars poſtrema, tota occupata in virtute ſuggerenda, cuius indefeſſo tantùm ſtudio poſſunt homines ab aſſueto ſuorum ſcelerum tramite reſilire.

Ex Philosophia: *Ariſt. lib. 1. Phy. c. 5.*

Circa rerum omnium Phyſicarum exordia & prima elementa, inter priſcæ Philoſophiæ Proceres extitere perpetua litigia, aliis alia ad arbitrium ſuum compoſita prodentibus, Philoſophantium temerè: deliria huius argumenti Ariſtoteles refert, commemorans Parmenidem, Meliſſum, atque Democritum, quorum calidum & frigidum eſſe prima principia dixit Parmenides, qui vt ſuam aſſereret ſententiam, omnia conſtare aiebat igne, & terra, quæ duo calido & frigido deſignantur: vocabat ille calidum, ignem, & ens; frigidum verò terram, & non ens.

Principia rerum quàm varia a Philoſophis aſſignata.

Meliſſus verò raritatem, & denſitatem vt principia inuexit. Democritus verò ait contrarietatem eſſe rerum omnium principium; cenſebat enim omnia ex inani, & atomis, quæ inter ſe pugnant, coaluiſſe, illaque indiuidua corpuſcula, ordine, figurâ, ſituque differre. Tandem Ariſtoteles ſuam aſtruit ſententiam de principiis, vbi aliorum ſenſa ſeriò ventilauit. Hæc eſt autem ſummi Philoſophi luculenta opinio, eſſe ſcilicet tria principia generationis rerum naturalium, videlicet materiam, formam, & priuationem.

Euchariſtiæ percipiendæ tria principia.

Nimirum quicquid generatur, progreditur à non eſſe ad eſſe, vt præ ſe fert nomenclatura generationis: ſi progreditur à non eſſe, illud non eſſe erit vel nihil, aut aliquid carens debita perfectione ſeu forma, quam ſuſcipere aptum ſit; non poteſt eſſe illa progreſſio à non eſſe ſimpliciter, id eſt à nihilo, alioquin eſſet creatio & non generatio: erit ergo ab alio non eſſe, nempe à materia, cui inſit priuatio formæ rei, quæ gignitur: ſic illa materia, & priuatio, duo conſtituunt principia, quibus ſi adiicias formam, quæ dat eſſe ſpecificum, exurgent tria principia rerum Phyſicarum.

Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. cap. 7.

Totidem ego dixerim eſſe præludia Euchariſtiæ conſummandæ, eaque eiſdem vocibus deſignanda, quibus efferunt ſua principia Philoſophi, & vt ad trutinam ſingula reuocem; primum quod quæritur ab homine communionis auido, eſt repudium eorum, quibus lethaliter hactenus addictus eſt, hoc autem ex animo repudiũ, nonne eſt priuatio omnigenæ voluptatis? Rurſus ex eodem Philoſophiæ fonte, principiorum alia ſunt contraria, alia verò ſecus, in compoſitum aliquale coaleſcunt; contraria principia ſunt, forma ſuperinduens materiam, & priuatio einſdem formæ, quæ oppoſitionem quandam dicit: coeuntia autem principia ſunt, materia & forma, partes totius phyſici exurgentis; ita & in ſubiecto communionis argumento, præire debet oppoſitio priuatiua, quippe carentiam rerum omnium noxiarum debet ſibi proponere homo in cunabulis pœnitentię, & hinc progredi ad alia principia quæ concordant, videlicet excitare vota ſua ad virtutis amplexum, quæ dum vota noſtra ſubſequitur & informat, formæ & materiæ indolem æmulatur: vota namque & affectus hominum ſunt veluti materia, quæ omnes reſpicit formas; ſiquidem homines deſideriis ſuis nihil inuium faciunt, ſed obuia quæque delibant, dum ea concupiſcunt.

Sed ne diuagemur à præfata diuiſione iſtius homiliæ, ſiſtamus in primo principio, quod eſt priuatio, cui quadrat effuſio aquæ, quâ diluuntur ſordes: ſordium autem purgatio, earum eſt priuatio, à qua non auſpicans homo reliquis pœnitentiæ partibus perperam inſudabit.

Lacrymæ ſunt principium vitæ moralis.

Ex Figuris.

Hinc demiror ingenium Thaletis illius Mylêſij Philoſophi, qui in aquis ſeminalem ſpeculans vim ineſſe, aquas dixit eſſe rerum exordium. Si in Phyſicis deficit opinio, ea tamen eſt conſtans in re quam expendo; aqua enim fuit veluti præambula myſterio Euchariſtiæ, ante cuius inſtitutionem, miſſa eſt in peluim; imò aqua fuit inſigne loci; quò ipſe Dominus Deus & Apoſtoli perrexerunt: ſiquidem dubiis diſcipulis, vbi fieret Paſcha; Chriſtus obuiam iuit nutantibus animis dicens: *Occurret vobis homo amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis Patri familias domus: Dicit tibi Magiſter, vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?*

Luc. 22.

Matthæus adiicit, Chriſtum explicitè mandaſſe ei, penes quem erat illa amphora aquæ. *Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha.*

Matth. 26.

Grande reuerà myſterium deprehendo, in aquarum hoc typo cœlitus effulgere: ſi abditæ rei fieri vis conſcius, hoc te minimè lateat, aquas eſſe ſymbolum lacrymarum, quas vbi quis effuderit, non longè eſt à Chriſto, qui pro foribus adeſt, illud inſuſurrans. *Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha*; quaſi diceret: Ecce me tibi propitium, ô pœnitens, communio iam tui iuris erit, te iamiam manet illud Paſcha, quia baiulas amphoram aquæ, dum cor lacrymarum largo imbre madet; tibi adſum flenti, à quo abfui, quando corde arenti reprobus extitiſti: ne igitur quære alia communionis exordia, ô anima anhelans ſacra commercia, ſi baiulas amphoram aquæ, apud te Ieſus ſuum faciet Paſcha; ſin verò ſecus dehiſcunt aquæ, aliò diuertet idem Dominus, vtpote exoſus ea loca, quæ ſunt penitus inaquoſa.

Lacrymæ ſunt Euchariſtiæ apparatus.

Eò etiam ſpectat primum miraculum, editum ab eodem Domino patratore mirabilium, quippe vini nuptiarum inopiam leuare noluit, quin miniſtri hydrias replerent aquâ; tanti Deus facit elementum puritatis præferens iudicium: ſed quanti putas faciet rem ipſam, cuius etiam ſymbola gratiis

Ioan. 2.

illuſtrat

illuſtrantur? Diſce hac ex figura, vinum conſecratum illis dumtaxat propinari, qui hydrias ſuas impleuerunt aquâ, id eſt communionis vſum eos tantùm ſpectare, qui ſe malè conſcios largis fletibus alluerunt. Illud idem vetus codex prætulit, in typo mannæ, cui decidenti præiuit ros; Deo inſinuante, lacrymas eſſe congrua præludia ad ſacra viuida colligenda. Habent & aurifices aliquid idoneum iſti materiæ: hi enim toti in auru defæcando, cùm quidpiam inſigne moliuntur, ab eà incipiunt aquâ, cui indidere nomen diſceſſus, ab effectu; ſcilicet ſi auri integritas dubia eſt, eam hac rimantur indagine; fuſili auro & liquato infundunt aquam illam, cuius attactu, feruens aurum recedit ab omni exoticâ materiâ, cuius expers beneficio illius aquæ, perfectionis debitæ rutilans recipit incrementum.

Aqua diſgregante defæcatur aurum.

Eo auri repurgio cautiores, comparemus aquam quæ potis eſt emundare nos à delictis, quæ ex ſeculi luto contraximus. Deus voluit aſſeruari manna, & recondi aureo vaſe; aureos nos decet eſſe, vt diuertat ad nos, quaſi ad ſuum ſacrarium, ſacrum illud pignus: ne igitur nobiſcum concretæ ſordes, inimicæ ſint nitori eius auri, quod exigit manna, fletibus immergamus. Et vt tenacior ſit idea aquarum illarum, quas ego hic extollo, vtpote detergentes omnem animi rubiginem, recolamus ingenioſum ſymbolum Comitis Aquinatis, Doctoris angelici abnepotis. Pingebat ille auem cui nomen eſt Mergus, eò quòd crebrò mergitur aquis, quibus abdita aliquandiu, tandem emergit longè ab eo loco, vbi viſa eſt anteà delitere. Illi ſuo Mergulo Comes voculas iſtas affinxit. *Mergar vt emergam.* Reuerà qui ſe immergit aquis lacrymarum, ille emergit in gratiæ apicem, eò altiorem, quò demiſſior fuerit abyſſus, in quam ſe dimiſit anima dolore ſaucia; quò enim ampliùs tumet aqua, eò etiam nauem euehit ad ſuperna.

Lacrymarũ virtus mira.

Ex Symbolis. *Ex lib. Symbol.*

Non latuit Auguſtinum fletus eſſe præambulos ad paſtum animæ ſingularem; ſic enim gemebundus ille Deum compellat. *Eſuriens incipio, ne deſinam de te ieiunus; famelicus accedo, ne recedam impaſtus; & ſi antequam comedam ſuſpiro, da vel poſt ſuſpiria vt comedam.* Ibidem confeſſione ſacra erumpit in lacrymas, & eiulans ait. *Heu me miſerum, quid dicam, clamabo ad te Domine Deus meus, quare tacens conſumor? verumtamen ſi locutus fuero, non quieſcet dolor meus; & ſi tacuero, amariſſimâ amaritudine cruciabor interius. Plange anima mea, ſicut vidua ſuper virum pubertatis tuæ, vlula miſera, & plora, quoniam dimiſit te ſponſus tuus, id eſt Chriſtus. Ita omnipotens ne irruas ſuper me, quia nunquam capi poſſes in me; miſerere ne deſperem, ſed deſperando reſpirem: & ſi ego commiſi vnde me damnare potes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles.* Ex Gregorio. *Lacrymæ ſunt iter ad Deum:* vt videre eſt in famosâ illâ muliere, cuius iniqua facinora, peccatricis titulum inuſſerunt. Ea præ pudore elinguis fleuit, meruitque lacrymis, quod nulla eloquia forſitan impetraſſent. Comitem ea habuit apicem Eccleſiæ Petrum, cui cùm deeſſent voces, indices triſtitiæ diuexantis animum eius, Chriſtu Domino malè fidum; lacrymas conſuluit, vt eorum profluuio redux, Domino Deo ſiſteretur. Rem accuratè ſcribit Ambroſius. *Petrus prorupit in lacrymas, nihil voce precatus: inuenio enim quod fleuit, non inuenio quid dixit; lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego: rectè plane Petrus fleuit, & tacuit; quia quod defleri ſolet, non ſolet excuſari; & quod defendi non poteſt, ablui poteſt: lauant enim lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lacryma ergo verecundiæ pariter conſulunt, & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando; lacrymæ inquam, tacitæ quòdammodo ſunt preces; veniam non poſtulant & merentur; cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur: quare niſi quia vtiliores lacrymarum ſunt preces, quam ſermonum? quia ſermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit: ſermo enim interdum non totum profert negotium; lacryma ſemper totum prodit affectum: & ideò Petrus iam non vtitur ſermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiſerat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum: at per hoc mauult culpam ſuam flere, quam dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* Hæc ille.

Ex SS. Patribus: *Lib. medit. cap. 39.* Pœnitentis ad Deum ſuſpiria.

S. Gregor. Luc. 7. Lacrymæ ad Deum ducunt.

Serm. 49. qui eſt de S. Petro.

Lacrymæ Petri diluere ſcelus eius.

Lacrymarũ mira commendatio.

Sed inquies, vnde ineſt lacrymis tanta virtus? quotſumque Deus allui vult homines illo imbre præuio gratiæ? Medica ratio quæſito faciet ſatis: ea ſiquidem eſt viuificâ diſciplinâ cautum, vt contraria contrariis cedant; cùm ergo delectatione homo deuiare inceperit, dolorem opponat neceſſe eſt cordi inſituio, quò deliciarum amor irrepſerat, cor autem mœrens quaſi diſſoluitur, & lacrymis eliquatur: hinc exiguntur à nobis vberes lacrymæ, vt loquentes triſtem affectum, cuius illæ ſunt effectus; etenim latentes cauſas produnt effectus. Igitur vt innoteſceret animi mœror, quem ingerit memoria criminum; petitæ ſunt lacrymæ, vt ſigna indubia triſtitiæ & ſymbola pœnitentum. Quibus deprehenſis colligitur indicium animi mutati in melius, ſicut & in morbis acutis, quibus imminet vitæ periculum. Plerumque ſudor diffluens in die critico, eſt faticentis morbi, & integræ virtutis optimum argumentum. Audiendus Hippocrates. *οἱ δὲ ἱδρῶτες ἄριστοι μὲν εἰσιν, ἐν πᾶσι τοῖς ὀξέσι νοσήμασιν ὁκόσοι ἂν ἡμέρῃσί τε κρισίμῃσι γίνονται καὶ τελείως τὸν πυρετὸν ἀπαλλάσσουσιν. Optimi ſunt ſudores in morbis acutis, & qui accidunt diebus decretoriis, & perfectè ſedant febrem.* Vt enim ſudores optimi, notant inſiti caloris robur, noxia quæque eliminans; ita & lacrymæ, Dei amorem feruidum eloquuntur. Sed nota, aquam miſſam in peluim, fuiſſe calidam, vt & hodie eſt in praxi, cùm in cœnâ Domini, pauperum pedes abluuntur à Prælatis æmulis Domini Iesv: frigida enim inepta eſt pedibus, eo rigido tempore detergendis. Et hinc infer, non quoſuis exigi fletus, vt idoneos animæ lauacro; ſed feruidos tantùm, quos Dei amor eduxerit; vt enim ait Hippocrates. *κάκιστοι δὲ ἱδρῶτες οἱ ψυχροί. Peſſimi ſunt ſudores, qui frigidi.* Irritos enim naturæ effœtæ auſus indicant; ita & qui deflent frigidè ſua piacula, imbelle eſſe robur animæ ſuæ proteſtantur. Ex hoc autem animi deliquio alij lapſus ſubeunt, quibus oſtenditur inanis profuſio lacrymarum; ſicuti Iure Canonico liquet, cuius eſt iſtud oraculum. *Ille pœnitentiam dignè agit, qui quæ commiſit, ſic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat: nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi ſi quis lauet laterem crudum, quia quantò magis lauerit, tantò magis lutum facit.*

Ex re medica. *Fernelius lib. de Methodo medendi.*

Lacrymæ cum ſudore ſalutari cõparatæ.

Libro 1. Præſagiorum.

Idem, vbi ſuprà. Sudores frigidi letheles.

Pœnitentia vt bona ſit quid requiratur.

S. Bonauentura occurrit illi diſpendio, explicans ea, quæ lacrymis totam virtutem imper-

Ex Iure Canonico.

tiunt. Sic ille. *Cor mundum facit effuſio lacrymarum, quia dicitur: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, ſcilicet conſcientia, & nota quòd lacryma ad hoc vt cor ſit verè mundum, debet habere tria, ſcilicet debet eſſe calida per deuotionem, amara per contritionem, & cinerea per mortis recordationem: ſicut enim aqua tranſiens per cineres, facit lixiuium, quod optimè ſordium eſt mundatiuum; ſic talis lacryma eſt cordis mundatiua.* Hactenus Doctor ille ſeraphicus. Vim fletuum experti ſunt Mediolanenſes, poſt defectionem ſuam à Rege Ludouico Gallo, qui vt eorum compeſceret perfidiam, illuc miſit Cardinalem conſilij Regij caput Amboſium, qui valido ſtipatus agmine vrbem recipiens, & dubius quas luerent pœnas conſcij perfidiæ, audit aſtare pro foribus aulæ populum ſupplicem, & habitu pœnitenti. Præſul facturus zelum ſuum palàm, annuit aperiri fores, vt & explicaret animum ſuum, vindicem iniuriæ illatæ Regi Galliæ, in cuius iura cùm ceſſiſſet vrbs illa multiplici titulo, non potuit ea Gallicum imperium ſine ſomma iniuriâ detrectare. Patuit populo aditus ad Cardinalem & hunc Proregem. In quas credis populum erupiſſe voces, vt hominem ità percitum demulcere poſſet? Quo verborum ambitu putas, gentem malè ſibi conſciam, indulgentiam demeruiſſe crimini? Nullo planè eloquio vrbs inermis credidit hominem deliniri poſſe. Quid igitur operæ pretium? Plebs prona & aduoluta ſolio Proregis tacuit, fleuit, & veniam negatam vocibus, eam lacrymis impetrauit. Benè igitur lacrymas ſic compellat Auguſtinus. *O humilis lacryma, tuum eſt regnum, tua eſt potentia, vultum iudicis non vereris, tu inimicis accuſantibus ſilentium imponis, ſola intras ad iudicem, ſed ſola non recedis.* Poteſt quidem vox infida duplices animos abdere, ſed lacrymæ vberes nequeunt ementiri. Vtinam nos in eadem etiam noxâ, eadem & gratia fletuum maneret: an non animas noſtras, quæ ſunt diuini iuris, vtpote diuino ſanguine coemptæ, fecimus dæmonum arbitrij: Nonne cor noſtrum, arx animæ patuit hoſtibus Chriſti, quibus nihil noſtrum extitit inuium? Dei iuſtitia minimè inſcia eſt perfidiæ noſtræ, ad quam diluendam, flagella Dei cernimus vndique deſæuire. Emicant ignes hoſte vindice accenſi, & populantes oppida, quæ ferali pereunt incendio; graſſatur & peſtis, cuius ignei carbones æſtum virulentum excitant, duplice ſic igne finem moliente geminis Dei incuriæ. Quid moramur? Penes nos eſt faces extinguere; quippe omnia deſinent incendia, ſi feriò vitæ iniquæ næuos, fletibus expungamus: nec venia tantùm concedetur lacrymis, ſed ius menſæ Regis, cui fuimus iniurij; ea eſt enim affinitas lacrymarum, & panis Euchariſtici, vt effuſio illa animæ pœnitentis, compotem faciat angelici cibi, quaſi eſſet ille panis lacrymarum aſpergine fermentatus.

Canens ille pœnitentiam, de pœnitentia diſtinct. 4.
Ex SS. Patribus.
In diæta ſalutis, titul. 7. capite 5.
Lacrymæ vt bonæ ſint quid requiratur.
Ex Historia: Duplex in Ludouico XII.
Lacrymæ Mediolanēſium rebelliū profuerunt eis ad veniam.
Cardinalis Amboſius cur pepercit Mediolanēſibus.
S. Auguſt.
Aqua ſacra apud Troianos qualis erat.

Nec è ſacris tantùm liquet aquarum relatio cum altari, ſed & è gentili ritu, quo multiplex aſperſio victimas anteibat; imò apud Troianos erat vetus inſtitutum, toriam aquis extinguere, quà extinctione aqua vt ſanctior habita, cedebat in vſus ſacros; eâ quippe vt ſalutari remedio alluebant ſe aſtantes ſacris, ipsâque etiam aquâ victima luſtrabatur: neque hic rerum finis; nam animalis, expiati aquæ illius influxu, eradebant pilos, quos cremabant, quaſi præuenientes eum, quem expendit cultum præſens homilia, quà lotio pedum ſubiicitur effuſioni aquæ, id eſt munditie affectuum, excipit lacrymas emergentes. Scilicet eò reſpexerunt Antiſtites hi gentiles, lotæ victimæ eradentes pilos, vt vel ſic homines inſtruerent, ad animi nitorem omnimodum minimè ſufficere aquæ diluuium, ſed neceſſe eſſe adhuc omnem impium excutere cogitatum. Pili namque ſunt ſymbola cogitationum, quæ capiti altè inſident, vt capilli cuti capitis inſeruntur.

Athenæus li. 9. cap. 25.
Seruius in libro Virgilij Æneid.
Homerus lib. 6. Iliadis.

Ne ergo eſſet deterior Euchariſtiæ conditio, voluit Chriſtus pedes abluere eorum, quos primò fecit menſæ ſuæ participes. Sufficiebat Hebrææ genti ablutio manuum, crebrò repetita ante ſacra, quia legalis impuritas, facilè contrahi ſolita, obuio quoque medio tergebatur: adiice, ſacra Iudæorum fuiſſe tantùm cute tenus, & ſymbola, corporis ſacri, quod ſubeſt ſpeciebus panis ſacroſancti, ideóque fuiſſe ſatis populo rudi cultum adhibere extrinſecum, ad frequentiam ſacrificij, quod extrinſecam iuſtitiam ex opere operato ingerebat, interiorem verò ex opere operantis tantùm. Verbi gratiâ, mulier quæ puerperio immunditiam legalem contraxerat, etiamſi in lethali peccato degeret incuria gratiæ Dei, purgabatur hac macula legis, agno oblato iuxta Moſaïcæ legis priſtinum inſtitutum: ad peccati autem curam inſufficiens erat oblatio, ſi non accederet contritio admiſſi facinoris. Alia planè eſt ratio ritus Chriſtiani; nam cùm ſacramenta operentur ex opere operato, id eſt eo ipſo quod ritè ad ea acceditur, vt omnis obex abſit, ſedula exigitur cura in lotione pedum graphicè deſignata. Ex Auguſtino. *Itur ad Deum non pedibus, ſed affectibus:* ſicque pedes, animæ affectus delineant, quos attendit Chriſtus, vtpote ſcrutans corda, & renes: facile eſt imponere Eccleſiæ, cuius cenſuræ ea tantùm ſubdita ſunt quæ ſenſibus patent, ſed ementitâ pietate Dei oculis illudere, non eſt humani ingenij, cuius abdita quæque minimè Deum latent, etſi Angelo deliteſcant. Itaque Deus cui nihil inuium ex intimis animæ receſſibus, pedes depoſcit, id eſt, affectuum inſinuat hac lotione repurgium, prælibatum figura luculentâ, quam accipe ex Daniele. *Ait Rex, Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio, & Tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ, & eruditos omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ, & qui poſſent ſtare in palatio Regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Et conſtituit eis Rex annonam per ſingulos dies, de cibis ſuis.* Apoſtoli reuerà omnes, Iuda excepto, erant de ſemine regio, Deo Patre ſati, vt eſſent abſque macula: Chriſtus eorum pedes lauit, longiuſculo ſermone edoctos; compotes fecit annonæ regiæ, cuius patietur inediam, quiſquis præfatum in eis neſciet apparatum. Nota non vocari grandæuos homines in conſpectum Chaldæi Regis, ſed pueros innoxios, quales & Chriſtus adſciſcebat ſibi, clamans: *Sinite paruulos venire ad me:* pueros vocat, quia pueri puri. Eſto igitur purus, ô homo, & ecce te puerum decorum formâ, maculæ expertem, regiâ ortum proſapiâ, & denique talem, qualem Chriſtus Euchariſtiæ compotem aucupatur.

Lotio pedū notat affectuum munditiem.
Euchariſtia quare petat exquiſitam præparationem.
S. Auguſt.
Ex Figuris.
Daniel. 1.

Deum maximè attendere pedes, multifariam codices ſacri prædocuere, vt videre eſt paſſim, Cantic. 7.

& præ

& præſertim in Canticis, vbi ſponſus velut oblitus decorem faciei ſponſæ ſuæ, totus in encomia pedum effunditur, ſic dilectam affatus.

Pedes ſponſæ cor laudati.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis! Vides ſponſam eſſe regij ſeminis, dum Principis filia recenſetur. Alibi tota pulchra, & neſcia næui dicta eſt, labia eius ſicuti vitta coccinea, genæque fragmento mali punici dictæ ſimiles, iam nihil horum, & quaſi parua, aut nulla omnino forent hæc omnia, ſi non adeſſent pedes terſi: de aliis animæ dotibus altum ſilentium eſt, vt pedum ille inſignis habitus extollatur. Egregium reuera dogma, quo eluditur hypocriſis eorum omnium, qui pridie huius diei, qui futurus eſt ſacer Euchariſtiæ, multas erogant eleemoſynas palam, toti ſunt in Eccleſiâ, concrepantibus buccis orationes multiplicant, arcti ieiunij ferunt inediam, & refugæ vini, breui pane & aquâ faciunt ſatis. Hæc ſanè monilia ſunt præclara, & animam ditant; flocci tamen habet hæc omnia Deus, ſi minimè pedes etiam emicarint. Teſtis eſt ea increpatio, quâ carpit Ieruſalem, de exteriori cultu ſollicitam, & ſegnem in ſuis curandis affectibus: ſic in eam inuehitur. *Sordes eius in pedibus eius.* Hoc ſcomma figi poteſt in eos qui accinguot ſe ad Communionem, magnâ ſolertiâ extrinſeca, ſed de interiori homine nullam habent curam. Ieiunant, orant, & vigilant, ſed ſordes in pedibus; nam iidem vigent affectus ad vindictam, iram, libidinem, inanem gloriam: denique iidem ſunt, vtique ſordidi, qui fuerant, antequàm ſanctiore epulo paſcerentur. Et heu totus penè mundus in immundo iacet inſtituto; manuum aliqua lotio Communionem anteit, ſed nulla lotio pedum ſubeſt; multi ſuos actus vt manuum fœtus lauant, dum deflent iniqua opera; ſed pedes intacti ſordent adeò, vt licet multos videas frequentes ſacris aſtare altaribus, habeant tamen pedes priſcis ſordibus incruſtatos. Proferte igitur pedes lutulentos, ô homines pij, manuum tenus quid prodeſt iugis & quotidiana confeſſio operum, ſi non proferuntur & pedes? quid confitemini actiones & tacetis affectum? Parum eſt dicere, bis aut ter de proximo iniquiorem eſſe habitum ſermonem; adiicite & affectum qui fuit à proximo penitus alienus. Dicite quamdiu animo inſederit auerſio illa quâ charitas alſit. Parum eſt confiteri, ſe effutiſſe ſolitum verba inania, ſed ſubiicienda eſt incuria emendandi ſcelus inolitum: irrita ſanè confeſſio, quæ manibus aquam infundit tantùm, pedibus intactis; caſſa prorſus eſt recenſio peccatorum, niſi etiam praui habitus explicentur.

Pedum ſordes damnantur.

Euchariſtiæ ſumptio cur non proficiat.

Hinc hodie eſt ſumma virtutis integræ penuria, licet adſit multa Sacramentorum frequentia: confluunt homines ad exomologeſim, & inde refluunt ad altare, rara tamen virtus. Et vnde putas tanti mali labem? Non aliunde prorſus, quàm à lotione pedum non initâ; perpetam enim noxias actiones fatetur illa, qui affectum celat fontem recens criminis explicati; ſpuriâ tantùm virtute nitent, qui illotis pedibus aſtant altaribus; hi ingruente minimâ procellâ, iactantur in varia, ad laudes ſuas illicò tument, & ſæuiunt ad contemptum, illatam iniuriam altè recondunt, proprij commodi magna ſolertia, demum maſculæ virtutis nec mica quidem; quia apud eos inualuit, priſcis affectibus reprobis incubare. Ex præfatis colligere eſt,

Cant. 7.

quàm congruè ſpeciem egregiam ſponſæ ſuæ extulerit Chriſtus, à pedibus eius, dum memorat greſſus: quales enim ſunt affectus, tales ſunt & effectus.

Ex Figuris.
Exod. 30.
Pedum lotio ante ſacra fuit præcepta ſub vitæ diſcrimine.

In Symbolum rei huius legem iſtam tulit Deus. *Aaron, & filij eius lauabunt manus ſuas, & pedes ſuos, acceſſuri ad altare, ne fortè moriantur.* Et ne ritus ille fugax crederetur, adiecit Deus. *Legitimum ſempiternum erit ipſi, & ſemini eius per ſucceſſiones.* Communionis apparatum edocet hæc myſtica contextura: Nimirum ſanxit Deus textu eo, Aaron loturum pedes ante acceſſum ad altare, & huic lotioni addixit eos, qui ſuccederent: liquet autem ſacrificium noſtrum incruentum, ſucceſſiſſe ei, cui ſe aptabat Aaron pedibus mundis; ergo ad omnes eos, qui ad Euchariſtiam volunt accedere, myſticus ille pedum pertinet apparatus. Legifragis indicitur mors, ſic enim habet textus. *Ne fortè moriantur.* Inflictam ideò mortem commemorat Paulus, dum recenſet Communionis iniquè aſſumptæ diſpendia. *Ideo,* inquit, *dormiunt multi.* Teſtis eſt, vtique luculentus, Antiſtes Cyprianus, necis iniquæ, quam obiere plerique ſacrilegi, qui reo animo ſacris altaribus aſtiterunt. Alios tulit mors lenta, quæ viſcera diſcrucians, adiecit inferi præludia, pleroſque Dæmon fecit ſui iuris, idem enim Satanas qui intrauit in Iudam poſt buccellam, conſcios criminis Iudæ reperiens, eadem naue vexit in abyſſum, multi præcipiti fato, ſuum facinus miſerè prodiderunt. Eaque fuit facies, malè Communioni aſtantium, vt eos, ſicuti olim Cain, tremulus referret habitus impij animi fidus index: Quibus ſe deuoueant pœnis omnes iniurij Euchariſtiæ; didicit hæreticus quidam Seuerianus, qui vxorem ſuam Catholicam à Communione redeuntem, apprehenſis faucibus, & eliſis compulit ad vomitum hoſtiæ, quam volutans; & immergens in lutum, vidit inde eam emergere, & luce deſuper illapsâ euehi in cœlum: poſt biduum aſtitit ei ſpectrum, ſpecie incultâ & horridâ, ſic hominem ſacrilegum compellans: Impie habeo te comitem noxæ, quam contraxi infligens alapam Chriſto Deo; eiuſdem facinoris vtrumque conſcium eadem pœna ignea ſociabit. Hominem perculit & facinus atrox, & damnat ſpiritus minax eloquium: ideò pertæſus ſuam rem impiam, abiurans hæreſim, annuente coniuge ceſſit in clauſtrum, vbi recolens iniuriam Chriſto factam in ſpecie panis, totus abibat in lacrymas, quibus extinxit ignes, quos anteà ſibi ſacrilego crimine compararat. Tria ſunt in hac hiſtoria aduertenda. Primum eſt, impium hominem deſæuiiſſe in hoſtiam, quæ nihilominus illuſtrior repetiit cœlum: alterum eſt, alapam inflictam Chriſto nihil inferre atrocius, eâ iniuriâ, quæ fit ab homine iniquo, Euchariſtiam ſuo reprobo pectori committenti: imo ſi daretur optio Chriſto, mallet lutum aſſumere, quàm aſſumi ab anima multa peccatorum colluuie deturpata. Poſterum eſt, quod ſubiicit Moſchus, hæreticum illum lacrymis deterſiſſe ſcelus: vnde colligere eſt primò, non longè eſſe ab hæreſi eum, qui indignè communicat; quippe ſi crederet adeſſe Deum realiter, abeſſet impius à congreſſu: ideoque neceſſe nutabit ea fides, à qua tanta intercapedine diſſonant actiones. Et licet Domini Chriſti corpus realiter inſit hoſtiæ, modo tamen illic eſt peculiari Sacramento, quo læſionis expers, ærumnas

1. Cor. 11.
Ex Hiſtoria.
Sermon de lapſis.

Pratum ſpirituale, in capite 29.
Euchariſtiæ Seuerianus hæreticus iniurius à Deo punitur.

neſcit.

neſcit, nec vllas moleſtias à reprobis intentatas. Idea illa luti, obſcœni hominis habitum refert; & iugis effuſio lacrymarum adiecta clauſtro, cui ſe addixit Seuerianus homo pœnitens facti, indicat ſatis ſceleris pondus, cui ſe aſtrinxit, luto aſpergens ſanctum panem. Vtinam omnes correi, pertæſi ſuas eiuſdem generis culpas, egregium lugentis animæ facinus æmulentur.

Ex lingvis.
Gladij in cœna Christi quid ſignificent.
Luc.22.

Mortem non longè abeſſe ab eis, qui illotis pedibus & manibus, altaris aditum quærunt, ſubodoror Chriſtum præſignaſſe, cùm gladij mentionem fecit, in eâ ſupremâ corporis ſancti ſui cœna, cuius hiſtoriam accuratam ſcribens Lucas ait. Dixiſſe Apoſtolos cœna facta. *Domine ecce duo gladij hic: at ille dixit eis. Satis eſt.* Hos duos gladios moraliter expendo, de duplici modo vindice, quo ſolitus eſt Deus in impia capita deſæuire. Nam præter æternos ignium globos, eis accenſos; anteire ſolent, hoc etiam æuo, pœnæ conſonæ facinori, eaque ratione in vtrumque ſæpe incurrunt gladium qui indignè à cœna ſurgunt, idoneóque hoc notantur Paradini Symbolo, quo Leporem pingit in circulo gladiis hirſuto, hac epigraphe. Malo vndiqve cladis. Si quidem homo malè paſtus, crimen multis coeuntibus gladiis expiabit.

Ex symbolis.
Paradinus l. Symbol.

Ex Historia.
Q. Curtius l.8. de geſtis Alexand.
Panis olim diuiſus gladio.
Alexand. ab Alex. lib.2. c.5.
Virgil.4. Æneid.

Neſcio an eò reſpexerunt priſci Macedones, qui in epulis nuptiarum, panem edebant hoſtili diuiſum gladio: quaſi dicerent, panis infidi fore gladium vltorem, cuius aciem vt fugerent, animus concors vtrimque petebatur. Roma omnium gentium æmula, credidit infauſtum nubere turbido cœlo; & Poëta iniquum Æneæ cum Regina Sicula connubium ſcribens, ait fuiſſe malis auſpiciis; quippe coniugium Dido & Æneas cœlo turbido contraxerunt.

—— *Fulſere ignes, & conſcius æther Connuby.*

Nubere cœlo turbido olim infauſtum.

Eamobrem gladio fuit obnoxium coniugium infelix: Dido namque vltroneam oppetiit mortem, vlciſcente gladio contemptum, cœli inhoneſta conſortia, turbine & ignibus auerſantis. Et eſto hæc ſuboleant commentum poëticum; ideam tamen geminam ferunt eorum, quæ accidunt eis, qui ſacros in Euchariſtia cogitant hymenæos. Si cœlo ſereno fœdus ineunt, benè; id eſt ſi gratia comite fiunt panis Angelici participes, benè: ſi verò ſecus, animo turbido & peccatis obnoxio, ſe Communioni aptauerint, ſciant ſe gladio vindici mancipandos: vt ſe vidiſſe ait Cyprianus, cuius hic eſt locus de homine, qui impiè ſacra præſumpſerat. *In perniciem ſuam rabies armata eſt; ipſa ſui carnifex extitit, alia ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia, inter fauces, & pectus ſanguinem admittens angi, & anima æſtuante poſtmodum concludi cœpit.* Auguſtini æuo multi in diſcrimen incurrere vitæ, ob iniquè ſumptam Euchariſtiam, vt ipſe deflet hoc contextu. *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! vnde dicit Apoſtolus, iudicium ſibi manducat & bibit; non enim dominica buccella venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum accepit, ſed quia bonum, male malus accepit: ergo fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate innocentiam ad altare apportate.* Hæc ille cui conſonat Doctor Seraphicus Bonauentura, ſic fatus. *Viuificus ille panis & diuinus, non præſtat influxum vitæ, nec nutrimentum membris abſciſſis, & mortuis, teſte ſcripturâ, quæ dicit. In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: vnde à talibus ſumitur Sacramentum, & non res Sacramenti, id eſt Chriſti gratia, & vnitas charitatis eius; comeditur guſtu, ſed non reficit ſpiritum; vadit in ventrem, ſed non reficit mentem; deglutitur ſicut abrotanum ſine ſui læſione: & non viuificat animam, nec incorporat eam ſibi neque vnit, ſed potius nauſeâ compellente, talem Chriſtus euomit, velut cadauer putidum beſtiis deuorandum, & auibus, cùm ſcilicet infelicem animam tradit Satanæ cruciandam, ſicut de Iudâ ſcriptum eſt, quoniam poſt buccellam introiuit in eum Satanas, quapropter ſi talibus laqueatus es, caue ne pro aliquâ cauſâ vel neceſſitate, abſque debita contritione, ac propoſito pœnitendi, ac confeſſione præmiſſa, accedere ad altare præſumas, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Hæc vir ſanctus, ſuo nos faciens conſilio cautiores. Expenſa hactenus emundatio pedum, animis ingeſſit nitorem affectuum, ſed quia vniuerſalia non percellunt quemquam: adiciit codex ſacer non modò lotos eſſe pedes, ſed & terſos linteo, quo præcinctus erat Chriſtus. Dixi ſuperiore homiliâ, linteum eſſe virtutis notam: cùm ergo pedibus adiicitur hoc linteum, illud idem eſt ac, affectus excultos iam oppoſitis vitio virtutibus inhiare. Et hic non minimus eſt cardo, in quo vertitur exquiſita communio; multi namque lauant pedes, id eſt in vniuerſum affectus ſuos prauos aliqualiter exuunt, præmiſſo repudio cum retroactis culpis; non tamen linteo tergunt pedes, quia ſingularis alicuius virtutis habitum non induunt, nec animo concipiunt aliquam peculiarem praxim, & eamobrem eorum omnia vota vitæ cultioris penitus euaneſcunt.

Sermone de lapſis.
Euchariſtiæ malè acceptæ exemplū horrendum.

Ex SS. Patribvs.
Tract.26. in Ioan.
Euchariſtiæ effectus quare impediātur.

Tract. de præparatione ad Miſſam c.4.

Et vtinam altas radices ageret iſtud dogma, cuius neſcij plerique hominum, quos imperitum vulgus pios credit, vitam agunt gratiæ expertem, virtutiſque ingenuæ, fucatâ tantùm pietate inſignes, quam ore tantum tenus, & ementito habitu profitentur. Eſto igitur hoc fixum, ſummam ſtudiorum animæ ſollicitæ de incremento virtutum, debere eſſe penes aliquem lintei vſum; id eſt in virtutis praxi, quâ antea caruit anima. Si etenim homo omnes omnino virtutes animo conceperit, ad nullam planè ſe componet: vt ergo obuiam eatur inertiæ, quæ exurgit ex propoſito vago, debet ſe ad vnius & alterius praxim anima coercere.

Pedum lotio ad quid poſtea obſtringat animas.

Quarum autem gratiarum illapſum ambire debeat homo recens Deo natus, diſce ex figura egregiè referente hominem neophytum, id eſt nuper Dei obſequio adſcriptum. Idea hæc petitur ex obſidione vrbis Iericho, cuius direptio accidit eo modo, quo codex ſanctior ſcribit, narrans quid Ioſue ex Dei fecerit inſtituto. Sic Deus præſcripſit aggrediendum Iericho, ciuitatem impiam, & ſcelerum omnium colluuie infamem. *Cùm inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus, vociferatione maximâ, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturque ſinguli per locum contra quem ſteterint.* En tenorem, quo peſſum iuit ciuitas iniqua, cuius eſt Princeps ille, qui & tenebrarum. Primò tuba inſonat longior, ſcilicet gratia Dei deſuper intonat, & animum quatit; eo ſono perculſus animus

Ex Figuris.
Ioſue 6.
Confeſſione peccatorum debet excipere praxis virtutum contrariarum.

mius clamat vociferatione maximâ, quando ore patulo confitetur. Dicitur ea vociferatio maxima, quia firmo latere opua eſt ad euomenda facinora putida, quæ tamdiu pectori putri tenaciter adhæſerunt. Sed nota rem potiſſimam & congruam myſterio lintei. *Ingrediuntur ſinguli per locum contra quem ſteterint*: id eſt factâ ruinâ arcis impiæ, & deleto diabolico principatu, vnuſquiſque attendat locum, qui fatiſcit, vt eo loco adæquato ſolo, queat homo victor ingredi: id eſt peccato confeſſione deleto & expuncto, anima eadem ruinâ triumphum agat, & non aliunde. Verbi gratiâ homo libidine ſaucius, gratiâ Dei vrgente, confeſſus eſt obſcœnos mores, hinc Iericho corruit: iam per locum oppoſitum gradiatur anima, id eſt amplectatur ſedulò ea, quæ extinguunt Venerem, id eſt ſectetur toto pectore caſtitatem. Ea quippe eſt virtus oppoſita loco, id eſt luxuriæ, quæ confeſſione corruit, alius prædioes malè partis opibus, animum ſibi malè conſcium aperit ſacerdoti: ſubitò dehiſcit vrbs hæc Diabolo addicta; quid facto opus? vnde deinceps putas debere ſuos greſſus hominem auſpicari? an forte à ieiunio, & vigiliis; minimè verò: nam ieiunium, & vigiliæ idoneæ res ſunt luxuriæ ſopiendæ, & non auaritiæ: à reſtitutione incipiendum, & ab Eleemoſynâ largâ: ſunt enim ea loca oppoſita ruinæ, quam edidit confeſſio. Sic diſcurre per ſingula piacula, quibus extinctis, anima virtutis oppoſitæ ſubitò callem ineat; nullo namque poteſt alio tramite triumphare. Sic vides hanc figuram coire cum linteo, quo terſit pedes Chriſtus: inſinuans animam totam debere aucupari chariſmata congrua inopiæ, quam paſſa eſt, antequam eſſet munda, gratiâ deſuper illabente. Itaque ſe ipſum quiſque exploret, & ſedulò aſpiret ad locum oppoſitum vitio, cuius ruina ſequuta eſt exomologeſim; ſtudio inſiſtat virtutis huius, cuius deliquium eſt animæ diſpendium, & ea ſolers virtutis cura erit linteum illud myſticum, quo ſunt confeſtim ambo pedes animæ detergendi.

Decorem hunc pedum debere eſſe præambulum epulis Chriſti, collige ex figurâ Holofernis, qui visâ muliere Heroinâ Iudith, ſui impos in amorem eius illicò exarſit, ſuæque menſæ voluit facere participem; ſic enim habet codex Sanctus. *Cumque intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes*: vtque amorem ſuum faceret palam, ſubiicit textus. *Iuſſit eam introire, vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur de conuiuio ſuo.* Iam audi vnde Holofernes feruidi amoris hauſerit argumentum. Mulier illa concipiens facinus audax, & editura ſpecimen virtutis emeritæ, vt deliniret oculos Holofernis, eo ſe accinxit apparatu, quem deſcribit eius hiſtoria. *Cum ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco in quo iacuerat proſtrata ad Dominum, vocauitque Abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrtho optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe, cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* Longior ille textus omnino myſticus eſt, & faciens ad thema propoſitum Communionis ritè obeundæ, & eamobrem ſigillatim ad Euchariſtiæ acceſſum, tota nobis eſt deſcriptæ hiſtoriæ ſeries expendenda. Nimirum hæc ſapiens fœmina, eo ornatu regij conuiuij partem demeruit. *Cum ceſſaret clamare ad Dominum, ſurrexit de loco in quo iacuerat.* Vides eam auſpicatam ab oratione, deinde ſurrexiſſe: qui enim emendicat opem Dei, non amplius iacet proſtratus pondere criminum; virtute precum totus erigitur, qui hactenus ſe in voluptatum cœno ſordidè volutabat. *Deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ.* Deſcendit in domum ſuam ille, qui ad interiora ſua ſe colligit, & alto ſcrutinio ſe diſcutit, veteres vitiorum habitus deponit, quos aculeis ſuis veluti cilicium ſynderesis importuna facit hiſpidos & hirſutos. *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrtho optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui.* Sedulum examen & tædium vitiorum excipit imber lacrymarum, & crinium diſcriminatio, id eſt cogitationum reprobatarum diſperſio, quibus ſubiicitur vnctio; ſiquidem anima præfatis diſpoſita præludiis, eſt multiplici gratia delibuta. *Impoſuit mitram ſuper caput ſuum.* Alta ſapit mens virtuti addicta. *Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ.* Eamdem innocentiæ ſtolam induit, quam aliàs in baptiſmo. *Induitque ſandalia pedibus ſuis.* Nudos anteà affectus operuit anima, cùm virtutis amore ſaucia conflagrauit, & ne vacuum amorem putes: *Aſſumpſit dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.* Dextrariola notant opera bona, iuxta illud Origenis. *Bona opera merentur dexteram iudicis accipere: mali ob opera mala ceciderunt in ſiniſtram.* Lilia, caſtitatis ideam ingerunt; inaures obedientiam clamant, & annuli libertatem filiorum Dei oſtendunt: omnia denique ornamenta ſonant virtutum omnium chorum, quo ſtipatur homo, ſe impigro Dei obſequio deuouendo. Cæterùm ne glorietur eâ veſtium pompâ pœnitens animus, hiſtoria adiecit iſtam cautionem. *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* Vt reſciret homo illud omne quo rutilat, eſſe à lumine, quod deſuper irradiat; eſt enim ſupra hominem effulgere vel tantiſper, aut aliquali modo Deo inſcio coruſcare.

Vt igitur caueat lapſum gloriæ inanis, anima ſanctior; ſcriptura monet, à Deo conferri decus omne, ne anima incauta in foueam cadat, iuxta illud Gregorij. *Agitur vt ante iuſti iudicis oculos, fouea mentis ſit memoria virtutis, quia reminiſcendo quod geſſit, dum ſe apud ſe erigit, apud humilitatis auctorem cadit.* Vt ſecus, ille ſe erigit oculis Dei, qui ſuis ſe deiicit, & hoc eſt quod Chryſoſtomus aureo decurrens eloquio demiratur. *Hoc verè magnum & mirabile eſt, quia is qui verè magnus eſt, nihil de ſe magni ſentit, aut loquitur, ſed omnium ſe vltimum iudicat, & ſalutem de ſola miſericordia Dei ſperat.* Licet tota exegeſis hiſtoriæ Iudith idonea ſit Euchariſtiæ myſterio, & licet mundus ille muliebris valde contulerit ad ſpeciem eius; admirationem omnem ſuperat, quòd Holofernes totum illum cultum, quaſi flocci pendens, pedes fœminæ tantùm, affixus eis intuens, amore nimio ſui impos extiterit, vt in victricis Heroinæ Cantico decantatur: ita enim exultans cecinit Iudith. *Non cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt*

eum

Iudith. cap. 10. & 11.

Euchariſtiæ præparatio lineata in Iudith.

Superbia ob virtutes eſt cauenda.

Ex SS. PATRIBVS.

S. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 13.

S. Chryſoſt. lib. 2. de compunctione.

Iudith. 16.

eum nec excelſi gigantes impoſuerunt ſe illi; ſed Iudith filia Merari, in ſpecie faciei ſua diſſoluit eum: exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ, in exultatione filiorum Iſrael, vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitrâ, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum, ſandalia eius rapuerunt oculos eius. Eo planè modo Deus ab anima demulcetur: Etſi enim virtutes ſingulæ ſua pigmenta conferant ad decorem hominis reducis ad gratiam, quamuis oratio Deum deliniat, humilitas inclinet, caſtitas arrideat, eleemoſyna miſericordiam conciliet; animæ tamen ſandalia rapiunt oculos eius, vt præfatus ſum ex ſponſa ſacra, cuius monilia omnia tacet Deus, vt greſſus placitos in calceamentis rutilis eloquatur. Si igitur optat homo litare oculis Dei, adhibeat lintea pedibus, id eſt, affectus ſuos ita addicat ſingulari praxi, vt nequeat quiſquam obiicere, pedes quidem lotos, ſed apertos tamen eſſe, & id contra normam præſcriptam à Chriſto Domino, linteum quo præcinctus erat pedibus amouentè. Et hîc rurſus aduerte aliud inſigne myſterium, ſcilicet non quouis linteo tergi, tegique pedes, qui pergere volunt ad epulas innoxias corporis Chriſti, ſed eo dumtaxat quo erat præcinctus Dominus ille Deus: non etenim ſatis eſt inferioris notæ virtus aſſumpta ad praxim; ſed ea potiſſimum exigitur, quam profeſſus eſt ipſe rerum Dominus, à quo ſolo fas eſt nobis ſpecimen, & ideam virtutis omnigenæ mendicare.

Virtus Chriſti proponenda nobis ad exemplum.

Ex Ivre civili.
Pedibus nudis olim actæ vigiliæ.

Eſto fidelium quidam de plebe Chriſtiana faciant ſibi ſatis virtute tenui; ſummos tamen Eccleſiæ dictatores, ſingulare decet virtutis ſchema. Eſto nudis & lotis pedibus incedere vulgo ſufficiat, vt non indignè accedant ad Euchariſtiam: illi tamen qui eminent, ſatagant ſibi egregia ſandalia comparare, id eſt quamuis alienus à vitio omni affectus, faciat homines Euchariſtiæ conſcios; anima ſanctior huic ritui adiicere debet alium cultum, ſcilicet virtutis exquiſitæ ſtudium, quo egregiè fiat anima calceata. Huic meo conſilio conſonat obſeruatio Cuiacij de Iure Ciuili optime meriti: aduertit ille, liberum fuiſſe militibus vigilias agere nudis pedibus, ſed præfecto vigiliarum inhibitum nudos verſare pedes, & iniunctum vt calceatus incederet, qua tutius poſſet incedere per media etiam incendia, ſi igne concepto, fortè domus aliqua conflagraret. Vtque fidem faciat vir ille iuris-peritus, aduocat Vlpianum. Hinc poſſum arguere: pœnitentes homines, ſi nudis affectibus æuum agunt, patere incendio libidinis, quæ ſuas prunas ſpargit, nullâ habitâ ratione hominum: ideóque redire multos ad vomitum, & æſtuare eâ luxuriâ, quam ſuis anteà lacrymis extinxerant: huic autem diſpendio occurritur, congruo calceo adhibito à præfectis, id eſt à viris ſanctioribus, qui eos libidinis ignes habent innocuos, ob excultam impigrè caſtitatem; nimirum vt ſarta tectáque vigeat ea virtus Angelica, comparant ea omnia, quæ ei affinia ſunt: inediâ exhauriunt fomitem luxuriæ, fugiuntque commercia, quibus aliquale contagium inire queunt, & ſic calceati faciunt irrita conamina Veneris, Deo ſuam opem deſuper infundente.

Iac. Cuiacius obſeruationum lib. 13. c. 30.

Vlpianus lege prima. De officio præfecti vigilum.
Pedes calceati quid deſignent.

Ex SS. Patribvs.
S. Hieronym.

Pertinet & ad morale inſtitutum ea ratio, quam S. Hieronymus allegat ad calceamenta ſuadenda: ait enim Monachos in Eremo, *Calceatis pedibus pergere, necubi à ſerpentibus mordeantur, & arcuato ſcorpij vulnere verberentur.* In Epiſtola ad Damaſcenum. *Calceamenta in pedibus eius, necubi coluber inſidians plantam ingredientis inuaderet, & ſuper ſcorpiones, & ſerpentes ſecuriùs ambularet.* Et alibi ſemper ſibi conſtans ait. *Calceati ſumus, necubi in eremo iſtius ſæculi ſcorpius, & coluber obrepat, necubi ſerpens plantam gradientis inuadat.* Hinc copioſa ſeges ad mores componendos idonea, demetenda. Verbi gratiâ, vt ſuadeam pedes induendos, illud poſſum crebriùs ingerere: ô inerme hominum genus! ô incuria ſuæ ſalutis! miſeranda capita quid nudos circumfertis pedes? ſerpentes & ſcorpij ſcaturiunt, & vndique erumpunt, lethali toxico necem nudis pedibus intentantes: induite calceos, vt eatis obuiam indubiæ morti, quæ eos manet pedes inermes, in quos incurrerint ſcorpij, & ſerpentes. Nec aliunde Apoſtoli, impunè calcauere animalia lethifera, niſi quia eorum erant calceati pedes, in Euangelium pacis. Circumſtant mille anſæ ruendi, in ſcelus, vnde ſurreximus ingerunt ſe ſenſibus etiam inuitis illecebræ, adeò noxiæ, vt valeant etiam perdere cautiores. Dæmonis aſtutiam Deus aperuit, ipſo mundi exordio, dum ait illi: *Inſidiaberis calcaneo eius.* Vbi enim callidus hoſtis, pedes deprehendit apertos, id eſt affectus incautos, ſtatim adeſt, pelliciens animum ad obſcœna, vel ad res à Dei obſequio hominem auertentes. Crebra hæc argumenta peccandi, iugiter obuia, ſunt ſerpentes & ſcorpij, quibus occurritur linteo aduoluto pedibus, aut calceis adhibitis; nec aliunde caſſa fiunt tentamina, niſi ex indeſeſſo ſtudio virtutis, cuius vitium oppoſitum lacrymis antea deterſimus, neque alia copia conceditur homini, vitij inſtantis fomites extinguendi.

I. quid ſimile in libris κατ' ἀρχῶν. *Item epiſt. ad Damaſum.*

Pedes calceatos olim monachi habebant ob ſerpentes.

Eò arbitror aſpexiſſe Deum, cùm præcepit, eum, qui vxorem fratris ſui demortui aſſumere renueret, calceum deponere, in ſignum animi à coniugio penitus abhorrentis; & hæc calcei dimiſſio, adeò fuit inglorja, vt fas fuerit fœminæ viduæ, faciem hominis negantis iura connubij, ſputo ſordido conſpurcare. Sic enim habet textus. *Si reſponderit: Nolo eam vxorem accipere; accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris ſui.* Eſto ea nuditas pedum, ignominiæ fuerit obnoxia; ea tamen, quam vltrò deſes anima patitur, nolens induere calceamenta idonea, æternis patet opprobriis: quippe inſinuat, hominem animæ ſuæ cum Chriſto in Communione connubia detrectare.

Ex Frevhis:

Deuter 25.
Calceum deponere quid ſignificet.
Luna olim in calceis nobilium.

Fauet inſtitutum priſcæ Romæ, quo nobiles diſſiti erant ab infimâ plebe, ſymbolo petito à pedibus, ſcilicet homines nobili parte ſati lunulam argenteam calceis aſſuebant, cuius aſpectu monebantur incedere ſplendidè; ita & in Republicâ Chriſtianâ, virtus inſignior petitur ex affectu, & prouectæ virtutis homines, à rudibus eâ pedum animæ teſſerâ diſpeſcuntur. Radiant namque affectus eorum, quos gratia afficit illuſtrior, deriuata ex corpore Chriſti, cuius vſu crebro animæ vegetantur.

Ex Historiis.
Alexander ab Alexand. lib. 5. dierum Genial. c. 18.

Adſtipulatur & Matheſis illa ſyderum amans, quæ aduertit, ſignum illud, quod ſpicam manu præfert, pedes habere quidem apertos, ſed ſingulis quibuſque pedibus eſſe ſtellam non infimæ

Ex Mathematica:

Ex globo imaginum cæleſtium. Virgo ſpicâ tenens habet ſtellas in pedibus.

mæ molis : faxit Deus vt paſcendi homines ſpicâ virginis, ita pedibus irradieor, ſicut & id ſignum, cui aptari homines velim, & illius radios æmulari. Rurſus non perperam notat cœlica diſciplioa, alterum quemque pedum, vnicum tantùm referre ſydus, & non congeriem, ſicuti alij aſteriſmi : inde meum dogina firmius ſtat, quo iam præmonui affectus in vnam tantùm aut alteram debere ferri praxim, & non effundi io omnes ſimul virtutum claſſes, ne incaſſum pluribus intentus animus euagetur. Igitur anima aſſueta frequentiæ ſacri iſtius Epuli, ſciſcitetur quò ferantur affectus eius, vt incautos addicat ei Chariſmati, cuius præſentia eliminat vitium, quo deliquit anteà ; ſtellas illas ſuis homo pedibus affigat, quarum eclypſi animus opacatur. Pedibus ſic terſis, & linteo obuolutis, inuidens dæmon non deerit partibus ſuis, vt ſordeant rurſus emundati pedes ; ſed eius auſus frangendi ſunt eo prorſus modo, quo quietis amans ſponſa noluit prodire de cubili, vt pulſanti ad ianuam aperiret : ſic illa. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cantic. 5. Equidem conſiilo, vt aſtutis ſponſæ veſtigiis inſiſtatur. Quintuplex eſt animæ ianua, eſto omnes occluſæ ſiot fores ; nequit arcere tamen ab eis hoſtes homo, quantumuis ſit ſtrenuus & vigilans : innumeræ rerum ſpecies ſe ſenſibus inſinoant, vt animam deliniant ; erigat ſeſe animus impiger, & eludat hoſtium perfidiam, qui abditâ iodole ſuâ iniquâ, innoxios ſeſe videri voluot, & eſſe mentiuntur. Dicat audacter : Vltimâ Confeſſione exui veſtes obſoletas ; laui lacrymis pedes meos, ſordidos purgans affectus ; adieci linteum, ſcilicet virtutum praxim : diſperea̅m millies potius, quàm iterum inquinari. Faxit Devs.

HOMILIA TERTIA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. Xordivm petitur ab affinitate intellectus cum voluntate, ſunt enim vtriuſque tria munia. Vt intellectus abſtrahit, iudicat, & diſcurrit ; ita & voluntas amat, deſiderat gaudet ; amorem ſibi deuinxit Chriſtus ante Euchariſtiam, quando lauit pedes diſcipulorum, inſinuans illa lotione repurgium affectuum, cum autem dixit, deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, monuit noſtra eſſe deſideria colligenda ante commuuionem, vt ad Chriſtum veluti ſcopum ritè dirigantur.

2. His præfatis recenſeo, quam feruida fuerint deſideria Domini Ieſu ad homines ſoſpitandos.

3. Dicoque nullum fuiſſe aliud argumentum deſideriorum Chriſti, niſi vt noſtra deſideria pelliceret ad reciprocos æſtus.

4. Eò ſpectat mea hæc dehiſcens oratio, dum ingerit vnum Deum, Dominum vtique Ieſum poſſe multiuagis occurrere noſtris affectibus, qui ſi à Deo defecerint hominum mens inquies ſeipſam ferre non poterit ; & equidem iuſtè, quia rerum infra Deum illecebras noluit cautè declinare.

PRÆFATIO.

Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum

Luc. 22.

Esidsrio *Chriſti componentis ſe ad viſionem hominum, mediante Euchariſtia, congruit celebre illud inuentum, toties à priſca gentilium Theologia decantatum.* Amatorium philtrũ quære cuſim repertum. *Finxit ingenioſum ſanè eunm vetus, amorem aliquando pertæſum homines non rependere amorem mutuum, excogitaſſe philtrum ſeu pharmacum ad inſinuandum amorem ; eo remedio corda algida, & inertia affectibus æſtuabant. Fuit iſta compoſitio pharmaci, vt malagma, ſcilicet reciperet particulam carnis, & ſanguinis eius qui amari vellet, eo paſtu amatorio exhibito, mirum quàm homines illo obſonio paſti, amore inuicem poſtea conflagrarint. Nihil magis appoſitè proini poteſt, ad deſiderium Chriſti Dei amoris innoxij: ægro ferens amans ille Dominus, & ipſe amor, homines non referre amorem ſuum, quem deuinxerat tot & tantis obſequiis, vt vim amori hominum faceret, rem fecit hactenus inaſpectam. Edulium namque amatorium condidit, quo ardere quirent homines : illis cibo non adiecit particulam carnis & ſanguinis, ſed ſe totum abdidit, nihil ſui excepto ; philtrum illud eſt hoſtia ſacra, cuius eſus amorem Dei hominibus antea tepentibus inſpirauit.* Euchariſtia philtrum amoris. *Non eſt quod quis Beatæ Virgini Mariæ inuideat conceptionem Chriſti Domini, quâ titulum Deiparæ contraxit ; hunc & nos cum Maria titulum diuidimus, quando ſimus compotes hoſtiæ illius ſacræ, ad amoris fomitem inſtitutæ. Quippe panis ille ſanctus iiſdem prorſus conſtat, quibus & infans Ieſus in vtero matris, corpore*

videlicet, & animâ ſubſiſtentibus in perſona Verbi. Eamobrem quiſquis accedit ad argumentum id amoris, ſcilicet ad Euchariſtiam, accingat ſe ea puritate, quâ & Deipara coruſcauit, qua rutilans illa virgo dicta eſt gratia plena ab Angelo, cui & nos occinemus dicentes. Aue Maria.

Ex Philosophiâ: *Ariſtoteles lib. de interpretat. c. 1.*

INuium ſibi Philoſophia nibil patitur, penitiora quæque timans, in penitiores animæ receſſus hæc diſciplina fertur; explorat qui ſint ſenſus abditi, & qui aperti; potentias animæ dinumerat, & diſpeſcit obiecta ſingulis idonea: demum illa ſcientia luſtrans animatum arcem ſua face, id eſt rationis indagine, intellectus & voluntatis indolem inueſtigat. Deprehendit vtrobique triplicem modum agendi, nimirum intellectus abſtrahit, iudicat, & diſcurrit, abſtractio intuetur ſpecies rerum, quæ occurrunt, iudicium negat aut affirmat, diſcurſu aliquid infertur ex præmiſſis. In abſtractione, veritatis crepuſculum ſe aperit; in iudicio, ampliùs ſe veritas explicat; tandem ea albicat tota velut effuſo nouo lumine diſcurrendo. Ad inſtar intellectus, triplicem motionem patitur & voluntas, ſcilicet amorem, deſiderium, & fruitionem ſeu gaudium de re, cuius ſit compos inquies illa potentia. Voluntas amore percellitur, amore perculſa, deſiderium ingerit in ſe rei quæ animam mouit, & hoc deſiderio cietur anima progrediens in obiectum, amore vrgetur potentia, ſed deſiderium illi affingit, quibus velocior facta volat denique fruitione rei amatæ, exultabunda voluntas omnino quietatur.

Intellectus operationes tres ſunt.

Hanc eſſe animæ praxim circa Euchariſtiam, Dominus ipſe Deus ſuo exemplo edocuit: vbi enim diſcipulorum lauit pedes, & eorum affectus veteres terſit, amorem eorum cordibus ingerens ait. *Deſiderio deſideraui, hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Hoc ſuo deſiderio inſinuans, non inanem debere eſſe motionem animæ, quæ ſe accingit ad Euchariſtiam, ſed adiecto deſideriorum peroice greſſu, debere homines ad has Epulas ſacras ſua omnia vota amplius excitare. Etenim ſicuti fames optimum eſt condimentum cuiuſuis obſonij, aliàs inſipidi; ita & deſiderium animæ fames, appetitum acuit ad acceſſum ad ſynaxim ſacram, quæ tantò hominum ſapit ori poſt hunc paſtum, quantò fuit auidiùs illa eſca viuax antea concupita. Vt nos igitur aptemus exemplari, nobis exhibito à Chriſto Domino; ego dicam primò deſiderium Dei, noſtræ ſalutis ergô. Secundò dicam debere etiam nos omnia noſtra deſideria colligere, vt poſſimus ea refundere in Euchariſtiam, Deo deposcente à uobis, exemplo ſuo, hunc præuium apparatum.

Luc. 22. Euchariſtiæ fames eſt optima diſpoſitio.

Homiliæ Diuiſio & contextura.

Ex Theologia. *S. Thomas 1. part. q. 20. art. 1.*

Frequens amoris Dei in nos commemoratio in ſcripturis, ſcrupulum mouit Theologis: cùm enim amor incongruum quidpiam ſuboleat, in eo quòd paſſionem ſonet, cuius eſt Deus impatiens; rem iſtam facturi palam Theologiæ proceres, ad trutinam fidei librantes, ſeriò perpenderunt. Sit ergo vice fundaminis iſta ſtabilita concluſio. Quicquid Deo affingimus eminens & perfectum, noſtro ſchemate loquendi, eâ cautelâ tribuitur, vt ſi aliquos inuehat næuos à parte rei, à Deo ſecernatur omne impurum illud, quod attenditur ex parte rerum, quæ puto illi actui noſtris vocibus inuruntur. Verbi gratiâ, amor bicolor eſt; eatenus enim res eſt bona, quatenus dicit actum voluntatis, quæ in congruum finem dirigitur: quatenus verò paſſio eſt & accidens alterius naturæ à ſubiecto, Deus talem amorem neſcit; inuehit enim paſſio aliquid imperfectum, cuius expers eſt Deus, vtpote à quo integra quæque & perfecta omnia deriuantur. Ne igitur hallucinetur homo, cùm in ſcriptura ſanctiori legerit Deum amare omnia quæ fecit, & ſic dilexiſſe mundum vt vnigenitum dederit: ſciat lector, hanc vocem, amor, dici de Deo bifariam, videlicet principaliter, vt loquitur ſchola; ſecundò vſurpatur connotatiuè. Dei amor ſecundùm principale ſignificatum eſt Deus ipſe, cuius voluntas, & voluntatis actus, ſcilicet amor, non ſunt res diſſitæ, iuxta proloquium illud orthodoxum; quicquid eſt in Deo, illud eſt Deus, cui paſſiones nullas affingimus, quia ſe ſolo facit ea, ad quæ exerenda etiam ipſi Angeli egerent pluribus inſtrumentis, vt accidentibus obnoxij. Vnde eodem nos amore Deus diligit, quo ſe, ſi actum ſpeculemus ex parte amati: nam ſicuti eadem intellectione reali atque numerica, ſe Deus & nos etiam intelligit; ita eodem etiam amore & ſe & nos amat: ſi verò connotatiuè Dei amor vſurpetur, id eſt, vt connotat effectus illos quos edit, pro diuerſa rerum facie; dicimus homines ſanctiores, à Deo plus aliis tepidis adamari: gratia namque amplior emicat in homine ſancto, quam in homine reprobo.

Amoris ſit capax necne Deus.

Ibid. a. 3.

Ioan. 3.

Amor in Deo quid ſignificet. *S. Thom. 1. p. q. 20. art. 4.*

Amor Dei in homines qualis ſit.

Rurſus Deus in humanis induit omnia quæ hominem ſtipant, exceptis ignorantiâ, & peccatis; at paſſiones ſunt citra ignorantiam, & peccatum; ergo illas induit, & conſequenter vt homo deſiderauit manducare Paſcha nobiſcum, vt medium idoneum voioni, quam ab æterno Deus ille, non ſolùm amans, ſed & amor decreuerat exequendam. Adiice præfatis, nos laborare inopiâ verborum, ideòque affingere vt plurimùm rebus nomina noſtro conceptui. Eamobrem infer, nomina Deo ab homine attributa, referre hominis ſenſum magis quàm naturam Dei. Verbi gratiâ, cùm Prophetas legimus ſæpe ſæpios à Deo miſſos ad ſalutem hominum, hinc Dei deſiderium auguramur; non quòd Deus, vt Deus deſideret, eo enim ſenſu deſiderium inuoluit anxietatem: ſed quia noſtro ritu ſpeculandi cauſas in effectu, diuina efferimus modo hominibus inolito, iuxta phraſim codicis ſacri, qui ſe aptat captui noſtro, dum Deum nobis explicat ἀνθρωποπαθικῶς, id eſt, quaſi de homine incideret ſermo: quemadmodum enim prima rudimenta cuiuſque diſciplinæ, humili ſtylo proponuntur, vtpote conſono indoli paruulorum; ita & Spiritus Sanctus typis homini vernaculis edocet altiora: hoc ducatu Spiritus Sancti certiores, Dei deſiderium pro modulo eloquimur.

Ex Theologia: *Epheſ. 1*

Gentium Eccleſiaſtes Paulus, Deo ipſo magiſtro vſus, & eo plenus, iſtud eructauit oraculum. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in ipſo.* Nota duo hîc attribui amori diuino, in quibus amori noſtro præſtat: primùm eſt, amorem

Dei

Amor Dei electionem dicit.

S. Thom. 1. p. q. 19. art. 4.

Dei dici electionem; non enim ſine diſcrimine, vnicuique Deus amoris ſui beneficium impertitur: homo verò ſecus deluſus ementita ſpecie boni, non eligit, ſed quaſi rapitur in obiectum inſcius erroris ſui; item Dei amor non inuenit bonum in obiecto, in quod fertur, ſed amando influit; nam cùm amare ſit idem Ariſtoteli, ac velle bonum, & velle Dei efficax ſit cauſa rerum; Deus amans nos ante mundi conſtitutionem, bonum illud omne infudit, à quo boni & pij nuncupamur. Aſt hominum amor, vt iners & inops non influit; nec ipſo etiam Regum amore quamuis intenſo, poteſt quis moribundus eripi faucibus mortis, amore humano impotente aliquid effundendi: certis namque cancellis voluntas humana concluditur, quos eſt reſilire nefas; at diuina voluntas, virtutis infinitæ, eoſdem exerit effectus, quos vult efficaciter nullo obice reclamante. Hinc liquet, amorem Dei in homines, eos dirigere ad Deum ipſum: nam ſummus amor, nihil niſi ſummum amat; at Deus eſt ſummum bonum: ergo Deus homines amans vult ſeipſum communicare homini: & quia in aſſumptione naturæ noſtræ, vni tantùm homini ſe aptauit, ſcilicet Chriſto; aliam iniit viam, quâ ad ſingulos quoſque homines poſſet etiam intimè deuenire. Via hæc eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius frequentiâ vnumquemque hominem ſibi deuinxit Deus, & vnit peculiari modo, quo fit homo ſanctus, & immaculatus, iuxta deſiderium Chriſti. Hanc Dei voluntatem eſſe rerum effectricem, & amorem huiuſc Dei, fontem eſſe bonorum omnium, quorum gaudemus influxu, diſce ex Sancto Auguſtino, qui dum meditatur textum illum Pauli aſſerentis, nos electos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus cum eo ſancti & immaculati, ſic locum illum doctè & piè commentatur. *Antequam aliquid omnino eſſemus, dilexit nos, vt cum vnigenito eius filio, filij eius eſſemus.* Idem ſpeculans locum illum Apoſtoli, Romanos ſic alloquentis. *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Sic fatur Sanctus ſcholiaſtes. *Non dicit, diligentibus Deum, ſed dilectis, quia enim dilecti ſunt, diligentes ſunt.* Ex quibus omnibus liquet, amoris eſſe id totum, quo in Dei obſequio radicamur.

Amor Dei in nos eſt fons bonorum omniū.

Ex SS. PATRIBVS:

S. Auguſt. lib. de Trinit. Epheſ. 1.

Roman. 1. S. Auguſt. ibidem.

Et licet alia ſit gratia extra Sacramentum, quâ homo viuidus ſtat; tamen amor Dei, quem Paulus Epheſiis inſinuat, pertinere videtur ad Euchariſtiæ vegetum Sacramentum: ait enim, nos electos, vt ſimus ſancti & immaculati cum eo; diceres alluſiſſe ad lotionem pedum, quâ terſiores facti Apoſtoli à Deo electi, & compotes effecti viuifici panis, cum Chriſto, vtpote illi vniti, immaculati ſua piacula præterita neſcierunt. Eò collimat illud eiuſdem Dei deſiderium multiplex, quod explicat diſcipulis, aiens: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum: etenim hominis vnionem appetens Deus, medio iſto vt congruo vſus eſt, hominem totum in Deum præuiâ Euchariſtiâ transformando: hanc autem vnionem quanti faceret, homines impotes credere; colligent tamen aliquid ex eo deſiderio immenſo Apoſtolis explicato. Annon eò reſpexit Iſaias, cùm deſcripſit Deum velata facie, & pedibus abditis, pectore tamen aperto, quod Seraphim quaſi ventilabro alarum ſuarum myſticè recreabant. Agnoſco ideam vltimæ huius cœnæ, vbi caput & pedes Chriſti patere nequeunt, id eſt, principium & finis diuini amoris ſunt ſupra hominum captum, ac proinde caput atque pedes velamine ſeraphico recondûntur; pectus tamen, id eſt media aperta ſunt: nam explicans Chriſtus ſuum deſiderium manducandi paſcha, quo ſibi vnire voluit hominem, pectus anhelans expoſuit, vt & nos votis noſtris collectis, ad Euchariſtiam aſſumendam, deſideriis etiam ſimilibus æſtuemus: his ſiquidem ſolis, afferimus aliquod refrigerium Chriſto, prouocanti nos ad tale deſiderium exemplo ſuo, ad quod omnes debent ſe genuinè componere, ſi fieri volunt participes eius cibi, ante cuius frequentiam Chriſtus edocuit nos conſonum apparatum.

Ex Figuris.

Iſai. 6.

Euchariſtiæ deſiderium hominem benè diſponit.

Fauet & alia figura perelegans, conſentanea myſterio iſti celebrato Ieroſolymis, præuiis votis atque effectibus Chriſti: nimirum ea figura, quæ deſcribit Eſdræ acceſſum in Ieruſalem; cùm rediret ex infideli plaga. Sic ille. *Promouimus à flumine Ahaua, vt pergeremus in Ieruſalem, & manus Domini noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici.* Eſdras in hac hiſtoria typum Chriſti refert, qui cùm pergeret in Ieruſalem, promouit reuerà à flumine Ahaua. Vox illa hebræa eſt, אהבה amorem ſonat, ſeu deſiderium promoueri à flumine Ahaua, id eſt ab amore & deſiderio auſpicari, hoc eſt inire viam, quæ ducit Ieruſalem. Chriſtus deſiderio deſiderans manducare Paſcha, reuerâ proceſſit à flumine Ahaua; iis verò qui ſe Chriſto adiunxerint, quadrare poteſt ſequela textus. *Manus Domini noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici.* Nam licet Apoſtoli incurrerint in cohortem illam ſacrilegam, quæ Chriſtum vinxit; illi tamen ad propria ſoſpites & integri repedarunt. Eadem ſors æquior manet eos, qui deterſis ſuis affectibus ſe accingunt ad myſteria ſacroſancta. Inſtabis fortè: Quæ affinitas flumini, & deſideriis hominum? Multa ſanè; prima eſt in affluentia ſimul & effluentia, affluunt aquæ fluminibus, vtpote oriundæ à fluminis fonte perenni; ita & deſideria neſciunt in homine deliquium: homini quippe vnicuique poteſt attribui illud Angeli Danielem ſic alloquentis. *Vir deſideriorum es.* Nullas namque facit inducias homo deſiderandi: rurſus effluunt aquæ motu vtique inquieto; ſic homo minimè tenax voti repetiti diu, parum ſibi conſtat. Flumina luteo ſæpe ſinu ſordent; eo planè modo affectus noſtri, dum alueo immundo decurrunt, limum colligunt, rerumque ſordidarum maculis aſperguntur. Si verò terſior alueus aquas exceperit, quò velociori feruntur impetu, eò puriores nitent aquæ, ſicut & vota noſtra, ſi ſunt penes aliquid innoxium, capiunt inde munditiam: igitur cùm Deus omnimodæ mitelæ ſit ſcaturigo indeficiens, qui Deum deſiderant

1. Eſdræ. 8.

Daniel. 9.

& toto pectore in eum anhelant, illi equidem ſanctis & nitidis fluctibus immerguntur. Inde emergentes pergunt Ieruſalem, quò Chriſtus ire noluit, niſi procedendo ab eo flumine Ahaua, cui nomen inditum eſt à radice hebræa, ahab אהב, dilexit, ſeu deſiderauit.

1 Eſdra 8.
Ex Hiſtoria:

Sfortiæ amor in Ephebũ.

Cæſar Noſtra dam. in hiſt. r. Galliæ Narbonenſ. ſub an. 14 5.

Ceſſet hiſtoria demirari facinus editum amoris præcipui, quem præfectus prætorio Regni Siciliæ, nomine Sfortia, ſuo vitæ diſcrimine teſtatus eſt: ille magna nobilium caterua ſtipatus audit, Ephebum ſibi charum abſorberi aquis proximi fluminis; heros adoleſcentis ſortem ægrè ferens, equum ſuum egit in flumen, præſens auxilium miſero præſtiturus: ſed valido flumine ſuis turgentibus aquis infirmante conamina nitentis equi ſuperare fluctus, ſenſit periculum præpoſitus ille generalis militiæ; amore tamen eum vrgente, quaſi animos additurus equo, voce & manu ſollicitat ad nouos auſus, quos cùm molirêtur faſciſcens anima irrito tentamine petiit, Domino etiam ſuo flumine ſuffocato. O amorem Domini in puerum honoratum, ſuo deuinctum obſequio! O cor tanto amore æſtuans, vt putarit aquas impotes extinguere charitatem! O immites aquas & neſcias cultus, quem ſibi poſcit amor! quandoquidem fluctus ingluuij tulerunt è medio hominem præpotentem. Sed eſto, ſit hoc ſpecimen amoris præcipui; nemo enim maiore charitate incandeſcit, quàm vt vitæ ſuæ diſcrimen obeat, amicorum ergô: ſed gloriam quæ inde emergit, Chriſtus Dominus præcipuo adhuc facinore licitatur. Etenim Dux ille Italus, eiuſdem erat naturæ cum Ephebo ſuo, à quo deuinciri potuit tantis obſequiis, vt mortem etiam dignaretur oppetere, vt ſoſpitem educeret: ſed quæ relatio ſimilitudinis, Chriſti ad homines? ille Deus cui omnia viuunt, rerum omnium caput, & à quo habent, vt benè ſint omnia quæ ſunt; homines verò vilia mancipia, quæ Deo ſemper iniuria, neſciête gratiam eius vllo obſequio demereri. Hos ſuos ſeruos vidit ab æterno Deus, abſorbendos aquis fluminis Ahaua, id eſt deſiderij; tot enim fluctibus affectuum feruntur homines, vt ſæpius in lethales criminum ſcopulos incurrant: tunc ſcilicet cùm vota deuiant à ſummo bono Deo Optimo Maximo vt ſectum vilium forma fugax, totis affectibus excolatur. Hinc Paulus deterrere volens homines ab eo flumine Ahaua, eos præmonuit ſic affatus. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Id eſt, ne deſideria veſtra ferantur in quæuis carnalia, ſcilicet in cupedias & illecebras ſenſuum, lenociniis etenim illis diſpereunt homines, vtpote ſoliti fluctibus Ahaua fluminis abſorberi. Nihilo cautiores homines etiam nunc vagis cientur affectibus, immerſi flumini Ahaua. Chriſtus Deus idem ſubiit flumen deſideriorum, vt ipſe teſtatus eſt dicens: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum; homines ſaluandi gratiâ, hoc flumen ingreſſus eſt, vt eâ parte quam iniret, homines accurrerent, ſequuturi ducatum Chriſti Domini tranſuadantis. Potiores ille nactus aquas, in flumen inſiliit, nimirum deſiderans ſeipſum vnire hominibus, edocuit homines ſua omnia deſideria colligere, vt ferantur in Deum ante communionem, vt ſe expediant à tumultuantibus vndis affectuum, qui vagos atque inſtabiles homines in gyrum agunt, quo nutante animo, in varias ſecti partes, à ſeipſis miſeri diſpeſcuntur. Huius rei gratiâ mortuus eſt Chriſtus in flumine Ahaua; Dominus ille Deus ſibi ſufficiens, in deſiderio ſalutis noſtræ ſupremam animam egit. Sitio, inquiebat ille poſitus in agone, & eſto deſideriorum fluctus in cor æſtuans amore irrumpant; impotes tamen ſunt omnes illæ irruentes aquæ meam extinguere charitatem. Licet deſiderium illud humanæ ſalutis me morti addixerit, lubens iam oppeto, querulus re vnâ duntaxat, nimirum homines ſuorum affectuum incurios, facturos flocci ſpecimen amoris quod præbeo, quando deſidero me totum, & totis affectibus in communione homini coaptare. Ex præfatis liquidò eſt, quantùm debeat amori Chriſti, exemplum illud Ducis antea recenſiti, & pereuntis amoris gratiâ, quo flagrabat in Ephebum egregium, iniquiore eum flamine depaſcente.

Euchariſtiæ inſtitutio eſt amoris opus

Rom. 13.

Amoris Chriſti in nos argumentum.

Ex Hiſtoria: *Andreas Fauyn, lib 3. hiſtoria Nauarra, ſub ann 930.*

Rurſus, vt conſtent amplius Domini Dei affectus, & vt noſtros excitare valeant, meditare mecum, tepere amorem omnem, etiam præcipuum quemque, cuius meminit hiſtoria, ſi conferas eum cum affectu illo Chriſti, quem iam commemoro; & ne gratis videar elogia texere, accipe hiſtoriam inſignem, quæ coniugis caſtæ amorem explicat illibatum. Fuit ea mulier heroina, coniux Dyoaſtæ potentis Comitis Caſtellæ, cui nomen Gonzalez: is fortunâ ſuas alternante vices, captus à Rege Leonis, carceri arctiſſimo addicitur, vbi diu occluſus ſummum ſui deſiderium fecit vxori fideliſſimæ, quæ haud æquo animo ferens moras viri perquamdilecti, eam vrgente affectu prævalido, concepit animo rem arduam; quodque demirere magis, audax ſuum facinus exantlauit. Cultiores ſuas exuit veſtes, & ſexum ementita, virilem habitum induit: incognita adit vrbem, tantúmque ſuis artibus fecit, vt carceris copia fieret, & gratia Comitem inuiſendi. Præpotens Deus, in quas ambo ſeſe effudere lacrymas, ruentes in amplexus, mutuo ardebant deſiderio ſe videndi coniuges, cuius compotes facti, non illic finem fecit mulier generoſa. Comitem vinctum orat patiatur compedes ſolui, gratumque vxoris habeat animum, quæ mutato habitu, & induto viri obſoleto amictu deſiderat carceri mancipari. Mulier importuna viro, eius animum inflexit, locumque ſubiit, viro elapſo his artibus, quas Rex ipſe Leonis dum reſciuit, laudibus extulit, indignum ratus deſæuire in amorem. Egregium equidem amoris eſt hoc exemplar, & cui impar eſt omne, quod referri poteſt eiuſdem thematis: tamen quantùm amori Chriſti in nos debeat, explicabo. Iura coniugij vxores ita ſuo coniugi deuinciunt, vt Iure etiam Ciuili debeant viri abſentis deſiderium prodere; vnde lex orta, de annuo luctu, viro demortuo, ſi nolint infamiæ notam incurrere, & cadere bonis aſſignatis à marito nuper elato. Ergo coniux Comitis Caſtellæ, ſi quid heroïcum prodidit atque laudabile, deſiderium mariti eius legibus vrgebatur. Chriſtus verò nullis legibus obnoxius vt Deus, videns hominem carceri mortis expoſitum, quaſi exuit infulas gloriæ, habitu hominum inuentus vt homo: in

Gonzales Dux ab vxore mutato habitu eripitur.

Ex Iure Ciuili: *Lege 2. codice de ſecundis nuptiis.*

orbis

orbis oras deuenit incognitus, vt aduertit ſcriba ſacer. *In propria venit, & mundus eum non cognouit.* Hominem induit, dum verbi diuini ſparſit eloquia: ſeipſum vinctis aperuit, quando abditos gloriæ ſuæ radios explicauit. Nonne eum agnouit ſponſum Martha virgo? vbi ait: *Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti,* Nonne & Petrus, deitatis inſulas agnouit? quando vſurpauit eaſdem quas Martha voces, dum reſpondit Chriſto ſciſcitanti: *Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Agnitus Dominus multos ſoluit multiplici ſcelerum laqueo præpeditos.

Ioan. 1.
Ioan. 11.
Matth. 16.

Euchariſtiæ ſequio Chriſtus corda ſubit hominum.
Luc. 22.

Nec hîc ſtetit amor, in vlteriorem voluit & penetrare carcerem: nam in orbem ingreſſus mutato habitu, velut in vrbem venerat, vnde homini captiuo innotuit, penitiora hominis vincti peruadere deſiderat, id eſt pectus eius, ſub ſpecie panis vtique conſecrati. Deſiderium ſuum aperit Apoſtolis, dum anhelans ait: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Aperto pectore diſcipulorum, ſubintrat hunc carcerem, inde eliminat omne noxium, ſi quidpiam tale reperit; hominum noxas velut induit, cùm mortis chirographum cruci dicitur affixiſſe. Salutem hominum partam illis artibus amoris Domini Ieſu, habuit gratam Deus Pater nec dubium voluit facere amoris opus. Libet hîc abire in ecſtaſim, & vſurpare voces Apoſtoli extra ſe poſiti. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Quos niſi reuelante Deo, amoris eius in nos, tam efficax caperet argumentum? Igitur apicem ſui facinoris egregij, & amoris præcipui, demittat ante Chriſtum, famoſa illa heroïna coniux Comitis Caſtellæ, quæ virum eripuit carceri, ſuæ etiam neſcia libertatis; illud omne eſt infra amorem Chriſti, hominibus exhibitum, & cuius mox compendioſè diximus incrementum.

Rom. 11.

Deſideria Chriſti noſtra etiam deſideria ſollicitant.

Ex SS. Patribvs.

Euchariſtia amorem hominum ſollicitat vt reciprocet.

Non eſt quod laboret homo, in indagine apparatus ad ſacram ſynaxim, deſideria Chriſti, præambula illi menſæ, noſtra etiam deſideria ſollicitant: Deo ipſo, ſuo exemplo præmonente, vt ſicut ille deſideria ſua aptauit ad vnionem Dei & hominum; eo plane modo ad hos etiam amplexus innoxios, affectus noſtros omnes impigrè componamus. Huic ſe accingunt operi Sancti omnes, dum meditantur æſtus amoris, quos amantiſſimus ille hominum parens ſuſtinuit, & noſtram mirantur inſaniam, qui tepemus ad feruida diuini amoris inſignia, & quaſi algeat cor noſtrum, nullo etiam fomite ſacro poſſumus æſtuare. Hoc deflet admirabundus Bernardus. *O duri & indurati filij Adam! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit: non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, ſed pretioſo ſanguine ſuo, quem effudit abunde. Quid vltra debuit facere, & non fecit? illuminauit cæcos, reduxit erroneos, reconciliauit reos, iuſtificauit impios.* Hæc ille, qui vbi amoris Chriſti plurima recenſuit argumenta, concludit inde Deum noſtros affectus ad amorem ſuum validè præuocare. Sic ille. *Quid ergo à te quærit, qui tantâ ſollicitudine te quæſiuit, niſi te ſollicitum ambulare cum Deo tuo?* Puta his greſſibus affectuum, de quibus Auguſtinus. *Non itur ad Deum pedibus, ſed affectibus.* Quod vt exemplo ſuo probaret ille Sanctus, ſeipſum vrget, vt deſideria ſua dirigat ſurſum, vt quibus potiſſimùm anima ad cœlites euehatur. Sic ille. *O Anima mea, ſuſpira ardenter, deſidera vehementer, vt poſſis peruenire in illam ſupernam ciuitatem, de quâ tam glorioſa dicta ſunt, in quâ ſicut lætantium omnium habitatio eſt, amore potes aſcendere, amanti nihil eſt difficile, nihil impoſſibile, anima quæ amat, aſcendit frequenter.* Hactenus ille amans ſanctus, de amore quo iugiter æſtuabat. Annon Eccleſia eodem & ſpiritu acta quo Auguſtinus, ante Canonis Miſſæ exordium ſic præfatur? Surſum corda, cui parænesi chorus annuit & reſpondet: Habemus ad Dominum. Quippe Deo plena alma parens Eccleſia, didicit corda in Deum dirigi, dum affectus aliani à creatis ſeſe efferunt ad ſuperna. Optimè ſanè ante conſecrationem mundandi affectus, ſurſum corda referendo, quia eâ cautione ſuos etiam Chriſtus Deus diſcipulos informauit: vt enim præfatus ſum, ſe deſiderio deſideraſſe ingeminat Dominus, vt deſiderijs noſtris de Deo nullas figamus metas; cùm deſiderio ſalutis noſtræ ille optimus parens nullum impoſuerit modum: mortuus in hoc agone homines ad ſuperos euehendi.

S. Bernardus ſerm. 2. de Penteco.

Idem vbi ſuprà.

S. Auguſt.

Amor actus neceſſarius ad beatitudinē aſſequendam.

Idem in Manuali c. 24.

Ex Figuris.
2. Reg. 11.

Euchariſtiæ præparatio figurata in Vriæ hiſtoria.

Locuples figura Dauidis & Vriæ, elimatè intento meo famulatur. Sic habet ſacer codex. *Dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos, & egreſſus eſt Vrias de domo Regis, ſecutuſque eſt eum cibus regius.* Tria hæc hiſtoria commemorat: primum eſt iuſſio deſcendendi in domum propriam: alterum eſt lotio pedum: cui ſubiſcitur regia eſca, loto homini demandata. Deſcenſus in propriam domum, inſinuat examen exquiſitum conſcientiæ, quam explorare oportet, vſque ad penitiora quæque præcordia, vt notitia integra reatuum, ciere queat lacrymas, ſuo profluuio pedes emundantes. Hæc autem frequens recenſio pedum, quos ablui decet ante epulas ſanctas, monet non ſufficere ſua luxiſſe peccata, ſed & affectus ereptos rebus infimis, oportere communioni aptare, & vni tantùm Deo optimo deuouere: ſi tamen volumus fieri participes epularum Regis, qui adeo zelotes eſt illius munditiæ pedum, vt vbi quempiam aſpexerit ſe componere ad illam lotionem, illum ſtatim præueniat eſcâ ſuâ regiâ, ante ſacramenti ſumptionem, ſpiritalites pœnitentum animis illabendo.

Ex Ivre Canonico:
Can. irriſor eſt de pœnitentia diſt. 3.

Aliud item ſubodoror myſterium, in illa explicatione affectuum, quos Chriſtus ingeminat, repetita voce deſideriorum, dicens. *Deſiderio deſideraui.* Arbitror enim hominem recèns expiatum face ſuorum criminum, adeò eſſe immemorem ſui, vt licet fleuerit ſua reproba facinora, periculum ſubeſſe, ne retrocedat ad eadem deliquia in confeſſione recenſita, quod nefas eſt ingens & Dei irriſio, vt habetur in Canone. *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Canis reuerſus ad vomitum eſt pœnitens ad peccatum; multi enim lacrymas indeſinenter fundunt, & peccare non deſinunt: quoſdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, & affectum pœni-*

tentiæ non habere conſtat, quia inconſtantia mentis, nunc recordatione peccati, lacrymas fundunt, nunc verò reminiſcente vſu, ea quæ fleuerant iterando committunt. Iſaias peccatoribus dicit: Lauamini, mundi eſtote: lauatur itaque, & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit; lauatur, & non mundus eſt, qui plangit quæ geſſit, nec tamen deſerit, ſed poſt lacrymas ea quæ fleuerat repetit. Hactenus Canones Sancti. Occurritur hominum menti imbecillæ, dum conſulitur renouatio illa affectuum, eos coercendo omnes ad Communionem appetendam. Dixi ſuperiore homiliâ, lotos pedes inſinuare affectus in genere terſiores; ſed deterſionem linteì, adiicere aliquam praxim virtutis eius, quæ ſuccedit vitio deturpanti: ex quo fit, vt poſtea calceata ſit anima in virtutis vſu, quæ alioquin nudos pedes circumferret. Sed dum Chriſtus addidit deſiderium explicitum, myſterij præfati, ſubdidit incrementum. Nimirum contrahendò affectus noſtros, ad ſacram Communionem; calceis animæ, veluti gemmam inſeruit emicantem, vt nos regio apparatu ad ſuam menſam eueheret: ſolis quippe Imperatoribus licitum fuit geminatos ferre calceos; quod ius arrogarunt ſibi duo tantùm hoc luxu inſignes, ſcilicet Heliogabalus, & Diocletianus. Carinus fibulas tantùm calceorum ſuorum eſſe gemmis prædiuites voluit. Antigonus aureo calceamento vſus, ſe fecit inde conſpicuum. Imperatores Chriſtiani exoſi faſtum Ethnicorum hominum, quorum inſoleſcens animus ſeipſum ferre non poterat, adiectâ mole Imperij exemplo Chriſti Domini cautiores, expunxerunt gemmas non modò à calceis, ſed explicitâ etiam conſtitutione à baltheis, ſellis equeſtribus, & frænis Margaritas longè abeſſe voluerunt. Accipe ex Codice Iuſtiniano Sanctionem. *Nulli prorſus liceat in frænis, & equeſtribus ſellis, vel in baltheis ſuis Margaritas, & Smaragdos, & Hyacinthos aptare poſt hac vel inſerere.* Hæc pompa tamen myſticè accepta, Deo Domino non ingrata eſt: etenim pedes amat indutos calceo, gemmâ multiplici rutilante. Nulla autem Margarita emicat, ſicuti hoſtia ſacra, quam qui deſiderat integro affectu, pedibus animæ inſerit rutilam & inſigni pretio Margaritam. Placet & elegans Auguſti Imperatoris inuentum: ille humiliore ſtatu quàm par eſſet, occurrit corpori decurtato, calceis ſtructuræ altioris; vt quod naturâ nouercante deerat pedibus, illud idem reciperet calceo ſuffragante. Idem & præſtet anima neſciens virtutum praxim, aliquam animo concipiat colendam in poſterum, & ex hoc temporis articulo, quo vertente pergit ad altare, eminenti vtatur calceo, aptando affectui ſuo deſiderium feruidum corporis Domini, & optando ſoli Deo in poſterum adhærere. Ea ſiquidem eſt virtus affectuum, vt eundem præſtent vſum, quem & proceri calcei, quorum beneficio ſtatura breuior aliis eminet, quibus erat hactenus inferior. Ita & qui non habet in effectu, habere poteſt in affectu, quem Deus adeò exquiſitè rimatur, vt pluris faciat feruidum affectum, quam effectum deſidia torpeſcentem.

Pœnitentia falſa Deum irridet.

EX HISTORIA: *Alexander ab Alexand. lib. 5. dierum genialium cap. 18.*

Calceis pretioſis quini Imperatores ſini vſi.

EX IVRE CIVILI: *Lege nulli prorſus Codice nulli licere.*

Gemmarum vſus olim prohibitus.

Alexand. ab Alexand. vbi ſuprà.

Calceis altis vſus Auguſtus Imperator.

Itaque animæquior eſto, anima, quam inolita crimina præpediunt: non te remoretur ſtatus humilior: æmulare greſſus, quos miratur ſponſus in conſorte tuâ filia Principis, quam calceus pulchrior exornabat. Toto pectore Chriſtum deſidera, & ecce te calceatam adinſtar ſponſæ illius Canticorum, quæ etſi regiâ proſapia eſſet conſpicua, licet egregiâ ſpecie decora, & rutila gemmis eſſet; eam tamen Deomet ipſo teſte, calceus inſigniuit. Sic eſto anima ſit illuſtris multo chariſmate, veniens ad altare, & eam licet omnis virtutum chorus ſtipet, ei aſtent Angeli omnes; niſi excitet ſe ad Communionis affectum, mutila erit illa Communio, & cenſuræ obnoxia, quia filia Principis neſcit greſſus, quos in calceamentis ſponſus eius primitus adamauit. Accipe & aliam rationem, ob quam Deus voluit affectus noſtros coire omnes in Euchariſtiam. Dominus ille cordium inſpector, penes quem eſt alta rerum omnium peritia, ſciens multiuagas hominum mentes eſſe ex defectu obiecti idonei, ad quod hominum vota omnia dirigantur. Vt iret obuiam labanti affectui, ſeipſum obiecit, vt qui fuit deſiderium collium æternorum, eſſet & noſtrum; quippe qui fuit cunctis deſideratus gentibus, poteſt deſiderari à nobis gentium infidarum æmulantibus mores: ne igitur animus, inquies erret, & veluti mendicus à creatis quibuſque emendicet opem, vni tantùm Chriſto affectus noſtri penitus adhæreſcant. Nec acceſſuri ad Euchariſtiam, quæramus extra eam alium Deum, qui noſtra corda coërceat, cùm aliò diffluunt; eo in eum feramur œſtro, quo Pſaltes olim amore flagrans. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Denique Deus ille ſit nobis omnia, ne illecti ab omnibus aliis rebus infimis, in alia quæque diſſona diſpeſcamur.

Cant. 7.

Euchariſtia ſiſtere debet deſideria hominum.

Pſalm. 72.

EX HISTORIA:

Ea eſt natura cordium, quæ fuit voraginis illius mirabilis, quam Roma quondam exhorruit: facto namque hiatu in vrbe mediâ ſenſim dehiſcens terra, ſeſe aperuit in barathrum ingens, atque flammiuomum. Edaces illæ flammæ quaſi in vrbis editæ perniciem, in proxima quæque ſæuiebant. Conſulit populus oraculum, quomodo concludi poſſet illa abyſſus aperta in patriæ ruinam: accepit hoc reſponſum, hiatum illum fore interminum, flammâ depaſcente terram, & obuia quæuis, donec in pabulum ignis, in eam voraginem mitteretur res ſummi pretij. Hoc oraculo lætiores, mittentes auri vim magnam, atque monilia in abyſſum, ſic illi optima ſua omnia deuouerunt: edax tamen ignis ſuos coaceruans globos, in eam exurgebat flammam, quæ ſatis eſſet incendio vrbis perimitæ. Rem tacitus apud ſe meditans vir nobilis nomine Curtius ait: non capi mentem Dei, cuius oraculo pretioſa quæuis erant illis ignibus addicenda; gemmas, & aurum eſſe res infra hominem, qui cum ſit Epitome rerum omnium, illis etiam omnibus præſtat; præ ſe ferens imaginem Dei, ſtylo ingenuo medullitus exaratam. Ideóque homine præeunte creatis omnibus, flammas has minaces, vnâ tantùm eſſe hominis animâ compeſcendas. Contribules ſuos atque indigenas admonet, eam eſſe mentem oraculi, vt ſe homo deuoueret illi voragini, nec aliâ ratione, ſatis poſſe fieri hiulco barathro. Quid inde? Omnes capitis detrectant ſubire periculum; nemo vult litare flammis; nullus idoneus vitæ diſcrimen inire, vt ſuccurrat ſuæ patriæ titubanti. Vnus ille Curtius ſimulachri interpres genuinus, nutantes intuens animos, ait: Ipſe ego ero auctor audendi; memet obiiciam ſerpentibus flammis; in me vno ſiſtent, in quo quæſitum fruſtrà pabulum inuenient; nihil opibus & flammis

Iulius Obſequens libro de Prodigiis.

Amor eſt vorago à ſolo Deo potens adimpleri.

Curtius ſe in voraginem præcipitat.

mis iſtis, ideo diſcors ignis vrbis minatur incendium, cui lubens obuiam ibo, & patriæ ſalutis ergò, inſiliens in barathrum, illius abdita penetrabo. O prodigium! Vir nobilis in mediam voraginem ſeſe præcipitem egit, & illicò concluſa eſt, recipiente terrâ priſtinum habitum, quem antea prætulerat. En reuera ideam eius myſterij, cuius ſenſum reconditum in vltimâ cœnâ Chriſti, hæc homilia perſcrutatur. Cor noſtrum hiat ore patulo: nam ex Auguſtino, *os cordis deſiderium*. Deſideria illa noſtra adeò diffuſa ſunt, vt rebus etiam concupitis, ſibi ſatis minimè faciant: creſcunt affectus noſtri, & vagantur quietis expertes, amoris inquies flamma depaſcit omnia, nec ideò tamen patens & diductum cordis oſtium obſeratur. Datur aurum Craſſo tantum, vt reditus annui ſufficerent alendo exercitui; ille tamen velut inops & ſitiens aurum, ſtuduit ſenex auaritiæ. Salomonis Gazæ adeò refertæ fuerunt auro, vt vileſceret; & tamen naues eius in Ophir, auri reportandi gratià, transfretabant: Septimo conſulatu, quo nemo antea, Marius inſignis repetitis nequaquam ſatiatus infulis, moriens adhuc ambiit faſces & ſecures. Heliogabalus in Venerem fractus, nullis illecebris obſcœnum potuit ſedare genium ſuum: imò & hodie multi opibus inſignes, infulis illuſtres, & beati deliciis huiuſce ſæculi; in eaſdem tamen adhuc res, quibus affluunt, effunduntur. Nulla planè ratio alia nutantis animi, quàm allata ſuperiori oraculo, ſcilicet barathrum ingens non concludi aliâ re, quam eâ quæ imaginem Dei præfert, & quæ excedit pretium rerum omnium. Ea res eſt Dominus IESVS, homo verè Curtius, quia in eo fuit Verbum abbreuiatum, & rurſus eius humanitas fuit quaſi in ſacrâ hoſtiâ decurtata. Curtius ille ſuorum amantiſſimus, prodere noluit amorem vagis affectibus, deſideria contrahens ad ſeipſum: dum etenim ſe obiecit Apoſtolis deſiderandum, nonne inſiliit in abyſſum illam affectuum, quâ hominum corda, veluti voragine flammiuomâ depaſcuntur?

Plutarchus in vita Craſſi & Marij. Dion. in vita Heliogabali.

Amor præire debet Deo venturo.

Igitur hoc eſto decretum conſtans, eos videlicet omnes fore inquietos affectus, cui Chriſtum illum Curtium neſcierunt, fruſtraque parari eum, qui ad Communionem accedit, ſi eius omnino affectus illo vno deſiderato Curtio, minimè compeſcantur. Deſiderandus itaque ille Dominus, quia deſiderium eius debet eſſe præambulum aduentus eius, vt benè monuit Bernardus, ſic fatus. *Et hoc ſignum iſtiuſmodi aduentus eius, ſicut ab eo qui expertus eſt, edocemur. Ignis ante ipſam præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius; oportet namque vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem eius, ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus, qui omnem conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præparet locum Domino: Et tunc ſic anima, quoniam iuxta eſt Dominus, cum ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam, & dixerit cum Propheta: De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Et illud. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardeſcet ignis. Tali animæ ſuſpiranti frequenter, imò ſine intermiſſione oranti, & affligenti ſe præ deſiderio, cùm interdum deſideratus ille, qui ita quæritur, miſeratus occurrit.* Hęc Bernardus, qui vt Dei deſiderium nobis faciat, ſic diſcurrit. *Delectabilis eſt ad videndum, ſuauis ad habendum, dulcis ad fruendum, ipſe per ſe placet, & per ſe ſufficit ad meritum, ſufficit ad præmium, nec extrà illum quicquam quæritur, quia totum in illo inuenitur quicquid deſideratur, ſemper libet eum aſpicere, ſemper in illo delectari, & illo perfrui. Quæ ergo nos angit veſania, vitiorum ſentire abſynthium, huius mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferro dominium, & non magis conuolare ad Sanctorum felicitatem.* Hactenus ille, qui quaſi alluderet ad hiſtoriam Curtij obſerantis oſtium abyſſi Romæ exortæ, ſic hortatur. *Ieſum Chriſtum etiam ſuper cor tuum, ſicut ſignaculum pone; cùm enim Chriſtus cordis oſtium cuſtodit, & eſt cordis oſtiarius, vt per illam ingrediantur & egrediantur omnes familia cordis, conſequenter adſunt millia millium Angelorum, ad fores exteriorum ſenſuum excubantium, nec audet alienigena irrumpere terribiles illas acies, propter oſtiarij reuerentiam, & Angelorum cuſtodiam.*

Ex SS. PATRIBVS: S. Bernard. ſerm 31. in Cant.

Threo. 1.

Pſalm. 38.

Deus quam ſit ſuauis ad fruendum.

Lib. medit. cap. 4.

Amor Ieſum cordi imprimit altè.

Ibidem vbi ſuprà.

Facit ad hanc collectionem noſtrorum affectuum ante paſtum ſacrum, Symbolum Paradini, qui manna de cœlo diffluens pingit hoc ſemmate. ANIMIS ILLABERE NOSTRIS. Vtinam illa pictura loquax referens Euchariſtiam, altè noſtris mentibus inſideret; non aliâ prece foret opus eunti ad menſam Angelorum: ea ſiquidem aſpiratio frequens conciliare poteſt Dei gratiam, quæ in Communione multiplex eſt. Deum igitur ſic vrgeat anima aſtans crepidini altari. O Manna Sanctum ANIMIS ILLABERE NOSTRIS: quippe labanti animo ſi non illaberis, omnia collabuntur. Hic deſideriorum Dei æſtus, eſt Sanctis frequens, ſicuti aduertit Ambroſius. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? æſtuat Sanctus nec ſeſe capit: maior eſt enim animi magnificentia, quàm cuiuſlibet corporis magnitudo, & ſecurus meriti, de terris ad cœleſtia euolare deſiderat; ſic & alibi dicit ipſe: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? hîc enim laquei; quibus etſi non implicatur iuſtus, tamen impeditur.* Hæc ille: quaſi inſinuans hominum eſſe perfectorum, præferre Symbolum mannæ, præfixâ hac Epigraphe. ANIMIS ILLABERE NOSTRIS Ad hanc hominum ſanctiorem claſſem, nos euehit Bernardus ſic exhortans. *Anima quæ non ſtudet in ſe conſiſtere, nec in amore Dei deſiderium figere; per oculos, & aures, alioſque corporis ſenſus foras egreditur, atque in exterioribus delectatur; requiem in ſe non poterit habere, quoniam illam dereliquit, in quo habitare & requieſcere debuit. Cogita ergo in ſocietate aliorum poſitus, quia non poteris ſemper manere cum illis, & interim elige ſocium, qui cùm omnia ſubtracta fuerint, fidem ſeruat dilectoribus ſuis, nec recedit in tempore anguſtiæ: omnes igitur cordis diſtractiones, & mentis fluctuationes in vnum collige, & in ſolo Deo totum deſiderium tuum fige, vt tibi ſit cor tuum, theſaurus tuus deſiderabilis, multumque amabilis.* Hæc ille.

EX SYMBOLIS. *Paradinus lib. Symbol.*

Amoris in Deum ſuſpiria

EX SS. PATRIBVS. *Tractatu de prima interpellatione Dauid.*

Libro de conſcientia c. 1.

Amore Dei anima tota colligitur, quæ alioqui tota diſpergitur.

Vt autem anima compos fiat deſiderij ſui in Deum collecti, æmuletur ingenium corporis ægri, quod dum auidè optat reducem ſanitatem, & illam iamiam attingit, ſudoris profluuium præmittit, quo non faciem duntaxat, ſed & pedes totos alluit: eſt autem medicis integræ valetudinis pes madidus argumentum; ſicut è contra, deſudans facies pedibus ſiccis, ſudorem infidum denotat: ita lacrymæ obortæ oculorum tenus, quæ faciem aſpergunt, hypocritæ ſunt & men

EX RE MEDICA.

Sudores vt boni ſint quid requirant.

mendaces, ſi animæ pedes, id eſt deſideria non emundant : nec ſemel aut iterum, ſed ſæpius ſunt illæ ſalutares lacrymæ repetendæ. Quemadmodum enim modicus ſudor, nihil arguit boni, iuxta illud, nihil paucum criticum; ita & inutiles lacrymæ, ſi non irrigantur & pedes, imò & totum corpus, iuxta decretum Hippocratis:

Hippocrates libro primo Prœſagiorũ.

ἀγαθοὶ δὲ ἱδρῶτες ὁκόσοι διὰ παντὸς τοῦ σώματος γινόμενοι. κάκιστον δὲ οἱ ψυχροί τε, καὶ μοῦνον ἀεὶ τὴν κεφαλήν τε, καὶ τὸ πρόσωπον γινόμενοι, καὶ τὸν αὐχένα. id eſt, *boni ſunt ſudores qui toto fiunt corpore, & faciunt vt æger facilius ferat morbum, peſſimi verò ſunt frigidi tantùm, circa caput, & faciem, & collum.* Hactenus Hippocrates, qui morbum non faceſſere negotium ait, ſi multus ſudor toto corpore diffundatur. Vbi aduerte, poſt Confeſſionem curari quidem lethale facinus, ſed remanere fomitem præteriti deliquij, & hoc in pœnam animi olim reprobi; fomes autem ille eſt infirmitas animæ, quæ inclinat adhuc ad retroacta facinora, rurſus iteranda. Nimirum ex noxiis actibus, ſeſe habitus inſeruit difficile mobilis animam ſtimulans ad priſtinos actus iterum exercendos. Si vis occurrere tali deliquio, ô anima, lacrymis allue totum corpus, defle peccata manuum, pedum, & omnium ſenſuum, & ſudor ille toto corpore defluens, & detergens ſingula quæque crimina, faciet animum à noxiis omnibus alienum : iuxta ſententiam Hippocratis, cui ſudor vniuerſus facit, vt æger validior ſit ingruente paroxyſmo.

Ex Theologia: *S Thomas 1.2.q.82. art 2.* Confeſſione facta manet fomes.

Amor Dei qua oratione ſit petendus.

Ex SS. Patribvs. *S. Auguſt. lib. Meditat. cap. 1.*

Ex Sanctorum praxi, dogma Hippocratis ſic explico. Antequam animus effundatur in Chriſtum, primò detergendi ſunt affectus ab omni contagio : non enim ſincerè Dominus Iesvs amari poteſt ab animâ neophytâ, niſi priùs vitiis omnibus abdicatis. Ita ſe componebat Auguſtinus ad amorem Dei, videlicet poſt repudium eorum omnium criminum, quibus olim fortè fuerat obnoxius. Sic ille. *Deus meus, da cordi meo te deſiderare, deſiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da, Domine Deus meus, cordi meo pœnitentiam, ſpiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemoſynæ largitatem : Rex meus, extingue in me deſideria carnis, & accende ignem tui amoris : Redemptor mei, expelle à me ſpiritum ſuperbiæ, & concede propitius theſaurum humilitatis tuæ : Saluator mei, amoue à me furorem iræ, & indulge mihi benignus ſcutum patientiæ.* Hæc Auguſtinus, qui quaſi ſingula membra lacrymis immergeret, vt aptaret ea virtutibus; ſingula quæque vitia deteſtatur. Demum grandior factus, & vitæ cultioris, totus in Chriſtum fertur effuſis affectibus. Audiendus hic animus Deum deſiderans.

Amor nihil extra Deum exquirit.

Idem l. Medit. cap. 41.

Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, renuit conſolari anima mea, niſi de te dulcedo mea; quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Te volo, te ſpero, te quæro. Exhibe præſentiam tuam, & conſecutus ero deſiderium meum, ſint mihi, Domine, interim lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi : Ecce Deus tuus; donec audiat anima mea : Ecce ſponſus tuus; paſce interim me ſingultibus meis, refocilla me doloribus meis. Bernardus in eodem ſenſu eſt, & conſulit animam purgari, priuſquàm Deum totis præcordiis excipiat. Ita ille Sanctus de Deo fatur. *Ipſe frequenter viſitat, & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & otium quietæ mentis, quoniam pax eſt, & in pace locus eius, propterea talem te prepara, vt tecum adſit Deus, ſit in ore, ſit in corde, tecum eat, tecum redeat, nec à te recedat : niſi tu prior eum dimiſeris, nunquam te ille dimittet. Munda igitur conſcientiam, & ſemper eſto paratus, vt quacumque horâ venerit, & inhabitare tecum voluerit, paratam ſibi in te inueniat manſionem; ipſe namque dixit : Facito mihi ſanctuarium, & habitabo in medio veſtri.* Hactenus ille.

S Bernard. libro de conſcientia c. 1. Amore Dei ſũma quies conciliatur animæ.

Ara in cœlo quid deſignet.

Ex Mathematica. *Clauius in tractatu de longitudine imaginum cœleſtium.*

Si hæc luculenta ſatis non ſunt, vt probent Chriſtum in altari velle affectus innoxios & feruidos ſibi vni addictos; conſule Mathematicas diſciplinas, inde reſcies eſſe in cœlo conſtellationem, cui nomen Ara, igne deſuper impoſito & in flammam compoſito, in medio autem flammæ emicat vna ſtella tantùm, & non multæ : quaſi inſinuaret matheſis quâ ratione homini ad altare eſſet accedendum. Rurſus illa Ara cœleſtis eſt in ſigno ſagittarij; affectus noſtri ſunt inſtar ſagittarum, vnde & feruidæ preces nuncupantur iaculatoriæ : quiſquis ergo ad aram ſe accingit, Communionis gratiâ; ille affectibus in Chriſtum tantùm æſtuat, & tunc Chriſtus vnus amorem animæ occupans, erit illa vna ſtella, quæ rutilat in Aræ foco cœleſti. Fauebit hæc oratio Auguſtini. *Quis mihi dabit acquieſcere in te? quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te.* Hac oratione, aliæ ſtellæ, id eſt alia omnia bona eliminantur ab igne amoris noſtri. Faxit Devs.

Ex SS. Patribvs: *S Auguſt. lib. 1. confeſſ. cap. 5.*

HOMILIA QVARTA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. ORdior ab affinitate rerum diuinarum cum Phyſicis, in eis quæ pertinent ad animæ facultates : vt enim in humanis, ita & in Diuinis, ignori nulla cupido; eamobrem in ſacris fides ſubſternitur Charitati. Chriſtus humanæ indolis maximè conſcius, volens inſtante Communione Apoſtolorum zelum accendere, præmonuit, mediis epulis ſuis aſtare proditorem, vt quiſque ſui ſedulâ indagine, an eſſet ille perfidus, exploraret.

2. Subinde ingero, penes quid ſita ſit ratio integri illius examinis, cuius ſpecimen ingenuum ſibi vendicat Euchariſtia.

3. Dico,

3. Dico, ex ſagaci indagine noſtrorum facinorum, iſtam affulgere notitiam, ſcilicet nefarios actus noſtros fuiſſe proditores, qui Dominum IESVM ſatiauere opprobriis, & demum mortis nexibus addixerunt.

4. Tandem vice coronidis, edoceo ritum, quo poſſimus & nos mederi vulneribus illis, quæ vitio noſtro Chriſtum morte tenus, impiè ſauciarunt.

PRÆFATIO.

Vnus veſtrum me traditurus eſt, & contriſtati valde ſinguli cœperunt dicere: Numquid ego ſum? *Matth.* 26.

VNIVS *hominis impij nomine, Deus extitit infenſus Hebræis: ſacrilegi namque Achan causâ, occubuere aliqui in prælio, ceſſitque loco Iſrael inglorius, etſi ſpoliis grauis, ſuis hactenus hoſtibus inſultaſſet. Præpoſito generali exercituum Ioſue, cauſam ſciſcitante à Deo ærumnarum, quibus ingruentibus pauor irrepſerat, ait Deus* Anathema in medio tui eſt Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. *Res nouitate perculſi Hebræi reum ſedulâ indagine perſcrutantur. Ita cùm audis Apoſtolos triſtitiâ affectos in vltimâ cœnâ; accipe fuiſſe hoc mœroris exordium; Chriſtus ait medius epulis adeſſe anathema:* Vnus (*inquit*) veſtrum me traditurus eſt. *Sed quorſum illud proditoris indicium? Vt ſcilicet inquirerent omnes, apud quem impius ille diuertiſſet, vt indicis illicò ſiſteretur. Hanc puto cauſam ſynderesis, quæ plerumque animas pulſat innoxias, in ipſo procinctu Euchariſtiæ, vt nimirum inuigilent, an cordis intima quidpiam inuaſerit Deo inuiſum, & hoſte deprehenſo atque illuſo, foras eò citiùs amandetur. Fauet huic dogmati de repetendâ notitiâ ſui, mare illud æneum altari præambulum, vbi ſacerdotes abluendi; in ſtagnante aquâ, velut in ſpeculo explorabant facies ſuæ maculas, quas beneficio illius examinis illicò detergebant. Faxit Deus vt Apoſtolorum ſcrutinio cautiores, ſeriò nos luſtremus, ne conſcij mortis Chriſti, frequentemus epulas, quæ rapiunt tantum innoxios, & eâ gratiâ inſignes, cuius ſumma emicuit in ea Virgine, cui homiliæ iſtius præludia conſecrabo.* Aue Maria.

Ioſue 7.

SOciantur eo nexu intellectus, & voluntas, vt Philoſophis cenſeantur eſſe facultates illæ comites indiuiduæ: quemadmodum enim irradians Sol, lumine ſuo veluti vehiculo calorem accendit; ita & intellectus, cognitionis luce præambulâ, voluntatis affectus omnes excitat, alioquin effœtos: Etenim illa potentia affectiua, effusâ rei cuiuſque neſcientiâ, ſui impos in eâ caligine feriatur. Nimirum an amore, vel odio digna ſint obuia illi potentiæ, non eſt penes illam diſcernere, ſed penes intellectum, qui ſuo ſcrutinio & lumine prodit indolem eorum omnium, quibus homo afficitur: multa namque ſe ſenſibus ingerunt ſuperindutâ ſpecie boni, ſicque cient & alliciunt hominem, qui ne hallucinetur hærendo adulterino bono, prouidit Deus intellectum, quo illucente bona & mala omnibus innoteſcunt. Hinc illud commune effatum: Ignoti nulla cupido; ſiquidem etſi bonum, & malum non nos afficiant, neque appetitum terminent, ſecundùm eſſe cognitum, ſed reale: conſulendus tamen eſt ſemper intellectus, ne erret affectus in bonum irruens ementitum. Et hoc Ariſtoteles inſinuat dum aſſerit. *Bonum, & malum eſſe in rebus, verum & falſum eſſe in mente:* id eſt, rebus tantùm afficimur vt bonis; ſed veræ ſint necne res amatæ, ſciendum eſt ab eâ potentiâ, quæ verum & falſum ſuo luminis acumine perſcrutatur.

EX PHILOSOPHIA: *Ariſt. lib.* 6. *Metaphyſic. textu* 8.

Idem lib. 3. *de anima.*

Hinc & tenorem ſeruant res etiam ſacræ: quippe Charitas fidei ſubiicitur; id eſt, homo amore Dei non æſtuat, quin lumine fidei, homini conſtet de bonitate Dei, quæ vbi primùm reuelatur, ſtatim homo percæſus intima, totus amore Diuino percitus incaleſcit. Eò reſpexit Paulus cùm ſic fatus. *Qui ignorat ignorabitur.* Imò & in myſterio ineffabili Trinitatis, in quo perſonæ coæternæ atque coæquales, nefas eſt anteponere Spiritum ſanctum Verbo, reluctante prioritate originis: non etenim ſpirat Pater tertiam hanc perſonam, Verbo ſui intellectus inſcio, & velut inconſulto. Omnes animæ facultates probè callens Chriſtus, illis ſe aptauit in eâ cœnâ, cuius moralem decurrimus exegeſim: volens namque ſuos excitare ad odium peccati, & ad amorem ſuum, duas ſimul res ingerit, quarum notitia odium acuit & amorem. Sic eos iamjam paſcendos carne ſuâ compellat. *Vnus veſtrum me traditurus eſt: & contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine?* Dum hominis ſceleſti nequitiam prodit, eorum zelum percellit; mortem verò ſuam commemorans amorem parit, qui exurgit ex perpenſis ærumnis, quas Chriſtus Dominus, ingloriâ morte tenus, exantlauit.

EX THEOLOGIA. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 7. *art.* 2.

Homiliæ Diuiſio & contextura.

Matth. 26.

Itaque duo ſonat hic contextus, odium, & amorem: vtrique autem affectui præire debet examen ſolers, quale fuit illud ſymmyſtarum, qui *contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine?* Vult igitur Chriſtus, vt in ipſo Communionis articulo, repetamus repudium vitæ reprobæ, quæ Chriſtum morti addixit, & demum paſſionis eius Symbola recolamus. De paſſione illius meditandâ, & amore hinc flagrante diſſerui fusè; & ex compoſitò proximâ homiliâ. Iam verò præfati textus pars prior me totum occupabit. Dicam primò, iterato examine inquirendum, an lateat aliquis noxius affectus Deo Domino infenſus, vtpote conſcius perfidiæ illius, quâ deliquit Iudas. Secundò adiiciam, eſſe concipiendum implacabile odium in ea omnia facinora, quibus occubuit Chriſtus; aliàs enim eſſet inane examen, ſi ſeipſam eo minimè anima repurgaret. Non perperam affingitur homini nomenclatura microcoſmi; imò ei vſque adeò quadrat, vt quicquid orbe toto diffuſum eſt, in homine vno videre ſit; quaſi Deus edito mundo, inſtar magni voluminis, vltimo hominem condiderit, ſicut indicem libri, qui compendium eſt eorum omnium, quæ fuſius toto volumine continentur. Ipſius hominis ſtructura, orbis vniuerſi ideam præfert: caput in globi modum effictum, nonne cœlum refert? cuius oculi gemini duo ſunt

Euchariſtia examen exquiſitũ prærequirit.

Hominis & mũdi exquiſita comparatio.

lumina

luminaria magna, & ex cerebro humores qui deſluunt, nonne imbres delineant, quibus mundi ſitus inferior alluitur? Anima in ſuperiorem & inferiorem partem diſtincta à morali Philoſophiâ, obiicit mundum ſupremum, & infimum. Quatuor mundi plagas habet homo: Oriens eſt, dies natalis: ſicut & Occidens eſt illi ſuprèma dies. Meridies calet in adoleſcentiâ: Aquilo verò friget, annoſo homine, & grandæuo. Quatuor humores quibus coaleſcit homo, affines ſunt totidem elementis, quorum vis inſita eſt vnicuique humori: quippe ignis æſtum bilis & ipſa incaleſcens refert; alget pituita ſicut aqua; madet ſanguis velut aer; ſicca eſt & areſcit melancholia cum tellure, quæ quia eſt ſiccitatis amans, ideò arida nuncupatur. Rurſus, quod meo maximè fauet intento, mundum Deus à lumine auſpicatus eſt; ait enim: *Fiat lux. Et facta eſt lux; & vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem.* Ita & homini rerum omnium inuehens notitiam, lumen intellectus primitùs impertiuit. Et quia hominis deliquio, fuerat lux illa nubilo obnoxia, Deus ille lucis, extinctas faces reaccendit, hominem reuocans ad ſui notitiam, dum clamauit: *Adam vbi es?* Hoc namque quæſito, rerum opifex hominem pulſans, voluit ei ſuum reprobum ſtatum ingerere cuius erat inſcius ipſius animum nube criminis opacante.

Ex re Medica: *Andreas Laurent. Anatomia*

Genef. 1.

Eodem adhuc lumine dignatur eos omnes homines Chriſtus, quos conſcios vult facere corporis ſui ſacri: aptarique poteſt ei illud Pſaltis. *Ignis ante ipſum præcedet.* Quia antequam Deus animam inhabitet: illi animæ priùs cognitio ſuorum criminum innoteſcit. Hinc cautum eſt ab Apoſtolo, vt probet ſe homo antequàm de pane illo edat, cui ſubeſt Chriſtus: hæc autem probatio ſita eſt in ſedulâ ſuorum omnium affectuum indagine, vt ſi qui ſint à Deo deuij, illi tandem Deo redditi reformentur. Et hoc eâ figurâ liquet, quâ Elias Regem Achab diſpoſuit ad Epulas: ſic habet codex ſanctus. *Dixit Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis, quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi. Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede, & bibe.* Aduerte Vatis ſolertiam impigram, in inquiſitione hominum nebulonum. Prophetæ Baal, Prophetæ tantùm nomine tenus, tenerà pſeudoprophetæ, qui ſuos aſſeclas miſerè dementabant. Tales ſunt peccati illecebræ omnes, quia veluti præſciæ futurorum, abſtrahunt nos à pœnitentiâ, & ſuggerunt fore moras ſuperſtites ad hoc vt pœniteat. Caro queritur inediam ſibi incongruam, dum firmâ valetudine vtitur, quæ vt ſit ſarta tecta, eſt epulis indulgendum; affore tempus, quo repente calore natiuo, aptior erit inedia. Mundus & ſequaces eius eos inſipientiæ inſimulant, qui florente ætate lugent ſua piacula: quoniam inſuſurrant ſupereſſe ad huc æuum importunum. Ipſæ voluptates meretricio vultu animum pelliciunt, & ſuadent Deum propitium, non eſſe neſcium genij noſtri ad fragilitatem proni: itaque non eſſe quod metuat homo, imbecillum ſequens ingenium, cuius vt peccare in more poſitum eſt, ita nefariis noſtris actibus, Deum non obliuiſci ſui, cuius proprium eſt animæ miſereri. Denique vt inimici hominis domeſtici eius; ita & affectus noſtri in perniciem noſtram, maleſuadæ vices gerunt, multa ſuadentes ſub ſpe longioris æui. Quid opus facto? pſeudoprophetæ omnes iuxta Eliæ conſilium mactandi ſunt: & ne quis eorum ſe ſubducat neci, eſt adhibenda cura magna, quæ eos abditos inueſtiget. Ea cura exquiſita eſt illud examen quod Chriſtus inſinuat, præmonens Apoſtolos, eſſe in eis hominem infidum atque perduellem. Vatibus nequam deprehenſis, Elias Regem Achab hortatus eſt ad capiendum cibum: & nos etiam Euchariſtiæ ſumptionem præuio examine ſuademus. Dummodo ſit inquiſitio noſtrorum affectuum adeò exquiſita, ſicut & fuit prophetarum Baal, quorum ne vnus equidem effugere aciem potuit oculorum Eliæ, qui eorum exterminium indixerat. Dicere auſim omnigeni mali eam eſſe labem, quod pigrè nimis Prophetas Baal inſectamur: cùm tamen non ſimus audituri, aſcendendum eſſe, & comedendum, niſi poſt internecionem omnium Prophetarum, illorum vtique qui illudunt animis, ſuis præſtigiis. Apprehendite igitur omnes, & ne vnus quidem effugiat vindices manus veſtras, vt eorum morte veluti victâ, Chriſto Domino parentetis.

Pſalm. 96.

Ex Figuris: *3. Reg. 19.* Euchariſtiæ præparatio figurata in Eliæ ſacrificio.

Si fas eſſet vnumquemque conuenire, & reſcire ingenuè, an ſi ante aſcenſum ad altare, quiſque ſcrutatus ſit ſeriò, an ibi lateant Prophetæ illuſores, id eſt quibus ſe abdant rimis atque receſſibus noxij noſtri affectus: plerique ſanè non irent inficias, ſe eis ſæpe ſæpiùs motos miſeratione iniquâ impiè pepercisſe. Verbi gratiâ, aliquis confeſſus eſt ſe adulterio fuiſſe obnoxium; crimen hoc fletu fortaſſe largo diluit, ſed affectum non expunxit, quo deperit coniugem illam: & eſto ſuperſtes ille affectus non ſit lethalis, ſi abſtrahit à peccato; eſt tamen periculum, ne infidum vatem agat, & ſuggerat non fore periculum ſi inuiſat mulierem, ex quâ antea contagium ſcit ſe contraxiſſe. Alius iniquas expertus eſſe ſibi choreas, explicat in confeſſione omnia facinora illic acta, & eſto exoſus ſit peccata, affectum tamen ad choreas non exuit: latitat ſanè impius Propheta mentiens, ſi aſſerat eas fore innoxias. Statuat ergo ſecum anima volens aſcendere, & comedere, nullis parcendum affectibus, qui fuerunt Chriſto iniurij, ſed omnes ſeriâ indagine eſſe oppidò perſcrutandos. Vt enim ad Solem educta radice arboris iniquæ, non germinat ampliùs, neque profert ea ſuos acerbos fœtus; ita & vbi in aperto fuerint affectus noſtri impij, protinus emarceſſent: id iuxta ſenſum Sancti olim Abbatis Serapionis, ſic fantis apud Caſſianum. *Facilius cuiuſlibet arboris noxia latitudo ac proceritas exareſcit, ſi antea radices eius quibus innititur, vel nudata fuerint vel ſucciſa, & infeſtantes humores aquarum te continuò ſiccabuntur, cùm generator aquarum fons, ac profluentes venæ ſolerti induſtria fuerint obturata.* Conſonat huic alter Abbas idem verſans argumentum. *Proximus cognitioni eſt, qui quid debeat inquirere prudenter agnoſcit, nec à ſcientia longè eſt, qui cœpit intelligere, quod ignoret.* Quaſi diceret Deum ſcientiæ fontem apprehendi, dum propria ſui ignorantia detergitur. Auguſtinus elimatè ſanè hortatur ad hanc praxim, dum ſic ait. *Tolle te à dorſo tuo, vbi te videre non vis, & conſtitue te ante te,*

Confeſſio eſt nulla, niſi deſeratur affectus peccandi.

Examinis conſcientiæ deſcriptio

Ex SS. Patribus. *Coll. 5. c. 19. Abbas Iſaac Coll. 10. c. 5.*

Libro 50. homiliarū homilia 2. Præfecti annonæ priuilegia.

aſcende

aſcende tribunal mentis tuæ, eſto ibi index, torqueat te timor, erumpat confeſſio, dic Deo tuo: Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper, quod erat poſt te, fiat ante te, & non ſit quò fugias à te. Hactenus Auguſtinus.

Ex Ivre Civili: *Lege Menſorum ff. de excuſat. Lege his muneribus de Vacatione.* Ex Historia: *Lampridius in Adriano S. Cyprian. epiſt. 83.*

Sanctorum Patrum rigidus animus, in perſcrutanda mente eorum, qui frumenti electorum compotes eſſe volunt, reuocat in memoriam, poteſtatem à Iure Ciuili factam Præfectis frumento, quos lex vocat non frumentarios, ſed Præfectos annonæ, quorum authoritate frumentarij, ſeu menſores frumenti erant immunes à tributo, imò & à tutela. Ex Lampridio conſtat tantam fuiſſe facultatem factam Præfectis annonæ atque frumentariis, vt peniriores receſſus domorum omnium hominum explorarent; vt hac indagine reſcirent, à quibus, & qua cautela frumentum haberetur. Hinc Imperator Adrianus volens arcana domorum luſtrare, miſit frumentarios, quibus aliquid occultare nefas erat, & Galerius Proconſul, quo faciliùs ſibi ſiſteret Cyprianum Epiſcopum, quem ſciebat à fidelibus abdi, miſit frumentarios, quorum ſcrutinio nihil inuium eſſe poterat, tantùm quiſque eorum indagini deferebat. Equidem dixerim confeſſarios eſſe frumentarios, & menſores frumenti ſacri: Pontifices verò Præfectos annonæ illius ſanctæ, qui frumentariis hanc indixere legem, vt rimentur abſcondita cordium, ne indignè ab incautis, & frumento electorum iniuriis, Euchariſtia recondatur. Ne igitur cauſare Sacerdotis animum criticum, cùm quærit indolem tuam, & quò propendeat animus, quæ ſenſa tua & qui mores? quid mediteris in poſterum? an homo frugi, necne futurus ſis? Hæc omnia frumentarium ſapiunt, penes quem eſt, ea quæ ad communionem pertinent, omnia ſciſcitari.

Et ne gratis à me confictam eſſe putes legem menſorum frumenti illius electi, & electorum hominum, quorum præcordia intima ſacerdotes explorare pro ſuo officio ſatagunt; accipe ex iure pontificio quale debeat eſſe ſcrutinium eorum, qui penes ſe volunt Euchariſtiam aſſeruare: ſic habet Canon ſtylo fuſiore digeſtus.

Ex Ivre Canonico: *Canone Conſideret de Pœnitent. diſtinct. 5.* Examen cõſcientiæ ad quæ ſe debeat extendere.

Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitij multiplici executione; oportet enim pœnitere fornicantem ſecundum excellentiam ſui ſtatus. Conſideret quantùm perſeuerauerit, & defleat quòd perſeueranter peccauerit, & quanta virtus fuerit in pugnatione: ſunt enim qui non vincuntur ſolùm, ſed vltro ſe peccato offerunt, nec expectant tentationem, ſed præueniunt voluptatem, & pertractant ſecum, quàm multiplici actione vitij, delectabiliter peccent. Omnis iſta varietas confitenda eſt, & deflenda, vt cùm cognouerit, quòd peccatum eſt multum, citò inueniat Deum propitium. In cognoſcendo augmentum peccati, inueniat ſe cuius ætatis fuerit, cuius ſapientia, & ordinis, immoretur in ſingulis iſtis, & ſentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitij, defleat virtutem quâ interim caruit: dolendum eſt enim, & dolore purgandum, non ſolùm quod peccauit, ſed etiam quod ſe virtute priuauit: nam licet ſperet ſe conſecuturum veniam, dolere tamen poteſt, quia non promeruit vnde remunerari poteſt & confidat: Anxietur & doleat, quod modò effugiens de præteritis pœnam, miſer non expectet inde gloriam, cuius omne tempus quouiam breuiſſimum eſt, debuit decertaſſe ad conſequendum præmium; defleat etiam quoniam in vno offendens, factus eſt omnium per ingratitudinem reus. Viden' hoc Canone frumentarios debere reſerare penitiora receptacula, vt prodant ſeſe omnia incongrua, & purgentur factura locum frumento, cuius gratiâ tale ſcrutinium imperatur. Quia peccatum plerumque non auctori ſuo duntaxat; ſed & lethale aliis eſt, hoc ad trutinam reuocare debet homo, an alus noxius extiterit? Quomodo autem illa colluuies, ſuo contagio proximos inficiat, ſatis ſuperque eodem Canone declaratur. Et vt cultu ampliori ſuſpiciatur hæc ſanctio ſacra: ſcias eſſe Auguſtini à quo ſumpſit eam Gratianus. Sic igitur Canon.

S. Auguſt. libro de pœnitentia. Eodem canone, § Animaduertere. Peccati grauitas vnde ſit attendenda.

Animaduertere etiam oportet, & animaduertendo deflere animam proximi, quam fornicator Deo eripuit, vel ereptam in malo confirmauit: etiam quod exemplum extitit mali, in operatione ſui criminis, cui magis profuiſſet, ſi alij cauſa fuiſſet conuerſionis, gemat itaque aliorum vitam in ſuâ corruptam, vel incorruptam non conſeruatam, & commodum proximi, quod dediſſet exemplo boni, doleat de triſtitia, quam peccando bonis intulit, & de lætitiâ quam eis non adhibuit. Hoc Canone alia eſſe liquet peccata abſoluta, quæ ſuæ tantùm cauſæ deficienti ſuam aſpergunt nequitiam; alia verò relatiua, quæ veluti draco ille priſcus caudâ ſuâ etiam ſtellas deiiciunt, & quorum ruinâ diſpereunt multi incauti in abyſſum præcipites acti, quia fuerunt in eodem etiam cœno volutati. Peccatum proinde dicitur Salomoni, Romphæa bis acuta; quia non reprobos tantùm à quibus editum eſt, ſed & conſcios quoſque alios delicti eiuſdem interimit, æmulans eo modo naturam ſerpentis, cui nomen eſt inditum Amphiſbena. Serpens ille biceps eſt; quippe vice caudæ aliud verſat caput vtique virulentum: in ſpeciem hemycycli ſerpit, vtroque erecto capite ad ictum infligendum compoſito, ita vt duos obuios homines ſuis aculeis poſſit eodem temporis articulo terebrare. Igitur ad integram cuiuſque delicti notitiam, explorandum eſt an fuerit biceps necne? & iuxta Canonum conſilium, an vltrò aut coactus quiſque deliquerit? cuiuſque ſpeciei ſit facinus?

Examen conſcientiæ figuratum in hiſtoria Sãſonis. Ex Figuris: *Iudic. 16.*

Et vtinam adhiberet anima eam curam, ad inueſtiganda ſua piacula, quam habuere Philiſtæi ad quærendum Samſonem, vt ſacro codice perhibetur. Sic ſacra hiſtoria. *Cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon; circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi totâ nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto manè exeuntem occiderent: dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis!* O typùm egregium examinis exquiſiti! Deo ſic prouidente, nequit in animum vllum ſeſe inſinuare deliquium, quin ſtatim reſciat ſyndæreſis, cui inuigilare incumbit ſaluti animæ. Ea itaque, ne ſuo vigilis officio deſit, clamat hoſtem clam intraſſe, & intimis ineſſe præcordiis, tamque diu illa hominem admonet de peccati introitu, vt reprobæ menti illa fama veluti percrebreſcat. Quid operæ pretium eſt? ea ſana cautela eſt aduocanda, quâ vſi ſunt Gazenſes Philiſtæi. *Circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus.* Ita pœnitens

anima,

anima, volens cuiuſlibet inquirere naturam noxæ, ad ſingulas ſingulorum ſenſuum portas ſe conferet, & ibi poſitis cuſtodibus fidis, exoſi facinotis exitum expectabit. Vrgente. & ſciſcitante ſyndæreſi, ſingula quæque piacula repeteot eaſdem portas, quibus patulis irrepſerunt in animam. Exauditi ſermones nequam pulſabunt aures, lingua procax & effuſa in dicteria ioiqua famæ proximi, petulans eadem acta io blaſphemias, aut prurigine libidinis turpiloquâ, horum reatuum cooicia intumeſcet, oculos ferient tot noxij aſpectus, quibus in Venerem anima exarſit, calebunt & manus memores nefandi tactus, rigebunt pedes & ſtupebunt ſe hominem tuliſſe eò, vbi ſæpius occidit. Demum fideli indagine deprehenſi ſenſus omnes rei, vt miniſtri ſcelerum pudore nimio ſuffuodentur. Tunc ſiſtente vnoquoqne peccato ſingulis in foribus, facto manè, id eſt illucente notitiâ ſentiat exterminium. Ruſus vt leuius ſit onus examinis; hanc accipe facilem methodum.

Ex PHILOSOPHIA.

Ariſtoteles libro 1. Phyſic & libro 2. de anima.

Examinis conſcientiæ praxis eximia.

Philoſophiæ dogma eſt neſciens inficias: nihil eſſe in intellectu quod non præfuerit in ſenſu; cùm enim tota compages hominum conſtet corpore & Spiritu, & operari ſequatur eſſe, anima non agit inſcio corpore: ſicque fit vt ſenſus & anima coeant, & ab eis quaſi concordibus, omnes omnino actiones humanæ iugiter exerantur. Si quis igitur dignoſcere cupidus habitum & naturam vnuſcuiuſque peccati, quo ſe præpediri gemit, conſulat ſingulos quoſque ſenſus, & reſciat an illis iocoriis peccatum irrepſit. Eo conſilio inito, latere ooo poterit aliquale crimen? Verbi gratiâ, quæretur ab auribus, an arrexerint ſe ad ſermooes indecentes? Petetur ab oculis, an toruè aut luxurioſè aſpexerint? Vocabitur os in ius, vti reſpondeat de cibis ingeſtis, an contra Eccleſiæ ſaoctiones, & indictum peccauerit ieiunium, ad trutinam examinis omnia etiam reproba eloquia penſaboutur. Luſtrabuntur manus, an rubeant ſanguioe pauperis effuſo iniquis artibus, vſura videlicet, atque litigio iniquo: iubebuntur explicari, an ſordeant obſcœno contagio, aut pingueſcant epulis nimiis, vtpote vſque ad crapulam? Tandem conſultis omnibus ſenſibus, fiet manè, id eſt, geouina cognitio ſceleris illuceſcet. Nec alium ſcio breuiorem ritum explorandi, quo quiſque vitio teoeatur: & vtinam iſte arrideat, ne inopia methodi animam ſui neſciam quandoque reprobet. Fit namque vtplurimum, plus laborare homines in examine quàm in confeſſione; oulla quippe freti ratiune perpendendi retroacta ſua, hærent in vado, lacrymarum mare immenſum minimè transfretantes. Magiſque placet ea hiſtoria Samſonis, eò quòd ſit maxime idonea myſterio Euchariſtiæ, nimirum Philiſtæi oderant Samſonem, eò quòd frumentum eorum iocenderat, & mandibula aſini mille viros occiderat. Sic rem enarrat ſcriba ſacer. *Cœpit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſtinorum, quibus ſuccenſis, & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque, & olineta flamma conſumeret; dixeruntque Philiſtiim, quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt, Samſon.* Eo planè modo ſegetes ſacras, id eſt frumentum electorum ſeu Euchariſtiam, nobis peccata eripiunt.

Euchariſtiæ fructū peccata præpediunt.

Ex Figuris.

Iud. 15.

Non io aperto irrumpunt enormia facinora; ſed vulpium inſtar irrepunt callidè: nemo eoim in malum intendens operatur, ſed ingerunt ſeſe deliquia homini incauto, boni cuiuſpiam illecebris ementitis. Aduerte item non fuiſſe ſingulas vulpes, ſed ligatis caudis ad caudas, velut agmine facto, coacervatim ſeſe effudiſſe in præmaturas ſegetes. Hioc edisce peccata non ſeorſim irrepere, ſed conglomerare globos, iuxta Philoſophiæ effatum. *Dato vno abſurdo, ſequuntur multa abſurda.* Diceres peccati vnius expleti occaſum eſſe exortum alterius, quaſi peccatum vnum eſſet pœna alterius, ipſo vindice ſcelere, in reprobos nouo crimine ſæuiente.

Vulpes eſt peccati ſymbolum.

Non irrita mentio volpis, quia peccatum eſt pecoris actum, nos etiam in pecus transformans. Et eamobrem, cùm ſit Euchariſtia panis Angelorum, homines peccatis obnoxij arceotur vt pecora ab hoc paſtu, imò & illis olineta pereunt: olineta namque miſericordiam ſonant, cuius ſe indignum præſtat ille, quem infernæ faces dæmonis accenderunt. Philiſtæos deperdita meſſis in Samſonem acuerat, ſed internecio mille virorum, ampliorem odij fomitem adiecit: ait ſiquidem ſcriba ſanctus. *Mandibulam aſini, quæ iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros.* Etſi non parum detrimenti inferant impia facinora, quæ ineptos nos faciunt ad Euchariſtiam; Chriſtum etiam vnum electum in millibus interimuut, & hoc odij noſtri io quodque ſcelus debet eſſe maximum incrementum. Inde Dominus IESVS argumentum ſuum deſumpſit, cœleſte porrecturus obſonium: etenim dicens. *Vnus veſtrum me traditurus eſt.* Illud ferè idem præmonuit, quod mox ſum præfatus: ſcilicet, caperent vulpecolas, quæ demoliuntur vineas, id eſt, inquirerent noxas omnes, quæ ſe aſtutè iogeſunt, & effundunt vinum, quod germinare facit virgines; meſſes incendunt, quibus exurgit panis in hoſtiâ conſecratus. Seriò ſeſe conſulerent, an lateret hoſtis, reprobus videlicet affectus conſcios mortis Chriſti, eum detrudeſent cito citiùs, ne affectus æſtuans igne profano, inimicus eſſet illi frumento, cuius adipe ſe aptabat animas ſaginare Dominus ille Chriſtus.

Iud. 15.

Eâ propemodum cautione vinum ſuis pharmacis adiiciuot rei Medicæ periti. Verbi gratiâ, cardialgiæ præſeos remedium eſt, propinata confectio Alkermez diluta vino: vinum enim vt occurrens deliquio cordis, idoneum eſt vehiculum pharmaco, cordis inopiæ ſuccurrenti. Non temerè tameo medicus prudens, ægro inconſulto vinum infundet, ſed perpendet an præcordia febrili incendio flagreot; tentabit ex pulſu, qualis ſit æſtus hominis qui decumbit; linguæ exertæ inſpiciet habitum, vt ſi ex præfatis colligat igniculos ineſſe febris, ſtatim vinum à parato remedio penitus arceatur. Qnippe fieret vino adiecto peius incendium, quo peſſum iret homo illo medicamine ſaucius, & iode deterior. Calicem vini idonei ad omoia deliquia cordis dum voluit propinare Chriſtus, præire voluit vniuſcuiuſque conoiuæ diſcipuli examen ſerium an affectus vllus inquior ineſſet cordi, vt illum protinus extinguerent ante hauſtum illius vini,

Ex RE MEDICA.

Fernelius l. de methodo medendi.

Ductus in Praxim Helerij.

Vinum cardialgiæ remedium.

oe

Vinum quãdo eſt noxium.

ne incautè acceptum à febrientibus; ſuo malè incendio conflagrarent. Optima igitur medica cautio, de febris inueſtigatione ſolertij: ſic enim pharmaco prouidetur, & homini; ex Galeno namque fit iniuria remedio, quando incongruè datur; datur autem incongruè vinum febrienti. Iniuria autem pharmaco illata, redundat & in ægri perniciem, & maximè quando abditum morbum Medico ſuo renuit explicari. Ita & Chriſtus ſibi & nobis conſuluit, quando ante communionem ſanxit ſcrutinium animæ, quæ reuera Chriſto moleſta eſt, ſi non benè affecta eſt, ſeque ipſam necat. Si ſe accingit ad epulas illas iniquo animo, & à virtutis recto tramite declinante.

Ex Mathematica: *Collumella lib. 11. c. 11.* Calix eſt ſydus in globo cœleſti cum Libra.

Non longe eſt ab hoc inſtituto & dogmate, de vino illo ſacro propinando ſanis duntaxat, & non febris æſtu calentibus, ſpeculatio illa cœlicæ Matheſis, quæ aduertit ſignum illud ſeu imaginem cœleſtem, cui nomen Calix ſiue crater, ſtatim emergere & videri ſupra horizontem matutino tempore, cùm Sol ſubit ſignum Libræ, cùm antea tamen Calix minimè appareret. Hinc coniicio eos tantùm fore compotes Calicis, qui fuerint in coniunctione Libræ: nemo neſcit Libram eſſe ſymbolum iuſtitiæ, quæ eſt æquilibrij amans: totum igitur ei de Libra benè conſtabit, qui fuerit iuſtus: nimirum huic homini iuſto, Calix ſui copiam faciet, Chriſtuſque ſui ſanguinis vinum merum & generoſum, illicò propinabit. Iam, nebulo, diſce eloquente cœlo, quare abdatur tibi Calix ille, & negetur ſacra communio: hoc totum pateris quia longè es à Libra, & à pondere ſanctuarij; ſi te ingeris epulis vbi Calix ſacer adeſt, eamdem inibis ſortem, quam iniit Baltaſar Rex Chaldæus, animo ſacrilego auſus bibere in vaſis ſacris: accipe fatum eius ex contextu ſancto Danielis. *Allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportauerat de templo, quod fuerat in Ieruſalem, & biberunt in eis Rex, & Optimates eius, vxores, & concubinæ illius: in eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis, tunc facies Regis commutata eſt.* Audis ſacrilegum Regem, impiè calices ſacros, ore ſuo polluto profanantem; & hoc non impunè, nam ſubito conturbatur. Animi autem perculſi, ea fuit ratio petita ex Matheſi, ſcilicet quod nihil illi cum libra: hoc etenim ſonat ſcriptura, vindex impij facinoris circa calices templi ab eo perpetrati; ſcripturæ inquam vltricis hic eſt tenor. *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud: appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Ita planè à Deo perpenditur, quid egerit vſurpator Calicis ſancti: quòd ſi appenſus eſt in ſtatera, & non benè conueniat cum Libra, furente Deo, mors diluit hoc facinus, cuius ergô corpus & omnia diſpeſcuntur.

Ex Figuris. *Daniel. 5.* Calices templi quia polluit Baltaſar Rex punitur.

Calix Chriſti vt proſit quid requirat.

Ex Ivre Canonico:

Igitur, ô homo, vt tibi Calix propitius appareat, eſto ſub Libra, id eſt ſub iuſtitiæ ſeu æquitatis influxu; numera regnum tuum, recenſe dies præteritos, recole priſca piacula, vt eis deterſis, gratia Dei ſuccedat, quæ te Libræ ſubiiciat, & eripiat malis, quibus auſus ſacrilegi eorum, qui malè communicant, à Deo compeſcuntur. Hanc recenſionem noſtrarum actionum, præuiam Euchariſtiæ ſancti Canones inſinuant, ne ſis irrita cõmunio: teſtis eſt iſte Canon. *Qui ſceleratè viuunt in Eccleſia, & cõmunicare non deſinũt, putantes ſe tali cõmunione mundari, diſcant nihil ad emũdationem ſibi proficere, dicente Propheta: Quid eſt quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas? & Apoſtolus: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Illud ipſum monet Auguſtinus, explicans textum illum ſacrum. *Si ſederis cœnare ad menſam Potentis, conſiderans intellige quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam.* Sic (inquam) Auguſtinus ſcholiaſtem agit ſcripturæ illius. *Quæ menſa eſt Potentis, niſi vnde ſumitur corpus, & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis?* Ad quid autem pertineat illa altera conſideratio, diſce ex Apoſtolis, qui cœperunt contriſtari, quærentes hominem perduellem. Hæc triſtitia animam tergit & emundat, ea puritate quam ſi vendicat Euchariſtia, ſolis inſtituta mentibus puris, vt ait Cyprianus. *Non oportet eſſe fermentarios noui teſtamenti miniſtros, puras ſincerasque mentes ſanctum quærit conuiuium.* Tertullianus aiebat, ideò Chriſtianos abſtinere à ſpectaculis, & ab idolothytis, id eſt eſcis oblatis gentium ſimulachris, & omnia vitare commercia impia, ne eorum contagio inepti fierent ad hæc ſanctiſſima ſacramenta: ſic vir ille Afer ſtylum ſuum acuit in gentiles. *Non ſacrificamus, non parentamus, ſed neque de ſacrificato, & parentato edimus quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum.* Illud alio textu præfatus eſt Paulus, *Quæ conuentio Chriſti ad Belial? Quæ conuentio lucis ad tenebras?* Animam fieri terſiorem ex indagine ſuorum facinorum, liquet ex natura rei: cùm enim audierit à Chriſto Domino, ipſum morti addicendum vnius hominis perfidia; id eſt peccatum vnum iterum interimere Chriſtum, qui aliquo modo deficit & moritur in anima reproba: confeſtim anima illa triſtior & pœnitens, abditum illud ſcelus totis viribus inſectatur. Nec aliud reperire eſt argumentum validius, ad peccati repudium, quàm memoria paſſionis Chriſti, quam lubens obiit, vt maculas noſtras detergeret, & ſolueret omnes nexibus iniquis ſuorum criminum irretitos. Homo itaque animo verſans, quoque ſcelere fieri iniuriam Chriſto, nónne ſuum zelum acuet in omne delictum? habere autem odio omne peccatum, nónne eſt gratiæ præludium & iubar amoris optimi Domini, qui vt ſeruorum dilueret noxias actiones, funus inglorium minimè detrectauit? Quodque magis vrget ad vindictam & odium in peccata, amans ille Dominus Ieſus mortis initæ, noſtræ ſalutis ergô, nullum aliud exigit penſum, quàm peccati exterminium, quo ſimus & nos reduces ad gratiam, cuius eramus expertes, cuiuſcumque criminis obſequio mancipati.

Can. qui ſceleratè de conſecrat. diſt. 2. Euchariſtia quãe non proficiat.

Ex SS. Patribus, *Tract. 84. in Ioan.*

S. Cyprian. de Cœna Dom.

Lib. de ſpectaculis c. 13.

Paſſio Chriſti meditanda ante cõmunionem.

Ex Historia. *Du-Pleix in vita Caroli IX.* Carolus IX. Rex Galliæ ab hæreticis credens faſcinatus.

Quomodo autem Chriſtus ærumnis atque moleſtiis confectus ſit, ob deliquia hominum reproborum, diſce ex ſubiecta hiſtoria. Regem ſuum Gallia ſuſpexit ſpe plena, Principem illum Carolum IX. prima adhuc lanugine, nequaquam degenerem egregia facinora editurum. Quippe eo Principe deliſcebat hæreſis, ſuo iniquo effuſo ſanguine cruentata. Sed heu Chriſtianiſſimi Regis virens ætas ſubitò emarcuit ingruente morbo, qui aliquas tamen dedit inducias: ea erat ſpecies morbi, vt Rex corpore toto ageretur ſtimulis; inuiis tamen aſpectibus aſtan-

tium, qui luſtrabant omnes corporis oras Regis ægri, peſſimè decumbentis. Rei medicæ peritiſſimi conſultis oraculis Hippocratis, & Galeni, apud quos altum ſilentium ſimilium ſymptomatum, nullas cute tenus reperientes ideas morbi, ſuam cauſantur inſcitiam, & aiunt tara non eſſe artis: & ideò præſtigium aliquale in morbo illo regio ſuſpicantur. Illi coniecturæ adiecit fidem fama loquax, & detegens penitiora hominum: nimirum percrebruit caput feralis inuenti, hæreticorum atrocitas. Dixere quidam, Caluiniſtas in odium editæ ſtragis ſuorum Symmyſtarum, die ſacrâ Beato Apoſtolo Bartholomæo, conflaſſe ceream imaginem ſpecie Regiâ; in quam nefarij homines ſunt impiè debacchati. Iis præſtigijs erat edita imago illa, vt quicquid ea ſubiret iniurium, illud idem Rex innocens in ſe ſuſciperet, ex pacto inito cum dæmone ab auctore venefici illius atque lethiferi ſimulachri: cuius copia cum eſſet penes hæreticos, illi ſcelus anhelantes, in accelerandâ morte Regis, cui multiplici tormine volebant illudere, quotidie aculeis illam pungebant imaginem, & eâ equidem ſorte, vt Rex eaſdem moleſtias, quas ſubibat imago, & etiam ipſe miſerè pateretur. Demum re medica impote ferre ſuppetias, Regia maieſtas opis indiga ſuccubuit tot & diris ærumnis, quarum cauſa tandem Rege mortuo prodita eſt, omnibus exoſis hæreticos, qui non in ſuam tantùm, & plebis infimæ perniciem nati ſunt; ſed & quoque in Regum maxima detrimenta.

Ex Theologia.
Pſalm. 21.

Ecce ſpecimen ingenuum mortis, quam obiit Chriſtus, atque cruciatuum, quibus Rex ille pius fuit obnoxius: dæmon nequiens Regem illum impetere, ſæuiit in imaginem eius, veré ceream, ſcilicet in hominem, cuius hæc eſt vox: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.*

Imago eſt Patris filius.

Quos autem ictus homini inflixit dæmon, illi omnes in Regem Chriſtum hominis prototypum illicò redundarunt.

S. Thom. 1. p. q. 39. art. 7.

Chriſtum autem eſſe hominis prototypum, accipe ex Theologia, quæ quidem etſi fateatur ea quæ de Deo prædicamus in ordine ad creata, pertinere vniuocè ad tres perſonas Trinitatis, cuius opera ad extra communia ſunt toti Trinitati; annuit tamen ſacra hæc diſciplina, vt per appropriationé, quædam ſingulis quibuſque perſonis, citra errorem piè tribuantur. Iuxta hanc normam creationém affingimus Patri, redemptionem Filio, & ſanctificationem animarum Spiritui ſancto; cùm tamen tria toti ſint ſanè affinia & propria Trinitati. Ratio autem denominandi Patrem creatorem, Filium ſapientem & redemptorem, Spiritum ſanctum ſanctificantem, petitur à notionibus & à modo procedendi: verbi gratiâ, innaſcibilitas propria eſt Patris, qui ideò dicitur fons & origo totius Trinitatis.

Quæ dicunt ordinem originis vnius ab altero, ſunt notionalia in diuinis: quæ verò dicunt ordinem ad creaturas, ſunt eſſentia Dei.

Cùm ergo Filius & Spiritus Sanctus à Patre procedant, illi etiam tribuitur creatio, veluti quædam proceſſio rerum exterarum: ita & filiatio, cùm ſit ſpecialis Verbo vnigenito, via intellectus ad quem pertinet ſapientia, ſeu rerum diuinarum cognitio actualis, quæ in Deo Patre eſt, dicitur Filius ſapiens, vt terminans cognitionem Patris; terminus autem cognitionis eſt ipſa res cognita: hinc Paulus ait in Chriſto eſſe theſauros ſcientiæ & ſapientiæ Dei: quaſi ſit Chriſtus Dominus vt Verbum, ipſa Dei cognitio circumſcripta. Deoique ſpiratio proceſſionem explicans Spiritus ſancti, viâ amoris, cuius eſt ſpirare, vt homines amando fiant ſancti, & non intelligendo, animarum apotheoſis & ſanctitas cedit in ius Spiritus ſancti, etſi omnia illa, quæ de Deo dicuntur extrinſecè, ſint omnium ſicuti dixi anteà perſonarũ.

S. Thom. 1. p. q. 41. art. 1.

In homine elucet imago Trinitatis.

Ex prælibatis videre eſt, quomodo Chriſtus ſit imago hominum primitiua, ſeu vt elimatius eloquar, quomodo homo ſit imago Chriſti, potiùs quã Patris & Spiritus Sancti, per appropriationé, etſi reuerà homini ſint inuſta veſtigia Trinitatis.

S. Thom. 1. p. q. 93. art. 6.
Imago eſt nomen perſonale verbi.
S. Thom. 1. p. q. 35. art. 2.

In confeſſo eſt apud omnes, nomen imaginis vt perſonale eſt Diuinis, eſſe quid pertinẽs ad Filium, & non ad Patrem, aut S. Spiritum, quia Filius à Patre intelligente procedit: eſt autem vis ſolita intellectui picturæ ſimilis, quæ eſt imaginum efformatrix.

Vnde diſtinctio peccatorum.
S. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1.
Peccata ſunt cauſa vulnerum Chriſti.

Aſt Spiritus Sanctus, exhauſto quaſi intellectu Dei in generatione Verbi, viâ voluntatis procedit, quæ neſcia eſt imaginum, ergo cùm homo dicatur editus ad imaginẽ Dei, quia præditus eſt intellectu, nónne typus hominum erit Chriſtus? qui notionem ſuæ filiationis petit ab intellectu, à quo Verbum Dei optimè nuncupatur. Iam, ne arbitreris ad faſtũ hæc à me edita, vt viderer pompaticè theologus: accipe ſuperioris hiſtoriæ condimentum vtique morale, quo pro peccatis hominum Filium Dei reuerà paſſum eſſe, & non Patrem, aut Spiritum Sanctum, fiat palam, ex ipſo iam fonte Theologiæ reſerato. Ex eadem diſciplina, nemo neſcit varias eſſe peccati ſpecies, pro varietate obiectorum: alia nempe eſt ſuperbia, alia luxuria, alia auaritia: rurſus cõſtat reprobos habitus, qui animam peſſum faciunt, diuerſis etiam inſidere potentiis animæ, quas eis inſitæ labefactant. Verbi gratia hæreſis obumbrat intellectũ, luxuria coinquinat & accendit voluntatem; pars iraſcibilis irâ nimiâ corrumpitur: demum peccatum longè latéque diffuſum totâ animâ, nullam eius partem eſſe patitur illibatam. Sic homine toto lacero peccatis, hac inquam imagine Chriſti, vitiorum aculeis interpunctâ, Chriſtus toto corpore illas punctiones perpeſſus eſt, & adhuc tantùm quantùm homini reprobo fas eſt, Chriſtus nefariis actibus hodie ſauciatur. Vnde putas arcuatis ſpinis, in ſchema coronæ ingloriæ, cingi caput Domini Ieſu? Non aliunde ſanè, quàm ex multo iniquo cogitatu diuexante hominum caput, quod cùm ſic pungitur, Chriſtus coronæ ſeu ſenticeti ſui vario acumine laniatur.

Peccata quomodo animũ afficiunt.

Ne in clauos ſuccenſeas quaſi immites & tortores manuũ Chriſti, quas patulo vulnere apertas, eſt cernere ſanguifluas. Accuſa potiùs tuas tui ipſius manus, plurimorum criminum conſcias: quoties enim in nefarios tactus incurris, toties Domini tui manus innoxias ſacrilego vulnere confodiſti. Credis hiare hiulcum latus Chriſti apertũ cuſpide lanceæ? innocens eſt reuerà ferrũ, & criminis expers, vtpote neſciũ Dei: ſi quid peccatũ eſt illâ plagâ, tota impij facinoris culpa fuit penes hominem, feræ & ferreæ cuſpidis impulſorem. Tu ille es, ô reprobe; námque cor tuũ quando patet noxiis affectibus, qui cruciant te incautũ, tunc etiam aperit Chriſti latus, grauiori plagâ, eâ quam inflixit haſta: mitius agitur cum Chriſto ſæuiente ferro, quàm illato vulnere peccatorum. Denique quid cohortem illam incuſas, quæ flagris totum tenerũ corpus exuit cute ſuâ; tu ipſe aptaſti flagella crudelis, quippe nulla tui parte vacas à peccato: abieciſti ſtolam illam polymitam gratiæ Dei, quæ erat inſtar animæ

cutis;

curtis; eam etiam à te iniuriam accepit Chriſtus, cute diſſectâ flagris, quæ benefico corpori minimè pepercerunt. Eamobrem Dominus ait: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*, vt peccatis hominum inureret culpam ſuæ mortis. Cœperunt illi contriſtari & inquirere: quia qui reſciuit penes ſe eſſe reum mortis Chriſti, eum illicò traducet deuouendum diris, vt intendit Dominus Deus ſedulo examine præſignato.

Paſſio Chriſti meditata viuificat.

Prælibata clamant quàm ſit proficua meditatio mortis Domini Ieſu, Communione inſtante: inde emergit odium eorum omnium, quæ ſunt conſcia piaculi tanti, & hac auerſione conceptâ, tandem ad terſiores obeundos actus, ea pœnitens anima vegetatur. Fitque quaſi prodigium editum ad ſepulchrum Eliſæi, cuius cùm oſſa demortua tetigiſſet cadauer hominis latrunculi, denuo ſpiritum hauſit, & reuixit; ita qui cogitat, ſe conſcio, Chriſtum emortuum, ille etiam derepente fit abiurato ſuo crimine rediuiuus. Et huic indulto Dei ſoſpitantis animas, morte ſuâ cogitatâ ante Euchariſtiam, congruit ſymbolum illud Paradini, quo pinxit ſpicas è ſepulchro exurgentes, hoc titulo. SPES ALTERA VITÆ: quaſi diceret ex pinguedine cadauerum adipem ineſſe huic frumento, ſugente ex illa ſanie multiplex alimentum. Ita & mortis Chriſti liuor diffluit in Euchariſtiam, quæ eſt ſpica merito mortis Chriſti conſpicua, ac proinde ſpica è tumulo emergens, cùm aptans ſe ad ſumptionem huius ſpicæ cogitat mortem Chriſti, qui dolores noſtros portauit, & cuius liuore ſanati ſumus. Si quis ergo vitâ reduce frui optat, ille mortem Domini ſui in Communione meditetur. Nimirum Euchariſtia, comite ſepulchro, ſpica eſt è tumulo exurgens, hoc lemmate inſignis. SPES ALTERA VITÆ: eius enim frequens vſus ſpem collapſam erigit hominum, quos reus animus à Deo longè fecerat alienos. Interrogent ſe ergo homines in ipſa crepidine altaris, an apud eos deliteat aliquis affectus Deo ingratus, & affinis eis qui fuere rei mortis Chriſti? vt ſic zelo ſuo accenſo, ex idea patientis inclyti Domini, in vltionem mortis illatæ, & in teſſeram ſui vindicis animi, aliquod egregium facinus, ipſo illo momento moliantur.

EX SYMBOLIS.
Paradin. lib. ſymbol.
Euchariſtia reſuſcitat animas.

Et vtinam omnes eos animos induerent, quos tres Angliæ Prouinciæ illuſtres, quas vulgo vocant, Lincolne, Yorc, Durhâ: illæ exoſæ piaculum Henrici Regis Apoſtatæ, qui ab Eccleſia defecerat, & expunxerat Religionis auitæ ſacra; milite cóſcripto, in ſpretæ pietatis vindictam, ſtrenuas acies inſtruxerunt. Vtque alacriori animo ſuperarent belli incômoda, labaro iuſſerunt Chriſti Domini plagas purpureas: adlecto calice, cui imminebat hoſtia notata nomine Ieſu. Vexillo explicato rubére ſanguine Chriſti, acies illæ deuouentes ſanguinem ſuum eidem Domino, omnia quæ ingruebant pericula fortiter obierunt. nemo enim militum vexillo intentus, intuens calicem, hoſtiam, & plagas Domini Ieſu, quibus fiebat iniuria à Rege impio, nemo inquam adeò fuit amans vitæ ſuæ, vt ſanguinem ſuum noluerit Deo rependere, qui noſtræ ſalutis ergô, calicem & hoſtiam obtulit nobis, & poſtmodum affici plagis, ſanguinémque ſuum effundere minimè detrectauit. Hoc illuſtri exemplo validior factus, ô homo, quando accedes ad altare, & calicem videris & hoſtiam, memorare ea eſſe ſymbola zeli tui excitandi, ad vlciſcenda crimina

Paſſionis inſignia in vexillo appoſita ab Anglis.
EX HISTORIA.
Andreas Du-Cheſne in hiſtoria Anglica ſub ann. 1536.

quibus extitiſti moleſtus Domino tuo, cùm ſanguinem calice expenſum, ſacrilego verſabis animo, cogita ſanguinem hunc clamare de terra, téque reum ipſum quærere teipſo iudice vindicantem. Tibi inſulta, teipſum argue, & cõdemna repudio æterno voluptatum, quarum commercio tu peccaſti, & in cœlum & in optimum patrem à quo miſere deuiaſti. Et quia tibi, vt imagini Chriſti vulnera inflicta, prototypo etiam fuerunt iniuria: adhibe medelam idoneam tibi, vt conſulas eo modo plagis Domini crucifixi. Deprime typhum, qui ex inani gloria exurgit, & medeberis capiti ſpinis vtique importunis intertexto. Excute de manibus tuis malè parta, deterge ſordes aſperſas obſcœno contactu, hocque tuo manuum repurgio, ambæ manus Dei tui ſaucij ſubitò ſanabuntur. Obſera cor tuum hactenus apertum quibuſque rebus infimis, & indignis quas delibes amore tuo; ex eodem corde elimina noxios affectus deuios à ſalute tua; & quaſi poſtliminio reuoca Chriſtum; eo ritu confeſtim hians illa plaga lateris, & reliqui ſanguinis oſtium obſtruetur.

Si te recolentem memoriam Paſſionis Domini; nullus ſenſus afficiat vltionis: hoc ipſum defle, & de te apud Deum texe querimonias eaſdem, quas habuit de ſe Auguſtinus, citius has poteris & tu voces ſupplex, & pauidus vſurpare. *Ignoſce Domine, ignoſce, pie, ignoſce, miſerere, parce, & ignorantiæ meæ, & multæ imperfectioni meæ, noli me tanquam temerarium reprobare, quòd audeam ſeruus, vtinam vel bonus, & non etiam inutilis, & malus, & ideò valdè malus, quia te omnipotentem Deum noſtrum terribilem, & nimis metuendum, ſine cordis contritione, & lacrymarũ fonte, ſine reuerẽtia debita, & tremore, laudo, benedico, & adoro: ſi enim Angeli te adorantes, & laudantes tremunt; ego peccator dum tibi aſſiſto, laudes dico, ſacrificiũ offero, cur non corde paueo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorreſco, ſicque obortis lacrymis coràm te indeſinẽter lugeo? volo, ſed non valeo, quia nequeo quod deſidero.* Hæc ille. Et quia confuſio ſui præſens eſt remedium, ad duritiem cordis, quod nequit ad præſentiã Dei ſanguinis emolliri: poterit anima pudibũda in has voces erumpere, quæ ſunt & pœnitentis ipſius Auguſtini. *Miſerum me quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea, vt non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum: miſerum me quomodo ſic induruit cor meum, vt oculi mei indeſinenter non producant flumina lacrymarum?* Hactenus ille.

EX SS. PATRIBVS.
S. Auguſt. lib. Medit. c. 34.
Idem vbi ſuprà.

Cæterum hanc ſui ipſius peritiam tanti fecit æuum gentilium, vt quotidiano examine Philoſophi crediderint hominem poſſe ad virtutis apicem pertingere; & penes illam praxim Seneca repoſuit, Sextij Philoſophi omne virtutis incrementum: ſic enim ſcribit Stoïcus ille. *Animus quotidie ad rationem vocandus eſt, interrogabat Sextius ſerò. Quod hodie malum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quà parte tui melior es? deſinet ira, vel moderatior erit, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicium veniendum.* Affine eſt illud ſcripturæ ſanctioris. *Non iudicaremur, ſi nos vtique diiudicaremus.* Exquiſita nimirum trutina notitiæ; nihil ſinit impunitum, & vt fatur idem qui ſuprà, Seneca Philoſophus acerrimus propugnator Stoïcæ diſciplinæ. *Hoc ipſum argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua quæ adhuc ignorabat videt, quibuſdam ægris gratulatio fit, cùm ſeipſos ægros eſſe ſenſerunt,*

Examẽ conſciẽtiæ ſuadetur à profanis.
EX PROFANIS.
Seneca lib. 3. de ira.
1. Cor. 11.
Idem epiſt. ad Lucil. 6.
Examinis conſcientiæ vtilitas.

Secus autem homines neſcij, qnale degunt æuum, in cœnò quovis vitiorum obuio volutantur: Chriſto reuera iniqui, quia eum tradunt. Sed alternante vices Dei iuſtitiâ, traduntur & ipſi crudelibus hoſtibus, ſcilicet Angelis refugis atque Apoſtatis, qui vilia illa capita vitiis obnoxia, & ſub iugo aliis rurſum nexibus irretient quaſi in faſciculos, vt perpetuis tandem ignibus addicantur. Præſciit iſtam tragœdiam Iſaias, cuius accipe Vaticinium. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Quaſi diceret, ſi quæris cauſam libidinis inolitæ, quæ plerumque homines illaqueat, nulla prorſus alia, niſi inſcitia fœtidi

Iſai. 5.

ſtatus, cui ſeſe luxuriæ ſordida mancipia deuinxerunt. Immò omnium criminum nexus ex illa officina ignorantiæ prodeunt, & hinc captiuitas importuna, & cupiditas ſciendi aliorum mores, habitus, & ſtudia, vt cenſuram ſubeant impiorum. Ita Chryſologus. *Improbus affectus ſuas non reſpicit ad ruinas, alienos currit, & decurrit ad lapſus, ſua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum ſuorum neſcius, alienorum eſt accuſator, & teſtis.* Ne igitur capiamur, & Chriſtum capturæ exponamus; ſolerter indagemus, an apud nos aliqui ſicarij diuerterint, vt ſi innotuerint, ad gehennam ſubitò traducantur.

Ex SS. PATRIBVS. Examē conſcientiæ neglectû multa mala ſecum vehit.

FAXIT DEVS.

HOMILIA QVINTA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. EXORDIOR à natura Dei, quam ex Platone dico eſſe ineffabilem, quia nequit comprehendi ab intellectu, quem coërcent naturæ limites, & cancelli; ideò cùm diuinum quid ſapiant effectus illi, quos exerit Communio, non potuiſſent deprehendi ab homine, ſi eos Deus ipſe non feciſſet palam textu, quem vt thema inuro iſti homiliæ *Ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Eſt igitur hæc homilia de effectibus Euchariſtiæ: qui duo ſunt; ſcilicet, *Claritas, & vnio.*

2. Explico quænam affulgeat claritas hominibus ex Communione, vt inde homines clari & illuſtres cenſeri queant.

3. Probo ex hac claritate deduci amorem, non tepidum illum, quo deſides & ignaui torpent, ſed feruidum, & cuius æſtu queat amans anima conflagrare.

4. Eo amoris incendio conſumuntur omnia, quæ animam Deo ingratam faciebant, itavt amore decocta terſior atque illuſtrior emicet. Etenim ſummum Dei amorem ſtipat chorus virtutum omnium, omniáque chariſmata deſuper illapſa ei obſequuntur.

PRÆFATIO.

EGO CLARITATEM QVAM dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.
Ioan. 17.

QVEMADMODVM *Sol rutilus ſuo lumine aſpergens ſuperficiem ſpeculi terſioris ad eo graphicè ſe inurit illi vitro, vt totus Sol omnē eius ſubſtantiam peruaſiſſe videatur. Quippe non duntaxat lucidum eſt & coruſcum ſpeculum inſtar Solis, ſed plerumque ſuis emergentibus radiis ignem accendit, qui magna parit incendia, imò etiam tales ignes aliquando deuorarunt integras naues hoſtium, ſicuti videre eſt in ſpeculis Archimedis. Ita vbi Sol Euchariſtiæ affulſerit animæ mundæ, vti eſt ſpeculum ſine macula, ſtatim illa etiam irradiat, & fit eo lumine præfulgida, & ne vacuâ luce perfuſam exiſtimes, amoris igne poſtmodum incandeſcit. Sed vt Solis eſt, quòd ſpeculum emicet & caleat, ita Euchariſtiæ eſt, quòd anima clareat, & patiatur amoris æſtus, ipſo teſtante Chriſto:* Ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. *Itaque non eſt quòd Moyſi, homo Euchariſtiæ particeps inuideas? Si namque præfulſit facies Moyſis ex Dei colloquio, & ſi rubi ardentis ſenſit incendia; ex Communione in hominem maiora gratiæ Dei influunt incrementa. Nimirum Dei claritate micet anima, inuiſa quidem corporeis oculis, ſed rutila Diuinis atque Angelicis: nec calet tantùm cute tenus; at ardet eo amoris igne, cuius incendio tota exarſit Maria, cui noſtra hac prece obſequia conſecramus.* Aue Maria.

DIVINVM reuerà effatum Platonis, Deum ſolum poſſe ſeſe nominare Philoſophica partim, & Theologicâ ratione liquet: veritas huius eloquij conſtat ex Philoſophia: nomina ſunt ſigna rerum; quælibet autem res conſtat genere & differentia, quibus vt cancellis, fines cuiuſvis eſſentiæ concluduntur. Rurſus cùm genus, & differentia Metaphyſicæ partes, quæ componunt omnem eſſentiam infra Deum, ſint res à ſe diſſitæ ſaltem formaliter. Verbi gratia, in hac propoſitione: homo eſt animal rationale; animalitas formaliter non eſt rationalitas; etenim vtriuſque conceptus alij ſunt, & vt diſſiti diſpeſcuntur. Cùm igitur creata omnia duobus his coaleſcant, ſcilicet genere & differentia; deuenire his poteſt in aliquam

Ex PHILOSOPHIA. Deus ſolus ſe nominare poteſt.

Ariſt. lib. de interpret. c. 1.

Porphyrius lib. quinque prædicabiliū.

rerum

terum petitiam, homo : cuius enim generis ſint omnia non eſt in abdito,& licet differentiæ ſint altioris indaginis, venari eas poteſt homo ſagaci ſcrutioio, rέſque poteſt generis, & differentiæ ſuffragio ſuo qoaſque nomine nuncupare. At Deus cùm ſit huius compoſitionis expers,& neſcius generis & differentiæ, capi nequit ab homine aſſueto rebus compoſitis. Quare autem ad naturam cuiuſque creaturæ multa coëant, vt vnum quid exurgat, ratio petitur ex determinatione inſita naturis ſingulis quæ cùm non longè laréque pateant, minimè ſufficiunt ad plura munia obeunda. Verbi gratia, quia aures non vident, opus fuit oculis;quia intellectus humanus amare non poteſt, opus fuit voluntate, vt animus incaleret.

Ex Theologia.
S.Thom. 1.p. q.3.art.7. Idem 1.p. q.12.Art.1.

In Deo verò ſecus, vna eſt eſſentia infinitas dotes inuoluens, nullius rei indiga, atque adeò cùm ſe ſolâ omnia poſſit, nihil aliud exteum & exoticum adſciſcit ſibi,quo agere queat facilius:eamobrem eſt compoſitionis impatiens,vtpote vna ſimpliciſſima entitas,impos ab homine comprehendi, quia res infinita à finito comprehendi refugit intellectu. Cùm ergo Deus ſe nobis in Euchariſtia communicet, non eſt noſtrum nominare quid acceperimus, quia noſtrum excedit captum;nominet ergo ille qui cognouit. Audi textum enodantem illud inuium nobis, atque indiſſolubile : accipe à Chriſto, quid tibi impertiat illo ſacro edulio, quo ſanctis aſtans altaribus ineſcaris.Sic ille Deum Patrem alloquitur. *Ego claritatem quam dediſti mihi,dedi eis, vt ſint vnum,ſicut & nos vnum ſumus.* Ne tamen ſubrepat, hominem eo paſtu diuino habere à Chriſto,idem, quod ille habet à Patre ſuo, id eſt naturam Diuinam in vnitate numerica eſſentiæ eiuſdem in Patre & Filio, itavt homo ſumptâ Euchariſtiâ in Deum tranſeat. Ne, inquam, hoc animum tuum ſubeat ; eſſet enim illa cogitatio penitus infidelis. Sed hoc textu meditare, Deum in Euchariſtia infundere claritatem idoneam vnicuique perſonæ, itavt quantùm humana conditio patitur, vniatur homo Deo,æmulando pro modulo ſuo illam vnionem ineffabilem, quâ Pater & Filius vnum ſunt. Et hoc erit iſtius homiliæ integrum argumentum.Erit tota iſta oratio de Euchariſtiæ effectibus. Dicam primò nos effici claros illo pane; & quâ claritate, ego apetiam. Secundò dicam ad quam vnionem cum Deo euehamur.

Ioan. 17.

Homiliæ diuiſio & contextura.

Ex Mathamatica:

Clauius ex Sacroboſco & his ſuperiores Hipparchus & Ptolemaus librā locant poſt virginem & in primo eius puncto incipit Autumnus.

Heſiodi vetus eſt aſſertum,terras habere precariò omne,quo virent,& germinant,& eſſe Solis erogantis influxum ſuum, quòd terra gemmis auróque fœta ſit prædiues;eſſe item ſuffragio illius viuificæ facis, quòd eadem tellus, velut polymita veſte florida veſtiatur. Tamen peculiare quid inſitum eſt ſyderi quod nuncupant Spicam virginis: poſtquam enim ſubiit illud ſydus Sol rutilus,& feruentiſſimus in coniunctione illius ſtellæ, terra ſua aperit vbera, quibus lactat hominum genus : ſcilicet botros Sole decoctos muſtóque tumentes prodit, & ſubinde omnium fructuum genus Autumni diuitias;ideo fetax eſt Spica illa cœleſtis, vt pancarpium ſeu cornu-copiæ penes illam eſſe videatur. Theologia, diſciplina etiam cœleſtis,& titulo potiori,quàm cœlica Matheſis,non it inficias, omnia bona nobis eſſe à Sole, ſeu à ſolo Deo,Patre luminū;tamen cùm Deus eſt in Spica virginis,id eſt in Euchariſtia,vbi feruor amoris ſeſe magis explicat,& liquidior eſt;dicetes omnigenæ annonæ prouentum,ex hoc fœdere Solis & Spicæ omnibus euenire. Ne autem effectuum copia inopem me faciat, à claritate eos exordiar : eſt enim ea primus effectus Solis,qui dum ſuos radios ſpargit,lumine ſuo facit vt clareſcant& ſplendeant omnia,quæ tenebræ nigrore ſuo hactenus opacabant. Ita & gratia animæ lumen, effectus eſt Euchariſtiæ, quæ nobiliori modo operetur gratiam,quam alia ſacramenta, quæ ſunt inſtrumentales veluti cauſæ : ſed Euchariſtia auctorem gratiæ ſecum vehit,& tenebras omnes tergit, quæ ſeſe effuderant, animâ ſuis nefariis actibus à Chriſto ſuo Domino Deóque deuiante. Lumen ſua claritate facit; vt videantur ea, quæ tenebræ oculis abſtulerant: reprobi vt Deo inuiſi,non videntur ab eo beneuolis oculis;quippe refugiunt oculi Dei,omnes animæ maculas : ſed illucente gratia,anima diuinis ſiſtitur obtutibus, à quibus anteà procul erat,denſæ noctis caligine obuoluta. Ægros homines,afflictos nigredine tenebrarum, quas ingeſſit nox inquies, recreat ipſum crepuſculum lucis, mœrorémque omnem noctis diluit lux amplior, diffuſa ſenſim : ita & ſyndæreſim comitem indiuiduam noxæ,eliminat gratia,infundens gaudium inaſpectum homini pœnitenti, qui ſæpe vt ſui impos ferre nequit illam animæ voluptatem. Demum vt nox eſt inimica negotij, vtpore amica otij & ſomni ; ita & lumen vrget ad laborem,eo planè modo,vbi peccatum in animam irrepſerit, ea veluti diſſoluta viribus ſuis,tota eſt in eis, & perit ignauia: ſed vbi gratia affulſit, excuſſâ deſidia omni, anima effecta vegetior, accingit ſe ad actus egregios exantlandos.

Luminis effectus.

Gratiæ & luminis comparatio.

Euchariſtiæ effectus.

Ex Figuris.
Iſai. 21.

Vide quibus ſit actibus idonea anima, poſt eſum panis illius,qui eſt luminis gratiæ diffuſiuus.Collige effectus vitalis obſonij,ex illo Iſaiæ textu. *Babylon dilecta mea, poſita eſt mihi in miraculum, pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes : ſurgite, Principes, arripite clypeum.* Reuerà anima infidelis,vbi aſtitit menſæ Dei,fit vice prodigij; quæ enim aliàs libidine diffluxerat,fit iam caſtitate præfulgida; quæ ira exarſerat, patiens efficitur;demum anima olim vitij omnis ſordida colluuies, virtute panis illius, gratiis omnibus cernitur emicare. Et hoc vult Iſaias attendi à nobis,dum hortatur vnumquemque. *Pone menſam, contemplare in ſpecula.* Id eſt, ſpeculare alto ſcrutinio micas, quæ decidunt ex hac menſâ : catelli,id eſt pœnitentes, has micas vbi comederint, tranſeunt in ſortem filiorum. Ideóqoe poſt acceptas buccellas menſæ regiæ, ſtatim Principes ab Iſaïa Vate, menſæ iſtius præſcio nuncupantur. *Comedentes & bibentes ſurgite Principes.* Et quia Principum eſt alta prodere conamina, ſubiicit, *Arripite clypeum.* Quaſi velit ſuos diſcipulos,& ſymmyſtas Chriſtus à menſa ſua prodire ad conflictum.Eamobrem,in vltima cœna voluit parari gladios,& dicentibus Apoſtolis: *Ecce duo gladij hic.* Ait:*Satis eſt.* Adeò conſtans res eſt, Euchariſtiam ſuos epulones facere idoneos bello, & veluti claſſicum inſonare.

Euchariſtia alta eget ſpeculatione.

Euchariſtia panis eſt Principum.

Euchariſtia inter gladios inſtituta.

Ventilet & extollat quantùm voluerit vetula Græcia panem illum Athletarum, cuius eſu fiebat quiſque validior, & qui ideò vocabatur κωλίφιον, id eſt fortificans membra, ἀπὸ τῶν κώλων ἰφι, à robore membrorum, vnde Iunenalis

Coliphion panis athletarum.

Ex Hiſtoria.
Martial.l.7.

æui ſui carpens ignauiam, ait eam procedere, quia à Coliphio omnes homines abhorrebant.

Iuuen. lib Satyrarũ Sat. 2.

Luctantur pauca, comedunt Coliphia pauca.

Si tamen illum panem conferas cum pane iſto, erit infirmior multò: ſuos enim edaces panis ille Græcus aptabat ad manus conferendas cum aliis hominibus eiuſdem ſortis; ſed Communio nihili facit obuias omnes dæmonum acies; eo pane armati conuiuæ Dei, rident auſus & inſultus vitij cuiuſlibet. Denique omnia conamina irrita faciunt inferorum. Græcia adeò credidit neceſſarium eſum & vſum panis Coliphij, vt dictus fuerit ille pánis *ἀναγκοφαγία*, id eſt neceſſaria manducatio. Ita & Eccleſiæ adeò neceſſarium ſanxere priſci Pontifices, vt quotidianum voluerint eſſe illius vſum, vt videre eſt in iure pontificio, Canone expliciro eodem Codice recenſito, quem accipe. *Dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam; alius affirmet quotidie: faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum.*

Euchariſtia poteſt quotidie accipi.
Ex Ivre Canonico:
Can. quotidie de conſecrat. diſt. 2.

Inolitum eſt Turcis componentibus ſe ad pugnam, multum deglutire opium; eſt id Pharmacum, papaueris ſuccus concretus in modum coaguli: eo paſtu fiunt aptiores ad obeunda quæuis pericula; etenim opio eſt vis inſita ſomnifera, quà geus illa effera immemor mortis caput ſuum obiicit obuio diſcrimini; audito enim claſſico, illi edaces opij incautè in ferrum incurrunt: nam rationis vſum illud Pharmacum anteuertit. Tantique fit apud eos opium, vt campos longè latéque aperios, multo papauere ſerant, vt ſuccum eius eliciant, penes quem arbitrantur eſſe cauſam victoriæ quam referunt, dum ope papaueris, timore necis expuncto, acies inimicas audacter adeunt, frangunt, & peruadunt, animo concipiente victoriam, pericula quælibet aſpernantes. Adeóque vernaculus eſt apud illam gentem ingloriam eſus opij, vt illud in deliciis habeant. Suum vti libuerit opium encomiis euehant infideles hi populi, habemus quo non inuideamus eis, edulium ſcilicet opimum & optimum, necis inſtanris pauorem excutiens, vt videre eſt in Apoſtolis, qui vbi fuere paſti illo pane ſancto, dixere ſe paratos mori pro Domino ſuo Chriſto; & re ipsâ, licet paruâ manu ſtipantes Chriſtum, Iudæ tamen proditori, & ſequacibus eius ſacrilegis Dei hoſtibus occurrerunt. Adhuc liquidior extitit enaſcente Eccleſia, virtus Euchariſtiæ, cuius vſu ferè quotidiano, Chriſtiani adeò ingentes ſpiritus ebiberant, vt nihili propè facerent Præſidum Gentilium dura verba, & duriora verbera, qnibus eos ad Idola conuertere, & abſtrahere à Chriſto, gens impia conabatur. Fuitque iuge miraculum, videre virgines impuberes genus imbelle, adire martyrium animo infracto: in his fuerunt Eulalia, & Agnes, virgines immaturæ ætatis ad certamen ineundum fidei causâ: Sed quia infantibus ea ætate fas erat paſci eo cibo ſacro; tantæ ſe Dei virtutes effuderant, vt præcoces etiam anni atrocia tormina ſuperarent. In hoc ab opio diſtat Angelorum panis, cibuſque fortium, quòd opium animum turbet, & memoriæ initium fit, itavt mortis immemores homines, ebrij eo Pharmaco, temerè omnia obeant pericula, meriti omnis ideò expertes, ſecluſo arbitrio, cuius nullus omnino vſus eſt penes eos homines, hoc inſano paſtu miſerè dementatos. Aſt in negotio Euchariſtiæ, ſe ſecus omnino res habet: nam tantùm abeſt vt delirent homines paſti hoc epulo, quin potiùs liquidiora ſe illis obiiciunt diſcrimina, quæ ideo flocci pendunt; quia ſciunt non poſſe eos interire, qui mortem obeunt pro vita, id eſt Chriſto. Et eamobrem quò maior eſt vſus arbitrij, eò etiam illis ampliores gloriæ tituli decernuntur. Cùm ergo priſcis Eccleſiæ temporibus, quotidie immineret corona martyrij, & graſſaretur odium in fideles, ſæuiente diabolo, cuius deperibat impius cultus: vt eſſet antidoti vſus liberior atque præſentior, fecit Eccleſia familiarem copiam Euchariſtiæ vnicuique, ita vt ſinguli in domos ſuas deferrent hoſtias ſacras, vt illis ingruente martyrio paſcerentur.

Ex Hiſtoria.
Petr. Bellonus lib. peregrinationis ſuæ, vbi de opio.
Opiũ à Turcis ante pugnam editur.

S. Ambroſ. de obitu ſui fratris Satyri.
Idem lib. 1. de virginibus.

Euchariſtia facit homines generoſos.

Euchariſtiæ vſus olim qua re fuerit frequens.
Baron. tom 2. Annalium
S. Cypr. ſerm. de Lapſis.

Optimè igitur Iſaias recenſitâ menſâ, vocat Principes eos, qui de ea viuunt, & hortatur comedentes vt arripiant clypeum, quaſi ſecuri de victoria Deo pugnante pro eis: in cuius rei typum Ægyptij inſequentes agmine armato fugientes Hebræos, ſed paſtos Agno paſchali, Dei ſenſere vltrices manus, ſeróque ſapientes dixere: Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis; nec reuerà fuit inanis eorum pauor, impias enim illas acies, redeuntis maris vortices ebiberunt. Simili vtique pauido cientur œſtro Angeli refugæ, dum incurrunt in homines refectos corpore ſauctioris Agni: non immerguntur aquis, ſed ignibus cremantur acrioribus, ſcilicet illis, quos ſpirant homines Euchariſtiâ acceptâ; confeſtim retrocedunt hoſtes, certiores effecti Chriſtum pugnare pro eis, qui debito præuióque ritu, eius ſanctiſſimo corpore vegetantur. In ea mente fuit Chryſoſtomus, iſtâ paræneſi omnes affatus homines. *Tanquam leones igitur ignem ſpirantes, ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem quam erga nos oſtendit: nam parentes quidem aliis ſæpe filios tradunt alendos; ego autem inquit non ita, ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & ſpem bonam de futuris prabens.* Hæc ille.

Ex Figvris.
Exod. 14.
Ex SS. Patribvs.
Homil. 61. ad populum Antiochenum.
Euchariſtia fortes facit vt leones.

Adiici robur animæ illis epulis ſacris, Iure etiam Canonico liquet, quo ſancitum eſt in Concilio Moguntino, non eſſe denegandam Euchariſtiam reis, etiam plectendis, & cenſendis capite: vt hinc alacriùs mortem oppeterent in deductionem pœnæ æternæ, cui eos addixerant eorum atrocia crimina perpetrata. Ecce Canon. *Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine ſecundùm Canonicum iuſſum danda eſt; cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſoluunt? ſcriptum eſt enim: Non vindicat bis Deus in idipſum.*

Ex Ivre Canonico.
Can. quaſitum 14. q. 1.
Euchariſtia danda pœnitentibus.

Igitur cùm homines rei bellicæ gloriâ fiant illuſtres, & orbe toto clareant, benè ait Chriſtus poſt elargitum corpus ſuum: *Ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis*, Id eſt, omnes illi quos dignabor Euchariſtiâ, clari fient & inſignes, de hoſtibus ſuis diabolis & vitiis victoriâ multiplici reportarâ. A re bellica tranſire liber ad quietem. Multa ſanè pacificos excipiunt mala, quorum germina ſunt quies & otium: corpus namque dum torpet non exercitum, fit effœtum, noxios adſciſcit humores, qui

Otium quàm ſit perniicioſum.
Duretus in coacis Hippocratis.

qui dum ſtagnant in ventriculo, aut meſenterio, iniurij ſuot ingenuo corporis habitui, atque ex impura illa colluuie, morbi diuturni, & ſæpe lethales vtplurimùm enaſcuntur. In his ſunt, coma, carus, aliique affectus qui lethargo homini imminent: hos non euacuat medicus prudens ἀθρόως, ſed per [illegible]. Id eſt, non repurgat vnâ inſigni & repentinâ effuſione hos humores, ſed ſenſim & quaſi velut inſciâ naturâ, quæ à nimio effluxu abhorret; huic intento faciunt pillulæ aureæ nuncupatæ. Has etſi Myrepſus, ex aloë, & colocynthide compoſitas ediderit; tamen rubeis roſis, & croco coëuntibus, ita ſalutares viſæ ſunt, vt ab effectu dicantur aureæ. Ita planè iit obuiam Deus grauedini, quæ ſe inſinuat in homines virtutis effætæ, & veluti gliſcente ignauia torpeſcentes. Eorum deſidiam leuat pillulis aureis, ſcilicet hoſtiis ſacris, vbi non roſæ rubeæ, ſed Chriſti Domini ruber ſanguis, & crocus aureus, ſiue Diuinitas illic rutilat, temperans amarorem fellis, & abſynthij, quibus Euchariſtia reſperſa eſt, dum ab accedentibus ad altare, mortis Chriſti memoria recenſetur. Quid igitur torpedinem clamas, homo; aureis iſtis pillulis vtere; amaror paſſionis, aculeos tuæ deſidiæ infiget, vt ea ſe explicet ad agendum; crocus deitatis occurret deliquio cordis, quod patitur anima deſes, virtutis tramitem inituta. Hoc pharmacum non euacuat quidem ἀθρόως, id eſt, confertim totam educendo colluuiem humorum, qui reſtagnant, & ingerunt habitum prauum, ſed ſenſim ſine ſenſu Euchariſtia eliminat affectus deuios à virtute, gratiam infundens, cuius ſuffragio anima quæ anteà torpebat, ad virtutis praxim impigrè excitatur: eamobrem Canones ſancti nos hortantur ad hunc cibum, velut ad rei medicæ compoſitionem, quâ decumbens anima, ſi eam vſurpet medicinam, potiri valeat facili negotio, reduce ſanitate. Sic ſe habet Canon. *Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur; debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur; qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Iſte textus deſumptus eſt ex Ambroſio, & Iuri Pontificio inſertus à Gratiano.

Acedia quomodo ſit curanda.

Nicol. Myrepſus ſect. 32. c. 3 de antidotis.

Paſſionis Chriſti meditatio ſanat acediam.

EX IVRE CANONICO.

Can. ſi quotieſcumque de conſecrat. diſt. 2.
S. Ambroſ. lib. 4. de ſacram. c. vlt.

Sanguinis Chriſti effectus.

EX SYMBOLIS.

Paradinus lib. ſymbol.

Non abhorret à præfatis ſymbolum illud Paradini, quo depingit calicem, cui baſis crucis inſidet, ipſa cruce emergente de calice, hac voce. ANTIDOTI SALVBRIS AMAROR, Quaſi diceret calicem illum eſſe veluti pharmacum, cuius aloës, & pulpa colocynthidis, referunt crucem reuerà ſalutarem. Ne igitur nauſeet homo recolens memoriam crucis, accedendo ad Euchariſtiam; ſapor ille ingratus ſenſui corporeo, animæ ſapit: quippe meditator eo amarore Deum diluiſſe dulcedinem lethiferam, quam Adam & Eua in pomo ſenſerant, cùm pomi illius feralis inediam non ferentes, hoc ſe paſtu ſacrilego impiè ſauciarunt. Hominem non abſtrahat à calice crux ſocia, ANTIDOTI SALVBRIS AMAROR; & vt repetam textum: Chriſtus claritatem, quæ orbe toto emicat, à cruce petiit, de qua præfatus erat Iſaïas. *Principatus eius ſuper humerum eius.* Imò crucifixus veluti pro tribunali ſedens, titulum Regis accepit: etſi non egeret eâ teſſerâ maieſtatis. Itaque quiſquis ambit clarere, ille non refugiat crucem, quæ eſt cælum deferens illum Solem & lucis omnimodæ fontem. Crux eſt veluti virga illa, quam Ionathas melli appoſuit, vt ſuam leuaret inediam; omnis enim ſapor crucis, etſi primò non placet, tamen ſi ore ſano accipitur, deſinit in dulcorem. Nimirum eſt ANTIDOTI SALVBRIS AMAROR.

Calicis Chriſti ſalutaris eſt effectus.

Et quia Ionatham memini, volo eius recenſere hiſtoriam, vt valde idoneam claritati, quæ emergit ex dulcedine Euchariſtiæ. Sic ſcribit Regiæ hiſtoriæ auctor ſanctus. *Extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius: reſpondénſque vnus de populo ait, iureiurando conſtrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie; defecerat autem populus. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram; videtis ipſi quòd illuminati ſunt oculi mei, eò quòd guſtauerim paululum de melle iſto.* Reuera Saül indicto ieiunio, populo fuerat iniurius, qui ieiunus & imbellis ab eo ſic effectus, non eam ſtragem edidit hoſtium, quam feciſſet benè paſtus; in eum itaque filius eius Ionathas meritò debacchatur. Ita & nos Vigiles Eccleſiæ, & Præcones Verbi ſæuimus in eos, qui homines abſtrahunt ab hoc cibo, qui dulcis eſt ſuper mel & fauum, quo illuminantur oculi claritate, omnia alia lumina tranſcendente. Etenim beatitudo æterna quæ in viſione Dei ſita eſt, mediante lumine gloriæ, eſt effectus Euchariſtiæ, ex qua velut è fonte luminis effluit hæc claritas, quâ beati emicant è gloria. Eſſe autem effectum hunc Euchariſtiæ, diſce à Chriſto Domino ſic fante: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quaſi diceret, beatos qui adulti cœlis adſcripti ſunt poſt Euangelium, ſolo Euchariſtiæ lumine coruſcare. Nemo igitur inuideat ſorti Ionathæ, qui melle deguſtato, claritate oculorum donatus eſt, quâ antea expers erat: claritas illa minimo radio Euchariſtiæ nequit ſine myſterij tanti iniuriâ comparari. Etenim ea lux quæ Ionathæ affulſerat, delibati mellis obſequio erat tantùm oculorum tenus, nec alia obiecta peruia faciebat, quàm quæ corporea; ea verò lux, quæ emergit ex hoſtia ſacra, ſpirat quid cœleſte neſciens extingui, ac ideò dicitur à Chriſto Domino claritas, ab ea ipſa quæ eſt in Deo Patre deriuata.

EX FIGVRIS.

1. Reg. 14.

Euchariſtia illuminat animos.

Euchariſtiæ effectus ex hiſtoria Ionathæ.

Ioan. 6.

Non erit abs re referre hiſtoriam congruam illi claritati, quæ comes eſt huius viuifici ſacramenti. Penes annales Poloniæ fides eſto prodigij huius: en tenorem rei geſtæ. Iuxta Crachouiam, vrbem inter præcipuas illius oræ, erat Eccleſia vbi nitebant ea omnia quæ pertinent ad cultum Dei, & præcipuè pixis ſacra, quâ reconduntur panes ſacri, auro rutila videbatur eſſe prædiues, cùm tamen eſſet ex cupro tantùm, ſed ſuperficie tenus optimè deaurato. Hæc auri ſpecies ementita, perſtrinxit oculos quorumdam hominum impiorum, qui horâ condictâ coëuntes, furtim hanc pixidem tulere de theca, quâ erat abdita. His ſpoliis credidere ſe ditandos impij homines; ſed vbi, propiùs inſpectâ pixide, deprehenderunt eam eſſe cupream tantùm, ſacrilegio ſuo, etiam aliud iniquum facinus adiecerunt. Siquidem in rabiem acti, deluſâ ſpe, quæ in aurum collimauerat, & non in ſpeciem ementitam aurum; nolentes

Ex Hiſtoria Poloniæ.

Ioan. Herbur. in ſua hiſtor. ſub an. 1340.

Euchariſtia viſa ſcintillas noctu emittere.

referre pixidem,ne in vigiles incurrerent, proiecerunt eam in lutum,vt cœno immerſa pixis,minimè ſe proderet inuoluta cœno, ſicque falleret inquirentes. Eo iniquo patrato piaculo, cœperunt emicare ſcintillulæ ex luto illo, ita vt noctu cœnum illud rutilum appareret intuentibus rem illic inſolitam, cuius nouitate perculſus Antiſtes, illuc cum Clero, ſtipante plebe deuenit, & euoluto cœno pixidem inuenit, quæ ſtatim edocuit, ſacras hoſtias fuiſſe ſolum editi luminis argumentum. In cuius memoriam commendandam poſteræ ætati, erecta aſt Eccleſia in eodem loco, quem lux illa conſpicuum antea reddiderat. Eſto ſapiat prodigium illa hiſtoria, tamen aliud quidpiam cernimus quotidie, ſuperans illud miraculum, nec eſt qui rem omnibus aſpectam inficiari audeat, niſi dementatus.

Euchariſtia animam coruſcantem facit.

Accipe miraculum & equidem inſignius, etſi res ſenſibiles magis arrideant ſenſui neſcio rerum cœleſtium. Dum Chriſtus in communione immittitur in ſtomachum hominum, nonne reuerà mittitur in cloacam? ibi enim multa ſtagnat congeries cibi indigeſti, & pituitæ fœtidæ ſtabulantis. O Dei patientiam non renuentis intrare ſpecum tam fœtidam, & lutum tantâ ſpurcitie infame! Quos hic effectus exercet Euchariſtia? ſanè omnino claros & lucentes: anima namque Deo paſta, etſi lutea primùm, iam incipit clarere virtutibus, quarum videre eſt egregia facinora coruſcare. Oculi namque ſcintillant crebris in cœlum aſpectibus, & anhelis ad gloriam illam beatarum mentium: ora ſpirant flammas; quicquid enim loquuntur homines illi, penes quos eſt hoſtia ſacra, totum illud eſt igneum, & quaſi ſermones Dei: denique Chriſtus eis claritatem, quam dedit ei Pater, cernitur impertire. Et quod vice coronidis eſt, illa cloaca fit templum Dei: nam ex Salomone, anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, quæ ædificat ſibi domum, exſcindit columnas ſeptem, & ponit menſam, quando animam compotem effectam ſacræ menſæ, ſibi conſecrat in templum, inſigne ſeptem donis Spiritus Sancti, & vbi ſternitur ſæpe menſa Dei, quando communio à ſanctis ſæpius iteratur. Et vt in Eccleſiis lampas accenſa prodit Euchariſtiam illic aſſeruari; ita etiam ignis amoris, teſtatur vſum huius ſacramenti, cui ſubeſt ille idem ignis, quo ardebat rubus Moyſi præoſtenſus, & qui non tamen abſumptus eſt; quippe licet homo æſtuet amore Dei, ignis ille non eſt iniurius homini, quinimò anima ab eo potius illuſtratur. Et hic communionis effectus explicatur à Chriſto orante Patrem hoc tenore. *Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Vnitas hæc amorem clamat, & benè ſubiicitur claritati: nam ſicut ignis quò magis rutilat, tantò etiam magis ardet; ita & quò amplior eſt claritas, quâ influit ſacra communio, eò etiam amor illuſtrior, quo homines incaleſcunt.

Euchariſtia amore Dei accendit.

Ioan. 17.

Ex Theologia. *S. Thom. 3. p. q. 62. art. 2.* Gratia ſacramentalis quid addat, ad aliam gratiam.

Quomodo autem amorem ingerat Euchariſtia, accipe ex naturâ ipſius ſacramenti, quam Theologia nobis aperiet. Docet ea diſciplina, gratiam ſacramenti cuiuſque comitem indiuiduam, addere ſupra gratiam illam, quæ datur extra ſacramentum; etenim gratia ſacramentalis nos facit idoneos ad aliquid congruum illi ſacramento, quo homines initiantur: Verbi gratiâ Confirmatio gratiam infundit eo intento, vt fides infuſa in Baptiſmo altiùs inſideat, & in ea ſtabiliatur homo, etiam ingruente martyrio. Euchariſtia in ſpecie panis adminiſtratur, ut hinc homo reſciat animam viuere eo cibo, qui alius omnino eſt ab aliis eſcis communibus, quibus alitur corpus noſtrum, illis dapibus ineſcatum. Alios namque cibos ante eorum vſum exploramus, an ſint laudabiles & naturæ hominum idonei: fuitque in more poſitum Romanis, creare Præfectos annonæ qui probarent, an eſſent probi panes, qui parabantur exercitui, vt optimo pane factus miles alacrior, ſuos hoſtes fortiùs impugnaret. In communione verò contra accidit; nam de ea non quæritur, an ſit eſca conſentanea hominum indoli, ſed Decreto Dei cautum eſt, vt probet ſeipſum homo, antequam de pane illo edat: qualis enim erit animæ habitus, talis & cibi huius influxus, quo ad vitam æternam anima ſaginatur. Rurſus, in panem vſualem & profanum agit calor inſitus à natura, vt decoquat eſcas ceſſuras in alimentum eius, qui eas deglutit: at in Euchariſtiam non agit animæ calor; ſed potius illa eſca ſacra, animæ calorem ſeu amorem accendit eo igne, quo decocta eſt hoſtia, quâ ritè paſti homines impinguantur. Nam & Iure Cæſareo, penſum conſtitutum militibus non erat ſoluendum crudo frumento, ne illud miles aliunde pranſus diuenderet; ſed cenſebatur exercitus pane cocto, vt ſe viuere reſcirent acies, cura Cæſaris: ita Chriſtus non ſolas ſpecies panis ingeſſit, vt garriunt hæretici: etenim ſuper hoc cibo leuiſſimo, hominum anima nauſeaſſet. Sed prouidus rerum is opifex & Dominus, corpus ſuum dedit, panem reuerà amore decoctum, qui vitam ingerit. Et ne rem ſibi ignotam cauſaretur homo, explicitè ait Dominus, panem hunc edaces ſuos paſcere, in vitam æternam: En contextu liquet, quantùm amoris Euchariſtia cordibus noſtris inferat incrementi.

Lege Nautici Codice de canone frumentario.

Euchariſtiæ & cibi profani diſcrimina multa.

Lege nulli nominatim Codice de frumento vrbis Conſtantin.

Calor naturalis, elementaris ſit nec ne.

Ex Re Medica. *Fernelius lib. Phyſiol.*

Rei medicæ periti omnes ſibi conſtant de fomite vitæ noſtræ, quem dicunt eſſe calorem, non elementarem quidem omnino, nec merè cœleſtem, ſed quidpiam miſtum ex vtroque, quo vigente, eſt etiam vita ſuperſtes, quo & extincto, hominis etiam cuiuſque vita protinus euaneſcit. Eo fere modo Theologus agit de vita animæ, dicens eam eſſe penes charitatem, ſeu calorem illum quo anima æſtuat ad diuina. In quo autem ſit reuerâ ſitus animæ calor, id eſt amor Dei, ſcrutinij alti eſt, & tanti, vt peritum quemque Theologum valeat exercere. Etenim ſi amor, quo in Deum ferimur, eſt ignis elementaris, id eſt ordinis naturalis, iam non erit meritorius gratiæ, ad quam natura ſola non pertingit; neque etiam dici poteſt amor ille merè cœleſtis & ſupernaturalis; nam non eſſet ab homine elicitus, neque dici poſſet amor hominis in Deum, cùm crederetur omnis humana actio feriari. Omne etiam meritum expungeret ille amor omnino cœleſtis, & velut inſcio homine hominem in Deum euehens, quod tamen alienum eſt à veritate: nam amor ille meritorum magnam ſecum congeriem trahit præ aliis virtutibus, animamque facit inſigni atque præfulgidâ gratia coruſcare. Supereſt ergo vnum illud, quod res medica concludit de calore à natura inſito, quem vocat *θέρμον ἔμφυτον*, ſcilicet eſſe quid concretum e cœlo, & elementis. A pari ait Theologia, charitatem

Ex Theologia. *S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2.*

Amor in Deũ ſit naturalis nec ne.

habere

habere aliquid à cœlo & aliquid ab homine, ſic enim definitur: Charitas eſt habitus infuſus, quo inclinatur homo ad amandum Deum, vt ſummum bonum, quo ſolo beari debet. Cùm audis habitum infuſum, intellige ignem illapſum, quo anima deſuper incandeſcit: cùm verò inſonat auribus tuis illa propenſio voluntatis ad Deum amandum, iam intellige quid humanum & quaſi elementare, vnde exurgit iſta concluſio: Omnis actio amoris hominem in Deum rapientis, ex aliquo diuino & humano id eſt ſupremo & infimo coaleſcit. Cùm ergo Euchariſtia vitam animæ infundat, & hæc vita calore ſeu amore conſtet tota, cibus ille excitabit amorem in anima, quæ illius, ritu idoneo, fuerit compos effecta: & conſequenter illa anima fiet vnum cum Chriſto, iuxta typum vnitatis, quâ Deum Patrem, & Filium eſſe vnum, ineffabili vnitate confitemur.

Charitas quid ſit.

Ex Figvra.
Leuit.24.

In cuius rei typum, Deus olim panes propoſitionis volebat apponi calidos ante altare ſuum, præſignans panem illum, quem erat daturus nobis, fore eo calore feruidum, vt epulones ſuos etiam accenderet eo igne, quo vnum cum Deo efficimur; & hæc vero eſt ſumma effectuum, quos ex hoc incalente pane, animæ ſortiuntur. Diceres has epulas habere quid affine ritui illi, quem deſcribit priſcus auctor, nomine Suidas. Ait ille Abydenos epulis aſſuetos, ſua concludere conuiuia modo eis omnino ſingulari: omnibus enim conuiuis ſatis ſupérque refectis, coronis ſua capita redimiût; eſſe quid regium in ſuis epûlis indicantes. Sic demum coronatis offerebatur infans egregia ſpecie, vt eo oſculato, finem caperent epulæ eâ amoris teſſerâ. Eſt enim tarus amor aliis in epulis, vbi nimio mero effuſo, ſoluitur lingua in dicteria & ſcommata, quæ iniquiùs accepta ab aſtantibus, vtplurimùm ſunt odij ſemina, & germina iurgiorum. Finis epularum Chriſti, fuit oſculum Iudæ, & ne proditoris odium compenſare crederetur odio, noluit declinare oſculum perduellis diſcipuli. Imò oſculo illi noluit detrahere ſymbolum amoris: nam Iudam ſic venientem affatus eſt: *Amice ad quid veniſti?* non dedignans indicium ſuæ mortis, oſculum amico nomine nuncupare.

Ex Priſca hiſtoria.
Suidas in Prometheus.

Panes propoſitionis quare calidi.
Abidenorū epulæ quales.
Coronati olim epulantes.
Euchariſtiæ finis oſculū.

Quod amoris diuini argumentum Bernardus demirans, ſic Deum hunc amoris compellat. *Accedentem ad oſculum ſanctiſſimi oris tui, trucem beſtiam auerſatus non es; ſed os in quo dolus inuentus non eſt, ori quod abundauit malitiâ, dulciter applicuiſti. Innocens Agne Dei quid tibi & lupo illi? quæ conuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis fuit, Domine, vt omnia illi exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire poſſent; nam & veteris amicitiæ non immemor, illum commonuiſti, dicens: Amice ad quid veniſti? atque horrore ſceleris ſui cor impij ferire voluiſti, cùm dixiſti: Iuda, oſculo filium hominis tradis.* Inſtabis, hoc oſculo Iudam non fuiſſe accenſum, ſicut neque Euchariſtia. Reſpondeo, panem vſualem requirere calorem inſitum à natura, ad hoc vt nutriat; extincto namque calore natiuo panis grauat potius ſtomachum, quàm alat ægrum: ita planè dico, Euchariſtiam, non ſuas vires in Iudam hominem emortuum edidiſſe. Etenim panis ille non eſt hominum mortuorum, ſed eorum tantùm, quos præ-

Ex SS. Patribvs.
S. Bern. ſerm. de Paſſione.

Euchariſtia amore Dei requirit vt digeratur.

uius amor Dei fouet, & idoneos facit ad eſum panis huius, cuius potior effectus eſt iungere Deo hominem, ita vt Deus & homo his ſacris mediantibus epulis adunentur. Et hoc congruit illi oſculo, quo Abydeni concludebant ſua conuiuia: eò enim potiſſimum ſpectat tota virtus Euchariſtiæ, vt vniat; ſiquidem Deo aliquali modo aſſimilatur homo particeps huius edulij, at Deus eſt maximè vnus: item dicitur amor, & ignis, quæ omnia vnionem clamant, quâ omnes benè paſti hoc Angelico pane potiuntur.

Abydeni oſculo ſuas epulas concludunt.

Eſſe amoris vim vnitiuam, diſce à ſummo Theologo Dionyſio Areopagita. *Hoc nomen amoris vim habet faciendi vnum, & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi, quæ in pulchro & bono, propter pulchrum & bonum ante conſtituit, atque ex bono ac pulchro, pulchri bonique cauſa manat.* Vnde arguo: vbi eſt amoris virtus vegetior, ibi & vis vnitiua maior eſt; ſed in Euchariſtiâ, tota vis amoris effuſa eſt: ergo communicans anima erit maximè Dei particeps vnionis. Hanc ſuadet Auguſtinus ex vnitate, quâ conſtant ſpecies panis & vini; ex multis namque racemis vnum confluit vinum, ſicut & è granis frumenti vnus exurgit panis. Sic ille. *Quomodo ergo videtis eſſe vnum quod factum eſt, ſic vnum eſtote diligendo vos, tenendo vnam fidem, ſeruando indiuiduam charitatem.* Euſebius indubiam præſupponens illam animæ vnionem, ex ea realitatem probat Euchariſtiæ. Sic ille. *Dudum alienus à vita, peregrinus à miſericordia, à ſalutis via, intrinſecus mortuus exulabas; ſubitò initiatus Chriſti legibus, & ſalutaribus myſteriis innouatus, in corpus Eccleſiæ non videndo, ſed credendo tranſiuiſti, & de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruiſti. In menſura viſibili permanens, maior factus es teipſo inuiſibiliter, ſine quantitatis augmento, cùm ipſe atque idem eſſes, multò alter fidei proceſſibus extitiſti, in exteriori nihil additum eſt, & totum in interiori mutatum eſt, ac ſic homo Chriſti filius effectus es, & Chriſtus in hominis mente formatus eſt. Sicut ergo ſine corporali ſenſu, præteritâ vilitate depoſitâ, ſubitò nouam indutus es dignitatem, & ſicut hoc quod in te Deus læſa curauit, infecta diluit, quæ maculata deterſit, non ſunt oculis nec ſenſibus tuis credita; ita cùm reuerendum altare cæleſtibus cibis ſatiandus aſcendis, ſacrum Dei corpus & ſanguinem fide reſpice, honora, mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiore aſſume.* Ambroſius cæteris occinit. *Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit; iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit; ſic viue, vt quotidie merearis accipere.* Non eſt prætereundus Canon luculentus faciens ad hanc vnitatem aſſerendam. Sic habet textus i c. *Hoc ſacramentum pietatis eſt, ſignum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat, accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur, hunc itaque cibum & potum, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis.* Panis è clibano feruido erutus diu calidus eſt; ita & Euchariſtia feruet, quia panis ille ſacer eductus eſt è fornace amoris: totum enim Chriſtum amor decoxerat, quando ſacrum iſtud & incandeſcens myſterium inſtituit; etenim in vltima illa cœna nihil niſi

Ex SS. Patribvs.
S. Dion. lib. de diuinis nominibus, c. 4.
Amoris vis ad vniendū.
Euchariſtia ſacramētum vnionis.

S. Aug. ſerm. fer. 2. Paſcha.
Euſeb. Emiſſ. ſerm. in canone quia corpus de conſecr. diſt. 2.
Fides nos efficit filios Dei.
Euchariſtia magna fide indiget.
Euchariſtia quotidie accipienda.

S. Ambr. lib. 5. de ſacramentis, c. 4.

Ex Ivre Canonico.
Can. hoc ſacramentū de conſecr. diſt. 2.

niſi amorem vtique ſummum omnie Chriſti elogoia reſonabent.

Ex Hiſtoria. *Philo. de Abraham.* Euchariſtia vinculum eſt charitatis.

Diceres, Indico more, Dominum Ieſum voluiſſe obire mortem. Indis inglorium eſt cedere fatis, vtgente morbo, aut fatiſcente ætate: ideò veteres Indi, rogo eccenſo, in eum proſiliebant, & audacter; glorioſam rari mottem illam, quem flamme illa lethifera conſecrabat. Chriſtus vt corpore ritè compacto, ſuperſtes extitiſſet in diuturnum æuum, neſcius morbi; ſed noluit vitam in longos annos protrahere; amoris igni ſe deuouit, & in eum inſiliens, exiit inde in ſpecie panis, quo qui paſcitur, concipit eaſdem amoris flammas, quibus amantiſſimus Dominus ille conflagrauit. Et vt proprium igni eſt, in ſe omnia conuertere; ita & amori hæc vis inſite vnum facit hominem cum Chriſto in Euchariſtia: cuius inſtituto etiam quadrat illa praxis Carmanorum, qui in epulis ſanguinem eliciebent ſinguli, amicitiæ causâ, reciprocum ſuum amorem ſanguine teſtaturi. Chriſtus non aliquot latices fudit ſui ſanguinis innoxij, ſed totum exhauſit, noſtri emoris ergô; & ne violente putaretur effuſio facta in paſſione, anteuertit illum ſanguinis fluxum in horto, cruoris offetens primitias vltroneas. Imò, & in cœna myſtice, diſcipulis ſanguinem ſuum ſtagnantem in calice propineuit. Cùm ergo totum ſit amoris quòd in cœna geſtum eſt, quid mirum ſi præcipuum cœnæ ferculum amorem ingerat? quo vnum cum Chriſto efficimur, vt ſonant præfate eius verba. *Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Quibus verbis præter amorem alie etiam eperienda nobis myſteria reconduntur.

Solin. lib. 31. Euchariſtia ſpirat amorem.

Ioan. 17.

Vnum eſſe quid ſit.

Hæc vox, vnum, etiamſi aliqnid dicet diuiſionis impatiens, tamen etiam multa dicit: nam vnitas omnibus ſe numeris eptat; vnum enim potentialiter eſt multe: cùm ergo dicit Dominus, nos vnum fore, dicit quidem emorem, ſed perfectum, qui ideò debet bifariam explicari. Amor nemque alius eſt in affectu, & alius in effectu: amor in affectu, totus eſt in voto & plerumque fallit, natura obſtetricante. Quibus enim cordi ſe purior ſanguis ingerit, & hepar eſt mole prægrandius, hi amoris inſultus petiuntur plures aliis hominibus, quos alluit ſanguis impurior, & qui breuiori hepete collaborant. Totum igitur emoris Dei negotium, non de affectu qui fallit, ſed de effectu penſandum eſt. Qnid ſit autem eſſe vnum in effectu, Pythagoras credidit eſſe quidpiã ineffebile: dixit enim oportere hominem eſſe vnum, ſed hoc ſuum effatum abdidit ſilentio, & eò eiuſdem farinæ ſue ſymbola relegauit. Dominus ipſe legiſet noſter, commendans ſæpiùs illud vnum, tacuit rationem eius: aiebat, Martham eſſe ſollicitam, & turbari erga plurima, vnumque eſſe neceſſarium, rurſus vnum aſſumendum, & alterum relinquendum. Denique ſapiens hic Præceptor, miris encomiis extulit vnitatem.

Amor alius in affectu, alius in effectu.

Ex SS. Patribus.

Hanc S. Hieronymus conſtituit in repurgio vitiorum; ſiquidem homo vitij expers, nihil habet quod eum remoteret ab edhæſione Dei: at ex codice ſacro. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus efficitur.* Sic Hieronymus, *Vitio noſtro plures perſonas ſuperinducimus nobis, quot vitia tot perſonæ.* Origenes verò ſuperior ætete Hieronymo, rem acu tetigit, dum ſic fatur. *Imitator Dei, cùm ad perfectum venerit, vnus efficitur: inſipiens vt luna mutatur.* Itaque vnum eſſe, eſt motibus ſuis referre Chriſtum, & pro ſuo modulo iugiter æmulari. Hæc vnitas multa inuoluit, imò omnium virtutum egmen, ſua ſimplicitate concludit, dum à vitiorum fœtidâ colluuie ſit penitus aliena.

S. Hieron lib. epiſt. Vnus, & perfectus voces ſunt ſynonymæ.

Ex Prophetia.

Totam hanc virtutum hiſtoriam præſcius Iſaias genuinè deſcribit, & ait, hunc contextum virtutum omnium, eſſe effectum Euchariſtiæ, à que chariſmatum effluit meſſis vberrima: imò ab ee omnia bona æquè ac dona Dei veluti de pancarpio prædiuite deriuari. Sic Vates. *Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum, iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt, Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, terram de longè cernent.* Vt liquidum fuiſſe vaticinium conſtet, ſunt ſingula perpenda: Ait Vates, forte panem, coius vſus faciat ambulare in iuſtitiis, id eſt, virtutum praxim inſinuet, & faciat omnes declinare anſas, quibus cieri poteſt homo ad peccandum: hoc quippe ſanat obturatio aurium, ne eudiant ſanguinem, id eſt ne pateant cruento eloquio detractorum. Hi enim dente lethifero lacerent famã eorum quibus fiunt iniurij: oculi clauſi ne videant malum, ſeceſſum indicant & clauſtrum: habitatio in excelſis, & munimenta ſaxorum ſublimitatem firmantie, progreſſum ſignent, quo panis ſacri epulones ed omnimodæ virtutis apicem euehuntur. Demum videre Regem in decore ſuo, eſt coronis & caput omnium effectuum, qui emergunt ex hoc pane, inſtituto potiſſimum ad hoc, vt dignemur ea viſione Dei, quem maximè præfigurat illa claritas recenſita à Domino Ieſu, qui paulò ente dixerat, victuros in æternum eos, qui pane illo viuifico cibarentur. Quod autem adiicit Vetes: *Oculi eius terram de longè cernent*, eſt veluti ſumma, & compendium eorum omnium effectuum, quos anteà recoluit; nam eſſe virtuti addictum, eſt à terra ſecedére, non corpore tantùm, ſed & effectibus, eb omnibus quæ terrena ſapiunt, elongari.

Iſai 33. Euchariſtia omnes victores infundit in animam.

Euchariſtia nos aptat ad viſionẽ Dei.

Ex prælibetis videre eſt frumentum illud electorum eſſe ſemen omnium gratierum, qnes delineat illa vnio præfate à Chriſto Domino, qui & priſcis Eccleſiæ temporibus, edidit prodigium idoneum ad notendam ſequelem effectuum, quos edit ſacra communio, à fidelibus modo congruo frequentata. Seuerianus Hæreticus reſciens, vxorem ſuam catholicam de Eccleſia retuliſſe panem ſacrum in domum ſuem, vti moris erat æui illius obnoxij multis ærumnis, & cladibus, quas impiæ gentes Chriſticolis intentabent. Sacrilegus homo inueſtigat ebdita quæque penetralia domus ſuæ, vt hoſtiam illam reperiet comburendam: improbo tandem ſcrutinio incidit in pixidem egregiam, ratus illic repoſita ſacra myſteria, ed quotum opprobrium ſe perfidus accingebat. Sacram illam thecam apetiens vidit panem quidem, ſed qui germine aperto ſpicas ediderat multes, ſurgentes ex hoc pane. Eſt renerà prodigiũ quod exigit vt miremur. Tamen potius eſt argumentum admirandi, in quas exurgat virtutes panis in pectore hominis, qui eum præuio ſumpſerit apparatu. Huius habitatio eſt in excelſis, & munimenta ſaxorum ſublimitas eius: nam dæmoni ſunt inuij homines, quibus ſæpe obuia eſt communio; is enim

Ex Hiſtoria. *Sophronius in Prato ſpirituali, c. 79. Baron. tom. 6 annaliũ ſub ann. 523.*

Euchariſtia viſa ſpicas produxiſſe.

enim vt diuiſionis amans, non poteſt præualere in eos, qui veluti communione compacti, Dei vnione intima confirmantur. Ad hoc alludit Pſaltes, cùm ait. *Et vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.* Et rurſus. *Paraſti menſam in conſpectu meo aduerſus eos qui tribulant me.* Licet hîc exclamare cum Ambroſio: Si quotidianus eſt panis, quare illum poſt annum ſumis? caue ne hac eſcæ ſalutaris inediâ miſerè conſumaris. Faxit Devs.

Pſal. 22.

HOMILIA SEXTA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. Exordivm petitur à natura virtutum Theologalium, quæ etſi dicant illapſum Spiritus ſancti, ac proinde ſint ſupra hominem; tamen in adultis requirunt actum elicitum animæ, quæ cùm ſit addicta organis corporeis, petit res ſenſibus obuias quibus excitetur. Hinc Chriſtus in vltima cœna, diſcipulorum volens amorem acuere, de ſua inſtante morte texuit ſermonem, quo Ioannes amoris deliquium paſſus, recubuit in ſinu Domini Dei ſui. Vnde infero, ipſo inſtanti Communionis eſſe cogitandam mortem Chriſti, vt noſter amor inde æſtuet.

2. Hac præmiſſa diuiſione iſtius homiliæ, quæ eſt de recenſenda paſſione Chriſti, priore ſui parte, & alterâ de amore Dei, probo eſſe recolendam mortem Domini, inſtante Communione.

3. Infero poſteà, amorem hominum incalere, intuitu ſanguinis Chriſti effuſi noſtræ ſalutis ergò.

4. Demum finio Inſinuans, amorem Dei non eſſe corde tenus, ſed etiam diſcurrere vſque ad manus, id eſt, amorem non eſſe inertem, ſed ſe actione prodere: ideò eum qui Chriſtum amat, debere Chriſti patientis ſpecimen imitari.

PRÆFATIO.

ERAT RECVMBENS VNVS ex diſcipulis eius, in ſinu Iesv.
Ioan. 13.

Eſther. c. 15.

Assvervs *regio apparatu inſignis, è ſolio ſuo gemmis inſito & auro radiante, adeò rutilus emicabat, vt oculorum aciem Regina Eſther ſuo lumine perſtrinxerit: imo hac amantiſſima regni conſors deliquit animo, perculſa ſpecie præfulgida tanti Domini coruſcantis: ſic rem exhibet ſacer textus.* Ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, auroque fulgens & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu, cùmque eleuaſſet faciem & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput, conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus ac metuens exiuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis donec rediret ad ſe; his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater, tuus, noli metuere. *Glorioſa ſanè fuit illa Regina Eſther animi defectio, qua tanti Regis demeruit amplexus, vt ei ſuccurreret. Si tamen eam Reginæ gratiam conferas cum illa, quâ Dominus Ieſus Ioannem dignatus eſt in vltima cœna; Regina Eſther prorſus ingloria reputatur. Nimirum Chriſtus rutilis amore conſpicuus, mortem ſuam commemorans, Ioannem perquàm dilectum ſibi diſcipulum, tantis æſtibus amoris accendit, vt ille velut impos ſui, cordis deliquium inde pateretur. Non defuit diſcipulo prædilecto Rex & Dominus amantiſſimus; quippe eum amore languentem, pectore ſuo excepit, recubuitque Ioannes in ſinu Ieſu. Eſto ſit hæc gratia ſingularis, et tamen non inferiorem puto illapſum Chriſti in ſinum noſtrum, quando amore prænio Euchariſtiam accipimus, cuius ſpeciebus ſubeſt idem Ieſus editus ex Virgine Maria, cui ſupplices deferimus & accinimus hoc Angelicum melos.* Aue Maria.

Ioannes Euangeliſta in cœnâ ob amorẽ Chriſti cordis deliquium perpeſſus.

Bifariam homo poteſt amore in Deum agi, vno modo naturali, alio item ſupra naturam: Solius naturæ ductu homo in Deum dirigi poteſt, vt in primam cauſam, penes quam ſunt bonorum omnium prædiuites gazæ; & hic amor poteſt citra fidem ab homine Philoſopho, & Religionis inſcio comparari. Gratiæ tamen erit expers illa anima eo tantùm amore inſignis, quia hic amor alius eſt à charitate comite indiuiduâ gratiæ: eſt autem Charitas habitus deſuper infuſus, quo anima cietur in Deum, vt in bonum quo beati debet; ferri autem in Deum vt in beatudinem obiectiuam, eſt trans naturæ ſepta omnia ſpatiari. Eamobrem dicitur is modus diligendi Deum, virtus Theologalis, cui & competit eadem ratio, quæ fidei, & ſpei, quibus etiam nomenclatura Theologalis indita eſt. Vnde & exurgunt tres numero virtutes Theologales, ſuperioris quidem ordinis, ſed non omnia naturæ munia penitus abiurantis. Verbi gratiâ, licet, ſperare, nos fore beatos beatitudine neſciâ termini, ſit ſupra hominem, cui ratio nequit ſuggerere argumenta boni tanti; tamen miniſterio naturæ indiget ſpes actualis, eſt enim actus elicitus

Amore in Deum poteſt homo duobus modis ferri.

Ex Theologia.

S. Thom. 2, 2. q. 23. art. 2.

Virtutes Theologales ſunt ſuperioris ordinis.

Idem 2. 2. q. 18. art. 1.

elicitus à voluntate, quam percellit bonum æternum, vt futurum: voluntati autem vt fiat alacrior, ad ſuos exercendos actus ſuperioris ordinis plurima famulantur. Scilicet ea lumina, quorum ſuffragio, intellectus nouas rationes ſuggerit, vt perculſa voluntas ſeipſam vrgeat ad ſperandum aut amandum ea, quibus erat anteà minus idonea. Talia ſunt media omnia quæ conducunt ad hunc finem; merita videlicet infinita Chriſti Domini, demortuos homines ſuo ſanguine ſoſpitantis. Hac etenim recenſione pretij & meritorum Chriſti, quibus anima debet incumbere, deiecta ſpes erigitur, quam etſi Spiritus Sanctus euehat ad ſuperna; ea tamen naturæ, & ſenſuum indiget obſequio: debuit ſiquidem homo audire aut legere merita Chriſti, vt iis innixus ad bona quæ imminent, actus voluntatis elicitus efferatur. Eadem plane eſt de Chriſti amore ſpeculatio: etenim in Chriſtum Charitas animam non percellit, naturâ inſciâ; & eſto Spiritus Sanctus illapſus, voluntatem acuat atque perficiat; ea tamen eget aliquo fomite, accepto, beneficio ſenſuum, vt æſtuet, & amore ſuperioris ordinis in Chriſtum Dominum incaleſcat. Nimirum humanæ indolis inopia effectum eſt: vt etiam in diuinis anima emendicet aliquas ſpecies à ſenſibus; & huic ſe deliquio aptauit Dominus Ieſus, ſigno ſenſibili, id eſt Sacramento gratiam impertiens: imò in vltima cœna præmiſit multa ſenſibus obuia, vt ſuos conuiuas ad rem illam ſacram faceret aptiores. Eò pertinent omnia enucleata ſuperioribus homilits, & quæ aperiam ex themate præpoſito Ioannis Apoſtoli, qui vbi audiit inſtare mortem Chriſti, eam procurante Iudâ; demirans amorem magiſtri amantiſſimi, obeuntis mortem hominum ergô, eo amore in Chriſtum accenſus eſt, vt in ecſtaſim raptus recubuerit in ſinu eius, operante hæc omnia Paſſione Domini Dei recenſitâ. Vtque amoris æſtus intenſiur ageret diſcipulos ſuos, præter indictam mortem ſuam, ſuperiori textu accuſante proditorem, denuo propinando calicem, ſuam repetiit mortem, dicens eum eſſe Calicem ſanguinis effundendi ad diluenda peccata; inſinuans in ipſo Communionis articulo, mortis ſuæ noſtri gratiâ, & amoris in nos eſſe memoriam feruidè recolendam. Non etenim meditata Paſſio tantùm acuit zelum noſtrum ad vltionem criminum, quibus vtpote tortoribus occidit Chriſtus: ſed hæc etiam recenſio ærumnarum eius, atque cruciatuum quos vltra obiit, ſuadente amore vt nos redimeret, cordibus etiam amare neſcijs, amoris in beneuolum hunc parentem, ingens ſuggerit incremẽtum. Ne igitur deſim huic medio, excitandi amorem hominum in Chriſtum: Dicam primò, in ipſo inſtanti Communionis eſſe cogitandam mortem Chriſti. Secundò probabo illam memoriam maximè idoneam ad animas compellendum, vt ab eis vel inuitis, amor mutuus vltrò eidem Deo Domino rependatur.

Paſſio Chriſti recenſita Ioannem rapuit in ecſtaſim.

Homiliæ diuiſio & contextura.

Ex Profanis. Cic. lib. 3. de nat. Deorum.

Commento ſanè egregio genium amoris deſcripſit vetula ætas, cui fabulæ erant in myſterio, & vice ſacrorum. Finxit, amorem vixiſſe diu breuiuſculo corpore, & referente puerili ſpeciem: indignata Venus, Deos conſuluit quâ viâ exurgere poſſet amor; multis hinc, & inde varia referentibus, huic vni conſilio ſibi credidit inſiſtendum: Scilicet vt alium amorẽ ederet, qui ſocius eſſet alterius, fore enim eos æmulos, ita vt vno capiente augmentum, alius viciſſim excreſceret. Itaque ea morem gerens, alium amorem concepit ex Marte, qui dictus eſt ἀντερος, quaſi amori oppoſitus: fœtum hunc conceptum tandem enixa eſt tempore opportuno. Non defuit fides præſagio: colludentes enim puetuli mutuis creuerunt aſpectibus. Voluit hinc inferre non ignara rerum antiquitas, amorem fomite indigere, vt ardeat; nullumque eſſe argumentum validius ad ciendum amorẽ, quàm ſit præuius amor alter; qui noſtrum veluti ſopitum, ſuis obſequiis excitauit. Quomodo autem mutuus ille amor oriundus ſit à Marte Deo belli, & ſymbolo diſcordiæ, non liquet in humanis: quippe animi hominum concordes tantùm, coëunt amore reciproco; ſicuti ſecus à ſe inuicem diſſita ingenia odio diſpeſcuntur. Si licuit Pantheon rem profanam ſacram facere; ſi inquam fanum idolorum omnium ceſſit in ius & titulum Sanctorum omnium. Quidni, & fas erit ſuperiores hos amores Ethnicos aptare ſacris amoribus? cùm omnia quadrent, quibus vterqueamor Dei videlicet, & hominum rite coaleſcit.

Eros, & Anteros duo amores.

Vidit ab æuo Deus hominum corda fore tepentia, ac proinde amorem exiguum, & prope nullum, vt ergo incrementum aliquod adiiceret amori hominum, alium ipſe amorem exhibuit, natum ex bello atque diſcordiâ: cùm enim deteriores eſſent homines, & fuſtibus gladiiſque ſe armarent vt Ieſum caperent, tunc amoris eximij in homines edidit argumentum. Nimirum Euchariſtiam inſtituit eo tempore, quo Iudas refuga Apoſtolus traditurus erat illum hoſtibus ſitientibus eius ſanguinem. Hunc panem porrexit diſcipulis, quos ſciebat poſt ſex horas debere fugam capeſſere, & obliuiſci fidei cui eos addixerat: denique ſe totum amabilẽ exhibuit, eo maximè momento, quo in ipſum lethali odio homines æſtuabant. Et hoc nónne eſt amorem naſci ex bello atque diſcordia? quod vni tantùm Charitati conceditur: amor namque ſolo naturæ dictamine exortus, non fertur in hoſtes; aſt Charitas ſecus, omnia amplectitur, quæ ordinẽ habent ad vltimum beatumque finem, quem debent omnes homines inſectari. Itaque Charitas in homine inimico ſpeculans naturam beari idoneam, eatenus illum amat, quatenus fieri poteſt diuinæ gloriæ conſors, non autem vt eſt homo peccatis obnoxius, aut proximum ſuum exoſus, ideò ſubditur imperio Charitatis. Hunc ſuum amorem Deus prodit, vt homines ſuum etiam explicent, & tunc maximè amoris ingenui ſpecimen edidit, quando vitæ ſuæ iniit diſcrimen, multis præuiis iniuriis tacitè perpeſſis, de quibus antea præmonuit Apoſtolos, vt inde reſcirent amoris fuiſſe, quod tot & talia tormina ſuperarit. Nec fuit Domino ſatis eunti Ieroſolymam vltro pati, dixiſſe ſuis. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte.* Sed denuo cibaturus eos pane ſancto, volens ingerere typum animi ritè diſpoſiti ad illud cœleſte obſonium, triſtem ſuæ mortis memoriam reuocauit. Eò enim ſpectat illa commemoratio diſcipuli proditoris, & ſanguinis effundendi recenſio cum Calice, item & illa adiectio: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quaſi diceret: Quotieſcumque repetetis ſacras has epulas, & efficiemini

com

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 6.

Paſſionis Chriſti memoria amorem Dei accendit.

Matth. 20.

Luc. 22.

Euchariſtia debet ſumi memorando Paſſionem Chriſti.

compotes huius panis viuifici, præcipio ego, vt memoria veſtra meo ſangnine purpuraſcat. Et reuerà agnus iſte vult comedi cum ſanguine, ideò ſeparatim dato corpore, porrexit & ſanguinem in Calice; vt ſicut non fit remiſſio ſine ſangninis effuſione, ita nec in Euchariſtia vult ſuæ gratiæ latices effundere, niſi ſpecies ſanguinis fuſi totâ memoriâ diffundantur.

Ex Figuris. *Exod. 12.*

Fiet hoc dogma liquidius ex figuris quæ præierunt Euchariſtiæ; ſiquidem ſanguinis Chriſti luculenta illic commemoratio, ſub typo ſanguinis agni, vt videre eſt ex contextu. *Immolate Phaſe, faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem; nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque manè; tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cùmque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſiliet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Quid hæc ſonent, vt reſcias, ſunt hæc ſingula perpendenda. Nemo inficiatur Phaſe ſeu Paſcha fuiſſe quid prænuntium Paſſinnis Chriſti, quæ etiam contigit eo tempore, quo agnus ille Paſchatis edebatur ab Hebræis. Ad hoc Phaſe præludium erat faſciculus hyſſopi; graminis huius amaror ſatis ſuperque ſonat ærumnas, quæ ex Paſſione Chriſti copioſè & inſuper emerſerunt. Si igitur, ô anima, te vis accingere congruè ad epulas agni illius, collige omnem Paſſionis Domini Dei ſupellectilem, ſcilicet lanceam, flagella, crucem, & coronam ſeu ſenticetum in diadema textum, & inde tibi faſciculum componito; locuples enim inde exurget memoria mortis Chriſti, quæ debet eſſe præambula Sacramento. Vtque liqueret amplius figuram iſtam eſſe præuiam Euchariſtiæ, ſubiecit Deus. *Faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare.* Sanguis in limine eſt, de quo Chriſtus quaſi in limine Paſſionis, id eſt pridie quàm pateretur, ſermonem fecit; ſuperliminare hominis eſt mens ſiue intellectus, qui ſanguine aſpergitur agni, cùm Paſſionem Domini Ieſu anima meditatur. Vterque item poſtis oſtij cruore liniendus, id eſt vtraque animæ potentia, ſcilicet concupiſcibilis atque iraſcibilis ſanguine tingenda eſt Chriſti: hoc anima præſtat quando ex memoria mortis amantiſſimi Domini zelus acuitur eius partis, quam iraſcibilem vocant, ad hoc vt & morte ſua, Dei ſui omnes moleſtias vlciſcatur. Alter verò poſtis, id eſt pars concupiſcibilis, tincturam ſuam purpuream prodit, cum mortis ſacræ idea animam amore accendit in eum, qui ne deeſſet ſaluti hominum, defuit vitæ ſuæ, noſtrum ſic amorem mutuum ſibi perpetuò deuincturus. Quod egreſſum vetat ab oſtio, diuina illa ſanctio, altam attentionem ſignat, quâ recoli debet abditum myſterium, cuius impos eſt anima recollectionis impatiens, & per obuias quaſque rerum in omnium ſpecies ſolita diuagari. Tantique Deus facit memoriam illam ſuæ Paſſionis, vt aſſerat Angelum criminum vltorem, impunè tranſiturum ædes, ſanguine illo aſperſas; quaſi diceret Dæmonem Angelum percuſſorem, qui animas tentando ferit, cùm pelliciet animas ad peccandum, proſtraturum equidem multas, ſed contra iſtas ſanguine Chriſti rubentes, conamine irrito pugnaturum.

Phaſe fuit typus Paſſionis Chriſti.

Hyſſopus quid myſticè ſignificet.

Memoria Paſſionis debet præire Euchariſtię.

Paſſionis Chriſti memoria præcepta.

Paſſio Chriſti refricata miros effectus parit.

Dicere auſim Deum parcâ manu influere in eos, qui accedunt ad altare immemores Paſſionis eius; & hoc in pœnam deliquij, quo peccant in intentum Chriſti, qui etſi ſuppeterent multi modi componendi ſe ad Euchariſtiam, aliis tamen veluti tacitis, mortis ſuæ potiſſimum memoriam inculcauit. Conſonant ea quæ Bernardus fusè ſcribit, idonea valde meo ſenſui. Sic ille. *Vt validiùs compungamur, vt amplius moueamur, & curramus per omnia, reuoluamus ſingula, contexendo reſticulum, connexendo funiculum, conuertendo faſciculum, de omnibus, & ſingulis quæ facta referuntur: de humili Dei Filio, de ſummo Patris vnigenito, de redemptore piiſſimo, de amantiſſimo fratre noſtro: occurrat itaque virtualiter, & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus, & venditus à diſcipulo, à Iudæis tanquàm vile mancipium pretio comparatus ſatis exiguo, captus, tractus, & ligatus tanquam homo ſine adiutorio, ſciſſo etiam verberibus dorſo, vellicatis genis, facie ſputis illitâ, puncto vepribus capite, ſaucio latere, terebratis palmis, pedibuſque confoſſis, qui tanquam iugulatori ſuo alludens ſeipſum non reluctans expoſuit, & nudum corpus, quaſi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit, dum pro nobis per huius vitæ pelagus, ad patriam de exilio transferendis, rapacibus pyratis naulum propria mortis exoluit.* Hæc ille.

S. Bernard. ſermone 2. de Paſſione.

Paſſionis Chriſti memoriã Bernardus commendat.

An non eò reſpexit ſponſa, quando ait. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur:* id eſt, memoria Chriſti Paſſionis eſt mihi inſtar duorum vberum, quibus abundè potor illius ſanguine, & adipe ſatior, vtrimque ſaginata. Bernardus myſterium aduertit in eo, quòd memorato faſciculo myrrhæ, ſponſa ſubiicit eumdem dilectum ſuum eſſe botrum cypri, licet illum myrrhæ faſciculum antea nuncupaerit: vt inde reſciat anima id quod ſupra recenſui, ſanguinem videlicet aſperſum tutari domos, & acerbitatem Paſſionum Chriſti mentes mirâ dulcedine afficere, dum cogitant ſe priſcis flagitiis emortuas, iam reſperſas Chriſti ſanguine ſurrexiſſe. In cuius rei typum, in cruce myrrhâ potatus eſt, & rurſus myrrhâ delinitum eſt corpus illius exanime. Arridebunt mea ſenſa magis, ſi vadem habeant aliquem Sanctorum Patrum; accipe Bernardum. *Non prætermittam myrrham, quâ in cruce potatus eſt, ſed neque illam quâ vnctus eſt in ſepulturam, quarum in primâ, ſibi applicuit meorum amaritudinem peccatorum, in ſecundâ futuram mei corporis incorruptionem dedicauit. Præmiſſum erat in proximiore verſiculo: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: ſcilicet Chriſtus ſecundùm carnem; botrus verò Cypri Chriſtus eſt ſecundùm deitatem: faſciculus myrrhæ Chriſtus in Paſſione; botrus Cypri Chriſtus in reſurrectione: faſciculus myrrhæ grando, & tonitrua Iudaicæ tempeſtatis; Botrus Cypri deſtructio totius aduerſariæ poteſtatis: faſciculus myrrhæ multitudo afflictionum; Botrus Cypri abundantia gaudiorum, illinc amaricans, iſtinc inebrians.* Hæc ille.

Ex Figuris. *Cantic.*

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. ſermone 2. de Paſſione.

Paſſionis Chriſti effectus.

Myrrha quid morale ſignificet.

Rurſus idem Sanctus, velut alludens ad duos animæ poſtes, ſanguine Chriſti tinctos, id eſt ad duas facultates iraſcibilem, & concupiſcibilem, quas excitare debet memoria Paſſionis Domini, vt homo iraſcatur nefandis actibus, & amore Chriſti Domini Dei percellatur. Ille, inquam, Bernardus idoneè ad Euchariſtiam accipiendam ſic diſcurrit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus*

Idem vbi ſuprà.

Paſſio Chriſti habenda eſt in corde.

mihi, inter vbera commerabitur; ibi enim eſt cor, & vbi eſt cor, ibi dilectio; & vbi dilectio, ibi dilecti manſio; nouit autem quicumque rectè ſapit, quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Dei ſeruum deceat, ſacroſanctæ Paſſionis ipſius, fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientiâ, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoriâ, quod eſt ſpiritualiter manducare corpus Domini, & ſanguinem eius bibere ob amorem, & reuerentiam eius, qui credentibus in ſe præcepit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Hactenus ille.

Ex Figuris. *Leuit. 6.* Paſſio Chriſti memorata amorem acuit.

Quia res ea maximè fuit cordi Chriſto, quem nihil æquè afficit ſicuti memoria Paſſionis eius: eamobrem multifariàm olim indixit illum ritum, ad quem pertinet iſte Canon. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum; ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Sacerdos ſeu Eccleſiaſtes ſacer, morem gerit huic decreto, quando mouet lignum crucis debere anteire Euchariſtiam: quippe hoc ligno paſcitur ignis amoris, nimirum hoc lignum ſanguine Chriſti pingue, ſubitò concipit flammas amoris quibus nihil remorante incendium, totum incandeſcit. Eò ſpectant quotidianæ paræneſes ad amorem Dei, recenſitâ Paſſione eius, quam eſſe fomitem maximè idoneum ait Richardus. *Facit Charitas vt pro ipſo, vel in ipſo mori non metuans, ſed affectans à quo ſic amari ſe vident, vt ne morerentur ipſi, morte turpiſsimâ voluit condemnari. Paſsionis eius ludibriis, quaſi quibuſdam aculeis incitati, feruntur effrænes in amoris abyſſum, in profundum Charitatis.* Ait Deus ignem altaris ſui ligni admoti ſuffragio fore perpetuum: quia reuerà amor ex Paſſione Chriſti oriundus, neſcit deficere nec extingui. Nec aliud fuit argumentum, quo magis fuerint capti priſci Patres, habituri ſermonem ad populum, memores prælibatæ legis de fouendo igne illo, cuius ſcintillæ cœlitus elapſæ ſunt, ne ſubducto alimento flammis illis ſuperis, magno noſtro diſcrimine protinus euaneſcant. Is fuit Auguſtinus, ſic repetito ſermone, amorem ingeminans. *Quotidianum ſermonem de dilectione facimus, ſi fortè ſcintillet in cordibus veſtris, & exardeſcat ignis flammam faciens, aut totum conſumens, aut purgans totum; ex eo namque totum eſt quod bonum eſt.* Eumdem Auguſtini ſpiritum Richardus ebiberat æſtuantem. Etenim ille ſic fatur. *Vrget me Charitas de Charitate loqui, ſapit enim ſupra modum cordis palato, quod Charitate conditur.*

Ex SS. PATRIBVS. *Richardus à S. Victore tractatu de gradibus Charitatis.*

S. Auguſt. lib. de dilectione. Charitas quàm placita Auguſtino. *Richardus vbi ſupra.* Charitas dulce ſapit.

Ex Hiſtoria. *Petr. Matthæus in Hiſtoria ſua an. 1599.* Philippi II. Regis Hiſp. mors conſtans & Catholica.

Ineſſe quid vitale morti parentum noſtrorum, & præſertim cùm quid illud tragœdiam ſapit, fecit palam in ſupremo agone Philippus ſecundus Rex Hiſpanus, qui quadraginta propè annos egeos regni ſui, decumbens morbo quo reſoluta caro abibat in ſaniem, Rex pius, & reuera Catholicus filium ſuum cui imminebat regnum voluit aduocari. Eo aſtante Rex reuoluta ſindone, filio diffluens corpus ſuum & quaſi exanime oſtendit, cuius aſpectu, filius optimi parentis, & ipſe non degener (æuum enim egit innoxium) ſtatim abiit in lacrymas, quas adhuc Regis obeuntis ſermo ſerius vberiores excitauit. Quippe ſic pater filium affatus eſt. Fili ne animo verſa eam illuſtrem proſapiam quâ ſatus es; ne Auſtriaco ſanguine typhus emineat; excidant animo mea egregiè facta, aliaque omnia heroica facinora, quæ etiam inuitâ fortunâ glorioſè tui proceres exantlarunt. Hoc vnum volo inſideat tibi, ſcilicet quo genere fati, & quâ ſorte eripior: hoc vnum de tuâ ſalute ſollicitus inculco. Memento mortis meæ; ſpecies enim illa tibi diuturna tædium ſæculi iſtius ingeret, futuri verò expertis malorum omnium ſummum ſuggeret appetitum. Æmulatus eſt ille præpotens Princeps, Chriſti morituri ſuprema eloquia, quibus de gloriâ ſuâ, aut aliis attributis æternis meritam ſibi noluit texere panegyrim; hoc vnum inſitum eſſe voluit, vt memores eſſent mortis quam obibat: ait enim ſuis. *Hoc facite in meam commemorationem*: id eſt, quâ morte defungor, diu mementote. Nimirum hæc idea mortis meæ amorem ſimul & odium vſquequaque pariet; amorem quidem, quia veſtræ ſalutis gratiâ, meum diſcrimini caput obiicio; odium etiam vehet ſecum illa memoria, armatura zelum veſtrum in quæque facinora, quibus meo ſanguine diluendis, iſta hæc myſteria conſummantur. O arcanum! non vult conſiderari in Euchariſtiâ rutilans infulis deitatis, vt rerum omnium potiens, & Opifex ſummus; ſed iubet nos adſtantes menſæ ſuæ, meminiſſe mortis illatæ noſtro piaculo: ſciebat enim gloriam perſtringere oculos; ſanguinis verò aſpectum, quaſi aculeis ſtimulare zelum, & animos deſides excitare. *Leuit. 22.*

Eo humili apparatu conſiderat Ambroſius Chriſtum. *Aſcenſurus crucem, regalia veſtimenta depoſuit, vt ſcias, quaſi hominem paſſum eſſe, non quaſi Deum Regem: indicio quaſi victor aſſiſtit; ad Paſſionem tamen quaſi reus humilis venit. Currum ſuum triumphator aſcendit, non arborum truncis, aut quadriiugis plauſtris manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed patibulo triumphali, captiua de ſeculo ſpolia ſuſpendit, non hic reuinctis poſt tergum brachiis gentes, nec exciſarum vrbium imagines, oppidorumque captorum ſimulachra cernimus, aut ſubmiſſa captiuorum colla miramur, Regum qualis humanorum ſolet eſſe ſpecies triumpherum, nec victoria terminos, regionis fine diſtinctos; ſed ouantes populos nationum, quæſitos non ad ſupplicium, ſed ad præmium.* Pompam hanc fuiſſe totam, non de faſtu, ſed de humili Paſſione, pergit deſcribere idem Sanctus, cuius in contextum. *Refert conſiderare qualis aſcendat, nudum video, talis ergo aſcendat, qui ſeculum vincere parat, vt ſeculi adiumenta non quærat: victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſiuit; vicit ille, qui tegumenta depoſuit: talis aſcendit, quales auctore Deo natura nos formauit; talis in paradiſo primus homo habitauerat; talis ad paradiſum homo ſecundus intrauit. Et vt non ſibi ſoli, ſed omnibus vinceret; manus extendit, quo omnia traheret ad ſe, & cœleſtibus ea quæ prius erant terrena ſociaret.* Hæc ille.

Ex SS. PATRIBVS: Crucifixus quare ſua veſtimenta depoſuit. *S. Ambroſ. lib. 10. in Luc. c. 18.*

Crux eſt triumphalis currus Chriſti.

Nudus quare Chriſtus in crucem aſcendit. Crucifixi conſideratio moralis.

Suſpexere ſuum Hebræi Samſonem dum viueret, vt ſuæ gentis tutorem acerrimum, qui ſæpe lethifer ſuis hoſtibus incubuit: tamen mors illius licet ingloria, quia ceſſerat Samſon in ius hoſtile, magis fuit benefica Hebræis, quàm ſeries tota vitæ illius: moriens enim Samſon, inimicorum ſuorum ſumma capita debellauit. Tumulo eius glorioſo hanc ſcriptura ſacra inſcripſit epigraphem. *Concuſſis fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quàm ante viuus occiderat.* *Iudic. 16.*

Ex SS. Patribus.

Quaſi diceret ſacer ille textus: ex morte illa Samſoni iniuriâ, triumphos tamen plurimos emerſiſſe. Hinc ſtrenuus ille Heros, morte ſuâ deſiderium ſui fecit ardentius, quàm integer & ſuperſtes. Ita & Chriſtus, licet toto vitæ contextu fuerit homini ſalutaris, tamen penes mortem ſuam voluit eſſe complementum redemptæ proſapiæ: & eamobrem dixit moriens, eſſe omnia effuſo ſuo ſanguine conſummata. Etenim inferas acies moriens fugit, Chirographum mortis & peccati cruci affixit, peccatorum omnium næuos expunxit, & maculas terſit, hominum omnium captiuorum manicas, & compedes ſoluit, & vinctis reſerato carcere dedit aëre liberiore frui. Denique moriens etſi iniuriè, omne genus hominum exanime, fecit ſuo ſanguine rediuiuum.

S. Ambroſ. libro 10. in Lucam c. 19.

Hanc bonorum omnium ſegetem vberrimam colligit Ambroſius, hac luculenta oratione explicans exorta chariſmata ex triumpho crucis: ait enim videri in hac pompa. *Reges liberis affectibus adorantes, voluntariis vrbes ſtudiis deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expreſſeris, ſed deuotio colorauerit, fides arma victoriarumque iura toto orbe currentia, captiuum principem mundi & ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, obedientia imperio vocis humanæ ſubditas dominationes, variarumque virtutum ſpecies, non ſericis, ſed moribus emicantes. Fulget caſtitas, fides ſplendet, & induta mortis exuuiis deuotio iam reſurgit. Fecit omnes iam homines triumphatores crux Domini: ſolet præcedere pompa victores; at verò currum Domini triumphalem præibat pompa bona reſurgentium defunctorum. Solet etiam titulus ſubiugatarum gentium numerum deſignare. Sit in illis triumphis, ordine quodam digeſta miſerabili, deuictarum præeuntium contumelioſa captiuitas nationum; hic redemptarum gentium vernat gratia, digni tanto triumpho iugales, vt cœlum, terra, maria, inferna à corruptela mutentur ad gratiam: ſcribitur autem titulus, & ſuper crucem ponitur, non infra crucem, quia principatus eius ſuper humeros eius.* Hactenus Ambroſius.

Triumphus Crucifixi qualis extiterit.

Morborum quàm ſint variæ cauſæ.

Hæc meditare, homo, qui neſcius es rerum, quas debeas recolere acceſſurus ad altare: cogita te ſanguinem bibere, cuius effuſio te totum debet effundere in amorem Dei: puta te corpore paſci, quo tu ſurgis emortuo: mortem illius animo verſa, cuius iniuriis (niſi obſtes) aliquando ad gloriæ apicem eueheris. Nec obiicias, horrere filios corpus emortuum patris: imò verò quotidiana praxi, quæ rerum magiſtra eſt, videre eſt filios imbecilles & parum firmæ valetudinis, aperto & diſſecto corpore parentis extincti, ſuam ſalutem dubiam aucupari. Res namque medica docet alios eſſe morbos qui accidunt ob ὑποδεκτικὰ, id eſt cauſas inſitas à natura, quæ vim habet ad gignendos hos morbos; alios verò morbos eſſe congenitos & eductos ex vtero, medici vocant γεννήματα, συγγενικὰ, σύμφυτα, σύνηθεα, morbos huiuſmodi, medici referunt filios à parente velut ex traduce contraxiſſe. Vt occurratur prauo habitui, inſpicitur apertum cadauer extincti patris; luſtrantur præcordia, vt immaturæ mortis petatur indicium; inquiruntur ſemina morbi, qui præcoci fato poteſt totam delere prolem; demum eſt filiorum ſalus, patris mors præceps ſe-

Ex re medica.

Duretus lib. in Coacas Hippocratis.

dulò cogitata. Hoc ſanè fuit argumentum Chriſto inſinuandi nobis mortem ſuam, vt qui noſtra diluenda piacula aſſumpſerat, ingloria morte ſua; defunctus oſtenderet cauſas earum quas hominum gratiâ tulerat ærumnarum. Ideò ſibi voluit aperiri latus corpore exanimo, vt fieret palam cauſa necis properæ: & reuerà patuit duplex cauſa; vna fuit penes nos noxios & reprobos homines, quorum repetita diu crimina ei mortem intentarunt.

Amor Chriſtum morti fecit obnoxium.

Altera verò cauſa fuit amoris æſtus quo Dominus ille amantiſſimus ceſſit fatis eo prope modo, quo Pariſiis olim Legatus Hiſpanus. Ille florente ætate, & vegeto corpore, nobili ſtipante caterua occidit exanimis; ſtupentibus verò omnibus, neſciis cauſæ præcipitis fati, cadauer feruidum aperitur. Fuit ſanè prodigij in modum, videre cor hominis, in quod ruptâ venâ ſanguis ebulliens irruperat, excreuiſſe in eam molem, cui omne aliud cor impar erat: ait enim Laurentius medicus regius, qui præfuit huic operi, cor illud ſanguine affluente intumuiſſe adeò, vt globum capitis adæquaret. O Dei amorem, & fornacem idoneam ſanguini decoquendo! ſeipſum Chriſtus ferre non poterat præ amore; lectulus amori eius congruus fuit ſternendus, nimirum crux, ſtratum reuerâ congruum tanto affectui, quo æſtuante cruor Domini Ieſu feruidus ebulliuit: ebulliens autem ſanguis rarior effectus, cor peruaſit, dum deſiderio deſiderans mori Chriſtus Dominus, aperiens ſuum hunc affectum, quo incalebat anxius, intumere ſuum cor prodidit nimio ſanguine: omnis enim ſanguis in cor eius irrepſerat; quia quidquid cruoris inerat venis, illud totum auido interitus ſui corde refundebat, nec alia prorſus cauſa mortis eius extitit immaturæ; ſiquidem corpus exanime lanceâ apertum, copioſum adhuc ſanguinem fudit è latere, quia cor ſanguine tumens, & mole ſuâ totum occupans pectus, cuſpidi lanceæ fuit obnoxium: eamobrem emerſit magno effluxu, ſanguinis ſtagnantis tota congeries, corde Domini Dei lancea terebrato. Ne igitur horrorem metue, ô anima Chriſtiana, recolens mortem parentis inclyti: ſi quis enim oboriatur horror inſpecto corpore illo extincto, is erit de peccato odio habendo, & hic ſanè ſalutaris horror pertinens ad peccatum, & non ad vulnera Chriſti, quæ mutuum amorem ingerunt in calentem animam, Domini Dei ſanguine recenſito. Dicere non cunctabor, amorem, cuius eſt afferre deliquium cordis, referre etiam contagium paſſi ſui deliquij, ſi quis cor attrectet quod deliquit. Et ideo monuiſſe Chriſtum Apoſtolos ſuos, de recenſendâ morte ſuâ ante Euchariſtiam, vt animo verſantes cor ſuum extinctum amore nimio, fierent vtrique conſcij eiuſdẽ deliquij, ſimili incendio conflagrantes. Vtinam arderent omnes eo amoris contagio, quod facile eſt concipere meditatâ morte Chriſti: quemadmodum enim oleum igni adiectum, flammas adauget; ita & amorem acuit ſanguis Chriſti, quem ſponſa Canticorum nũcupat oleum, ait enim eſſe oleum effuſum nomen eius. Quid igitur cunctaris? Vt quid alges, homo? Et quare es amoris indigus; igni tuo prope non extincto adiice oleum effuſum, ſcilicet ſanguinem Chriſti, & poſtmodum incaleſces. Nimirum coeunt in morte Chriſti Domini omnia, quæ amorem alicui inurere poſſunt, ſcilicet bona ea omnia, quæ vrgere poſſunt

Legati Hiſpaniæ mors ſubitanea vnde.

And. Laur. in hiſtoria ſua Anatomica.

Amoris fuit apertio, ea, quæ Chriſto mortuo facta eſt in latere.

Amoris exhortatio.

Paſſio Chriſti nobis omnia conciliauit bonorum genera.

hominem ad affectum: trimembris enim boni diuiſio in vtile, delectabile, & honeſtum, ſuas illic agit vices, animum pellicere præpotentes. Imò affirmo, non eſſe hominis (ſaluo tamen libero arbitrio) non accendi amore, ſi ſeriò Dei Domini attendat mortem, charitate in homines maximè conſpicuam; & huic meo aſſerto, philoſophiæ faces multiplices ſuo lumine famulantur.

EX PHILOSOPHIA:

Ariſtoteles lib. 5. Ethic.

. . . . Idem lib. 1. de Rep. cap. 1.

. . . . . . Idem l. 3. de anima cap. 10. & l. 6. Topicorum. cap. 4.

Philoſophia ſic arguit: vt ſe habent animæ facultates exteræ, ſcilicet ſenſus ad ſua obiecta; ità & internæ ad ſua: vtrobique enim par ratio in attingendo obiecto; ſed dato obiecto congruo vnicuique ſenſui, debito modo elicitur ſenſatio: ita & potentiæ intrinſecæ datis obiectis idoneis, & congruo modo, poterunt ab actione ſua minimè feriari. Verbi gratiâ, bonum cognitum voluntati obiectum, eam illicò pellicit: quo igitur amplior erit alicubi ratio boni, vegetior etiam erit actio voluntatis efferentis ſe in tale obiectum, cuius appetitus dicitur amor: ſed in morte Chriſti maximum apprehenditur bonum ab homine; ergo etiam inde debet exurgere maximus appetitus. Maximum apprehendi bonũ liquet ex ratione boni, quæ ſita eſt in conuenientiâ: quò enim maior eſt conuenientia, id eſt quò magis res alicui conuenit, eò magis appetitur; ſed adeò conueniens fuit ſaluti noſtræ ſanguinis Chriſti effuſio, vt citra eam nequiuerit homo ſoſpitari: ergo non algebit amor noſter, circa bonum nobis adeò vtile, vtpote à quo omnis noſtra ſalus. Rurſus omne bonum ſuas illecebras in effuſione ſui aſpergit: quò namque res eſt ſui diffuſiua, eò maiores etiam cupedias cordi inſinuat; ſed in morte ſuâ Chriſtus totum ſe effudit noſtri gratiâ: ergo cogitata eius morte; erit & amantiſſimus ille parens maximè diligendus. Tandem nihil æquè amorem allicit quàm præuius alter amor, & præſertim ſi ſit alicuius amore digniſſimi; aſt Chriſtus prior dilexit nos, tantus tantillos, idque gratis, amoremque ſuum ſanguine teſtatus eſt. Quis iam ibit inficias, deſipere homines, qui Domini Ieſu paſſione frigent, & Deum hunç amare deſinunt incunctanter. Adiice argumentis tanti amoris, bonum maximè arietare in corda noſtra, quando & media explicat, quibus cedere queat in ius noſtrum: tunc etenim velut agmine facto ſeſe colligunt auſus noſtri & cuncti appetitus, vt propoſitum bonum tantis ſtipatum illecebris, totis niſibus aucupentur. O anima amore Dei ſaucia, demirare mecum optimi patris æſtum, quo anhelus amans, noſtrum volens amorem deuincire ſibi, ea omnia præſtitit, quæ vel ipſa ſæculi philoſophia valuiſſet exigere: ſcilicet homini exhibuit vtile, delectabile, & honeſtum, bona videlicet omnia quæ in ipſo coeunt eminenter. Et ne homo laboraret inueſtigans ſphæram tanti boni, prouidus ille Deus quotidie hoſtiam ſacram obiicit nobis, quæ circulo ſuo veluti ſphæra intelligibili concludit omne bonum, & occurrens dubiis, quæ poſſint emergere circa media tale bonum aquirendi, præmonuit meditationem ſuæ mortis eſſe ad fruitionem hoſtiæ præpotens argumentum.

Bonum quomodo ſe cõmunicat.

Boni ſunt tres ſpecies.

Ariſtoteles l. 3. Ethic. c. 4. ex Tullio. 5. Tuſcul.

Quid amorem loquor enaſcentem, ex paſſione Domini meditata; non is tantùm exurgit modo vernaculo, ſed etiam ad langorem, vt videre eſt in themate iſtius homiliæ, quo Ioannes auditâ perfidiâ Iudæ, & expenſo amore Chriſti ferentis coram perfidum hominem, eo amore in Chriſtum eſt actus vt velut impos ſui coactus ſit in ſinu Domini recubare. Eodem & amore Dei percita ſponſa, nonne deficiente voce, & velut elingui ſuſpirio ait: *Amore langueo.* Sicut enim Philoſophus ait, excellens ſenſibile lædere ſenſum, vt videre eſt in oculis, quos offendit ſol rutilus; ita & res valde amabilis infert animi deliquium, homine fatiſcente. Eamobrem non hæreo in ecſtaſi Ioannis Apoſtoli; ſiquidem ei obuio amore Chriſti, non potuit non liquari corculum diſcipuli, prope Domini & magiſtri clibanum accenſum: imò ſi inſinuata ſua morte, Deus non accendiſſet amore ſuo cor Ioannis, hoc ego vice prodigij demirarer; & hoc me attonitum tenet, poſſe quidem hominem deficere ad intuitum amoris alterius hominis, & tamen parum aut nihil omnino affici amore Chriſti, cuius etiam vita deliquium paſſa eſt, ne nos vita deficeret: & hoc ingrati animi notas clamat, ſolis reuerà flammis inferis expungendas.

Ex Hiſtoria.

Beroaldus l. epigramm.

Tancredi filia amore mortua.

Hiſtoria Sicula ſpecimen amoris eximij obiicit, quod etſi quid profanum ſuboleat, nihilominus ad ſolamen amoris imbecilli, ancillari poterit & rei ſacræ; adeò enim affinia ſunt phyſica & moralia, vt mutuo obſequio ſuum ſibi præſtent impigrè famulatum. Accipe igitur typum amoris, quem vtinam & ſequaris in procinctu Euchariſtiæ. Principi Salernitano Tancredo fuit filia, moribus ingenuis, & in eam venuſtatem compoſita, cuius aſpecto ardere poſſent ipſi etiam impotes amoris homines: eius formâ captus nobilis adoleſcens, virginem hanc feruidè deperibat: non renuit caſta quidem obſequia viri virgo ingenua, ferum eſſe reputans, amorem nolle rependere ei, qui amore præit; ſed vt gliſcente amoris æſtu magna exurgunt incendia, eò amoris deuentum eſt, vt ambo igne reciproco conflagrarint. Non erant ſui iuris, depaſcente eos flamma, quæ cùm ſit edax cordium, ſuos toto corpore ſpargit ignes, qui præſertim emicant in oculis, quos Poeta nuncupat in amore duces: demum ſerpens amor abditus ſe prodidit verbis anhelis, atque colloquiis fortaſſe plus nimio repetitis. Puellæ parens Princeps omnia tuta timens, ſenſit æſtum quo amantes deperibant ſe ſe: iniquo animo tulit, iuuenem hominem fortunæ imparis amare filiam ſuam alterius reuerà ſortis, ſtatuitque apud ſe, diffuſas has radices amoris nimij, quo ardebat adoleſcens ille, in perniciem ſuam gladio reſecare. Vtque Principum ſæpe coëunt velle & poſſe, quod molitus eſt facinus egit, ſed impium & ferale; ſcilicet conducto ſicario, iuuenem hominem tulit è medio, apertoque eius pectore exeruit cor, poſitumque in diſco argenteo ferale munus ſæuus Princeps miſit in filiæ ſuæ cubiculum, vt ea hoc amatorio ferculo paſceretur. Expauit primò puella ſanguinis aſpectu, vt eſt imbelle hoc hominum genus; ſed vt ſui compos effecta eſt (quis fallere poſſit amantem?) cor extinctum proci agnouit ſuo ſanguine purpureum, & licet in diſco ſileret cor elingue, non tacebat amor nunquam exanimis: emortuum cor illud vrgebat illam, vt ſimili hoſtia, ea ipſa victima effecta mortuo parentaret: minimè obſurduit virgo; ſanguinis quippe loquacis ſupremos excepit ſonos, quibus

Amor nequit decipi.

peteba

petebatur illius cor, vt cordis exerti iniqoè, etiam ipſa adæquaret ſortem: non inuita dedit manos, ſed vltrò ſe aptauit ad liberam mortem, cordi adhuc æſtuanti, corde ſuo etiam exanimo litatuta. Morris ſuæ voluit eſſe præludia, hos inctus in patrem: Incaute parens, peſſimè à te conſultum eſt, & pudori meo, & vitæ meæ: credidiſti fore cor meum liberum, enecato, corde dilecti: erit ſanè, ſed alia libertate, quæ animo tuo non inſedit: exiſtimaſti credulus ſupra modum, facturam me finem amandi, reſcito fine nobilis amantiſſimi; equidem faciam, ſed profectò eum quem tu poſtea deteſteris: hæc in ſupremo agone effata eſt. Demum amore eius incalente eo incremento, quod abdebat intuitus impij ferculi; ruens in amplexus cordis depoſcentis de ferculo cor illius, moltis infixis oſcolis, ait: Eodem fato diſpereo, quo & tu, dilecte mi; eodem amoris occido ſpiculo; par pari refero; corque meum rependo tibi meo corculo, quo extiocto tædet me viuere, ad omnia nauſeantem. In his extincti cordis amplexibus delinquens animo, imponitur lecto, vbi amore ſaucia animam egit, referens argumentum amoris indubij. Pater ſerâ pœnitentia ſuum facinus diluit ea ratione; ſcilicet ſanciuit, vt in vtriuſque corporis exanimi ſolatium, eodem tumulo duo illa corpora conderentur.

Euchariſtiæ condimentũ eſt meditatio paſſionis Chriſti.

Eodem propè fato occidit Chriſtus, ſaucius amore noſtri: cor ſuum è diſco argenteo porrigit in altari, quando Euchariſtiam è patena ſacrificus homo profert. Quid cunctaris amore moti, ô homo compos huius cordis? Quid tua amoris flamma tepet? Cordi ſacro tuum repende corculum, & ſic amoris à Deo quæſiti vices integras adimplebis. Iure canonico admonemur huius communicandi ritus: ait enim Canon, ardere affectus noſtros, ſi amorem & ærumnas Chriſti verſemus animo. Sic habet textus. *Et Apoſtolus de vnigenito Dei filio: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: cùm ergo anima fidem habet his dictis, & conſiderat magnificentiam gloriæ ipſius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus ac talis obediens fuit Patri vſque ad mortem, pro noſtra vita; puto quod prouocari poſſit ad affectum; & dilectionem ipſius, & Dei Patris, qui vnico filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Talem ergo affectum, & fidem præparare debet in animo ſuo is qui calicem Domini percipit.*

EX IVRE CANONICO:
Can. Timorem. §. Et Apoſtolus de conſecratione diſt. 2.

Parentes lugeri debent à filiis.

EX IVRE CIVILI.
Leg. Parentes ff. de his qui not. inf. Leg. 1. ſententi. de ſepulchris & lugendis. Cuiacius obſeruationum. lib. 21. c. 12.

Imò & Iure Ciuili iubentur filij lugere parentes exanimes, amorem ſuum lugubri aliquo indice teſtaturi. Sic habet lex. *Parentes anno vno lugeri poſſunt; qui contra fecerit, infamium numero habeatur.* Cuiacius legum fidus interpres, erroris inſimulat Trebonianum, qui expunxit infamiam ex hoc textu, quæ tamen apud Vlpianum, & Paulum, priſcos iuriſperitos inuenitur. Hinc arguo: ſi lege Cæſarea notaotur infamiâ filij, qui parentes non lugent anno vno, à quibus vitam accepêre conſciam malorum omnium; debemus toto æuo noſtro lugere mortem eius patris, à quo non accepimus tantùm eſſe, ſed & bene eſſe: rurſus ſi fati, cuius rei non ſunt filij, iubentur tamen deflere ſortem; quæ obligatio incumbit nobis lugendi mortem Domini Dei, quam nos intulimus multo crimine perpetrato. Adiice præceptum explicitum Chriſti, quo voluit recenſeri mortem ſuam quotieſcumque ſiſtemur altaribus, corporis ſui ſacri pane viuifico ſaginandi. Hoc decretum inſinuat Paulus. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* 1. Cor. 11. Sed quid Apoſtolum commemoro, cùm ei præeat Chriſtus Dominos, mandans hanc lugubrem ſui fieri memoriam. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Quæ ſuprema parentis hominum verba, debent ſummam inferre reuerentiam, eam vtique, quæ citra aliam legem potis eſt ad iuge obſequium omnes homines ſibi deuincire.

Paſſio Chriſti cur memoranda.

EX SS. PATRIBVS.
S. Bernard. ſerm. 2. de Paſſione.

In ea fuit mente Bernardus, à quo hæc accipe ſenſa, verè ſacra. *Credentibus in ſe præcepit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem; in quo etiam, quàm impium ſit hominem tantæ pietatis Dei eſſe immemorem, palam eſt omnibus, cùm amici morientis, vel peregrè proficiſcentis commendatam ſibi ſub aliquo ſigno memoriam, nefas ſit obliuiſci: ſiquidem huius reuerentiæ commemorationis myſterium ſuo modo, ſuo tempore, ſuo loco, celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum eſt myſterium; rem verò myſterij omni tempore, & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum eſt, id eſt debita pietatis affectu, & ſanctæ imitationis effectu agere, tractare, & ſumere in ſalutem cunctis fidelibus in promptu eſt.* Quid ſit autem meminiſſe mortis Domini, explicat idem Sanctus, aiens eſſe, ſe præſtare ſequacem ærumnarum eius, in teſtimonium amoris, ſicuti olim gentibus exoticis & Barbaris, argumentum amoris in Regem erat iiſdem ſe ſauciare vulneribus, quæ Rex exceperat: ad hoc Bernardus alludit, dum ſequentia edidit hoc contextu. *Quoties in commemorationem eius, qui pro te paſſus eſt, piè ac fideliter Chriſtum imitando fueris affectus, & deuotus, corpus eius manducas, & ſanguinem eius bibis, & quamdiu in eo manes per amorem, ipſe verò in te per iuſtitiæ ſanctitatiſque operationem; in eius corpore, & membris eius computaberis, & ideo ſi amas animam tuam propter Chriſtum, perdere debes eam, ſiue ponendo eam vt martyr ſi neceſſitas exegerit, ſiue affligendo diſtrictius vt pœnitens, quanquam & genus martyrij ſit, ſpiritu facta carnis mortificare, iſto nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem moleſtius.*

Imitatio Chriſti amoris eſt indubium indicium.
Diodorus lib. 4. c. 1.

Mortificatio eſt martyrium.
S. Bernard. vbi ſupra ſerm. 2. de Paſſione.

Ferias exoſus amor meditatur ſemper aliquod egregium facinus; ideò Chriſtus mortis ſuæ memoriâ, amorem noſtrum concilians, ſcit nos non fore deſides, ſi amore eius feruido cieamur. Eamobrem fortè Auguſtinus, multa petiturus à Deo, ſolius amoris meminerat, certus hoc ducatu affore agmen virtutum omnium. Vellem ego, inſtante communione, eſſe familiarem hanc eius orationem omnibus. *Oſtende te mihi, conſolator; videam te, lumen oculorum meorum; veni, gaudium ſpiritus mei; videam te, lætitia cordis mei; diligam te, vita animæ meæ; appare mihi, delectatio mea magna, ſolatium meum dulce. Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ; inueniam te, deſiderium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ; amplectar te, ſponſe cœleſtis, exultatio mea ſumma intus, & extra; poſſideam te, beatitudo ſempiterna; poſſideam te in medio cordis mei, vita beata.* Hæc Auguſtinus. Et reuerà in ea meditatione exardeſcet ignis, quo debet excoqui, & calere panis ille ſanctus, pertæſus animas, quæ ignauiâ congelaſcunt.

Amor non eſt otioſus.

S. Auguſt. Soliloq. c. 1.
Amoris Dei ſuſpiria pro Deo.

Ex Mathematica. *Clauius cap. de longitudine & latitudine imaginũ cœleſtium.*

In huius rei typum idonea eſt animaduerſio cœlicæ Matheſeos, quæ aduertit, Virginem illam, quæ tenet Spicam in globo cœleſti, habere quidem faciem ad Boream; ſed elongare ſuam Spicam, in qua eſt ſtella primæ magnitudinis, & eam porrigere ad Auſtrum; ita vt ad Meridiem vergat latitudine duorum graduum. Dixerim hanc Virginem quæ ad Aquilonem aſpicit, eſſe Eccleſiam ſollicitam de conuerſione hominum frigentium, quibus negat frumentum, in quo eſt perſona primæ magnitudinis, perſona videlicet diuina: duos exigit gradus ad Meridiem, id eſt duo brachia charitatis quæ Deum & proximum amplectitur. Sciebat ſponſa, illud frumentum non edi, niſi in Meridie; aiebat enim: Indica mihi vbi paſcas in meridie; etenim ſponſus ad menſam ſuam ſacram feruidos tantùm aduocat epulones.

Vt autem eò redeat vnde effluxit oratio; ille ignis amoris, quo decoctus eſt panis ſanctus, nullo alio pabulo citiùs ali fouerique poteſt, quàm ligno crucis: & hoc fortè voluit ſignare Paradinus eo ſymbolo, quo pinxit panem, cui crux erat infixa, quaſi panis eſſet ſuppedaneum crucis, hoc titulo deſuper. Pignora chara svi. Id eſt indicia potiora amoris Chriſti, ſunt crux & Euchariſtia, verè Pignora chara Dei. Cùm ſanxit memorandam crucem in ipſo inſtanti communionis, infixit crucem pani, voluitque nos eodem ritu panem cruce diuidere, & ſic duo hæc chara pignora ſociare.

Ex Symbolis. *Paradinus lib. de Symbolis.*

HOMILIA SEPTIMA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. Exordium petitur à motu circulari, qui cùm perfectiſſimus ſit, competit corporibus perfectiſſimis. In moralibus, gratiarum actio reddita Deo, eſt motus circularis: nam vt circulus eſt linea in gyrum recurrens ad idem punctum, à quo cœpit initium; ita gratitudo eſt relatio beneficij ad Deum à quo fluxit. Cùm illa actio ſit nobiliſſima, Chriſtus ad eam erudiuit Apoſtolos, ſacrâ communione paſtos, vt qui iam cœleſtes eſſent effecti. Quando ergo gratias egit Chriſtus, ſpecimen edidit gratitudinis Deo rependendæ poſt communionem.

2. Dico in Euchariſtiâ coire omnes titulos, qui animum poſſunt deuincire ad gratitudinis obſequia.

3. Quæ autem debeant eſſe actiones, indices animi noſtri memoris beneficiorum Dei, aperio.

4. Demum finio hortando, vt Deus conſulatur pro meliori fruge; fruſtra enim quis ſtatuit ſecum exterminium vitiorum, Deo inconſulto. Gratiis igitur Chriſto rependis poſt communionem, aperiendi ſunt animæ noſtræ hi actus, & lacunæ; vt quicquid vitio graſſante lacerum eſt, & deficit, illud omne manus Dei propitia reſarciat.

PRÆFATIO.

Hymno dicto exierunt. *Matth. 26.*

Ea eſt gratitudinis indoles, vt ſit morarum impatiens, totaque ſe totam prodat homini benefico; geſtit quippe animus gratus, & æſtimator æquus beneficij omnis, gratiam acceptam aliâ ſtatim gratiâ exhibitâ compenſare. In ſymbolum rei huiuſce, Deus olim ſanxit, vno eodemque die conſumi ſacra facta in gratiarum actionem: ſic enim cautum eſt lege iſta. Carnes eâdem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam, vſque manè. *Eſto lex ſufficiat, ad vrgendum animos gratitudinis inſcios: voluit etiam nos exemplo ſuo illud idem ipſe legiſer edocere. Nam completis epulis corporis ſui ſacri, ſtipatus choro Apoſtolorum gratias egit; hoc enim ſonat hymnus ille dictus in fine cœnæ ſacræ, & ad exemplum atque eruditionem noſtram, ſacro codice recenſitus. In hac materiâ gratâ, id eſt in gratiâ Deo rependendâ, tota erit iſta Homilia, non ingrata ſi grataner excipiatur: excipietur autem gratè, ſi incidat in animos Deo acceptos, & ſi homines non ingratos, & memores accepti beneficij nanciſcatur. Vt gratia adiiciam incrementum aliquod gratiis exhibendis Deo, conſulo vt noſtra omnia Deo rependenda obſequia committamus ei, quæ gratia plena, faciet ſuo influxu omnia noſtra vota Deo Domino gratiora. Mariam intelligo, quæ rutila gratiis, coruſcum etiam facit omne quod aſpicit. Deo igitur offer, ô Beata, exiles hymnos, & gratos affectus, indices animi non ingrati: vtque nitela gratiis noſtris aliqua accedat, plenitudinis gratia tua aliquos latices impertire. Hos vt demereamur.* Aue Maria.

Leuit. 7.

Indagine eâ quâ potuit, & quàm ſagaci, Ariſtoteles rimans abdita naturæ, deprehendit trifariàm tantùm poſſe moueri corpora inanima; ac proinde tantùm tres motus aſſignat, ratione perita à centro mundi. Scilicet motum rectum, circularem, & miſtum, eum ſcilicet qui aliquid è duobus aliis motibus emendicet. Motus rectus ille eſt, qui à centro mundi ad circumferentiam quàm breuiſſimè procedit: nam ſi motus

Ex Philoſophia: *Ariſtoteles lib. 1. de cœlo cap. 2.*

motus à centro ad circumferentiam, non rectâ lineâ, id eſt, breuiſſimâ cietur ſe inclinans, iam erit miſtus, habens aliquid de recto, in eo quod procedit à centro; motus verò circularis ille eſt, qui fit circa centrum: motus rectus dicitur fieri ſurſum, quando fit à centro ad circulum; deorſum verò, quando ab orbe fit ad centrum, tenorem verò ſuum non variat motio circularis. Hinc eius dignitas attenditur, quòd eo modo ſe iugiter habeat ad centrum, ſemper ſibi conſtans, & præ ſe ferens quid æternum mutationis expers, quod motui recto non competit; aliàs enim fit ad centrum, aliàs à centro. Ea dignitate motus Ariſtoteles aſſignat cœlo ſphæricum illum motum, vtpote omnium corporum nobiliſſimo corpori congruentem. Siquidem vt habet ſe res ad eſſe, ita etiam & ad operari; cœlum itaque præditum nobili modo eſſendi, videlicet incorruptibili, debuit in gyrum agi, & non alia motione, ne ſi fortè cieretur aliquo alio œſtro, motione illa ingloria, cœleſti fieret iniuria dignitati.

Ex Theologia. *S. Thomas 1. p. qu. 90. art. 3.*

Theologia omnes animæ motiones concludit illo ternario; prima namque proceſſio animæ eſt à Deo rerum omnium centro, & non à parentibus, inſciis quomodo anima ſe ſe inſinuet corpori; ſecunda motio eſt ad centrum, quando anima ſui iuris atque arbitrij, Dei gratiâ ſupplex petit irrigari. Prima proceſſio, à centro ad circumferentiam mundi, animam non mouet motione recta, id eſt, quàm breuiſſima: peccato namque originali fit ille motus miſtus & obliquus; ſecunda verò motio, quâ anima terſior, vtpote tincta fonte ſacro, ad Deum fertur, vt ſuam ei explicet inopiam, recta eſt: ſiquidem animam effuſam in Deum nihil à recto tramite remoratur. Eſto ſit nobilis ille motus, ſuas tamen patitur inducias; atque adeò eſt infra eum motum circularem, quem diximus eſſe ſibi ſimilem, & quaſi perpetuum, dum circuit centrum, cuius aſpectu iugiter gaudet. Illa motione notatur appoſitè illa, quâ Deo defertur actio gratiarum. Debet namque anima multis dignata dotibus & gratiis Dei, Deum iugiter attendere, & quaſi in circulum agi circa illum, iuges rependendo grates: nam vt centrum totum orbem aſpicit ſemper, & ab eodem etiam aſpicitur; ita Deus animam ſuis ſemper dignatur obtutibus, & influxu: debet ergo ſemper gyrare anima, gratias perpetuas Deo Domino rependendo. Quia autem motus ille circularis decet tantùm corpora cœleſtia, & gratiarum actio continua pertinet ad animas æmulantes cœlorum indolem; eamobrem Chriſtus iſtam praxim maximè ſuos diſcipulos edocuit, quando ſuo corpore paſtos & refectos, in cœli modum fecit totos teretes atque rotundos, terrenum omne ab eis ſuo ſanguine deſecando. Tunc, inquam, eos in gyrum egit, ingerens typum gratiarum, quas debemus Deo referre & pendere memores beneficiorum, quibus quotidie optimus ille parens noſtras deuincit actiones gratiarum, ad quarum praxim tota iſta homilia mancipatur.

Homiliæ diuiſio & contextura.

Erit ergo præſens oratio, de actione gratiarum, quas Deo rependere debemos poſt factam communionem, & hæc erit homiliæ contextura. Propoſitum Thema diuidam; eſt autem hoc. *Hymno dicto exierunt*. In priora verba, *Hymno dicto*, dicam quos hymnos & gratias decantare queat anima poſt epulas ſacras. Secundò in illam vocem, *Exierunt*, dicam potiſſimas gratias à Deo expetitas eſſe exitum ab eo omni ritu, qui à Chriſto deuiat. Non abs re percrebuit effatum iſtud de viro vſquequaque probo, ſcilicet vt ſit totus teres atque rotundus; ea quippe figura ex Ariſtotele perfectiſſima eſt, id enim perfectiſſimum eſt, cui nihil addi poteſt, & nihil deeſt; at talis eſt figura circularis: ergo inſignis eſt præ aliis, atque adeò gaudet potiori titulo dignitatis. Is eſt homo illibatus, nihil hiulcum patitur, vndique clauditur, eiuſque indoles ea eſt quæ circuli apud Euclidem.

Ariſtotel. lib. 2. de cœlo c. 4.

Ex Mathematica. *Euclides lib. 1. Element. Geom. definitione 15.*

Circulus (inquit ille) *eſt figura plana, ſub vna linea comprehenſa, quæ peripheria appellatur, ad quam ab vno puncto eorum, quæ intra figuram ſunt poſita, cadentes rectæ lineæ omnes inter ſe ſunt æquales.* En ſchema viri, quem dicimus eſſe ſuis numeris omnibus abſolutum.

Circulus quid ſit.

Nota quàm benè iſta cohæreant intento meo, de gratiarum actione: fit circulus à linea redeunte in gyrum ad idem punctum quo incepit; ita & homo grati ſui animi indicium prodit, quando beneficium à Deo acceptum ad eumdem Deum refert, gratiarum actione exhibita, quæ eſt ingenui & probi hominis optimum argumentum. Linea operationem ſonat, vt eſt in prouerbio, nullam hodie lineam duxi: cùm igitur audis lineas omnes ductas à centro circuli, ad peripheriam eſſe æquales: intellige omnia quæ à corde viri probi diffluont in manus eſſe ad normam iuſtitiæ emenſa, & librata diſquiſitè ad trutinam æquitatis.

Ex SS. PATRIBVS. *Rupert. in Matthæum.*

Hæc figura ſphætica congruit titulo inſigni, quem homini iuſto inurunt homines Sancti, eum nuncupantes cœlum, in his eſt Rupertus ſic fatus; *Cœlum eſt anima iuſti, habet ſuos ſtatutos motus, concinnat Choreas, lucida Sydera in medio huius cœli Deus.* Si cœlum eſt, debet moueri in orbem, id eſt referendo beneficia ad eum, à quo primitus effluxerunt. Et hæc eſt natura gratiarum, vt manibus implexis connectantur ad inuicem, vtque iugis eſt influxus gratiarum Dei in nos, perpetuus etiam ſit refluxus gratiarum, ex parte hominum, quibus liberali manu, Deus ſua chariſmata nuſquam deſinit impertiri.

S. Bernard. Sermone de diligendo Deo.

Fœlicem hunc clamat eſſe Beatus Bernardus, qui in gyrum ſic voluitur. *Fœlix ille qui ad ſingula dona gratiæ, redit ad eum in quo eſt plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis, non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur, omnino enim ſola nos à profectu conuerſationis, impedit ingratitudo noſtra, dum quodammodo amiſſum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet de cætero ſibi, ne tanto plura amitteret, quantò plura conferret ingrato.* Hæc Bernardus, qui acceperat ab Auguſtino, plerumque vacuas peſſum ire gratias, ob ingrati animi deliquium.

S. Auguſt. Soliloq. c. 18.

Ingratitudo quanta ſecũ mala vehat.

Sic ille. *Scio quòd ingratitudo tibi multum diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans, & vrens omne bonum, obſtruens fontem diuinæ miſericordiæ tuæ ſuper hominem, quâ & mala iam mortua oriuntur, & viua iam opera moriuntur; & ego Domine tibi iam gratias agam, ne ſim ingratus.* Hactenus Auguſtinus.

Ingratitudo filiorũ punita à Iure Cæſareo.

Nec alia eſt ſciſcitanda cauſa, cur anima poſt Communionem, ieiuna tamen remaneat, id eſt gratiæ Dei ſummam ferat inediam, atque adeò Sacramenti fructum euacuet: potiſſima ſanè eſt ingratitudo, quâ homo immemor Euchariſtiæ, & beneficij tanti, vbi retulit pedem ex altari, ad

EX IVRE CIVILI:

profana poſtmodum euagatur. Fauet Ius Ciuile, quo Cæſares Seuerus, & Antoninus lethali inediâ damnarunt filios ingratos, dum parentes dixere ſolutos debito alendi filios ſuos ingratos, quo aſtringuntur à naturâ, docente etiam in feris animantibus, vt ſunt tygres, & leones, editos fœtus eſſe à conditoribus ſuis pro modulo nutriendos. Ecce textum legis. *Si patrem tuum officio debito promerueris, paternam tibi pietatem non denegabit; quòd ſi ſponte non fecerit, aditus competens iudex, alimenta pro modo facultatum præſtari tibi iubebit.* Gloſſa Marginalis ſic concludit. *Ergo propter ingratitudinem poſſunt alimenta denegari.* Hac lege cenſetur anima, poſt Communionem parum ſollicita, Deum parentem ſuum debitâ gratitudine demereri.

Lege ſi patrem, Codice de alendis liberis.

Gloſſa Margin. § 1. promerueris.

EX THEOLOGIA.

S. Thomas 3. p. q. 40. art. 1.

Euchariſtia quid malè ſumpta

EX SS. PATRIBVS.

S. Bernard. ſermone 2. de cœna Domini.

Inſtabis, ad præſentiam cauſæ, etiam effectum adeſſe. Verum equidem, ſi non ponatur obex: nam Sacramenta obice poſito irrita fiunt, nec ideo deſinunt eſſe Sacramenta, quod vt liqueat, Theologia duo diſtinguit in vnoquoque Sacramento, ſcilicet Sacramentum, & rem Sacramenti; id eſt ſignum ſenſibile, & gratiam eo ſigno ſenſibili præſignatam. Multi rem ſenſibilem accipiunt, id eſt ſpecies panis conſecrati, ſed non gratiam quâ influere ſolet ille cibus fortium, & grandium; & hoc explicitè ait Bernardus. *Sacramentum ſicut accipit ad vitam dignus, ſic ad iudicium, & mortem propriam indignus. Sacramentum enim ſine re Sacramenti, mors eſt ſumenti, res verò Sacramenti, etiam præter Sacramentum, vita æterna eſt accipienti.* Hæc ille, qui & alibi ait, gratiarum influxum ab ingratâ animâ præpediri. Accipe ſenſa tanti Patris. *Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis, nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filiis gratiæ quemadmodum ingratitudo; vias enim obſtruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia acceſſum non inuenit, locum non habet, hinc mihi triſtitia magna, & dolor continuus eſt cordi meo, quòd nonnullos tàm pronos ad leuitatem, & riſum, & ad ſcurrilia verba, tam faciles video, vt pertimeſcam valde, ne fortè pluſquam expediat, diuinæ miſericordiæ ſint immemores, & ingrati tam multis beneficiis ſuis, aliquando deſerantur à gratiâ, quam non vt gratiam venerantur.* Ita vir Sanctus.

Ingratitudo deſcripta.

Idem ſermone 2. de ſexta Dominica poſt Penteceſt.

Ingratitudinis effectus.

Quibus autem argumentis ſollicitemur ad gratitudinem poſt paſtum illum ſacrum, diſce ex infra dicendis. In confeſſo eſt apud omnes, actionem gratiarum importare debitum aliquod exſoluendum illi, qui alium ſuo beneficio demeruit; etenim gratitudo, & beneficium, plexu indiuiduo connectuntur: igitur erunt tot rationes debiti, quot erunt & modi aliquem obligandi: ſunt autem quatuor modi deuinciendi aliquem; ergo & tot erunt ſpecies explicandi animum ſuum gratum. Prima Deum ſpectat, à quo accepimus id omne quo conſtamus; ideò gratia quam illi rependimus, ſuprema eſt, quam religionis nomine nuncupamus. Secunda ratio debiti pertinet ad filius, quos natura parentibus ita ſubiecit, vt impium ſit ingratum eſſe parentibus: & hæc gratia penſa ſuis progenitoribus dicitur pietas. Eo nomine Ægyptij aquas venerati ſunt veluti ſacras, quibus ſe tinxerat Ciconia, auis adeò ſollicita de ſuis parentibus effœtis, vt eos alat in nidulo: eamobrem ethnica Theologia, Ciconiam habuit pro teſſera pietatis. Hoc epitheto Æneas à Poëta inſignitur, dicitur enim pius Æneas, propter obſequia quæ præſtitit patri, quem igni eripuit graſſanti vrbe totâ. Vtque hanc pietatem homines à Ciconiâ ediſcerent, inuenere verbum quo dicerent gratiam rependere, & hoc verbum à Ciconiæ nomine deduxerunt. Etenim ἀντιπελαργεῖν quod idem eſt ac referre gratiam, deriuatur à nomine πέλαργος, id eſt Ciconia. Tertia debiti ratio reſpicit communia, & publica bona, accepta ab eis penes quos eſt omnium cura, vt ſunt Reges, Principes, & Magiſtratus: gratia quam ſibi vendicant, ob ſollicitudinem ſuam, obſeruantia appellatur. Demum vltima ratio, quæ alicuius beneuolentiam captare poteſt, eſt peculiare bonum acceptum ab aliquo, & animi inde affecti ſenſus beneuolus, dicitur gratitudo. Cùm igitur omnes illæ rationes boni omnigeni, ſint in Euchariſtiâ, liquet eam deuincire homines omnimodè, vt ſe gratos exhibeant in hoc myſterium, & ei pro viribus obſequantur.

Pierius lib. Hierog. vbi de Ciconia.

Virgilius l. 2. Æneid.

EX PHILOSOPHIA.

Ariſtot. 2. c. lib. Metaph. textu 7.

Euchariſtiæ congruere titulos omnes exigentes à nobis debitum gratitudinis, diſce ex Philoſophiâ, docet illa diſciplina primum in vnoquoque genere eſſe cauſam cæterorum, & cauſam cauſæ eſſe cauſam cauſati. Vnde ſic arguo. Deus eſt ſummum bonum, ergo & cauſa bonorum quæ accepiſti, à Parentibus, Regibus, & amicis, ac proindè Deo maximè debes gratias, quas parentes, Reges, & amici, ob bona impenſa, ſibi cupiunt exhiberi. Et eſto Deus citra Euchariſtiam, ſibi titulos omnes vendicet effabiles, non idoneos modò ad captandos hominum affectus, ſed etiam præualidos ad cogendum nos, vt amemus, & gratos geramus animos; tamen in hoc ſacramento ita ſe Deum, & parentem, & Regem, & amicum teſtatus eſt, vt illi iure merito nequeant vlla gratiarum actionis obſequia denegari.

EX THEOLOGIA:

S. Thomas 1. p. q. 45. art. 5

Deus maximè Deus eſſe dignoſcitur in creatione hominis; quippe creatio tranſcendit omnium infra Deum cauſarum auſus atque conamina, ob infinitam diſtantiam termini à quo ad terminum ad quem, id eſt, nihili ad aliquid: at conſeruatio eſt continuata productio; ergo cùm Deus hominem Communione conſeruet, eum etiam & creat; & ideò Deus hinc maximè deſignatur. Hominem influxu Euchariſtiæ conſeruari patet ex eo, quòd homo præcipuè eſt homo, quia factus eſt ad imaginem Dei & ſimilitudinem eius, quâ expuncta dicitur eſſe pecus; deletur autem illa ſimilitudo peccatis, quæ induunt ideam & ſpeciem iumenti, ex codice ſacro. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Qui ergo peccatis obſtiterit, hominem ille conſeruabit. Sola autem gratia peccatis inuia eſt; quamdiu enim ea hominem induerit, tamdiu erit alienus à peccato, atque adeò ſimilitudine Dei conſpicuus, quâ præſertim eſt homo: igitur Euchariſtia copiosè infundens gratiam, & ea ratione hominem ſtatui innoxio reddens, nonne aliqualiter creat dum conſeruat, ac proindè Deus in Communione Deum ſe eſſe explicat ob gratiam impertitam? Regem ſe exhibuit in eo, quòd annonam prouidit; eſt enim curæ regiæ, rerum omnium copiam procurare vnicuique Prouinciæ. Patrem imò & matrem ſe oſtendit, paſcens nos lacte ſuo; lac enim eſt ſanguis calore viuifico dealbatus: & ſanguis ille, quo potamur in Euchariſtia, ita amore decoctus eſt, vt albicet, & minimè purpuraſcat. Demum vices obit

Pſalm. 48.

Euchariſtia Deum eſſe Regẽ oſtendit.

amici

amici ſingularis,cùm vnicuique noſtrum ſe ita dedit totum,vt omnibus : quæuis enim hoſtia ſacra , idem prorſus impertit accepta idoneo ritu,quod hoſtiæ omnes acceptæ darent, ſitque ſingulis proprium illud beneficium,licet in omnes etiam homines effundatur.

Beneficium gratitudinẽ exigit.

Ex præfatis non faceſſit negotium deducenda concluſio illa,quâ incumbit inferre , Euchariſtiam poſt ſui ſumptionem , ſuos edaces obligare ad omnigenas gratiarum actiones;ſic enim ſtabilitur illa theſis. Illud beneficium quod coaleſcit ex omnimodo bono , exigit etiam gratitudinem, in qua coeant omnes indices actiones grati animi : ſed Euchariſtia eſt tale beneficium ; igitur debet gratitudine integra compenſari. Bonorum omnium agmen ſtipare hoc frumentum electorum,Pſaltes eloquitur ſub figura Ieruſalem,quam ad Dei laudes hortatur, ob beneficia deriuata ab hac eſca ſingulari. Sic ille. *Lauda Ieruſalem Dominum , lauda Deum tuum Sion.* Nota geminam parænesim ſeu admonitionem ? quorſum autem iſta repetita laudum recenſio ? Diſce ex ſequela Pſalmi. *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum , benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Audis adipem frumenti eſſe cauſam, quòd tantæ dotes atque cenſus in animas noſtras cœlitus illabantur. Ita planè confortat ſeras portarum animæ ſacra communio: nam ſenſus animæ fores fiunt multò cautiores illo paſtu;quia ex re medica conſtat , vnicuique parti & membro corporis ineſſe facultatem , quæ attrahit ſanguinem , quæ item illum concoquit , expellit quod eſt minus idoneum animali , & demum aſſimilat alimentum animali, quod inde poſteà ſaginatur. Fitque vt eadem eſca multas obeat vices , etſi primò ceſſerit in ius ventriculi : totum enim corpus , & omnes eius oras luſtrans vegetat,nulla parte indigâ obſequij quod exigit vt ſua obeat munia , oculi aſpiciunt,aures audiunt, omnes denique ſenſus, ſuas partes agunt beneficio cibi congrui,corpore toto diffuſi,& multimodè tranſcolati.In hunc modum eſt benefica Communio,nam etſi panis ille recondatur ſtomacho , vt ſua thecâ primitiua , tamen virtus eius in omnes animæ plagas diffunditur , ſiquidem adipe frumenti illius illitæ ſunt feræ ſenſuum , & maior cautela illis adiicitur : quâ veluti occluſi , nequeunt in animam ſic accinctam irrepere illecebræ voluptatum. Filij noſtri ſunt omnes actus illiciti , tùm intrinſeci,cùm extrinſeci , illis adeſt benedictio ſingularis diffluens ex hoc pane : ſunt namque meritorij,gratiâ euehente noſtras actiones , quibus inurit qualitatem efficientem nos idoneos ad gloriam , cuius Euchariſtia eſt ſemen , ipſo etiam Chriſto Domino aſſertore. Quid enim aliud ſonat hoc effatum ? *Qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum* , niſi Euchariſtiam eſſe ſemen,quo anima ſata, eſt vitæ æternæ conſcia, quod autem ſubiicit Pſaltes. *Qui poſuit fines tuos pacem*, eo textu notat hoſtium omnium expulſionem , anima enim ſuas habet quatuor facultates , quibus & gaudent ſingula corpora vt præfatus ſum,ſcilicet vim attractricem , concoctricem,expultricem,& aſſimilatricem : attrahit anima Euchariſtiam , quando illam totis deſiderat affectibus;coquit, cùm amore æſtuante illam accipit ; expellit omnes fuligines, quando à ſe eliminat omnia noxia : ſed quia Deum in ſe mutare nequit anima ; ipſa in Deum tranſit , in eum tranſmutata.

Ex Figuris. *Pſalm.147.* Euchariſtia confortat.

Ex re Medica: *Fernelius l. Phyſiolog.*

Ioan.6.

Pſalm.147.

Rurſus influxus ille bonorum omnium ab Euchariſtia emergens , ſignatur in Iacob ſic hominem ingratum compellante. *Modicum habuiſti, antequam venirem ad te ; & nunc diues effectus es , benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Ne modicum quidem habuimus , Deo longè à nobis , à quo vt habemus vt ſimus , habemus etiam vt benè ſimus , eius ſacris epulis ineſcati. Ad eius introitum , omnia bona proſtant;Chariſmatum gazæ omnes patent ; gratiarum latices copioſi animas alluunt ; demum ditantur omnes facti participes huius boni , ſcilicet Euchariſtiæ. Vt autem fides amplior ſubſit meis dictis , ſubiiciam in eum finem Sanctiorum Patrum aliqua ſenſa vtique luculenta. Chorum ducet Cyprianus. *Non iam ad elaborata impenſis , & arte conuiuia populi inuitantur, ſed immortalitatis alimonia datur.* Idem ferè dixerat Irenæus , ſic fatus. *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Simile quidpiam habet Cyrillus in hæc verba. *Spiritus eſt qui viuificat.* Sic ille. *Spiritum hic ipſam carnem nuncupauit , non quia naturam carnis amiſerit , & in ſpiritum mutata ſit ; ſed quia ſummè cum eo coniuncta,tota viuificandi vim hauſit.* Ex prælibatis vita & incorruptio ſunt effectus , qui emanant ex beneficio , cuius gratitudinem ſuadet huius homiliæ contextura.

Ex Figuris. *Gen.30.* Euchariſtia locupletat. Euchariſtia facit immortales.

Ex SS. Patribus:

S. Cyprian. ſermone de cœna Domini:

S. Irenæus lib.4.

S. Cyrillus lib.4.in Ioan. cap.24.

Deſiderabis fortaſſe hiſtoriam , quæ ingerat typum inſignis beneficij accepti , & gratiarum actione merita recogniti : accipe rem inſignem geſtam Genuæ. Ciuitatem illam & bello & pace inſignem , ingreſſus eſt regio apparatu Rex Gallus Ludouicus duodecimus ; exceptus eſt à ciuibus eâ pompâ , quâ fieri potuit glorioſâ , & Regis animum idoneâ deuincire. Rex apparatu illo nihilo ſegnior factus , vt qui vellet prodeſſe magis quàm præeſſe, ſtatim ſe contulit ad mœnia ciuitatis , infirmiora loca luſtrans , & muniens valido præſidio ; dehinc ſeptem dies totos egit in iure dicendo , nouas & vtiles ſanctiones faciens , ad quarum normam in poſterum Genua regeretur.Demum Rex ille ſuâ præſentiâ adeò beneficus extitit illi ciuitati , vt decreto publico ſit ſancitum,quotannis faciendam memoriam aduentus Regis in illam vrbem, quæ tot gratiis dignata fuerat à Principe illo, qui eam beauit ex hoc quòd fuerit illic aliquo tempore commoratus. Quæſo expende vnde tanta feſtiuitas vrbis inclytæ, & memoris gratiæ acceptæ. Duobus beneficiis res tota conſtitit, & in eo duplici cardine tota hæc vertitur hiſtoria ; ſcilicet in præſidio collocato , in imbelli quáque vrbis parte ; & in legibus æquioribus ſancitis : duabus enim his cautelis prouidit vrbi vtroque tempore , pacis ſcilicet , & turbinis imminentis.

Ex Hiſtoria. *Petrus Bizarrus in Hiſtoria Genuenſi ſub ann.1502.*

Ludouici XII Regis Galli ingreſſus ſalutaris Genuenſibus.

Sed quid ad Euchariſtiæ commoda , bona illa quæ tanti faciebat Genua non ingrata , eſto loca imbecilla, fuerint ſecura ſtudio Regis Galli, & vrbs ſanctior ratione legum , quarum cuſtodiam ſuaſit Princeps Chriſtianiſſimus , illi reuerà ciuitati legifer opportunus. Beneficia illa erant momentanea,non æterna,vtpote conducentia ſolùm ad æuum hoc tranſigendum ſecurius , & lætius : at Euchariſtia eadem ingerit commoda , quæ beatam faciunt eam quam

Genuæ gratitudo erga Regem Galliæ.

agimus

agimus vitam, & idoneos faciunt alteri ſæculo neſcituro finem, cùm vita æterna ſit effectus panis huius ſacri; ſicuti videre eſt ex antea prælibaris. Hos verè ex Communione emergere effectus, quos Genua magnifecit, accipe. Res Gallos Genuam ingreſſus, & lautè exceptus, in teſſeram animi ſui deuincti ob regium apparatum, quo eum ciuitas illa tripudians exceperat, totam luſtrauit vrbem, intus & de foris, vt ſi quâ parte nutarent mœnia, aut hiarent, æuo nimio ipſa etiam marmora depaſcente, ingruenti periculo occurreret, vallo, & foſsâ totos ſeptem dies addixit condendis legibus, quarum vſu vrbs futura beatior, Regem illum deperiit. Chriſtus ſi eâ curâ & pompâ excipitur, quæ congruit modulo & facultati animæ compotis Euchariſtiæ, ſtatim loca infirma hominis explorat, videlicet ſenſus cùm internos, cùm externos, vt vniuſcuiuſque deliquio occurrat: ſiquidem conſtat, eo introitu Dei ſub ſpecie panis, fieri ſenſus omnes animæ cautiores. Oculi imbecilles, & incauti anteà, obſcœnis peruij erant aſpectibus; ſed ex præſentiá Chriſti fortiores, nullis iam corporum pulchriorum læduntur obtutibus. Aures anteà veloti patulæ, arrectæ erant ad quæuis eloquia, etiam reproba: iam à Deo illic præſidio gratiæ ſingularis adhibito, eædem aures ad ſermones tantùm ſerios arriguntur. Os quibuſque cibis anteà patens ſine delectu ieiunij, iam Communione paſtum longam paritur inediam, aſſuetum ieionio vt anteà crapulæ. Cor prauis affectibus obnoxium, & apertum omnibus illecebris, iam ſe colligit totum, & contrahit ad amorem Dei; denique omne animæ infirmum, Euchariſtiæ ſuffragio ſeris validis obſeratur.

Quæ ex Euchariſtia commoda emergant.

Diceres fuiſſe præſcium Pſaltem, & equidem fuit, dum vult nos inſtituere diem feſtum ſolennem, quo recolamus introitum Chriſti; eò enim pertinet illa laus exhibenda Deo, quam ſupra receoſui. *Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion; quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Vides igitur commonione muniri animas præſidio præpotenti. Ruſus totos dies ſeptem implet Chriſtus ſtatuendis legibus, vt ad earum rectam amuſſim reguletur anima; nimirum Deus animæ aliàs ſordidæ ex colluuie impura, ſuggerit ſtudium caſtitatis; homini ſpiranti minas & vindictam, inſpirat concordiam; homini raptori alieni cenſus, ſuadet miſericordiam in pauperes; demum noxij quique habitus gratiis oppoſitis impugnantur. Nota, benè fieri mentionem dierum ſeptem, quibus occupatus fuit Rex Gallus, vt Genuam inclinaret ad ſequelam legum, quas ſcitè condiderat: Chriſtus nullum hebdomadæ diem illibatum præterit; ſingulis quippe diebus inſinuat menti memoriam legum, quas condidit, vt quieta & pacata ſint omnia, legibus obſeruatis. Idipſum ſonat ſuâ lyrâ Dauid. *Poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.*

Pſalm. 147.

Pſalm. 147.

Ex Symbolis.

Franciſ. Villaua lib. Symbol.

Omnia hæc beneficia genuinè explicat ſymbolum illud, quo Villaua depinxit Euchariſtiam in ſcuto, hoc titulo imminente Scvto ipsa recondor. Quaſi diceret, Deum eſſe validum clypeum illi, apud quem in Communione diuertit. Macte igitur, anima Chriſtiana; dum enim paſta es hoſtia ſacra, Chriſtum Dominum veluti Scvto ipso recondis, dum cordi inſeris, quod Domini Dei tui præſentia, inſtar ſcuti ſeptemplicis validè roboratur. Nec inde robur tantùm, quod Chriſtum ipſa recondis; ſed ideò maximè, quòd Dominus Ieſus ſit tibi ſcutum, ſicque te participem ſacrorum, Scvto ipsa recondit. Lauda igitur Ieruſalem Dominum, id eſt, age feſtum diem, quem ſuggerit idem Pſaltes ſcilicet. *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Id eſt, ipſa ſola cogitatio beneficij tanti accepti, me componet in modum hominis, piè myſticum Paſcha celebrantis.

Euchariſtia eſt ſcutum.

Si ideam quæris gratitudinis exhibendæ Deo, ob præfata commoda; nullam ſanè obiiciam aliam ab ea, quam Genua præſtitit inſtituendo feſtum in memoriam introitus Regis Galli: eo namque tempore, in teſſeram animi ſui grati erga Regem beneficũ, abiuratis omnibus Galliæ hoſtibus, vnum ſuæ libertatis accepit Lodouicum Regem Galliæ protectorem. Nihil aliud prorſus exigit Chriſtus in gratiarum actionem ob Euchariſtiam, niſi vt creaturarum iugo excuſſo, eius vnius ſubdamur imperio, quo libertas noſtra nun deperit, ſed firmatur; vbi enim ſpiritus, ibi libertas: vt autem ſit indubium obſequium noſtrum, depoſcit zelotes ille Deus, vt rerum omnium inferarum impia commercia penitus abdicemus. Hoc inſinuauit idem Dominus & Præceptor Hymno dicto; ait enim textus. *Hymno dicto exierunt.* Etenim potiſſima gratitudinis probatio conſiſtit in exitu, exeundo a ſeipſo, vt Chriſto hæreat quiſquis illi vult ſeſe exhibere gratum: quotuplex autem ſit exitus, index animi non ingrati, operæpretium erit hâc homiliæ poſterâ parte recenſere. Dixi beneficium omne inuoluere debitum gratiæ rependendæ; ergo cùm gratitudo, quam exigit Chriſtus ob Euchariſtiam, ſita ſit in exitu, tot erunt exitus quot beneficia accepta in Euchariſtia: trifariàm autem ſe Chriſtus beneficum præſtitit in eo myſterio, ſcilicet corde, ore, & manu: ergo in ſymbolum gratiæ debitæ, exitum cordis, oris, & manus Euchariſtia ſibi vendicabit. Chriſtus amorem ſuum teſtatus eſt Euchariſtiæ præambulum, & cor ſuum nobis patens, quando ait. *Deſiderio deſideraui manducare hoc Paſcha vobiſcum.* Ita & fuit corde beneficus ſicut & ore, quando ait. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Tandem & manu fuit proficuus, quando ait. *Accipite & manducate.* Tunc enim porrexit panem illum. Sic debita, contracta in Communione, ternario numero concluduntur.

Euchariſtia quales exigat gratiarũ actiones.

Matth. 26.

Luc. 22.

Prima gratiarum actio erit cordis: ſcilicet geſtiens cor exultabit in Domino, & quaſi à ſe exiens, totum exiliet in Deum, qui vbi animam ſubit, cor ad cor loquitur, vt benè Bernardus, aut quiſquis ille eſt author Sermonis de cœnâ Domini. *Sermo ille non eſt ſonans, ſed penetrans non loquax, ſed efficax, non obſtrepens auribus, ſed blandiens affectibus, ſermo ille non popularis, ſed angularis, & priuatus, non ſonat in foro, non auditur in publico, ſecretum conſilium, ſecretum quærit amicum: auditus proculdubio gaudium dabit, & lætitiam, ſi ſobria cordis aure percipitur. Penſa igitur iugiter, amplectere ſuauiter quod vides, quod agis, quod tenes, amplectere inquam pia recordationis affectu, & pia imitationis effectu.* Eſt ſanè quòd exultet anima, & quaſi tripudiet hoſpite tanto decorata, vt pergit idem Pater, *Gratulare ſponſa, gaude incomparabiliter, præſidentem habes, & rectorem ſponſum in præſentis exilij militiâ, pignus habes, arrham tenes, quibus fœliciter ſponſo vniaris in patriâ, glorioſa, & amabilis ſponſa, in*

Ex SS. Patribus.

Sermone de cœna Domini qui eſt inter opera S. Bern.

terra

terra ſponſum habes in Sacramento, in cœlis habitura es ſine velamento, & hic, & ibi veritas, ſed hic palliata, ibi manifeſtata.

Ex re Medica: *Arnoldus à Villanoua Commentario in ſcholam Salernitanam.*

Hæc prima gratiarum actio, ſita in intimo ſeceſſu cordis ad ſeipſum, conſonat illi conſilio medicorum dicentium, refectis opus eſſe quiete, vt cibus foueatur à ventriculo, qui nequiret concoquere, ſi inquies eſſet homo; ita, vt Euchariſtia ſuas facultates inſinuet, homo ſtatim à Communione quieſcat, reddat ſe ſibi, & ſic ſalutarem illam eſcam corde patulo deguſtabit. Guſtus autem ille ſapore ſuo dum penetralia cordis afficiet, ſtatim cor ineffabili gratitudinis dulcedine liquefiet. In adagio eſt, quod cor ſapit, os loquitur: ita cor gratum velut impos ſui, ſuos eructat affectus ore conſcio beneficij accepti: vt enim Communio, non inſcio ore, traiecta eſt in viſcera; ita nequeunt reddi Deo debitæ gratiarum actiooes integræ ab homine elingui, & ore velut inconſulto. Arridet ille affectus, quo homo quaſi extra ſe poſitus abit in ecſtaſim quamdam ſimilis attonito, præ magnitudine beneficij à Deo accepti: ita Bernardus. *O ſtupenda Dei miſeratio! Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, vt iumenta manducarent panem Angelorum.*

Ex SS. Patribus: *S. Bernard. ſermone de cœna Domini.*
Incarnationis deſcriptio admiranda.
S. Auguſtin. Soliloq. c. 18.
Gratiarum actionis exemplum.

Stuporem debet excipere etiam vocalis actio gratiarum, vt nihil à gratitudine vacet in homine: placet illa oratio gratulabunda Aoguſtini. *Confiteor tibi beneficia tua magna, quoniam eripuiſti me de inferno inferiori; nunc video hæc, Domine Deus meus, & cognoſco per lumen tuum, & deficit anima mea in miſericordia tua magna, quæ eſt ſuper me; quoniam eripuiſti animam meã, totum me reſuſcitaſti qui totus eram in morte: tuum igitur ſit totum id quo viuo, & totus me totum tibi offero, totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea, viuat tibi, vita mea dulcis; quoniam totũ me liberaſti, vt me totum poſſideres, totum me refeciſti, vt totum me rehaberes.* Hæc ille.

Ex Iure Canonico: *Canone Reuertimini 16. q. 1. Pſal. 18.*

Tanti faciunt Canones ſancti penſum hoc ſolutum animi in Deoın grati, vt polliceantur inde influxum bonorum omnium: ſic enim Canon vnus aſſerit habituros ſe cœlos cum homine grato. *Statim aperientur ſuper eum cataractæ cœli, & effundetur pluuia ſpiritualis, & mandabit Deus nubibus ſuis, vt pluant ſuper eum imbrem, & abundantia omnium rerum perfruetur.* Videtur ea gratiarum actio oris miniſterio præſcita à Dauide, dum ſic modulos ſuos & propheticum melos edidit. *In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis.* Id eſt, qui conſcius erit epularum Chriſti, primò exultabit & corde tenus Deum affabitur amoremque ſuum illi explicabit, quo ſolo vices rependere poteſt amantiſſimo Domino, vt piè aduertit Auguſtinus.

Ex SS. Patribus. *S. Auguſtin. in Manuali cap. 18.*
Amor animam Deo deſponſat.

Anima inſignis Dei imagine, illuſtris ſimilitudine, habet in ſeſe ex Deo, quo admoneatur ſemper, aut ſtare cum eo, aut ad eum redire, ſi mota ſuis affectibus aut defectibus fuerit; & non ſolùm habet vnde reſpirare queat in ſpe veniæ & miſericordiæ, ſed etiam vnde audeat aſpirare ad nuptias Verbi, & cum Deo inire fœdus ſocietatis, atque cum Rege Angelorum ducere ſuaue iugum amoris: hæc omnia facit amor, ſi anima exhibeat ſe ſimilem Deo per voluntatem, cui ſimilis eſt per naturam, diligens ſicut dilecta eſt: ſolus eſt enim amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atque affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpondere auctori, vel ipſi mutuam rependere vicem. Amor vbi venerit, cæteros in ſe omnes traducit & captiuat affectus. Amoris æſtus ſont voces exultationis quas excipit vox confeſſionis, quando ſe multis beneficiis deuinctam fidelis anima Deo confitetur.

Supereſt tertia ſpecies teſtandi animum memorem beneficij accepti à Deo, ſcilicet manuum gratitudo; quod enim tantum habuit exordium in corde, & in ore incrementum accepit: illud, inquam, totum breui flacceſcit, ſi non confeſtim laudabili opere conſummatur. Ne autem ſubrepat tibi, hanc trinam gratitudinem eſſe tantùm penes intentum meum atque cogitatum; accipe Dauidem egregiè recenſentem eas gratias exhibendas ab homine toto, & eius ſingulis partibus. Sic ſe & omnia ſua compellit Pſaltes. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius; noli obliuiſci retributiones eius; in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* *Pſalm. 102.* Aduerte, effundi totum Regem iſtum in Dei laudes, ob retributiones eius, id eſt beneficia; quæ ait recolenda eſſe ab interioribus ſuis primò, id eſt, intellectu vt recogitet; & demum corde, vt amore homo feruidus incaleſcat. Adiicit, Deum benedicendum in omni loco dominationis eius, id eſt etiam ab exterioribus membris, in quibus principatum tenent manus. Cùm enim Deus dominio gaudeat omnium membrorum noſtrorum, debeot ob ſoſpitatem ſuam à Deo acceptam, omnia membra noſtra, Deo vt ſuo Domino famulari.

Gratitudo debet rependi ad ſingula beneficia.
Ex SS. Patribus. *S. Bernard. ſerm. 1. in Cantica.*

Bernardus non in omni loco Deum voluit benedicere, ſed & in omni tempore, ſicut & alibi Pſaltes. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Sic ille Sanctus. *Debet ad ſingula quæque beneficia benedici Deus in donis ſuis, alioquin ingratus reputabitur, cum diſcuſſio venerit, qui non potuerit dicere: Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Hæc Bernardus. Sed Ambroſius liquidius ait, iuges debere eſſe noſtras gratiarum actiones. *Quando non habes quod Deo debeas, aut quando ſine munere es Dei, cui quotidie viuendi vſus à Domino eſt; quid enim habes quod non accepiſti? ergo quia ſemper accipis, ſemper inuoca: & quia quod habes, à Domino eſt; ſemper te debitorem cognoſce.* Hactenos Ambroſius.

S. Ambroſ. de obitu Theodoſij.
Gratias Deo debemus agere inceſſantes.

Ego adiicio, membra quæ ſe eſſe à Deo ſciunt, & debitum non dubium efficiunt, debere etiam effundi in eam gratitudinem, quæ conceditur eis à naturâ minimè nouercante. Vt amor debitum eſt cordis, laus penſum oris, actio tributum manuum; ita etiam pedes debent pendere ſuom obſequium in fugâ, & exitu. Neſcio an hinc excuſare queam Apoſtolos, qui vt ſe inutiles cognouere Chriſto capto, pedibus conſuluere ſibi, fugientes impios homines, iniurios domino ſuo, cui tentaſſent perperam ancillari.

Gratiarũ actiones quas Deus velit.
Ex Figuris.

Coëunt obſequia manuum & pedum in gratitudine: nam egregia virtutis facinora, licet manuum ſint ſymbola, adſciſcunt etiam opem pedum, in eo quòd bona actio dicit fugam ſeu exitum à vitio: in hac potiſſimum praxi, tota vertitur ratio Communionis, cuius alioquin commoda, noſtra ignauia deprædatur. Et vtinam hæc mea homilia innoteſceret vnicuique, & altas radices ageret in mentibus. Hic igitur eſto potiſſimus cenſus, quem Deus exigit ab homine paſto corpore Chriſti, ſcilicet vt in Symbolum gratæ memoriæ, exeat ab iniquo ſtatu quem profitebatur

tebatur antea, & purius vitæ ſchema, homo frugi poſtmodum amplectatur.

Deus enim is eſt, quem ſe præſtitit Iacob erga ſocerum ſuum Laban, quem multiplici beneficio beneuolum effecerat ſibi: cùm namque ſocer à genero ſuo multimodè benefico quæreret: *Quid tibi dabo?* Iacob reſponſum dedit tale reuerà, quale & Chriſtus. *Nihil volo, ſed ſi feceris quod poſtulo, iterum paſcam & cuſtodiam pecora tua.* Si à Chriſto poſt Communionem petas, quod à te velit animi tui grati μνημόσυνον ſeu memoriale, diceret: Nihil volo; nam ex Auguſtino. *Nihil minus tuum quàm tu, ſi alicuius es quod es.* Et ex Bernardo. *Si totum debeo pro me facto, quid debeo pro refecto?* Nihil vult Chriſtus, ſciens nos omnium rerum indigos: ſi tamen morem gerimus dicto eius, iterum paſcet nos pane ſuo, & ſic cuſtodiet pecora noſtra, animam ſcilicet & corpus, verè pecora Deum toties oblita, Deo noſtram incuriam minimè vindicante. Audi pactum. *Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere, & quodcumque furuum, & maculoſum, variumque fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea.* O Dei bonitatem, quam nequit vincere acerbitas multifaria hominum impiorum! Dei merces ea eſt, quæ hirudinis ſiue ſanguiſugæ; animalculum homini ſanitatem impertit, & ſæpe ſuo vitæ diſcrimine, nec aliam mercedem ſanitatis impertitæ petit, quàm noxium ſanguinem ebibitum, quo adeò hirudo diſtenditur, vt crepet hominis gratiâ, quem ſic ſanat, morti ſe ebibito ſanguine deuouendo. Eo planè ritu Chriſtus ait fidelibus, eſſe ei pretium epularum atque chariſmatum ſuorum conquirendum: cuilibet enim ait: Gyra omnes greges tuos, ô homo; recenſe omnes habitus tuos, & affectus, quos gregatim paſcis; ſepara cunctas oues varias: quodcunque erit maculoſum, erit merces mea: vbi deprehenderis aliquid varium, & deuians à colore virtutis, hoc repone ſeorſum, illud abiura, ſerua tibi tantùm vnicolores oues, & diſcolores aſſignato. Si quæ virtutes emicant, illis aſſueſce; vitia verò exue, & Chirographum debiti reddam tibi. Diceres exugere prauum ſanguinem noſtrum, & induere peccata noſtra, quæ compenſat gratiis oppoſitis, ſuum ſanguinem inſtillando.

Geneſ. 30.

Ex SS. Patribus. *S. Auguſt. tract. 29. in Ioann. S. Bernard.*

Gen. 30. Gratitudinis figura in Iacob.

O praxim vtilem æquè, ac facilem! & cuius neſcij plerique homines, nullâ Communione Deo, neque etiam ſibi faciunt ſatis: ne in id piaculum incurras beneficij Dei immemoris, ſtatim gyra greges tuos; fortè occurret quædam animi propenſio in aliquam diſparis ſexus ſpeciem egregiam: & licet primâ fronte nihil obſcœnum anhelet; ſi tamen affectum illum reuoces ad trutinam ſagacis ſcrutinij, deprehendes illum ſuggerere turpia: eamobrem illum protinus auerrunca; etenim quidpiam illic furuum & varium Dei oculos offendit. Rurſus gyrans omnes animi motus in proximum tuum, reperies te iniquè ferre recenſionem laudum alicuius: perge & explora, quorſum ægrè feras ea quæ ſunt alteri propitia; tunc ſedulæ indagini ſe prodent, inuidia, & odium abditum: duo pecora varia ſtatim ſepara; quippe Deo diſplicent vtpote maculoſa. Demum ita gyra greges tuos, vt nihil penes te ſit inuium tibi; recenſe quid oculis arrideat, quid auribus, quid pruriens lingua ſæpius eloquatur; & ſi quid aſperſum maculis nouiet, ſepara, nuſquam initurus cum ea te commercium, & in æuum gregem tuum vnicolorem maculæ neſcium habe. Si meo morem geris conſilio, poſt communionem, gratum te Deo Domino præſtitiſti.

Examinis conſcientiæ figura eximia.

Euchariſtiæ beneficium inſigne, acceptum non ingratè, copioſos gratiarum imbres infundit in animas Dei memores, vt videre eſt ex figura Ioſeph, qui vbi fratres ſuos audiit pendiſſe probatam pecuniam pro frumento accepto, fecit quod habes hoc contextu Geneſeos. *Iuſſit miniſtris, vt implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis datis ſupra cibaria in via.* Ita & in ſinum noſtrum, gratitudinis noſtræ commoda refunduntur. Nimirum gratiæ Deo exhibitæ, acceptâ Euchariſtiâ, ſunt pretium, de quo conuentum eſt pro frumento electorum; ſi fideli ſolutione penſum eſt hoc debitum, imperat Deus ſuis miniſtris, ſcilicet Angelis, animas noſtras eo frumento repleant, & reponant pecunias in ſacculis noſtris, datis inſuper aliis eſcis, quibus & in reliqua ineunda via ſuſtentemur. Fitque vt memores gratiæ gratanter acceptæ, mereamur etiam noua chariſmata: ea enim eſt gratitudinis indoles, vt dum ſua præſtat beneficiis obſequia, eo ipſo deuinciat homines beneficos, & rurſus noua etiam bona mereatur. Hanc eius vim diſce à ſanctis & potiſſimum à Bernardo, qui ſic fatur. *Oportet gratum eſſe hominem & deuotum, qui percepta gratis munera, non modò manere ſibi deſideret, ſed & multiplicari.* Hæc ille: cui ſubſcribit Abbas Theonas, cuius meminit Caſſianus. *Grata* (inquit) *eſt huius fœnoris occupatio, quæ maiora dum ſoluitur argumenta conquirit.*

Ex Figuris.

Gen. 42.

Gratitudo noua meretur beneficia.

Ex SS. Patribus: *S. Bernard. ſerm. 2. de Dominica 6. poſt Penteceſt.*

Caſſianus Collat. 22. c. 1.

Ex Figuris.

Quam impensè Deus exigat hoc penſum gratiarum, ob Euchariſtiam, collige ex eo quòd ſanxit aſſeruandum manna, & reponendum penes arcam, locum ſanctum, vt iugis eſſet memoria tanti boni conceſſi Hebræis, quo itum eſt obuiam eorum inediæ, & quo item noſter panis ſacer typicè ſignabatur. Accipe textum ſacrum, quo Moyſes fratrem ſuum ſic erudit. *Imple Gomor ex eo* (ſcilicet manna) *& cuſtodiatur in futuras retro generationes.* Vt cordi noſtro inſitum ſit altius iſtud manna, vellem omnes homines ebibere animos, quos ſe habere teſtatus eſt Furnius: ſiquidem ille eximiæ gratitudinis edidit argumentum. Fuerat ille adeò iniurius Cæſari, vt iram eius morte tenus adſciuerit ſibi; tamen Cæſar animæquior factus, & habens Furnium ad arbitrium ſuum, non modò non recenſuit probra atque dicteria, quibus laceſſiuit eum Furnius; ſed amicè exceptum recepit in eorum hominum album, quos minimè deperibat. In ſtuporem actus homo malè ſibi conſcius, tanti beneficij velut impos, obortis lacrymis ait: Feciſti Cæſar vt viuam & moriar ingratus. Quaſi diceret, non ſæuiiſti in hominem maleficum tibi, ſed amicè excepiſti; non habeo quod rependam, ideóque mihi & viuo, atque exanimo notæ ingratitudinis inurentur. Diſce hinc formulam Deo colloquendi, ſuſceptâ Euchariſtiâ, mirare dignationem hanc immeritam, & allue te totum fletibus, ſi ſuppetunt, & Deum ſic affare: Feciſti, Ieſu, vt viuam & moriar ingratus; non enim me tibi moleſtum tuo vtique vitæ diſpendio, perdidiſti pro meritis, ſed veniâ indultâ in numerum conuiuarum menſæ tuæ inſuper euexiſti. Vltra me eſt debitum contractum; feciſti, amantiſſime, vt viuam & moriar

Exod. 16.

Ex Hiſtoria. *Seneca.*

Gratitudo Furnij erga Cæſarem.

Gratitudo ob Euchariſtiam olim à Deo figurata.

moriar ingratus, etſi non immemor gratiæ, quâ erotus diabolo, Deo redditus ſum: licet impar ego ſim muneri tanto; non deero tamen officio meo; totus effundar in affectum tuum, omniaque mea tibi pro viribus obſequentur.

Ex SS. Patribvs. S. Aug. Solil. c. 7. Gratitudinis exhibendæ Deo formula.

Ea fuit praxis Auguſtini, qui memor reprobæ vitæ ſuæ, patiens ecſtaſim, Deum ſic orabat. *Et vnde hoc mihi, ô Creator cæli & terræ & abyſſi, qui bonorum meorum non indiges, vnde hoc, quod dilexiſti me? ô ſapientia, quæ aperis os mutorum! ô verbum, per quod facta ſunt omnia! aperi os meum, da mihi vocem laudis, vt enarrem omnia beneficia tua.* Quanta ſint & quæ, alio capite commemorat: ſic ille.

Idem Solil. q. c. 13.

Perieram, abieram in peccatis, venundatus eram; veniſti pro me, vt redimeres me, & tantùm me dilexiſti, vt ſanguinem tuum in pretium dares pro me; dilexiſti me, Domine, pluſquam te, quia voluiſti mori pro me; tali pacto, tam caro pretio, reduxiſti me de exilio, retraxiſti me de ſupplicio, vocaſti me nomine tuo, ſignaſti me ſanguine tuo, vt memoriale tuum ſemper eſſet apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui prò me non receſſit à cruce: vnxiſti me oleo tuo, quo tu vnctus fuiſti, vt à te Chriſto dicerer Chriſtianus, & in manibus tuis deſcripſiſti me, vt ſemper ſit memoria apud te; ſi tamen memoria tua ingiter fuerit apud me: ſic igitur gratia tua ſemper, & miſericordia præuenerunt me.

Ex Figvris. Iſaia 3.

Non fuit ſatis Furnio, edere voces indices animi ſui grati; ſed & opera adiecit, Cæſari adhærens: ita & anima deuincta tot & tantis à Deo beneficiis non in ore tantùm, ſed in opere ſuos debet probare affectus, vni Deo intenta, cui & in communione ſuam debet inopiam exhibere. Et hæc eſt coronis Euchariſtiæ acceptæ. Vt liquidior autem ſit hæc praxis, audi Iſaïam eam præſignantem, quando ait fore tempus, quo nudi, & famelici homines, hominem quærent, à quo & indui, & ali poſſint. Sic Vates ait, eos hominem illum conuenturos. *Princeps noſter eſto, ruina autem hæc ſub manu tua.* Illis ergo Iſaïæ vocibus inſiſtamus.

Gratitudinis poſt cõmun. formula practica.

Actis Deo gratiis, & corde, & ore tenus, tenaci propoſito æternum ei voueamus obſequium, & dicamus: O præpotens Ieſu, Princeps noſter eſto; hactenus mundo, & carni fuimus obſequuti; pœnitet nos eorum ſubiiſſe iugum inglorium: hactenus eſto Princeps noſter, vt benedicat tibi anima noſtra, & omnia interiora noſtra etiam tibi famulentur. Deinde ruinas animæ tuæ aperi dicens: Heu Domine, vide quas ediderit libido ſtrages in anima mea, quæ adhuc eo obſcœno nigreſcit incendio: ſub manu tua hæc ruina eſto. Superbia nos euehens ſurſum præcipites egit & colliſit, adeò vt quaſi impotes ſimus ad omne bonum: ſub manu tua hæc ruina eſto, caſtitatis & humilioris animi dona largiendo. Obuiæ tibi ſunt, ô Princeps, ruinæ omnes, quæ lacerant animam noſtram, tuæ opis indigam: quamuis confeſſio diluerit noxas, non deleuit tamen propenſionem ad noxia; & eâ propenſio eſt ruinæ obnoxia, ſi nobis, ô Rex Regum, tuâ pronidâ curâ & ſtudio minimè conſulatur.

Ex SS. Patribvs. S. Auguſt. lib. Confeſſ.

Auguſtinum habes, quem ſequaris ſic orantem. *Anguſta eſt domus animæ meæ, vt venias ad eam, dilatetur ex te; ruinoſa eſt, refice eam: ô Domine Deus noſter in velamento alarum tuarum ſperamus, protege nos, quoniam firmitas noſtra quando tu es, tunc eſt firmitas; cùm autem noſtra eſt, infirmitas eſt.* Si ſocius es orationis, conſcius eris quoque gratiarum. Faxit Devs.

HOMILIA OCTAVA.

SVMMA HOMILIÆ.

1. Exordivm petitur à Philoſophia, exoſâ infinitum, quia verſatur tantùm in rebus Phyſicis, quæ ſunt determinatæ ad vnum, ob defectum naturæ, quæ cùm ſit ipſa finitæ virtutis, nihil producere poteſt interminum: vnde ille inſipiens eſſet, qui hominem hortaretur vt corporea mole aſſurgeret in modum proceræ arboris. In rebus ſupra naturam nihil eſt terminatum: Verbi gratiâ; Anima Deo grata poteſt ſuſcipere gradus gratiæ plures quàm quis aſſignare queat, ideò benè ait Chriſtus. *Eſtote perfecti ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Nam anima vſque ad extremum ſpiritum poteſt procedere.

2. Dico proceſſionem illam, quâ poſt cœnam Apoſtolos duxit Ieſus in montem Oliueti, eſſe ideam progreſſus noſtri, qui debet fieri aſcendendo: hic autem aſcenſus attenditur penes virtutum praxim

3. Si quos autem decet proceſſus ad virtutem, & ad gratiæ apicem, quam denotat mons Oliueti; eos maximè decet, qui ſunt corporis Chriſti, pane Delfico ſaginati.

4. A monte Oliueti Chriſtus perrexit in montem Caluariæ; inſinuans, eos quos gratia vberior alluit, ſociari etiam Deo ſuo crucifixo: ſumma enim virtutis ſe prodit in agone, & ærumnis.

PRÆFATIO.

Exierunt in montem Oliueti, *Matth. 26.*

ACcurata deſcriptio Chriſti euntis in montem Oliueti, ſtipante eum diſcipulorum choro, peractâ cœnâ, ſapit ritum Eccleſiæ, quæ in fine Octauæ inſtitutæ ad honorem Euchariſtiæ, proceſſiones indixit, quas fœderis arca olim circumducta præostendit. Circunduxerunt arcam Dei Iſraël; illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis. *Ea arca manna reconditum in vrna aurea recludebat: ita & in proceſſione noſtra præfert Eccleſia, & circumagit thecam, ſeu pixidem auream quæ abditur manna ſacrum corporis Chriſti: fit reuera manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ; nam aereæ poteſtates, principes, & poteſtates, rectores tenebrarum harum, ad fugam hoc lumine percelluntur. Simile quidpiam accidit in ea proceſſione hodierna, quæ ſtetit primò in monte Oliueti, vt inde procederet ad montem Caluariæ. Occurrerunt Chriſto nebulones, homines ſicarij, & anhelantes necem Domini illis omnibus benefici: ſed vbi aſtitere coràm, ſtatim abiere retrorſum. Securi ergo ſequaces ſimus proceſſionis hodiernæ, ſub ductatu Chriſti, qui præit, & quem hodie Eccleſia educit de ſuo abdito ſacrario, vt luceat omnibus qui in domo ſunt, & ab omnibus adoretur. Rurſus alumnos ſuos edocuit Eccleſia, eos multis titulis Chriſto addictos eſſe, & præſertim eo nomine, quòd pauerit illos frumento electorum; hodie vult vt memores tanti beneficij, æmulentur animum eorum populorum, qui paſti à Chriſto voluerunt eum rapere vt facerent eum Regem. Hodie regio apparatu Chriſtus ſub vmbella fertur, vt omnes illius dominio mancipentur: ſed vt Salomon regni conſortem fecit matrem ſuam Bethſabee; ita & Chriſtus, qui vt ſibi adſciſcit latriæ cultum, ita vult matri ſuæ deferri cultum hyperduliæ; hunc autem reddimus vocantem eam gratia plenam.* Aue Maria.

1. Reg. 5.

Euchariſtiæ proceſſio olim fuit figurata.

Natura eſt determinata ad vnum.

EX PHILOSOPHIA: *Ariſt. 3. Phyſ. c. 8. à textu 40. vſque ad textum 56.*

INterminum omne natura neſcit, poſitura modum ſuis effectibus, quando ſe accingit ad agendum: quare autem quælibet cauſa merè phyſica, & infra Deum ſit infiniti prorſus impatiens, vt Philoſophia tota clamat, ratio petenda eſt ab imbelli cauſâ, quæ eos nequit effectus exerere, ad quos virtus petitur infinita. Natura item dicitur determinata ad vnum in omnibus agentibus, eò quòd vnicuique Deus tribuerit vim actiuam, in numero, pondere, & menſura. Nec eſt quòd inſtes dicens, effectum æmulari indolem ſuæ cauſæ, & ſic agentia naturalia eſſe virtutis infinitæ, quia à Deo qui eſt infinitæ virtutis, effluxerunt. Vera enim eſt inſtantia tantùm in rebus vniuocis, & eiuſdem ordinis; vt ignis ab alio igne editus, eiuſdem eſt rationis cum igne, cuius eſt ſoboles & propago: at ſecus eſt in rebus æquiuocis, & diſſiti ordinis. Verbi gratiâ, ranæ quas Sol è colluuie ſtabulantis aquæ in cœno progenerat, non vendicant ſibi radios Solis, nec alios titulos eius, quia ſunt naturæ diſparis, quâ ab hoc ſydere diſpeſcuntur. Ita & cauſæ omnes ſub Deo quantumuis efficaces, Deum omnino non referunt, quia Deus liberè ſe effundens, pro arbitrio ſuo dedit cauſis principium, modum, & terminum actionis. Et hinc non poſſe naturam pertingere ad aliquid infinitum, ſcilicet quòd vnaquæque virtus ſit infinita, potiſſimum petitur argumentum. Ideò cùm in omnibus natura ſuum tenorem ſeruet, exoſa infinitum, ſe contrahit intra ſuos fines, nihilque molitur extra limites à Deo præſtitutos. Verbi gratiâ, nulla vnquam ouis aſſecuta eſt Elephantis molem, nec Elephas vnquam fuit ouis ſimilitudine decurtatus. Itaque inepta eſſet eius hortatio, qui homines excitaret, vt aſſurgerent in modum proceræ arboris; inferens, hominem nobiliorem ſtipite, debere etiam ſe componere ad altitudinem arborum excelſarum. Inſulſa quippe foret illatio, cùm dignitas hominis non petatur à corpore aut ſenſibus; plurima namque bruta ſenſuum acumine præeunt homini: ſed hominum ſimul inſignes penes animam ſunt, quæ teſte Deipara Virgine in eum poteſt gratiæ apicem ſurgere, ſicut & gloriæ, vt omnes Angelorum ordines antecellat. Eò pertinet illa ſolennis proceſſio Apoſtolorum, Euchariſtiâ acceptâ: proceſſerunt enim à cœnaculo ad montem Oliueti, ſub ductatu Chriſti, qui eos benè paſtos corpore & ſanguine ſuo, duxit in montem Oliueti, vt illic copioſiore gratiâ acceptâ, attingerent etiam montem Caluariæ, ad quem ille vnus Apoſtolus proceſſit tantùm, qui de ſinu Chriſti vberiores gratiæ latices epotauit.

Euchariſtia animas vrget ad proceſſum.

Ad imitationem proceſſionis illius factæ finitâ cœnâ, ipſe idem Chriſtus, in fine Octauæ inſtitutæ ad honorem Euchariſtiæ, fideles omnes anteit in proceſſione; inſinuans, vitam noſtram debere eſſe perpetuum inceſſum, & progreſſum, vt dicam primò explicans textum propoſitum homiliæ. *Exierunt in montem.* Prior pars erit tota in hanc vocem, *Exierunt*, quæ proceſſionem generalem indicit omnibus; quo enim quiſque longiùs exit ab infimis, propiùs accedit & procedit ad ſuperna. Altera parte expendam vtrumque montem Oliueti videlicet atque Caluariæ, & dicam noſtram proceſſionem dirigi ad apicem gratiæ, quam denotat Oliueti mons, vt athletarum inſtar vncti oleo illo ſalutari, non horreamus crucem, clauos, vepres, & flagella, quibus procedentes diſcipuli, & digni Caluaria, & agone Chriſti, fortiter exercentur.

Pleróſque torſit iſte textus, quo Chriſtus ſuos ſymmyſtas vrget, vt ſe æmulos Dei præſtent; ait enim. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Nimirum non concordant ſancti ſcholiaſtæ, dum ad trutinam Theologiæ expendunt iſtam parænesim. Dicere Chriſtum voluiſſe ingerere amorem in eos, qui ſunt nobis inimici, ex ſimilitudine Dei benefici in reprobos, ieiuna nimis eſt illa cogitatio; nam ſumma virtutum non eſt penes amnyſtiam, ſeu animum immemorem iniuriarum. Rurſus adiicere, hominem poſſe ad eam pertingere vnionem, vt vnus cum Deo efficiatur, & particeps perfectionis eius, alienum eſt à textu, qui comparat vnum vni: nulla autem eſt comparatio eiuſdem ad ſeipſum; & ſic exploditur illa explicatio, quæ Deum & hominem perfectum, vnum quid facit, & eâdem trutinâ perpendendum. Quamuis enim ex codice ſacro,

Matth. 5. Perfectio Dei quare propoſita homini ad exemplum.

Qui

Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus efficiatur, non id identicè explicandum eſt, ſed participatiuè tantùm, & vt ferre poteſt hominum indoles. In textu tot vepribus implexo, meam aperiam ſententiam, &, ni fallor, ad ſcopum ſeu intentum Chriſti non inniè collimantem.

Ex Propania. *S. Thom. 1. p. q. 7. art. 2.* Perfectio Dei in quo ſita.

Summa Dei perfectio in eo maxime ſita eſt, vt ſit intermina, & omnino infinita: qui vult ergo perfectus eſſe in modum Dei, nullas ſibi debet præfigere metas, aut terminos perfectionis, ſed procedere in immenſum; atque ita continua proceſſio ad gratiam ſen montem Oliueti, eſt quædam imitatio Dei, terminos eminentiæ omnimodæ tranſcendentis. Itaque Chriſtus volens ſeqnaces ſuos eſſe perfectos, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt; voluit eos eſſe perfectos ſine termino in affectu, vt Deus eſt in effectu perfectus interminè: hæc autem perfectio intermina in voto, eo proceſſu in montem, quò ſe contulerunt Apoſtoli, optimè deſignatur. Sicut enim collocatione pedum alternatim ſibi præeuntium, fit corporea proceſſio; ita & proceſſus fit animarum adiectione gratiæ, ſen intenſione, & eò pertinent omnes ad progreſſum ſpiritalem Chriſti parænes. Hæc autem proceſſio in montem Oliueti, ſeu aſcenſus ad gratiam, quâ velut inunguntur oleo Chriſti, eius olympionicæ initiati ſacris myſteriis, hoc inquam gratiæ augmẽtum malè audiit apud hæreticos, qui æquale gratiæ in omnibus prædicant incrementum. Ingrata hæc de gratia ſententia peſſum it, ex codice ſacro. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit; & creſcit vſque ad perfectum diem.* Item. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* In hoc choro non ſilet præcentor ipſe & Pſaltes Dauid. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem.* Præfatos textus pertinere ad proceſſum animarum, audi ex ſanctis Patribus, qui huic progreſſui ſuffragantur. Præit Baſilius. *Virtutem augent quotidie, qui vitam pietatis exercitio deditam amplexi ſunt.* Auguſtinus gratiam ait facere gradus idoneos aſcenſui in montem Oliueti. Sic ille. *Facit illi gradus (gratia, ſcilicet iuſto) quibus aſcendas: vbi illi facit gradus? in corde; quantò ergo plus amaueris, tantò plus aſcendes.* Accedit Gregorius. *Quando vnaquaque virtus, quaſi quibuſdam gradibus agitur, & ſic per incrementa meritorum ad ſumma perducitur.* Et alibi. *Peccator quiſquam, dum ſe in lacrymis humiliter affligit in corde; per aſcenſum virtutum proficit.*

Prouerb. 4. *Apoc. vlt.* *Pſalm 83.* Perfectio animæ in quo ſita. Ex SS. Patribus. *In Pſal. 83.* *Homil. 11. in Ezech.* *Idē hom. 19.*

Ex Philosophia. Gratia Dei quomodo augeatur. *Ariſtot. lib. prædic. c. 8.* Ex Theologia.

Philoſophia etiam hîc ſuas poteſt obire vices, etſi gratia non ſit iuris eius, vtpote ſuperioris ordinis; tamen qnia Gratia eſt in genere qualitatis, differentia illa ſpecifica ſcilicet ſupernaturalis, non expungit rationem genericam, quâ intenſio eſt propria qualitati. Ergo intendi poteſt gratia, & reuerà intenditur, vt ſatis ſupérque liquet ex ſanctis Patribus, & textibus ex ſacro codice recenſitis. Illa vero gratiæ intenſio petitur à triplici fonte, ſcilicet ex voluntate Dei, ex cauſis item gratiæ, & demum ex conamine ſubiecti. Augeri gratiam annuente Deo, & ex beneplacito illius ait Apoſtolus. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti*: cùm enim Deus non ad æquilibrium gratiam impertiat, ſed ad menſuram illi placitam; benè primo ex inſtituto Dei, gratiæ petitur incrementum. Nam pro varia inhabitatione Dei, variat & gratia, at non eo planè modo per gratiam inhabitat, vt diſſerit Auguſtinus. *Qui vbique eſt, non in omnibus habitat, & in quibus habitat, non æqualiter habitat. Et vnde in omnibus ſanctis, alij alijs ſanctiores, niſi abundantiùs habentes habitatorẽ Deum?* Secunda ratio augmẽti gratiæ attenditur ex cauſa gratiæ quæ efficacius influit: Verbi gratia, ſacramenta nouæ legis præſtant circũciſioni, quæ etſi gratiam inueheret, tamen ea quam baptiſmus influit vberior eſt, vt Paulus inſinuat. *Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus.* Tertia demum ratio augmenti petitur ex modo cooperandi, vt enim Canones ſancti clamant, ſacramenta agunt, aut feriantur iuxta præuias diſpoſitiones, vt ſi malè ſe habeat anima, nec conteri velit, ratione obicis erunt irrita ſacramenta: Sin verò ſecus præeant ſacramentis pia alia præludia, vt orationes, ieiunia, eleemoſynæ, & affectus omnino anhelus, erit copioſior ille influxus gratiæ, quia ad ſuſceptionem Sacramenti anima accinxit ſe ſanctiore præambulo: ſic enim à Deo decretum eſt, vt illic adſit vberior gratia, vbi præfuerit ſanctior apparatus.

Epheſ. 4. Gratiæ Dei varia eſt diſtributio. Ex SS. Patribus. *Epiſt. lib. 57.* *Tit. 3.* Ex Ivre Canonico. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. Can. 6. 7. 8. ſeſſ. 5. 6. 10. & can. 24.*

Doctrina illa canonica ea eſt, quæ Sanctorum Patrum, Ambroſij & Auguſtini, quorum Ambroſius explicans locum illum Pauli antea recenſitum: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti*: Sic ſcribit. *Non tamen ſine æqualitatis menſurâ, quia vnicuique pro viribus tribuit, vt tantùm hauriat quantùm ſitit.* Illa noſtra cooperatio gratiam intendens, eſt proceſſio in montem Oliueti, quiſquis enim virtutes virtutibus adiicit, ille progreditur, multâ ei gratiâ ſuffragante. Hoc ſonat Apoſtolus, dum hortatur. *Ambuletis dignè Deo, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes.* Quem locum Auguſtinus ad proceſſionem noſtram appoſitè commentatur. Sic ille. *Ambulatio iſta non corporis pedibus, ſed mentis affectibus, & vita moribus geritur, vt poſſint eſſe perfecti iuſtitia poſſeſſores, qui recto itinere fidei de die in diem ſua renouatione proficientes, iam perfecti facti ſunt eiuſdẽ iuſtitia viatores.* Hæc ille. Quidpiam ſimile dixerat Dauid. *Benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.* Id eſt, præſuppoſitâ Dei gratiâ iam illapsâ, ſinguli virtutum actus, ſunt animæ motus, & proceſſus in montem, illò quò ſuos Chriſtus eduxit diſcipulos, refectos carne ſua, ac proinde ad virtutis apicem euehendos. Imò ideò ait Auguſtinus, datam eſſe legem hominibus, vt iuſtificẽtur ex obſequio præſtito Deo legifero, iuxta illud Apoſtoli. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Quo ergo maior erit ſequela, & obedientia legis, eò erit iuſtitia diffuſior, & proceſſio ad virtutem alacrior, ſicut liquet hoc Canone Concilij Tridentini. *Euntes de virtute in virtutem, renouantur de die in diem, per obſeruationem mandatorum, in ipſa fide per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt ac magis iuſtificantur.* Non ergo audiendi hæretici, proceſſum animæ ſubſannantes.

Ex SS. Patribus. *Epheſ. 4.* *In locum illum Epheſ. 4.* Perfectio ſita in progreſſu. *Coloſſ. 1.* *Lib. 1. de peccator. merit. c. 13.* *Pſalm 83.* *Rom. 2.*

Quomodo, & quando debeat fieri ille proceſſus ad virtutem, Chriſtus Deus fecit palàm, ſuos diſcipulos ſtatim poſt communiooem educens in montem, quaſi inſinuans, progreſſum ad faſtigium gratiarum, decere eos maximè, quos optimæ corporis, & ſanguinis Chriſti epulæ ſaginarunt.

Ex Figvria. 3. Reg. 19.

Io cuius rei fidem, Elias paſtus eo pane, quem porrexit Angelus, ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Horeb, qui ille idem eſt ac mons Sinaï, vt ex Deuteronomio liquet, vbi Moſes *cœpit explanare legem, & dicere: Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb.*

Deut. 5.

Id eſt in monte Sinaï, qui eſt ſymbolum legis inibi promulgatæ.

Euchariſtia vrget nos ad perfectionē.

Qui igitur volet aſcendere cacumeo montis, vnde lex effluxit: id eſt, qui anhelat ad perfectum legis obſequium; ille panem Angelorum accipiet, & ambulabit io fortitudine cibi illius, vſque ad mootem illum Sinaï, id eſt, beneficio illius Angelici panis, ita ſe aſſiduum exhibebit io obſeruanda lege, vt etiam eius minimos apices aſſequatur. Eamobrem eſt quod miremur, tantam eſſe hodie frequeotiā hominum, qui vtuntur illo pane ſacro, & tamen adeo raros eſſe, qui procedant atque proficiant. Vnde hæc remota inhibens greſſus? imò vnde retrograda proceſſio, & io abyſſum dehiſcentes animæ? niſi quia ore tenus tantùm, deglutiunt panem ſanctum, de apice montis Olíueti prorſus incurij: ideóque neceſſe eſt ad infima collabantur. Namque ſicut ſurſum euehitur ſtudioſus legis ſacræ; ita abit deorſum & in præceps, qui ſe neſcium legis præuaricando probat: potiſſima quippe proceſſio attenditur, ex via mandatorum Dei, quam qui decurrit inoffenſo pede, ille non longè eſt à cacumine montis Horeb, vbi Deus Moyſem & Eliam dignatus eſt eo beato aſpectu ſuo, quem potuit homioum viſio ſuſtinere.

Hominum præcipuum progreſſum reponi penes ſtudium legis, diſce ex Dauide Rege, Salomonem præmonente; & vtinam Rex ille immemor patris, & legis diuinæ deſertor, dicto patris obediens extitiſſet, noo feciſſet nobis aoimæ ſuæ ſalutem dubiam: quis euim audeat aſſerere eum euectum ad apicem gloriæ, quem non conſtat ad culmen gratiæ, legis obſequio, proceſſiſſe? Sic eoim præſcius patens fuerat affatus.

1. Paral. 22.

Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata. Quaſi diceret: Fili, ne repone progreſſum tuum penes ampliationem regni tui, aut augmentum gloriæ ſæcularis: non hooor eſt hîc, ſed attende legi, illi collabora, ab ea ne diſcede, vel latum vnguem ſubtrahe, totus eſto io mandatis, & eorum ſuffragio proficiens, ad ſuperos poſtmodum eueheris.

Ex Historia. *Dominus Ioinuille hiſtoria ſua, c. 89.* S. Ludouicus Rex Galliæ concordiæ amātiſſimus.

Eadem ætate quâ Salomon, Rex Galliæ Ludouicus IX. andiit à piâ parente ſua, proceſſionem animarum, imò & Regnorum potiſſimum decus, non eſſe ſitum in augmeoto ditionum, ſed in intenſione gratiæ, quæ ex legis diuioæ cultu ſuum potiſſimum accipit incrementum. Eamobrem Rex ille memor præceptorum, grandior effectus & ſui iuris, audiens Reges exteros, & Galliæ conterminos, armis ſe laceſſere mutuis, & quaſi meditari ſuam vniuſcuiuſque perniciem, ingemuit Rex ſanctus; dicens, iurgia atque diſcordias non eſſe compendioſa itineta, quibus coronæ attingunt ad gloriam, breuíque eos Reges ſuâ diſcordiâ perituros. Eſto inquit vnus aſtantium, diſpereant regna litigiis, dummodo Galliâ ſit ſuperſtes, tibi enim, ô Rex, longè latéque parens aperitur campus ampliandi fines tuos; quippe tuis vicinis infirmantibus ſeſe iugi litigio, ſi vis fouere diſſidia, immune tuum erit regoum, bello intetmino regna cætera depaſcēnte. Auribus patulis exceptum eſſet forſan ab alio Rege iniquum conſilium, producendi fines regni ſui nutriendo ſemioa iurgiorum, quibus vrebantur vicinæ plagæ: at Rex Gallus. Abſit (inquit) à me animus diſcolor & iniquus fautor diſſidij; volo ego componere diſſidia Regū, & amari potiùs quàm timeri à conterminis oris: Chriſti lex eſt concordia; eamobrem nolo mea pomœria iurgiis, ſed legis Chriſti obſequio propagare.

Concordia lex Chriſti.

Quod animo pium concepit facinus ſtatim edidit; nam diſſidia Regum compoſuit, pacémque reducem dedit regnis, vnde eam animus inquies abegerat: ſuóque animo concorde tantùm profecit apud omnes, quantùm ouſquam omnes, qui concordiam exoſi, credunt iurgiis poſſe ſuos limites ampliari.

Decalogi obſeruatio neceſſaria ad perfectionē.

Vera ergò proceſſio ea eſt, quam Dauid inſinuat, & quâ fuit ipſe conſpicuus, vt geſtiens ait. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Credo ſubolere myſterium idoneum intento noſtro, voces illas pareotum Rebeccæ.

Gen. 24. Perfectio in decalogi ſita obſeruantia.

Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur. Anima noſtra puella eſt ingenua, deſponſata Deo: manet decem dies quando perſeuerat in obſeruatione Decalogi, cuius decem mandata, dies decem ioſiouant, citra quos nequit anima proficiſci. Quod ſi legis cultus animas aptat ad proceſſum, quid putas fore de his, qui ad hoc legis obſequium adiiciunt vſum panis, cuius ipſe etiam nudus typus præſtitos Eliæ, ambulaoit in fortitudine cibi illios vſque ad montem Horeb? Duo igitur ſunt veluti prælndia ad proceſſionem animarum; vnum eſt vt maneat decem dies; alterum eſt, vt poſtmodum epuletur.

Et hinc diſce, ô homo, qoid remoretur proceſſum animæ noſtræ: nam ſi deſes te adhuc in limine virtutis, & animam tuam neſciam omnis progreſſus; ex præfatis colligam eſſe te incurium Decalogi, id eſt non curare legem Dei, ac proinde te aliquo luxuriæ, rapinæ, odij, atque periurij crimine deuinciri. Audi me opportunum tibi conſultorem. Maneat puella ſaltem decem dies, & poſteà proficiſcetur: anima quæ necdum oouit virtutis incunabula, adhuc puella eſt; deuoueat ſe cultui decem præceptorum, oullo excepto, vt ſit idonea proceſſui, & demum ad epulas ſacri corporis euehetur.

Ex Mathematica. *Clauius lib. in Sphær. c. de longitudine imaginum cœleſtium.* Euchariſtiæ effectus, ex figura globi cœleſtis.

Tunc maximè proficiet anima, cùm fuerit paſta pane illo, cuius eſu in monrem Oliueti proceditur; etenim panis ille, quaſi alas aptat, vt volemus, vt & videre eſt ex cœlica Matheſi, è cuius globo cœleſti multæ imagines proſtant humanâ ſpecie, & ſtelligeræ omnes, vt Bootes, Erichtonius, Ophiucus, Andromeda, Orion, Gemini, Centaurus; & tameo alæ oulli earum figurarum adaptantur. Vna eſt figura, quæ puellam refert, & ſpicam tenet manu, quæ alis inſtructa eſt, & adeò magnis, vt ferè totam tegant; proprium namque eſt iſtius ſpicæ frumenti electorum, adeò opimè animas reficere, vt & maiores inde ſpiritus exhauriant, qui ad maiora audenda valeant animas olim ſegnes validè perurgere. Sicque homo veluti ſtimulis actus, & alatus

expeditè

Pſalm. 147.

expeditè procedit in montem, beneficio pinguis huius panis, quem adipem frumenti nuncupat Dauid.

EX RE MEDICA. *Fernelius lib. Phyſiologia.*

Alacritas illa emergens ex hoc pane, ſtabilitur & re medica, quæ eruditè docet, ſpiritus quibus vegetatur homo, totúmque cietur corpus eius, à ſanguine ſua capere primordia; ideóque quia ſanguis duobus veluti canalibus totum alluit corpus, venis ſcilicet atque arteriis, duplicem dixere ſanguinem eſſe, periti illi humani corporis inſpectores. Alium voluere naturalem eſſe cruorem, qui rubet in hepate, & ſubit inde venas: alium vitalem, puriorem effectum cordis induſtriâ, inſinuantem ſeſe in arterias, & iuxta vtriuſque ſanguinis indolem, aſſignant duo genera ſpirituum, quos vocant naturales, & vitales, è quibus alia ſoboles emergit, quæ defluens è capite dicitur animalis. Hi ſpiritus aliis præſtant, quòd non modò puriores exiſtunt; ſed influunt in eas corporis facultates, quibus ſentit & mouetur: nec indiſcriminatim ſuos hos ſpiritus caput ſpargit ſine delectu vaſorum; imò quaſi caput eſſet incurium partium cæterarum, ſolis tantùm neruis, vtpote capiti inſitis, ſuos ſpiritus impertitur. Et hinc oriunda proceſſio corporis, quod quandóque paralyſi diſſoluitur, & patitur ἀναισθησίαν, id eſt, fit ſenſus expers, ſi ſpiritus intercipitur, aut cerebrum non influit; non influit autem, ſi hominis habitus ſit ἄναιμος καὶ ἄσαρκος, id eſt exanguis, & ſine carne; vnde ἀκινησία, καὶ δυσκινησία, immobilitas, vel ſaltem difficultas ſe mouendi, quæ omnia ſunt hominis præludia perituri.

Sanguis alius naturalis, alius eſt vitalis.

Paralyſis vnde fiat.

Quomodo autem iſta quadrent Euchariſtiæ, & proceſſui animarum, vide: tota hominum compages vnum efficit corpus ciuile, in quo varia vaſa varios ſpiritus habent & concludunt; alij homines ſpiritu prophetiæ pollent; alij alio ſpiritu inſignes, vt ſpiritu quo idonei ſunt ad ſcientias, alióſque habitus naturales aſciſcendos. Hi tenerà ſpiritus, quibus homo pertingit ad artes, atque peritiam rerum humanarum, ſunt merè naturales, & emergunt à ſanguine naturali, ideóque ſunt inepti ad ciendum corpus, vt procedat ad montem gratiæ; imò hunc ſpiritum vt inflantem ſugillat Apoſtolus. *Scientia inflat*, inquit. Item & Bernardus, ſpiritum hunc quandóque noxium flocci facit, dum ſic ſcribit. *Sunt qui ſcire volunt, eo fine tantùm vt ſciant, & turpis curioſitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt, qui profectò non euadent ſubſannantem Satyricum.*

Scire volunt multi ob fines diuerſos.

1. *Cor.* 8.

EX SS. PATRIBVS. *S. Bern. ſerm.* 37. *in cant.*

Perſ. Satyr. 1.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.
Et ſunt item qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, & turpis quæſtus eſt. Spiritus illi naturales fiunt, & vitales, quia conducunt ad vitam huius ſæculi, cum gaudio tranſigendam.

EX RE MEDICA. *Arnol Villanoua in lib. Schol. Salern. Duret in Coac. Hippoc.*

Ad Geneſim atque propaginem horum ſpirituum, quæuis alimenta ſatis ſupérque faciunt: aſt ad eos ſpiritus pellucidos, & celeres qui euehunt corpus, non ſufficit eſca vernacula, vt porcina & caprarum: fit enim, vt medici monent, ἐντεθεικότας καὶ ὁ πλεονάζων χυμός, putidus & redundans humor; vtque loquuntur Proceres rei medicæ, ὑπὸ τῶν μοχθηρῶν χυμῶν πλεονεξία γίνεται τῆς νωθρότητος, prauorum humorum abundantia generat difficultatem ſe mouendi: ſed agnorum grandiorum caro, multos hos ſpiritus creat, vtpote ſucculenta. Namque ea caro homini magis idonea, ſanguinem vberiorem parat, atque puriorem, qui eſt veluti ſemen eorum ſpirituum, qui capiti inſident, vt inde percellant hominem totum. Eo planè modo, quæuis profeſſio idonea eſt ad ſpiritus naturales, ſeu ad peritiam rerum humanarum, vt videre eſt in Nerone, qui luxuriæ addictus, & quaſi porcinâ, & hircinâ carne viuens, plurium artium ſummam ſuo Marte ſibi comparauit. Spiritus verò qui deſurſum effluunt, maximè fiunt ex carne Agni, qui tollit peccata mundi; hæc enim caro multo ſucco madens, alluit ſanguine totum corpus, dum in Communione percipitur. Exorientes inde ſpiritus ſunt gratiæ fluentes è capite, ſcilicet Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ, & cuius influxu, potenter ad virtutis inuios olim calles, animæ ſcilicet, & corpora percelluntur. Horum beneficio ſpirituum habet anima, vt non moueatur tantùm, & procedat, ſed vt etiam ſentiat: quippe ex vſu Euchariſtiæ, anima vegetior & pinguior effecta, ſapit ea quæ ei terrenæ fuerant inſipida? Verbi gratia, oratione, & ieiuniis afficitur homo poſt Communionem, ad quæ tamen anteà ieiunus, & pertæſus cœleſtia nauſeabat.

Spiritales animales pellucidi ſunt.

Spiritus egregij fiunt ex ſalutari eſca.

Euchariſtiæ cibus ſpiritus bonos creat.

And. Laurēt. in hiſt. Anatomica, c. de cerebro.

Et quod benè quadrat Chriſto in Euchariſtia, cerebrum non ſentit παθητικῶς, ſed ἐνεργητικῶς: ideſt, etſi non ſentiat, dat tamen omnibus ſenſibus vt ſentiant: nerui enim deriuati à cerebro feruntur in organa quæque ſingulorum ſenſuum, quibus mediis hiſce canalibus, ad obeunda ſua munia, cerebrum congruos ſpiritus impertitur. Ita Chriſtus in Sacramento eſt impaſſibilis, & non ſentit; ab eo tamen accipit anima, vnde ſentiat & afficiatur ſanctis affectibus: non mouetur ſurſum nec deorſum; & tamen infundit eos ſpiritus, quos requirit illa proceſſio ad virtutem, quam hymno dicto Apoſtoli inierunt, Chriſto duce pergentes ad montem illum Oliueti, quem gratiarum eſſe diximus argumentum.

Ad hos ergo maximè proceſſio pertinet, quibus eſt peruia menſa Chriſti: eos enim dedecet ignauia, quos cibauit Chriſtus, eo potiſſimū fine, vt erutos infimis, ad cœleſtia paſtos erigeret, & aliis proponeret in ſpecimen virtutis emeritæ, vt eorum exemplo, anhelante gratiam, alij homines ſegregati à menſa Dei, vitam illam innoxiam poſtmodum æmulentur. Suppetunt ex ſcriptura figuræ prædiuites, quæ hactenus prælibata ſonant; ſcilicet proceſſum, & exemplum aliis propoſitum, ad eoſdem ineundos calles gratiæ: vt enim ſpiritus è capite emergens, communicatur primò neruis, qui eum & aliis partibus aliquo modo largiuntur: ita gratia Euchariſtiæ primò eos imbuit, qui veluti nerui, id eſt fortes & ſtrenui ei adhærent: demum aliis etiam proficua eſt, in eo quòd anima paſta illo edulio, ſe ducem præbet ad obeundos calles, qui euehunt ſurſum animos ſupinos, & deorſum inclinantes. Subodoror vtrumque, ſcilicet progreſſum, & exemplum ex hoc textu, vbi ait Eſdras populo. *Ite, & comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes eis qui non parauerunt ſibi.* Cùm audis iſta duo ſimul, ite, & comedite, puta eſum adipis frumenti, & proceſſum, eſſe res implexas indiuiduo nexu, ita vt edere, & ire coëant: rurſus mittere partes eis qui non parauerunt, eſt ſe præbere exemplum bonorum

Euchariſtiæ vis ad perfectionē animæ ſuadendum.

EX FIGVRIS. 2. *Eſdra* 8.

norum operum; cùm enim virtus ſit effectus Euchariſtiæ, ille qui virtuti attendit, mittit partẽ Euchariſtiæ ei, qui illa die non adſuit illi myſterio, cuius beneficio opiparè homines epulantur.

Lubet hîc hortari eos, qui adeò aſſidui ſunt in altari, & tamẽ deorſum vergunt: Ite & comedite pinguia, quid retrogrado calle reditis ad vomitum, ſegniores poſt Communionem, quàm antea? crebra deliquia arguunt cor imbelle, vtpote febriens aut afflatum aurâ virulentâ. Vide ergo, ô homo, an aliquis reprobus affectus æſtuet in abdito & penitiore receſſu cordis tui, qui inhibeat proceſſum tuum. Item ſingulis quibuſque diebus Communioni ſacris, teipſum explora, & à te exige, quas partes miſeris eis, qui non parauerunt ſibi, id eſt, quale facinus egregium edideris illa die, vnde quiſque poteꝛit colligere, te refectum hoc epulo, animas & corpora ſaginante. Namque gratia adeò ſalutaris eſt animæ, vt & redundet in corpus. Denuò nota has voces, ite, & comedite, notare progreſſum debere præire in affectu, antequam in effectu; id eſt, eos qui accedunt ad altare, debere proponere aliud vitæ ſchema perfectius eo, quod effluxit: qui enim concepit animo meliorem frugem, ille progreſſus ſui medium iter emenſus eſt, reliquumque Communionis obſequio facilè peragrabit.

Aquila eſt typus animæ perfectæ.

Ex SS. Patribus.

In c. 17. Luc. l. 8. c. 7.

Idem lib. de Elia.

Homil. 24. in 1. Corint.

Eò collimauere Patres Sancti; cùm dixere, eſſe aquilarum menſam; ſic enim fatur Ambroſius. *Circa hoc corpus aquilæ ſunt, quæ alis circumuolitant ſpiritalibus.* Quaſi diceret, deſideriorum alis eſſe accedendum ad hoc corpus, vt & explicitè ait alibi Ambroſius: *Menſa iſta famis acquiritur pretio, & poculum illud inebrians, ſobrietate cœleſtium Sacramentorum, ſiti quæritur.* Prærietat iam Ambroſio Chryſoſtomus; dum enim explicat illud Chriſti: vbi corpus ibi aquilæ, ſic ſcribit. *Aquilas vocat, oſtendens eum oportere eſſe ſublimem, & nihil habere terrenum, qui ad hoc corpus accedit, neque deorſum trahi & ſerpere, ſed aſſiduè ſurſum volare, & ad ſolem iuſtitiæ aſpicere, acutoſque, & perſpicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non gracculorum, hæc eſt menſa.* Hactenus ille. Vnde ſic arguo: ſi deſideria corporis Chriſti componunt alas, quibus ad altare conuolant, volentes fieri compotes tanti boni; ſcito, idem corpus aſſumptum, alias etiam ad proceſſum alas validas adiecturum.

Ex Symbolis.

Paul. Iou. lib. Symbol.

Homil. 61. ad populum Antiochenum.

Typot. lib. Symbol.

Pſalm. 31.

Eamobrem omnibus Chriſtianis accingentibus ſe ad progreſſum verſus apicem Olıueti, vellem aptare illa tria Symbola alibi recenſita, primum eſt Caroli Borbonij, qui ſuæ cohorti dederat ceruum alatum, quem quiſque ſuo ſago aſſuebat, hoc titulo adiecto. Cvrsvm intendimvs alis. Ita ſane qui timidi erant vt cerui, ante Communionem impaſti, iam volucres ſe efferunt ad ſuperna; & vt aiebat Chryſoſtomus. *Tanquam leones ignem ſpirantes, recedunt ab hac menſa, facti Diabolo terribiles.* Cerui tranſeunt in leones, & inſuper alis ad virtutis progreſſum idoneis induuntur. Alterum Symbolum ſupra recenſitum eſt Typotij, qui Pegaſum pingit, id eſt equum alatum, hoc titulo imminenti illi equo, ſeſe efferenti ad nubes. Alta alatis patent. Homo obnoxius alicui facinori, hominem exuit, vt equum indueret, vnde Pſaltes clamat. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus.* Homo, inquam, pecorum ritu, capite prono, fœno paſtus, terreis inhiabat. Sed vbi illuxit Sol oriens Chriſtus, & hominem pauit carne ſua; homo pertæſus infima, anhelus ad excelſa, non eò proceſſit tantùm, ſed volauit: ita vt equus ille, cui ante Communionem non erat intellectus, iam alis inſtructus, eos quos Pegaſus edidit auſus fictitiè, reuerà prodat homo, quem Sancta myſteria refecerunt. Ne ergo demireris egregia ſpecimina virtutis, quæ exhibent initiati ſacris; vna eſt ratio, Alta alatis patent. Qui ex altari alas aſſumpſerunt, illicò vergunt verſus montem illum gratiarum, quo ſub ducatu Chriſti, refecti pane Deifico diſcipuli proceſſerunt.

Amor alas addit.

Elimatior eſt pictura vltimi Symboli, quod licet alibi recenſui, non piget vltra repetere, nec te etiam tædeat relegere: nam vt præmonui in mea claui ad morale penu omnium ſcientiarum, idem Symbolum poteſt citra faſtidium pro diuerſa rerum facie ſæpius aduocari. Eſt autem hæc pictura vocalis, edita à Felice Salernitano Principe. Scilicet teſtudo alata, hac epigraphe. Amor addidit alas. Nemo neſcit teſtudinem animal eſſe tardigradum, raro liberiore cœlo fruens, ob imminens illi tectum, quo in inceſſu grauis teſtudo nequit procedere. Is reuerà fuit homo à Deo deficiens, curis implicitus tectum impoſuit ſibi, quo cœlis inuiis, terrena ſapiens, non valuit vltra procedere ad virtutem, eius conamina greſſu tardigrado remorante. Sed vbi aſtitir menſæ ſacræ teſtudo illa; Amor addidit alas: nam Chriſtus alatum ſe teſtatus eſt, quando dixit. *Deſiderio deſideraui manducare hoc Paſcha vobiſcum.* His ſuorum affectuum alis inſtruit eos, qui dignè ſe ſacris ſiſtunt altaribus, vbi deponentes omnem vecordiam, Spiritum Dei ebibunt, quo perciti, progredi incipiunt, ardua duntaxat poſtmodum anhelantes. Sciſcitanti verò cauſam noui progreſſus ad virtutem, vna eſt reſponſio: Amor addidit alas; id eſt, Chriſtus in Euchariſtia amore æſtuans, ſuas aptauit alas illi homini in Communione, quarum ſuffragio immemor ignauiæ ſuæ priſcæ, iam non properat modò in viâ virtutis, ſed & volatui eius prǣalta cacumina ſubſternuntur. Luc. 22.

Non igitur myſterio vacat ille exitus in montem Olıueti, Hymno dicto: eâ ſiquidem proceſſione, Deus progreſſum ad virtutem inſinuauit, qui & etiam colligi poteſt ex proceſſione illâ inolitâ, Die Feſto Euchariſtiæ: eâ enim pompâ videtur nos ad virtutum calles obeundos Eccleſia prouocare. Namque Clerus vrbem gyrans, ſtipante populo, hoſtiam ſacram facit palàm, multis facibus accenſis: hæc lumina illud idem ingeminant, quod Chriſtus edocuit, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Et illud: *Sint lumbi veſtri precincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Id eſt, eâ luce edocetur anima, eſſe ei virtutum lumine coruſcandum: Hoſtia alba candorem inſinuat & nitorem, qui ex Communione exurgit; proceſſio in gyrum acta, notat motum circularem, ſeu progreſſum ad virtutem: nam vt proceſſio redit ad eamdem Eccleſiam, à qua cœpit initium; ita anima facta Dei compos in Euchariſtia, ad Deum recurrere debet, progreſſu vtique incunctante. Matth. 5. Luc. 12.

Fauet celebris hiſtoria illa ſacra Sancti Iob, qui filios ſuos ſanctificabat, poſtquam in orbem fuerant epulati; ſic enim habet textus. Euchariſtia ſanctificat.

Ibant

Iob. 1.

Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis, cúmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis. Nota non fuiſſe ſanctificatos filios Iob, niſi poſt tranſitum dierum conuiuij in orbem; tunc enim holocauſti ſuffragio fruebantur. Rurſus expende illas voces. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium.* Quaſi idem ſit, ire, & conuiuari. *Vocabant ſorores ſuas vt comederent.* Adeò efficax eſt gratia Euchariſtiæ, vt ſolo intuitu hominum, qui paſcuntur eo pane, alij homines impaſti, & patientes longam inediam huius edulij, ad frequentiam huius panis viuifici percellantur. Sic conuiuæ ſancti aduocant ſorores ſuas, quando tepidas animas ſollicitant ad hoc ſacrum conuiuium, cuius eſu atque beneficio, circulariter ambulant, id eſt perfectiore ritu quàm anteà: vbi enim ſemel Deum ſapere incêpit anima, illi iugiter adhæret, nauſeans ad cætera, & pergit tandem neſcire illecebras, & quæque infima faſtidire. Idipſum præfigurat illa typica proceſſio ſacti collegij: non enim diu ſtetit Chriſtus in monte Oliueti; imò non ſtetit, ſollicitus de grege ſuo, quem ſemel & iterum ſuſcitans ad orationem hortatus eſt ſuo exemplo, prolixè Deum deprecando; & ne thuri orationis deeſſet mortificans myrrha, iuges ſuas preces ſuo ſanguine cruentauit. Decurrentes autem illæ guttæ ſanguinis, fuere præludia integri effluxus, quem perfecit in monte Caluariæ, qui fuit terminus paſſionum & agonum Chriſti, ac proinda etiam finis ſtudij noſtri, ſeu progreſſus, à Deo Domino præſtitutus. Duo enim dicit Chriſti proceſſio, lætitiam animi oleo gratiæ peruncti, ob virtutum praxim, quæ ducit in montem Oliueti; rurſus ea proceſſio ſuadet ſequelam Chriſti, qui ſe non inuitâ, ſed liberâ emiſſione ſanguinis accinxit in monte Oliueti, ad agones paſſionis ſuæ rigidos fortiter exantlandos.

Euchariſtia animas ad ſequelam Chriſti ſollicitat.

Ex SS. Patribvs.

S. Bern. ſerm. 1. de Dominica in ramis palmarum.

Luc. 23.

Paſſio Chriſti ſequaces ducit in cœlum.

Bernardus id attigit ſic fatus. *Si conſideraſti in proceſſione quò properandum ſit, diſce in paſſione quâ eundum ſit: hæc eſt enim via vitæ, tribulatio præſens, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni, ſecundùm quod clamat latro de cruce: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Euntem in regnum videt, quò cùm perueniſſet, ſui memorem eſſe rogauit: peruenit ergo & ipſe: ſed ſi vis noſſe quàm compendioſa via; eadem die meruit cum Domino eſſe in paradiſo: tolerabilem proinde reddidit paſſionis laborem, gloria proceſſionis; quoniam amãti nihil difficile eſt.* Hactenus ille. Ideóque Hieronymus vocat panẽ Euchariſtiæ, cibum hominum robuſtorum; quia quos reficit ille panis, armat, & excitat ad certamen pro Chriſto fortiter ineundum, Sic ille. *Hunc panem comedunt, qui in Chriſto robuſti ſunt, & ad quos Ioannes Euangeliſta loquitur: Scribo vobis iuuenes, quia ſermo Domini in vobis manet, & fortes eſtis, & viciſtis malignum.* Hæc ille. Cui conſonat iſte Canon. *Ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.* Et quia enaſcente Eccleſiâ, ebulliens ſanguis Chriſti ſuo exemplo ſanguinem martyrum euocabat; ideò ſanxit Eccleſia, vt fideles aſtantes ſacris paſcerentur eo pane, vt aptiores fierent eo paſtu, ad Paſſionis Chriſti ſectanda veſtigia; & cauit ne quis impaſtus à Miſſa recederet, & eliminarentur illi à ſacris, qui refici nollent eo cibo fortinm, cuius quotidiannm vſum hæc canonica ſanctio conſulebat. Ecce Canon. *Peractâ conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus; ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Ecceleſia.* Cùm ergo eo fine porrexit illum panem Chriſtus, vt habeat nos ſequaces ſuos ad montem Caluariæ, quare refecti pane ſancto, Domini noſtri paſſi ſequelam impiè detrectamns?

S. Hieron. in Comment. ad c. 9. Zachar.

Ex Ivre Canonico.

Can. non iſtis de conſecrat. diſt. 2.

Can. peracta de conſecrat. diſt. 2.

Ex Figvris.

1. Reg. 30.

Euchariſtia olim ex præcepto quotidie ſumpta.

Non ſic reuerà, non ſic ſe ingratum exhibuit puer Ægyptius, ſeruus viri Amalecitæ, qui quaſi exanimis ad ſe rediit, accepto pane, quem Dauid iuſſit apponi, in cuius beneficij gratiam ſe ei adiunxit eunti in hoſtes numeroſos. Eia anima languens, & ignaua, te Chriſtus pauit cibo eunti obuiam tuis antea deliquiis: quid moraris, refer gratiam pro cibo accepto, id eſt, lætè eunti in Caluariam Chriſto Domino ſociare. Ipſo namque iure Cæſareo cautum eſt, vt quiſque ſequatur eum, à quo potiſſimnm capit alimenta: cùm ergo à Chriſto habeamus non modò vernaculas eſcas, quibus diſtenditur hæc compago corporea, ſed etiam reficiamur corpore eins ſancto in Euchariſtia; nónne compellimur eſſe ſequaces eius, etiam in Caluariam? alioquin ius Ciuile in animum beneficij immemorem inuehetur. Caſus iſte liquidò diſcutitur in Pandectis. Sempronio fuit ancilla & ſerua, è qua edita eſt filia nomine Thetis, data Proculæ nutrici: reuerà Sempronius ius dominij habuit in Thetidem natam de ſerua ſua: ſed cùm Procula nutrix peteret alimenta à Semprouio pro Thetide; reſpondit ille, non habere ſe alimenta, ſed Lucium Titium patrem puellæ non negaturum filiæ ſuæ alimenta: credidit nutrix, cui annonam Titius impertiuit. Thetide autem adultâ cum eam ſpecioſam vidiſſet Sempronius, voluit illam repetere vt natam de ſerua ſua: res ad Paulum Iuriſconſultum delata eſt, qui cum audiiſſet à Procula nutrice, Dominum matris puellæ, non pauiſſe modò, ſed negaſſe cibos Thetidi, quam Lucius Titius parens eius prouidè aluit, decreuit Paulus, vt puella deficeret à Sempronio, à quo inediam paſſa eſt, parenti ſuo atque nutritio Lucio Titio iugiter adhæſura.

Euchariſtia obligat ad ſequelam Chriſti.

Ex Ivre Civili.

Lege Sempronius Thetidi, ff. pro derelicto.

Vide quàm benè præfatis cohæreat caſus iſte. Mundus, & dæmones dicuntur principes, & poteſtates, & rectores tenebrarum harum; atque adeò habent aliquod dominium in nos, qui nati ſumus è parentibus ſeruis peccati: Eccleſia nutrix noſtra, verè Procula & prouida; excepit nos ſinu ſuo; ſed dum peteret à mundo annonam pro anima, mundus reſpondit: vade ad patrem huius fœtus, ille cibos indubiè miniſtrabit. Morem geſſit Eccleſia: nam ſciens, matrem noſtram, ſcilicet naturam humanam, eſſe ſeruam, & ſub iugo peccati; conſuluit hominum Patrem Chriſtum, qui non aluit modò nos filios ſuos, anteà ieiunos, & impaſtos, ſed ne vrgeret nos inopia nimia, ſeipſum pius pater præſtitit alimentum. Eo paſtu opimo grandior homo effectus, ſpecie ſua mundum perculit, & dæmones volentes eum ſubtrahere Chriſto, inſtantes hominem natum è ſeruâ eorum, ſcilicet naturâ humanâ peccatis obnoxiâ: ſed adeſt nutrix Eccleſia opportuna, obiiciens, ho-

Alimenta dantem ſequi tenemur.

minem derelictum impaſtum, & ieiunum, fuiſſe refectum à Chriſto hactenus, & habere illud omne quod eſt ab eo prouido patre, à quo nutritio gratiæ ſuſcipit incrementum. Quid iam operæ pretium eſt; an adhærebis, homo, mundo, qui tuam non valuit, nec voluit leuare inediam? an ſequeris dominum illum immitem & animæ tuæ incurium? minimè verò; ſed parenti tuo beneuolo, ſcilicet Chriſto de tuo paſtu ſollicito, abdicatis aliis dominis, totum te debes ei ex animo deuouere. Obſequij verò tui argumentum erit ſequela Chriſti, cui ex ſententia lata à Iure debes adhærere, vt ei qui derelictum pauit. Eſto igitur tibi pro lemmate, titulus Solſequij: flos ille orientem Solem non aſpicit modò, ſed & ſequitur ad occaſum, ſuámque indolem hac epigraphe prodit. SEQVAR QVOCVMQVE VOCARIS. Chriſtum ſequutus es euntem in montem Oliueti; perge ad occaſum; ſequere & illum morti, tuæ ſalutis ergô, in Caluaria ſuccumbentem.

Ex SYMBOLIS. Crucis ſequaces quærit Chriſtus.

Illuc ſe pergere ait ille, cùm dixit ſe ire Ieroſolymam, vt illudatur, & crucifigatur: & hoc ſæpius inculcans, exemplo ſuo noſtram ignauiam prouocauit, vt benè aduertit Bernardus. *Id ſe libentius profitetur, ad quod potiſſimum vult habere ſequacem.* Eius ergo veſtigia, perciti æmulatione illius, fortiter inſectemur. Vtinam ebiberemus animos nobilis illius nomine Ethai, qui pane regio aliquo tempore paſtus, ſequutus eſt Regem Dauid pulſum regno, nec eius ærumnas pertæſus, voluit diuertere ad perduellem Abſalonem, penes quem lautiùs degere poterat: vir ille non immemor cibi regij accepti, credidit inglorium Regi afflicto ſua obſequia detrectare. Sic rem enarrat codex ſanctus. *Dixit Rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiſcum? reuertere, & habita cum Rege: Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi. Et reſpondit Ethai Regi, dicens: Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. Et ait Dauid Ethai: Veni, & tranſi.* Quid, quæſo, cibo illi quem ederat Ethai, & pani Chriſti? tamen lætus ille ſe accingit ad mortem oppetendam, pro Rege ſuo inglorio, & à quo ſede ſua pulſo, munera, aut animi ſui grati præmia deſperabat. Diſcamus ab homine Gethæo, exoticæ gentis, ſequelam Chriſti eodem loco expulſi, quo & Dauid eiectus eſt, ſcilicet de Ieruſalem: Et ſi mundus inſuſurret, eſſe diuertendum ad honores, aut carnis illecebras, vſurpemus eaſdem voces, quas Gethæus homo, Chriſtum ſic affari. *In quocumque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.* Non in montem Oliueti duntaxat, pie Ieſu, ſed & in montem Caluariæ habebas me comitem obſequentem.

Ex SS. PATRIBVS.

S. Bern. ſerm. 47. in Cant. Crucifixum derelinquere ingloriũ eſt.

Ex FIGVRIS. 2. Reg. 15.

Crucifixus eſt exemplũ patiendi, & præmium.

Is reuerà fuit Bernardus, impiger Chriſti ſequax, qui patientem Chriſtum ſic compellat. *Vtrumque es mihi, Domine Ieſu, & ſpeculum patiendi, & præmium patientis, vtrumque fortiter prouocat, ac vehementer accendit, tu doces manus meas ad prælium, exemplo virtutis tuæ, tu caput meum poſt victoriam, tuæ coronas præſentiâ maieſtatis, ſiue quia pugnantem te ſpecto, ſiue quia te expecto non ſolùm coronantem, ſed & coronam; in vtroque me mirabiliter allicis tibi; vterque funis violentiſſimus ad trahendum: trahe me poſt te, libenter te ſequor, libentius fruor, ſi ſic bonus es, Domine, ſequentibus te, qualis futurus es conſequentibus?* Hæc ille.

Ex SS. PATRIBVS. S. Bern. ſerm. 47 in cantic.

Si animi grati, ob annonam præſtitam exempla delectant; animo tuo inſideat facinus audax ciuium Romanorum: hos deuinxerat Pontifex Maximus nomine Paſchalis, eâ potiſſimum curâ, quæ Pontificem manet, ne frumenta deficiant. Præſulem hunc beneficum Henricus IV. Imperator Romæ degens, multo milite ſtipatus, carceri mancipauit. Romani eo perculſi ſacrilegio, concurrunt in acies, ſuæ vitæ incurij, quam vltrò Domino ſuo Paſchali impendebant, multóque ſanguine vtrimque effuſo, Chriſti Vicarium ſubduxerunt ergaſtulo; eóque zelo exarſerunt in Henricum, vt ni fugâ conſuluiſſet ſibi, piaculum illud nefarium ſuo ſanguine diluiſſet. In eo ſumus diſcrimine, ô fideles, Chriſtum Dominum vitia addixerunt cruci, vbi pendulum eſt corpus eius, & lacerum clauis, ſpinis, & flagellis: Romani eſtis, vtpote Catholici, & illibatæ fidei, quam ſequitur Romana Eclesia: Chriſtus verè Paſchalis eſt Dominus; nam circa feſta Paſchalia, morte ſua noſtrum dominium fecit ſui iuris: non terreant acumina clauorum, & hiſpidæ ſentes; amori nihil inuium, obſequium noſtrum Dominus ille Paſchalis demeruit annonâ ſacrâ corporis ſui: agere & pati fortia Romanum eſt; qui ſequuti ſumus paſcentem, noſtra etiam ei præſtemus obſequia patienti. Alioquin ingrati animi næuos adſciſcemus nobis; & alienos à progreſſu, quem vendicat Euchariſtia, nos eſſe ſignabimus: quippe Euchariſtiæ profectus præcipuus arguitur, ex ærumnis atque moleſtiis Chriſti perpeſſis æquo animo, vt Rex Alphonſus ille famoſus, hoc ſuo Symbolo profitetur. Pinxit ille ſpicas è Calice emergentes, hoc titulo, FELICI NVMINE CREVIT. Quaſi diceret, potiſſimum augmentum quod anima capit ex Euchariſtia, eſſe mediante Calice, id eſt, beneficio ærumnarum, quas qui ſubit audacter, reuerà Euchariſtiæ gratia in eo FELICI NVMINE CREVIT. Faxit Deus, pie Lector, vt in te omnia Sacramenti huius chariſmata FELICI NVMINE CRESCANT. Amen.

Ex HISTORIA. Petr. Diacon. lib. 4. c. 41.

Paſchalis Pontifex è carcere liberatus à populo, ob annonam præſtitam.

Ex SYMBOLIS. Cæſar Capac. l. Symbol.

OCTO HOMILIÆ
DE
EVCHARISTIA

In Euangelium Dominicæ Infra Octauam Euchariſtiæ.

Hic præter Scientiarum omnium oracula conſulta, adiecta ſunt antiquitates omnium ferè nationum, quæ conducunt ad texendas conciones de Euchariſtia.

Præcipuè recenſentur ritus Hebræorum, Chaldæorum, Indorum, Perſarum, Medorum, Scytharum, Ægyptiorum, Arabum, Æthiopum, Græcorum, & Romanorum.

SERIES, ET SYNOPSIS
HOMILIARVM OCTAVÆ
DE EVCHARISTIA.

PRIMA Homiliâ oſtendo Chriſtum inſtituiſſe ſuam Cœnam, vt ſalutare remedium contra virus, in epulis paradiſi voluptatis à dæmone propinatum. In hæc verba. *Homo quidam fecit Cœnam magnam.*

Secunda homilia eſt de intento Chriſti inſtituendo Cœnam, & de miniſtris inuitantibus ad Cœnam, id eſt, de ſacerdotibus. In hæc verba. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ, dicere inuitatis vt venirent.*

Tertia homilia eſt de hora Cœnæ, quæ vt fuit nigricante cœlo, notat eſſe fidem hic neceſſariam, quam tenebræ myſterij huius ſociæ præfigurant. In hæc verba. *Miſit ſeruum ſuum, hora Cœnæ.*

Quarta homilia eſt de inuitatis ad cœnam, cuius magnificentia colligitur ex magno numero inuitatorum. In hæc verba. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis vt venirent.*

Quinta homilia eſt de ferculis Cœnæ Chriſti, quæ omnes epulas ſuperat, ratione cibi appoſiti. In hæc verba. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia.*

Sexta homilia eſt de vino appoſito menſæ ſacræ. In hæc verba. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia.*

Septima homilia eſt de qualitate inuitatorum, quorum infirmitati, & egeſtati abundè conſulitur in hac Cœna. In hæc verba. *Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.*

Octaua homilia eſt de effectibus Euchariſtiæ, cuius proprium eſt replere domum Dei, quæ triplex eſt, ſcilicet anima, Eccleſia, & cœlum. Anima beneficio Euchariſtiæ repletur gratia: Eccleſia bono odore fidelium, quos illa ſalutaris eſca pauit: Denique completur cœlum abſoluto numero beatorum. In hæc verba. *Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.*

HIS VTERE MECVM.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

HOMILIA PRIMA DE COENA DOMINI.

SVMMA HOMILIÆ. V.

Cœna Domini inſtituta in antidotum cibi vetiti porrecti hominibus à diabolo.

1. *E*XORDIVM *peto à gratia Dei, cuius hoc ingenium eſt, vt quando redux eſt in animam pœnitentem, illa noua capiat incrementa. Eamdem fuiſſe dico ſortem hominis conſtij Cœna Chriſti: namque probo, Cœnam Chriſti potiorem eſſe primis epulis, quæ fuerunt in paradiſo terreſtri primitus inſtitutæ.*

2. *Igitur tota iſtius homilia contextura pangit antitheſes Cœnæ Chriſti cum Cœna lethifera, quam diabolus inſtruxit, vt hominem tolleret è medio.*

3. *Priori parte dico, Angelum deſertorem, vt hominem Deo ſubtraheret, ſubieciſſe cibos veneno infectos, & ſic hominem perdidiſſe, noxiis illis epulis ineſcatum.*

4. *Altera verò parte probo, ſuam Chriſtum inſtruxiſſe Cœnam, vbi ſuum corpus, & ſanguinem appoſuit, vt caueret hominibus olim malè paſtis à Diabolo, qui adhuc eos ingurgitat ſuperfluis epulis inſtitutis.*

PRÆFATIO.

Homo quidam fecit cœnam magnam.
Luc. 14.

REGE Aſſuero & Aman Principe epulantibus, facta eſt ab eis valida coniuratio in Iudæos deſudantes lacrymis eomet temporis articulo, quo eorum hoſtes acerbi larga manu poculis atque dapibus indulgebant. Ecce ſynopſim hiſtoriæ de ſacro penu. *Statim in Suſan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium; & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.* Aman homo ferox diuina ſimul, & humana iura temerans, epulas argumenta amoris adhibuit inhumanè, faciens eas liuoris ſui in Iudæos congruum inſtrumentum. Vt conuiuij huiuſce lethalis rumor increbruit, conſternata Iudæorum Gens tota abiit in lacrymas, vt impos occurrere diſcrimini necis, quæ inſtabat. In his anguſtiis mulier heroïna nomine Eſther, eadem Hebræâ Gente ſata aliud conuiuium inſtituit, quo excepit Regem Aſſuerum adeo opiparè, vt eius induſtriâ Rex conciliatus Hebræis, dictam capitis ſententiam illico reuocarit. Et ne qua fati iniqui ſuſpicio laceſſeret animos Iudæorum, Rex illi aſſidens menſæ damnauit Aman, qui priore conuiuio Regem induxerat ad internecionem omnium hominum Hebræorum. Dieſque indicta Iudæis eſt, ad ſumendam vltionem de hoſtibus ſuis, & hæc poſtea dies vt ſolennis in faſtos relata eſt, iuxta ſacram hiſtoriæ ſeriem hanc. *Idcirco eumdem diem conſtituerunt ſolennem epularum, atque lætitiæ.* In inſtitutione Cœnæ Chriſti omne hominum genus habet nobilius longè argumentum lætitiæ. Nam dæmon inſtructis epulis Adamo, & coniugi, quibus appoſuit vetitum cibum, morti obnoxiam fecit Gentem noſtram, ſic epulas teſſeram vitæ adhibens ad mortem nobis omnibus irrogandam. Illud ſanè diaboli conuiuium fuit ſcaturigo iugis ærumnarum, quas tergere fuit arduum negotium, vtrique ſuperans hominum vires. Eâdem Gente ſatus *Homo quidam fecit Cœnam magnam.* In qua Deum conciliauit nobis, & dæmonem abactum in tartara relegauit. Quoties ad altare accedimus, toties illa Cœna repetitur, & ſalutis noſtræ cauſa recolitur. Ibi apponitur fructus vitæ æternæ oriundus ex terra benedicta, Virgine ſcilicet Deipara, quam benedictam nuncupauit Angelus, hoc affatu. *Aue Maria.*

Eſther 3. (margin, beside "penu. Statim in Suſan…")

Eſther 3. (margin, beside "iuxta ſacram hiſtoriæ…")

Luc. 14. (margin, beside "Gente ſatus Homo quidam…")

INdubium eſt Theologiæ effatum, hominem, qui gratiâ Dei excidit, ſi quando fiat redux, reſurgere ſemper ad maiorem gratiam; quia gratiæ quaſi poſtlimino redeunti noua gratiarum fit adiectio. Gratia nimirum non annihilatur gliſcente peccato, ſed deſinit in ſubiecto, quod denuo cum fœnore afficit, ſi fiat anima rediuiua. Hinc commendatur Cœna Domini. Nam eſto prima cœna hominibus à Deo inſtructa in Paradiſo fuerit locuples & opipara, vtpote quæ ditata fuit fructu vitæ, cuius vſu immortalis homo potuit ſuccurrere corpori fatiſcenti. Ditiores fuere tamen epulæ nobis inſtructæ à Chriſto: quippe cibum appoſuit adeò viuificum, vt ſucco eius opimo, ſumpto vt decet, anima ſanetur. Eamobrem congruè nuncupatur illa, Cœna magna, qua fructus ille vitalis apponitur. Non eſt Chriſtianis quod inuideant epulas ornatas in gratiam Adæ, & conſortis eius; cùm minimè ſufficeſiot

Ex Theologia. (margin, beside "INdubium eſt Theologiæ effatum")

rint hominum cupidini illectæ alio fructu, quo temerato dente, incurio mandatorum Dei, conuiuæ rebelles inde ſuum omne genus miſerè ſauciarunt. Itaque melius homini cautum eſt cœnâ illâ magnâ, quam Chriſtus inſtruxit, ſeipſum apponendo in cibum, & potum. Nempe reſurgens homo ad gratiam, ſuæ libertatis aſſertorem Chriſtum habens, ab eo lautiùs exceptus eſt, quàm fuerit in Paradiſo illo terreſtri, vbi in paſtum eius fruges, & gramina rerum omnium conditor impertiuit.

Diuiſio homiliæ.

Homine reſtituto primis infulis, Chriſti obſequio; Deus eum arctè ſibi deuincire volens, epulas adhibuit, vt quem diabolus cibo lethali Deo ſubduxerat, eumdem ſibi Deus addictum efficeret, indulto liberali manu ferculo ſalutari. Priori parte iſtius homiliæ dicam, dæmonem homines epulo dementaſſe. Adiiciam, & hunc adhuc vigere morem hoſtis huius callidiſſimi, qui præuiis vtitur epulis, vt homines inducat in vitiorum omnium fœtidam colluuiem. Secunda parte oſtendam, Chriſtum illis epulis infauſtis oppoſuiſſe ſuum conuiuium, quo homines Deo ſociantur, & inuicem ſtricto amoris vinculo colligantur.

PARS I. HOMILIÆ.

DESERTOR ANGELVS, VT hominem Deo ſubtraheret, adhibuit illecebras cibi vetiti, ſicque perdidit hominem, noxiis illis epulis ineſcatum.

§. I.

EX SANCTSS PATRSBVS, ET EX HISTORIA.

SCriptura ſacra canens hominibus, diabolum congruo nomine nuncupauit: illic enim aſtutus hominum hoſtis dicitur draco, vt callidum eius ingenium nobis ſerpentum ſpiris, & voluulis innoteſcat. Ita Ioannes eum palàm fecit. *Ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem.* In tot namque gyros agitur ille draco, vt planè tutus homo ſit is, quem impunè gyrans ſerpens aggreditur. Etenim non incautè petit hominem, ſed tentatis omnibus ſeſe inſinuandi viis, animas adoritur callidus Inimicus. Ita Gregorius. *Prius complexionem vniuſcuiuſque aduerſarius perſpicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius triſtibus, alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quos ergo aduerſarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia lætitia voluptas iuncta eſt, lætis moribus luxuriam proponit, &c. Singulis igitur hominibus, vitiis conuenientibus inſidiatur.* Omnium draconis huius inſidiarum caput eſt, mortale virus aſpergere rebus homini conceſſis ad æuū hoc congruè tranſigendum. Hanc præcipuam mali labem meminit Auguſtinus, aperiens has diaboli technas. Sic ille. *In comeſtione poſuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuerſatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, &c.*

Apoc. 12.
Diabolus mores hominis explorat.
Dæmonis aſtutia in tentandis hominibus explorat.
EX SS. PATRIBVS.
Greg. lib. 29. *Moral.*
Aug. ſerm. 4. *de cōmunib.*
Diabolus vbique virus aſpergit.

Itaque vafer inimicus vbi aduertit hominem indigere cibis, vt corpori conſuleret, epulas ſtruxit, inde occaſionem captans homini turpiter illudendi. Vtque luculentus eſſet apparatus conuiuij fructus appoſuit, quibus inuitatis impoſuit concludi ſemina deitatis. Facilè fuit homini verba dare in argumento cibi: ſollicitante nimirum hominem appetitu ad paſtum; adiecta diuinitatis promiſſio, ad ruinam homines perculit imprudentes. Siquidem vt in obſidione arcis munitiſſimæ metuendus eſt inteſtinus hoſtis, quia nihil eſt inuium perfidiæ; ita primo impetu ſerpens hominem oppreſſit, quia conduxerat in animæ perniciem proprium corporis appetitum, quo vrgente, manum porrexit homo ad ferale pomum, quod carpere, Deo prohibente nefas erat. Vnde hominibus in eo conuiuio conuiuari fuit commori; quia Angelus impoſtor conuiuas ſuos morte tenus, appoſito vetito ferculo, ſauciauit.

Epulis eſſe quidpiam homines alliciens ad conſenſum mutuum, concors eſt omnium propè Gentium auctoritas. Soli namque familiares, & amici coëunt ad epulas, quæ & ideo dicuntur conuiuia, quia ſimul corpore & anima viuitur. Ita ferè Cicero. *Benè, maiores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, συμπόσιον, tum concœnationem σύνδειπνον vocant.* Ruſſus ille ſui memor refricat hæc alibi ſic diſcurrens. *Sapientius noſtri, quàm Græci, illi συμπόσια, & σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concœnationes; nos conuiuia, quòd tum maximè ſimul viuitur.* Eò vergit Iſidorus, qui hoc ſibi velut penſum indixit, vt ſcilicet accuratam texeret anatomen omnium dictionum. Quid de conuiuio ſentiat, accipe. *Conuiuium apud Græcos à compotatione συμπόσιον; apud nos vero à conuictu rectius appellatur, vel quia vita collocutionem habent. Item conuiuium dicitur à multitudine conuiuantium. Nam priuata menſa non eſt conuiuium.* Ad eumdem quaſi ſcopum collimat nomenclatura Græca vſurpata à Platone, Plutarcho, & Athenæo, quibus conuiuium dicitur συνουσία; id eſt, conſuetudo, conuentus, frequentia, colloquium, quæ omnia ſunt abactæ teſſera ſimultatis.

Conuiuium vnde dictū.
Cic. lib. de ſenectute.
Idem ad Pætum.
Iſidor. lib. 20. *Etymolog.*
Plato in ſympoſ.
Athen. lib. 10
Plutarch. in ſympoſ.

Cùm itaque dæmon necteret inſidias homini, neſcio quàm peritus hoſtis eſſet ille refuga ſpiritus, credidit epulas eſſe idoneam armaturam, ad circumueniendum nouum incolam Paradiſi. Euentus diabolo propitius coniecturæ fidem fecit: nam homine inuitato ad epulas, & eo annuente propoſitis à ſerpente; flexuoſus ille draco factus eſt voti compos, hominem ad ſuas partes callidè deducendo. Vt namque prælibaui, conuiuia pelliciunt inuitatos, vt vnius eiuſdemque voti ſint. Huiuſce effati veridici aſſertorem Cato ſe præſtitit, inſimulando Murænam ambitus, quia comitiorum tempore epulas inſtruxerat, vt Cicero recolit. Et vbique paſſim in more poſitum eſt, ſternere conuiuia, quando creandi ſunt Magiſtratus, vt ſic candidati ſuffragia ferculis emendicent. Hanc & adhibuit induſtriam Catilina furens in patriam; coniuratos iiſdem epulis adhibuit, vt iurantes in caput Romanorum benè paſti patriæ parentarent. Non aliter circumuenire potuit Ægiſtus adulter Regem Agamemnonem, quàm vocando eum ad conuiuium, vbi gladiis occubuit hominis infidelis. Ita Homerus. Eodem aſtu tulit è medio ſibi ſuſpectos milites Veſpaſianus; quorum namque fidem dubiam faciebat, hos clam ad epulas inuitabat,

Epulæ pelliciunt homines ad eadem vota.
Cic. orat. pro Muræna.
EX HISTORIA.
Agamemnō moritur in epulis.
Homer. Odyſſ. δ.
Veſpaſiani epulæ funeſtæ.

Suet. in Veſp.

vbi nacti ſicarios luebant pœnas impensè ſerculi concupiti. In his Suetonius memorat Aulum Cæcinnam virum Conſularem, confoſſum vbi pedem mouit ex triclinio conuiuali.

Romani tru-cidati in e-pulis. *Salluſt. lib de bello iugurt.*

Romani imprudenter adeuntes conuiuium Vaccenſium, teſtatam fecere ſua nece meam concluſionem: videlicet ineſſe conuiuio vim abditam homines eneruandi. Romani in præſidio apud Vaccenſes, Numidiæ populos, ſub iugum miſſos, die quodam feſto vocati ſunt ad epulas opiparè inſtructas ab indigenis, qui Romanos ad crapulam vſque fartos perfidè trucidarunt. Auctor eſt Salluſtius. In eo argumento celebres ſunt hiſtoriæ ſacræ probantes, quàm potentes ſint epulæ ad homines inducendos in arbitrium eius qui fercula ſuppeditat.

Abſalonis epulæ letha-les.

Prior occurrit Abſalon, qui fratrem ſuum illectum ad epulas tulit è medio. Et quia ceſſerant ei epulæ ad perpetrandum facinus, alias lautiores inſtruxit, vt populum Hebræum nomini ſuo conſcriberet contra Dauidem legitimum Regem patrem ſuum. Perduellis ille filius ſolennes indixit victimas, & epulas; namque duo hæc coëunt, quippe victimas excipiebant epulæ. Populus multo diſtentus obſonio votis annuit Abſalonis. Sicque ab ebriis exauthoratus Dauid, ſolio pulſus à filio, ſerò ſenſit, conuiuas eius in epulis perfidiam nequiter ebibiſſe. Sic ſcriba ſacer.

2. Reg. 15.

Cùm immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum Abſalon. Venit igitur nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon. Profectò ſolo nidore conuiuij percitus populus ille dedit manus homini rebellanti.

Eſther. 7.

Cùm Eſther Aſſuerum inuitaret ad regias epulas, facta eſt illic valida coniuratio contra Aman Pro-regem Perſidis. Vtque tefluat oratio ad caput vnde primitus ebulliit: ad quid deſertor Angelus homines illexit ad conuiuium, vbi eos erexit in ſpem diuinitatis, quæ inſtabat, vt mendaci eloquio aſſeruit; niſi vt in Dei obſequium prima hæc capita coniurarent? Vnde licet multa peccata coëant in illud deliquium Adami; gula tamen ſtrauit iter ad defectionem illam, quam perniciosæ dæmonis epulæ præceſſerunt.

Epulæ ca-uendæ.

Ideóque rebellis Angelus, vt peritus technarum artifex, adoriens Chriſtum in deſerto, vt conciliaret ſibi gratiam eius, de ſtruendis epulis ſermonem primò fecit, ratus hiſce ſuauibus illecebris poſſe inflecti Chriſtum ad peccandum, quia prior Adam, fuerat hiſce nexibus irretitus.

Ex SS. Patribus.

Eamobrem opportunè monet Baſilius hoc contextu.

Baſil. ſer m. 2 tom. 2. Gulæ quanta ſit pernicies

Vide, ne te ſeducat inimicus per primi parentis peccatum, & citò te eiciat ex paradiſo voluptatis: qui enim Adam per eſum ſubtraxit à vita, & ſperauit ſe Ieſum ſupplantaturum eſſe; non verebitur multò magis etiam tibi temperare primam malorum cauſam, cum forte venenum hoc eſſe ſciat: nam cùm guloſitatis vitium, non in copia eduliorum proprium robur oſtendere ſoleat, ſed in deſiderio, ac immodicè guſtu: ſi itaque deſiderio breuis alicuius guſtus malueris te ſubiicere, guloſitatis vitio cura laborem te morti trades.

Chryſ. ſerm. 3. de ieiunio.

Has diaboli funerales epulas querula voce luget Chryſoſtomus, ita fatus. *Ne putetis paruum lucrum eſſe ieiunium: ab vno ligno ſi abſtinuiſſet Adam, mortua fuiſſet mors; imò non fuiſſet mortua, quæ non erat: vides ſi hoc pharmaco vſus fuiſſet Adam, non eſſet mortale noſtrum genus.* Ille denuo reſumens illud argumentum, ingemit Adamo decepto epulis, & debitum obſequium Deo rerum omnium Domino detrectanti. Ecce funus hominis occumbentis funerali conuiuio.

Idem hom. 1. de Pænit.

Deus hominem à principio faciens, illico ei frænum ieiunij manibus impoſuit; velut pia, amabilique matri, & magiſtro committens optimo. Nam de omni ligno, quod eſt in Paradiſo comedetis; de ligno verò ſcientiæ boni & mali non comedetis; ſpecies ieiunij eſt. Si in Paradiſo ieiunium neceſſarium fuit; extra Paradiſum multò magis. Si ante plagam vtilis medicina fuerat; multò magis poſt plagam. Si nec dum bello voluptatum inſurgente, nobis arma fuerant opportuna; multò magis, poſt voluptatum, vitiorumque prælium à dæmonis nobis illatum. Igitur neceſſaria ſunt nobis à ieiunio auxilia. Si hanc audiſſet vocem Adam, nequaquam ſecundam audiuiſſet, terra es, & in terram reuerteris: ſed quoniam hanc quidem tranſgreſſus eſt; propterea mors, & ærumna, & cura, & vita omni morte acerbior; propterea & ſpinæ, & tribuli, labores, & dolores, vitaque anguſtiis plena.

Ieiunium in Paradiſo fuit neceſſarium.

Ieiunij eſt abſoluta neceſſitas.

Gula ſpinas & ærumnas inuexit.

Deus vt præſcius diabolum vſurum epulis ad illudendum homini, prouidè cauerat inſidiis, inhibendo copiam fructus, quo ſolo ſuum conuiuium inſtruxit Angelus impoſtor: ſed vt gulæ cupediæ validè ſollicitant hominem; ille fuit impar conamini dæmonis inſurgentis. Ac proinde deceptus hamo ineſcato ceſſit in ius hoſtis induſtrij, qui & hodie magnas edit ſtrages orbe toto, populans hominum genus, epularum induens armaturam.

Superfluas epulas infinita propè vitia conſequuntur.

§. II.

Ex Philosophia, ex Historia, ac ex Sanctis Patribus.

Epularũ effectus mali. Ex Philosophia. *Ariſt. lib. 2. de gener. tex. 56.*

INgenium cuiuſque cauſæ eſt, vt vernaculos ſibi prodat effectus, omni obice procul abacto. Nihil namque ſonat crebrius in Lycæo, quàm iſtæ ſententiæ. *Qualis cauſa, talis effectus, Poſita cauſa, ponitur effectus. Idem manens idem, ſemper aptum eſt producere idem.* Cùm ergo ſtratum conuiuium à dæmone perdiderit homines; Angelus hic deſertor, ſcientiſſimus ille doli artifex, cognita vi malefica cibi vetiti vſurpari, multus eſt in his ſpiculis intorquendis.

Epulis quarè decipiuntur etiam viri probi.

Quibus & plerique probi malè habent, dum incautè geſtiunt epulari. Qui benè audiunt in ſæculo vitiis abſtinent, ne nomini ſuo labem affricent: quippe vitium omne tetrum quidpiam offundit iniurium bonæ famæ. Attamen nemo probatæ etiam virtutis epulis abſtinet cùm vocatur. Primo nimirum intuitu conuiuium blandè ſapit, nihil animis ingerens præter ſocietatem innoxiam hominum, qui vnanimes in teſſeram mutui affectus ad communia fercula conuenerunt. Vnde quia ſpecioſo nomine detrahitur omnis ſuſpicio mali, viri quandoque probi, imò probatiſſimi non cunctantur intereſſe conuiuiis, idque magno virtutis diſcrimine, & iactura inſitæ grauitatis, Namque vapeſcente vino lingua calet, & ſoluta ſales ſpargit, quibus & caſtitas impetitur, læditur plerumque fama abſentium, aut tentatur patientia adſtantis alicuius ægrè ferentis in ſe dicteria, & acuta ſcommata collimare.

Audacter dicam, Chriſtianos in Quadrageſima ſæpe parare conuiuia, quibus incurritur in

maiora

maiora diſcrimina, quàm ſit expertus Adam malè paſtus cibo virulento, quem glutiit dæmone ſuſurrone. Nempe cibus ille captus ſobriè conducebat ad ſalutem corporis vtpote ſapidus, & ſucci laudabilis; & ſublato Dei præcepto, pomum illud erat epulis idoneum. At deſertores militiæ Chriſtianæ ieiunio indicto carnibus onerant menſas, ſicque labem primam contrahunt, quæ infecit Adam vetitum ſibi fructum cœlitus vſurpantem. Præterea nimia carnis ingeſtio fatigat viſcera, vbi crudus humor ſtabulans, in hac ſentina creat morbos vtique graues, impare ſtomacho ad coquendum, & crapula corpore deſodante. Itaque moraliter & phyſicè tales epulæ noxiæ ſuadentur à diabolo, cui pro votis ceſſit hoc medium ad pelliciendos homines in conſenſum, quem hoſtis ille callidus emendicat. Vide tertio Tomo ex indice mala gulæ propè infinita, & hoc Tomo conſule homiliam Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam, de nuptiis in Cana Galilææ: illic enim proſtat multa malorum ilias, quæ dirè afficit homines noxiis epulis indulgentes.

Ebrietas vinarū parens.

Dæmon olim interdicto cibo peſſum dedit hominem: & hodie præter interdictos cibos adiicit copioſos vini latices, quibus liberali manu ſolet homines inundare. Vtque malum malo adiectum facit peius; ebrietas gulæ accedens, ſecum omne vitiorum agmen trahit, quo præualente in homines, animæ ſimul & corpora profligantur. Diceres vini immodicè ſumpti virus eſſe contagium: nam quiſquis malè habetur à largiore vino; is etiam deſæuire ſolet in obuios nullo ferè delectu habito hoſtis, & amici, vt famoſo exemplo teſtis eſt locuples Alexander. Is æſtuante mero præter modum hauſto, fureus in amicum ſibi Clytum inſiliit, & haſta confodit; ſanguinis effuſione fuſum ſibi nimis vinum liquidò proteſtatus. Hanc eſſe immitem ebrietatis indolem Chriſtus ipſe palàm fecit iſta parabolà. *Beatus ſeruus ille, quem cùm venerit Dominus, ita inuenerit facientem: amen dico vobis, quoniam ſupra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum. Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo. Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.*

EX HISTORIA. Alexander ebrius Clytum occidit. *Q. Curtius de geſtis Alex. Luc. 12.*

EX SS. PATRIBVS.

Chriſtus Dominus omniſcius, & quem nihil omnino latere poteſt, paucis aperit immite ebrietatis ingenium, dicens ebrium illum ſeruum cædere domeſticos, eidem quo & ipſe domino mancipatos. Nempe cædes, rixæ, iniuriæ, velut comites indiuiduæ ſtipant ebrios, vt eleganter ait Chryſologus hac cenſura. *Ebrietas cadis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantia deformiter eſt magiſtra: hanc qui habet, ſe non habet: hanc qui habet, homo non eſt: hanc qui habet, non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum. Ebrietas eſt dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebra honeſtatis & pudoris iniuria: hanc nullus nouerit Chriſtianus, ne auditu quidem ſacerdos attingat: ne qui eſt forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inueniatur exemplum.* Profectò appoſitè Chryſologus ait ebrium ſeipſum non habere; nam hominem exuit, vt videre eſt in Patriarcha Noë, qui vt inebriatus eſt, nudatus in tabernaculo ſuo iacuit, factus in deriſum ſui filij iunioris, qui &

Chryſol. ſer. 26. Ebrietas quid ſit.

Ebrietas hominem ſpoliat.

ipſe depoſuit reuerentiam debitam patri, quia pater ebrius exuerat hominem vino madens, in cuius diluuio pudorem ſubmerſerat. Vide ſupra hanc figuram Noë fuſè verſatam moraliter, in homilia de Dominica ſecūda poſt Epiphaniam.

Ebrietate fit homo beſtia ferox.

In argumento diſcriminū, quibus nos ebrietas obnoxios efficit, ſiſto Chryſoſtomum cenſorem idoneum vitij huius, quod graſſatur impunè orbe toto, nimio vino multos homines alluendo. Sic ille inuehitur in illos Bacchi amaſios. *Quid ebrio turpius? Familiaribus deriſibilis, vt & inimicis. Apud amicos miſerabilis, infinita dignus damnatione, fera magis eſt, quàm homo: multa namque ferocitas pardalis eſt, & vrſa, & meritò; non enim habent rationalem animam, & illa tamen ſi plus neceſſitate & menſura ipſis à natura definita comederint, totum corpus corrumpunt, quantò nos autem magis? Propterea nobis in breue Deus ventrem coarctauit, propterea breuem ſtatuit cibi menſuram, vt animæ curam gerere doceret. Itaque niſi deliciæ labores haberent, & ægritudines, & infirmitates eſſet fortè tolerandum: nunc verò tibi natura terminos poſuit, vt neque volens tranſgrediaris.* Vini malitiam Lot expertus luculentum argumentum dedit patribus in vina omnia debacchandi. Ita Ambroſius ſpatiatur in hoc campo, & ſtylum ſuum aptat in vini pocula glutientes. *Sanè diſcimus vitādam ebrietatem, per quam crimina cauere non poſſumus: nam quæ ſobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus: parum eſt, quod ea inflammat, libidinem accendit cupiditates corporis, ipſam quoque mentem ſubruit, & animam capit; neſciunt quid loquantur, qui nimio vino indulgent, iacent ſepulti, quanta ipſa deformitas, vt ſoluantur vires, inceſſus vacillet: noſti quod vitia Patriarcharum expoſuit Scriptura, quos victos vino legimus, ſed vt tu diſceres quid caueres; ille nudus iacuit; iſte filiarum errori patuit, & Noë iuſtus deceptus eſt, quia vini vis adhuc ignorabatur, ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Lot ſe filiabus credidit, & per ſenectutem madidam vino ſolutus eſt, commiſit inceſtum ignorans: tu ſic bibe ne capiaris; inſtruant te Patriarchæ, non ſolum docentes, ſed etiam errantes: ideo iteratum eſt exemplum ebrietatis, vt confirmetur magiſterium cautionis.*

Chryſ. ho. 54 ad populum. Gulæ modū natura poſuit creando breuem ventrem.

Ambr. lib. de Abraham. Ebrietatis dui effectus.

Lot ebrius inceſtuoſus.

Ille tractans vini perniciem, fuſè probat hoc liquore vires hominum ſolui, & fieri animas vitiis obnoxias. Et profectò inductione facta ſanctiorum hominum, hi ferè omnes fuere abſtemij, à quibus vini abſtinentia maximè commendari. Denuo ſiſtendus Ambroſius. *Noë primus plantauit vineam, dedit naturam, ſed ignorauit potentiam: itaque vinum neque ſuo pepercit auctori. Legimus etiam quod patrem Lot inebriauerint filiæ, & fuit ebrietas origo inceſti. At non Abraham vina in ſuo conuiuio miniſtrauit, ſed butyrum, & lac Angelis hoſpitibus exhibebat; & rectè illic deeſt materia peccati, vbi erat remiſſio peccatorum. Et Ioannes annunciauit Chriſtum, neque manducans, neque bibens vinum: qui enim Chriſtum annuntiat, ab omni vitiorum incendio præſtare ſe debet alienum. Moyſem quoque cognouimus ſitienti populo amaritudines aquarum temperaſſe, non vina dediſſe. Cui petra aquam vomuit, potuit & vini abundantia non deeſſe.*

Ambr. lib. de Elia, c. 1.

Vini abſtinentes fuere viri Sancti.

Si vinum Patriarchis iniurium fuit, copioſo gratiarum influxu minimè remorante virus quod aſpergit immodicus hauſtus meri; qualem fore putas animæ cladem, quæ gratiæ Dei

expert immergitur vino ? Non aliam planè, quàm eius, qui præſentiſſimo veneno tollitur è medio, vi noxia poculi citiſſimè viſcera permeante. Eò ſpectat illa Ambroſij animaduerſio. *Maior vis vini eſt, quam veneni; tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infert, caput vexat, denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moyſem non ſolum veneno, ſed etiam draconum veneno vinum comparauit dicens. Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis; & pulchrè additur inſanabilis: multi enim reliquorum ſerpentium veneno curantur; nemo obrietate: certè veneno caro vulneratur, vino mens. Aduerte etiam perfidia venenum, vini declaratum nomine: ait enim Scriptura de alienigenis, qui neſcirent Deum: de vinea Sodomorum vinum eorum, & vitis eorum vitis Gomorrhæorum, vua eorum, vua fellis.*

Vinum veneno comparatum.

Ambr. lib. de Elia, c. 4.

Vini malitia quanta.

Vt vino mellito retinentur apes, ſicque cauetur eis, ne aliò migrent; ita vafer hominum hoſtis dæmon, ſuo detinet obſequio vinctos homines ebrios, vino larga manu callide propinato. Quòd ſi pomi ſpecioſi illecebram declinare noluit homo, ſtante primæua gratia; eâ nunc obliteratâ, & gliſcente vitio, quomodo ſeſe homo expediet ab epulis, vbi vinum adiicitur dapibus exquiſitis. Vicina lapſui conuiuia credidit Ambroſius, cui hoc propoſitum tenax animo inſedit, nuſquam epulis aſſidere. Ille nimirum arbitratus, opipara conuiuia cautiores etiam pellicere in ruinam, ſatiùs duxit abeſſe omnino, quàm illic intereſſe, & adducere virtutes in diſcrimen, ſobriè conuiuando. Eſſe dubias epulas, Iob olim teſtatum fecit, qui pro conuiuantibus filiis ſuis ſacta faciebat, vtpote certus, epulas & vitia conuenire. Illa fuit meditatio Gregorij, locum illum Iob expendentis, hoc tenore. *Hoc nobis ſolerter intuendum eſt, quòd peractis diebus conuiuij purgatio per ſingulos adhibetur holocauſti; vir quippe ſanctus nouerat, quia celebrari conuiuia vix ſine culpa poſſunt. Nouerat quia magna purgatione ſacrificiorum diluenda ſunt opula conuiuiorum: nonnulla quippe ſunt vitia, quæ à conuiuiis ſeparari vix poſſunt.*

Epulas Ambroſius fugiebat.

Epulæ fuerunt ſuſpectæ Iob.

Greg. lib. 1. Moral.

Præcipua ebrietatis incommoda recenſentur.

§. III.

Ex Sententiis Variis, et ex Ivre Civili, et ex Medicina.

ANgelus à defectione ſua videns hominem editum ad imaginem Dei, ægrè tulit eum eſſe viuum ſui & rerum omnium Domini ſimulacrum. Huius imaginis expungendæ gratiâ, hominem adorſus eſt, eum inducent ad peccandum; ſed res ei non ceſſit vti conceperat. Nempe deliquium Adæ ſimilitudinem Dei eraſit; ſtante tamē imagine cum peccato: ſimilitudo namque Dei penes virtutes eſt & gratiam, aſt imago naturam rationalem conſequitur. Ita Baſilius. *Per imaginem anima mea impreſſam, obtinui rationis vſum, verùm Chriſtianus effectus, vtique ſimilis efficior Deo.* Quippe fides viua influēs in animam gratiam ſecum vehit, & virtutum chorum. Annuit Hieronymus ita fatur. *Notandum, quòd imago in creatione facta ſit tantùm, ſimilitudo in Baptiſmate compleatur.* Suo & calculo Chryſoſtomus illi ſententiæ veridicæ ſuffragatur, ſic concinens. *Imaginem dixit ob principatus rationem; ſimilitudinem vt pro viribus humanis ſimiles fiamus Deo, manſuetudine, bonitate, &c. Quod & Chriſtus dicit: Eſtote ſimiles Patri veſtro, qui in cœlis eſt.* Hæc imago Dei nobis inuſta nequit peſſum ire æternis ignibus inferorum. Huius effati aſſertor eſt Bernardus hoc tenore. *Imago in gehenna vri poterit, non exuri; ardere, ſed non deleri: ſimilitudo non ſic, ſed aut manet in bono; aut ſi peccauerit anima, mutatur miſerabiliter, iumentis inſipientibus ſimilata.*

Imago Dei in homine vnde petatur.

Baſil. ho. 10. in hexam.

Hier. in c. 28. Ezech.

Chryſ. hom. 9. in Gen.

Bern. ſerm. 1. de Annūciat.

Ex præfatis nota cladem inſignem, quam ebrietas infert hominibus: illa nimirum præſtat quod nec diabolus, nec inferi flammæ valent: ſiquidem oblitetat in homine Dei imaginem maxima ex parte ſui. Cùm etenim eatenus homo cenſeatur eſſe ad imaginem Dei, quatenus eſt rationalis; ebrietas adimens omnem rationis vſum, obſtat, quin dicatur homo genuinum Dei typum graphicè circumferre. Primum rationis huiuſce deliquium, ſeſe in inſana garrulitate prodit: nam quidquid in linguam ſalit, hoc eructat homo, cuius ora madent vino hauſtu nimio propinato. Inde effluxit illa celebris Plutarchi ſententia. *Garrire, atque circumſpicere temerè, atque ſtultè, ebrietatis opus eſt.* Hanc irrationalem loquendi licentiam appoſitè recolit Plinius, ſic declamans in garrulos ebrios. *Tunc animi ſecreta proferuntur, alij teſtamenta ſua nuncupant, alij mortifera loquuntur, redituraſque per iugulum voces non continent, quàm multis ita interemptis.*

Ebrietas in homine delet imaginē Dei.

Ebrietas parens inſanæ garrulitatis.

Plutarc. lib. 3 Sympoſ.

Plin. lib. 14. c. 22.

Poëtæ multi ſunt in carpenda illa libidine garriendi hominum ebriorum, qui cùm defecit ratio, cuius eſt moderari linguam, quidquid in buccam venit, illud vſquequaque ſolent turpiter effutire. Horatius inetibibulus eruditè vini largè poti vitia pangit, vt maximè conſcius effectuum, quos parturit ille potus liberali manu repetitis poculis vſurpatus. Sic ille.

Ebrietas arcana detegit.

Condita cùm verat aperit præcordia Liber.

Horat. lib. 1. Satyr. 4.

Nota Bacchum vocari Liberum, quia omnimoda libertate garriendi ſtipat eos, quos crebri calicum latices aſperſerunt. Ruſſus ille

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Idem, lib. 1. epiſt.

Eſſe penes vinum infidele depoſitum arcanorum, ſcitè probat Propertius, ita ludens in larga potatione vini, quæ homines componit in omne ludibriū, rationis vſu penitus intercepto. Sic ille.

Ipſe Deus tacito permiſit benè miniſtro
Ederet, vt multo libera verba mero.
Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
Iuſſit, & inuitos facta tegenda loqui.

Propert. lib. 2. Eleg. 9.

In eo themate vernaculum eſt illud adagium, cuius meminit Athenæus, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Id eſt, in vino veritas. Lingua nempe madens vino lubrica eſt, minimè tenere valens ſcitum aliquod alto ſilentio contegendum. Ideoque Cicero in his, quæ faciunt fidem maximè commendat inſaniam & ebrietatē, quæ vt germanæ comites incedunt, garrulæque produnt quidquid illis innotuit. Eiuſdem generis multa & præclara apophtegmata meminit Athenæus, qui traducit Philocorum dicentem vinum non modo homines ἐμφανίζειν, id eſt, manifeſtare, ſed effuſa libertate loquendi alijs, ἀνακαλύπτειν, id eſt, detegere atque reuelare ea, quæ ſtante & vegeto rationis vſu debuerunt alto ſilentio commendari. Philocoro concolor Æſchylus ita fatur Κάτοπτρον εἴδους χάλκος ἐστὶ, ϗ οἶνος νοῦ.

Athen. lib. 2.

Cic. lib. Topic.

Vinum arcana reſerat.

Athen. lib. 2.

Philocorus Æſchyl. apud Athen. lib. 2.

Id

Id eſt. *Æs forma ſpeculum eſt, vinum verò mentis.* Vinum nempe prodit hominem totum, quem ratio ex parte tegit. Inde effluxit adagium illud, quod idem recolit Athenæus. οἶνος ἐκ ἔχει πηδάλια. Id eſt. *Vinum caret clauo.* Quippe merum laxat omnia pudoris atque rationis repagula, quæ veluti clauo trabali fixa ſunt in homine ſui iuris.

Plutarch. lib. 7. Proble. problem. 10. Vino ratio oppꝛimitur. In hoc item argumento celebratur effatum haudquaquam prætereundum, Plutarcho auctore. *Vinum libertatis dicendi, ac per eam veritatis fæcundiſſimum. Quod enim eſt in corde ſobrij, illud eſt in ore ebrij.* Hominem largo indulgentem Baccho fieri mentis indigum, crebraque pati deliquia rationis ſcitè probat Clemens Alexandrinus, eo maxime nomine, quòd vbi ſobrius elinguis eſt, illic ebrius eſt maximè loquax, vtpote effuſus in verba ſæpius indiſcreta. Ita Clemens. *Clemens Alex. lib. 2. Padag. c. 5.* *Fraudulentorum hominum mores, in vino maximè perſpici ſolent, vt qui ſint omni ſimulationis inuolucro nudati: propter illiberalem loquendi licentiam, obortam ex ebrietate, qua quidem ratio ipſius animæ ſopitur, vino oppreſſa, atque grauata, & affectus illiberales, atque ſcurriles excitantur, qui animum infirmum, & imbecillum impotenti dominatu oppreſſum tenent.* Ad hanc mentis inopiam, quam *Plato lib. 1. de legib.* vinum inducit, Plato alludens ait. οἶνον βάσανον τῶν τρόπων εἶναι. Id eſt. *Vinum eſſe tormentum morum.* Vt namque dico tormine veritas elicitur, licet abdita pluribus inuolucris; ita ſecretum quoduis ſe explicat, ſollicitante mero hominem, cui committitur hoc arcanum. Rationem effati ſui Plato ſubiicit, hæc apponens. οἴνου γὰρ κατιόντος ἐπιπλώουσιν ἔπεα. Id eſt. *Subſidente vino, ſupernatant verba.* Melius fortè dixiſſet, exundantes vini latices mergere rationem.

Vinum eſt tortura veritatem eliciens. Ad Platonis eloquium, ſuum & calculum adiecit Horatius; dum ait, vino vt tormentis homines adigi ad arcana citiùs omnia quantumuis abdita reſeranda. Sic ille.

Horat. lib. 3. Od. 21.

Tu lene tormentum ingenio admoues,
Plerumque duro.

Refricat & alibi metaphoram illam torturæ exhibitæ ad velocem veritatis indaginem.

Idem, Lib. de arte Poët. ad Piſon.

Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus.

Eiuſdem farinæ eſt verſus ille fidem arcani depoſiti commendans.

Lib. 4 epiſt. epiſt. ad Loll.

Commiſſumque teges, & vino tortus, & ira.

Vinum eſt corruptionis initium. Ex præfatis, omnino liquet rationis iactura illata à vino immodicè fuſo, quæ debuerat eſſe tacita recludentre. Prælibatis adiice hanc breuiloquam Dionyſij Halicarnaſſei ſententiam. *Dionyſ. Halicar. lib. 2. antiquit.* Μέθη φθορᾶς ἀρχή. Id eſt. *Vinum corruptionis initium.* Prima namque labes vini caput tentat, rationemque ſua ſede monet, ſicque rationis impos homo fit obnoxius illi ſordidæ corruptelæ, in quam incurrens humanitate cadit, ac proinde perit & diluitur imago Dei, nimia vini aſpergine conſputcata. Vinum vt opium ſomniferum. Eò collimat & Seneca componens vinum cum opio pharmaco ſomnifero, & cum veneno mortifero. *Senec. lib. 12. epiſt. 34.* Vinum eſt venenum. Hauſtus namque meri liberalis veternum parit, ita vt hominis indormientis vino, ſiquando vigilat, attamen ſopita fiat ratio ſomnolenta. Meminit Auguſtinus illam ſententiam, quam notat fuiſſe ſuo ſæculo vernaculam. *Auguſt. lib. ad ſacr. virgin. c. 1.* Sic ille. *Ruſticanum, ſed ſanum eſt dictum, vinum medicamentum plus iuſto ſumptum venenum cognoſcitur.* Hoc venenum ſuam omnem perniciem rationi offundit, qua expuncta, nihil prorſus irrationabile eſt, in quod non impingat homo, iuxta hoc Athenæi dogma. *Vinum immodicè ſumptum, eſt malorum omnium metropolis.* *Athenæus lib. 10.* Vinum excæcat. Nullum quippe crimen eſt, quod non ciuitate donetur apud homines largis poculis indulgentes.

Accipe & Salomonem huiuſce dogmatis aſſertorem. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixa? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* *Prou. 23.* Nomine rixarum Salomon ingerit omnem diſcordiarum prolem, conuicia, blaſphemias, ſtrages, atque perfidiam. Suffuſione verò oculorum ſuſpicor inſaniam illam comitem mentis inopiæ, quam parturit ebrietas. Quid ex præmiſſis talibus inferendum? Accipe eodem Salomone optimo conſultore. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* *Prou. 23.* Quaſi parum eſſet dicere virulentum eſſe vinum, pluralem numerum adiecit, ingerens vinum venena plurima diffundere, quia largiore mero vitia ferè omnia concluduntur. Quorum fucus homini offuſus obliterat imaginem Dei, ſicque præcipuæ dotes animæ colliquantur. Ideóque crebet eſt Salomon in carpendo abuſu vini. *Noli* (inquit) *eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur.* *Prou. 23.* Si meribibuli conſumuntur, profectò diluitur in eis illa cœleſtis effigies, qua ſola homines à brutis propriè diſpeſcuntur.

Huic meæ concluſioni fauet pulchra obſeruatio Plutarchi aduertentis, Bacchum dici Lyſium à verbo, λύω, λύσω, id eſt, ſoluo, quia reuera vinum omnia diſſoluit. Bacchus quare dictus Lyſius. *Plut. lib. 1. ſympoſ. prob. 1.* Vnde ſolutus homo rationis vſu, fruſtra ſibi de imagine Dei ebrius adblanditur. Ad hanc animaduerſionem pertinet illud epitherum vini, auctore Philoxeno apud Athenæum. *Vinum benè fluens.* Vinum quare dictum benè fluens. *Athenæ. lib. 10.* Dum namque influit in hominem, ab homine prorſus omnia effluunt, & qua data porta ruunt virtutes omnes antea comparatæ. Et in locum earum ſuccedunt vitia, quæ congruis etiam actibus explicátur. Aliqua Homerus perſtrinxit his verſibus.

Vini & choræarum nexus. *Homer. Iliad. ξ.*

Οἶνος δὲ πολύφρονα περ μάλ' ἀεῖσαι
Καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον
Καὶ θ' ἁπαλὸν γελάσαι καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε,
Nam vinum vel prudentem cantare coëgit
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu,
Et tenerum ridere, pedeſque inferre choreis.

Vt liquidior ſit hominum clades illata à vino immodico, operæ-pretium eſt præmonere, Platonicos hominis animum diuidere in tres partes, ſcilicet rationem, iram, atque cupiditatem. Quarum primam in capite collocant, vt in arce congrua rationi; iram cordi aſſignant; vt & hepari cupidinem. Ex MEDICINA: *Galenus libro Quod animi labores.* Præfatus ſum vinum tentare caput, & veluti nebulas offundere menti, ſed quia concluſio hæc eſt de Medicorum penu, audiendus eſt Galenus ſic decernens. *Vinum totum corpus, ac præſertim caput calidis vaporibus implens, cùm motus immoderatiores efficit in cæteris animæ partibus, tum conſilia præcipitat rationalis partis.* Vinum eſſe rationi iniurium paucis aperit Oſeas Propheta hoc verſu. *Vinum, & ebrietas auferunt cor.* *Oſe. 4.* Cordis namque nomen ſignificat illic rationem principem animæ facultatem.

Ebrietas eſt inſania.

Eamobrem ebrietas Pythagoræ dicitur, *μανίας μελέτη*, id eſt, inſaniæ meditatio, & Philoni, *φάρμακον ἀφροσύνης*, id eſt, pharmacum inſaniæ. Eſt & in hoc themate luculenta Platonis ſententia prodens hunc effectum ingloriũ. Sic ille. *Qui vino refertus eſt, tam animi, quàm corporis rabie concitatus, quouis & trahit, & trahitur, & eſt ebrius tanquam mente captus.* Concordat & Seneca ſic ſuum monendo Lucilium. *Ebrietas vnius horæ liberam inſaniam longi temporis tædio penſat.*

Plato. lib. 6. de legibus.

Senec. epiſt. 60. ad Lucil.

Sobrietatis etymologia.

Non eſt in ſubiecta materia prætereunda vocis anatome ſonans delitium: ſiquidem ebrietas dicitur *μέθη, ἀπὸ τοῦ μεθιέναι*, quòd mentem de ſuo ſtatu deturbet. At ſecus ſobrietas dicitur *σωφροσύνη*, quaſi *σώζουσα τὴν φρόνησιν*, cuſtodiens prudentiam. Vinum etiam nuncupatur, *οἶνος ἀπὸ τῆς οἰήσεως*, à vana & ſuperba opinione, quæ animum implet. Ipſe item Bacchus *μαινάδος* vocatur, vt & comites eius Bacchæ *μαινάδες* ab inſaniendo, à Poëtis dictæ fuerunt. Iuriſperitis etiam bacchari & furere ſunt verba Synonyma, quæ perinde ſonant, ac inſania. Hinc Vlpianus ſeruum Bacchari circa ſana dixit pro furere.

Ex Ivre Civili: Lege 1. §. Idem, ff. de ædil.

Hæc omnia prælibata clamant, rationem præcipuam hominis partem, iacturam pati à vino: hoc probato, non erit ardui negotij oſtendere, qua ratione vinum malè habeat appetitum. Cùm enim appetitus propendeat in omnes ſenſuum illecebras; & conſenſus in omnimodam illecebram peccatum ſit: ratione expuncta, cuius eſt conſenſum dirigere eò quò fas eſt, cupido effrænis & petulca hominem aget præcipitem in vitiorum omnium ſordida volutabra. Fauet Auguſtinus hoc contextu. *Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, vitiorum omnium origo, homines ad Dei imaginem fictos, & formatos, non modò belluis atque feris, ſed immaniſſimæ furioſiſſimæque illi beſtiæ infernali, hoc eſt, diabolo, quàm ſimillimos reddit, ſicuti quotidiana experientia ſatis ſuperque teſtatur.* Non ergo præfatus ſum incongruè, vinum eſſe dæmone deterius, quia perfecit cladem, quam non potuit inferre ſpiritus ille nequam, minimè valens expungere imaginem Dei in anima rationis compote lineatam. Ita ſanè ſpecies hæc diuina vino diluitur, & feriante rationis vſu, infinita propè vitia nundinas agunt in homine, de ipſo homine proſtituto. In hac vitiorum colluuie Venus obtinet primas, vtpote comes indiuidua Bacchi, iuxta luſum hunc Poëtæ.

Ebrietas eſt vitiorũ omnium mater.

Auguſt. lib. ad ſacras virgines, c. 1.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Vno namque modo, vina Venuſque nocent,
Vt Venus eneruat vires, ſic copia vini,
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferum exitiale Cupido.
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.

Vinum Veneri ſimile.

Vinum eſſe lac Veneris inſcius Lot ebrius expertus eſt, ſuo exemplo fidem concilians celebri effato Plinij in vinum congruè declamantis. *Ebrietatis* (inquit) *ſummum præmium eſt libido portentoſa, ac iucundum nefas.* Multi præterea Plinij ſententiam veridicam de indiuiduo Veneris, & vini conſortio ſuo calculo confirmarunt. Tertullianus dixit ebrietatis ſcortationem eſſe comitem. Auguſtinus ſuperfluum vſum vini vocat caſtitatis naufragium. Et Hieronymus ait, hauſtus vini liberali manu infuſi, eſſe libidinis incendium. Demum Apuleius, aurei aſini agaſo, lagenam vini Veneris gladiatoriæ antecœniam, idoneo certè nomine nuncupauit.

Ebrietas luxuriæ parẽs.

Plin. lib. 14. cap. 22.

Tertullian. lib. 1. in Marcionem.

Illa fortè recenſio vitiorum, quæ ſtipant ebrios, erit argumentum leuioris armaturæ, ad diſtrahendos epulones à poculis. Itaque fortior eſt aptandus aries ad Bacchantium menſas, & pocula ſubuertendum. Quia heluonibus & temulentis nihil niſi carnale ſapit, nidorque ſolus vini ſuaue fragrat, operæpretium eſt ad reuocandos ebrios, vti corporeis, vtpote congruis argumentis. In his primas tenet conſideratio valetudinis ſartæ tectæ: hac enim temerata putent epulæ, & refluente bile lingua vinum horret. Eamobrem, prædicator, erit è re tua facere palam incommoda, quibus variis & diuturnis ebriorum corpora caſtigantur. Laudandus erit Dioſcorides affirmans, ſumptum intempeſtiuè vinum ſoluere compagem totam corporis, & eſſe neruorũ omnium maximum inimicum. Huius Medici dogma probat Galenus, magnam morborum colluuiem ſcribens ex vino nimio procreari. Quia Auicenna conſuluit inebriari ſemel ſingulis quibuſque menſibus, vt ſic ſtomachus ad vomitum percitus exundaret; ideo malè audiit apud famoſos Medicos, in quibus præcipuè carpitur à Rabbi Moſe, qui ſingularem de eo argumento Epiſtolam Sultanno Babyloniæ nũcupauit, ne Princeps ille nimium credulus, ſanitatis ſuæ diſpendio poculis indulgeret. In eumdem Auicennam acriter item inuehuntur Guilhelmus Plantinus, Gerdonus, & Valeſcus, quibus in Arabem Medicum eſt hoc maximum argumentum. Eſto vinum inundans ſtomachum, proliciat vomitum, ac proinde repurgium humorum, qui in hac ſentina noxiè reſtagnant: ſatius eſt vti modico vino ſanitate integra, quàm poculis ſuperfluis committere, vnde ægrotes & conſulas corpori ſauciato.

Ex Medicina.

Ebrietas ſanitati iniuria.

Dioſcorid. lib. 5. cap. 7.

Galen. lib 3. de temperamentis.

Auicen. 3. 1. docum. 2. c. 8.

Rabbi Moſes. tract. 4. ad Sultan. Babyl.

Guilhel. Plãti. lib. 1. c. 8. Gerdon. part. 2. lib. 4. c. 21. Valeſcus lib. 1. Philony, c. 8.

Plinius his præiuit, recenſens incommoda vini. *Hinc*, inquit, *pallor & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vaſa, furiales ſomni, & inquies nocturna. Poſtera die ex ore halitus fœtidi.* Concinit & Valeriola rei Medicæ non ignarus, ita perſtringens vini effectus iniurios corporis & animæ ſanitati. *Quid vino*, inquit ille, *pernicioſius? quid peſtilentius? cùm illud immodicè ſumptum, vitam, ac valetudinem perdat: paralyſim, ſtuporem, apoplexiam, neruorum incontinentiam, furorem, rabiem, conuulſionem, vertiginem, arthritidem, cæcitatem, malum habitum, omniumque frigidorum morborum colluuiem tandem inferat! & vt in ſumma dicatur, vinum eſt ſumma hominum peſtis.* Paucis malorum concludit iliadem, quæ emergit ex vino vt fœta morbis ſcaturigine, Poëta Propertius, ſic declamans.

Plin. lib. 14. cap. 22.

Valeriola. li. 2. locorum commun.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Ebrietas cauſa morborũ.

Propert. l. 2. Elegiar. 4.

Adiice, citiſſima rei familiaris diſpendia, ſequi crebras illas compotationes, quibus alias opes multo labore partæ litant. Vnde præcox egeſtas excipit homines illos inglorios ſuperfluis ferculis & poculis aſſuetos. Hinc lepidum Diogenis ſcomma circumfertur in adoleſcentem ebrioſum, qui repetitis epulis ita ſe grauarat ære alieno, vt ad hoc diluendum venales ędes proponeret. Subridens Philoſophus ille rigidus vitiorum cenſor ait: Poſt crapulam vomitum expectaui. Indubia namque fuit mihi iſta bonorum cataſtrophe: cùm nempe vidi, laſciuientem hunc iuuenem largo ſe mero alluere, pretio con-

Diogenis ſcomma lepidum in ebrium.

ducto

ducto in nominibus alienis, malè illi ominatus dixi, eum ædes ſuas inſtanti tempore vomiturum. Nonne hodie cateruatim oſtia diuitum obſident pueri, facti egeni vitio parentum, qui ſuas omnes facultates poculis immerſeruot. Eò ſpectat illa Auguſtini ſententia. *Ebrietas vt cernimus quotidie amplexarum familiarum plurimas labefacit, & cura gubernationis deſtitutos, parentum, auorumque ſuorum benè diúque congregata, atque ingenti pretio comparata, vili numero diſtrahere facit.* Temporalia illa diſcrimina ſatis ſuperqoe valent ad ingereodum modicum vſum vioi, ſi vt par eſt id à præcone verbi Dei populis explicetur. Etenim, vt præfatus ſum, animalis homo non ſapieus ea, quæ Dei ſunt, flocci pendit rationes petitas à ſalute animæ, quam dubiam facit ebrietas; vino nempè captus homo talia reſpuit argumenta.

Ebrietas dilapidat bona.
Auguſt. lib. ad ſacras virgin. c. 1.

Ebrietas homines inglorios facit, vtpote vitiorum omnium agmine conſtipatos.

§. IV.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm, et Mathematica.

Vinum facit homines inglorios.
Ex Antiquitate plurium Natioou.

VIrtutis, & gloriæ oexus indiuiduus fidem conciliat titulo præfixo, qui concludit, largiore potu vini fieri homines inglorios. Cùm namque merum præpediat ratioois vſum, & exudante pituita neruos alluat, ſic diſſoluens eorum temperiem, vnde tremulus bomo ineptus eſt ad egregia facinora fortiter exantlanda: In palàm eſt, vinum eſſe hominibus iniurium, omne præcludens iter ad gloriam, & ſecus ſternendo viam ad quodlibet immane neſas, & dedecus animæ ſempiternum. Huic veridico effato litant illæ omnes Gentes, quibus familiare fuit vinum immodicum: has gloriæ & honoris incurias notat Athenæus, φιλοίνους καὶ πολυπότας, id eſt, populos recolens ebrioſos. Priores occurrunt Tapiri, qnibus totum de vino conſiſtit ſemper: imò nec alio vnguento quàm vino, ſuo quantumuis ægro, & ſauciato corpori conſulebant. Hoc profecere ritu, vt omnes ab eis defecerint, vt ab indignis humano conſortio. Eiuſdem indolis æmuli Phigalenſes adeò capti ſunt amore vini, vt ſemper degerent in cauponis. Quod verò ſtipendium inde retulerint, dicere non cunctabor. Hoc omne fuit, torpor, & otium. Byzantij & eo nomine grauiter audierunt, qui mercaturæ ſuæ fœnus poculis immergebant. Sicque fiebat vt oleum, & operam perderent varias diſcurrendo plagas: quamuis enim pretioſam merciū ſupellectilem tranſueherent in nundinas percelebres; inde partas opes, quaſi in abyſſum miſſas, poculis abſorbebant. Tyrinthij & Argiui fecere ſibi nomen inter Menades, & Bacchas, qoia egregiè compotabaot. Sed quò fortiores io ſubeundo iugo vini, eò etiam promptiores ad capeſſendam fugam, irruente deforis hoſte, & claſſico reſonante. Diſcors oamque fuit ſemper Bacchi, & Martis ingenium. De Mileſiis boc circumfertur ſcomma, eos fuiſſe ſimul ebrios, & ὑβριστάς, id eſt, iniurios; quia fœcundi calices eos vitiis omnibus impregnarant.

Athenæus lib. 10 cap. 4.
Tapiri vini amantiſſimi.
Phigalenſes habitant in cauponis.
Bizātij mercatores vino dediti.
Tirinthij & Argiui quare ignaui.
Mileſij ebrij & iniurij.

Elienſes mendaces.

Elienſes non melius cooſuloere ſibi vino: nam vt lingua madens mobilis eſt, ac proinde loquax; populus hic garrulus inconſultè loquens,

mendacium pro nihilo duxit: idcirco mendaces Elienſes congrua velut teſſera recenſentur. Thraces, qui bibaces fuere nihil niſi humile & abiectum verſarunt animo, impotes aſſurgere ad grandia, vtpote vino graues. Chalcidenſes dedignati ſont omnem diſciplinam, quia vino capti: eamobrem populos ille fuit iners & imbellis. Methymnæi plus nimio intenti poculis, ebrietatis ſuæ duros vindices habuerunt. Duo nempe truces Tyranni, Cleomenes, & Periander durè excepere viros ebrios, quorum etiam fœminis illuſerunt. Coogrua etiam pœoa mulctati ſuot Aſſyrij, qui è caupona pedem noo referebant, qnin ab vxoribus domum ebrij ducerentur. Sicqoe fœminis ſubditi, libertate ſua ob nimia pocula turpiter exciderunt. Vnde ob peſſimum vitæ genus dicti ſunt κακίζοι. Arixis inolitum fuit, ſingulis quibuſque diebus inebriari; ideoque fuit res expedita, ſub iugum mittere geoteio illam quotidiana crapula ſubiugatam. Celtæ tortores fuere piaculi vernaculi, cui ſe fecerant obnoxios Arixi: nam eos ex improuiſo petitos armis, ſeruituti ingloriæ manciparunt. Parthi vinolenti ſitiuot ſemper, & in bello fugam capeſſunt potius quàm gladium; crediderim largo mero fugaces fieri homines, à quibus fugit omnis ſanæ rationis vſus, vtpote coronato poculo præpeditus. Phalaris homo ſæuus, vbi Leontinos ſuæ ſubdidit tyrannidi; ne rebellarent, eis indixit immodicos hauſtus vini, probè calleos, Gentem illam fore ſuæ libertatis incuriam, quamdiu cumulatis vino poculis inhiaret.

Thraces quare abiecti.
Chalcidenſes inertes.
Methymnæi quia ebrij malè habiti à Tyrannis.
Aſſyrij fœminis ſubditi.
Arixi ebrij, à Celtis ſubiugati.
Parthi ebrij fugæ aſſueti.
Leontini dānati ad pocula ne rebellarent.

Clemens Alexandrinus ait Scythas, Celtas, & Iberos fuiſſe nationes ferociſſimas, eas vrgente vino ad rixas, bella, & cædes. Hanc & ſibi labem ignominiæ Germani veteres inoſſeront. Quippe Cornelio Tacito teſte protrahentes epulas ad multam noctem, ſæpe digladiantur ebrij, ſicque diffluentis ſanguinis aſpergine pocula purpuraſcunt. Plato carpit Scytharum mores, quos vioo & luxuriâ infames ait eſſe ſicut & Thraces: Græcis ferè omnibus olim vitio datum bibere largiter. Vnde græcari, & inebriari voces fuere concolores, iuxta illud Plauti.

Dies noctesque bibite: pergræcamini.

Eò vergit iſta phraſis Tullij. *Fit ſermo inter eos, & inuitatio vt Græcorum more biberetur.* Cautiores è Græcia populi, vt ſeſe ſubducerent iniuriæ illatæ à vino, vſum eius voluere ſuis eſſe ciuibus interdictum. In his fuere Lacedæmonij, Locrenſes, Epizephyrij, quos & in Gallia ſecuti Maſſilienſes noluere ſibi vlla vini pocula miniſtrari. Hunc laudabilem morem recolit Athenæus. Romanis olim ioſedit ſeſe totos componere in modum Græciæ, à qua & leges accepere duodecim tabularum. Vnde accipieotes legem latam in viuum, æmulati zelum Spartanorum, atque Locreoſium, parcè vino vſi ſunt; & ſubodorantes in vino ſemina luxuriæ, voluere merum eſſe ſuis, morte tenus, fœminis interdictum. Suſpecta namque fuit caſtitas fœminæ meribibulæ. Eamobrem Ignatius Metellus impunè ſuam coniugem interemit, eò quòd ſanctionem illam de vino fœminis vetito temeraſſet. Placuiſſe Romanis illud homicidium Valerius ait, quia legem illam arbitrati ſunt quàm maximè conducere ad ſpleodorem Romani nominis, quod voluerunt armorum, & virtutis titulo commendare.

Clemēs Alexand. lib. 2. Pædag. c. 2.
Scythæ, Celtæ, & Iberi feroces.
Germani inter pocula vulnerati.
Cornel. Tacit. lib. de morib. German.
Plato lib. 1. de legibus.
Græcari pro bibere.
Plaut. in Moſtell.
Cic. verrin. 3.
Vinum quibus populis interdictum.
Ath. lib. 10. c. 9. & 10.
Ignatius Metellus vxorem occidit.
Val. Maxim. lib. 6. c. 3.
Reges ebrios Solon permittit vindictæ.

Seuerior longè fuit illa Solonis lex permitteos

Reges Indi & Perſæ procul ab ebrietate.
Athen. l. 10. c. 11.

occidi Regem, ſiquando temulentus eſſet: quippe Solon arbitratus eſt, eum reuera depoſuiſſe regiam dignitatem, qui hominem etiam exuerat, poculis indulgendo. Apud Indos, & Perſas regibus eſſe cautum, ne inebrientur aſſerit Athenæus. Et Plato miris encomiis effert Carthaginenſes, in quorum caſtra nefas eſt inferre vinum: eſt enim merum largè potum hoſtis inteſtinus. Et Turcæ abſtemij magnas acies fundunt militum, qui ſe multis poculis alluerunt.

Ebrietas clericis interdicta.
Ex Ivre Canonico:
Can. Ante omnia, diſtinct. 35.
Conc. Agath. cap. 41.
Can. Apoſt. 41.

Eccleſia ſacro Dei flamine percita, ſuis miniſtris, id eſt clericis, immodicum vſum vini ſæpe ſæpius interdixit. Et in eo argumento multi Canones editi ſunt. Vt in Concilio Agathenſi ſic cauetur. *Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt. Itaque eum, quem ebrium fuiſſe conſtiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio.* Huiuſce vitij grauitate moti Apoſtoli, hæc ſanxerunt. *Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleæ, atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut certè damnetur.* Concilio Laodicenſi prohibitus eſt clericis omnibus acceſſus ad cauponas, vt vel ſic occaſio omnis bibendi ſuperfluè clericis adimatur.

Concil. Laodic. c. 24.

En Canonem. *Non oportet clericos ſeruientes à presbyteris vſque ad diaconos, & deinceps ordinis Eccleſiaſtici omnes vſque ad miniſtros, aut lectores, aut exorciſtas, aut oſtiarios, aut pſalmiſtas, aut etiam eos, qui in propoſito ſunt continentiæ, tabernas intrare.* Concolor fuit & ſynodus Carthaginenſis hoc decreto.

Concil. Carthag. III. cap. 37.

Clerici, edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Non eſt prætereunda ſanctio Concilij Nannetenſis maximè ſolliciti de grauitate morum congrua ſacerdoti.

Concil. Nannet. in Decreto.
Can. Nullus, diſt. 44.

Sic decernit illa corona Patrum. *Nullus presbyterorum, quando ad anniuerſarium diem, trigeſimum, aut ſeptimum, vel tertium alicuius defuncti, aut quacumque vocatione ad collectam presbyteri conuenerit, ſe inebriare vllatenus præſumat, nec precatus amore Sanctorum, vel ipſius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere.*

His adiice textum luculentum Ambroſij, quem Gratianus tanti cenſuit eſſe ponderis, & momenti, vt eum fecerit eſſe canonicum, arbitratus eum conducere ad vitandam ebrietatem, cuius illo oraculo incommoda perſtringuntur.

Ambroſ. lib. de Elia, c. 5. In Decreto Can. Sexto die §. Manebat, diſt. 35.

Ita Ambroſius. *Manebat antequam vinum inueniretur; omnibus inconcuſſa libertas: nemo ſciebat à conſorte naturæ ſua obſequia ſeruitutis exigere. Non eſſet hodie ſeruitus, ſi ebrietas nõ fuiſſet. Obrepſerat quidem iam fraternæ prælationis inuidia, manebat tamen adhuc paternæ pietatis reuerentia. Læſa pietas eſt, dum ridetur ebrietas. Non illis itaque ſolis nocent vina, quos tentant, ſed & illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur.* Sic Ambroſius inuehitur in vinum, quia Cham ſe præſtitit iniurium patri ſuo Noë, quem vinum imprudenter hauſtum nudauerat faciens eum propriis etiam filiis indecorum.

Ex Mathematica.
Clauius in cap. 1. Sphæra ſacroboſco.

Abditas poculis inſidias bellè ſignificat contextus ille figurarum globi cœleſtis, vbi duæ conſtellationes emicant, quarum vna dicitur crater, ſeu calix, alia verò hydra. Duæ fulgidæ imagines illæ, vnam eamdemque baſim habent, ita vt ſerpens hydra plurium capitum habeat ſibi calicem incubantem.

Vini & diaboli ſocietas indiuidua.

Diceres de induſtria combinatas eſſe geminas has figuras, ita vt crater inſideat ſerpenti, docens ſic homines diabolum haudquaquam eſſe procul à vini poculis abſorbendis. Nota non quemlibet ſerpentem apponi calici, ſed illum, cui ſeptem capita conceduntur: nam ebrietas non vni duntaxat peccato litat, ſed ſeptem peccata lethalia ſecum vehit, hominem mero plenum ſtipans toto agmine vitiorum. Diceres eò collimaſſe Salomonem, verſu quem memini ſupra, vbi vinum recolit & ſerpentem, vt res concolores. *Ne*, inquit, *intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Prou. 23.

Illa ſerpentis & poculi ſocietas indiuidua peſſum dat hodie omne hominum genus, nec alia melius induſtria diabolo ceſſit ad delendam imaginem Dei, quàm crateris vſus immodicus ab ebriis vſurpatus. Qui nempe cibo vetito hominibus appoſito ſimilitudinem Dei ſitam in gratia penitus expunxerat; vinum poſtea adiecit, vt eo liquore deſudans imago Dei caderet in homine poculis inundato. Aſtrologi, næniis anilibus facturi fidem, commenti ſunt cælum eſſe velut ſpeculum referens ſpeciem rerum omnium inferarum. Idcirco proceres artis huius ſpeculantur ex edito loco poſitum aſtrorum, vt ex eorum ortu, & occaſu vacent indagini caſuum aliis omnibus abditorum. Si totum illud ſcrutinium eſſet de effectu, quem ſeries cauſarum parturire poteſt, per me non ſtaret, quin inueſtigare queat aſtrologus quidnam vnoquoque ſidere portendatur. In argumento morum tutius erit obſeruare, quid nobis inſinuet contextus imaginum, quæ diſpungunt ſphæram illam, quæ manibus hominum hodie circumfertur. Verbi gratiâ, in propoſito themate vnio crateris, & ſerpentis aliquid inſigne ſonat, pertinens ad titulum iſtum idoneum moribus excolendis. Calix olim fuit teſſera mortis ingruentis, quia propinabatur cicuta damnatis. Vini & mortis ſocietas. Cùm ergo cæli calicem, & ſerpentem oculis ingerunt, perinde eſt, ac ſi Deus ſuggereret hominem aſſuetum poculis ſua accelerare fata, quia ſerpentis induſtria, vinum incautè potum lethali teraſſolet animas, & corpora ſauciare. Hoc memento, Chriſtiane, & ſuſpecta ſemper habe pocula mero redundantia, ne deliteſcens hydra virus ſpargat, conciliens mortem vtique ſempiternam. Vinum plenum inſidiis.

Pars II. Homiliæ.

CHRISTVS INSTITVIT COENAM corporis & ſanguinis ſui, vt caueret hominibus, quos olim dæmon cibo vetito ſauciarat, & adhuc infatuat ſuperfluis epulis inſtitutis.

§. V.

Epvlæ svnt Symbola indvbiæ amicitiæ, ex sensv plvrivm Nationvm.

Chriſtus verè reparator, omnia reſtituit in integrum.

ILle reparatoris titulus inſignis, quo meritò Chriſtus afficitur, eum obſtrinxit ad renocanda omnia ſaltem potiora chariſmata, quibus in mundi incunabulis homo dignatus eſt, in eum Deo liberali manu cælitus influente. Fuiſſe re-

paratoris

paratoris partes reſtituete omnia in integrum, Chriſtus ipſe pethibuit, Ioanoe Apoſtolo teſte, cuius eſt hic verſus. *Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia.*

Apocal. 21.

Cùm itaque recens editus homo fuerit opipatis epulis à Deo exceptus, factâ ei copiâ ligni vitæ, & exciderit illo inre technis Angeli deſertoris, qoi ſuffecit aliud conuiuium veneno tinctum; Chriſtus operæpretium duxit, & credidit eſſe è re ſua, potiores epulas homini decetoere, quarum vſu nullius planè rei indigus eſſet homo, vegetior etiam inde effectus contra dæmones inſultantes. Hæc omnia munia luculenter obiit Chriſtus inſtituendo Cœnam illam magnam, qoam deſcribere animo meo inſedit. Ibi nempe cibus apponitur, ſcilicet corpus Chriſti, non reficiens modò, ſed & locupletans animas prædiuite gratiarum omoium ſupellectile, & inſuper adiiciens homini contra ſuos hoſtes magoum roboris incrementum.

D'initiæ & robur animæ ſunt dotea ex menſa Domini defluentes.

Illi gratiarum vbertati, quæ defluit è menſa Chriſti, Dauid ſingularem nuncupat Pſalmum, vbi ex profeſſo recolit haſce duas animæ dotes antea recenſitas. Ecce ſuaue melos Regij præcentoris. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcua ibi me collocauit.* Vides ſufficientiam, & paſcua Domini, res eſſe concolores, ac proinde procul ab inopia eſſe animas ſacto Chriſti corpore ſaginatas. Meminit & Pſaltes fortitudinem, quæ influit io animas benè paſtas in hac menſa, vnde recedeotes homines irritos efficiunt impetus diaboli, cui occurrunt impauidi; cetriores facti, ſe hoc cibo vegetiores eſſe, & aduerſus diſcrimina omnia cataphractos. Eo in eo argumeoto inbilum Pſaltis. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.*

Pſalm. 22.

Ibidem.

Angelus oequam induſtrius ad hominum perniciem, vt ſibi eos arctè deuinciret; ad æmulationem Dei, qui lautas epulas inſtruxerat, paranit & ille conuiuium, quod eſſe multò ſplendidius altero mentitus eſt. Ille nimirum ait, cibum à ſe appoſitum conuiuas ſuos Deos efficere, vt & omniſcios, propter abdita cibo illi ſemina deitatis. Vt ergo tedux homo miniſterio Chriſti familiarius Deo ſiſteretur, diuinæ Cœnæ compos effectus eſt, aſſidens ita Dei meoſæ, beatorum ſpirituum conſors in illo conuiuio, & cœleſtium conſcius arcanorum. Et reuera fuit ſingularis inſtitutio ſacræ Cœnæ in hominum gratiam: oullum oamque dari potuit diuini amoris in nos aptius argumentum. Cooui-nium quippe ſonat quid diuinum, & aliunde ſuauem ſpirat amoris fragrantiam.

Conuiuium quidpiam ſonat diuinum.

Athen. lib. 5.

Scythis iurare per conuiuia fuit religio.

Conuiuia ſubolere quid diuinum probat Athenæus vetuſto more inolito Scythis, quibus iurare per epulas ſumma fuit religio. Nam iuſiurandum fuit orbe toto velut ſacramentum diuino ſemper ſymbolo conſignatum. Ideoque iurare per epulas perinde eſt, ac in epulis aduertere quid diuinum. Eamobtem laudatus Athenæus hæc ſubiicit. Πᾶσα συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς τὸν θεὸν ἀνέφερε. Id eſt. *Omnis conuiualis cœtus apud veteres, ſui cauſam ad Deum referebat.* Hac opinione percita hæc priſca Gentilium ætas inducta eſt adhibere conuiuiis cotonas, & hymnos diis ſacros, vtpote arbitrata moderata conuiuia eſſe Deorum conciliabula, vt loquitur Aſclepiades apud Pauſaniam. Hinc Plutarcho menſa dicitur ſacra, quaſi Deo retum omnium Domino conſecrata.

Menſa dicta ſacra & quare conuiuiū Deorum cōciliabulum.

Plut. in sympoſ.

Homero eadem meoſa digoatur iſtis epithetis. γεραρὰ, καὶ αἰδοῖα. Id eſt. *Honoranda, & veneranda.* Eodem intuitu credidere Deos adeſſe conuiuiis, vt rei ſacræ, eaque fides fuit Romanorum, quos ſic meminit Ouidius.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

Ouid. Faſt. 5.

Conuiuiorū auctor Deus.

Inde rumor increbruit ſua præſentia Deos hominum epulas ſæpe ſæpius honoraſſe. Vtque maior epulis conciliaretur honos aliquæ Geores prædicauere Deos eſſe auctores conuiuij, vt par eſt, modicè celebrati. Eo nomine Chamos colitur à Moabitis, vt inuentor moris huius ad epulas coeundi. Dicitur ille Deus Δαιτρευὺς ab Achæis, vt & Δαίτας ἥρως à Troianis. Δαίτων καὶ Κεράων à Spartanis. Εἰλαπιναστὴς καὶ σπλαγχνοτόμος à Cyprus, vt cōmemorar Euſtachius ille famoſus Homeri ſcholiaſtes.

Euſtath in Odyſſ. 3.

Profectò Codex ſanctus ooo abhorret ab illa Gentilium credula ſenteotia; nam Deus illic à Moſe recolitur, vt inſtitutor primi conuiuij. Ille nimirum locuples frugum apparatus homini à Deo conceſſus ad eſcas, nonne fuit opimarum luculenta ſpecies epularum? Communiooem quamdam iniri cum Deo & hominibus in epulis ipſa Cœnæ nuncupatio ſatis ſuperque clamat. Nam ex Plutarcho veteres dixere conuiuium κοινὴν, ideſt, Cœnam ceu communem ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id eſt, à communione, cuius Cœoa eſt ſymbolum, & teſſera conciliatrix.

Cœna dicta charitas.

Concolor eſt & alia nomenclatura Cœnæ, quam recenſet Clemens ille multiſcius Alexaodrinus, affirmans Cœnas fuiſſe dictas ἀγάπας, id eſt, charitates. Ex Poëta annoſus Pindarus vocat τράπεζαν φίλαν, quia coouiuiorum menſa capit amicos tantùm, vt explicat Pindari Interpres ita commentatus, οὐ γὰρ ἐχθροὶ εἰς τράπεζαν συνέρχονται, hoc eſt. *Non enim inimici ad menſam conueniunt.*

Clem. Alexand. lib. 2. Pædag.

Conuiuium eſt ſymbolū amicitiæ.

Conuiuij definitio.

Conuiuium eſſe indubium amoris argumentum probat ipſa eius definitio multiplex, allata à Plutarcho. *Conuiuium eſt ſeriorum, atque iocorum, ſermonum, actionumque communio.* Rurſus ille. *Conuiuium eſt oblectatio, ſeu viuendi ratio inter pocula, cum gratia quadam in amicitiam deſinens.* Ille ibidem ait Cœnæ finem eſſe. *Amicitiæ incrementum, ſiue generationem, quæ cum voluptate fiat.*

Plutarch. lib. 7. ſymp. probl. 6. Idem, lib. 1. ſymp. pro. 1.

Hoc amoris indicium voluit exhiberi ſibi Deus à Iudæis, iudicens epulas poſt ſacra ſarta tecta. Ecce ritum cælitus inſtitutum. *Immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.*

Deuteron. 27.

Vitæ beatæ partem eſſe moderata conuiuia Cicero ſuis ſcriptorum monumentis teſtatum fecit, ita compellans Pætum. *Sed mehercule, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitrer, vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil eſt aptius vita, nihil ad beatè viuendum accommodatius: nec id ad voluptatem refero, ſed ad communitatem vitæ, atque victus, remiſſionemque animorum, quæ maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conuiuiis dulciſſimus, vt ſapientius noſtri, quàm Græci: illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id eſt compotationes, aut concœnationes, nos conuiuia, quod tum maximè ſimul viuitur.*

Cicero ad Pætum.

Conuiuij laudes & epitheta.

Tullius ille memor ſui, ſæpe refricat illam ſententiam, vtpote ratus, conuiuia maximè conducere ad vitæ innoxiæ ſanctius inſtitutum. Eamobtem is texendo ſeriem actionum, quibus vita viri probi diſpuogitur, recolit conuiuia vt ſingu

Ibidem.

Conuiuia modica ſunt pars vitæ innoxiæ.

ſingularem partem vitæ votis omnibus amplexandæ. Ecce contextum actionum, quibus hoc æuum agitur à probis. *Sic igitur viuitur, quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: deinde, ne amicis nil tribuamus, epulamur vnà non modo contra legem, ſi vlla nunc lex, ſed etiam intra legem, & quidem aliquantò.* Tandem hiulcam ille credit amicitiam, quam conuiuia crebrò reperita minimè confirmarunt. En decretum. *Verum illud eſt, quod dicitur, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, vt amicitiæ munus expletum ſit.* Fuſior eſt Plutarchus enucleans hæc commoda, quæ breuiloquus Cicero perſtrinxit. Præter enim prælibata, ait conuiuium eſſe lenocinium gratiæ, ideóque vocat τράπεζαν φιλοποιόν, *menſam amicitiæ procreationem.* Alibi dicit συντροφίαν εὐνοίας ἐπίτασιν. *Conuictum beneuolentiæ intenſionem.* Item affirmat illum conuiuandi morem eſſe εὐνοίας ναόν. *Beneuolentiæ templum.* Quodque caput eſt laudum ait menſam eſſe Diis amicitiæ patronis à ſæculo conſecratam. Vnde ne conuiuia ſuo fine cadant, vult ille frequentari tantùm conuiuia eo nomine, vt inde fiat acceſſio reciproci amoris, quia ille eſt cardo præcipuus, in quo vertitur totus ille dapum cultior apparatus.

Menſa amicitiæ procreatrix. — *Cic. de amicitia.* — *Plutarch. l. 4. ſymp. prob. 1.* — *Idem, lib. de educatione puerorum.* — Conuiuium beneuolentiæ templũ. — Cœnæ finis eſt amicitia.

Hoic intento, & fini amoris alterni præfatus auctor credidit iniurium morem hunc peruetuſtum, quo quiſque ſuum ferculum menſæ apponebat, ſua ſic portione viuens, non communicato cibo cum aliis diſcumbentibus, ideóque hoc maximè titulo ab eo priſcum illud carpitur inſtitutum. Quod, vt inquit, quidpiam illiberale ſapit, & ab amicitia penitus alienum: vt eius Græcæ voces ſonant ἀκοινώνητον καὶ ἀνελεύθερον. Ac proinde magni fecit ille effatum Romani cuiuſdam, qui cùm ſolus menſæ aſſediſſet, benè paſtus ait, ſe quidem comediſſe, ſed non cœnaſſe, cuius elogij rationem Plutarchus attexoit. *Cùm cœna ſemper communione & amicitia, veluti condimento quodam indigeat.* Præterea idem encomiaſtes conuiuij, morem illum commendans ait, Euenum dixiſſe quidem eſſe ſuauiſſimum condimentum, & Homerum affirmaſſe, ſalem eſſe quid diuinum, quia ille admiſtus eſcis illas guſtui conciliat; ſed conuiuia decernit eſſe ſali & igni vario nomine præponenda. Et præcipuè quòd ibi fiat venerandus animorum nexus, melius quàm in foro; vnde Polybius monebat Africanum diſcipulum ſuum, non eſſe recedendum ſine amico aliquo comparato.

Plutarch. in præfat. lib. 4. ſympoſ.

Cicero aliàs dixit eum tollere è mundo Solem, qui amicitiæ iura expungit; ſed Plutarchus audacter adſtruit eum, qui conuiuiorum vſum interdicit, eumdem crudeli velut œſtro percitum ſubtrahere. *Ignem Veſtalem, focum ſacrum crateras, conuiuia, hoſpitia, quæ prima ſunt, atque humaniſſima hominum inter ſe commercia.* Demum alludens ad Thaletem, qui dicebat igne extincto fore omnia prope deliquium, ille patronus conuiuiorum ait dempto conuiuiorum vſu homines fore feros, & mitem humanitatis indolem exuturos. Huc ſpectat animaduerſio Ariſtotelis, qui ait Tyrannos inhibere conuiuia, quia coëuntes animi arctioribus amicitiæ vinculis vniuntur. Ac proinde poteſt ille ſincerus amor ſuggerere conſilium ſuccutiendo iugo idoneum.

Cic. lib. de amicitia. — Tyranni vetant conuiuiorum frequentiam.

Ex præfatis inferre eſt intentum Chriſti in inſtitutione Cœnæ, quam dixi ſuffectam fuiſſe in locum primi huius conuiuij parati in Paradiſo. Vt namque deſertor homo auſpicatus eſt defectionem ſuam, glutiendo cibum vetitum, ſuaſore diabolo; ita & Chriſtus reduces animas conciliauit ſibi, epulis inſtructis, quibus aſſidentes æterno fœdere ſuo, & rerum omnium Domino ſociantur.

Cœna Domini inſtituta, vt hoc pignore amoris homines Deo arctius adhærerent.

§. II.

Ex antiqvitate, ex Historia, Sanctis Patribvs et Symbolis.

ARiſtoteles naturæ arcanorum peritus interpres, hominum, & beſtiarum varias ſpecies, & ideas conſtituit iuxta diſpares omnino cibos, quibus viuitur vſquequaque. Inde petitur hominum diſtinctio in Sarcophagos, & Ichtyophagos, quia iſti piſces edunt tantùm, illi verò opimis aſſolent carnibus epulas apparare. Sunt illorum hominum diſcordes ferè ritus, quia diſcolor eſca variis eos motibus informat. At ſecus vna eademque vitæ ratio homines aptat ad eoſdem propè mores, quaſi quædam eſſet iiſdem virtus inſita cibis, vt homines facerent vnicordes. Cùm igitur Cœna dicat communionem quamdam vitæ, vt vox ipſa ſonat. Plinius iunior ait omnes in Cœna communibus vti debere cibis, vt vel ſic adſtruant ſe vt victu, ita & eſſe affectu, & moribus vniformes. Vſus nempe cibi eiuſdem concordes animos facit. Idcirco Ægyptij malè affecti erga Iudæos, noluerunt vnà diſcumbere; ſed ſi quando concurrerent in idem triclinium, ſeorſim victitabant. Quem ritum obſeruare volens Ioſeph, totus in morem Ægyptiorum compoſitus, ſecretas voluit eſſe dapes ſibi, & fratribus appoſitas. Ecce textum ſacrum. *Ioſeph ait: Ponite panes. Quibus appoſitis, ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus: Ægyptiis quoque qui veſcebantur ſimul ſeorſum. Illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant huiuſcemodi conuiuium.* Vt ergo Deus in humanis ſuum teſtaretur amorem hominibus, ſacram illam Cœnam inſtituit, vbi communione cibi ſacri, Deus & homines adunantur. Et hinc maximè nomenclatura Cœnæ petitur à Dionyſio, cui ſacrum illud conuiuium dicitur σύναξις καὶ κοινωνία διὰ τὸ συνάγειν ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν πρὸς τὸ ἕν. Id eſt, *Communio, quia reducit communitatem ad vnum.*

Ariſtot. lib. 1. Poſt. c. 3. — Ciborũ varietas varios facit hominum mores. — *C. Plin. lib. 2. epiſt.* — Ægyptij oderant Iudæos nec ſimul veſcebantur. — *Geneſ. 43.* — *Dionyſius.* Cœna Chriſti quare dicatur communio.

Cœnæ effectum amoris fragrantiam vſquequaque diffundentem egregiè meminit idem Sanctus diuino ſpiritu afflatus. Sic ille. *Diuiniſſima vnius eiuſdemque panis atque poculi communis pacificaque communicatio, diuinum illis ceu conuictoribus vitæ, morumque coniunctionem ſancit, & diuiniſſimi illius conuiuij, ceu exemplaris horum myſteriorum, memoriam ſacram affert.* Deus indulgens hominum inſtituto menſæ obſequio diſperſum hominum genus, ad priora munia reuocauit. Primæ namque vices hominum fuere paſci iuxta Dei legem, adhibendo in cibum fructum vitæ. Tale conuiuium faſtidiuit homo, dapes appetens inconceſſas. Idcirco ſuo iure cadens, procul ab epulis Dei, malè paſtus peſſum iuit: ſed Chriſto reſtituente omnia in integrum, homo rurſus accubuit Dei menſæ ſtatum

Conuiuia fuere teſſeræ amicitiæ.

tim atque fuit Cœna Domini cœlitus inſtituta.

Ex Antiquitate plurium Nationũ.

Athenæus lib. 5.

Italus qualia conuiuia inſtituerit.

Minos inſtitutor conuiuij Cretæ.

Lygurgus Spartæ quęnam conuiuia.

Romæ olim celebres epulæ.

Ille nimirum mos inoleuit apud pleraſque Gentes, vt firmaretur amicitia publicis epulis. In eo argumento recolit Athenæus conuiuia nuncupata φιλετικὰ ἢ δημοτικὰ, id eſt, amica, & publica in teſſeram amicitiæ priſcis Gentibus vſurpata. Italus, in Italia inſtituit conuiuia συσσίτια, vt communi epulo efferos hominum animos ad humanitatem componeret. Minos eadem induſtria Cretenſes induxit in mutua obſequia, indictis conuiuiis, quæ ἄνδρια nominauit. Lycurgus eo nomine conuiuia φιλίτια, quaſi φιλίτια ſanxit inſtrui à Spartanis, vbi conuictu amico ſenſus amicitiæ altiot cordibus inſidebat. Habuere Carthaginenſes communia cum Italis συσσίτια. Orbe toto famoſa fuere συμπόσια Athenienſium in Prytanæo, in Panathenæis, & Theſmophoriis, nec non & Chariſtia Romæ inter proximos, ſicut & cœnæ in Capitolio celebres extiterunt. Non tuendæ, & excolendæ tantùm amicitiæ conuiuia fuere idonea, ſed & præterea adhibita olim à Germanis, ad ſimultates omnes penitus extirpandas, vt auctor eſt Cornelius ille Tacitus, inſpector morum Gentis huius frequentibus epulis aſſuetæ.

Germani cõponebant inimicitias in epulis.

Cornel. Tacit lib. de morib. German.

Pontanus lib. de conuiuentia.

Ex Hiſtoria.

Scipio & Haſdrubal amici in epulis.

Liuius lib. 8. ſecundi belli punici.

Meminit & Pontanus morem religioſè obſeruatum à Siculis Regibus, qui ſingulis annis ſtatis quibuſdam diebus parabant conuiuium proceribus regni, vbi de amore renouando erant præcipua tunc temporis argumenta. Grauiſſimas olim compoſitas inimicitias in epulis multiplex hiſtoria commemorat. Liuius ait Siphacem Regem Maſſeſſulorum excepiſſe duos Legatos eodem ferè tempore miſſos à Romanis, & Carthaginenſibus hoſtibus acerbis. Hi fuerunt Scipio & Haſdrubal, quos ad Cœnam inuitatos Rex ille Barbarus inito fœdere cicurauit. Imo Siphax ipſe ferus Romanorum hoſtis comitate Scipionis ita delinitus eſt, vt inter pocula de fœdere ineundo cum Romanis reddiderit Scipionem certum, qui nactus illam occaſionem propitiam, Regem hunc adiecit partibus Romanorum. Memorandum eſt & exemplum inſigne proſtans apud Iuſtinum. Illo nimirum teſte Arthemenus, & Xerxes fratres digladiantes pro regno auſpicando, ſuas omnes depoſuere rixas in epulis, vbi infuſum vinum latices inhibuit ſanguinis effundendi. Eiuſdem generis eſt facinus egregium, quod recenſet Cuſpinianus. Ait ille, Rodolphum Habſpurgenſem cum Abbate Sancti Galli diuturnis odiis peſſimè conueniſſe: ſed Cœnam poſuiſſe modum odiis inteſtinis. Nam Rodolphus vltro conueniens Abbatem illum horâ Cœnæ, cum eo diſcubuit, & nullo alio arbitro præterquam conuiuio, pacis æternæ fœdera conſignarunt.

Arthemenus Xerxes amici in epulis.

Iuſtin. lib. 2.

Cuſpinianus Rodolphus in Cœna cõponit diſcordias.

Infame eſt cibum capere ſolum.

Athenæus.

Cœna Chriſti eſt amoris.

Vt conuiuia fuere amoris indubij ſymbola, ita victus ſeorſim malè audiit apud omnes. Ariſtophanes hominem infamem vocat μόνοφα γάστερ, id eſt, capientem cibum ſine vllo ſocio conuiuatore. Apud Athenæum μονοφαγεῖς ἤδη, ἢ βλάπτεις μέ. Id eſt, *Solus comedis, profectò noces mihi.* Rurſus is recenſet vice maledicti hanc imprecationem. *Ad coruos abi ſolus comedens, & murorum ſuffoſſor.* Ἐς κόρακας μονοφάγε, ἢ τοιχορύχε. Hunc ſeorſim viuendi morem Seneca vocat leonis & lupi morem. Chriſtus itaque vocaturus homines ad priſtinam gratiam vnde prius exciderant, Cœnam inſtituit cuius animæ participes effectæ conciliarent ſibi Deum, & ad inuicem arctius vnirentur. Vnde Paulus alludens ad illud intentum Chriſti ait. *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus.* Quæ verba diſcutiens Auguſtinus, ita exclamat. *O ſacramentum pietatis: ô ſignum vnitatis, ô vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt poſtea regnet in cælo.*

Ex SS. PATRIBVS.

1. Cor. 10.

Auguſtin. tract. 6. in Ioan.

Euchariſtia ſacramentũ pietatis.

Homines aſtutia diaboli perierant, vitæ æternæ expertes, & à Deo diſſiti. Chriſtus inſtituendo Cœnam, vtrique diſpendio occurrit. Nempe Deo deuouit homines antea abactos, eoſdemque fecit dato ſui corporis ferculo rediuiuos. Vtque pacem ingereret animis fidelium, totum hoc myſterium nuncupauit Cœnam, id eſt, communem vnionem, quæ etiam panis, & vini congruo ſymbolo lineatur. Ita Auguſtinus occinit mihi. *Cùm cibo, & potu id appetant homines, vt neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos à quibus ſumitur immortales, & incorruptibiles facit, id eſt, ſocietas ipſa ſanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus, & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud vnum ex multis granis conficitur; aliud vnum ex multis acinis confluit. Denique iam exponit: quomodo id fiat, quod loquitur, & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinem bibere. Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti.*

Ibidem.

Euchariſtiæ ſymbola ſonant vnitatem.

Vides hoc contextu reſtitui in integrum homines Chriſti conſcios epulatum. Quarum inſtitutionem meditans Apoſtolus, ſeriem illarum auſpicatus eſt adhibita iſta præfatiuncula. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Etenim Chriſtus præcipuum amoris ſui argumentum Cœnam illam ſuam fecit, vtpote concludens illo ritu quidquid conducit ad amorem indubium cordibus adſtruendum. Nudus adumbratur amor, & ignitus: quia totum ſe exuit in gratiam eius, quem deperit; ignis verò refert vim illam vnitiuam, qua vt tenaci glutino viciſſim amantes fortiter adhæreſcunt. Vtraſque vices egregiè Chriſtus obiit, ſeipſum velut adimens ſibi, vt daret conuiuis ſuis, quibus & ſeipſum vniit induſtriâ hactenus inauditâ. Ad hoc argumentum ſpectant iſta Chryſoſtomi verba. *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis Paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico, Paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe*

Ioan. 13.

Chryſoſt. homil. 45. in Ioannem.

Euchariſtia amorem Dei in nos prodis.

non

non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.

Miphiboſeth figura hominis redeuntis in gratiam cũ Deo.

Itaque ſacra hæc menſa typus amoris eſt vtique congrous, & faciens ad intentum Chriſti, qui degens in humanis, hoc ſibi indixit penſum, ſcilicet vt hominum ruinas integrè repararet. Cuius voti maximè compos effectus eſt, quando homo menſæ Dei aſſedit. Poteſtque redux homo comparari Miphiboſeth filio Ionathæ claudo vtroque pede. Is patre Ionatha, & auo Saül extinctis in monte Gelboë gladiis infidelium, benignè exceptus eſt à Rege Dauid, qui eum latitantem quæſiit, & humaniter in ædes regias aduocauit. Vt fiat hæc figura liquidior, eſt eius reſticanda memoria ex ſerie textus ſacri, quem accipe. *Miſit Rex Dauid & tulit Miphiboſeth de domo Machir filij Ammiel in Lodabar. Cum autem veniſſet Miphiboſeth filius Ionathæ filij Saül ad Dauid, corruit in faciem ſuam, & adorauit: dixitque Dauid: Miphiboſeth? Qui reſpondit: Adſum ſeruus tuus. Et ait ei Dauid: Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionatham patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saül patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper. Qui adorans eum, dixit: Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei? Vocauit itaque Rex Sibam puerum Saül, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saül, & vniuerſam domum eius, dedi filio domini tui. Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & ſerui tui, & inferes filio domini tui cibos vt alatur. Miphiboſeth autem filius domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam.*

2. Reg. 9.

Cœnæ Chriſti beneficio homini reſtituta ſunt dona.

Illa ſynopſis hiſtoriæ prælibatæ refert miſerandum hominis ſtatum, poſt Adæ lapſum in monte Gelboë, id eſt, poſt peccatum ſuperbiæ. Deus nempe memor pœnitentiæ Adami, filium ſuum Ieſum miſit in has mundi plagas, vt poſteris Adæ conſuleret. Demandatam ſibi à Patre prouinciam ſagaciter obiit Chriſtus, diſperſas Adæ reliquias, id eſt, homines quærens accenſa fidei face, vt Deo ſiſtantur homines, ea cœlitus illucente. Luminis huius obſequio vocati à Chriſto diſcipuli, præſtò adfuerunt, eoſque fecit ſocios menſæ ſuæ, reſtituens eis non quidem omnes patris agros, id eſt, omnes Adæ partes, ſed adiiciens etiam dotibus acceptis. Nam hominem accumbere ſacræ Cœnæ, quidpiam præſtantius eſt omni chariſmate, quo ſuis ab incunabulis Adam fuit deſuper inſignitus. Factus homo conſcius epularum Dei, audiit hunc rerum Dominum Angelos etiam deſtinaſſe ad peculiarem ſui cuſtodiam, quam illi æquo animo aggreſſi ſunt, certiores facti ruinas ſuas à ſaluato homine reparandas. Hac dignatione recreatus homo, non habet quod inuideat priſtinam Adæ ſortem, cùm plus acceperit, quàm iactura ferat. Si nempe dotes omnes Adæ appendantur ad trutinam gratiarum, quarum gazæ fluunt ex Domini Cœna, profectò beatus ille hominis ſtatus erit infra ſortem, ad quam euehimur beneficio menſæ Dei, vbi non reficimur tantùm, ſed & amamur ad delicias, vtpote ſacro Chriſti corpore ſaginati.

Quas inde grates, Chriſtiane, Deo referre debeas, collige ex animo Miphiboſeth. Erat ille claudus vtroque pede, ac proinde ad ignominiam factus greſſu inglorio. Erubuit ille ſuo Regi ſiſti, ratus eſſe indecorum ſpectante Principe claudicare. Sed vt audiit, Regem non dedignari deformem ſui corporis habitum, imò deſiderare præſentiam, vltrò accurrit. Vbi autem à Rege ditionis paternæ iura poſtliminiò accepit, cum honore menſæ regiæ; vti ille velut impar tot gratiis, corruit, & pronus Regem humiliter affatus eſt, profeſſus ſe indignum tanta beneficentia Regis. Hac ego prima homilia volo ſimilem ſenſum ingerere mentibus hominum, ad quos mea ſenſa deuenient. Priori parte feci palàm diſpendia, in quæ incurrimus dæmonis aſtu, qui virulentas epulas adhibuit, vt illecebris vetiti cibi omne hominum genus miſerè sauciaret. Adieci callidum hoſtem conſtare ſibi in hoc genere armorum, quia quotidie petit homines inſtructis eo fine menſis, quibus accedunt vini latices incautos homines inundantes. Eſto infinita prope deliquia patiatur homo hiſce cupediis gulæ; Chriſtus abundè nobis conſuluit illâ Cœnâ, quam memorat poſteriore parte iſtius homiliæ, vt antidotum noxij cibi, à dæmone miniſtrati.

Cœnæ Domini beneficium quibus nos obſtringat gratiis.

Ne deſit homo gratiarum actioni debitæ tali dono, placet ſubiicere feruidos æſtus Præſulis Hipponenſis, ſcilicet Auguſtini, qui hoc ſingulare Dei donum recolens, in has effunditur voces. *O immenſa pietas! ô ineſtimabilis charitas! Vt liberares ſeruum filium tradidiſti; Deus factus eſt homo, vt perditus homo de poteſtate dæmonum erueretur. Quàm benigniſſimus amator hominum, filius tuus Deus noſter, cuius piis viſceribus non ſatis viſum eſt, vt ſe inclinaret factus homo de vera Virgine Maria, niſi etiam ſubiret Crucis ſupplicium effuſo ſanguine propter nos, & propter noſtram ſalutem. Venit pius Deus, venit pro pietate, & bonitate ſua, venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Quæſiuit ouem perditam, quæſiuit, & inuenit, & humeris ſuis reportauit ad caulas gregis pius Dominus, & verè multum pius paſtor. O charitas, ô pietas! Quis audiuit talia? Quis ſuper tanta miſericordiæ viſcera non obſtupeſcat? Quis non miretur? Quis non collætetur propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexiſti? Miſiſti filium tuum in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia tua in ipſo.*

Auguſt. Lib. Meditat. c. 15.

Amor Dei in nos qualis extiterit.

Quod de Paſſione ſuggerit Auguſtinus, illud etiam militat inſtitutioni Cœnæ; qui ſe nempe dedit in pretium moriens, ille idem ſe cibum fecit in illa Cœna, cuius beneficium inſigne diſcutio; ideoque valent in themate voces iſtæ Auguſtini interpretes animi eius, dum Chriſtum memorat incarnatum. Sic ille. *Sed quid tibi retribuere poſſumus, Deus noſter, pro tantis beneficiis miſericordiæ tuæ? Quas laudes, quaſue gratiarum actiones? Etiamſi illa beatorum Angelorum ſcientia, & potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantæ pietati, & bonitati tuæ recompenſare valeamus. Si certè omnia membra noſtra verterentur in linguas, ad rependendum tibi debitas laudes nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra. Supereminet enim omnem ſcientiam tua ineſtimabilis charitas, quam oſtendiſti nobis indignis, pro ſola bonitate, & pietate tua &c. Hæc nempe mihi tota eſt ſpes omniſque fiducia. Eſt enim in ipſo Ieſu Chriſto Domino noſtro, vniuſcuiuſque noſtrum portio, caro, & ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamuis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata*

Ibidem.

Gratiarum actio noſtra impar eſt Dei beneficiis.

mea

mea me prohibent, ſubſtantia mea requiric. Et ſi delicta mea me excludunt, natura communio non repellit. Non enim tam immitis eſt Deus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit ipſius, quem ipſe geſtat, & quem mei cauſa ſuſcepit.

Si Adami ſanguine ſata caro Chriſti, vt & noſtra, ſpei argumentum fecit Auguſtino, qui inde fiduciam traxit, ſe illic aliquando fore, vbi glorioſa caro Chriſti erat, cuius & nos ſumus conſortes, profectò potiori ratione debemus aſſurgere ad ſpem hanc beatam glorioſo Chriſti corpore vegetati. Tunc quippe caro noſtra, caro fit Chriſti, ſicut & viciſſim caro Chriſti cedit in partem noſtram, iuxta illud Domini effatum. *Ioan.6.* *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Appoſitè ad hæc, iſta ſuggerit Auguſtinus. *Aug. vbi ſup.* *Mitis, & valde benignus eſt Dominus Deus noſter, & diligit carnem ſuam, & membra ſua, & viſcera ſua. In ipſo Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto dulciſſimo, benigniſſimo, atque clementiſſimo, in quo reſurreximus, & iam cælos aſcendimus, & iam in cæleſtibus conſedimus, caro noſtra nos diligit. Habemus autem ſanguinis noſtri prærogatiuam in ipſo. Sumus autem membra eius, & caro eius. Ipſe denique eſt caput noſtrum, ex quo totum corpus ſicut ſcriptum eſt. Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, & erunt duo in carne vna. Et nemo vnquam carnem ſuam odio habet, ſed fouet, & diligit eam.*

Ne beneficij huius memoria turpiter excidat, opportunum erit vſurpare ſymbolum eius, quem meminit Ferrus, dicens hominem illum memorem gratiæ deſuper acceptæ hoc ſibi congruum ſymbolum effinxiſſe. Pinxit is aquilam, quæ inter volucres vna eſt ſemper opipatis dapibus benè paſta. Illa fuit pictura loquax beneficio rituli huius. DIVINO NVMINE PASCOR. Malè fuit quondam inéſcatus homo, dæmonis induſtriâ, factus morti obnoxius, poſt epulas inſtructas ab Angelo deſertore. Sed Deo verſante vices, habet homo, quòd geſtiat, Deóque rependat grates immortales, admiſſus ad Cœnam illam cuius vſu refricare poteſt ſymbolum proximè recenſitum. DIVINO NVMINE PASCOR. Illa iugis atque tenax memoria cibi huius ſacri, faſtidium ingeret homini aliorum omnium epularum, & prætetea illum obſtringet, ne committat vnde à menſa Chriſti turpiter abigatur.

Ex SYMBOLIS. Gratitudinis ſymbolum. Ioan. Ferrus p.2. Theatri.

HOMILIA SECVNDA
DE
COENA DOMINI.
DE INTENTO CHRISTI INSTITVENDO Cœnam, & de miniſtris inuitantibus ad Cœnam, id eſt, de Sacerdotibus.

SVMMA HOMILIÆ.

1. AVSPICOR *iſtam homiliam à ſignificatione Cœna Chriſti, qua ſub illa nomenclatura Cœna duo ſignificat, videlicet ſacrificium, & conuiuium. Vnde dico miniſtros cæna dici ſacerdotes quando Cœna ſonat ſacrificium: quando verò Cœna conuiuium ſignificat, dico ſacerdotes, miniſtros congruè nuncupari. Itaque ſeries tota iſtius homilia concludit intentum Chriſti inſtituentis Cœnam ſuam, & qualitates miniſtrorum, quos initiauit Chriſtus, vt miniſtrarent menſa illi ſacra cælitus apparata.*

2. *Priori parte dico præcipuum fuiſſe Dei intentum quando Cœnam illam inſtituit, vt conciliaret ſibi homines, factos ita vita æterna, participes. Inde ſumo argumentum commonendi homines, quonam ſit hæc Cœna tempore frequentanda. Et quia parum eſt, imò nocet indecorè ſiſti ſacris his epulis; hortor inuitatos, vt ad hanc Cœnam ſe accingant, ea qua cautela decet conuiuas Chriſti, ne quandóque luant pœnas læſa regia maieſtatis.*

3. *Demum altera parte, quam ex titulo præmiſſo vindicauere ſibi miniſtri Cœna, exquiſito examine inueſtigo dotes ſacerdotum, quas ſingulares eſſe probo multifariam, adſcito ritu Gentium omnium, quibus hoc cordi fuit ſemper, vt ſacerdotes addicti ſacris, hominibus aliis omnibus eminerent.*

PRÆFATIO.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent.

Luc. 14.

ASSVERVS Perſarum Rex inclytus animo ſuo verſans induſtriam, cuius obſequio poſſet inſigni honore afficere hominem ſibi gratum, conſuluit Aman virum vtique præpotentem. Quid Regi ancipiti ſuggeſſerit Aman, præſtat audire ex Scriptura illa veridica, vnde illa ſingularis hiſtoria ætati poſteræ commendatur. Ecce oraculum emergens ab Aman Principe, cuius ſenſa tentauit Aſſuerus hoc diſcurſu. *Eſther 6.* *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans, quòd nullum alium Rex, niſi ſe vellet honorare, reſpondit: Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare. Dixitque ei Rex: Feſtina, & ſumptâ ſtolâ, & equo, fac vt locutus es Mardocheo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij: Caue ne quidquam de his, quæ locutus es prætermittas.* Simili propè honore Deus dignatus eſt fideles Chriſtianos: hos nimirum non equo de ſella Regis impoſuit, ſed diuinæ ſuæ *Sacerdotum encomia.* menſæ epulones ſanctos voluit inſidere. Quódque probat pondus & momentum honoris præcipui, prouinciam inuitandi homines ad Cœnam ſuam demandauit Principibus Eccleſiæ, id eſt, Apoſtolis, atque miniſtris, ad quos pertinet ille Petri affatus. *1. Pet. 2.* *Vos genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius.* Dignitas illa ſacra inuitantium homines ad epulas Chriſti, debet efficere prouidos inuitatos, vt pro rei dignitate ſacro conuiuio meditatus congruat apparatus. Si hæret animus in delectu cautionis idoneæ ad frequentandam menſam Chriſti, conueniamus Matrem eius, conducto Angelo, qui eam noſtro nomine ſalutabit, dicens, AVE MARIA.

VOx hæc. *Homo quidam.* Philoſophis perinde eſt, ac indiuiduum indeterminatum, atque adeò congruè referre poteſt humanitatem Chriſti, qui Cœnam illam inſtituit magnam cuius in Euangelio ſcribitur apparatus. Illa nimirum humanitas haudquaquam definitur humano ſuppoſito, ſed diuino. Vnde licet terminetur humanitas Chriſti à perſona Verbi; eſt tamen indeterminata, à natura humana, cuius ſuppoſito caret, nacta nobilius ſuppoſitum, in quo Deo & homine coëunte Chriſtus vtraque ſcilicet Dei & hominum indole coaleſcit. Vtrinſque naturæ argumenta reſonant in famoſa illa Cœna, quam recolere animo meo inſedit pluribus homiliis. Quidpiam namque ſapit diuinum & humanum illa *Diaconi vnde dicti.* Cœna. Quà diuina eſt, ſacrificium clamat; quà verò homines ſpectat, conuiuium eſt cœlitus inſtitutum: Iuxta duas illas acceptiones, miniſtri Cœnæ huius bifariam conſiderari queunt. Primò vt verſantur circa ſacrificium, dicuntur ſacerdotes; ſi autem attenduntur in ordine ad epulas, miniſtrorum nomina ſortiuntur. Quippe fuit olim è re diaconi miniſtrare plebi corpus, & ſanguinem Chriſti. Vnde & diaconi nomen effluxit à verbo *διακονέω*, id eſt, miniſtro. Sed quia miniſterium illud rediit ad ſacerdotes; eorum eſt nunc ad Chriſti menſam homines inuitare. Itaque bipartita erit iſta homilia. Priori parte dicam ſacras eſſe epulas à Chriſto Domino in ſua Cœna inſtructas, & homini conſulere ad vitam æternam. Subiiciam quando potiſſimum ſint illæ epulæ frequentandæ. Secunda parte referam, quales debeant eſſe miniſtri, qui conuiuas vocant ad hanc Cœnam, quæ vt ſacra, petit miniſtros ſpeciali ritu Domino conſecratos.

PARS I. HOMILIÆ.

COENA DOMINI INSTITVTA præcipuè ad homines conciliandos Deo, in ordine ad vitam æternam.

§. I.

EX THEOLOGIA, EX ANTIQVITATE, EX IVRE CANONICO, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

DEus edito Adamo, ait non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, quia erat animal ſociabile, eo ſcilicet intento factum à rerum omnium opifice, vt verteretur Deo mente iugiter ei intenta, & vitam ageret in hoc æuo familiarem cum aliis hominibus. Vt deuius homo à *Religio homines arctè Deo deuincit.* Deo defecit, incurrit in cenſuram, cui ſe Caïn fecit obnoxium, poſt cædem fratri ſuo nequiter irrogatam. Ait ille ſe eiectum à facie Do- *Ex THEOLOGIA.* mini fore profugum orbe toto, & ſcopum, in quem lethalia ſpicula torquerentur. Vt malè *Thom. 2.2. q.81. art.1. Aug. lib.10. de Ciuit. c.4.* ſibi ominatus, ita & iniquo fato ſublatus eſt; vtpote telo transfixus vindice piaculi, quod vir homicida prius horrendo ſcelere perpetrarat. Adami vitio damnati homines illam obiere ſortem ingloriam procul à Deo poſiti, ac proinde vixere diu velut profugi, & errones incurij cultus, qui Deum decet. Sed ille benignus hominum opifex, hunc eorum iniquum miſerans ſtatum, reuocauit illos homines errabundos. Et ne diffluerent in poſterum, eos ſibi ſingulari deuinxit obſequio, initiando illos ritibus ſacris ad religionem pertinentibus, quibus nutantes hominum animos fixit: quippe vices religionis ſunt homines Deo ſtricto quodam vinculo religare. Inde deducit Auguſtinus vocabuli huius incunabula, dicens Deo amiſſo, religionem facere copiam illius. Præcipui autem religionis actus ſunt illi, quibus potiſſimum colitur Deus, ſcilicet ſacrificia. His nimirum profitemur ſupremum eius dominium ingenuè confitentes oblatione noſtra, nos, & omnia iuris eſſe Dei, quo moderante vigent illa, quæ ſuperſunt. Idcirco cùm nihil omnino nobilius homo *Facere perinde eſt ac ſacrificare.* queat facere, quàm ſacrificare, vox facere abſolutè poſita perinde ſonat, ac ſacrificare, vt ex Virgilio, & Cicerone liquet, quorum hic ita fatur. *Noluit à ſacris patriis Iunonis hoſpita, cui omnes Conſules facere, id eſt, ſacrificare neceſſe eſt, domeſticum & ſuum Conſulem potiſſimum euellere.* Eiuſdem notionis eſt verbum illud apud Poëtam.

Cum

Eglog. 3. Virgil.

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipſe venito.

In prima lanugine mundi nulla prorſus fit mentio ſacrorum, Adamo fortè reputante ſe indignum aſſidere Dei menſæ: nam ſacrificij partes ad ſacrum epulum pertinebant. Mundo pubeſcente, Caïn, & Abel initiati ſacris hiſce myſterijs, tanquam primi ſacrificuli ſacro Codice recoluntur. Propagatâ demum Gente Iudæorum, Deus ſe populo illi liquidiùs explicuit, ſacra decernens, quibus excoli debebat ab hac Gente, quam ſibi præ aliis omnibus ſanctiore religionis & ſacrorum vinculo deuouebat. Etenim antequam inſtitueret illam Cœnam magnam, vbi homines effecti ſunt conuiuæ Dei, prima quædam lineamenta duxit huius conuiuij, ſacrificiorum modos, & tempora rudi populo præfigendo. In his principem locum obtinet agnus ille, qui inter omnia ſacrificia propius accedit ad Agnum illum, qui Ioanne aſſertore tollit peccata mundi. Duo namque nobis inſinuat ille ſacer agnus adhibitus à Iudæis. Primùm, immolatus agnus, & Deo oblatus, ſacrificium erat. Secundò menſæ appoſitus idem agnus, tota ſua compage dapes miniſtrante, ſacras epulas apparabat. Vnde ſolennis ille ritus duas concludebat partes: nempe ſacrificium, & epulas, vt Codice ſancto liquet, cuius en contextum. *Erit agnus abſque macula maſculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis, & hædum, Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus: caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo vſque manè.*

Agni paſchalis ritus ſacrificium dicebat & epulas.

Exod. 12.

Feſta Hebræorum præcipua.

Eſto Deo ſacer eſſet agnus ille immolatus; attamen annuente Deo idem agnus cedebat in cibum eorum, qui oblationem illam diuino cultui mancipabant. Feſtum Pentecoſtes excipiebat ſolennitatem Paſchæ, & erat inſtitutum in gratiarum actionem ob meſſem opimam. In ea celebritate Deus oblationem meminit, & epulas. Ecce legem. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui, & epulaberis coram Domino Deo, tu, filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, & Leuites, qui eſt intra portas tuas, aduena, ac pupillus, & vidua, qui morantur vobiſcum.* Quia gratia meſſis vberrimæ concludebat omnes degentes illic, peracto ſacro Deus voluit epulas pertinere ad omnes etiam inibi demorantes. Itaque celebritas epularum arguebat feſtiuitatis eminentiam. Tertium feſtum Hebræorum magni ponderis, & momenti fuit Scenopegia, id eſt, feſtum Tabernaculorum poſt vindemiam. Feſti huiuſce ritus agebatur ſacris, & epulis, vt videre eſt ex tenore legis huius. *Solennitatem Tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas, & epulaberis in feſtiuitate tua.*

Pentecoſtes feſtum celebratum ſolennibus epulis.

Deut. 16.

Feſtum Tabernaculorū agebatur ſacris, & epulis.

Deut. 16.

Iuxta diuinum hoc inſtitutum Mardochæus aliud ſolenne feſtum inſtituit in gratiarum actionem, ob populum Iudæorum ereptum neci, quæ inſtabat ei inſidiis Aman. In feſtiuitatis prælibatæ ritu ſanxit ille legiſlator fieri publicas epulas, vt publicis etiam ſacris generales epulæ conuenirent. Ecce ideam hiſtoriæ. *Scripſit Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouinciis morabantur, tam in vicino poſitis, quàm procul, vt quartamdecimam & 15. diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno, ſolenni ſemper celebrarent honore, quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque conuerſa ſunt: eſſentque dies iſti epularum, atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.*

Feſtum inſtitutū à Mardochæo cum epulis.

Eſther. 9.

Peregrinæ etiam Gentes ſubodoratæ quidpiam ſacrum in epulis, eas ſociauere ſacris, vt liquidò eſt illo Plinij loco, vbi ſuis ſumptibus ædes ſacras poſitas ait ſe velle dedicare adiecto conuiuio. Sic ille. *Templum pecunia mea extruxi, cuius dedicationem, cùm ſit paratum, differre longiùs irreligioſum eſt. Firmus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare conſtitui.* Macrobius ille antiquarius commemorans dici feſti ſupellectilem annumerat epulas atque ſacra. *Feſtis* (inquit) *inſunt ſacrificia, epula, ludi, feriæ, &c. Sacra celebritas eſt, vel cùm ſacrificia diis offeruntur, vel cùm dies diuinis epulationibus celebratur.* Idemmet arbitratur ferias dici à ferendis epulis, licet Feſtus aſſerat ferias dici à feriendis victimis. Per me non ſtat, quin ſit legitima vtraque feriarum etymologia petita à feriendis hoſtiis & ferendis epulis: ſiquidem vtrobique liquet intentum meum, cuius eſt aſtruere fuiſſe ſimul epulas, atque ſacra, vt paſſim meminere auctores profani, qui apparatum templi recenſentes recolunt altaria, focos, menſas, & crateres vt ſupellectilem epularum, quæ ſingula quæque ſacra excipiebant. Ita Iuuenalis.

Sacrificia & epulæ ſimul.

Plinius l. 4. epiſtolar. ad Fabatum.

Feſtum quid olim apud Gentiles.

Mac lib. 1.

Sat. c. 16.

Feriæ vndè ſic dictæ.

——————Sed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio cunctis,
Viſa inimicorum primoribus, ac ducibus, ne
Lætum, hilaremque diē, ne magna gaudia cœna
Sentirent poſitis ad templa, & compita mēſis,
Peruigilique foro, quem nocte, ac luce iacentem
Septimus interea Sol inuenit.

Iuuenalis Satyra 14.

Conuiuij, & ſacrorum nexum adeò credidere indiuiduum priſcæ Gentes, vt cenſuerint eſſe nefas epulari niſi in honorem Deorum, vt meminit Athenæus, cui ideirco dicuntur epulæ θοῖναι, θαλίαι, καὶ μέθαι quia diuinum quidpiam tribus hiſce vocibus explicatur; θοῖναι, *Quia Deorum gratia fas eſſe putabant vino ſeſe liberalius inuitare;* θαλίαι. Id eſt, *Quia Deorum gratia conuenire ſolebant.* Quem conuentum Homerus vocat δαῖτα θάλειαν, hilare conuiuium, Deorum gratiâ celebratum. Idem Athenæus vocat impietatem ἀπαιδευσίαν. *Quis in ſplendidis illis Deorum feſtiuitatibus, atque epulis primò homines cœperunt mutuis ſeſe inuicem iniuriis afficere.* Vox verò μέθαι deducitur à μεθύειν cuius Ariſtoteles apud Athenæum reddit iſtam rationem. διὰ τὸ μετὰ θύειν αὐτῷ χρῆσθαι. *Poſt ſacrificia vino liberalius vtebantur.* Nec vlla ſanè nomenclatura magis inſinuat, conuiuij implexum & ſacrorum: affines namque voces ſunt illæ μεθύειν inebriari μετὰ θύειν, poſt ſacrificia. Dictum eſt iterum conuiuium, θίασος ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Quaſi Deorum indulgentia conceſſæ ſint epulæ, vt & arbitratus eſt Plato, ita fatus.

Epulari nefas, niſi in honorem Deorum.

Athenæus l. 2.

Epularum tria nomina.

Athenæus l. 1.

Epulæ Deorum indulgentia ſunt conceſſæ.

Plato lib. 2. de legibus.
Feſta quare inſtituta, ex Platone.

Dij idcirco genus humanum ad labores, miſeriamque natum miſerati, laborum intermiſſiones, atque relaxationes conſtituerunt, dierum videlicet feſtorum celebritates, in illorum honorem, & Muſas, & Apollinem Muſarum ducem, & Liberum patrem, quaſi feſtiuitatum illarum præſides tribuerunt, vt corrigerent, & ad modum, mediocritatemque reuocarent dapes illas, quæ fiunt poſt rem diuinam. Hactenus ille Philoſophus ſuſpicatus in epulo quid ſacratum.

Xenophon in Hierone.

Xenophon occinit illi Philoſopho, dum inducit Epicharmum ſic loquentem. *Ex ſacrificio epulum, ex epulo potatio, ex potatione Comus, id eſt, Veneris appetitus.* Ex ea opinione conuiuium eſſe in tutela Dei, vtpote eo auctore inſtitutum, rem innoxiam credidere veteres, poculis indulgere. Vnde apud Liuium Demetrius ita fatur. *Non eſt res, qua erubeſcam, Pater, ſi die feſto inter æquales largiore vino vſus ſum.* Præcipua Gentilium ſacra, quæ literarum monumentis ad nos tranſmiſſa ſunt, ſemper habent comites epulas. Prior occurrit illa luculenta deſcriptio ſacrificij Hecatombæi, quod Rex Agamemnon per Chryſen ſacerdotem Apollini fieri iuſſit pro Danaïs. Prælibata nempe ſacra excepit conuiuium vtique generale. Ita Homerus, qui & ſingulares epulas meminit factas à Neſtore poſt immolatum taurum in ora maris, vt ſic conciliaret ſibi Neptunum. Vt eſſent ſanctiora ſacra, Neſtor ad ſubſequentes epulas amicos duntaxat intimos aduocauit. Cuius inſtituti rationem iſtam ſubiicit Athenæus. *Sanctiſſimum enim Diiſque gratiſſimum eſt illud ſacrificium, quod per illos fit, qui mutua familiaritate, atque beneuolentia ſunt coniuncti.*

Liui. Decad. 4. lib. 10.
Demetrius non inglorium credit inebriari poſt ſacra Agamemnonis ſacra.
Homerus. Iliad. α.
Idem, Odyſſ. γ.
Neſtor quare amicos tantũ vocat ad epulas
Athen. lib. 1.
Argonautarũ conuiuiũ.
Apollon. lib. 2. Argonaut.

Apollonius poſt deſcripta ſacra facta ab Argonautis meminit Cœnam opiparam. *Cùm Diis rem diuinam feciſſent, magnam inſtruxerunt Cœnam.*

Feſta Bacchi & Perennæ quo ritu celebrata.
Ouid. lib. 3. Faſtorum.

Romanis fuere ſolẽnia feſta Bacchi, & Annę Perennæ, quorũ præcipui ritus erant in epulis pluribus inſtruẽdis. Audiẽdus in hoc themate Ouidius.

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ:
Non procul à ripis aduena Tibri tuis
Plebs venit, ac virides paſſim diſiecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua,
Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus è ramis frondea facta caſa eſt
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis,
Deſuper extentas impoſuere togas,
Sole tamen, vinoq; calent, annoſque precantur.
Quot ſumũt cyathos, ad numerumq; bibunt.
Inueniet illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sybilla ſuos.
Illic & cantant quidquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad ſua verba manus,
Et ducunt poſito duras cratere choreas,
Cultaque diffuſis ſaltat amica choris.
Cùm redeũt titubant, & ſunt ſpectacula vulgi,
Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum, pota trahebat anus.

Herodot. lib. 3.
Solis menſa.

Non eſt prætereunda famoſa illa Solis menſa apud Æthiopes. Dixere Solis menſam Æthiopes pratum plurium quadrupedum aſſa carne refertum, quam noctu Magiſtratus apponere ſolebant, vt illucente Sole fas eſſet ſingulis quibuſque hominibus ad ſuum arbitrium epulari. Sicque ſacra Solis habebãt conuiuia annexa. His fuere affinia ſacra Romanis dicta Chariſtia, quibus amici & conſanguinei Kalendis Martij, votis Deo perſolutis vacabant opiparis dapibus abſorbẽdis. Illa ſolennia meminit Ouidius, promiſcuè Deos, & epulas commemorans.

Chariſtia ſacra, quæ.

Proxima cognati dixere chariſtia chari,
Et venit ad ſocios turba propinqua Deos.
Diis generis date thura boni, concordia fertur,
Illo præcipuè mitis adeſſe die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris,
Nutriat incinctos miſſa puella cibos.
Iam tibi ſuadebit placidos nox humida ſomnos
Larga precaturi ſumite vina manu.

Ex Historia Ecclesiastica.
Agapæ olim quid.
Zonaras in Can. 74. Concilij Laodiceni.
Idem, In Can. 2. Concil. Gangrenſis.
Auguſt. lib. 20 contra Fauſt. c. 20.

Ad hæc ſacra chariſtia referre queo epulas illas, quas priſci Chriſtiani dixere agapas celebratas maximè poſt ſacram cõmunionem, vt auctor eſt Zonaras, ita fatus. *Antiquus mos erat poſt communionem diuinorũ myſteriorum ſocietatis & συμπόσια, hoc eſt, coepulationes, & compotationes fieri, diuitibus epulas ſuppeditantibus, & præterea pauperiores inuitantibus.* Idem alibi docet conuiuia illa Chriſtiana fuiſſe dicta, agapas, quia erãt tunc maximè vigentis teſſeræ charitatis. Auguſtinus item commemorat ritum illum fidelium, ſtatuendi agapas, vt ſymbola amoris mutui à Chriſto Domino commendati. Sic ille. *Nec ſacrificia Gentiũ vertimus in Agapes, ſed ſacrificium illud, quod paulò ante commemoraui, intelleximus, dicente Domino: Miſericordiam potius volo, quàm ſacrificium. Agapa enim noſtra pauperes paſcũt, ſiue frugibus, ſiue carnibus. Paſcitur enim creatura Dei de creatura Dei, quæ hominis dapibus cõgrua eſt.* Quia hæc conuiuia Chriſtiana ſuggillauere Gentiles, Tertullianus communem agens cauſam, explicat, quàm ſanctè conuenerint fideles ad has menſas, quibus omne fuit gratia condimẽtum. Sic ille ſuum ſtylum acuit in Gentiles. *Cœnulas noſtras præterquam ſceleris infames, vt prodigas ſuggillatis, &c. Comeditur quantùm ad famem valet depellendam, tantùm bibitur, quãtum ſatis eſt pudicis, & caſtis. oratio auſpicatur, & claudit cibum, confabulatur inter ſe quaſi Dominum præſentem habeant, qui audiat, cùmq; ventum eſt ad aquam manualem, & lumina poſita ſunt, tum prouocatur vnuſquiſque, vt quantum è ſacris literis nouit, aut de ſuo ingenio poteſt, cãtet, & diſſerat. Inde non egrediuntur ad vagationes, aut libidines, vt qui ſciat noctu quoq; orandũ eſſe, ſed eſt quaſi comederint, aut biberint diſciplinam.*

Agapæ quo ritu olim celebratæ.
Tertullian. Apologet. c. 39.
Clem. conſtitution. Apoſt. lib. 2. c. 22.
Iuſtin. Apolog. 2.
Irenæus lib. 4
Orig. lib. 3.
Agapę quàm ſanctæ. in Iob.
Minutius Felix in Octauio.
Agapæ vertę in luxum.
Agapæ prohibitæ fieri in templis.
Conc. Laodicen. cap. 28.
Anſbertus Epiſcopus agapas celebrauit.
Vincent. lib. 23. c. 100.

Commendantur illę agapę à Clemẽte Papa, Iuſtino, Irenæo, & Origene, & earum cauſã patrociniumq; ſuſcepit Minutius Felix, æmulatus in ea clientela zelum Tertulliani, cui & hoc maximè placuit argumẽtũ. Ita Minutius eloquitur. *Conuiuia non tantùm pudica colimus, ſed ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut conuiuiũ mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore, plerique inuiolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quàm gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit etiã pudica coniũctio.* Adeo religioſa fuere illa fideliũ conuiuia fieri ſolita poſt ſacram ſynaxim, ſeu communionem, vt in Eccleſia ſtruerẽtur agapę: ſed vt optimũ quoq; vinũ aceſcit, & charitas quantſiuis feruida quãdoque tepet, inſinuauit ſe luxus illis agapis, atque adeò prohibitæ ſunt fieri in templis in Concilio Laodiceno.

Vt ſui amoris in Gregem ſibi commiſſum promerent argumentum aliquod Præſules ſancti, publicas epulas inſtruxere in templo, expletis Cœnę Domini myſteriis. In his Vincentius meminit

Anſbertum

Anſbertum Rhotomagenſem Epiſcopum, qui ſibi nomē grande fecit hoc ſacro agaparum ritu. Charitatis ſuæ ineffabilis, qua nos deperiit Chriſtus, illud idem voluit eſſe congruum argumentum. Nam inſtituto ſacrificio corporis, & ſanguinis ſui, rem diuinam in Cœnam magnam aptauit, cuius participes effecit omnes homines cœleſtium conſcios arcanorum. Imo priſcis Eccleſiæ temporibus ebulliente in præcordiis fidelium ſenſu amoris Chriſti nefas erat adſtare ſacris, ſi non accederetur ad menſam illam ſacram. Ideoque altare fuit dictum menſa Domini: Altare quidem ratione ſacrificij; menſa verò quia inde Chriſtiani ſacro Chriſti corpore vegetantur. Vtque duplex illa nuncupatio altaris ſtaret ex fidelium praxi, nemo planè ſacris adſtabat myſteriis, qui non & conuiua Cœnæ Chriſti ſubinde fieret, & id iuxta decretum ſummi Præſulis Anacleti. En Canonem. *Peracta conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim, & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Sacrificij huius venerandi nexus cum epulis adeò intimus eſt, atque indiſſolubilis, vt ad rationem completi ſacrificij communio pertineat; vt Concilio Carthaginenſi palàm factum eſt, vbi Patres acriter inuecti ſunt in ſacerdotes, qui facta re diuina, non eam ſingulis quibuſque Miſſis conſumebant. Hinc orta eſt illa ſanctio, quam Gratianus retulit in decretum, cuius hunc Canonem texit. *Relatum eſt nobis quoſdam de ſacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in vno die videntur offerre: ſed ſi in vno die plurima per ſe offerunt ſacrificia, in omnibus oblationibus ſe à communione ſuſpendant, & in ſola tantum extrema ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumant, quaſi non ſit toties illi vero, & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Certum eſt, quòd hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti. Quicunque ergo ſacerdotum deinceps diuino altari ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter priuanit gratia communionis anno vno ſe repulſum nouerit. Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificās particeps eſſe cognoſcitur? Ergo modis omnibus eſt tenendum, vt quotieſcunque ſacrificās corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri in altari immolas, toties perceptionis corporis, & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat.*

Omnes olim communicabant in Miſſa.

Ex Ivre Canonico.

Can. Peracta de conſecrat. diſt. 2.

Sacerdotes debēt conſumere hoſtiā conſecratam

Can. Relatū de conſecr. diſt. 2.

1. Cor. 10.

Rurſus, quia epulæ non ſunt abſtemiæ, imò vinum earum partem nobilem facit; Papa Gelaſius dixit eſſe piaculum in Miſſa prætenire calicem Chriſti. Quis namque conuiuarum lautè dici poteſt paſtus, ſi non ſe largo mero prius infuderit: En decretum Summi Pontificis. *Comperimus, quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineāt. Qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra ſacramenta percipiant; aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius eiuſdem myſterij ſine grandi ſacrilegio nō poteſt prouenire.* Hactenus ille Papa, & equidē appoſitè ad intentū Chriſti, qui Cœnā ſuam fecit ſacrificiū atq; conuiuiū. Vt enim epulæ Iudæorum fuere velut appendices ſacrificij, ita & ſancta cōmunio

Miſſa non debet celebrari ſine conſumptione calicis.

Gelaſius ep. Maiorico & Ioan. Epiſcopis. Canone Comperimus de conſecrat. diſt. 2.

Apoſtolorum in Cœna Domini conſumpſit ſacrificium, tunc temporis inſtitutum. Et hoc ſanè fuit amoris pignus longè nobilius illo, quo Iudęi olim dignati ſunt adſciti in partem ſacrorū, vnde collegere Deum pręcipuè amare populum Hebręum, & hunc præ aliis Gentibus honorare. Nempe ritus ille ſacer comedendi ſacra fecit homines conuiuas Dei, ad quem ſic Iudęi, prę aliis populis propius acceſſerūt. En in illo themate iubilum Moyſis, ita compellantis Gentem ſuam. *Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, Gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia Gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem.*

Hebræi quare à Deo præ aliis Gentibus adamati.

Deuter. 4.

Ita profectò fuit ille ritus amoris index Dei erga homines: ſiquidem vti communi menſa probat affectum indubium, & inde ſuperbiit Aman arbitratus ſe impensè à Regina Eſther prę aliis adamari, quia hæc rerum Domina ſoli ipſi Aman cōpiam fecerat veniendi cum Rege ad epulū, quod regium inſtruxerat. Ecce voces hilares geſtientis Aman. *Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuiū cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum.* Potiori ratione inducti Hebræi benè ominati ſunt de amore Dei erga ſuam Gentem factam participem epuli huius ſacri, quod conſtabat dapibus immolatis. Eò ſpectant hęc Hieronymi effata. *Fuerūt autem hæc conuiuia amoris Dei erga humanum genus maximum ſignū, quod nempe nullū ab hominibus officium exigit, cuius nō in illos ipſos aliquis fructus redundet, ita vt cum illis, ceu amicis ſuis, omnia ſua velit eſſe communia.* Ante Chriſti ortū in humanis, Deus teſtaturus amorem ſuum in Hebręos conuiuia illa ſacra adhibuit, vt congrua ſuo intento præ aliis omnibus argumentis. Sed vbi Chriſtus in homine Deum exhibuit, amoris præcipua daturus indicia, Cœnam inſtituit, vbi ſeſe in cibum appoſuit, factus ipſe conuiuium, & conuiua ſtupente naturâ, neſciâ facinoris hactenus inauditi. Hebræorum epulæ, vt tales pertinebant ad corpora duntaxat, ieiunâ ſemper animâ, quam non ſaginabant mactata illa corpora beſtiarum. Fides namque totum præſtitit, quo fuit anima vegetior ſurgens ex epulo, cuius appoſitæ dapes erant incongruæ ad procurandam, vt par erat, animæ ſoſpitatem. Illi deliquio occurrit Chriſtus inſtituendō Cœnam illam opiparam, cui totum conſtat de corpore & ſanguine Chriſti, vt ferculis idoneis ex ſe ad animas abundè ſimul & corpora totius humani generis impinguanda.

Sacra comedere ſunt argumentum amoris Dei erga homines.

Eſther. 5.

Ex SS. Patribvs.

Hieronymi in c. 45. Ezech.

Quodque magis clamat gratiam impertitam beneficio Cœnæ, cibus illic appoſitus, vitæ immortalis pignus præſtat, ideoque pinguior eſt epulis Hebræorum, quibus olim negatus adeps oſtendebat deeſſe ſacris eorum pinguedinem illam, quæ Cœnam Chriſti Domini comitatur. Ecce legem concluſioni meę propitiā. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinē, nec adipem omnium comedetis.* Itaque macilentæ fuerūt epulæ illæ appendices ſacrorum: quippe fidelibus Chriſti diſcipulis cōnſciis eius Cœnæ, illa vitalis adipis gratia ſeruabatur. Huiuſce dotis præcipuæ præſcius Pſaltes hortatur Eccleſiam, vt congruas indè Deo grates agat, & caueat nequando cadat

Ad ps quare negatus Iudæis in ſacrificio.

Leuit. 3.

Adeps ſacrificii ſeruatus fidelibus Chriſtianis.

memoria adipis abditi tegmine fruměti in Cœna Chriſti Domini conſecrati, Ita Dauid affatur Eccleſiá ſub typo Ieruſalem. *Lauda Ieruſalem Dominũ, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Chriſtus ipſe frumentum electorũ, ſuo nos adipe reficit, & vitæ interminæ latices dũ infundit, Cœnæ participes efficit immortales.

Pſal. 147.

Siſtendus in hac ſubiecta materia Cyprianus, vtpote opportuna locutus. *Cœná*, inquit, *depoſitâ inter ſacramẽtales epulas obuiauerũt ſibi inſtituta antiqua, & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, incõſumptibilem cibũ magiſter apponit diſcipulis, nec iam ad elaborata impenſis, & arte conuiuia populi inuitantur, ſed immortalitatis alimonia datur à cõmunibus cibis differens corporalis ſubſtantia retinens ſpeciem, ſed virtutis diuina inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam, &c. Hæc in Chriſti cõmemorationẽ retractantur à fidelibus, & defæcatis animis carnis eius edulĩ non eſt horrori, ſed honori, potuq; ſancti, & ſanctificantis ſanguinis ſpiritu delectantur. Hæc quoties agimus, nõ dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctum frangimus, & partimur, dum quod diuinum, & humanum eſt diſtinguimus, & ſeparamus, itemq; ſimul ſeparata iungentes, vnũ Deum & hominem fatẽur, ſed nos ipſi corpus eius effecti, ſacramento, & re ſacramenti, capiti noſtro cõnectimur, & vnimur, ſinguli alter alterius mẽbra, miniſteriũ dilectionis pro inuicem exhibentes cõmunicamus charitate, participamus ſolicitudine, eundem cibum manducantes, & eũdem potũ bibentes, qui de petra ſpiritali profluit, & emanat, qui cibus, & potus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Hactenus ille, cuius effata quadrant concluſioni meę, affirmãti Cœnam Chriſti præſtare conuiuiis, quę excipiebant ſacra Iudæis inolita, ac proinde potiora eſſe argumenta amoris Dei in nos, quàm in populum Hebræorum.

Cyprianus ſerm. de Cœna Domini.
Euchariſtiæ veritas.
Euchariſtia nos vnit Deo

QVANDO POTISSIMVM, ET QVARE frequentanda ſit Cœna Domini à fidelibus Chriſtianis.

§. II.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, EX IVRE CANONICO, ET SANCTIS PATRIBVS.

SAnctioris Scripturæ monumenta notant idonea tempora conuiuiis, eáq; reuocãt ad quinq; arguméta, quæ ſunt natiuitas, educatio, dignitatis adeptio, matrimonium, & mors. Illa nimirũ quinq; capita fuere ſolennia orbe toto, ac proinde ſemper & vbiq; opiparis epulis obſignata. In puerorum natalitiis celebrata fuiſſe cõuiuia hiſtoria plici conuincitur. Tunc enim nomina imponebantur ſolenni ritu, fiebantq; ſacra dicta ἀμφιδρόμια, vbi curſitãdo puer ad focũ ferebatur vt meminit Plato. Suidas & Athenæus aiunt, Athenienſes decima die ab ortu nati poſt rem diuinã, & epulas indidiſſe nomen. Huius inſtituti vigentis Romę, mentio locuples eſt apud Tertullianum, qui vocat Nominalia dies illos ſolennes, quibus olim nomina puerulis mox editis inurebãt. Sic ille. *Circa officia priuatarũ, & communium ſolennitatũ, vt Togæ puræ, vt Sponſalium, vt Nuptialium, vt Nominaliũ, nullum putem periculũ obſeruari de flatu idololatriæ, quæ interuenit. Cauſæ enim ſunt conſiderandæ, quibus præſtatur officium. Eas mũdas eſſe opinor per ſemetipſas, quia neque veſtitus virilis, neque annulus, neque coniunctio maritalis, de alicuius idoli honore deſcendit. Nullũ denique cultum à Deo maledictũ inuenio, niſi muliebrem in viro. Maledictus enim* (inquit) *Deut. 12. qui muliebribus induitur. Toga verò etiam appellationis virilis eſt. Nuptias quoq; celebrari, nõ magis Deus prohibet, quàm nomina imponi Sed his accommodantur ſacrificia.* Hactenus ille commemorans quatuor veluti cauſas dierũ ſolenniũ: videlicet puram togam, ſeu veſtitũ virilem. Sponſalia, quæ fiebant inſerto digitis anulo. Nuptias, & demum Nominalia.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.
Conuiuia celebrata in natali puerorũ.
Amphidromia quid.
Plato in Theæteto.
Tertull. lib. de idololatria.

Eiuſdem moris meminit Iulius Capitolinus commemorans prodigiũ quoddam. *Cùm* (inquit) *rarum eſſet aquilas in his locis videri, quibus natus eſt Albinus, ſeptima eius die hora conuiuij, quod celebritati pueri deputabatur, cùm ei fierẽt nomina, ſeptem aquilæ paruæ de nidis allatæ ſunt.* Viget & ille ritus apud Turcas, qui poſt ſeptimũ annum pueros circumcidunt magno apparatu cóuiuij, vt teſtis oculatus ait Bartholomæus Georgeuizius. Apud Feſſanos celebratur & hoc inſtitutum ſeptimo die ab ortu pueri, qui circumciditur inſtructo celebri conuiuio, vt meminit Leo Africanus. Hos & ſequuntur Æthiopes effuſi in conuiuia, vt ſic lautè puellulum natum excipiant, quem die octauo circumcidunt. Priſcis Eccleſiæ temporibus erat inolitũ inſtituere myſticas epulas homini baptizando. Ille nimirùm dies, quo baptizatur homo natalis eſt illi: vnde & Dionyſio dicitur θεογενέσια, id eſt, diuina generatio. Gre. item Nazianzeno Baptiſmus ſignificatur iſta periphraſi λουτρὸν παλιγγενεσίας, id eſt, lauacrum regenerationis. Tertullianus ait hominitingendo fuiſſe lactis & mellis epulas inſtitutas. Ecce locum auctoris huius famoſi. *Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Beatus Rhenanus cæremoniam illam fluxiſſe putat ex Codice ſacro, vbi crebrò recolitur terra fluens lacte & melle. Tempore Hieronymi erat & frequens illa praxis. Nam ille diſcurrens locum Iſaiæ. *Venite, emite abſque vllo argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Ita commentatur appoſitè ad inſtitutum antea prælibatum. *Prouocat nos Iſaias, non ſolum vt vinum emamus, ſed & lac: quod ſignificat innocentiam paruulorum, qui mos, & typus in occidentalibus Eccleſiis adhuc hodie vſque ſeruatur, vt renatis in Chriſto vinum, & lac tribuatur.*

Clodij Albini cunas aquilæ circundedere.
Iulius Capitolin. in vita Clodij Albini.
Turcarum epulæ in die circumciſionis.
Bartholomæus Georgieuitzius lib. de morib. Turc.
Feſſanorũ mos in circũciſione.
Leo Africanus lib. 3. de Africa.
Æthiopum ritus in circumciſione.
Baptizandi quo ritu paſti olim.
Baptiſmi elogia.
Tertull. lib. de corona militis.
Hieronym. lib. contra Luciferian.

Conuiuium inſtructum die natali, quotannis repetebatur à Regibus & Dynaſtis. Fuit hoc epulum natalitium propitium pincernæ Pharaonis, qui more Ægyptio celebrans illud inſigne conuiuium pincernam carceris ergaſtulo concluſum ad priſtina munia reuocauit. Perſæ religionis partem fecere morem illum inſtruendi quotannis ſacrificia, & epulas die natali Principum. Imo plebeij etiam homines pro modulo ſuo frugalia conuiuia illi ſuæ natiuitatis tempori deſtinarunt. Adiicit Herodotus Regem Perſarum fuiſſe ſolitum largiri munera die natali primogeniti ſui, quem, vt præfatus ſum, Perſæ ſolenni ſacro, & publico epulo celebrabant. Siquidem ex Platone dies natalis primogeniti Regis Perſarum erat toto regni ambitu quotannis celebrandus opimis dapibus apparatis. Morem gere-

ÆEgyptiis vſitata natalitia cõuiuia. Gen. 40.
Perſarum conuiuia in die natali.
Herodot. lib. 9 Athenæus lib. 4.
Plato Alcibiad. 1.

re

re illi inſtituto Plato vocat τὰ γενέθλια θύειν, ἑορτάζειν. Id eſt, natalitia ſacris, & feſtiuitatibus agere. Fuit & Romanis magnæ venerationis dies ille natalitius: homini nempe nato die illo, & ſtruenti conuiuium munera mittebantur. Hinc eſt ille Virgilij verſus, teſtis locuples praxis huius inolitæ veterum tempore Romanorum.

Romani natalem diem celebrarunt.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Virgil. Eclog. 3.

Fas fuiſſe Romanis illo die relaxare animos Seruius affirmat, vt ſic hilariter recolerent diem illam, quâ lucis vſuram cœlitus acceperunt. Vnde Iuuenalis explicare volens diem feſtiuum, hunc exprimit petita ſimilitudine à die natali.

Iuuenalis Satyr. 12.

Natali, Coruine, die mihi dulcior hæc lux.

Quia celebrantes epulas genethliacas munuſcula accipiebant ab amicis, plerique ſæpius quotannis natiuitatis ſuæ diem eo intento munera exigendi, ſordidè repetebant. Illiberalis huius animi reus inſimulatur Clytus à Martiali.

Clyti ſordidus animus in exigendis muneribus, die natali.
Martial. lib. Epigramm.

Vt poſcas Clyte munus, exigaſque
Vna naſceris octies in anno.

Plutarchus meminit, ſingulis quibuſque annis Auguſtum die natali ſuo donatum fuiſſe præclara phiala à Mæcenate. Vt Virgilius egregiè morem illum celebrandi dies ortus ſui meminit his verſibus.

Auguſtus phiala donatus a Mæcenate.

Clarus inoffenſo procedat lumine Titan,
Lætificuſque dies eat omnibus æthere puro,
Voſque ſimul iuuenes animis, & voce fauentes
Concelebrate diem votis felicibus almum:
Proſper vt is ſemper redeat, vatique quotannis
Aſmenida referant alacres ſua munera nati,

Plutarc. in Auguſto.
Virgil. in epigramm.

Cicero Antonium acutè perſtringit, quòd nimio luxu difflueret in die natali, conuocans ad epulas lixas, calones, ganeones, homines inglorios. Ecce intorta in Antonium ſpicula Ciceronis. *Hodie non deſcendit Antonius: Cur? dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo. Putato tum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni.* Non ſacris tantùm, ſed & epulis conſtitiſſe dies natales clamant ſubiecti verſus Iuuenalis.

Antonius in die natali ſuo luxu diffluebat.
Cic. 2. Philipp.

Moris erat quondam feſtis ſeruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum
Accedente noua, ſi quam dabat hoſtia carne,

Iuuenalis Satyr. 11.
Natales dies epulis celebrati.

His adiice voces Toxili apud Plautum, qui vt commemorat diem natalem ſuum ſic hortatur.

Plautus in Perſa.

——— Hoc age, accumbe, hunc diem
Suauem meum natalem inter nos agitemus amœnum.
Date illis aquam manibus, apponite menſam

Eiuſdem farinæ eſt diſcurſus iſte eiuſdem comœdi.

Idem, in Pſeudolo.

——— Facitę vt offendam parata omnia
Verſa, prætergá, ſtrata, lautaque, coctaque omnia vti ſint:
Nam mihi hodie dies natalis eſt, decet eum omnes vos concelebrare:
Facite hodie vt mihi munera multa huic ab amatoribus conueniant.

Hebræos luculento conuiuio ſignaſſe diem hunc natalem ſatis ſuperque clamant ferales epulæ Herodis in die natali ſuo, quem fecit diem obitus Baptiſtæ, Chriſti Domini præcurſoris. Fuit & Romanis ſolennis dies natalis vrbis Romæ, qui fuit duodecimo Kalendas Maij, in quo Romulus augurio capto vrbem aratro ducto prouidè deſignauit. Sacra fieri ſolita tunc dicta ſunt Palilia, forte quia directa Deæ Pali, id eſt, telluri. Ouidius deducit illam vocem à paleis ob ſegetem vbertimam ſemel exortam. Arbitror ego, poſſe vocem illam deriuari à dictione Græca πάλιν, id eſt, rurſus, quia iterum Roma diem agebat feſtum, quo prima fuere iacta fundamina mœnium. Huius vocabuli & feſti meminit Propertius his verſibus.

Hebræis celebrata conuiuia natalitia.
Palilia ſacra quæ & vnde dicta.
Natalis dies vrbis Romæ celebratus.

Vrbi feſtus erat, dixere Palilia Patres:
Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.

Propert. lib. 4. Epigram.

Adiice & Suetonium ita fatum. *Decretum vt dies, quo cœpiſſet Imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ vrbis.* Quo textu videtur meam firmare ſententiam, videlicet Palilia fluere à dictione Græca πάλιν, id eſt, rurſus. Romani etiam natalitia Imperatorum habuere ſolennia, ideóque Kalendas Martij coluere, vt diem natalem Romuli: quantoque fuit gratior Imperator, tanto fuit etiam hilarior illa natalis eius dies, vt in Alexandro Seuero liquet, cuius dies genethliacus Lampridio aſſertore fuit Romæ ſacris ſolennibus, & lautiſſimis epulis agitatus. Hadrianus adoptatus à Traiano diem adoptionis ſuæ vt natalem habuit celeberrimum; adoptio quippe naturam dicitur imitari.

Sueton. in Caligula.
Alexandri Seueri dies natalis Romæ percelebris.
Lamprid. in Seuero.
Hadrianus celebrem habuit diem adoptionis.
Spartianus in Hadriano.

Ex præfatis facilè eſt deducere dies, quibus præcipuè ſit à fidelibus Chriſtianis Cœna Domini frequentanda. Prima dies huic epulo ſacro aſſignanda erit illa natalis, qua videlicet anima prius extincta vitiis, tandem facta redux beneficio pœnitentiæ naſcitur gratiæ, dignatione Dei cœlitus influentis. Quiſquis igitur ſua confeſſus piacula renaſcitur, is confidenter accedat ad menſam illam ſacram, in argumentum lætitiæ, qua geſtire debet ob animam ſuam factam Dei gratia rediuiuam. Eò ſpectat obſoletum illud Eccleſiæ inſtitutum quo baptizatis olim fiebat copia menſæ Chriſti, vt vel ſic natalem ſuum hoc adorando epulo celebrarent. Hunc morem maximè probat Auguſtinus. Oſorius ait Æthiopes fuiſſe tenaces huiuſce ritus, & puerulo baptizato miniſtraſſe Euchariſtiam in mica panis ori inſerta, vt ſic eo die, quo nati ſunt gratiæ Dei homines, aſſideant menſæ ſacræ, cum ipſo rerum omnium Domino conuiuantes. Illi Æthiopum inſtituto concolor eſt mos Ruthenorum, quos Sigiſmundus ait facere copiam Cœnæ Domini ſingulis quibuſque pueris nactis ſeptennium, quia tunc peccare queunt pueri ſortiti rationis vſum, qui tunc conceſſus eſt veluti noua natiuitas hominis, qui profectò eatenus tantùm hominem agit, quatenus exerit rationi congruas actiones. Illa Ruthenorum praxis conſona eſt meæ ſententiæ ſuadenti ſacram communionem illi, qui reſpirat ad gratiam, cuius antea neſcius, viuebat pecudum more: vt qui præuia confeſſione nouum vitæ genus inſtituit, ſignare queat hunc natalem diem ſacris epulis accumbendo.

Euchariſtia quando ſit ſumenda.
Auguſt. lib. 1. de peccatorũ meritis. cap. 20.
Æthiopes puerulis dãt Euchariſtiã.
Oſorius l. 9. de Emmanuel.
Rutheni pueris poſt ſeptennium dant Euchariſtiam.
Sigiſmundus Liber. lib. de rebus Moſcouit.
Euchariſtia quando ſuſcipienda.

Eò videtur alludere Canon ille, qui ſuadet copiam corporis, & ſanguinis Chriſti, quia inde vita manat, cuius facti ſumus participes. Ecce textum. *Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo, & potando carnem, & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.* Præfatus ſum, fuiſſe Romanis maximè cordi diem natalem Imperij, ſed ſilui ritum, quo teſtati Deo ſuos memores animos, exultarunt. Omnis cæremoniæ cardo vertebatur in hoc, vt accenſo paleis rogo tranſilirent ignem, iuxta illud Ouidij commemorantis feſta Palilia.

EX IVRE CANONICO.
Can. Quia de conſecrat. diſtinct. 2.
Palilia quo ritu celebrata.

Ouid. lib. 4. Faſtor.

Dum licet appoſita, veluti cratere camella
Lac niueum potes, purpureamque ſapam,
Moxque per ardētes ſtipula crepitātis aceruos,
Tranſilias celeri ſtrenua membra pede.

Accedit & Propertius, ita monens initiatos ſacris illis Palilijs.

Propert. lib. 4 Epigram.

Annua pro accenſo celebrate Palilia fœno.

Liquidiùs adhuc Tibullus meminit illos ſaltus per medias flammas.

Tibullus.

Ille leuis ſtipulæ ſolennis potus aceruos
Accendet flammas, tranſilietque ſacras.

Natiuitatis Chriſti dies eſt natalis Imperij Chriſtiani; Domino nempe exorto, abdita ſeſe explicuere fundamina Eccleſiæ, & lapis ille angularis Iudæorum, & Gentium parietes diſſitos adunauit. Bethlehemiticus ille nimirum infans paſtores Iudæos ex vicino vocauit ad cunas ſuas, & ad præſepe ſuum Magos poſitos procul ex Gentibus inuitauit. Dies Paſchæ vices etiam gerit natalis Eccleſiæ, ſaltem triumphantis, quia tunc concluſi Patres ergaſtulo limborum, inde primùm educti ſunt à Chriſto Domino reſurgente. Alteram & ideam diei natalis exprimit feſtum Pentecoſtes, quia tunc Gentibus ferè omnibus, quæ illa die Ieroſolymis erant primò reſeratæ patuere fores Eccleſiæ, Apoſtolica reſonante tuba, & terſioris vitæ ex præſcripto Euangelij dogmata promulgante. In gratiam dierum illorum Canones editi ſunt obſtringentes, olim homines vt tunc accederent ad menſam Chriſti, & ita dies veluti natales Eccleſiæ, non adſtantes tantùm ſacris, ſed & eorum facti participes ſumpto Chriſti corpore celebrarent. Ita ſanxit Papa Fabianus, cuius en decretum. *Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent, (niſi fortè quis maioribus quibuſlibet criminibus impediatur) in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini.* Eiuſdem generis eſt Canon iſte Concilij Agathenſis obeundæ communionis ſanctæ congrua tempora decernenos. *Seculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicarint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Concilio item Elibertano cautum eſt illud idem hoc cōtextu. *Nec inter Catholicos connumerabitur, qui in iſtis videlicet temporibus, Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini non communicauerit.*

Natales Eccleſiæ dies qui ſint.

Euchariſtia ter in anno ſumenda. Can. Et ſi

Can. Seculares.

Can. Omnis de conſec. diſt. 2.

Communicandum in Cœna Domini.

Adiice & tribus hiſce feſtis diem inſtitutionis Cœnæ Domini: quippe fuit dies ille natalis huius myſterij, non hominibus modo, ſed & Angelorum choris omnibus adorandi. Tanti ponderis, & momenti fuit viſa dies illa priſcis Eccleſiæ temporibus, vt concurrerent omnes ad ædes ſacras ſacroſancto Chriſti corpore ſaginandi. Neque ſuis quiſquam deeſſet partibus in ea ſancta praxi, Soter Papa legem iſtam tulit, quam temerare nefas fuit vrgente fidelium feruida diſciplina. Ecce Canon. *In Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis, quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit, Eccleſiaſticus vſus demonſtrat, cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis, & ſanguinis Dominici ſacramenta reconcilientur.*

Canone in Cœna de conſecrat. diſt. 2.

Euchariſtiæ præparatio.

Sed quia parum eſt indixiſſe dies, quibus eſt frequentanda Domini Cœna, niſi & inſinuetur ille ritus, quo par eſt ſacris accumbere menſis, operæ-pretium eſt decernere quiſnam huic epulo ſit futurus congruus apparatus. Huic adero parti, ſi reuocaro morem Romanis inolitum circa Palilia, quæ, vt prælibaui, celebrabant igne accenſo paleis, quas ardentes, atque flammiuomas initiati ſacris illis erant ſoliti tranſilire. Nota, frumenti paleas fuiſſe pabulum ignis illius ſacri, ideòque feſta Palilia ſic dicta à paleis vt credit Ouidius. Non erit incongruum in hanc Gentilium meſſem iniicere falcem ſanctam, & rutilas legere gemmas abditas in annoſo ſtercore profanorum. In flamma ſuſpicor amorem, cuius æſtus adurentes animam congrua in igne ſymbola naciſcuntur. Ignis ille accenſus frumenti paleis ſuggerit, debere amorem noſtrum excitari meditatione frumenti electorum, ſub cuius paleis, id eſt ſpeciebus, abditus Chriſtus amoris Deus, charitate ſua paleas illas ſtipans flammis, quas vt nemo tranſilire, id eſt, ſuperare poteſt, enitendum eſt ſaltem in has pro viribus inſilire. Hoc abundè præſtat ille, qui recolit amorem Chriſti teſtatum his paleis, ſeu frumenti typis: frigida nempe caleſt corda appoſita flammiuomis his paleis, fitque fides illi Pſaltis eloquio. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*

Amoris igne accenſi fideles debent accedere ad menſam Chriſti.

Prærequiri apparatum illum ignis ad acceſſum, & epulas Chriſti, liquidò probat textus commemorans agni Paſchalis priſtinum inſtitutum. Sic quippe Deo decernente cautum. *Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni, &c. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis.* Eſto chorus virtutum omnium ſit grata ſupellex animam ornans, & faciens idoneam Cœnæ Chriſti; nihil æquè tamen adornat eam, ſicut flammæ antea recenſitæ. Ille namque Deus amorem ſpirans, illo præcipuè capitur, & carpitur igne. Quiſquis itaque volet ſeſe accingere, vt decet ad illa ſacra, animo ſuo verſet ardentes paleas, id eſt, Chriſtum amore depereuntem homines ſub illo triticeo tegmine ſacramenti. Siquidem vt magnes eſt amoris amor; ita incandeſcet animæ affectus indubiè, amore Chriſti Domini meditato. Eò ſpectant hæc Richardi effata. *Facit charitas vt pro ipſo, vel in ipſo mori non metuant, ſed affectent à quo ſic amari ſe vident, vt ne morerentur ipſi, morte turpiſſima voluit condemnari. Paſſionis eius ludibriis, quaſi quibuſdam aculeis incitati, feruntur effrenes in amoris abyſſum, in profundum charitatis.* Hac & ſpeculatione amoris Chriſti Bernardus incanduit, totus amore flagrans, ſuomet experimento docens, nullum eſſe magis idoneum fomitem ad amorem Dei ſuſcitandum, quàm recolere amorem eiuſdem Domini depereuntis hominum genus. Sic ille. *Faſciculus myrrhæ, dilectio, ibi dilecti manſio: nouit autem quicunque rectè ſapit, quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantùm Dei ſeruum deceat, ſacroſanctæ Paſſionis ipſius, fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientia; ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria, quòd eſt ſpiritualiter manducare corpus Domini, & ſanguinem eius bibere ob amorem, & reuerentiam eius, qui credentibus in ſe præcepit dicens: Hoc facite in meam memoriam.*

Exod. 12.

Euchariſtiã ſumpturus quomodo in ſe Dei amorem excitabit.

EX SS. PATRIBVS.

Richard. Victor. tract. de gradibus charitatis.

Meditatio amoris Chriſti in nos, eſt fomes idoneus ad amorem excitandum.

Bern. ſerm. 2. de Paſſione.

Hoc intuitu amoris Chriſti in nos poſſe accendi tepentes hominum æſtus, Baſilius olim dixit, qui & ipſe fuit cœleſtium conſcius arcanorum. Ecce viri Deo afflati veridicum oraculum.

Baſilius cap. 172 ex regulis breuioribus.

Apoſtolus

Apoſtolus de vnigenito Dei filio ait: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Cum ergo anima fidem habet his dictis, & conſiderat magnificentiam gloriæ ipſius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus, ac talis obediens fuit Patri vſque ad mortem pro noſtra vita, puto, quia prouocari poteſt ad affectum, & dilectionem ipſius, & Dei Patris, qui vnico filio non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Talem ergo affectum & fidem præparare debet in animo ſuo is, qui panem, & calicem Domini percipiet. Et hanc amoris neceſſitatem inſinuat Deus ipſe lege, qua cauit olim ardere, ſacris altaribus ignem neſcium deliquij. En decretum: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna manè, per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum, ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

Euchariſtiæ & amoris Dei neceſſitas.
Leuit. 6.

Cuius autem indolis ſit amor ille, quem Deus expetit à diſcumbente ſecum in ſacra menſa, adhibita ad diem natalem congruè celebrandum, colligere eſt ex memorando ritu, quo veteres ſua feſta natalitia celebrabant. Et vtinam Chriſtiani recolerent morem illum, qui diu apud Gentes conſtitit illibatus. Inſtituti ſumma fuit, nullas illa die mactare feras, ſed facere incruenta ſacra, ne cuipiam animali dies illa ſumma foret, quæ fuerat olim prima homini, cuius natalibus, dies illa tunc temporis ornabatur. In eo argumento Cenſorinus refert verba Varronis hoc tenore: *Id moris inſtitutique Maiores noſtri tenuerunt, ne diem, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Plutarchus, & Euſebius meminere ritus illius. Hac cautione debent frequentari ſacra, quæ recolo. Nempe fidelis Chriſti diſcipulus, accingens ſe ad altare incruentum, hoc ſibi imponat penſum, videlicet vt repurget, ſi quid eſt in amaro pectore truculentum. Namque Dei menſa manans lacte, & melle, fellea corda non recipit, ſed illa ſolum quæ intemerato amore Dei, & proximi conducuntur. Quiſquis ergo parat pectus illi cibo Cœnæ Chriſti, is ſe aptet in ſacrarium amoris Dei & proximi, ne ſit iniurius illi ſacramento. Præſtat in hac parænesi audire Auguſtinum, optimum vtique conſultorem. Sic ille: *Ita Dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit. Qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe.*

Die natali ſacra erant incruenta.
Cenſorinus cap. 1. de die natali.
Plutarchus in Romulo.
Euſeb. lib. temp.
Amor proximi neceſſarius accedenti ad mēſam Dei.
Auguſt. ſer. de ſacramento fidelium. feria 2. Paſcha.

Hoc itaque menti fidelium inſideat altè, ſcilicet epulo ſacro recolere dies ſacros natales Chriſti, & ſanctorum, potius quàm celebrare diem exortus ſui, qui vt plurimum eſt initium iliadis magnæ ærumnarum, quibus obnoxia vitæ noſtræ momenta ſolent omnia nigricare. Vnde ſatius eſſet meminiſſe diem, quo nati ſumus obſequio Chriſti quàm illum, qui lucis vſuram dedit, iuxta morem Sanctorum, quibus illa dies non geſtiendi, ſed lugendi viſa fuit locuples argumentum. Mihi præiit Origenes, ita fatus. *Animaduertamus, ô homines, quæ immutatio facta eſt in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc verò nos non celebramus diem natiuitatis, cùm ſit dolorum, & tentationum introitus; ſed diem mortis, vtpote omnium dolorum depoſitionem, & omnium tentationum effugium, quia nō moriuntur hi, ſed perpetuò viuēt, qui mors videntur.* Feſtiuos agere dies ortus ſui in hoc æuo ſentibus obſito clamat animum, cui res eſt ſuauis & pergrata in importuno hoc degere ſenticeto.

Dies natalis noſter non lætitiæ ſed fletuum eſt argumentū.
Origen. lib. 3. in Iob.

Profectò procul ab hac mente fuit omnis Sanctorum chorus, vt ſuggerit Origenes alibi, perſtrictum refricans argumentum. *Nemo*, inquit, *ex omnibus Sanctis inuenitur diem feſtum, vel conuiuium magnum egiſſe in die natalis ſui. Nemo inuenitur habuiſſe lætitiam in die natalis filij, vel filiæ ſuæ. Soli peccatores ſuper huiuſmodi natiuitate lætantur: inuenimus enim in veteri quidem Teſtamento, Pharaonem Regem Ægypti diem natalis ſui cum feſtiuitate celebrantem: in nouo verò Teſtamento Herodem: vterque tamen eorum, ipſam feſtiuitatem natalis ſui, profuſione humani ſanguinis cruentauit. Ille enim præpoſitum piſtorum, hic Sanctum Ioannem Prophetam obtruncauit in carcere. Sancti verò non ſolùm non agunt feſtiuitatem in die natalis ſui: ſed & Spiritu Sancto repleti execrantur diem illum.* Hoc eſſe delirium hominum, ad quos non pertinet cœlum, ille idem luculenter explicat. *Plerique*, inquit, *hominum ſub cœlo, hac ſola ſe oblectantes vita, ſolaque terrena, quæ fragilia ſunt atque caduca reſpicientes, diem natiuitatis ſuæ ſumma cum delectatione celebrare ſtudent, eoque die ſplendidè iucundantur. Nam hanc exiſtimant portionem, & hæreditatem ſuam, & per hæc ſperant ſe diutius victuros in corpore. Meritò terrenam hanc, atque carnalem vitam ſolam diligentes, celebrant diem natiuitatis ſuæ, diem verò mortis nec nominari patiuntur. Iob contra odio carnalis huius vitæ adductus, pro celebratione dies natalis ſui, eum maledicit, quia ſit peccatorū, & delictorū principium.*

Idem, Homil. 8. in Leuit.
Natalis dies Sanctorum quis ſit.
Reprobi celebrant diem ſuum natalem.
Orig. lib. 3. in Iob.

Hieronymus illi ſententiæ ſubſcribens malè ominatur eis, qui diem ſuum natalem feſtiuis agunt epulis, & quidpiam inde ſiniſtrum optimè ſuſpicatur. *Nullum*, inquit, *alium inuenimus obſeruaſſe diem natalis ſui, niſi Herodem, & Pharaonem, vt quorum erat par impietas, eſſet & vna ſolennitas.* Ad hanc & cenſuram pertinet ille abuſus, qui graſſatur orbe toto, celebrandi natalitia aliquorum Sanctorum, Baccharum more: Quaſi verò delectet Sanctos luxus ille, quo iura diuina, & humana omnia temerantur. Nullus ferè angulus orbis Chriſtiani hac impietate vacat: ſingulis quippe vicis, atque ſuburbiis ſuus eſt Sanctus, quem patronum vocant, in cuius die natali largo mero aſpergi, & crapula tenus paſci, ritus eſt Sanctum vt decet excolendi. Has Ethnicorum reliquias veluti fæces ſubſidentes in ſentina nauis Eccleſiæ damnat Auguſtinus, carpens ita morem illum, ſeu potius ſuggillans illam luem, quæ ſuo ſæculo graſſabatur. *Attende*, inquit, *animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conuiuiis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non delectat.* Satius eſſet Martyrum agones recolere epulo ſacro, vbi anima inſtruitur gratia, idonea ad virtutes ſanctorum Martyrum æmulandas.

Vita hæc non eſt diligenda.
Hieronym. lib. 2. in Matthæum.
Feſta Sanctorum quomodo celebranda.
Auguſt. lib. de Pœnit. c. 4.

PROPONVNTVR RVRSVS ALIA argumenta accedendi ad ſacram Domini Cœnam congruo apparatu.

§. III.

Ex Antiquitate, ex SS. Patribus, Iure Canonico, et Historia.

Ablactatis infantibus celebrata fuiſſe ſacra ſimul & epulas, codice ſancto, & profanis hi-

Ex Antiquitate

PLVRIVM NATIONVM.

Samuelis ablactatio quo ritu peracta fuit.

1. Reg. 1.

Ablactatio facta cum ſacrificio.

ſtoriis vſquequaque liquet. Vterque ritus ſacrificij, & epuli, ſubtracto vbere infantulis, eſt liquidus in ablactatione Samuelis, cuius intuitu alma parens aptauit ſacrificium, & epulas inſtituit. Ecce contextum hiſtoriæ. *Aſcendit Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hoſtiam ſolennem, & votum ſuum, & Anna non aſcendit, dixit enim viro ſuo: Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter.* ¦ *Et ait ei Elcana vir ſuus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorque vt impleat Dominus verbum ſuum. Manſit ergo mulier, & lactauit filium ſuum, donec amoueret eum à lacte. Et adduxit eum ſecum poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad Domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus, & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Rabbi Dauid Kimchi ibi commentatus ait, è tribus vitulis fuiſſe duos impenſos epulis, & vnum Domino conſecratum. Vnde patet, lacte ſemoto, rem diuinam atque conuiuium ſubiiſſe ritum illum puerulos ablactandi. Abraham Patriarcha præierat Elcanæ in illo inſtituto celebrandi repurgium lactis: quippe depulſo infantulo Iſaac ab vbere, ſolennes indixit epulas, vt textus iſte clamat. *Creuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Proculdubio latet inibi myſterium, equidem idoneum moribus excolendis.

Iſaac ablactatio quomodo celebrata.

Geneſ. 21.

Euchariſtiæ frequens vſus permiſſus iis, qui voluptates omnes fortiter abdicarunt.

Lacte virulento paſcitur omne hominum genus, quia vbere materno libido fluit, qua præeunte ſati ſumus; ideoque typus peccati lac eſt, cum quo ſugimus cuiuſque mali peſſima rudimenta. Itaque, miſſum facere lactis vſum, perinde eſt, ac dare libellum repudij auitæ voluptati nobis inſitæ. Quod facinus egregium quiſquis præſtiterit, is profectò parandi conuiuij opiparum habet locuples argumentum. Ille nimirum carnis illecebras faſtidiens, atque gulæ titillantes cupedias omnino reſpuens, reficiendus eſt ſolidiore cibo, qualis eſt panis fortium, quem è Cœna Domini Chriſtiani pugiles accipiunt, ad magnos agones ſeſe fortiter accingentes. Hoc igitur conſtans eſto ratumque, dari copiam liberam Cœnæ Domini fidelibus, qui deterſerunt omnem aſperginem lactis, omne voluptatis commercium contrariis actibus abdicantes. Puerulos ablactatos ſiſti Deo, non fuit vnius Hebrææ Gentis tantùm inſtitutum, ſed & plurium nationum, quibus rectæ rationi conſentaneum fuit viſum numine conſulto precari fauſta pubeſcentibus annis hominis, in hanc lucis vſuram pro viribus enitentis.

Spartanorum mos poſt ablactionem puerorum.

Athenaeus l. 4.

Diana Corythallia.

Græci Hebræorum conſuetudine initiati ritibus ſacris, quos poſtea aptarunt ad arbitrium ſuum, habuere ſacra τιθηνίδια, id eſt, nutricalia à Spartanis maximè frequentata. Athæneus ait, eo tempore pueros fuiſſe adſportatos in agros ad Dianam Corythalliam, vbi fiebant ſacra & epulæ porcellis, id eſt, lactentibus ſuibus immolatis. Romani pueris diſcretis ab vbere Deas Eduſam, & Potinam ſæpe ſæpius inuocabant, vt quo tempore puer edere, & potare incipiebat, bonis illud auibus efficeret. O vtinam Chriſtiani omnes, quibus animo inſedit ablactari, mactarent ſues adhuc tenellos, profectò voluptatem in cunis, id eſt, dum incipit, eliderent; ſicque ſe aptarent ad ſacras epulas Chriſti, quibus adſtare nefas integra voluptate. Leo Africanus ait Feſſanos in Africa magnis epulis celebrare dies, quibus pueruli foras mittunt dentes, & Plato in Timæo meminit Apaturia feſta, quibus pueris triennibus inſtruebantur epulæ. Quatuor dierum fuit illa ſolennitas. Primam dixere diem δορπίαν, eo quòd ſodales ad veſperam in vnum collecti vacabant epulis: δορπεῖν, namque ſonat idem, ac δειπνεῖν, id eſt, cœno. Secundam nuncupauere diem ἀνάῤῥυσιν, id eſt, ſacrificium, quia faciebant ſacra Ioui ſodali, & Palladi. Græcis ἀναῤῥύομαι, ſignificat reparare: vnde quia procedente ætate defectus corporis infantuli reparabatur, inſtituta fuit dies, vt propitius adeſſet Iupiter puerulo, corporis vtique reparator. Tertiam appellauere diem κουρεῶτιν, id eſt, puellarem: ſiquidem κοῦρος, idem eſt, ac puer. Illa die pueri, & puellæ referebantur in albū ſodalitatis alicuius. Quartæ diei nomenclatura fuit ἐπίβδα, ὅτι ἐπιβαίνουσα ταῖς ἑορταῖς. Quia erat poſtridiana feriarum, excipiens dies feſtos antea prælibatos. Hos meminere dies Suidas, Herodotus, Xenophon, & Euſebius, quos ſi vacat conſulere, luſtra cuiuſque locum tibi fideli margine prænotatum

Feſſanorum mos in dentione puerorum.

Leo Africanus lib. 3. de Africa.

Apaturia ſacra quæ in Athenis.

Suidas voc. ἀπατούρια.

Herodot. l. 2.

Xenophon l. 1. Hellanic.

Euſeb. lib. de Temporibus.

Alia item fuere Græcis inſtituta ſacra, atque conuiuia in gratiam pubertatis: illo nimirum tempore, quo comam deponebant pueri excedentes ex ephebis, Athenienſes fecere ſacra, atque conuiuia dicta, κουρεῶτιν ἀπὸ τῆς κουροσύνης id eſt, ab infantia velut depoſita, comam exutam faciebant Apollini ſacram; & Theſeus eo nomine Delphum appulit, vt comam ſuam depoſitam Apollinis tholo appenderet. Achilles verò vouit comam ſuam Aparchio fluuij cuiuſdam Deo apud Homerum. Huiuſce ritus ſacra fiebant in templo Herculis, vbi Athenienſes libamine facto vini, reliquum amphoræ propinabant adſtantibus. Eamobrem dicta ſunt illa ſacra οἰνιστήρια, id eſt, Vinalia, quia totum ſacrum mero effuſo conſtabat, teſte Cœlio Rhodigino, cui & adiice Pieronidum auctorem minimè pœnitendum. Ad hæc ſacra referre potes ſolennia facta in ſumptione Togæ virilis. Nempe nactus homo quatuordecim annos, & quaſi iam matura ætate, deponebat puerilem veſtem prætextam, ſic dictam, quia purpura texebatur. Aliam poſtea induebat albam, quæ ideóque pura fuit congruo nomine nuncupata. Hoc candore loquaci monebatur homo procedens ex ephebis, nihil eſſe gerendum penitus indecorum, ne albicante toga mores aliquo reſperſi vitio nigricarent. Macrobius, Gellius, & Suetonius meminere togam hanc virilem, in cuius ſumptione notat Tertullianus fuiſſe ſacra ſolennia, vt & opima conuiuia celebrata.

Athenienſ. ſacra tempore pubertatis.

Theſeus cur dicarit comam.

Plutarc. in Theſeo.

Vinalia ſacra.

Cœlius Rhod. lib. 7. c. 32.

Perionius lib. 2. de Cræc. Magiſt.

Toga prætextata quæ.

Toga virilis quare pura.

Macrob. lib. 2. Saturn. c. 6.

Gell. lib. 18. cap 4.

Suet. in Claudio.

Tert. lib. de idololat.

Inſinuaſſe puritatem, togam hanc virilem, eius epitheto liquet: nempe pura dicebatur illa toga; candore ſonans, hominis hac veſtiri debere eſſe omnia defæcata. Eò vergit Lucanus, ſic in eo argumento ludens.

——————— *Pura venerabilis æquè*
Quàm currus ornante toga.

Lucan. lib. 7. Pharſal.

Einſdem indolis eſt illud Catulli effatum, in gratiam togæ illius terſæ, cuius albedo clamat, vitam eſſe puris moribus excolendam. Sic ille.

Tempore, quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cùm ætas florida ver ageret.

Catullus ad Mallium.

Alij veſtem illam dixere vmbonem, quia vt

prætexta

Toga virilis quare dicta ſit vmbo.

prætexta pauidos faciebat pueros, vtpote poſitos ſub ferula, ita toga virilis addebat animos ad audendum ardua, & hæc fortiter exantlanda. Sententia illa vades habet Perſium, atque Terentium peritiſſimos in re antiquaria, ad quam pertinet ille ritus, à multis iam ſæculis obſoletus. Ita Perſius.

Perſ. Satyr. 5.

Cùm primum pauido cuſtos mihi, &c.
Cùm blandi comites, totaque impunè ſuburra
Permiſit, ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo

Toga virilis toga fuit libertatis.

Beneficio togæ virilis copia facta viuendi liberius affinxit illi togæ nomen vmbonis. Si quis enim ſic togati libertatem voluiſſet cenſuræ obnoxiam efficere: puer qui ex ephebis exceſſerat, toga virili præoſtenſa poterat intorta ſpicula retorquere. Illo nimirum habitu tectus homo nactus erat facultatem liberioris auræ, itaut genio indulgere poſſet iam conſcius vitæ neſciæ ferulorum. Opportunus adeſt Terentius hoc concentu.

Terentius.

Nam is poſtquam exceſſit & ephebis Soſia,
Liberius fuit viuendi poteſtas.

Prælibati ritus aperiunt ſpatiandi campum longumque latumque in argumento Cœnæ Domini. Sed vt breuior ſit alea excurſus, inſtitutis aliis præteritis, tria duntaxat recolam antea recenſita.

Eucharistiæ dispoſitiones perſit ſingulares & notandas.

Quibus potiſſimum inſtruentur homines, quando, & quomodo debeant ſiſti ſacræ Dei menſæ, ne temerè accedant ad epulas, quas adire fas eſt tantùm hominibus accinctis pro dignitate rei, quæ exigit à conuiuis congruum apparatum. Itaque priorum epularum, quas ſacras adibant homines ſumma omnis reducitur ad tria capita, equidē idonea Intento Chriſti: videlicet ad ablactationē, depoſitionem comæ ſiue primæ genarum lanuginis, & ad ſumptionem togæ virilis niueo candore cōſpicuæ. Qui profectò ritus concludunt omnia, quæ menſa Chriſti Domini prærequirit. Primò namque voluptatis affectus omnis eſt pellendus; quippe Deus, & noxiæ illecebræ cupido, minimè conueniunt. Tale repurgium affectuum quos ſibi pruriens illecebra obſtrinxit, ſortitur in ablatione ſymbolum opportunum. Rurſus abiuratâ voluptatum omnium communione, amore tenus, eſt Impenſè ſatagendum, ne de eis incautè cogitando ſpecies reſtricta deforis appareat perpetratis actibus indecoris. Ideóque radendi pili, id eſt, cogitatus omnes cuiuſvis illecebræ præfocandi ſunt in cunis, ne anima obſcœnis illecta ideis, cogitatio iniqua prodeundo foras in actum, turpiter adoleſcat. Cautio illa ſingularis in depoſitione comæ typum habet vtique conſonum. Demum omni vitiorum obice ſepoſito, non eſt hîc ſiſtendum, ſed eſt induendus virtutum amor, quo præeunte candicantes virtutum habitus in animam inſtructam hiſce, ritibus inducuntur. Vltima hæc diſpoſitio graphicè lineatur in ſumptione Togæ puræ, depoſitâ prius prætextâ, quæ puerilis erat, & incongrua actibus egregiis fortiter exantlandis.

Euchariſtiã indignè ſumens quomodo à Deo plectatur.
Ex SS. Patribus.

Qui ſecus faxit, & hoc ſpreto apparatu ſiſtitur epulis Chriſti, ille reus eſt temerati ſacri. quod adire nefas, ſine præuiis illis cautionibus, quas præterite, incurrere eſt in diſcrimen, quod meminit Auguſtinus. *Diligenter* (inquit) *attendite, ſi ad menſam cuiuſcumque potentis hominis nemo præſumit cum veſtibus ſciſſis & inquinatis accedere; quantò magis ad conuiuium æterni Regis: ideo ab altari Domini debet ſe vnuſquiſque inuidia, vel odij veneno percuſſus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia, & humilitate ſubtrahere, propter illud, quod ſcriptum eſt: Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem, & ille obmuteſcente, dixit miniſtris: Ligate illi manus, & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiã merebitur audire, qui ad conuiuiũ nuptiale, id eſt, ad altare Domini aut ebrius, aut adulter, aut odiũ in corde retinens præſumit accedere.* Eſſè deponendas vitiorum omnium fæces, & inducendos eorum loco virturũ habitus, egregiè monet Ambroſ. ne fiat homo iniurius adorando Chriſti Domini ſacramento. Ecce viri Sancti ſententiam cōcluſioni meę affinē. *Veniſti ad altare, vocat te Dominus Ieſus, vel animam tuam, vel Eccleſiã, & ait: Oſculetur me ab oſculis oris ſui. Vis ad Chriſtũ aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius oſculetur me. Vides te mundũ eſſe ab omni peccato, quia delicta deterſa ſunt: ideo te ſacramētis cœleſtibus dignum indicat, & ideò inuitat ad cœleſte conuiuium: Oſculetur me ab oſculis oris ſui. Tamen propter ſequentia anima, ſua, vel humana conditio, vel Eccleſia videt, ſe ab omnibus mũdatam eſſe peccatis, & dignam, quæ ad altare Chriſti poſſit accedere. Quid eſt enim altare, niſi forma corporis Chriſti? Vnguentum exinanitum eſt nomē tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerũt te nimis. Quæ ſunt iſtæ adoleſcentulæ, niſi animæ ſingulorũ, quæ depoſuerunt iſtius corporis ſenectutem, renouatæ per Spiritum Sanctum.*

S. Auguſtin. ſer. 2. de verbis Apoſtol.
Euchariſtiã nemo malè ſibi conſcius frequentet.
Ambroſ. ſer. 5. de Sacramentis ad Neophytos.
Gratia Dei renouat animas.

In ſacrilegos homines etiã inuehuntur Canones ſancti, vt vel ſic abſtrahãt à menſa Domini reprobos. Ecce oraculum. *Timorem docet nos Apoſtolus dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Eiuſdem ponderis & momenti eſt iſte Canon. *Qui ſceleratè viuunt in Eccleſia, & communicare nō deſinunt, putãtes ſe tali communione mundari, diſcant nil ad emundationem ſibi proficere, dicente Propheta: Quid eſt, quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? Nunquid carnes ſancta auferent à te malitias tuas. Et Apoſtolus: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* In eo themate celebris eſt hiſtoria, quam recolit Gabriel Biel, vir vſquequaque doctus. Is hominem refert animo impuro acceſſiſſe ad ſacram ſynaxim, & eodem temporis articulo luiſſe pœnas ſuo congruas facinori, quia dæmon ſui iuris fecit hominē illum, qui pectore opaco adiit menſam Angelis adorandã. Dignus planè fuit impius hic, quem torqueret dæmon, quia immundo concluſit ergaſtulo Dominum, quo Iudice dæmones ipſi flamma vindice cruciantur. Quod ille miſer toto ſpectante populo paſſus eſt ſenſibiliter, inſinuãte ſe dęmone in corpus eius ſacrilegum, illud idem patiuntur omnes conſcij eiuſdem flagitij, licet tortura ſit hominum oculis inuia. Nempe dæmon omnes illi ſacramento iniurios tenet arctè ſuis nexibus irretitos.

Ex Ivre Canonico.
Can. Timorē, de co ſec. diſt. 2.
Canone, Qui ſceleratè, de conſec. diſt. 2.
Ex Historia.
Gabr. Biel lectione 51 in Can. Miſſæ.
Hiſtoria hominis poſſeſſi à diabolo ob Euchariſtiam indignè ſumptam.

Præco Dei, vt decet hanc perpende hiſtoriam, & altè mentibus auditorũ ingere, monens illos adeſſe diabolum in crepidine menſæ Domini, vt accedentes indignè trahat in ſuas partes, eodem ignium tormine caſtigandos.

Ad hoc caput de cauſis, quæ nos ſollicitant ad frequentandam menſam illam ſacram pertinet adeptio dignitatis alicuius inſignis. Verbi gratiâ, Hebræi inaugurati ſacerdotio, dies totos ſeptem agebant in tabernaculo ſacris intenti, quorum reliquias etiam ſanctis epulis inſumebant. Et hic præcipuè ritus ſolennis fuit in Pontificis Hebræorum inauguratione, quam ſacris, &

Pontificis Hebræorũ inauguratio quonam ritu facta.

conuiuio

Exod, 29.

conuiuio inſignẽ fuiſſe clamat textus ſacer, quem tibi ſubiicio. *Veſtem ſanctam, qua vtetur Aaron, habebunt filij eius poſteum, vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus vtetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis eius, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonij, vt miniſtret in Sanctuario. Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus veſcetur Aaron, & filij eius. Panes quoque qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt.* Vides hoc decreto Dei ſociari ſimul epulas, atque ſacra. Hunc etiam conuiuiorum ſolennium morem Roma Gentilis æmulata eſt initiando ſuos Pontifices; ſed dedignata ritum ſanctum Hebræorum, quibus totum de religione conſtabat, deliciis Roma Ethnica diffluebat. Macrobius acutè ſuum ſtylum aptat in hanc luxuriam. Sic ille. *Accipite, inter grauiſſimas perſonas non defuiſſe luxuriam. Refero enim Pontificu vetuſtiſſimam Cœnam, quæ ſcripta eſt in indice quarto Metelli illius Pontificis Maximi in hæc verba: Ante diem nonam Kalendas Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus eſt, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt. Duobus triclinis Pontifices cubuerunt, &c. Ante Cœnam echynos, oſtreas crudas quantum vellent, &c. In Cœna ſumina, &c. Anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amylum, panes picentes. Vbi luxuria tunc accuſaretur, quando tot rebus farta fuit Cœna Pontificum.*

Pontifices ſub Roma Gentili quo luxu initiati.

Macrobius l. 3. Saturn. c. 13.

Hortenſij Cœna die ſuæ inaugurationis.

Plin. l. 10. cap. 10.

Commemorat Plinius luculentam Cœnam ab Hortenſio inſtructam in gratiam ſuæ inaugurationis; ibi namque pauo primù eſt menſis appoſitus. De inauguratione Regum, atque Magiſtratuum multa ſuppetunt exempla ſacra, & profana, vnde liquet ille frequens conuiuiorum vſus. Primò occurrunt epulæ inſtructæ à Samuële, quando Saülem deſignauit Regem cœlitus inſtitutum. Dauid & ſuffectus in locum Regis huius, auſpicatus eſt regnum ſuum in Hebron, celebrato conuiuio magnifico, quod in tres dies protractum eſt, toto ferè Iudęorum populo coëunte. Ecce tibi de codice ſacro ſubiectam ſpeciem apparatus. *Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, vt conſtituerunt Regem Dauid ſuper vniuerſum Iſrael: ſed & omnes reliqui ex Iſrael vno corde erant, vt Rex fieret Dauid. Fueruntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes, & bibentes: præparauerant enim eis fratres ſui. Sed & qui iuxta eos erant, vſque ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad veſcendum, farinã, palatas, vuam paſſam, vinum, oleum, boues, arietes, ad omnem copiam. Gaudium quippe erat in Iſrael.* Hoc contextu vides opiparas epulas eſſe gaudij inſignis maximum argumentum.

Epulæ inſtructæ à Samuele in gratiã Saul. 1. Reg. 9.

Epulæ magnificæ inſtructæ à Dauid auſpicãte regnum. 1. Paral. 12.

Perſarũ mos in epulis ob regnũ adeptum. Herodot. l. 9.

Herodotus ait Perſas adeuntes regnum, hoc etiã adieciſſe ſumptibus epularũ, ſcilicet vt nolla ſupplicatio facta Regi repulſam pateretur. Qua feſtiuitatis occaſione captatâ, Ameſtris petiit à Rege Xerxe ſibi donari Madiſtim vxorem germani ſui, cuius amore inſano lubricus ęſtuabat. Cui petitioni Rex annuit, ne videretur temerare legem regni, latam in gratiam epularum, quas inauguratio Regis inſtruxerat. Non procul à luxu Perſarum Roma fuit cuiuſque dignitatis, ſed præcipuè Conſulatus infulas induendo. Apparati eo intento conuiuij luxum Plinius inde probat, quòd Cæſar in tertio ſuo Conſulatu epulum populo dedit, in quo fuerunt appoſita vina Falerna, Chia, Lesbia, Mamertina, Nempe luculenta profuſio vini defæcati ſatis ſuperque clamat, quãta dapum fuerit ſpecies, & quàm locuples apparatus. Rurſus vt ſumptibus aliqua fieret acceſſio, Romani Imperatores dedere congiarium populo, poſt epulas vt Suetonius eſt aſſertor. Valerianus Auguſtus deferens Conſulatum Aureliano, qui & Imperator fuit, de ærario ſoo ſuppeditauit ſumptus neceſſarios ad cõgruas epulas apparandas. Flauius Vopiſcus laudat Epiſtolam Valeriani Auguſti, qua Aelio Xifido præfecto ærarij decernit ea, quæ Aureliano Cõſuli deſtinauit. Sic ille *Aureliano, cui Conſulatũ detulimus ob paupertatẽ, qua ille magnus eſt, cæteris maior. Dabis ad editionẽ Circenſiũ aureos Antonianos trecentos, argẽteos Philippeos minutulos tria millia, in ære H S. quinquagies, tunicas multicias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mantilia Cypria paria duo, tapetia Afra decẽ, ſtragula Maura decem, porcos centum, oues centum. Conuiuium autem publicum edi iubebis Senatoribus Equitibus Romanis.* Idem Vopiſcus ſubiicit prodigæ manus exemplum inſigne in Cõſulis cuiuſdam inaugotatione. Sic ille. *Vidimus proximè Conſulatum Furij Placidi tanto ambitu in Circo editum, vt nõ præmia dari aurigis; ſed patrimonia viderentur, cùm darentur tunica ſubſerica linea parauganda, darentur etiam equi ingemiſcentibus frugi hominibus. Factum eſt enim, vt iam diuitiarum ſit, non hominum Conſulatus: quia vtique ſi defertur virtutibus, editorem ſpoliare non debet. Perierunt caſta illa tempora, & magis ambitione populi peritura ſunt.* Hactenus ille lugens immodicum luxum cùm epularum, tum munerum in gratiam alicuius inſitæ dignitatis.

Epulæ Cæſaris quàm ſumptuoſæ. Plin. l. 14. c. 15

Epulæ Caligulæ. Suet. in Caligul.

Epulæ Aureliani.

Flauius Vopiſcus epiſ. Valeriani ad Æl. Xifidum. Aurelianus à paupertate cõmendatus.

Flau. Vopiſcus Furij Placidi conſulatus quã liberalitate editus.

Ex illo putamine multiplicis hiſtoriæ nucleus educendus eſt, pertinens ad mores inſtituendos, & præſertim in his, quæ ſpectant epulas Chriſti. Pręfatus ſum ex ſacris Scripturæ monumentis, ſacerdotes initiatos egiſſe dies ſeptem in tabernaculo vacantes ſacris, quorum reliquias ſanctis epulis inſumebant. Inde venor anſam ſacerdotes admonẽdi adſtare ſacris diebus ſeptem, id eſt, tota hebdomada, ne ſuis aliquãdo deſint partibus, & ſacerdotij gratiam faciant infœcundam. Non eſt in ſacerdote periculum irreuerentiæ, vt eſt in laïco, ſi quotidie ſiſtatur altaribus, dummodo ſe accingat ad hæc ſacra pro viribus. Nempe ſacerdos agit vices, quarum intuitu procul abeſt à diſcrimine in quod incurrunt homines profeſſi alium vitæ ritum, & fallacis huius ſæculi arctis nexibus irretiti.

Sacerdotes debent ſingulis quibuſque diebus adeſſe ſacris

Quàm ſit ſuſpiciendum in ſacerdote propoſitũ, ſingulis quibuſqoe diebus facere rem diuinã, luculẽter ait Greg. Pap. cui Caſ. Epiſc. magnis encomiis eo nomine celebratur. Sic ille. *Multi veſtrum fratres chariſſimi Caſſium vrbis Narnienſis Epiſcopũ nouerunt, cui mos erat quotidianas Deo hoſtias offerre, ita vt pene nullus dies vita eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret. Cui cum ſacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cũcta, quæ habebat, in eleemoſynis tribuens, cùm ad horam offerendi ſacrificij veniſſet, velut totus lachrymis diffluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat.* Nota ſacerdotis huius aſſidui ad altare ritum fuiſſe congruum inſtituto Principum, qui inaugurationis ſuæ celebrantes epulas, magna largitione munerum liberalis animi teſſeras erogabant.

EX HISTORIA.

Caſſius Epiſcopus quotidie rem diuinã faciebat. Greg. hom. 37. in Euangel.

Miſſa quo ritu celebranda.

erogabant. Ille nimirum bona ſua pauperibus impertiens, hac Deo grata profuſione ſe aptabat ad epulum Chriſti. Vtque repurgata nitebant triclinia, vaſaque ſimul regia, largos aquæ latices effundendo: ita ſacerdos hic præfatus poſt erogatam ſtipem egenis, ſeipſum conueniens, & alto ſcrutinio cordis penitiora rimans, perenni lachrymarum fonte ſe iugiter alluebat. Eſto quibuſque fidelibus conueniat eleemoſynæ, & fletuum apparatus, vt congruus menſæ illi ſacræ; illæ tamen cautiones præcipuè obſtringunt ſacerdotes. Horum namque facultates ſunt patrimonium pauperum, & largus fletuum imber idoneus eſt ad ſacrificos homines emundandos.

Miſſa eſt iuge ſacrificiũ. Ex Ivre Canonico.

Ad ſtabiliendam concluſionem meam de munere ſacerdotis, cuius eſt quotidie altaribus aſtare ſacris, Miſſa dicitur iuge ſacrificium, quia quotidie repetitur res hæc diuina, vt Canones ſancti clamant. Duos accipe, quorum primus ita ſonat. *Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento.* Concors eſt alius iſte Canon, explicans quomodo res vna eademque ſacra, ſingulis quibuſque diebus, ſine multiplicatione ſui, poſſit congruè reſticari. Ecce Canonicum hunc contextum. *In Christo ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis eius, & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, & ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium: alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? nequaquam: ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum eſt corpus, & non multa corpora, & ita vnum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit nos mundantem. Ipſam vero offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum eſt, Hoc facite ait, in meam commemorationem.*

Can. Semel. de conſecr. diſt. 2.

Can. In Chriſto, de conſec. diſt. 2. Euchariſtia Chriſtũ continet eumdẽ, qui ſe olim obtulit.

Si verò res eſt de communione Laïcorum; operæ pretium eſt, eos adhibere curam illam ad epulas ſacras, quam adhibuere Magiſtratus initiati ſuis infulis. Hi multa ferarum ſtrage editâ ſuas ſtruxere dapes, & conuiuium ſartum tectumque ſuis patribus ornauerunt. Non omnibus fortè vacat erogare luculentas eleemoſynas, & ſic ſe aptare Cœnæ Chriſti præuiâ largitione munerum; & hæc profectò cautio citra caſum neceſſitatis neminem obſtringit. Sed iugulare feras, id eſt, eliminare quidquid irrationale ſapit, ac proinde nefas eſt, illud eſt præambulum ad epulas Chriſti Domini requiſitum. Demum, ne illibata ſit praxis inſtituendi conuiuia pro adepta dignitate, hoc Chriſtianis inolitum eſſe velim, vt ſi qua fiat eis honoris acceſſio, ſatagant inde Deum maiori ſolertia conciliare ſibi, frequentius eo intento ſacras epulas adeundo.

* * *

Pars II. Homiliæ.

Vt Coena Domini sacra est; ita & operæ pretium eſt, eos, qui inuitant alios ad hanc Cœnam, eſſe ſacris ritibus initiatos, vt ſunt ſacerdotes.

§. IV.

Ex Antiqvitate plvrivm Nationvm.

Lvſtrato orbe toto, nulla planè natio occurrit conſcia numinis alicuius, quæ non habeat ſuos ſacrificulos initiatos peculiari ritu ad quorum arbitrium facta fuit res diuina. In ſerie ſacerdotum Iudæi tenuere primas, vtpote præclaris inaugurati cæremoniis, cœlitus inſtitutis. Vt anima corpori addicta ſuam notitiam emendicat à ſenſibus, ad diuina nequit aſſurgere, niſi ſpeculetur attentè corporea ſimulachra. Ideóque Deus conciliare volens ſacris ſuis reuerentiam, ſacerdotes inſtituit magna cæremoniarum pompa, ſuperante ritum inaugurationis Regum, vt videre eſt ex decreto conſecrationis, cuius copiam tibi faciet hic contextus, Deo auctore ſatus. *Hoc facies vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita, de ſimila triticea cuncta facies. Et poſita in caniſtro efferes: vitulum autem, & duos arietes. Et Aaron & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij. Cùmque laueris patrem cum filiis ſuis aqua, indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea, & tunica, & ſuperhumerali, & rationali, quod conſtringes balteo. Et pones tiaram in caput eius, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum vnctionis fundes ſuper caput eius; atque hoc ritu conſecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis, cingeſque balteo. Aaron ſcilicet, & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua.*

Sacerdotes quo ritu fuerint cõſecrati Ex Antiqvitate; Exod. 29.

Proculdubio ſeries illa rerum, quas meminit ibi Deus homini ingerit altum ſenſum rei, ad quam ſic aptatur homo ritibus illis ad ſacra munia deſignatus. Duas prælibato textu nota præuias diſpoſitiones, ad hoc, vt quis initietur congruè diuino ſacerdotio. Primò ſanxit Deus tolli vitulum de armento, & arietes duos, antequam inaugurandi Leuitæ lineis induantur. Subodoror in vitulo laſciuientre luxuriam, vt & in ariete ſuperbiam: is enim gregi præit ſemper non inferiora ſecutus. Mactati arietes cum vitulo, clamant exterminium cuiuſque ſalacis indolis, vt & depreſſionem typhi; quo turgens animus intumeſcit. Deo ſic ingerente ſuis ſacerdotibus, qua cautela ſeſe aptare debeant tremendis hiſce ſacris. Et quia parum eſt abſtinere malis, niſi in vitiorum locum ſufficiatur virtutum omnium praxis; Deus poſt pecus immolatum hoc decreuit: videlicet vt initiati ſacerdotes induerentur lineis, & balteo cingerentur. Albicantis animæ puritatem ſonat lini candor, ſicut & balteus viriles ſuggerit animos, vtique aptos ad prælium. Nempe iuge diſcrimen eſt animæ cum

Non ſufficit ſacerdoti extirpare vitia, niſi & virtutũ praxim ſuperinducat.

Sacerdos aptare ſe debet ad diſcrimẽ cum vitiis.

corpore,

corpore, ſtatim vt profeſſa ritum ſanctiorem ſeſe virtutis obſequio mancipauit. Itaque quiſquis ſacerdotio inſignitur, ille vitiorum iugo ſubducitur, & in virtutum omnium aleam inducitur, vt ſic ſe accingat ad ſacra myſteria, quæ temerare nefas, neque adire licet, niſi comite ſanctitate.

Sacerdotes quib' dignati titulis apud Græcos.

Cuius vt memoria altè inſideret animo ſacerdotum; Græci illis inuſſere nomen varium, inſigne tamen titulo ſanctitatis. Huius generis ſunt iſta vocabula, *ἱερεὺς, ἱερομνήμων, ἱερουργὸς, θεουργὸς*. Id eſt, ſacer, ſacrorum memor, ſacra faciens, diuinum opus agens. Demoſteni dicuntur ſacerdotes *προςάται τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας*. Id eſt, Præfecti rerum diuinarum.

Sacerdotes traxere ſuum nomen vel à Diis, vel ab officiis, vel ab habitu.

Latini, Feſto aſſertore, dixere ſuos ſacerdotes Antiſtites ſacrorum. Cæterum omnis nomenclatura ſacerdotum à triplici fonte emerſit. Nempe ſacerdotes fuere nuncupati, vel à Diis, quorum erant, vel ab officiis, quibus vacabant, vel ab habitu, quo deforis ornabantur. A Diis Veſtales inuſſere ſibi nomen; quippe ſacerdotes fuere Veſtæ. Furnales à Furina; Vulcanales à Vulcano: Iſiaci, ab Iſide: Canephoræ virgines, quæ Iunonis ſacra adminiſtrabant: Palatualis Flamen, qui ad ſacrificandum ei Deæ conſtitutus erat, in cuius tutela palatium eſſe Romano populo cenſebatur. Ab officiis & muniis ſacerdotio annexis fecere ſibi nomen ſingulare ſacrificuli. In his celebres fuere apud Opuntios Kithologi, quos Plutarchus ait ſic dictos, quia colligebant hordeum, vnde primitiæ fiebant. Solenſes appellabant Hypocauſtriam Mineruæ ſacrificulam, quòd auerruncandis malis tota iugiter attenderet. Aruorum Sacerdotes, quorum erat aruis incumbere, Aruales congruo nomine dicebantur. Augures ab augurandi peritia ſuum aucupati nomen, ab aliis diſcreti ſunt; vt & Feciales, à facienda ſeu ferianda pace. Nempe penes eos erat ferire fœdus, & componere res bello indicto turbatas. Inter Feciales principem locum tenebat Pater patratus, qui liberos habebat, & patrem adhuc ſuperſtitem.

Plutarchus in quæſtionibus Græcis. Idem, in quæſtionibus Romanis. quæſt. 62.

Feciales vnde dicti.

A corporis habitu mutuatitium accepere nomen Flamines, ita dicti, quaſi Filamines, quòd, cum in capite pileum haberent, in quo breuis erat virga deſuper, habens lanæ aliquid, filo religarene caput æſtiuo tempore, eò quòd lanigero tegmine grauarentur. Vnde à ligatura fili primò Filamines nuncupati, & deinde Flamines appellati. Sic *στεφανοφόροι* apud Græcos dicti fuere ſacerdotes Herculis, quibus ferre coronam, & comam promiſſam, erat teſſera dignitatis. Quonam verò fuerint inſtituto ſacerdotes initiati, paucis aperit Ariſtoteles, diſtinguens ſacerdotes in *αἱρετοὺς, καὶ, κληρωτοὺς*, id eſt, in electos, & in ſorte adſcitos. Tota nimirum creatio ſacerdotum, in illo duplici cardine vertebatur: alij quippe morum probitate electi dignabantur illo ſacro munere; alij nulla morum habita ratione, ſorti debebant infulas, quibus ornabantur. Vtrumque genus arcet Ariſtoteles à regimine ciuitatis, vtpote nolens miſcere ſacra profanis. Romana Reſpublica conſcia corruptelæ Caligulæ Imperatoris, vidit gemebunda ſuum ſacerdotium ſummum ſacrilego pretio ſubiacere. Ecce querulas in eo argumento voces Suetonij. Sic ille. *Magiſteria ſacerdotij ditiſſimus quiſque, & ambitione, & licitatione maxima vicibus comparabat.*

Flamines vnde dicti.

Creatio ſacerdotũ quomodo facta. *Ariſtotel. l. 4. Politic.*

Sacerdotiũ pretio olim comparatũ

Suetonius in Caligula.

Vt reuerentiam conciliarent ſacerdotio ſuo priſcæ Gentes, excogitauere ritus aliquos ſingulares, quibus ritè obſeruatis, fieret aliqua dignitatis acceſſio titulo ſacerdotis. Cautio illa omnis ad tria capita reducitur. Nempe ſacerdotes petebantur alicubi ex prænobili, & vetuſta familia: vt vel ſic aliis eſſent conſpicui, vtpote ſati magnis Heroibus. Alibi veſte reuerenda amicti ſacrificuli, animos obuiorum hominum ad aliquod honoris obſequium ſuis illis infulis inclinabant. Demum multa ſacerdotibus indulta fuere priuilegia, quæ tot fuere præcipuæ illorum nomina dignitatis. Prioris generis ſacerdotes fuere Palladis apud Athenienſes, quos vocabant Eteobutades, hi nempe omnes erant creti ſanguine vetuſtu Buti; qui primus eos Athenis inſtituit ac proinde fecit ſibi nomen adeò grande, vt ſua trahere natalitia à Buto, Athenis eſſet præcipuo ſtemmate aliis omnibus eminere. Ita Cœlius ille Rhodiginus, cui adiice vetus prouerbium. *Ἐξ Ἐτεοβουταδῶν ἕλκει τὸ γένος.* Id eſt, Ab Eteobutadis ducit genus. Quo adagio ſincera nobilitas adſtruitur, vt Eraſmus aſſertor eſt. Athenis etiam Buzigia familia ſola ſacerdotio illuſtris fuit, quia Buzige Heroë ſata fuit ſicuti probat Cœlius hiſtoriarum veteri monumento. Quàm religioſi fuerint Paphij in ſacerdote Veneris initiando, prodit Tacitus, commemorans, ex qua tantùm familia aſſumpti ſint olim Veneris ſacrificuli. Sic ille. *Fama recentior tradit à Cinara templum ſacratum, Deamque ipſam conceptam mari, huc appulſam. Sed ſcientiam artemque aruſpicum accitam, & Ciliecem Thamyram intuliſſe. Atque ita pactum, vt familia vtriuſque poſteri cæremoniis præſiderent. Mox ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret, ipſa quam intulerant ſcientia hoſpites ceſſere. Tantum Cinarades ſacerdos conſulitur.* Liuius ait ſimile ferè inſtitutum Veiis fuiſſe obſeruatum vbi Iunonis Veientanæ ſimulacrum attrectare nefas erat, niſi ſacerdoti certi cuiuſdam generis aſſignati. Cretenſes Magnæ Deæ ſacerdoti nomen indidere Meliſtæ, quia Meliſſa filia Regis Cretenſium prima fuit initiata ſacris illis: Vnde vt ſacerdotium illud regium quid ſpiraret, affinxere nomen, Meliſſæ, mulieri ſacrificulæ, vt auctor eſt Lactantius.

Sacerdotib' ſuis entiles trib' modis cõciliauere reuerẽtiam.

Eteobutades quinam ſacerdotes.

Cœlius Rhod. lib. 14. c. 13

Eraſm. Chiliad. 3. centur. 3. c. 85. Cœl. lib. 18 c. 23.

Ex qua familia aſſumpti ſint ſacerdotes Veneris Paphiæ.

Cornel. Tacit. lib. 18.

Meliſſa ſacerdos. *Lact. l. 1. c. 22*

A forma habitus nonnihil honoris delibauere ſacerdotes priſci, nec eum morem Deus ipſe aſpernatus eſt, delineans formam veſtis pontificiæ. Sic ille rerum Dominus affatus eſt Moyſem. *Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim, & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum. Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto.* Reliquo contextu meminit gemmas, laminam auri appoſitam fronti, tintinnabula aurea inſerta ſpatiis, quæ diſcriminant mala punica aſſuta fimbriæ veſtis pontificiæ, qua inſignitus Pontifex occurrens Alexandro Magno, eum adeò perculit, vt ille pronus hominem ſic veſtitum inſtar Numinis adorarit.

Exod. 28.

Deſcriptio veſtis pontificiæ Hebræorum.

Alexander Magnus veneratur Pontificem Hebræorum.

Huius

Ioſeph. Antiquit. l. 11. c. 8. lib. 20. c. 8.

Phæcaſij ſacerdotes quo habitu. Anubis quid olim.

Appian. l. 5. de bello ciuili. Senec. l. 7. de beneficiis, c. 21. Pollux. lib. 7. cap. 12. Iuuenal. Sat. 3.

Iſiaci ſacerdotes quonam fuerint habitu.

Apul. l. 11. Metamor. Martial. lib. 12. epig. 29. Herodot. l. 1.

Sacerdotes Cibelis.

Alex. ab Alex. l. 2. c. 8.

Huius hiſtoriæ ſemel & iterum meminit Ioſephus.

Alexandrini, & Athenienſes ſuſpicati ſpecialem cultum in extera veſtium pompa, voluere Phæcaſios ſacerdotes circumferre calceos candidos, & eorum præfectum incedere habitu purpurato. Moris huius meminerunt Appianus, Seneca, & Pollux, quibus adiice Iuuenalem ita fatum.

Phacaſianorum vetera ornamenta Deorum.

Apuleius ait ſacerdotes Iſiacos linea ſtola indutos, vt & verſu ſuo prodit Martialis.

Linigeri fugiunt calui, ſiſtrataque turba.

Iidem, ſcilicet Apuleius, atque Martialis adiiciunt, hoſce ſacerdotes Iſidis fuiſſe capite raſo, & ſiſtrum tenuiſſe manibus. Addit Herodotus illos papyraceis calceis inceſſiſſe. Et Plinius obſeruat eos quandoque depoſito ſiſtro prætuliſſe ramum abſynthij marini, vel nuces pineas. Quodque diuinitatis erat ſymbolum Ægyptijs Anubim ſummo capite præferebant. Anubis linguà Ægyptiaca canem ſonat, & quia capite caninò colebant Ægypti Mercurium, ſacerdotes Iſiaci canis ſimulacrum capite geſtantes dicebantur Anubim ſuo vertice circumferre. Scribit Plinius Indorum Vates multo fuiſſe corallio ornatos. Veteres Galli habuere ſacerdotes Cibelis fucatos variis coloribus, vt meminit Alexander, addens, eos mitella, crotoco, & lineo fuiſſe calceamento inſignes, & feciſſe ſacra tinnientibus cymbalis, & tympano reſonante.

Sacerdotes Arabes. *Diodor. Sic. l. 6. cap. 10.*

Arabes ſacerdotes induiſſe lineas ſtolas tenues, atque delicatas, & verſicolores induiſſe calceos; auctor eſt Diodorus ille Siculus. Præ aliis Gentilium ſacerdotibus refulſit olim ſacerdos Solis apud Phœnices, cuius meminit Herodianus. Vt præcipuo cultu Solem colunt Phœnices, ita & voluere ſacerdotem ſideris huiuſce pellucidi ſacerdotibus cæteris eminere. Eamobrem ille ſacrificus induebatur veſte auro & purpura prædiuite. Vtque maior honoris eſſet acceſſio, ille ſacerdos Solis impunè prodibat auro rutiloque lapide coronatus. Et ne quidpiam eſſet deſiderandum huic ſtatui, priuilegia ei indulta ſunt tanti ponderis, & momenti, vt habuerit infra ſe Reges factos ad ſuum nutum. Huius generis fuere ſacerdotes Iouis in Meroë, quibus tantum licuit in capita Regum Æthiopum, vt plerumque miſſo nuntio necem Regi demandarent, nullo prorſus ſæua ſacerdotum imperia detrectante. Ita Diodorus ille Siculus. Apud Albanos ſacerdos erat ſecundus à Rege, nec vlla præfectura locum illum auſa eſt vſurpare, vt Strabo aduertit. In Aritia Arthemiſiæ Dianæ ſacerdos Regis nomenclatura gaudet. Vnde & ſyluæ Dianæ ſacræ dicuntur nemoroſa regna, Hinc eſt ille verſus Martialis.

Sacerdos Solis apud Phœnices quo habitu fuit. *Herodianus, lib. 5.*

Sacerdotes Æthiopum in Meroe. *Diodor. Siculus l. 6. c. 10.*

Sacerdotes Albani. *Strabo lib. 11.*

Sacerdotes Dianæ dicti Reges.

Martial. lib. 9. epigr. 64.

Qua Trinia nemoroſa petit dum regna viator.

Eiuſdem ſtemmatis eſt, & verſus hic Lucani.

Qua Sublimo nemus Scythica, qua regna Diana.

Lucan. lib. 3. Sueton in Calig. c. 35.

Sacerdotes Bellonæ. *Hirtius in bello Alexandrino.*

Meminit & huiuſce nuncupationis Suetonius hoc contextu. *Nemorenſi Regi; quòd multos iam annos potiretur ſacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit.* De ſacerdotibus Bellonæ in Cappadocia luculentam mentionem facit Hirtius, eos Regibus tantumnon aſſimilans. Sic ille. *Vetuſtiſſimum & ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, vt ſacerdos eius Deæ maieſtate, & Imperio, & potentia ſecundus à Rege conſenſu illius Gentis habeatur.* Concolor eſt, & ille ritus frequens in Comanis Ponticis, vbi ex Strabone ſacerdos eò honoris aſſurgebat, vt quotannis ſemel & iterum diademate inſignis eſſet. Idem Strabo recenſens ſacerdotem in Zela famoſum, ait penes eum fuiſſe rerum omnium ſummam. Huic ſuppares fecere ſuos ſacerdotes Germani illi priſci, quorum indolem explicat Cornelius. Nempe nemo tulit ſententiam in capita noxiorum hominum illis inconſultis, vt quorum erat tantùm decernere ſupplicia. Subdit idem Cornelius, Naharualis (qui ſunt contermini Sueuis) neminem præeſſe niſi ſacerdotes. Eodem apice honoris dignati ſunt Trallium ſacerdotes, quibus erat ius in Regia demorari: quippe Tralles Reges, & ſacerdotes ad eamdem honoris trutinam appendebant, vt auctor eſt Vitruuius.

Sacerdotes Ponti. *Strabo lib. 12.*

Sacerdotes in Zela. *Strabo. Ibid.*

Sacerdotes Germani. *Cornel. Tacit. lib. de morib. German.*

Sacerdotes Naharuali.

Sacerdotes Trallium. *Vitruuius l. 2. cap. 8.*

Tyrij regiis etiam infulis dignati ſunt ſacerdotes Herculis, quibus duntaxat erat ius regias infulas vſurpare. A Tyriis oriundi Carthaginienſes, eumdem detulerunt honorem ſuis ſacrificis, quos inſtar Regum voluerunt incedere purpuratos, De hoc inſtituto fit mentio apud Oroſium. Apud Ægyptios nemo ſacerdotio initiatur, niſi Philoſophus, & ex hoc collegio Stobæus ait Rege extincto ſucceſſorem ſolio deſignari: Ita vt Rex Ægypti philoſophus eſſet, & ſacerdos. Vnde Mercurius Triſmegiſtus, id eſt, ter maximus appellatur, eò quod maximus eſſet Rex, Philoſophus, & ſacerdos.

Sacerdotes Tyrij.

Sacerdotes Carthaginenſ.

Oroſius lib. 4. c. 6. Stobæus ſerm. 41.

Sacerdotes Aegyptij, Philoſophi, & Reges.

QVOT CAVTELIS VSAE SVNT pleraque Gentes, ne deſpectui haberetur ſacerdotium.

§. V.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

NE decretis caderent honoribus ſacerdotes Roma opportunè cauit, leges inſtituens & cautelas, ad quarum trutinam appenſi ſacerdotes ſacris infulis ornabantur. Corporis & animæ dotes idoneas ſacerdotio Romani illi priſci de hac re maximè ſolliciti alto ſcrutinio, & ſeuero examine conquirebant. In eo argumento breuiloqua quidem lex edita, ſed paucis concludens omnia, quibus vt par erat aris homines adaptantur. En decretum SACERDOS SIT INTEGER. Illa lego deliquium omne corporis & animæ procul eſſe debuit ab his candidatis, qui ſacerdotio dare nomen votis omnibus ambiebant. In eo themate Seneca ſpatiatus multa congeſſit vtique digna ſcitu, Sic ille. *Metellus Pontifex, cum arderet Veſta templum, dum Palladium rapit, oculos perdit, ſacerdotium illi negatur. Lex integrum, ad animum refert, non ad corpus. Lex æſtimari hoc voluit tunc, cùm quis poteret, non cum haberet ſacerdotium. Ambitioſa lex eſt ad ſacerdotium, notas non ſanctitatis tantùm, ſed felicitatis admittit, inquirit in mores, in corpus, in vitam. Vide tu quemadmodū tam moroſa legi ſatisfacias. Fas ſacerdoti non eſſet, ancillā tibi ſimilē habere,*

Sacerdotum qualis olim integritas.

Sacerdotium quas cautelas olim prærequiſiuit.

Seneca. Sacerdotes qui eligendi.

fierine ſacerdotem fas erit? Non poteſt in ea ſperare ſacerdos, in qua ſperare meretrix poteſt: aliis oculis leno vitam æſtimat, aliis Pontifex. Abſint ex hoc foro lenones, abſint meretrices, ne quid parũ ſanctũ occurrat, dũ ſacerdos legitur. Quo mihi ſacerdotẽ, cuius precaria eſt caſtitas, ſi mater tua proſtitiſſet, noceret tibi. Pro libertate vota facienda ſunt, captiua mandabitur? Ancillæ ex lupanaribus ſacerdoti non emuntur. Coram ſacerdote obſcœni homines abſtinent. Non ſine cauſa ſacerdoti lictor apparet. Occurrentẽ tibi meretricem ſubmouiſſet? Caſtigationem ex Pontificis Maximi arbitrio meruerat ſacerdos, ſi eo è lupanari redemiſſet. Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt. Hoc in victimis notatur, quantò magis in ſacerdotibus? Hactenus Seneca, è cuius locis diſcretis hæc in vnum contextum refundere operæpretium duxi, vt velut ex ſynopſi lector vno intuitu coniiceret corporis & animæ dotes, quæ coire debent, vt ſacerdotio dignetur homo, ad illum honoris apicem euehendus.

Sacerdos vlcere infectus ſacris ineptus eſt. *Plutarch. in quæſt. Romanis.*

Ad illud etiam inſtitutum pertinet illa Plutarchi obſeruatio. *Cur interdictum fuerit Auguri, ſi vlcus haberet, aues obſeruare.* Quam quæſtionem ita diluit. *Vt victimam, aut auem vlceroſam rei ſacræ faciendæ gratiâ vſurpare nefas erat: ſic animo ab omnibus moleſtiis, & quaſi vlceribus, ac morſibus vacuo, ſincero, puro, & integro tractari oportet.* Tanta fuit reuerentia Numinis apud Perſas ex Herodoto, vt ſacerdotio indignos cenſuerint lentiginoſos homines, quos credidere inuiſos Deo, quia erant lentium maculis interpuncti. Ægyptius fuit in ſacrificando ritus, vt ſacerdotes albis vterentur veſtibus, quia candor ſacerdotij comes indiuiduus eſt indubiæ teſſera puritatis. Eo quaſi intento credidere Ægyptij naturam ſoli progignere fruticem goſſypion, quem Plinius ait aptum eſſe ad lineas veſtes, niueo nitore candidas inſtruendas. Ex Tertulliano Cereris ſacrifici albis induti litarunt, etſi aliis Deorum ſacerdotibus animo inſederit atratos rem facere. Verſicolor ille ſacerdotum habitus ita perſtringitur à cenſore illo Afro, ſic carpente delira Gentilium. *Cur iſtos non ſpectas, vel illos item habitus, qui nouitate veſtium religionem mentiuntur, cum ob cultum omnia candidatum, & ob velum, vitta, & priuilegium galeri Cereri initiantur, cùm ob diuerſam affectionem tenebricæ veſtis, & tetrici ſuper caput velleris in Bellonæ montes fugantur, cum latioris purpuræ ambitio, & galatici ruboris ſuperiectio Saturnum commendat: cum ipſum hoc pallium moroſius ordinatum, & crepida Græca gracatim Æſculapio adulantur.*

Sacerdotes Perſarum non fuere lentiginoſi. *Plin. lib. 19. cap. 1.* Sacerdotes Ægyptij.

Sacerdotes Cereris, Bellonæ, & Saturni. *Tertull. lib. de Pallio.*

Sacerdotes olim Reges. *Plutarch. in quæſt. Romanis.*

Illa ſacerdotum eminens dignitas quandoque fecit Regibus inuidiam, vt auctor eſt Plutarchus ita fatus. *Olim Reges pleraque, & præcipua ſacra faciebant, ac rebus diuinis ipſi cum ſacerdotibus operabantur. Vt verò inſoleſcere cœperunt, arrogantesque, & duri eſſe, plerique Græci detracto eis imperio ſolum ſacra faciendi Diis facultatem reliquere.* Ex Cæſaribus, Iulius Cæſar Auguratum ſimul, & Pontificatum geſſit, vt & Galba triplex ſacerdotium geſſiſſe dicitur. Viguit & ille mos in Pruſſia, Guaguino auctore, cuius en contextum. *Anno Domini DIII. Prutenis ſiue Vlmiganis Rex quidam, Brutono dictus, imperauit, qui cùm iuſtos annos ætatis conſecutus eſſet, quietam vitam ducere inſtituens, fratrem Verdenutum ſucceſſorem ſibi in regno fecit: ipſe ſummus ſacerdos effectus eſt, nomenque ei dignitatis inditum fuit Kirie Kireyto, quaſi dicas, Proximus noſter Dominus. Huic Pontifici ſuo Pruteni præclaram ædem ſub quercu quadam erexerunt, locoque Romana à Roma nomen indiderunt.*

Suetonius in Iulio. & Galba.

Rex Prutenorum fit ſacerdos. *Guaguinus.*

Non eſt prætereunda Romanorum pietas erga ſacerdotes, quibus permiſere nomen Regis aliàs adeò inuiſum, vt Reges ſuos ſolio deturbarint. Audiendus in ſubiecta materia Feneſtella vt peritus ſacrorum. *Rex,* inquit, *ſacrorum, qui & ſacrificulus dicitur, creari cœpius eſt Iunio Bruto, & M. Valerio primis Conſulibus. Eius creandi occaſionem dedit, quòd cum nuper exactis Regibus pleraque ſacra à ſolis Regibus obiri conſueta, Regum exactione vacare viderentur, idque moleſtè populus ferret, vtpote, quòd cultui diuino Regum exactione videretur derogatum, ſacerdotem creari placuit: quem quominus eidem auctoritatis ineſſet, regio nomine decorarunt, ſacrorum Regem appellantes. Subiecerunt tamen Pontifici Maximo, ne ſi nullius ditioni aliàs fuiſſet ſuppoſitus, iam exactis Regibus, reducti Reges eſſe viderentur, vel crederentur.* Inde effluxit illa Romanorum Imperatorum ambitio, quæ Pontificis Maximi titulum adiecit ſibi. Quippe dicebatur etiam Imperator Pontifex Maximus, vt videre eſt hoc verſu Iuuenalis, qui Domitianũ indigitãs ait.

Rex ſacrorum quis erat olim Romæ. *Feneſtella cap. 11.*

Imperatores dicti Pontifices Maximi. *Iuuenalis Satyra 4.*

Deſtinat hoc monſtrum Cymbæ, linique magiſter
Pontifici ſummo.

Multi excellentiæ tituli coëuntes ad ſacerdotium ritè adeundum, adegere Platonem ad altè ſentiendum de ſacerdotio, quem ait ita fuiſſe annexum ſolio Ægypti, vt ſi quis regnum vſurpaſſet cogeretur ſacris initiari, vt pacatum gereret imperium, quod ibi nefas erat adminiſtrare præterquam hominibus diuino cultui mancipatis. Ad hanc ſacerdotij dignitatem pertinent encomia edita in gratiam Pontificatus Maximi Romanorum, cuius priuilegia ſic recenſet Alexander ab Alexandro. *In tantum honoris culmen Pontificatus, & eo excellentia creuit, vt Cn. Cornelio Prætori, quod M. Æmilio Lepido Pontifici Maximo conuicium feciſſet multa dicta fuerit: ipſumque regia dignitate proximum crederent. Nam & lictor apparebat, & curulis regia ſella ac lectica inſignis erat, quam ante veſtibulum conſpicuam habere aſſuerat: ad cuius fores pro ſplendore dignitatis viridis laurus affixa videbatur. Cumque cæteri honoribus functi rationem adminiſtrati muneris reddere cogerentur, Pontifex tamen Maximus pro maieſtate, geſti honoris rationem dare minimè cogi poterat: ipſique pro imperio, & poteſtate, quoque plus dignitatis ferret, cum galero eſſe, & carpento, vt reliquis ſacerdotibus ingredi licebat. Quippe Pontifici proprium inſigne erat galerus, ſicut lituus Auguribus, paludamentum Imperatoribus, diadema Regibus. Et cùm in Capitolium nulli fas foret carpento vehi, ſolis Pontificibus, ſacerdotibuſque Tarpeium aſcendere carpento licuit: ad eumque ſi noxij confugiſſent, ea die à pœna immunes erant.* Hactenus Alexander, cui & adiicere placet priuilegium ſingulare datum Virginibus Veſtæ ſacris, quas Plutarchus ait eò honoris euectas, vt eis Magiſtratus quique aſſurgerent; quodque caput eſt, & teſſera dignitatis ſummæ, ſi cui occurriſſent ad ſupplicium rapto, quantumque reus eſſet ille, præfatæ hunc Virgines abſoluebant.

Plato in Politico.

Sacerdotes Reges Ægypti.

Alex. ab Al. lib. 2. c. 8.

Pontificis Maximi olim priuilegia.

Virgines Veſtales quo honore habitæ. *Plutarch. in Numa.*

Sed quia ſacerdotibus impenſus honor

erat

Sacerdotes caſti, & ſobrij.

Plutarch. in quæſt. Romanis.

Sacerdotibus interdicta legumina.

Sed quia ſacerdotibus impenſus honor erat argumentum excellentiæ, quæ ſacerdotium decet, & excellentiæ cardo præcipuus vertatur in virtutis ſpecimine, veteres ſuis ſacrificulis virtutum praxim, præſtitutis quibuſdam ritibus indixerunt. In his fuere ſingulares priſci Romani, qui ſuſpicati in caſtitate, & ſobrietate quid diuinum voluere ſuis Flaminibus eſſe leguminum vſum iugiter interdictum, quia flatuoſa legumina litare ſolent Veneri. Plutarchus ait eos ea cautione conſuluiſſe caſtitati Flaminum, quibus & vetitum fuit tangere hederam, quam & credidere ſymbolum luxuriæ ob amplexus ſuos lethales & noxios; quidquid enim amplectitur hedera, illud in ſui perniciem ſtringitur à frutice illo malefico: ita luxuria vbi ſe cuipiam affricat, eum non tam amplectitur, quam implectit nexibus importunis quibus obnoxij homines æternis etiam vinculis obſtringuntur. Vtque comes illibatæ continentiæ ſobrietas eſt, vetitum fuit Flamini via incedere vitibus obſita, vt vel ſic aduerteret eſſe ſibi fugiendum immodicum vſum vini, cùm propagines ipſæ vitis eſſent ſacris ſacerdotum infulis ominoſæ. Apud Ægyptios ſacerdotes piſcibus abſtinent, quia piſces nec proprio generi parcunt, indoles autem hæc crudelis procul eſt ab ingenio manſuetò, quo ſacerdos eſſe debet conſpicuus.

Luxuriæ ſymbolum eſt hedera.

Cicer. lib. 2. de legibus. Sacerdotes olim lauabantur. Sacerdotes mites.

In argumentum puritatis, quæ ſacra decet, Tullius ait, fuiſſe ſacerdotibus inolitum lauari ante ſacra, quæ & aliis hominibus illotis manibus attrectaſſe nefas erat. Vnde Æneas multo hoſtium ſanguine infectus, cunctatus eſt Penates tollere, donec tinctus aquis collectas è bello, & cæde ſordes citiùs eluiſſet. Virgilius eum ſic inducit affatum Anchiſen.

Virgilius 2. Æneid.

Tu genitor cape ſacra manu, patrieſque Penates:
Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Cic. lib. 2. de Legib. Sacerdotes Cereris. *Herodot. l. 2.* Iuliani Apoſtatæ mos ante ſacra. *Pomponius Lætus in vita Iuliani.*

Cicero adiicit, altè fuiſſe commendatum caſtitatis ſtudium iis omnibus, qui fecere ſacra, quibus & mos fuit antea ieiunaſſe, vt Athenis factitabant mulieres Cereri conſecratæ. Has ait Herodotus ieiunas rem feciſſe ſacram. Fuit & huiuſce moris valdè tenax Iulianus Apoſtata, qui vt reſtauraret omnes Gentilium ritus, pridie ſacrorum ſolo olere cœnitabat. Ita Pomponius Lætus ait hunc Cæſarem ſe aptaſſe ſacris. Numa Pompilius etiam commendatur eò quod Venere, & carnibus abſtinuerit adeundo ſacra. Hinc verſus Ouidij.

Vſus abeſt Veneris, nec fas animalia menſis
Ponere, nec digitis annulus vllus ineſt.

Numæ Pompilij mos. *Ouid. lib. 4. Faſt.* Sacerdotes Ægyptij. *Herodot. l. 2.* Sacerdotes Iſidis. *Apul. lib. 11. Metam.* Sacerdotes Myſorum. *Strabo lib. 7.*

Fuiſſe frequens ieiunium apud ſacerdotes Ægyptios, auctor eſt Herodotus: eo nempe ritu putauere Deos conciliari facilius. In his fuere præcipui ſacerdotes Iſidis, quos meminit Apuleius adeò fuiſſe conſtantes in hoc ieiunandi propoſito vt qui ſacris erant initiandi totos decem dies agerent parcentes vino, & carnibus. Illo inſtituto conſulentes & caſtitati atque ſobrietati. Ad horum æmulationem ſeſe compoſuere Myſi, quorum ſacerdotes Strabo ſic meminit. *Scribit Piſſidonius, Myſos religioni indulgentes ab animantibus abſtinere, eam ob cauſam pecus omne vitare: melle verò, & lacte, & caſeo veſci: Cumque tranquillam exagitent vitam, ob Deorum culturam Deicolæ, & Capnobatæ, id eſt, fumi conſcenſores nominantur.* Ne qua fieret iniuria caſtitati ſacerdotum Magnæ matris Deorum Plinius ait illos fuiſſe exectos, vt ſic vel inuiti poſſent colere caſtitatem. Hos ſic commemorat Poëta mordax, ſcilicet Iuuenalis.

Sacerdotes matris Deû. *Plin. lib. 11. cap. 49.*

Iuuenal. Satyr. 6.

—————————— Ecce furentis
Bellona, matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semiuir obſcœno facie reuerenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Quomodo ſint ſacra frequentando. *Cic. lib. 2. de legibus.*

Iure Pontificio, cuius meminit Cicero, ita cauebatur. *Ad Diuos adeunto caſte, pietatem adhibento, opes amouento, qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.* De more ſacerdotum Athenienſium, quos Hierophantas vocant, hæc ſcribit Hieronymus: *Hierophanta apud Athenas euirat virum, & æterna debilitate fit caſtus.* Adiicit alibi idem Sanctus Ægyptios ſacerdotes omiſſis curis omnibus, mulieribus nunquam indulgere, abſtinere item carnibus & vino. In Creta, ſacerdotes Iouis, eodem Hieronymo aſſertore, non ſolùm carnibus abſtinent, ſed & omnia cocta vitant, arbitrati cruda magis obſequi caſtitati. Ex Laërtio ſacerdotes Iouis in India, non duntaxat carnibus abſtinebant, ſed & vt omnem ſuſpicionem Veneris adimerent, hoc ſibi rigidum impoſuere penſum, vt nullius ſubirent tecta, ſed ſub dio vitam omnibus apertam agerent, lineis veſtibus inſigniti. Non procul ab his fuerunt Gymnoſophiſtæ ſua facturi ſacra: quippe ex Plinio neſciere pinguia obſonia; ſed ſola menſis adhibuere poma.

Sacerdotes Athenienſium. *Hieronym. lib. de Monogamia. Lib. 2. in Iouini.* Sacerdotes Cretenſes. Sacerdotes Indi. *Laërtius in proœmio. Plin. lib. 12. c. 6.*

Ex præfatis, Chriſtiane lector, collige, quales debeant eſſe ſacerdotes, quos vt miniſtros Chriſtus miſit conuocare inuitatos ad Cœnam ſuam, quæ vt eſt ſanctiſſima, tales & vult ſeruos, nempe ſacerdotes, quibus inſit ſanctitas congrua dignitati.

HOMILIA
TERTIA
DE HORA COENÆ.

SVMMA HOMILIAE.

1. EXORDIVM iſtius homiliæ petitur à multis Scripturæ textibus, vbi Deus deſcribitur offuſa nubium caligine; quaſi verò Deus hominum ſeſe aſpectui ſubtraxerit. Dico tenebras illas inſinuare, Deum eſſe nobis in opaco, & non innotere ſicut ea, quæ obuia ante oculos obuerſantur. Hinc eſt quòd Cœnam inſtructurus, quæ eſt tot, & tantis fœta bonis, eam ad Solis occaſum diſtulit, vt doceret homines, qui conſcij vellent eſſe rerum abditarum in ferculis huius Cœnæ, non fore voti compotes adſcito lumine naturali. Itaque contextura iſtius homiliæ erit de hora Cœnæ denotante fidem, cuius obſequio ſolo patet, quidnam ſit homini conceſſum apparatu panis, & vini, vnde fidelis anima ſaginatur.

2. Itaque priori parte dico fuiſſe congruam illam horam, in qua ſuas Chriſtus epulas inſtruxit: namque fides, ad quam præcipuè pertinent iſtæ dapes, tenebris adumbratur. Cùm ergo panem, & vinum Chriſtus conſecrauit horâ ſerotinâ, procul voluit abeſſe lucem illam, quam in aliis argumentis plerumque ſatis opportunè ratio ſubminiſtrat.

3. Secunda parte dico, non eſſe tacita prætereunda argumenta, qnibus poteſt eſſe fides ſarta tecta. Namque fides non reſpuit omnia rationis obſequia, cùm ſunt intento congrua Saluatoris. Itaque rationes indigito, quæ vt obſtetrices intellectum adiuuant, vt benè parturiat poſt conceptum aſſenſum fidei, quam exigit adorandum Cœnæ Chriſti Domini ſacramentum.

PRÆFATIO.

Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ. *Luc.* 14.

HORA illa ſerotina, qua Cœna Domini fuit inſtituta, ita aptata eſt intento Chriſti, vt de induſtria ſelegerit hoc momentum, velut apponendo ſacramento ſui corporis opportunum. Hora nimirum illa tenebricoſa fuit vtpote veſpertina; ſonans, arcana Dei non eſſe humanis peruia ſenſibus, quibus nihil omnino patet, niſi ſeſe illud totum prodat, & explicet præuio lumine naturali. Cùm itaque nequeat hoc imbelle lumen pertingere ad ſacra myſteria, vt eſt Cœna Domini, decernenda fuit hora congrua, nempe ſerotina, vt vel ſic inuitati, conſcij ſecretorum Dei, illucente fide, agnoſcerent in hac Cœna ſenſibus omnia nigricare. Faceſſant igitur argumenta omnia educta de paupere naturæ penu, quibus hæretici penetrare volunt hæc arcana inuia hominum ſcrutinio: namque fides, & luſci oculi non coëunt. Poſt Solis occaſum Chriſtus inſtituit adorandum hoc ſacramentum, quia veritas eius liquere nequit illi, cui celeſte lumen occidit; quippe patet tantùm luce cœlitus affulgente. Vnde placet illi Cœnæ affingere iſta verba Salomonis. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus, ab initio vſque ad finem.* Fruſtra ſanè tentat hæreticus ratione ſua lumen accendere, vt de intento Chriſti conſtet, humano tantùm lumine ſcintillante. Caſſus eſt reuera labor, quo ſe lancinant, & laceſſunt Zuinglius, & Lutherus, ſtipati ſuis aſſeclis, qui Cœnam Domini faciunt argumentum diſputationis ſuæ: huius nempe farinæ homines minimè diſcutient opus, quod operatus eſt Chriſtus ab initio Cœnæ vſque ad finem: non eſt enim appendenda fides, vt ſcientia, ſiquidem in arcanis Dei parum ſibi conſtat, & eſt infidelis trutina rationis. Vt ego deſit omnis hallucinandi locus in ſubiecta materia, hoc recolite, Chriſtiani, ſcilicet, horam Cœnæ fuiſſe caligine obductam, quia ſacræ dapes illic appoſitæ, non tam corpori proſtant, quàm animæ vegetandæ. Quia igitur Cœna Chriſti animæ negotium eſt, quo vitæ cœleſtis illa particeps efficitur, ratio humana ſola eſt incongrua obſtetrix ad eliciendam fidem, quæ de hoc myſterio concipitur, Deo duntaxat cœlitus influente. Eccleſiæ deſertores ad arbitrium ſuum è terra lumen petant, vt in hoc opaco cœcutiant: nobis gerent vices Solis, & Lunæ, Chriſtus, & Maria: Chriſtus videlicet influens, & Maria impetrans illam fidei lucem ſuis clientibus, quibus frequens eſt ille Angeli affatus. AVE MARIA.

Eccleſiaſt. 3.

PRæcipuorum operum Chriſti ſeriem texens Syracides, hanc concluſit compendioſo effato, ſic inducens ſapientiam Deo Patre ſatam homines alloquentem. *Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Quaſi diceret Chriſtus, potiores quaſque actiones à ſe editas Eccl. 24.

fugere

Deus quare nubibus atque caligine obumbretur.
Pſal. 96.

fugere hominum captum, vtpote implexùs altis nubium inuolucris. Eò ſpectat & illud, Pſaltis eloquium, quo Deus dum in maieſtate recolitur, caligine ſtipatur, & nubibus. Ecce Domini regnantis apparatum. *Dominus regnauit exultet terra, lætentur inſulæ multæ: Nubes & caligo in circuitu eius.* Illa veridica ſententia confirmari poteſt inductione facta per omnia Chriſti Domini opera potiora. Quorum pauca meminiſſe ſatis erit, vnde poterit ſeſe liquidior veritas explicare. Omnium actionum Chriſti caput fuit introitus eius in has orbis oras. Hic profectò Chriſti exortus in humanis factus media nocte, fidem conciliat Vati, cuius hoc oraculum proſtat. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* Tanta nimirum tenebrarum congerie inuolutum eſt arcanum Chriſti induentis hominem, vt ipſa Virgo Deipara nondum conſcia myſterij huius, petens ab Angelo. *Quomodo fiet iſtud.* Non potuerit ab ipſomet Archangelo pronubo pleniùs edoceri. Nanque beatus hic ſpiritus velut ingenuè confitens, ſecretum illud ſuperare ſui intellectus aciem, ait Mariæ, notitiam myſterij huius indigere Deo doctore, ac proinde Spiritum Sanctum in eam cœlitus illapſurum.

Luc. 1.

Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. O altam caliginem humanitatis à Deo aſſumptæ, quam nequit Angelus diſcutere, nec ipſa Virgo Deipara penetrare!

Sapient. 18.

Speciem opacam myſterij huius explicat Eccleſia, vſurpans verſum illum Sapientiæ. *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus venit.* Sol ille oriens in nebula, eodem velo obductus occidit; quippe morienti offuſæ orbe toto tenebræ parentarunt. Prætereà pridie mortis huius Domini Thaumaturgi, patrator ille oſtentorum noluit inſtituere ſacramentum corporis ſui, niſi peractâ Cœnâ Agni Paſchalis, ad occaſum diurno ſidere ſeriſcente. Itaque ſub conte nocte ſacrum myſterium Cœnæ nouæ confectum eſt, eadem prope ratione, qua principes Chriſti actiones editæ ſunt inuolutæ nubibus atque caligine: nempe fuit inſtitutio Euchariſtiæ altis tenebris opacata. Si igitur homo decurrat contextum omnem vitæ, & operum Chriſti, vbique offendet caliginem, noctemque dicet à Deo electam, vt arcanis eius punctum temporis opportunum. Deo ſic diſpenſante ſua myſteria, ne ſenſibus obuia vileſcerent, & ſtaret veritas effati huius antea prælibati. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.*

Eccleſ. 3.

Congruè igitur ad intentum Chriſti dicam, horam Cœnæ ſactæ fuiſſe ſerotinam, vt inde reſciret homo, in indagine veritatis Euchariſtiæ naturalia omnia lumina caligare. Ac proinde luci fidei ſtandum eſſe. Prima ergo parte dicam benè aſſignatam fuiſſe horam ſerotinam ad conficiendum ſacramentum illud, ſolo fidei lumine peruium hominibus. Secunda parte rationes congeram fidei aſſeclas & miniſtras: nimirum omnia recenſebo argumenta, quæ hominem poſſunt inflectere ad præbendum aſſenſum ſuum illi articulo, qui adſtruit veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti, ſub ſymbolis ad hoc cœlitus inſtitutis.

Prima Pars Homiliæ.

***Nocte svbevnte coepit** Cœna Chriſti, vt puncto temporis opportuno, & congruo intento inſtitutionis Euchariſtiæ.*

§. I.

Ex Antiqvitate plvrivm Nationvm.

Quatuor in die refectiones olim ſolitæ vſurpari.

CAlor edax, qui depaſcitur humidum radicale neceſſarium ad vitam ſartam tectam, hominem obſtrinxit ad ciborum vſum, cuius obſequio, ruinæ illatæ corpori reparantur. Sed quia ciborum nimia congeſtio ſanitati iniuria eſt, vtpote malefica, veteres, arbitrati ſunt operæpretium eſſe pluries in die paſci ſobriè, quàm ſemel abundè, crapula tenus, & ſtomacho refluente. Hinc emerſit famoſa illa diſtinctio conuiuiorum, in matutina, meridiana, veſpertina, & nocturna, quorum omnium aliqualem notitiam ingerere neceſſe eſt, vt vel ſic conſtet de natura ſacri conuiuij inſtructi à Chriſto noctu, potiùs quàm tempore matutino. Prima refectio dicta eſt Latinis jentaculum manè ſumptum iuxta illud Martialis.

Surgite iam pueri, vendit ientacula piſtor,

Martialis l. 14.
Ientaculum quid ſit.
Athen. l. 1.

Græci ex Athenæo ientaculum vocauere πρωϊνὸν ἔμβρωμα, id eſt, cibum matutinum, cuius nomenclatura propria fuit ἀκράτισμα, ſiue ἀκρατισμὸς, quæ vox deducitur ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, id eſt, à vino mero: nempe fiebant jentacula ſolo pane mero intincto, vt & mos ille perſeuerat apud multos, qui pane recenti, & bibulo, vino immerſo ieiunium ſoluunt, aëri ſie noxio conſulentes. Quia altiore iam Sole fames hominem vrget, is lautiori refectioni ſe accingit, quam prandium nos vocamus, dubia certè etymologia: omnes nempe ludunt, & diſcordant in indagine fontis huius vocis, ſicque nimis altercando veritas euaneſcit. Trebellius Pollio arbitratur prandium eſſe vocem caſtrenſem, inde dictam à parando, quod milites cincti pranderent, ſic parati ad quoſuis agones fortiter obeundos. Nam diſcincti cœnabant. Iſidoro placet illa etymologia, itavt prandium dicatur, quaſi parandum; quia erat epulum militi apparatum ante pugnam illo momento temporis ineundam. Obſtetricatur effatum illud Leonidæ, qui matutino tempore pugnaturus ſodales ſuos ſic affatus eſt: Prandeamus tanquam apud Inferos cœnaturi. Hanc vocis huius anatomen probat Scaliger dicens prandium dici, quia illa refectione iterum ſe ad opus parabant. Fauet & vox Græca δεῖπνον, id eſt, prandium, ὅτι δεῖ πονεῖν, id eſt, quia oportet laborare. Alij finxere prandium dici, quaſi peredium, quia liberalior cibus in prandio ponebatur, quam in jentaculo, & his prandere & peredere voces ſunt ſynonymæ. Sunt & qui ad ſcopum rectè collimaſſe credant, affirmantes prandium eſſe perinde, ac perendium, quod nihil ferè eo die coctum, ſed ex perendiatum epularum reliquiis aliquid ferè ſine diſcubitu delibarent. In his dictionum inuolucris ſuſpicor prandium ſic dictum à nomenclatura Græca ἔνδιον ἔμβρωμα; quod ſcilicet prandium ſit cibus meridianus, ſiquidem ἔνδιος perinde eſt, ac meridianus.

Prandiũ vnde dictum.

Iſidor. l. 20. etymol. c. 2.

Scaliger l. 1. Poetic. c. 5.

Merenda & antecœnium quid ſit.

Merenda & antecœnium quid ſit.

Prandium excipiebat tertia refectio tribus horis poſt meridianum cibum. Dixere veteres refectionem illam, merendam, & antecœnium, quarum vocum originem ſic diſcutit Iſidorus. *Merenda eſt cibus, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edenda, & proxima cœna. Vnde & antecœnia, & antecœna à quibuſdam vocabatur: item merendare, quaſi meridie edere.* Suſpicor ego, merendam ſic fuiſſe appellatam, quia merus illo tempore panis dabatur operariis ſine vllo obſonio. Quarta demum refectio ſub noctis initium Cœna fuit, ſuperans aliàs omnes, & inſtructione dapum, & numero conuiuarum. Parciore manu veteres prandio fercula apponebant, & vt plurimum ſeorſim prandebant. Ab hoc more inolito Romanis, qui ſoli accumbebant in prandio, Græci eos vocauere μονοφάγους, id eſt, ſeorſim comedentes, licet in Cœna ſocios aduocarent. Fuiſſe apposita largiora obſonia tempore Cœnæ, ipſa vox locuples eſt; nam obſonium vox Græca eſt ὀψώνιον, ἀπὸ τῦ ὀψὲ, id eſt, à tempore veſpertino: nimirum ὀψὲ ſignificat veſperam. Vnde quia veteres apponebant eſcas omnigenas in refectione ſerotina; quælibet dapes, & eſcæ pinguiores, obſonij nomine nuncupantur. Tempus autem Cœnæ fuiſſe ſerotinum Gellius abundè probat hoc contextu. *Athenis maximè ad id dici, vbi iam veſperauerat, cœnabatur.* Et quia, iuxta vetus effatum, nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt: Cœna dapibus opimis inſtructa conuiuas plurimos admittebat. Ab hac communione hominum communem vitam agentium Cœna ſibi congruum nomen fecit ex Plutarcho, vt ſupra recenſui dicens nomen κοινὴ deriuari ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id eſt, à communione, quia in vnum refectionis locum coibant plurimi conuiuantes.

Iſid. l. 20. c. 2.

Cœna quid fuerit olim.

Cœna fuit inſtructa veſperi.

Gellius l. 17. c. 8.

Plutarch. in ſympoſi.

Ruſus tempori ſerotino fuiſſe demandatas Cœnas, multa auctoritate liquet. Prior occurrit Clemens Alexandrinus, in eo argumento ſic diſcurrens. *Qui ſunt in ætatis flore, cùm interdiu ientaculum, ſiue prandium ſumpſerint, quibus conuenit prandium pane ſolo guſtato, à vino omnino abſtineant, vt ebibatur, & conſumatur ſuperflua eorum humiditas, aridorum eſcâ, veluti ſpongiâ quadam exhauſtâ. Veſpero autem tempore Cœna vino vtendum eſt.* Hunc & fuiſſe morem Romanorum Celſus ait, dicens veſpere refectos eſſe abundè, iuxta hunc Virgilij verſum.

Clem. Alex. l. 2. Ped. c. 2.

Romani lauti cœnabant.

Celſus l. 1. c. 3.

Nunc eadem labente die conuiuia quærunt.

Dies illa labens dicitur, quæ vergit ad occaſum. Inſtante Solis occaſu, paraſiti illecti nidore conuiuij ſe accingunt Cœnæ. Eiuſdem farinæ phraſis eſt illa Statij.

Iam morionte die, rapuit me Cœna benigni.

Mors illa diei, lucis eſt deliquium, quo maximè nox incipit, & Cœna ſuum capit initium: vnde plerique veſperum pro Cœna vſurpant, vt voces illæ Plauti. *Qui de veſpere viuat ſuo*, perinde ſonat, ac, qui domi ſuæ, & ſumptu ſuo cœnet. Eſt & in hoc themate opportuna Galeni laudario, & tempeſtiua recenſio, luculenter adſtruens, illud inſtitutum cœnandi tẽpore veſpertino. Sic ille. *Et manè ſalutando circumeam, & veſperi apud potentes cœnem. His enim artibus tum amari, tum amicitias conciliari, tum verò pro artificibus haberi, neququam ex priuata, ac domi parta induſtria. Neque enim eſſe, qui de ea iudicent, vbi omnes totum diem diuerſis ſtudiis tranſigant: manè quidem omnes ſalutationibus occupati, poſt autem diſtracti, ad forum quidem, & lites non exigua turba, ad ſaltationes autem, & aurigas alia maior. Iam vel alea, vel amoribus, vel balneis, vel ebrietati, vel comeſſationi, vel demum alicui corporis voluptati deditus ſanè non exiguus numerus. Veſperi verò omnes rurſus ad Sympoſia ſimul collecti, vbi poſtquam ſe vino impleuere, non lyra cytharave, aut aliud muſicum inſtrumentum circumfertur, ſed nec ſermones vlli habentur, quales in Sympoſiis agitari ſolere, veteres prodiderunt, nec aliud honeſtum quicquam: imò inuicem ſibi propinant, & de magnitudine poculorum certant, vt pote inter quos optimus cenſetur, non qui plurimis inſtrumentis muſicis, aut etiam ſermone philoſophico vti nouit, ſed qui multos eoſque maximos calices exſiccauit.*

Plautus in milite glorioſo.

Galen. lib. 1. de methodo therapeut.

Prandiũ fiebat modicis eſcis.

Hoc contextu Galenus adſtruit illa duo, quæ præfatus ſum, eſſe de ratione Cœnæ: videlicet profuſionem dapum, quæ maior erat, quàm in prandio, & veſpertinum tempus, quo præcipuè Cœna parabatur. Ad copiam ferculorum Cœnæ, Plutarchus alludit, ita definiens prandia, *obſonij expertia, tenuia, & ſalubria tanquam medicamenta ad ſplendidas, & copioſas cœnas.* Cùm itaque Chriſtus appellet Cœnam has epulas, quibus ſacrum ſuum corpus appoſuit, eſt è re mea inueſtigare intentum eius abditum altis huiuſce nominis inuolucris.

Plutarr. lib. 4. ſympoſiac. proble. 2.

PRAECIPVA FERE MYSTERIA corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia concluduntur nomine Cœnæ.

§. II.

Ex Ivre Canonico, Et ex SS. Patribvs.

PErfuncto labore diurno, & nocte ſuadente ſeceſſum, veteres diſcubitu appoſito menſis, largiore cibo, necnon & potu feſſa corpora recreabant. Vnde & conuiuia nocturna typus fuere lætitiæ omnimodæ, vt conijcere eſt ex eorum nuncupatione: illa nimirum dicebantur κῶμοι, cuius vocis vim abundè promit verbum κωμάζω, quod perinde eſt ac laſciuio, & ſalto. Hoc nomine Græco vtitur Paulus carpens hominum luxum hac cenſura. μὴ κώμοις, καὶ μέθαις, id eſt. *Non in comeſſationibus, neque in ebrietatibus.* Ab eadem voce deducta comœdia παρὰ τὴν ᾠδὴν καὶ τὰς κώμας, dixere κώμας pagos, vbi relaxandi animi cauſa lautiores epulas inſtruebant. Et quia cantilenas nuncupabant ᾠδὰς, vtraque coeunte voce, κώμη, ᾠδὴ, comediæ nomen optimè coaleſcit. Ab hoc more litandi deliciis omnimodis, dictus eſt Comus ille Deus, quem coluerunt olim, vt cupediarum gulæ Numen, & à pleriſque Gentibus adoratum. In quibus Scriptura meminit Ammonitas, quorum idolum erat כמוש *Cemoſch*, vt libri Numerorum, Regumque probant. Septuaginta interpretes maximè conſcij linguarum, vocem hanc Hebræam ita reddiderunt Græcè, χαμώς, quaſi nomen illud flueret à radice Hebræa כמס *camas*, quæ ſignificat abſcondere, quod benè quadrat ingenio illorum, qui exeuntes vrbe ſeſe in pagis occultabant, vt nemine obſtante, & inſcio Cenſore vrbis, cibis opimis, atque potibus indulgerent. Fauet & Latina phraſis quæ comeſſari vocat, ſplendidè epulari

Rom. 13.

Comœdia vnde dicta.

Comus qualis olim Deus.

Deus Ammonitarum qualis.

Num. 21.

3 Reg. 11.

2. Reg. 23.

Comeſſari, quid ſignificet.

ad

Suetonius in Domitiano.

Epulæ Domitiani.

ad multam noctem. Ita Suetonius Domitiani gulam commemorat. *Conuiuabatur frequenter, & largè, ſed pene raptim, certè non vltra Solis occaſum, nec vt poſtea comeſſaretur.* Quaſi diceret Domitianum crapula tenus paſtum ante diem ad noctem compoſitum, non potuiſſe noctu lautiore cibo viſcera ſaburrare. Hoc nempe ſonat verbum comeſſari, duo ſignificans, fercula ſcilicet multa, noctemque plurimam potibus atque cibis farciendo viſceri manciparam. Ita præfatus auctor, alium epulonem recolit. *Præter ſæuitiam, inſpecta in eo etiam luxuria erat, quòd ad mediam noctem comeſſationes cum profuſiſſimo quoque familiarium extenderet.*

Idem, in Veſpaſiano.

Ex præfatis, nocturna conuiuia diurnis præſtant, quòd prandium ſubſequens labor ſoleret excipere, ac proinde frugi paſcebatur homo, ne ineptus fieret cœpto operi reſtaurando. Cœna verò ſecus ditiore manu inſtructa, conuiuis largiorem permittebat vſum cibi, quia ſomnus inſtabat idoneus epulo decoquendo. Vt itaque Chriſtus Euchariſtiæ delicias, atque diuitias typicè exprimeret, nocturnum voluit eſſe ſuum conuiuium, vbi citra laſciuiæ periculum, animæ ſimul, & corpora recreantur. Multum namque intereſt inter epulas à Deo Iudæis exhibitas, & has, quas Chriſtus ſuis in Cœna diſcipulis appoſuit. Eſto namque, panis de cœlo præſtitus ſit Hebræis, ſcilicet manna; & agnus Paſchalis in epulum datus ſit: nihil tamen illæ dapes ex opere operato conferebant ad ſalutem, ſed tota ſacramentorum veterum virtus erat penes opus operantis, id eſt, qualis erat diſpoſitio & fides animæ, talis & erat gratiæ influxus adhibito veteri ſacramento. Nempe tota vetus lex quoad ſacramenta ſua non potuit iuſtificare animas, & ſeipsâ ſolâ gratiam cœlitus impertire. Ita Paulus. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Hanc legis inopiam bellè expreſſit Pſaltes ſic occinens. *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti.* Ad quid enim poſtulaſſet holocauſtum pro peccato, ſi ille ritus incaſſum vitiis adhibetur, vtpote petens in homine fidem atque pietatem, vt ex ſe remedium inſufficiens ad animas congruè ſoſpitandas. Concinunt Pſalti Iſaias, Ieremias, & Amos Prophetæ celeberrimi, & ſuper æthera noti. Ecce Iſaiam Deum inducentem. *Quò mihi multitudo victimarum veſtrarum? quis quæſiuit hæc de manibus veſtris.*

Cœna Chriſti quare nocturna inſtituta

Lex vetus non iuſtificabat.

Roman 3.

Pſal. 39.

Iſai. 1.

Gens Hebræa vt pectore opaco ſuas omnes iuſtitias in cæremonias refundebat: quaſi verò ritus merè corporei, feriante fide poſſent conciliare Deo animas aliquali crimine ſauciatas. Huic errori occurrit Deus illo textu Iſaiæ, & adhuc liquidius iſto verſu Ieremiæ. *Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Hiſce locis adiice & hoc oraculum Vatis Amos. *Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſta, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium non reſpiciam.* Et quia Chriſto aſſumpto in cœlum, Iudæi, qui dederant manus fidei, altè adhuc ſentiebant de ſuis ritibus abdicatis: Paulus eos hac cenſura carpit. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis.* Egena, & infirma vocat elementa, Iudæorum ſacramenta; vtpote quibus haudquaquam virtus erat iuſtificandi ex opere operato. Eiuſdem generis eſt alius iſte textus, eodem Paulo auctore ſatus. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.* Nihil profectò liquidius in eo themate recenſeri poteſt ad declarandam inopiam ſacrorum quibus Hebræorum populus vtebatur. Quodque magis probat pauperem Iudæorum ſortem, Magiſter ſententiarum abſolutè negat Moſaica ſacramenta iuſtificaſſe, licet in fide & charitate ſuſciperentur; quia data erant, vt eſſent oneri, & non vt iuſtificarentur homines hiſce præfatis ritibus obſequentes. Et eſto Theologi non ſubſcribant illi ſententiæ Magiſtri, & affirment ſacramenta vetera iuſtificaſſe ex opere operantis, id eſt, ex fide, & deuotione ſuſcipientis; hoc tamen effatum nihil illis ſacramentis ſingulare tribuit ſupra alia bona opera. Namque talis iuſtificatio non erat propriè ſacramentalis; ſed communis omnibus bonis operibus; quæ in charitate fiunt: nec etiam illa iuſtificatio erat prima, ſed ſecunda.

Ieremiæ 11.

Amos 5.

Galat. 4.

Hebr. 7.

Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 1.

Iuſtificatio ſacramentorum veterum qualis erat.

Alenſis part. 4. q. 7. mẽb. 7. artic. 4.

Bonauent.

Scot. in lib. 4. ſent. diſt. 1.

Grauior eſt difficultas de circumciſione, quæ non eſt ſacramentum legis Moſaicæ, ſed naturæ, vtique reductum in praxim à Patriarcha Abraham. In ſacramenti huius efficacia enucleanda laborant Theologi, vtpote bipartiti. Alenſis, Bonauentura, & Scotus viri famoſi magnique nominis in re ſacra fauent illi ſacramento veteri, affirmantes circumciſionem ex opere operato contuliſſe iuſtificationem. Sed hæc ſententia non concolor eſt Scripturæ ſacræ, atque Conciliis, licet tutò teneri poſſit, quia nihil explicitè eſt ab Eccleſia in hoc themate definitum. Quare autem non annuam illi ſententiæ, Paulus Apoſtolus obſtat: ille nimirum vetera ſacramenta vocans egena & infirma elementa, non excepit circumciſionem, quod maximè faciendum fuit, ſi circumciſio iuſtificaſſet ex opere operato; tunc enim iniurius fuiſſet illi ſacramento iſte textus antea recenſitus. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem, & inutilitatem.* Idem Apoſtolus adhuc climatius deſpicit illud ſacramentum, ita fatus. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.* Quod tamen non eſſet vſquequaque verum, ſi circumciſio fuiſſet eius ponderis & momenti, cuius creditur à Theologis illis aſſertoribus efficaciæ, quam memini. Adiice, Concilium Tridentinum conferre noſtra ſacramenta cum priſcis Iudæorum, vt multiplici nomine potiora. Quod valde tamen incongruum eſſet ſi circumciſionis obſequio, ipſo facto gratia prima cœlitus influxiſſet. Ecce Canones editos. *Si quis dixerit, ea ipſa noua legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit.* Et quaſi ſacra Synodus concluderet, hoc eſſe ſingulare ſacramentis Eccleſiæ, vt conferant gratiam ex opere operato, hunc Canonem ſubiecit. *Si quis dixerit, per ipſa noua legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.*

Circumciſio iuſtificauerit nec ne.

Hebræo. 7.

1. Cor. 7.

Sacramenta nouæ legis potiora ſacris Iudæorum.

EX IVRE CANONICO.

Concil. Tridem. ſeſſ. 7.

Can. 2. de ſacramentis in genere.

Priſcis Iudæorum ſacramentis Concilium Florentinum definierat antea, noſtra ſacramenta multis titulis eminere. Vnde liquet circumciſionem, quæ potiſſimum fuit Hebræo-

Circumciſio quomodo iuſtificabat.

rum ſacramentum, eſſe infra noſtra ſacra, ac proinde non iuſtificaſſe ex opere operato. Fauet tota Thomiſtarum ſchola, ſuum anteſignanum ſequens, nempe Thomam affirmantem, circumciſionem non iuſtificaſſe vi ſua, ſed iuſtificaſſe tamen, quatenus erat proteſtatio fidei, & fidem applicabat. Iuxta hanc Thomæ ſententiam veteres fuere iuſtificati ex merito Paſſionis Chriſti, vt nos iuſtificamur: hoc tamen intereſt, quòd meritum illud nobis affingitur beneficio ſacramenti, Iudæis verò fidei ſolius obſequio; quæ tamen fides requirebat ſacramentum circumciſionis, vt conditionem ſine qua non operabatur illa fides. Præfata hæc ſententia præit alteri, propiuſque accedit ad Scripturæ. & Conciliorum mentem. Nam ſi ſola Circumciſione, vt remedio vnico inſtituto ad iuſtificationem primam, ſublatum eſſet peccatum originale, nemo extra Iudaiſmum fuiſſet gratiæ Dei compos. At Iob, Melchiſedech, alijque permulti fuere Deo grati extra Iudæorum caulas. Vnde Paulus ita fatur.

Rom. 3.

An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? imò & Gentium, quoniam vnus eſt Deus, qui iuſtificat, Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Rurſus idem Apoſtolus abundè notat circumciſionem vt infirmam ad impertiendam gratiam ipſo facto: ſiquidem Iudæos & Gentiles appendens ad trutinam, ita pronuntiat.

Ibidem.

Quid ergo præcellimus vos? nequaquam. Cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe. Præterea ad dirimendam litem iſtam valde idoneus eſt locus iſte eiuſdem Apoſtoli. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.*

Cùm itaque ſacramenta noſtra ſola iuſtificent ex opere operato, ſoli Eccleſiæ facta eſt Cœna magna, & Iudæis quaſi ientaculum fuit exhibitum, gratiaque conceſſa fuit ad menſuram operis operantis; ideòque ſacramentorum omnium præcipui, id eſt, Euchariſtiæ inſtitutio vocabulo Cœnæ vt congruo nomine recenſetur. Sed ne quis in gratiam Circumciſionis altè nimis ſapiat, operæ pretium eſt laudare auctores magni nominis, qui illi ſuo adiecto nigro & inglorio calculo detraxerunt. Primò traducendi ſunt Hebræi, quorum maximè negotium fuit illud ſacramentum.

Circumciſio fuerit necne inſtituta in remedium peccati.

Philo. lib. de circumciſione.

Philo Iudæus, cui auſcultauere Hebræi, vt Græci ſuo Platoni, quem plerique dicunt aut Philonizare, vel Philonem Platonizare. Philo, inquam, commemorans cauſas inſtituti huius, ſcilicet circumciſionis; ait, ſe equidem multas accepiſſe à maioribus, quas omnes recolit: fuerit necne decreta circumciſio in remedium peccati, ſilet ille; quod reuera taciturnò minimè præteriret, ſi dogma ratum fuiſſet olim, ſacramentum illud contra originale peccatum fuiſſe cœlitus inſtitutum.

Ioſeph. lib. 1. *antiquit. c.* 12.

Alius Synagogæ alumnus emeritus, videlicet Ioſephus, cauſam commemorans indictæ circumciſionis, hanc ſolam adfert, vt nimirum eo ſigno Iudæi diſpeſcerentur ab aliis Gentibus. Vnde potens exurgit argumentum: videlicet Iudæos, qui garruli ſunt vbi res eſt de encomiis legis, non crediſſe ſuæ circumciſioni inſitam vim tantæ virtutis vt iuſtificaret ex opere operato: alioqui doctiſſimi Iudæorum, Philo, & Ioſephus, qui vixere ſtante ritu illo, priuilegium illud liquidò meminiſſent.

Ex SS. Patribus.

Non ſunt taciti prætereundi Patres in ſubiecta materia, vt abundè conſtet de egeſtate ritus huius. Prior occurrit Dionyſius ille Areopagita; monens, Eccleſiam eſſe mediam inter Synagogam, & patriam cœleſtem, quòd Synagoga ſacramenta carnalia, & vmbras habuerit, ac figuras; cœleſtis verò Ieruſalem habeat nudam veritatem ſine ſignis vllis corporeis.

Dionyſ. lib. de Hierarchia cœleſt. c. 5. *part.* 1.

Vtriuſque indolem participat Eccleſia, quia cum Synagoga typos habet, ſeu ſigna corporalia: nempe ſacramenta ſunt ſigna ſenſibus obuia, atque adeò corporalia. Rurſus Eccleſia communicat cum cœleſti Ieruſalem, quia dotes habet merè ſpiritales, ſcilicet gratias ſibi deſuper impertitas.

Eccleſia media inter Synagogam, & cœleſtem Ieruſalem.

Dionyſius Paulo Apoſtolo magiſtro eruditus, non vocaſſet ſigna Iudæorum vmbras tantùm, ſi comitem habuiſſent gratiæ veritatem. Quid item Iuſtinus de circumciſione ſenſerit, ab eo diſce.

Iuſtin. Dialogo cum Tryphone.

Quin etiam, inquit, *ex eo quòd non poſſunt fœmina circumcidi, intelligitur ſigni causâ datam eſſe circumciſionem, non pro opere iuſtitiæ.* Tota dialogi huius cum Tryphone ſeries eò vergit, vt probet ille Sanctus, circumciſionem non iuſtificaſſe, ſed ideo duntaxat eſſe ſancitam à Deo, vt ſecerneret Iudæos à Gentibus. In eam quaſi pedibus iit ſententiam Irenæus, ita ſemet explicans.

Iren. lib. 4. *c.* 30.

Circumciſionem, non quaſi iuſtitiæ conſummatricem, ſed in ſigno eam dedit Deus, vt cognoſcibile perſeueret genus Abrahæ, &c. *Et quia non per hæc iuſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo; oſtendit, quòd ipſe Abraham ſine circumciſione credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Reuera valet argumentum ab exemplo: nempe Deo acceptus fuit Abraham incircumciſus. Ergo circumciſio, quam paſſus eſt Abraham, non fuit ei impoſita ad remedium peccati, cuius malefica labes antea terſa fuit.

Origenes lib. 2. *contra Celſum.*

Origenes ait Chriſtianos meritò abiuraſſe ritus omnes Iudaicos, quia lex Hebræorum ad emundationem carnis erat inſtituta: at ſecus mundant animas dogmata Chriſtiana. Quo contextu ſatis ſuperque notat circumciſionem non eius fuiſſe meriti, cuius effingitur à quibuſdam.

Iudaiſmus fuit quaſi rudimentum Euangelij.

Euſeb. Cæſar. lib. 1. *demonſtrat. Euangel. c.* 10. *& lib.* 2. *hiſt. c.* 1.

Euſebius Cæſarienſis arbitratur veterem legem fuiſſe rudimentum Euangelij, quod vt ſpirituale eſt indiguit aliquali typo corporeo, quo vt præambulo, ad obſequium ſpirituale homines aptarentur. Si ergo Iudaiſmus habuit tantùm prima velut elementa legis Chriſtianæ, profectò nulla ſacramenta legis antiquatæ iuſtificarunt ex opere operato. Alter Euſebius, ſcilicet Emiſſenus, fusè enarrat, quantum debeat Eccleſiæ Synagoga, & quantum fuerint eius merita decurtata. Sic ille in verba hæc Petri.

Euſebius Emiſſin homilia de Sabbato poſt Domin. 1. *Quadrag.*

Faciamus hic tria tabernacula. Primum (inquit) *tabernaculum eſt Synagoga, ſecundum Eccleſia, tertium cœlum. Primum in vmbra fuit, & figura: ſecundum in figura, & veritate: tertium in ſola veritate. In primo via oſtenditur, in ſecundo inuenitur, in tertio poſſidetur. Non enim ſacramenta Eccleſiæ, ſicut ſacramenta Synagogæ, medicinam tantum docent, & oſtendunt, ſed ipſa potius ſunt medicina, & remiſſio peccatorum.* Nihil ſanè poteſt promi enucleatius ad componendam litem illam de efficacia circumciſionis. Athanaſius ex profeſſo docet circumciſionem nihil planè fuiſſe præter vmbram Baptiſmi, quod reuera procul eſſet à veritate, ſi vetus illud ſacramentum hoc habuiſſet commune cum Baptiſmo, vt gratiam impertiret.

Athanaſius oratione in hæc verba. Omnia mihi tradita ſunt.

Eò etiam alluſit Epiphanius iſta breuiloqua ſententia.

Epiphanius hæreſ. 8.

Circumciſio fuit carnalis, quæ deſeruiit tempori vſque ad ma-

gnam

quæ eſt Spiritu-rorum.

gnam circumciſionem, hoc eſt, Baptiſmum, qui circumcidit nos à peccatis. Si eiuſdem virtutis extitiſſet circumciſio, cuius fuit & Baptiſmus, incongruum eſſet opponere circumciſionem Baptiſmo, vt vmbram corpori: imo Baſilius totam veterem legem cum Euangelica componens reputat vmbram. Sic ille. *Qui veritatem vmbra comparans, cúmque figuris conferens ea, quæ figuris ſignificantur, vniuerſam pariter Euangelicam diſpenſationem eleuare aggreditur, &c. Quid confers lauacra cum lauacris, quæ ſolam nominis appellationem habent communem; rerum verò tanta eſt differentia, quanta eſt inter ſomnia, & veritatem; inter vmbras, & imagines, & inter ea, quæ reuera ſunt.*

Baſil. lib. de Spiritu ſancto, cap. 14.

Circumciſio an iuſtificaret infantes.

Circumciſionis indolem præclarè explicat Chryſoſtomus textu propitio meæ ſententiæ, quæ detrahit illi ſacramento virtutem illam, quam indubiè credo eſſe ſacramentis Eccleſiæ ſingularem. Cuius cardo præcipuus eſt in iuſtificatione conciliata ex opere operato. Præſtat audire Chryſoſtomum virum apprimè tinctum omnigena ſcientia. *Attendo* (inquit) *quòd Deus circumciſionem pro lege ſtatui voluit, non quòd ad animæ ſalutem efficere hoc poſſit aliquid, ſed vt Iudæi pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent, quaſi ſignum, & ſigillum, & ne liceret eis commiſceri Gentium commiſtionibus. Hinc B. Paulus ſignum hoc vocat, dicens. Et ſignum dedit Circumciſionis ſigillum. nam ad iuſtitiam ipſa circumciſio nihil conducit.* In hæc Chryſoſtomi verba iurant Cyrillus, Theodoretus, Damaſcenus, Theophilactus, & Oecumenius, qui omnes concordi ſuffragio negant virtutem illam efficacem, quam quidam affingunt circumciſioni, eam ſic appendentes ad trutinam ſacramentorum Eccleſiæ, quæ ex decreto Concilij gratiam impertiunt ex opere operato:

Chryſoſtom. hom. 27 in Geneſim. Cyrill. lib. 10. in Iulianum. Theodoret q. 67. in Geneſim. Damaſcen. lib. 4. de fide, cap. 30. Theophylact. in c. 2. epiſt. ad Romanos. Oecumenius in cap. 4. ad Romanos.

Non fuit illa ſolùm Græcis propria ſententia, ſed & communis extitit Latinis Patribus, quorum Cyprianus ait, circumciſionem adueniente Baptiſmo euanuiſſe, ſicut vmbra cedit luci. Adiicit ille Adamum, Henoch, Noë, & Melchiſedech iuſtos fuiſſe ſine circumciſione. Quo ſermone alludit ad hæc Tertulliani verba. *Si circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum cùm faceret, cur eum non circumcidit, vel poſteaquam deliquit, ſi purgat circumciſio, &c. Prouidens Deus, quòd hanc circumciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus.* Concinit Ambroſius, vir vtique cœleſtium conſcius arcanorum. Sic ille. *Signum circumciſio corporalis, veritas circumciſio ſpiritualis: illa membrum amputat; iſta peccatum.* Quaſi diceret, effectum circumciſionis, duntaxat cute tenus, hominem attigiſſe. Et tantùm abeſt vt concludat in gratiam veteris huius ſacramenti, quinimò diſertè decurtat virtutem illam, quam de eo quidam Theologi præconizant. Ecce Patris huius definitiuam ſententiam. *Non ergo, circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantùm, quod ſignum ideo accipiebant filij Abrahæ, vt ſcirentur eius filij eſſe, qui credens Deo hoc ſignum acceperat, vt æmuli eſſent paternæ fidei.* Si itaque tota moles circumciſionis eſt in ſigno, perperam inuritur ei virtus illa benefica, quæ conſequitur ſanctiſſima Eccleſiæ ſacramenta.

Cyprian lib. 1 contra Iudæos cap. 8.

Tertull. lib. contra Iudæos c. 1.

Ambroſ. epiſt. 72. ad Irenæũ

Idem In cap. 4. ad Romanos.

Eſto viri magni nominis egregiè ſenſerint de circumciſione, arbitrati fuiſſe illam inſtitutam in remedium peccati; mirum eſt altum de hac intentione Dei ſilentium eſſe apud Patres interpretes Scripturæ ſanctioris, quos reuera non latuiſſet hoc ſecretum ſi virtus illa circumciſionis eſſet rata, & fixa. Vide ex profeſſo agentem de hac materia Ambroſium, atque Hieronymum locis margine recenſitis. Ne illibatus abeat Hieronymus accipe rationem, quam ſubiicit, verſans illud vetus inſtitutum. *Quia* (inquit) *ex ſemine Abrahæ erat Chriſtus oriundus, & ab Abraham vſque ad Chriſtum multa erant ſæcula tranſitura prouidens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio denotauit. Denique per quadraginta annos in eremo nullus eſt circumciſus; ſoli quippe ſine Gentis alterius commiſtione viuebant. Statim vt Iordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, circumciſio neceſſario futuro ex commiſtione Gentium prouidit errori. Quod autem à Ieſu duce ſecundo ſcribitur populus circumciſus, ſignificat in eremo ceſſare circumciſionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſpiritali circumciſione credentes eſſe mundandos.* Idem ait Deum flocci pendere ritus Iudaïcos, & placere ei viuificos baptiſmi latices, quorum obſequio crimina deterguntur. Dum namque recolit hoc lauacrum, ait illud maximè Deo acceptum eſſe. *Quòd ſolùm* (inquit) *poteſt purgare peccata.* Si ſolum Baptiſma, repurgio peccati originalis fuit aſſignatum, gratis illa etiam virtus prædicatur de circumciſione.

Lib. de Abraham. 1. c. 4. l. 2. de Sacramentis, c. 4.

Quare fuerit inſtituta circumciſio.

Hiero in c. 5. ad Galatas.

Idem in 62 Iſa.

Melius eſſe conſultum Eccleſiæ, quàm Synagogæ, ait Auguſtinus; ſacramenta noſtra dicens aliis eminere. *Sacramenta* (inquit) *non ſunt eadem, quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Saluatorem.* Ibidem ait, in quo noſtra ſacramenta præſtent Iudæorum ritibus antiquatis. En diſcrimen. *Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, feliciora.* Alibi turſus totam præceptorum ſeriem, quæ pertinet ad ſacramenta ſic ſugillat. *Cur non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum, nec bona fuiſſe, quia eis non iuſtificantur homines? vmbra enim ſunt prænuntiantes gratiam, qua iuſtificamur.* Demum liquidiùs totam iſtam concludit controuerſiam, ita fatus. *Si per ſe attendantur ſacramenta vetera, nullo pacto poſſunt mederi: ſi autem res ipſa, quarum hæc ſacramenta ſunt, inquirantur, in eis inuenitur poterit purgatio peccatorum.*

Sacramenta Eccleſiæ ſüt Iudæis potiora.

Aug. in Pſal. 73.

Ibidem.

Eccleſia dignior eſt Synagoga.

Epiſt. 19 ad Hieronym.

Idem qu. 25. in l. Numer.

Sacramenta, quænam iuſtificent.

Illa ſacramentorum Eccleſiæ eminentia poteſt etiam adſtrui ratione hac valida: nimirum ſacramentum, vt iuſtificare queat, debere habere annexam promiſſionem abſolutam gratiæ, vt confitentur ipſimet hæretici Lutherus, Melanchthon, Caluinus atque Kemnitius. Cùm ergo nulla vetera ſacramenta dignata ſint promiſſione illa conferendi gratiam iuſtificantem, neſcio quo argumento ducti ſint præcones efficaciæ circumciſionis. Quippe promiſſio facta Iudæis non pertinebat ad remiſſionem peccatorum, ſed ad gratiam temporalem, ſicut ipſe Lutherus ait hoc contextu. *Vetus Teſtamentum per Moyſem datum, promiſſio erat, non remiſſionis peccatorum, ſeu rerum æternarum, ſed temporalium nempe terræ Chanaam, per quam nemo renouabatur ſpiritu: vnde & irrationalem pecudem in*

Luther. in aſſert. primi articuli.

Melanct. in locis anni 58.

Calu. l. 4. Inſt. c. 14. § 3.

Kemnit. 2. part. Exam.

Luther. lib. de captiuitate Babylonica ſe, de Euchariſtia.

figura

figura Chriſti oportebat occidi, in cuius ſanguine idem Teſtamentum confirmabatur, vt qualis ſanguis, tale Teſtamentum: qualis hoſtia, talis promiſſio. Eccleſiam ſortitam fuiſſe dotes potiores longè, promiſſione factâ Hebræis, locuples teſtis eſt Apoſtolus ſic arguens. *Melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris Teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.* Quæ ſint illæ repromiſſiones noui Teſtamenti, ſubiicit idem Paulus laudans locum illum Ieremiæ. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.* Fauet Auguſtinus obſeruans promiſſiones vtriuſque Teſtamenti eſſe diuerſas, vt. & diuerſa ſunt ſacramenta. Nempe vetus Teſtamentum habuit promiſſiones terrenas: at nouum promiſſione gaudet, qua homines ad cœleſtia proue-huntur.

Hebr. 8.
Aug. in Pſal. 72.

Accedit & alia ratio in gratiam Eccleſiæ, dignatæ à Deo potioribus ſacramentis, quàm fuerit olim Synagoga: nempe Ioannes Apoſtolus legem nouam diſtinguit à vetera, eò quòd noua iuſtificet, lex verò priſca ſecus. Cùm ergo ſacramenta vetera fuerint pars quædam legis Iudaïcæ; non eſt concedenda parti virtus iuſtificandi, quæ toti legi vt ad hoc inutili à Paulo Apoſtolo denegatur. *Reprobatio* (inquit] *fit præcedentis mandati, propter infirmitatem, & inutilitatem.* Gratiam verò fuiſſe annexam legi promulgatæ à Chriſto, teſtis eſt locuples ille Apoſtolus, penes quem fuere arcana Dei: is eſt Ioannes, cui valde familiare eſt ſacra oracula accepta cœlitus eructare. *Lex* (inquit) *per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ob gratiæ inopiam lex illa obſoleta dicitur à Paulo, litera occidens; noua verò ſpiritus viuificans. At hæc nomenclatura ſanè eſſet incongrua, ſi penes ſacramenta Iudæorum fuiſſet virtus viuificandi. Eiuſdem ponderis, & momenti eſt locus iſte Pauli, qui affirmat legem illam Iudæorum in ſeruitutem generaſſe, & noſtram Euangelij legem attuliſſe gratiæ libertatem. Demum lex illa reprobata dicta fuit vetus Teſtamentum, quia pertinebat ad veterem hominem, quem annoſum, & vitiis omnibus aſſuetum non potuit priſtinæ reddere nouitati. Huic è regione opponitur Euangelica lex, ideo dicta nouum Teſtamentum, quia conducit ad repurgium omnium peccatorum, cuius obſequio anima renouatur. Hæc animaduerſio redolet Auguſtinum.

Lex vetus ex ſe erat inutilis ad iuſtificationem.
Hebr. 7.
Lex noua iuſtificat.
Ioan. 1.
2. Cor. 3.
Lex vetus quare dicta ſit litera occidens.
Gal. 4.
Lex Iudæorũ quare dicta ſuit vetus Teſtamentum.
Aug. l. 3 con. duas Epiſt. Pelag. c. 4.

Cùm igitur Eccleſiæ conceſſa ſit gratiarum omnium locuples effuſio in ſacramentorum inſtitutione; & ſacramentis aliis Euchariſtia longè præſtet, quia inibi eſt realiter ſacrorum omnium Dominus inſtitutor: profectò iure ei inditum eſt nomen Cœnæ: quia vt parcior eſca menſis inerat ante Cœnam, quæ ſola lautiora fercula capiebat: ita & parcè Iudæis gratia illuxit, influens nimirum ex opere operantis; at Dei Eccleſiæ aſſignata eſt velut in dotem tota gratiæ plenitudo. Cuius vt gaza diues eſt ſacramentum Euchariſtiæ, concludens auctorem omnimodæ gratiæ in animas cœlitus influentis. De effectibus huius Cœnæ infra textam ſpecialem homiliam, vbi reſerabo prouentus vberes, quibus anima ditior fit ſacro Chriſti corpore ſaginata. Sed ne intactum prætereeam gratiarum influxum, qui manet animas aſſidentes illi Cœnæ; credo ſatis ſupérque fore impræſentiarum, ſi dixero, animam, quæ diſcumbit in hac Cœna ſicut par eſt, & ſecluſo obice, induere nouos habitus, & virtutum omnium ſupellectilem, hancque prædiuitem ſibi gratia comite comparare. Accipe Bernardum, veluti vadem meæ ſententiæ. *Cecidimus* (inquit) *ſuper aceruum lapidum, & in luto: vnde non ſolùm inquinati, ſed etiam vulnerati, & grauiter quaſſati ſumus. Lauari quidem citò poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa. Lauamur igitur in Baptiſmo, quia deletur chirographum damnationis noſtræ, & gratia hac nobis confertur, ne iam nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen à conſenſu abſtineamus: atque ita tanquam ſanies inueterati hominis, & vlceris remouetur, dum tollitur damnatio, & reſponſum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam aſperos motus frangere? quis pruritum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia ſubuenit, & vt ſecuri ſitis, ſacramenti Dominici corporis, & ſanguinis pretioſi inueſtituram habetis. Duo enim illud ſacramentum operatur in nobis: vt videlicet ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori, & ſanguini Domini: quoniam virtus ſacramenti operatur in eo, & gaudeat quòd peſſimum vlcus accedat ad ſanitatem.*

Euchariſtia ſecum vehit gratiarũ omnium prouentum.
Bern. ſerm. in cœna Dom.
Peccatum animam maculauit, & vulnerauit.
Euchariſtia antidotum vitiorum.
Euchariſtia tollit ſenſum in minimis, & conſenſum in magnis peccatis.

Illud elegans encomium Euchariſtiæ pertinet ad naturam Adami vitio ſauciatam. Quamuis enim homo tinctus deponat animæ ſordes, quæ cum Baptiſmo non coëunt; attamen ſunt & peccati reliquiæ ſuperſtites, quæ vellicant animam motibus importunis. Nempe fomes peccati ſemper hominem ſollicitat in vetitum; ſed ne malè ſuadæ carni annuat, cauet ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, quo aduerſus vitiorum omnium impetus & ſuſurros benè paſta anima roboratur. Itaque hoc ferculum corporis Chriſti, infirmis hominibus antidotum eſt opportunè ſanans omne lethale virus dæmonis aſtu callidè propinatum. Sed ſi res eſt de homine ſano, id eſt, procul à vitiis, & cui eſt inolita virtutum praxis, ille ditiora longè capit chariſmata, vtpote magis idoneus ad excipiendum largum gratiarum imbrem, quo congruè diſcumbentes in Cœna Domini cœlitus alluuntur. Præter enim ſuaues delicias, quibus afficitur anima, facta conuiua Regis Regum; virtutum omnium profeſſio altiores apud eam radices agit, ac proinde talis diſcubitus hominem in æterno Dei obſequio corroborat. Sicque fides conciliatur Pſalti, præſcio arcani huius, quod expreſſit hoc concentu. *Vinum lætificet cor hominis, panis cor hominis confirmet, vt exhilaret faciem in oleo.* Ineffabilis animæ ſuauitas notatur in vino Cœnæ Domini, vbi inebriatur anima ſacro hoc perfuſa vino, quod citra ſuſpicionem luxuriæ, germinare facit virgines. In pane robur animæ congruum typum habet: vt namque panis athletarum veſcentibus affingebat præſentiſſimum roboris incrementum; ita & iſte panis ſacer traiectus in hominem, hunc vegetat, & affricat ei conſtantiam, atque in virtute propoſi-

Pſal. 103.

tum

tum tenax, efficiens animam toto dæmone fortiorem. Si namque penes manna fuit omnes referre ſapores ad arbitrium veſcentium; quis eat inficias, poſſe panem viuificum virtutum omnium ideas ſalutares, mentibus inſpirare. Demum exhilarans oleum, faciemque miſeram in venuſtatem componens, gratiam ſignificat, quam copioſam participat homo cõnſors emeritus omnium Domini conuiuarum.

Quidquid Cœnam luculentam commendare poteſt, illud omne concluditur tribus hiſce partibus quas memini; videlicet ſuauitate, quæ diſcumbentes afficit; facultate roborandi, quæ comes eſt cuiuſque cibi optimi, & gaudio, quod conſequitur epulas inſtructas congruo apparatu. Idcirco liquet, inſtitutionem præcipui huius ſacramenti ritè appellari Cœnam; quia in Euchariſtiam coëunt omnia læta & lauta, quibus nobiles quæque Cœnæ huius ſæculi coaleſcunt.

CONSECRATIO CORPORIS Chriſti facta eſt in Cœna noctu, quia ſenſibus humanis inuia ſunt arcana Dei, quæ proinde ſunt ſola percipienda fide.

§. III.

EX SANCTIS PATRIBVS.

PVtamine nucis abditus eſt nucleus, proinde inconceſſus niſi frangas corticis inuolucra. Ita & Scripturæ myſteria, vt ſe prodant prærequirunt notitiam literæ præeuntis. Cuius peritia fugiens interpretem, facit eum obnoxium pleriſque ſententiis abſurdis, à quibus ſeſe expedire nequit, niſi diſcuſſo cortice literali. Ne in has ego impingam cautes, operæpretium eſt adſtruere veritatem præfixi tituli, vbi vt rem indubiam affirmo, noctu fuiſſe inſtitutum ſacramentum corporis Chriſti. Quod vt fiat liquidius, oportet recolere, Chriſtum duas celebraſſe Cœnas, vnam legalem, alteram communem ſeu vſualem. In legali nihil prorſus apponebatur præter agnum Paſchalem, & lactucas agreſtes, cum pane azymo. In vſuali verò ad arbitrium conuiuarum menſa inſtruebatur ferculis omnigenis. Cœna legalis celebrata eſt ad veſperam, occidente Sole, ante tamen noctis initium, & cœlo nondum tenebris opacato. Quia parca fuit illa Cœna, ſcilicet inſtituta magis ad myſterium, quàm ad paſtum; conuiuis modicè refectis parabatur altera Cœna ditior, in quam fas erat inuehere varia obſonia. Iudæi ne miſcerent ſacra profanis, ambas illas Cœnas, legalem ſcilicet, & communem, ambas interiecto tempore diſpeſcebant. Sicque profana Cœna fiebat illa die poſt Solis occaſum, obſtante Cœna legali ne maturius & conſueto tempore paſcerentur. Hunc profectò morem ſecutus eſt ille, qui Chriſtum excepit; nam conſumpta legali Cœnâ, aliam poſtmodum vſualem & opiparam Cœnam inſtruxit, vbi Ioannes Apoſtolus ait, fuiſſe appoſita condimenta: nam intincto pane iuſculo paropſidis Iudam prodidit Chriſtus. Obducta caligine, & nocte opaca celebratam fuiſſe Cœnam illam, quam excepit inſtitutio corporis Chriſti, præfatus Apoſtolus ait illo eodem contextu, quo meminit obſonium iuſculo madefactum. En tenorem rei geſtæ. *Cùm hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus, Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit? Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei: Domine quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Ieſus: Quod facis fac citiùs. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus? Eme ea, quæ nobis opus ſunt ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepiſſet buccellam ille, exiuit continuò. Erat autem nox.*

Cœnæ duæ à Chriſto celebratæ, vna legalis, altera communis.

Cœna vſualis & communis nocte celebrata.

Ioan. 13.

Euchariſtia nocte inſtituta eſt, & quare.

Hoc contextu patet quo tempore fuit myſterium ſacri corporis inſtitutum. Itaque latus ſe aperit campus ad penetranda myſteria noctis ſymbolo concluſa. Quorum præcipuum illud eſt, quod præfixo titulo delibaui. Scilicet de induſtria Chriſtum ſuam Cœnam noctu celebraſſe, vt ſic innueret nullum prorſus naturale lumen poſſe pertingere ſcrutinium huius abditæ veritatis. Quippe ſupra rationem eſt arcanum illud panis huius viuifici, ſolâ fide præuiâ conſiderandi hominibus. Namque fides ſubobſcura noctis ſpeciem inducit in animam; quidquid reclamet Caluinus affirmans, fidem debere eſſe claram, & ſenſibus exploratam. Vnde tenebrio ille Catholicis inſultat, quia dicunt ſe reuerenter credere quidquid proponitur ad credendum, eſto minus intelligant. Si ergo cupido quædam intelligendi ſacra myſteria titillat animam; illa ſibi benè conſulet, ſi recolat, ſacramentum iſtud eſſe fidei negotium, & non rationis humanæ indaginem: nempe caligat acies omnis humani intellectus in his, quæ ad fidem pertinent: illa nimirum æmulata Deum, qui ſtipatur nubibus atque caligine, latet in opaco humanis ſenſibus inaſpecta. Adſtipulatur Iſaias hoc effato. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Quaſi diceret, fidei indolem prorſus aliam eſſe à ſcientia, quæ nihil omnino credit, niſi prius intelligat. Rurſus Apoſtolus diſtinguit notitiam myſteriorum, à fide. *Si habuero*, inquit, *omnem ſcientiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem fidem.* Rurſus ille monet, eſſe captiuandum omnem intellectum in obſequium Chriſti; quod perinde eſt, ac dicere, eſſe compeſcendam libidinem intellectus, altiora ſe cupidè perſcrutantis.

Fides noctis ſymbolo lineatur.

Caluin. lib. 3. inſtitut. c. 2.

Iſa. 7.

1. Cor. 13.

2. Cor. 10.

Quia cauſantur hæretici, fidem eſſe ſitam in clara notitia; eſt è re mea, Patrum etiam ſpiculis iſtum errorem configere, ne gliſcat, & faciendo fucos imponat mentibus imperitis. Meo intento propitius Irenæus ita damnat ſententiam, quæ fidem rutilam eſſe mentitur. *Melius eſt*, inquit, *nihil omnino ſcientem credere Deo, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat; quàm per quæſtionum ſubtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.* Hoc Irenæi textu fides eſt citra ſcientiam illam, quam commentus eſt Caluinus, in Sole ponens tabernaculum fidei:

Ex SS. PATRIBVS.

Irenæus lib. 2. cap. 45.

Fides eſt ſubobſcura.

alioquin

alioquin incongruè locutus eſſet ille Præſul magni nominis ab ipſiſmet Eccleſiæ incunabulis. Alter ejuſdem ponderis, & momenti, ſcilicet Clemens Alexandrinus, magiſter Origenis, fidem lineat, non coruſcam vt ille deſertor Eccleſiæ Caluinus, ſed tenebris obumbratam. *Fides*, inquit, *non ſapientium ſecundùm mundum; ſed eorum, qui ſecundùm Deum ſunt ſapientes, poſſeſſio eſt. Illa autem etiam abſque literis diſcitur. Eius autem ſcriptum, quod & ad rudes, & ad ignorantes pertinet, & eſt diuinum, charitas vocatur.* Quid ſecus inſtabit ille rabula, qui face rationis accenſâ litat fidei, quaſi magna lumine naturali caperet incrementa.

Clemens Alexand. lib. 3. Pedag. c. 11.

Græcis Patribus concolor eſt ſententia Latinorum in omnibus, & præſertim vbi res eſt de notione fidei, debeat eſſe clara necne. Prior occurrit Hilarius *Habet*, inquit, *non tam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas, quia maximum ſtipendium fides eſt, ſperare quæ neſcias.* Ergo non coëunt fides, atque ſcientia vt hallucinatur ille delirus homo, ſubiiciens ſeoſuum & rationis obſequio fidem Deo doctore ſolùm mentibus illabentem. Præclaro argumento concluſionem noſtram adſtruit Auguſtinus. *Si*, inquit, *propter eos ſolos Chriſtus natus, qui certà intelligentia poſſunt iſta diſcernere, penè fruſtra in Eccleſia laboramus.* Optimè profectò arguit vir ille omniſcius. Si namque ſtaret Caluini delirium, inducens fidem accinctam clara notitia, rari fideles eſſent: illa nimirum ſolos Theologos eoſque ſummos afficeret, & id cute tenus, quia ipſamet altiſſima Theologia, quantumuis conſcia arcanorum Dei, non ea penetrat lumine naturali. Sed dicere peritiſſimos duntaxat hominum eſſe fideles hoc eſt abſurdum apud ipſoſmet ſycophantas hæreticos. Ergo procul abigenda fides eſt illa aſſignata à Caluino, vtpote portentoſa. Rurſus irrita eſſet prædicatio facta plebi in gratiam fidei; nam populi captum ſuperat intelligentia myſteriorum, ſcilicet Trinitatis, & Incarnationis, quæ nec doctiſſimi quique ſciunt, eſto credant. Nemo tamen negat Chriſtianos eſſe fideles, qoi aſſenſum præbent articulis ad credendum propoſitis. Vnde opportunè ſubiicit Auguſtinus iſta verba. *Turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Ruſus ille ſibi conſtans ait, intelligentiam myſteriorum Dei eſſe præmium fidei. Et alibi teſtricans illam obſeruationem, ita fatur. *Non quia cognouerunt, crediderunt, ſed vt cognoſcerent crediderunt. Quid enim eſt fides niſi credere, quod non vides.*

Hilarius lib. 3. de Trinit.

Auguſt. epiſtol. 102. ad Euodium.

Fides non petit vt comprehendas, ſed vt credas.

Idem, Lib. contra epiſtolam Fundamenti. c. 4.

Tract. 27. in Ioan.

Tract. 40. in Ioan.

Fides credit vt cognoſcat.

Quid Auguſtino Caluinus opponat non occurrit, niſi velit ineptias agere vices Achillæi argumenti. Denique Auguſtinus liquidò dirimens iſtam de fide coruſcâ litem, ſic definit. *Conſidera quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto Baptiſmo, hoc dicimus, fidelis factus ſum, credo quod neſcio.* Diceres Auguſtinum de induſtria propoſuiſſe ſibi Caluinum vt ſcopum, in quem ſua ſpicula ſæpius intorqueret. Concors eſt & Proſper Auguſtino ſuppar. Vir ille magnus fidei propugnator, & hæreticorum cenſor acerrimus, eliminat hoc adulterinum dogma, quod inuexit homo apoſtata, volens efficere fidē vernaculo lumine rutilantē. *Dicente*, inquit, *Apoſtolo, niſi credideritis nō intelligetis, datur intelligi quòd nō fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat: nec qui intelligit credat, ſed qui credit intelligat.*

Sermon 189. de Tempore, qui eſt primus de S Trinit.

Fidelis cur vocetur Chriſtianus.

Proſper. lib. 1. de vit a contemp c. 19.

Fides non ex intellectu, ſed intellectus ex fide.

Ad componendam iſtam omnem controuerſiam, operæ pretium eſt meminiſſe, in eo qui credit duo eſſe, videlicet apprehenſionem, & aſſenſum: & apprehenſionem non eſſe fidem, ſed aliquid præuium fidei. Namque fides aliqua petit præambula in adultis hominibus, vt illorum mentibus illabatur. Fidem non eſſe penes apprehenſionem myſteriorum Dei patet ex eo quòd Gentilis Philoſophus poteſt apprehendere, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres perſonas, diſtinguendo relationes quæ intercedunt, nec tamen credat. Contra verò ruſticus homo neſcius literarum confuſè ſolùm apprehendens eſſentiam Dei, & tres perſonas eiuſdem numero eſſentiæ, quia credit fidelis eſt, quamuis eius apprehenſio rudis ſit & multa caligine obducta. Itaque turpiter hallucinatur ille transfuga, qui erexit claræ fidei ſimulacrum, cui mendacitis blaſphemus homò litat, abiurando fidem Eccleſiæ, Scripturæ ſacræ, & Sanctorum Patrum titulo commendatam. Ratio commenti hæc eſt. Vt Caluinus homines ſubtraheret gremio Eccleſiæ, cuius iudicio videbat annuere, finxit fidem eſſe ſitam in clara notitia, & non in aſſenſū præſtito auctoritati Eccleſiæ, vt concors ſanctorum omnium chorus occinit.

Quæ concurrant ad concipiendam fidem.

Vt liquidior adhuc emicet doctrina, quæ ad fidem ſpectat, diſtinguendus eſt duplex aſſenſus. Vnus videlicet, qui rationem, & euidentiam rei conſequitur; alter verò, qui annuit auctoritati alicuius proponentis. Prior aſſenſus elicitus ab euidentia rei propoſitæ obſtetricante lumine rationis, notitia propriè nuncupatur. Ille autem aſſenſus, quem ſibi vendicat auctoritas proponentis, non eſt notitia, neque pertinet ad ſcientiam, ſed eſt fides iuxta illam veridicam Auguſtini ſententiam. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus: quod autem credimus, auctoritati.* Faceſſat ergo adulterina fides, quam Caluinus totam tribuit rationi, atque euidentiæ, vt ſic ingloriam faciat auctoritatem Eccleſiæ, cui fideles innixi aſſenſum præbent dogmati Chriſtiano. Sed homo nefarius, vbi lumen rationis accendit, vt maiorem copiam lucis adiiceret fidei, eam penitus extinxit, ſicque ſui erroris incautos aſſeclas reddidit infideles. Quippe deliris hominibus quando hoc inſedit, nihil ſcilicet credere, niſi cuius clara notitia præfulſerit; ipſo facto, & illa profeſſione ſuæ proteruiæ, dedere notas perfidiæ; ſiquidem ita ſinceræ fidei omnes titulos expunxerunt. Inductione nimirum facta per omnia fidei myſteria, quæ alta caligo inuoluit, neceſſe eſt, vt fide cadant, quia prorſus inuia ſunt lumini naturali. Verbi gratia, dicat hæreticus quonam argumento rationis obſtetricis liquere queat veritas naturæ humanæ aſſumptæ à Verbo, ita vt ſolus Filius dicatur incarnatus, eſto Pater, & Spiritus Sanctus ſint eiuſdem numero naturæ, atque eſſentiæ cum filio. Si pertinax hæreticus ore procaci clamat, hoc arcanum eſſe peruium rationi, ac proinde congruum Caluinianæ fidei obiectum miniſtrare ſuis ſequacibus, erroris arguetur ex ipſis naturæ principiis, vnde liquet finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem, atque adeò Deum & hominem coire non poſſe in vno ſuppoſito.

Qualis animæ aſſenſus requiratur ad concipiendam fidem.

Auguſt. lib. de vtilitate credēdi. c. 11.

Fides eſt aſſenſus auctoritati datus.

Fidei myſteria quare ſint inuia lumini naturali.

Incarnatio non probatur ex ſolis naturæ principiis.

Sed quid ago rationibus in homines, quibusque micam rationis habent, in hoc quòd

diuina

diuina volunt appendere ad trutinam hominum cùm ex Dei edicto, ſacra ſanctuarij pondere ſunt libranda. Nempe Deus in fidei rebus exigit obſequium intellectus, & non ſcrutinium, quia in tali indagine lippiens hominis oculus execæcatur. Vtque figuris eruditur homo, Deus ſingulares adhibuit figuras, quibus rata fixaque nitet Eccleſiæ ſententia, quæ decernit, fidem haudquaquam requirere notitiam internis ſenſibus euidentem. Eò ſpectant cautiones illæ adhibitæ in tractanda ſuppellectile ſanctuarij, quam Deus ſanxit obduci velis eo intento ſacris, vt his inuolucris implexa tabernaculi vaſa eſſent populis inaſpecta. Vt Origenes ferè totus eſt in allegoriis, egregias in hoc themate ſubtexuit; inde probans, fidem non eſſe de liquidis, & obuiis humano captui, ſed de rebus ſubobſcuris, & quibuſdam quaſi velis, ſeu ſymbolis obumbratis. Conſule Origenem inducentem textum ſacrum, cui & affingit gloſſam, qua monemur, ea, quæ fidei ſunt, non eſſe in aperto, ſed operto, vtpote crebris obducta velis.

Figuræ egregiæ, quibus conſtat ea, quæ fidei ſũt debere eſſe ſubobſcura.

Secvnda Par Homiliæ

ARGVMENTA, QVAE hominem ſollicitant, vt aſſenſum ſuum præbeat articulo fidei circa realitatem Euchariſtiæ.

§. IV.

Ex Sanctis Patribvs.

EST importuna moles illa, quæ exurgit ex ingratis; qualia ſunt repetita citra cauſam, quæ ſit gratum recenſitæ rei denuo condimentum. Ne ergo tomus iſte grauis ſit & turgeat faſtidioſa rerum repetitione; ſatis erit annotaſſe tibi, lector, me fusè ſatis decurriſſe aleam, quam titulus hic aſſignat. Itaque conſule ſupra tractatum de Euchariſtia. Illic habes vnde famem reficias.

HOMILIA QVARTA.

DE INVITATIS AD COENAM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. MENSA ſibi venerationem aliquam conciliauit, quam & ipſe panis nomenclatura ſonat. Quippe panem frangere, & communicare panem, fuere phraſes olim non perperam vſurpatæ. Cùm ergo ſacra Chriſti Cœna dicat illa duo, menſam ſcilicet, atque panem, ac proinde ſacrum quidpiam ingerat; iſtius homiliæ penſum erit explicare, quibus hoc ſanctum conuiuium inſtruatur.

II. Priori parte dicam de delectu hominum, ad quos pertinet illa Cœna, cuius magnificentiam probo, ex numero eorum, qui ad has epulas inuitantur.

III. Altera verò parte totus ſum in explicando modo, quo ſe aptare debent conuiuæ hiſce ſacris epulis, ne ſint iniurij Cœnæ Chriſti.

PRÆFATIO.

Luc. 14. *Miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent.*

VT vaſis cuiuſq; capacitas colligitur ex mole rerũ, quas cõcludit; ita & ſe cõuiuij magnitudo prodit, cũuiuis pluribus inuitatis. Eo argumento ſcriptura ſacra probat Aſſuerũ inſtruxiſſe grande conuiuiũ; quia neminem prorſus excepit ab epulis omnibus illic degẽtibus ſubditis apparatis. Ecce veridicã ſeriem hiſtoriæ, recenſentis opiparum illud conuiuium.

Eſther. 1. *Tertio igitur anno Imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet, & octoginta diebus. Cúmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan à maximo vſque ad minimũ, & iuſſit ſeptẽ diebus conuiuium præparari &c. præponens menſis ſingulos de principibus ſuis.* Nemo ſanè poteſt inficiari, fuiſſe diuites epulas hac verborũ ſerie recenſitas. Ille tamen locuples apparatus eſt infra magnificentiã Cœnæ Chriſti, idq; multis titulis, ratione ſcilicet temporis conuiuij, & numeri conuiuarũ. Nempe durat Cœna ſacra, mundi fine tenus: nec Medis tantùm, aut Perſis incolis vrbis Suſan inſtructa eſt, ſed orbi toti, vt hæc Domini verba ſonant, quibus ſeruũ ſuum vrget, vt vndiq; congreget inuitatos. *Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare* Parũ ſanè fuit Chriſto mittere Principes, id eſt, Apoſtolos in vicos, & plateas vrbis Ieruſalem, vt Iudæos initiarent ſacris fidei noſtræ myſteriis. Gens Iudæa ſola non potuit implere triclinium Eccleſiæ; vbi ſacræ dapes proſtant: operæpretium fuit Apoſtolos delegare in exteras orbis oras, ne qua gens cauſaretur, ſe inſciã, fuiſſe ditiſſimas Chriſti epulas omnibus populis apparatas. In omnes itaque vias Gentium exierunt Apoſtoli, & luſtrauere ſepes quando barbaros inuiſerunt. Luc. 14.

Siquidem durè ab eis excepti mortis acerbæ ſenſerunt aculeos, ſicque quaſi lacerati acutis ſepibus obierunt. Ego vices ago Apoſtoli; nempe delegatus ſum in vicos, & plateas, in vias, & ſepes, vt ſi quos inuenero viros idoneos Cœnæ Christi, hos conſcribam, facturus eos ſic compotes epularum. Aſſuero inſtruente ſinim conuiuium, Vaſthi Regina fœminis tantùm epulas fecit. Sed melius eſt conſultum nobis: Chriſto namque parante dapes, Maria Regina ſuis precibus impetrat, vt vocemur, nullo prorſus habito diſcrimine ſexuum: gratiis igitur eam debitis excolamus. En intento recolit Eccleſia hoc Angeli effatum. AVE MARIA.

Inuitare, quid ſit.

VT menſa & altare voces ſunt plerumque ſynonymæ, quia menſa ſacrum quidpiam ſua nomenclatura ſonat; ita & veteres non ſine delectu viros ad ſuas epulas inuitarunt. Nempe detrahitur rei cuiuſque dignitati, ſi indiſcretè fiat. Cùm igitur inuitare perinde ſit, ac in vitam vocare, & plerique vita ſint indigni, magna cautione indiget illa vocatio ad vitam communi epulo propagandam. Hanc prudentiæ partem non deſpexit Chriſtus mittendo ſuos ſeruos, vt ad Cœnam cogerent inuitatos. Quippe ſacer textus ait, eos miſſos fuiſſe in vicos, & plateas ciuitatis, dein in vias, & in ſepes, vt vel inuitos homines facerent inuitatos. Quodnam ſubodorer inibi myſterium dicam, decurrendo catalogum hominum, qui ſiſtuntur epulis hiſce ſacris. Prima parte iſtius homiliæ recenſebo ritus varios homines accerſendi ad conuiuia, & inde referam qualitates idoneas, vt quis dignetur diſcubitu ſacro Cœnæ Domini. Vbi ſubiecero qui ſint aduocati: dicam ſecunda parte quomodo ſeſe debeant accingere inuitati, ne ſint iniurij ſacris illis epulis, quibus eis fas eſt aſſidere, Chriſto Domino miſerante.

Quinam ad Cœnam Chriſti fuerint inuitati.

Diuiſio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

DE DELECTV HOMINVM, QVOS *Cœnæ ſuæ ſiſti voluit Chriſtus.*

§. I.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET IVRE CIVILI.

Ariſtotel. lib. 2. Rhetoric. c. 44.

Inuitare ad Cœnā res eſt honorifica.

ARiſtotele aſſertore, inuitare aliquem ad Cœnam cenſetur honorificum. Vnde Achilles apud Tenedum in Græcos acriter inuectus eſt, quia ab eis non fuit accerſitus ad ſolennes epulas: inde nimirum credidit ſe habitum deſpicatui. Cùm ergo honor exhibitus ſit index expliciticus excellentiæ, qua conſpicuus eſt homo deſuris honoratus. Profectò non citra delectum condicendum eſt conuiuiis, vt opportunè monet Plutarchus, qui inuitationem vocat αἵρεσιν, id eſt, electionem. Aſt electio diſcretionem quamdam dicit digni, & indigni: ſicque vocare ad epulas quoſdam perinde eſt, ac ſeligere homines quibus illa quadret teſſera honoris? Eamobrem Athenæus ait ex Homero nullis omnino debere fieri copiam conuiuij, niſi ſint ἀρίστους, καὶ ἐντίμους, id eſt, optimi, atque honorati. Meminit idem Athæneus moris Perſarum, qui præcipuè vicinos conuocabant, quando ſolennes epulas apparabant. Si quid enim triſtius accidit, vicini participant incommoda, ideoque quorum ſunt onera, congruum eſt & eorum eſſe honoris conſona argumenta. Laudat ille pro hoc Perſarum more verſus iſtos Heſiodi.

Inuitatio dicta electio.

Achilles credidit ſe ſpretum quia non fuit inuitatus.

Athen. l. 5.

Inuitandi optimi, & honorati.

Perſæ vicinos inuitabant.

Amicum ad conuiuiũ inuita, inimicũ dimitte.
Eum verò potiſſimum voca, qui propè habitat.

Ab hoc inſtituto non abhorruere Hebræi, qui ad epulum agni Paſchalis vicinos homines aduocabant. Deo decernente ritum illum, de iure vicinorum erat ſiſti menſæ, vbi agnus ille fuit appoſitus. En decretum. *Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui iunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.* Patrocinatur illi inſtituto vetus prouerbium dicens, meliorem eſſe vicinum amico longinquo; & non eſſe amicos, qui procul degunt. Carpit illud adagium meritò Athenæus in illud inuehens, hac cenſura. *An non enim abſurdum, & ab omni ratione alienum eſt, amicitiam locis, non moribus æſtimari.*

Vicini inuitati ab Hebræis ad Cœnā agni Paſchalis.

Exod. 12.

Illa vicini commotatio ad eſum agni Paſchalis vmbra fuit eius ritus, quem Chriſtus adhibuit ſacræ Cœnæ: nempe degens hic Dominus in vrbe Capharnaum, vicinos illius vrbis Apoſtolos conſcripſit, quos & ſuæ Cœnæ participes fecit. Præterea ſuos miniſtros ſcilicet Apoſtolos primò miſit in vicos & plateas vrbis Ieruſalem, vt Iudæos accerſerent ad Cœnam, tanquam vicinos, & contribules Chriſti, qui & ipſe Iudæus extitit, Rex vtique Iudæorum. Illis verò cunctantibus aſſidere ſacris his epulis, exierunt Apoſtoli in vias, & in ſepes, quando nationes exteras inuitarunt. Itaque Iudæi vt vicini fuere priores recenſiti à Chriſto, futuri participes corporis eius, ſi non incurij ſalutis ſuæ, reſpuiſſent priuilegium illud gratiæ ſingularis. Ieſus Syracides paucis explicat, quibus in conuiuio couti fas ſit, opportunè monens probatos tantùm eſſe homines adhibendos. Ecce diuinum oraculum. *Secundum virtutem tuam caue te à proximo tuo, & cum ſapientibus & prudentibus tracta. Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, & in timore Dei ſit tibi glorìatio.* Iuxta conſilium illud Deo auctore ſatum, Tobias nemineni ſuis innoxiis voluit accumbere menſis, niſi eſſet virtutis emeritæ, vt Codice ſacro liquet, cuius en contextum. *Cùm eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio ſuo: Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum.* Quid ſanctos commemoro in delectu conuiuarum, cùm Græcorum ſit adagium, καλεῖν καλοὺς κἀγαθούς, id eſt, *Voca pios, & probos.*

Iudæi primò vt vicini inuitati ad Cœnam.

Boni ſunt ad epulas inuitandi.

Eccleſiaſtici. 9.

Tobias ſolos optimos adhibuit epulis.

Tobiæ 2.

Cicero probos tantum habuit conuictores.

Illi edicto morem gerens Cicero ſic Tyronem affatur. *Vtor familiaribus, & quotidianis conuictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illis probatiſſimis.* In hunc morem peccauere Piſo & Tiberius Cæſar, quorum prior in Senatu correptus eſt acriter à proxime laudato Tullio, quòd cum viri mnalè audientibus, accumberet. Tiberius autem acutè carpitur à Suetonio, quia ſuis Cœnis Epicureos homines, & Græculos adhiberet. Ratio eliminandi ſceleſtos homines ab epulis petitur ab incommodis, quæ emergunt. Primò periculum eſt ne malitia improborum

Cic. epiſt. ad Tyronem.

Piſo & Tiberius reprehenſi quia ad epulas noxios adhibebant.

Cic. orat. in Piſonem.

Suet. in Tiberio

Qui ſint arcendi à conuiuiis.

aſſricetur

aſtricetur probis in conuiuio: ſiquidem inter pocula conuiuæ ſuos ritus facilè communicant. Secundò proſtituitur honos, cùm defertur ingloriis hominibus, fitque gratia ingrata iuxta illud Græcorum eloquium χάρις ἄχαρις, δῶρον ἄδωρον. Quid enim gratiæ, & commodi ſibi conciliare poteſt homo ab impiis, quando epulis adhibentur. Laudatur in eo themate auctor Polycratici de nugis Curialibus lib. 8. vbi commemorans leges conuiuiorum ita fatur cap. 9. *Sicut dignis liberalitatis oſtia patent; ita ſunt turpibus precludenda. Nam & fatuæ virgines, licet pulſent ad ianuam, ob ſtultitiæ notam repulſam patiuntur, ne fortè eiiciantur admiſſæ. Et tamen ſine nota eiicitur, qui ſua turpitudine deformat conuiuium: ſiquidem & ille eiectus eſt, qui veſtem non habuit nuptialem. Hæc autem licet myſticum habeant intellectum; nihilominus etiam in ipſa ſuperficie ciuilitatis præferunt rudimenta. Nam & illud fideliter ſonat ad literam, quod præcipit Apoſtolus: ſiquis frater nominatus fuerit fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, cum eiuſmodi nec cibum ſumite. Ad hoc ergo liberali domui ianua eſt, vt laſciuos criminoſos, & infames excludat. Ad hoc ianitorem habet, aut oſtiarium, ne quis inſulſus irruat; & vt ſit, qui dignos, & admittendos reuerenter excipiat.* Hactenus ille.

Ille delectus conuiuarum præcipuè obſeruatur à Regibus, qui honoris cauſa viros tantùm virtutis emeritæ ſuis adhibent menſis. Ita Saul Dauidem excepit ad menſam ſuam ſingulis quibuſque nouilunijs, poſtquam victoriam de Goliath giganteæ molis homine reportauit. Eodem honore Dauid inauguratus in Regem dignatus eſt Miphiboſeth filium Ionathæ, in gratiam parentis eius. Idem Rex inclytus memor beneficij accepti à Berzellao Galaadite voluit eum facere commenſalem. Chaldæi Reges magna cautione ſuis epulis aliquem dignabantur, vnde & in argumentum honoris præcipui Euilmerodachus Rex Chaldæorum Regem Ioachim Iudæũ fecit conuiuam ſuum. Romanis & hoc ſolitum fuit, cum nullo diſcumbere niſi probatiſſimo, Hinc cũ Imperatore ſemel tantùm diſcubuiſſe fuit honoris teſſera ſingularis. Veſpaſianus eo honore affectus à Principe gratias illi egit in Senatu, vt auctor eſt Suetonius, quo etiam teſte, Auguſtus religioſè ſuos ſolitus eſt legere commenſales, ne res præcipua vileſceret facta vernacula, indigno quoque homine cum Principe conuiuante. Iulius Capitolinus rem ſcitu digniſſimam commemorat: videlicet Opilium Macrinum inuitaſſe viros vſquequaque doctiſſimos ad epulas, vt illis acutè loquentibus de virtutum praxi, gulæ modum imponeret. Sicque fiebat vt palæſtra virtutis omnigenæ Macrini epulæ cenſerentur.

Tantùm autẽ habitus eſt honos ille ſemel aſſediſſe Regũ aut Imperatorũ menſæ, vt quidam prædiues homo numerarit vocatori ducenta ſeſtertia, vt vno tantum diſcubitu dignaretur ad menſã Caligulæ, qui & gratũ habuit, cùm accepit tanti emi honorem menſæ ſuæ. Ita & L. Paulus leuare volens mœrorem Perſei Regis, quem captiuum detinebat, fecit eum eiuſdem ferculi conuictorem, vt meminit Valerius. Dominus ipſe rerum Chriſtus Principes tantùm, ſcilicet Apoſtolos, ſacræ Cœnæ fecit conſcios; ita ſuæ menſæ regiæ dignitati optimè conſulturus. Nec Chriſti Cœna decus ſuum traxit ab Apoſtolis inde veſcentibus; at ſecus

Mos Hebræorum. Reges ad menſam ſuã excipiunt tãtum viros emeritos.

Quoſnam Dauid ad ſuã menſam exceperit. *2. Reg. 19.*

Mos Chaldæorum. *4. Reg. 25.*

Mos Romanorum.

Suet. in Veſpaſiano

Idem. in Auguſto.

Qua induſtriã Opilius Macrinus in epulis gulã compeſcebat.

Iul. Capitol in Opilio Macrino.

Idem. in Caligula.

Valerius Max. lib. 5. cap. 1.

illis hæc Domini menſa magnum gratiæ, & gloriæ contulit incrementum. Quippe ſuos conuictores ita affatus eſt Chriſtus. *Ego diſpono vobis regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Hoc honore menſæ Chriſti maximè adſtruitur ſtatus eminens diſcipulorum Chriſti, quia vt argutè Theophylactus ait. *Qui cum Rege cœnant videntur omnibus eminere.*

Ex profeſſo Pollux recenſuit epitheta hominis digni conuiuio: ſcilicet vt ſit συμποτικὸς, ἐυμενὴς, ἀξιοκοινώνητος, κοινωνικὸς, συνουσιαστικός. Id eſt, *ad hominum ſocietatem facilis, & proclinus*, ἀστεῖος, εὐάρμοστος, ἐμμελής. Id eſt. *Vrbanus, aptus ac decoris moribus inſignis*; vnde & refellitur ἄγροικος, βαρὺς, φορτικὸς, ἐπαχθής. Id eſt, *agreſtis, grauis, durus, odioſus, importunus.* Dignitas item menſæ petit, vt ſit conuiua ἐπιεικὴς καὶ εὐμενής. Id eſt, *Mitis, æquus, manſuetus, ciuilis, moderatus*, non ſuperbus, arrogans, ſuſpicioſus, iactator ſit. Humanus, non nimis altum ſapiens. Honeſtus, & probus, non nimiũ rebus ſeriis gaudens. Qui præterea dici queat apertus, & ingenuus in dicendo. Non fictus, perſonatus, & diſſimulator. Denique conuictor ingenuus erit ſuis omnibus numeris abſolutus, ſi dotes iſtæ omnes eum afficiunt. Videlicet vt ſit φαιδρὸς *hilaris*. Tenui atque frugali victu contentus. Congruunt hi tituli omnes cautelis, quas Gellius, Varro, & Cœlius Rhodiginus à conuiua petunt, vt ſint conuiuia ſarta tecta, & nequid ebulliente cibo, in viſcere oppleto fiat epulis indecorum.

Diceres ex compoſito fuiſſe dictata illa epitheta, vt ad eorum trutinam ſe aptarent homines ad Chriſti Cœnam votis omnibus anhelantes. Primò petit Pollux ſociabiles homines, ne ſi agreſti, & inculto animo inuitati conueniant, Cœna cedat in rixas, odia, ſimultates. Et hæc cautela fidelibus à Chriſto indicta eſt, dum præcepit conuiuis, ſi memores eſſent acceptæ alicuius iniuriæ, relinquerent munus ad altare, & læſæ concordiæ iura deperdita repararent. Nempe panis Chriſti, filiorum eſt, & non canum qui ſe morſibus lacerant, & conſumunt. Rurſus ex Polluce conuiua mitis, atque manſuetus requiritur, vt ea qua par eſt comitate fiat Cœna. Chriſtus lotione pedum facta in Cœna, humilis animæ ſpecimen inſigne dedit, ſuo hoc exemplo ſollicitans animas, vt ſui nihili conſciæ deponant omnem faſtum, ad ſacras epulas acceſſuræ. Præterea requiritur in bono conuictore, vt ſit ingenuus & apertus in dicendo; quippe fuci periculum eſt, vbi ambages obumbrant eloquia, ſuſpectaque fides eſt hominis, cuius ſermo totus conditur inuolucris. Canones ſancti clamant ſimile quidpiam obſeruandum ab his, qui ſe accingunt ad Cœnam Chriſti. Nempe ſonant ſacra edicta viros, quos cupido tenet menſæ ſacræ debere ſe aptare ad hunc diſcubitum præuia confeſſione, nuda & aperta, quia fucata confeſſione homo proditur infidelis.

Vltima demum conditio, quam magnifacit Pollux, eſt, vt conuiua ſit hilaris, cuique ſatis ſit tenuis & facilis victus, neceſſitati litans, & non auidæ voluptati. Has cautelas exhibet ille, qui gratia Dei conſpicuus circumfert

Luc. 22.

Qualitates neceſſariæ ad hoc vt quis conuiua bonus eſſe cenſeatur. *Pollux.*

Gellius ex Varrone l. 13. cap. 11. Cœlius lib. 30. c. 36.

Conditiones animæ meditantis acceſſum ad Euchariſtiam.

Concordia requiritur ad communionem.

Humilitas præuia ad communionem.

Confeſſio nuda & ingenua præire debet Euchariſtiæ.

Gratia requiſita in communicante.

animam Deo addictam, hancque prodit ore compoſito in congruam ſuæ animæ venuſtatem. Tenui autem victu æquo animo leuare inediam & ore patulo haud quaquam anhelare dapes, perinde eſt ac ſolam animæ ſalutem conquirere in Euchariſtia, & non ſuaues delicias, quæ quandóque titillant animam, Dei illapſu dulciter ineſcatam. Et reuera plerumque deſipiunt multi incauti homines, qui repurgata quidem conſcientiâ accedunt ad Cœnam ſacram, ſed eo intento ſolo, vt experta ſuauitate mulceatur illorum anima, & hæc intentio reuocanda ad amuſſim, vtpote ſpuria, & minimè defæcata. Obiter perſtrinxi qualitates illas, quarum recenſio diffuſior pertinet ad ſecundam partem huius homiliæ, quæ ſibi hoc penſum indixit, vt congrua ſupellectile ornaret homines inuitatos ad Cœnam illam, cuius ipſe Dominus texuit apparatum.

Amiciſſimi homines ad epulas aduocandi. *Plutar. lib. 1. Symp. problem. 7.*

Præter has conditiones, aliam meminit Plutarchus nequaquam ſilentio prætereundam, vtpote ſitu digniſſimam. *Conuocare* (inquit) *ad conuiuium oportet, non quoſuis, ſed eos qui ſibi inuicem amiciſſimi, moribuſque ſimillimi exiſtunt: ſic enim ſuauiſſimè conuiuamur. Nam neque obſonium, neque vinum, neque vnguentum tanta dulcedine afficit, quantam conuiua beneuolus, atque commodus. Contra verò, neque nauigationis, neque contubernij, neque iudiciorum ſocietas, cum ijs, à quibus quis abhorret, tam odioſa eſt, atque moleſta, quàm victus communio. Coqui quidem obſonia ſua preparant diuerſa ex diuerſis humoribus: auſteris pinguia, dulcibus acria commiſcentes: at verò conuiuium gratum eſſe nequit niſi conſtet ex amicis.* Eo & ſpectant illa verba Horatij.

Horat. lib. 1. epiſt. ad Torquatum.

——— Vt coëat par,
Iungaturque pari.

Huius conſilij Lucullus adeò rigidus fuit, vt varia apud ſe triclinia haberent, ne conuiuarum diſcolor animus diſcordes faceret epulas, ſi omnes in vnam coirent Cœnam, vt Plutarchus ait. Vnde exploratis animis conuictorum, prudenter vnanimes, atque pares paribus adunabat. Illa obſeruatio ſuggerit bicipitem charitatem neceſſitatem omnino, ne quid prorſus incongruum ab hominibus in Cœna Chriſti Domini committatur. Vt namque talis ſit conuiua, qualem Plutarchus exigit, opportunè monens debere ſociari amiciſſimos, nihil omnino amoris deeſſe debet ei, qui vult in Cœna Domini conuiuari. Nullum autem erit in amore deliquium, ſi ſuas vnicuique vices rependat, Deo ſcilicet, & proximo. Ne quis ergo adblandiatur ſibi dicens, ſe Deo debitum pendere amorem, ac proinde ſatis ſupérque litatum amore; cùm totus ſit Deo rerum Domino mancipatus. Illa profeſſio amoris Deo deuincti ementita pietate labat, ſi non ametur & proximus: ille nimirum amor mutilus eſt, & hiulcus, qui proximum vti decet, non afficit. Hoc itaque ratum eſto, Cœnam Chriſti capere tantùm amiciſſimos homines, hos vtique quibus charitas abſoluta fuit cœlitus impertita.

Plutar. vbi ſupra.

Amiciſſimus quis dicatur.

Quænam perſonæ olim arcebantur ab epulis.

Erit vtilis in genere morum obſeruatio, quæ recolit perſonas, quibus aliquando fuit adeſſe epulis interdictum, vt vel ſic anima Chriſtiana ſe exploret, habeat nec ne quidpiam affine illis, qui à menſis illis opiparis turpiter arcebantur. Primæ occurrunt mulieres, quibus apud Græcos vetitum erat adſtare menſis inſtructis ad epulas. Vnde Rubrio petenti ab hoſpite ſuo Philodamo inter pocula vt filiam ſuam accerſeret, negauit illi hanc gratiam, vtpote propoſiti Græcorum tenax, vt Cicero commemorat. Morem illum fusè recenſet eloquentiſſimus orator Iſæus, maximè commendans illud inſtitutum, à lautiore menſa fœminas amouendi. Largiore namque Baccho, & pinguiore Cerere calet Venus plerumque mediis in ferculis ſua ſpirans incendia ſcintillantibus oculis, & obſcœnis ſermonibus, quibus lædi poteſt caſtæ matronæ pudor, & temerari candor virginis illibatæ.

Mulieribus olim vetitū in Græcia adeſſe epulis. *Cic. 3. Verrina.*

Iſæus oratione de Pyrrhi hæreditate.

Rem adeò probroſam cenſuere Græci, mulieris diſcubitum in epulis virorum, vt lege lata ab Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano, ſufficiens argumentum repudij marito fuerit, habere coniugem ſe inuito cum viris ſæpius epulantem. Ecce legem. *Vir quoque pari fine eludetur, nec licebit ei ſine cauſis apertius deſignatis propriam repudiare mulierem. Nec vllo modo expellat niſi adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut ſepulchrorum diſſolutricem, aut ex ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, aut latronum fautricem, aut extraneorum virorum, ſe ignorante, vel nolente conuiuia appetentem.* Romanis in more etiam poſitum fuit à ſuis conuiuiis procul virgines amandare. Cuius inſtituti Varro rationem hanc ſubdit. *Virgo de conuiuio abdicatur ideo, quòd maiores noſtri virginis acerba aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* Rigidior adhuc fuit Parthorum ritus ex Cœlio Rhodigino: nempe ſuis vxoribus non interdicebant epulis tantùm, ſed & virorum aſpectu, ne aliquale ſubſternum ſeſe inſinuaret epulis Veneris argumentum.

Repudij cauſa. Mulier olim potuit repudiari reperta conuiuari cū viris.

EX IVRE CIVILI. *Lege. 3. §. Vir. Cod. De Repudiis l. 5. tit. 17.*

Varro apud Muretum. l. variar. lectionum. Romani virgines ab epulis arcebant.

Parthorum & Perſarum mos in epulis. *Cœlius l. 28. c. 5.*

Ad hunc acceſſere ritum Perſæ, qui, Iuſtino auctore, ſuas coniuges amouebant ab epulis: ſed ne quid luxuriæ deeſſet menſis in fœdam libidinem compoſitis, pellices inducebant. Has namque iuris eſſe publici dicebant, ac proinde aptas, quæ in aperto conuiuio, ſuas etiam agerent partes, ſeſe omnibus explicantes. Macedones conſulturi ſuarum coniugum pudori integro, inaſpectas voluerunt eſſe menſas illis; vxoribus, & maritis ſeorſim veſcentibus; & malè ceſſit Perſis violaſſe morem Macedonum. Quippe, vt auctor eſt Herodotus, Amyntas Rex Macedonum cùm lautè excepiſſet legatos ſeptem Darij Regis Perſarum ab eis rogatus eſt, vt adſtantium Macedonum vxores ad inſtructas epulas inuitaret. Cunctatus eſt primò Amyntas annuere votis iniuriis inſtituto regni. Sed Perſis eum vrgentibus, & non probantibus rationem à Principe Macedonum allatam, qua videlicet affirmabat temerari iura regni, quando conuiuiis virorum præcipuè exterorum coniuges admouentur. Perſis inquam obnixè rogantibus, vt daret hoc priuilegium precibus hoſpitum, quos regio epulo dignabatur. Amyntas vel inuitus patrium morem irritum fecit, ne cauſarentur Perſæ ſe repulſam paſſos.

Iuſtin. l. 4.

Macedonum mos in epulis.

Herod. l. 5. Amyntas Rex Macedonum Perſas in epulis obtuncat, & quare.

Itaque

Itaque introductæ ſunt in medium conuiuium eleganti ſpecie fœminæ Macedones, iuſſæque iuxta ſingulos quoſque Perſas molliter aſſidere. Legatis placuit quàm maximè comitas illa Macedonum; vtque calente vino Venus æſtuat, Perſæ crapula ſtimulante in libidinem fracti cœpere ſinum diſcumbentium fœminarum turpiter attrectare. Quod vt aduertere viri adſtantes, amouerunt inde ſuas vxores, & dixere Perſis, pulchriores longè parari mulieres, iamiam in medias epulas inducendas. Itaque æquo animo tulere Legati abduci fœminas, quarum cupidine accenſi impotes ſui erant, eos lasciuiente Venere titillante. Macedones vlturi iniuriam factam ſuis vxoribus, induxere iuuenes maſculos vultu egregio, & nulla lanugine obductæ: hos muliebri veſte ornatos, & ſubtus pugione armatos ſuffecerunt in locum mulierum, quas recenter amouerant. Perſæ vt nimium creduli, & ſpecie iuuenum capti, luxuriæ ſtimulis impares fuerunt in oſcula, & amplexus, quaſi vim facturi illis fœminis introductis. Non tulere petulcos animos iuuenes illi pudibundi; namque exerto pugione ſalaces homines in flagranti delicto ſuam tutati pudicitiam illico confoderunt.

Luxuria flagrans punita.

Prælibati ritus morale obſequium præſtant argumento quod verſamus. Nempe fœminarum nulla prorſus mentio fit in Cœna Domini. Nempe ſacramenti corporis Chriſti inſtitutio facta eſt diſcumbentibus Apoſtolis cum Domino, quem eſto frequentes fœminæ ſanctæ ſtiparent, etiam euntem in deſertum; nulla tamen in Cœna ſacra ſcribitur aſſediſſe. Suſpicor eſſe inibi myſterium, & hoc pertinens ad modum, quo frequentari decet ſanctum conuiuium in gratiam hominum cœlitus inſtitutum. Totus rei cardo vertitur in hoc, vt anima futura compos diuini huius epuli exuat omnes muliebres animos, ſeque virilem præſtet, egregias actiones fortiter exantlando. Præco verbi Dei, habes hic locum eximium ſugillandi hominum mores compoſitos magis in muliebrem indolem, quàm virilem. Verbi gratiâ, fœmininum eſt, & viro indignum, ſuperfluam habere curam veſtium. Fœminam ſapit curare cutem, criſpare crines candente ferro, & ad multam diem pectere comam ſuaueolenti puluere candicantem. Quotidie epulari, comicis adſtare ludis, noctes inſomnes agere in choreis, & alto dormire Sole, redolet inglorios fœminæ ritus, corda ſanè maſcula dedecentes. Quiſquis ergo cupit conſcribi inter conuictores Domini, is proſcribat omnes incongruos fœminæ mores, & ſe accingat ad generoſam virtutum omniũ praxim: nullo namque modo maré ſe prodet, abdicato prorſus omni opere fœminino.

Chriſtiani, qui muliebri ſunt animo, arcentur à Cœna Chriſti.

Seruis olim vetitum adeſſe conuiuiis.

Præter fœminas olim vetitas adeſſe conuiuiis, eadem & lex dicta fuit ſeruis, quibus epulis intereſſe nefas fuit, niſi manumiſſi eſſent, quos Tertullianus ita commemorat. *Atqui & veſtis alba honore, & annuli aurei nitore, & patroni nomine, & tribu, menſaque honorantur.*. Lex illa conuiuij, ſemouens ſeruos communis fuit æquè Græcis, & Romanis, qui certis tantùm feſtis ſuos ſeruos inſtructis epulis admouebant. Athenæus ait in Saturnalibus Græcos, & Romanos feciſſe ſuis ſeruis copiam menſæ luculenter inſtructæ, ita vt illa die promiſcuè dominus, liberi, ſeruique diſcumberent. Cretenſes in Mercurialibus hanc & gratiam epuli communis ſuis etiam ſeruulis indulgebant, Trœzeni menſe Geræſtione, & Babylonij in feſto Saceam, credidere ſacra ſua ſarta tecta, ſi ſeruos lautè exciperent, eiſdem ac dominos ferculis honoratos. Theſſalij in Peloriis, & Spartani in Hyacinthiis ea profuſione ſuas ſtruxerunt epulas, vt earum dignatione tunc ſeruos affecerint, quos alioquin toto anni decurſu voluere procul eſſe à menſa ornata, vtpote quæ ſit teſſera libertatis. Quodque magis Cœnæ ſacræ inſtituto litat; ſpeciali edicto cauit Deus, ne mercenariis copia fieret edendi Paſchalem agnum. Quòd ſi ſerui emptitij vellent gaudere iure conuiuij huius ſacri, lex illa vetus ad ſubeundum circumciſionem eos citiùs obſtringebat. En decretum. *Hæc eſt religio Phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem ſeruus emptitius circumcidetur, & ſic comedet. Aduena, & mercenarius non edent ex eo.*

Tertull. lib. de Reſurrectione carnis.

Serui quãdo ad dominorum epulas. *Athenæus lib. 14.*

Mos Græcorum Romanorum. Trœzeniorum & Babyloniorum.

Seruis prohibitum edere paſchalem agnum niſi eſſent circumciſi.

Exod. 12. Alienigena prohibitus comedere agnum paſchalem.

Quid voluerit inde Deus ſuggerere, res haudquaquam eſt alti ſcrutinij: quippe Dei intentum ipſa ſeruitutis nomenclatura prodit. Deus enim odit ſeruitutem illam, quam peccatum inuexit, & in quam vbi anima incurrit vitiis obnoxia, libertate cadit neceſſariâ conuictoribus Chriſti, quos non patitur menſa hæc diuina, ſolis hominibus liberis apparata. In cuius rei fidem Iudas auro deſeruiens, & proinde vile diuitiarum mancipium, ſurrexit à Cœna ſacra, dæmone ſubeunte animam eius, poſt buccellam, diſcipulis aliis vſque ad finem Cœnæ ſedentibus in menſa illa ſancta neſcia ſeruitutis. Quiſquis igitur acceſſum meditatur ad menſam Chriſti, is ſe luſtret ſedulò, & attenta indagine exploret, vitij alicuius ſeruus ſit necne, vt ſibi conſulat iuxta tenorem legis, quæ decernit circumciſionem ſeruo emptitio, vt innoxiè paſcatur agno Paſchali, cum domino ſuo, & liberis epulando. Sumus omnes ſerui emptitij, vtpote empti pretio magno, videlicet ſanguine Chriſti: ſi qua ſors ingloria vitij affricti diminuti capitis reos fecit, libertatis iura demens; è re noſtra eſt, citò citius circumcidere obices omnes, qui beneficium Cœnæ Domini remorantur.

Eſto colophonis inſtar ille ritus Hebræorum, Græcorum, & Romanorum, apud quos omnes pueris ingenuis liber aditus fuit ad epulas, & id nemine reclamante. Philo conſcius arcanorum ſuæ Iudæorum Gentis ait, pueros fuiſſe admiſſos ad Paſchale conuiuium. Vernaculas etiam epulas fuiſſe iſtis ætatis huius innoxiæ liquet ex Dauide, qui in benedictionibus vitæ ponit conuiuium, vbi videre eſt ſimul maritum, vxorem, & liberos aſſidentes. Ita regius ille Pſaltes occinit. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui, ſicut nouella oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Reuera facit partem beatitudinis tale conuiuium, vbi concors diſcubitus vtrumque parentem, & liberos communi ferculo recreat. Athenienſes credidere, conuiuia erudiendis eſſe liberis idonea: ideòque pueros frequentes adeſſe voluerunt epulis, vbi Athenæus ait eos cœpiſſe cibum πρὸς τεταγμένον νόμον, id eſt, ad certam ratamque legem, vt vel ſic vegetior animus intenderet iis, quæ inibi dicebantur. Clemens Alexandrinus & ipſe Græcis morem illum probat adhibendi pueros præſentis

Hebræi, Græci, & Romani pueros ſiuerunt adeſſe epulis. *Philo lib. 3. de vita Moyſis.*

Pſal. 127.

Athenienſes cibum pueris dabant ad pondus. *Athenæus lib. 5.*

Clemens Alexand lib. 2. pædag. c. 8.

epulis, vt à teneris vnguiculis ſiſtantur parentum oculis, & cenſuræ. Illic enim diſcunt geſtus componere, & frugalem inire vitam, quia parens nihil ab eis fieri patitur indecorum.

Suetonius in Claudio.

Romanis etiam fuiſſe morem illum familiarem Suetonius abundè refert dicens, Claudium Imperatorem, quotidianæ Cœnæ ſuæ liberos omnes adhibuiſſe. Profectò ritus ille maximè conducit ad Euchariſtiā, modis cōgruis adeundā. Namque nihil magis idoneos facit homines ad hoc ſacrum myſterium, quàm puritas, indiuidua comes puerilis ætatis, puer quippe dicitur ſic à titulo puritatis. Eamobrem Petrus Apoſtolorum apex ſollicitans homines ad apparatum Deo dignum, præcipuum pietatis ſpecimen ſumpſit ab ea puritate, quam præfert infantia. Ecce dignam Apoſtolorum Principe parænesim. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones: ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite; vt in eo creſcatis in ſalutem: ſi tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Ne quis in eo textu ſuſpicaretur inſulſam pueritiam mentis expertem; Petrus ait, rationabile lac pertinere ad illam infantiam, cuius mores oratione ſua præfata ſuggerit imitandos. Et ne anima cupida ſacrorum in electione nutet, Petrus puritatem infantium duplici capite concludit. Quorum primum ad Deum pertinet, & notatur his vocibus. *Deponentes omnem malitiam:* nempe malus ille dicitur abſolutè, qui ſummo bono caret, videlicet Deo, cuius oppoſitum malum eſt abſolutè malitia & peccatum. Alterum puritatis membrum ſpectat ad proximum, cuius amor læditur iniquo animo verſante dolos, vel ore detrahendo famæ illius, vel opere ſimulando affectum, & damna contrarijs actibus inferendo. Quibus omnibus diſpendijs abundè conſulitur illa oratione Petri petentis ab infantia qualitates idoneas, vt Chriſtiani ſe aptent ad Cœnam illam magnam, cuius Dominus ipſe Chriſtus deſcripſit ſermone typico contexturam. Et reuera compendioſo Petri eloquio concluduntur omnes hæ cautelæ deſumptę à pleriſque hiſtoriis, & multarum Gentium ritibus obſoletis. Verbi gratia dixi vicinos probos, & amiciſſimos homines inuitandos ad ſolennes epulas, iuxta vetus inſtitutum. Petrus hac cautela, ſuccincta conciliauit homini ſententia, dicens eſſe deponendam omnem malitiam, ſine dolo. Sed ne præcoci diſcurſu anteuertam argumentū ſecundę partis huius homilię, cuius penſū erit diſcutere apparatū, quo debent eſſe conſpicui conuiuæ Chriſti, superſedeo; facturus ibi ſatis pietati eorum, qui anxiè deſiderant ſcire, quo ornatu debent eſſe conſpicui, ne à Cœna Chriſti turpiter excludantur.

Puritas puerorum neceſſaria ad Euchariſtiā digne accipiendam.

1. Petr. 2.

Puritas animæ pen e quid attendatur.

Euchariſtiæ qu[a]nam ſint compotes.

MAGNIFICENTIA COENAE Chriſti attenditur etiam ex numero eorum, qui ad ſacras epulas inuitantur.

§. II.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Tres tantùm vocati ad conuiuium.

VT præcipuæ quæque deliciæ epularum huius mundi præſtitutos habent fines, ita & minimè ſufficiunt omnibus; ideoque prudenter, & cautè diſpenſari ſolent, ne quod pluribus impenditur, diſcreto numero ſubtrahatur. Eò reſpexere primi epularum inſtructores, quando præſcripſere metas conuiuiis, decernendo numerum conuiuarum, qui vt diſcolor eſt rerum omnium vſus, ſæpe ad arbitrium hominum, & diuerſo tempore variauit. Gellius ait, priſca, conuiuia, vt parca, fuiſſe numero concluſa ternario, quia numerus ille ſacer erat gratiis. Vndę quia vocari ad conuiuium gratia eſt; tres tantùm vocabantur ad menſam, vt ſic opportunè gratiarum numero litaretur. Inde fuit deductum nomen triclinij, quia tres tantùm lecti ſternebantur in vſum conuiuij. Lege Faunia cautùm, ne priuata conuiuia plures tribus haberent conuiuas, quę poterant eſſe quini, ſi publicæ forent epulæ, vt Macrobius eſt aſſertor, cui & adſtipulatur Athenæus commemorans hos Poëtæ Archeſtrati Syracuſani verſus ex Græco idiomate ſic redditos.

Gellius l. 13. c. 11.

Triclinium vnde dictum.

Macrob. l. 3. Saturn. c. 17.

Athen. l. 7.

Cœnare vnà omnes homines hinc diuite menſa,
Atque adſint illi vel tres, vel quatuor omnes,
Non plures vel quinq; foret nam Cœna parata
Militibus, rapidè promptas rapientibus eſcas.

Conuiuæ, tres, quatuor & quinque.

Huc & ſpectant iſti verſus epulonis Horatij, qui vt conuiuiis aſſuetus erat, probè callebat numerum conuiuarum. Sic ille.

Horat.

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multùm diuerſa palato.

Aliis placuit ſeptenarius numerus vt Palladi ſacer, quam virginem dixit priſca Gentilium Theologia. Fuit autem numerus ille ſeptenarius Palladi addictus, quia nihil omnino parit ex ſe, quod duplicatum queat coaceruari intra cancellos denarij. Eamobrem multi conuiuis ſeptem ſuas epulas inſtruxerunt. Et hinc effluxit adagium quod recolit Iulius Capitolinus. *Septem conuiuium, nouem conuitium.* Numerus ille ſeptem conuictorum maximè arriſit Agamemnoni, qui celebres acturus epulas ſex tantùm, & eos præſtantiſſimos Græcorum adſciuit, quibus Menelaus ſeptimum ſponte ſua ſe adiecit. Septenario ternarius appoſitus denarium facit, quem exceſſiſſe nefas fuit Græcis auctore Euſtathio, qui Homerum laudat inducentem Sympoſiarcham diſponentem epulas in decades, ratione forſan habita denarij numeri, qui dicitur à Proclo congruo nomine circularis. Quippe finis atque principium eſt cuiuſque numeri. Principium quidem, quia reſolutus denarius deſinit in vnitatem, à qua omnes numeros auſpicamur. Finis verò, quia vltra denarium non datur aliqua progreſſio.

Septenarius quare Palladi ſacer.
Conuiuæ olim ſeptem.

Iulius Capit. Lucio Vero Imper.

Denarius numerus in epulis.

Ioſeph. l. 7. de bello Iudaic.

Ioſephus ait arriſiſſe & Iudæis hunc numerum, quem præſertim mos fuit illis vſurpare in conuiuio agni Paſchalis, vbi deni, & quandoque viceni illâ hoſtiâ paſcebantur. Non eſt ſilentio inuoluenda celebris illa Auguſti Cœna dicta δωδεκάθεος, in qua duodecim conuiuæ, Deorum habitu, menſæ Principis aſſederunt. Rem fusè meminit Suetonius. Plato viginti & octo conuiuas coire voluit, quia tot diebus Luna totum zodiacum decurrit; ideoque ſacrum quidpiam ſuſpicatus eſt Plato in illo numero, quem fecit ſuo albo calculo venerandum. Ridiculus planè fuit portentoſus ille Imperator, nomine Heliogabalus, qui, auctore Lampridio, cogebat ad epulas octo caluos, octo luſcos, octo podagra tumente malè affectos homines, octo ſurdos,

Cœna δωδεκάθεος quæ nam fuerit.
Suet. in Aug.

Plato quare voluit adhiberi. 28. conuiuas.
Plato l. de leg.

Heliogabalus in epulis octonario numero delectatus.
Lampr. in Heliogabalo.

octo

octo raucos, octo inſigniter longos, octo præpingues & obeſos, & octo naſutos, dicebat enim ſe probare Græcum illud adagium, ἅπαντ' ὀκτώ. Id eſt, octo ſunt omnia.

Numerus eſt mens rerum ex Pythag. Plutarc. l. de placitis Philoſoph.

Quare veteres multi fuerint in numeris, ratio petenda eſt à Pythagoreis, qui dixere rerum omnium mentem eſſe numerum, vt Plutarchus ait. Non vna tamen fuit idea conuiuij; cùm ex præfatis minimè conſtiterit apud omnes de numero conuiuarum. Numerus omnis aſſignatus epulis detrahit magnificentiæ illarum, quia vel ciborum inopiam notat, vel illiberalem animum hominis inuitantis. Idcirco Principes edituri ſpecimen aliquale ſui liberalis ingenij ad inſtructas opiparè epulas omnes vltrò homines inuitarunt. Ita crebrò Conſules Romani, vt & Aſſuerus promiſcuè dignati ſunt celebri conuiuio omnes, quibus animus fuit illis epulis aſſidere. Placuit ille ritus Chriſto, in argumento ſacræ Cœnæ, cuius profectò typus fuit illud ſolenne conuiuium, vbi Dominus iſte modico pane ampliato multa hominum millia ſatiauit. Plinius magni facit epulas illas, quibus ſemel Pompeius mille viros opiparè excepit. Sed hæc quid ad ineffabilem ferè numerum hominum, quos Chriſtus quotidie ſaginat opimo pane ſui corporis, quod diuina in menſa proſtat iis omnibus, qui accedunt pectore repurgato. Itaque ſi delectant conuiuia, quid moramur: Chriſtus nos vſquequaque vocat, neminem prorſus excipiens, dummodo aptetur ritu, qui placeat Domino, qui cœleſtes illas homini dapes inſtruxit, quibus abundè anima ſatiatur.

Pompei epulæ magnificæ. Plin. l. 33 c. 10.

Cœnæ Chriſti typus egregius. Prou. 9.

Prodigâ ſanè manu fercula Cœnæ Chriſti fuere diſpoſita, nullo planè numero conſcripto, vt fiebat olim à Nomenclatore, cuius erant partes attendere, ne quis paraſitus furtim accumberet. Splendidæ Cœnæ Chriſti Salomon ſpecimen edidit hoc contextu. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Quæſo memor eſto vocari paruulos, non quidem illos, quos infantia facit expertes ſapientiæ, ſed hos quibus ſeſe gratia deſuper inſinuans affinxit ſingularem animæ puritatem. Et ne aliis ſibi malè conſciis præcluderetur aditus ad menſam illam omnibus inſtructam, eadem illa ſapientia ſollicita de ſalute omnium hominum, locuta eſt inſipientibus, ſuggerens qua cautione queant fieri participes ſacri conuiuij, cuius copia fit eis, qui deponunt vilia quæque crepundia deſipientis infantiæ. Ille Sapientiæ affatus homines vrgens ad epulas celeberrimas pertinet etiam ad ſplendorem conuiuij: quippe fuit facta maturè, & multis antè ſæculis, præcedentibus ſtructuram Cœnæ.

Infantia dupliciter accipitur.

Inuitatio quæ Sybaritarū ad epulas. Plutarc. in conuiuio ſeptem ſapientum.

Hoc inuitandi ritu Plutarchus ait Sybaritas probaſſe ſuas fore ſplendidas epulas: namque ſuos conuiuas ante annum, & præſertim fœminas inuitabant. Illæ nimirum non incultæ volebant adire lauta conuiuia: at dum mulieres aptantur, & comuntur, annus eſt. Sapientia Dei conſultura ſuis conuiuis, mille circiter annis ante Cœnam Chriſti, recenſuit illam menſam pane ſingulari ornatam, vt & poculo defæcato; ſic prouidens & decori menſæ, & ſaluti hominum, qui cœlitus inuitantur.

Inuitatio ad Eucharistiā eſt cœleſtis.

Diuerſi modi conuiuas inuitandi.

Dixi cœlitus inuitari homines ad epulum hoc ſolenne: nempe quouis modo ſpectetur formula conuocandi ad Euchariſtiam, illa ſonat quid diuinum, & equidem affine ritibus inuitandi primitus inſtitutis. Siquidem omnis inuitatio fiebat immediatè, vel mediatè. Immediatè vocare proceres, & magni nominis epulones, in more poſitum fuit, & id in honoris præcipui referendi inuitato maximum argumentum. Ita Regina Eſther Aſſuerum Regem, & Principem Aman rogauit ad epulas, arbitrata pro dignitate Regis eſſe è re ſua, rogare illum nullo interpoſito medio vocatore. Si mediatè vocabantur homines, id fiebat obſequio miniſtrorum, qui ex Athenæo dicebantur κλήτορες, δειπνοκλήτορες, id eſt, vocatores ad Cœnam, vel ἐλέατροι παρὰ τῦ ἐλεος id eſt, menſa. Bifariam hi miniſtri ſuas obiere vices: ſcilicet verbo, aut ſcripto; verbo quidem, cùm voce referebant intentum eius, à quo miſſi erant, hominem illum ad inſtructa fercula rogaturi. Scripto verò ſuas agebant partes, quando conuiuatoris literas explicabant. Præfati omnes fuere modi vſurpati à Deo, vt cogeret homines ad menſam ſuam. Etenim Chriſtus immediatè ſuos diſcipulos & vocauit, & refecit; ita dignatus homines eo honore, qui tantùm defertur æqualibus, aut maiori. Verbi gratiâ, Abraham occurrens tribus Angelis & ſuſpicatus in eis diuinam indolem, ad opimas epulas immediatè vocat, eorum pedibus aduolutus. O magnam ineffabilemque Dei dignationem! Chriſtus ad diſcipulorum pedes aduoluitur in inſtitutione ſacri conuiuij, vbi panem ipſe viuificum diſtribuit Apoſtolis, quos ipſe nullo adhibito nomenclatore antea congregarat.

Eſther 5.

Nomina eorum qui inuitabant. Athen. l. 4.

Geneſ. 18.

Si verò res eſt de miniſtris; Dominus ille cauens ſaluti hominum; ad quam maximè conducunt illæ epulæ, vocatores præcipuos adhibuit, ſcilicet Apoſtolos. in quibus Petrus, Paulus, Ioannes, Iudas, & Iacobus, voce, & ſcriptis Epiſtolis homines inuitarunt. Sicque liquet, nihil omnino prætermiſſum à Chriſto in gratiam hominum, vt conſulendo bono ipſorum, cœleſtes etiam epulas efficeret ſuis numeris omnibus abſolutas. Plutarchus recolens inuitandi morem, vſurpat verbum κατεγγράφειν, quod perinde eſt, ac deſcribere; quia plerumque vocatores, quorum muneris erat rogare vocandos, demandatam hanc ſibi prouinciam obibant recolendo ex ſcheda nomina conuictorum. O vtinam, piè lector, tuque & ego ſimus illo ritu rogati ad epulas Chriſti: ſintque nomina noſtra ſcripta in cœlis, vnde petenda eſt ſcheda notis inuſta Beatorum, quos gloriæ æternæ opima fercula ſatiabunt! Quia conſcribi in libro vitæ beneficium eſt gratiæ ſingularis, homini præſtitæ ante editionem eius; tale donum non cadit in humanum negotium, ſed ſola vota ſuperſunt; quibus tantùm ad hoc diuini amoris pignus ſinitur anhelare. Illa tamen meditatio recenſita prodeſt, & vnicuique licet benè ominari ſibi, vt nihil committat indignum gratiâ illâ, quam ſortitus eſt conſcriptus in beatorum albo, ex mera gratia Domini miſerantis.

Plutarc. lib. ſympoſ.

Conuictores in ſcheda ſcripti.

Vna ſupereſt animaduerſio non ſilenda: videlicet eos, qui menſas opiparè inſtruxerant, ſolitos fuiſſe vrgere inuitatos, & quandoque inuitos trahere ad menſam manu iniecta in penu-

Cōuiuæ aliquando coacti ad epulas.

lam, vt hoc importuno more liqueret amor, cuius tale fuit creditum argumentum. Locuples in Cicerone locus extat, commemorans illum inuitandi modum. Ille nimirum de Varrone loquens. *Venit*, inquit, *ad me, & quidem id temporis, vt retinendus eſſet. Ac ego ita egi, vt non ſcinderem penulam. Memini enim tui, & multa erant, noſque imparati. Quid refert? paulò poſt Capito, cum T. Carinate. Horum ego vix attigi penulam, tamen remanſerunt.* Illa beneuola coactio ad epulas ſic effertur apud Apuleium. *Iniecta manu firmiter aliquem ad epulum trahere.* Noluit Chriſtus & hunc deeſſe ritum ſuo conuiuio, quia cùm audiſſet à miniſtro nomẽclatore, plures ex vocatis cunctante veſtigio, non duntaxat feciſſe moras, ſed rogaſſe vt haberentur excuſati; protinus hunc miniſtrum denuo miſit, vt multò plures cogeret inuitatos. Quia pigmento Rhetorices non indiget illa parabola; præſtat eam ſinceram referre ex ore Chriſti, vt veridico hoc contextu, de Cœna nobis magnifica conſtet, & liquida ſit intentio Domini inuitantis, ſitque aperta amoris eius indoles, nec non & teſtata conditio hominum, qui ad ſacras epulas inuitantur.

Cicero l. 13. ad Attic.

Appuleius l. 2.

Luc. 14.

Ecce ſeriem hiſtoriæ, quam ſæpe ſæpiùs recenſere prodeſt, idque citra metum faſtidij, quia nunquam à me recolitur ſine noua obſeruatione, cuius commoda leuare queunt nauſeam textus antea recenſiti. *Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocauit multos. Et miſit ſeruum ſuum horâ Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: villam emi*, &c. *Et reuerſus ſeruus nuntiauit hæc domino ſuo. Tunc iratus pater-familias dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare.* Diceres hoc contextu vel inuitos etiam homines cogi ad ſacramentum Euchariſtiæ, ne incaſſum & fruſtra proſtet in Eccleſia pignus illud ſacrum diuini amoris, & gratiarum perpetua ſcaturigo. Cuius vt latices benefici iugiter influerent in animas fidelium, ſanxerunt Apoſtoli, ab Eccleſia eliminandos eos, qui ſacris aderant nolentes eadem participare ſacra. Et quia proceſſu temporis charitas intepuit, ac proinde ritus ille frequentis Communionis excidit; Pontifex Anacletus reſtaurauit illum morem priſcis Eccleſiæ ſæculis iuſtitutum En Canonem. *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.*

Cautũ olim ne quis adſtaret Miſſæ niſi in ea cõmunicare vellet.

EX IVRE CANONICO.

Can. Peracta. de conſecrat. diſt. 2.

Pontifex ille affirmans, crebram Communionem fuiſſe morem inolitum Eccleſiæ, ſatis ſuperque probat, Romanam Eccleſiam Deo afflatam nactam eſſe ſpiritum eius, qui illam inſtituit, ſcilicet Chriſti, cuius ingenium fuit omnibus ferè modis ad ſalutem quaſi cogere peccatores. Stante nimirum libertate arbitrij, tanta induſtria Deus illexit animas ad præparatas eis epulas, vt hac amoris arte deuincti coïerint ad Domini menſam infiniti propè ſacri huius ferculi conuictores. Imò quotidie Chriſtus per ſuos internuntios compellit homines ad hanc menſam: quoties enim prædicator è pulpito ſollicitat homines, vt compotes fiant ſacramenti huius præcipui; toties ipſe Dominus vrget animas, vt ſuo ipſius corpore, & ſanguine vegetentur. Quodque fiduciam magnam conciliat hominibus olim vitiis omnibus obnoxiis; prouidus ille parens animarum, omnibus ſuas explicat epulas, vtpote in illas, pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos ſanciens introduci. Illa comitate Deus animos addit fidelibus pœnitentiæ candidatis, ne memores aliquando ſui deliquij cunctentur cum Domino diſcumbere: eo ſic intempeſtiuo metu, magno diſcrimine animæ, ab hoc ſalutari ferculo defraudati.

Pœnitentib᷒ vnde fiducia accedẽdi ad ſacram Euchariſtiam conciliétur.

Prædicator erudite, prudenter attende Dei conſilium, & excita auditores ad crebrò repetendas epulas, quibus adeſſe ſicut decet, profectò viuere eſt. Dixi proficuas eſſe dapes eis, quibus animo inſedit adeſſe ſicut decet; alioquin, præco verbi Dei, inculca procul amandari ab hac menſa homines imparatos. Quos non erit incongruum comparare ſycophantis, tabulis, paraſitis, muſcis, vmbris, & coruis, videlicet hominibus flocci, & nequam, qui ſeſe epulis inſinuant, licet à nemine conuocati. Dicitur paraſitus homo anhelus in cibos ἀπὸ τῦ παρὰ, id eſt, apud, & σιτίον, quod cibum ſignificat. Quiſquis non vocatus & conuiuio indignus aſſidet, paraſitus congruo nomine nuncupatur. Hos Heliogabalus malè aliquando excepit, vt auctor eſt Lampridius: etenim ſi quando deprehendiſſet huiuſmodi homines helluones ſe immiſcentes epulis, illos in vnum triclinium coactos paſcebat eſcis fictilibus, marmoreis, ligneis, & cereis, referentibus ideam dapum, quæ apponebantur menſæ Principis epulantis. Illa ſanè ſors iniqua manet omnes, qui impudenter accedunt ad ſacram Euchariſtiam; ſiquidem quando dapes illas ſanctas viſcere impuro excipiunt, ad ſuam ipſorum perniciem corpus Chriſti degluttiunt, nam in eorum pectore lapideſcit.

Quibus nominibus vocétur homines, qui non inuitati ſeſe epulis inſinuant.

Paraſitus quid ſignificet.

Paraſiti quo modo puniti ab Heliogabalo.

Lãpr. in Heliogabalo.

Non erit abs re coronidis inſtar meminiſſe moris peruetuſti Parthorum, quorum inuitati à Rege proni in terram veſcebantur eſcis à Principe iactis vt canibus. Ait enim Athenæus, illos more canum ſub Regis ſolio victitaſſe. Hoc nempe ſonat vox illa Græca κυνηδὸν σιτεῖσθαι. Eodem faſtu tyrannus Adonibezech ſeptuaginta Reges ſub menſa ſua pauit ingloriè, ſummitate pedum & manuum miſerè decurtatos. Valerius ait Athenienſes in vindictam iniuriæ acceptæ ab Æginetis, iuuenes eorum iure belli captos hac mulcta affeciſſe. Pollices eorum abſciderunt vt ſic eſſent inutiles bello, & more canum coëgere micas colligere decidentes è menſa, vt ſic vitam agerent in ærumnis, & deteriorem morte ciuiliſſima. Quod fuit inglorium populis canino more veſcentibus ſub menſa Principum, illud eſt glorioſum Chriſtianis meditantibus acceſſum ad menſam Chriſti, cuius copia præcipuè fit paruulis, id eſt humilibus, vt antea prælibaui. Illo apparatu humili Chananæa Chriſtum demeruit, ſe profeſſa canem, nihilque niſi micas filiorum dicens appetere. Vnde & meruit habere Chriſtum encomiaſten, ita vt è ſtabulo canum euecta ſit in ſortem filiorum Dei, humilitatis obſequio.

Athen. l. 4.

Parti qua humilitate paſcebantur ad mẽsã Regis.

Crudelitas Adonibezech *Iudic. 1.*

Val. Max. l. 9. c. 2.

Athenienſiũ crudelitas in Æginetas.

EX HISTORIA.

Egnatius l. 6. c. 2.

Concolor eſt huic hiſtoria Danduli Oratoris Venetorum apud Clementem Pontificem, quem Veneti grauiter offenderant. Legatus ille induſtrius, qui apud ſe propoſuerat omnia dura experiri antequam indonatus è curia ſecederet, ſe-

Danduli Legati Venetorum facinus egregium.

mel & iterum repulſam paſſus, rem ſine exemplo excogitauit, quæ & ceſſit pro votis. Is depoſitis infulis & teſſeris omnibus gloriæ, humili ſeſe habitu texit, & catena vinctus quadrupes intrauit in cœnaculum Pontificis, dicens ſe eſſe canem, & velle ſaturari micis, quæ cadebant è menſa parentis omnium fidelium. Obſtupuit primò Pontifex rei nouitate perculſus; dein in miſerationem fractus, Dandulo indulſit, & Venetos in gratiam recepit. Vt eſt benefica Reſpublica illa decus orbis Chriſtiani, gratulabunda excepit Dandulum, cuius familiæ nomen canis affinxit ad perpetuam facinoris egregij memoriam; vt qui ſimulando canem, demulſerat Pontificem, eum conciliando Venetis, circumferret nomen, cuius vocabulum inſignem eius actionem omnibus explicaret. Vtque colophonem gratitudini ſuæ illuſtris Reſpublica imponeret; Duce extincto, ſuffecit in locum eius Dandulum de patria benè meritum, quando hominis faſtum depoſuit, vt in habitum canis compoſitus, aduerſum Pontificis animum faceret æquiorem.

Canes olim admiſſi ad epulas.

Vtinam huiuſcemodi canes gregatim accederent ad Domini Ieſu menſam, ſicque reuocarent ritum olim ab omnibus ferè Gentibus vſurpatum, quo canes ſedulo nutriti adhibebantur epulis, vtpote facientes partem familiæ, cuius ſaluti vigiles incubabāt. Dicti fuere canes illi à Græcis τραπεζῆες, τραπεζῆας, τραπεζῆνες, id eſt, commenſales, vt auctor eſt Suidas. Hos & meminit canes menſis adhibitos Homerus, quos dici commenſales ait Euſtathius; quia non ex venatione viuunt, ſed ex menſis, quibus à ſuis dominis adhibentur. Ecce voces Euſtathij. *Canis menſalis ille qui non venatione ſua paſcitur, ſed ex menſis.* Ab hoc inſtituto faciendi canibus copiam menſæ fluxit adagium iſtud. *Felices Spartæ catuli.* Quia Spartani accuratè ſuos catulos educabant. Eſt & digna ſcitu Perſarum humanitas: nempe Reges de ſeruis, & canibus adeò fuere ſolliciti, vt è menſa dapes ſecernerent pro vtriſque, arbitrati communione cibi ſingulas quaſque feras optimè cicurari. Antiquitatis huius aſſertor eſt Plutarchus. In hoc epularum argumento canum cauſam agunt Plinius, & Columella, fidem canum maximè prædicantes. Ea fortè ratione Maro ſollicitat homines, vt canes abundè paſcant. Sic ille,

Homerus Iliad. χ.

Euſtathius in locum illum Homeri.

Canes accuratè educati à Spartanis.

Perſarũ Reges de canibus etiam ſolliciti.

Plutarc. lib. 7. Symp. problem 4.

Plin. l. 8. c. 40.

Columel. lib. 7. de re Ruſtica. c. 12.

Nec tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed vnà
Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui, nunquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſúſque luporũ,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Virgil. lib. 3. Georgic.

Hoc & ſtudium commendat Heſiodus, nolens parci cibo, vbi res eſt de alimento canum.

Heſiod.

Et alas canem ſerratis dentibus præditum, nec parcas cibo,
Ne quando vir interdiu quieſcens tibi detrahat res.

Euſtathius canem vocat φιλάνθρωπον, id eſt, amantiſſimum hominis, ac proinde dapes non ei de communi ferculo denegandæ. Ait Ælianus eſſe. *Canum erga altores ſuos firmam conſtantemque beneuolentiam.* Hocque probat exemplo canis, qui mortui ſui domini corpus egregiè cuſtodiuit. Aſſerit idem auctor publicis impenſis fuiſſe canem enutritum Athenis, quia noctu latrans ſacrilegum hominem aliis aperuit, obſtans illa fidelitate ſua, ne furcifer homo ſacras ædes Numinis expilaret. Tanta canum fuit cura Romæ, vt plerique canes delicatius alerent quàm filios, in quos Cæſar acriter inuectus eſt, vt videre eſt hoc contextu Plutarchi. *Cæſar cernens diuites quoſdam peregrinos Romæ circumferre in ſinu, & amplecti catulos canum, & ſimiarum, fertur interrogaſſe, num mulieres non ſoleant parere apud ipſos liberos. Reprehendens, vel admonens pro officio Principis, qui inſumunt amandi facultatem, quæ natura nobis ineſt, & charitatem in beſtias, quæ hominibus debebatur.*

Ælian. lib. 7. cap. 10.

Canis publicè Athenis enutritus & quare.

Ælian. lib. 7. cap. 13.

Plutarch. in Pericli.

Canes enutriti delicatius quàm liberi.

Quiſquis inſtar Chananææ canem aget, ille profectò Deum nanciſcetur prouiſorem, abundè famem humilis animæ corporis ſui ſacri ferculo recreantem. Ne quis ergo, ſeſe profitendo canem, dicat indignum Cœna Chriſti, hac namque profeſſione dapes illæ ſacræ optimè promerentur.

Lector eruditus, & rei antiquæ cupidus fortaſſis ingemet iſti tractatui, ſi prætereo tacitos homines, quos veteres dixerunt vmbras, hos ſcilicet, qui à Domino conuiuij, non fuere vocati, ſed aliunde introducti epulis aſſederunt. Præſtò ſum, facturus abundè ſatis illi voto. Vt vmbra conſequitur corpus; ita inuitatis ad epulas quidam ſe adiungunt rogati quidem à vocatis, ſed non à Domino cuius propriè tantùm ius eſt conuiuas ad fercula conuocare. Plutarchus ait vmbras eſſe. *Qui non ſunt vocati, ſed à vocatis ad conuiuium adducuntur.* Ita Horatius Torquatum vocans ad epulas facit ei copiam adducendi ſecum vmbras, dummodo non ſint eius numeri, vt à multitudine conuiuarum arctè ſedentium exiſtat alarum odor grauis & teter, qualis eſt hircorum, qui olidum ſolent iugiter exhalare. Ecce locum Horatij.

Vmbræ dicti homines introducti in conuiuium ab alio, quàm domino conuiuij.

Plutarc. lib. 7. Symp probl. 6.

——————Brutum tibi Septimiumque
Et niſi Cœna prior, potiorque puella Sabinum
Detinet aſſumam, locus eſt, & pluribus vmbris:
Sed nimis arcta premunt olida conuiuia capræ.

Horat. lib. 1. Epiſt. ad Torquat.

Rurſus ille alibi conuictores à rogatis inſinuatos conuiuio, citra ambages notat nomine vmbrarum, vt vocabulo priſcis ſæculis aſſueto. Sic ille.

——— Cum Seruilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat vmbras.

Idem, Lib. 2. Satyr. 8

Ad ſplendorem conuiuij pertinuit, facere copiam inuitatis alios & rogare ad arbitrium ſuum, vt ſtipati amicis, atque ſibi notis hominibus conuiuio lætius aſſiderent. Ita ex Cicerone Philodamus Lampſacenus cum lautè Rubrium excepiſſet ad ſplendidas epulas; hoc adiecit, ſcilicet vt rogaret eum vocare quoſcumque gratos haberet, & ſe paratum eſſe proprium filium aliò cœnatum mittere, vt nemo prorſus cum Rubrio diſcumberet, niſi eius nutu & nomine recenſitus. Eſto ritus ille ſecum deducendi vmbras ſit pars magnifici conuiuij; magna tamen cautione indiget, & vtrumque, ex parte ſcilicet inuitantis, & ex parte vmbræ. Ille nimirum, qui vocatus vmbras etiam ſibi adſciſcit; cauere debet ne inducat homines indignos epulis, aut exoſos domino conuiuij: ſic nempe iura hoſpitalitatis ille imprudens epulo temeraret. Cùm namque parentur epulæ ad relaxandos animos; nihil ingratum domino conuiuij obſtare debet, quin omnia læta & fauſta conuiuis appoſita fercula comitentur.

Cic. Verrina 3.

Philodami magnificẽtia in conuiuio exhibita.

Altera cautio ſpectat vmbras: nemo namque debet adire conuiuium non vocatus, niſi conſtet ei de probitate domini, cuius ædes ſubire parat: magnâ quippe ſolertiâ ſugiendi ſunt cœtus hominum improborum. Alioquin periculum eſt

Ex SS. PATRIBVS.

Epulæ iniquorum hominum quare ſint fugiendæ.

eſt contagij ; illa nempe vitiorum omnium indoles eſt , vt facili negotio coutentium iniquis hominibus animis affricentur. Ita vt ſit longè facilius declinare cœtus impios ſalua prudentia, quàm frequenter adeſſe illis , & præcipuè epulis ſine diſpendio animæ , quæ incauta vtplurimum inter fercula ſauciatur. Audiendus in hoc

Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 20.

themate Ambroſius. *Habet ſanè*, inquit ille, *ſuos ſcopulos verecundia, non quos ipſa inuehit, ſed quos ſæpe incurrit , ſi in intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie iucunditatis venenum infundunt bonis , hi ſi aſſidui ſint , & maximè in conuiuio , ludo , ac ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus itaque , ne dum relaxare animum volumus , ſoluamus omnem harmoniam , quaſi concentum quemdam bonorum operum. Vſus enim citò inflectit naturam. Vnde quam prudenter factis conuenire Eccleſiaſticis , & maximè miniſtrorum officiis arbitror , declinare extraneorum conuiuia , vel vt ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus ſit opprobrio locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequentes de ſæculo, ac voluptatibus, claudere aures non potes ; prohibere putatur ſuperbiæ : ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius eſt tua domus ſemel excuſes, quàm aliena frequenter , & vt ipſe ſobrius ſurgas ; tamen ex aliena inſolentia condemnari non debet præſentia tua.*

Eccleſiaſtici. vitare debẽt conuiuia.

Epulas Iob ſuſpectas quare habuerit.

Eodem etiam nomine Gregorius epulas carpit, vtpote faceſſentes negotium animæ ſollicitæ de integritate ſua , vt Sancti Iob exemplo liquidò comprobatur. Ille nimirum peracto filiorum conuiuio ſacra faciebat , deterſurus inde piacula, quæ vix ab homine queunt in epulis euitari. Accipe Gregorium. *Hoc nobis , inquit , ſolerter intuendum : quòd peractis diebus conuiuij , purgatio per ſingulos adhibetur holocauſti. Vir quippe ſanctus nouerat , quia celebrari conuiuia ſine culpa vix poſſent ; nouerat quia magna purgatione ſacrificiorum , diluenda ſunt epulæ conuiuiorum : & quicquid in ſemetipſis filij conuiuantes inquinauerant ; pater ſacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe ſunt vitia , quæ à conuiuiis aut ſeparari vix poſſunt , aut certè nequaquam poſſunt. Penè enim ſemper epulas voluptas comitatur. Nam cùm corpus in refectionis delectatione reſoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde ſcriptum eſt Sedit populus manducare , & bibere , & ſurrexerunt ludere. Penè ſemper epulas loquacitas ſequitur. Cumque venter reficitur , lingua defrunatur. Vnde rectè diues apud inferos aquam appetere deſcribitur, dicens : Pater Abraham , miſerere mei ; & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam , & refrigeret linguam meam , quia crucior in hac flamma. Prius epulatus quotidie dicitur ſplendidè, & poſt aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, vt diximus , inter epulas valdè deſluere loquacitas ſolet , ex pœna indicat culpam , cùm eum quem epulatum quotidie ſplendidè veritas dixerat , in lingua plus ardere perhibebat.*

Greger. lib. 1. Moral. c. 5.

Exod. 30.
Epulæ vitiis obnoxiæ.

Epictetus in Enchirid. c. 41.
Epulæ cum reprobis ſũt fugiendæ.

Iiſdem omnino ritulis Epictetus in epulas acriter inuectus eſt , arbitratus eas eſſe velut peſſima vitiorum omnium argumenta. Eamobrem ſic ille virtutis amaſios affatus eſt. *Conuiuia cum extraneis , & vulgaribus vtplurimum declina: quod ſi quando tempus incidat , caue. Scias enim neceſſe eſt, qui cum inquinato conuerſatur, etiamſi purus fuerit , etiam ipſum inquinari.* Qui igitur ab inuitato rogatur ad alterius conuiuium, is ſpeculetur attentè mores eius , ad quem ſollicitatur ire , vt recedat inde quantocyùs , ſi quid criminis , & vinj ſuſpicetur Si verò ſecus dominus conuiuij probitate morum eſt conſpicuus , homo rogatus eò accedere moras haudquaquam debet prætexere , cùm hominis cuiuſque probi ſanctitas vbique reſplendeat , & virtutis odorem afflet etiam medus in epulis , vbi litatur ſobrietati tantùm , & non noxiæ voluptati.

Habet & moralem ſuum ſenſum aptum equidem Cœnæ Chriſti diſcurſus iſte de vmbris. Cùm enim Cœna Domini ſplendida ſit , & in eam coëant omnia , quæ conducunt ad ſplendorem menſæ inſtructæ ad ſalutem animarum; profectò non deerit illi hæc libertas , quæ ſplendoris conuiuij partem inſignem facit , illa videlicet , qua ſingulis quibuſque inuitatis permittitur etiam amicos alios aduocare Quando igitur aliquis Deo inſpirante vocabitur ad menſam Chriſti, vt ſit in quibuſque diebus ſolennibus , quos præterire nefas eſt ſine Communione ſacra: ille qui Deo ſuggerente rogatur ad Euchariſtiam debet ſatagere alios etiam inducere ad has cœleſtes epulas , illos ad hanc Cœnam pro viribus inuitando. Hi autem , qui ſic rogabuntur ab homine accincto ad ſumptionem Euchariſtiæ , non debent detrectare decus, & honorem ſibi oblatum; & præſertim cum rogentur ædes ſubire ſacras, vbi Dominus Cœnæ inſtructæ non modò bonus , ſed ipſa bonitas eſt ; cuius menſa nihil niſi diuinum afflat , vbi ſalutari cibo corpus , & anima ſaginantur. Vt autem ſinguli quique fideles aſſueti ſacris epulis , alios efficaciter & rogare queant , ſecumque comites ad Cœnam Chriſti adducere , operæ pretium eſt eis bonis actibus illucere. Namque gratis homo ſæpe communicans prædicat aliis virtutem beneficam Euchariſtiæ , niſi ſatagat illam aliis benè ſuada oratione, nec non & congruo opere commendare. Conſtans igitur eſto ritus ille rogandi homines ad Cœnam Domini : ſcilicet vt quiſquis ſæpe accedit ad hanc Angelorum menſam , omnes animæ ſuæ neruos contendat , vt ſuo exemplo probet conuiuas Chriſti , beneficio panis eius abhorrere à vitiis , & vitam agere moribus illibatis. Profectò illa cautione fiet , vt qui frequenter adſtant Cœnæ illi ſanctæ , plures habeant comites, quando deinceps ad hæc ſacra fercula properabunt.

Quomodo quiſque ſuũ debeat inuitare proximum ad Euchariſtiam.

Conuiuæ Chriſti probare debent exemplo ſuo quàm ſit proficua Cœna Chriſti.

SECVNDA PARS HOMILIÆ.

QVOMODO FIDELES CHRIſtiani ſeſe debeant accingere ad epulas Chriſti , ne ſint iniurij Cœnæ Domini.

§. III.

EX THEOLOGIA , ET SS. PATRIBVS, ET ANTIQVITATE.

NEmo fidelium ancipitem fecit vnquam virtutem cuiuſque ſacramenti. Etenim apud omnes orthodoxos in confeſſo eſt , ſacramenti obſequio influere in animas gratiam efficacem. Illa tamen fidei noſtræ ſincera profeſſio eſt condienda

Ex Theologia.

dienda mica ſalis, ita vt ſit vſquequaque vera, ſi tollatur obex omnis, quo illapſus gratiæ præpeditur. Tollere autem obicem ad gratiam ſacramenti perinde eſt, ac ſe aptare ad receptionem ſacramenti. Fit autem bifariam illa præparatio, via videlicet negationis, & via affirmationis. Species quippe negationis eſt, exuere omnes affectus prauos, quibus afficiebatur homo vitiis irretitus. Ita namque negat obſequium ſuum prauis habitibus, quos iniquis actibus adſciuerat. Et hoc propriè eſt tollere obicem omnem, quo ſtante nequit ſcaturigo gratiarum ebulliens in Euchariſtia ſuos latices infundere; nam peccato ſtabulante in anima, fit reprobis virtus irrita ſacramenti. Siquidem in adultis explicata requiritur voluntatis ad Deum conuerſio, vt fiat animæ copia gratiæ, qua iuſtificatur homo: ſed nequit eſſe ſerta recta que talis animę conuerſio, niſi omnes affectus à Deo deuij protinus abiurentur. At illa abdicatio nequitiæ, negationis vmbram præfert, & perficitur ritu propè ſimili illi, cuius mentionem feci, dicens olim conuocatos ad epulas concluſos fuiſſe numero ternario. Namque pœnitentiæ ſumma omnis in tria capita refunditur, quæ ſunt contritio, confeſſio, ſatisfactio. Vnumquodque autem horum aliquid de negatione ſapit: ſiquidem anima exoſa ſuos nefarios actus, dum contrita mœret, vitio omni libellum repudij porrigit, animumque negat propitiũ actibus obſoletis. Confeſſio profitetur ore diuortiũ cum vitiis, quod fuit à contritione prius in cordis intimo meditatum. Denique ſatisfactio cauens ab omni opere nequam, & abſtrahens hominem à cœtibus impiis, obſtat, ne pœnitens anima fiat obnoxia recidiuę. Sicque tres principes pœnitẽtię partes, vt decet expletæ, ſonant quidpiam negatiuum,

Sacramenta non influunt in animas, niſi remoto obice.

Coniuerſio animæ quo modo fiat.

Tres pœnitentiæ partes adſciſcendæ ante ſumptionem Euchariſtiæ.

Sed quia valdè parum eſt repurgaſſe domum ſordibus, niſi & ſternatur aulæis aptis regiæ maieſtati, quæ ſubire debet illas ædes. Ita ſuo deeſſet officio fidelis anima, quæ ſtudio impigro non incumberet comparandis virtutum habitibus, cauſata ſatis eſſe conſtanti propoſito vitia detrectaſſe. Vt itaque vices omnes neceſſarias ad Euchariſtiam obeat homo, cui inſedit ſacris adſtare menſis, operæ-pretium eſt, vt inducat in animam ſuam ſuppellectilem, qua Dominus Ieſus, Cœnæ inſtitutor maximè delectatur. Alioquin fieret iniuria dignitati tanti hoſpitis, cui arridet forma conuiuij olim vſurpata, illa videlicet, quam meminit Iulius Capitolinus iſto adagio ſupra inducto. *Septem conuiuium, nouem conuitium*. Vt namque recenſui, veteres arbitrati numerum ſeptenarium eſſe ſacrum Palladi, frequenter illum ſolennibus epulis adhibebant. Vnde ſacra fuere credita conuiuia, & quammaximè grata Numini, vbi conuiuæ omnes præfato hoc numero cenſebantur. Iuxta morem illum, è virtutum omnium Choro fas eſt inuitare ſeptem, citra quarum præſentiam, neceſſarius, atque requiſitus ad Chriſti Cœnam deficit apparatus. In his ſunt tres virtutes Theologales, fides, ſpes, charitas, & quatuor aliæ cardinales, prudentia, iuſtitia, temperantia, atque fortitudo.

Vitia abdicare parum, niſi & virtutum habitus inducantur.

Iul. Capitol. in Lucio Vero.

Anima his ſtipata virtutibus, ſe aptabit ad arbitrium Chriſti, talemque ſe effinget, quales eſſe ſuos conuictores veteres ambiebant. Vt namque prælibaui, boni quique olim, & probatæ virtutis vocabantur ad Cœnam. Vnde quia ad hanc bonitatem conducunt virtutes illæ Theologales, & morales, & bonum eſt ex integra cauſa; numerus ille ſeptenarius meritò ſuadetur. Cui & Pythagoras adiecit ſpeciem quamdam religionis, præſertim in lauacris. Et hoc benè quadrat huic themati de præparatione ad Cœnam Chriſti. Namque lauacris olim veteres credidere piacula tergi, ac proinde ſe mundari, ſi ſeptiès puro flumine tingerentur. In ea religione fuit Apuleius, ita fatus. *Confeſtim diſcuſſa pigra quiete, alacer exurgo, méque protinus purificandi ſtudio, marino lauacro trado, ſeptieſque ſubmerſo capite, quòd eum numerum præcipuè religioni aptiſſimum diuinus ille Pythagoras prodidit*. Sancto etiam Codice aſſertore, ſacer eſt hic numerus, & aptus ad mundandum: quippe Naaman Syrus lepræ ſuæ cruſtas inglorias illico depoſuit poſt ſeptenam immerſionem ſibi indictam à Propheta cœlitus inſpirato. Etenim ſic Eliſæus Principem illum affatus eſt. *Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis*. Hoc præcepto indicto, Naaman iratus eſt, vtpote diuinorum neſcius arcanorum. Nempe nihil ſubodorans myſticum in ſeptena lotione, cunctatus eſt morem gerere Vati conſultori optimo, deſuper erudito. Sed vbi reſipuit, fecitque ſatis indicto ſibi conſilio, expertus eſt nihil omnino gratis à Deo decerni; nam ſepties in Iordane tinctus exiit inde corpore repurgato. Ne deſidẽres textum Scripturæ, illum tibi ſubiicio. *Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſrael, vt lauer in eis, & munder. Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater, etſi rem grandem tibi dixiſſet Propheta, certè facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis. Deſcendit, & lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.*

Septies lauari fuit olim religio.

Apuleius. l. 9.

Septena immerſio curat lepram Naaman.

4. Reg. 5.

Ibidem.

In illo repurgio aquarum obſequio, ſuſpicor ego myſterium congruum intento tituli, quem decurro in gratiam præparationis idoneæ ad participandam Cœnam Chriſti. Totius arcani cardo vertitur in hoc, vt anima malè ſibi conſcia lachrymis alluat ſordes, quibus infecta eſt, antequam ſacris ſiſtatur altaribus, & epulis. Menſa namque Cœnæ perinde eſt ac altare, & epulum hoc ſacrum pertinet ad ſacrificium corporis Chriſti, equidem incruentum. At olim decretæ ſunt ablutiones ante ſacra, & epulas, ac proinde ritus ille debet à fidelibus, meditantibus acceſſum ad altare & epulas, myſticè commendari, & congruo opere retractari. Ablutionis ante ſacra meminit Dauid, ita Deum compellans. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuũ Domine*. Præterea mare illud Æneum à Salomone fuſum & poſitum in introitu templi, vt eius beneficio ſacerdotes abluerent manus, Oedipo non indiget, vt de intento Dei conſtet, quippe in confeſſo eſt apud omnes, hæc lauacra fidelibus munditiem animæ ſuggeſſiſſe. Fortè à Iudæis ad Gentiles ille ritus fluxit: nam Theophraſtus ait, ſæpe ſæpius eſſe lotos ante rem diuinam. Imò nec Æneas auſus eſt attrectare ſimulachra, quibus Troia litauerat, quin gratiâ expiandi

Ablutiones olim decretæ ante ſacra, & epulas.

Pſal. 25.

2. Paral. 4.

Gẽtiles olim ſæpe loti ante ſacrificia. *Theophraſt. l. charact.*

Æneas ſcrupulus antequã lauaretur.

expiandi piacula ſeſe fluctibus immerſiſſet. Sic eum Virgilius inducit alloquentem patrem ſuum Anchiſen.

Æneid. 2.

Tu genitor cape Sacra manu, patrioſque penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero,

Eiuſdem farinæ ſuperſtitio illa eſt, quam meminit Dido ſuam ſororem obſtringens vt lauetur factura ſacrum Diis inferi.

Æneid. 4.

Annam, chara mihi nutrix, hic ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.
Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.

Apud eumdem Miſeni exequiæ celebrantur præuio luſtralis aquæ repurgio.

Æneid. 6.

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ.

Circũferre, idem ac luſtrare.

Circumferre ponitur hîc pro luſtrare, eſt enim verbum Pontificale ex Seruio in locum iſtum. Eodem & verbo ante Virgilium vſus eſt Plautus. *Quæſo* (inquit) *quin tu iſtam iubes pro Cerrita tanquam inſanam, & à Cerere irata vexatam, circumferri.* Hoc eſt luſtrari, & purgari: Ille nimirum, qui luſtrabat immundum, circumferens aquam, eum circumibat. Vnde & Græcis verba ſonantia purgamenta prænotantur dictione, περὶ, quæ ſignificat, *circum*, quaſi dicerent Græci, circuitum eſſe neceſſarium, vt eo gyro repurgetur anima circumacta. Huiuſmodi verba ſunt, περιαγνίζειν, περικαθαίρειν, περιρραίνειν, id eſt, circumpurgare, circumluſtrare, quia circum purgandos homines aqua ferebatur. Huius aſperginis in argumento repurgij

Turneb. l. 23. Aduerſar. 21.

Turnebus locupletem mentionem facit.

Non eſt in hoc themate prætereunda religio Æneæ qui cunctatus eſt conſecrare ramum Proſerpinæ, ſine præuia lotione,

Æneid. 6.

Occupat Æneas aditum, corpuſque recenti
Spargit aqua.

Lauacra quid ſignificent. *Hippocrat. lib. de morbo ſacro.*

Gentiles ſuſpicatos in illa lotione quidpiam pertinens ad animam auctor eſt Hippocrates; ſi tamen eius eſt liber ille, quem Galenus ſpurium arbitratur. *Deus* (inquit ille) *eſt, qui maxima & ſceleratiſſima peccata purgat, & purificat, & liberatio noſtra exiſtit: ipſique terminos templorum, ac delubrorum noſtrorum Diis deſignamus: vt nullus, qui non purus ſit, eos tranſcendat. Et ingreſſi reſpergimur, non veluti qui inquinemur, ſed ſi quod etiam peccatum habemus, purificemur.* Cicero etiam aſſertor eſt, aquæ reſpergine labes animæ tolli, & aquam infuſam dubiæ conſulere caſtitati. Ad hoc inſtitutum pertinent iſti verſus Perſij.

Aquæ infuſio conſulit caſtitati. *Cic. l. 1. de leg.*

Perſius.

————— Tyberino in gurgite mergis
Manè caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Huic Poëtæ Satyrico, conſors eius occinit, ita recenſens eumdem morem luſtrantis aquæ præſidio corpora repurgandi,

Iuuenal.

Ter matutino Tyberi mergetur, & ipſis
Verticibus timidum caput abluet.

Chriſtiani olim nõ accedebant ad templum illotis manib.

Anima abluenda potius quã corpora.

Conſtat Chriſtianos non niſi lotos acceſſiſſe ad preces Deo fundendas, & hæc lauacra fuiſſe argumenta ſeu ſymbola animæ terſioris. Quippe lotio omnis, facta cute tenus, nihil conducit ad puritatem animæ, quam præuiam res diuinæ, & Cœna Domini prærequirunt. Eamobrem duas inſignes ſententias meminit Clemens Alexandrinus vbi dixit Chriſtianos non illotos ſubiiſſe ſacras ædes vt litarent. Sic ille. *Eſto non lauacro mundus ſed animo.* Aliam item ſubiicit eiuſdem ponderis ac momenti. *Sufficiens quidem mea ſententia, hominis eſt purgatio, perfecta, firma, ſtabiliſque pœnitentia.*

EX SS. PATRIBVS. *Clem. Alexand. l. 4. Stromat.*

Lotio pedũ ante paſtum.

Vtinam & fideles ita ſe aptarent menſæ ſacræ, vt profani olim epulis homines: namque frequens vbique ritus fuit lotionis ante paſtum, non manuum tantùm, ſed & pedum; vt ex ſacra Scriptura liquet, vbi crebrò recolitur illa pedum ablutio ante paſtum. Huius mentio fit ſolennis in contextu hiſtoriæ fratrum Ioſeph. *Introductis domum attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos, deditque pabulum aſinis eorum. Illi verò parabant munera donec ingrederetur Ioſeph meridie, audierant enim, quòd ibi comeſturi eſſent panem.* More Ægyptio diſpenſator domus, qui & ipſe fuit Ægyptius, introductis in domum Ioſeph fratribus eius attulit aquam vt lauarent pedes. Ab Hebræis ad alias Gentes tranſiit ille ritus, qui fuit Hebræis inolitus à ſæculo, vt in comperto eſt exemplo Abrahæ, qui vt tres Angelos vidit habitu peregrino, vnum eorum adorſus ita affatus eſt. *Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum.* Idem hoſpitalitatis officium obtulit Lot duobus illis Angelis, qui Sodomam diuerterant, vt ex ſerie ſacra liquet. *Venerunt duo Angeli Sodomam veſperè & ſedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque in terram, & dixit: Obſecro domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi, lauate pedes veſtros.*

Geneſ. 43. Ægyptij lauabãt pedes ante paſtum.

Gen. 18. Hebræis inolitum lauare pedes ante paſtum.

Geneſ. 19.

Etiam æuo Chriſti à conuiuis celebrata fuit illa pedum lotio ante paſtum, vt colligere eſt ex verbis Domini Ieſu, ita compellantis Simonem, à quo vocatus fuerat ad epulas. *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Alludit ad hoc charitatis officium Paulus, dum catalogum texit virtutum, quarum debuit ſpecimen ediſiſſe vidua, quæ miniſteriis Eccleſiæ eſt cautè adhibenda. *Vidua* (inquit) *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit.* Abigail electa in vxorem Dauid, ait ſatis eſſe ſibi miniſterium illud lauandi pedes ſeruorum eius. Ecce è Codice ſacro hiſtoriam. *Miſit Dauid & locutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi in vxorem. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti ſunt ad eam, dicentes: Dauid miſit nos ad te, vt accipiat te ſibi in vxorem. Quæ conſurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei.*

Luc. 7.

Viduæ lauabant pedes Sanctorum.

1. Timot. 5.

Illa pedum lotio myſticè accepta dicit neceſſarium apparatum ad Euchariſtiam, hunc vtique, quem memini ſupra inſinuando repudium cuiuſque praui affectus ante acceſſum ad ſacram Domini menſam. Repurgium huiuſmodi affectuum iniquorum Chriſtus ipſe ingeſſit ablutione pedum facta in Cœna. Ita Cyprianus. *Docetur quomodo omni tempore proſequenda, & repetenda ſit ablutio pedum, per quam rectè cognitam, & intellectam, adhærentes animæ ſordes*

1. Reg. 25 *Cyprian. ſer. de ablutione pedum.*

quotidiana

Ablutionis pedũ factæ à Chriſto myſtica interpretatio. Examen cõſcientiæ ſollicitum.

quotidiana ſatisfactione lauentur, &c. *Propter hoc benigniſſime Domine pedes lauas diſcipulis: quia poſt baptiſmum, quem ſui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procuraſti, quod nunquam debeat intermitti*, &c. *Hoc lauacrum quotidianis eſt exceſſibus inſtitutum, & iugis retractatio vſque ad nouiſſima veniens nomina, debet opera, & cogitatus ſingulos perſcrutari, & affectus per vitia diſcurrentes, vagam inſtabilemque animam per inania euehentes corrigere, & lauare, nec quidquam in vita prætermittere indiſcuſſum, quod gemitibus, & ſuſpiriis non fuerit expiatum. Hoc cùm Dominus ſuos vſque in finem diſcipulos dilexiſſet, in fine ſtatuit, & dixit, neminem poſſe habere perfectam ablutionem, niſi hac ſollicitudine muniatur.*

Abluere animæ pedes arduum eſt & diuinum negotium.

Cyprian. vbi ſupra.

Quia lotio illa pedum ſignificans deterſos animæ affectus magni ponderis eſt, & momenti, vtpote faceſſens homini negotium; Dominus ipſe Ieſus conſcius infirmitatis noſtræ lauit Apoſtolorum pedes, inde probans, emundationem affectuum eſſe diuinum negotium, ac proinde ipſi Chriſto Domino commendandum. Eo ſpectant illa Cypriani verba, quibus ingerit, quàm arduum ſit ſeſe accingere ad pedes animæ detergendos. *Quoties*, inquit, *cohortamur puſillanimes, & his qui Pharaoni in luto, & latere famulati ſunt perſuademus, vt exeant de Ægypto, quoties cum infirmis infirmamur; & cum his qui ſcandalum ferunt vrimur, quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens lutum peccatorum, quæ poſſumus ſollicitudine lauamus; non quod noſtra ablutio ex nobis ſufficiat; niſi ad lauandum omni tempore nos pius magiſter accedat. In hoc ſe periculo fluctuantem laborans anima in Canticis canticorum conqueritur. Laui*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quod ablutum eſt, timet iterum inquinare: ſed in via lutulenta vix aliquid ſolidum vbi figat pedem inuenit, & in quibus ſæpe prouoluta eſt paludum inquinamenta formidat.* Hactenus ille, qui ſtatim atque monuit illud animæ repurgium eſſe facinus, cui impares ſunt omnes hominum niſus, orationem ſubiicit idoneam ad conciliandum nobis Chriſtum, vt ipſe pedes animæ tergat vitiorum ſordibus inquinatos.

Chriſti eſt lauare pedes animarum.

Cyp. ibi.

Accipe Cypriani effatum feruidum, & anhelans ad ſtatum illum, quo ſolo gaudet anima defæcata. Hæc ſunt eius vota. *Clementiſſime magiſter, quoties ego doctrinæ tuæ transgreſſus ſum regulas, quoties edicta tua, Domine ſancte, contempſi? & cùm diceres mihi, reuertere, non ſum reuerſus; cùm minareris, non timui; cum bonus eſſes, & lenis, exaſperans fui; vltra ſeptuagies ſepties in cœlum, & coram te peccaui: quis tot ſordes abluet? quis abradet ſtercora conglebata? Quidquid dicat Petrus, neceſſe eſt, vt ipſe nos abluas, neque enim lauare nos poſſumus, ſed in omnibus, quæ agimus in diligentia tua lauacro indigemus. Ad menſæ tuæ participationem Iudas proditor eſt admiſſus, ſed ab hoc lauacro ſalutari excluſus, lauari in fine non potuit, quia Apoſtolatus ſui honorem deteſtabili cupiditate fœdauit. Quia verò apud te fons vitæ eſt, & miſerationum quæ à ſæculo ſunt profunditas infinita: quos abluiſti baptiſmo, quos lauiſti ſanguine tuo, quos ſemper lauas, quotidiana peccata donando transfer à paludibus ſæculi huius, & luto vitæ præſentis ad purgatiſſimum gloriæ tuæ regnum, vbi nec ſcabies vlla, nec lippitudo, vbi nemo fluxum ſanguinis patiens, nemo immundus, vbi nullo amplius opus eſt lauacro configurato corpori claritatis tuæ corpore noſtro, ſecundùm promiſſa tua, neceſſe eſt vt impleas, & qui incœpiſti in nobis opus bonum, perficias ſolideſque per te Chriſtum Dominum noſtrum.*

Sancti etiã indigẽt lotione pedũ

Eſto baptiſmus lauerit totum corpus; multa tamen occurrunt in terra degentibus, quæ pedes inficiunt, dum neceſſe eſt obire calles multo cœno obductos. Quod perinde eſt ac dicere, hominem quidem eſſe lotum, & purgatum macula peccati originalis, baptiſmi præſidio, ſed hoc non obſtare tamen, quin anima labem plurimam contrahat ex commercio rerum infirmarum. Et hoc profectò Dominus inculcare voluit Petro, quando eum ſic affatus eſt. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Quem locum verſans Auguſtinus ita commentatur. *Homo in ſancto quidem baptiſmo totus abluitur, non præter pedes, ſed totus omnino. Verumtamen cùm in rebus humanis poſtea viuitur, vtique terra calcatur. Ipſi igitur humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non viuitur, quaſi pedes ſunt vbi ex humanis afficimur, & ſic afficimur, vt ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus, & veritas in nobis non ſit. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidie nos opus habere vt pedes lauemus, id eſt, vias ſpiritualium greſſuum dirigamus, in ipſa oratione Dominica confitemur, cùm dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim confiteamur, ſicut ſcriptum eſt peccata noſtra, profectò ille, qui lauit pedes diſcipulorum ſuorum, fidelis eſt, & iuſtus, qui dimittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate, id eſt, vſque ad pedes, quibus conuerſamur in terra. Proinde Eccleſia, quam mũdat Chriſtus lauacro aquæ in verbo, non ſolum in illis eſt ſine macula & ruga, qui poſt lauacrum regenerationis continuò ex huius vitæ contagione tolluntur, nec calcant terram vt opus habeant pedes lauare, verum etiã in iis, quibus iſtam miſericordiam præbens Dominus, fecit eos de ſæculo iſto lotis etiam pedibus emigrare. In his autem, qui hic demorantur; etiamſi munda ſit; quoniam iuſtè viuunt; opus tamen habent pedes lauare, quoniam ſine peccato vtique non ſunt.* Quippe rarus eſt homo, cuius affectus non aliquales ſordes contraxerit: Quas neceſſe eſt repurgare ſollicitè congrua lotione. Alioquin fiet iniuria ſacramento, quod adire nefas eſt pedibus inquinatis.

Abluere pedes quid ſit S. Auguſtino.

Ioan. 13.

Aug. tract. 56 in Ioann.

Quare omnes indigeãt lotione pedũ.

QVANAM MVNDITIA NITERE debent homines inuitati ad ſacram Chriſti Domini Cœnam.

§. IV.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX SS. PATRIBVS.

Ex Antiqvitate.

VOlubilis eſt animus hominum, atque adeò parum propoſiti tenax; & hinc fit, vt plerique rati ſe purgaſſe affectus, quos habuere prauos, voti ſui velut immemores, eaſdem iniquas exerant actiones. Huic imbelli animarum indoli occurritur, ſi lotioni pedum adiiciatur,

Hebræi ante paſti, quare lauabantur.

& ablutio manuum, iuxta vetus inſtitutum abluendi manus ante paſtum. Illa fuit præcipuè Hebræorum conſuetudo. Nam illi ſuſpicati in menſa quid diuinum, ſe aptabant ad illam velut ad altare, præuiis ſcilicet lauacris, quorum obſequio credidere manus ſuas extra communem aleam eſſe. Commune namque Iudæis perinde eſt ac profanum, & pollutum; & ideo communicare apud illos ſignificat coinquinare. Vnde Apoſtoli notati ſunt à Scribis, & Phariſæis, quia manducabant illotis manibus, & eo maximè nomine apud Synagogam grauiter audierunt. Nempe Scribæ, & Phariſæi ſuæ ſanctitatis præcipuam partem refundentes in lauacra cute tenus, dicebant illa eſſe ſancta, quæ abluta, alia verò communia, & profana, quæ illota. Eamobrem ſtylo Hebræorum communicare, & polluere idem ſignificant; quia quidquid commune eſt, ſuſpicionem maculæ facit illis populis imperitis. Audiendus in eo argumento Marcus ita fatus. *Phariſæi, & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant tenentes traditionem ſeniorum, & à foro niſi baptizentur non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum: & interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem.* Vides hoc contextu manus communes dici profanas, & ex diametro lotis oppoſitas, quæ proinde ſanctæ lauacri obſequio perhibentur. Communicare autem eſſe perinde ac coinquinare, liquet eodem textu, vbi Chriſtus ita carpit Scribas. *Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt, quæ communicant hominem.* Fauet huic obſeruationi lingua Græca: ſiquidem vox Latina cœnum affinis eſt verbo κοινοῦν id eſt, communicare, & polluere. Sicque manu communi manducare, ferè ſignificat edere manu lutea, & cœnoſa.

Commune & profanum apud Iudæos idem eſt. Cómunicare & polluere idem.

Marc. 7.

Ibidem.

Plut. l. 1. ſym. problem. 2.

Huc pertinet elegans Plutarchi ſententia. *Multò magis conuenit ex anima ſordes eluere, quàm cœnum à pedibus detergere, vt in conuiuio poſſimus facilè, & comiter cum aliis conuerſari.* Cùm itaque manus abluit homo acceſſurus ad ſacram hanc ſynaxim, attentè ſe ipſum luſtret, & exploret an animæ manus, id eſt opera, debeant puro lacrymarum flumine repurgari. Qui ſecus fixit, ille ſacrilegus eſt, ac proinde procul à diuinis epulis abigendus. Non Hebræis tantùm familiaris aqua fuit ad purganda piacula, ſed & Romanis æquè & Græcis. Ex Athenæo, Romani torrem ex ara in qua cremabatur hoſtia capiebant, & lignum hoc igne ſacro flagrans tingebant aquis, ad hos vſus illis ædibus aſſeruatis. Credidere ritu prælibato aquis inuri quidpiam ſanctum, ideóque adſtantes à ſacrificiis aſperſi illa aqua, Romano inſtituto congruè luſtrabantur.

Romani ante ſacra luſtrabantur aqua.

Athen. l. 9.

Græcos eſſe lotos ante paſtum in comperto eſt, multiplici teſtimonio Homeri, cùm in Iliade, tùm in Odyſſea.

Græci ante paſtum lauabantur.

Hom. Iliad.

Sic fatur ſeruamque ſenex capere imperat vndam,
Inque manus liquidam diffundere.

Serui & ancillæ fundebant aquam in epulis priuatis.

Hic Homerus ait, ancillam fudiſſe aquam manibus abluendis. Aliàs ait hoc fuiſſe præconum officium, quod velim ita intelligi, vt in priuatis epulis ancillæ, & ſerui à cubiculis aquam fundant. Aſt in ſolenni conuiuio vbi proceres, & Magnates tantùm adſtare debent, credo præconibus fuiſſe prouinciam hanc illo tempore demandatam. Suſpicionem augent hi verſus Odyſſeæ.

Præcones fundebant aquã in epulis publicis.

Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν
Σῖτον δ' ἀμφίπολοι παρενήνεον ἐν κανέοισιν

Inque manus lympham præcones fundere primum:
At ſeruæ panem vineis geſſere caniſtris.

Homer. Odyſſ. A.

Fuiſſe ſecretis epulis officium ſerui aquam manibus infundere Scriptura ſacra monet, vbi Rege Ioſaphat ſciſcitante, numquid ibi Vates eſſet, audiit illic adſtare miniſtrum Eliæ, quo vtebatur ad manus abluendas. Ecce textum. *Ait Ioſaphat: Eſtne hîc Propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum? Et reſpondit vnus de ſeruis Regis Iſrael: Eſt hîc Eliſæus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ.*

Ablutio manuum ante paſtum.

4. Reg. 3.

Non vna dumtaxat, ſed repetita fuit lotio manuum ſingulis quibuſque conuiuiis. Prima fuit antequam vllæ dapes inferrentur. Altera verò expletis epulis. Prima petebatur ablutio hac forma omnibus vſitata. ὕδωρ κατὰ χειρὸς δὸς ὦ παῖ. Id eſt. *Aquam manibus, ô puer.* Peracta Cœna, rurſus ille vocabatur, cuius erant partes aquam miniſtrare ἀπονίψασθαι δὸς ὦ παῖ. Id eſt. *Da quo abſtergar, ô puer.* Has meminere phraſes Athenæus, Euſtathius & Ariſtophanes Grammaticus. Romani etiam Turnebo aſſertore, ſuos habuere tropos loquendi. Etenim ante Cœnam has vſurpabant voces. *Aquam manibus, & aquam pedibus.* Feſtus ait vocatum fuiſſe malluuium vas ſtatutum manibus abluendis; pelluuium verò illud, quod tergendis pedibus adhibebant. Tertullianus aquam manualem nuncupat illam, quam miniſtri ante Cœnam manibus infundebant. Sic ille. *Poſt aquam manualem, & lumina.*

Ablutio manuum olim duplex in epulis.

Athen. l. 9. Euſtath. Odyſſ. A. Ariſtophan. Gram.

Turneb. in aduerſariis.

Tert. Apol. c. 39.

Adeò conſtans fuit ille ritus abluendi pedes, atque manus ante conuiuium, vt auſpicari incongruè negotium aliquod dicatur hac formula. *Illotis pedibus ingredi. Illotis manibus aggredi.* Quæ prouerbia Græcè commemorat auctor Chiliadum. ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν ἀνίπτοις χερσίν. Hoc ſchema prouerbiale adhibuit Caius ille famoſus Iuriſconſultus, ita iuris originem adorſus. *Si in foro cauſas dicentibus nefas, vt ita dixerim, videtur eſſe nulla facta præfatione Iudici rem exponere; quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit omiſſis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, vt ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare?* Vt autem ſolennior eſſet illa manuum ablutio, plerumque veteres aqua odorifera ad hos vſus adhibita lauabantur. Auctores huius moris ſunt Epigenes, Antiphanes, & Philoxenus, quos recolit Athenæus, dum affirmat fragrantiam illam aquæ manibus infundendæ.

Eraſmus in adagiis.

Caius l. 1. ff. De origine iuris.

Aqua odorifera adhibita ad manus abluendas.

Athen. l. 9.

Omnis illa rituum antiquorum commemoratio pertinens ad lauacra fieri ſolita ante paſtum, congruæ præparationis ad Euchariſtiam præbet locuples argumentum. Cuius ſumma hæc eſt: ſcilicet vt caueat homo, ne accedat ad Domini Cœnam malè ſibi conſcius, id eſt, iniquis actibus irretitus. Irrita nempe forent vota emiſſa in gratiam virtutis amplectendæ, ſi propoſito de meliori fruge concepto praua opera derogarent. Eò collimant omnes parænefes inſtitutæ ad idoneam præparationem, quam inire

Ex SS. Patribus

re

re debent omnes Cœnæ Domini conuictores. Huius generis eſt illa oratio Chryſoſtomi. *Cum puritate, & anima ſinceritate ad ſumendum hunc cibum accede ſemper, ſine hac ne præſumas vnquam. Quoties hæc facitis, ait Paulus, mortem Domini annuntiabitis, hoc eſt, ſalutis veſtræ memoriam inſtaurabitis, nempe munificentia mea, Chriſti ſcilicet omnibus collata. Conſidera nunc quanta illi veteris ſacrificij participes, vita frugalitate vtebantur. Quid enim non hi faciebant? Omni tempore purificabantur, & tu ad ſalutarem hanc hoſtiam acceſſurus, quam Angeli ipſi cum tremore ſuſcipiunt, rem tantam circumſcribis temporis in ambitu? Qua fronte te ipſum ſiſtes ad tribunal Chriſti, qui impuris manibus ac labiis, ſic impudenter ipſius corpus auſus ſis attingere? Atrox ſanè contumelia eſt res huiuſmodi. Dic tu mihi, num eligas illotis manibus ad tam venerabilem victimam accedere? Non puto. At interim in paruo tam religioſus cùm ſis, animam autem habens cœno vitiorum ſqualentem accedis, & audes impudens contingere? Quin perſpicis variam illam vaſorũ ſupellectilem, ſic perfuſam aquis tamque ſplendore interlucentem? Atqui noſtras animas par eſt reddi iſtis longè puriores, ſanctiores, ac multò ſplendidiores virtutum ornamentis. Iam verò nolis eo vti vaſe, quod ſordet, & anima ſic contaminata accedis.*

Chryſoſt. ſer. 3. in epiſt. ad Epheſ.

Qua comite puritate accedendũ ad Euchariſtiã.

Eiuſdem puritatis aſſertor eſt Hieronymus, temeritatis arguens coniugatos, qui minimè continent illa die, qua participant Cœnam Chriſti, quam adire nefas eſt, niſi illibata comite puritate. Ecce cenſuram Hieronymi, vindicis acerrimi eius iniuriæ, quæ ſacramento illi ſanctiſſimo à Chriſtianis pluribus irrogatur. *Panes* (inquit) *propoſitionis diximus ex lege nõ potuiſſe comedere Dauid, & ſocios eius, niſi de triduo mundos ſe à mulieribus reſpondiſſent, non vtique à meretricibus, quod damnabatur à lege, ſed ab vxoribus, quibus licitè iungebantur. Populum quoque quando accepturus erat legem in monte Sina, tribus diebus iuſſum eſſe ab vxoribus abſtinere. Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, neque probo. Vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat, ſed ipſorum conſcientiam conuenio, qui eodem die poſt torum communicant. Probet ſe vnuſquiſque, & ſic ad corpus Chriſti accedat, non quod dilata communione vnus dies aut biduum, ſanctiorem efficiat Chriſtianum, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear, ſed quòd cum doleo, me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me paulìſper ab vxoris amplexu.*

Hier. in Apol. pro libris contra Iouin.

Caſtitas prę- uia neceſſariè ad frequentandam Euchariſtiã.

Idem Sanctus vſurpatis typicis loquendi tropis egregiè monet, quã cautelã ſit frequentanda Cœna illa inſtructa ſolis mentibus illibatis. *Pone,* inquit, *menſam, contemplare in ſpecula comedentes, & bibentes, ſurgite principes, arripite clypeum, ſic ait: Dicitur per Prophetam ad omnes credentes, vt comedentes, & bibentes corpus, & ſanguinem Chriſti, vertantur in principes Eccleſiæ, & cum Apoſtolis audiant, ſurgite, arripiantque clypeum fidei, de armatura Apoſtoli Pauli, in quo poſſint ignita diaboli iacula extinguere.* Illæ recenſitæ Patrum ſententiæ colliment in vnum eumdemque ſcopum, illum vtique, in quem diriguntur præfatæ pedum manuumque lotiones ante paſtum, quæ ſollicitant animas, ne ſe inſinuent ſacræ Domini menſæ, niſi comite puritate.

Hier. l. 7. in c. 21. Iſa.

Euchariſtia quo examine præuio ſit ſumenda.

QVA CAVTELA DEBEANT fideles accedere ad Euchariſtiam, ne in ſuam perniciem panem ſanctum deglutiant.

§. V.

EX ANTIQVITATE, EX SYMBOLIS, EX SANCTIS PATRIBVS, ET EX HISTORIIS.

PVrgatiua virtus aquis inſita, Gentibus olim perſuaſit, illam non pedibus, & manibus tantùm ante Cœnam, ſed totius etiam corporis partibus adhibere. Nempe frequens fuit balneorum vſus ante paſtum, eo profectò intento vt ſanitati conſulerent, & fami occurrerent corpore repurgato. Vnde proſtat apud Athenæum, iſtud conſilium. *Oportere prius curato & loto corpore ad conuiuium accedere.* Idem inducit Ariſtotelem ſic loquentem. *Erat indecorum multo cum ſudore, & puluere accedere ad conuiuia: quippe cùm viro liberali, & ingenuo, neque ſordere, neque ſqualere conueniat, neque lotium gaudere vt Heraclitus inquit.* Balnei commoda, & cauſas ipſa nomenclatura clamat βαλανεῖον, ἀπὸ τοῦ βάλλειν τὰς ἀνίας, hoc eſt. *Quod triſtitiam laſſitudinemque depellat.* Eamobrem Athenæus ait λουτρὰ εἶναι ἄκη πόνων παντοῖα. Id eſt, *Lauacra eſſe omnifaria laſſitudinum pharmaca.*

Ex ANTIQVITATE.

Balneorum vtilitas.

Athen. l. 4.

Ibidem.

Quare inſtituta ſũt balnea ante Cœnam.

Græcis, & Romanis quotidiana ferè fuerunt vſurpata balnea ante Cœnam: Vlyſſes, & Diomedes Græci apud Homerum ante cibum aqua marina loti, poſtea balneas calidas vſurparunt. Dein vncti diſcubuere reficiendi cibo. Præter munditiem, quæ comparatur aquis, Plutarchus ait corpus omne fatigatum balneo recreari. Namque laboris antidotum congruum eſt balneum: ſiquidem exercitatione ſiccatur humor ille natiuus, atque vitalis, quo ſalubriter omnia membra madent: præterea calor ille tepet, quo feruente vegetior eſt homo. Aſt vtrique diſpendio conſulitur adhibito balnei obſequio. Nempe calet balneum, ſicque fouet membra rigore contracta, quæ & humidiora fiunt tincta, madentibus aquis. Plutarchus ait frigida balnea pòſt exercitationem habere plus oſtentationis, quàm ſalutis; ideoque ſanitati eſſe magis proficua balnea calida. Fuit & in more poſitum Romanis vncto corpore ſeſe feruentiſſimo Soli exponere, vt colligere eſt ex Poëta Satyrico.

Homerus, Iliad. K.

Balneo frigida alia verò calida.

Plut. l. de ſanit. tuenda.

Poſt balnea vncti ambulabãt ad Solem.

Noſtra bibat vernũ contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam, iam nunc in balnea ſalua
Fronte licet vadas.

Iuuen. ſat. 11.

Eò ſpectant & hi verſus Perſij recolentes illum Solis vſum corpore inuncto priſcis ſæculis vſurpatum. Sic ille.

Quæ tibi ſũma boni eſt, vncta vixiſſe patella,
Semper & aſſiduo curata cuticula Sole.
At ſi vnctus ceſſes, & figas in cute Solem.

Perſius, Sat. 4.

Fuiſſe & Hebræis familiarem vſum balnei, ſacra locuples eſt teſtis hiſtoria, vbi Suſanna in pomario dicitur ſolita ſeſe ſæpius abluere, vnguentis etiam vſurpatis. Poſt balnea veteres acceſſiſſe ad Cœnam auctor eſt Plinius iunior, ita referens Spurinæ mores. *Lotus accubat, & pauliſper cibum differt: interim audit legentem remiſſius atque dulcius. Paulò poſt apponitur Cœna, non minus nitida, quàm frugi, in argento*

Daniel. 13.

Poſt balnea Cœna appoſita.

Plin. l. 3. epiſt.

Idem.

puro, & antiquo. Ille idem Plinius patrui ſui memor, eius ita recolit inſtitutum. *Æſtate ſi quid otij, iacebat in Solo, liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Poſt Solem plerumque frigida lauabatur, deinde guſtabat, dormiebatque minimum.*

Idem. Lib. 3. epiſt. 5.

Ex SS. Patribvs. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 5.

O curas hominum in gratiam corporis aliquando ceſſuri in ius vermium! O ſummam eorum incuriam animæ, licet abundè ſciant eſſe eius indolem immortalem. Habet & illa ſua balnea, quæ Clemens Alexandrinus egregiè meminit iſta ſententia. *Optimum ergo lauacrum, expurgat ſordes animæ, & eſt ſpirituale.* Balneum hoc eſt largus fletuum imber, quo dum alluitur anima, deponit primò fæces, deinde nitela potiore adſcita lauacro illo decora fit, demum vt terra pluuiis imprægnata feracior efficitur ex ſterili; ita lacrymarum obſequio pœnitens anima fœcundatur. Vnde placet illi affingere ſymbolum elegans, quod recolit Bargaglius pingens concham cuius ergaſtulo concluditur margarita. Concha illa reſerata, & perfuſa rore diuites parturit vniones. Symboli titulus iſte eſt. Pvro foecvnda rore. Quaſi diceret illa concha marina, ſe debere rori & non aquæ ſalſæ, quòd ſit margaritarum ferax. Illa ſanè confeſſio pertinet ad animam lacrymis inundatam. Illa nimirum beneficio ſalutaris huius imbris non aptatur modo ad Euchariſtiam, ſed præterea nouos concipit animos ad virtutum omnium praxim fortiter obeundam. His itaque lacrymarum beneficis anima tingatur aquis, ſic futura Pvro foecvnda rore.

Ex Symbolis. Scipio Bargaglius lib. Symbol. Gratiæ Dei influxus quid agat.

Ariſtoteles lib. Meteor.

Ex Ariſtotele pluuiales aquæ longè aliis præſtant, vbi reſeſt de imbibenda terra proiecta ſemente ſata. Etenim imber altiore cœlo manans, inde trahit quidpiam viuificum, quo terra alluta velut cœlitus imprægnatur. Eſto proficuus ſit omnis apparatus, cui ſtudet anima concepto propoſito accedendi ad Cœnam Chriſti, nulla tamen diſpoſitio magis eſt idonea, quàm præfata balnea lacrymarum, Siquidem anima peccatis obnoxia, ſordes hîc deponit. Sancti verò næuorum expertes, perfuſi rore hoc cœleſti, decoris & gratiæ capiunt incrementum. Eamobrem anima ſollicita de congruo apparatu ad Euchariſtiam abundè fleat, non pro re aliqua terrena deperdita, ſed pro peccatis in Deum & in cœlum antea perpetratis. Quippe fletus, quibus terra dedit argumentum terrei ſunt, vt ſecus hi cœleſtes, quos fundit anima contrita. Vnde Iob non indiſcretè poſcit aquas, vt mundetur, ſed aquas niuis, vtpote quæ cœlitus influxerunt. *Si,* inquit, *lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ.* In quem locum Gregorius commentatur appoſitè ad præfata. Siſto tibi Præſulem illum Summũ, ita fatum. *Aqua fontis, & fluminis ex terra oritur, aqua verò niuis ex aëre proruit, & ſunt plerique, qui per lamenta ſe cruciant, ſed tamen totis lamentorum laboribus, ad ſola terrena deſideria exudant, compunguntur in precibus, ſed felicitatis tranſitoria gaudia requirunt. Hos itaque niuis aqua non abluit, quia eorum fletus ab imis venit. Quaſi enim ex terra aqua perfuſi ſunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui verò idcirco plorant, quia æterna præmia deſiderant, aqua niuis hos diluit, quia cœleſtis compunctio infundit. Nam cùm perennem patriam, per lamenta appetunt, eiuſque accenſi deſideriis plangunt, a ſummis accipiunt vnde mundentur.*

Lacrymarum quædam ſunt cœleſtes, aliæ ſunt terreſtres.

Ex SS. Patribvs. Iob. 9 Lacrymæ cõparatæ aquis niuis. Greg. lib. 9. Moral. c. 19.

Hoc lacrymarum imbre rigabat Pſaltes lectulum ſuum ſingulis quiſque noctibus, vt congrui lauacri obſequio eſſet eius anima defæcata. Ad eius æmulationem Auguſtinus omnes ſibi malè conſcios, homines adhortatur. Sic ille voces Dauid verſat. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Lectus eſt hoc loco appellatus, vbi acquieſcit animus æger, & infirmus, id eſt, in voluptate corporis, & in omni delectatione ſeculari. Quam delectationem lacrymis lauat, qui ſe ab illa conatur extrahere. Videt enim iam ſe damnare carnales concupiſcentias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libenter iacet, vnde reſurgere, niſi ſanatus animus nõ poteſt. Lectum lauabit per ſingulas noctes, vt tantis lacrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam. Lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Rigabo, amplius eſt aliquid quà lauabo, quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari, rigari verò ad interiora permanat.* In hoc fletuum argumento plerique hallucinantur, arbitrati, Patres prouocare homines ad lacrymas extrinſecas, illas vtique quibus perfuſæ genæ madent: Hos operæpretium eſt vindicare ab errore, qui gliſcit, & imponit multis. Itaque ratum eſto, nomine lacrymarum intelligi triſtitiam illam, qua cor angitur ob Dei offenſam. Quamuis ille mœror ſocias haudquaquam habeat lacrymas, id non obſtat, quin appoſitè lacrymarum nomine cenſeatur. Eò pertinet ille Dauidis verſus. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Cui loco Auguſtinus hoc lumen adiicit. *Attenditis,* inquit, *plerumque interpellare gemitibus ſeruos Dei, & quæritur cauſa, & non apparet, niſi gemitus alicuius ſerui Dei, ſi tamen ad aures hominis circa illum poſiti peruenerit. Eſt enim gemitus occultus, qui ab homine non auditur, tamen ſi tanta occupauerit cor cogitatio deſiderij cuiuſdam, vt voce clariore exprimatur vulnus interioris hominis, quæritur cauſa, & dicit homo apud ſemetipſum: fortè illud eſt vnde gemit, & forte illud illi factum eſt. Quis poteſt intelligere, niſi ille in cuius oculis, & auribus gemit? Propterea rugiebam,* inquit, *à gemitu cordis mei, quia homines ſi quando audiunt gemitum hominis plerumque gemitum carnis audiunt, gementem à gemitu cordis non audiunt. Abſtulit neſcio quis res huius, rugiebat ſed non à gemitu cordis, alius quia grandinata eſt vinea, alius quia timet inimicum ſuum Omnes iſti à gemitu carnis rugiunt. At verò ſeruus Dei, quia ex recordatione ſabbathi rugit, vbi eſt regnum Dei quod caro, & ſanguis non poſſidebit, rugit a gemitu cordis ſui. Et gemitus meus a te non eſt abſconditus. A te non eſt abſconditus. Videtur aliquando ridere ſeruus Dei, ſed deſiderium eius, & gemitus eius, licet non ſemper perueniat ad aures hominum ſed nunquam recedit ab auribus Dei.* Hactenus Auguſtinus.

Auguſtin. in Pſalm. 6. Lectus animæ quis ſit.

Rigare plus eſt quàm lauare.

Auguſt. in Pſal 37. Rugitus animæ quis ſit.

Lacrymarum nomine quid præcipue intelligat Sanctí.

Errant igitur homines, qui pœnitentiæ ſuæ ſummam reponunt penes lacrymas deforis explicitas, quaſi verò profluuium illud aquæ repentis eſſet indubia teſſera animæ pœnitentis. Non damno quidem lacrymas, ſi ex corde contrito fluunt; ſed eas floccipendo, ſi ſolæ ſint. Id eſt, in caſſum omnino flemus præterita deliquia, ſi oculo madente cordis intima contabeſcunt. At ſecus corde mœrente ſiccis oculis anima ſibi Deum conciliat, qui præcipuè cordis munditiem, & non humentes oculos præuios

gratiæ

Chryſoſt. hom. 6. in Matth. Lacrymę nos Deo ſociant.

gratiæ prærequirit. Ita Chryſoſtomus hoc contextu. *Nihil tam conglutinat Deo, vt illa lacrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. Qui enim talis vita conſeruat tenorem, etiamſi in medio vrbis videatur habitare, quaſi in eremo tamen vaſtitate acquieſcit, & inter ſolitudines montium & ſecreta conuallium. Nullo enim tumultu rerum, ſtrepituque concutitur, nihil de præſentium auocatione conſpiciens, neque vllam ſatietatem de huiuſmodi luctu lacrymiſque percipiens, ſiue propria peccata, ſiue lamentetur aliena. Et idcirco Chriſtus hos præ cæteris pronunciauit beatos: Beati inquiens, qui lugent. Et quemadmodum, dicens, Paulus ait: Gaudete in Domino ſemper: Dixit hoc, eam proculdubio, quæ ex his naſcitur lacrymis, exprimens voluptatem. Sicut enim mundi gaudium triſtitia conſortio copulatur; ita etiam ſecundum Dominum lacrymæ iugem pariunt certamque lætitiam. Sic etiam illa in Euangelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibili in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum, largiſſimo lacrymarum fonte purgata. Siquidem continuò, & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberibus diluens lacrymis, ac propriis extergens capillis pretioſo rigauit vnguento. Sicut poſt vehementes imbres mũdus aer, ac purus efficitur, ita etiam lacrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur, atque tranquillitas, omniſque illa de peccatorum tenebris effuſa caligo tollitur. Et ſicut ex aqua, & ſpiritu, ſic rurſus ex lacrymis, & confeſſione purgamur. Sed illas ego requiro lacrymas, quæ non oſtentationi proficiunt, ſed compunctioni, quæ funduntur occultè, quæque ex illo dolore profluunt, quæ tenera conſcientiæ theſaurum, & pectoris arcana colantur, quæ per afflictas genas nullo hominum teſte voluuntur, quæ ſummo in ſilentio, & quiete deſiliũt, quæ ex intimo cordis ebulliunt, quæ ex tribulatione & dolore naſcuntur, quæque ſolius Dei oculis offeruntur. Quales certè illæ erãt Annæ aliquando lacrymæ, de qua dicitur: Labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur. Sola quidem lacrymæ emittebant ad Dominũ vocem omni buccina clariorẽ; & idcirco ſterilitatem eius in fœcunditatem mutarunt, & quaſi è duro quodam ſaxo agrum fertilẽ reddiderũt.* Vnde revera potuit hæc Anna dici lacrymis imprægnata.

Philip. 4.

Lacrymæ Magdalenæ quàm fuerint efficaces.

Lacrymæ quales debẽt eſſe, vt ſint Deo acceptæ.

1. Reg. 1.

Lacrymæ Annæ matris Samuelis eã fœcundarũt.

Eius & fœminæ æquiorem ſortem participat anima lacrymis tincta: quamuis enim aliàs eſſet inepta ſacris, vtpote ſterilis, & nulla prorſus enixa virtutum ſpecimina, quorum ſuffragio ſiſti poſſet altaribus; vbi tamen ſoluitur in lacrymas, PVRO FOECVNDA RORE talis anima fœcundatur. Etenim accingitur his cautelis omnibus quas depoſcit illa Domini menſa, quam participare nefas eſt, niſi congruo ritu, eo ſcilicet, quem memini ſollicitans homines ad balnea, quibus adhibitis olim cœnabant homines toto corpore repurgato. Vt rei charæ iactura fletum conciliat; ita anima memor, ſe excidiſſe Deo, & gratiâ eius, & penſans, vti par eſt, diſcrimen in quod incurrit facta vitiis omnibus obnoxia, proculdubio tota in lacrymas effundetur. Proderit ad excitandas lacrymas, ſpectare aliquem amarè ſua deflentem crimina. Vt namque ridentes, inuitos etiam homines prouocant ad cachinnos; ita & qui acerbo animo lugent ſoluti in fletus, alios excitare ſolent ad ſimile profluuium, ita vt ſimul lacrymis inundentur. Huiuſmodi balnea fletuum diſponet Origenes, ſi eius opus eſt quod nomine ipſius circumfertur, vbi immerſus lacrymis, contritis omnibus lacrymandi ſuppeditat locuples argumentum. Sic ille.

Lacrymæ excitantur ſi quis ſpectetur illacrymans.

Heu mihi dolor cordis mei. Heu mihi afflictio animæ meæ. Heu mihi mater, quæ peperiſti me, quaſi virum religioſum in impietatem delapſum, virum filium regni Dei, & nunc filium regni nequam, virum decoratum honore, in honeſtatem conſecutum. Heu mihi mater, quæ quaſi peperiſti turrim altam, & ſubitò vſque ad pauimentum proſtratam, ſicut arborem fructiferam, & ſubitò marcidam, ſicut lampadem luciferam & ſubitò extinctam, ſicut fontem abundantem aquis, & nunc ſubito exſiccatum. Heu mihi, qui omnibus bonis ornatus eram, & nunc ab omnibus deſertus apparui. Sed quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum, vt plangam meipſum in contritione mea? Heu mihi ſacerdotium quomodo te plangam? Heu mihi presbyteriũ, quomodo te lugebo? Plangite me amici, quem planxerũt Angeli. Plangite me vniuerſi, quia lapſus ſũ à gloria mea. Sicut enim vineã fructiferam plantauit me Dominus, & pro botris reddidi ſpinas. Sed moueantur fontes lacrymarum, & irrigentur maxillæ meæ, fluant ſuper terram, & irrigent eam, quia humectatus ſum iniquitatibus. Heu mihi quid paſſus ſum? Quomodo cecidi? Non eſt dolor ſicut dolor meus, & non eſt afflictio ſuper afflictionem meam. Non eſt amaritudo ſuper amaritudinem meam, nec gemitus ſupra gemitum meum, vtique neque peccatum ſuper peccatum meum. Vbi eſt ille, qui ab Ieruſalem deſcendebat in Iericho, atque à latronibus vulneratum curauit.

Origen. lib. qui inſcribitur planctus Origenis.

Rurſus ille reſumens idem thema ſuo ipſius exemplo probat animam memorem delictorum, habere lacrymarum locuples argumentum. Vtque Poëta aſſerere.

——————— *Eſt quædam flere voluptas.*

Ibidem.

Origenes ita ſibi ciet lacrymas, quarum fluxu ſingularem percipiebat animi lætitiam. *Flebam,* inquit, *aliquando Samſonem, ſed peiora perpeſſus ſum. Samſoni coma capitis deeſt, meo verò de capite, corona gloriæ cecidit. Plangite me deſolatum ab omnibus bonis. Plangite me populi ſancti, repulſum à Domino. Plangite deſolatum à Spiritu ſancto. Plangite me expulſum à thalamo Chriſti. Plangite me odibilem factum Sanctis, & Angelis. Plangite me, quia in terra ſũ, & à cõſciẽtia iam torqueor. Si quis poteſt, orationibus me adiuuet & lacrymis. Quis ſcit, ſi miſerebitur mihi Deus, & reſpiciet ruinã meã, & miſerebitur mei, & reſpiciet deſolationem, & viſcera ſua ſuper me mouebit? Sed cadam ante limina portarum; vt deprecer omnem populum, puſillum & magnum dicamque eis: Conculcate me ſal ſtultum, ſal inſipidum, Porrigite mihi manum Sancti Spiritus, aperiantur mihi fontes lacrymarum.*

Credo imponi Origeni ab his, qui effinxere voces has flebiles: dubia namque ſalus eius non eſſet, ſi tali affatu & fletu ſua retroacta piacula ſeriò detrectaſſet. Nulla nempe lepra eſt peccatorum, quam non diluant & detergant calida balnea lachrymarum. Dixi ſupra ex Iuuenale, & Perſio poſt balnea fuiſſe vnctos homines torrido Sole deſuper illucente. Ita & ſuadeo pœnitentes ablui lacrymis vtique calentibus, vtpote prouocatis amoris æſtu, quales ſunt illæ lacrymæ, quas Baſilius ait eſſe Sanctorum. *Sanctorum lacrymæ proſiliunt à feruore charitatis, quæ toti erga Deum flagrant. Oculis enim cordis in eũ indiuulsè*

Lacrymæ calidæ quæ ſint.

Baſil. homil. de grat. actione.

coniectis quem diligunt, lætitiam ſibi illinc accumulant. Ita profectò ſuas & delicias habent lacrymæ, quas ſic vnctio conſequitur. Voce nimirum vnctionis hilaris animus ſacro codice recenſetur? Et Pſaltes numine afflatus, vnctionem illam, id eſt, animi lætitiam vult præire ſacramento panis Chriſti. Ecce diuinum oraculum. *Exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Cùm ergo lacrymis elicitis amoris æſtu maximè concilietur illa lætitia præambula Cœnæ Chriſti, ſicuti vnctioni balnea præibant calida; quiſquis congruo apparatu pane ſalutari vult refici, is ſatagat gratiâ Dei inungi, quæ comes eſt ſinceri gaudij, quod lacrymarum flumine procuratur. Quippe gratis animus anhelat ad gratiæ vnctionem, ſi aliàs vitiis obnoxius, haudquaquam thermas, id eſt, feruida fletuum balnea frequentarit. Nempe velut ære lacrymarum veneunt vnctiones, Deo ſic moderante vices rerum, vt gaudia & lacrymæ alternis eant, iuxta Baſilij effatum. *Ad veſperum*, inquit, *demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Veſpera ſæculum hoc dicitur, in quo qui ad ſuam beatitudinem plorauerint, adueniente poſtea matutino conſolabuntur. Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, beati qui flent, quoniam ipſi ridebunt. Quicumque igitur dies ſæculi huius in conſummatione iam exiſtentis, & ad occaſum vadentis in plorandis peccatis exegerint, hi demum, verè illo matutino adueniente gaudebunt. Qui enim ſeminant in lacrymis, in exultatione metent, nimirum in ſæculo illo futuro.*

Animi lætitia præire debet Euchariſtiæ. Pſal. 103.

Lacrymæ, & gaudia alternis eunt.

Baſil. hom. 7. in Pſal. 29.

Euchariſtia frumentum eſt electorum, quod qui terræ mandat comite pluuia fletuum, ille profectò metet ſereno cœlo: nam poſt nubila Phœbus. Et illa rerum omnium viciſſitudo potiſſimum cernitur in ſanctorum vita, quæ lacrymis ferè tota alluitur. Vnde Hieronymus ita commentatur. *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Hoc ipſum & Apoſtolus loquitur, quoniam ſecundum labores, & miſerias, quas in iſto ſæculo patimur, habemus mercedem apud Deum in cœlis. Magnitudo tribulationum, magnitudo eſt præmiorum. Quot patimur vulnera, tot metemur & coronas. Hoc eſt quod dicit, quoties egi pœnitentiam, toties me conſolatus es. Vnam fudi lacrymam, vnam merui conſolationem. Decem fudi lacrymas, decem conſolationes merui. Quantumcumque fuit pondus lacrymarum, & pœnitentia, tantus fuit & conſolationis numerus.* Probitatis atque lacrymarum iuge commercium, agnouerunt etiam priſca ſæcula Gentilium, fuit enim tunc temporis hoc tritum adagium. BONI VIRI LACRYMABILES. Vnde quia mundus eodem tenore gyrat, & ſinguli quique probi homines non coüntuntur lætis ſæculi rebus, ideo lugent illi, ſtatque prouerbij veritas inconcuſſa.

Sanctorum vita ferè tota lacrymis alluitur.

Hieronym. in Pſalm. 95.

Lacrymæ cõciliant Dei conſolationes.

Eraſmus in Adagiis.

Concinit Auguſtinus meo intento. *Abſterget*, inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, quoniam priora tranſierunt. Quis enim tam ſit abſurdus, & obſtinatiſſima contentione veſanus, qui audeat affirmare in huius mortalitatis ærumnis vnumquemque ſanctorum, nullas habentem lacrymas, & dolores, cùm potius quantò quiſque eſt ſanctior, & deſiderij ſancti plenior, tantò ſit eius in orando fletus vberior. An non eſt vox ciuitatis ſanctæ Ieruſalem, quæ dicit: Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte? Et lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Et gemitus meus à te non eſt abſconditus, & dolor meus renouatus eſt. An verò non eius filij ſunt, qui ingemiſcunt grauati, in quo nolunt expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita? Nonne ipſi ſunt, qui primitias ſpiritus habentes in ſemetipſis ingemiſcunt, expectantes redemptionem corporis ſui? An ipſe Apoſtolus Paulus non erat ſupernus Ieroſolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando pro Iſraelitis fratribus carnalibus ſuis triſtitia illi erat magna, & continuus dolor cordi eius? In ſæculo autem futuro abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.*

Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 17.

Vt ergo veteres benè loti, & vncti diſcumbebant, ita & Chriſtiani debent ad Chriſti Cœnam accedere benè terſi lacrymarum ſuffragio: alioquin malè eis cedet illa communio facta ſecus, vt pote nequiter attentata. Multæ in eo argumento recoluntur hiſtoriæ terribiles. In his potiſſimum ſcitu digniſſimæ ſunt illæ, quas meminit Cyprianus dicens etiam paruulam filiam, quæ ante comederat idolothyta, id eſt, de ſacrificiis idolorum, cùm poſtea à Diacono ſacrum calicem accepiſſet, diris fuiſſe poſtea motibus agitatam. Subiicit & aliud exemplum de fœmina adulta, quæ indignè ſumpta Euchariſtiâ concidit exanimis; confeſſa, antea ſe ſenſiſſe ſuas fauces ſacrilegas acuto velut gladio terebratas. Alibi quidpiam de Cypriano memini; ne cauſeris me laudaſſe mutilum, accipe integrum, ne iure lugere queas celebres hiſtorias ſtylo compendioſo fuiſſe antea decurtatas. *Præſente ac teſte meipſo* (inquit Cyprianus) *accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minus ſibi conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magiſtratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero miſtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum tam loqui, & indicare non potuit, quàm nec intelligere potuit prius nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella miſta cum ſanctis, precis noſtræ, & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis, conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolennibus adimpletis, calicem diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen diaconus, &, reluctanti licet de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore, atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit; tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas. Secreta tenebrarum ſub eius luce detecta ſunt, ſacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hæc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. At verò ea quæ ætate prouecta, & in annis adoleſcentibus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſumens, &* velut

Indignè cõmunicantes malè à Deo excepti.

EX HISTORIA.

Cypr. ſerm. de Lapſis.

Mira hiſtoria de paruula non ferente ſacram Euchariſtiam, quia habebat os pollutum vino libato idolis.

Mulier adulta concidit exanimis poſt Euchariſtiã indignè acceptã.

velut quadam venena lethalia, inter fauces, & pectus ſanguinem admittens, angi, & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non tam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ fefellerat hominē, Deum ſenſit vltorem.

Procul dubiò in hoc diſcrimen non incurriſſet hæc mulier, ſi ſua piacula quantumuis grauia ſalutaribus fletuum balneis immerſiſſet. Nullæ nimirum ſordes animam inficiunt, quam facti pœnitentem, & compoſitam ad meliorem frugem feruidi lacrymarum latices alluerunt. Denuo audiendus eſt Cyprianus accumulans hiſtorias vindices iniuriæ, quæ ſacramento altaris quotidie ab hominibus impiis irrogatur. Sic ille pergit in ſerie exemplorum, quæ conducunt ad ingerendam reuerentiam erga ſacra, quorum aditus tantùm peruius eſſe debet mentibus illibatis. *Cùm quadam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipſe maculatus ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit. Documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe, quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente mutetur. Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quàm multi vſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cùm per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quàm delinquentium multitudo numeroſa. Vnuſquiſque conſideret, nō quid alius paſſus ſit, ſed quid pati, & ipſe mereatur. Nec euaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi dei iudicij cēſura ſeruauit.* Vtinam prælibata mala faciant ſacrilegos homines poſtea cautiores.

Cypr. vbi ſuprà.

Euchariſtiæ panis mutatus in cineres, inter manus volentis indignè panem illum ſumere.

REFRICATVR DENVO paræneſis ſollicitans inuitatos ad Cœnam Chriſti, vt diſcumbant prævio congruo apparatu.

§. VI.

Ex Antiqvitate, et ex SS. Patribvs, et ex Symbolis.

Ex Antiqvitate.

Veteres ſuſpicati in epulis quidpiam ineſſe ſacrum, vt præfatus ſum, iiſdem ferè ritibus acceſſerunt ad menſam, quibus ad altare. Etenim præter lauacra adhibita ante epulas, veſtes etiam ſingulares ad celebrandas epulas induerunt. Græcis fuere nuncupatæ veſtes illæ, ἐνδύματα δειπνικὰ, ϛολαὶ δειπνίτιδες. Id eſt, *Veſtes accubitoria, & cœnatoria.* Romani dixere cœnatoria in plurali numero neutraliter ſumpto. Aliàs appellarunt veſtes illas Syntheſes. Vtriuſque nomenclaturæ Martialis exempla ſuppeditat verſibus his ſubiectis.

Veſtes ſingulares vſurpatæ in epulis.

Veſtes epulis adhibitæ quo fuerint nomine recenſitæ.

Martial. lib. 10.

Pugnorum reus, ebriaque noctis.
Cœnatoria mittat aduocato.

Et in Apophoreto cœnatoria.

Nec fora ſunt nobis, nec ſunt vadimonia nota
Hic opus eſt pictis accubuiſſe thoris.

Ruſus ille probans aliam nuncupationem, qua veſtis aſſumpta ad Cœnam dicta fuit Syntheſis, ita ludit ſuo more ſugillans Zoilum.

Vndecies vna ſurrexti, Zoile Cœnâ,
Et mutata tibi eſt Syntheſis vndecies

Suetonio familiaris eſt illa nomenclatura, vt cùm ait Neronem plerumque prodiiſſe in publicum ſyntheſina indutum, id eſt, habitu conuiuali. Quod tamen Spartianus ait Imperatorem Hadrianum vetuiſſe fieri ab Equitibus Romanis, quos ſemper togatos voluit prodire foras niſi eo temporis articulo, quo redibant à Cœna. Fauet & locus ille Pomponij in Pandectis vbi carpit Senatorem quemdam ſolitum vti muliebribus cœnatoriis. Mos fuit ferre ſecum cœnatorias veſtes, aut ſi quando deeſſent, eas accipere à Domino conuiuij, qui ad ſplendorem epularum & hoc adiiciebat argumentum liberalis animi, vt ſcilicet conuiuas ſuos congruis etiam veſtibus exornaret. Luculentum extat in illo themate exemplum de Maximino inuitato ab Alexandro, vt ſcribit Capitolinus hoc tenore. *Cum ad Cœnam ab Alexandro eſſet vocatus, in patris honorem, quòd ei deeſſet veſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit.*

Neronis luxus prodeūdo foras habitu conuiuali.

Suet. in Nerone.

Vetitum prodire foras habitu conuiuali.

Spartianus in Hadriano.

Pompo. ff. l. 34. titul. 2.

Iulius Capitolinus in Maximino.

Veſtes illas epulares fuiſſe candidas, plurium nationum inſtituto liquet. Priores Hebræi occurrunt, quos Philo Iudæus ait celebraſſe conuiuia indutos veſtibus albis, hoc enim ſignificat quando vocat conuiuas λευχειμονοῦντας. Liber item rituum ad quorum trutinam Iudæi appendunt ſuas ferè omnes actiones, indicit eis vſum veſtium candidarum in publicis tripudiis & choreis. Ecce edictum. *Decima quinta menſis Ab, id eſt Iulij, filiæ Ieruſalem egrediebantur in veſtibus albis, quas qui non habebant à diuitibus mutuò ſumebant, ne cui veſtes deerant remorarentur, quò minus ad choreas venirent: omnes veſtes lauabantur. Filiæ Ieruſalem egrediebantur, & choreas ducebant in vineis.* Ad hæc conuiualia indumenta alludit Chriſtus dicens ex epulis ſolennibus fuiſſe quemdam turpiter abactum, quia non habebat veſtem nuptialem. Fuit & Romanis familiare illud inſtitutum albis veſtibus indui ſingulis quibuſque ſolennitatibus, vt videre eſt his verſibus Horatij.

Veſtes epulares olim albæ.

Philo lib. de vita Theoretico.

Libro Tabanis fol. 26.

Veſtes albæ vſitatæ in epulis Hebræorum.

Matth. 22.

Romanis albis indui in feſtis.

Ille repotia, natales, alioſue dierum
Feſtos albatus celebret.

Horat. lib. 2. Satyr.

Vopiſcus tripudiantis Romæ ſpeciem, ſic oculis ingerit. *Tantum illud dico: Senatores omnes ea lætitia eſſe elatos vt domibus ſuis omnes albas hoſtias caederent, albati ſederent.* Huius & moris aſſertor eſt Perſius ita Iouem compellans.

——— *Negato*
Iupiter hoc illi, quamuis te albata rogaret.

Perſius.

Suum & album calculum Prudentius confert, pro re candida, quam ſic verſibus adſtruit.

Exultare patres, videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque ſenum geſtire Catonum:
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere.

Prudentius contra Symmac.

Concors Ouidius & ipſe probat populum celebraſſe ſua feſta veſtibus illibatis.

Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

Ouid. lib. Faſt.

Cùm igitur præcipuæ feſtiuitates deſinerent in epulas, fuit è re conuiuarum nunquam diſcumbere in ſolenni Cœna niſi veſtimenta colore niueo candicarent. Vnde locuples argumentum inuehendi in Vatinium Cicero deſumpſit, quia in celeberrima Cœna pullato amictu aſſedit. Ecce

Vatinius carpitur, quia cœnauit atratus.

Ciceronis acrem inuectiuam. *Atque illud etiam ſcire cupio, quo conſilio, aut quamento feceris, vt in epulo Cn. Arij familiaris mei cum toga pulla accumberes: quem vnquam videris, quem audieris, quo exemplo, quo more feceris? Dices ſupplicationes te illas non putaſſe. Optimè. Nulla fuerint ſupplicationes. Quis vnquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris, epula quidem ipſa dignitatis. Sed omitto epulum populi Romani feſtum diem argento, veſte, omni apparatu viſendo: quis vnquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla vnquam data eſt? cùm tot hominum millia accumberent: cùm ipſe epuli dominus Quintus Arius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris, te cum Caio Figulo atrato, cæteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti. Quis tum non ingemuit,* &c. *Hunc tùm morem ignorabas, nunquam epulum videras? nunquam puer, aut adoleſcens inter cœnos fueras? Fauſti adoleſcentis nobiliſſimi paulò ante ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla, & eius amicos ante conuiuium? Quæ te tanta tenuit amentia, vt tu niſi id feciſſes, quod fas non fuit, niſi violaſſes templum Caſtoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterum, eius qui te inuitarat auctoritatem, parum putaras teſtificatum eſſe, ſupplicationes te illas non putaſſe.*

Cic. in Vatinium.

Veſtes albæ vſurpatæ à Romanis in epulis.

Grauis hæc cenſura notat, fuiſſe religionis iniuriam Romæ pulla veſte ſolennibus epulis adſtitiſſe. O ſi daretur copia auditorum omnium, in quos intorquere licet hæc ſpicula Tullij ſuccenſentis in hominem, qui profanas epulas frequentarat atro amictu; turba foret multa! Quippe multi accedunt ad Domini Cœnam animo nigricante: nulla habita ratione loci, neque cibi, neque Dei, in quem redundat ſacrilegus hic contemptus. Hi reuera peccant in præceptum, Deo legiſlatore indictum omnibus hominibus inuitatis ad menſam, vbi ſacer ille panis apponitur, quo opimo ſimul animæ & corpora recreantur. Huiuſce nitidum conuiuij ſacri præſcius Salomon Eccleſiaſten agens, ita ſollicitat homines, vt ſe accingant ſicut decet ad veſcendum pane ſancto. Sic, inquam, Numine percitus Rex ſingulos quoſque homines adhortatur. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Qui locus non ad literam debet intelligi ita vt albis ſemper veſtibus induamur. Alioquin incurremus in diſcrimen Siſinnij Nouatiani Epiſcopi, qui ſemper albis indutus, & frequens in epulis, animi ſui mollitiem præfatis illis Eccleſiaſtæ vocibus excuſabat. Quaſi verò Scriptura ſacra magis non attendat animæ cultum, quàm corporis. Muliebris huius animi indolem, & reſponſum meminit Socrates hiſtoricus. Textum illum, qui ſuadet veſtem candidam nō eſſe cortice tantùm tenus intelligēdum, elegāter ait Hieronymus. *Veſtes* (inquit) *pullas æquè deuita ac candidas. Ornatus, & ſordes pari modo fugienda, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.*

Eccleſiaſtæ. 9.

Veſtium albarum vſum conſulit Salomon.

Siſinnius Nouatianus Epiſcopus ſemper albis indutus.

Socrat. l. 6. c. 22.

Hieronym. lib. 2. epiſt. 14.

Itaque ritus Eccleſiæ neophytos induentis veſtibus albis, quidpiam ſpiritale ſonat, quo vt congruo typo candor animæ commendatur. Vnde & Paulinus ſic occinit.

Baptizati olim quare albis induti.

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niueos, corpore, corde, habitu.

Candidus ille amictus olim baptizatis datus, ingerebat eis puritatis & gratiæ ſpeciem, qua tincti cœlitus ornabantur: ne degeneres aliquid committerent, quo ſordibus inficerent animam filiorum Dei ſanctis inſulis inſignitam. Fuiſſe hoc intentum Eccleſiæ luculenter eloquitur Lactantius hoc carmine.

Rex ſacer ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cum puras animas ſacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis;
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Lactantius carm. de reſurrectione.

Fuere & Angeli aſſertores huius ſententiæ: Chriſto quippe rediuiuo beatæ illæ mentes apparuere in albis, mulieribus ſtātibus ad ſepulchrum ſic probantes, illâ ſuâ ſtolâ candidâ ſtatum beatitudinis & gratiæ deſignari. Hoc & ingerit bellè Gregorius Nazianzenus, qui orationе facta veſtis huius albæ, illam afficit præclaris encomiis, & præſertim hoc titulo luculento, *ἀφθαρσίας ἔνδυμα*. Id eſt. *Veſtimentum incorruptionis*, *ἔνδυμα αἰσχύνης κάλυμμα. Veſtimentum quod eſt turpitudinis tegumentum.* Veſtes niueo candore ſplendidas, eſſe typum gratiæ & gloriæ Ioannes accepit, voce cœlitus referente typum gratiæ & gloriæ, hoc veſtis ſymbolo candicantis. Ecce ſupernum oraculum vocis, quæ Ioannis auribus inſonuit. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, & ambulauerunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

Angeli quare ſæpe apparuere in albis.

Matth. 28.

Veſtes albæ ab Eccleſia vſurpatæ poſt baptiſmum quid notarint.

Nazianzen. orat. de ſancto lauacro.

Apocal. 3.

Cùm ergo fidelibus ego ſuadeo, vt diſcumbant habitu, quo Hebræi quondam, & Romani, id eſt, veſte candida, nolo niueas induci ſtolas in Cœnam Chriſti, ſed inculco nitorem animæ, qui appoſitè ſatis illâ niuis teſſerâ lineatur. Et hoc etiam ſuſpicor intendiſſe Magos, qui Perſis aiebant Deo placere ſacra in albis facta. Imò color albus fuit ſemper boni ominis, vt ſecus infauſti color ater. Vnde Perſius ſic ludit in colore vtroque.

Perſarum mos indui veſtibus albis faciendo ſacra.

Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim.
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.

Perſius Satyr. 5.

Ita & forma adagiali homo, cui cedebant omnia pro votis, dictus eſt, albæ gallinæ filius; alius verò, cui nihil omnino ad arbitrium erat, dicebatur editus infœlicibus ouis. Denique famoſum eſt ſcomma intortum in hominem neſcium albedinis

Albæ gallinæ filius. quis dictus ſit.

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Erasmus in Adagiis.

Chriſtiane, caue ſpiculum illud, & præcipuè accedens ad epulas, quas ſubire nefas & profanum eſt animæ nigreſcenti. Cautior ſanè fies, ſi Chryſoſtomo morem geris ita ſuadenti. *Menſæ iſti Angeli adminiſtrant. ipſe Rex adeſt; & ſqualet ſordibus vitiorum pallium animæ tuæ? Sed pura eſt anima tua ſtola, inquies. Igitur accumbe menſæ, & eſto particeps Dominici corporis: venit quotidie Rex, vt intueatur diſcumbentes, & cum vniuerſis ſermonem familiariter, & nunc quidem in quorundam conſcientia tacitus inſuſurrat: Amice quomodo huc acceſſiſtis, non habentes veſtem illam nuptialem? Quomodo huc intraſti, ait, & quomodo diſcubuiſti? Omnis enim, qui non eſt ſacramentorum particeps, impudens admodum ſit hic oportet*

Quo cultu accedendum ad Cœnam Chriſti.

Ex SS. PATRIBVS.

Chryſoſtom. ſerm 3. in ep. Pauli ad Epheſ.

vt

vt qui ſic temerè adſtiterit ſacris. Ob hoc enim, qui flagitiis noſcuntur eſſe contaminati, prius eliminantur templi foribus, quam communio ſumenda dignis proponatur. Scriptum eſt: Beſtia quæ tetigerit montem, lapidibus obruetur. Vſque adeo indigni cenſebantur montis illius aſcenſu, id eſt, ſacra communione, qui ſancti non ſunt. Vtinam ſedulò fideles attenderent ad hæc prouida moni-

Exod. 19.

ta, quibus inſinuat ille Præſul, haudquaquam ſatis eſſe carere vitiis, niſi & candida refulgeat teſſera ſanctitatis. Namque parum eſt tinxiſſe lauacro fletuum collectas animæ ſordes, lotus eget veſte & ſincera, vt peruia ſit illi Cœna Chriſti, quæ vt munda capit terſos in veſte nitida conuictores.

Sancta Sanctis vox vſurpata à diacono ante communionem.

Non itaque ſatis ſit animæ dediſſe libellum repudij prauis affectibus, alius etenim cardo eſt, in quo vertitur ſumma ritus accedendi ad ſynaxim illam ſanctam, ſolis etiam ſanctis mentibus apparatam. At ſanctitas aliud omnino clamat præter repudium vitiorum: ille nimirum animæ decor vt ſibi conſtet, virtutum omnium habitum petit, quo inducto ſanctitas afficit animam ſuis numeris omnibus abſolutam. Audiendus denuo

Chryſoſtom. homil. 17. in epiſt. ad Hebræos.

Chryſoſtomus. *Sancta*, inquit, *hæc Sancta conceſſa ſunt. Hoc etiam diaconus inſinuat in illa hora Sanctos vocans ad Communionem, & dicens Sancta Sanctis. Ac ſi diceret: Si quis non eſt ſanctus, nō accedat. Non ſimpliciter dicit à peccatis mundus, ſed ſanctus. Sanctum enim non mundatio peccatorum facit tantùm, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia. Si enim Rex Babylonius, ex captiuitate eligens iuuenes, honeſtos forma, & decoros facie elegit, multò magis, & nos adſtantes menſæ regali, honeſtos ſpecie animæ eſſe oportet, ornatum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formoſum, oportet eam ornatu aureo circumdatam eſſe, cingulum veritatis habere.*

Sanctum eſſe quid ſit.

Balneorum inſtitutum ante Cœnam, & veſtes candidæ, duo præcipuè nobis inſinuant. Primum, nihil omnino in nobis debere eſſe illotum. Nam vt balnea totum corpus alluebant, nulla prorſus parte refuga laticis infuſi; ita pœnitentis anima perfuſa lacrymis oculos tergit, mundat aures, manus & pedes abluit, totamque ſe facit hoc fletuum obſequio defæcatam. Alterum eſt, animam ſic aptatam in meliorem frugem, debere ſingula quæque membra ornare cultu congruo, vt & fecit Heroina Iudith, cuius apparatus ad conueniendum Holofernem ſacro etiam Codice commendatur. Illa quippe rata parum eſſe lauiſſe corpus & faciem, adiecit & vnguenta ſuaue fragrantia, ſplendidas veſtes induit, pedes, & manus congruo ornatu texit, & aures appenſis gemmulis inſigniuit. Ecce genuinam hiſtoriam ex Scriptura ſacra.

Apparatus Iudith ad conueniendum Holofernem.

Iudith 1.

Iudith cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco in quo iacuerat proſtrata ad Dominum. Vocauitque Abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe: Cui etiam Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex virtute pendebat. Nota, facienti quod in ſe eſt adiuto gratia Dei actuali, Deum potiores etiam gratias impertiri.

Multi ſacrilego facinore accedunt ad Euchariſtiam.

Sed heu! tantùm abeſt, vt hoc ſæculo Chriſtiani ſtudeant in virtutum gymnaſio, vt illis tandem aliquando congruis actibus aſſueſcant. Quin imò vitiis fere omnibus obnoxij æuum ſuum ducunt incurij de meliori fruge, & bibentes velut aquam iniquitatem, accedunt ad Cœnam Agni animo conſpurcato. Bernardus hoc ſacrilegum facinus luget hoc contextu. *Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cùm omnes nos ſua ſingularitate turbauerint, ſua impatientia irritauerint, ſua rebellione contempſerint, ſua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum totius puritatis Dominum inuitare. At cùm extenderitis, ait, manus veſtras auertam oculos meos. Quid enim? Lectulus noſter floridus? Magis autem, & putridus eſt, & tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pauſandum hoc facis, an ad cauſandum, & irritandum? Centurio vetat illum intrare ſub tectum ſuum propter indignitatem ſuam, cuius tamen fides in vniuerſo redolet Iſrael; & tu ad te compellis intrare tantorum ſordens ſpurcitiâ vitiorum? Clamat Apoſtolorū Princeps: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum; & tu dicis: Intra ad me Domine, quoniā Sanctus ſum. Emunda conſcientiā tuam ab omni inquinamento iræ, & diſceptationis & murmuris & liuoris, & quicquid omnino aduerſari cognoſcitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ ſeniorum, de cordis habitaculo eliminare feſtines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quoque actuum, & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum; id eſt, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bona fama, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ. Ad iſtiuſmodi lectum ſecurè vocabis ſponſum, quoniam cùm introduxeris eum, veraciter poteris dicere & tu: Lectulus noſter floridus eſt, redolente nimirum conſcientia puritatem, pacem, manſuetudinem, iuſtitiam, obedientiam, hilaritatem, humilitatem. Qui his caret peccator, lectulus fœtidus eſt, quem ſponſus abhorret.*

Bernard. ſer. 46. in Cant.

Anima vitiis obnoxia lectulus eſt putridus Euchariſtia quem lectulum floridū ab homine petat.

Anima virtutibus ornata eſt lectulus floridus.

Patres ferè omnes, quaſi condixiſſent, illi puritati litant, quam depoſcit ille panis ſanctus; ac proinde ſelectis ſententiis illam ſtabiliunt concluſionem, quam adſtruit ſecunda pars illius homiliæ, tota addicta cautelis, quas exigit Deus à conuiuis, quos ad Cœnam ſuam cœlitus inuitauit. Patrum agmen claudet Origenes, qui ſpeculatus præceptum obſtringens Iudæos manducare in loco ſancto reliquias ſacrificij, ſubodoratur in eo edicto quidpiam pertinens ad noſtrum corporis Chriſti Domini ſacramentum. Sic ille. *Manducabunt eum in loco ſancto, id eſt, in anima pura. Neque enim conuenit, vt Sancta, anima non ſancta ſuſcipiat: ſed cùm purificaueris ſe ab omni inquinamento carnis, & morum, tunc locus ſanctus effectus, capias panem illum, qui de cœlo deſcendit. Ecce iſta tibi proponuntur, vt cùm acceperis panem myſticum, in loco mundo manduces eum, hoc eſt, ne in anima contaminata, & peccatis polluta Dominici corporis ſacramenta percipias. Quicumque enim manducauerit panem, & calicem Domini biberit indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Sancta enim Sanctorum ſunt. Vides quomodo non dixit, ſancta tantummodo, ſed Sancta Sanctorum, ac ſi diceret: Cibus iſte ſanctus, non eſt communis omnium,*

Quomodo debeat ſumi Euchariſtia.

Origen. homil. 13. in Leuit.

Euchariſtia eſt Sancta Sanctorum.

ninm, nec cuiuſque indigni, ſed Sanctorum eſt.

Dixi ſuprà, locum fuiſſe canibus in epulis, quia erant ipſi ſuis dominis vtiles, ac proinde digni, qui etiam communi ferculo veſcerentur. Mulier Chananæa ſe profeſſa canem, conciliauit ſibi gratiam Domini, qui ſacras epulas inſtruxit: ſuo exemplo probans, humilitate viam ſterni ad menſam Chriſti, quæ eſto ſolis filiis ſit libera, nemo tamen ab ea ſecernitur, ſi ſe illa indignum contrito animo confitetur. Tertio tomo texui encomia fœminæ huius idololatra Gente ſatæ; non erit abs re denuo reuocare Patres encomiaſtas eius vt laudes illi exhibitæ nos etiam ſollicitent ad fidelis huius animæ indolem æmulandam. Nempe ſemel & iterum paſſa repulſam à Chriſto mulier illa prudens, & vocata canis, animo tamen non excidit, ſed annuendo voci ingloriæ ſibi, vltro ſe confeſſa canem, propitium fecit ſibi Dominum, & quem cenſorem acerbum paſſa fuit, habuit poſtmodum, & præconem.

Chryſoſtom. homil. 53. in Matth.

Præſtat in eo argumento ſiſtere Chryſoſtomum. *Quanto illa feruentius orat, tanto ipſe vehementius retrudit, nec oues Iudæos amplius, ſed filios, ipſam verò canem appellat. Quid igitur mulier? Ab ipſis Chriſti verbis deprecatoriam orationem connectit. Nam etſi canis ſum, inquit, non penitus tamen aliena ſum. Rectè igitur Chriſtus dicebat, in iudicium ſe in mundum veniſſe. Philoſophatur alienigena fœmina, & dum contemnitur, ſingularem patientiam, præcipuamque fidem oſtendit. Iudæi verò tanto affecti honore, tot tantiſque miraculis admoniti, mala pro bonis reddunt. Non enim ignoro, inquit, quin neceſſaria hæc alimenta filiis ſeruanda ſint, verumtamen cur ego vetor, etiamſi canis ſum? Nam ſi nefas eſt quidquam accipere, nec micæ quidem ſumendæ ſunt; ſin verò licet quodammodo participare canibus, non omnino ipſa prohibeor, ſed potius hac ratione participare debeo. Hac de cauſa certè Chriſtus eam repellebat: nouerat enim ipſam iſta dicturam, ideo negabat gratiam, vt Philoſophiam eius omnibus patefaceret, non quia curare filiam eius nolebat, quam certè curauit, ſed quod ad Centurionem dixit: Ego veniens curabo ipſum, vt reuerentiam, & fidem illius nos perdiſcamus, ac audiamus dicentem: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, quodque in fluxum ſanguinis patiente fecit: Ego, inquit, noui virtutem ex me egreſſam, vt & miraculum, & fides illius pateret: quod denique in Samaritana, vt nec redarguta quidem deſtitiſſe noſceretur, hoc in loco facit: noluit enim talem, tantamque mulieris virtutem ignorationis tenebris obfuſcari. Non ergo quia negligebat, verùm vt repoſitum atque abſconditum in animo eius virtutis theſaurum in lucem protraheret, eam repellebat.*

Chriſtus fidelium virtutes facit palam.

Tribulationes virtutem latentem produnt.

Si Chriſtus eo nomine traduxit illam mulierem nomine iniurio canis affectam, vt ſic eius humilitatem præclaro encomio, & adiecto gratiarum fœnore commendaret. Profectò ei copiam feciſſet ſuæ Cœnæ ſacræ, ſi fuiſſet illa tunc temporis inſtituta. Namque canem quando ſe dixit hæc fœmina conſcia ſuæ nequitiæ, hac humilitate litans veritati, protinus adepta eſt filiæ dignitatem. Vt ergo ſortiamur infulas filiorum Dei, ac proinde fiamus participes eiuſdem cum eis menſæ, operæpretium eſt nanciſci humile ingenium fœminæ Chananææ. Quæ nempe ſe canem crediderit indignum veſci dapibus inſtructis tantùm filiis adoptiuis, illæ vices præcipuas obiit ad diuina fercula requiſitas. Vt altius inſideat animo facinus illud egregium, proderit adhuc audire Chryſoſtomum ſpatiantem in illo lato & vberi campo. *Tu, inquit, non ſolum fidem illius, verùm etiam humilitatem mecum admirare: nam cum ipſe Iudæos filios appellaſſet adeò procul aberat, ne liuore alienæ laudis contaminaretur, vt magis adiecerit, atque Dominos nuncuparit. Etenim catelli, inquit, edunt de micis, quæ cadunt de menſis dominorum ſuorum. Vides prudentiam mulieris? Vides quomodo nec contradixit, nec aliorum laudibus doluit, nec quia contemni videbatur, moleſtè tulit? Vides magnitudinem animi, atque conſtantiam? Non eſt bonum ipſe dicebat; atque illa; vtique Domine, reſpondebat. Filios ipſe Iudæos vocauit; illa dominos: in conditionem canum illam locauit, & confeſtim ipſam conditionem canum, atque ſtatum vltrò illa ſubiunxit. Mirabilis tibi videtur hæc humilitas, audias & Iudæorum iactantiam. Semen, inquiunt, Abraham ſumus, & nulli vnquam ſeruiuimus, & ex Deo nati ſumus. Non ſic certè mulier, ſed vt ſe canem, ita illos dominos appellauit, & hac humilitate ex abiecta conditione canum vendicata filia facta eſt. Quid igitur Chriſtus? Magna eſt fides tua, ô mulier. Ideo certè eam repellebat, vt ad hanc vocem conſequentia rerum conueniret, vt fulgente corona mulierem ornaret.*

Chryſoſtom. vbi ſupra.

Humilitas ad contemptum non exacerbatur.

Superbia ſe iactat. Humilitas ſibi gloriam conciliat.

Concolor eſt Chryſoſtomo Hieronymus, benè aduertens mulierem illam Deo afflatam meruiſſe panem integrum filiorum, quando micas cum canibus appetiuit. Sic ille fœminam inducit cum Domino colloquentem. *Scio me filiorum panem non mereri, nec integros poſſe capere cibos, nec ſedere ad menſam cum patre; ſed contenta reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem.* Quia mulier illa fideles habet pleroſque ſuarum virtutum æmulos, Hieronymus agnoſcit in illa typum Eccleſiæ pubeſcentis. *Mira,* inquit, *ſub perſona mulieris Chananitidis Eccleſiæ fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit Chriſtum ſanare poſſe filiam ſuam. Patientia, qua toties contempta, in precibus perſeuerat. Humilitas, quaſe non canibus ſed catulis comparat.* Vnum eſt profectò lugendum in hoc argumento canum; ſcilicet multos eſſe canes, qui ſuæ etiam conſcij nequitiæ filiorum panem accipere in Cœna Chriſti minimè dedignantur. Non ſuppetunt verba, imò nec verbera ſatis acerba ad caſtiganda canum ſacrilegia, illa aliquando æternis ignibus expianda. Eorum hominum nequam, infelicem effugiet ſortem, quiſquis attentè recolet iſtud Baſilij conſilium opportunum. *Oportet accedentem ad corpus, & ſanguinem Domini, non ſolum purum eſſe à quouis inquinamento carnis, ac ſpiritus, ne ad iudicium edat, & bibat, ſed oſtendere in vita memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt in eo quod & mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibi ipſi, & Deo viuit.* Qui ſecus fecit, ille flagris ab hac Cœna procul, cum canibus abigetur.

Humilitatis grande meritum eſt.

Hieronym. in Matth. c. 15.

Ibidem.

Qui ſe canē confitētur ille cooptatur inter filios Dei.

Humilitas de cane facit filium.

Eucharistiā ſumpt[illegible] cruciſtum vita ſua re[illegible]

Baſil. homil. 2. de Baptiſmo.

HOMILIA

HOMILIA QVINTA.

DE FERCVLIS COENÆ CHRISTI.

SVMMA HOMILIÆ.

I. *IN dedecus hoc eſt damnata ſors humana,ſuam vt nequeat prodere magnificentiam,ſine aliquo diſcrimine luxus,aut peccati.Hoc familiari epularum exemplo,ſicut & experimento liquet. Quippe ſolennes olim epulæ omnes interuentu alicuius vitij condemnantur. Vt ex malis moribus ortæ bonæ leges,ita noxius epularum apparatus Græcos,& Romanos obſtrinxit , vt leges ferrent idoneas,ad epularum vitia coërcendum.Vnus eſt Chriſtus,in cuius Cœna gazæ omnes coëunt citra metum luxus,aut vitij.*

I I. *Priori parte dicam,Cœnam Chriſti eſſe inſtructam eſcis , quæ cuncta vehunt, vnde poteſt fames hominis excitari.*

I I I. *Altera parte,ſalutare dabo conſilium , ad hoc vt quiſque fiat compos huius Cœnæ:quippe dicam faſtidiendos eſſe cibos omnes mundi huius ei,qui ſe accingit ad epulas Chriſti inuias omnibus;qui noxiis huius mundi epulis aſſueſcunt.*

PRÆFATIO:

Luc.14. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ , dicere inuitatis , vt venirent , quia iam parata ſunt omnia.*

NOTA lippis, atque tonſoribus eſt virtus olim inſita pani Angelorum, id eſt mannæ. Virtutis huius ſumma fuit, ſe aptare guſtui, & ſapori veſcentium ; ita vt appoſitum manna ad arbitrium conuiuarum guſtum afficeret , vnâ hac eſcâ ſolâ referente cibos omnes, & fercula lautiora. Scriptura ſacra commemorat illam multiplicem mannæ facultatem. Sapientiæ nimirum auctor, Deum ſic compellat.

Sapient.16. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum,& paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem; & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes oſtendebat, & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati,ad quod quiſque volebat conuertebatur.* Nemo planè inficiatur illam eſcam fuiſſe typum panis Chriſti, cuius pinguedo refert omnimodas cœlique,ſolique,ſalique dapes. Vnde ſicut figura figurato inferior eſt , ita ſacramentum Euchariſtiæ longè potius eſt manna Hebræorum,& menſa Cœnæ Chriſti ditior eſt epulis in deſerto inſtructis , vbi fuit appoſitus ille panis Angelorum. Nempe cibus Hebræorum dictus eſt panis Angelorum , noſter verò panis dicitur panis Chriſti ; ac proinde eſt ferculum hoc diuinum, & ſapidum vſquequaque. Benè ergo paterfamilias.

Luc.14. *Miſit ſeruum ſuum horâ Cœnæ dicere inuitatis vt venirent,quia iam parata ſunt omnia.* Vox hæc, *omnia* , compendioſè prodit indolem cibi propoſiti, ſcilicet corporis Chriſti : nihil namque deeſt huic ferculo , quo exquiſita omnia concluduntur. Hoc ergo mentibus noſtris inſideat , ſcilicet omnia dari nobis ad veſcendum, quando reficimur pane Chriſti ad ſoſpitatem animæ ſimul & corporis inſtituti. Haudquaquam erit hæc infœcunda notitia , ſi menſæ Chriſti deuinciat omnium noſtrum vota , rebus olim infimis occupata : eo quippe fine tantùm præcones ſacri ſollicitant homines, vt ſiſtantur aris , quibus appoſitus ille panis, ſuos abundè reficit epulones. Non enim vt alia ſacramenta gratiam impertit; ſed ſecum vehit auctorem gratiæ , cuius plenitudo fuit in Maria,quam conciliare eſt è re noſtra, præuiâ ſalutatione Angelicâ. AVE MARIA.

SEneſcente mundo recrudueſcere mala , quæ in hominum perniciem populata ſunt orbem. In his recolitur immodicus epularum luxus qui fortes etiam Romanorum animos in molliciem fregit , variis dapibus ingeſtis viſcere ſatiato. Vt Roma ſibi cauens vidit degeneres alumnos ſuos terga dare Marti,& deuouere ſuum nomen Cereri,& Baccho ; protinus animum ſuum appulit, ad condendas leges ſobrietati propitias , & modum epulis imponentes. Has ex parte memini tertio Tomo iſtius Encyclopædiæ, quo qui caruerit,habebit hîc vnde ſuam ſuppleat inopiam. Quippe referre leges illas eſt animus , vt inde fiat palàm veterum epularum ſplendor , necnon & Romana prudentia liquidior appareat , quæ occurrit gliſcenti malo. Illa nempe duo conducunt ad intentum huius homiliæ, quæ eſt de magnificentia ferculorum Cœnæ Chriſti, & de cautione ab eo adhibita, ne epulæ ſacræ forent infames profuſione cibi ſuperfluè miniſtrati. Itaque traducendus eſt Macrobius vir vtique peritiſſimus in eruderandis altè abditis hiſtoriæ monumentis. *Longum* (inquit) *fiet,ſi enumerare velim , quot inſtrumenta gulæ inter illos , vel ingenio excogitata ſint , vel ſtudio confecta. Et hæ nimirum cauſæ fuerunt, propter quas tot numero leges de Cœnis, & ſum-*

Roma cauit ſibi legibus latis contra luxum epularum.

Gulæ modum impoſuit Roma.

Macrob.l.3. Saturn.c. 17.

Lex Orchia quænam fuit.

ptibus

ptibus ad populum ferebantur, & imperari cœpit, vt patentibus ianuis pranſitaretur, & cœnitaretur. Sic oculis ciuium teſtibus factis, luxuriæ modus fieret. Prima autem omnium de Cœnis lex ad populum Orchia peruenit. Quam tulit C. Orchius Tribunus plebis de Senatus ſententia, tertio anno quàm Cato Cenſor fuerat. Summa autem eius præſcribebat numerum conuiuarum. Et hæc eſt lex Orchia, de qua Cato mox orationibus ſuis vociferabatur, quòd plures, quàm præſcripto eius cauebatur, tum ad Cœnam vocarentur. Cumque auctorem nouæ legis aucta neceſſitas implorarei, poſt annum XXII. legis Orchiæ, Fannia lex lata eſt, anno poſt Romam conditam, ſecundum Gellij opinionem, DLXXXVIII. De hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia ſanctiſſimi Auguſti ingenti omnium ordinum conſenſu peruenit ad populum. Neque eam Prætores, aut Tribuni, vt pleraſque alias, ſed ex omni bonorum conſilio, & ſententia ipſi Conſules pertulere. Cùm Reſpublica ex luxuria conuiuiorum maiora quàm credi poteſt detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam & libertatem ſuam venditarent; plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent; & ebrij de Republica ſalute conſulerent. Hæc Sammonicus. Fanniæ legis ſeueritas in eo ſuperabat Orchiam legem, quod in ſuperiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur, licebatque ſecundùm eam vnicuique bona ſua inter paucos conſumere: Fannia autem, & ſumptibus modum fecit aſſibus centum. Vnde à Lucilio poeta feſtiuitatis ſuæ more centuſſis vocatur.

Lex Fannia quænam fuit.

Luxus Romæ fuit tantus vt gulæ illecti pueri pudicitiam venderent. Gula pudicitiam proſtituit.

Gula quomodo Romæ coërcita.

Vides hoc contextu quò diſpendij gula Romam deduxerit. Nempe decus & ſplendorem oſtenſura ſuũ, vrbs inclyta gazas exhauſit in gratiam epularum, vbi tanta dapum fuit profuſio vt prædiuite menſa poſtmodum tota domus ſenſerit inopiàm. Prælibatæ leges fuere repagula obiecta quidem luxui; non potuere tamen coërcere epulas inundantes. Eamobrem Roma ruinam timẽs alias item cõdidit leges, illa ſuperflua fercula caſtigantes. Pergit Macrobius. *Fanniam legem poſt annos decem & octo lex Didia conſecuta eſt. Eius ferundæ duplex fuit cauſa. Prima & potiſſima, vt vniuerſa Italia, non ſola vrbs lege ſumptuaria teneretur. Italis æſtimantibus Fanniam legem, non in ſe, ſed in ſolos vrbanos ciues eſſe conſcriptam. Deinde, vt non ſoli, qui prandia cœnaſue maiore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent pœnis legis tenerentur. Poſt Didiam Licinia lex lata eſt à P. Licinio Craſſo diuite. Cuius ferundæ probandæque tantum ſtudium ab Optimatibus impenſum eſt, vt conſulto Senatus iuberetur vt ea tantummodo promulgata priuſquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obſeruaretur, quaſi iam populi ſententiâ comprobata. Lex verò hæc paucis mutatis, in pleriſque cum Fannia congruit. In ea enim ferenda quæſita eſt noua legis auctoritas, exoleſcente metu legis antiquioris: ita Hercules, vt de ipſis XII. tabulis factum eſt: quarum vbi contemni auctoritas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina tranſierunt. Sed legis Liciniæ ſumma, vt Calendis, Nonis, nundinis Romanis cuique in dies ſingulos XXX. duntaxat aſſes edundi cauſa ſumere liceret. Cæteris verò diebus, qui excepti non eſſent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo libra, quod ex terra, vite, arboreve natum ſit. Video quid remordeat. Ergo indicij ſobrij ſæculi eſt, vbi tali præſcripto legum coërcetur expenſa Cœnarum? Non ita eſt. Nam leges ſumptuariæ à ſingulis ferebantur, qui totius ciuitatis vitia corrigerent. At niſi peſſimis effuſiſſimiſque moribus viueretur, profectò opus ferundis legibus non fuiſſet. Vetus verbum eſt: Leges bonæ ex malis moribus procreantur. Has ſequitur lex Cornelia, & ipſa ſumptuaria, quam tulit Cornelius Sylla Dictator, in qua non conuiuiorum magnificentia prohibita eſt, nec gulæ modus factus eſt, verum minora pretia rebus impoſita, & quibus rebus Dij boni, quamque exquiſitis & penè incognitis generibus deliciarum? Quos illic piſces, quaſque offulas nominat? Et tamen pretia illis minora conſtituit, auſim dicere, vt vilitas edulium, animos hominum ad parandas obſoniorum copias incitaret: & gulæ ſeruire, etiam qui paruis facultatibus eſſent, poſſent. Dicam planè quod ſentio. Apprimè luxurioſus mihi videtur, & prodigus, cui hæc tanta in epulis vel gratuita ponantur.*

Macrobius vbi ſupra.

Lex Didia.

Lex Licinia.

Lex Cornelia.

Credidit Sylla de ſplendore ſuæ Dictaturæ eſſe, dapes & epulas effeciſſe Romæ vernaculas atque viles, quæ erant alibi lautiores. Sed dum eo patrono gulæ, magis emicuit epularum ſplendor, tunc priſcæ Romanorum gloriæ decus extinctum eſt. Quodque fuit ſumma mali labes, Roma volens cauere ſibi & declinare perniciem, in quam deuenerat Dictatore Sylla, impos planè fuit ipſa ſui; cibarias nempe leges latas velut antidotum morbi, quo ægra iacebat Reſpublica, habuit deſpectui, & multiplicatis ferculis abrogauit. Romanj nominis reuera fuit dedecus hoc magnum, cui pro dignitate rei Macrobius ingemuit, acerbè dolens, Romanos olim rerum dominos conduxiſſe Bacchum, & Cererem, vt auitæ gloriæ parentarent. Ecce funus. *Dehinc paucis interiectis annis, alia lex peruenit ad populum, ferente Antio Reſtione: quam legem, quamuis eſſet optima, obſtinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia, nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Reſtione latore ipſius legis fertur, eum quoad vixit, foris poſtea non recœnaſſe, ne teſtis fieret contemptæ legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet.* Quàm fuerint hæc iniqua tempora Romanis in comperto eſt, ex nequitia, quæ ſuos longè latèque fines illo ſæculo propagauit. Experta eſt Roma, dapes opimas, dum explicant opes & ſplendorem hominum prædiuitum, eodem etiam & momento, illorum vitia propalare. Eamobrem ſapientia Chriſti maximè elucet in Euchariſtiæ inſtitutione, vbi pretioſiſſima quæque nobis fercula appoſuit, idque citra periculum luxus, & ſobrietate ſarta tecta: ita vt Dominus ille conuiuij ſacri magnificum ſeſe & ſplendidum præſtiterit, & prudentem in Cœna illa proinde ſuis numeris omnibus abſoluta.

Roma gulæ dedita.

Macrob. ibidem.

Legiſlator quis noluit videre ſuas leges violatas.

Dicam prima parte iſtius homiliæ, Cœnam Chriſti ſuperaſſe epulas omnes, quæ vnquam fuere inſtructæ. Etenim quidquid conducit ad ſenſuum delicias, & has innoxias, illud abundè proſtat in illo conuiuio. Secunda parte dicam, debere fideles animas faſtidire cupedias omnes mundi, & carnis, ſuaque omnia vota dirigere, ad participandas epulas adeò exquiſitas.

Diuiſio homiliæ.

PRIMA

Pars Prima Homiliæ.

CHRISTVS MAGNIFICENTIAE ſua ſpecimen egregium edidit in pretioſo cibo appoſito diſcumbentibus in Cœna ſua.

§. I.

Ex Antiqvitate, et ex SS. Patribvs.

Quales fuere primæ epulæ homini inſtructæ.

EXordia rerum omnium infra cœlos fuere ſemper exilia, & hunc natura modum ſeruat, in ſingulis quibuſque ſuis operibus. Cœpit hoc tenore ritus texendi epulas. Nempe Deus homini ſtruens menſam in Paradiſo voluptatis, nihil niſi fruges & viride gramen appoſuit, nulla prorſus mentione facta carnis, nec piſcium, ſtantibus ſic beſtiis illibatis. Ecce ſynopſim apparatus. *Dixit Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Hoc profectò fuit frugale conuiuium, nulloque cruore manante purpureum, & congruum ſorti innocentiæ qua tunc gaudebat beatum hominum genus. Sed vbi homo excidit illo ſtatu integro, in quo editus eſt, Domino miſerante, peccato præualente terra infecta eſt, ac proinde fuit quadraginta dierum pluuiis expianda. Tellus itaque madens aqua maris, & ſalſedine vitiata, non edidit fruges adeò ſalutares ſicut ante diluuium. Eamobrem vt Deus homini conſuleret, lautiores epulas apparauit. Namque Noë exeunti de procera illa arca cuius ergaſtulo fuit concluſus aliquot menſibus, copiam fecit omnis carnis beſtiarum, quæ natant, diſcurrunt, & volitant: ſicque ditiore menſa dignatus eſt hominem poſt diluuium, quàm in Paradiſo. Ecce ſeriem omnium ferculorum. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Geneſ. 1.

Epulæ à Deo inſtructæ homini poſt diluuiũ.

Geneſ. 9.

Nullæ profectò epulæ adeò ſolennes extructæ ſunt ante Chriſtum. Terra quippe tota fuit menſa, homines omnes conuiuæ, & quidquid orbi toto ſatum eſt, tam in vegetantibus, quàm ſentientibus, illud omne à Deo ſignatum eſt ferculis apparandis. Aliquid adiicere huic ſplendori, non fuit humanum negotium, ſed diuinum, nempe Dei in humanis, id eſt Chriſti. Qui ſanè induſtria ineffabili ſuperauit apparatum illum præfatum, & ſuum ita ſplendorem attemperauit, vt nulla luxus ſuſpicio fecerit epulas illas ingloriãs. Vnico quippe ſui corporis ferculo dapes omnes appoſuit: ſiquidem ille cibus concludit omnes corporis & animæ cupedias. Vt autem conſtet de eduliis, quæ faciunt ad ſplendorem conuiuij, non erit abs re meminiſſe ritus antiquos ad fercula pertinentes. Auſpicabor à nomine. Ferculi nomenclaturâ dapes olim fuere nuncupatæ à verbo, fero, quia inferebantur menſis; ita Priſcianus, cui & fauet Horatius hoc carmine.

Ferculum vnde dictũ.

Priſcianus lib. 4.

Multaque de magna ſupereſſent fercula Cœna.

Fercula pompatica quænam fuere.

Quia ferculum ſoboles eſt verbi fero, illa omnia denominationem ferculi participant, quæ magno apparatu, aut ſollicitudine portantur. In eo ſenſu ſimulacra oppidorum, Deorum, ſpolia hoſtium, machinæ, & alia geſtamina pompæ triumphalis olim fercula dicebantur. Hinc Ciceronis effatum hoc. *Cauendum eſt, ne tarditatibus vtamur in ingreſſu mollioribus, vt ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur.* Eò ſpectat Ambroſius, carpens quorumdam hominum geſtus incompoſitos. *Sunt*, inquit, *qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos geſtus, & quaſi quadam fercula pomparum.* Ad hanc & notionem pertinent fercula ludorum, & ſacrorum. Sed vbi res eſt de epulis, fercula dapes ſignificant. Huic voci, vt denotat edulia, alia concolor eſt, ſcilicet, miſſus; quia enim mittuntur ad menſam eſcæ dicuntur, miſſus. Ita Lampridius commemorans epulas Heliogabali. *Celebrauit*, inquit, *tale conuiuium, vt apud amicos ſingulos ſinguli miſſus appararentur.* Obſequium apponendi dapes menſis, penes quoſdam miniſtros fuit quos Athenæus vocat δειπνοφόρους, id eſt, dapiferos, nec vſquam dominus conuiuij fercula menſis impoſuit, niſi quando ſuſpicatus eſt quidpiam diuinum in adſtantibus. Vnde Abraham tres Angelos ſpecie humana excipiens, ipſe dapes appoſuit, vt Codice ſacro liquet. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditq; puero, qui feſtinauit, & coxit illum. Tulit quoq; butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe verò ſtabat iuxta eos ſub arbore.*

Tom. I.

Ambroſius lib. 1. de Officiis.

Miſſus pro ferculo vſurpatur.

Lamprid in Heliogabalo.

Athenæus lib. 5.

Dapiferi quinam.

Geneſ. 18.

Ne ordo temeratus in epulis, eas ingratas efficeret, diſcreta fuit olim Cœna in primam menſam, & ſecundam. Et rurſus illa prior menſa duas habuit partes, quarum prima nomẽclaturam multiplicem ſortita eſt. Turnebus ait in conuiuiis opiparis primos ferculorum miſſus, primóſque guſtus, & tanquam primam menſam antiquitus, antecœnam fuiſſe appellatam. Secunda verò fercula, ipſumque quaſi ſolidum corpus Cœnæ, Cœnam fuiſſe dictam, ſuámque ſententiam adſtruit iſtis textibus opportunis. Quorum vnus eſt Macrobij, ita referentis illa præludia conuiuij. *Ante Cœnam echinos, oſtreas crudas, quantum vellent, deinde mox in Cœna ſumina, ſyncipur, aprugnum, &c.* Locus alius Turnebo fauens eſt Petronij recolentis Cœnam in qua diſcubuit. *Iuſſi*, inquit, *diſcubuimus, & guſtatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundabamur.* Guſtatio hîc dicitur illa prior pars menſæ primæ, quam & Martialis guſtum vocat, illo loco vbi meminit ea, quibus veteres auſpicabantur epulas Sicille.

Prima menſa diuiſa in antecœnam, & Cœnam.

Turneb. in Aduerſariis.

Guſtatio ſiue guſtus quid erat.

Prima tibi dabitur ventri lactuca, mouendo
Vtilis, & porris fila reſecta ſuis.
Et quæ Picenum ſenſerunt frigus oliua:
Hæc ſatis in guſtu, cætera noſſe cupis.
Mentiar vt venias. piſces, conchylia, ſumen.

Martialis.

Epularum cibi olim quales.

Quia vtplurimum olera cruda, oſtrea, & acetaria apponebantur initio Cœnæ, vt ſic acuerẽnt appetitum, ideo menſæ primæ dicebantur frigidæ ψυχραὶ τράπεζαι ex Plutarcho. In antecœna fuerunt oua appoſita, vt & poma finiere Cœnam. Vnde & veteri prouerbio, Ab ouo ad mala, perinde eſt, ac, A principio ad finem. Huius adagij meminit Horatius, hoc carmine.

Menſæ primæ frigidæ.

Plutarch. l. 8. Sympoſ.

Oua prius appoſita.

Si collibuiſſet ab ouo,
Vſque ad mala citaret.

Horat lib. 1. Satyr. 3.

Conuiuæ quibus erat animus lautè ſolidéque paſci, non curabant menſas has frigidas vt integram famem pinguioribus obſoniis vt aprugno, & ſumini reſeruarent. Carnes aprugnæ dictę ſunt, carnes apri, ſumen verò fuit abdomen ſuis enixæ porcellos & poſtera die occiſæ, vt litaret epulis ferculo delicato. Nempe Romanis vſquequaque

Aprugnum quid.

Sumen quid.

Cœna Regis Perſarum, quàm luculenta. *Herodot l. 9.*

Xerxes vrbes prædiuites redegit ad ſummam inopiam vbi denuo cœnauit illic. *Athen. lib. 4.*

Epulæ mundi omnes frigidæ.

fuit in deliciis proponere carnes venaticas apri, & vbera ſuis lactantis fœtum pridie editum. Adiecerunt & volatilia omnigena, & quidquid in æquore natat; vt aëris, terræ, & maris cupediæ omnes ſuum veloti ſymbolum conferrent ad componenddas epulas abſolutas. Huius generis fuit epulum quotannis editum à Rege Perſarum eo die, quo fuerat inauguratus infulis. Dicta fuit illa Cœna τέλειος id eſt, perfecta, vt ſcribit Herodotus. Illic autem tanta dapum profuſio facta eſt, vt integras ciuitates ad ſummam redegerint inopiam, gazis omnibus exhauſtis in gratiam Cœnæ illius adeò luculentæ. Adiicit Athenæus Xerxem feciſſe deſertas vrbes, vbi denuo cœnitauit. Quippe ditiores etiam vrbes erant impares his ſumptibus.

Eſto luculentæ ſint epulæ præfatæ; ſi tamen has conferas cum Cœna Chriſti, profectò multis titulis illi cedunt, & quaſi menſæ frigidæ recenſentur. Menſas frigidas dixi ex Plutarcho illas, quæ conſtitere fructibus & gramine, ita vt omnia cruda cibos frigidos ingererent. Animo Chriſtiano meditanti ferculorum omnium ſeriem & contextum, nihil omnino occurret in epulis mundi, præter frigidum. Quippe calet tantùm illud, quod gratià Dei conditum eſt; ac proinde frigent nullus, vnde coaleſcit conuiuium omne mundi: anima namque cibis non paſcitur terrâ ſatis. Huic animæ refectioni abundè conſuluit Chriſtus, vno pingui ferculo, quo ſolo delicias omnes & ſumptus ſuperauit aliarum omnium epularum. Et hoc nobiliori modo, quàm Cleopatra illa Regina Antonio ſuperior extiterit, auctore Macrobio, cuius hic eſt diſcurſus. *Cùm Antonius quidquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gigneretur ad ſatiandam ingluuiem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet: eaque re captus, de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum: Cleopatra vxor, quæ vinci à Romanis nec luxuria dignaretur, ſponſione prouocauit, inſumere ſe poſſe in vnam Cœnam ſeſtertium centies. Id Antonio mirum viſum, nec moratus, ſponſione contendit, pignus cuſtodiente Numantio Planco, qui tam honeſti certaminis arbiter electus eſt. Altera die Cleopatra pertentans Antonium, pollucibilem ſanè Cœnam parauit, ſed quam non miraretur Antonius; quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnoſceret. Tunc Regina arridens, phialam popoſcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illic vnionem demptum ex aure altera feſtinabunda demiſit: eumque maturè diſſolutum, vti natura eſt eius lapidis, abſorbuit. Et quamuis eo facto ſponſione viciſſet, quippe cùm ipſa margarita centies ſeſtertium ſine contentione valuiſſet, manum tamen ad alterius vnionis aurem ſimiliter admouit; niſi Numatius Plancus iudex ſeueriſſimus ſuperatum Antonium maturè pronuntiaſſet. Ipſe autem vnio cuius magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui ſuperfuit poſtea victâ Reginâ, & captâ Ægypto, Romam delatus, diſſectúſque eſt, & facta ex vna margarita dua, impoſitaque ſimulacro Veneris, vt monſtruoſa magnitudinis in templo quod Pantheum dicitur.*

Cleopatræ induſtria vt magnificentiam Antonij ſuperaret.

Macrob. l. 3. Saturnal. cap. 17.

Sapientiæ Dei induſtria ad exhibendam Cœnam magnificam.

Ingenioſa ſanè fuit induſtria Cleopatræ inſtruendis epulis opiparis, & vno dumtaxat ferculo luculentis. Sed ei Chriſti ſapientia præit infinitis propè modis: ille nimirum vnio Cleopatræ ſemel abſorptus, & dilutus in aceto, diſparuit traiectus in viſcera, nec alio ſapore corpus affecit, quàm acido & ingrato. At Chriſti corpus appoſitum menſæ ſacræ, licet felle, & aceto reſperſum ſit in agone acerbo Paſſionis; nihil tamen auſterum ingerit ori veſcentium, nec quidpiam illi deperit, eſto ſuis conuiuis omnibus apponatur. Eamobrem Miſſa dicitur iuge ſacrificium, quia ſine vllo ſui diſpendio Chriſtus incruento ritu, orbe toto ferè mortalis omnibus immolatur. Præterea vnio Cleopatræ erat quidpiam eiuſdem ſortis & naturæ ac alia entia ſublunaria. Sed ferculum impoſitum menſæ Chriſti, ſuos epulones Dei participes facit, ac proinde vita afficit immortali. Qua vt dignentur diſcumbentes in menſa Chriſti, operæ-pretium eſt eos meminiſſe, panem illic appoſitum fuiſſe ſine fermento, vt illo typo fermentum nequitiæ omnis procul eſſet ab epulis: quæ vt ſanctæ ſolos etiam ſanctos decent, vt gaudeant effectu ad quem ſancta hæc fercula dirigantur. Fauet Cyprianus hoc contextu. *Non oportet eſſe fermentarios Noui Teſtamenti miniſtros; puras, ſinceráſque mentes ſanctum quærit conuiuium: in vera crucis boni odoris aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & induret ſolidétque mentis affectus: nec in Eccleſia ſancta ſacrificio vlla ſit macula, ſed pura ſimplicitas, & innocentia vitæ; in vna Eccleſia Catholica domo à fidelibus de Ægypto egredientibus tranſito mari rubro, lotis Chriſti ſanguine affectibus offeratur. Cœna itaque diſpoſita inter ſacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua, & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis, nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur: ſed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert, & vinum. Hoc eſt, inquit, corpus. Manducauerant, & biberant de eodem pane ſecundùm formam viſibilem, ſed ante verba illa, cibus ille communis, tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporali ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hæc facite in meam commemorationem, hoc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam, ſalutémque proficit, ſimul medicamentum, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.*

Cœnæ Chriſti magnificentia vnde petatur.

Ex SS. Patribus.

Cyprianus ſerm. de Cœna Domini.

Conuiuæ Chriſti non debent eſſe fermentarij.

Euchariſtiæ multiplices ſunt fructus.

Hoc diſcurſu in comperto eſt, quot titulis iſte panis Chriſti ſuperet alias omnes eſcas, quantumlibet exquiſitas. Quodque magis prodit vim huiuſce ſalutaris edulij; idem ſpecie panis eſus à Iuda non nocuit illi ante conſecrationem, ſed poſtea ſumptus extitit vindex iniuriæ, quam illi ſacramento proditor irrogarat. Siſtendus denuo Cyprianus. *Manifeſtata eſt*, inquit, *etiam ſpiritalis, & corporalis cibi diſtantia, aliud fuiſſe, quod prius eſt appoſitum & conſumptum, aliud quod à magiſtro datum eſt, & diſtributum. Quamdiu cibi*

Panis Chriſti noxius eſt ſacrilegis.

Cyprianus vbi ſuprà.

Euchariſtia noxia Iudæ.

bi illi, qui ad diem feſtum erant parati, à conneſcentibus Apoſtolis ſumebantur, veteris Paſcha agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem vitam pertinens, diabolo inuadente, & occupante animum eius, egredi cogebatur: ſed vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit; parricidialis animus vim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus eſt, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretiũ; ad perditionem, & laqueum. Itaque faceſſant epulæ omnes mundi, vbi res eſt de ſplendore Cœnæ Chriſti, omnes eſcas mundi vno ferculo ſuperantis.

QVIDQVID SVAVE ORBE TOTO ſatum eſt, & quidquid in cælo ſingulare eſt, illud omne confluit in Cœnam Chriſti.

§. 11.

EX ANTIQVITATE, ET SS. PATRIBVS.

Secundæ menſæ quales olim.

INdixere ſibi penſum iſtud ſolennes epulæ, vt velificarentur ſenſuum omnium obſequio, vt nihil vacaret in homine, ſed ſenſus omnes eſſent conſcij voluptatis. Eamobrem expleta fame cibis illatis in primam menſam, alia rurſus inſtructa eſt menſa, quam dixere ſecundam; & penes hanc fuit ſumma conuiuij: tota nempe cura veterum, qui ſtruebant epulas, attendebatur in ſecundis menſis, in quas inducebant omnia ſuauia, atque delicata fercula, quæ reuocare poſſunt reducem appetitum. Vnde Ariſtoteles ſecundam menſam vocat, τραγήματα, id eſt, bellaria: Et Dionyſius Halycarnaſſeus eleganti metaphora, ſermonis epilogum aptat ſecundis menſis, in quas tragemata, placentæ, & ſuauia omnia influebant. Sic ille. *Exiſtimans epilogos ſermonum perinde ſe habere atque bellaria in Cœna.*

Dionyſ. Halicar. lib. de arte Rh. 2.

Secundæ menſæ finis qualis.

Galenus ait ſecundæ menſæ finem ſeu ſcopum fuiſſe, vt ſopita fames primis obſoniis, denuo delicatis hiſce dapibus vrgeretur. Ariſtoteles breuiloquo textu concluſit ſeriem totam ſecundæ huius menſæ, quæ ab eo dicitur, παραμύθια ἡδονῆς, id eſt, ſolatia voluptatis. Vtque voluptas longè lateque patet, & diſcurrit per ſenſus omnes, ad ſecundas illas menſas pertinuere ſenſuum omnium illecebræ, in quibus vt guſtus principem locum tenet; ita etiam ſtuduere conuiuij inſtructores vt ſuauiter gulam afficerent, nullis ſumptibus parcendo, vt opportunè luget Clemens Alexandrinus. *Hominum, inquit, ingluuies nullum habet modum. In liba enim, placentas, & bellaria prouecta eſt; merendarũ, & Cœnæ appendicum multitudinem inueniens.* Cœlius Rhodiginus obſeruata dapum ſuauitate, qua condiebantur illæ ſecundæ menſæ, ſic has definit. *Menſa ſecunda inſigne luxus irritamentum.*

Galen. lib. 1. de aliment.

Secundæ menſæ quàm opiparæ.

Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 1.

Secundæ menſę luxus.

Vt tota venuſtas epigrammatis eſt in concluſione ſita, & Poëtæ præcipuum ſtudium eſt in vltimo actu; ita ex Pontano ab iis, qui conuiuia parant, magna ſecundæ menſæ cura eſt ſuſcipienda. *Ab animo ſollicito opipare inſtruendi menſas illas ſecundas Athenæus ait has olim fuiſſe vocatas*, πολυτελῶς μεμεριμνημένας, id eſt *Eleganter & accuratè præparatas.* Idem meminit, quemdam aptaſſe ſecundis menſis vulgatum illud effatum. δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, id eſt *Secundæ cogitationes ſapientiores.* Ab his gulæ cupediis laudatur ille, qui primus inſtituit ſecundas menſas. Ecce epulonis encomium textum ab Alcete.

Pontan. lib. 2. de conuiuio, cap. 4.

Athen. lib. 14.

Alcetes in Polyclea.

Scitus fuit is, qui prior bellaria
Conuiuij moram venuſtam reperit,
Habere maxillas nec vnquam inutiles.

Epulæ Heliogabal ſumptuoſæ.

Secundæ menſæ deſcriptio.

Nón guſtui, aut palato ſolùm, ſed & naribus ſuæ fuerunt illecebræ, quarum feraces fuere ſecundæ illæ menſæ, ſpirantes odorem gratum, vt & oculis præbebant flores diſcolores aſpectu periucundos. Fauet illa Dicæarchi deſcriptio. *Acceſſit ſecunda menſa, quæ in Cœnis magnum ſumptum præbet: Coronæ, vnguenta, ſuffimenta, quæque hæc conſequi ſeu comitari conſueuerunt.* Ad recreandos oculos picturæ etiam fuerunt adhibitæ, vt & vitreæ figuræ affabrè elaboratæ. Eius indolis epulas inſtruxit Heliogabalus Imperator auctore Lampridio. *Exhibuit*, inquit, *paraſitis Cœnas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat his edulijs picta, quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus.*

Dicæarchus lib. 1 expeditionis Trophonij.

Lampridius in Heliogabalo.

Abydenorũ epulę quales.

Iudæis Deus primam menſam inſtruxit quando permiſit edere ſacra facta ritu Moſaico. Sed ſecunda menſa ditior atque ſuauior ſeruata fuit diſcumbentibus in Cœna Domini, eiius miſſus fuit ipſum corpus Domini Redemptoris. Eudoxus ait Abydenos præter vnguenta, & coronas; quibus ornabant epulas fuiſſe ſolitos circumferre infantes elegantis formæ, quos conuiuis ſingulis ad infigenda oſcula commodabant. Chriſtus ſpecioſus forma præ filiis hominum, non ſe oſculandum modò præbet, ſed præter amplexus ſe totum vnit animæ conuiuarum. Lampridius recenſendo Cœnam Heliogabali notat ſingulos quoſque miſſus, etſi viderentur eſſe varij; fuiſſe tamen ex carne phaſiani, quia phaſianus primas tenet in auibus, idoneis ad ſtruenda conuiuia. Chriſtus omnes cœli delicias inferre volens ſacris altaribus, & menſæ ſuæ, ſymbolum panis vt ſuo intento valde congruum vſurpauit. Hoc nempe typo liquet de intento Chriſti: ſiquidem panis olim fuit amoris index apud pleraſque nationes. In his ſe Hebræa Gens prodit, oblatione panis teſtata fidem, & pignus amoris ſingularis. Hac teſſera Dauid dignatus eſt ſuperſtitem filium Ionathæ, vt ſupra recolui. *Ne timeas*, inquit, *quia faciens faciam in te miſericordiam, propter Ionatham patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Græcis etiam illa panis vſurpatio pro argumento amoris accipitur. Et hinc effluxit illud Pythagoræ ſymbolum. Ἄρτον μὴ καταγνύειν. Id eſt, panem ne frangito. Id eſt, amicitiæ iura ne violato. Fuit & ille ritus proponendi panem apud Macedonas in ſignum fœderis, aut amoris, vt Alexander Roxanes amore flagrans noluit eam ducere in vxorem, quin pane allato, & diuiſo gladij obſequio bucellam panis obtulerit illi virgini ſpecioſæ, vt auctor eſt Curtius.

Eudoxus in fabula.

Panis ſymbolum amicitiæ.

Hebræorum mos.

2. Reg 9.

Græcorum mos.

Alexander oblata panis buccella ducit vxorem.

Quint Curt. lib. . de rebus Alexand.

Cùm itaque ſacra Dei Cœna fuerit inſtructa ad ſanciendum fœdus æternum cum homine, Chriſtus Dei & hominum mediator idoneus panem adhibuit, quo & animæ cum Deo nuptias indicauit. Quidquid autem elegans & opimum deſiderio ſui ſollicitare poteſt animas, illud omne tegitur illo pane in Cœna Domini conſecrato, Quo qui paſcitur Chriſto adhærens, is omnium

Chriſtus Rex eſt, & paſtor.

 bonorum

bonorum ſummam penes ſe habet. Quid nempe deeſſe poteſt illi, qui habet Chriſtum omnia poſſidentem. Eò ſpectant illa Hieronymi verba. *Ipſe Dominus & Rex, & paſtor, & via eſt, & porta; dicitque: Ego ſum ianua; per me qui fuerit ingreſſus, ſaluabitur, & ingredietur, & paſcua inueniet. De qua porta alibi prophetatur: Hæc porta Domini iuſti intrabunt per eam. Quicumq; autem ingreſſus fuerit non debet in eo ſtatu, in quo intrauerat permanere, ſed egrediatur ad paſcua, vt in intrando exordiũ ſit; in exeundo & in paſcua reperiendo, virtutum perfectio. Qui ingreditur adhuc in ſæculo eſt, & ex creaturis intelligit Creatorem; qui autem egreditur, tranſcendit vniuerſam creaturam, & omnibus quæ videri poſſunt pro nihilo computatis inueniet paſcua ſuper cælos, & ſermone Dei veſcetur, & dicet: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit. Hoc eſt ergo, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet, quod dicitur, & tranſierunt portam, & egreſſi ſunt per eam, qui tamen tranſitus & egreſſio abſque Chriſto Rege noſtro tribui non poteſt, qui Rex, & Dominus eſt.*

Ex SS. Patribus.

Chriſtus eſt omnia omnibus.

Hieronym. in c. 2. Michææ

Pſalm. 22.

Homo Regis conſors magnis dignatur honoribus, & qui paſtoris gratiam demeruit, is haudquaquam indigus erit, vtpote illi copia rerum omnium affluente. Dauid Chriſtum Regem, & Paſtorem ſpeculatus, ait nihil ſibi defuturũ. *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Concors Hieronymo Bernardus meditatur in Chriſto bonorum omnium latices in animas influentes. *Nullum*, inquit, *inconueniens eſt, diuerſis rebus, diuerſis ex cauſis Chriſtum figurari: in virga quidem potentiam, in flore verò fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem, in frondibus quoque ſedulam eius intelligi protectionem, qua videlicet paruulos ad ſe confugientes, ſub vmbra alarum ſuarum protegere non deſinit, ſiue ab æſtu carnalium deſideriorum, ſiue à facie impiorũ, qui eos afflixerunt. Bona, & deſiderabilis vmbra ſub alis Ieſu, vbi totũ eſt fugientibus refugium, gratum feſſis refrigeriũ. Vnde in Aaron ea virga, quæ non ſolum floruit, ſed fronduit, & fructum emiſit, non ſolum flore vel fructu, ſed ipſis etiam frondibus intellige Chriſtum ſignificari.* Frondes virore ſuo recreant oculos, florés ſuauem odorem afflant, & fructus opimi præſtant homini congruum alimentũ, præcipuè ſi opportunè cocti ſaccharo condiantur. Chriſtus ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſpecie ſua, & pulchritudine ſua recreat Angelos, & homines. Oleum effuſum nomen eius balſamo ſuauius, quo reſperſo, repleta eſt vniuerſa domus Eccleſiæ odore vnguẽti. Demũ ille locuples Dominus factus eſca ſacris illata menſis, homines impinguauit.

Bernard in Cantic.

Chriſtus in diuerſis rebus figuratus.

Chriſtus hominem abũdè ditat, & recreat.

COENA CHRISTI CONSIDERATA vt ſacrificiũ, continet eminenter omnia, quæ olim fuere vſurpata ad celebranda ſacra.

§. III.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM, NATIONVM ET EX SS. PATRIBVS.

Sacrificium Cœnę Chriſti continet omnia alia ſacra.

INdubium eſt Philoſophiæ effatum; ſcilicet in vnoquoque genere deueniendũ eſſe ad vnum aliquod primum, quod ſit menſura cæterorum. Huic dicto fidem conciliat menſa Chriſti: ſi enim menſa illa ſpectetur vt pertinens ad epulas, Chriſti corpus illic appoſitum præſtat omnibus eſcis etiam exquiſitis, quibus lautiores epulæ Principum inſtruuntur. Si verò menſa pro altari ſumitur, vt & Cœna pro ſacrificio. Sacrum illud attentè meditatum longè potius eſt aliis omnibus ſacrificiis, vtpote ſacra omnia veterum continens eminenter. Prima ſacrorum mentio in Scripturis fit in gratiam Cain, & Abel, hoc contextu. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Ille ſacer textus viam fecit diuiſioni ſacrorum in ſacra inanima, & ſacra animata. Inanima ſunt quæ referunt oblationem Cain factam fortè ex frumento, pomis, & alio prouentu terræ opima ſato. Animata ſacra ſunt, vbi ſanguine litatur, beſtiis eo fine ſacerdotum gladio iugulatis.

Geneſ. 4.

Sacrificia animata & inanima.

Rurſus ſacrificium animatum diuiditur in rationale, & in irrationale. Rationale ſacrum eſt vbi mactatur homo. Cuiuſmodi fuit ſacrum Iephte, qui filiam ſuam immolauit, vt voto ſatisfaceret imprudenti. Fuit & ille ritus inolitus Moabitis, qui rebus deſperatis, plerumque ſuos immolabant filios, ſicque ſibi humano effuſo ſanguine conſulebant. Ita ſibi cauit Rex Moab videns Iſraëlitas irruentes. Rem accipe ex Scriptura ſacra. *Cùm vidiſſet Rex Moab præualuiſſe hoſtes, tulit ſecum ſeptingentos viros educentes gladium, vt irrumperent ad Regem Edom, & non potuerunt. Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſrael, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.* Efferа gens Scytharum ex captiuis centeſimum quemque immolabat, arbitrata Deum habere grata hæc ſacra, quæ humano ſanguine purpuraſcunt. Auctor eſt Herodotus, cui & adſtipulantur Pomponius Mela, & Solinus referentes Scythotauros immolare aduenas Dianæ, quam Lucanus ideo deteſtatur hoc verſu.

Iudic. 11.

Rex Moab. ſacrificauit filium ſuum. *4. Reg. 3.*

Quæ Gentes immolauerint homines.

Scythæ capti os immolant. *Herodot. l. 4.*

Scythotauri aduenas immolant Dianæ. *Pomp. Mela. lib. 2. c. 1. Solin. c. 20.*

Lucan lib. 1.

Et Taranis Scythicæ non melior ara Dianæ.

Alexander ait Laodicæos etſi longè cultiores Scythis, participaſſe truces eorum animo in mactandis hominibus, & Palladi ſolitos fuiſſe virginem immolare. Plinius ait Arcades Ioui Lyceo puerum immolare. Gallos inſimulat Cicero ritus huius atrocis. *Si quando* (inquit) *aliquo metu adducti Deos placãdos eſſe arbitrãtur, humanis hoſtiis eorũ aras ac templa funeſtant, vt ne religionem quidẽ colere poſſint, niſi eã prius ſcelere violarint. Quis enim ignorat eos vſq; ad hanc diem retinere illa immanem, ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum*, Cæſar teſtis oculatus carpit illud crudele ſacrũ. Ex Herodoto Neuri homines contermini Boryſtheni adolebant humanis oſſibus, & victimas humanas aris omnibus imponebant. Blemmyæ, ex Procopio, & Cimbri ex Strabone, & Germani ex Tacito diebus notatis in faſtis, humanis litant hoſtiis, & cruore captiuorum tingunt aras; tunc demereri Deum rati, quando humana hoſtia cruciatur. Addit Strabo præfatas illas nationes ex pœnis hominum capere auguria.

Laodicæi virginem Palladi immolant. *Plin. lib. 8. cap. 22.*

Galli homines immolant. *Cic. orat. pro M. Fonteio. Cæſar. lib. de bello Gall.*

Neuri homines immolant. *Herodot. lib. 4.*

Blemmyæ, Cimbri & Germani homines immolant. *Procop. lib. 2. de bello Perſic. Strabo. lib. Cornel. Tacit. de morib. Ger.*

Ex Platone dialogo de lege, Dionyſio Halicarnaſſeo, libro 1. Diodoro Siculo. lib. 20. Plutarcho in apophthegmatibus Imperatorum, Tertulliano in Apologetico c. 9. Lactantio lib. 1. c. 21.

Phœnices & Carthaginenſes, vectos nobiles immolabant.

c. 21. Iuſtino lib. 19. In more fuit poſitum apud Phœnices, & Carthaginenſes, vt infantes nobilis proſapiæ ſorte ductos, benè compros, & ornatos Saturno hoſtias immolarent. Adeòque tenax fuit ille ritus, vt nefas illic eſſet morti ſubducere puerum, quem ſors iniqua immaturo funeri deſtinarat. Illa ſeuera lege factum, vt mactatis pueris ſacra maderent lacrymis parentum, quibus ad atrox mortis immeritæ genus chara pignora tollebantur. Pertæſum aliquando fuit Carthagini facinoris huiuſce immanis, ac proinde ſacerdotes deſtitere humanis hoſtiis facere rem diuinam. Sed vbi fuere victi ab Agathocle, rati Deos iniquè ferre ſacra interrupta, ducentos pueros nobiles mactarunt ad aras, vt ſic facerent ſibi propitia numina ſubirata. Sic opaca Gentium indoles religionis nomine temerauit omnia Dei, & hominum iura. Alexander ait Rhodios, & Cretenſes hominem grauatum epulis, & pueros impuberes diebus feſtis adduxiſſe ad aras Saturni, & illic eorum capita deuouiſſe. Ad hoc ferale inſtitutum Dido ſuos obſtrinxit ciues vt ſcribit Silius Italicus, his verſibus.

Sil. Ital. lib. 4. Punicorum

Plut. in Themiſtocle.

Mos fuit in populis, quos cōdidit aduena Dido,
Infandum dictu paruos imponere aris.

Galli priſci quàm crudeles in ſacris

Plutarchus meminit in inſula Chio, & Salamine viguiſſe morem illum multis ſæculis, vt Diomedi, & Dionyſio diſcerptos aris homines adhiberent. Fuit eiuſdem Dionyſij templum in Arcadia, vbi puellæ ingenuæ ſiſtebantur aris, & morte tenus verbera ſuſtinebant. Priſci etiam Galli malè audierunt in eo argumento: ſiquidem præter ſacra, vbi gladio mactabantur homines ſubito fato, alios habuere ritus etiam ſæuiores, quos ita recolit Cæſar. *Immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines.* Hoc crudele facinus cremare viuos homines erat Gallis olim maximum holocauſtum. Quadrant ea, quæ meminit Strabo hoc contextu de Gallis. *Magnam è fœno contorto ſtatuam apparantes, eique lignum iniectantes, pecoraque & varias immittentes belluas, atque homines holocauſtum faciebant.* Ex Paulo Oroſio, Celtæ diebus ſolennibus caluaria hominis repurgata litabant. Pauſanias, Clemens Alexandrinus, & Cyrillus meminere ſacri horrendi Ariſtomenis Meſſenij, qui trecentos homines in quibus periit Theopompus, immolauit Ioui Ithometi. Pauſanias illa ſacra vocat hecatomphonias, id eſt centumcidia, quia centeni gladio cædebantur.

Cæſar. lib. 6. de bello Gallico.

Strabo lib. 4. Celtarū mos.

Paul. Oroſius lib. 5. hiſtor. cap. 12.

Ariſtomenis ſacra horrenda.

Pauſan. l. 4. Clem. Alex. l. quo Gentes ad veritatem hortatur.

Galatæ & Maſſagetæ quomodo litabant.

Diodorus l. 6 c. 9.

Diodorus Siculus ait, Galatas, & Maſſagetas fuiſſe arbitratos non eſſe Deos conſulendos, niſi apud aras homine iugulato, ex cuius caſu, tum ex membrorum laniatu, & fluxu ſanguinis futura prædicebant. Strabo meminit Cimbros aſſeruaſſe ſolitos noxios homines, quos loco ſupplicij deſtinabant aris. Lactantius veteres Gallos ait in communi clade ratos fuiſſe Deos conciliari mactato homine ſeniore. Dij autem illi fuerunt Heſus, & Theutates Mercurius, quos recolit Lucanus hoc carmine.

Strabo lib. 7.

Lactant. l. 1. c. 21.

Lucan. lib. 1.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus.

Luſitanorum ſacra. Strabo lib. 3.

Thracum ſacra.

Florus Epitom. 2. de bello Thracio. Sext. Ruff. in hiſt. Rom.

Luſitani, vt auctor eſt Strabo, captiuorum dextras præſcindebant, vt Diis offerrent, & iis exenteratis inſpectione extorum, ingruentibus malis, & inſtanti tempori conſulebant. Ad crudelitatem communem cum cæteris hoc adiecere Thraces, vt ſanguinem humanum, humanis oſſibus epotarent. Ita Florus, & Sextus Ruffus. Perſæ haudquaquam fuere mitiores aliis in re ſacra: nam habituri Diis ſuis fictilibus gratias immortales, pueros viuos defodiebant, vt teſtis eſt Herodotus hoc contextu. *Audientes eum locum Nouem vias Hedonorum appellari, totidem illic pueros, ac virgines puellarum indigenarum filios viuos defoderunt. Perſicum enim eſt defodere viuentes. Nam & Ameſtrim Xerxis vxorem, iam prouecta ætatis, audio bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos defodiſſe, ad referendā pro ſe gratiā Deo, qui ſub terra fertur eſſe.* Alexander ait Græcos ebibiſſe ſcelus hoc Perſarum; quippe ſolenni ritu in feſto Bacchi litant humanis hoſtiis: vtque ſolamen aliquod percipiat, homo diris deuotus, habetur pro ſancto à ſuis, quia Baccho immolari fuit indubia teſſera probitatis. Illa crudelitatis, & ignominiæ labe notantur Lacedæmonij, alioquin procul à colluuie vitiorum, quæ infecit alias ferè omnes Gentes. Hi, inquam, Philoſtrato auctore fuere rei effuſi ſanguinis innoxij: nam aris Martis humanas hoſtias imponebant. Hoc & Romani ſenſere contagium, ſiquidem ex Liuio poſt Cannenſem cladem, vt Deos auerſos placarent ſacra noua humano ſanguine perfecerunt. Sic Liuius. *Interim ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus, & Galla, Græcus, & Græca in foro Boario ſub terra viui demiſſi ſunt in locū ſaxo conſeptū, ibi antè hoſtiis humanis Romano ſacro imbutū.*

Perſarum mos crudelis pueros defodere.

Herodot. l. 7.

Græci Baccho viuos homines immolant.

Alex. lib. 6. cap. 26.

Lacædemonij Marti homines immolabant

Philoſtr. de vita Apol lib. 6 cap. 10.

Romani homines immolarunt.

Liuius. 3. Dec. lib. 2.

Athenienſiū crudelitas.

Eſto ſcientiæ clauem crediderint Athenienſes ſe poſſidere; tamen in hoc ſacrorum deteriore ritu, ab omni pietatis ſcopo turpiter aberrarunt. Tres namque prænobiles pueros, filios Sandarices ſororis Xerxis Regis Perſarum, viuos iure belli captos Libero patri cæſos obtulerunt, ementita ſpecie pietatis. Crudele facinus hoc Plutarchus horret. Tolerabile magis atrox fuit in populo Barbaro piaculum, quam in Græcis, & Romanis, penes quos rationis emicuit ſplendor illuſtrior. In Barbaris nulla ferè plaga mundi fuit, vbi Deorum aræ non humano ſanguine deſudarint. Præter Gentes antea traductas in hanc arenam, Lactantius commemorat truces Taurorum mores; illis nempe fuit in more poſitum, vt aris hominem ſiſterent, & ſoluto precum penſo, caput eius claua ferirent, illudque cruci affigerent, & truncum corpus ex ingenti rupe darent in præceps. Strabo ritum illum ait fuiſſe & communem cum Leucadiis, qui in Apollinis ſacro facto, vt propulſarent iram Dei, quam ſuſpicabantur imminere ſibi, hominem de loco edito deturbabant, ſubiecti maris fluctibus immergendum. Ægyptij, homines ruffos ad ſepulchrum Oſiridis, hoſtias immolabant, teſte Diodoro Siculo. Albani hominem ſacris initiatum, ſanctitate quæ tunc erat in vſu conſpicuum, diu cuſtoditum ſollicitè, & opiparè ſaginatum aris admonebant, vbi dementatus carmine futiali miſerè cædebatur. Strabo ritum illum accuratè deſcribit hoc tenore. *Quidā huius negotij ignarus ſacrā haſtā tenens, qua mos eſt hominem mactari, atque ex multitudine procedens, eam in cor per latus vrget, illo cadente, quædam diuinationis ſigna captant, atque in commune proferunt, tum corpore in locum quemdam delato, id omnes ſuper-grediuntur huiuſmodi piaculo vtentes.*

Plutarch. in Ariſtid.

Taurorum mores in ſacrificiis.

Lactant lib. 1. c. 21.

Leucadij quo ritu Deorum iras auertebant.

Strabo. l. 10.

Ægyptiorū ſacra crudelia.

Diodor. Sicul. lib. 2.

Albani quo ritu ad aras homines mactabant.

Strabo. lib. 11.

Singuli Dij ſuas habuere victimas. *Seruius in 9. Æn.*

Si verò res eſt de irrationali ſacro, vbi beſtiæ mactabantur, illud multiplex, fuit pro varietate hoſtiarum. In quibus Seruius hoc annotat: ſcilicet omnibus ferè Dijs ſuas victimas, & ſua fuiſſe ſacra, quæ non poterant ſine crimine prætereri. Eò alludit Maronis carmen.

Virgil. 1. in Æn.

Ipſe tibi ad tua templa feram ſolennia dona.

Eiuſdem & farinæ traducitur verſus eiuſdem famoſi Poëtæ.

Aliena hoſtia non litatur. *Plin. l. 8. c. 45.*

———— *Strueramque ſuis altaria donis*

Rurſus ex Plinio cauendum erat, ne aliena hoſtia fieret ſacrum Deo. Verbigratia, ſoli Neptuno, & Apollini taurus immolabatur ad arbitrium hominum, & quouis tempore. Vtriuſque ſimulacri hoſtiam eſſe taurum, Virgilius indigitat iſto verſu.

Virgil. l. 3. Æn.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Alex. lib. 3. cap. 12.

Alexander ait, fuiſſe neſas offerre Ioui verrem, arietem, imò neque taurum, niſi die triumphi, quo fiebant ſacra Ioui, tauris niueo candore conſpicuis. Ita Virgilius.

Virg. lib. 2. Georg.

Taurus albus immolatus Ioui die triumphali.

———— *Et maxima taurus*
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

Ouid. lib. 1. Faſt.

Conſonat Ouidius, notans vnde ducebantur illi tauri triumphantium ſacris idonei.

Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

Clitumni fontis virtus mirabilis ad dealbanda pecora.

Ex Plinio omnis aqua decurrens agrum Faliſcum habuit hanc vim ſibi inſitam, vt omnes tauros dealbaret, & hæc præcipuè virtus creditur propria Clitumni fontis, qui in præfato agro dicitur ebullire. Eò collimant iſti verſus Claudiani.

Claud. in 6. Conſulatu Honorij.

Quin & Clitumni ſacras victoribus vndas,
Candida quæ Latijs præbent armenta triũphis
Viſere cura fuit.

Clitumni aqua ſacra.

Fauet Virgilius commemorans illud prodigium Clitumni, quem & ſacrum ideo commemorat, verſu prælibato.

Virgil. lib. 2. Georg.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro.

Victimæ olim ſelectæ debebant eſſe.

Debuiſſe legi victimas accuratè, & non promiſcuè ſiſti aris probat iſte locus Virgilij.

Virgil. lib. 6. Æn.

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit: totidem lectas de more bidentes.

Victimæ iniuges quænam olim fuerint.

Macrobius ait quaſdam hoſtias fuiſſe nuncupatas iniuges, quia nunquam fuere iugum paſſæ, & earum grex Virgilio dicitur intactus, vt & ceruix intacta, quæ ſine iugo.

Virgil. lib. 4 Georg.

———— *Et intacta totidem ceruice iuuencos.*

Iſque Poëta docet, huiuſmodi hoſtiás quammaximè conducere ad orationes efficaces. Sic ille conſulit fundi preces.

Orationis efficacis quales fuerint victimæ.

Sed modus orandi qui ſit, prius ordine dicam
Quatuor eximios, præſtanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depaſcunt ſumma Lycæi
Delige, & intacta totidem ceruice iuuencos.

Ouid. lib. 3. Metam.

Concordi vena fluit Ouidius, in eo themate de victima iniugi.

Mineruæ quare victimæ iniuges fuere oblatæ.

Bos tibi Phœbus ait, ſolis occurret in aruis
Nullum paſſa iugum.

Manil. Oreſtes lib. de hymnis Deorum.

Manilius Oreſtes aſſerit, Mineruæ ſacrificari boues iniuges, quia virgo Minerua eſt, & virginitas maritale iugum neſcit. Præterea Minerua cataphracta virtutis ideam obiicit; at virtus iugo premi nequit? Ex Gyraldo ſacra fuere mutila, ſi victimæ impuræ, & ſine delectu fuerunt adhibitæ; lectiſſimas crediderunt hoſtias illas, quæ indole placida cenſebantur. Quales ſunt hœdi, & oues. Fauet & ſcriptura ſacra, vbi columbæ, turtures, hœdi, & oues in ſacris maximè commendantur. Non eſt prætereunda Seruij obſeruatio circa oues, quas Virgilius nominat.

Placidę hoſtiæ creditæ lectiſſimæ. *Gyrald. Syntag. 17.*

Oues quare dictæ lectæ bidentes. *Seruius 6. in Æn.*

———— *Lectas de more bidentes*

Ait ille Scholiaſtes Virgilij, oues bimas habere duos dentes eminentiores alijs ſex, & hos ante duos annos minimè prominere. Ideoque lege ſacrorum fuiſſe cautum, ne ouis ante bimatum ſacris ſiſteretur aris.

Comparatio Chriſti cum priſcis hoſtiis.

Si à profanis ad ſacra Chriſtiana licet diuertere, non erit ardui negotij probare, quàm noſtra potiora ſint alijs omnibus, vnâ duntaxat Chriſti hoſtiâ recenſitâ. Si namque res eſt de ſacro rationali, vbi mactabatur homo; ſacrificium Chriſti omnes hominum ſtatus comprehendit. Namque homines mactati fuere nobiles, vel ignobiles. Si nobili fuere proſapia, vt apud Perſas; hi fuere pueri elegantis ſpeciei, & virgines egregiæ. Si homines fuere ignobiles; hi fuere captiui, aut noxij, aut grandæui, quos annoſos ſenes annorum fecerat inutiles. Chriſtus homo fuit, effectus hoſtia in gratiam omnium hominum immolata. Si res eſt de familia, qua diuinus ille ſatus eſt homo; quidquid nobile infra cœlos eminet, illud prorſus eſt ignobile, ſi cum Chriſto Domino comparetur. Namque Deus ille dicitur à Ioanne. *Rex Regum, Dominus dominantium.* Hoſtia, quæ intrepidè ſiſtebatur aris, credita eſt propitia. Vnde Codrus Rex Athenarum vltro ſe offerens morti pro ſalute populi ſui, factus eſt typus ſacrificij ſuis omnibus numeris abſoluti. Fuit quippe Codrus Rex, ac proinde nobilitatis præcipuæ. Non coactus occubuit gladiis hoſtium; ſed inſciis ſuis ſubditis mutato habitu, & depoſitis infulis, in hoſtiles cuneos irruit, facturus ſatis oraculo pollicenti victoriam Athenienſibus, ſi Rex audacter caput ſuum gladio deuoueret. Quod vt accepit Rex inclytus, audacter Peloponenſes aggreſſus, eos fecit miniſtros oraculi, & victoriæ, quam partam ſuo ſanguine reportauit. Huius meminit Virgilius hoc carmine.

Apoc. 19.

Codrus Rex Athenarum immolatur gladiis hoſtium pro ſalute populi.

———— *Si quos aut Phyllidis ignes,*
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Virgil. 5. Eclog.

Codri nobilitas abiit in prouerb. *Eraſm. in Adagiis.*

De nobilitate eiuſdem adagium proſtat, quo præcipua hominum ſtemmata ad Codri trutinam appenduntur. Ecce prouerbium quondam familiare Græcis. εὐγενέστερος κόδρου, πρεσβύτερος κόδρου. Id eſt, *Generoſior Codro*, *Antiquior Codro.* Demum ad perfectionem ſacrificij animati Gyraldus ait requiſitam fuiſſe hoſtiam indolis placidæ, quales ſunt oues, vt litarent. Sicque liquet, quatuor fuiſſe neceſſaria, vt ſacra forent ſarta tecta. Primum, vt eſſet hoſtia prænobilis, & electa. Secundum, vt ſponte occumberet, & nulla vi illata, vt aris adſtaret. Tertium, vt eſſet indolis manſuetæ. Demum, vt ſacro abſoluto Deus fieret propitius. Illa quatuor commendant abunde ſacrificium Chriſti, qui, vt præfatus ſum, Deo Patre ſatus, quà conſideratur vt Verbum. Quà verò ſpectatur vt homo; editus eſt ex Regali proſapia Dauid, longa ſerie Regum Iuda ducens originem. Is ad ſacrificium renitente etiam Petro accurrit, indole adeò manſueta, vt ſilentium eius Præſes animo tacito miraretur. Litarit necne ſciunt omnes beati homines, vtpote facti eius ſanguine redemiti.

Gyraldus Syntagmata 17.

Chriſtus ſacrificatus habuit omnia quæ concurrunt ad perfectum ſacrum.

Iſaias. 53. Quatuor hæc capita, quæ coëunt ad integrum ſacrificium luculeoter expreſſit Iſaias præſcius huius ſacri, cuius ipſe Chriſtus hoſtia fuit multis antè ſæculis explicata. Ecce vaticinium. *Generationem eius, quis enarrabit?* Quaſi diceret, Chriſtum eſſe antiquiorem Codro, atque adeò ſtemmatis illuſtriſſimi. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* Ecce voluntarium ſacrificium, nemine compellente. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* En omnium hominum manſuetiſſimi imaginem graphicè lineatam. Nihil nempe magis exprimit indolem placidam Chriſti, quàm indoles ouis, aut agni. Denique ſi virtus ſacri-
Pſal. 129. ficij huius deſideratur, Dauide aſſertore. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino, quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.* Fuiſſe verò factam redemptionem hominum ſanguine
Iſai. 53. Chriſti fuſo in pretium, luculenter ait Iſaias, illo eodem capite, vnde deduximus verſus proximè
Effectus ſacrificij Chriſti fuit valde ſalutaris hominibus.
recenſitos. Ecce Vatis oraculum. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtra ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus,* &c. *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Itaque nihil omninò deſiderandum eſt in illo ſacro Domini Ieſu, quo abundè requiſita omnia concluduntur.

Si ad ſacra inanima prouocare libet, & ad hanc amuſſim reuocare panem ſacrum; in confeſſo eſt apud omnes, habere panem illum, quo præeat ſacris illis omnibus antiquatis. Præcipua namque ſacra veterum fuere in farre, & ſimila, quæ ſunt conficiendi panis elementa. Simila nimirum eſt farinæ flos tenuis, vnde fiunt placentæ, paneſque delicati. Deo inſtitutore ſacrum hoc de ſimila frequens fuit, vt videre eſt hoc de-
Leuit. 2. creto legis Moſaicæ. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio. fundetque ſuper eum oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron ſacerdotes, quorum vnus tollet pugillum plenum ſimilæ, & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino.* Hæc farina quandoque fuit in clibano cocta, aliàs verò in ſartagine, vt ſeries textus laudati probat. Ita fatur Moyſes. *Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano, de ſimila panes ſcilicet abſque fermento, conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimila conſperſa oleo, & abſque fermento, diuides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum. Sin autem de craticula fuerit ſacrificium, æquè ſimila oleo conſpergetur.*

Sacra Hebræorum & Gentiliũ ex farina.

Suſpicor ego lègem illam ſacrorum innotuiſſe Gentilibus, & præſertim Numæ Pompilio Regi Romanorum, qui huios populi feros animos manſuetos fecit indicta ſpecie pietatis. Quippe ritus ſacrorum inſtituit, vtque foret maior litandi copia, ſanxit ille Deos coli frugibus, & mola ſalſa, ſicuti Plinius aſſertor eſt. Molam ſalſam dixere veteres, maſſam farinæ aqua dilutæ & ſale conſperſæ; ea tamen cautione, vt far torridum eſſet: alioquin veteres ſacra irrita crediderunt. Ita Plinius, Feſtus Pompeius, & Ouidius.

Numa Pompi'ius quam legem ſacrorum tuierit. *Plin l. 18. c. 2.* Far d buit eſſe toſtum vt litarent. *Feſtus Pomp. lib. 6.*

——— *Torrida cum mica farra,* *Ouid. l. 2. Faſtor.*

Idem Poëta recenſens vetus inſtitutum colendi Deos, ſic occinit.

Antè Deos homini, quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis. *Idem. Lib. 1. Faſtor.*

Concinit & Tibullus memor huius farris, quo fuit in more poſitum conciliare Deos.

——— *Omnia noſtis*
Farre pio placant, & ſaliente ſale. *Tibull. l. 3. Eleg. 4.*

Quia torrebatur far in fornace, Plinius, Feſtus Pompeius, & Ouidius aiunt, Numam indixiſſe dies feſtos, quos Fornacalia nuncupauit, in quibus lætior erat anima plebis corpore feriante.

SECVNDA PARS HOMILIÆ

ANIMA FOETA DEO FASTIDIRE debet omnes mundi cupedias, vt fiat compos Cœnæ Chriſti.

HAbes in hoc argumento homiliam vnam ſupra Tract. de inſtit. Euchar. homil 3. vbi ex profeſſo commentatus ſum in hæc verba. *Deſiderio deſideraui manducare hoc paſcha.* Ne bis crambe recurrat, hîc ſuperſedeo: tu illic conſule prælibata, opportuna ſanè titulo recenſita.

HOMILIA
SEXTA,
DE VINO APPOSITO MENSÆ SACRÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. *ISAAC Patriarcha precatus omnia fauſta ſuo filio Iacob, in cuius gratiam à Deo petiit quidquid deſiderio ſui ſollicitare poteſt hominum vota, concluſit omne penu boni omnimodi facta mentione panis & vini, fortè quia in hoc duplici cardine vertitur hominum vita, cui ſatis abundè conſulitur, pane, & vino, citra quorum obſequium vita labat, impaſto, ſicut par eſt, corpore fatiſcente. Vt eſt prouidentia diuina ſuis omnibus numeris abſoluta; ita cauit, ne quid in Cæna inſtituta ſuis fidelibus deſideraretur à conuiuis, qui in pane, & vino Cæna ſuauitatem ſuperantem cupedias omnes alias inuenerunt.*

II. *Vt ſupra panem exhibitum iam perſtrinxi; ita priori parte iſtius homiliæ inueſtigo vinum appoſitum Cænæ. Explicata vini huius conſecrati indole, ſubiicio præcipuos effectus huius vini.*

III. *Altera parte probo, vinum pertinere quidem ad ſacrificium Miſſæ, ſed citra vini conſecrati vſum perfectam eſſe ſacram communionem ſub ſpecie ſola panis, quæ proinde ſatis eſt populo miniſtrata.*

PRÆFATIO.

Luc. 14. *Miſit ſeruum ſuum hora Cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia.*

VT veteri adagio circumfertur. *Qui omnia dicit, nihil excipit.* Cùm ergo pater familias certiores inuitatos fecit omnia eſſe parata, quæ conducunt ad perfectionem conuiuij, procul dubio ſatis ſuperque probauit non deeſſe vinum. quod eſt præcipuum ferè decus epularum, quæ potius denominantur à vino, quàm ab eſcis, & ferculis exquiſitis. Hebræi namque vocant epulas משתה *miſchthé* à radice שתה *ſchata.* Id eſt, bibit. Concolor eſt Græca dialectus, quia conuiuium dicitur συμπόσιον, id eſt, compotatio. Hac epularum parte inſigni fuerunt conſpicuæ illæ menſæ inſtructæ fidelibus Chriſtianis. Nempe præter illum panem ſacrum, qui inſtar mannæ referebat ſaporem omnium dapum, appoſitus eſt etiam calix vini optimi defæcati: ſicque duobus his ſymbolis, panis videlicet, atque vini, Dominus ſuum concluſit conuiuium, vt luculenter ait ſcriba ſacer Matthæus, vnus ex duodecim diſcumbentibus, ac proinde verax teſtis. Sic ille. *Cœnantibus eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Vide vices alternantes. Vinum in Scriptura ſacra vocatur, ſanguis vuæ: & ſanguis Chriſti, vini, ſeu calicis nomine recenſetur. Cùm itaque pane vitæ diues ſit Cœna Chriſti, vt & vino ſingulari; profectò pertinet ad populum Chriſtianum illud elogium Moyſis, in gratiam Iudæorum antea recenſitum. *Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.* Faxit Deus vt conſcij opimi huius conuiuij aliam prorſus ineamus viam ab ea, quam triuere Iudæi poſt epulas proximè memoratas. Ecce Dei cenſuram. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Iudæorum diſcrimine cautior effecta anima Chriſtiana poſt Cœnam Chriſti; gratitudinis ſuæ notas indices exhibebit, ſe totam deuouendo obſequio Chriſti, & Mariæ, quam par eſt venerari vſurpata ſalutatione aſſueta. AVE MARIA.

Math. 26.

Deuteron. 32.

ISaac Patriarcha annoſus ſtabilire volens æquiorem filij ſui ſortem, cui mente præſaga benedictionem impertijt; omnia cœli, & terræ dona concluſit vocabulo panis & vini; ratus, pane & vino concludi gazas etiam prædiuites. Ecce ſuprema patris vota in gratiam Iacob, qui in benedictionem illam cupidus anhelabat. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*

Benedictio Iſacc quare meminerit panem, & vinum.

Geneſ.27.

Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Nota obiter; Iacob, qui hoc ſpeciali priuilegio dignatus eſt, ſuauem ſpiraſſe fragantiam, qua conciliauit ſibi paternam hanc gratiam, eſto minor natu eſſet. Gentilis populus, quo obſequente Chriſto ſurrexit Eccleſia, natu quidem minor erat reſpectu Synagogæ: ſed quia Chriſto manus dedit, ac proinde bonus odor Chriſti effectus eſt; ideo ditatus eſt prædiuite penu panis & vini Cœnæ Domini, factuſque eſt dominus Iudæorum, qui hodie, vt vilia mancipia, vitam agunt ingloriam. Quanti verò momenti ſit illa panis & vini benedictio, ſatis oſtendit Iſaac, qui rogatus ab Eſaû, vt aliquam ipſi gratiam impertiret, ait ſe imparem eſſe votis eius, quia data benedictione panis & vini nihil ſupererat amplius exoptandum. Ecce vtriuſque colloquium. *Rurſum ad patrem:*

Ibidem.

Numquid non reſeruaſti, ait, mihi benedictionem? Reſpondit Iſaac: Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui: frumento, & vino ſtabiliui eum; & tibi, fili mi, poſt hæc vltra quid faciam? Quaſi diceret: Omnem dedi panis atque vini copiam fratri tuo, & hæc eſt gratiarum omnium naturæ ſumma, infra quam ſunt aliæ terræ dotes, idcirco indignæ, quæ votis omnibus expetantur.

Synagoga panem de cœlo habuit ſed non vinum.

Habuit quidem Synagoga panem cœlo ſatum, videlicet manna tritum manibus Angelorum; ſed vini in deſerto nulla planè fuit mentio, abſtemiò ſic populo remanente. Parciore manu ſua Deus beneficia Iudæis diſtribuit. Vnde Synagoga pauperior non habuit, quo ditaret animas ſuis olim ritibus obſequentes. Vberiori longè prouentu gratiarum, Eccleſiæ cumulus intumuit. Nempe panis, & vini copia larga ditata eſt. Proxima homilia panem fregit: Iſtius penſum erit vina optima propinare. Cùm enim Cœna Chriſti ſuum panem habuerit diuinum, debuit & habere vinum eiuſdem naturæ, cuius erat panis antea conſecratus, Eamobrem vt perfecta Dei ſunt opera, vinum omnino fuit conſonum pani Apoſtolorum cœtui diſtributo.

Eccleſia in quo præpoſita Synagogæ.

Ideoque non habet Eccleſia, quòd quæratur ſe poſtpoſitam Synagogæ, cui nullum è cœlo vinum conceſſum eſt. Populum enim Chriſtianum ſi querulus eſſet, ita Deus compellare poſſet: *Dominum te conſtitui, & omnes populos tuæ ſeruituti ſubiugaui: frumento electorum, & vino calicis mei ſtabiliui te, & tibi poſt hæc fili mi vltra quid faciam* De gratia præſtita in exhibendo pane ſacro dixi pro virili parte: ne quod ſubeſſe videatur deliquium Cœnæ Chriſti, operæ pretium eſt hîc, vinum præcipuum è Chriſti calice delibare.

Diuiſio homiliæ.

Priori parte iſtius homiliæ dicam, quale ſit vinum illud conſecratum. Subiiciam virtutes eius potiſſimas. Secunda parte dicam, illud vinum eſſe de ratione ſacrificij nouæ legis, ſed non eſſe neceſſarium ad ſanctæ communionis perfectionem, quia illa poteſt fieri ſub vna panis ſpecie.

Prima Pars Homiliæ.

Quale ſit vinum a Chriſto Domino propinatum in vltima Cœna diſcumbentibus Apoſtolis:

§. I.

Ex Antiqvitate, Et ex SS. Patribvs.

Ex Medicina.

Medicorum aſſertio eſt nullas patiens inficias, hominem indigere potu: niſi namque cibus diluatur humore congruo, traiici nequit in venas, neque aptum tribuere corpori nutrimentum. Ventriculi coctione liquor totus cibo infunditur & miſcetur, totaque dapum vis liquidior facta tranſit in liquorem, fitque vna æquabilis ſubſtantia, chyli nomine nuncupata.

Fernel. lib. 9. Pathol.c.8.

Chylum flexuoſo per inteſtina prolapſu exugunt meſenterij venæ, & quidquid ineſt vtilioris ſubſtantiæ, id omne eripiunt, potuque tanquam vehiculo ſubuehunt ad iecoris portas.

Potus neceſſitas.

Eſto panis à Chriſto præſtitus in Cœna fuerit virtutis infinitæ ad vegetandas animas vſquequaque. Attamen prouidus hic Dominus credidit è re ſua propinare vinum, ne inuitati cunctarentur adeſſe conuiuio, vbi nulla prorſus eſſet mentio vini.

Prouerb.9.

Salomon præſcius induſtriæ Chriſti in epulis inſtruendis, dum earum ſeriem texit, meminit panis, & vini. *Sapientia*, inquit, *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Quodque notat, Salomonem attendiſſe ad Cœnam Chriſti, & direxiſſe ſuæ fatidicæ mentis aciem in panem, & vinum præfatæ huius Cœnæ, liquet ex modo, quo inducit Sapientiam vocantem ad epulas. Illa nimirum velut pertæſa dapes, & opima quæuis obſonia, nullas alias meminit illecebras præterquam panis, & vini. Ecce voces, quibus Sapientia ſollicitat animas. *Venite; comedite panem, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Non dixit ſimpliciter: Venite, comedite panem; ſed adiecit, comedite panem meum, & vinum quod miſcui vobis. Quippe panis Sapientiæ, & vinum quod diluitur ab ea, ſunt fercula luculenta. Rurſus videtur præcipuam Sapientiæ curam Salomon repoſuiſſe in diluendo vino. Nam cum deſcribit apparatum menſæ primò vinum commemorat, ſine vlla mentione panis. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* Hoc contextù vinum eſt ſumma rerum, quas Sapientia ſuis menſis appoſuit. Stylo etiam Scripturæ ſacræ regia conuiuia, ex vino maximè commendantur.

Eſther 1.
Vinum pars eſt præcipua conuiuij.

Ita ſacer textus hiſtoriæ Eſther. *Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis, & aliis, atque aliis vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.*

Plin.l.14.c.15.
Iulij Cæſaris luxus in multiplici vino appoſito epulis.

Plinius ait Iulium Cæſarem fuiſſe auſpicatum tertium ſuum Conſulatum à ſplendido conuiuio, quod ſingulare fuit eo duntaxat nomine, quòd quatuor genera vini calices inundarunt. Namque crebri fuerunt illic hauſtus vini Falerni, Chij, Lesbij, & Mamertini.

Perſæ Romani, Chaldæi, Græci vino vſi in epulis.

Non Perſis modò, & Romanis in more fuit

poſitam

poſitum, vinum infundere ſolennibus epulis; ſed & etiam Chaldæis, & Græcis illud quammaximè placuit inſtitutum. Chaldæorum morem recolit Daniel, ſeriem texens eorum, quæ geſta ſunt in epulis Baltaſſar. *Baltaſſar*, inquit, *Rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem*, &c. *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos.* Græcis vſus vini liberalis adeò vernaculus fuit, vt pergræcari perinde ſit, ac ſe vino perfundere largiori. Quippe vino indulgebant Græci, in multam noctem, ſuumque vitius hoc abutendi vino Romanis etiam poculis infuderunt. Ita Græcorum, & Romanorum epulæ conuiuas ſuos vino immerſos Baccho, & Veneri deuouebant. Luxum hunc meminit Horatius hoc carmine.

Daniel. 5.

Horat. l. 3. Od. 21. Lib. 1. ep. ad Torq. ep. 3. ad Mæcen. Lib. 2. Sat. 6.

Te Liber, & ſi læta aderit Venus,
Segneſque nodum ſoluere Gratia,
Viuaque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.
Supremo te Sole domi Torquate manebo.
Hoc ſimul edixit, non ceſſauere poetæ,
Nocturno certare mero, putere diurno.
O noctes Cœnæque Deum, quibus ipſe, meique.

Gêtiles quare multa instituerint Bacchi ſacra.

Græci vini potus immodicos prætexebant ſpecie pietatis, multos nempe dies fecere ſacros Baccho; ſolaque Græcia tot, & tantis initiata ſacris Bacchi, ebrietatem religionis ſuæ membrum fecit. Nullum quippe numen tot feſtis colitur æquè Bacchus, cuius ſacra omnia generali nomine dicta ſunt Orgia, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt à furore; quia omnes inaugurati ſacris illis, ob vini ſæpe repetitos hauſtus, quaſi furoris œſtro perciti diſcurrebant. Prima Bacchi ſacra fuere Διονύσια, eò quòd ipſe Bacchus ſit appellatus Dionyſius, παρὰ τὸ Διὸς καὶ Νύσσα. Id eſt, à Ioue patre, à Nyſſa vrbe Arabiæ, vbi fuit à Nymphis educatus. Ioſephus Scaliger ait bis in anno celebrata Dionyſia, verè ſcilicet, & hyeme. Altera ſacra ſunt Λήναια; vnde & Lenæus dictus eſt Bacchus: ληνὸς enim eſt torcular, & quia Bacchus præerat torculari, ab hoc vt congruo titulo nominatur. Tertia ſacra fuere Ὠμοφαγίαι. In his cruda carne paſcebantur homines euiſceratis hircis. Vox Græca ὠμοφαγία viſcerationem ſignificat. Et ὠμοφάγος perinde eſt, ac carniuorus. Quo ritu deſipuerint illa Bacchi mancipia, Arnobius recolit eleganter. Sic ille carpit inſanas Gentilium mentes. *Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus: atque vt vos plenos Dei numine, ac maieſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Meminit Arnobius laceros illo ſacro capros, quia mactabatur Baccho caper, vt viribus iniurius, quas dente venenato rodit, teſte Virgilio. Alia ſacra fuere dicta Θεοίνια; Bacchus enim dicitur Θεοίνος quaſi θεὸς οἴνου. Id eſt, Deus vini.

Orgia vnde dicta.

Dionyſius quare ſit appellatus Bacchus

Ioſeph. Scalig. l. de emend. temporum.

Dionyſia ſacra quandò fuere.

Lænea ſacra

Omophagiæ quid ſignificent.

Arnob lib. 6. tra Gentes.

Caper quare fuit immolatus Baccho.

Virg. 2. Georg.

Theœnia ſacra.

Præ aliis ſolennia fuere Trieterica ſacra, ſingulis quibuſque trienniis à Gentili populo celebrata. Hinc Bacchus eſt dictus Trietericus, quaſi honoratus præcipuo cultu tertio quoque triennio. Eò ſpectant illa carmina Virgilij.

Trieterica ſacra.

Virgil.

——— Qualis commotis excita ſacris
Thyas, vbi audito ſtimulant Trieterica Bacchi
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.

Cithæron mons fuit in Bœotia Baccho ſacer, vbi noctu celebrabantur Orgia. Hinc & Bacchus dictus eſt nocturnus, quia à temulentis præcipuè nocturno tempore colebatur. Hoc abundè probant ſacra dicta Νυκτέλια, id eſt, Nocturna, à quibus ipſe Bacchus νυκτέλιος, id eſt, nocturnus dicitur; fortè quia lautiores epulæ noctu fiunt, in quibus inebriandi homines Baccho litant, magna mero pocula coronantes. Hunc tenebrionum morem carpit Paulus, hoc contextu. *Vos fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſimus.*

Nyctelia ſacra.

Cithæron mons.

Bacchus dicitur nocturnus.

1. Theſſ. 5.

Athenienſes vt menſæ integro vino maderent, menſem Antheſterion totum fecere ſacrum Baccho, cuius ſacra Antheſteria fuere nuncupata, vt memorat Thucydides. Quodque magis probat cupidinem vini in Græcis, dies habuere ſacros illos, quibus primo dolia reſerabant. Vocatum eſt illud feſtum Πιθοιγία quaſi ἡ τῶν πιθῶν ἀνοιγή. Id eſt, doliorum apertio, qua conuocatos amicos largis poculis infundebant. Huius inſtituti meminit Cœlius Rhodiginus, & ex profeſſo Plutarchus explicat, in quo feſti huius cardo præcipuus vertebatur. *Athenis*, inquit, *vndecimo die menſis Antheſterionis, primitias noui vini delibant, diemque illum à doliis reſerandis πιθοιγίαν vocant, vtque apparet antiquitus de vino antequam guſtarent libantes, vota faciebant, vt ſibi vſus eius medicamenti ſalutaris, & innoxius foret. Apud nos menſis προστατήριος dicitur, quaſi Patronalis, ſextaque eius die ſtatutum eſt ſacris bono genio factis guſtare vinum poſt flatum Fauonij. Is enim ventus omnium maximè vina mouet, ac mutat.*

Antheſteria ſacra.

Thucydides. lib. 2.

Pithœgia ſacra.

Cæl. l. 28. cap. 25.

Plutarc lib. 3 ſympoſ. 7. 1.

Vini vſus vt ſit ſalutaris à Deo eſt petendum.

Themiſtocles in honorem Bacchi aliud feſtum inſtituit, denominatum à menſura vini, quam Choam nominat. Vnde Choës ſacrum illud eſt dictum, de quo Suidas ita fatur. *Choes feſtum eſt quod Athenis agebatur in menſe Antheſterione, cuius hæc ratio, atque origo traditur. Oreſtes cum interfecta matre Athenas veniſſet, Athenienſes illum hoſpitio conuiuioque exceperunt, nec tamen eodem cum illo vino participarunt, verùm choas illi vini plenas ſeorſim appoſuerunt.* Concors eſt & ſcholiaſtes Ariſtophanis, liquidiùs adhuc commemorans illam hiſtoriam hoc tenore. *Chus menſura eſt Attica capiens ſeptem cotylas. Eſt præterea feſtum Athenienſium hac de cauſa ſic appellatum. Oreſtes propter matris cædem profugus Athenas ſe contulit ad Pandionem cognatum ſuum, Athenienſium Regem. Is cum publicum quoddam epulum eo tempore fortè celebraſſet; & Oreſtem neque præ pudore dimittere, neque præ religione ad potus menſæque communionem admittere auderet, cùm nondum eſſet expiatus, ne ex eodem cratere biberet, ſingulis conuiuis Choam appoſuit.* Suidas ait hoc feſtum fuiſſe celebratum duodecimo die menſis Antheſterionis, & Apollodorus adiicit hoc feſtum ſolum propriè nuncupatum fuiſſe Antheſteria; fortaſſis quia tunc inſtruebantur epulæ in omnimodum luxum compoſitæ: totaquippe voluptatis ſupellex ſeſe conuiuis omnibus explicabat. Ecce feſti Χοῶν apparatum auctore Ariſtophane.

Choës ſacrū à Themiſtocle inſtitutū in honorem Bacchi.

Suidas in voce Choes.

Scholiaſtes Ariſtoph. in. Α χαρνῶ.

Oreſtes cur non ad commune poculū ſit admiſſus.

Quali apparatu celebratum ſit feſtū Choes.

Epularum Athenis qualis luxus, & libido fuit.

——— Ad Cœnam citò
Te confer ciſtam accipiens atque Choa,

Nam

Nam Dionyſij te ſacerdos accerſit:
Reliqua verò omnia ſunt parata,
Lecti, menſa, puluini, ſtrata:
Corona, vnguentum, bellaria, ſcorta adſunt:
Amyli, placenta ſeſami, itria ſine liba,
Saltatrices, Harmodij carmina, pulchra.

Feſtũ χύτροι,
Scholiaſtes Ariſtophanis vbi ſup.

Aliud item feſtum fuit nomine χύτροι, id eſt, ollæ. Inſtitutionem feſti huius ita recolit interpres Ariſtophanis. *Chytri feſtum apud Athenienſes percelebre, in quo omne ſeminum genus in olla coquere ſolebant, Dionyſio, & Mercurio operantes, vt Theopompus ſcribit. Principium huius ſacri à Deucalione vſque per manus traditum fuit. Ferunt enim illum, & qui cum eo ex diluuio illo ſuperſtites euaſerant, ita ſemina coxiſſe, vnde feſtum exortum, & appellatum eſt: nam chytra ollam ſignificat: nec ex coctis quicquam guſtabant.* Demum ad luxuriæ, & ebrietatis ſummam adiecere feſtum, cui nomen φαγήσια, καὶ φαγησιπόσια. Eo die litandi ritus fuit, abdomine diſtento cibis impleri, & crapula tenus poculis inundari. Huius moris meminit Athenæus.

φαγήσια quale fuit feſtum.

Vinum ſacris olim adhibitum.

Ex præfatis videre eſt ingenioſos fuiſſe veteres ad multiplicanda pocula: namque vini gratia excogitata fuit ſeries hæc feſtorum, quorum præcipuus ritus erat multo poculo deſudare. Priſca nimirum ætas ſuſpicata vinum eſſe Deorum præſtantiſſimum donum, liberali manu ſe illo infudit; vtque vini largum vſum religionis nomine prætexeret, illud ſacris adhibuit, arbitrata Deos habituros illam gratiorem hoſtiam, quæ fuiſſet reſperſa mero. Inde ritus ille ſacer apud Virgilium.

Æneid. 6.

Quatuor hic primum nigrantes terga iuuencos.
Conſtituit, frontique inuergit vina ſacerdos.

Virgilio inuergere vina perinde eſt, ac infundere. Dido fuit tenax huius moris, vinum medijs hoſtiarum carnibus infundendi,

Æneid. 4.

Ipſa tenens dextrà pateră pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ, media inter cornua fundit.

Sacra illa vino infuſa fuere dicta ἐπίσπονδαι, vel θυσίαι ἐπίσπονδοι. Id eſt ſacrificia vinum libantia. Hoc genere ſacrorum Auguſtus voluit initiari Patres Conſcriptos Curiam ingreſſos. Etenim ſanxit, vt ante ſeſſionem, thure, vinoque ſacrum facerent apud aram Dei illius, in cuius templo fiebant comitia. Annuit illi edicto Tyberius: nam mortuo Auguſto prima die, qua Curiam intrauit, thure, & vino velut ſacro integro ſupplicauit. Ad hunc morem alludit Ouidius, cùm ſubiectis hiſce carminibus, ita ludit.

Suet. in Aug.

Ouid. lib. Faſtor.

Mox ego cur quamuis aliorum Numina placem,
Iane, tibi primùm thura merumque fero.

Luculentam etiam mentionem vini in ſacris facit Virgilius, quem accipe memorantem ſacra Cereris.

Virgil. l. 1. Georg.
Sacra Cereris quibus olim conſtabant rebus.

In primis venerare Deos, atque annua magna
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hyemis, iam Vere ſereno:
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina,

Vinum idoneum ſacris debuit eſſe de vite putata.
Plin. l. 14. c. 12.

Non eſt prætereunda celebris obſeruatio hæc Plinij. *Lege Numæ Regis ex imputata vite libari vina Dijs nefas ſtatuit, ratione excogitata, vt putare cogerentur, alias aratores, & pigri circa arbuſti pericula.* Profectò tota hæc induſtria in argumento vini haudquaquam fuit cuiuſquam Numinis gratia, ſed vt pietatis titulo latis poculis indulgerent. Ideóque morem illum ſugillat Arnobius abundè iocatus in hoc themate contra Gentiles. *Merum* (inquit) *thuris eſt ſocium, quod explanari conſimiliter poſcimus, cur ei ſuperinfundatur incenſioni. Si enim ratio cur fiat, non oſtendetur, nec habebit expoſitam ſui cauſam, non iam iſtud errori obiiciendum eſt ludicro, ſed vt dicatur expreſſiùs, inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Vt enim iam ſæpius dictum eſt, debet omne quod geritur, cauſam ſui habere perſpicuam, nec caliginis alicuius obſcuritate contectam. Si ergo fiduciam facti, aperite, monſtrate, liquor iſte cur detur, id eſt, vinum ſuperinfundatur altaribus? Numquid enim Numinum corpora ſitim ſentiunt aridam, & eorum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Numquid nobis, vt mortalibus mos eſt, Cœnis intermiſcere potiones, pari etiam more poſt ſolitos victus liborum, & pultium, hoſtiarúmque cæſarum, quo putreſiant faciliùs, & percoquatur cibus, frequentiſſimè irrigant accipiúntque ſe vino? Date quæſo immortalibus Dijs bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſympuiaque depromite: & quoniam tauris pinguibúſque ſe dapibus, atque opimis interficiunt eſcis, ne quod in ſtomachi tramite malè tranſuoratum ſubſiſterit viſcus; ſuccurrite, properate, Ioui Optimo, Maximo merum, ne praefocetur: date, cupit eructare, nec poteſt: ac niſi illa labatur, & diſſoluatur obſtructio, periculum maximum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, & viduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cœlum. Sed fruſtra,* inquit, *iniquitas nobis: nos enim Superis ob eas profundimus merum cauſas, tanquam illos exiſtimemus aut ſitire, aut bibere, aut ſuauitatis eius affectu lætari. Honoris eis ergo datur, quo fiat illorum lætior, amplior, auguſtiorque ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & venerabiles cniſſas carbonibus excitamus extinctis.*

Elegans Arnobij cēſura in ritum, Gētilium qui vinum ſacris adhibebant.
Arnob. l. contra Gentes,

Nota cniſſas celebres antiquitus fuiſſe fumum pinguedinis accenſæ, nam Græcis κνισσόω perinde eſt, ac fumigo. Itaque rati Gentiles vini libamina, & cniſſas cedere in honorem Numinis, vtrumque morem illum ſæpe ſæpius vſurparunt. Et quia temerè id factum à Gentibus, hallucinantes homines carpit Arnobius hac cenſura. *Qua grauior infligi contumelia Dijs poteſt, quàm ſi eos credas accepto mero propitios fieri, aut honorem exiſtimes habitum his magnum, ſi modo vini exigui rorem ſuper viuidam feceris atque inſtillaueris prunam? Non nobis eſt ſermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non ſit communis intelligentia veritas: ineſt & vobis ſapientia, ineſt ſenſus, verumque nos dicere apud vos ipſi interiore iudicio ſentis. Sed quid facere poſſumus, conſiderare nolentibus penitus res ipſas, ſecúmque ipſos loqui? Facitis enim, quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confidatis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens conſuetudo rationem, quàm rerum inſpecta natura veritatis examinatione ponderata. Quid eſt enim Deo cum vino, aut in eius natura vis qualis, aut quanta eſt, quod cum effuſum fuerit, ſublimitas eius augeſcat, & honorata exiſtimetur auctoritas? Quid, inquam, Deo cum vino eſt, Venereæ rei proxima, neruorum omnium debilitante virtutem, verecundiæ, pudoris, & caſtitatis inimica? Quod in inſanias, & furores mentes ſæpius præcipitaŭit excitat, ipſoſque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itane iſtud non nefas, & plenum ſacrilegij crimen eſt honori, hoc dare, qui*

Cniſſa quid ſit:

Arnobius vbi ſupra.

Vini incommoda corpus & animam malè afficiũt.

quòd ſi tu auidiùs ſumpſeris, quid facias, neſcias, quid loquaris, ignores: ad extremum temulenti, luxurioſi, perditi, conuitium, infamiamque merearis.

Verba quæ proferebantur ab his qui vinum hoſtiis infundebant.

Eleganter ſanè inuehitur ille cenſor in Gentiles neſcios quid agerent, dum ſua ſacra vino reſpergerent. Nempe vinum qua tale eſt, nihil omnino Deo confert; imò & ſacrificulis noxium eſt, ſi indulgeant poculis imprudenter. Rurſus Arnobius ſtylum ſuum acuit in verba, quæ ſacrificantes adiiciebant dum vinum hoſtiis infundebant Sic ille. *Opera-pretium eſt, etiam verba ipſa depromere, quibus cùm vinum datur, vti ac ſupplicare conſuetudo. Mactus hoc vino inferio eſto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea cauſa eſt additum, eaque ratione profertur, ne vinum omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod infereturſacrum, nec religione obligabitur. Caterùm qualis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex Deo, ne plus quærat, quàm datum eſt? aut cuius ipſe eſt auiditatis Deus, qui niſi verbi fuerit præſcriptione ſubmotus, cupiditatem ſuam protendit vlterius, & apothecis ſuis ſupplicem priuet? Mactus hoc vino inferio eſto: iniuria eſt iſta, non honor, quid enim diuus amplius hoc vocet, neque erit contentus illato? nonne inſigniter dicendum eſt lædi, qui honorem accipere cum conditione cogatur?*

Gentilium inepta verba cum vinum offerebant Deo.

Nam ſi exceptione non addita, ſacrum neceſſe eſt fieri omne omnino, quod in cellis eſt vinum, manifeſtum eſt & Deo contumeliam fieri, cui modus conſtituatur iniuſto: & vos ipſos in re ſacra caremoniarum officia violare, qui non tantùm tribuitis vini, quantùm Deum videtis ſibi velle præſtari. Mactus hoc vino inferio eſto, quid eſt aliud quàm dicere tantùm eſto mactus quantã volo: tantùm amplificatus, quantùm iubeo: tantùm honoris aſſumito, quantum te habere decerno, & verborum circumſcriptione defimo. O Deorum ſublimitas præpotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus caremonialibus debes! cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adoras, & formulis: quæ per vnius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur. Sed ſit vt vultis honor in vino, ſit in thure, immolatione, & cadibus ira Numinum offenſionesque placentur. Hactenus Arnobius inuehitur in Gentiles ignaros cauſæ, quæ eos inducebat ad vinum hoſtiis infundendum.

Hæc cenſura manet illos, qui proprio dictamine vinum aris imponunt, vt fecere Gentes, quæ nullo Dei flamine percitæ, ſed ad arbitrium ſuum actæ vinum Numini conſecrarunt. Aculeus ille punctionis Arnobij non configit homines initiatos ſacris fidei myſteriis vtpote Deo auctore vinum ſacris Miſſæ ferculis adhibentes. Intorta in nos Arnobij Achillæa argumenta labant, quæ damnare volent vinum ſacris illatum altaribus. Siquidem ratio potior inſtituti huius eſt petenda à voluntate Dei, cuius ſanctio eſt potari vino, ritu congruo conſecrato. Chriſtus quaſi indulgens inueteratæ Gentium indoli, quæ ſuſpicata, vinum habere quidpiam Deo gratum, illud intulit templis, operæ-pretium duxit ſociare pani vinum, vt vtroque typo ſuum corpus, & ſanguinem homini commendaret. Namque panis & vinum ijs ſunt vernaculæ, quibus vt gradibus ad Deum ſcandit homo conſcius arcanorum Dei.

Christiani Deo instructore vinum ſacris inferũt altaribus.

Quare panis & vinum ſacris altaribus apponuntur.

Ita Damaſcenus. *Tu nunc quæris, quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua coniunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi reſpondeo: Spiritus Sanctus ſuperueniens, eaque efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt. Panis porro, & vinum eam ob cauſam adhibentur, quia Deo nota, & explorata eſt humana imbecillitas, quippe quæ vt plurimum ea, quæ conſuetudine minimè trita ſunt, grauiter ferat, & auerſetur. Quo fit vt ille, pro ea, qua vti ſolet erga nos indulgentia, per ea quæ natura vſitata ac familiaria ſunt, ea, quæ naturam ſuperant, efficiat. Et vt ipſe, quoniam in hominum more poſitum eſt, vt aqua lauentur, & oleo vngantur; idcirco in Baptiſmo gratiam Spiritus cum oleo, & aqua copulauit, fecitque lauacrum illud regenerationis: eodem modo, quoniam ita fert hominum vſus atque conſuetudo, vt panem edant, vinumque, & aquam bibant, idcirco diuinitatem ſuam cum ipſis coniunxit, eaque corpus, & ſanguinem ſuum fecit, vt per vſitata naturæque conſentanea, ad ea quæ ſupra naturam ſunt aſſurgamus. Sanè corpus diuinitati verè vnitum, eſt illud corpus, quod ex ſancta Virgine ortum eſt: non quod non aſſumptum illud corpus è cælo deſcenderit; ſed quia panis ipſe, & vinum in corpus & ſanguinem Dei immutantur. Quòd ſi quo pacto id fiat, requiris; ſat tibi ſit audire, quòd per Spiritum Sanctum id fiat, vt & ex ſancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominum ſibiipſi, & in ſeipſo carnem condidit. Nec quidquam amplius nobis perſpectum, & exploratum eſt, quam quòd verbum Dei verum eſt, & efficax atque omnipotens. Nam modus eiuſmodi eſt, vt nulla ratione indagari queat. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum in comedentis, & bibentis corpus, & ſanguinem immutantur, corpuſque alterum fiunt atque à priore ipſius corpore diuerſum: ſic propoſitionis panis, ac vinum, & aqua per Sancti Spiritus inuocationem & aduentum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo, ſed vnum & idem. Nec vero panis, & vinum Corporis Chriſti figura ſunt (abſit enim hoc) verùm ipſummet Domini corpus diuinate affectum.*

Ex SS. Patribus. Damaſcen. l. 4. Orthodoxæ fidei, c. 14.

Qualem panem & quale vinum Chriſtus in Cœna nobis appoſuit.

Euchariſtiæ veritas adſtruitur.

Huiuſce vini figura luculenta patet in eo ſacrificio, quod Melchiſedech obtulit, proferendo panem, & vinum. Vnde cùm res figurata nobilior ſit figura, neceſſe eſt panem, & vinum Cœnæ Domini eſſe quid præſtantius ſacro Melchiſedech, quo vt typo ſacrificium noſtrum congruè lineatur. Quia reclamant hæretici, & nolunt panem, & vinum Melchiſedech pertinere ad aliquod ſacrificium, compeſcendi ſunt textibus Scripturæ & Sanctorum Patrum. Prior ille locus petitur ex Pſalmo, vbi fit mentio Melchiſedech hoc tenore. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quem locum verſans Hieronymus ita commentatur. *Dicamus quare dixerit, ſecundùm ordinem. Secundùm ordinem, nequaquam ſacerdos eris ſecundùm victimas Iudaicas, ſed eris ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Quomodo enim Melchiſedech Rex Salem obtulit panem & vinum, ſic & tu offeres corpus meum, & ſanguinem, verum panem, & verum vinum. Iſte Melchiſedech*

Melchiſedech figura Chriſti.

Hieronym. in Pſal. 109.

iſt a

iſta myſteria, quæ habemus dedit nobis. Ipſe eſt, qui dixit: Qui manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum. Secundùm ordinem Melchiſedech tradidit nobis ſanguinem ſuum.

Hieronym. in epiſtol. ad Marcellam vt migret in Bethlehem.

Idem Sanctus refricans hanc hiſtoriam Melchiſedech proferentis panem & vinum vt rem indubiam credit, hominem illum ſacerdotem fuiſſe typum Chriſti paſcentis animas pane ſuo, & potantis eas calice ſingulari. *Recurre*, inquit, *ad Geneſim: & Melchiſedech Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Chriſti panem, & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Saluatoris ſanguine, & corpore dedicauit.* Hieronymo ſuppar Ambroſius, ei concolor eſt in veritate figuræ Melchiſedech quam ſic adſtruit. *Cognouimus ſacramentorum iſtorum figuram Abrahæ temporibus præceſſiſſe, quando obtulit ſacrificium ſanctus Melchiſedech.* Concinit Auguſtinus, ſuas & partes agens in hoc ſanctiorum Patrum choro. *Nouerunt*, inquit, *qui legunt, quid produxerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham, & iam ſunt participes eius. Vident nunc tale ſacrificium offerri Deo, toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum eſt increpatio: & quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia ſacrificium hoc non mutabit; mutauit quippe ſacerdotium ſecundùm ordinem Aaron.* Cùm ergo panis & vinum Melchiſedech fuerint res ſacræ, & ideæ panis & vini Cœnæ Chriſti, non eſt humani negotij diſſerere de ferculis illis, pro eorum congrua dignitate.

Ambr. l. 5. de Sacramentis, cap. 1.

Auguſt. cõtra inimicos legis & Prophetarum cap. 40

QVOS EFFECTVS SORTIATVR vinum propinatum à Chriſto, diſcumbentibus in vltima Cœna.

§. I I.

EX ANTIQVITATE, EX MEDICINA, ET EX SS. PATRIBVS.

Nomina rerum abditarum indolē produnt.

IN apothecis, & officinis mercatorum, vbi væneunt diſcolores rerum ſpecies, quidquid pixidum ergaſtulo concluditur, illud deforis ſubiicitur aſpectui, vtpote fideli titulo prænotatum. Ita licet rerum omnium, quæ explicantur orbe toto, varia ſit ſupellex, eaque ſcitu difficilis; tamen quidquid editum eſt, non adeò ſuis iouolucris abditur, quin beneficio nominis innoteſcat.

Vinum vnde dicatur.

Vt ergo vini conſectari veneremur effectus, operæ-pretium eſt rimari vim nominis, vt comperto quare liquor ille dicatur vinum, virtus eius haudquaquam inuia ſit nobis. Quidquid enim virtutis exerit vinum corpori beneficum, illud omne inducit in animas cum fœnore vinum verbis Chriſti Domini conſecratum. Vinum ſic Latinè dicitur à vi, ſeu virtute: multæ namque vires ſunt vini, & hæ ſalutares hominibus, ſi prudenter ab his pocula frequententur. Concordat & nomenclatura Græca, qua οἶνος, id eſt, vinum, conſonat verbo ὀνάω, id eſt, iuuo. Quippe Aſclepiade auctore iuuat homines vinum multifariam totque auxilia confert, vt ipſe Aſclepiades crediderit aliqua deitatis eſſe vino inſita argumenta. Vnde vini auctorem Bacchum ſic falsò creditum à Gentibus pro Numine coluerunt. Huic indidere nomen Dionyſij, cuius nomenclaturæ ratio multiplex inducitur. Artemidorus ait Bacchum dici Διονύσιον, ἀπὸ τοῦ διανύειν, id eſt, perficere, ſeu expedire. Namque vinum, vti par eſt ſumptum, facit homines expeditos. Vt autem homo fiat expeditus debet perfici corpore & mente tenus. In gratiam animæ adiutæ vini præſidio Macrobius ait Bacchum dici Dionyſium, quaſi Διὸς νοῦν, id eſt Iouis mentem. Aliis Διονύσιος perinde eſt ac διανύξας ὤν, id eſt, adaperiens nos. Nempe potus homo, vt decet & ſine exceſſu, ad quodlibet opus arduum explicatur. Platoni Διονύσιος eſt quaſi διδοίνυσος, ἀπὸ τοῦ διδόναι τὸν οἶνον. Qui a vinum dedit.

Aſclepiades l. de vino dã do.

Bacchus quare fuit dictus Dionyſius.

Artemidorus lib. 2. onerocriticon.

Macrob. lib. Saturnal.

Tom. I.

EX MEDICINA.

Itaque credula gentilitas arbitrata Bacchum largitorem vini, pluribus eum ſacris coluit, quàm reliquam Deorum cateruam, quia plura manant beneficia ex vino, quàm vnquam contulerint hominibus aurea ſimulacra. Largus ille gratiarum influxus, quas vinum homini confert conciliauit Baccho nomen conſonum bonis, quæ influunt eius obſequio. Etenim Athenæo aſſertore cautum eſt ſpeciali oraculo, vt Bacchus diceretur ὑγιάτης, id eſt, ſanator. Vndeq; Euſtathius ait τὸν οἶνον ὑγιεινὸν εἶναι, id eſt, vinum habere vim ſanitatem conferendi. In ſua arte credendum eſt Galeno. *Vinum* (inquit) *tum roborat, tum nutrit celerrimè, quod vt aſſimiletur mutationem requirit minimam.* Namque vinum citiùs in ſanguinem tranſit, quàm liquores alij aſſumpti ad areſcentia conuiuarum viſcera perfundenda. Illa ſalutaris vini virtus ex ſacra Scriptura liquet, vbi Samaritanus oleum, & vinum infudit plagis eius, qui inciderat in latrones. Paulus item conſcius infirmitatum, quæ malè habebant Timotheum, ita conſuluit eius ſtomacho imbecillo. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Clemens Alexandrinus probè callens vim inſitam vino, probat quammaximè Pauli conſilium, dicens vinum eſſe remedium adiiciens homini magnum roboris incrementum. Concinit Homerus hoc carmine.

Athen. lib. 3. Bacchus dictus ſanator.

Vini commoda.

Galen. lib. 3. de temperam.

Luc. 10.

Vinum corroborat.

1. Timot. 5.

Ἀνδρὶ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει. *Homer. Il. ζ*

Vinum viro defatigato magnum robur addit.

Idémque Vates agens vini encomiaſten, ait hominem potum quantùm ſatis eſt, vini præſidio poſſe die tota conſerere manus cum hoſtibus: hoc enim ſonant illæ Homeri voces πανημέριον πολεμίζειν. Concors Euripides vocat vinum ἀρκεσίγυιον, id eſt corroborans membra. Quodque magis prodit vim beneficam vini, virtus eius non pertincat tantùm corpus, ſed & ſpiritum alluit. Nam Chæremon, Tragœdus apud Athenæum ait vinum moderatè ſumptum conciliare, σοφίαν, εὐμάθειαν εὐβουλίαν, id eſt, ſapientiam, docilitatem, atque prudentiam. Propertius, & Horatius experti vino mentem acui, ſuum in gratiam eius calculum adiecerunt. Ita Propertius in eo argumento ludit.

Il. τ

Athenæus lib. 2.

Vinum mētem acuit.

Ingenium potis irritet Muſa Poëtis
Sic noctem patera, ſic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

Propert. lib. 4. Eleg. 6.

Vinum proprium Poëtis vt carmina fundant.

Compotator Horatius, vena deſudante vino, fudit carmina potiora, vt teſtatur hoc carmine.

Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?
Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus, &c.

Horat. epiſt. ad Mæcenatem.

Annuit illi obſeruationi Euangelus apud Macrobium. *Agite* (inquit) *antequam ſurgendum nobis ſit, vino indulgeamus, quod*

Macrob. lib. 2. Saturnal.

decreti Platonici auctoritate faciemus, qui exiſtimant e ſomitem quemdam, & incitabulum ingenij, virtutiſque, ſi mens, & corpus hominis vino ſlagret. Perſæ rati vinum acuere ingenium, nonniſi benè poti conueniebant acturi de rebus arduis & ſalute Reipublicæ, vt Plutarchus teſtatum dereliquit. Vnde, & Bacchus olim dictus eſt εὔβουλος, id eſt, bonus conſiliarius. Subiicit idem auctor inter pocula poſſe ſeria pertractari. Nempe vinum bona conſilia ſuggerit modicè propinatum. Ait Ouidius vinum eſſe viuificum.

Perſarũ mos bibendi vt benè conſulerent Reipublicæ.

Plut. lib. 7. Sympoſ. probl. 9.
Ouid.

Et iam deficiens ſic ad tua verba reuixi,
Vt ſolet infuſo vena redire mero.

Commendatur etiam vinum ſacris Scripturæ oraculis, in quibus Ieſus Syracides ita fatur. *Vinum in iucunditatem creatum eſt. Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus.* Huic ſententiæ ſubſcribit Auguſtinus hoc contextu, quo teſtatur eſſe vinum animæ & corpori ſalutare. *Vinum,* inquit, *triſtitiam remouet, omnes animi languores delet, lætitiam infundit, conuiuas honeſta colloquia miſcere facit.* A commodis, quæ vinum homini confert, Iulianus ille Apoſtata Bacchum appellabat παίγμονα ϗ φιλογέλωτα ϗ χαριτοδότην, id eſt, luſus iocique ſtudioſum, & gratiæ datorem. Xenophon Socratem inducit quidpiam huic affine depromentem. *Vt bibamus, viri, etiam mihi valde placet. Reuera enim vinum rigans animos, curas quidem, non ſecus atque mandragora homines, ſopit: hilaritates autem velut oleum flammam, excitat.* Laudat & Athenæus hos verſus Poëtæ perantiqui, ſuo ſuffragio comprobantis elogia in gratiam vini antea recenſita.

Eccleſ. 31.
Vinũ animæ & corpori ſalutare.

Auguſtin. lib. ad ſacras virgines, c. 1.

Xenophon in Sympoſ.

Athenæus. lib. 2.

Eſt cibus igni par vinum mortalibus ipſum
Cuiuſuis medicina mali, medicina dolorum,
Maxima lætitiæ pars, & ſplendoris in ipſis.

Vinũ cuiuſuis eſt medicina mali.
Vini laudes.

Plato vocat vinum, ſenilis auſteritatis pharmacum. Clementi Alexandrino vinum dicitur etiam pharmacum valde ſanitati perutile, dein ſubiicit & hæc commoda vini. *Vinum primùm quidem facit eum qui bibit ipſum ſibi æquum & clementem, & conuiuis ſuauem, & famulis mitiorem, & amicis iucundiorem.* Prætet memoratos in eo argumento verſus, accipe adhuc & hos Horatij.

Plato. l. 1. de legibus.
Clem. Alex. lib. Pædag. c. 2.

——— O' fortes peioraque paſſi
Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas.

Horat. Ode. lib. 1.

Rurſus ille meribibulus ſibi conſtans in illa ſententia de facultate inſita vino ad animos recreandos, alibi ſic ludit.

Ad mare cum veni generoſum & lene requiro
Quòd curas abigat, quòd cùm ſpe diuite manet
In venas animumque meum, quòd verba miniſtret.

Idem, Epiſt. ad Vall. 1.

Item, muſicæ & vini concordiam ille Poëta refert, homines ad has ſenſuum illecebras ſollicitans.

Illic omne malum, vino cantuque leuato.

Eiuſdem generis ferè eſt aliunde petitum hoc carmen eodem auctore ſatum.

Lib. 2. Carm. Ode 13.

Nunc vino quærens, nunc ſomno fallere curas.

Satyr. 7. l. 2.

Hoc Poëtarum agmen claudet Tibullus haudquam abſtemius, cuius vena madens vino ita luxuriat, in gratiam eiuſdem meri.

Vini effectus quam ſint iucundi.
Tibullus. lib. 3. Eleg. 7.

Odit Lenæus triſtia verba Pater:
Vina parãt animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & cura, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rariſſima noſtro

Simplicitas, artes excutiente Deo.

Prælibatæ dotes vini ſuaſere Gentibus pingere Bacchum virenti ſemper hædera coronatum: corpora namque virent ſemper, quibus vinum ſobriè propinatur. Vtque ſupra memini, priſca Gentium ſæcula, arbitrata nihil eſſe vino vtilius, coluere ſatorem viris, quem Bacchum eſſe tenaci animo crediderunt. Nec immunes fuere Hebræi ab eo contagio, idololatriæ huius labem contrahentes ex familiari Gentium commercio. Quod malum Deus vt auerteret, miſit Prophetam Oſeam, qui carperet hos Hebræorum animos in fideles. Ecce Vatis cenſuram. *Fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum,* &c. *Et hæc neſciuit quia ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui, & aurum,* &c. *Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum, in tempore ſuo, & vinum meum.* Stylo Scripturæ ſacræ fornicari perinde eſt, ac idola colere, fidemque Deo frangere, transferendo cultum eius in ligna & lapides, aut metalla, vnde fiunt, & conflantur illa Gentilium impia ſimulacra. Quibus & Iudæi fecere ſacra, rati ſuos amatores eſſe Deos Gẽtilium, Cererem videlicet, & Bacchum, in eos referentes dona panis & vini, quæ ſunt prima velut elementa vitæ, in hoc ſæculo propagandæ. Deus de ſua gloria ſollicitus, noluit eſſe impune piaculum illud ſacrilegij: vt enim ingrati homines reſcirent nihil ſibi eſſe Cereri & Baccho, ſed omnia Deo ſatore dari; tulit omne frumentum & vinum, eorum terras, & vineas faciens infœcundas. Ecce minas. *Reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea, & ceſſare faciam omne gaudium eius, ſolennitatem eius, neomeniam eius, ſabbathum eius, & omnia feſta tempora eius. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: Mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei, & ponam eam in ſaltum, & comedet eam beſtia agri. Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur dicit Dominus.*

Oſee 2.

Quare aliàs Hebræi coluerunt Cererem, & Bacchum.

Oſee 2.

Vt vexatio dat intellectum, vrgente fame Iudæi malè ominati ſunt de Cerere; & deficiente botro in vineis, iniquo animo fuere in Bacchum, ideóque ſuis anguſtiis cautiores effecti, Deorum inanium cultum protinus abiurarunt. Itaque redux hic populus ſerò nouit, Dei Optimi Maximi dona eſſe panem & vinum, eiuſque curæ negotium eſſe omne hominum genus paſcere & potare. Deus in bona ſemper eroganda pronus indolem miſeratus eſt huiuſce populi pœnitentis, eum ſibi denuo conciliauit ſuppeditando panem, & largos vini latices infundendo. Fœderis initi ſumma fuit, fore fidelem populum in poſterum, litando Deo ſoli, dato libello repudij ſingulis quibuſque ritibus alienis. Ita ſacer textus Deum inducit. *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achar ad aperiendam ſpem, & canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti. Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me: Vir meus, & non vocabit me vltra Baali. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur*

Iudæi quare renuntiauerunt Cereri & Baccho.

Oſee 2.
Gratia Dei quanta ſecũ bona vehit.

vltra

vlera nominis eorum. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire faciam eos fiducialiter. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel. Et ſeminabo mihi eam in terra, & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam non populo meo: Populus meus es tu; & ipſe dicet: Deus meus es tu.

Nemo it inficias, Deum ſtetiſſe pollicitis, quæ præſcius Oſeas enuntiat. Rurſus in confeſſo eſt, hæc chara pignora amoris diuini magis pertinere ad Eccleſiam, quàm ad Synagogam: illa nimirum haudquaquam fuit æui ſempiterni, cuius tamen erit Eccleſia fidei obſequio Chriſto Domino deſponſata. Huic ſponſæ Deus nomine dotis conſtituit triticum, vinum, & oleum, quibus erit plenum Eccleſiæ penu, hæc abundè ſuppeditante terrâ cœlitus imprægnatâ. Panis ille caro Chriſti eſt, dicta frumentum electorum; vinum ſanguinem Chriſti refert, vt & oleum eſt omnium teſſera gratiarum. Quiſquis enim citra obicem omnem paſcitur illo pane, & potatur illo vino; non reficit, & recreat tantùm animam, & corpus; ſed Deo prodigente ſua chariſmata, copiosè inungitur, id eſt, multis gratiis inundatur. Quodque rei cardo præcipuus eſt, anima ſic paſta, & pota, vale dicit omnibus huiuſce mũdi crepũdiis, Diis alienis renuntiat, & vni ſoli Deo vero iugiter adhæreſcit.

Euchariſtia facit homines rediuiuos.

Vini conſecrati effectus.

Præfatus ſum, vini virtutẽ pertingere animam, quam recreat: ſed longè maiori lætitia perfunditur anima participaus illud vinũ, quod in Cœna Domini conſecratur. Omnia namque præcipua lætitiæ argumenta coëunt in ſacro calice propinato; Anima quippe Deo vnitur, & facta eius ſponſa conſorſque tori, & menſæ ditatur omnibus bonis, quæ ſui cupidinẽ poſſunt efficere. Dixit Ouidius ſupra, vini obſequio fieri corpora tediuiuas. Concilium Nicænum primum aſſerit, præſidio vini conſecrati homines reſurgere. Ecce textum Concilij. *Hic in diuina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & poculum; ſed attollentes mentem, fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus, & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtra reſurrectionis ſymbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum vt ſciamus, quòd non ſatietati, ſed ſanctimonia ſumimus.* Commune vinum breue ſolatium præbet faciens ad generationem ſpirituum, ſed momentaneum eſt ſolamen. At vinum Cœnæ Chriſti vitale eſt, vtpote vitam protogans in æternum. Ita Magnes famoſus auctor quarti ſæculi, *Chriſtus*, inquit, *proprium corpus & ſanguinem dedit credentibus, immiſſo iis vitali pharmaco diuinitatis. Cùm igitur eam, quæ caro eſt, vocat panẽ, & eum qui ſanguis eſt vocat vinum, docuit nos conuenienter rationi, ex terra eſſe corpus, ſimiliter & panem, & vnius generis ſubſtantiam in corpore & pane. Cæterùm panis communis, ex terra cultura elaboratus, etſi caro quædam terræ eſt; tamen vitam æternam præbere non promittit: ſed breue ſolatium veſcentibus tribuit, citò eo extincto ſine diuino ſpiritu. Panis verò in beata Chriſti terra virtute diuinitatis vnita confectus, ſolo guſtu immortalitatem homini adfert: myſticus enim panis, cùm benedictionem Patris habeat inſeparabilem: illam dico, quæ in corpore, & ſanguine eius facta eſt, vnit comedentem corpus Chriſti, eumque membrum Chriſti efficit. Vt enim charta vim, quam per literas magiſtri accepit, diſcipulo tradit, & per eam cum magiſtro illum vnit: ſic corpus, quod ille panis myſticus eſt, & ſanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemerata diuinitatis participanti tribuunt ex ſemetipſis, & per eam ad manſionem incorruptibilem Creatoris reducunt. Caro enim Saluatoris manducata non corrumpitur, nec ſanguis hic compotatus conſumitur. Quin potius, qui edit, ad incrementum virium diuinarum venit: quod verò editur conſumi non poteſt, quoniam naturæ inconſumptibili quadam ratione cognatum, & inſeparabiliter eſt coniunctum.*

Ex SS. Patribus.
Conc. Nic. 1. lib. 3. c. de diuina menſa.

Magnes ad Theoſten. lib. 3.

Euchariſtia facit homines immortales.

Homo typis corporeis aſſuetus indiguit pane, & vino, vt hiſce ſpeciebus addiſceret animæ ſuæ vitam Chriſti corpore & ſanguine propagari. Vt namque cibus & potus homini conſulunt reparando ruinas, quas patitur à calore depaſcente humidum radicale; ita & corpus & ſanguis Chriſti hominem abundè reficiunt in ordine ad vitam interminam. Gregorius Nyſſenus luculenter ſpatiatur in illa ſimilitudine. *Alia*, inquit, *animalia aluntur effoſſis radicibus; alia autem aluntur herbis; aliquorum autem nutrimentum ſunt carnes. Hominis autem præcipuè eſt panis, & ad humoris perdurationem, & conſeruationem potus, non ipſa ſolùm aqua, ſed vino ſæpe condita, ad opem ferendam noſtro interno calori. Qui ergo ad ea aſpicit, poteſtate aſpicit ad corporis noſtri magnitudinem. Nam cùm illa in me fuerint, fiunt ſanguis, & corpus, nutrimento per vim alterandi congruenter redacto ad formam corporis. His à nobis hoc modo diſtinctis, ac declaratis, ad ea quæ ſunt propoſita reuocanda eſt cogitatio. Quærebatur enim quemadmodum quod eſt in illo corpus Chriſti, viuificat omnem hominum naturam, in quibus eſt fides, omnibus diſtributum, & ipſum minimè diminutum. Fortaſſe ergo non procul abſumus à probabili ratione. Nam ſi cuiuſlibet hominis ſubſtantia, ſeu conſiſtentia eſt ex alimento; id autem eſt cibus, & potus: eſt autem in cibo panis, in potu autem aqua vino condita: Dei autem Verbum, ſicut eſt prius definitum, quod eſt Deus, & verbum, humanæ eſt naturæ contemperatum, & cum eſſet in noſtro corpore, non aliquam aliam humanæ naturæ innouauit conſtitutionem: ſed per ea, quæ ſunt conſueta, & congruentia ſuo corpori, dedit permanſionem, cibo, & potu continens ſubſtantiam. Cibus autem erat panis. Quomodo ergo in nobis, ſicut iam ſæpe dictum eſt, qui panem videt, humanum corpus videt quodammodo, quòd cùm ille in eo fuerit, hoc fit: ita illic quoque, quod Deum ſuſcepit corpus, cùm panis alimentum accepiſſet, quadam ratione idem erat, quod ille: alimento, vt dictum eſt, tranſeunte in naturam corporis. Nam quod eſt omnium proprium, id quoque pro certo & conſtantè eſt in illa carne, nẽpe quod illud quoque corpus pane continebatur. Corpus autem Dei Verbi inhabitatione ad diuinam tranſmutatum eſt dignitatem. Rectè ergo nũc quoque Dei verbo ſanctificatũ panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari. Etenim panis erat poteſtate illud corpus. Fuit autem ſanctificatum habitatione Verbi, quod tanquam*

Greg. Nyſ. orat. catech. & cap. 37.

Quomodo paſcantur homines corpore & ſanguine Chriſti.

quam in tabernaculo habitauit in carne. Igitur vnde in illo corpore tranſmutatus panis, tranſit in diuinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam & illic, verbi gratià, ſanctum fecit corpus, cui ex pane erat ſubſtantia, & quodãmodo ipſum quoque erat panis. & ſic ſimiliter panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non per cibum, & potum procedens ad corpus Verbi, ſed à Verbo, vt dictũ eſt trãſmutatur.

1. Timot. 4.

Elimatè profectò Gregorius enucleat induſtriam à Chriſto adhibitam, vt animas eſcis congruis impinguaret. Sed quia vernaculo veſcendi modo in epulis opiparè inſtructis, non ſatis eſt apponere obſonia, niſi & mero deſudent pocula; idcirco Deus abundè conſulens hominibus, calicem adiecit pani azymo conſecrato. Hoc ſapientiæ Dei negotium enarrare pergit Gregorius ita fatus. *Cùm omnis caro alatur etiam per humorem, neque enim niſi cum eo coniungatur, id quod eſt in nobis terreſtre in vita permanſerit. Quomodo autem per durum & ſolidum alimentum ſoliditatem corporis fulcimus, ac ſtabilimus: eodem etiam modo humori adiungimus acceſſionem ex natura eiuſdem generis. Qui humor cùm fuerit in nobis, per alterandi facultatem fit ſanguis, & maximè ſi per vinum acceperit virtutem tranſmutandi in calidum. Quoniam ergo hanc quoque partem accepit caro illa Dei ſusceptrix ad Dei conſtitutionem, manifeſtatum autem Verbum propterea ſe admiſcuit interitui obnoxia hominum naturæ, vt communione diuinitatis ſimul etiam deificetur humanitas: ea de cauſa per ſuæ gratiæ diſpenſationem, ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commiſtus, contemperatus corporibus credentium, quibus ſubſtantia eſt ex pano & vino; vt vnione cum eo, quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum, quæ apparent, naturâ.*

Præter cibũ homo potu indiget.

Greg. vbi ſuprà.

Quàm ſit proficuum, & ſalutare vinum illud ſacrum, ſpecie ſua ſenſibili concludens ſanguinem Chriſti paucis aperit Ephræmus, ita compellans Chriſtum. *Calix tremendi tui ſanguinis lumine ac vita plenus, ecce nobis praſtò eſt.* Homines meribibuli, vt vino liberalius indulgeant, dicunt generoſum vinum eſſe bonis propitium ingeniis, vtpote mentis aciem acuens, & viuaces efficiens homines. Vtramque facultatem perſtringit Ephræmus in gratiam calicis ſacri à Chriſto Domino propinati. Quippe dicere, calicem illum eſſe vita & lumine plenum, perinde eſt ac tribuere vino Cœnæ Chriſti vim acuendi ingenium, & vitam in æterna ſæcula prorogandi. Vinum commune crebrò repetitum, tantùm abeſt vt conducat ad bonum ingenij, quinimò potiùs offundit tenebras dum vapeſcit. At Chriſti calix hauſtu ſuo, homini confert omnigenæ gratiæ & luminis incrementum. Nec vllum eſt periculum morbi in crebro vſu vini huius ſancti; nempe penes illud vinum ſumma boni eſt, & cum eo gratiarum omnium latices infunduntur. Eamobrem calix ille dicitur à Paulo Apoſtolo, calix benedictionis. Sic ille. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Quem locum dum expendit Chryſoſtomus, ita affatur Paulum auctorem huius ſententiæ, & elogij in gratiam poculi memorati. *Quid dicis, ô beate Paule? volens auditori pudorem ſuffundere, & reuerendorum mentionem faciens myſteriorũ, benedictionis calicem vocans illum terribilẽ, & maximè formidandum calicem? Certè, inquit, non eſt paruum, quod dictum eſt. Nam quando dico benedictionem, explico omnem theſaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco, &c. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Valde fideliter dixit, & terribiliter. Hoc eſt autem quod dicit: Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit è latere, & ſumus illius participes. Calicem autem benedictionis vocauit quòd eum habentes in manibus, ſic eum hymnis, & laudibus proſequimur admirantes, ineffabile donum ſtupentes, benedicentes, boniſque verbis proſequentes, quòd eum ipſum effudit, ne maneremus in errore, & non ſolùm effudit, ſed etiam eum ipſum nobis impertiit. Quamobrem ſi ſanguinem, inquit, cupis, non aram adi idolorum, brutorum cæde; ſed meum altare, meo cruentum ſanguine.*

Calix Chriſti vita plenus.

Ephræmus de extremo iudicio.

Vinum cõſecratũ quare dicatur calix benedictionis.

1. Cor. 10

Chryſ. homil. 24. in 1. Cor.

Calix ille benedictionis hominem ſtipat bonis omnigenis, qui nempe frumento electorum dignatus eſt, & inſuper calice Domini dignus eſt habitus: ille ſanè nullius omnino rei neceſſariæ penuriã patitur, nec habet quod deſideret ampliùs, vtpote ſtabilitus frumento, & vino. Vt pani vinum adiectum integrum efficit paſtum, ita & ſanguis Chriſti adiectus carni, veritatem eius adſtruit: quippe caro vera ſanguine coaleſcit. Sanguis autem Chriſti conceditur homini ſpecie vini, ne cruoris aſpectus ingerat homini faſtidium, vt notat Ambroſius hoc tenore. *Dicis: Speciem ſanguinis non video. Sed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, vt nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis.* Carnis & ſanguinis indiuiduum nexum in hoc ſacramento notat Tertullianus, qui & ſanguini tribuit virtutem abluendi. Ecce Africani hominis congruam ſententiam. *In calicis mentione teſtamentum conſtituens, ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis, &c. Multò manifeſtiùs Geneſis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu carnis cenſus Chriſti proceſſurus, iam tunc Chriſtum in Iuda delineabat. Lauabit, inquit, in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum: ſtolam, & amictum carnem demonſtrans; & vinum ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.*

Sãguis Chriſti quare detur ſub ſpecie vini.

Amb. l. 4. de ſacram. c. 4.

Vino vis eſt abluendi.

Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 40.

Virtus indita vino abluendi propriè medica eſt, & pertinet ad vlcera, & plagas, & hæc facultas quam maximè congruit vino ſacro: quippe plagis pluribus à diabolo inflictis hiulca natura ſuis miſerè ſauciata. His opportunè medelam attulit Chriſtus Medicus induſtrius, non lauando plagas vino, vt fecit ille Samaritanus; ſed putidis vlceribus ſuum ſanguinem inſtillando. Laudandus eſt in eo argumento Sanctus Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, auctor minimè pœnitendus, & nominatus in quarto ſæculo. *Rectè, inquit, vini ſpecie tum ſanguis eius exprimitur, quia cùm ipſe in Euangelio dicit: Ego ſum vitis vera; ſatis declarat, ſanguinem ſuum eſſe omne vinum, quod in figura Paſſionis eius offertur. Vnde beatiſſimus Patriarcha Iacob de Chriſto prophetauerat dicens: Lauabit in vino ſtolam ſuam: quippe noſtri corporis indumentum ſuo proprio erat ſanguine abluturus.*

Sãguis Chriſti nos abluit.

Gaudentius Tractat. 2. de Exodo.

Gen. 49.

In

In virtutibus vini noſtri vernaculi illam ſupra recolui, qua dixi corporibus ingeri magnum roboris incrementum. Illa nimirum vini, vt par eſt ſumpti, corroborans eſt facultas, vt ſpirituum magnam ſobolem creet, ſicque vires adaugeat, alioquin corpore fatiſcente. Non eo inficias, habere vinum vim illam præfatam; ſed calix Domini longe vino communi præſtat: quippe facultas eius non roborat tantùm corpus, ſed animas efficit ipſo etiam dæmone fortiores. Namque vini huius ſancti præſidio, Martyres eliſere dæmonum caput, nec ceſſere ſupplicijs, ſed potius torti morte tenus omnia pœnarum genera ſuperarunt. Eccleſia Deo afflata, probè callens hanc virtutem vini ſacri, calicem ſanctum etiam Laïcis priſco tempore propinabat. Nempe furente perſecutionis œſtro, fidelibus Eccleſia prouidit, quando fecit eis copiam calicis, cuius hauſtu, omnes hominis artus & compages optimè vegetantur. Eò ſpectat hic diſcurſus Cypriani. *Nunc non infirmis, ſed fortibus pax eſt neceſſaria; nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt; vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit eſſe tutela accipientibus, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegemus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus?*

Calix quare datus Laicis priſcis Eccleſiæ temporibus.

Cypr. ep. 54.

Calix Domini Martyres aptabat ad agones.

[redacted] Epiſt. 56.

Non habuit Cyprianus argumentum validius ad inſpirandos altos animos, quam ingerere memoriam huius ſacramenti. *Armemus*, inquit, *& dexteram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipſum complectatur, poſtea à Domino ſumptura præmium cæleſtium coronarum.* Dabatur olim vinum myrrhatum morituris extremo ſupplicio, vt fortiter obirent periculum mortis: ſed Chriſtianis olim martyrij agones adeuntibus datum eſt vinum ſanctum, ne qua lethali plaga accepta, eorum anima moreretur. Quippe nihil omnino mali manere poteſt eum, cui Deus benedictionum omnium ſummam dedit, concluſam hiſce typis panis & vini, quibus homines opiparè in Cœna Domini ſaginantur. Itaque nemini imponant illæ panis & vini ſpecies obiectæ oculis; quaſi verò nuda forent ſimulacra ſacris illata menſis: Hoc alto animo ſemper inſideat, videlicet adoranda tegi arcana ſignis, quæ peruia ſenſibus innoteſcunt. Vtque fides illa ſit vegetior, atque ſuauior, recolenda ſunt commoda immenſa ſacris concluſa typis; illa nimirum tanta ſunt, quanta poſſunt eſſe maxima: nam anima paſta pane Dei, & pota vino ſancto, gratiis multis cœlitus inundatur.

Bern. ſer. de Cœna Domini.

Præſtat in eo argumento audire Bernardum. *Hoſtia*, inquit, *quam vides, non iam eſt panis, ſed caro mea, quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio iſta benedictionis opus eſt, non originis: virtus hæc facit, non vſus naturæ. Similiter liquor iſte, quem vides, non iam eſt vinum, ſed ſanguis meus, quem pro te fudi in pretium, tibi reſeruans in altari poculum, in peregrinatione tua præſidium, in exitu ex Ægypto conductum, in cœlo viaticum. Odor, ſpecies, ſapor, pondus remanent ad myſterij ritum, & ad guſtus ſuffragium, vt horror penitus tollatur, & meritum ſeruetur. Etenim ne humana infirmitas eſum carnis, & potum ſanguinis in ſumptione horreret, Chriſtus velari, & palliari illa duo voluit ſpeciebus panis, & vini, quæ inter victualia humani generis quodammodo tenent principatum.* Eſto viſu corporeo non penetret homo ſacra hæc fercula, quorum ſpecies præludens oculis nihil omnino ſingulare prodit, anima tamen paſta beatis illis epulis, & compos effecta boni, quod inde fluit, Deum hîc adorat fide deſuper illucente. Priſca Gentilium ætas non eſt dedignata Silenos Alcibiadis, eò quòd deforis eſſent inculti. Pauſanias in Atticis ait Silenos fuiſſe Satyros. Horum ſimulacra circumtulit Alcibiades efficta tali induſtria, vt quod externum erat vile quidpiam oſtenderet. Sed vbi tegumine rudi ſemoto luſtrabantur intima Silenorum, tunc auro & gemmis omnia rutilabant. Homo conſcius arcanorum Dei, nihil animo ſuo verſat iniurium ſacramento, licet idea panis & vini tantùm humanis oculis obuerſetur. Nec inde fides vllum patitur deliquium: namque rimans abdita myſteria inuolucro panis & vini, deprehendit illic vt in ſcaturigine bonorum omnium latices ebullire. Eamobrem ſatagit anima ſe aptare ad influxum gratiarum, quæ alluunt homines cum Chriſto Domino diſcumbentes.

Quare ſacramentum Euchariſtiæ ſit ſub ſpeciebus panis & vini.

Sileni Alcibiadis quales fuere.

Pauſanias in Atticis.

Quid præcipuè emolumenti percipiant conuiuæ Dei ex ferculis ſibi appoſitis, Theophylactus paucis explicat, hoc contextu. *Non nudi hominis caro eſt, quæ manducatur, ſed Dei, & quæ deificare valet, vtpote contemperata deitati. Iſta etiam verè eſt cibus, eò quòd non ad paruum tempus duret, neque corrumpatur ſicut corruptibilis cibus, ſed æternæ vitæ ſit ſubſidium. Similiter & potus ſanguinis Domini verè eſt potus, quia non ad tempus ſufficit: ſed ſemper abſque ſiti conſeruat, nec indigere permittit bibentem, ſicut ad Samaritanam dicebat: Qui bibit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet. Nam quiſquis gratiam Sancti Spiritus per ſumptionem diuinorum myſteriorum ſuſceperit, neque famem ſpiritualem, neque ſitim patietur qualem increduli.* Præcipuus etiam effectus diuini potus attendi poteſt ex viſcoſa qualitate ſanguinis, quæ glutinis inſtar vnit corpora cruentata. Quiſquis enim dignè potat calicem Chriſti, ille Deo ſociatur intimè, iuxta ſententiam Oecumenij. *Nec*, inquit, *agglutinat Chriſto ſanguis ipſius, propter ipſam participationem, non ſecus ac membra capiti.*

Theoph. in c. 6. Ioan.

Sanguis Chriſti nos agglutinat Deo.

Oecumenius in 1. Cor. c. 10.

SANGVINE SVO PROPINATO Chriſtus homines ſibi æterno fœdere ſociauit.

§. III.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

VErſipellis hominum indoles ſuſpectam ſemper habuit hoſtium, & æmulorum fidem, vbi res fuit de ſolenni fœdere ſanciendo. Ideoque fides vt rata foret, ſtabilita fuit multiplici ritu, eoque congruo Gentium genio, qui-

Quot modis olim fœdera fuere ſancita.

bus erat inolitus ille modus fœdera concludendi. Priſca monumenta fidelis hiſtoriæ cæremonias illas omnes refundunt in quatuor capita, videlicet, in ſacrificia, compotationes, emiſſionem ſanguinis, & amplexus mutuos, affectus indices immortalis. Præfatos paciſcendi modos haudquaquam dedignatus eſt Deus in illa Cœna luculenta, quam eo præcipuè nomine inſtruxit, vt dubias firmaret hominum mentes, eaſque reduces ſibi æterno fœdere ſociaret. Ne verò gratis videar hoc dixiſſe, mearum eſt partium recenſere ritus præcipuarum Gentium, quæ aliquod ſibi fecere nomen. In his Hebræi primas tenent, & æuo, & religione cœlitus inſpirata. Populus, ille fœdus inire volens cum Deo, vitulum mactabat, & in duas diſſectum partes, hinc & hinc diſponebat ſpatio medio derelicto, vt illac tranſirent omnes fœdera ſancientes. Mactato vitulo fecere ſacra, & eo in fruſtra diuiſo, ſibi dira velut imprecati ſunt, ſi ſecus facerent aliquando, quàm rerum omnium Domino promittebant. Ita Hebræi pepigere fœdus cum Deo, nec ſtetere tamen pollicitis, ideoque malè ſibi conſcij in fruſta diſſecti ſunt à Chaldæis, quos vltores piaculi Dominus aduocauit. Ita Vates Deum inducit mala minitantem ingratæ Genti, immemori ſe tranſiiſſe per medias partes hoſtiæ conſecratæ. *Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obſeruauerunt verba fœderis quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones eius. Principes Iuda, & Principes Ieruſalem, Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diuiſiones vituli. Et dabo eos in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animam eorum, & erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cœli, & beſtiis terræ.*

Hebræorum mos in fœdere ineũdo.

Ierem. 34.

Deo auctore ſatus eſt ille ritus diuidendi hoſtiam, & tranſeundi per medias partes è regione conſtitutas. Cùm namque Deus iniit pactum cum Abraham, indixit illi genus hoc ſacri, cuius ſeriem accipe ſacro Codice recenſitam. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam. At ille ait: Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam? Et reſpondens Dominus: Sume,* inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit,* &c. *Cùm ergo occubuiſſet Sol facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Hoc ſchemate paciſcendi vſi ſunt Græci, quos Dictys ait conueniſſe Argos, vt de repetenda Helena conſultarent. In hoc celeberrimo Græciæ conſeſſu Chalcas ſacrificus porcum in medio foro mactatum, in duas diuiſit partes, per quas à ſe inuicem diſcretas, Græcorum proceres ſtrictis gladiis tranſire iuſſit, & gladios tingere ſanguine hoſtiæ, vt ſic in Priami caput validè coniurarent.

Gen. 15.
Hoſtiæ immolatæ pro fœdere ſanciendo.

Græcorum mos in fœdere ineundo.
Dictys lib. 1. de bello Troiano.

Adhibitæ hoſtiæ in firmandis pactis fecere locum phraſi, qua percutere fœdus, perinde eſt ac paciſci: nam feriebantur vtplurimum ſues Romæ, quando ratum voluerunt eſſe Romani fœderis argumentum. Hinc illud Poëtæ carmen.

Romanorũ mos in pactis ineũdis.

——— *Et cæſa iungebant fœdera porca,*

8. Æneid.

Feriendo ſuẽ dira imprecabãtur homini fœdifrago, vt auctor eſt Liuius, ita fatus. *Si prior defexit publico conſilio, dolo malo; tu illo die, Iupiter, populũ Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam.* Rurſus ille alibi refricans illum fœderis ineundi ritum hæc ſubiicit. *Quid aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, vbi precatione res tranſigitur, per quem populum fiat quominus legibus dictis ſtetur, vt eum Iupiter ita feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feritur.* Non porci tantùm, ſed & oues mactabantur in fœdere ſanciendo. Ita Virgilius vbi de fœdere mentio incidit.

Verba diræ imprecationis in fœdifragos.
Liuius. 1. Dec. l. 1.
Idem. 1. Dec. l. 9.

——— *Puraque in veſte ſacerdos*
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit.

Virg. lib. 12. Æn.

A feriendis hoſtiis Hebræi deduxere vocem ברית *berith*, quæ ſignificat fœdus. Illud namque nomen attulit ad dictionem כרת *cerith*, quæ percuſſionem ſignificat, à radice כרת *carath* percuſſit. Græcis item ὅρκια ταμεῖν, id eſt fœdera ſecare, perinde eſt, ac inire fœdus. In eo ſenſu Homerus.

Οἱ δ᾽ ἄλλοι φιλότητα, καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες,
Alij amicitiam, & fœdera fidelia diſſecantes.

Homerus. Il. γ.

In quem locum Euſtathius ita commentatur. Τὸ φιλότητα, καὶ ὅρκια ταμεῖν ἀντὶ τοῦ φιλίαν καὶ ὅρκους ποιῆσαι διὰ ἐντεμνομένων θυσιῶν. Id eſt. *Amicitiam, & iuſiurandum, ſiue fœdus ſecare eſt amicitiam atque fœdus contrahere, inire partibus inciſis ſiue hoſtiis.* Itaque ſecare hoſtias idem eſt, ac fœdus inire, & amicitiam contrahere. Hunc ferè morem ſecutus eſt Chriſtus, quando in duas quaſi partes ſe diuiſit, corpus & ſanguinem ſuum ſub diſcretis ſymbolis erogando. Solenne ſacrum fuit illud Cœnæ Domini, vbi Dominus ipſe ſacerdos, & hoſtia pacificans ima ſummis, mediator Dei & hominum Chriſtus, ſeipſum aſſumptis panis & vini teſſeris immolauit. Incruentum illud ſacrificium fuit præambulum alterius in ara Crucis exhibiri, vbi Chriſtus cruore ſuo reſperſit omne hominum genus, quod proinde fecit ſuo ſanguine rediuiuum. Et id iuxta ritum olim multis Gentibus familiarem, quo ſanguine mutuis vulneribus elicito in argumentum amoris reciproci fœdera ſanciebant. Tale fuit inſtitutum apud Medos, & Lydios Herodoto teſte: hi nimirum in cruore rati latere quidpiam idoneum ad firmandum pacta, extractum ſanguinem lingebant. Athenæus ait; & Germanos illum morem eliciti ſanguinis vſurpaſſe. Herodotus ait Arabes nullum iniiſſe fœdus, niſi præuio ſanguine emiſſo, quo ſolo crediderẽ rata eſſe fœdera facienda.

Sanguis elicitus ad fœdera ſancienda.

Medorum & Lydiorũ mos in fœdere ineundo.
Herodot. l. 1.
Germanorũ mos.
Athena. l. 2. cap. 2.
Arabum mos.
Herodot. l. 3.

Ab hoc more Deus haudquaquam abhorruit, cùm Hebræos in deſertum induxit: initurus enim fœdus cum populo illo, Abrahamo patre ſato, hunc ſibi reſperſo ſanguine ſociauit. Ecce ex Codice ſacro hiſtoriam. *Scripſit Moyſes vniuerſos ſermones Domini, & manè conſurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos, per duodecim tribus Iſrael. Miſitque iuuenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque hoſtias pacificas Domino vitulos. Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in*

Exod. 24.

crateras : partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait : Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum. Præfatus ſum ab hac emiſſione ſanguinis ortam eſſe phraſim illam, qua dicimus percutere fœdus ; quia pacta rata fixaque erant, quando cædebatur hoſtia ſuo ſanguine cruentata. Chriſtus in Cœna ſanguine ſuo in potum dato, ſtabiliit fœdus cum homine ; & ne ſuſpicaretur homo, negotium illud omne eſſe in typis, ſeu figuris, ſanguinis riuos in Cruce fudit, vt pactum Dei cum homine ſtaret ſuis numeris omnibus abſolutum. Eamobrem Iſaias, qui vnus in Prophetis Paſſionis Chriſti ſpeciem nobis ingeſſit, cùm meminit fœdus Dei cum homine factum obſequio agonum Chriſti, eum commemorat vt victimam percuſſam : bis enim vſurpat verbum illud, à quo percuſſio fœderis ſignificat idem ac confirmatio pacti. Namque Deus homo factus, eſt percuſſus, factus hoſtia fœderis æuiterni.

Chriſtus, quare dicitur ab Iſaia percuſſus.

Accipe lineamenta Chriſti, vt deſcribitur à Propheta velut fœdus, quo mediante redux homo ſibi conciliauit Deum. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat ei aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum, & PERCVSSVM à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra : diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt : generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium : propter ſcelus populi mei PERCVSSI eum.*

Iſa. 53.

Hoc contextu Chriſtus deſcribitur vt percuſſus, ac proinde capax hoſtia fœderis ineundi. Quodque magis probat integrum fœdus Dei cum homine, Chriſtus vt ait Vates. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Et hæc ſpontanea oblatio maximè conducit ad ſacrum propitium. Quippe malum omen erat ſi ſiſteretur aris victima reluctata. Eſſe rem infauſtam adhibere ſacris inuitas hoſtias dicunt Liuius, Plinius, Suetonius, Feſtus Pompeius, & Tacitus, cuius ecce ſententiam. *Acceſſit dirum omen, profugus altaribus taurus diſiecto ſacrificij apparatu, longè quàm vbi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus.* Chriſtus vltro in Cœna ſe obtulit, ſanguinemque ſuum fecit potum noſtrum, vt & corpus ſuum eſcam noſtrã, illo etiam ritu morem ſequens à pleriſque Gentibus vſurpatum. Nempe vetus fuit inſtitutum in ſanciendis pactis cum hoſtibus, & æmulis præuias epulas adhibere. Scriptura ſacra locum ſuppeditat luculentum, quo liquet Hebræos à ſæculo pacta ſua celebri epulo confirmaſſe. Ita pepigit fœdus Iſaac cum Abimelech, & aliis, quorum ſuſpectam habuerat ante fidem. Ecce textum ſacrum. *Cum veniſſent de Geraris, Abimelech, & Ochozath amicus eius, & Phicol dux militum, locutus eſt ei Iſaac : Quid veniſtis ad me hominem, quem odiſtis, & expuliſtis à vobis. Qui reſponderunt : Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus : Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet : ſed cum pace dimiſimus auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis conuiuium, & poſt cibum, & potum ſurgentes manè iurauerunt ſibi mutuò, dimiſitque eos Iſaac pacificè in locum ſuum.*

Victima non inuita debuit cædi vt eſſet ſacrificium propitium.
Liuius 3. Dec. 1. lib. 1.
Plin. lib. 18. cap. 45.
Suet. in Galba, cap. 15.
Feſt. Pompeius, lib. 14.
Cornel. Tacit. lib. 19.
Epulæ olim adhibitæ ad fœdera ſanciend
Hebræorum mos.
Geneſ. 27. Iſaac præuiis epulis firmat fœdus.

Stetit & veteri inſtituto Ioſue quando fœdere inito cum Gabaonitis, eos in partem amicitiæ admiſit : nempe cibos ab eis accepit & facto velut communi conuiuio Hebræi percuſſere fœdus cum populo infideli. Rem paucis aperit iſte locus. *Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt. Fecitque Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quod non occiderentur.* Adeò conſtans fuit illud inſtitutum epulandi ante fœdus, vt Dauid noluerit eſſe rata pollicita Abner, donec ſolemni epulo firmarentur. Ita Codex ſanctus. *Abner abiit, vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia, quæ placuerant Iſraeli, & vniuerſo Beniamin. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris : & fecit Dauid Abner, & viris eius, qui venerant cum eo, conuiuium. Et dixit Abner ad Dauid : Surgam, vt congregem ad te dominum meum Regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua.*

Ioſue 9. Ioſue cibis prælibatis fœdus init cum Gabaonitis.
2. Reg. 3. Dauid adhibet epulas ad fœdus.

Ab Hebræis ad Perſas defluxit ille ritus epulandi ante fœdera concludenda. Hi nimirum, Alexandro auctore, ſacras arbitrati epulas, illas pactis ſuis omnibus adhibebant. *Neque,* inquit, *obmiſerim Perſas, apud quos inter vinum, & epulas frequenti conuiuio, in quo vxores, & filios, cæteroſque quos charos habent, tanquam fidei pignora adhibebant, ibique inter ſacra menſa, velut apud hoſpitales Deos fœdera, & pacta inibant, eam fidem ſocialem rati, & manſura pacis pignus inuiolabile.* Cornelius Tacitus aſſricat & Germanis illum paciſcendi modum inter pocula. Imò & Græcis adeò familiare fuit in compotationibus animos conciliare diſcordes, vt Homerus calices, hoſtias, & vinum fœderis nomine nuncupant. Etenim ὅρκια κύπελλα, καὶ οἶνον, id eſt, fœdera calices, & vinum perinde ſonant apud principem illum Poëtarum.

Perſarum mos epulandi ante fœdera.
Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.
Cornel. Tacit. lib. de moribus German.
Homerꝰ Il. 3.
Calix, fœdus hoſtia, voces ſynonymæ.

Ratio quæ ſynonymas fecit voces calicis, hoſtiæ, & fœderis, petitur à ritu ſacrorum, quæ feciales obibant fœdera firmaturi. Siquidem præuia libatione vini cædebant hoſtias, & ita calix adhibitus ad fœdera nomen ſortitus eſt pacti ; quia veteres, hoſtiis & poculis ſua fœdera conſummabant. Hinc effluxit illud Virgilij carmen.

Virg. lib. 8. Æneid.

Poſt iidem inter ſe poſito certamine Reges
Armati, Iouis ante aram, pateraſque tenentes,
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Ab hoc loquendi tropo non receſſit Chriſtus, quando vocauit nouum teſtamentum calicem quem porrexit Apoſtolis ſuo ſanguine deſudantem. Sic eos affatus eſt. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Quiſquis ergo in Cœna ſacrum calicem accipit, ille notam capit fœderis à Deo initi cum homine reuocato. Ne quid rituum ſolennium deeſſet illi Cœnæ inſtructæ ad conciliandos Deo

Luc. 22. Sanguis humanus ebibitus. homines, Chriſtus refricuit morem, quo Catilina ſuos omnes conſortes in perniciem Reipublicæ fecit vnanimes. Perditus ille nefarios Catilinæ coniuratio. homines ſuæ nequitiæ conſcios armauit in patriam, & ne quis coniuratorum facti pœnitens à cœpto iniquo deſiſteret, poculum circumtulit, vbi ſanguinem humanum vino diluerat, vt hoc calice deguſtato omnes in conciuium capita conſpitarent. Ita Saluſtius, & Florus. Eodem Herodot. lib. 1 modo rata fuere pacta Scytharum: quippe cruore reciproco contrahentium effuſo in vas fictile, & vino infuſo, bibebant hanc miſturam, qua ſua fœdera glutinabant. Auctor eſt Herodotus. Nicetas ait, Principem Saracenorum, & Imperatorem Græcum inciſa ſibi vena in pectore ſanguinem ſuum alteri propinaſſe. In calice Cœnæ ſub vini ſpecie ſanguis Chriſti abditus, & propinatus hominibus, eos omnes Deo æterno fœdere ſociauit.

Nicetas lib. 2. de Imperio. Iſaaci Angeli.

Secvnda Pars Homiliae.

VINVM EST DE RATIONE ſacrificij ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſed in Laïcorum communione panis conſecratus ſufficit.

§. I V.

Ex Sanctis Patribvs.

NE in repetita gratis impingam, ac proinde meo iam ſaturo lectori nauſeam ingeram, reuocando ſupra recenſita argumenta, manum moueo de tabula ſuperſedendo. Itaque, lector, conſule hoc Tomo tractatum de Euchariſtia, vbi ex profeſſo diſcutio controuerſiam, quam titulus hic prætendit. Inde velut ex ſufficiente penu congruam educes ſupellectilem ad homiliam iſtam ſuis omnibus numeris abſoluendam.

HOMILIA SEPTIMA.

DE QVALITATE INVITATORVM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. *SEX menſes deſtinati regiis epulis Aſſueri, totam vitam inſinuant, cuius ſeriès omnis in ætate adulta capax eſt Cœnæ Chriſti, qui neminem à ſua menſa excipit dummodo accedat inſtructius cautelis idoneis ad effectus Cœnæ Domini referendos.*

I I. Priori parte probo, Deum habere omnia, quæ conducunt ſtatui hominum, qui ad ſacra Dei fercula conuocantur. Dei autem influxum in animas coniicias huius Cœnæ peto à triplici fonte. Nempe dico, Deum eſſe prædiuitem, fortem, & habitare lucem inacceſſibilem, & ſuarum opum, virtutis, atque lucis facere participes homines, in Cœna ſacra Chriſto Domino coñtentes.

I I I. Secunda demum parte dico, miſeram hominum ſortem bellè recenſeri textu, qui deſcribit homines accerſendos. Pauperes egenum animæ ſtatum ſatis ſuperque clamant. Debiles abundè notant, quàm ſit impos anima, & præ'ertim Adami vitio ſauciata. Cæci ſignificant homines degere in opaco, poſt extinctum lumen gratiæ deſuper affulgentis. Tandem probata ſatis hac præfata ſorte ſanè miſeranda, hortor omnes ad vſum cibi, cuius beneficio occurritur, hominum inopiæ, morbo, atque miſeræ cæcitati.

PRÆFATIO.

Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

Luc. 14.

VT delirus erat Imperator Heliogabalus; ita ritu vixit incongruo Principi, penes quem erat ſumma rerum. Quis eat inficias fuiſſe vecordis hominis ingenium, quando pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos conuiuas adhibuit? vt ſic Imperator hic comicus illuderet infirmæ & afflictæ hominum indoli, liberalis ſpecie comitatis. Quod vitio ceſſit illi homini nequam, illud idem beneficam Chriſti indolem prodit, necnon gloriæ eius diuinæ litat: quippe ſuas cœleſtes epulas dum inſtruxit, ſpecimen edidurus animi ſui prædiuitis, & effuſi in gratiam omnium, neminem excepit à ſuo conuiuio: imò ne quis aliquando foret ſibi malè conſcius, ac proinde ſibi metueret ratione paupertatis, infirmitatis, cæcitatis, greſſuumque lapſus in vtrumque vergentium; omnes ita malè affectos, ad ſuas vtique lautas epulas accerſiuit. Ludicræ fuerunt, vt & ingloriæ conuiuis epulæ Heliogabali, quia duntaxat ad ludibrium acciti ſunt; ſed Chriſti Domini cœna, decus, & beneficentiam clamat, dum inuitat homines, quos egeſtas, & ſauciata natura pluribus inflictis vſquequaque plagis reddidit indecoros. Illa nimirum cœna ſuos conuiuas honore afficit, vtpote effectos conuictores Chriſti, deinde ſanat omnia infirma, robur concilians hominibus antea ignauis; nempe viri omnes infirmi Deo dante fiunt voti compotes, & ad grandia aſſurgunt ſtatim atque ſacro illo epulo recreantur. Itaque ne quis remorante vano prætextu ſit refuga conuiuij Chriſti, ille prouida citáque ſuâ

Imperatoris Heliogabali ſtultitia.

beneficentiâ

beneficentiâ ſuadâ, pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduxit ad cœnam illam, quæ conſulit abundè ſuis conuiuis, atque ditat omnium hominum egeſtatem. Subeuntes aulam cœnæ huius opiparæ, Regem adoremus; ſed non inſalutata Regina matre, cui Angelicum hocce melos ſoliti ſumus occinere, recitantes. Ave Maria.

Eſther. 1.

VVlgata ſatis ſupérque Regis Aſſueri iactatur hiſtoria, commemorans epulum hoc celebre, quo optimates primò excepit, deinde plebem. Nemo planè Patrum eſt, qui non agnoſcat ingenuam cœnæ Chriſti ideam in præfato Regis Aſſueri conuiuio graphicè lineatam. Ne hîc decantata ſonent, præteribo lubens infinita propè myſteria, quorum eſt abundè ferax, & hæc recenſebo ſolùm, quæ conducunt ad contextum iſtius homiliæ, cuius erunt partes recolere, quid referant conuiuæ ex cœna Chriſti, quando ſicut par eſt fuere cibo illo viuido ſaginati. Sex circiter menſium fuit tempus epularum Regis Aſſueri. Numerus ille ſenarius eſt laboris index: ſex quippe dies egit conditor in editione rerum, ac proinde vita noſtra typum ſibi congruum inuenit in numero illo, penes quem eſt imago laboris improbi, ad quem eſt damnata vita noſtra neſcia feriarum. Itaque ſenarius hic menſium deſtinatus epulis Aſſueri benè quadrat vitæ noſtræ, cuius ſeries tota ſacris illis epulis Chriſti vacat. Omnis illa Regis Perſarum pompa fuit, vt reſcirent omnes inexhauſtas eſſe gazas effuſo tanto ære fœtas. Cœnæ Chriſti ſumma fuit eius beneficentia, quæ primò in Optimates enituit, id eſt, in Apoſtolos; & demum ſe effudit in pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, ſcilicet in omnes homines malè ſibi conſcios, qui pauperum, & cæcorum alioque inglorio nomine recenſentur. Denique commendantur inde Regis Perſarum epulæ, quòd ſinguli quique conuiuarum, ita ſuo indulgebant genio, vt abundè voti compotes exiſterent. Profectò fuit lautior cœna Chriſti, vtpote non inſtructa ſolùm ad delicias animæ, ſed etiam ad ſoſpitatem eius, ſi quando fuit aliquo lethali inflicto vulnere ſauciata. Vnde quia peſſimè habet, ac proinde iacet omne hominum genus; idcirco Deus conſcius infirmæ hominum indolis, pauperes, & infirmos ſuarum epularum aditum voluit habere peruium, inſinuans ita ſuam Cœnam eſſe debilium pharmacum animarum.

Quare Deus vocat pauperes & infirmos ad ſuam cœnā.

Diuiſio homiliæ.

Hæc igitur erit contextura homiliæ. Priori parte dicam, Deum eſſe prædiuitem, fortem, & habitare lucem inacceſſibilem, & ſuarum opum, virtutis, atque lucis homines efficere participes in Euchariſtia. Altera verò parte oſtendam hominum inopiam, infirmitatem, atque cæcitatem. Demum concludam, nos omnes, quia pauperes ſumus, debiles, & cæci, debere nobis conſulere, ad cœnam Chriſti votis omnibus anhelando.

* * *

Prima Pars Homiliae.

Dei ſunt immenſae, diuitiæ fortitudo infracta; & lux, qua rutilat, eſt inacceſſibilis.

§. I.

Ex Theologia, Philosophia, Et SS. Patribus.

Varro lib. de lingua Latina.

Diues quaſi diuus.

COncolores planè voces ſunt diuinitas atque diuitiæ, reſque ſonant omnibus vſquequaque bonis inſtructas, nempe Deum, & diuitem. Ex Varrone, diues quaſi diuus dicitur. Vnde quia bonis affluunt omnibus homines prædiuites, & ſic ideam aliqualem Dei referunt in humanis, mendicato à diuinitate nomine nuncupantur. Attamen aduerte, Deum eſſe eſſentialiter diuitem; homines verò ſecus, aliunde ſuas cumulare gazas; quippe Deus ipſe ſibi ſufficit, nec quidquam precariò poſſidet; ideóque Græcis dicitur αὐτάρκης, id eſt, ſufficiens ſibi: ſeipſo namque poteſt omnia, totuſque teres eſt & perfectus, nulla rei alicuius ope deforis expetita. Hebræum idioma fauet, cuius dialecto nobis Scriptura vetus inſonuit. Illic Moyſes, & Iob Numine afflati Deum appellant שדי *ſaddai*, id eſt, omnipotentem, fortem, & victorem, à radice שדד *ſaddad*, id eſt, rapere: quæ namque nitent in creatis, & parca velut manu ditant vnumquodque rerum genus; illa ſibi cuncta Deus vendicat; ab eo namque bona omnia in nos effluxere ſicut à fonte penitus inexhauſto.

Deus ſibi ſufficiens.

Gen. 17. Iob. 22.

Ex Theologia.

Dicimus, in humanis eſſe diuitias, vbi eſt affluxus rerum, quæ conducunt ad degendum fæliciter in hoc æuo. Cùm ergo rerum omnium dotes eximiæ coëant in Deo nobiliori modo, quàm in ipſis creaturis effulgeant; eſt in confeſſo, Deum eſſe prædiuitem, nulliuſque rei indigum; & terrenas opes eſſe velut infantium vilia crepundia, ſi cum diuitiis atque gazis Dei rerum Domini conferantur. Sed ne errandi lubricum ſit iſta Dei laudatio, qua concludo rerum omnium perfectiones eſſe penes Deum; operæpretium eſt ſcire, perfectionum alias eſſe ſimpliciter tales, alias verò ſecundùm quid. Primi generis perfectiones ſunt illæ, quæ dicuntur ſimpliciter ſimplices, nullumque næuum habent: huius generis ſunt ſapientia, bonitas, iuſtitia. Perfectiones illæ ſunt in Deo formaliter: namque Deus ab eis formaliter dicitur ſapiens, bonus, & iuſtus; illo tamen præmiſſo diſcrimine, quòd homines illas animæ dotes habent per accidens: aſt in Deo quicquid eſt, Deus eſt, ac proinde Deo nihil accidit; quia quæ ſumma, & ſarta tecta de Deo concipimus, hæc etiam cum ipſo Numine conuertuntur.

Tho. 1. part. quæſt. 4. art. 2.

Perfectionum Dei deſcriptio.

Hinc perfectiones eximiæ de Deo prædicantur in abſtracto, quod nulli planè rei editæ conceditur. Dicimus namque, Deum eſſe ſapientiam, bonitatem, & iuſtitiam; quod tamen affirmare nefas eſt de creaturis quantumuis emineant. Vnde abſtracta in diuinis plura notant quàm concreta; ideoque Chriſtus eis vtitur, vt titulis idoneis ad perfectionum ſuarum indolem, & ſeriem exprimendam. Sic ille. *Ego ſum reſurrectio, & vita.* Cur autem perfectiones de Deo prædicentur in abſtracto, & non de creatura,

Abſtracta in diuinis plus ſignificant quam concreta.

Ioan. 11.

multiplex

multiplex eſt ratio. Prima eſt, & potior, Deum habere eſſentialiter illas perfectiones, quæ creaturas accidentaliter afficiunt. Altera eſt nihil omnino eſſe in Deo quod oon ſit ipſa perfectio: at ſecus in creatis diſcolores ſunt habitus, & realiter à ſe inuicem, vt & ſpecie diſpeſcuntur.

Perfectiones ſecundùm quid illæ ſunt, quæ aliquam imperfectionem inuoluunt. Verbi gratia, diſcurrere, res eſt perfecta, quia actio eſt intellectus, ratione cuius Angeli, & homines ad imaginem Dei conditi ſunt. Sed diſcurſus vt tardioris intellectus explicat ingenium, eſt aliquid infra modum, quo Angeli intelligunt ſine illatione vnius ex altero remorante viri indaginem, quam Angeli ſubitò nanciſcuntur. Huiuſmodi perfectiones in Deo ſunt eminenter, id eſt, nobiliori modo quàm ſint in creatis: quicquid enim hiulcum eſt, aut defectui obnoxium, illud omne procul à Deo eſt, qui vt purus eſt actus, ita planè nihil habet oiſi eximium, & optimè defæcatum.

Ex Philosophia.

Illa Dei perfectio ex Philoſophiæ elementis olim emicuit. Philoſophus namque probans eſſe primam cauſam, quæ in alias omnes influit; liquidò clamat, eam habere penes ſe penu inexhauſtum, vnde rerum omnium copiam aliis impertitur. Nemo quippe dotes quas non habet, explicare valet in gratiam alterius. Rurſus cauſa exemplaris agens per intellectum & voluntatem habet in ſe omnia, quæ confecit oobiliori modo, quàm ſint extra intellectum eius. Vt eſto domus marmorea ſit; oon tamen accedit ad eſſe viuum, quod habet in idea nobilis architecti. Cùm ergo omnia ſint io Deo cauſaliter, ſeu idealiter; illa modum prænobilem illic habent eſſendi, iuxta verax Ioannis effatum. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quicquid ergo nitet in humanis, illud eſt infra Deum, à quo diuitiæ omnes, vt ab indefeſſa ſcaturigine in homines diuites emanarunt. Itaque Deus eſt omnia, quia conditor eſt omnium, & quicquid eximium homini occurrit, illud eſt in Deo nobilius.

Deus quare ſit omnia.

Ioan. 1.

Deus totus eſt oculus, manus, & pes.

Hoc eſſe Dei ſe porrigens ad omnia paucis Auguſtinus aperit. *Deus,* inquit, *totus oculus eſt, quia omnia videt: totus eſt manus, quia omnia operatur: totus pes, quia vbique eſt.* Illa Dei maieſtas etiam Bernardi penicillo graphicè lineatur. Sic ille Deum pingit. *Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, ſedet vt æquitas, dominatur vt maieſtas, regit vt principium, tuetur vt ſalus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, aſſiſtit vt pietas.* Rurſus Auguſtinus ait, perfectiones rerum omnium confluentes in vnam eſſentiam ſine vlla miſtione imperfecti referre Deum homini, ideam aliqualem Numinis indaganti. *Deum,* inquit, *intelligimus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mirabilia omnia facientem, nihilque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt inuenire quid ſit; piè tamen cauet quantùm poteſt, aliquid de eo ſentire quod non ſit.*

Ex SS. Patribus.

August. epiſt. 112. ad Fortun.

Bernard. lib. de conſiderat.

Auguſt. lib. 4. de Trin. c. 1.

Dei attributa eleganter à SS. PP. deſcripta.

* * *

DIVITIAE DEI, FORTITVDO, & lux, denuo deſcribuntur.

§. II.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

Diuitias omnes eſſe penes Deum, egregio commento delita finxit antiquitas illa fictitiis mancipata Diis. Illa nimirum ſubodorata Numen in opibus, eas eſſe Deum dixit, quem Plutum ipſo diuitiarum nomine nuncupauit. Inde deductum verbum πλουτέω diteſco. Hinc & fortè ritus emerſit in templis congregare gazas, ita vt templa vice ærarij quondam extiterint. Suſpicor ab Hebræis illum effluxiſſe morem, qui templi penitiorem ſinum fecere ſuum ærarium, cuius ſeſe Deus ipſe tutorem præſtitit, & vltorem; vt reſciit Heliodorus ille ſacrilegus, in extremum diſcrimen adductus, quando ſe accinxit ad hoc ſanctum ærarium profanis manibus expilandum. Quippe nequam ille nefas animo concipiens, impiaſque manus explicans ad prædandum, vix penè ſubierat intima ſepta templi, cuius prædam anhelus optabat, cùm repente luit pœnas ſceleris exantlati. Vltionis cœlitus inflictæ rumor increbreſcens Græcis anſam dedit opes ſuas tranſmittendi in Delphicum templum, agnitum Gentibus orbe toto diſperſis. Ea veneratione fuiſſe opes inibi reconditas ait Diodorus Siculus, vt fuerint illic multis ſæculis illibatæ. Locupletis huius ædis meminit etiam Probus Æmylius. Æmula Græcorum Roma ſuum inde ritum hauſit, quando Valerius Publicola ædem Saturno ſacram ſtruxit in loco munitiſſimo, & abrupto, vt inibi publicum decerneret ærarium, teſte Macrobio in Saturn. cui adſtipulatur P. Victor, referens illud templum fuiſſe in faucibus Capitolij. Vnde vetus ille Varro, & Iuſtinus aiunt, locum illum fuiſſe nuncupatum montem Saturnium. Eadem & benè ſuadâ religione in tempore pacis, ipſi Romani rerum domini, magnam vim auri & argenti habuere repoſitam, Herodiano teſte.

Theſauri olim in templis repoſiti.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

2. Machab 3.

Diodor. Sicul. lib. 11.

Prob. Æmylius in Ariſtide.

Macrob. lib. 1. Saturn. c. 8.

Varro lib. 4. de lingua Latin.

Iuſtin. lib. 43.

Herodian. l. 1.

Licet in mollitiem omnem fracti fuerint Lydi, ſectantes abdomini, vtpote vilia mancipia Veneris, & Bacchi: attamen ſubodorati in templis abditam deitatem, credidere theſauros in tuto eſſe intra ſepta templi. Idcirco Crœſus Lydorum Rex dedignatus arces, quas multas habebat, eaſque munitiſſimas; templum, vt ait Herodotus, ærarium ſuum fecit, ſolâ Dei adhibitâ cuſtodiâ; fortè ratus, eſſe Dei tantùm partes, congeſtis opibus incubare. Equidem bellè ſuis illa gazis prouidit antiquitas, illas reponendo penes Deum, qui ſolus verè diues eſt citra metum inopiæ, in quam Crœſus ipſe diues olim incurrit; nemoque poteſt vſurpare verè vocem illam, quam Aggæus Propheta Deum referens extulit. *Meum,* inquit, *eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.* Namque Deus ad arbitrium ſuum ditat eos, quos decreuit aliis opibus eminere.

Herodot. lib. 5.

Quare olim opes in templis recondiræ.

Agg. 2.

Diuitiæ humanæ robur homini conciliant: illæ nimirum larga ſtipendia dum militi exoluunt, numeroſos conſcribunt exercitus, quorum nerui potiores, opes ſunt. Sed illa Regum prædiuitum fortitudo labat deficiente penu, quia deforis eſt: ſed Numinis infractum robur eſt, & nullis omnino deliquiis obnoxium; Deus

Dei fortitudo qualis.

Hanc olim fuere Dei ſimulacra.

quippe

quippe ſua fortitudo eſt, nec aliunde petit obſequia aut copias auxiliares ad maius inuicti roboris incrementum. Idcirco Deus dicitur fortis; imò Deus exercituum. Iuſtino auctore prima Dei ſimulacra fuerunt haſtæ, genus armorum; inde Roma Deos olim haſtis inſtruxit, vt Arnobius ex Varrone notat. Item Neuri, qui iuxta Boriſthenem degunt, & Scythæ illi inhoſpitales incolæ deſertorum, enſem pro Marte colunt, vt recenſet Herodotus. Denique quidquid in orbe robur aliquod ſpirat, illud omne Dei eſt, vnde fluit omnis valida fortitudo.

Varro apud Arnob. lib. 5. contra Gentes.

Herodot. l. 4. Enſis à quibus adoratus.

Quàm verò rutila ſit lux, quam Deus inhabitat, inde liquet maximè, quòd ea dicitur inacceſſibilis; imò Dei nomen eſt coruſcum. Quippe θεὸς deducitur à verbo θεάομαι, id eſt, contemplor. Eamobrem Perſæ Solem, credidere Deum ſummum, quia ille lucis eſt fons, & voluere Deos omnes eſſe infra Solem, quia præ aliis rebus omnibus irradiat: huius delirij meminit Strabo. Plutarchus, & Laërtius aiunt, Anaxamandrum, & Pythagoram credidiſſe Deos eſſe ſydera, quia ſunt accenſa luce neſcia tenebrarum. Denique diuinæ diuitiæ, fortitudo, & lux, non humana ſolùm ſuperant eloquia, ſed & Angelorum captum excedunt. Ideoque Roma centum ſeptuaginta annis egit ſine Dei ſymbolis, atque typis; arbitrata, Deum, quem mens humana nequit concipere, iniuriam pati, ſub cuiuſuis ſpecie ſimulacri. Authores huiuſce ritus ſunt Dionyſius Halicarnaſſeus, Clemens Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſis. Concordes fuerunt & Perſæ, qui ex Strabone nec ſtatuas, nec idola Dei typos aut aras habuere; ſed ſub Dio credidere Numen eſſe votis omnibus excolendum.

Strabo l. 15.

Plutarchus lib. de placitis Philoſ. Laertius in vita Pythagoræ.

Deus eſt lux inacceſſibilis.

Dionyſ. Halicar. lib. 2. Clem. Alex. 1 Strom. Euſeb. Cæſar. l. 6. & c. 21. de præp. Euan. Strabo l. 15.

Deum omniſcium veteres fecere palàm ingenuo ſanè typo; etenim expreſſere Deum oculo depicto: vt namque videt oculus omnia, ad quæ illius porrigitur acies; ita Dei intuitum planè nihil effugit, quia nullo rerum ambitu concluditur, nec vlla Deum ſepta queunt præſtituto termino coërcere. Ex præfatis abundè liquet orbe toto coëunte, Deum eſſe diuitem, fortem, & coruſcum: ideoque ratam, & conſtantem eſſe Ariſtotelis de Deo ſententiam. *Deus*, inquit, *ſi vim ſpectes, valentiſſimus; ſi decorem, formoſiſſimus: ſi vitam, immortalis: denique ſi virtutem, præſtantiſſimus eſt.* Vt liquidior adhuc illa veritas eluceat, ſcilicet Gentilibus innotuiſſe Deum præſtare rebus omnibus, ſenſa placet vnius reddere Ciceronis. Sic ille. *Nihil eſt præſtantius Deo: ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi: nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubiectus Deus: omnem ergo regit naturam ipſe Deus. Etenim ſi concedimus, intelligentes eſſe Deos; concedimus etiam prouidentes, & rerum quidem maximarum. Ergo, vtrum ignorent, quæ res maximæ ſint, quóque hæ modo ſint tractandæ, ac tuendæ; an vim non habent, qua tantas res ſuſtineant, & gerant? At & ignoratio rerum aliena naturæ Deorum eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minimè cadit in maieſtatem Deorum. Ex hoc intelligitur, prudentiam quoque & mentem à Diis ad homines perueniſſe, ob eámque cauſam maiorum inſtitutis mens, fides, virtus, concordia conſecratæ, & publicè dedicatæ ſunt.* Hactenus ille parens cultioris eloquij, cuius hic leporem Numini mancipauit.

Deus omniſcius.

Pierius l. 33. hieroglyph.

Ariſt. lib. de Mundo, c. 5.

Cic. lib. 2. de natura Deorum.

Dei naturam qualem eſſe Cicero crediderit.

Prælibare fuit neceſſe, Deum eſſe prædiuitem, fortem, omniſcium, vt pauperes, debiles, & cæci participes eius Cœnæ, certam aliquando ſuæ ſalutis ſpem conciperent; edicti, bonorum omnium ſummam eſſe penes Cœnam Chriſti, cùm ſit ille Deus diues, fortis, & robuſtus, quo influente diteſcunt & ſanantur omnes, qui ad ſacras eius epulas adſciſcuntur.

Pauperes, debiles, cæci, & claudi miſeriarum ſuarum ſubleuamen recipiunt beneficio Euchariſtiæ.

§. III.

Ex Philoſophia, Theologia, et SS. Patribus.

Philoſophiæ placitum eſt, ſingula quæque ſe habere ad operari ſicut ſe habent ad eſſe: omnium namque rerum effectus, ab earum eſſe fluunt. Inde liquet, homines participes Cœnæ Chriſti, ſuas omnes ibi deponere miſerias: illic enim præſtant opum cœleſtium Deo largiente gazæ, quæ conuiuas Chriſti locupletant. Illic fortitudo Dei, quæ diſcumbentibus in Chriſti menſa robur inſinuat. Denique Chriſtus vt eſt omniſcius, ita ſuos afficit epulones; vt inducat eos in reconditæ ſcientiæ ſacrarium, factos ſic conſcios cuiuſuis abditæ diſciplinæ. Has copioſas eſſe dotes gratiarum, quæ influunt in animas dignatas illâ Dei cœnâ, liquet ex nomenclatura ſacri conuiuij. Etenim ſacramenta licet omnia ſint fœta bonis, quorum eſt gratia diuina ferax; illa tamen animam afficiunt ſingulari modo, qui adæquatè ſatis cuiuſque ſacramenti nomine commendatur. Verbi gratiâ, Baptiſmus ablutione ſua notat animæ munditiem, quæ conceptas ab ortu maculas tergit. Confirmatio miniſtrata robur inſinuat, quo firmatur homo, Dei militiæ adſcriptus, & ad inſtar athletarum inunctus Chriſmate generoſo. Itaquè cœleſte bonum, quod expendo, cùm nomenclatore Deo Cœnæ nomen ſortitum ſit; aliquid profectò viuax ſonat, quale ſolent epulæ lautiſſimæ, vt ſunt illæ Regum, vbi affluunt exquiſitæ dapes, & exundant ad delicias omnia condimenta, quibus appetitus languidus irritatur.

Ex Philoſophia.

Ex Theologia.

Præcipuas ergo licet inferre dotes Euchariſtiæ, facta vocis conuiuij exquiſita anatome. Quicquid enim conferre ſolet corpori ægro cibus Euchymus, id eſt, ſalutaris ſucci; illud idem nobiliori longè modo poteſt impertire ſacer ille cibus Euchariſtiæ, ſumptus vti par eſt ab anima fatiſcente. Nam præter opes, quarum eſt ſaliens & æterna ſcaturigo Deus; Cœnæ ſalutaris eſca viuax, ſingulare robur animis inſinuat, & inde recreatus homo perſpicaces oculos accipit: quippe cibus ille mentis aciem acuit, & ignorantiæ tenebras ſic diluit, vt illucente Deo, qui in Cœna velut in cœlo rutilus irradiat, citiùs euaneſcant. Diuina ſic affulgente luce procul abeſt periculum, in quod incurrunt claudi, qui gradu inconcinno vias omnes ſubeunt, inæquali dum incedunt veſtigio. Etenim irradiante Deo, benè paſtus homo, inoffenſo pede ſalit in ſalebris, nec abrupta timet: namque ſiunt ei aſpera in vias planas, & praua in directa; quia vtitur Chriſto rerum Domino, optimo directore.

Euchariſtiæ & optimi cibi communes ſunt effectus.

Euchariſtia ditat & illuminat.

In

Ex SS. Patribus. *Auguſt. in Pſalm. 33.* Euchariſtia ex menſa lacteſcens.

In hoc argumento Patres omnes concinunt, vt oracula veridica. Primus vt præcentor occurrit Auguſtinus, hunc ſalutarem eſſe cibum dicens; & expendēs, qua ratione Deus in Cœna vices ſubeat pabuli ſaginantis. Sic ille: *In corpore, & ſanguine ſuo voluit Dominus eſſe ſalutem noſtram. Ecce cibus ſempiternus ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes, & manducant, & ſaginantur, & integrum manet quod eos ſanat, & lætificat. Quid autem homo poſſet ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? oportebat ergo vt illa menſa lacteſceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit; quod mater manducat, hoc manducat infans: ſed quia minus eſt idoneus infans, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humiditatem mamillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane paſcit nos ſapientia Dei? Quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Hactenus Auguſtinus, apprimè notan. induſtriam, cuius obſequio diſcumbens homo in Cœna ſacra, Deo ipſo ſub panis ſpecie vegetatur.

Quomodo Chriſti caro fiat panis.

Euchariſtia corroborat. *Hieron. lib. 1. in c. 4. Ezech.*

Hunc panem conciliare robur eis, qui aſſident menſæ Dei, eſſe in confeſſo ſonant iſtæ Hieronymi ſententiæ. *Nihil ita veſcentis animum roborat, quomodo panis vitæ, de quo ſcriptum eſt: Et cor hominis confirmet.* Rurſus ille ſibi conſtans alibi, ſic commendat illum panem. *Electorum frumentum Chriſtus Dominus eſt. De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cœlo deſcendit, & qui confirmat cor hominis. Hunc panem comedunt iuuenes, qui in Chriſto robuſti ſunt, de quibus dicitur: Scribo vobis iuuenes, quia ſermo Dei in vobis manet & fortes eſtis, & viciſtis malignum. Qui frumentum eſt electorum, ipſe eſt & vinum, quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ ſunt ſanctæ corpore, & ſpiritu, vt inebriatæ, atque gaudentes adducantur Regi in lætitia, & exultatione.* Hæc ille, cui concinit Auguſtinus inſinuando, robur atque lucem influere in animam, quæ ſe ſacris aptat Numinis amplexibus. *Accede*, inquit, *ad Deum, illuminatur ignorantia, & corroboratur infirmitas, & data ſibi & intelligentia qua videat, & charitate qua ferueat.* Rurſus ille monet, qua ratione fiat homo Dei compos, præuia videlicet conuerſione ſui ad Deum. *Homo*, inquit, *vt ſit aliquid conuertit ſe ad illum, à quo creatus eſt. Recedendo enim frigeſcit; accedendo igneſcit, & ferueſcit; recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit. A quo enim habet vt ſit, apud illum habet, vt ei benè ſit.*

Idem, lib. 2. in in c. 9. Zach.

Euchariſtia illuminat. *Auguſt. libro ſententiarum collectarum ex eius ſcriptis.*

Idem, Concione 2. in Pſalm. 70. Deo adhærendo caleſcit homo.

Liquidior erit ille boni omnigeni influxus in animas beneficio Euchariſtiæ, ſi penſemus, eſſe penes Deum prædiuites vſquequaque gazas, quarum copia facta Dei conuictoribus, illi ſacri panis edulio, non ab infirmitate, & egeſtate ſolùm, ſed & ab omni ſuſpicione noxia vindicantur. In eo argumento lubet recenſere bona, quæ de Deo commemorat Auguſtinus, vt inde nobis conſtet, immenſis opibus turgere penu eorum, quibus indulgente Deo datum eſt menſæ Chriſti ea qua deuotione decet ſæpius aſſidere. Audiendus eſt ille Dei præco, Deum ſic commendans. *Dic anima mea, Deo dic: Quis es Domine, & quem te intelligam? Certè tu ſolus es, quod es, & tu es, qui es, id eſt, quo nihil maius cogitari poteſt, nec melius, nec iucundius, vita es, ſapientia, lux es, veritas, bonitas, æternitas, ſummum bonum, tu ſibi omnia ſufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent vt ſint, & vt benè ſint. Inueniſti eum eſſe quoddam ſummum omnium, quo nihil maius cogitari poteſt, & hoc eſſe vitam, ſapientiam, lucem, veritatem, bonitatem, æternitatem, beatitudinem, & beatam æternitatem, & omne verum bonum, hoc bonum es tu Deus, &c. Excita nunc anima mea, & erige totum intellectum, & cogita quantùm potes, & quale, & quantum ſit Dei bonum. Si enim ſingula bona delectabilia ſunt, cogita intentè quam delectabile ſit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tanto differentem, quantò differt creator à creatura. Si enim bona eſt vita creata, quàm bona eſt vita creatrix; ſi ita iucunda eſt ſalus facta, quàm iucunda eſt ſalus, quæ fecit omnem ſalutem. Si amabilis eſt ſapientia in cognitionem rerum conditarum, quàm amabilis eſt ſapientia, quæ omnia creauit ex nihilo. Denique ſi multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus; qualis, & quanta delectatio eſt in illo, qui fecit ipſa delectabilia. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.* Hactenus Auguſtinus.

Aug. lib. de Spiritu & an.

Dei tituli eminētes ex Auguſtino. In Deo eſt omnigeni boni ratio perfecta.

Deus eſt omne bonum.

Deus deſiderabilis eſt.

Vt ſigillum ceræ impreſſum ſuas ei figuras inſinuat, ita Deus animam ditat, quam ſuis dignatur amplexibus abundè bonis, quæ proximo contextu meminit Auguſtinus; qui ne penuriam, aut fruitionis aliquod deliquium ſuſpicetur homo Dei obſequio addictus, fusè monet, fontem eſſe Deum, cuius ſcaturigo ſalit ſemper, & effundit latices inexhauſtos. Audiēdus ille Deum ſic commendans. *In terra aliud eſt fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem, & vt peruenias ad fontem, quæris lucem. Fons qui eſt Deus, ipſe eſt lux, ſitientibus fons eſt, cæco lux eſt. Quod bibis, hoc vides, hoc audis, totum tibi fecit Deus, quia horum quæ diligis, totum tibi eſt. Si viſibilia attendis, nec panis eſt Deus, nec aqua eſt Deus, nec lux iſta eſt Deus, nec veſtis eſt Deus, nec domus eſt Deus. Deus tibi totum eſt; ſi eſurieris, panis tibi eſt; ſi ſitieris, aqua tibi eſt; ſi in tenebris, lumen tibi eſt; ſi nudus es, immortalitatis tibi veſtis eſt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: omnia enim poſſunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo, nihil latius hac inopia. Quæris congruum nomen, non inuenis; quæris quoquo modo dicere omnia, non ſic inuenis.* Hæc ille.

Aug. tr. 13. in c. 3. Ioan.

Deus eſt fons bonorum omnium inexhauſtus.

Deus eſt totum quod deſiderari poteſt.

Veſana fuit, & inſaniæ gentilis, opinio propria antro illi famoſo templi Apollinis, de quo circumfertur, fuiſſe Numine afflatos omnes, qui auram inde emiſſam ore patulo ea religione qua par erat exceperant. Credidit gens delira, Deum illum fictitium, ſcilicet Apollinem, ſuos hallucinantes affeclas inanis halitus ex ſpecu efflati conſcios inſpirare. Ponor eſt reuera fides Chriſtiana docens, eos, qui ore repurgato ſacrum Chriſti corpus exceperint, effici diuinæ naturæ conſortes, & exutaterum omnium priſcâ inopiâ, quam ingloriam experti erant in vita Dei neſcia, & peccatis obnoxia, participes eſſe boni omnigeni, quia Chriſtum rerum Dominum in Euchariſtia conditum induerunt. Meminere famum hoc Apollinis Iuſtinus, Strabo, Diodorus Siculus, & Plinius. In his Strabo notat ſoli ſexui fœminino datum, vt adiret antrum, vnde Numen

Antri Delphici proprietas.

Iuſtin. l. 24. Strabo l. 9.

Diodor. Sicul. lib. 16. c. 6. Plin. lib. 24. cap. 43. Strabo. l. 9.

Numen ſpirans ſua pangebat oracula, aut verius dixero, nænias & ambages eructabat abditas pluribus inuolucris. Ad Euchariſtiam facilior eſt aditus: quippe nemo protſus excipitur ab hac menſa viris, & fœminas admittente, & paſcente cibo, qui aſſumptus vti decet, recreare ſolet animas innoxias, & puritatis earum conſcia corpora ſaginare.

Secvnda Pars Homiliæ.

Homo est svapte natvra egenus, & infirmus.

§. IV.

Ex Theolooia, Meoicina, Et SS. Patribvs.

Egeſtas quid ſit.

Citra vocum omnium ambages implexas, quæ colludunt in nomine; egeſtas eſt carentia rerum, quæ abſolutè ſunt homini neceſſariæ, vt æuum ſuum agat innoxiè, finémque ſuum vltimum, ſcilicet Deum Optimum Maximum hoc decurſo tempore ſortiatur. Indoles humana rebus indiget omnibus, citra quarum obſequium homo nequit abſolutè ſibi cauere à noxiis, & proprio Marte Deum vt vltimum finem ſuum attioge:e: quippe natura ſuos limites, vt apprimè nouit, ita non tranſcendit. Nauis alto commiſſa mari, inſtructa velis explicatis, atque rudentibus opportunè teolis, immota manet nullo reflante vento: quod namque naues varias orbis oras luſtrent, & reduces portum tandem aliquando ſubeant, vnde ſoluerunt; illud non eſt virtutis alicuius nauibus inſitæ negotium, ſed beneficium auræ, quæ benefica velis afflans, naues vel inuitas quatit, & euehit ad arbitrium æſtus, quo procera hæc corpora lignea percelluntur. Nempe ſuâ naturâ naues, nulla valent facultate progrediendi, ſed eam omnem, ſi aliquali virtute vigent, deforis emendicant. Ecce typum vtique ſincerum animæ aſſurgentis ad ardua facinora. Illa nimirum anſa quidpiam in ordine ad gratiam, & gloriam, ſuas naturales agendi metas præterit aliunde percita, vtpote cœlitus excitata.

Ex Philosophia. Ariſtot. l. 7. Phyſic. ... Lib. 8. Phyſ. cap. 5.

In eo argumento poteſt ſiſti Philoſophus, ita fatus. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur.* Ariſtoteles inde probare intendit, dari primum aliquod principium immobile, à quo omnia mobilia motum accipiant. Vt enim ſubiicit idem Philoſophus. *In mouentibus & motis, non fit progreſſus in infinitum.* Verbi gratiâ, malleus in ſubiectam materiam intorquetur à fabro, manus obſequio, & hæc in virtute brachij; brachium autem à corde capit, & à neruis vnde moueatur: in cor verò iugiter influit anima neſcia feriarum. Quod autem anima motum impertiat cordi, arteriis, & muſculis, habet à Deo, qui ſtabilis immotúſque manens dat cuncta moueri. Sicque voti compos fit ille Philoſophus, inſinuare volens, eſſe deueniendum ad aliquod ens immotum, cuius influxu omnia alia entia perculſa ſuo motu gaudent. Itaque cum animæ motiones in Deum, reduci poſſint ad naturam motus, etiamſi ſint ſupernaturalis ordinis, vt & gratia ipſa habitualis participat naturam qualitatis, valebit axioma ad probandum concluſionem, cui incumbit adſtruere, animam eſſe impotentem ad cœleſtia facinora, niſi cœlitus euehatur. Illa liquet veritas ex meris Philoſophiæ fontibus. Omnis animæ niſus eam dirigens ad gratiam, & gloriam motio eſt: ergo habet illum motum ab alio; niſi, velis Philoſophum argui falſitatis, dum affirmat vt rem indubiam, illud omne quod mouetur ab alio moueri. Eſto dicas, motionem illam eſſe ab anima, quatenus eſt vitalis; nihil inde tamen exurgit contra theſim: nam qui dat eſſe, ille dat & conſequentia ad eſſe: ergo Deus, qui dedit animæ totum illud eſſe, quo conſtat, & vegetat, dedit etiam omnem illam ſupellectilem, qua ſtipatur anima mouens ſeipſam: ac proinde motus animæ refundendus eſt ad illud ens entium, à quo ſuum eſſe primitus emendicat.

Motus omnis à primo motore dependet.

Ex præfatis, & Philoſopho teſte, palàm ſe explicat hominum inopia, quæ eò plus eſt miſeranda, quo dignior eſt ſtatus, quo excidunt homines, ſi Deo conciliato ſuæ non conſulunt egeſtati. Incredula fortè mens humana ſibi imponet, arbitrata ſui iuris eſſe motiones aliquas in Deum, ſicque ſuam neſciet inopiam, & impinget in cenſuram, qua Ioannes notat aliquem conſcium huiuſce delirij. *Dicis* (inquit) *Quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris. & non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Itur obuiam egeſtati noſtræ, cùm emitur precibus aurum charitatis in animas deſuper influentis.

Apoc 3.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2.

Ne qua ſuperſit hallucinandi occaſio in penuriæ noſtræ theſi. Nota, motiones illas, quibus allicitur anima ad meliorem frugem, vocari gratias Dei per Chriſtum; non quod formaliter animam Deo gratam efficiant; ſed quia ſunt auxilia, & dona Dei data gratis homini, cui Chriſtus illa Paſſione ſua meruit. Etenim beneficus hic Redemptor meruit hominibus ea omnia, quæ conducunt ad id, propter quod carnem induit, & paſſus eſt. At redemptionis humanæ omne negotium confectum eſt, vt homo reſurgeret à peccato redux ad gratiam, & demum fieret compos gloriæ æternæ. Quia igitur omnia bona opera edita ab homine, cum aliquali modo diſponunt ad remiſſionem peccatorum, vt videre eſt ex Daniele ſuadente Regi nequam, vt redimeret eleemoſynis peccata ſua: profectò citra dubium eſt, hos omnes animæ impetus, quibus vrgetur ad virtutum praxim, aut aſſurgit ad ſupernam aliquam notitiam, eſſe gratias Dei per Chriſtum; illi animæ cœlitus erogatas. Ne tamen alicui gratiæ nomen imponat, illud eſt ſedulò recolendum, omnia dona corporis, & animæ, quæ fluunt ab hominis eſſentia, vt aptitudo ad ſcientias capeſſendas, & ſenſuum corporis indoles expedita, poſſe dici gratias Dei, ſed non eo ſenſu, quo de gratia per Chriſtum proximè perorau. Illa nimirum omnis naturæ ſuppellex non ſufficit per ſe Deo conciliando homini, qui delirus genio indulſit, & ab hoc rerum omnium domino deuiauit.

Omnia dona corporis & animæ quomodo dici queunt gratiæ.

Pelagius pertæſus hanc hominum inopiam, hoc ſibi negotium indixit, vt homini ſingulare penu affingeret, vnde ſibi gloriam æternam aſſereret, aliis vſquequaque gazis gratiarum Dei penitus illibatis. Impius hic deſertor aiebat hominem ſolius naturæ obſequio, ſe aptare poſſe ad gloriam æternam. Non ibat inficias homo

ſacrilegus, motiones diuinas eſſe vtiles ad aſſequendum finem illum facilius; ſed negabat, eſſe homini neceſſaria talia auxilia, cùm natura ſufficeret (vt putabat) ad præſtanda ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſuprema Dei præmia comparanda. Deo ſanè fuit iniuria, ac proinde blaſphema illa Pelagij ſententia, cuius meminit Auguſtinus. Hoc Pelagij lethale virus ebiberunt alij homines hoc iniquo patre ſati. Hi dicti fuere Semipelagiani, quia partim concordabant, & partim ab eo diſſidebant. A Pelagio diſcordant in eo, quòd affirmant neceſſariam gratiam actualem ad promerendam de condigno vitam æternam. Pelagio tamen conueniunt in hoc, quòd credunt, talia auxilia, à Deo concedi intuitu boni alicuius operis, editi ſolius naturæ viribus. Hos hæreticos dubiam facientes hominum inopiam refellam ſatis ſuperque, probans motiones, quæ conducunt ad gratiam, & gloriam, eſſe à gratia Dei actuali, quæ eſt toto cœlo diſſita à concurſu illo generali, quem rebus etiam inanimis Deus exhibet, vt ſuas actiones exerant, qualis eſt cooperatio Dei cum igne comburente, & lapide deorſum inclinante.

Pelagij error in quo ſitus.

Semi-Pelagianorum error qualis.

Eſſe motiones illas à ſpeciali auxilio, & concurſu Dei, inde liquet, quod nemo ad bonum amplectendum fertur, quin aliqua boni cogitatio præluſerit. Ergo cùm omnis notitia practica boni ſit à Deo, & non à natura ſolùm; impetus ille voluntatis percitæ ad amplexum boni erit ab eo, qui menti deſuper illuxit. Tota namque notitia naturalis petitur à ſenſibus, qui vt corporei ſunt, plerumque animæ imponunt, capti ſuis illecebris, quarum dum ſpecies affricant animæ, illa velut hallucinans in delectu boni miſerè dementatur. Et quia natura à Deo deuia prona eſt in malum; ſolo ſenſuum obſequio nequit homo aſſurgere ad audendum aliquod virtutis emeritæ facinus, atque ita homo eſt indigus alicuius auxilij, quo vt obſtetrice queat bona opera parturire. Quippe nequit natura imbellis, ſeipſa ſuas ruinas reparare ſicut par eſt: quotidiano namque patet experimento, nihil omnino nobis ſuggeri à ſenſibus præter corporea, in quę incurrunt ſenſus: & tantùm abeſt, vt anima ſubſidium inde petat ad virtutum praxim; quinimò patet, eam obſtringi multis diſpendiis. Vnde palam eſt, animam ſi quando enititur ad opera ardua, & ſenſibus inimica, aliunde moueri, quàm à natura, cuius ingenium eſt ſenſuum obſequio mancipari. Omnes namque animæ facultates ſunt in ordine naturali, quo concluſæ vt cancellis, nequeunt proprio Marte aliò tranſilire. Si ergo anima meditatur aliquod egregium facinus, & ſe accingit ad edendum ſpecimen aliquod virtutis heroïcæ; profectò diuino percellitur œſtro. Imò doctor Angelicus, Theologorum apex inclytus ait, bonum virtutis politicæ eſſe quidem commenſuratum humanæ naturæ, ideòque poſſe voluntatem ferri in tale bonum, ſine gratia gratum faciente; indigere tamen auxilio gratiæ actualis. Idem ſanctus ſuſpicatur, Ariſtotelem conſcium infirmitatis hominum circa virtutum praxim, ſubodoratum fuiſſe, hominem indigere aliquo auxilio deforis illato, vt opus aliquod optimum auſpicetur. Sic Ariſtoteles. *Initium bonæ conſultationis eſt à bona fortuna.* Id eſt, à Deo ingerente, ſcilicet vel per ſe, vel per Angelos, vel per res externas prouidentia ſua vt par eſt aptatas, bonas cogitationes in animam. Ita S. Thomas explicat effatum Philoſophi, gratiam actualem bonæ fortunæ nomine recenſentis.

Homo ſine gratia Dei nihil omnino poteſt boni facere.

D. Thom. 2. 2. q. 136. a. 3. ad 2.

Ariſtot. l. 7. Moral. ad Eudem. c. 18.

Concordant Patres, nec vllus eorum vnquam dubium fecit ortum illarum motionum, quibus anima ſe accingit ad bonum aliquod opus. Duo exempla traducit Auguſtinus, quæ licet ſint in genere moruto, nec directè ad beatitudinem explicitam, & formalem ſpectent; tamen ait illa fuiſſe edita Deo conſcio percellente. Primum eſt Regis Aſſueri, qui Deo conuertente cor hominis iracundi, factus eſt propitius Reginæ Eſther paſſæ deliquium ob terrorem, quem illa conceperat obuiam facta Regi, cuius atrox, atque minax aſpectus odia referebat. Ita Auguſtinus. *Intelligendum, atque fatendum, non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Alterum exemplum eſt Polemonis dyſcoli adoleſcentis, qui audito Xenocrate ſe recepit in meliorem frugem. Sic Auguſtinus. *Xenocrates Polemonem de fruge temperantiæ diſputando, non ſolùm ebrioſum, verùm etiam tunc ebrium ad mores alios conuertit. Quamquam ergo ille non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipſum quidem quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed diuino.* Si ergo fuit hæc motio diuina ſollicitans tantùm hominem ad virtutes naturæ conſonas: vnde putas fore motus, qui animam excitant ad fidei, & charitatis actus ſuperioris ordinis exerendos. Pergit Auguſtinus in recenſendo Polemonis actu. *Polemo*, inquit, *ſi ex luxurioſo continens factus ita ſciret, cuius eſſet donum hoc, vt abiectis ſuperſtitionibus gentium, eum piè coleret; non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret, quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuram immortalitatem valeret.* Hactenus acer ille Dei gratiæ propugnator.

Bonæ actiones morales indigent gratia actuali.

Ex SS. Patribvs.

Auguſt. lib. de gratia, c. 24.

Idem epiſt. 130.

Polemon adoleſcens quomodo conuerſus.

Hos impetus, quorum obſequio fit anima ſanctior, aut ſe expedit à laqueis diabolo inſidiante prætenſis, eſſe à Deo, Chriſtus ipſe liquidò ſubindicat; monens, iugi oratione petendum eſſe à Deo, ne nos inducat in tentationem, quod fit Deo deuegante motiones congruas ad cauendas omnes techinas Angeli deſertoris. Si namque ſuis anima viribus poſſet declinare malum, oratio illa foret incongrua, quam Chriſtus voluit eſſe precum omnium typum. Auguſtinum accipe denuo reuocatum. Sic ille. *An & iſta irriſoria petitio eſt, cùm ab eo petitur, quod ſcitur ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in hominis poteſtate? ſicut irriſoria eſt etiam illa gratiarum actio, ſi ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipſe, nec fecit.* Rurſus alibi decurrens eamdem hanc aleam, ſibi conſtans hæc ſubiicit. *Prorſus non oramus Deum, ſed orare fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus facere quod oramus: prorſus non agimus gratias Deo, ſed agere fingimus, ſi vnde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.* Præterea ſi penes hominem eſſet Deo inconſulto grandia audere; Chriſtus inſtante Paſſione ſua præſcius defectionis Apoſtolorum, non eos præmonuiſſet, vt vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationem: quid namque foret opus animæ precibus, ſi ei totum, quo valere poteſt, de proprio penu conſtat. Eò ſpectant hæc verba luculenta Proſperi Aquitanici. *Si* (inquit) *de vigilando tantùm, non etiam de orando*

Oratio Dominica quare inſtituta.

Gratiæ Dei neceſſitas probatur.

Auguſt. lib. de bono perſeuer. c. 2.

Idem, epiſt. 107.

Proſper. l. 2. de vocat. Gent. c. 28.

orando ſuos diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus: ſed cum addidit, & orate, ſatis docuit ſuperus futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Nec aliunde manat ille frequens orationum vſus in Eccleſia, quàm ex mente conſcia ſuæ impotentiæ, ad opus optimum exerendum. Alioquin delira foret illa crebro orandi conſuetudo, ſi quiſque ſua poſſet induſtria illud quod impensè à Chriſto Domino indigus emendicat. Ita

Aug. lib. de nat. & grat. c. 18.

Auguſtinus. *Quid ſtultius, quam orare vt facias, quod in poteſtate habeas.*

Ex Medicina.

Fernel. lib. 7. Pathol. c. 1.

Morbus quid ſit.

In deſcribenda hominum infirmitate latus ſeſe aperit campus, quem inconſulta Medicinà nemo poteſt decurrere. Vt ergo decumbentis animæ ſortem miſerandam explicare queam, hanc ego demonſtrabo notis ab infirmo corpore mendicatis. Ex concordi placito medicorum: Morbus eſt affectus contra naturam corpori inſidens. Græci affectum illum διάθεσιν vocant. Affectus autem omnis mutatione quadam motúque facto induci gignique ſolet. Cùm verò cauſa præter naturam efficiens, obiectum corpus immutat, eique vim infert, aliquid ea quidem efficit, hicque motus eius effectio dicitur, Græcis ἐνέργεια: obiectum corpus patitur, & afficitur; ille motus eius affectio eſt, atque perpeſſio, Græcis πάθος vel πάθημα. Tandem ex affectione proficiſcitur effectus, qui, Græcis eſt διάθεσις, quaſi impreſſum affectionis veſtigium. Sublata cauſa protinus omnis eius ceſſat effectio, ceſſat & patientis corporis affectio. At genitus affectus interdum manet, ac perſiſtit, manifeſtè ab affectione ſeiunctus: eiuſmodi eſt vlcus à candente ferro corpori inuſtum, aut vulnus inflictum gladio. Aliàs minimùm ſubſiſtit, nec certè permanet, ſed ſeiuncta cauſa, aut pariter cum affectione aut quàm mox deletur: ſic putrida febris, quæ calor eſt præter naturam omnes corporis partes occupans, vacuato humore putrido, qui eius efficiens eſt cauſa, nihil aut parum ſubſiſtit, ſed eum cauſa ſimul protinus euaneſcit.

Ex præfatis tria hæc, affectus, effectio, & affectio, eſto quidem ſint contra naturam hominis ſani; non idcirco tamen, eadem morbi nomenclatura ſonant: quidquid namque malè afficitur, non ægrotat. Etenim ſimplices affectiones contra naturam ſunt, & corpus variè fatigant; morbi tamen idcirco non ſunt, ſed ſymptomata tantùm, quia non in affectuum genere recenſentur. Illa luculenta morbi deſcriptio pertinet & ad iniquum animæ ſtatum, quem Adami vitio ſortita eſt. Nimirum homines Adamo infirmo patre ſati, contraxere labem, in quam ille delirus homo prior ſe damnauit. Itaque Chriſto, & Deipara exceptis, contagione patris malè affecti ſauciata tota ſoboles ægrotauit. Indulgente Deo ſortitus homo ſanam corporis & animæ ſortem editus eſt in ſtatu naturæ integræ; ſed diabolo ſuadente, ſui immemor effectus, inconceſſa petens, vtpote typho tumens ſuperbiæ, gratiæ iacturam paſſus eſt, penes quam ſumma fuit ſanitatis animæ dum valuit, peccati neſcia perpetrari.

Qua verò ratione ſanus homo ſua conſtitutione miſer exciderit, & quænam partes in illo deliquium ſint paſſæ, Medicina ſuas prætendendo faces aperiet. Sic illa ſolers diſciplina ſua pangit oracula circa malè affecti corporis argumentum. Quicquid in nobis conſiſtit, aut corporis pars

Morborũ ſedes qualis ſit.

eſt, aut in illa certè continetur. Partem dico, quæ ex ſolida ſubſtantia, & carniformi, atque ex innato ſpiritu, in quo natiuus calor, & facultas ineſt, conſtituitur. In corpore autem continentur ſpiritus vagi, & diffluentes, ſanguis, humores, & excrementa. Quin etiam præter partes, & contenta; functiones quoque exiſtunt ex iis profectæ. Horum cuiuſque vitium, & de ſtatu naturali deceſſio, affectus eſt, conſtitutio præter naturam. Quod autem in contentis eſt vitium, morbi cauſa eſt; quod in partibus morbus; quod in functionibus, ſymptoma. Cùm enim corporis pars ſola primùm, & per ſe functionum ſit opifex; eius duntaxat integritas, & firma conſtitutio functiones perficit, & ſanitas eſt: infirma verò, atque vitioſa primùm, & per ſe functiones euertit, hæcque ſola morbus cenſetur. Partis appellatione, & ſimilarem, & organicam complectitur, atque in organo tum pars præcipua, tum aliæ quæ vſum illi præbent continentur, vt non ſolùm qui in cryſtallino humore, verùm etiam, qui in alia quauis oculi parte contra naturam affectus ineſt, morbus habeatur. Cùm enim cryſtallino partes cæteræ ſubſidio veniant, & ad videndi functionem magnum vſum afferant, earum affectus primùm ac per ſe viſionem peruertet, quæ non ſolùm cryſtallini humoris, ſed totius eſt oculi. Quocirca omnis partis ſiue principem ea functionem edat, ſiue duntaxat opituletur, affectus contra naturam, morbus eſt. At verò contentorum, vt ſpirituum, vt humorum, & ſuperuacaneorum affectus, etiamſi contra naturam ſint, morbos non dicimus; quandoquidem in partis ſubſtantia non inhærent.

Morborum cauſæ quales.

Morbi animæ quomodo contrahantur.

Tria hæc præfata locum ſuum ſortiuntur in anima: namque ſuas habet illa partes, ſuos & ſpiritus, atque functiones. Principes animæ partes ſunt intellectus, voluntas, atque memoria harum partium obſequio functiones ſuas exerit anima, cuius & contenta ſunt habitus ſiue boni, ſiue mali, prauis actibus acquiſiti. Hi ſcilicet habitus dum praui ſunt principes animæ partes malè afficiunt: nam errore cæcutit intellectus; voluptate voluntas allicitur, & deuia malo adhæret; memoria verò ſpecies verſando mali cui voluntas obſequitur, corrumpit animam noxia recolendo. Itaque morbi cadunt in animæ potentias, quæ labefactatæ iacent ægræ. Hallucinans intellectus imponit voluntati, quæ deuians à congruo obiecto malum inſequitur, proinde malum ſic hominem efficiens. Illa quippe voluntatis eſt indoles, vt afficiet animæ mala quæ deperit, iuxta vetus Auguſtini effatum. Non faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores. Anima ergo iacet ægra, cuius partes malè habent, eòque mali labes excreuit, vt ſit ille ratus, qui non iaceat in humanis. Hoc abundè liquet ex deliquio Sponſæ Canticorum, quæ eſto typus ſit animæ ſanctiſſimæ, ac proinde ſanæ mentis, attamen infirmitatis ſuæ non obſcura dedit querulis vocibus argumenta. Quaſi verò foret illa breui in paralyſim diſſoluenda mœret, ſeque trahi ſupplex efflagitat, ita refundendo bonas motiones omnes in gratiam Dei actualem. Vnde patet neminem planè excipi ab eo Dei influxu, quanta licet emineat animæ ſanctitate. Quamuis enim gratiâ habituali præpotens ſit anima Deo grata; illa tamen aliis indiget auxiliis, vt actiones expediat virtutis emeritę, & ordinis,

Gratia actualis etiã neceſſaria Sanctis.

ſupernaturalis.

ſupernaturalis. Licet enim vegetior ſit anima inſtructa ſupellectile gratiæ; eſt tamen indiga motionis, qua trahitur ad ſuperna, vt in præfata patet ſponſa Canticorum, quæ vult cœlo influente trahi, vt inſiſtendo ſui ſponſi veſtigiis, ei currendo queat iugiter adhærere.

Ex SS. Patribus.

Bernard ſerm. 21. in Cantic.

Audiendus in eo themate Bernardus, vtpote egregiè commentatus. Sic ille. *Sponſa ne ergo neceſſe habet trahi, & hoc poſt ſponſum? Quaſi verò inuita eum, & non libens ſequatur. Sed non omnis, qui trahitur, inuitus trahitur. Nec enim infirmum, aut debilem, eum videlicet, qui per ſe ire non valet, trahi ad balneum, vel prandium piget. Denique trahi vult, qui & hoc rogat. Non autem hoc rogaret, ſi ſequi per ſeipſam dilectum prout vellet valeret. Vt quid verò non valet? An infirmam fateamur & ſponſam? Si vna quæuis ex adoleſcentulis infirmam ſe diceret, & peteret trahi, nequaquam miraremur. At verò de ſponſa quæ trahere & alios, vtpote fortis, & perfecta, poſſe ſufficere videbatur, cui non durum ſonet, quod & ipſa trahi tanquam infirma, vel debilis neceſſe habeat? De quanam anima iam confidimus, quod valida ſis, & ſana, ſi illam infirmam dici conſenſerimus, quæ pro ſui ſingulari perfectione, & excellentiori virtute ſponſa Domini nominatur? Quantæuis perfectionis anima, quamdiu quidem gemit ſub corpore mortis huius, & huius ſæculi nequam retinetur incluſa carcere, vincta neceſſitatibus, torta ſceleribus, lentius, ſegniúſque aſſurgat neceſſe eſt ad contemplanda ſublimia, nec omnino liberum habeat ſequi ſponſum quocumque ierit. Hinc lacrymoſa vox illa gementis.* Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis? Hinc ſupplex illa precatio: Educ de corpore animam meam. Dicat proinde, dicat cum gemitu etiam ſponſa:* Sap. 9. *Trahe me poſt te, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Poſtulat ergo, vt conuerſationis illius valeat veſtigia ſequi, vt poſſit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere diſciplinam. In his quippe maximè eſt opus adiutorio, quo valeat abnegare ſemetipſam, & tollere crucem ſuam, & ſic ſequi Chriſtum. Hic prorſus trahi neceſſe habet ſponſa, nec ſanè trahi ab alio, quàm ab eo ipſo, qui ait: Sine me nihil poteſtis facere.* Hinc Bernardus equidem ſæpe ſæpius expertus, quàm opportunè Dei œſtro acta anima moueatur.

Corporis ſarcina eſt grauis animæ.

Anima quare ægrotet.

Animæ facultates potiſſimas, quas dixi principes animæ partes, infirmas eſſe, & ægrè ſua obire munia, res eſt in confeſſo, & miſeranda, cuiuſque noſtrum experimento vernaculo. Si nimirum vnuſquiſque ſeipſum conueniat, inueniet intellectum ſpiſſa caligine offuſum, ac proinde errori obnoxium. Erubeſcet & voluntatem obſcœnis, & pudendis omnino obiectis anxiè proritari. Denique cùm anima facultatum obſequio ſe accingat operi, hoc vnum eſt ratum, videlicet potentias animæ infirmas, ipſam etiam animam per conſenſum trahere conſcium ærumnarum, quas abſque Dei actuali influxu nequeunt homines eluctari. Conſulendus iterum eſt Bernardus. *Deus trinus, hoc eſt, bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis. Primum profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, ſibi per conſenſum iungit; miniſtrando & conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum internus opifex innoteſcit. A Deo ergo ſine dubio, noſtra fit ſalutis exordium, nec per nos, vtique, nec nobiſcum. Verùm conſenſus, & opus, etſi non ex nobis, nunquam tamen ſine nobis. Cauendum ergo, ne cùm hæc inuiſibiliter intra nos, ac nobiſcum agitari ſentimus; aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt; aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt; ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum; ſanat cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; ſeruat, ne ſentiat defectum.*

Gratia Dei quomodo nobiſcum concurrat.

Bernard. tract. de grat.

Gratiæ Dei progreſſus in anima.

Etſi, prior anima confixa ſit lethali ſpiculo noxæ; illa tamen haudquaquam ægra fuit ſola: quippe tota compages corporis, & animæ hac præfata mali labe corrupta eſt: ſicque miſer homo fuit omnibus vſquequaque malis obnoxius, vt diſertè probat tantæ labis conſcius Auguſtinus. *Quid ego,* inquit, *Abyſſus tenebrarum, terra miſeriæ, filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, viuens in miſeria, moriturus in angustiis. Heu miſer, quid ſum? Heu quid futurus ſum? Vas ſterquilinij, concha putredinis, plenus fœtore, & horrore: cæcus, pauper, nudus, pluribus neceſſitatibus ſubditus, ignorans introitum, & exitum meum, miſer, & mortalis. Cuius dies ſicut vmbra prætereunt, cuius vita ſicut vmbra lunatica euaneſcit, ſicut flos in arbore creſcit, & ſtatim marceſcit, nunc floret, & ſtatim aret. Vita, inquam, mea, vita fragilis, vita caduca; vita quæ quantò magis creſcit, tantò magis decreſcit; quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit. Vita fallax, & vmbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, ſtatim triſtor; nunc vigeo, iam infirmor; nunc viuo, ſtatim morior; nunc felix appareo, ſemper miſer; nunc rideo, iam fleo; ſicque omnia mutabilitati ſubiacent, vt nihil vna hora, in vno ſtatu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat: ſubſequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus; hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit; hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo. Illum perimit flammis, alium dentibus beſtiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit; alterum tantùm repentino terrore, miſeram vitam finire compellit. Et nunc ſuper hæc omnia magna miſeria, cùm nihil ſit certius morte; ignorat tamen homo finem ſuum,* Hactenus Auguſtinus.

Auguſt. lib. Solil. c. 2.

Hominis miſeriæ quàm ſint multiplices.

Hominis inconſtantia.

Ex Iure Canonico.

In argumento infirmitatis, & penuriæ noſtræ non ſunt prætereundi Canones ſacri, quorum doctrina concolor eſt præfatis à me, cùm dixi nos indigere gratia actuali, quæ noſtræ conſulat egeſtati. Ita Concilium Tridentinum. *Si quis dixerit, ad hoc ſolùm diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, vt facilius homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium, ſine gratia vtrumque, ſed ægrè tamen, & difficulter poſſit, anathema ſit.* Concinit & Concilium II. Arauſicanum hoc Canone. *Nemo ab vlla miſeria liberatur, quem miſericordia Dei non præuenerit.* Quaſi diceret, neminem ſeſe expedire à noxa ſine actuali gratia, quam diuinæ motionis nomine nuncupamus. Conſonant & Concilia alia, vt Mileuitanum, Africanum, & Carthaginenſe, cuius, id eſt, Carthaginenſis decreta probans Innocentius Papa Patribus Concilij hæc reſcripſit. *Deus quotidiana præſtat beneficia,*

Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 2.

Concil. II. Arauſ. can. 14. & 18.

Conc. Mileuit. can. 5.

Conc. Afric. can. 80.

quibus

Innoc. Papa apud Auguſtin. epiſt. 91.

quibus niſi freti nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo non adiuuante vincamur.

EST FREQVENTANDA PIE Euchariſtia, vtpote quæ conſulit omnibus hominum anguſtiis.

§. V.

EX HISTORIA, EX SYMBOLIS, ET SS. PATRIBVS.

PRouida Dei cura, rerum, quas edidit ita malis omnibus obuiam iuit, vt ſingulis quibuſque malis obiecerit opportuna bona, quibus cederent ipſa mala. Eo ſpectat illud oraculum Ieſu Siracidæ. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo, & duo, & vnum contra vnum.* Non in phyſicis tantùm valet illud eloquium, ſed & in moralibus veritati litat; meminit namque virum iuſtum, cui & opponit hominem nequam. Cùm ergo cura animarum ſit potior Deo, quàm corporum; & corporibus medendis inueniatur remedium, cui nomen panchymagogum, cuius ea vis eſt, vt humores omnes noxij repurgentur; profectò fuit animæ fractæ pleriſque malis etiam pharmaco congruo conſulendum. Illud eſt Euchariſtiæ panis, qui ſuæ virtutis habet idoneum in manna typum: quippe panis ille Hebræis è cœlo datus, vt ad edentium arbitrium referebat ſaporem eſcæ, cuius appetitus irrepſerat; ita panis Chriſti pro cuiuſque animæ ægrotatis obſequio, virtutes ingerit idoneas ad vitia quæ animã malè afficiunt funditus extirpanda.

Eccleſ. 33.

Euchariſtia valet contra omnia vitia.

Eſſe pani illi ſacro vim diuinam contra hoſtes animæ conſtat ex figura panis huius, ſcilicet ex arca Dei, cuius aluo fuit manna reconditum. Primò Dei arca, Deum Azoti Dagon è ſua ſede pulit, capite, manibus, & pedibus amputatis. Qua verò ratione viros Azotios, & alios Hebræorum hoſtes malè habuerit, abundè liquet ex contextu ſacro, cuius ecce tenor. *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demoliuit eſt eos, &c. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate. Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Iſrael apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum, &c. Circumduxerunt arcam Dei Iſrael. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magna nimis, & percutiebat viros vniuſcuiuſque vrbis à paruo vſque ad maiorem, & computreſcebant prominentes extales eorum.* Hactenus ille ſacer textus typicè referens virtutem Euchariſtiæ, quæ frequentata ſicut decet ab anima reduce & contrita, valet ad vitia omnia profliganda.

1. Reg. 5.

Arcæ Dei mira virtus contra hoſtes Dei.

EX HISTORIA.

Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 1.

In eo argumento libet referre Auguſtinum, qui vt adoleſcens genio indulſerat, ſeſe vitiorum omnium ſpecimen effecerat; ſed vbi ſalutaribus aquis diluit in baptiſmo ſcelus, & ſacro pane refectus eſt, ab omni ferè vitio liberatus, ad virtutes æmulas aſſurrexit. Hinc iubilus ille aliàs inſonuit. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea & omnia oſſa mea dicant: Domine quis ſimilis tibi? Dicant, & reſponde mihi, & dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Quis igitur ego, & qualis ego? Quid non mali ego, aut facta mea, aut ſi non facta, dicta mea, aut ſi non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus, & miſericors, & dextera tua reſpiciens profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyſſum corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebas, & velle quod nolebas. Sed vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo altóque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui ſarcinæ tuæ, Chriſte Ieſu adiutor meus, & redemptor meus? Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas; eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni, & ſanguini; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior; omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & ſaluti meæ Domino meo.*

Auguſtinus quare cito ſenſit in ſe vitiorũ fornacem extinctam.

Eſt & in hoc genere locuples hiſtoria fidem faciens, & valere panem illum contra corporis pericula. Referre libet verba Nicephori auctoris minimè pœnitendi. *Eſt*, inquit, *conſuetudo vrbi Conſtantinopoli, vt cùm pluſculum de partibus immaculati diuinique corporis Domini, & Dei ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti reliquum eſſet, ſacerdotes pueros ἀφθόρους incorruptos, ex iis qui ad præceptores in ludum literarum eunt, accerſerent, qui ieiuni reliquias eas ederent. Accidit vt filius Iudæi inter alios ex ſchola rediens ex his acceperit, & patri vitrario more cauſam reddens expoſuerit. Percitus ira Iudæus in furnum vitrorum ardentem miſit, & clauſit vt combureretur: poſtea cùm quæreretur à matre redeunte de ciuitate, per tres dies illa exquirente à patre cum lacrymis: filius matrem audiens ex fornace reſpondit. Qua aperta inuentus eſt inter ignes illæſus; vnde eductus, ad Iuſtinianum ductus, cum matre Chriſtianus eſt factus.* Huic puero reuerà fuit panis ille vitæ; & qui ignis potuit arcere globos ne perderent hunc infantem, poterit & vitiorum fornacem extinguere, obſtando, ne ſuccenſæ faces iræ præſertim atq; libidinis cordis intimã depaſcãtur.

Niceph. lib. 17. hiſtor. Eccl. ſiaſt. cap. 25.

Euchariſtia ſeruat incolumem puerum in fornace.

Euchariſtia quàm ſit ſalutaris.

Itaque placet homini paſto pane illo lemma datum muſtulæ, quæ rutam ore verſat, ne incurrens in ſerpentem miſerè diſpereat. Titulus hic illi apponitur. CAVTIVS VT PVGNET. Macte igitur, homo, ſume panem vitæ, CAVTIVS VT PVGNES in dæmones, & vitiorum agmina furibunda. Quàm ſit Euchariſtię armatura potens diſce Patrum oraculis. *Hic panis*, inquit Cyprianus, *omnium carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates.* Adiice Cyrilli hoc effatum. *Euchariſtia ſedat, cùm in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Concolor eſt Bernardus. *Duo*, inquit, *illud ſacramentum operatur in nobis, vt videlicet, & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tã acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo.* Itaque CAVTIVS VT PVGNES, ſæpe verſa puro ore panem, quo benè paſti homines inualeſcunt.

EX SYMBOLIS.

Ferrut in theatro ſymbol. part. 2.

Muſtelæ induſtria contra ſerpentes.

EX SS. PATRIBVS.

Cyprianus ſerm. de Cœna Domini.

Cyrillus.

Bernard. ſerm. de Baptiſmo.

HOMILIA OCTAVA.
DE EFFECTIBVS EVCHARISTIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. E*XORDIVM peto ab indole gratiæ, quæ plerumque naturam imitatur, eſto ſupra naturam ſit. Namque ſicut nuſquam natura vacat, vtpote ſollicita, ne detur vacuum in perniciem orbis Vniuerſi; ita gratia, iugiter influente Deo, ferias exoſa, nobis ſuggerit, vt aliquid ſemper ardui operis exantlemus. Cùm itaque auctor gratiæ ſit in Sacramento Euchariſtiæ, ille ſuos conuiuas arcet ab otio, ſollicitans eos ad virtutum omnium praxim, ne animæ feriante gliſcant vitia, magno eiuſdem animæ detrimento.*

II. Itaque dico prima parte iſtius homiliæ, hunc eſſe effectum Euchariſtiæ, videlicet vt eius obſequio impleatur domus Dei. Subiicio, animas, Eccleſiam, & cælum, eſſe Dei domos, quæ ſic implentur. Anima benè paſta Deo in Euchariſtia repletur gratia, dum anhelat ad perfectionem. Eccleſia virtutum odore plena fragrat ſuauiter. Denique hiantes Hierarchiæ Angelorum, ob lacunas à dæmone factas, quando cœlo pulſus eſt, beatis eò aſſumptis mentibus adimplentur.

III. Secunda parte, modos explico propitios ad hæc incrementa, dicens eſſe ritus obſeruandos, quos frequentes habuere plures olim gentes poſt epulas. In his recenſeo choreas, ſeu ſaltus, quibus accommodo ſtudium indefeſſum virtutis, qua dum excolitur, videre eſt homines ad diuina iugiter aſſurgentes. Commemoro præterea muſicam, familiarem olim poſt epulas, cui refero preces, & indefeſſas gratiarum actiones. Demum recenſeo aromata, quibus ingratus epularum nidor eluitur. Hæc eſſe dico virtutum omnium fragrantiam, cui ſacramenta litant congruè frequentata.

PRÆFATIO.

Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Luc. 14.

CОncolor eſt ſanctiorum Patrum ſenſus in themate conuiuij, quod inſtruxit Chriſtus, quando quinque panes appoſiti turbis, non ſuffecere fami tantùm ſubleuandæ, ſed hanc copioſam ſatiauere plebem, quæ ieiuna prius ſeſe ad quinque hominum millia porrigebat. Paucis ſcriba ſacer, panis huius opimi virtutem altricem expreſſit: namque recenſitâ plebis inediâ triduanâ, famem conciliante duram, & deſcriptâ panis naturâ ſatis ingratâ viris aſſuetis lautioribus eſcis (erat enim ille panis hordeaceus,) totam hanc concluſit hiſtoriam, ita fatus. *Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.* Inde videre eſt, quanta fuit in illo pane viuax, & potens virtus corpora ſaginandi. Huiuſce panis vim, atque facultatem in ſedanda fame liquet ex concordi Patrum ſuffragio, fuiſſe typum ſacri corporis Chriſti, quod in menſa Cœnæ fuit Apoſtolis expoſitum, vt hac eſca ſuæ conſulerent inediæ. Eò vergit iuſſio præfata patris-familias.

Ioan. 6.

Epulæ Dei ſuos conuiuas ſatiant.

Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Quaſi diceret: Vt eſca meam Cœnam inſtruens concludit omne penu gratiarum; ita plena facit omnia, quæ hanc Cœnam participant, non reficiendo ſolùm animas, ſed etiam implendo domum vbi Cœnæ ſalutaris inſtruitur ſeries apparatus. Quàm ſit varia plenitudo ſequens hoc ſacrum conuiuium, hæc vltima panget homilia, cuius thema ſonans omnia plena panis Chriſti obſequio, ſollicitor inde pia ſuffragia mendicare matris gratiæ: quippe illa ſibi plena, & ſuperplena nobis impertiet omnimodæ gratiæ complementum, Illa nimirum gratia plena fuit angelico dicta præconio, non ad magni nominis vmbram, aut aurium lenocinium, ſed commodo fidelium, qui Virginem hanc Deiparam verbis præfatis ab Angelo recenſerent, hoc tenore. AVE MARIA GRATIA PLENA. *Luc. 14.*

NAtura rerum, quas eſt enixa parens ſollicita, curam gerit aſſiduam, inſomnes agens excubias, ne fatiſcente mole totius vniuerſi, aliquod inane detur, aut vacuum, cuius iniuria peſſum eat hæc machina, in ſuarum partium vnione ſita: ingrueret enim periculum ruinæ, ſi hiante terra vorago illa difflueret in nihilum, ita ſalutari influxu cœli noxiè præpedito. Etenim eſto ſua aura benefica cœli ſemper afflent; illa tamen duntaxat eius obſequio gaudent, quæ compage indiſſoluta ſuum tenorem ſeruant, vt ſecus illa forent neſcia cœleſtis influxus, quæ in vacuo ſita communi rerum omnium vinculo ſoluerentur,

Gratia vt & natura odit vacuũ, & quale ſit illud.

Habet

Habet & gratia diuina ſibi vacuum oppoſitum, ſcilicet acediam, & otium: animâ ſiquidem otio torpeſcente vacat gratia, & ſiſtitur iofluxus eius, ob lacunas in quas anima ſe demittit. Quamobrem non incautè dices, otium (quod eſt vacuum quoddam, & inane) indubium conciliare pigræ animæ detrimentum.

Otium eſt animæ pernicies.

Confluunt in eo argumento adſtruendo Patres Sancti, notantes otium vt præſens animæ deliquium. Ita Auguſtinus. *Nullus fructus otij, imò magis diſpendium. Otio, ns Eſau amiſit primatus benedictionem; quia maluit cibum accipere, quàm quærere.* Hieronymus ab otij pernicie capit anſam, virtutis indefeſſæ ſtudium fortiter inculcandi. *Nihil*, inquit, *in ſancto propoſito deterius otio, quòd non ſolum non acquirit noua, ſed etiam peracta conſumit. Sancta vita ratio proceſſu gaudet, & creſcit; ceſſatione torpeſcit, & deficit. Quotidianus, ac recentibus virtutum incrementis inſtauranda mens eſt, & viuendi hoc iter non de tranſacto, ſed de reliquo metiendum.* Vt nos in otium fractos erigeret Chriſtus, & reſtitueret in integrum, ita cauit. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quaſi diceret. Natura veſtra ſuo vitio in malum prona deorſum vergit, & deuoluitur in abyſſum nihili, cui conterminum eſt otium: vt igitur inde pedem referre queat hæc natura deſes, ſatagite perfectum vſquequaque Dei ſtatum iugiter æmulari. Inde fiet vt accincti ſemper operi, non impingatis in vacuum, in quod anima delapſa ſibi non ampliùs conſtat, ſed diſſoluta præceps agitur in nihilum. Parùm equidem fuiſſet Chriſto ſuis diſcipulis ſuaſiſſe tale ſtudium perfectionis, niſi ad eam comparandam modos etiam congruos adieciſſet. In his ille modus eſt præcipuus, quem thema ſonat iſtius homiliæ, cuius penſum eſt explicare, ſacrum conuiuium Euchariſtiæ obſtare ne vacuum ſeſe in animas inſinuet. Cùm namque pater familias ſuos vrget domeſticos, vt compellant intrare inuitatos, & ſic impleatur domus, perinde eſt ac ſi diceret: Euchariſtiam obſtare ne detur vacuum, & multum conferre ad perficiendas animas inſinuando dotes, ſeu gratias, quarum influxu ſuum capit anima complementum.

Auguſt. epiſtol. ad Vercellenſes.

Otij effectus malefici.

Hieronym. epiſt. ad Demetriad.

Matth. 5.

Perfectionis ſtudium quare Chriſtus inſinuet.

Hæc igitur erit contextura concionis huius. Dicam primò, Deum tres habere domos, quæ omnes implentur beneficio Euchariſtiæ. Secundò explicabo vias, quibus acceditur ad hæc omnia complementa.

Diuiſio homiliæ.

Prima Pars Homiliæ.

EVCHARISTIAE BENEFICIO ſingulati tres Dei domus implentur.

§. I.

Ex Theologia, Medicina, Sanctis Patribvs, Historia, Ivre Canonico.

Tres ſunt Dei domus.

CÆlum, Eccleſiam, & ſingulas quaſque iuſtorum animas eſſe Dei domos, eſt in confeſſo apud omnes; ſingulas hîc perſtringam, & hoc ad amuſſim tituli prænotati. De anima locuples eſt ille locus Pauli, ita pias alloquentis animas. *Templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Eadem vox Hebræa היכל *hecal* tria ſignificat: videlicet templum, domum, & palatium. Habet Deus in cœlo palatium auro nitens, & vſquequaque lucens, gemma rutila coruſcante. Cœtus fidelium, id eſt, Eccleſia templum eſt, quod Deus illuſtrat ſua præſentia vſque ad conſummationem ſæculi. Denique anima iuſta domus Dei eſt, quam ipſe lubens inhabitat, vt Chriſto Domino auctore liquet. *Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Templum Dei anagogicè cœlum refert, allegoricè Eccleſiam ſignificat, tropologicè verò typo templi ſanctior anima lineatur.

1. Cor. 3.

Templi vox Hebræa tria ſignificat.

Templũ Dei triplex.

Ioan. 14.

Tẽplũ quid ſignificet.

Quantùm verò domus illa Dei præ aliis emineat, inferre licet ex etymo ſeu anatome dictionis Hebraicæ היכל *hecal*, quam eſſe puto ramum radicis יכול *iacol*, ita vt *he* præfixum ſit hemanticum. Vox autem illa primitiua יכול *iacol* vnde fluit היכל *hecal* perinde eſt ac potuit, ita vt dictio hemantica templum ſignificans, ſit exhibitæ in templo diuinæ teſſera poteſtatis. Namque Deum præpotentem produnt omnia, quæ pertinent ad ſtructuram templi magnifici, vt ſunt gemmæ, marmor, iaſpis, & ſupellex pretioſa domus Dei, cuſtodes, & miniſtri ſuis obſequiis templo addicti: demum prædiues omnis apparatus templi, eſt ſonorum omnipotentis Numinis argumentum. Suam abundè Deus explicat potentiam in anima, quam ſibi aptat in domum. Quippe anima corpori infuſa cedit in ius diaboli, vtpote infecta labe, quam contraxit Adam gratiâ diuinâ cadens. Cùm ergo potens ſit dæmon, qui labefactæ animæ inſedit; Deus hanc animam ſubire nequit, niſi præpolleat. Ideoque ſatis ſuperque patet, illapſum Dei in animam non fieri ſine valida virtute ipſius rerum omnium Domini præualentis. Alluſit eò Chriſtus, inſinuans, inſigne robur eſſe Dei propulſantis Angelum nequam ab anima, in quam antè durus hoſpes irrepſit. *Cum*, inquit, *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma auferet in quibus confidebat.* Arma quibus hominem impugnat hoſtis, cui nomina mille, ſunt peccata, quibus homo ſui incurius hactenus aſſueuit. In hæc arma præualere ſupra hominem eſt: nempe natura nequit ſolo Marte ſuo citra Dei influxum, ſeſe ſicut par eſt à noxiis actibus expedire. Cùm ergo ſapit homo, qui antea deſipuit; eius ad meliorem frugem conuerſio, locuples eſt indicium omnipotentiæ Dei, ſicut Deo afflata canit Eccleſia. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes.* Hac oratione duo clamat Eccleſia; primum eſt, liquere Dei omnipotentiam, quando reis parcit, aptando ſibi animas eorum in domum; alterum eſt, debere pias animas currere ad brauium gloriæ æternæ, quod perinde eſt ac dicere, oportere totis viribus incumbere virtutibus, ab earum praxi nec vna quidem morula feriando. Quippe Deus domum petit ornatam omni virtutum ſupellectile, iuxta verax pſalmi oraculum. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Quaſi diceret: Sanctitudo domus Dei nullo dierum termino concluditur;

Templum Dei potentiam notat.

Luc. 11.

Domin. 10. poſt. Pentec.

Pſal. 92.

In quo perfectio ſita ſit.

ſiquidem anima, quam Deus inhabitat virtuti ſuæ noua ſemper adiicit incrementa. Itaque diuina domus ſic impletur procul à vacuo, id eſt ab otio, à cuius torpore Deus vt homines auerteret, eos ad perfectionis ſtudium hortatus eſt prælaudatis à me iam verbis. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Eſt autem in vnoquoque noſtrum ſtudium perfectionis, impigra cura ſagaxque, ſuam animam gratiis vtique congruis adimplendi. Namque Deus hoc intendit, vt ſcilicet impleatur illa domus, quam voluit eſſe ſuæ maieſtatis ſacrarium. Et ne quando moras anima texeret in currendo; Deum Patrem in ſcopum propoſuit Chriſtus; ita quippe fiet, vt æmulando Dei ſtatum perfectum, nuſquam animus otio diſſoluatur.

Matth. 5.

Ex SS. Patribvs.

Compendioſa nobis à Chriſto ipſo via parata eſt ad hunc ſtatum, nempe ſacri corporis eius vſus in Euchariſtia, vbi panis apponitur potior illo pane, quo accepto Elias ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Horeb. Etenim ſumma vitæ defæcatæ ſita eſt, vt vni Chriſto totus animus adhæreſcat. Vt ſecus ab hoc ſcopo declinare crimen eſt iuxta verax Auguſtini effatum. *Si vis perfectus eſſe, tu qui perfectum te eſſe pollicitus es, quid aliud quam perfectam ſectatus es vitam. Perfectus autem ſeruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet, aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt, cum ſe perfecte Deo ſit pollicitus, aut mentitus eſt. Os autem, quod mentitur occidit animam* Hactenus ille aſſertor eius ſententiæ, quæ in imitatione Chriſti apicem vitæ ſtatuit illibatæ. Accedit & ratiò, hoc diſcurſu præfatæ conſona veritati. Nemo niſi influente Deo poteſt aſſurgere ad perfectionem ſibi præfixam: at contrà Deo propitio peruius eſt aditus ad hanc ſortem: ergo Deo fruens anima compos erit eius ſtatus, ad quem Deo opitulante poteſt pertingere: ſed nemo Deo propior eſt, neque magis eo fruitur in hoc ſæculo, quàm is qui eo paſcitur in Euchariſtia: igitur ille benè ſe aptat ad perfectionem, qui ſacro Chriſti corpore ſaginatur. Cùm namque Deum ſtipent agmina virtutum omnium; ille ſibi conſciſcet virtutum omnium obſequium, qui ei in Euchariſtia familiaris erit, & conuiua; ſuoque ſciet experimento, domum Dei impleri, id eſt, animas perfici, quando inuitatæ ad Cœnam Chriſti, eò confluunt, Angelorum eſcâ ſub appoſita panis ſpecie recreandæ.

Auguſt. lib. de perfectia iuſtitia.

Perfectus quiſnam ſit.

Euchariſtiæ vſus conducit ad perfectionem.

Ex Theologia.

D. T om. 3 p. q. 62. a. 1. 2.

Gratia ſacramẽtalis quid ſit

Euchariſtiam reficere conuiuantes in Cœna Chriſti, liquidò conſtat ex Theologia, docente noua incrementa dari animæ beneficio gratiæ ſacramentalis, quia hæc adiicit aliquid gratiæ donorum, & virtutum. Gratia nimirum quatenus eſt gratia, perficit eſſentiam animæ, in quantùm participat quamdam ſimilitudinem diuini eſſe. Vnde ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potentiæ; ita fluunt à gratia quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus. Ordinantur autem ſacramenta ad quoſdam ſpeciales effectus neceſſarios in vita Chriſtiana, ſicut baptiſmus ordinatur ad quamdam ſpiritalem regenerationem, qua homo moritur vitiis, fit membrum Chriſti, qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale præter actus potentiarum animæ. Par autem ratio militat in aliis ſacramentis. Ergo ſicut virtutes, & dona adiiciunt gratiæ communiter dictæ quamdam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum; ita gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium congruum ad conſequendum finem, cuius intuitu ſacramentum à Chriſto fuit primitus inſtitutum. Cùm ergo nobis ſacramentum Euchariſtiæ fuerit exhibitum per modum cibi, ſeu Cœnæ, cuius eſt proprium reficere; procul dubio panis ille ſacer, eo quo decet apparatu tranſmiſſus in animam, ſortietur eos effectus, quos eſca ſolet exercere, quando ſicut æquum eſt accepta benè digeritur. Effectus autem ille vernaculus eſt vaſorum omnium repletio germana, pro vt natura cuique parti ſanxit eſſe prouidè conſulendum.

Euchariſtiæ effectus vt eſt panis.

Quia verò corpus & anima conueniunt aliqua ratione ſuis in augmentis, ex nutritione corporis, inferre licet, quibus incrementis anima aſſurgat, paſta cibo illo, quem Chriſtus appoſuit eo præcipuè intento, vt eius eſcæ ſalutaris obſequio anima repleatur. In hoc argumento placet conſulere Medicos, ex quorum ſchola prodit Fernelius totam nutritionis hiſtoriam diſcutiens. Proximum hominis alimentum eſt ſanguis; fit autem ille viuax humor è chylo, in quem alimenti præcipua portio reſoluitur, excrementis à natura foras pulſis, vt ſit ita chylus optimè defæcatus. Ille demum tranſmiſſus humor in hepar primò rubet, & tandem altera coctione cruor efficitur. Cùm ergo iecur ſanguinis officina, atque principium ſit, ex quo tanquam è fonte alimentum defluere, & in omne corpus diffundi conueniret, vt iuſtitiæ quadam mediocritate ſanguis vnicuique parti conferretur, venas inde velut è fonte riuulos ſanguinem delaturos deduci par erat. Hæ etenim ſi defuiſſent, quæcumque iecori viciniores ſunt partes exuperantis ſanguinis copia obrutæ mergerentur: quæ verò longiore interuallo diſtant, ab hoc deſtitutæ penuria languerent, & extabeſcerent; quippe ad quas minimè permearet. Vt igitur qui hortum aliquem ſummo artificio irrigare curant, ab ipſo fonte, tubos complures magnitudine, & ſpatiis diſcretos, in omnes horti partes deducunt, ſic exiſtimantes humorem quocumque trahi commodius, & conſequi poſſe; ita profectò per venarum productiones è iecore, partes corporis omnes iuſta ſanguinis menſura perfunduntur. At non vt aqua per riuulos, ſic per venas ſanguis ſua ſponte, & impetu perlabitur; ſed is tum iecoris vi expellitur, tum à propinquis venæ partibus attrahitur, quæ deinde in alias extrudunt proximè conſequentes, ad huncque modum pellentibus quidem prioribus, trahentibus verò iis; quæ deinceps ſubſequuntur, commoda fit ſanguinis in extremas corporis partes diſtributio; nulla quidem parte, vel minima prætermiſſa.

Ex re Medica.

Fernel lib. 6. Phyſiologia, cap. 5.

Sanguinis diſtributio, quomodo fiat in corpore.

Huc non parum momenti afferunt propriæ ſingularum partium vires, quæ naturali appetitu incitatæ, id ex præterlabente ſanguine proſectant, quod ſibi tota ſubſtantia familiare eſt, atque iucundum, idque proprio venæ ductu ad ſe pertinente. Quæ inter venas media interponuntur ſpatia, quamquam ductus non habent in ſe directos, alimentum tamen ſuſcipiunt, nec præ-

Nutritio quomodo fiat.

parce,

parce, ſed potius abundanter. Illud autem alimentum halitus ſpecie per tenues occultoſque propinquarum venarum tranſitus, tum excidit, tum rapitur. Non enim ex ſolis vaſorum finibus, & oſculis verùm etiam vt auctor eſt Ariſtoteles, per quæque anguſta venarum foramina alimentum effluit, & illabitur in carnẽ, & alias particulas.

Ariſtot. l. 2. de generat. animal. cap. 4.

Diſtributionis huius non priùs finis erit, quàm in omnes corporis particulas nutrientis ſubſtantiæ qualitas perlata ſit. Appoſitus ſanguis iam hic continenter aſſiduo partium calore conuertitur, concoctione cogitur, craſſiorque fit: deinde verò coactus, parti agglutinatur, & adhæreſcit. Ad extremum verò naturæ vi, & vniuersâ partis ſubſtantiâ ita concreſcit, ita mutationem ſubit, vt ei demum perfectè & vſquequaque aſſimiletur. Hoc opere, in quo eſt nutritio ſinceta ſita, partis ſubſtantia quædam fit carnoſa. Itaque ſanguis vt primùm in puſillas partium venas adductus fuerit, ſenſim mutatione ad illarum ſubſtantiam, & temperamentum accedit, dum perfectè aſſimiletur, & ex toto expreſſam earum naturam referat, idque nutritione, quæ omnis concoctionis eſt finis, & ſumma totius functioois naturalis abſolutio. Quo circa ſanguis, qui oſſa, cartilagines, vincula, membranas, & neruos, eſt nutriturus, quodammodo in anguſtarum venarum extremitatibus iam albeſcit. Quum verò inter illarum partium fibras, atque in media ſpatia illabitur, plenius ſanè conuertitur, & quamdam partis ſimilitudinem gerit. Sic quæ in oſſium cauernulis eſt medulla, oſſis eſt proximum alimentum.

Sãguinis aſſimilatiõ cũ variis partibus corporis.

Cartilaginem mucco ſimile quiddam circumfundit; vinculis, membranis, atque neruis lentus quidam humor circumiectus conſpicitur. Tale autem eſt proximum cuiuſque alimentum, quod quidem appoſitum iam eſt; deinde verò plenius confectum calore, coactumque parti agglutinatur & adhæret, in eiuſque naturam tandem faceſcit, idque propria partis vi, & facultate, quæ propriæ aſſimilans eſt, & altrix appellatur. Hæc alia eſt in oſſe, alia in neruo, alia denique in aliis, vt ſua inſit cuique peculiaris. Simili prorſus ratione, totidemque interpoſitis mutationibus caro alitur, non modò ea, quæ muſculorum, ſed & quæ iecoris, & quæ reliquorum eſt viſcerum. Cùm enim ſanguis è venarum oſculis in carnem incidens ei apponitur, calore mutatus ſimilem parti ſubſtantiam ſumit, nec fieri poteſt, quin medio ferè mutationis tempore craſſior iam factus ei affigatur, & adhæreſcat. Cæterùm in hac multò celeriores fiunt mutationes, vt idcirco vix vllo ſenſu percipi poſſint, vixque fieri putentur. Carni enim proxima eſt ſanguinis ſubſtantia, vt proinde leui mutatione facta poſſit ali: non ſic autem oſſa, cartilagines, vincula, & membranæ, vt à quibus ſanguinis ſubſtantia longius abſceſſit. Non diſſimili ratione nutriuntur venæ, & arteriæ, quamquam proximum in ſe ſanguinem continent, quo aluntur; hunc tamen non poſſunt leui momento in ſe conuertere: ſed quæ portio tunicis proximè aſſiſtit, primùm commutata albeſcit, moxque tanquam res in anguſta foramina venæ, aut arteriæ rapitur, quibus penitus appoſita craſſiorque facta annectitur, tandemque aſſimilatur. Inde liquet quantùm ſit natura ſagax, vt eſcarum beneficio toti corpori conſulatur.

Eſto natura ſolers corpori prouiderit, non reparando ſolùm ruinas eius, ſed & implendo vaſa, quæ inedia premente forent inania: quippe replet eſca venas ſanguine, valuulas cordis ſpiritu vitali, vt & cerebri ventriculos ſpiritu animali; diuina tamen gratia oon eſt infra naturæ curas: illa namque pane conſecrato cauet, ne anima ieiuna tabem patiatur, deliquium habendo & peſſimè marceſcendo. Etenim anima paſta Deo eſt vſquequaque plena gratia, ſi comite charitate panis ille ſacer benè digeritur. Principes animæ facultates, intellectus, voluntas, & memoria, panis eiuſdem vſu benefico vegetant, ſuoſque actus exerunt, vti par eſt, nempe trahunt indoli ſuæ congruum alimentum. Perſpicacior intellectus aciem ſuam dirigit ad ſuperna, velut indigna credens hæc infima ſuo intuitu. Cùm etenim Chriſtus dixerit. *Ego ſum lux mundi.* Anima compos effecta panis vbi Chriſtus adeſt, proculdubio eſt perfuſa luce noua, ſicut inſinuat Auguſtinus. *Chriſtus inuitat: Accedite ad me, & illuminamini. Accedamus ad eum vt illuminemur, non quomodo ad eum acceſſerunt Iudæi, vt tenebrarentur. Vnde accedunt Gentes? fidem ſectando, corde inhiando, charitate currendo. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Hoc contextu vides, intellectum cui Chriſtus rutilans irradiat, non eſſe luce plenum duntaxat, ſed & influente Dei lumine coruſcare. Eſſe ſuam vnicuique lucem cœlitus acceptam Dominus ipſe clamat, ſollicitans homines vt vnuſquiſque ſuo fulgore micet. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Ioan 8.

Ex SS. PATRIBVS.

Auguſt. conc. 1. in Pſal. 33.

Anima à Deo illuminatur.

Matth. 5.

Habet & voluntas ex illapſu Dei in animas incrementa ſua: quippe calet amore Dei, cuius incendia accepit in fornace ſacræ Euchariſtiæ. Namque Deus ignis eſt conſumens, & qui Deo adhæret, vnus ſpiritus efficitur, eius animâ charitate feruidâ conflagrante. Reuocare libet Auguſtinum, conſcium amoris huius, quo feruet homo, Dei compos. *Homo, inquit, vt ſit aliquid conuertat ſe ad illum, à quo creatus eſt: Recedendo enim frigeſcit; accedendo ignеſcit, & ferueſcit; recedendo tenebreſcit; accedendo clareſcit. A quo enim habet vt ſit, apud illum habet, vt ei benè ſit. Denique filius minor, qui voluit in ſua poteſtate habere ſubſtantiam ſuam, quæ illi apud patrem optimè ſeruabatur, factus ſuæ poteſtatis profectus eſt in regionem longinquam, hæſit principi malo, porcos pauit, fame correctus eſt, qui ſaturitate ſuperbus abſceſſerat. Ergo quiſquis ita vult eſſe Deo ſimilis, vt ad illum ſtet, fortitudinemque ſuam ſicut ſcriptum eſt ad illum cuſtodiat, non ab illo recedat, ei cohærendo ſignetur, tanquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem eius, faciens quod dictum eſt: Mihi adhærere Deo bonum eſt; verè cuſtodit ſimilitudinem, & imaginem, ad quam factus eſt.* Hactenus ille.

Anima Deo vnita calet amore ſacro.

Auguſt. concione 2. in Pſal. 70.

Volonis animæ cum Deo effectus.

Memoria quoque panis huius ſancti beneficio fit ſanctior, verſando Dei miſerantis influxum in animam peccatis antea labefactam. Audiendus hîc Ambroſius, qui memorando locum iſtum Apoſtoli. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem.* Ita commentatur. *Commonitio eſt, vt memores ſint, quia miſericordiam acceperunt, & vigilent circa obſequium eius, à quo illis data eſt, per quem ex*

Rom. 12.

Ambroſ. in epiſt. ad Rom.

impiis

impiis gratis iuſtificati ſunt, ſcientes hanc eſſe hoſtiam viuam, ſanctam, & Deo acceptabilem, ſi corpora noſtra incontaminata ſeruemus, diſſimiles a ſæcularibus, qui voluptatibus ſtudent. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Nam corpora ſubiecta peccatis non viua habentur, ſed mortua; ſub deſperatione enim promiſſæ vitæ ſunt. Ad hoc enim peccatis dono Dei abluimur, vt de cætero mundam vitam agentes, Dei amorem in nos prouocemus, non irritum facientes opus gratiæ eius. Nam apud veteres ideo oblata occidebatur hoſtia, vt homines peccati causâ, mortis ſubiectos ſignificaret: nunc autem quia per donum Dei purificati ſunt homines, & à morte ſecunda liberati; viuam hoſtiam debent offerre, vt ſignum vitæ æternæ. Non enim ſicut tunc corpora pro corporibus immolantur; nunc verò non corpora, ſed vitia corporis perimenda ſunt. Nota dici hoſtiam viuentem, illam, quæ eſt vita plena ſicut erat illa cruci affixa delens omnia peccata, quibus erant obnoxij homines extinguendi. Cùm ergo viua ſit hoſtia, quam in Euchariſtia ſuſcipimus; eius etiam proprium eſt, hominem aptare ſibi in hoſtiam viuam, quando ſicut decet accedunt ad altare, viuens vbi fuit hæc hoſtia conſecrata.

Hoſtia olim cur occidebatur.

Hoſtia viuēs quæ & qualis ſit.

Non erit abs re recenſere locum Baſilij luculenter explicantis, quantùm proficiat anima Dei conſors, ei vnita panis ſacri obſequio. *Sicut*, inquit, *qui adhæret meretrici vnum corpus eſt; ita & qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt, dum & corporis purgatur vitiis, & animam in diuinæ imaginis excellentiam transfert. Sicut enim corpora communione coniugij, voluptate affectus, corruptione concubitus, per conſpirationem ad actum, vnum fiunt; ita & rationalis anima maritali conſortio ad Deum Verbum, virtute, & incorruptione, & vera tranquillitate perfruetur, vt his freta muneribus per verocem conſenſum, quo ad ſanctificationem ex eo Verbo ſibi peruenientem nititur, puriſſima fiat. Quocirca quæ Chriſto copulata eſt tanquam ſapientia, vt Verbi Dei ſponſa, ſapiens ac prudens ſit neceſſe eſt, vt omni ſtultitia & inſipientia nota, ingi diuinarum rerum meditatione longius exploſa, ſapientia cui coniuncta eſt ornetur pulchritudine, donec æternam ſapientiam ſibi penitus iungat, vnumque cum eo cui inhæſit efficiat: ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens, ac ſapientiſſima Verbi cui inhæſit coſta, atque ex homine mortali immortalis Deus; ſic, vt ille, cui coniuncta eſt, omnibus manifeſtetur. Sicut enim ſponſus eius, thronos, & dominationes deſerens, illi ratione mortalitatis adhæſit, vt vnum cum illa miſericorditer factus, ſua illam gloria, & immortalitate donaret; ita & ipſa ei, qui ſui gratiâ exuit principatus, & ſeipſum à forma Dei, ad ſerui formam per nimiam amoris vim exinaniuit, immortalitatis ratione inhærere debet. Propter hoc enim*, inquit, *relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Hactenus Baſilius.

Baſilius l. de vera virginit. Anima Deo vnita ad quā perfectionē aſſurgat.

Hæc præfata clamant, eſſe omnia plena penes eos, quos conuiuas habet Chriſtus in Cœna, cuius eſcas hîc commendo. Ait Ioannes, fuiſſe Chriſtum plenum gratiæ, & veritatis. Vt ergo ſibi ſimiles aliqua ratione ſuos efficeret conuictores, in eos ſic influit, vt eos etiam afficiat pro eorum captu illa gratiæ plenitudo. Poſſe verò talem gratiæ plenitudinem cadere in homines quoſque; docet Theologia, dum diſcernit inter gratiam ſpectatam ex parte ſui & inter gratiam ſpectatam ex parte habentis. Ex parte gratiæ dicitur eſſe plenitudo gratiæ, ex eo quòd aliquis euehitur ad apicem gratiæ, & quantum ad eſſentiam, & quantùm ad virtutem; quia ſcilicet habet gratiam tantam, quanta poteſt haberi, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus. Ad hanc gratiæ ſummam nemo planè hominum infra Chriſtum acceſſit: quippe talis gratia ſolius eſt Chriſti, qui in eo ſenſu fuit plenus gratiæ. Ex parte verò ſubiecti gratiam habentis, dicitur eſſe plenitudo gratiæ, quando quis Deo miſerante tali dignatus eſt gratia, qualem vendicare poteſt conditio eius, ſeu ſtatus, quem profitetur homo ille. Vel etiam gratiæ plenitudo poteſt attendi ſecundùm intenſionem, prout in anima eſt gratia intenſa, vſque ad terminum præfixum ei à Deo, iuxta Pauli ſententiam, *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Denique gratiæ plenitudo poteſt eſſe ſecundùm virtutem, prout ſcilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad officium in quem influxit illud gratiæ congruum incrementum. De gratia ſic accepta locus eſt locuples, quando Paulus ait. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, illuminare omnes.* Itaque gratiæ plenitudo cadit in homines, ſi ea ex parte ſubiecti habentis gratiam expendatur.

Ioan. 1.

Ex Theologia. *D. Tho. 3. part. qu. 7. art. 10.*

Gratiæ plenitudo qua ratione queat eſſe in homine.

Epheſ. 4.

Epheſ. 3.

Secunda domus Dei eſt Eccleſia, cuius habes in Propheta typum, cùm præſcius futurorum ait de coëunte toto orbe terrarum in vnitatem fidei, & cultum Chriſti. *Et mouebo omnes Gentes, & veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ.* Prima domus Dei nominata fuit Synagoga, cuius ruina fuit exordium Eccleſiæ, quæ à Propheta domus nouiſſimæ ſymbolo recenſetur. Euchariſtiæ beneficio domus iſta bonis fidelibus impletur: namque panis ille viuus edentes excolit, & in eos ſic influit, vt multiplicentur in eis gratiæ, vnde boni fiunt. Eò vergit illud Pſalmi. *A fructu frumenti vini, & olei ſui multiplicati ſunt*, Frumenti, & vini nomine deſignatur Cœna Chriſti, vt & in oleo gratia figuratur. Vt chariſmata diuina nouis donibus afficiunt animas, in quas Euchariſtia influxit; ita domus Eccleſiæ domeſticos plures, & cultiores habet, ideóque verax eſt titulus huiuſce primæ partis, dum ſacramento Euchariſtiæ maximum Eccleſiæ tribuit incrementum.

Eccleſia eſt domus Dei.

Agga. 2.

Eccleſia impletur beneficio Euchariſtiæ.

Pſal. 4.

Obſtetricatur hiſtoria, penes quam eſt ſeries temporum Eccleſiæ. Igitur illa tenax cuſtos rerum, quæ geſtæ ſunt, recenſet, Chriſtianos (adhuc Eccleſiâ in cunis) familiarem adeò habuiſſe panem ſacrum Cœnæ Chriſti, vt quotidianus eis eſſet vſus: illum quippe panem vitæ quiſque domi habebat repoſitum, ne perſecutione ſæuiente fides in aliquod deliquium incurreret. Et hæc conſuetudo, panem vitæ ſecum adſportandi, viguit vſque ad tempora Sancti Ambroſij, qui fratrem ſuum Satyrum commemorans ait, eum quando longum inibat iter habuiſſe ſecum viatici vice panem illum ſanctum, cuius vſu capit homo gratiarum omnium incrementum.

Ex Hiſtoria. *Cyprian. ſer. de lapſis.*

Euchariſtiæ vſus quotidianus olim. *Ambroſ. de obitu Satyri.*

Ille frequens vſus huiuſce panis Angelorum mutauit homines in Angelos: illo nimirum æuo fuit

fuit vegeta virtutum omnium praxis, & eſto fremens hoſtis tormentorum arietem validè intorqueret in portas Eccleſiæ; attamen caſſa fuit vis illa intorta, fide Chriſtiana ſibi conſtante, panis vitæ obſequio, cuius beneficium ſingulare fuit, quòd effuſo paſſim ſanguine Chriſtiano fides ſteterit illibata. Non ergo ſapit hyperbolen encomium illud, quod Euchariſtiæ attribuit augmentum fidelium, qui dedere manus Chriſto pertæſi ſimulachra, quibus ſeſe prius addixerant. Et quia confluxus ille frequens auxit Eccleſiam; inconcuſſa viget virtus, quam celebro, & commendo, dicens Eccleſiam, Dei domum, debere pani vitæ, quòd vſquequaque viris optimis impleatur.

Ex Ivre Canonico. *Can. Peracta. De Conſecrat. diſt. 2.* Miſſę ſingulę habuere ſuos communicātes.

Eccleſia ſancto Dei flamine acta, ſuo augmento cauit olim, dum ſanxit vt omnes, qui adſtarent Miſſæ ſuas animas reficerent illo pane, qui ſacris apponitur altaribus, notando ſecus facientes ingloriâ quandóque notâ, foras eos tanquam indeuotos turpiter extrudendo. Enitentis ex incunabulis Eccleſiæ fuiſſe ritum illum ſatis ſuperque liquet hoc Canone antiquo Papæ Anacleti. *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Hac contextura vides fluxiſſe ritum illum ab Apoſtolis, vt conſciis, Eccleſiæ incrementa fore penes Euchariſtiam mundo pectore frequentatam.

Tertia denique domus Dei eſt cœlum, quò nemo planè adultorum euehitur, ſi ei copiâ datâ panis vitæ, contempſerit accedere ad menſam, vbi hæc eſca ſalutatis apponitur: Chriſto ſiquidem aſſertore vitâ æternâ cadent omnes homines incurij huius ſacramenti, ad ſalutem omnium hominum inſtituti. Ita monet, atque minas intentat Dominus. *Ioan. 6.* *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At ſecus *Qui manducat ex hoc pane viuet in æternum.*

Ex SS. Patribvs. *Chryſ ſerm.* Cœlum repletur beatis Euchariſtiæ beneficio.

Concordant Patres, in quibus accipe Chryſologum. *Chriſtus*, inquit, *eſt panis ſatus in virgine, fermentatus in Eccleſia, ſacris illatus altaribus; perpetuam edentes ſe paſcit ad vitam.* Quaſi diceret, potiorem fructum huiuſce panis eſſe vitam æternam, ſeu cœlorum incolatum nullo tempore concludendum. Fauet Ignatius ille Martyr ſanctus, qui panem illum nuncupat φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον μὴ θανεῖν, id eſt. *Ignatius ep. ad Epheſ.* Euchariſtiæ mira elogia. *Medicamentum immortalitatis, antidotum contra mortem.* Mors, quam ſubimus nihil obſtat, quin ſit veridicus Ignatius; nemo quippe poteſt cenſeri eſſe domus cœli, quin morte præeunte vitam hanc fugacem cum vita ſibi conſtante, & cœlica commutarit. Ita Cyprianus. *Cypr. l. de mort.* *Quod interim moriamur, ad immortalitatem morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte; ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus.* Idem ille Pater liquidius adſtruit intentum meum de cœlo panis vitæ beneficio comparato. *Idem ſer. de Cœna.* *Non iam*, inquit, *ad elaborata impenſis, & arte conuiuia populi inuitantur, ſed immortalitatis alimonia datur.* Conſonat Irenæus hoc tenore. *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* *Iren. lib. 4.* Demum eſſe penes panem hunc omnigenam vitam, Cyrillus luculenter ait hoc contextu. *Cyrill. l. 4. in Ioan. c. 24.* *Spiritus eſt, qui viuificat: ſpiritum hic ipſam carnem nuncupauit, non quia naturam carnis amiſerit & in ſpiritum mutata ſit, ſed quia ſummè cum eo coniuncta, tota viuificandi vim hauſit.*

Hæc præfata probant, Euchariſtiam reparare ruinas, in quas incurrēre cœli dæmonum lapſu. *Euchariſtia homines facit immortales.* Si namque panis ille ſacer conferre poteſt vitam æternam, & vita æterna domum cœli ſibi vendicet; eſt in confeſſo, panis huius influxu, homines eo paſtos conſcios eſſe vitæ æternæ, ac proinde noua beatorum ſeſſione ſedes Angelorum, quæ vacauere, ſuum recuperare diu optatum congruum ornamentum.

Secvnda Pars Homiliæ.

Qva ratione qveat homo compos eſſe potiorum effectuum Euchariſtiæ.

Ex Antiqvitate plvrivm Nationvm, ex Sanctis Patribvs, et Symbolis.

VT præſenſit Alexander Macedo fragrantiam florum, quam afflabant inſulæ Fortunatæ; ſtatim ſe accinxit eò contendere captus ea ſuaueolentia, quam ſparabat floridus ille locus. *Alexander Macedo quare conuolarit ad inſulas Fortunatas.* Sortietur vt credo pares effectus illa prior pars homiliæ, quam decurro: vbi namque panis vitæ effectus præſciti fuerint, omnes allicient ad vſum panis huiuſce beantis animas hac eſca viuida recreatas. Ne ergò gratis & fruſtra panem hunc homines deſiderent, operæpretium eſt recenſere vias, quæ initæ panis huius animas efficiunt participes; vſurpare placet in hoc argumento locum illum Gregorij, meo ſanè intento propitium. *Greg. ho. 37. in Euang.* *Ad hæc*, inquit, *audita inardeſcit animus: iamque illic cupit aſſiſtere, vbi ſe ſperat ſine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.* Hactenus ille, cuius æmulor intentum, ſollicitans animas ad media effectibus Euchariſtiæ congrua capeſſenda.

Ex Antiqvitate plvrivm Nationvm.

Ne videar extra aleam diſcurrere inueſtigando modos participandi chariſmata, quæ conſequuntur adſtantes epulis Chriſti, recenſebo ritus inolitos priſcis olim Gentibus, poſt conuiuia publica celebrata. In his Homerus occurrit dicens, ſaltationes, & cantus fuiſſe ſolennes epularum appendices. *Hom. l. 8. odyſſ.* Saltatio olim poſt epulas frequens. Circa modum ſaltandi poſt epulas diſcordes fuere ritus. Hebræorum Rex Herodes filiam Herodiadis inductam poſt epulas ad ſaltandum impudicè gratam habuit, vnde ſubit animum non fortaſſe leuis ſuſpicio, Hebræos eo ſæculo iam in Venerem fractos, adhibuiſſe ſalaces poſt conuiuia publice ſaltatrices. *Marc. 6.* Saltatio quędam mollis. Acron, & Porphyrion interpretes Horatij tribuunt Ionibus illum mollem ſaltandi modum, *Acron. in li. Horatij. Porphyr. ib.* qui & inualuit apud Babylonios Chaldæorum turpiſſimos: hi quippe mero largiore fuſo ſui iam impotes, poſt epulas mulieres corpore obſcœno adhibuere palàm geſtientes ſaltibus impudicis. Carpit & equidem iuſtè morem illum Curtius, & hunc ego damno velut incongruum inſtituendis moribus. *Q. Curtius l. 5. de geſtis Alex.* Eſt tempeſtiua magis illa ſaltatio placita Laconibus, qui ex Quintiliano, Luciano, & Athenæo modum ſaltandi peruti- *Lacōnum ſaltatio.*

Quint. l. 1. c. 19. Lucian. l. de ſaltat. Athen. l. 13. cap. 14. Prob. Æm. in vita Epamin. Seruius lib 5. Æneid. Suet in Caſ. cap. 39. Plato l. 7. de legib. Plin. l. 7. c. 56. Apuleius l. 10. Aſin. Spart. in Hadr. Strabo. l. 10. Solin. c. 16. Pſal. 83.

lem inuenere greſſus ita ſuos componendo, motus vt bellicos hac ſaltatione ſua poſt epulas etiam ingererent, ad bellum ſua ſic corpora componentes. Vnde datum fuit laudi Epaminondæ, quòd ſaltauerit ſcitè, Probo Æmilio teſte. Huius generis fuit illa ſaltatio, quam Pyrrhicam vocant celebrem Cretenſibus, quia Pyrrhus illam in Creta compoſuit. In hac homines armati, leui flexu nunc ſe contrahendo, poſt ſaliendo, demum declinando, telis ſic vitandis milites informabant. Hanc Pyrrhicam meminere Seruius, Suetonius, Plato, Plinius, Apuleius, Pollux, Spartianus, Strabo, & Solinus.

Hunc ego conſulo Chriſtianis ſaltandi modum poſt epulas illas, quas Chriſtus inſtruxit. Ille nimirum ritus ſaltandi corpore armato ſonat, quid virile in anima paſta ſacro Chriſti corpore reſidere. Moraliter intendo, modum hunc ſaltandi conuiuas Chriſti prouocare ad ſaltus illos, quos commemorat Pſaltes Regius cùm recenſet animas Deo afflatas. Sic ille occinit. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Hos ille ſaltus liquidiùs expoſuit ibidem adijciens. *Benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.* Dum virtus vna cōparata vocat alias, tunc anima ad altiora ſalit, & nouæ virtutis in vſu ſanctior effecta ſacris epulis ita ſuos motus aptat, vt inde plures prouentus gratiæ ſortiatur. Et in hoc ſanè totus cardo rei huius vertitur. Nam nulla ferè Chriſtiani commoda referunt poſt ſumptionem Euchariſtiæ, quia nulla prorſus eos cura nouæ gratiæ ſollicitat, ſicque incaſſum pluries accedunt ad altare, ſibi potius iræ Dei maiorem vim ex incongruè ſumpto Chriſti corpore conſciſcentes. Igitur eſto nobis hoc ratum, fixumque, panem vitæ non prodeſſe ſuis epulonibus niſi ſaltent, id eſt, niſi aſſurgant ad perfectiorem ſtatum, ambiendo dotes, & gratias, quæ ſuperſunt. Alluſit eò fortè Dauid, quem Scriptura ſacra recolit, arcam fœderis reducem, atque typum Euchariſtiæ noſtræ, miris ſaltibus excepiſſe. Ecce ſacrum oraculum. *Cùm tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem, & arietem; & Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Michol eius vxor, neſcia myſterij in hac ſaltatione ſui, Regem habuit deſpectui, vt eodem contextu videre eſt. *Cùmque intraſſet arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo*, &c. *Reuerſuſque eſt Dauid, vt benediceret domui ſuæ: & egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.*

Quare non proficiant Chriſtiani, licet ſæpe accedāt ad Euchariſtiam.

Dauid quare ſaltauit ante arcam.

2. Reg. 6.

Ad hoc impudens fœminæ ſcomma Dauid minimè pertæſus eum cultum, quem fœderis arcæ ſuis ſaltibus exhibuit, ſed ſubodorans in ſaltatione ſua myſterium, in vxorem inſipientem illatam refudit iniuriam. *Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt eſſem dux ſuper populum Domini Iſraël, & Iudam, & vilior fiam plus quàm factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Conſtat ergo locum iſtum de ſaltatione Dauid ante Dei arcam myſticum quidpiam, & pertinens ad Cœnam Chriſti Domini redolere. Quod namque clamat. *Vilior fiam plùs quam factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es glorioſior apparebo.* Hoc totum ſpirat indiuiduum gloriæ æternæ conſortium cum humilitate, nouis ſi ſeſe Dei intuitu tantùm deprimat incrementis, Vnde quia virtutis obſequio anima aſſurgit, quotieſcumque nouos gradus adiicit huic virtuti, tropicè loquendo ſalit, & ante Dei arcam ſaltat, ſi peracta communione curat proficere, cumulando nouis actibus menſuram, quam præſcripſit Deus, hac virtutum praxi indefeſſa ſuis ſociis eminendo.

Humilitatis & gloriæ æternæ conſortium.

Saltando olim circuibant aras. Cœlius Rhod. l. 5. c. 3.

Itaque nemo eat inficias, in ſaltatione latere ſacrum aliquid, hoc adſtruente Dauid. Concordat & ille ritus, quem meminit Cœlius Rhodiginus dicens, olim ſaltantes aras circuire ſolitos, hac cautione primò vt à ſiniſtris dextrorſum pergerent, æmulantes ita gyrum Zodiaci, qui ab occaſu vergit ad ortum. Deinde à dextris ſiniſtrorſum acti, alios vſquequaque gyros cœli illa ſua ſaltatione typica recenſebant. Ex Philoſtrato fuit & ille ritus ſaltandi in ſacris vſitatus Indis, hac cautela, prius vt ſordes abluerent, ſicque ſuos loti ſaltus efficerent. In Inſula Delo fuit ex Luciano nefas ſine ſaltatione ſacra perficere. Roma ritus æmulata ferè Gentium omnium, ſuſpicata ſacrum aliquid ineſſe ſaltibus, eos quandoque ſuis ſacrificiis adhibuit. Ait enim Lampridius, Antoninum Cæſarem, cùm Heliogabalo ſacrum faceret, ſaltantes fœminas induxiſſe. Imperio Romano adoleſcente Numa ſacerdotes Salios inſtituit, quorum omnis diſciplina fuit circuire forum ſaliendo, bonum omen ſic precantes Vrbi: & ne quis in animum ſuum induceret aliquid in hac ſaltatione vile delitere, fuit cautum ex genere Patricio ſolo legi Salios. quibus adnumerari magnæ laudi duxere viri ſummi, vt Appius Claudius triumphalis, Scipio Africanus, Titus Veſpaſianus, & Antoninus Philoſophus potiti ſumma rerum. Hos Salios ſic nuncupatos à ſaltatione plures commemorant, quos accipe ſingulis quibuſque locis eorum margine recenſitis. In his ſunt, Liuius, Dionyſius Halicarnaſſeus, Cicero, Plinius, Plutarchus, Feſtus Pompeius, Virgilius, Ouidius, Propertius, Valerius Maximus, & Horatius, cuius illa fuit obſeruatio, videlicet in Saliorum feſto, quo maximè vigebat ſaltatio, fuiſſe cœnas opiparas, ita vt inde prouerbium emerſerit, epulas lautè inſtructas, cœnas dicere Saliares. Ecce locum Horatij.

Philoſtr. in vitâ Apollon.

Indorū ſaltus in ſacris quales.

Saltus in Delo vſitati in ſacris.

Lucian. l. de ſaltatione.

Lamprid. in vita Anton.

Saliorum dignitas magna.

Liuius. 1. Dec. l. 1. Dion. Halic. lib. 3. Cicer. l. 3. de Orat. Plin. l. 12. c. 3. Plut. in Numa. Feſtus Pomp. lib. 11. Virgil. l. 8. Æn. Ouid. l. 3. Faſt. Valer. Max. l. 1. c. 1.

Saliares cœnæ quales olim.

Horat. l. 1. Carm. Ode. 7.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erit dapibus, ſodales.

Faxit Deus, vt quotieſcumque datur nobis copia Cœnæ Chriſti, poſſit illa dici cœna Saliaris, non duntaxat quia lautè inſtructa cibis cœleſtibus, ſed à ſaltatione, quam conſulo conuiuis, id eſt, fidelibus adſcitis ad ſacrum illud conuiuium, quod nihil aut omnino parùm prodeſt eis, ſi ſaltatione crebra, id eſt, acceſſione noua gratiarum, non attendunt ſtudioſè panis vitæ in ſe commoda deriuare. Ad hos ſaltus ſuo nos exemplo vocat Chriſtus ipſe. *Dilectus ſaliens in montibus.* Eſto namque Deus eſſet, ac proinde noua non poſſet ei virtutis adiectio fieri, dum eſſet in humanis; attamen ita ſuam aptauit vitam, vt oculis hominū, quibus tantùm exteriora litant, ſapientiâ

Saltatio quænam ſit neceſſaria ad percipiendos effectus Euchariſtiæ.

Cant. 2.

ſicut

Currendum eſt ſic vt ad metam perueniatur.

ſicut & ætate creſcere videretur. Idcirco dilectum ſalire in montibus, perinde eſt ac Chriſtum in eminenti virtutum ſtadio præfixas humanæ naturæ metas virtutum omnium praxi impigra tranſilire. Apoſtolus attendens ad hos Chriſti ſaltus, ſequaces eius hortatur vt ſalrent ſeu currant, ne ſi lenta forent veſtigia, eſſet & eorum ſequela ſuo fruſtrata intento, Chriſto Domino exoſo motas ab ipſius ſaltibus abhorrentes.

Ex SS. Patribus.
Bern ſerm. de virtute obedientiæ.

Bernardus eò vergit hoc contextu. *Quid currere prodeſt, & ante metam curſu deficere? Sic currite vt comprehendatis dicit Apoſtolus. O quàm perſeueranti pede curſum ſuum perfecerat, qui dicebat: Curſum conſummaui.* Non omnes eodem tenore ſuos aptare pedes ait idem Sanctus, commemorans eos, qui concurrunt in ſtadio mandatorum. Sic ille. *In ſtadio mandatorum Dei alius benè currere incipit, & antequam ad metas veniat, deficit. Alius pigrè incipit, & poſtea ad metas velociter currit. Alius & velociter incipit, & velociter perficit. Alius pigrè incipit, & in pigritia ſua ſemper perſiſtit. Duobus iſtorum brauium debetur, ſcilicet pigrè incipienti, & poſtea velociter peruenienti. Alteri & agiliter incipienti, & velociter perueniéti.*

Idem Serm. 2. de Cœna Domini.

Currendum eſt in via Dei.
Luc. 1.
Chryſ. ſer. 9.

Sanctos omnes in via Dei ſaltaſſe, ſeu eucurriſſe Patrum eſt ſententia. Vide quo contextu ſcriba ſacer Lucas recolat parentes ſancti præcurſoris Chriſti. *Ambo* (inquit) *iuſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis.* In quem locum Chryſologus ita commentatur. *Incedentes dixit, vt eos oſtenderet cucurriſſe virtutibus, non ſteiſſe; nec remanſiſſe in itinere mandatorum, ſed ad mandatorum plenitudinem peruenisſe.* Conſonat & Gregorius Nyſſenus verſando locum illum Geneſeos. *Proficiens creſcebat Iſaac.* Nam ſubodorans ille, miros ſaltus eſſe reconditos hoc contextu, ita fatur. *Non conſiſtebat, ſed magnis ſemper ſpatiis progrediebatur. Creſcebat virtutum ſtudiis, & officiis: creſcebat iuſtitia, & pietate.* Saltare, ſeu ad ardua ſemper anhelare neceſſe eſt homini de ſalute ſua ſollicito: namque natura vitiata malo, in quod prona inclinat, ſi ſeipſum homo non excitat, eum proculdubio deſidem ad infima prouocabit. Collimat eò Caſſianus. *Neceſſe eſt* (inquit) *aut renouatus quis ſpiritu mentis ſuæ per ſingulos dies proficiat, ad ea quæ antè ſunt ſe ſemper extendens; aut ſi neglexerit, conſequens eſt vt retro redeat, atque in deterius delabatur. Neceſſe eſt enim aut virtute brachiorum torrentis alueis impetum deſecantem ad ſuperiora conſcendere aut remiſſis manibus ad præceps prono amne renecari.* Rurſus ille poſt pauca ſibi conſtans hæc ſubiicit. *Debemus ad virtutum ſtudia irremiſſa cura nos extendere, ne ceſſante profectu, confeſtim diminutio ſubſequatur: non acquiſiſſe minuiſſe eſt, quia deſinens profectus ſeu proficiendi appetitus non aberit à periculo recidendi.* Ne verò gratis hæc eum refricuiſſe putes, hac ratione vult eſſe rata quæ hactenus inculcauit. *Nulla*, inquit, *virtus poteſt immobiliter ab homine poſſideri, ſed vt parta iugiter teneatur, neceſſe eſt eam ſemper illa quâ acquiſita eſt ſedulitate atque induſtriâ cuſtodiri. Nam ex Salomone. Stillicidia eiiciunt hominem de domo ſua in die hyemali. Menſis incurtam domais comparauit, tectoque neglecto, per quam primò penetrant ad animam ſtillicidia paſſionum, quæ ſi negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & poſt hæc influunt imbres largiſſimi vitiorum, per quos in die hyemali, id eſt tempore tentationis ingruente expellitur mens de habitatione virtutum, in qua circumſpecta ſe diligentia retinens, velut in domo propria poſſeſſione requieuerat.*

Gen. 12.
Greg. Nyſ.
Caſſian. Collat. 6. c. 14.
Proficiendum eſt ſemper ne natura retrocedat.
Caſſian. ib.
Collatione 6. c. 16.
Acediæ ſunt effectus mali.
Prou. 27.

Ex Antiquitate plurium Nationum.
Galatæ, & Celtæ poſt epulas ad vulnera certabant.
Diod. Sicul. l. 2. c. 9.
Poſid. l. 25. hiſtor.
Athen. l. 4. c. 17.
Philoſtr. in vita Apoll. l. 2. c. 12.
Strabo lib. 5.
Plut. in Themiſtocle.

Ad hunc animæ profectum conducit ille ritus Galatarum, & Celtarum, quibus epulæ non detraxere vires, vt paſſim fit alibi, vbi perfuſi largiore mero ſui ſunt impotes, & imbelles: ſed potius exquiſitæ dapes inſtructæ præfatis his Gentibus benè paſtis grandiores animos adiecerunt. Etenim ex Diodoro Siculo, Poſidonio, & Athenæo, præfatis populis hiſce fuit in deliciis, in arenam deſcendere ſtatim ab epulis. Et hunc ebibêre morem Indi, quos Philoſtratus ait ſolitos, à menſa lautiore ſuas experiri vires ſingulari certamine, cum æmulis benè potis ad ſæua vſque vulnera dimicando. Campani & ab hoc non abhorruere ritu ex Strabone. Illa Deo reuera placet diſciplina ciens homines ad claſſicum poſt epulas: cùm namque vita hominum ſit militia, & vndequaque nobis ingruat bellum, & ſtrenui nos æmuli perurgeant; eſt Chriſti Cœna velut illa Leonidæ, qui à menſa ſuos conuiuas duxit ad certamen, & immortale decus, quod generoſè ſuo profuſo ſanguine meruerunt. Inde fuit Euchariſtia nuncupata panis fortium: animos quippe facit tremulis hominibus, in quos cœleſte robur influit ſtatim atque paſti fuere pane ſacro, qui proſtat in hac menſa, ſuos quæ conuiuas armat indole leonina.

Ex SS. Patribus.
Chryſ ho. 45. in Ioan.

Chryſoſtomus vt conſcius huius armaturæ memor huius menſæ ſic hortatur. *Ab hac menſa ſurgamus tanquam leones ignem ſpirantes, facti diabolo terribiles.* Sit hæc menſa velut claſſicum animos acuens, diluens acediam, & prouocans ad certamen. Recolamus inertiâ hominem ſic diſſolui, vt nequeat vltra procedere, iuxta Caſſiani ſententiam. *Negligens*, inquit, *paulatim redditur noxiis occupationibus irretitus, vt tanquam ſerpentinis ſpiris obſtrictus nunquam deinceps ad perfectionem profeſſionis antiquæ ſe valeat enodare.* Non deeſſe nobis argumenta vires noſtras explicandi, ſcitè probat idem Caſſianus, ita fatus. *Athleta Chriſti nunquam deficit colluctationum palma, ſed quantò magis triumphorum ſucceſſibus creuerit, tantò ei etiam colluctationum robuſtior ordo ſuccedit, ne pacis otio miles Chriſti teneſcens, incipiat obliuiſci colluctationum ſuarum glorioſa certamina, ac ſecuritatis inertiâ diſſolutus, præmiorum ſtipendiis, ac triumphorum meritis defraudetur.* Eſto foris non inſtaret hoſtis armatus in animæ noſtræ perniciem, attamen anima noſtra ſibi ſedulò deberet attendere, vtpote in quam inteſtinus hoſtis aſſolet arte magis callida, quàm aperto impetu deſæuire. Opportunè monet Caſſianus. *Non eſt*, inquit, *nobis aduerſarius extrinſecus formidandus: in nobiſmet ipſis hoſtis incluſus eſt, inteſtinum in nobis quotidie geritur bellum: deuicto eo, omnia quæ forinſecus ſunt redduntur infirma, ac militi Chriſtiano vniuerſa pacata erunt, & ſubdita.*

Euchariſtia nos prouocat ad certamen
Caſſian. l. 10 c. 6.
Vndique prouocamur ad bellum ſpiritale.
Caſſian. lib. 5. c. 19.
Idem. Lib. 5. c. 21.
Bellum eſt nobis inteſtinum.

Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus part. 2. Theatri ſymb.

Ne perperam ergo nobis inſtructæ ſint epulæ Chriſti, operæ-pretium eſt, æmulando ritus exoletos poſt epulas, ad certamen procedere contra truces, & peritos vitiorum cuneos, necnon & repetita virtutum praxi vſitatis olim à Sanctis ſaltibus indulgere. Vt illos induamus animos proderit vſurpare vetus hoc ſymbolum, quod meminit Ferrus, dum depingit Aquilam enitentem ſurſum, hac teſſera deſuper adſcripta. AVDE ALIQVID DIGNVM. Illa nimirum eſt

Aquilarum indoles, vt infima pertæſæ volent, præaltas quandoque nubes penna præpete tranſcendentes. Chryſoſtomus eſt meo intento propitius, ſic opportunè loquens. *Aquila in hac vita facti, ad ipſum cælum euolemus, vel potius ſupra ipſum cœlum; vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ. Corpus, Domini corpus eſt propter mortem: Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neque ad inferiora trahi, & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem iuſtitiæ intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere: Aquilarum enim, non gracculorum hæc menſa eſt. Ad eum igitur cùm feruore accedamus, & dilectione quàm vehementiſſima, ne grauius ſubeamus ſupplicium.*

Aquila quid myſticè ſignificet.
Chryſ. ho. 24. in ep. 1. ad Corinth.
Euchariſtia eſt Aquilarum non gracculorum.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.
Muſicæ laudes.
Cantus poſt epulas vbi fuere communes.
Heraclitus. Cuman. l. 1. rerum Perſicarum.
Athen. l. 22. c. 9.
Suet. in Neron. c. 20.
Homer. l. 8. & 13
Vergil. lib. 1. Æn.
Ælian. l. hiſt. 1 c 19.
Plut. in Pelopid.
Max Tyr. ſerm. 18.
Calius Rhod. lib 7. c. 9.
Leonic. lib. 3. hiſt. c 97.
Gellius lib. 13. c. 11.
Quint. lib. 1. c. 17.
Probus Æm. in Epamin.

Præfatus ſum èx Homero, ſaltus, & cantus eſſe veteres epularum appendices, cùm ergo ſatis dixerim de ſaltibus atque choris, non erit abs re recenſere melos, cui iam lautè paſti conuiuæ ſuas aures erant ſoliti demulcere. Saltus, atque modos muſicos fuiſſe res indiuiduas ſtatim ab epulis, Perſæ probant, apud quos vtrumque vigebat olim, vt auctor eſt Heraclitus Cumanus. Inualuit & ille ritus apud Abydenos, quibus à menſa ſimul canere, & ſaltare fuit delicium, vt ſcribit Athenæus. De cantu verò ſeu muſicis inſtrumentis adhibitis poſt epulas, rara fuit Gens, quæ non exempla queat ſuppeditare mihi. Nonne Roma ſui iam immemor ſub Nerone vidit ab eo citharœdos inductos ſublatis menſis? vt auctor eſt Suetonius. Nonne melos idem Græcia menſis adhibuit, teſte Alcinoo apud Homerum? Nonne & Dido Africana ſuo Æneæ placitura, ſuos adſciuit & cantores, vt aures huius Heroïs aduenæ delinirent. Sybaritæ, qui omnigeno luxu diffluxere, morem & hunc cantandi poſt lauta conuiuia habuere gratum, vt teſtes habes Ælianum, Plutarchum, Maximum Tyrium, Cælium Rhodiginum, & Leonicum. Ægyptiis etiam placuiſſe melos Gellius affirmat ſcribens, eos adſciuiſſe fides, tibias, ac ſymphonias poſt eſcarum varietate corpora ſaginata. Ne quis verò melos epulis adhibitum carperet, vt quid inglorium; Quintilianus ait, Græcos tanti feciſſe muſicam, vt apud eos iidem eſſent, muſici, vates, & ſapientes. Vnde fuit probro datum Themiſtocli, quòd poſt cœnam ex more lyrâ circumlatâ ludere, & canere recuſauit. At ſecus Epaminondas benè audiit, quòd ſtatim à menſa ſciuit muſicè, vt luculenter ait Probus Æmylius.

Hebræi muſicæ cultores in ſacris.
Numer. 10.

Demum eò gloriæ muſica aſſurrexit olim, vt fuerit piaculi vice, ſacra facere, muſicis inconſultis. Gens Hebræa Deo auctore ritum hunc habuit vt ſolennem, quem præterire nefas fuit, ſanciente lege, tubas argenteas in hos vſus eſſe penes ſacerdotes. Dauid, & Salomon fuere moris huius memores in ſacris ſolennibus, quibus vt maior conciliaretur honos, pſallebant, coëuntibus pluribus inſtrumentis. Ezechias æmulatus pietatem ſanctiorum Regum muſicam adhibuit omnigenam, vt hoc contextu ſacro liquet. *Iuſſit Ezechias vt offerrent holocauſta ſuper altare: cumque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuerſis organis, quæ Dauid Rex Iſrael præparauerat, concrepare.* Chaldæi Hebræorum viciniâ eruditi, credidere melos quidpiam adiicere poſſe ſacris. Hinc Nabuchodonoſor arbitratus ſe poſſe dementare plebem, quam conduxerat, vt ſtatuam auream quam fecerat adoraret, omne genus muſicorum eò induxit, vt perſonante terra, melos animis æquè vt auribus imponeret. En decretum quod recenſet hiſtoria. *Præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. In hora, qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex.* Gentiles etiam ſimiæ Hebræorum ſanxere, ſua ſacra hoc etiam ritu muſico celebrari. Inde effluxere tot carmina in honorem diuerſarum Gentium Deorum ab eis decantata, & pro varietate Dei variè nuncupata. Ecce celebratas hymnorum ſpecies, hypingos Dianæ, Apollini pæan & proſodia, Dionyſio dithyrambus, Cereri Iulus, Veneri eroticus, id eſt, amatorius: De his ſcripſere Plutarchus, Cœlius Rhodiginus, Cicero, Plato. Inſtituta fuit autem hæc muſica ad Heroüm, quos colebant, facta ardua celebranda. Locuples eſt auctor Virgilius hoc tenore.

Par. 20. 2. Par. 29.
Chaldæi muſicam adhibuere ſacris.
Daniel. 3.
Quint. lib. 1.
Hymnorum ſpecies quot, priſcis Gentibus.
Plut. de muſica.
Cælius Rho. l. 5. c. 3.
Cic. l. 3. de Orator.
Plato l. 4. de legib.

Tum Salij ad cantus incenſa altaria circum,
Populeis adſunt euincti tempora ramis,
Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt.

Virgil. 8. Æneid.

Vult Deus & hoc cultu ſua ſacra coli: quippe Dauid preſcia mente videns frumentum electorum fidelibus appoſitum in Cœna Chriſti, conuiuas omnes hortatur, vt laudis eximiæ penſum ſingulare Deo redderent, pro teſſera gratiarum. Sic ille. *Lauda Ieruſalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion, &c. Poſuit fines tuos pacem, & frumenti adipe ſatiat te* Hoc laudis obſequium præſcripſit Eccleſia ſacerdoti reduci ab altari: finito namque ſacro ſolet ſacerdos recitare canticum trium puerorum, ad Dei laudes egregiè perpetrata Dei ipſius opera prouocando. *Benedicite* (inquit) *omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Sacerdos accepto Chriſti pane velut impos pro beneficio tanto grates ei cōgruas rependere, conducit omnia, quæ occurrunt in cœlo & in terra, ad condignas Chriſto Deo propitio, atque benefico gratias exhibendas.

Gratiarum actiones quas Deus exigat poſt Euchariſtiā.
Pſal. 147.

EX SS. PATRIBVS.
Gratiis Deo agendis oratio opportuna.
Aug. l. med. c. 33.

In hoc argumento placet Auguſtinus ſic effuſus in Dei laudes. *Tibi ſancti, & humiles corde, tibi ſpiritus, & animæ iuſtorum, tibi omnes ſuperni ciues, & cuncti beatorum ſpirituum ordines gloriam, & honorem ſuppliciter adorantes concinunt ſine fine. Laudant te, Domine, illi ſuperni ciues magnificè. Laudat te homo magna portio creaturæ tuæ. Sed & ego peccator homuncio, deſiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore præcipuo, Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoru, & quia vir pollutus labiis ego ſum, mūda obſecro cor meum ab omni iniquinamento; ſanctifica me ſanctificator omnipotens interius, & exterius, & fac me dignum laudibus tuis.* Nota preces, quas fundimus aduoluti ſacris altaribus noſtram confitentes inopiam, vt Chriſtus eam tergat largo gratiarum influxu, eſſe melos perquàm gratum Deo; quippe decus eſt maximum, lauſque ſonora Deo, ab homine credi dicique Numen beneficum, ac proinde fide indubia precibus inuocari. Ecce Dei ipſius oraculum,

Orationes ſunt ſacrificia laudis.

Pſal. 48. lum. *Immola Deo ſacrificium laudis. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM. Alius demum ritus ſupereſt ab epulis, quem Iones inuexiſſe dicit Valerius Maximus. Ait ille fuiſſe moris huius gentis, vnguentorum adhibere fragrantiam. Et hunc luxum placuiſſe Romæ ſatis Iuuenalis inſinuat his verſibus.

Valer. Max. l.2.c.1.

——— Putere videntur
Vnguenta, atque roſa, latos niſi ſuſtinet orbes,
Grande ebur.

Iuuenal. ſat. 11.

Vnguenta poſt epulas. *Ioan.* 12. Suſpicor ex Magdalena ritum illum defluxiſſe ab Hebræis ad Græcos, & Romanos; illa namque caput Chriſti pretioſo vnguento vnxit, cùm ille diſcumberet, & eſt repleta domus odore vnguenti. Moraliter hinc docemur, poſt Euchariſtiam virtutum omnium ſpargere fragrantiam inſtar Apoſtoli, cuius eſt hoc effatum. *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Faxit Deus vt omnes præfatos hoſce ritus poſt epulas ita vitæ noſtræ aptemus ſpiritaliter, vt eos reformatis moribus æmulemur. Ita fiet vt alium proſtremò morem induamus, hunc ſcilicet, qui viguit apud Ægyptios, Græcos, & Romanos, ex Plutarcho, Virgilio, Tibullo, & Homero, ſcribentibus, olim coronatos inceſſiſſe poſt epulas. Qui namque ſicut par eſt vixerit poſt ſacras Chriſti epulas, ille coruſcanti in cœlis corona micans dignabitur, æterna gloria laureatus.

2. Cor. 3.

Plut in Anti. Virgil. lib. 3 *Æneid. Tibul. lib* 21. *Eleg.* 3. *Hom. lib.* 21. *Odyſ.*

TRACTATVS TERTIVS

DE B. V. MARIA.

IN HOC OPVSCVLO SCIENTIÆ OMNES ancillantes B. V. Mariæ ſua pendunt obſequia, quibus Virginis illibatæ Encomia illuſtrantur.

ADIECTÆ SVNT HOMILIÆ DE omnibus Feſtis B. Virginis Mariæ.

SANCTISSIMÆ MARIÆ DEI GENITRICI Reginæ Cælique, Salique, Solique.

VOTVM.

ANIMÆ deliquium paſſa eſt heroina illa Regina Saba, Intuens apparatum aulæ regiæ, cuius inſigne decus erat ſapientia Salomonis; imò ſtupens hæſit, conſiderans multiplex obſequium, quo Regem dignabantur ſerui officio diſſiti, quos tamen in Regem animus ſupplex minimè diſpeſcebat.

O MARIA AVGVSTA, Mater eius qui pluſquam Salomon eſt, ô Regina rerum, vberius eſt in te argumentum ecſtaſis & ſtuporis, ob virtutum choros tuis deuotos obſequiis. Ipſe ſcientiſſimus Salomon, ſi vidiſſet gratiarum agmen, quo ſtiparis, animi dotes, quæ te ditant, Spiritus Sancti chariſmata, quibus tu litaſti: ipſe, inquam, Rex peritus, & omnia callens, ſi tibi adſtitiſſet, velut impos ſui animo defeciſſet. Quid igitur ego Salomonis impar eloquio, te compello, ô BEATA? Quid nænias oecino tibi, cùm ſileant ora præcentorum? Dicere non cunctabor, ſpe plenus aggreſſus ſum hoc tuorum ſyntagma meritorum; arbitratus, te cui meum deſudat ingenium, cùm ſis Mater Verbi, ſuggeſturam verba luculenta ſatis, & huic tibi ſacræ conſona contexturæ. Vnigenito tuo, Verbo Dei feci ſacrum hoc volumen, ſed mihi minimè bonum erat hominem eſſe ſolum, quæſiui in te adiutorium affine Deo. Et cùm te DOMINAM dico, induo ſortem Eliezer paranymphi nuptiarum Iſaac & Rebeccæ: is æſtuans ſiti, vouit habiturum ſe in Dominam, virginem illam, quæ propinaret aquam, non homini tantùm arenti, ſed & camelis, qui æſtui, &

oneri ſuccumbebant. Præſtitit hoc Rebecca votis obſecundans; præſtò etiam fuit Eliezer in reddendo obſequio: quippe protulit inaures & armillas, quas virgini obtulit, in teſſeram dominij quod obibat. virgines ſanè omnes cælis adſcriptæ, poſſunt aliquos homines alluere, Deum demerendo multiplici prece: at etiam camelos, id eſt, omnes peccato obnoxios, pedibus tuis aduolutos abundè potare, tuæ tantùm eſt opis, ô Virgo illibata.

Ideò te Dominam meam prædico, & dico, ſacróque non inaures, & armillas, ſed cor ad affectum, linguam ad iuge præconium, & manus ad texendas de te panegyres, quia non homines tantùm iuſtos alluiſti, ſed me ſordidum pecus, ope tua dignata es, diluendo ſordes lectas in ſæculo, & detergendo næuos, quos è clauſtro tepor ingeſſit. Demum quidquid in me viget, tuis appendo tholis: nempe feciſti mihi Deum propitium, cui vt terſior obſequerer, gratiæ multiplicis hauſtæ à Deo latices infudiſti. Itaque hoc reſcripto ſciet poſtera ætas, me hoc opus texuiſſe, ne ingrati animi notas inureret altum ſilentium, méque effuſum totum in recenſionem gratiarum tuarum, quia effuſa es in me gratiis tuis exornando.

Abſit tamen vt opiner poſſe quidpiam adiici maieſtati tuæ, humanis eloquiis; hoc meæ nuſquam inſedit menti, O MARIA hominum decus. Scio Eſther reſpuiſſe mundum muliebrem, quia ſatis ſuperque ſibi ſufficiens erat, vt Regis Aſſueri animos exquiſitâ ſuâ ſpecie demulceret. Cultiore forma nites, O VIRGO SPECIOSA. Emines ipſimet Eſther, ſpecie tua & pulchritudine tua, quâ Deum inclinaſti. Eamobrem omnia aſpernaris encomia, quæ alias excolunt mentes; non adornaris mutuatitia ſuppellectile laudum, omnia plenè, vt gratiâ plenæ, ex proprio penu tibi conſtant; nitela tua fucos neſcit & pigmenta, nec aliunde tuum decus emendicas. Tamen vt Eſther non abnuit obſequium ancillarum, quæ regias veſtes colligerent, amplitudine ſua diffluentes; ita & tu, ſub Deo REGINA HOMINUM APEX, patiere famulas, quas conduxi in hoc opere, vt defluentes tuas vndequaque gratias colligant. Hæ tuæ pediſſequæ erunt ſcientiæ omnes, quæ vltrò ſupplices aduolutæ, tota ſua peritia expenſa, tibi geſtiunt ancillari.

THEOLOGIA ſcientiarum vertex, ſuum ante te demittit apicem, gloriæ ſummæ ducens inſeruire tibi, quam aſſerit eſſe affinem altiſſimæ Trinitati, vtpote filiam Patris, Filij Matrem & Sponſam Spiritus Sancti, cuius etiam igne accenſa conflagraſti. Hæc altiſſima diſciplina ſalutis humanæ eructans oracula, nuncupat te fermentum naturæ humanæ ſoſpitandæ, atque adeò gentis noſtræ, nouercante natura matrem. Demum omnia dictura paucis, illa ſcientia te omnigenæ gratiæ prædicat incrementum.

IVS OMNE CANONICVM, ſeu ſenſa Patrum procerum Eccleſiæ, à tuis ſunt partibus: hoc iure ſacro nefas eſt ſtatui vernaculo attingere rem Deo ſacram, eo edicto, ô SANCTA, & inter ſanctos mirabiliter ſancta, vt deuota diuino partui, ab omni noxæ piaculo vindiceris. Quomodo enim irreperet aliqua colluuies in Dei ſacrarium, cui totus inuigilat chariſmatum cœtus, & pro cuius foribus adſtant agmina Angelorum?

IVS CIVILE tibi vt cœlo latæ, iure poſtliminij regreſſum adiudicat eò vnde progreſſa es, ideóque exultat te in cælo Reginam primiceriam eſſe purpuratam.

PHILOSOPHIA, quæ concludit entia decem categoriis vt cancellis, videns te eſſe vltra hominum beatorum ordinem, & ſupra nouem Angelorum choros, aliquid vndecimum habet quod conſecret, ſcilicet Tranſcendentia: tranſcendis enim, ô Excelſa, omne quod eminet infra Deum, dimittunt ſe ſe culmini tuo præalta quæque, rerumque omnium tibi etiam ſummi apices inclinantur.

MATHESIS ait lineas eſſe decurtatas, quibus venatur omne quod exurgit, quod dehiſcit, & quod longè latéque diffuſum eſt. Quippe in eam aſſurgis gloriam, quæ exhaurit menſuras cuiuſuis alterius ſub Deo eminentiæ: tua eò ſe inclinauit humilitas, vt hiatus ille credatur interminus; charitas tua, vſquequaque amplexans innoxios atque ſontes, omnes latitudinis numeros emenſa ſpatiatur.

ASTRONOMIA, quæ momenta temporum diſpeſcit, & gyros cæli notat recurrentes, ſtupet in te ortum gratiæ, quæ neſcit occaſum, & ne ſtupor eius indonatam te dimittat, ô RVTILA VIRGO, Solem tibi explicat in amictum, ſtellas velut vniones aptat in coronam, & lunam in ſuppedaneum ſubiicit tibi Virgini triumphanti.

ASTROLOGIA

Astrologia ſuas omnes Planetarum ſyzigias, antitheſes, trigonos, tetragonos, exagonos, in fortunam geneſeos fauſtæ conſpirantes, fatetur eſſe infra culmen illud, ad quod euecta es, inſciis aſtris, ſed non inconſulto cœli Domino, cuius aſpectibus tuum ſchema cæli præfert ſignum Virginis aſcendentis.

Hydrographia plurium aquarum voce canora accinit tibi, Ave Maris stella. Neptunum abiurant omnia maria, & in Mariæ iurant obſequium: vt enim Deus congregationes aquarum appellauit maria; ita & congregationes aquarum te Mariam appellant & inuocant: quippe aquarum effluxus & refluxus, vitamque hominum naue vectorum tuo influxu ſæpe repetito moderaris. Ad nutum tuum miteſcunt tumentes vndæ & deſpumantes interitum hominum, qui transfretant: te annuente expirant ventorum æſtus, etſi ſpirent lethali flabro. Teſtis illa dies in æternum tibi ſacra ſub titulo victoriæ: cùm, Turcâ ad Nanpactum inſultante Chriſtianis præualida claſſe, aurâ tuâ afflante, ô Maria, & inflante turgida vela fidelium, de gente ingloria ceſſit eis victoria poſteris excolenda.

Geographia climata ſua omnia luſtrans, nullum offendit inuium tibi, ſed omnia ope tua ſtare deprehendit: etenim Deus nihil vbique terrarum gratiæ impertit, te inſciâ: imò quidquid Eccleſia orbe toto diffuſa peragit arduum, hoc fit tuis auſpiciis: Deum enim pro nobis ſedula mater vrges, atque ſollicitas; nam vix quidpiam Deo gratum exeri poteſt ab homine, te vſquequaque Virgine inconſulta.

Medicina vetula, ſua in Apollinem aſſerta refundens, matrem eius ideò cultu dignata eſt, teſte hoc verſu.

Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Sed vbi affulſiſti, ô Mater viventium, & alma parens eius, qui ſe medicum nuncupat, tibi ceſſit illicò medicina vernacula, vt impos abſtergere animæ næuos, dyſcraſiam, atoniam, cachexiam, cacopragiam: nimirum animorum euexia, eſt energia tuæ therapeutices, mentes & corpora ſoſpitantis.

Rhetorica aſſecla mendacij, ſolita eliminare veritatem ambitioſo eloquio dum in blanditias & aſſentationem ſe componit: hæc, inquam, ars in laudes effuſa loquax & garrula ſilet in argumento tuo: nam quæ ſumma ſunt encomia aliorum hominum, tibi ſunt veluti vilia crepundia, & emeritæ laudis infima rudimenta. Tamen licet elinguis ſit bracteata eloquentia, etſi inerudita locutio parturire nequeat aliquid conſonum laudi tuæ; à feſtiuo tamen præconio tuo vacare, non illi vacat; idcóque ſuas ſarcinulas dictionum conuaſare ſatagit, vt aliquid eructet pro modulo, de te nuſquam dictura ſatis, etſi loquelæ cultioris in tui gratiam omnia pigmenta & floſculos effuſura. Igitur, ô Virgo, ne reſpue Rhetoricæ conamina, ne aſpernare elegantiorum eius verborum aucupia, arrideant luxuriantia folia phraſium, nec tædeat quod hæc loquax diſciplina tingat muſæo lepore tuas panegyres: non hoc agit, vt obumbret elogia tua virentibus eloquentiæ pampinis; ſed ſcientiis omnibus tibi obſequia ſua pendentibus, ipſa etiam Rhetorica, comptioris eloquij vult tibi ſuum penu conſecrare.

Grammatica diſciplinarum omnium pediſſequa, vt & præambula, partes orationis ſubminiſtrans, in ima altaris tui crepidine ſpargit ſuos modos, & ſua tempora in teſſeram animi ſui. Sed vbi modos indicatiui, imperatiui, ſubiunctiui, & infinitiui effudit, ait ſe carere optatiuo: nihil enim tibi optari iure poteſt, quin optantis vota, re ipſa tuis meritis anteuertas, Indicandi modo nobili vtitur grammatica, cùm tuorum meritorum index ait aliis diſciplinis: Ecce Virgo fibula Deum homini nectens: Ecce in qua ſalus noſtra initiata eſt: Ecce quam beatam dicent omnes generationes. Rurſus illa tibi coniugat imperandi modum ſine modo & tempore, vt imperatrici: cúmque ſis gratiæ propè infinitæ, imperatiuo adiicis infinitiuum, ſcilicet ratione tui participij atque ſubiunctiui: quippe aliis eminens creaturis, Dei maximè particeps, non tantùm ſubiecta ei, ſed etiam es ſubiuncta: licet enim Chriſtus ſufficeret nobis, vt conſcios efficeret priſtinæ indolis innoxię; ei tamen adiecta es & ſubiuncta in hominum gratiam, tuarumque dotum amplius incrementum.

Cæterum hæ Grammaticæ orationis partes ad orationem me compellunt, vt & meas partes agam.

O Beata. Si gratus eſt iſte ſcientiarum chorus, qui tibi adſtat ad iuge obſequium, mihi vt chorago eſto propitia, cui non ſatis eſt, mea omnia feciſſe tibi ſacra; vocales etiam feci res omnes tacitas & elingues, vt occinerent tibi, ſuamque mihi præſtarent opem, ad rependendas eas grates, quibus tibi deuincior: conſului omnes diſciplinas, & illæ præſtò adfuerunt balbutienti, vt animi in te mei ſenſus abditos explicarem. Exiles ergo gratanter habe meas gratiarum actiones, O Gratia plena, neque flocci pende eos quos exantlaui niſus in gloriam tuam atque decus, O regina. Votis meis annue tibi ſacris, O Sacra parens. Nihil mei excipe ab obſequio tuo, ſed accipe totum; vt affluxu tuo terſiora, atque etiam Deo gratiora iſta hæc mei affectus in te exarata præludia, tandem perpetua cœli tripudia conſequantur.

TRACTATVS TERTIVS DE BEATA MARIA.

ARGVMENTVM.

INFICIARI Dei genitricem Mariam non eſſe infra Deum hoc eſt piaculum hæreticum: ſed vbi de hac rerum reparatrice texitur ſermo, cor non liquari magis, quàm in quouis alio themate, hoc ſapit inhumanum. Exhauritur ille omnis quo vigemus ſenſus in Dei rebus; quippe excellens ſenſibile lædit ſenſum: ſed Deipara conſona indoli noſtræ, ita ſe aptat hominum menti, vt homo in amorem eius effuſus, totus ebulliat, imò velut impos ſui totus incandeſcat. Suus cuique ſenſus ineſt, ſed me deficit omnis peritia, cùm Virginis illibatæ meditor encomia. Deus mons eſt, quem tangere nefas: ſed aditus ad Virginem puerperam cuiuis eſt obuius & patens. Elingui fide Deus eſt excolendus: ſed datur Chriſtiparam loqui: hoc ego terſiore quo mihi conceditur ſtylo perficio: Et ne incurram in ſcopulos, in quos impegerunt multi, qui dicturi de hac Virgine præpotente, coaceruarunt triuia quæque, & ea congeſſerunt abſque delectu feſtiuitatum eius, ita vt cuique diei ſacro Reginæ cæli, poſsint eſſe conſona ea omnia, quæ iſti ſingulis eius feſtis addixerunt: aliorum incuriâ cautior factus, non indui cothurnos Veneris, vt fert adagium, non ingeſsi congeriem, ſed digeſsi ſeriem rerum, quas ſuis inſerui cancellis, ſicque contexui homilias, vt ita cuique feſtiuitati ſint addictæ, vt nulla inuentio aliò diuerti poſsit. Ideoque ſingulæ quæque feſtiuitates Sanctiſsimæ Matris, ſuas quaſque homilias ſibi vendicabunt. Et quia lex eſt, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: Virginis intactæ ſponſum, virtutis emeritæ Sanctum Ioſeph nolui relegare in volumen illud quod iſtud excipiet, ſed comitem viæ, ego vindex eius ſocietatis indiuiduæ, cùm conſorte illius Mariâ Auguſtâ, hanc præeunte eius filio, rerum omnium ſub Deo capite, & ſponſum eius eodem titulo ſociaui.

IN DIEBVS FESTIS CONCEPTIONIS ET NATIVITATIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, IDEM EST EVANGELIVM.

1. LIBER generationis IESV Chriſti filij Dauid.
2. Filij Abraham, Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Ia-
cob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius, Iudas autem genuit
Phares & Zaram de Thamar, Phares autem genuit Eſron, Eſron autem genuit
Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naaſſon, Naaſ-
ſon autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Raab, Booz autem
genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Ieſſe, Ieſſe autem genuit Dauid Re-
gem, Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ, Salomon autem
genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Aſa, Aſa
autem genuit Ioſaphat, Ioſaphat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit
Oziam, Ozias autem genuit Ioatham, Ioatham autem genuit Achaz, Achaz au-
tem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manaſſem, Manaſſes autem ge-
nuit Amon, Amon autem genuit Ioſiam, Ioſias autem genuit Iechoniam, & fra-
tres eius in tranſmigratione Babylonis, & poſt tranſmigrationem Babylonis, Ie-
chonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem
genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim, Eliacim autem genuit Azor, Azor
autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud,
Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem ge-
nuit Iacob, Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt IESVS, qui
vocatur Chriſtus.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

1. *ANima cui Chriſtus imprimitur eſt liber generationis IESV Chriſti. Maria autem multifariam impreſſus eſt Chriſtus; ergo Maria ingens eſt liber generationis IESV Chriſti, qui dicitur filius Dauid. Dauid autem idem eſt ac dilectus. Chriſtus ab amantibus Deum myſticè generatur; at Maria tota Dei amore efferbuit, ideo duplici titulo parens Chriſti. 2. Qui etiam dicitur filius Abrahæ; Abraham verò ſignificat patrem multarum gentium. Homo multis virtutibus inſignis, egregiâ ſobole eſt conſpicuus; Maria myſticâ prole fœtâ, tandem enixa eſt Chriſtum, cui praiuit Iſaac filius Abrahæ. Iſaac ſignificat riſum, quippe anima parens virtutum omnia læta facit: huius innoxij gaudij fœtus eſt Iacob, id eſt ſupplantator; nimirum homo illibatus ſupplantat omnia quæ inſurgunt in eum. Iudas, id eſt confeſſio naſcitur bonis auibus à Iacob; facilis enim eſt confeſſio ei quò ſupplantauit hoſtes: nam etſi claudicet aliquãdo vt Iacob, non tamen aliquãdo cadit: omnia etenim delíquia iuſtorum non ſunt lethalia. Iudas regiæ tribus caput filium habet Phares; & hæc diuiſionem ſonat: qui enim exquiſitè confitetur, multâ intercapedine diuiditur ab illicitis. Ab his proceribus longâ ſerie interpoſitâ, natus eſt IOSEPH id eſt creſcens: nemo enim gratiæ incrementum habet, niſi præuiâ praxi virtutum, quas nomine ſuo ſonant ataui Sancti Ioſeph, qui eo creuit ſanctitatis, vt meruerit eſſe ſponſus Deiparæ & nutritius Domini IESV: & hæc ſors manet eos, quò creſcunt, & perfectioni inſiſtunt; Mariæ enim ſunt affines, & Chriſti Domini.*

QVOMODO CHRISTVS mentibus noſtris inuratur, vt eas faciat libros generationis ſuæ.

In hæc verba:

Liber generationis IESV Chriſti.

SECTIO PRIMA.

DEum noſtris inuri mentibus, ipſa hominis effictio ad imaginem Dei, præbet locuples & validum argumentum. Quo autem charactere fiat impreſſio illa diuina in homine, non liquet apud peritiſſimos quoſque Sanctorum Patrum, qui propè omnes in ea re variant; quia, vt opinor, ſinguli ſedula indagine ſpeculantes hominis indolem, multiplices inuenêre lineas graphicè diuinitatem adumbrantes. Auguſtinus Dei ima- Ex SS. PATRIBVS. *Lib. 10. de Trinit.*

Imago Dei in homine vnde attendatur.

ginem conſtituit in eo, quòd homo animâ polleat incorporeâ & indiuiduâ; Deus autem incorporeus eſt & indiuiduus. Origenes in eo ſitam putat, quòd homo ſit æternus: Damaſcenus in eo, quòd homo conſtet memoriâ, voluntate, & intellectu. Ambroſius ſtatuit imaginem illam in eo, quòd homo ſit liberi arbitrij, ſéque queat ciere in eam quamque quæ arriſerit partem. Gregorius Nyſſenus arbitratur in eo elucere in imaginem Dei, quòd virtutes omnes chorum agant in homine qui mediat inter illas, ſicut & erat Apollo medius inter Muſas. Adiicit hic ſanctus, gratiam virtutis comitem indiuiduam, facere hominem conſcium gloriæ æternæ, quæ imaginis huiuſce complementum. Baſilius à dominio hominis in beſtias, venatur diuinæ imaginis in homine typum, qui genuinè ſuum prototypum æmulatur. Satis cuique fuit Sanctorum Patrum, aliquas colligere lineolas, quibus homo oſtenderetur effectus ad imaginem Dei: & vt quidam peritus artifex, Hercule inaſpecto, edidit tamen graphicè proceram molem corporis eius in ſtante ſimulachro, quia in Olympia veſtigia Herculis aſpexerat; ita ſymmyſtæ omnes ſanctioris diſciplinæ, rimantes in homine quædam etiam veſtigia Trinitatis, ex quolibet attributo Dei elucente in homine, eum eſſe ad imaginem Dei illicò omnes affirmarunt, ac proinde nemo mihi ſaltem agnitus aperuit, aut omnimodè diſcuſſit in quo plenè radiaret & ſe totam explicaret illa imago hominis ad Deum adæquata.

Lib. 5. hexam.

S. Baſil. lib. 5. hexam.

Auctoris ſententia vnde homo ſit factus ad Dei imaginem.

Quandoquidem ego ingredior aleam interpretum Scripturæ ſacræ vt Cygnus inter olores; ego & occinam prout Deus de ſuo prædiuite penu coeceſſerit: hæc igitur eſto mea ſententia. Homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quia congruit illi ideæ, quam habuit Deus ab æterno de homine procreando: quaſi dixiſſet Deus, faciamus hominem iuxta ideam noſtram. Diceres eo modo lapides eſſe ad imaginem Dei, quia ſunt vt & ideæ de lapide. Reſpondeo, Deum non poſſe dicere de ideâ lapidis eſſe illam ideam ſuam, ſicut eſt idea hominis: nam etſi in ratione ideæ rationem rei figuratæ referentis, conueniant ideæ hominis & lapidis; diſſitæ ſunt tamen in modo figurandi Deum, qui ſe quaſi totum effundit in homines, creatos in ſupremo gradu entis, intellectualis videlicet; lapides autem vno tantùm gradu entis gaudent. Vnde cùm Deus plura attributa ſuæ diuinitatis inuſſerit homini quàm cæteris; homo etiam aliquâ ratione Angelis præſtat, in ratione imaginis, & hoc quòd ſuam nemo hactenus animaduertit.

Imago quid ſit.

Ex Theologia.

S. Aug. lib. de fide ad Petrum c. 1.

S. Thomas 1. q. 35. a. 1. 2.

S. Aug. lib. 83. quæſt. q. 74.

Quod vt liqueat, nota imaginem & exemplar pro eodem ſumi; vt & vſurpauit hoc loco Auguſtinus. *Vna eſt S. Trinitatis diuinitas, & imago, ad quã factus eſt homo.* Aduerte denuo ex S. Thomâ, ad rationẽ imaginis requiri, vt id quod eſt imago procedat ab alio ſimili ei in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei, vt eſt figura cuiuſque rei; vnde ex Auguſtino vnum ouum non eſt imago alterius oui, quia non eſt ab alio expreſſum: rurſus nota, imaginẽ alicuius dupliciter in aliquo alio reperiri, vno modo in re eiuſdẽ naturæ ſecũdùm ſpeciem, vt imago Regis inuenitur in filio eius, qui eſt eiuſdẽ cum patre naturæ & ſpeciei, alio itẽ modo imago eſt in re alterius naturæ, ſicut imago Regis dicitur eſſe in denario, ſeu numiſmate cenſus: primo modo id eſt perfectè Verbũ Dei eſt imago patris, vtpote eiuſdẽ naturæ, vnde & Paulus ait de filio. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus creaturæ.* Et alibi. *Qui cùm ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Secundo modo, id eſt imperfectè, & in re alterius naturæ, imago Dei eſt in homine, & Angelis; ſunt enim alterius naturæ à Deo. Sed vide quomodo magis homini conueniat eſſe ad imaginẽ Dei, quàm Angelis. De natura imaginis eſt, vt non tantùm prototypum referat; ſed vt talis ſit, quâ poſſint omnes deuenire in cognitionẽ rei figuratæ: vnde ea res quæ magis ingerit notitiam alterius, plus etiam ſibi vendicat de ratione imaginis; eamobrem enim imago dicitur repræſentatio, quaſi rei præſentatio, aut rem præſentem faciẽs, & Hebraicè imago dicitur, צלם *tſelem* à radice צלל *tſalal* tinnire ſeu reſonare; quaſi propriũ ſit imaginis enuntiare naturam rei, cuius eſt imago. Inde ſic arguo. Plura plures de Deo cognoſcũt per homines quàm per Angelos; ergo homini magis conuenit eſſe ad imaginem Dei: nam Angeli ſoli ſibi inuicem peruij ſunt, & ſic Deus illis ſolis innoteſcit, mediante illa imagine, quæ emicat in Angelo; ſed homo & Angelis & alijs hominibus explicat ſe factum ad imaginẽ Dei: igitur pluribus Deus fit cognitus mediãte homine, quàm mediãtibus Angelis. Rurſus maiora & ampliora chariſmata Deus impertiuit homini quàm Angelo; nam humanitas in Chriſto & Mariâ in gratiâ & gloriâ Angelos antecellit. Vnde licet Deus Angelos plus dilexerit in eſſe naturæ, quàm homines; hos tamen in eſſe gratiæ & gloriæ prætulit Angelis: & licet gratia ſit tantùm accidens; tamen quia eſt ordinis ſupernaturalis, nobilior eſt omnibus ſubſtantiis creatis, quia ad Deum formaliter ordinatur, quod dici nequit de naturâ Angelicâ, vt eſt ordinis naturalis, & vt participat eam Dæmon eiuſdem naturæ, cuius ſunt Angeli. Igitur cùm Deus pluribus innoteſcat per homines, & præſtantiora ſui hominibus impreſſeris chariſmata; non de Angelo, ſed de homine dixit. *Faciamus hominẽ ad imaginem noſtram.* Quippe homine cognito, multa reſonãt & tinniũt attributa Dei. Adiice & præfatis, Deum ab æterno habuiſſe ratum induere hominem, atque adeò primum Adamum dum effinxit ad imaginem Chriſti, eum fecit ad imaginem Dei.

Coloſſ. 1.

Hebr. 1.

Imago Dei in homine ſit poene magis quàm in Angelo.

Geneſ. 1.

Ex Mathematica.

Ioan. à Sacro Boſco lib. 1. Sphæræ c. 2.

Iob. 38.

Hoc item ex Mathematicâ claret, vbi etſi Sol omnibus aſtris ſuam ſpeciem ingerat; tamen ſola Luna, infimum ſidus, & proximum terris, dicitur eſſe imago Solis, quãdo Sol ex diametro aſpectu totum ſe effundit in orbem Lunæ, quæ tunc verè ſit æmula Solis. Ita & Angeli, quia Deus vt typos Diuinitatis eos compoſuit, dicuntur in libro Iob, aſtra matutina. Sed in Canticis dicitur humanitas, pulchra, vt Luna, electa vt Sol, licet humanitas quoad naturã ſit ſidus infra Angelos cõſtitutum, Vnde arguo: Luna non dicitur magis imago Solis ob naturam ſeu ſubſtãtiam, ſed ob ſplendorẽ quo ſuperat alia ſidera; ergo cùm humanitas ſuperet Angelos in ſplẽdore gratiæ & gloriæ, erit ampliùs ad Dei imaginem efformata. Et hanc naturã imaginis Dei, Paulus videtur ex gloria deſũpſiſſe, cuius qui erit maximè particeps, is etiã erit maximè ad imaginẽ Dei. Sic ille *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis.*

Coloſſ. 1.

Ex SS. Patribus.

S. Ambr. lib. de dignitate hominis c. 2.

Et ne putes me aberrare à ſenſu omnium, qui Angelos dixerũt eſſe Dei imagines, hominis imagine potiores; habeo ego Ambroſiũ in hac mihi ſententiâ præeuntem. Sic ille. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Tanta*

itaque

itaque dignitas humanæ conditionis eſſe cognoſcitur, vt non ſolo iubentis ſermone, ſicut alia ſex dierum opera, ſed conſilio Sanctæ Trinitatis, & opere maieſtatis diuinæ creatus ſit homo; vt ex prima conditionis honore intelligeret, quantùm deberet ſuo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium conſtituit ei conditor, vt tanto ardentius amaret conditorem, quantò mirabilius ſe ab eo eſſe conditum intelligeret: nec ob hoc ſolum, quòd conſilio S. Trinitatis, ſic excellenter à conditore conditus eſt, ſed etiam quòd ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam ipſe creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Hactenus ille Sanctus, qui ex præuio apparatu ad hominis creationem, infert hominis dignitatem in ratione imaginis, etiam Angelo præeuntem his verbis. *Quod nulli alij ex creaturis donauit.* Supple, adeò adæquatè.

Imago Dei in homine ad quid effecta.

Hominis dignitas quanta.

Et ne causeris, molem corpoream nihil habere commune cum Deo; Auguſtinus ex ſtaturâ corporis erectâ colligit, animum moderatorem huiuſce corporis eſſe cœleſti origine ſatum, & Deo ſimilem: & Bernardus ab eo corporis habitu hominem hortatur ad prototypum imitandum. Audiendus ille etſi aliquantulo prolixior. *Rectum Deus rectum fecit hominem ſimilem ſibi, id eſt ſine iniquitate, ſicut non eſt iniquitas in eo; corporis ſtaturam dedit homini Deus rectam, forſitan vt iſta corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus eſt, ſpiritualis ſuæ ſeruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem redargueret animi: quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? Peruerſa res eſt & fœda, luteum vas quod eſt corpus de terrâ, oculos habere ſurſum, cœlos liberè inſpicere, cœlorúmque luminaribus oblectare aſpectus; ſpiritualem verò cœleſtemque creaturam ſuos è contrario oculos, id eſt internos ſenſus atque affectus trahere in terram deorſum, & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tanquam vnam de ſuibus, amplexarique ſtercora. Erubeſce anima mea, diuinam in pecorinam commutaſſe ſimilitudinem. Erubeſce volutari in cœno quæ de cœlo es. Erubeſce anima (ait corpus) in mei conſideratione creata ſimilis creanti recta; me quoque accepiſti adiutorium ſimile tibi, vtique ſecundùm lineamenta corporea rectitudinis, quocumque te vertas, ſiue ad Deum ſurſum, ſiue ad me deorſum, vbique occurrit tibi ſpecies decoris tui, vbique pro ſtatu tuo dignitatis habes de magiſterio ſapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tui gratiâ accepi, retinente, & ſeruante prærogatiuam, tu quomodo non confunderis amiſiſſe tuam? Cur ſuam in te conditor intuetur abolitam ſimilitudinem, cum tuam in me tibi conſeruet, & aſſiduè repræſentet? Iam omne adiutorium, quod ex me tibi debebatur, vertiſti tibi in confuſionem; abuteris obſequio meo, indignè humanum corpus inhabitas brutus & beſtialis ſpiritus.* Et infra. *Non potes attollere caput preſſum diaboli iugo, non ſurgere præualet cui dominatur iniquitas; iniquitates tuæ ſupergreſſæ ſunt caput tuum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper te, rectas ſtudeamus facere vias noſtras & ſtudia noſtra, leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum, vt toti recti inueniamur, fidei noſtræ rectitudinem rectis actibus comprobantes.* Hactenus Bernardus, qui ex corpore humano ſumit diuinæ imaginis incrementum, & meam confirmat ſententiam, plura reperiri in homine, quàm in Angelo, quæ imitant imaginem Dei. Hoc innuit S. Thomas, cùm ait, Angelum quidem magis eſſe ad imaginem Dei ratione naturæ intellectualis; ſed hominem ſecundùm quid vendicare magis ſibi hanc rationem imaginis. Deo quadrare poteſt Symbolum illud, quod eſt in Typotio, qui Solem pingit, vim ſuam imprimentem quibuſque rebus viuentibus, ac proinde ſuam velut obumbrat imaginem in hoc rerum toto contextu: eſt autem lemma Solis picturæ appoſitum. IDEM PER DIVERSA. Tamen Solis imaginem, heliotropio quaſi conſignatam, nemo eſt qui non ſpeculetur, cùm ratione figuræ compoſitæ in modum Solis, tùm ratione aſpectus, quem gyrando dirigit ad diurnum illud ſidus. Ita Deus idem per diuerſa in Angelo & homine ſuam diſperſit imaginem, meliùs expreſſam in Angelo quoad eſſe naturæ, ſed nobiliùs in homine, quoad eſſe gratiæ & gloriæ, vt videre eſt in Chriſto, & Virgine Deiparâ; & hinc patet excellentia hominis præ Angelo, in eſſe ſuperioris ordinis.

S. Aug. lib. 6. de Geneſi ad literam.

S. Bernard. ſerm. 24. in Cantic.

Homo quare ſit conditus in figura recta.

Peccatũ hominẽ in beſtiam mutat. Elegans exhortatio corporis ad animam.

Peccatum ſimilitudinem Dei obliterat.

S. Thomas 1. p. q. 93. art. 5.

EX SYMBOLIS. Typotius lib. Symbol.

Sed hanc adhuc ex Philoſophiâ elimatiùs aucupemur. Ex Ariſtotele. *Cauſa eſt id quod reddimus, cùm propter quid res quæque ita ſe habeat inquirimus.* Hoc loco verbũ propter quid, fuſâ ſignificatione vſurpauit, ita vt diffundatur in omnes etiam cauſas. Rurſus de ratione cauſæ eſt, vt inurat ſuam imaginem aliqualem effectui; nam omnis effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ: vnde ſic arguo. Si homo magis eſt factus propter Deum, quàm cæteræ creaturæ, Deus erit magis cauſa eius, atq; adeò expreſſiùs ſuam inuret imaginem homini, vt effectui, qui ſuã vult in repræſentãdo referre cauſam: At ex Auguſtino. *Deus omnia fecit eſſe hominis, hominẽ verò ſui.* Imò & Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium hominũ miſſi: vnde Auguſtinus ait. *Deum nulli alij creaturæ dediſſe quod ſit ad imaginẽ Dei, niſi ſoli homini.* Rurſus homo ita propter Deum factus eſt, vt ab æterno ſtatuerit vnire ſibi hominẽ in vnitatem perſonæ; ita vt Deus & homo coirent in vnã hypoſtaſim, coaleſcente typo cum ſuo prototypo: ideóque quemadmodum Sol in nube roridâ ſibi ſubiectâ expreſſius ſuam delineat imaginem; ita & Deus in homine, quem ſibi vnire decreuerat, peculiares expreſſit diuinitatis ſuæ radios, iuxta illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Et quia nulla eſt genuina magis imago, quàm ea filij referentis naturã patris; dignatur nos hac ſuaui nomenclaturâ Dominus Deus, nuncupans nos filios ſuos, etiam ante diem natalem ſuum in humanis: ſic enim in Iſaiâ nos compellat. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui: & ſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te.* Vide quàm etiam ante æuum, Deo natura hominum adhæreſcat. Paulus inde deſumpſit argumentum excellentiæ hominis ſupra Angelos. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: cui enim Angelorum dixit aliquando? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in Filium.*

EX PHILOSOPHIA. Ariſtot. lib. 2. Phyſic. cap. 6. text. 68.

S. Auguſt. ſerm. 27. de verbis Apoſt.

Pſal. 4.

Iſa. 49.

Hebr. 1.

Hic homo potitus eſt beneficio legis Ciuilis, quæ ſic habet. *Filiis noſtris, omnia quæ noſtra ſunt, ex voto paramus.* Nam: quantùm potuit ferre humana natura, Deus ſeſe ipſi communicauit, & verum fuit de Deo & homine, quod

EX IVRE CIVILI. L. pen. §. 1. De bonis libertorum.

tamen

tamen falſum eſt ex Iure Ciuili, vbi hæc lex habetur. *Filius & Pater eadem perſona cenſentur eſſe.* Filius enim Dei qui hominum pater eſt, in vnam tamen cum homine perſonam coaluit. Dicique poteſt orthodoxè, id eſt fideliter atque Catholicè, Pater & Filius, id eſt Deus & homo, vnam perſonam conſtituunt. Et à mundi exordio, nondum inito vtriuſque naturæ commercio, Deus homini ſuam præfixit imaginem ſenſibilem, obuiam etiam brutis, quibus hominem temerare nefas erat, hac imagine præpollentem. Sicut & olim erant innoxij omnes, quibus erat datum Imperatoris imagine decorari, vt videre eſt apud Scæuolam lib. 4. inde lex tranſlata eſt in Digeſtum.

L. ſi filius de compenſat.

L. Senatuſconſul o cauetur ff de iniuriis. Scæuola lib. 4. regularum.

Ex re Medica.

Res medica Deum agnoſcit in homine liquidius adumbratum, & ne falcem ſuam in meſſem alienam videatur inijcere, miſſas facit animæ potentias, proxima ſectione philoſophicè expendendas, & hæret in aliis Dei lineis in homine exaratis. Ex Hippocrate, viuida illa diſciplina hominem diuidit in ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ὁρμῶντα, id eſt, in partes continentes, contentas & impellentes: partes contentæ ſunt humores; continentes ſunt vaſa; partes impellentes ſunt ſpiritus. Rurſus tres principes in homine partes adinuenit medicina, cor, cerebrum, atque iecur, vnde tres ſpecies ſpirituum effluunt; è iecore ſpiritus naturales, è corde vitales, & ex cerebro animales. In capite tres ſuturas animaduertit, coronalem, ſagittalem, lambdoïdem, & vbique Deum vnum & trinum, vnum in eſſentia, & trinum in perſonis ſagaciter inueſtigat. Verbi gratiâ, ex ſpiritu naturali fit vitalis, & ex vtroque procedit animalis, vt ex Patre qui eſt fons & origo Trinitatis emanat Filius, & ab vtroque procedit Spiritus ſanctus. Rurſus continens contentum edit, & ex vtroque impellens enaſcitur. Verbi gratiâ, hepar eſt pars continens; ſtagnat enim illic primùm ſanguis, vbi accipit prima ſuæ purpuræ rudimenta: ſiquidem hepar virtute inſita chilum in meſenterio defæcatum, depoſito aliquali iam candore, vt rubere incipiat, denuò coquit, vt ſanguinis naturam induat, ex quo cùm exurgant ſpiritus naturales, oriundi à ſanguine & hepatis energia; nónne imago quædam ex homine Sanctiſſimæ Triadis adumbratur?

Hippocrates lib. 6. Epidim.

Homo in tres partes diuiditur à medicis.

Sed nota grande myſterium in illis Dei verbis. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Imaginem præmiſit ſimilitudini, quia imago pertinet ad naturam; & ſimilitudo pertinet ad virtutes, vt explicant Sancti Patres, in quibus Baſilius. *Per imaginem anima mea impreſſam obtinui rationis vſum; verùm Chriſtianus effectus, vtique ſimilis efficior Deo.* Subſcribit Hieronymus. *Notandum, quod imago in creatione facta ſit tantùm, ſimilitudo in baptiſmate compleatur.* His adde Chryſoſtomum. *Imaginem dixit ob principatus rationem; ſimilitudinem vt pro viribus humanis ſimiles fiamus Deo, manſuetudine, lenitate, &c. quod & Chriſtus dicit: Eſtote ſimiles Patri veſtro qui in cælis eſt.* In eo ſenſu imago Dei eſt indelebilis; quia fieri nequit, vt natura vnquam deficiat, ſed ſimilitudo poteſt expungi: & ad hoc alluſit Bernardus, ſic fatus. *Imago in gehenna vri poterit, non exuri; ardere, ſed non deleri: ſimilitudo non ſic ſed aut manet in bono; aut ſi peccauerit anima, mutatur miſerabiliter, iumentis inſipientibus ſimilata.*

Imago Dei à ſimilitudine diſtinguitur.

Geneſ. 1.

Ex SS. Patribus.

Homil. 10. in hexameron.

In cap. 28. Ezech.

Homilia 9. in Geneſim.

Imago Dei non poteſt deleri.

Ser. 1. de annuntia.

Gratia Dei animæ eſt pictura.

Igitur quia penes nos eſt, Deum referre ſimilitudine, quam virtutes ingerunt; quid moramur in hac egregia ſpecie quantocyùs efformanda? & ad quam vrgemur Iure Canonico, cuius eſt parænetiсus iſte Canon. *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis: illa anima benè picta eſt, in qua elucet diuinæ operationis effigies; illa anima benè picta eſt, in qua ſplendor eſt gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ: ſecundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretioſa eſt, ſecundum hanc imaginem, Adam ante peccatum depictus fuit; ſed vbi lapſus eſt, depoſuit imaginem cæleſtis, & ſumpſit terreſtris effigiem.*

Ex Iure Canonico.

Can. illa anima, de pœnitentia diſt. 2.

Sanctus Ambroſius totus eſt in ſuadenda illa ſimilitudine, penicillo virtutis effingenda. Sic ille. *Pictus es, ô homo, & pictus à Domino Deo tuo; bonum habes artificem atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fuco ſed veritate fulgentem; non cerà expreſſam, ſed gratiâ: deles picturam mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblinias, ſi acquiſito rubore perfundas; illa pictura vitij, non decoris eſt; illa pictura fraudis, non ſimplicitatis eſt; illa pictura temporalis eſt, aut pluuia, aut ſudore tergitur; illa pictura fallit & decipit, vt neque illi placeas, cui placere cupis, qui intelligit non tuum, ſed alienum eſſe quod placeas, & tuo diſpliceas auctori, qui videt opus ſuum eſſe deletum. Dic mihi ſi ſupra artificem aliquem inducas alienum, qui opus illius ſuperioris, nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus ſuum adulteratum eſſe cognouerit? Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere; quia ſcriptum eſt: Tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis? abſit. Quòd ſi quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit; graue enim eſt crimen, vt putes quod meliùs te homo quàm Deus pingat: graue eſt vt dicat de te Deus; non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco eum vultum, quem ipſe formaui; reiicio ego quod meum non eſt: illum quære, qui te pinxit, cum illo habeto conſortium, ab illo ſume gratiam, cui mercedem dediſti.* Hæc ille.

S. Ambr. lib. 9. hexam. cap. 8.

Pulchritudo fucis comparata carpitur.

Pictura Dei qualis ſit.

Ita ſubſannauit Regem Iſraël nomine Ioram, Vates Eliſæus; ſiquidem Princeps ille idololatriâ diffluens, & pſeudoprophetis totus intentus, vbi deuenit in diſcrimen vitæ ſuæ, à Moabitis obſeſſus, conſuluit Eliſæum; ſed ille auerſatus hominem impium, qui Dei picturam expunxerat, vt ſuperinduceret vmbras idolorum, eum abegit procul, ſic inuehens in Principem ſacrilegum. *Quid mihi & tibi? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ* (ſcilicet Achab, & Iezabel) *& ait illi Rex Iſraël: Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manus Moab? dixitque ad eum Eliſæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quod ſi non vultum Ioſaphat Regis Iuda erubeſcerem, non aſcendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem.* Ea ſors iniqua te manet, ô reprobe, in ſummo vitæ diſcrimine; pios homines reclamabis, ſed Deo ita moderante, nemo aderit, quinimò conſcientia tua vltrice, tibi ab ea ſuggeretur: Quid tibi & Deo, ô ſceleſte? vade ad Prophetas tuos, dæmonem videlicet & carnem, qui tibi polliciti proſpera cuncta, in ſummo vitæ diſcrimine illudunt tibi, fugam capeſſentes; aut ſi adſint, illud tantùm eſt in opprobrium, & vt piacula tua quantociùs vlciſcantur. Nota infulas regni, & inſignes quaſque ſæculi exuuias non poſſe Deo imponere; ait enim Eliſæus impio Regi. *Si non vultum Ioſaphat Regis*

4. Reg. 3.

Mors reproborum ſine ſanctorũ auxilio.

Iudæ

Iudæ erubeſcerem, nonte attendiſſem, nec reſpexiſſem. Agnouit vir Dei in Ioſaphat vultum Regium, quem virtutes expreſſerant; ſed in Ioram, quem vitia deformabant, nihil ſuo intuitu dignum adinuenit. Iungere igitur, ô homo Chriſtiane, illi Regi, quem gratia fecit eſſe conſortem Vatis Eliſæi; & recede ab eo omni commercio Regis iniqui Ioram, cuius ſordida colluuies expunxit quicquid in eo antea ſapiebat quid diuinum, vt aliam tetram indueret imaginem.

Imago vitij fugienda.

Ex SS. Patribvs.

S. Ambr. l. 6. hexam. c. 7.

Audiendus ſanè Ambroſius. *Fugiamus hanc imaginem, quæ intrare ciuitatem Dei non poteſt, quia ſcriptum eſt, Domine in ciuitate tua, imaginem eorum ad nihilum rediges: & non intrat indigna imago, & quæ intrauerit excluditur, quia non intrabit, inquit, in eam omne commune, & qui facit execrationem & mendacium, ſed ille intrabit in eam, cuius in fronte Agni nomen ſcriptum eſt: anima igitur noſtra ad imaginem Dei eſt, in hac totus es homo, quia ſine hac nihil es, ſed es terra, & in terram reſolueris.* Bernardus hominem non agnoſcit vitiis indecorum; ſed eum tantùm, cui per virtutem licet nomen hominis vſurpare, & talem laudat Adamum priſcâ gratiâ conſpicuum. Sic fatur. *Quid homini primo deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat iuſtitia, pax fouebat?* Baſilius egregiè inſurgit in ſacræ ſimilitudinis contemptores, qui vitiis indulgent, virtutibus abdicatis. Ita vir Sanctus. *Animal es, ô homo, imperio natum. Ecquid miſeram hanc affectuum ſeruus ſeruitutem, ecquid te dedis peccato in vile mancipium? cur tuapte ſponte mancipium conſtituis Diaboli? Iuſſit te Deus in creaturis principem locum tenere; & ecce tanti principatus dignitatem à te excutis, & repellis, ſed ſeruus vocatus es? En habes rationem, vitioſi omnis affectus planè dominatricem.* Hæc ille conſultor idoneus.

Hominis in gratia quæ dignitas.

S. Bernard. ſer. 1. de Annunciat.

S. Baſilius homil. 10. in hexam.

Homo natus ad imperiũ. Peccatũ facit ſeruos.

Ex Ivre Civili.

L. ſi imaginem ff. de auro & argento legatis.

Inſtabis, te nullam facere iniuriam Deo, quia imaginem illam, in quâ te creauit, non eraſiſti; ſcilicet naturam, quæ eſt indelebilis. Ita planè; ſed ſimilitudinem, quæ ſita eſt in gratiæ decore atque in virtutibus, expunxiſti; & proinde tenêris eâ lege ciuili quæ ſtatuit vt. *Si cui legata fuerit egregia pictura, & hæres tamen eraſerit, aut fœdauerit hanc picturam, licet tabulam ei remittat, ad quem ex legato pertinet, ſoluat illatum picturæ detrimentum, quia is, qui teſtamentum inſtituit, de tabula, id eſt de ligno incurius, attendit ad picturam, quam in ſui monimentum amico legauit.* Ita & Chriſtus moriturus condidit nouum teſtamentum, quo Eccleſiam ſuam hæredem conſtituit corporis & ſanguinis ſui: tabulas inſuper plurimas adiecit, ſcilicet animas pœnitentes, virtutum coloribus expreſſas, in ſimilitudinem ipſius Chriſti: è quibus vna es, ô anima Chriſtiana, à quâ ſi abeſt ille nitor gratiæ, Eccleſiæ iniuria es, cui tabulam ligneam inanimámque tradis, cùm te exhibes in peccato. Vox Hebræa, צלם *tſelem*, quæ imaginem ſonat, vmbram etiam ſignificat; vt qui ſumus imago Dei, inſtar vmbræ Chriſtum ſequamur ſemper, vt eum aſſequamur, dicamúſque ei: Sequar te quocumque perrexeris, & omnibus vmbra locis adero. Si verò ſecus egerimus, eâ plectemur pœnâ, quâ olim Parthenopenſes ſeu Neapolitani, quos cùm ſæpiùs rebelles, tandem domuiſſet Conradus Rex Romanorum, ſtatuit in mediâ vrbe ſimulachrum equi, iniecto fræno, hoc diſticho:

Conradus Rex Rom. Neapolim figurauit equo.

Ex Historia.

Hiſtoria imperialis ſub annum 1252.

Hactenus effrenis Domini nunc paret habenis.
Rex domat hunc equum Parthenopenſis equum.

Ne in hanc foueam impingas hortatur Pſaltes. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris.* Ruſus alij præcauendi ſcopuli eorum, qui virtute ementita ſe ſimulant ſanctos, vide eorum cataſtrophen, parem ei, quam ſubiit Iudæus quidam, vultu quidem ſimilis Alexandro filio Herodis, quem cùm ſe diceret, Romæ à Iudæis lautè acceptus eſt, magnáque vi auri donatus, vt apparatu regio ſtipatus incederet. Inſignis ille technarum artifex multis imponebat deluſis facie illius, compoſitâ in ſimilitudinem Alexandri. Cæſar Auguſtus ſubodoratus commentum, aliis omnibus illuſis, hallucinari non potuit: nam hunc pſeudodynaſtam aduocans, attentè conſiderat, & deprehendens hominem reuerà vultum præferre regium, ſed reliqua corporis membra vultui minimè conſonare; quippe erant manus agreſtes, intulit inde dolos, & purpurâ exutum impoſtorem detulit ad triremes. Eamdem perſonam agis quam ille illuſor, ô homo hypocrita, te hominem ſanctum fingis, à quo tamen toto cœlo diſſitus es, oculis in cœlum erectis, ore tacito, & ceruice inclinata rudibus imponis, ſed non fallitur Auguſtus, id eſt, Deus non irridetur: quippe non de facie iudicium profert, ſed de manibus, id eſt operibus, quæ ſi noxia ſunt, caue. Explica igitur manus tuas, hypocrita: heu pauperis ſanguine diffluunt, quem vſuris exhauſiſti, auare: & tuæ manus libidine fœtent, ô adulter: & tuæ redolent culinæ nidorem, ô helluo: vos omnes, manus illæ agreſtes, teſtes indubiæ virtutis emeritæ, inferorũ igni vindici mancipabũt. Hoc igitur eſto effatum.

Pſalm. 31.

Manus oſtendunt nobiles.

Hæc technam fusè narrat Ioſephus l. 17. Antiquitatum Iudaicarum c. 18.

Alexandri illuſoris fraus detecta ob manus agreſtes.

Si sit in te coelestis effigies, ne sis scelestus effvgies.

Chriſtus in quo ſunt theſauri ſcientiæ Dei, B. Virgini Mariæ impreſſus, fecit eam librum omnium planè ſcientiarum, quæ eius laudibus ancillantur.

ENCOMIA B. V. MARIÆ ex Philoſophia.

In hac verba:

Liber Generationis Iesv Chriſti.

Sectio Secvnda.

In Nolita praxi peritus & locuples quiſque negotiator, in nundinis frequens, explicatâ magnâ vi auri & argenti in comparandis vndequaque mercibus de meliori nota, computatis ſumptibus in libello recenſitis, demum in ima margine totam illam congeriem numerorum & notarum arithmeticæ ſeriem compendioſè colligit; adiectione enim numeri ad numerum, quam regulam additionis nuncupant, exurgit ſumma complectens alios omnes diſperſos in pagina numeros, ingenioſè ſummula ſeu vltima epitome decurtatos. Tum homo ſedulus explorator negotiationis ſuæ, conſcius expenſarum, complicat chartas, & tempus præſtolatur opportunum, vt alibi ſuis mercibus explicatis, cum fœnore nundinetur.

Eti

En Dei & hominis typum ingenuum: nimirum Deus etſi rerum moderator, omnimodo ſolus clareat imperio; negotiatoris tamen perſonam induit, vt ipſe Dominus Ieſus edocuit iſtâ parabolâ. *Luc. 19.* *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum, & reuerti; vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: negotiamini dum venio.* Audis Regem ſimul & negotiatorem; ſed ſpeculare mecum, quas merces ab initio Deus explicarit.

Encomia hominis. Deus iuxta decretum ſuum ab æterno fixum & ratum, Extendit cœlos ſicut pellem, vt ait Pſaltes, ſtellis diu noctuque micantibus, globos hos ſuperos inſigniuit; elementa ſubdidit cœlis, ex quibus & etiam animantibus conſtat orbis, qui vſque adeò pulcher effectus eſt, vt Græcis dicatur κόσμος, id eſt, ornatus; nos hoc vniuerſum, mundi nomine nuncupamus: vt autem harum omnium rerum à ſe inuicem diſſitarum, ſummam Deus in extrema ſui operis ora colligeret, hominem finxit, in quem congeſſit rerum orbe toto diffuſarum ſumma capita; habet enim homo eſſe cum rebus inanimis, viuere cum plantis, ſentire cum animantibus, intelligere cum Angelis, & præ Angelis habet ſenſibilem imaginem Dei; ac proinde dici poteſt diuini operis ſingulare compendium μικρόκοσμος, id eſt, epitome mundi, & hinc hominis encomia decantata primitus effluxerunt. Triſmegiſtus vocat eum, miraculum & magnum deorum interpretem. Pythagoras, μέτρον ἁπάντων, menſuram omnium. Plato, θαῦμα θαυμάτων, mirabile mirabilium. Theophraſtus, ἀντίμιμον παράδειγμα, vniuerſi exemplar. Syneſius, horiſontem rerum corporalium & ſpiritualium. Plinius, mundi Epitomen & naturæ delicias. Zoroaſter ſui velut impos exclamat. Ω ἄνθρωπε τολμηροτάτης φύσεως ἄγαλμα τῆς φύσεως. O homo ſimulachrum audaciſſimæ naturæ. Abdalas interrogatus quid eſſet præſtans in natura & dignum admiratione, reſpondit, omnium rerum caput eſſe hominem.

Ex Auctoribus Prophanis.

Hominis nobilia epitheta.

Triſmegiſtus. Pythagoras. Plato. Theophraſtus.

Syneſius. Plinius. Zoroaſter. Abdalas.

Et ex his collige, hominem eſſe velut librum, in quo Deus omnia creata recenſuit in crepidine mundi: vtque expreſſius ratio libri congrueret homini, indidit ei ſpecies ſeu imagines omnium quæ ediderat; & eamobrē homo, obuiis ſibi creaturis nomina iuſſit congrua iodoli earum, vt ait codex ſacer. *Gen. 2.* *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.*

Hominem diuinitus omnes ſibi inuſtos accepiſſe characteres, nec ipſos poëtas effugit.

Virgilius in Æneid.

Solis ſcire modum, & quanto minor orbita Luna eſt.
Cur illi breuior, cur iſti pernolex orbis?
Scire vices etiam ſignorum, & cradica tura.
Nubila cur cœlo terra denunciet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igne.
Et quæcumque tacent, toto miracula mundo,
Non digeſta paci, nec aceruo condita rerum,
Sed manifeſta notis, certa diſponere ſede
Singula diuini eſt animi, ac iucunda voluptas.

Hominis ſcientia ad omnia ſe extendit.

Principi Poëtarum occinit alius in themate propoſito; etſi aliàs veluti canis ſtilo ſuo mordaci latret: ille eſt Iuuenalis in Satyra.

——Venerabile Soli
Sortiti ingenium, diuinorúmque capaces,
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti,
Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce.

Satyra 15.

Et alius ſagacem hominis animum admiratus, in rimandis quibuſque abditis ait.

Animæ dignitas maxima. Manilius l. 4. Aſtronom.

An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

Lactantius omnia in homine ... eleganter effatus eſt. *Deus ſuo corpore, ſpirauit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt fons perennis, vt ipſius mundi, ex contrariis conſtantis elementis, ſimilitudinē gereret; conſtat enim ex anima & corpore, id eſt, quaſi è cœlo, & terra, quandoquidē anima qua viuimus, vt è cœlo, oritur a Deo, corpus autē è terra formatum eſt.* Cùm igitur ex omnibus, quę ſunt cœlo terraque diffuſa, coaleſcat homo; quis inficiabitur, hominem illum primum fuiſſe encyclopediæ librum, vtpote rerum omnium, quæ ſub ſenſum cadunt, ſcientiâ præpollentē? Quòd ſi licuit Themiſtio appellare hominem doctum, Bibliothecā animatam, βιβλιοθήκην ἔμψυχον, potiori iure congruit hæc nomenclatura Adamo, quem nihil eorum latuit, ex quibus doctiſſimæ quæque bibliothecæ cōponuntur. Sed heu, dæmonis aſtu mendum irrepſit in hunc librum, cui hoc dogma iniquū inſeruit, ſcilicet homines fore ſicut Deos ſcientes bonum & malum, ſi pomi feralis edulio paſcerentur. Hâc exceptâ peſſimâ diſciplinâ contrariâ tehquo contextui, qui Dei obſequium hominibus ingerebat, liber ille cenſuram paſſus eſt eamdem, quam ſubiit Thalmud Iudæorum, in quo ſacræ hiſtoriæ plurimæ blaſphemiæ adiectæ ſunt: liber, inquam, ille addictus eſt flammis, non ſimpliciter vt Thalmud, ſed & alteri etiā incendio homo addictus eſt ſæuiori. Primò ignis qui depaſtus eſt improbos Iudæorum libros, ſæuiit etiam in homines iniquos, vt videre eſt in Sodoma, flammâ vindice conflagrante. Rurſus homo paſſus eſt noxios libidinis æſtus, animas & corpora comburentes: demum igne infero cenſebuntur ſontes quique homines pœnitentiæ neſcij.

Lactantius l. 2. diuinarum inſtitut. c. 13.

Homo eſt liber omnium.

Extrauagante cupta Iudeorum, Innocentij 4.

Sed vt Gregorius Papa libros noluit omnino deperire, quibus pleraque bona inſerta ſunt; ſed ſanxit eos expendi ad trutinam ſacrorum Canonum, vt repurgati denuò promulgentur: ita Deus noluit humanam omnino delere proſapiam, ſiquidem ei ſemina virtutum inſerta ſunt; ſed hanc eamdem naturam emundatam ſecundò edidit, etiam prima ipſa editione comptiorem. Hæc perpolita editione coaluit ille liber, qui dicitur in Euāgelio hodierno: *Liber generationis IESV Chriſti.* Sed nota has voces: *Liber generationis IESV Chriſti*, poſſe ſumi Philoſophicè vel Theologicè id eſt, actiuè aut paſſiuè: explico liquidiùs. Hæc verba poſſunt habere hūc ſenſū. Iſte liber eſt generationis rerum omnium, quas genuit ſiue edidit Dominus Ieſus ab initio creaturæ: fuit enim Chriſtus ante Abraham, ab initio & ante ſæcula, ſiue vt ait Paulus *IESVS Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Et in eo ſenſu Maria erit liber Philoſophiæ; hæc diſciplina etenim rerum omnium ortum & naturam & interitum inueſtigat. Alio modo, iſte eſt liber generationis IESV Chriſti, qui explicat quomodo Chriſtus genitus ſit, ab æterno prodiens è ſinu Patris, & denuo quomodo in tempore genitus ſit, in vtero Virginis illibatæ. Sic vox generationis paſſiuè accipitur, & in eo ſenſu Maria eſt liber altiſſimæ Theologiæ, vt proxima ſectione differemus: & quia Philoſophia eſt veluti Theologiæ rudimentum, ab ea ordimur telam encomiorum virginis Sacro-ſanctæ.

Ex Iure Canonico. Extrauagan. te: Vt perſiſteam opinionem Greg. 13.

Maria cur appelletur liber generationis Chriſti.

Hebr. 13.

Si

Si quæ vnquam ſcientia reuerentiam ſuis inſeruit candidatos, illa eſt Philoſophia; quæ priuſquam ſuas aperiat fores, ſua quaſi iubet adorari limina, dum vult ſuos aſſeclas perquàm diu prolegomenis atque præludiis immorari: eamobrem Philoſophiæ prælectores auſpicari ſolent ab Iſagoge, quâ pingui Mineruâ enucleant terminos, id eſt, voces vſitatas in ea ſcientia, vt eo quaſi cortice denudato poſſint medullitus ſapere candidati. Ita & Maria antequam ederetur habuit multa præludia, quæ eam præceſſerunt: celebriores enim figuræ, quæ de Chriſto ſunt, & habent etiam aliquid, quod de Maria ſimul expendatur; quos enim Deus coniunxit, codices ſacri non diſpeſcunt. Ne nimius ſim in figuris explicandis, erit mihi ſatis ſupérque eas inſtar canis in Nilo curſim prælibare: quippe ea figurarum exquiſita recenſio, omnibus eſt & fuit à ſæculo decantata.

Maria in quibus olim præfigurata.

Chriſtus Dominus eſt nouus Adam è cœlo diuinus & cœleſtis, è cuius coſta ſancta parens exſiliit Eccleſia, dum pendulus ille Adam dormiret in cruce; Maria verò altera Eua, virgo ſimul & virago interrita, Mater generis humani ſuſcitatrix: Chriſtus eſt fructus ingerens vitam vtique ſempiternam; Maria verò arbor, quæ fœcunda protulit hunc fructum: Chriſtus paradiſus, quo beantur omnes; & Maria fons perennis, & indeſinens ſcaturigo, cuius latices lactis hunc hortum ſuauiter alluerunt: Chriſtus fuit alter Noë, ſecunda ſtirps generis humani, cui illuſum eſt etiam à liberis; Maria arca, ad quam diuertit ille magnus humanæ proſapiæ propagator. Ille Abraham pater multitudinis, vtpote à quo gentes exoticæ factæ ſunt cœli etiam indigenæ, imò & Indigetes: hæc autem Sara indiuidua comes eius, ſine exemplo fœcundata. Ille Dauid, qui hoſtem gigantea mole terribilem, quinque plagis corporis ſui, vt quinque lapidibus ſumptis, ex profluuio ſanguinis ſui omnino proſtrauit: hæc turris Dauid, inſignis multiplici victoria, ex qua vt ex pleno & inſtructiſſimo armamentario, arma omnigena depromuntur. Ille Salomon cuius ſapientia omnes alias antecellit: illa thalamus iuſtitiæ, in quo placidè requieuit. Ille botrus ſacer & inſignis & inaſpectæ molis: illa vitis Deo cultore enixa vuam hanc colore rubeo coruſcantem.

Geneſ. 2. Geneſ. 7. Geneſ. 17. 1. Reg. 17. Cantic. 4. 3. Reg. 18.

Maríæ laudes impares ei ſunt ſemper.

Sophronius ſermone de Aſſumptione.

Et ne videar texere ſacri codicis Epitomen, ſi congeram omnes figuras Mariæ præambulas, illud Sophronij effatum ſufficiet ingerere. *Quidquid humanis dici poteſt verbis, in laudem glorioſæ Virginis Mariæ, minus eſt à laude cœli, quæ diuinis eſt & Angelicis excellentius prædicata & laudata præconiis; à Prophetis quidem prænunciata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præſignata, ab Euangeliſtis exhibita & monſtrata, ab Angelo venerabiliter atque officioſiſſimè ſalutata.* Vides encomia aſſignata aliis mulieribus heroinis, Saræ, Rebeccæ, Racheli, Deboræ, Iaheli, Eſther, Iudith, à Prophetis, veluti Mariæ præludia recenſeri, vt vel hinc erudiri homines fierent idonei ad librum Mariæ dignius euoluendum.

Ex SS. Patribus.

Philoſophia quid ſit.

Eſt autem Philoſophia, ſi vim nominis ſpectes, amor ſapientiæ, & ſic definitur nomine tenus, quia excellens rerum cognitio nequaquam ſolitaria eſt, ſed amori eſt indiuiduo nexu ſociata, iuxta vetus proloquium, Amor intelligentem comitatur. In eo ſenſu Maria eſt verè Philoſophia; eo enim amore exarſit in ſapientiam, id eſt, in Dei filium, vt charitate ſeu amore Dei grauida, illam ſapientiam enixa ſit: vt enim ait S. Ildefonſus. *Vt ignis ferrum, ita Mariam Spiritus ſancti flamma, totam decoxit & igniuit.* Si Philoſophiæ materiam ſubiectam attendis, à variis illa variè definitur. Cicero ait eſſe humanarum, diuinarúmque rerum cognitionem & ſcientiam: illc nomine rerum humanarum, res corporum concretioni obnoxias, ac homini vernaculas; diuinarum verò res nullo materiæ nexu cohærentes, & in receſſu naturæ reconditas intellexerunt ij, qui cum Cicerone in ea Philoſophiæ natura conueniunt. Ariſtoteles Tullio præierat, cùm effatus eſt, Philoſophiam eſſe cognitionem rerum vt ſunt; & hæc velut legitima Philoſophiæ ratio omnibus approbatur, mihi potiſſimum, qui in ea video Mariam, mihi omnimodè dilectam graphicè deſignari, atque adeò ſibi non immeritò nomenclaturam Philoſophiæ vendicare. Etenim ſi fecero palam, Mariam habuiſſe exquiſitam notitiam rerum vt ſunt, ſatis ſuperque probauero, ei fuiſſe inuſtam omnem Philoſophiam, ac proinde illam extitiſſe librum illius abditæ diſciplinæ.

S. Ildefonſus.

Cicero quæſt. Tuſculan. l. 4.

Ariſtot. lib. 10. Metaph. cap. 3.

Vt autem illi veritati faces prætendamus, notandum eſt, omnem ſcientiam ſeu cognitionem, bifariam ab homine comparari. Primò res obuiæ nobis ſunt & cognitæ in obiecto per ſpecies ſuas, quas ingerunt nobis, vt cùm è ſpeculo cognoſcimus vniuerſa, quorum imagines è ſpeculo referuntur. Alio item modo aliqua cognoſcuntur, vt in principio cognitionis, vt ſi quis in Sole videret omnia, quę beneficio ſolis nobis innoteſcũt. Vtroque modo Maria res omnes calluit eximiè: primò rerũ omniũ ſpecies habuit inſitas, nobiliori modo quàm Adam habuerit; ratio eſt, quòd natura integra Mariæ conceſſa eſt, & eam Deus ampliore gratiâ dignatus eſt quàm Adamum: & cùm præuenerit Mariam in benedictionibus gratiæ, quæ eſt ordinis naturalia omnia tranſcendentis; à potiori præuenit eam in his, quæ ſunt inferioris ordinis, vt eſt cognitio, quam Adamo conceſſerat. Ruſus hominis reparatione, nihil omnino homini deperiit de eis, quæ Deus illi primitùs impertiuit, quoad ſpiritum; imò ex aſſumptione humanitatis à Chriſto, facta eſt non modica acceſſio chariſmatum: at Maria prima eſt, quæ huius indulgentiæ vſum ſortita eſt; ergo donorum omnium, quibus fuit conſcius Adam, habuit & Maria etiam incrementum: nam cum amare ſit velle bonum, & Deus Mariam præ Adamo adamarit; maius voluit illi bonum: & cùm amoris Dei velle ſit efficax; bonum quod voluit, totum congeſſit in Mariam, & nobiliori modo quàm cæteris: ergo ſpecies Adamo & Salomoni rerum creatarum infuſas, indidit & Mariæ iuxta effatum viri ſancti Arnoldi Carnotenſis Epiſcopi. *Maria conſtat creaturis omnibus, quicquid enim creator ſingulis diſtributor iuſtus contulit, hoc totum matri adornandæ congeſſit.* Et ante eum Ambroſius luculento teſtimonio ſuo, Mariæ hoc priuilegium inſinuans ait. *Per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum habuit ex pignore.* Vnde ſic arguo: Chriſtus in humanis omnia primo decori reſtituit & nuelæ; ergo eam notitiam quam Adamo inuſſerat, alicui etiam inuſſit poſt ortum ſuum in humanis: de nemine autem conſtat eum fuiſſe omniſcium, eo modo quo fuit ille Adam; ergo id Marię concedendũ, quandoquidem ex Ambroſio, prima fructũ habuit ex pignore: & id ruſus etiam

Ex Theologia.

S. Thom. 1. p. q. 84. art. 5.

Maria rerum habuit exquiſitam notitiam.

Maria conſtat omnibus creaturis.

Ex SS. Patribus.

Arnoldus de B. V. Maria.

Mariæ ratio ſuffragata facit auctoritatem.

Auguſt. l. 2. in Lucam.
L. de libero arbitrio.

conſtat hoc canone Auguſtini. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deum:* & alibi. *Vbi ſcriptura nihil commemorat de B. Virgine, quærendum eſt ratione quid conueniat veritati, fiátque ipſa veritas auctoritas.* Cùm ergo nihil ſit magis congruum rationi, quàm Mariam Deiparam præponere Adamo: hinc exurgit illa mea concluſio, Mariam habuiſſe ſpecies inſitas rerum omnium editarum, vt ſunt, & inde Philoſophiæ librum eam fuiſſe vſquequaque conſummatum.

Alia cognitione rerum in ſoo principio Adam minimè potitus eſt. Etenim illa noritia acquiritur ex viſione Verbi, cuius ſcientia eſt fons & origo omnium earum, quæ homines ſcientes efficiunt. Nemini mortalium illa ſcientia fuit impertita: quippe mortales exuuiæ nequeunt ſuſtinere Deum; ſed Maria ex ſæpè repetitis amplexibus pueruli IESV, & ex quotidiano affatu eius grandioris effecti, nihil eſt quod neſciuit. Et cùm ſcire ſit per cauſas cognoſcere; Maria quæ fuit Dei conſcia, qui eſt primigenia omnium entium editorum cauſa, nonne egregiè omnia ſciuit, vtpote Deum ipſum ſciens, quantùm ab intellectu infra Deum ſciri comprehendique poteſt. Ergo Maria perfectiſſima eſt Philoſophiæ diſcipluia: & ſi ex Sancto Antonio Mundus liber eſt omnibus obuius, cuius maiuſculi characteres, creaturæ omnes aliquem philoſophiæ tractatum enuntiant, ad quod alludit Iſaias. *Erit vobis viſio omnium, quaſi verba libri ſignati;* Maria erit præſtanoor liber, quia mundus in ea fuit omnino reparatus, in quibus audi Damaſcenum, *O diuinum ac viuum mundi ſimulachrum, ad quod opifex Deus intentus eſt! ò Maria nouum miraculum!* Concinit Bonauentura. *Diſpoſitione tuâ, ô Virgo, perſeuerat mundus, quem tu cum Deo, ab initio fundaſti.* His ſuperior Andreas Epiſcopus Ieroſolymorum *Summa vniuerſi potentia, conceptum apud ſe iamdudum de rerum creatione conſilium, ad finem perduxit.* Et vt græca ipſius auctoris habent. *Hinc prior noſtra effigies, nouam figuram conſequitur, ac ſenio quaſi confectus mundus peccatorum ſenectam exuit.* Vides ex hoc textu alteram editionem mundi, ſeu libri prioris, in quem irrepſerat aliqua corruptela.

Mundus eſt liber.

Iſaia 29.

Maria eſt nouum miraculum.

Philoſophia eſt mortis cōtemplatio.

Sermone de ſalutatione B.V. Mariæ.

Vltima philoſophiæ definitio, ea eſt, quam Plato inſinuat, & quam Sanctus Hieronymus ait effluxiſſe ex ſcholâ Pythagoræ. *Philoſophia eſt mortis contemplatio.* Quod vt liqueat, nota eſſe duplicem mortem, vnam quæ ſita eſt in vitæ huiuſce deliquio, aliam quâ, vitâ etiam ſuperſtite, mens à quaque iniquâ cupiditate diſſita, à vitiorum libera nexibus, ſeſe euehit ad ſuperna. Nimirum ex Socrate, nihil adeò officit homini Philoſophiæ limina ſalutanti, quàm corporea colluuies, ſeu voluptatis illecebra, quæ mentem concretâ caligine offuſam, falſis decipit imaginibus. Eamobrem Mercurius ille ter maximus, priſcæ ætatis oraculum, hortatur Philoſophiæ candidatum, vt corpus exuat, velut inſcitiæ veſtem inutilem, compedes mortis ſentiens cadauer, ductile ſepulchrum, domeſticum furem, qui dum blanditur, nectit inſidias. Cùm igitur Philoſophia hanc animi à corpore ſecretionem, multiplici ratione ſuadeat homini, & virtutum praxim mentibus inſinuet; meritò contemplatio mortis appellatur, ſeu conſuetudo moriendi, aut mortis affectus, vt fusè explicant Xenophon, Proclus, & Alcinous.

Plato in dialog. de ſapientia.
Apologia in Ruffinum.
Socrates in Phædone.
Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio.
Xenophon l. 4. de dictis Socratis.
Proclus lib. 2. de anima & dæmone.
Alcinous l. de doctrina Platonis.

In eo etiam ſenſu, Philoſophiæ nodo genuina eſt in Mariâ, à quâ procul eſt omne contagium: quippe quæ aliena propè à terrenis omnibus, habuerit cum Angelis continuata commercia, & cuius munditiem olim ſic expreſſit Chryſippus presbyter Ieroſolymitanus. *Cum ſpecioſa inter mulieres, ſpecioſus forma præ filiis hominum, cum puella impolluta, is qui ſanctificat omnia.* Vides Mariæ decus & nitorem, non Angelos tantùm, ſed & Deum ipſum, ad eam percitum inclinaſſe. Quomodo autem tota Philoſophia diuidatur, & in quos partes quæque cancellos referantur accipe ex Lactantio, & ex Auguſtino. Philoſophia tota diſpeſcitur in naturalem, moralem, & dialecticam: comprehendit autem hoc loco naturalis (ſuâ videlicet naturæ notione, vnde eſt ſortita nomen) non ſolùm Phyſiologiam, ſed etiam Metaphyſicam, & Mathematicas diſciplinas. Hanc Philoſophiæ partitionem approbauit anteà Plato, v. ait Alcinous, & hanc edidit Ariſtoteles, cui & ego aſſentior, vt idoneæ ad encomia Mariæ propalanda. Sic autem aſtruitur illa diuiſio. Ex Ariſtotele, Philoſophi ſeu ſapientis eſt ordinare. at ordo rerum, quæ ſub Philoſophiam cadunt, triplex eſt. Primus ille eſt, quem ratio non efficit, ſed inſpicit tantùm, atque expendit, cuiuſmodi eſt ordo rerum Phyſicarum; has enim ratio non concinnat, ſed editas contemplatur; & hinc Philoſophia naturalis. Secundus ordo ille eſt, quem ratio ipſa ſibimet exhibet, cùm notiones ſuas, & effata inter ſe ſuo quæque ordine locat, inferendo concluſiones ex præmiſſis, quas ad iudicij fidam trutinam præexpendit; & inde exurgit Philoſophia rationalis. Tertius rerum ordo is eſt, quem ratio voluntati præſcribit, vt illa probè inſtituta, rectum atque honeſtum proſequatur, virtutibus inhærendo; & hic Philoſophiam moralem conſtituit.

Lactant. l. 3. cap. 13. l. 8.
S. Auguſt. de ciuit. Dei. cap. 4.
Alcinous l. de doctrina Platon. c. 2.
Ariſtoteles lib. 1. Topic. cap. 12.
Ariſtot. lib. 1. Metaph. c. 2.
Ordo rerum eſt triplex.

Diuiſionis huiuſce trimembris rationem enucleat Auguſtinus, in hunc modum. Quemadmodum tria ſunt, quæ in quolibet artifice, vt aliquid efficiat attenduntur, videlicet, natura, doctrina, vſus, quorum primum ingenio ſecundum ſcientia, tertium fructu indicatur: ſic triplex à Philoſophis inueniri debuit diſciplina, naturalis ob naturam, rationalis ob doctrinam, moralis propter vſum. Et quoniam homo ita procreatus eſt à Deo, vt per id quod in ipſo præcellit, attingat ad id quod cunctis excellit; per huiuſmodi tripartitam ſcientiam attingit ad vnum, verum, optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus vſus expedit. Sunt itaque ex Sancto Auguſtino, hæ tres partes Philoſophiæ, tres veluti grādus, quibus perfectè ſapiens, aſpirante cœleſti aurâ, ſumma petit, & ad Dei ſimilitudinem propiùs euadit. Vide iam quàm ritè conueniat Mariæ omnimoda hæc Philoſophiæ partitio.

Maria eſt liber Philoſophiæ.

Lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 4. & l. 11. c. 25.

Ex SS. PATRIBVS.

Maria nobis aperuit dialecticam ſeu Philoſophiam rationalem, quando edidit Chriſtum qui dicitur Græcè λόγος, id eſt, ratio: hanc Philoſophiæ partem Maria repoſuit in præſepio, vt homines pecudes in hac ſuâ Bibliothecâ ratiocinari edoceret, ſicut eleganter ediſſerit Heſychius, qui hanc dialecticam animas ait non illuminare tantùm, ſed & etiam ſaginare. Sic ille. *Libens reconditur in præſepi, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, id eſt rationem*

Homil. 2. de Deipara

in

Chriſtus infans quare repoſitus in præſepio.

in præſepi conſtitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem, vt qui currunt ad paleas, frumentum naneiſcantur, vt beſtiarum more feſtinent, arbitrantes ſe inuenturos in præſepibus manipulos hordei, & panem verum manducaturos alimentum vitæ, cœnam lucis, eſcam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem: vnde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, cœlorum hereditas.

Philoſophiam naturalem explicuit Maria ab ipſis ſuis incunabulis; quicquid enim orbe toto nitet, illud in Mariâ etiam certiſſimum eſt, vt in ſuo culmine præfulſiſſe: nam, vt aiebat Arnoldus ſupra, hoc totum Matri adornandæ congeſſit, in cuius figuram Aſſuerus puellis egregiis multa ad ornatum earum pertinentia contulit. Sed vbi in Eſther incidit, ait ſacra hiſtoria. *Placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius, & præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas.* Vides in hoc typo, aliis omnibus quibuſque Sanctis Deum aliqua præſtitiſſe naturæ dona; ſed vbi ad Mariam deuentum eſt, Deum explicaſſe mundum ipſum, vt ſpecioſa quæque congereret in Mariam: nam vt ait Sophronius. *Cæteris per partes gratia data eſt, ſed Mariæ tota ſe infudit gratiæ plenitudo.*

Eſther. 2.

Sophronius ſerm. de Aſſumpt. qui falſo datur S. Hieronymo.

Ab ortu ſuo fuit perelegans orbis totius Epitome, atque adeò Philoſophiæ naturalis liber, vtpote cui omnes naturæ prædiuites gazę impreſſæ ſunt. Hunc ideò librum ſpeculati Patres Sancti, naturæ dotes omnigenas in eo repererunt, in quibus audi Anſelmum *Maria vbi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, & conſtantia perfectè reſplenduit, vt eam ipſa ſapientia Dei verè dignam indicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum primorum hominum, ſed & totius mundi peccata deleret.* Maria ergo ſingulare compendium rerum omnium, longè pręſtat ei libro Philoſophiæ naturalis, quem Plinius Iunior accepit a patruo ſuo, quem tanti fecere Romani, vt magna vi auri voluerint à nepote hunc librum Plinij comparare. Maria reuerà charior, vt quæ bonis omnibus conſtet, & quâ nobis etiam bona proſtant.

Anſelm. lib. de excel. Virg. Maria viſa Deo digna vt eſſet mater Chriſti.

Plinius Iunior de patruo ſuo.

Ex SS. Patribvs.

Philoſophiæ moralis gymnaſium fuit longè latéque pateus; cùm enim in eâ choros ſuos egerint virtutes omnes, non opus eſt conſulere libros Ethicorum, virtutis indagini ſacros: vna enim hæc Virgo Beata fuit virtutis omnimodæ ſacrarium. Audiendus Ambroſius. *Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente; corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in cumulo diuitiarum, ſed in prece pauperum ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis non hominem ſed Deum ſolita quærere, nullum lædere, omnibus benè velle, maioribus aſſurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem ſequi, & amare. Quando iſta faſtidiuit humilem? quando riſit debilem? quando vitauit inopem? nihil in oculis toruum, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, et ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis: talem hanc Euangeliſta monſtrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit.* Expende quæſo, ſedule lector, hanc Ambroſij de Mariâ panegyrim, & videbis eſſe conſonas planè ſententias, videlicet, Maria fuit liber edocens Philoſophiam moralem, ſeu virtutum praxim, vt hîc probo Et ipſa corporis Mariæ ſpecies fuit ſimulachrum mentis, & figura probitatis. Habes ea præfatis, luculentam Philoſophiæ partitionem, à quâ Maria vt Philoſophiæ liber genuinus non abhorret.

S. Ambroſ. de virginib. lib. 2. Maria fuit virtutum omnium exemplum.

Ruſus Philoſophia, ſeu cognitio rerum vt ſunt, abſtrahit ab omni contagio rerum; nam ſcientia eſt de vniuerſalibus; ita & verè dixeris Mariam eſſe abſtractâ ab humanâ Adami colluuie, iuxta illud Pſalmi. *In retiaculo eius cadent peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam.* Vide expreſsè eam ſecretam ab omni piaculo, cui obnoxia fuit Adami proſapia, vt ait Damianus. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non aſſumpſit.* Quid liquidius in hoc themate referri queat. Ruſus, vniuerſalia ſunt ea quæ prædicari poſſunt de pluribus: liceat hic in nomine præludere. Maria prædicata eſt à pluribus, id eſt laudibus dignata Prophetarum, Angelorum; & quotquot ſunt homines, tot Mariæ ſunt præcones; vide quomodo de pluribus etiam prædicatur. *Talibus decebat Virginem oppignerari muneribus, vt eſſet gratiâ plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Dominum pacémque refudit; fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam.* Hæc etiam elogia Mariæ attributa dicuntur à S. Hieronymo: ea quibus collige, quomodo Maria de pluribus ſpecie differentibus prædicetur, ac proinde vindicet ſibi rationem maximè genericam; ſunt enim iſtæ categoricæ prædicationes, deſumptæ ex allegato contextu. Maria eſt cœli gloria, Maria eſt terræ Domina, fides gentium, finis vitiorum, vitæ ordo, morum diſciplina.

Pſalm. 140.

S. Damian. ſerm. de Aſſumpt.

Maria dedit cœlis, & terræ aliquid.

Sophronius ſerm. de Aſſumpt.

Denique Philoſophia decem categoriis, veluti cãcellis omnia concludit entia creata earúque rem, vnam, aliquam, bonã, veram, ait eſſe, cui ens eſt trãſcendens, & hoc ens tranſcẽdens ſoli Mariæ quadrat. Nam tota ſeries entiũ rationabiliũ, ad decem ſpectat ordines, quorũ infimus eſt hominũ ordo, ſupra quẽ ſunt nouem ordines Angelorũ, nec aliquid eſt quod ſuppoſito creato conſtet, & vltra ſit. Vna eſt Maria, res vſquequaque bona, neſcia falſitatis, quæ tranſcendit hos cancellos, vt explicitè aiunt ſancti omnes, in quibus Damianus. *Sol ita ſibi rapit ſyderum poſſeſſionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint; ſic etiam virga Ieſſe, veri prænia luminis, in illâ inacceſſibili luce perlucens; ſic iuſtorum ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec poſſint, nec debeant apparere.* Anſelmus benè eam aſſerit tranſcendentem, cùm ait. *Quicquid eſt magnum ſub Deo, minus eſt Virgine.* Cùm igitur nihil ſit reperire in totâ ſerie Philoſophiæ, quod non nitcat in Mariâ, hunc librum impigrè reuoluamus, vt beatitudinis tandem compotes efficiamur.

Mariæ lux antecellit Angelorum lucem.

S. Damian. ſerm. de Aſſumpt.

S. Anſelm. de excellentia Virginis.

Nimirum ea S. Auguſtino, fuit adinuenta Philoſophia ad beandos homines: felicitas autem hominis ex Ariſtotele conſiſtit, partim in actione virtuti conſentaneâ, partim in contemplatione veritatis. Oportuit ergo dari aliquam ſcientiam, quæ honeſti rationem aperiat, & ad virtutem morúmque probitatem erudiat: hæc verò eſt moralis Philoſophia, cuius theoremata omnia B. V. Maria ſuis moribus

antenertit. Aliam oportuit adſciſcere ſciẽtiam, quæ abdita naturæ myſteria ſcrutaretur, & in ſolo ſtodio veritatis incumberet, abſtrahendo ſpecies à conceretis, & hæc io Phyſica, intenta natoræ operibos illibatis: ſed nihil eſt æquè, ac Maria defæcatum & terſum, io quâ ſoas Deus gazas aperuit, & mundum fecit in Virgine muliebrem, quando ſpecioſa quæque congeſſit in vnam Mariam puerperã. Demum huiuſmodi ſcienriarum adeptio & vſus, diſſerendo compararur, quâ in re ſæpe mens errore decepta hallucinarur: ſtatuenda igirur fuit tertia quædam ſcientia, quæ lucem præferar, & ſedulò caucat, ne in veritatis locum falſitas irrepat; & hæc Dialectica nuncupatur, quæ ratiocinandi tropos edocet; ſed Maria λόγον, id eſt, rationẽ nobis exhibuit omnino potiorem: & eamobrẽ illa eſt pręferenda quibuſq; libris.

Ex Symbolis. *Typotius lib. Symbol.* 3

Vellem omnes habere Symbolum Friderici Imperatoris, qui gladium libro incubantem depingebat, hoc titulo deſuper, Hic regit, Illa tvetvr. Indicans fortè, theoriã, quam deootar liber, parum valere ſine praxi. Multi ſe Mariæ iactanr addictos obſequio; & equidem credo, multos librum illum aliquando ſpeculari: ſed pauci arripiunt gladium, id eſt, rari ſunt qui inſiſtnnr praxi; ſpeculatio quidem regit, id eſt, meditando Mariæ vitam, diſcimus quomodo dirigere debeamus ſeriem vitæ noſtræ; tamen tutamen eſt in praxis aſſiduitate. Scilicet hæc nos Vna tvatvr.

Alcibiades ludimagiſtrũ ferit, quia non habebat Homerum. Ex Historia. *Ælianus l. 13. Hiſtoriarum.*

Et hæc libri Mariæ ingens vtilitas, incurios homines tanti commodi, facit obnoxios grauiuri pœnæ, quàm fuit ea, quam inflixit Alcibiades, qui ſcholam ingreſſus petiit à ludimagiſtro indicem librorum eius, & cùm non repetiſſet in eis Homerum, dedit alapam ei, indignum ratus titolo magiſtri, eum, qoi penes ſe oón habebat librum, qui totam penè Græcam Philoſophiam compendioſè concludit, eam vtique quæ ad mores ſpectat, cùm Heroum facioora egregia recenſet. Heu ſi potiorem hominum partem roges, quos libros euoluar, id eſt, cui rei ſit addicta; varij varia referent: alij diebus quidem feſtis adſunr Miſſæ; alij profeſtis apud ſe, perſunctoriè preces qoaſdam effutiunt: De Virgine autem Mariâ parum ſolliciti, neqoidem de ea cogitant; cùm tamen penes illum librum ſit noſtræ non modica pars ſalutis. Quòd ſi qui ſint, ſe iactãtes Marię fidos aſſeclas, eis fortaſſe quadrat Scomma Epicteti,

Philoſophi quidam barba tenus.

io quoſdam Philoſophos, barbâ, pallióque tenus: hos ſuggillans aiebat, Philoſophari. *ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν. ore tantùm, & non factis*. Sicuti fert Gellius. Mariam ore pleriqoe clamant; ſed in praxi videas illos eam manibus abiurare: igitur hunc Mariæ librum ô mortales, impigrè comparate, alioquin neſcij huius libri à Deo plectemini. Nimirum Deus vult nos omnes vitam noſtram componere, iuxra normam, quam præſcribit ille liber, cui affingere lubet titulos, qui Philoſophiæ ſæculari à pluribus inuruntur.

Gellius noctium atticar. lib. 17. c. 19.

Philoſophiæ laudes, & effectus, *Cicero lib. 1. Tuſculanar. quæſtionum.*

Præeat Princeps Larioi eloquij. *Philoſophia omnium mater artium, quid eſt aliud niſi vt Plato ait, donum, vt ego inuentum Deorum? hac nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinémq; animi erudiuit, eadémq; ab animo, tanquam ab oculis, caliginem diſpulit, vt omnia ſupera, infera, prima, vltima, vltima, media videremus: prorſus hæc diuina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat & tantas.* Et infra. *Cultura animi Philoſophia eſt, quæ extrahit vitia radicitus, & preparat animos ad ſatus accipiendos, eáque mandat his & ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant.* Prouenrus, quos anima facit ex eâ diſciplinâ, Ciceroocm velut impotem ſoi & admirabundum, in proxima hęc encomia deduxerunt, videlicet. *O vitæ Philoſophia dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quid non modò nos, ſed omnino hominum vita ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines, in ſocietatem vitæ conuocaſti, tu eos primo inter ſe domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti, ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos, vt antea magna ex parte, ſic nunc penitus, totóſque tradimus.*

Idem lib. 1. Philoſophia quid mundo præſtiterit.

Idem lib. vltim. quæſt. Tuſculanarũ.

Philoſophia inconſulta, nemo poteſt bene viuere. *Seneca ad Lucilium epiſt. 27.*

Eodem actus ingenio Seneca, multus eſt in Philoſophiâ cuehenda; & ea affirmat, qoę Mariæ idonea poſſis orthoduxè de ea prædicare. Sic ille. *Hoc ſcio, neminem poſſe benè viuere, ſed nec tolerabiliter, ſine ſapientiæ ſtudio, facere docet Philoſophia, non dicere, & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine omnium actionum diſſenſione coloris ſit, maximũ hoc eſt, & officium ſapientiæ, & iudicium, vt verbis opera cõcordent, vt ipſe vbique par ſibi, idémque ſit.* Item alibi. *Relinque iſtum ludum literariũ Philoſophorum, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo, demittunt, & conterunt, & id agunt vt Philoſophia potius difficilis, quam magna videatur; Socrates qui totã Philoſophiam ad mores reuocauit, hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona maláque diſtinguere.* Rurſus ille Luciliũ vrget, iſtâ paræneſi, ad Philoſophiam ioſectaudam. *Quis dubitat quin Deorum immortalium munus ſit, quòd viuimus, Philoſophiæ quòd benè viuimus? Itaque tantò plus huic nos debere certum eſt, quàm Dijs, quantò maius eſt beneficium, bona vita, quàm vita, pro certo haberetur, niſi ipſam Philoſophiam Dij tribuiſſent: huius enim eſt opus, de diuinis humaniſque vera inuenire, ab hac nunquam recedit religio, iuſtitia, pietas, & omnis alius comitatus virtutum conſertarum, & inter ſe cohærentium: hæc docuit colere diuina, humana diligere, penes Deum imperium habere, & inter homines conſortium. De illâ Philoſophiâ loquor, quæ nullum bonum putat, niſi quod honeſtum eſt, quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleri poteſt.* Hæc Seneca, qui eo amoris in Philoſophiam eſt perculſus, vr eius ſuffragio homines in Deos euchi poſſe promulgarit, hoc textu. *Philoſophia promittit mihi, vt me parem Deo faciat, ad Philoſophiam totam mentem conuerte, huic aſſide, & hanc cole, & tunc ingens interuallum eſt inter te, & inter homines; omnes mortales tu antecedes, & Dij non multùm te antecedẽt.* Quòd ſi hæc omnia elogia in Philoſophiam ſæculi congeſta, typhom redolent, typum ramen referunt earum dorum atque gratiarum, quas Maria, Philoſophia Chriſtiana, infundit in ſequaces ſuos, & ſedulos ſuæ ſapientiæ ſectatores. Eamobrem audi me, tibi paræneticum oratorem.

Idem, epiſt. 72.

Philoſophia moralis quęnam ſit. *Idem epiſt. 91.* Philoſophia Dei donum.

Seneca lib. de moribus.

Cvm sapias, tvm sepias te sæpivs, hac sapida sapientia.

MARIÆ

MARIÆ ENCOMIA, Ex Theologia.

In hæc verba:

Liber generationis IESV CHRISTI.

SECTIO TERTIA.

S. Iſidorus Etymolog. ar. lib. 8. cap. 6.
Philoſophiæ ſectatores quam variè nominati.

EX Sancto Iſidoro, Philoſophiæ Sectatores multifariam fuere nominati. Alij à regione Italici, Ionici: alij à Magiſtro, vt Pythagorici, alij à loco vbi docebantur, Academici: erat enim Academia villa Platonis, vbi ſuos inſtituebat: item Stoici dicti ſunt à porticu. nam Στοὰ porticum ſonat, alij ab actione, vt ab ambulatione dicti Peripatetici: nam περιπατεῖν idem eſt, ac ambulo: alij à ſuo viuendi ritu, vt Cynici, qui omnes mordebant inſtar canum, & libidinem palàm ſicuti canes exercebant, ideò nuncupati Cynici, ἀπὸ τοῦ κυνός, id eſt à cane: alij ab habitu corporis, vt Gymnoſophiſtæ in India, qui nudi incedebant, ſicuti hi qui ſe in palæſtra exercebant; nam γυμνάζω idem ac exerceo: alij demum, ex Gellio, ſibi fecere nomen à doctrinà, quam profitebantur, vt Sceptici, qui dubia omnia eſſe homines edocendo, ſic prorſus & indubiè delirabant, σκεπτικὸς idem ac opinator.

Aulus Gellius lib. 11. cap. 5.

Chriſtiana Philoſophia, quam plerique Theologiam vocant, nomenclaturam accepit à rebus ſanctis, in quibus omnibus tota eſt ſanctior illa diſciplina, quæ ideo vocatur ſancta Philoſophia ſeu Theoſophia: nihil enim ſanctum eſt, quod non inueſtiget hæc ſanctiſſima diſciplina, longè alia à Philoſophià priſcæ ætatis, quæ ritus Ethnici paſſa caliginem, miſerè cæcutiuit, in quâ quicquid reperi aliquâ laude dignum, hoc totum congeſſi in Mariam ſuperiore ſectione, & rapui tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, vt ait Auguſtinus. Hanc ſæculi Philoſophiam feci præire Philoſophiæ Chriſtianæ, vt ancillam præferentem faces, ne quis offendat in limine iſtius Philoſophiæ ſanctioris, quæ non omnino latuit Mercurium, à multo rerum vſu ter maximum appellatum: is enim Hebræorum commercio doctior effectus, de Deo non modica ſuis ſcriptis inſeruit, è quibus accipe hanc Philoſophiæ notionem. *Philoſophia ſola eſt, in cognoſcenda diuinitate frequens obtutus, & ſancta religio: ſimplici enim mente diuinitatem colere, eiuſque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ eſt ſola bonitas pleniſſima; hæc eſt nullius animi importunà curioſitate violata Philoſophia.* Hoc breuiloquio, texuiſſe videtur Epitomen cultoris noſtræ Philoſophiæ, quæ quia multa eſt in Deo, ab eo etiam Theologia nuncupatur. Hæc verè eſt ſcientia vna; vtpote habens rationem vnam formalem ſui obiecti; omnia enim ſibi ſubiecta conſiderat, vt à Deo reuelata ſunt: Deus autem eſt obiectum illius ſcientiæ, in qua omnia quæ expenduntur, vel ſunt Deus ipſe, vel ad eum diriguntur.

Philoſophiæ definitio ſancta ex Triſmegiſto.

Mercurius Triſmegiſt. in Aſclepio.

Scientiæ genus duplex.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 2.

Sed nota ex S. Thoma, eſſe duplex ſcientiæ genus: quædam enim ſunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine naturalis intellectus, ſicut Arithmetica, Geometria: quædam verò ſunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine ſuperioris ſcientiæ, ſicut Perſpectiua procedit ex principiis notificatis per Geometriam; & Muſica ex principiis per Arithmeticam notis: hoc modo ſacra Philoſophia eſt ſcientia, quia procedit ex principiis notis lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ ſcilicet eſt ſcientia Dei, & beatorum: vnde ſicut Muſicus credit principia tradita ſibi ab Arithmetico; ita doctrina ſacra credit principia reuelata ſibi à Deo: ideò ait Auguſtinus. *Huic ſcientiæ attribuitur illud tantummodo, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ab aliâ ſæculi Philoſophiâ ex Sancto Maximo diſtinguitur, vt lux à tenebris. Philoſophi gentiles, vt noctuæ in ſuà caligine aliqua perceperunt; ſed in Dei luce fuerunt excæcati; ſolis tantùm aquilis liber fuit acceſſus ad ſolem, id eſt ſolis fidelibus, de Chriſto, & ſecundùm Chriſtum ſapere fuit datum, iuxta illud. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Chryſoſtomus priſcam Philoſophiam comparat ſepulchris dealbatis, quorum faciem ſi exueris, extrinſeco ornatu, nihil niſi putidum occurret; ita ablatà pompà verborum, & lenocinio dictionum, plurima abſurda reperies apud Philoſophos. Quòd ſi qui quædam diuina retulerunt, id fecerunt, inquit Theodoretus, ſicut aues quædam vocales, humana verba proferentes, neſciæ tamen abditi ſenſus illic. Hoc igitur habe ratum, Philoſophiam ſanctam, alij tantùm præſtare, quantùm lumina cœleſtia præſtant lumini noſtrati.

Theologia fidei inſeruit.

De Trinitat. lib. 14. cap. 1. ſerm. 17.

Fides à qua ſcientià roboretur.

Philoſophia ſæcularis eſt infima.

Sap. 10.

S. Chryſoſt. homil. 2. in Ioannem.

Theodoretus ſerm. 1.

Quod ſi veteres Philoſophi gloriam aucupati ſunt ab auctoritate prælectoris, vt fecere Pythagorici, quibus vna fuit hæc ratio, αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit. Nonne omnium ſcientiarum Theologia, Philoſophia ſancta, tenebit apicem, vtpote quæ ad nos, Deo reuelante, deriuatur? Quippe Deus vidit eſſe neceſſariam illam homini ſcientiam: nam agenti propter finem, neceſſaria eſt cognitio finis, vt eò dirigat omnes ſuas actiones; ſed homo ordinatur in Deum, vt in finem, qui rationis captum omnino tranſcendit; nemo enim nouit quę præparauit Deus diligentibus ſe: ergo neceſſaria iſta doctrina, quâ ea, quæ ſunt ſupra rationem, nobis innoteſcunt. Quòd ſi Philoſophia gentilis aliquas ex proprio ſuo penu concluſiones elicuit, ſimiles noſtris, quas Theologia profitetur, ſcilicet, Deum eſſe bonum, æternum, & compenſatorem iuſtorum, non ex tamen dici queunt concluſiones Theologiæ, quia illa theoremata diuerſo lumine comparantur: Gentilis aliqua de Deo ſcit, lumine naturali: at Theologus lumine ſupernaturali, id eſt, Deo reuelante. Iam verò Mariam eſſe hanc Philoſophiam ſacram, ſpeciale Dei donum, vt probemus; ſcienda eſt totius diuiſio Theologiæ, vt omnia, quæ illic tractantur, videamus expreſſa, etiam in hoc libro generationis Ieſu Chriſti.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 1.

Theologiæ laus.

Theologiæ diuiſio.

Sic ego, prætermiſſis aliorum diuiſionibus; ſic, inquam, ego diuido Theologiam in duo capita, ſcilicet in eam partem quæ eſt de Deo; & in eam rerum, quæ ordinantur ad Deum. Prima pars mihi ſubdiuiditur in tres alias, iuxta triplicem modum conſiderandi Deum, & ſic tres tractatus exorgũt, ſcilicet de Deo vno, trino, & incarnato. Ea verò quæ ad Deum ordinantur, vel ſunt inanima, vel ſunt viuentia; viuentia ſunt Angeli, & homines; inanima ſunt Sacramenta, gratiáque nos conducens ad gloriam, ad quam; cuius virtutibus etiam gratiæ annexis aſcendatur;

habent & virtutes cum cæteris ſuos cancellos in Philoſophiâ ſacroſanctâ. Vide excuſa hæc in Mariâ. Ex Philoſophiæ Apice, id eſt Ariſtotele. *Anima eſt quodammodo omnia.* Non planè in eſſe naturali, ſed in eſſe intentionali, ſeu in repræſentando: ergo quidquid anima cognoſcit, illud totum quaſi typus inuritur animæ; & quantò quiſque elegantiori ootitiâ præſtat, tantò ſpecioſiores habet & ille Characteres: at Virgo Maria Deum vnum, trinum, & incarnatum, necnon omnia, quæ ad Deum pertinent, liquidiùs nouit cæteris hominibus; ergo & illa fuit liber exquiſitus ſanctiſſimæ diſciplinæ. Ruſus & voluntate ſeu amore Deus imprimitur nobis; Maria ergo, quæ Chriſtum Deum ampliori proſequuta eſt Charitate, præſtantiori modo geſſit impreſſum: eo verò modo imprimi Deum audi ex eo. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Quod ſic Guilelmus explicat. *Imprimere mihi quaſi ſignaculo, per amorem mihi fortiter adhærendo, vt à me, quaſi ſignaculo formam accipias, & meâ ſubtili expreſſione ſimilitudinem trahas; quanta fuerit impreſſio amoris, tanta erit & expreſſio ſimilitudinis; quantò mihi fortiùs per amorem inhæſeris, tantò mihi ſimilior eris; quantò te mihi impreſſeris fortiùs, tantò ego Chriſtus in te formabor expreſſiùs; & tantò tu in me reformaberis, transformaberiſque inſignius.* Per intellectum anima Deum attrahit, & voluntate tota ſe in Deum effert, & vtroque modo ſacros Dei ebibit typos, animam inſtar libri graphicè componentes.

Anima qua ratione dicatur eſſe omnia.
EX PHILOSOPHIA.
Ariſtot. lib. 3. de anima text. 37.
Cant. 8.
EX SS. PATRIBVS.
Guillelmus in Cant. c. 8.
Amoris impreſſio nos ſimiles Deo efficit.

Item alia typographia edidit hunc librum generationis Ieſu Chriſti; Gabriel ſeſe miniſtrum huius editionis exhibuit, & docuit Spiritum S. eſſe typographum, qui totam ſummam Theologiæ excudit in Mariâ, eo momento, quo Verbum naturam humanam induit in Mariâ. Audi Angelum, qui texuit indicem rerum, quæ in Maria geſtę ſunt, & quæ etiam diſcutit ipſa Theologia. *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Ecce tractatum de Deo vt vno, qui eſt auctor gratiæ; humanitas enim Chriſti non eſt cauſa primitiua gratiæ, ſed cauſa inſtrumentalis, vt benè monet S. Thomas. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* En tractatum de Deo incarnato, & de recreatione hominis, in ſtatu naturæ innoxiæ atque defæcatæ. Quòd audis, Ieſum, id eſt, Saluatorem; conſidera inſtitutorem Sacramentorum, & magiſtrum edocentem omnes virtutis omnigenæ rationes & figuras. *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* En tractatum de Deo Trino in perſonis: nam qui dicitur filius Altiſſimi, Patrem habens coæqualem, Deum arguit, non eſſe io ſingularitate perſonæ. Pergit textus. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Eo tertiam perſonam Trinitatis. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* En tractatum gloriæ æternæ, figuratæ in ſede Dauid: nam requies æterna, optimè cum ſeſſionis ſchemate componitur. Demum ipſe Angelus hanc totam edisserens hiſtoriam, ſpecie ſuâ eleganti, Virginis obtutus alliciens, ſeipſum in mente ipſius genuinè impreſſit, & ſic totam illam Theologiam concluſit hoc tractatu de Angelis.

Luc. 1.
D. Thom. 1. p. q. 112. art. 1.
Maria eſt liber totam concludens Theologiâ.

Quis igitur ire queat inficias, quaſque materias ſanctæ Philoſophiæ eſſe editas in Mariâ Heſychius ideo eam vocat plenitudinem Trinitatis. *Ipſa fuit tota plenitudo Trinitatis, quandoquidem & Spiritus Sanctus adueniebat, atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat.* Deinde quaſi inchoans tractatum de hominis creatione, ait. *Vides quanta, & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas: vnigenitus enim Dei filius mundi conditor, velut infans geſtabatur ab eâ, & Adamum reformabat, Euámque ſanctificabat, excludebat draconem, & paradiſum aperiebat.* Alius item Pater Sanctus Mariam deſcribit, vt ſynopſim ſacræ diſciplinæ, is eſt Gregorius Nicomedienſis, qui hæc verba Angeli commentatus. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, ſic ait. *Accipe ergo eam, ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, Deitatis diuitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam: accipe eam ſicut vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut domum Dei, ſicut creatoris omnium poſſeſſionem, ſicut Regis, & cæleſtis ſponſi domum immaculatam.* Hoc contextu, vides tractatum gratiæ, & virtutum in Mariâ excuſum omnibus aperiri.

EX SS. PATRIBVS.
Heſychius homil. 2. de Deipara.
Maria Adam reformauit.
Gregorius Nicomedienſis oratione in Purificat.
Mariæ locuples encomium.
Maria arca.

Pſaltes Mariam dum vocat arcam, collimat ad intentum noſtrum. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Hanc arcam ait Heſychius eſſe B. V. Deiparam; ſic enim loquitur de hac arcâ. *Proculdubio Virgo Deipara eſt hæc arca: ſi enim tu es Margarita, meritò illa eſt arca.* Nota, Biblia ſacra fuiſſe in arca recondita: vnde cùm Theologia ſit in biblijs, & ſacer ille Codex ſit in arca; Maria, quæ eſt fœderis arca, nonne erit Philoſophia defæcata? Iuxta cuius ritum, ô homo, ſi componis mores tuos, fies à vitiis illibatus, potiori modo quàm Zeno Citticus, qui conſulens oraculum, quomodo vitam ſine næuis agere poſſet, reſponſum hoc accepit: ſe emendatiorem fore, ſi concolor eſſet mortuis. Intellexit ille ſe moueri ad lectionem librorum Philoſophię, cuius auctores iam ceſſerant fatis; ideo huic lectioni incumbens, euaſit in ſummum virum beneficio librorum. Fies cultior Zenone, ſi attendis ad Mariam, ô anima de meliori fruge anxia; ſi Mariæ concolor exiſtis, ad apicem ſanctitatis pronus eueheris, eáſque Deo grates habebis, quas egit ille Zeno, qui cunctatus dare nomen ſuum Philoſophiæ, quia prædiues erat; tandem iactura facta ſuarum facultatum, quę peſſum ierant paſſæ naufragium, ille expeditus, ſuam inopiam leuauit ſtudio librorum, quorum ope lætior effectus, aiebat, ſe tantùm benè nauigaſſe, cùm naufragium fecit. Imò in ipſo aditu Philoſophiæ concipiens ingentes animos ad virtutem, beneficio illius diſciplinæ, vbi audiit Athenis ſuas periiſſe naues, exclamauit: Benè facis, ô fortuna, me enim ſic compellis ad ſtudium Philoſophiæ, cui totus incumbam in poſterum: exuis me habitu profano, vt induam vitæ cultioris pallium innoxium. Sic ego arguo de Mariæ cultu. Liber ille exigit à te vitæ præteritę naufragium, aquis lacrymarũ immergere, ô reprobe, vt ſic terſior Mariæ ſiſtaris obtutibus, & inter ſuos illa te conſcribat illicò candidatos. Si quis vnquam te fortunæ ingratæ caſus exciipiat; ad Mariam conuertere, & dic: Benè facis, ô fortuna, me vrges ad Mariæ ſuffragia; ô felix aduerſitas, quæ nos ad Mariam ire ſollicitat.

Pſalm. 131.
Heſychius homil. 2. de Deipara.
EX HISTORIA.
Laertius de vitis Philoſoph. l. 7. c. 1.
Zeno Deum laudat de iactura opum, poſt quam dedit operã Philoſophię.
Philoſophia quantum à Zenone fuit æſtimata.

Audiendus in ea re Bernardus, qui hortatur oos ad Manę ſtudium, & exemplum. *Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit meatis, reſpice ad Mariam: ſi criminũ immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo; cogita Mariam,*

S. Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus.

in

Maria inuocata ſedat omnes motus vitiorũ.

in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis; Mariam cogita, Mariam inuoca; non recedas ab ore, non recedas à corde; & vt impetres orationis eius ſuffragiũ, non deſeras conuerſationis exemplum. Nimirũ parum eſt legere, ſi tenuis lecta quantocyùs adimplere: nam vt ſupra ex Senecâ prælibaui.

Seneca ep. 17.

Facere docet Philoſophia, non dicere, & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine omnium actionum diſſenſione coloris ſit. Maximum hoc eſt officium ſapientia, vt verbis opera concordent.

Q. Curtius in vita Alexandri.

Cùm tanta nobis beneficia proſtent ex libro hoc Mariæ; Eccleſia non ceſſit Alexandro, qui Homeri librum tanti fecit, vt cùm inter Darij diuitem ſuppellectilem reperiſſet ſcriniolum aureum, inſitis gemmis vndequaque radiantem: Benè, inquit, ecce thecam libri Homeri, quem Philoſophiæ gazæ locupletes, & ſententiarum gemmæ plurimæ condecorant. Ita & ab incunabulis Eccleſiæ, Apoſtoli Deo templa ſub Auguſto Mariæ titulo conſecrarunt. Cæſar-auguſta gloriatur ſe habere primam Eccleſiam, quæ fuit erecta, Mariæ nomini ſacra, & extructa à Sancto Iacobo Apoſtolo; & adhuc hodie magnâ populorum frequentiâ eſt illuſtris, Mariâ infundente plures gratiarum cenſus, pro voto ſupplicantium. Apoſtolorum culmen peragrans Phœnicem, baſilicam Mariæ etiam titulo conſecrauit, inınſulâ cui olim nomen Antarados, & hodie Tortoſa, quò etiam gentes exoticæ confluunt voti causâ; Mariâ illic exiſtente propitiâ omnibus qui eam pie venerantur, ſicut auctor eſt Guillelmus Tyrius.

Mariæ ab Apoſtolis templa erecta.

In vita S. Iacobi. die 25. Iuly.

Guillelmus Tyrius, lib. 22. de bello ſacro. cap. 3.

Quid verò præſtet cultus ille, ſeu templorum erectio, in inſigne Mariæ decus, audi. Deliquio mentis erat obnoxius Iuſtinus Imperator, fruſtra ſe medicis vſquequaque torquentibus, vt morbi inglorij moleſtiam auerterent, quæ impote Imperatore Perſas allexerat ad extremas Imperij oras peruadendas, magno cum dedecore & diſcrimine Romani nominis. Iuſtinus inualido terræ ſuffragio, ſuperum petiit auxilium B. V. Mariæ præpotentis, quam vt ſibi conciliaret, emit à Iudæis Synagogam, quæ erat Conſtantinopoli, quam expurgatam, multáque egregiâ ſuppellectile exornatam, Mariæ obtulit, & conſecratam Eccleſiam, Deiparæ nomini mancipauit: rem ſibi Virgo eſſe teſtata eſt perquàm gratam; nam Iuſtinus inde ſui compos effectus, à Deo eas accepit inducias, quibus & animæ ſuæ & etiam Imperio prouideret. O reprobe eâdem veheris naue, quâ Iuſtinus mente captus, ſiquidem peccatum eſt inſania, peior eâ, quam parit mentis inopia; dum inſanis, peccata fines animæ tuæ populantur impunè, mens nihil niſi noxium verſat, & profanum, curæ omnes ſunt de terrenis, voluntas tota fertur ad reproba, noxiâ cupidine præpedita, aures patulæ ſunt ad ſermones quoſque obſcœnos, & aliorum famæ detrahentes, turpibus oculi ſcintillant aſpectibus, linguáque ſordido prurit eloquio. Denique peccata quæ te dementarunt, corporis & animæ tuæ fines miſerè depaſcuntur. Vt tanto diſpendio occurras, expurga ſynagogam, & in Eccleſiam erige; & ne labores in inquirendâ ſynagogâ, tu ille ipſe es, quem nuncupo ſynagogam: etenim alienus es à Dei cultu, totus es tibi, & mundo addictus, Deique omnino neſcius, inſanum æuum ducis, hanc emunda ſynagogam, & ſic confeſſione præuiâ facies te templum Spiritus Sancti; cuius vt gratiam pares, ſponſæ eius Mariæ totum te deuoue, & cor tuum illi apta, velut arcam, quâ librum illum ſcripturæ ſanctioris recondere dignè queas. Si me audieris, iam ſanior effectus, imperij tui ruinas, id eſt animæ tuæ diſpendia reſarcies, & ſic mala ingruentia certiſſimè declinabis.

Ex Miſcellanea excerpſit Baronius in Annal. Eccleſ. ſub annum 577.

Maria Iuſtinum Imperatorem mẽte captum ſanat.

Vtinam aptarent omnes ſibi ſymbolum Batauorum, qui vt in æternum forent vindices ſuæ libertatis, numiſma cuderunt, in quo erat liber ſcripturæ ſacræ, columnæ ſuppoſitus; adinſtar baſis; columnæ autem pileus imminebat, libertatis ſignum referens: in orâ Iconis erant iſtæ voces. HAC NITIMVR, HANC TVEMVR. Id eſt tota noſtra fiducia, ſeu columna, fixa eſt in ſcripturâ ſacrâ, quæ eſt baſis, cui innititur noſtra ſecuritas, ex qua libertas tota pendet: vt ergo libertatem tueamur nos quaſi pro aris decertantes, vtpote religionem propugnantes, huic ſcripturæ totis viribus innitamur. Egregium reuerà ſymbolum, ſi ſcripturarum haberent illi librum, vt numiſma clamat; ſed pro bibliis, acceperunt à Caluino hæreticam opinionum errantium colluuiem, ac proinde lethiferam fidei corruptelam. Liceat igitur ab indignis hæc vſurpate, & nobis vendicare ſymbolum, in quo Maria denotabitur libro Theologiæ, ſeu Philoſophiæ ſanctioris, columna fiduciam & ſecuritatem genuinè referet, quam parit pileus, ſiue libertas filiorum Dei, quos gratia fecit adoptiuos. Hic ergo titulus eſto nobis ſemper inſitus. HAC NITIMVR, HANC TVEMVR. Id eſt Mariæ innitimur, & infra Deum, eius ſuffragiis nos omnia aſcribimus, quæ cœlitus influunt, vt monet Bernardus. *Mariam veneremur, quia ſic eſt eius voluntas, qui totum nos voluit habere per Mariam.* Huic libro innexa eſt gratia, ex quâ pendet tota noſtra fiducia, & penes quam eſt libertas; hanc impigrè tueamur, ſi eâ Mariæ beneficio præpollemus: quòd ſi expertes ſumus gratiæ, eam parabimus eo libro, cui nobis eſt fortiter inhærendum. Quippe codex ille ſacer, gratiis vſque adeo refertus eſt, vt omnes illud volumen euoluentes, vbertim gratiis aſpergantur.

Ex Symbolis.

Lubinus lib. numiſmatum

Liber à Batauis captus pro ſymbolo.

S. Bernard.

Sed inſtabis, fieri iniuriam Chriſto, ſi Maria conſulatur, ſiquidem Chriſtus eſt liber gratiæ primitiuus, ſignatus ſigillis ſeptem, vtpote cui ſeptem dona Sancti Spiritus inuſta ſunt, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. Audi Bernardum. *Fortaſſe in Chriſto maieſtatem vereare diuinam, quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus; aduocatum, vis habere, & ad ipſum? ad Mariam recurre, pura ſiquidem humanitas in Mariâ, non modò pura ab omni contagione, ſed & pura ſingularitate naturæ; nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reuerentiâ ſuâ, exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ; quid enim? poteſt ne filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam, non audire, aut non audiri filius poteſt, neutrum planè: inueniſti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter ſemper hæc inueniet gratiam, & ſola eſt gratia quâ egemus: quid nos alia concupiſcamus, fratres? quæramus gratiam, & per Mariam quæramus; quia quod quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt: quæramus gratiam, ſed gratiam apud Deum, nam apud homines gratia fallax; Maria non*

Maria eſt aduocata nihil reformidabile habens.

S. Bern. ſerm. de aquæductu in natiuitate Mariæ.

Maria nuſquam inuocatur fruſtra.

pretendit meritum, ſed gratiam quarit. Ne autem in animum inducas, Mariam dare aut efficere gratiam, Sanctus hic ait, illam quærere, id eſt agendo mediatricem, gratiam à Deo nobis ſuis precibus impetrare. Hinc audi me proſpera ſuadentem.

Cor tvvm ideo para Deiparæ, vt non Deo pereas, sed Deo pareas.

ENCOMIA MARIÆ, EX Mathematica.

In hac verba:

Liber generationis Iesv Chriſti.

Sectio Qvarta.

VT Dei opera ſibi conſtant, & ſunt ſarta tecta; hominem ediderat ſuis omnibus numeris abſolutum, trináque prærogatiuâ conſpicuum, Fecerat primò ad imaginem ſuam, rurſus adiecerat imagini ſimilitudinem ſuam, demum neſcium mortis eum finxerat immortalem, mediumque ſtatuerat inter cœlum, & mundum ſenſibilem; beatum in hoc mundo, & beandum in cœlo. Sub Deo fuit conditione, ſed dignitate extitit ſupra mundum; de inferiori bono receſſurus, ad bonum ſuperius acceſſurus. Sed homine à Deo deuiante, hæc etiam à reprobo bona prorſus omnia declinarunt: nimirum vbi homo in Deum inſurrexit, hæc tria ex homine ſurrexerunt, ignorantia, concupiſcentia, infirmitas. Ignorantia Dei imaginem quaſi expunxit: ea enim ſita eſt in recto vſu rationis. Dei ſimilitudo tota euanuit; ea enim attenditur ex virtute, quæ tota extincta eſt, effræni cupidine debacchante. Demum homo immortalis, morti obnoxius effectus, ingruente multiplici infirmitate, hancque totam Tragœdiam Pſaltes explicat compendioſè hoc verſu. *Fiant via illorum tenebra, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Tenebræ inſcitiam notant, lubricum libidinem clamat, & Angelus perſequens, malorum magnam iliadem inſinuat, quæ hominem diu iactatum, tandem addicit morti, in terram vnde ſua trahit exordia reuerſurum.

Peccatum tenebras & concupiſcétiam inuexit. *Pſal. 34.*

Porro Deus hominis iniquam miſeratus ſortem, tria remedia ſuggeſſit, Philoſophiam, virtutem, & Mathematicas diſciplinas: nam Philoſophia eſt cognitio rerum vt ſunt, & ea notitia detergit inſcitiæ caliginem: virtus eſt habitus rectæ rationi, & naturæ innoxiæ congruus, qui egregiè animis inſeritur mediante Theologiâ, quæ dum docet ritum compeſcendi efferos æſtus libidinis inſurgentis, hominem reſtituit ſtatui innoxio: Mathematicæ verò diſciplinæ occurrunt infirmitati corporis & animi. Eſt autem duplex Mathematica, vna contemplatrix ſeu theoretica, quæ animi mœrorem & tædium leuat, vt muſica, optica, aſtronomia: alia Mechanica, ſita in operatione, quæ infirmitati corporum medetur, vt architectura, fabricando domos, hominem vendicat ab iniuria tempeſtatum, quarum viciſſitudo moleſtias quamplurimas ingerit: poliorcetica ingruente bello machinas ſtruit, quibus offendat & defendat: denique thaumaturgica, dum mira effingit ſingulari artificio, ſibi inde parat victum. & aliquas facultates, quibus infirmo corpori poſſit ſuo quoque tempore ſubuenire.

Mathematica autem eſt diſciplina quantitatis, vt quantitas ab omni alia forma, abſtractione ſecernitur; & eſt ea ſcientia certiſſima, dicta per excellentiam μάθησις doctrina, quia ita hominem determinat, vt nefas ſit aliud credere, quàm quod Mathematica diſciplina præoſtendit. Quis enim iſtas propoſitiones inficiari audeat? Figura eſt id quod aliquo termino continetur: terminus verò quod cuiuſque eſt finis. Recta linea ſuper rectam lineam ſtans, circum ſe æquos ſibi inuicem facit angulos, rectus eſt vterque æqualium angulorum: obtuſus angulus maior recto eſt: acutus autem angulus recto minor eſt. Sunt & alia ſexcenta paradigmata, indubia prorſus apud Euclidem, quæ feriante ratione, apprehenduntur ſenſibus, & altè menti inſident ſine formidine contrarij ſenſus. Iuxta diuiſionem quantitatis, etiam Mathematicæ ſunt diſſitæ diſciplinæ. Alia eſt quantitas diſcreta; alia continua: diſcreta reſpicit numeros, vt Arithmetica; ſi verò iidem numeri reſtringantur ad aliquid, tunc etiam Mathematica variat. Verbi gratiâ, ſi numeri ad tonos reuocentur, Muſica exurget. Quantitas continua, etiam duplex eſt: vna immobilis, & hanc conſiderat Geometria, quæ agit de ſpatiis: alia eſt quantitas mobilis, & hanc ſpeculatur aſtronomus. Elementum Arithmeticæ eſt vnitas, Muſicæ vniſonum, Geometriæ punctum, Aſtronomiæ inſtans. Et eſt hæc diſciplina idonea etiam minutis ingeniis, nec non cultioribus quoque apprimè neceſſaria.

Euclides l. 1. de elem. *Geometria.* Mathematica quare ſic appellata.

Iam videamus in Mariâ omnes omnimodæ Mathematicæ partes, genuinè coaptatas. Sapientiæ effatum eſt, Deum omnia in menſurâ, numero, & pondere diſpoſuiſſe ab initio; ergo omne id quod ſtat eo modo quo Deus illud à ſæculo conſtituit, id, inquam, etiam conſtat numero, pondere, & menſurâ: ſed Maria non ſolum Euam refert in gratiâ conſtitutam, ſed eâ etiam ſpecie cultiore nitet, vt quæ primæ dotis, ſeu gratiæ à Deo accepit maximum incrementum. Ergo Maria eſt omnibus numeris abſoluta, ſuiſque librata ponderibus, in æquilibrio ſtans. Vltra menſuram eſt minimè prætergreſſa: igitur cùm reperire ſit in eâ numerum, pondus, & menſuram, nonne illa erit Mathematicæ liber eximius, ex quo vitam noſtram poterimus ad normam illic præſcriptam dirigere.

Maris eſt liber Mathematicæ. *Sapient. 11.*

Sed quæres: Vnde ego didici, Mariam præſtare ipſi Euæ? Hoc accepi à Patribus Sanctis, qui eam ſuffectam fuiſſe in locum Euæ aſſerunt, ſicut & Chriſtus fuit Adami loco ſubſtitutus. Audi hunc chorum titulos Mariæ concinentem. Sit præcentor Auguſtinus, *Cauſam inualeſcentis erroris, miraculum noui partus euicit: & Eua planctum Maria cantus excluſit: circumdat, id eſt protegit virum Maria, Angelo fidem dando; quia Eua perdidit virum ſerpenti conſentiendo.* Occinit Auguſtino alius item Afer, videlicet Cyprianus. *Mater Domini noſtri Ieſu, in illa muliere promiſſa eſt, hac inimicitia oppoſita ſerpentis, ponam inimicitias inter te, & mulierem, non certè dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur, verbum promiſſionis eſt, quod tranſmittitur in futuram.* His ſuperior in eodem climate Tertullianus ſic. *Deus imaginem ſuam à Diabolo captam, æmula operatione recuperauit, in virginem adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis, in virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium*

Ex SS. Patribvs.
Maria Euæ diſpendia reparauit.

Maria fuit Euæ oppoſita.

S. Auguſt. ſer. 18. de Sanctis.

S. Cyprianus l. 2. in Iudæos. Maria Euæ antidotum.

Tertullianus lib. de carne Chriſti, c. 17.

rium vitæ, vt quod per huiuſmodi ſexũ abierat in perditionem, per eumdem ſexũ redigeretur in ſalutem. Crediderat Eua ſerpenti, crediderat Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Has Euæ cum Mariâ Bernardus antitheſes ſpeculatus exclamat. *O Adam, muta iniqua excuſationis verbum, in vocem gratiarum, & dic: Domine, mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo viuificaſti me. ô admirabilem parentum reparatricem, poſterorum viuificatricem!* Ex præfatis Mariæ Euæ oppoſita, ſois numeris abſoluta, omnes arithmeticæ moralis explet numeros.

Maria dedit fructum quo ſanamur.
S. Bernard. homilia 2. ſuper Miſſus eſt.

De Mvsica.
S. Iſidorus lib. 3. Etymolog.
Muſica quid ſit.

An vero in ea ſit Muſica ſagaciter exploremus. Ex Richardo, Muſica eſt plurium diſſimilium in vnum redactorum concordia; vel ſecundùm Iſidorum, Muſica eſt peritia modulationis, ſono cantúque conſiſtens: adeóque olim inualuit illa Mathematicæ pars ſonora, vt tam turpe eſſet Muſicam neſcire, quàm literas. Adiiciebatur Muſica ſacris, & quibuſque ſolemnibus actis, tam luctuoſis quàm lætis. Cantus in ſacris dicebantur hymni, in nuptiis hymenæi, & in funeribus threni, & ad tibias quædam lamenta fuere decantata, in conuiuiis autem lyra aut cythara circumferebatur, & diſcombentibus ſingulis, conuiuale genus erat ordinatum. Itaque ſine Muſicâ nulla diſciplina integra eſt, imò & ipſe mundus quadam harmoniâ ſonorum fertur eſſe compoſitus; & cœlum ipſum ſub harmoniæ modulatione reuolui. Muſica mouet affectus, prouocat in diuerſum habitum ſenſus, in præliis quoque tubæ clangor animos exacuit, iuxta illud.

Ære ciere viros Martemque accendere cantu.

Ad tolerandos quoſque labores Muſica animum mulcet, vt exemplo ſuo remiges faciunt palàm, ſeipſos carmine conſolantes. Denique quicquid loquimur, vel intrinſecus arteriarum ſyſtole, & diaſtole commouemur, per muſicos rithmos harmoniæ virtutibus probatur eſſe ſociatum. Adeóque potens eſt animos inflectere Muſica, vt modi muſici denominati ſint à gente, cuius moribus moduli congruebant: dictáque eſt muſica Lydia, alia verò Phrygia; quia mollior gens vna, molliore tono ciebatur; altera ferocior, tonos etiam maſculos expoſcebat. Hæc Muſica ſuauis & ſonora, ſi ſit core tenus, pecudes æquè ac homines capit, plerumque vitio datur, vt quæ animos ad Venerem mulcet, & inclinat, vnde verſus.

Muſicæ ſunt multæ ſpecies.

Muſicæ effectus.

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit anceps.

Ea igitur Muſicæ encomia, ex Pythagoræ & Platonis placito, ſunt aliò detorquenda, Muſicam moribus componendis adaptando: ait enim Plato, maximè cauendum ne de benè morata Muſicâ aliquid permutetur; negat enim poſſe vllam tantam morum in Republicâ labem eſſe, quam paulatim de pudenti ac modeſtâ Muſicâ detrahere.

Muſica moralis.

In Mariâ exquiſitam fuiſſe Muſicam, ex eo liquet, quòd motus animæ & corporis diſſoni in aliis hominibus, fuerint in Mariâ omnino concordes: vt enim in arca Noë concordes fuere animantium indoles; ita & in hac arcâ Dei: nihil fuit inquietum, in qua virtutes omnes coëuntes conſenſu mirifico, concentum ediderunt hactenus inauditum; & Virginis huiuſce modulos, Bernardus ait in cœli muſica præualere. Sic ille. *Nouum quidem canticum illud, quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam virginum Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras, eſſe cantaturam, nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod ſolis licet, cum omnibus tamen virginibus, ei vt dixi commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam eſſe ciuitatem Dei: cuius vtique dulciſonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipſarum quidem virginum, vlla digna inuenietur, quia ſoli merito decantandum ſeruabitur; quæ ſola de partu, & partu diuino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in ſe; ſed in ipſo quem peperit: Deus ſiquidem matrem ſuam, ſingulari in cæleſtibus donaturus gloriâ, ſingulari in terris præuenire curauit & gratiâ.* Et vt Arion muſicus ſuis modulis Delphinos aliquando pellexit, & in his vnum qui dorſo exceptum, ex turbâ nautarum homicidâ liberauit, ita B. Virgo Maria ſuarum modulatione virtutum, piſcem eum attraxit, qui inſtar Delphini coronatus eſt, ſcilicet Chriſtum, qui in acroſtico Sybillarum dicitur ἰχθὺς, id eſt piſcis; ad quod videtur alluſiſſe Bernardus. *Vt quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter & paritura, Sancta eſſet corpore, accepit donum virginitatis; vt eſſet & mente, accepit & humilitatis: his nimirum virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua, & pulchritudine ſua, in cæleſtibus cognita, cœli ciuium in ſe prouocauit aſpectus, ita vt Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cæleſtem nuntium ad ſe de ſupernis educeret.*

Muſica virginum.

S. Bernard. homilia 2. ſuper Miſſus.
Virginum canticum in cœlo.

Mariæ quæſita virginitas & humilitas.

S. Bernard. ibidem.

Vide iam an liceat Mariæ modulationi aptare id, quod Vincentius in ſpeculo ſuo narrat de priſcâ Muſicâ, quâ Pythagoras adoleſcentem ebrium & æſtuantem obſcœnâ libidine, ſaniori menti, edito concentu reſtituit. Eodem etiam auctore, Terpandus, Aryon, & Mirbymus inſignes muſici, Leſbios atque Iones grauiſſimis morbis, præſidio ſui cantus eripuere. Iſmenias item inſignis cantor, medebatur ægris ſuaui ſuâ cantilenâ. Empedocles item efferos animos iuuenis furibundi dicitur Muſicâ cicuraſſe. Sed quid hæc ad Mariam, cuius meditatio virtutum, iniquos omnes compeſcit æſtus; imò dicam, Deum ipſum petitum noxis etiam ſæpe repetitis hominum, accingentem ſe ad vindictam fuiſſe placatum Mariæ precibus, vt Muſicâ animos ad pietatem inclinante.

Vincentius Bellouacenſis in ſpeculo ſub tom. 2. l. 17. cap. 13.
Muſica Pythagoræ adoleſcentem ebrii ſanauit.

Nobis vt Sauli Regi Muſicâ prouiſum eſt, aduerſus Sathanæ inſultus. Audi textum. *Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino, dixeruntque ſerui ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te; iubeat Dominus noſter Rex, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærant hominem ſcientem pſallere cytharâ, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſuâ, & leuius feras: & ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me. Et reſpondens vnus de pueris: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem*

Ex Figvris.
1. Reg. 16.
Muſicâ dæmon odit.

in

in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo. Nemo ſanè eſt, quem non aliquando dæmon exagitet, noxiæ cupidinis aculeo, aut ſaltem iniquo cogitatu iræ, ſuperbiæ, vel vindictæ; abigendus ille refuga ſpiritus, ſed Muſicâ, quæ procedat ab aliquo, cui inſint omnigenæ illæ qualitates, in Dauide recenſitæ. *Fortiſſimum robore, & virum bellicoſum.*

Mariæ conſenſus pro Incarnatione.

Hæc eſt Maria, cuius Anagramma, MARIA VIRGO, id eſt, MIRA VIRGO, animum eius ſtrenuum & inuictum enuntiat: quippe ea eſt de qua dicitur: Terribilis vt caſtrorum acies ordinata *Prudentem in verbis* Illa ipſa eſt, quæ eructauit verbum bonum: vt enim mundus vno Dei verbo, Fiat, effectus eſt; ita & ſenio confectus mundus, altero Mariæ verbo refectus eſt, cùm ait. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Eadémque vox, Fiat, quæ fecerat, & refecit: ô verbum prudenter editum, & ad quod eloquendum incunctante morâ,

S. Bernard. homilia 4. ſuper Miſſus.

Bernardus Mariam exorat! *Expectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ, ſtatim liberabimur, ſi conſentis: in Dei verbo ſempiterno facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui reſponſo reficiendi ſumus, vt ad vitam reuocemur.* Prudentia eſt circa electionem mediorum, & medium ſaluti noſtræ idoneum, erat illud Fiat prolatum à Virgine; ergo in hoc verbo fuit illa prudens. *Et virum pulchrum.* Laudatur Dauid à formâ, quaſi virtus inde aliquod accipiat incrementum, vt & arbitratus eſt Poeta, cùm egregiâ ſpecie captus ait.

EX SS. PATRIBVS.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Et licet ſit forma bonum fragile; eo tamen voluit & Deus Virginem inſignire bono: nam ex

S. Ambroſ. l. de his qui initiantur.

Gratia Dei potentior eſt natura.

Ambroſio *Animaduertimus maioris potentiæ eſſe Dei gratiam, quàm naturam.* Id eſt, ea quæ fuerunt edita virtute Dei naturâ inſciâ, præſtitiſſe eis quæ natura condidit Hinc vinum editum in Canâ Galileę, dicebatur optimum, quia fuerat miraculo ex aquâ procreatum: oculi cæcorum, quos Chriſtus aperuit, maiori acumine pollebant eis, quos natura virtute ſibi ſolitâ concinnauit. Ergo Mariæ ſpecies & forma egregia, præiuit aliis omnibus: Deus enim ipſe Mariam compegit in vtero B. Annæ ſterilis hactenus. Ideo S. Auguſtinus eam ſic compellat.

S. Auguſt lib. de incarnatione.

Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes angelicos ſpiritus excellentia ſanctitatis, tu maculâ nullâ fuſcaris, tu omni decore veſtiris. In eadem etiam eſt ſententia S. Epiphanius.

S. Epiphanius de B. V. Maria.

Natura formoſior es ipſis Cherubin & Seraphin, & tota denique ſpecioſitate plena.

Demum de Dauid ſathanam expulſoro dictum eſt *Dominus eſt cum eo.* Nihil prorſus eſt, nec inueniri poteſt aptius Virgini quam Gabriel affatus ait

Luc. 2.

Mariæ pulchritudo laudatur.

Dominus tecum. Deus in ea nobiliori modo fuit, quàm in arca fœderis, è qua promebat oracula, vt benè diſputat Ambroſius.

S. Ambroſ. ſer. 80.

Mariæ cũ arca fœderis omnimoda comparatio.

Arcam quid niſi ſanctam Mariam dixerimus, ſiquidem arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas; Maria autem ipſius teſtamenti gerebat heredem; illa intra ſe legem, hæc Euangelium retinebat; illa Dei vocem habebat, hæc Verbum; arca intus foriſque auri nitore radiabat, ſed & ſancta Maria intus foriſque virginitatis ſplendore fulgebat; illa terreno ornabatur auro, iſta cæleſti. Damianus ait, Deum in ea fuiſſe velut in throno ſuo. *Felix thronus in quo ſedet dominator Dominus, in quo, & per quem non ſolùm omnes, ſed & omnia renouantur.*

S. Petrus Damianus ſermone de natiuit. B. Virg.

Cùm ergo Maria vna ſit, quæ eminenter habeat dotes omnes ex Dauide recenſitas, ad dæmones expellendos; eoſdem & ſortietur effectus, quos & Dauid, de quo codex ſacer. *Quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül, & leuius habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Ita & nemo Mariam inuocauit, quin ad precum illius perquàm ſuaue melos, dæmones omnes illicò receſſerint;

1. Reg. 16.

ideò ſecurè ait Bernardus *Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt qui inuocatam te, in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe,*

S. Bernard. ſermone 4. de Aſſumpt.

Mariæ inuocatio ſalutaris.

Nec arcet dumtaxat Angelos nebulones Muſica B. V. Mariæ, ſed & ſuperos vſquequaque recreat, inquit Damianus. *Ex Maria, qui eſt thronus, laus Angelorum prorumpit & hominum, quia dum hic reſtituitur, ille reſarcitur, vtrique debens gratiarum deuotionẽ; noſti quid dicat qui ſedet in throno: ecce noua facio omnia* Scilicet ex throno.

S. Damian. vbi ſuprà.

Apocal. 21.

Mariæ obſequia omnia renouantur.

Faceſſant fabulæ, quæ Thebas fuiſſe cõditas mentiuntur, aptantibus ſe ſua ſponte ſaxis, ad muſicam Orphæi: hoc vni Mariæ conceſſum eſt, vt ea modulãte homines nequã perteſi ſcelus retroactũ, fiant cœli ſedibus aptiores.

Si aliam vis texere quæſtionem de Mathematica vt verſatur in continua quantitate; Mariæ etiam tota appoſitè quadrat Primum elementum totius quantitatis, continuę, immobilis, & conſtantis, eſt punctum. Dixi quantitatis fixæ & conſtantis, vt tempus reiicerem, in fluida & fugaci quantitate ſitum. Punctum, inquam, eſt exordium omnis rei quantæ: nimirũ

Puncti commendatio.

ea puncto lineæ conſtant; quæ ſi diducuntur in latum, ſuperficiem gignũt; quæ dum attollitur, altitudinem facit; ſicut cùm dehiſcit ſuperficies emergit inde profunditas; & in his quatuor cõſiſtit corpus Mathematicum, quod abſtrahit ab omni materia. In corpore enim, vbi Phyſicus inueſtigat materiam & formam, Matheſis incuria materiæ & formæ, ſpeculatur tantùm lõgitudinem, latitudinem, altitudinem, & profũditatem. Sic tituli potiores quos affingere poſſumus Mariæ ex Mathematica, hac dimenſionum enumeratione optimè concluduntur. Dicere enim Mariam habuiſſe omnes dimenſiones charitatis, id eſt, aſſerere eam fuiſſe vſquequaque in gratia cõſummatam, & hac Mathematica phraſi Apoſtolus vtitur, dum commendans amorem Dei ait, ſe optare vt fidelibus inſita ſit charitas, in omni dimẽſione ſua. Sic ille.

Charitatis dimenſiones quales ſint.

Det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per ſpiritum eius, in interiori homine Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in Charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum Hac etiam formula vſus eſt Iob, cùm ait. *Excelſior cœlo eſt, quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari.* Sic omnis dimenſio perfectionem probat.

Epheſ. 3.

Iob. 11.

Has omnes dimenſiones poſſe moraliter explicari, notat Auguſtinus in hunc locum Pauli ad Epheſios. *Ego hæc verba Pauli ſic intelligere ſoleo: in latitudine bona opera charitatis; in lõgitudine perſeuerantiã vſque in finem: in altitudine ſpem cæleſtium præmiorum in profundo inſcruta-*

S. Auguſt. lib. quinquaginta homiliarũ, homilia 5.

bilia

bilia Dei indicia: vnde iſta gratia in homines venit. Rurſus Mathematico encomio, Paulus euehit humanitatem Chriſti, dũ de homine Chriſto ait. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Id eſt, planè ſecundùm omnes dimenſiones Mathematici corporis, vt explicat S. Thomas. Fuit enim Deus in Chriſto per eſſentiam, præſentiam, potentiam, & hypoſtaſim in Chriſto, in quo inhabitat; ideò Græca habẽt κατοικεῖ, quod perpetuam habitationem ſignificat, & non temporalem, vt vox παροικεῖ: nam hæc duo verba κατοικεῖ & παροικεῖ ſe habent vt apud nos inhabitare & commorari. Inhabitare dicit ſtatum permanentem, commorari verò breue tantùm tempus inſinuat, vt notat Cicero, cùm ait. *Commorandi diuerſorium, non habitandi nobis natura dedit.* Aliquo etiam modo Mariæ congruit illa laus: nam cùm caro Chriſti ſit ex Virgine aſſumpta; plenitudo diuinitatis inhabitat hanc virginis portionem. Sed ſeriò magis expendamus B. Virginis ex Mathematica dignitatem.

Coloſ. 2.

S. Thomas in epiſt. ad Coloſ. cap. 2.

Punctũ quid ſit.

Primum elementum Mathematicæ eſt punctum, quod Euclides ait eſſe menſuræ principium, definit autẽ ille ſic illud menſuræ principium. Punctum eſt id, cuius nulla pars eſt. Linea verò ſine latitudine longitudo eſt. Nota non dari lineam ſine puncto, atque ita auſpicãdum eſſe à puncto. Punctum illud in Mariã fuit humilitas tanta quanta eſſe potuit in humanis Deus humanitatis noſtræ lineam initurus, necdum antea punctum repererat in humanis: cùm enim vellet ſemetipſum exinanire, formã induendo ſerui, aliud nihilum quærebat in humanis, vt aliud nihilum exigeret. Nam ſicut punctum additum puncto non facit maius; ita nihilo nihilum adiectum facit nihil: ſicut apud arithmeticos Zero additum Zero, facit Zero, id eſt, notam numeri cuiuſvis expertem, ſi ſola ſit ſuperſtes. Inuenta autem Mariæ virginitate humili, humilis Deus apparuit, quaſi redactus ad nihilum, iuxta illud Pſaltis. *Ad nihilum redactus ſum.* Et vt Archimedes punctum exigebat extra mundum, affirmans dato hoc puncto, ſe commoturum orbem; ita & Maria, humilitatis ſuæ exhibito pũcto, cœlos, & Deum cœlorum, non mouit tantùm, ſed & etiam inclinauit. *Commota eſt & contremuit terra*, inquit Pſaltes. Et quando hoc? ſane orta eſt illa commotio, Angelo Mariæ encomia reſonante: Maria enim turbata eſt in ſermone eius. & humilitate altiſſima dehiſcens ad abyſſos ait: Ecce ancilla Domini. & illicò hoc puncto edito in rerum naturã, id factum eſt quod præſciit Dauid. *Inclinauit cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Quippe hoc myſterium incarnationis, multa offuſã caligine ſubducitur captui non hominum tantùm, ſed & etiam Angelorum.

Euclides libro 1. de elementis Geometriæ.

Humilitas ſimilis eſt puncto.

Punctum ab Archimede optatum.

Pſal. 72.

Pſal. 17.

Ibidem.

Audi Bernardum de hoc puncto ſcitè diſputantem, & probantem humilia fuiſſe Virginis exordia, quibus debemus aptare quoque noſtra ſi ad Mariæ culmen volumus propius accedere. Hæc is Sanctus. *Quæ eſt hæc Virgo tam venerabilis, vt ſalutetur ab Angelo, tam humilis, vt deſponſata ſit fabro? Pulchra permixtio virginitatis, & humilitatis; nec mediocriter placet Deo illa anima, in quã & humilitas commendat virginitatem, & virginitas commendat & exornat humilitatem: ſed quantã putas veneratione digna eſt, in quã humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem, ſi non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis: laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas, illa conſulitur, iſta præcipitur; ad illam inuitaris, ad iſtam cogeris; de illa dicitur, qui poteſt capere capiat; de iſta dicitur, niſi quis efficiatur ſicut paruulus iſte, non intrabit in regnum cœlorum: illa ergo remuneratur, iſta exigitur. Potes denique ſine virginitate ſaluari, ſine humilitate non potes: poteſt, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam, ſine humilitate autem audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuiſſet: ſuper quem, inquit, requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum? ſuper humilem dixit, non ſuper virginem: ſi igitur Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus Sanctus non requieuiſſet, nec impregnaſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? patet itaque, quia vt de Spiritu Sancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potius quàm virginitatem; etſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit: vnde conſtat, quia etiam vt placeret virginitas, effecit procul dubio humilitas. Quid dicis, virgo ſuperba? Maria virginem ſe oblita, gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. Reſpexit (ait illa) humilitatem ancillæ ſuæ; quæ illa? Virgo vtique ſancta; Virgo ſobria, Virgo deuota; numquid tu caſtior illa? numquid tua fortè pudicitia gratior caſtitate Mariæ? vt tu ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tuã, quòd illa non potuit ex ſuã. Denique quantò honorabilior es ex ſingulari munere caſtimoniæ, tantò tu tibi maiorem iniuriam facis, quod eius decorem in te fœdas permiſtione ſuperbiæ; alioquin expedit tibi virginem non eſſe, quam de virginitate inſoleſcere. Non omnium eſt virginitas: multo tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas: ſi igitur virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quòd ſi & virgo, & humilis es; quiſquis es, magnus es.*

Maria virginitatem cum humilitate ſociauit.

S Bernard. homilia 1 ſuper Miſſus eſt.

Mariæ humilitas.

Iſaia vltimo Humilitatis neceſſitas egregiè deſcripta.

Mariæ humilitas quãta.

S. Ildephonſus huic puncto attribuit, id eſt humilitati, omnium Mariæ virtutum ſeu linearum exordium. Sic ille. *Beata virgo ſe humiliat in omnibus, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam conditoris quia multum ſe humiliauit inter diuinitatis commercia.* Et vt quibuſdam terræ plagis appẽditur tributum quoddam Reginæ calceis, dicitur que aurum inde exactum, vulgo, POUR LES PATINS, id eſt calceamẽtis reginæ ſacrũ; ita & Maria à calceamento regnat, vt ſponſus inſinuat in eius Epithalamio. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, filia Principis, in calceamentis!* Et virtutes Mariæ ſingulares, ſuum debent omne inſigne decus eius humilitati, vt Rupertus clamat. *Cuncta virtutes omnes, & gratia quæ Virginẽ exornabant, humilitati eiuſdem tributa pendebant.* Ex eo puncto velut è circuli centro, lineæ rectæ ſeu virtutes innumeræ deductæ ſunt. Ex Euclide, linea recta eſt, quæ æqualiter protenditur in ſuis punctis, ſeu vt alij loquuntur, recta ea eſt linea, quæ non deuiat ab extremis. Mariæ extrema fuère conceptio, & mors, à peccati contagio penitus illibata. Cùm igitur etiam ipſius vitæ contextus omnis fuerit innoxius, nulla eſt infra Deum rectitudo, Mariæ rectitudini comparanda. cui hac linea Deus illapſus, impertiit etiam virtutis omnigenæ dimẽſiones vſquequaque poſſibiles: dum igitur di-

S. Ildefonſus ſermone 2. de Aſſumptione.

Cant. 7.

Humilitas meretur alias gratias.

Humilitati tributũ pendunt aliæ virtutes.

Rupertus in 2. Cantic.

Euclides l. 1. de element. Geometr.

Linea recta quid ſit.

ctoſ

co, gratiæ & virtutis plenitudinem inhabitare corporaliter in Virgine, id eſt, ſecundùm omnem menſuram; in Mariæ elogiis nihil ſupereſt eloquendum.

Mariæ miſericordia nobis vtilior aliis gratiis.

Eamobrem, ô homo, qui es rerum omniũ indigus, ſi tuam optas leuare inopiam virtutis & gratiæ, Mariã conueni: ea quippe noſtras miſerata miſerias, occurret iuxta ſupplicum vota; exhauſit enim Mariæ pietas numeros omnes Arithmeticæ, ſicut & cũctos dimetiendi ritus: & inde exultat Bernardus, ſic compellans hanc beatam: *Nos ſeruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potius nobis ipſis: laudamus virginitatem, humilitatem miramur; ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius, miſericordiam amplectimur charius, recordamur ſæpius, crebrius inuocamus: hæc eſt enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit; conſtat enim pro vniuerſo genere humano fuiſſe ſollicitã, cui dictum eſt: ne timeas Maria; inuenisti gratiam vtique quã quærebas. Quis ergo miſericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem & latitudinem, ſublimitatem & profundum inueſtigare queat? nam lõgitudo eius vſque in diem nouiſſimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis, latitudo eius replet orbem terrarũ, vt tua quoque miſericordia ſit plena omnis terra: ſic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem & profundum eius, ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem; per te enim cœlum repletũ, infernus euacuatus eſt, inſtaurata ruina cœleſtis Ieruſalem; exſpectantibus miſeris, vita perdita data, ſic potẽtiſſima & piiſſima Charitas, & aſpectu compatiendi & ſubueniendi abundat effectu, æque locuples in vtroque.* Magnâ igitur confidentiâ, omniũ gratiarum & virtutũ dimenſiones accipe à Maria, quam Andreas Ieroſolymitanus Epiſcopus vocat διόπτραν: eſt autem dioptra inſtrumentũ, quo Mathematici metiuntur turrium altitudinem, & aliarum rerũ dimenſiones explorant. Sic ille. χαῖρε διόπτρα προδηλωτική. *Salue dioptra perſpectiua, per quam qui in triſti peccatorum vmbra ſedebant, recipientes deſuper cum gloria venientem ortum iuſtitiæ Solem, mirabiliter illuſtrati ſunt.* Si igitur cœlorum meditaris aſcenſum, ne deficias in hoc tuo excelſo conamine; conſule Mariam, & eius dioptræ ſuffragio ad cœlorum apicem aliquando tandem eueheris.

S. Bernard. ſermone 4. de Aſſumpt.

Mariæ miſericordia quã magna. Mariæ miſericordia quas dimenſiones habet.

Maria eſt dioptra.

S. Andreas Epiſcopus Ieroſolymitanus ſermone de Annũtiat.

EX HISTORIA.

Sed caue, ne incautè attrectes Mathematicæ ſupellectilem; ſiquidem inſtrumenta illius artis delicata, etiam magnâ cautelâ ſunt attingenda: & vtinam conuenirent omnes B. V. Mariam eo apparatu, quo heroina mulier Ioanna Auſtriaca, ædem Lauretanã inuiſit. Præpotens illa mulier neptis Caroli quinti Imperatoris, filia Ferdinandi Imperatoris, & vxor Franciſci Magni Ducis Hetruriæ, ictã deſiderio inuiſendi ſacellum illud Lauretanũ, perquàm celebre orbe toto, vtpote in quo Angelus B. V. Deiparã de illapſu Verbi certiorem fecit: hæc mulier nobilis primò Gregorium decimum-tertium cõſuluit, vt eo Pontifice annuente iter capeſſeret, ſuo ſic voto factura ſatis pontificio dignata ſuffragio, regio ſtipata comitatu progreditur Lauretum verſus & eminus æde cõſpectâ, e vehiculo proſilijt, & prona in terram Mariã inclinata ſalutauit, reliquumque viæ confecit pedes, Lauretũ intrauit in veſte candida, mentis illibatæ albedinẽ indicante; & cùm à duobus Epiſcopis introducta fuiſſet in ſanctam domum, ſpretis aulæis atque puluinaribus, nudo pauimẽto genua applicuit, cœli Regẽ, Reginãque illius domus olim accolas, nunc præſides impensè colens, multa oratione deprecata eſt, triduumque illic expleuit, tãdem ſacris initiata myſteriis, & petita à Deipara maſcula ſobole, ædiculæ tholo appendit duo corda ex auro obrizo, in teſſeram concordiæ coniugalis, multaſque obtulit veſtes ſacris ritibus idoneas. Domum reuerſa facta eſt voti compos: quippe filium enixa eſt, & demum vitam egit innoxiam.

Laurentius Beyrlinck in tomo 5. Theatri ſui.

Mariam quã cautelâ orauit Ioanna Auſtriaca.

O typum egregium mentis eius quam à ſuis expoſcit Maria candidatis! Inſignis illa mulier primò de voto expendendo conſuluit Pontificẽ; ita & tu ô anima Deiparæ ſacra, ante acceſſum ad Mariam, conueni ſacerdotes, a quibus accipies ſtolam gratiæ albicantem: pia mulier abdicato faſtu procumbens orauit, & ſacro pane paſta corda aurea, B. V. Deiparæ conſecrauit; ita & potiſſimus ille cultus, quo Maria gaudet, eſt oblatio cordis: fruſtra enim te Mariæ cultorem fingis, ſi cor tuum vitij alicuius obſequio mancipetur. Petiit illa filium maſculum & litauit: a fœmina diſce, ô homo, nihil muliebre expetendum à Virgine Maſcula atque viragine. Cùm ſanitatem, opes & honores efflagitas, fœminina petis: à Matre filium pete, filium ſuũ Dominum Ieſum non abnuet, imò vltro & ſponte, ſicut olim Simeoni, illa hunc tibi filiũ exhibebit. Sed memor eſto adhuc offerre veſtes ſacras, ſcilicet virtutis affectum & praxim in poſterum: ô ter quaterque beatum te, ſi eo ritu ſacris Mariæ pedibus aduoluaris: nunquam ab hoc gratiarum throno recedens abibis indonatus. Sed eſto ille orationum cultus Mariæ arrideat, ille magis placet qui in eius virtutum ſpeculatione ſitus eſt; nam eius virtutum praxis meditata animos excitat ad ſequelam.

Igitur vt Plato volebat pueros nobiles à teneris vnguiculis aſſueſcere seriò Mathematicis, vtpote quæ ſint faciles captu, & ferientes ſenſum; ita & Sancti inculcant pietatem in Mariam, etiam puerulis, quibus Mariæ imagines atque roſaria exquiſita obiiciuntur, vt ab incunabulis diſcant egregia facinora Virginis æmulari. Ita Alexander adoleſcens, vbi legit in Homero Achillis heroica facta, adeò illius Herois ebibit animum, vt Achillem etiam rerũ præclare geſtarum gloriâ ſuperarit.

Vt Honorium Principem minime degenerem efficeret Claudianus, eum hortatur ad lectionem hiſtoriæ, quæ inſtar Mathematicæ diſciplinæ, dimenſiones præbet ad virtutes explorandas. Sic ille Poëta induſtrius, Theodoſio charus voluit filium Imperatoris Honorium ad virtutum magnorum Heroum tramitem prouocare.

Claudianus ad Honoriũ. Hiſtoriarum libri quàm vtiles.

Interea Muſis animus dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat vnquã,
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas
Antiquos euolue duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in æuum.
Libertas quæſita placet, mirabere Brutum,
Perfidiam damnas, Metij ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius. Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruẽtes.
Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto,
Oppoſitus Cocles, Mutii te flamma docebit.
Quid mora perfringat Fabius, quid rebus in arctis

Dux

Dux gerat, oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obſiſtere caſus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regale, Succeſſus ſuperant aduerſa Catonis.
Diſcitur hinc, quantum paupertas ſobria poſſit.
Pauper erat Curius, Reges cùm vinceret armis.

Mariæ virtutes nos ad imitationem ſollicitant.

O Beatiores nos Principe Honorio, ad quem efformandum operæ-pretium fuit tot euoluere & deuorare libros. Nos verò vni Mariæ intenti, ex ea virtutum omnium ideas omnes ediſcemus: & vtinam indoles nobis inſideret eorum piſciculorum, qui capti odore ſuaui quem ſpirat cetus ingens piſcis, eum iugiter ſtipant; vnde Camerarius Symbolum hoc concinnauit: pinxit cetum, cui adhærent plures piſciculi, hoc titulo deſuper. SIC TVA NOS VIRTVS. Nobis Maria ſemper obuerſetur, & hanc ſic exoremus.

EX SYMBOLIS. *Camerarius in Centuria de piſcibus.*

SIC TVA NOS VIRTVS ALLICIAT VT OMNE VIRVS ELICIAT.

ENCOMIA B. V. MARIÆ ex Aſtronomia.

In hæc verba.

Liber Generationis IESV Chriſti.

SECTIO QVINTA.

Plato in Cratylo.

HOminis indolem ſcrutati plerique Philoſophi arbitrati ſunt, nobiliſſimnm hoc animal editum eſſe ad cœleſtia meditanda: in his extitit Plato, qui ex etymologia vult hominem cœlo conſpiciendo natum. Ex hoc enim Deorum gentilium interprete, ἄνθρωπος, quaſi, ἀναθρῶν ὄπωπας, conſiderans aſpectus. Alij volunt dici, ἄνθρωπον, παρὰ τὸ ἄνω ἀθρεῖν, à ſurſum aſpiciendo, vel, ἀπὸ τοῦ ἄνω τρέπειν, quòd ſurſum vertatur: eò collimauit Ouidius, cùm hominis figuram ſic explicat.

Homo quare, dicatur Anthropos.

Ouidius li. 1. Metam.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terras
Os homini ſublime dedit cœlumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Homo ſtatura erecta.

Et reuerà nihil æquè hominem afficit, vt facies illa cœli multicolor, oculos interdiu recreans, ſicuti noctu ſiderum rutilans agmen: ex hac autem ſedula ſiderum indagine, exurrexit pars illa Mathematicæ, quam Aſtronomiam vocant, io qua ipſi etiam Patriarchæ fuere periti ſſimi, à quibus apud Ægyptios fuit illa diſciplina longè latéque diſſeminata, eoque adoleuit illa ſcientia, vt plerique fuerint libri conflati cœleſtis illius ſiderum argumenti; diceresque noo iliadem tantùm eſſe acumen ingenij, in nucis putamine concluſam, quàm facinus audax, cœlorum globos propè immenſos, & ſiderum choros vno volumine coarctaſſe.

Sed eſto ſit res ardua, in globo ab homine effi-cto in tenui ſpatio, videre momenta temporum diſcreta, cœlorum gyris interpunctis, ſingulis quibuſque gradibus; licet, inquam, ſupra hominem ſit inuere chartæ aſteriſmos, planetas, & varios orbes molem iſtam totam mundi ambientes; Deus alium nobis librum aperuit, generationis rerum omnium cœlo toto micantium. Liber ille eſt Maria, cuius ortum ſimilem exordio cœli, accipe ex fontibus Hebræis. Gens illa à Deo primitus inſtituta ait aquas, à ſæculo, in immenſo veluti ſinu poſitas fuiſſe, quaſi fermentum ſiderum, & cœlorum: quippe Hebræi arbitrantur, cœlos ex aquis fuiſſe compactos; idque probant ex nomine cœlorum, & ex codice Sacro. Nam cœli dicuntur. *Scham maim* שם מים id eſt *ibi* שם *aqueſcham* idem eſt ac *ibi* & מים aquæ. Fauet Moyſes in recenſione Geneſeos cœli, ſic enim ait. *Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Diceres hoc contextu probari cœlos ex aqua, media ipſa in aqua compoſitos. Si hæc à vero non abſunt, omnino quadrant productioni Beatæ Virginis Mariæ: nam de aquis ait Moyſes. *Congregationes aquarum appellauit maria.* Ita & Sancti omnes, gratiæ omnigenæ abyſſum Mariam appellant; & ex his aquis limpidis conflatum eſt cœlum myſticum, quod Mariæ nomine nuncupatur.

Cœli ex aqua conditi; Gen. 1.

Ibidem.

Et ne exoticum putes hoc inuentum, idoneum titulo ſectionis, quæ Deiparam extollit ex Aſtronomia, accipe Damaſcenum ſcribentem eumdem Deum cœli opificem, ex aquis aliud cœlum condidiſſe, dum Mariam Virginem efformauit. *Ex terrena natura cœlum in terra ille edidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat atque in altum extulerat. Ac ſanè hoc illo longè diuinius eſt: nam qui in illo Solem effecerat, ex hoc Sol iuſtitiæ exortus eſt.* Damaſceni ſenſum Auguſtinus anteuertit; ſic enim ille ait. *O Maria ſi te cœlum voco, altior es.* Aſtronomi diſpeſcunt firmamentum à cœlis Planetarum; ita & Sancti aliàs Mariam firmamentum, aliàs ſimpliciter cœlum nuncupant. Ita S. Bonauentura. *Virgo fuit firmamentum, ſemper vniformiter motum, per patientiæ firmitatem: nam licet in ea aquæ inferiores, id eſt vires ſenſitiuæ, fortiſſimè fuerint concuſſæ in filij ſui paſſione; tamen ſuperiores à ſua non fuerunt pace commotæ; & licet ſentina nauis, id eſt pars ſenſibilis, repleta fuerit aquis maris, pars tamen ſuperior nauis, ventis proſperis nauigauit.*

EX SS. PATRIBVS.

S. Damaſc. oratione 1. de natiuitate B. V. Mariæ.

S. Auguſt. De Sanctis. Sermone 35.

S. Bonauent. ſerm. 1. de Virgine.

Maria eſt firmamentum.

Cœlum eſt anima iuſti.

Et hoc congruit animaduerſioni Phyſiologiæ, ex quà vapores ſeu terræ fuligines ad ſidera non pertingunt; ita etiam Virgo cœlo exceſſior, fuit ſupra omnem colluuiem rerum inferarum, vtpote neſcia næuorum, quibus obnoxij fuere alij homines, ita vt vni tantùm Mariæ magis quàm aliis omnibus poſſit iſtud Ruperti effatum adaptari. *Cœlum eſt ipſa mens ſapientis, vt quæ habet lucida ſidera, ſtatutos motus, concinnas choreas, diuinos circuitus, virtutum ſplendores fulgidiſſimos; in medio huius cœli Deus.* Priſci Philoſophi nouem reperere cœlos; ſed recentiores decimum adiecerunt, quod nuncupant cœlum trepidationis, à motu ei indito, quo nutare illud cœlum liquet, ex declinatione ſiderum firmamenti. Ita & olim erant nouem cœli myſtici, videlicet nouem ordines Angelorum; ſed vbi Maria agnita eſt, decimi cœli ſibi partes & munia vendicauit.

Rupertus in Matthæum.

Cœli iotelligentiam habent, cuius impulſu gyrant: ita & Maria ad Angeli affatum tota contremuit: *Turbata eſt in ſermone eius.* Cœlum illud trepidationis omnes alios cœlos ſidereos continet & concludit; ita & Maria quicquid vnquam aliis Sanctis impertitum fuit gratiæ, illud totum poſſidet eminenter iuxta illud Prouerbiorum. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas.* Vbi

Luc. 1.

Maria omnes Angelos & ſanctos antecellit.

Prouerb. 31.

S. Bonauent. in ſpeculo B. Mariæ, lectione 2.

Bonauentura. *Si filias iſtas intelligamus ſanctas animas, vel intelligentias Angelicas nunquid non ſupergreſſa eſt diuitias Virginum, Confeſſorum, Martyrum, Apoſtolorum, Prophetarum Patriarcharum, & Angelorum? cùm ipſa ſit primitiua Virginum, ſpeculum Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum. Quid enim de diuitiis horum omnium defuit? Hieronymus enim ait: Mariam ſi diligentius aſpicias; nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, & gloriæ, quod in ea non reſplendeat.* Hæc Bonauentura, qui paulò antè hæc ſcripſerat. *Fuit in Maria multitudo meritorum, & premiorum, cui contra multa damnatorum mala in inferno iam Deus præparauerat multa bona in cœlo; ita vt nullus Angelus, nullus ſanctorum ei æquari poſſit in multitudine & congregatione bonorum cœleſtium.* Alibi idem Sanctus huius cœli amplitudinem ſic metitur. *Quis eſt cœlo maior? certe ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? non vtique domus per Salomonem ædificata; ſed domus per illam ſignificata Deum capere potuit. Tu ergo immenſiſſima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti: tu capaciores mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Si ergo Maria tam capaciſſima fuit ventre, quantò magis mente; & ſi capacitas tam immenſa fuit gratia plena, oportuit vtique quod gratia illa quæ tantam impleuiſſe potuit capacitatem eſſet immenſa. Quis immenſitatem Mariæ poteſt menſurare? Ecce quod dicitur in Eccleſiaſtico. Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Cœlum eſt Maria, tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus aliis virtutibus abundauit: tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta, qui dicit: Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam. Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait: terra dedit fructum ſuum. Abyſſus etiam eſt Maria in bonitate & in miſericordia profundiſſima: vnde etiam miſericordiam profundiſſimam filij ſui pro nobis interpellat, & quaſi abyſſus abyſſum inuocat. Quis Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolùm in gratia & in gloria, ſed etiam in miſericordia, tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundam operatus eſt?* Hactenus Bonauentura, Mariæ addictiſſimus.

S. Hier. epiſt. 10. ad Paulam & Euſtoch.

S. Bonauent. vbi ſuprà.

S. Bonauent. in ſpeculo B. Mariæ Virginis lectione 5.

Maria cœlo fuit capacior.

Pſal. 102.

Pſal. 84.

Itaque Mariæ rationem cœli congruere non eſt quod quiſpiam eat inficias: ſed rimanda ſunt ea, quæ ſcrutantur Aſtronomi circa cœlos, an & Mariæ quadrare queant. Hi rerum cœleſtium aſſertores, motum, ſitum, molem ſiderum inueſtigant; & hæc tria perficient iſtam ſectionem. Cœlis conſtat duos ineſſe motus, quorum vnus eſt illis inſitus eſt à natura, quo vergunt ab Occidente ad Orientem: alius eſt violentus, quo à primo mobili raptantur ab ortu iugiter ad occaſum. Hunc duplicem ſe mouendi ritum animaduertere eſt in Maria, quæ motu naturali ab occaſu Synagogæ, ad Orientem Eccleſiæ exurrexit; ſed quia & hoc Ioanni Baptiſtæ affine eſt; dicamus rem vni duntaxat Mariæ attributam, ſcilicet eam à primo inſtanti ſuo eductam à natura humana Occidente, ad gratiam Orientem; ita vt quod reliquis fuit occaſus gratiæ, illud idem fuerit chariſmatum Mariæ præludiū. Nimirum Mariæ conceptio fuit illi exordium gratiæ, aliis verò conceptio eſt malorum omnium inceptio, & gratiæ occaſus: ſi verò res eſt de motu, quo Maria à ſuperiore mobili acta eſt, is fuit morarum impatiens, & ſine exemplo citiſſimus, vt & ſcriba ſanctus ait. *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione.* Cuius autem ſpeciei fuerit ille gyrus, ſi ſedulus inueſtiges, reperies fuiſſe ab Oriente ad Occaſum: Maria enim ab ortu ſuo, vitiorum omnium occaſum eſt omnimodè conſequuta; in hoc anteuertens cœli pernices circuitus, quòd illi, vigintiquatuor horarum ſpatia poſtulent vt recurrant: Mariæ verò ortus ad gratiam, fuit occaſus omnium eorum, quæ gratiam quouis quoque modo præpediunt.

Maria & cœli comparatio adæquata.

Luc. 1.

Ex Theologia.

Eamobrem Theologi expungunt à Virgine Matre fomitem omnem peccati: eſt autem ex S. Thoma fomes peccati, inordinata & habitualis concupiſcentia appetitus ſenſitiui; cuius vt ex bicipiti fonte duo mala fluunt, vnum eſt propenſio quædam ad malum, aliud eſt difficultas ad bonum: nam vt lignum, quod ex incendio abiit in prunas, relinquit etiam in prunis extinctis aptitudinem ad ignem concipiendum: ita etſi Adam, qui dæmonis incendio conflagrauit, ſuperinducto cinere mortis extinctus ſit; tamen filij Adam vt carbones humore gratiæ exhauſto, faciles ſunt ad excipiendas adhuc flammas infernales peccatorum, quæ ſcintillant in homine vitiato; & hæc inclinatio ad peccandum dicitur fomes. Quemadmodum enim fomes eſt omne quod citò obedit flammæ; ita inclinatio illa, qua homo pronus eſt ad quæque deliquia, fomitis nomine nuncupatur. Maria autem fomiti illi minimè ſubiacuit ex S. Thoma: nam prima gratia, qua Mariam alluit, obiuit vices gratiæ originalis, ita vt fomes in Maria extinctus ſit ab ortu eius, nec inſultus naturæ iniquæ vnquam paſſa ſit; non eo beneficio gaudens ſicuti plerique Sancti, qui in præmium virtutis emeritæ, veluti veterani milites in alea virtutis conſpicui, fomitē peccati poſtea non ſenſeruot: non, inquam, Maria potita eſt eo indulto ex vſu rationis naturam deuiam dirigente, ſed ex abundantia gratiæ, quæ fomitē hunc penitus expumxit, qui Chriſto in Mariæ vtero concepto, omnino deperiit. Et hoc præſciuit Ezechiel. *Ecce gloria Dei in Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem.* Id eſt, per Beatam Virginem; & terra, id eſt, caro ipſius ſplendebat à maieſtate eius, ſcilicet Chriſti: gratiæ igitur exortus in Maria fuit fomitis occaſus, Deo Deiparam hanc percellente gratia ſingulari.

S. Thomas 1. 2. qu. 82. ar. 3

Maria à fomite peccati immunis.

S. Thomas 3. p. qu. 27. ar. 3.

Ezechiel 43.

Apoc. 12.

Ex SS. Patribus.

Aſtronomi meditato cœlorum ambitu, quem intelligentia quædam circumagit, ſiderum ſitum & ordinem inueſtigant. Firmamento primas tradunt, cui planetas ſeptem ſuo ordine ſubiiciunt: ita & nos in Maria reperimus ſtellas firmamenti & Planetas; totaque illa compages cœlica Virgini adiecta eſt à Deo, vt ſpeculari eſt in eo habitu, quo Ioannes eam vidit præ aliis cunctis ſideribus emicantem, ſic ille. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna, ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Firmamentum duodecim ſigna zodiaci vltro tribuit ad coronam, & Planetarum orbes, duo luminaria magna, ad Mariæ

Maria ſtellis coronata eas ornat ſua luce.

Virginis

S. Bernard. in ſermon. ſuper illud ſignum Mag.

Mariæ corona quibus gemmis conſtet.

Virginis inſigne decus explicarunt. Solem ſcilicet in amictum, & Lunam in ſuppedaneum. Coronam aliàs inaſpectam Bernardus ſic demirans ait: *Ingredimini, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam filius ſuus. Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micãs ornet eas potius quàm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera, quam Sol veſtit? quis illas æſtimet gemmas? quis ſtellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Supra hominem eſt coronæ huius rationem exponere, iudicare compoſitionem. Non incongruè forſitan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria ſingulariter adornatur.* Nota in ſcripturis duodenario numero vniuerſitatem deſignari, vt per duodecim tribus Iſrael omne hominum genus iudicandum, per duodecim legiones Angelorum, omnes choros beatorum illorum ſpirituum. Ita duodecim coronæ Virginis ſidera micantia, alios Aſteriſmos quoque firmamenti deſignant, in illo diademate coeuntes.

Maria Sole amicta.

Mariæ plenitudo gloriæ data.

S. Bonauent. in ſpeculo B. Mariæ lectione 7.

S. Damian. ſermone de nati. Mariæ.

S. Method. orat. in hypapa.

S. Bernard. epiſt 174.

Maria vt Sol in bonos & malos influit

Idem in ſermone, ſignum Magnum.

Maria lucis abyſſum penetrauit.

Quid autem Sol & Luna inſinuent audiendus eſt Bernardus. *Mulier amicta Sole, planè amicta lumine tanquam veſtimento, quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imo quàm intima fieri meruiſti, quantam gratiam inueniſti apud Deum: in te manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo; veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit te ille gloriâ ſuæ maieſtatis, veſtis Solem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Maria Soli immerſa, plenitudinem eam gloriæ adepta eſt, quæ nemini infra Deum eſt conceſſa. Inde hæc ſunt encomia Sanctorum, ſcilicet Bonauenturæ, Damiani, & Methodij. Sic Seraphicus Doctor. *Quid mirum, ſi lætitiam, & gloriam plenam, & ſuperplenã habet in regno, quæ gratiam plenam, & ſuperplenam habuit in exilio.* Damianus verò ſuperior Bonauenturâ, ſic monet. *Attende Seraphin, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis ſolum opificem illud opus ſupergredi.* Methodius etiam iſto antiquior ita fatur. *Qui dixit: honora patrem, & matrem, vt id decretum à ſe promulgatum obſeruaret, & alios excederet, omnem matri & gratiam, & honorem impendit.* Bernardus ſuam explicans mentem, ait. *Ne ſteteris vel inter Angelos Virgo Beata, ſublimius aliquid tuo ſibi miniſterio propinandum ſitiens terra præſtolatur, paululum cùm pertranſieris, eum inuenies, quem diligit anima tua.* Idem Sanctus aliâ rationem edit, quare Solis amictu Virgo Maria fuit inſignita. *Ea eſt quæ velut alterum Solem induit ſibi: quemadmodum enim ille ſuper bonos, & malos indifferenter oritur; ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam & præbet: omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu; nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis ſeu corruptionis eſt, excellentiſſimâ quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, vt meritò ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur, iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyſſum, vt quantum ſine perſonali vnione, creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.*

Si quod mirabile extat in curriculo Solis illud eſt linea Ecliptica, à qua Sol minimè aberrat, etſi reliqui omnes Planetæ declinant aliquando ad Boream, vel ad Auſtrum, vt videre eſt in Ephemeridum libro, quo ſidera errantia patet nunquam conſtare ſibi: ſed iam directos, mox retrogrados videre eſt, in varias inclinare partes, quaſi viæ inſcij titubarent. Eo planè modo Deus mirabilis in Sanctis ſuis omnem admirandi ritum ſuperat in Maria Regina Sanctorum: nam Sanctorum aliqui declinauerunt aliquando ad Boream, id eſt ad ſeptem illas ſtellas, quas triones vocant, quæque referunt ſeptem peccata lethalia: multi inquam adſcripti cœlis fuerunt, antea præpediti laqueis peccatorum: Alij verò ſecus declinauerunt ad auſtrum; nimio enim feruore perciti, corpori ſuo fuerunt iniurij, vt Beatus Franciſcus, qui verè Seraphicus, quaſi neſcius ſui, dies multos agebat impaſtus, & hac inediâ ieiunum corpus adeò afflixit, vt in ſupremo agone poſitus, petierit à corpore ſuo, veniam, ob vitæ durioris inſtitutum.

Sermone in Apoc. ſignum Magnum.

Mariæ lux quanta.

Mariæ luna ſubiecta quid ſignificet.

Vna eſt Maria, quæ nunquam reſiliit à linea illa Ecliptica, medium Zodiacum æquo tenore reſecante. Nimirum vt illa linea lumine Solis iugiter albeſcit; ita & à Maria lux nequaquam abfuit: nec leuioris vnquam deliquij eam vnquam nubecula tantulum opacauit. Hoc notat Bernardus, cum Mariam Sole amictam explicat & Lunæ eminentem: ſic ille. *Maria luci inacceſſibili videtur immerſa; illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur: longè verò aliter Maria meruit, non velut ſummatim tangi; ſed operiri magis vndique, & circunfundi, & tanquam ipſo igne concludi. Candidiſſimus ſanè, ſed & calidiſſimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in ea non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentiſſimum liceat ſuſpicari. Inſipientia verò longè omnis ſub pedibus eius eſt, vt penitus abſit hæc ab inſipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum; imò verò & vnicus ille ſtultus & totius ſtultitiæ princeps, qui verè mutatus vt Luna ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus, miſeram patitur ſeruitutem. Nimirum ipſa eſt quondam à Deo promiſſa mulier ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis verſutus inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa; ſola enim contriuit vniuerſam hæreticam prauitatem.*

EX PHILOSOPHIA, *Ariſtot. li. 1. de cælo c. 3.*

Maria Dominum ſecũ quot modis habuit.

Aliud eſt ſiderum encomium quod & Mariæ quadrat, ſcilicet cœli corruptionem neſciunt. Nam ex Ariſtotele quicquid corrumpitur aut gignitur, illud ex contrario accidit, at cœlis nihil eſt contrarium: ſunt enim expertes omnis qualitatis interitui obnoxiæ. Rurſus principium corruptionis, quam corpora ſubeunt, attenditur penes materiam primam, quæ varias induere poteſt formas: at materia cœleſtis in hoc ab infima diſſita eſt, quòd iſta omnes appetat formas; illa verò vni tantùm formæ idonea, vbi eâ formâ accincta eſt, aliàs omnes reſpuit, ac proinde nequit à ſuo ſchemate dimoueri. Ita & Maria vbi in conceptione Deo fuit informata, nullum vnquam eſt paſſa gratiæ deliquium; imò ex Spiritus Sancti illapſu, adeò tenaciter Deo adhæſit, vt ab eo diuelli minus potuerit, quàm à Roma Capitolij immobile Saxum: quia Deo informata erat virgo innoxia; ideo ait Angelus ei. *Dominus tecum.* Et Bonauentura Angelo occinens,

In ſpeculo B. Mariæ lectione 8.

ſic in Mariæ laudes effunditur. *Ecce, Maria quantus Dominus eſt, quàm potentiſſimus Dominus eſt, qui tecum eſt;& quia Dominus potentiſſimus, potentiſſimè tecum eſt, ideò & tu es potentiſſima ſecum, potentiſſima & per ipſum, potentiſſima apud ipſum; ita vt verè dicere poſſis illud Eccleſiaſtici: In Ieruſalem poteſtas mea.* Eò reſpexiſſe arbitror Pſalten, cùm ait.* *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Id eſt à primo articulo creationis Deiparæ, ſanctificata eſt, & informata gratia, à qua cadere non potuit.

Pſal. 45.

Ex Historia. *Plutarch. in Marcello.*

Quæ ſint Planetis inſitæ vires aperiam proxima ſectione, hic ſatis erit dicere Solem, ſi excipiatur ſpeculo concauo flammas ſuſcitare; vt exemplo Romanis noxio teſtatus eſt Archimedes, qui claſſem hærentem portui flammis deuouit, igne è ſpeculo iaculato: ita & Maria ſi animas fuerit nacta humilitate concauas, & pietate renitentes; procul dubiò ea illas accendet, & hæc flamma adoleſcet io cum quoque cumulum, qui ſatis ſit ad animas amore Dei vtique iugi depaſcendas. Audi Bernardum. *Tolle corpus hoc ſolare, vbi dies? tolle Mariam maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluēs.* Cyrus dormiens Solem amplexus tertiò, rem detulit ad Magos, qui alto ſcrutinio hos Solis amplexus recolentes, tres decadas annorum adiiciendas vitæ Regis affirmarunt. O te terque quaterque felicem, ſi Mariæ genibus aduolutus, pedes ſacros merearis amplexari; omnia ſiquidem iſtius viuifici Solis aſpectibus recreantur.

Serm. de Aqua-duct.

Solis amplexus fuit Cyro bonum omen. *Xenophon in vita Cyri.*

Ex re Medica. *Laurentius in tractatu de Criſibus. 2. Paral.*

Sole patiente ecclypſim, Medici aiunt ægros decumbentes incurrere in diſcrimen, & maximè inſtante criſi, & viribus exhauſtis: nec perperam codex Sanctus mortem Achab enuntians, hoc aduertit. *Mortuus eſt Achab occidente Sole.* Ita & auſim aſſerere omnia peccata hominum perpetrari, occidente Sole, id eſt ab hominibus incuriis de Mariæ cultu. Pleroſque videre eſt, qui Mariæ cultu vigente ſteterunt incolumes: ſed vbi tepor irrepſit, & Mariæ radius abfuit; deſiit illicò omnis fulgor gratiæ animam illuſtrantis. Ad quod alluſit Pſaltes. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.* Incognitus in hunc Pſal. ait, Dæmones irrepere in animam tenebris peccatorum opacatam. Dæmon dicitur beſtia, quaſi vaſtia à vaſtando: miſerandus enim ille eſt ſtatus hominis, quem caligo criminis obumbrat; omnia quippe illius irruente dæmone peſſum eunt.

Peccati tenebræ dant locum diabolo.

Pſal. 103. Incognitus in Pſal. 103.

Huius beſtiæ audi nefandos auſus apud Gregorium. *Callidus aduerſarius beſtia terræ dicitur, quos viuentes blandiens decipit, hos morientes ſæuiens rapit.* De hominis innoxij anima, cui Sol eminet, ait Iſaias. *Mala beſtia non tranſibit per illam.* Pſaltes verò antitheſim hominis iniqui & inſontis ſic concludit. *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur; exibit homo ad opus ſuum.* [Reuerà ad Mariæ exortum anima à Deo diſcreta, ſui compos effecta, colligitur intra ſe velut in cubili.] & exoſa nefas omne, ſupplex aris aduoluitur: demum pœnitens & ſacerdos congregati, opus heroicum peragunt; pœnitens confitendo, & presbyter abſoluendo. Caue ergo, ô reprobe, ne moriaris occidente Sole id eſt, Mariâ tuos actus noxios auerſatâ.

Diabolus beſtia terræ nuncupatur. *S. Gregor. in Iob. cap. 9. Iſaias c. 35. Pſal. 103.*

Ex Historia. *Krantzius libro 10. metropoli.*

Ludouicus Pius imperator, & Rex Gallus, Mariæ obtutus ſciens eſſe ſalutares, imaginem eius igneam affabrè effictam adeò deperibat, vt etiam ad venationem egrediens, illam circumferret; vt dum per quietem liceret aſpicere in arbore collocatam, humili obſequio excoleret, nec vnquam ſine Maria comite aliquid aggreſſus eſt; & vt ingrati animi notas expungeret, eidem imagini templū auguſtum commendauit. Vtinam, ô homo, Mariæ cliēs, æmulus eſſes Pij Regis, & nihil auderes inſciâ Mariâ, ſed omnia fauſtis eius ageres auſpiciis, ſine quibus fruſtra fit omne quod fit, vt benè Bernardus edocuit. *Quicquid illud eſt quod offerre Deo paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat quo influxit; neque enim impotens erat Deus, & ſine hoc aqua-ductu infundere gratiam, prout vellet, ſed tibi vehiculum voluit prouidere: fortè enim manus tuæ, aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excuſſiſti, ideòque modicum iſtud quod offerre deſideras, gratiſſimis illis & omni acceptione digniſſimis, Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.*

Mariæ imaginem Ludouicus Pius Imper. ſecum tulit.

S. Bernard. ſer. de Aqua-ductu.

Mariæ commendanda ſunt omnia noſtra. Maria alueus gratiarum.

Vt autem Mariam tibi deuincias; eodem ritu, quo & Ludouicus Galliæ Rex, templum illi erige vtique teipſum templum, inſtar eorum, quæ Galliæ Reges Deo conſecrant, vbi lilia pleraque conſita, altare inſtar horti liliati amœnum faciunt. Ad hoc omnes homines hortatur Bernardus. *Curemus habere lilia, fratres, extirpare ſpinas, & tribulos, & inſerere lilia feſtinemus: ſi quando fortè & ad nos paſcendus dignetur dilectus deſcendere: apud Mariam vtique paſcebatur, idque copioſius pro multitudine liliorum, an non lilia virginitatis decus, humilitatis inſigne, ſupereminentia charitatis? Erunt tamē & nobis lilia, quāuis inferiora valde, ſed nec inter hæc quidem dedignabitur paſci ſponſus: ſiquidem eas quas prædiximus actiones gratiarum, deuotionis hilaritas illuſtrauerit; orationem intentionis puritas candidauerit; confeſſionem indulgentia dealbauerit, ſicut ſcriptum eſt: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: nimirum lilia candidiſſima ſunt: nec cauſabitur ille liliorum amator, inter lilia non inuentum, quicquid illud ſit, quod inter Mariæ manus inuenerit.*

S. Bernard. vbi ſuprà.

Lilia quid ſignificent.

Maria liliis conſita.

Vna eſt Maria, quæ quicquid calcauerit, roſa fiet; quicquid enim Mariæ pedibus attingitur, illud floreſcit ad gratiam: nec temerè olim Sol dictus eſt Apollo. Ἀπολλ@ à particula, ἀ, priuante, & πόλλ@, multus, quaſi ſine multitudine; ideò latinè dicitur Sol, quia ſolus. Maria verè ſola, cuius aſpectu Deus omnia ſuſcitat extincta: ne igitur deficias, anima tepida, accipe tibi Symbolum Regi Ludouico Gallo oblatum, in quo lilia Sole influente explicant ſe ſe, hoc titulo. HIS DAT DEVS INCREMENTVM. Et hoc eſt quod nos omnes profitemur in panegyri Deiparæ: nam eſto Maria inſtar Solis radios ſuos dignetur exerere; tamen non dat gratiam, ſed impetrat: & ideò in Deum refundimus totum illud quod Maria capimus exorante: neque deficiet vnquam illa fidei noſtræ profeſſio Symbolica, ſcilicet ſi Mariæ ſuffragio virtutes quædam nobis inſitæ ſunt, & Solis illius radiis illuſtrati flores explicantur. HIS DAT DEVS INCREMENTVM. Ea fuit mens Hieronymi. *Nulli dubium eſt, quin totum ad gloriam, & ad laudem Dei pertineat, quicquid dignè genitricis ſuæ impenſum fuerit.*

Ex Symbolis. *Ambroſius li. Symbol.*

Sol quare dictus Apollo.

Mariæ cultus ad Dei gloriam redundat.

S. Hieron. epiſt 10. ad Paulam & Euſtoc.

Cæterum Aſtronomi in mole ſiderum occupati, cæcutiunt in ea aſſignanda: nos rectius

S. Anſelmus de excellentia Virginis.

Deiparæ

Deiparæ molem aſſequemur, ſi menſuras omnes
aſſerimus Virginem exhaurire; iuxta illud An-
ſelmi. *Quidquid eſt magnum ſub Deo illud mi-
nus eſt Virgine.*

Ex Philosophia.
Ariſtoteles lib. 2. de cælo cap. 4.

De figura verò aſtrorum omnes conueniunt
eam eſſe ſphæricam: & ſic probat Ariſtoteles.
Prima figura debetur primis corporibus; ſed cœli
& ſidera ſunt prima corpora: ergo debetur eis
prima figura, quæ ſine controuerſia eſt figura
circularis. In motalibus rotundum eſſe, idem eſt
ac perfectum, iuxta illud Horatij, cui homo pro-
bus dicitur totus teres atque rotundus. Igitur cùm
Maria ſit ſupra omne, quod perfectum eſt infra
Deum; omnem ſphæricam formam ſuo ſchemate
antecedit. Demum cùm ſidera lumine operentur;
Mariæ nos ſupplices ſiſtamus obtutibus, ſiqui-
dem.

Quos Maria aspectos intuetur, eosdem haud despectos hæc tuetur.

ENCOMIA, B. V. MARIÆ ex Aſtrologia.

In hæc verba.

Liber Generationis Iesu Chriſti.

Sectio Sexta.

Aſtronomia quid ſit.
Aſtrologia quid ſit.

Aſtronomia, & Aſtrologia, diſciplinæ affi-
nes, non nomine tantùm tenus, ſed & re
etiam diſſitæ ſunt, quam earum nomenclatura de-
ſignat. Etenim Aſtronomia leges tantùm, id eſt,
ortum, & occaſum, ſeriem, & tenorem motus, ſi-
tum, & molem rimatur aſtrorum, diciturque,
Ἀστρονομία, quaſi, τῶν ἄστρων νόμος. at verò Ἀστρο-
λογία, quaſi τῶν ἄστρων λόγος diſcurſus aſtrorum;
nam hæc pars Matheſeos aſtrorum influxus & aſ-
pectus inueſtigans, in futuri indagine tota eſt,
multaque pronuntiat veluti de tripode; deditque
anſam quærendi, an ex coeuntium ſiderum ſyſy-
gia, ſeu combinatione, & irradiatione mutua, fu-
tura præſciri queant. Aſtrologi ſe præſcios futu-
rorum iactant: nam ex Ariſtotele inſpectio faciei,
cui quædam è cœlo ſigna inſita ſont, animum
prodit; ſunt enim animoſi, quibus eſt frons ma-
gna; ingenioſi, quibus caro humidior.

Ex Philosophia,
Ariſtoteles phyſiogno.

Idem ex li. 1. Metaphyſica cap. 1.

Rurſus ex eodem Philoſopho, humana ſcien-
tia ab experimentis originem habet; at experientia
docet, multa præſciiſſe Aſtrologos, in quibus Pu-
blius Nigidios, nato Auguſto, & inſpecto ſche-
mate cœli, exclamauit natum Dominum mundi;
ſicut, & alter, edito Nerone, ait fore puerulum
Imperatorem, ſed matricidam, quod vt reſciit
Agrippina, morti ſuę annuit dicens: occidat dum-
modo imperet. In hoc dubio argumento, vnum
fas eſt, aliud verò nefas: ſcilicet in cõfeſſo eſt apud
omnes, Aſtrologos poſſe probabiliter præſcire
ea, quæ ex connexione cauſarum plerumque acci-
dunt, vt ventos, vbertatem, famem, morbos; & in
eo ſenſu Sixtus V. Papa tulit Aſtrologos propter
rem medicam, nauticam, & agriculturam; ſicut &
eos eliminauit, ſi de actibus humanis, & aliis re-
bus diſcretis ab influxu ſyderum garrire volue-
rint: quippe nefas eſt liberum arbitriú hominum,
pendulú ex ſidere prædicare; ſic enim S. Thomas
inuehitur in eos Aſtrologos, qui omnia fato ſub-
dunt. Debet eſſe aliquis nexus cauſæ & effectus:

Suetonius in Auguſto.
Nigidij præſagium de Auguſto.

Xiphilinus in vita Neronis.
Aſtrologia iudiciaria damnata.

Ex Theologia.
S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5.

at cauſa neceſſaria, & effectus contingens non ne-
ctuntur: Cœlorum ſitus & aſpectus ſiderum ſe
habent neceſſariò, vtpote quorum circuitus ſtata
lege fiunt, at actus humani ſunt merè contingen-
tes, alioquin non caderent ſub meritum; ergo fru-
ſtra balbutiunt vaniloquio ſuo pſeudoprophetæ
Aſtrologi, vt ridet eos Gregorius. *Si propterea
Iacob & Eſau non cenſentur nati ſub eadẽ con-
ſtellatione, quod nõ ſimul nati ſunt, ſed vnus poſt
alterum, ob eamdem cauſam iudicandum erit, nul-
lum hominem ſub eadem conſtellatione totum
naſci: non enim totus ſimul ex vtero procedit, ſed
particulatim & membratim; quare ſingulis mem-
bris ſingula erunt fata, quod ridiculum eſt.*

Ex SS. Patribus.
S. Greg. hom. 10. in Euangelia.

Eamobrem omnia iura ſæuierunt in Aſtrolo-
gos, veluti natos in perniciem hominum liberta-
tis, quam ſubiiciunt ſiderum aſpectui. In eos ca-
uit Concilium Bracarenſe primum. Concilium
Toletanum eos etiam ſugillauit dum Priſcilliani-
ſtas feriit anathemate. Non egit mitius cum eis
Martinus Papa; & Alexander tertius ſeuerè ani-
maduertit in ſacerdotem, qui ex aſtris voluit de-
prehendere auctorem furti rei ſacræ: ait enim Hali
Aſtrologus, poſſe pandi fures ex quarta domo, ſi
dominus eius & ſignificator explorentur. Hunc
ſacerdotem voluit Pontifex in expiationem deli-
quij pœnitere toto anno.

Ex Iure Canonico.
Conc. Bracar. 1. c. 9. & 10. Conc. Tolet. 1. circa finem. Martin. Papa cap. non licet. cap. 2. de ſortilegiis. can. non licet, 26. q. 5.

Eodem zelo percitus Imperator Iuſtinianus, gla-
dium ſtrinxit in nefarios homines, veluti in dæ-
monum aſſeclas & ſequaces: nimirum confirma-
uit hanc conſtitutionem Imperatorum Diocletia-
ni, & Maximiani. *Artem Geometriæ diſcere ac
exercere publicè intereſt; ars autem Mathematica
damnabilis eſt, & interdicta omnino.* Huic legi &
hanc adiecit, quæ eſt Imperatorum Conſtantini
& Iuliani. *Nemo haruſpicẽ conſulat aut mathema-
ticum, aut ariolum; augurum & vatum praua
confeſſio conticeſcat: ſileat omnibus perpetuò di-
uinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis fe-
rietur, gladio vltore proſtratus, quicumque iuſſis
noſtris obſequium denegauerit.* Adde multiplici
hiſtoria compertum eſſe multa vanos coniectores
fuiſſe pollicitos, quæ ſecos acciderunt.

Ex Iure Ciuili.
Lege, Artem.
L. nemo aruſpic. de Malefic. & Mathematic. codic. lib. 9.

Tamen, ne quid illibatum videar obmiſiſſe,
oſtendam Mariæ conuenire virtutes Planetarum.
cùm enim ex codice ſacro Maria nuncupetur
Sol, Luna, ſtella, quidni demonſtremus Deum
in eam potiora congeſſiſſe priuilegia, quàm ſint
luculenta ſuffragia, quibus Planetæ benefici
puerulis obſequuntur: in hac igitur recenſione
virium Planetarum, nihil aliud quàm Mariæ pa-
negyres inferamus. Tota Aſtrologiæ ſumma eſt
in Planetis, ſignis, & domibus: Planetæ ſunt ſidera
errantia: ſigna ſunt aſteriſmi ſeu conſtellationes
Zodiaci, numero duodecim, ſcilicet Aries, Taurus,
Gemini, Leo, Cancer, Virgo, Libra, Scorpius, Sa-
gittarius, Caper, Aquarius, Piſces. Planetæ verò
ſeptem, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mer-
curius, Luna. Domus ſunt plagæ ſeu regiones
quædam cœli: nam cœlum in duodecim ſectum
partes, tot habet ædes ſiderum ſeu planetarum.
Prima domus incipit ab Oriente, ſex domus exur-
gunt ſupra noſtrum horizontem, & ſex aliæ nobis
inaſpectæ deliteſcunt. Planetę omnes ſunt benefi-
ci in prima domo, ſicut & in decima, quę eſt in ver-
tice cœli: in duodecima verò & octaua, quæ eſt
domus mortis, aliquid infauſti acquirunt, & ne
nimius ſim in huius diſciplinæ præludiis, hæc ſit
ſatis ſuperque prælibaſſe, vt hinc Mariæ faciamus
celerem Encomij contexturam, quæ exurget ex

Ptolomæus lib. 3. de iudiciis c. 12. & cap. 13.

virtutibus omnibus Planetarum coëuntibus in Mariam.

Schonerus & Origanus de effectibus Planetarum.

Nugantur Mathematici, Saturnum facere homines æquos conſultores, & legum conditores. Iouem verò, Reges & Principes; Martem præeſſe potentibus; Solem & Lunam dare gloriam & opes; Venerem ingerere amorem; Mercurium denique præeſſe vis & indagini rerum, quarum quis molitur inuentionem. Ego crediderim hos rerum abditarum aſſertores, nobis occinere nænias: ea enim bona non pendent ex ſiderum fauſto illapſu; ſed ſunt à patre luminum, qui arguit homines ſacrilegos cœlo dantes omne id quod nobis à domino cœli conceditur. Eamobrem Iſaias hæc præfatus eſt. *Qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi, ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.* Et Ieremias eodem flamine afflatus. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Tamen Planetarum vires quas commenti ſunt Aſtrologi, ſi Mariæ tribuantur non ſunt deliria; ſed aſſerta potius, quàm aliquæ coniecturæ, vt legere eſt explicitè in codice ſacro Salomonis, quem vt nihil ſcibile prætereiit, credo etiam Mariæ dotes egregias eum præſciiſſe; ſic enim ſua chariſmata pangit eloquio veridico Deipara, ſtilo Salomonis. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me Reges regnant & legum conditores iuſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me; mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia, in viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Eum textum Mariæ aptari à ſanctis omnibus ſcoliaſtis, nemo neſcit, niſi ſit neſcius interpretum ſcripturæ ſanctioris.

Aſtrologos carpunt Prophetæ.

Iſaiæ 10.

Ieremiæ 10.

Maria habuit priuilegia quæ à Planetis dicuntur concedi.

Prou. 8.

Exquiſita anatome verborum illorum, omnes cenſus & munera Planetarum Mariæ adſcribit. Saturnus ſibi vendicet falsò donum conſilij & intellectus; Maria hac virtute gaudet: ait enim. *Meum eſt conſilium, & æquitas.* Si igitur, ô homo pœnitens facti, de meliore fruge ſollicitus, parum tibi conſtas, inuoca Mariam & ea conſulet tibi idonea ſaluti. Eſto Iupiter vſurpet ſibi dominium in regna; Maria tamen vt Regina rerum hoc titulo gaudet, & ideò iure ait, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* Et hoc probè oſtendit Imperator Iuſtinianus, qui anticâ templi parte, aureo charactere, ſe & Imperatricem Theodoram Mariæ conſecrauit. Mars fortitudine polleat; Maria heroico influxu inſignis homines imbelles euehit ad fortia facinora exantlanda: ſic enim fatur. *Mea eſt fortitudo. Per me potentes decernunt iuſtitiam.* Si ergo impos es ad iuſtitiam ô anima iniqua, Virgini Deiparæ adhære, & potenter iuſtitiam tu decernes. Sol & Luna quantumuis irradient, non tam ingentem vim opum conferent, quin B. Mater ampliores diuitias impertiat: audi eam. *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ.* Vis ſcire Mariæ prædiuites gazas, Ea eſt gratia plena, quæ cùm ad nos deriuatur, nullâ premimur inopiâ. Vide ex Bernardo Mariæ impenſis omnia renouata. *De Theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil eſt factum, ita ſine illa nihil refectum.* Et S. Germanus vocat eam καινισμὸν τῶν πεπαλαιωμένων, *renouationem antiquorum.*

Procopius li. de ædificiis Iuſtiniani.

Mariæ nomē de theſauro diuinitatis. Maria renouatrix omnium rerum.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. ſerm. 2. de natiu.

S. Germ. Archiepiſ. Conſtantin. orat. de B. Virg.

Planeta Veneris aculeos ad amorem vibrat, ſed Maria caſtior, libidinem arcet & extinguit, & homines charitate decoquit, vt & ipſa profitetur. *Ego diligentes me diligo.* Mariæ autem dilectio homines, eius amore decoctos, amore Dei etiam illico percellit. Demum Mercurius hominum mentes aperiat, vt rerum intimarum penitiores receſſus inueſtigent: Maria hoc potitur effectu, dum viam iuſtitiæ aperit, cœloſque reprobis inuios facit ex præeunte iuſtitiâ peruios, teſte iſto præconio. *In viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me & theſauros eorum repleam.* Non eſt igitur quòd ad aliquem Sanctorum pro ſingulari beneficio recurramus, cùm Maria omnibus gaudeat vſquequaque gratiis, vt Bernardus enuntiat. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos voluit habere per Mariam: hæc inquam voluntas eius eſt, ſed pro nobis: in omnibus ſiquidem, & per omnia prouidens miſeris trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem.*

S. Bernard. ſermone de Aquæ-ductu.

Maria omnibus prouidet Mariā Deus vult inuocari.

Sanctus Germanus mihi in eo ſuffragatur, quòd Mariam ſideribus æt præire in eo quo gaudemus influxu Mariæ ſuffragiis. *Stellam claritas in firmamento cœli loquitur, & corporis tui prudentium imaginum colores ductis largitionem tuorum erga nos donorum illuſtrant. Sol & Luna vnius axem circuli illuminant; ſed omnis domus omniſque ciuitas, & regio tuum ex filij tui luminis lumen exornant. Quapropter beatus homo etſi peccator, eò quòd te quæ ad naturam velut ſociam generis adeptus, per te diuinæ naturæ particeps effectus ſit, verè beatus, benéque illi factum, ſed & melius futurum eſt; non enim deficiet qui tuum auxilium ad vſque finem obtinere dignus erit.*

S. Germanus Patriarcha Conſtantinopol. ſerm. de Dormitione Virg.

Mariæ lux illuminat omnes.

Ipſo etiam Angelo aſſertore, Spiritus Sanctus in Mariam illapſus, ſeptem ſuis donis Deiparam hanc ſtipauit; at ſeptem dona ſpiritus præualent influxus ſeptem Planetarum, ſitque vera enuntiatio Idiotæ viri ſancti. *Maria aſtris illuſtrior ſuo lumine, nulla ſui viciſſitudine complet ac ambit omnia, flammis illuſtrat, luce veſtit, benignitate tegit, virtute fouet, nec illi ſuccedit nox.* Sed nota, Planetas fauſtiſſimos in domo octaua, quæ eſt domus mortis, ſuam vim deperdere. Ita & Maria, cùm quis ſeptem peccatis lethalibus irretitus, hoc octauum adiicit, vt ſit ſuæ ſalutis incurius, & altius vitiorum volutabro immergatur; tunc Maria dedignata hoc pundum pecus, abdicat morti æternæ vile illud mancipium, degens in domo mortis, id eſt in ſtatu lethiferæ noxæ: & vt Sol iniquus eſt peccantibus, iuxta illud. *Qui malè agit, odit lucem.* Ita & Maria eos auerſatur, quos delectat obſcœna colluuies, poteſtque illi aptari ſymbolum Areſij qui ſolem pingit, ad cuius ortum feræ capeſſunt fugam in ſyluas, hoc titulo. MALE AGENTIBVS PAVOR. Ita planè Deipara malè agentibus eſt pauor: qua etenim fronte homo libidine diffluens, Virginis illibatæ feret obtutus; quo genio, typho tumens elationis iniquæ, Virginis humillimæ ſiſtetur aſpectibus. Denique reprobus, iniquitatis omnigenæ compendium, Virgini innoxiæ poterit arridere. Dicam rem ſpe plenam, &

Idiota li. meditationum cap. 1.

Maria aſtris illuſtrior.

Maria malè agentibus eſt pauor.

Ex Symbolis.

Paulus Areſius lib. 1. Symbolorum.

quæ

quæ conciliare poteſt Virginem. Ex Mathematica, trinus aſpectus Planetarum eſt beneuolus; dicitur ille aſpectus trinus, qui fit à Planeta diſtante ab alio, tertia parte Zodiaci. Ita & audeo affirmare, hominem nefarium ſi pœnitentiæ tres obeat partes, fore acceptum Mariæ, quæ trino hoc aſpectu gaudet, ſcilicet contritione, confeſſione, & ſatisfactione.

Schonerus & Origanus cap. de Electionibus.

Eo delirij deuenere Aſtrologi, vt texuerint caput inſcriptum de electionibus, quo lectori methodus inculcatur recurrendi ad Ephemerides, vt hinc eligatur hora idonea operi inchoando, ea ſcilicet, qua luminaria magna fuerint propitia. Maria ſanè eſt liber generationis omnium ſiderum; ea ſemper habenda eſt præ oculis, & actionis cuiuſlibet initio proponenda, vt à teneris annis fecit puellulus Bernardinus, qui Senis vbi editus eſt, animaduertens in porta ciuitatis eſſe elegantem imaginem B. V. Deiparæ, eo amore eius captus eſt, vt ſæpius in die eam inuiſeret, ſuáque omnia illi commendans, eo pietatis adoleuit, vt Sanctorum albo adſcriptus ſit, rerum piè geſtarum gloria multiplici inſignis. Nolim ego alias mihi Ephemerides comparare, vt ſiderum ſitum congruum Veneri, initiandæ cuique rei: mihi Maria cœlum eſt, & virtutes eius tot ſidera beneuola, quæ dum deſiderium ſui faciunt, mouent & prouocant ad eas æmulandas. Arridet mihi ſimplicium hominum indoles, quos cùm fugiat notitia literarum, ſeu characterum, ex quorum compage libri contexuntur, libellos habent ea figurarum ſerie compactos, vt ex intuitu notarum minio diſtinctarum, operi ſe accingant aut quieti. O Maria, eſto nobis liber, quo edocti, mores noſtros ad figurarum tuarum normam & exemplar poſſimus effingere.

EX HISTORIA. *Ex vita S. Bernardini.* S. Bernardini amor in Mariam.

Quòd ſi fas eſt à profanis carpere exempla, Ælius Verus Cæſar adeò captus eſt libro amorum Ouidij, vt in lecto etiam ſemper illum habuerit: capere & tu amore amoris, quo Maria exarſit; ea liber eſt de arte amandi: illic non Venerem Planetam inuenies præferentem faces amoris obſcœni; ſed Planetam amoris defæcati, quo beatum eſt iugiter æſtuare. In eo libro eſt & tractatus de remedio amoris vtique impudici; etenim arcta Mariæ ieiunia, ſeceſſus à turbis, mora in templo, iugis oratio ſeu lectio ſacra, libidini ſunt arma lethalia, iuxta illud.

Libros de arte amandi quanti fecit Ælius Verus. *Spartianus in Ælio Vero.* Ouidij libri quam chari Ælio vero.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus.

Choſroas Rex Perſarum, adeò cœli aſpectu captus eſt, vt cubiculum in modum ſphæræ erexerit; in quo cœlorum varij orbes, in ſuos quique recurrentes gyros, ideam cœli genuinè referebant; illic aſtra micantia ſuos ex gemmis inſignibus radios emittebant: in medio huius cœli typici Rex ille Solem ementiens, multo carbunculo radiabat. Vtinam & nobis Maria ſemper adeſſet; cœlos animo verſaremus, & non lutea, quibus vt plurimum abſorbemur.

Cedrenus lib. Annal.

Gloriabatur Rex Alphonſus, ſe Biblia ſacra decies & quater, cum ſcholiis deuoraſſe. Maria eſt bibliorum compendium; quod enim in bibliis homini promiſſum eſt, illud totum fuit in Virgine conſummatum. Idem Dynaſta inclytus, pro ſymbolo librum apertum præferebat ſine vllo titulo, dicens omnia quæ ad vitam maximè conducunt pendere ex libris. O Mariæ candidati, habete ſemper hunc librum præ oculis! nam vt monet Ambroſius. *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita ſit omnium diſciplina, ſi igitur auctor non diſplicet, opus probemus.*

Libros ſacræ Scripturæ ſæpe legit Rex Alphonſus. *Antonius Panormitan. lib. 1. de dictis & factis Alphonſi, c. 13. 14. 15.*

S. Ambr. l. 2. de Virginibus. Mariæ vita eſt omnium diſciplina.

B. VIRGINIS MARIÆ Encomia, ex Hydrographia, & Geographia,

In hæc verba;

Liber generationis IESV Chriſti.

SECTIO SEPTIMA.

CVm vitæ prima rudimenta ſint in humido primigenio; Thales & Empedocles, Philoſophiæ priſcæ proceres opinati ſunt, aquam eſſe rerum omnium principium; & ideò Pindarus opus ſuum cedro dignum ſic incepit. Ἄριστον μὲν ὕδωρ optimum quidem aqua. Dictus eſt aliàs Neptunus aquis præſidere tridente inſtructus; vel quòd aquæ ſint omnes vel calidæ, vel frigidæ, vel tepidæ; aut quia triplex eſt mare, ſcilicet oceanus, mare mediterraneum, & mare rubrum; ſiue quòd aquæ omnes, vel ſint dulces, vel amaræ, vel minerales; & hæc eſt omnis natura aquæ, circa quam verſatur hydrographia, id eſt, diſciplina aquarum intenta ſcriptioni.

Pindarus primo verſu totius operis. Neptuni tridens quid ſignificet.

Ne autem hallucinemur in multitudine aquarum, hoc primò habendum eſt in confeſſo, ſcilicet, non eſſe plura maria, ſed vnum tantum continuum, quod iuxta diuerſas orbis oras quas alluit, diuerſa etiam ſortitur nomina. Oceanum vocant mare quod penè terras omnes ambit: vbi verò Oceanus arcta intercapedine Africam diſpeſcit ab Europa, mediterraneum vocant, quòd quaſi in meditullio terræ ſtagnet illic aqua, quæ ex vicinia prouinciarum induit nomina affinia prouinciis: eamobrem dicitur mare Hiberium ab Hiſpania, Liguſtinum à Liguria: vbi autem in arenas rubentes ſe inſinuat mare, vocatur inde mare rubeum; eſt autem illud mare ſinus maris, Arabiam felicem à Meridie luſtrans, & ſe extendens ad Perſicum ſinum. Sunt qui Rubeum vocari credunt ab Erythra Rege, Perſei & Andronidis filio, qui in ea ora imperauit, & cuius ſepulchrum adhuc viſebatur illic, æuo Strabonis; vnde & dicitur mare Erythræum, quod idem eſt ac rubrum: nam ἐρυθρὰ θάλασσα eſt mare rubrum.

Mundi diuiſio à mari facta. *Strabo l. 16.*

Quòd ſi aliquando fiat mentio maris mortui, noli intelligere aliquod mare idoneum nauigationi, aut continuum aliis; ſed cogita lacum bituminis, qui à bitumine dicitur Aſphaltites; nam Ἀσφαλτῖτις deducitur ab ἀσφαλτίζω, quod idem eſt ac bitumen redoleo: illic aqua pinguis bitumine, ventorum flabra ridet, nihil gignit neque paſcit, aut viuum poteſt quidpiam ſuſtinere; omnia illic etſi lignea abeunt in profundum. Euomit ille lacus nigras bituminis glebas, habétque in littore arbores, quarum fructus, etſi decori, tactum fallunt; quippe deſinunt in fauillam ſi quis attrectarit. Dicitur ille lacus mare ob magnitudinem, nimirum extenditur ad ſtadia ſeptingenta longitudine ſua, ſicut & ad centum ſtadia latitudine diffunditur: & hæc ſint prælibata ſatis ad Mariæ præconia ſtatuenda.

Aſphaltites lacus vnde ſic dictus. Poma fallacia quæ in cinerem abeunt.

Neptuno aquarum imperium Maria eripuit, ex quo edita eſt in rerum natura, vt cui conueniat illud Geneſeos. *Congregationes aquarum appellauit*

Geneſ. 1.

Mariæ nomen vnde ſeruatum.

lauit maria. Et ſunt qui Mariam deducant ex nomine Syro Mar מר, & Hebræo ים *iam*: dicitur enim Maria in codice Hebræo מרים *Meriam.* Eſt autem מר domina, & ים mare; ſic nomen Mariæ ſonat Dominam maris: cùm enim gratiæ omnes in Maria coaleſcant, ea eſt mare gratiarum, & meritò occinit illi Eccleſia, Aue maris

Geneſ. 1.

ſtella. In mundi exordio ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ita & in Mariæ exordio Spiritus ſanctus adfuit. Ex aquis aues editæ ſunt & piſces; ita Mariæ ſuffragio, iuſti ſtant in auibus deſignati: prætervolant enim animæ iuſtæ omne quod terrena ſapit, & ad cœleſtia ſe ſe efferunt pernice auſu & volatu. Mariæ etiam auſpiciis piſcium omnium agmen efformatur, id eſt, pœnitentum, qui piſcium inſtar in amaris degunt aquis: & licet animas pœnitentes quatiant crebra dæmonum flabra, vt eas in diffidentiæ ſcopulos allidant, aut in barathrum vitæ retroactæ deducant; Maria inuocata eſt ſingulare præſidium.

Ex SS. Patribvs.

S. Bonauent. in Speculo B. Mariæ V. lectione 3.

Eam eſſe mare aliqui inferunt ex nomine eius, quod explicant eſſe etiã ab Hebræo, מרה *Marah*, amarum, & ideò ait Bonauentura. *Maria interpretatur amarum mare; hoc optimè ei competit contra Diabolum. Sed nota quomodo ſit mare Maria, & quomodo ſit amara, & quomodo ſit ſimul amarum mare; Maria eſt mare gratiâ affluendo; & Maria eſt amara filio compatiendo; & Maria eſt amarum mare Diabolum ſubmergendo. Maria vtique eſt mare per affluentem Spiritus ſancti repletionem. Maria eſt amara per affluentem filij ſui paſſionem. Maria eſt amarum mare per ſubmergentem Diaboli ſuffocationem. Maria dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarum: vnde ſcriptum eſt in Eccleſiaſte. Omnia flumina intrant in mare; flumina ſunt chariſmata Spiritus ſancti; vnde Ioannes dicit: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum: omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata ſanctorum intrant in Mariam; flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Apoſtolorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confeſſorum, & Virginum intrat in Mariam; vnde de ipſa optimè dicere poteſt illud Eccleſiaſtici: In me omnis gratia viæ, & veritatis, & in me omnis ſpes vitæ, & virtutis; quid mirum ſi omnis gratia confluxit in Mariam, per quam tanta gratia ad omnes defluxit: ait enim Beatus Auguſtinus. Gratiâ es plena Maria, quam apud Dominum inueniſti, & hanc per totum mundum effundere meruiſti. Maria amara fuit in paſſione filij ſui, quando ſui ipſius animam gladius paſſionis pertranſiuit, vnde potuit dicere illud Ruth. Non vocetis me Noemi, id eſt, pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt, amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens: mortui erant duo filij Noëmi; duo autem filij Mariæ ſunt, homo Deus, & homo purus. Iſti duo filij Mariæ ambo mortui fuerunt in paſſione; vnus in corpore, alius mente; vnus crucis acerbitate, alius mentis infidelitate. Maria eſt mare amarum diabolo, & Angelis eius per ipſam oppreſſis, quemadmodum mare rubrum fuit amarum Ægyptiis in ipſo ſubmerſis. O quam amarum eſt hoc mare, & timendum Ægyptiis! ô quam amara & timenda eſt hæc Maria dæmonibus! vnde Beatus Bernardus ait: Non ſic timent hoſtes viſibiles, caſtrorum aciem ordinatam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum: fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis inuocationem, recordationem, & ſollicitam imitationem.* Hactenus effuſus in hoc Mare S. Bonauentura.

Maria eſt mare gratiarum.

Maria quid amarum ſonet.

Maria eſt mare amarũ dæmonibus.

Maria fons benedictionis.

Petrus Dam. ſerm. de natiuitate Mariæ.

Igitur ô iuſti ſitientes aquas limpidas & ſuaues gratiæ, venite ad aquas Mariæ; illa eſt gratia plena, & tota ſuauis, vt ait illi Damianus. *Tu fons perennis gratiæ, tu benedictionis vberrima ſcaturigo, copioſos latices ad nos transfudiſti.* Si verò pœnitentes arent deficiente aqua amara lacrymarum; veniant & ipſi ad Mariam, & copioſè alluet elanguentes. Dauid ait, mirabiles eſſe elationes maris, ſed Bernardus admiratur mirabiles elationes Mariæ: eius enim aquæ homines euehunt vſque ad cœlos, qui alioquin terra dehiſcente ruerent in abyſſum. Aqua dicitur quaſi, à quâ, id eſt, à quâ viuimus; omnia enim humore virent: & morte damnati dicebantur interdicti igne & aquâ.

Maria cur ſyderi comparata.

Nihil æquè ſatagit dæmon, ac auertere homines à cultu Mariæ: nam vt qui in mari à ſtella polari non reguntur, deuiant, nec longè abſunt à ſcopulis; ita & impij in Mariam, ſunt anathemata mortis execranda. Alij verò ſecus, Mariæ obſequentes, ab hac ſtella optimè diriguntur; ſicut & Bernardus ait Mariæ Encomiaſtes. *Maria aptiſſimè ſideri comparatur; quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo ſuum parturiit filium; nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem. Ipſa igitur eſt illa ſtella nobilis orta ex Iacob, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia: ipſa inquam eſt præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgure huius ſideris ſi non vis obrui procellis; ſi inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tentationum reſpice ſtellam, voca Mariam.* Hæc Bernardus.

S. Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Maria lux calefaciens.

Ex Symbolis.

Ad hoc ſuadeo tibi aſſumere ſymbolum eius, qui pingebat acum cui virtus Magnetis inuſta eſt, & ideò omni alio ignoto ſidere, ad ſtellam poli dirigitur, hoc titulo Aspicit vnam. Eo planè modo mens, quam Dei gratia copioſior alluit, præ omnibus ſtellis Aspicit vnam. id eſt, etſi pietate feratur in omnes beatas mentes; tamen in Mariam Aspicit vnam: vt & fecit inclytus Princeps Ioannes illi charus. Ioannes, inquam, ille Auſtriacus orbe toto notus, ob eam quam Mariæ ſuffragio retulit victoriam, ad Naupactum contra Turcam, qui præualidâ claſſe orbi Chriſtiano, ipſis etiam fidelibus fortior imminebat. Ioannes ab Auſtria pij exercitus præpoſitus Generalis, antequam concurrerent claſſes, accepit à B. V. Maria claſſicum, emiſſo voto de Laureto adeundo, ſi adeſſet propitia Virgo Deipara. Mirum! ventus Chriſtianis iniquior,

Ex Historia. Beyerlinck in Theatro ſuo tom. 5. de deuotione in B. V.

quaſi

Mariâ inuocat Ioannes ab Auſtria. *Iudic. 5.*

quaſi eum pœniteret fauiſſe impiæ genti, ſtetit à partibus noſtris; & Mariâ ſtellâ maris influente, ea ſtrages hoſtium edita eſt, quam nulla ei ſimilis eſt poſtea ſubſequuta; ita vt poſſit illud vſurpari ex Cantico Deboræ. *De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.*

Voto ſuo facturus ſatis Princeps, ſe accinxit ad iter Lauretanum, nec quicquam eum hyeme remorante: alterius forſan feruor tepuiſſet, niue itinera cumulante, & fluuiis nimiâ aquarum copiâ turgentibus; horrida tempeſtas inſigniorem pietatem fecit Principis, Imperatore Carolo V. nati. Vt procul ædem Lauretanam conſpexit, venerabundus caput aperuit, ac Deiparam Virginem ſalutauit: nec cœli inclementiâ percelli potuit, vt ſemel apertum operiret caput; adeò ſe caputque ſuum B. Virgini deuouerat, cuius præſidio parta fuit victoria illa inſignis, ad Naupactum. Vbi ad ſacram ædem acceſſit, vitæ totius noxis expiatis, ſuos hortans ad Mariæ obſequium, grates immenſas egit, & magnâ vi auri illic derelictâ, Neapolim regreſſus eſt; ingens deſiderium referens ædis Lauretanæ, quam animo ſæpiſſimè recolebat.

Methodus eximia B. V. Mariam ritè excolendi.

En typum ingenuum animi pij in Mariam. Is heros vrgente neceſſitate Mariam inuocauit, & tu ingruente periculo Virginem clama: ille viſâ eminus æde, caput aperuit; tu quoties mentio fiet Virginis, aut Mariæ nomen inſonuerit, aperi caput ad honorem, & cor ad amorem. Temporis iniqui iniuria non obſtitit, quin Princeps ſolueret vota; ne & tu cunctare, ſi Mariæ feſtum inſtet, ſed animo in eam propenſo aſta altaribus præuia confeſſione. Princeps ſuos hortatus eſt ad Mariæ cultum; tu exemplo tuo ingere pietatem in Deiparam: præpotens hic Dynaſta in teſſeram obſequij, ſuas Mariæ fecit opes ſacras; tu in illius memoriam, & amoris eius ergô, eroga in pauperes aliquid è tuis facultatibus, vt talem ſe tibi præſtet hæc Domina rerum, qualem tu te exhibes in egenos. Demum regreſſus ad ſuos inſignis ille cliens Mariæ, ædem illius, animo iugi præſentiâ excoluit; tu verò erige in animo tuo Virgini ſacellum, vt factus interdiu tui compos, Mariæ ſæpe ſæpius obſequaris. Sed memor eſto, Mariæ aquas, aliis etiam aquis demereri; id eſt, gratias & ſuffragia Virginis, lacrymarum profluuiis obtineri: vt enim Mare licet amarum vapores emittit ſurſum, qui beneficio cœli in ſuaues aquas dulcorantur; ita lacrymæ pœnitentum, Mariæ oblatæ, exuunt amarorem.

Rurſus eſt cauendum à mari mortuo ſeu lacu Aſphaltite, vbi omnia emortua, neque aliquid natat, aut ſpirant flamina quæpiam: nam illic ſtellæ nullas explicant vires, ob inſitam bituminis pinguedinem. O homo, Mariæ addicte, caue libidinem, & aliam cuiuſuis impietatis notam: talis enim viuendi ritus, eſt mare mortuum, virtutum impatiens, quodque animas deducit in abyſſum. Spiritus ſancti illic viuida flabra ſilent; etenim putida viuendi norma, & Mariæ chariſmata minimè conueniunt. Seriò igitur, auſpiciis ſtellæ maritimæ, ex purioris aquæ Mari ad ſidera transfretemus.

Maria eſt terra.

Si verò quiſpiam eſt aquarum impatiens, vt cui illæ cient bilem; hunc ego prouoco ad terram, hanc vtique, cui benedixit Dominus, iuxta illud. *Pſalm. 84.* *Benedixiſti Domine terram tuam.* Terra infimum locum occupat; ita & Maria, cùm ait. *Ecce ancilla Domini.* Cùm autem Virgo concepit: impletum eſt illud Ezechielis. *Illa terra inculta facta eſt quaſi hortus voluptatis.* *Ezech. 36.* Item & illud Pſalmi. *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* *Pſalm. 62.* Nam Chriſtus apparuit in vtero Virginis, ſicut in ſanctuario aliis inuio quàm ſummo Sacerdoti; ad Angeli ingreſſum, coruſco eius lumine & eloquio Maria perculſa tremuit, vt præſcierat Vates. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit & commota eſt terra.* *Pſalm. 76.* Salus noſtra initiata in vtero Deiparæ, ſic enuntiata eſt à Rege Dauid. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* *Pſalm. 73.*

Maria terræ comparata.

Terra olim dicta Alma parens, quia omnes alit, fouet, & extinctos ſuo etiam ſinu excipit. Dicta ideò tellus à tollendo, quia ſemper ea ſumus indigi. Aliis dicitur Ops, ab opibus eius quibus noſtra ſubleuatur inopia: alias nuncupatur humus ab humore viuifico, quo vegetat omnia animata. Sed Maria omnibus illis præſtat elogiis, vt quæ ſit & Dei & hominum parens, vt ait Bernardus. *Tu mater Regis, tu mater exulis, tu mater Dei, tu mater iudicis, & tu mater Dei, & hominis, cùm mater ſis vtriuſque, diſcordiam inter filios tuos nequis ſuſtinere.* Ideo exclamans Anſelmus in hunc iubilum ſe effundit. *O Beata fiducia, ô tutum refugium, mater Dei, & mater noſtra!* Verè tellus à qua Deus humanam tulit naturam, Angeli lætitiam ruinæ reparatæ, reprobi gratiam, & iuſti ſui chariſmatis incrementum.

Maria mater Dei & hominum *Ex SS. Patribus.* *S. Bernard.* *S. Anſelm. de B. V. excellent.*

Maria mater fiduciam generans.

Geographi terram veluti globum æmulum cœli, partiti ſunt in tot gradus, & tot Zonas, quot conſpicere eſt in Sphæra orbium cœleſtium: habet enim terra ſuum æquatorem, ſuos horizontes, circulos meridionales, tropicos, arcticos, & antarcticos. Alij Mathematicæ incurij, partiuntur terram in Europam, Africam, & Aſiam; & climatum naturam neſcientes, hiſtoricè Geographiam tractant, & hoc imperitè: quippe Geographia pars eſt Mathematicæ, quæ quia non in deſcriptione, ſed in menſura eſt tota; hanc partem Geometriam vocat. Qui in æquatore degunt, mendacij arguunt veteres Geographos, hanc zonam adeò torridam arbitrantes, vt impos ſit hominum: nam illic aër continuo veluti flabro tepet, terràque multicolor, veſtita floribus gratum odorem ſpirat, & auium egregiarum ſuaue melos edit, vt retulere qui eo transmearunt: habitántque illic Æthiopes, à quorum ciuitate Meroë incipit primum clima, deſinens ad vigeſimum gradum latitudinis. Secundum à Syene vrbe Æthiopiæ ad 27. gradum. Tertium clima ab Alexandria vrbe Ægypti, ad 33. gradum. Quartum à Rhodo, ad 39 gradum. Quintum à Roma, ad 43. gradum. Sextum à fluuio Boriſthene, ad 47. gradum. Septimum à Riphæis montibus, ad 50. gradum. Martianus Capella addit octauum, ad 56. gradum, incipiendo à palude Meotide, quæ eſt in gradu quinquageſimo.

Terræ deſcriptio Mathematica.

Ex SS. Patribus. *Maria animos impinguat.*

Maria in hoc terræ noſtræ præſtat, quòd omnes illius Zonæ ſapiunt æquatorem. Nihil in Maria horridum & incultum, nec vmbram faciens, illi Sol non occidit, & cœli quicquid habent propitium, totum influunt in Mariam, & Maria terra non ingrata ſuas omnibus verè Ops pandit opes, vt benè explicat S. Bonauentura. *O quis æſtimare valeat, quàm multa animæ, opitulante gratiâ Mariæ, ſint per gratiam impinguatæ. Imò certè quis æſtimare valeat, quanta in ipſa Maria*

S. Bonau. in ſpeculo B. Mar. Virg. lectione 3.

Maria fuit impinguatio gratiarum, cuius gratiâ tot millia animarum ſunt impinguata. Cuius enim virtutis pinguedine ipſa caruit, quæ omnium virtutum pinguiſſimum fuit habitaculum. Et Damaſcenus, vt præcinens ſancto Doctori Seraphico ait. *Maria in domo Domini plantata, & impinguata Spiritu, vt oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt; gratia Maria liberat à morte æterna vniuerſos qui liberantur.*

S. Damaſc. lib. 4. fidei orthod. c. 13.
Maria ab inferno liberat animas.

Terram matrem eſſe Deorum nugata eſt cæca gentilitas; ideò habitu myſtico veteres eam depinxerunt, ex Sancto Iſidoro. Sedebat ea curru vecta, quam ſtipabant quadrupedes & volucres: ſedebat, quia etſi omnia voluantur quæ terram ambiunt; ea tamen minimè eſt inquies: animantia quæque ei ſubiecta notant omnia eius ope ſuſtentari. Coronâ turritâ erat redimita; quia turres & vrbes ab ea portantur. Clauem vnâ manu, & alterâ tympanum præferebat; quia ſe claudit hyeme & vere aperit, & pulſata ligonibus ſonum edit. Hanc ideam terræ cecinit Poëta Lucretius.

S. Iſidor. lib. 8. cap. 11. De Dijs gentium.
Terræ ſimulachrũ quomodo pictũ.

Lucretius.

Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poëta.
Sedibus in curru biiugos agitare leones.
Aëris in ſpatio magnam pendere docente. Tellurem.
Muralique caput ſummum cinxere coronâ
Eximiis munita locis, quod ſuſtinet vrbes.
Quo nunc inſignis, per magnas pradita terras,
Horrificè fertur diuina matris imago.

Diceres effictam Symbolicè Beatam Virginem almam Dei matrem, in cuius tutela ſunt non vrbes & caſtella tantùm, ſed & orbis totus; ideóque nolim dare ei diadema turritum, ſed coronam eam quam decet Imperatricem, figurâ globuli ſeu Sphæræ mundi deſuper eminente, vt cui orbis vniuerſus ſit ſubditus; ea etenim eſt Regina cœli & terræ: velimque dare ei Symbolum Atlantis, mundum ſuſtinentis, cui Pontifex Maximus hunc titulum appoſuit. ONVS IMMENSVM VIRES INFRACTÆ. Quippe Maria pro omnibus ſollicita, omnium velut hominum gerula, hos ſuſtinet nes fatiſcit. Audi eam anxiam pro vniuerſo hominum genere, & hoc ex ore Bernardi. *Hac eſt, qua totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit: conſtat enim pro vniuerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: Ne timeas Maria, inueniſti gratiam vtique quam quærebas* Quadrupedes & volucres terram ſtipantes referunt iuſtos homines & noxios indigos opis Deiparæ. Clauis inſinuat precum Virginis energiam, & tympanum clamat Mariam, ſi pulſetur oratione noſtrâ ſonum ſui ſuffragij illicò rependere.

EX SYMBOLIS. *Typotius lib. ſymbol.*

S. Bernard. ſerm. 4. de Aſſumpt.

Maria totius mundi ſalutem obtinuit.

Vt autem Mariæ demereamur opem, recolendus eſt ritus ille, quo priſca gens terram iniquam facere ſolita eſt æquiorem. Ex Pierio, dum ſacta volebant agere gratiſſima terræ, Deorum Matri, Gentiles porcum mactabant; arbitrati, porcum eſſe infenſiſſimum terræ, quia repando roſtro, mandata terræ ſemina eruit, & faciem terræ ſulcis deturpat informibus. Quid hæremus nefarij homines in Virgine æquiore depoſcendâ? eſt reuerà quòd ſuccenſeat nobis alma parens noſtra; videt prodigos omnem ſubſtantiam noſtram malis artibus deperdentes, hoc vnum attendere, vt paſcamus porcos, ſcilicet noſmetipſos, qui inſtar ſordidi pecoris in fœtidæ voluptatis cœno volutamur. Porcos iugulemus, id eſt noſmetipſos in ara cordis noſtri faciamus omnium Matri ſacros. Reuocemus antiquum ſchema ſanciendi fœdera apud Romanos, qui vt æterna forent pacta, porci caput ſaxo confringebant, hoc anathemate. Sic mihi faciant Dij, ſi non fœdera ſaxo. Eâ & nos ratione cum Maria paciſcamur, ei iuge vouentes obſequium, ſue mactato, id eſt rebus Mariæ inimicis omnibus abdicatis: & vt terræ illius ſacræ vberiores prouentus colligamus, eligamus nobis plagam ſeu clima primum, illud ſcilicet quod decurrit per Meroëm iuxta æquatorem; illic enim venti ſpirant perpetui, quos Eteſias vocant, & cui ex Plinio, iugi flabro ipſos etiam caniculæ immodicos æſtus tepefaciunt quotannis, vnde ἐτησίας, id eſt annui nuncupati: nunquam enim vacat illis ventis vacare à reflando. Ita planè omnes qui Mariæ præſidio vitam agunt innoxiam, ij omnes ſunt ſub æquatore; quippe abhorrent ab eo quod deuiat ab æquitate: nec eſt quod timeant Veneris æſtus importunos; tepent enim illa incendia, aſpirante aurâ ſancti Spiritus, cuius flamine Mariæ ſequaces ſunt perflati.

Pierius lib. 9. Hieroglyph.

Terræ fuit porcus immolatus.

Plin. lib. 37. c. 5. & Gellius l. 2. c. 18.

Si me non audis, ô reprobe, vel ſaltem Deum audi colloquentem. *Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Terra tua eſt in octauo climate, vltra paludes Mœotides, & pontum Euxinum: dum enim ſeptem peccata lethalia inhabitans, vltra etiam procedis, vt obſtinationem adiicias; nonne octauum aliquod clima in tui perniciem inueniſti? quod reuera eſt vt ponti plaga, quam dum explicat Tertullianus, typum obiicit tibi peccatoris. Sic ille. *Pontus ab humanioribus fretis noſtris, quaſi quodam barbariæ ſuæ pudore ſeceſſit, gentes ferociſſima inhabitant; ſi tamen habitatur in plauſtro, ſedes incerta, vita cruda, libido promiſcua & plurimum nuda, parentum cadauera cum pecudibus caſa, conuiuio conuorant: qui non ita deceſſerint, vt eſcatiles fuerint, maledicta mors eſt, nec fœmina ſexu mitigantur ſecundùm pudorem. Duritia de cœlo quoque, dies nunquam patens, ſol nunquam libens, vnus aer nebula, totus annus hybernum, omne quod flauerit, aquilo eſt, liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur, omnia torpent, omnia rigent, nihil illic niſi feritas calet.* Hæc eſt genuina ſanè pictura vitæ, quam miſeram agit homo nefarius in regione mortis, vbi tenebræ & caligo animum obnubilant, pietas extincta, & horrida eſt rerum facies. Exi igitur de terra tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi; ego ſpeculator terræ, indolem referam eamdem, quam Ioſuë & Caleb Iudæis quondam explicarunt.

Geneſ. 12.

Tertull. lib. 1. contr. Marcionem.
Pontus eſt regio aſpera.

Ponti deſcriptio elegans.

Nos Eccleſiaſtæ & verbi Dei præcones, Mariam ſic loquimur. *Venimus ad terram quæ lacte & melle manat, ſed fortiſſimos cultores habet.* Sed quid inde? *Caleb ait: Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Caleb ſonat idem ac, quaſi cornam vox hæc, כלב deducitur à litera, caph, כ, quæ ſimilitudinem clamat, & à voce, לב *leb cor.* Igitur homo cordatus, Mariæ ſe cultorem impigrum præſtat. Macte, ô cultor Mariæ, confortare & eſto robuſtus, explica manus ad amplexus proximi, cum quo exercuiſti antea ſimultates, fortiter educ de loculo malè partæ pecuniæ ſummam, audacter exere linguam interpretem vitæ retroactæ, confitendo. Demum nihil ante ſit muliebre, optantes Virginis obſequium

Numer. 13.
Maria eſt terra manans lacte & melle.

ſequium

ſequium profiteri. Sed heu quàm paucos habuit hic ſeqnaces! vnus Ioſuë Calebo fuit adiectus: ſic

Numer. 14.

enim Moyſes pergit. *Vociferans omnis turba fleuit nocte illâ, & murmurati ſunt contra Moyſem, & Aaron cuncti filij Iſrael, dicentes: Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, vtinam pereamus: & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio.* Expende quæſo homines à Ioſuë, & à Calebô impiè deſciſcentes. *Vociferans omnis turba fleuit nocte illa.* Benè turba; nam reprobi perpetuo turbine acti, ſic turbantur, dum qnis eos de meliori fruge monet: flet equidem turba nocte; quippe etſi læta ſint omnia reprobis extrinſecè, & illis tantum Sol videatur illucere; apud eos tamen in penitiore receſſu mentis, cuncta lugent, & effuſâ caligine, peccatorum tenebris excæcantur adeò, vt eorum lux nox ſit, & tenebræ luminis impotes. Nihil niſi Ægyptum cogitant, nec aliud timent præter gladium, quem Chriſtus venit mittere in terras, vt ſpiritum à carne diſpeſcat. Mariæ cultum fugiunt reprobi dicentes. *Non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio.* Mariæ cultus proditur gladio mortificationis; eum ideò penitus abiuramus.

Turbarum iniqua eſt conditio.

Mariæ cultum reprobi fugiunt.

Horum ſortem luget Propheta Zacharias. *Poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum.* Et alius ſic. *Maledictum, mendacium, furtum, adulterium, & homicidium inundauerunt, ſanguis ſanguinem tetigit; propter hoc lugebit terra.* Alij verò terræ huius ſanctæ incolæ, non lacte tantùm & melle gaudent, ſed & gemmis pretioſis. Sunt qui libros Geographiæ euoluunt, vt terras noſcant, ad quas eſt commeandum, vt hinc adducant gemmas. Maria eſt illa terra prædiues, imò etiam liber Geographiæ. Et vtinam eo caperemur libro, ſicut Rex Alphonſus ſuis, quibus etiam lecto admoris incubabat; dicens, ſe malle vniones & gemmas omnes potius quàm libros ſibi deperire.

Zachar. 7. Oſee 3.

Antonius Panorm. l. 4. de vita Alphonſ. c. 3.

Libros quàm æſtimarit Alphonſus Rex.

Nostrvm fas sit, et faxit Devs, vt mens Mariæ incvbet: vt excvbet nobis.

ENCOMIA B. V. MARIÆ ex Medicina.

In hæc verba:

Liber generationis Iesv Chriſti.

Sectio Octava.

Vnde eſt Medicina exorta.

NEceſſitas homines ad rem medicam eâ ratione perculit, quâ natura ad alimenta idonea indaganda: cùm autem vnuſquiſque experiretur ea quæ morbo leuando eſſent aptiora, ex illa obſeruatione rerum conſonarum, primum exorta eſt Medicina, cuius prima rudimenta conſcripta in tabulis, appendebantur in fano Æſculapij, vbi legebatur hiſtoria & ſeries morborum, quos hæc & illa medendi ſors extinxerat. Homines illis experientiis innixi dicti ſunt Empirici, ἀπὸ τοῦ ἐμπειρεῖν, experiri; & cùm quælibet inuenta facilè adiectionem ſuſcipiant, alij philoſophantes viâ negationis, improbantes quædam remedia, & viâ affirmationis alia pharmaca decernentes, rem medicam excolere inceperunt, hos Græcia dogmaticos nuncupauit, ἀπὸ τοῦ δογματίζειν, id eſt, præcepta decernere. Rudis autem & informis fuit Medicina, velut vrſæ fœtus, indigeſtaque moles ante Hippocratem: ſed ille lambendo cultiorem fecit; quippe definiendo, diſtinguendo, & obiecta diſſoluendo, artem fecit, quam plerique dignantur nomine ſcientiæ, vtpote quæ habeat ſua principia quibus innixa non aberrat à ſcopo.

Æſculapij templum ægris aſylus erat.

Medicinæ definitiones variæ.

Prout autem quiſque excelluit in illa ſcientia, ita & in definiendo aliis etiam viſus eſt præiuiſſe. Hippocrates ſic. *Medicina eſt morbos ab ægris tollere, & eorum impetus retundere.* Et alibi. *Medicina eſt adiectio deficientium, & ſubtractio redundantium.* Galenus interpres Hippocratis ait, Medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium & inſalubrium, & aliàs docet eſſe artem quæ præeſt ſanis, victus ratione regendis, atque ægrotis curandis. Item eſſe ſcientiam morborum, curatricem, & conſeruatricem ſanitatis. Sed omnium præſtantior ea eſt definitio quâ docet. *Medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, ſignorum, & cauſarum.* Auerroës ſic fatur. *Medicina eſt ars operatrix ratione, & experimento inuenta, vt ſanitas ſeruetur, & morbus arceatur.* Eadem penè ſanxit Auicenna.

Hippocrates lib. de arte.

Idem libro de flatibus.

Galenus lib. de ſectis.

Idem in introductorio.

Idem lib. de arte parua.

Auerroes 6. collig cap. 1.

Auicenna.

Subiectum Medicinæ eſt corpus humanum, vt eſt ſanabile: nam omnia quæ medicus explorat & expendit, eò collimant, vt corpori humano ſint ſua ſarta tecta. Duplex autem eſt finis Medicinæ, vnus in actione conſiſtit, & hic eſt in perita rerum ſanctione, quâ ſanitas comparatur, & hic finis eſt ſemper penes medicos minimè ignaros; alius eſt finis Medicinæ, ſitus in quiete ſeu ceſſatione actionis, & eſt ſanitas, ad quem finem ſi non deueniat medicus, hoc non arguit impotentiam artis, ſed defectum ſubiecti, quod non eſt corpus ſanabile, ſed effœtum, & morbi lethalis incendio iam depaſtum: vt cùm finis Rhetoricæ ſit perſuadere; finem tamen artis aſſecutus eſt Rhetor, ſi egregiè dixerit, & non tamen ſuaſerit, quia fortè orauit ante homines impotes rationis.

Finis Medicinæ.

Partes Medicinæ, ratione materiæ ſubiectæ, ſunt quinque; tres theoricæ, duæ verò ſunt practicæ. Partes theoricæ ſunt, φυσιολογική, παθολογική, αἰτιολογική. Phyſiologia eſt naturæ hominis inſpectio: diuiditur autem homo in partes ſolidas, fluidas, & ſpirituoſas; & hæc pars concludit anatomen. Pathologia morbos conſiderat, Ætiologia cauſas. Partes practicæ ſunt ὑγιεινὴ ſanitas, quæ fit à medico, & θεραπευτικὴ modus reuocandi ſanitatem, qui eſt triplex διαιτητικὴ in ratione victus, φαρμακευτικὴ Pharmacia, χειρουργικὴ Chirurgia. Alij rem totam Medicam volunt eſſe tripartitam, in διάγνωσιν, πρόγνωσιν, & θεραπευτικήν, cognitionem morbi, præuiſionem an ſit curabilis necne, & in curandi modum. Singulæ rei medicæ partes, multa enixæ ſunt volumina, nec ſinit diſciplina pluribus fœta libris; ſed eò deuentum eſt miſeriæ, vt dum diſcordes exiſtunt rei medicæ proceres, eorum diſſidia ſecum vehunt hominum perniciem, fitque vt dum deliberant medici de reuocanda ægri ſanitate, eum perimant dnm tenaces ſunt ſui delirij, fitque ex eorum diſcordia diſpendium diſcumbentis.

Diviſio Medicinæ.

Tanto diſcrimini nequiit occurrere Hippocrates, nec eius Scholiaſtes Galenus, etſi Magiſtro ſuo minimè inferior. Præſciit Rex Salomon vnicum remedium, ſcilicet: *Vbi non eſt mulier,*

Maria ægris eſt ſalutaris. Eccleſ. 36.

ſuſpirat

ſuſpirat ager. Ea mulier eſt B. Virgo Deipara, cuius peritia in leuandis quibuſque morbis, multiplici argumento liquet. Primò ex figura earum obſtetricum, quæ in Ægypto infantes maſculos damnatos aquis ſubripuere neci, in quas cùm Pharao iniquior inueheretur, illæ reſponderunt. *Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres; ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt.* B. Virgo Maria mulier Hebræa erat, cuius Iudith typus extitit, de qua fertur tale præconium. *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor.* Voluptates mulieres ſunt exoticæ, infideles, quæ virtutum abortum ſollicitant. Quid, ô anima fœta votis, de obeundo ſanctiore ritu viuendi; quid, inquam, conſulis ſæculi delicias? Earum aſtu abortient omnia, quæ molitus es ad virtutem amplexandam. Mariæ præſidio ſubiicere; ea eſt Mulier Hebræa, quæ habet obſtetricandi ſcientiam: & vt callet rem medicam, occurret ſymptomati, quod imminet animæ parienti, vt eſt deliquium, quo plerique pœnitentes extincti ſunt, à gratiæ recto tramite declinantes.

Exod. 1.

Iudith. 14.

Maria eſt fons ſanitatum.

Ex SS. PATRIBVS.

Maria Mater eius, qui ſe Medicum nuncupauit dicens, non eſſe opus medico ſanis, ab eo etiam θεραπευτικὴν, ſeu curandi normam didicit eminenter; ita vt S. Damaſcenus, ipſi etiam Mariæ ſepulchro ineſſe vim medendi aſſerat. Sic enim inducit Deiparæ tumulum eloquentem. *In me diuina gratia inhabitat, ego morbo correptis Medicina, qua dolores propulſantur ex iſto, ego ſanitatum fons perennis: qui morborum ſanationem, vitioſarum animi affectionum depulſionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omnium ſubmotionem regni cœlorum quietem ſitit; cum fide ad me veniat, gratiaque donum magnopere efficax, & vtile hauriat.* Hæc ille. Mortem illi eſſe ſubiectam ait S. Germanus & hoc eſt ſupra omnem rem medicam. Ita ille. *Dicatur tibi mors ſubiecta, ô Deipara, quia vitam mortalibus protuliſti, dicatur ſub te ſepulchrum, quandoquidem ſublimitatis inexplicabilis diuinum facta es fundamentum.*

S. Ioannes Damaſcen. orat. 2. de Aſſumpt. V.

Mariæ mors eſt ſubiecta.

S. German. Patriarcha Conſtantin. orat. in dormit. B. V.

Cùm ὑγιείαν, id eſt ſanitas, ſit finis Medicinæ, duo in ea ſunt conſideranda, vt Mariæ ſtent integra præconia, ex re medica delibata. Alia eſt ſanitas in fieri, alia in facto eſſe. Sanitas in fieri reſpicit actiones medici, & pharmaca. Sanitas in facto eſſe, ex Galeno: *Eſt conſtitutio, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur.* Vel ex aliis. *Sanitas eſt diſpoſitio naturalis corporis humani, quæ per bonam ſimilarium partium temperiem, organicarum conuenientem ſymmetriam & vnionem, functionum laudabilium cauſa exiſtit.* Ita recentiores eam definiunt. Potiſſima autem ſigna ſanitatis ſunt coctio, & pepaſmus: quippe coctione laudabili omnia recreantur, & pepaſmo noxia quæque fortiter egeruntur. Audiendus Hippocrates. πέψις δὲ τῶν περιπλεομένων εἰς πλῆν τοῦ πέψαντος ὑγιείαν ἀγωγή. ὁ δὲ πεπασμὸς πέψις τις τῶν παρὰ φύσιν. *Coctio ductus eſt eius quod coquitur in ſubſtantiam eius quod coquit; pepaſmus autem eſt quædam coctio eorum quæ ſunt præter naturam.* Duretus hæc ita enucleat πέψις δὲ τῶν εἰσιόντων, rerum ingredientium, ingrediūtur autem τὰ προσφερόμενα καὶ συμπρέποντα, naturæ conſentanea, & conſocialia, πεπασμὸς δὲ τῶν ἀπιόντων rerum exeuntium, ſiue præparatarum ad exitum. Vtriuſque autem, ſcilicet πέψεως καὶ πεπασμοῦ cauſa effectrix, eſt viuifica vis quæ manat à corde, πέψις coctio aſſimilat bonum alimentum alito, πεπασμὸς verò eſt coctio ſeu præparatio, quâ alterati humores, & materiæ inſalubres egeruntur.

Sanitas quid ſit.

Galenus lib. de ſanitate tuenda.

Varanda l. patholog. c. 3.

Hippocrates lib. 1 Epidem.

Sanitatis ſigna.

Duretus in l. 2. Coacar. c. 15. prænotio. 10.

In moralibus totum id agitur à gratia, quâ moderante omnia cedunt in emolumentum iuſtis idoneum, iuxta illud. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Sancti enim verè ſani, audito verbo Dei, & alia quauis æquâ operatione, ſaginantur; & quicquid reliquiarum eſt humoris iniqui ab Adamo deriuati, illud omne produnt foras. Rurſus nota viuificam vim πέψεως, & πεπασμοῦ non inſeri à Medico, ſed iuuari tantùm: nam, vt aiebat Herophilus, pharmaca ſunt auxiliares Dei manus. Nimirum à cauſa ſuperiore inditur cordi illa energia, quâ ſalubria digeruntur, & inſalubria egerūtur. Ita & cùm Deiparam dico rei Medicæ gnarā & peritiſſimam, nefas eſt credere, illam infundere gratiam, quæ à cauſa digniore nempe Deo tantùm illabitur; ſed illud inſinuo, Mariā ita diſponere corporis animæque ſenſus, vt obice omni eliminato, gratia facili negotio omnia ſua munia ſortiatur; & in eo ſenſu Maria mediatricem agit, ſed non gratiæ habitualis effectricem. Et eâ ſunt præcautione intelligendi Patres ſancti, quando Mariam enuntiant, ἰατρείαν nobis animę procurare, & eâ auerſâ nos emori, vt ſcripſit S. Germanus *Non enim tantùm dolet anima, cum à corpore auellitur, quātùm dolor eſt te, immaculata, priuari.* Et hoc effatum quadrat Salomoni, cuius hoc eſt. *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit ager* Sic etiam cautè eſt legendus Seraphicus Doctor, dum ſpatiatur in Marię panegyri. *Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat vniuerſos, colligit à culpa, gratia impinguat, liberat à morte æterna: dico ergo quod gratia Mariæ colligit ad miſericordiam, colligit ad Eccleſiam malos, hoc benè ſignatum eſt in gratia, quam in colligendis ſpicis a meſſoribus derelictis Ruth inuenerat, quando dixit ad Booz: Inueni gratiam in oculis Domini mei.* Bernardus Mariæ ſuffragia cautius explicat, dum ſic fatur. *Maria tu peccatorem toti mundo deſpectum, materno affectu amplecteris, foues nec deſeris, quouſque horrendo iudici miſerum reconcilies* Hæc ille. Cùm igitur audis homines medicante manu Mariæ effectos eſſe ſanos, hoc intellige de ſanitate in facto eſſe, vt in gratia perſtant ſoſpites & integri, ab omni peccato prorſus alieni. Maria enim non dat, ſed orat vt detur gratia.

Rom. 8.

Mariam non amare quàm noxium.

S. Germanus Patriarcha Conſtantin. orat. de Dormit. B. V.

Eccleſ. 36.

S. Bonau. in ſpeculo B. V. Mariæ, lectione 5.

Maria prodeſt omnibus.

Maria peccatoribus propitia.

S. Bernard. in deprecatione ad B. V. Mariam.

Iam de ſanitate in fieri, id eſt de methodo curandi ſaucios, Mariam exploremus. Triplex eſt via, quâ redux ſanitas poſtliminiò vegetatur. Nimirum diæta, Pharmacia, & Chirurgia. Diæta eſt regimen, quod eſcis, potui, ſomnóque præſcribitur, ſicut & ſpiritui, arcendo triſtia, & lætiora quæque prouocando. Optima equidem diæta ſeu regimen vitæ, ipſa Meditatio ſerici & tenoris, quem Maria ſeruauit toto ſuæ vitæ contextu. Hoc regimine quiſque fiet ſanctus. Audi Ambroſium. *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit: ſi igitur auctor non diſplicet, opus probemus, vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum, quanta in vna Virgine ſpecies virtutum emicant? Virgo intra domum, comes ad miniſterium, mater ad templum.* Quaſi diceret: Diſcant puellæ declinare hominum aſpectus, à Virgine in abdito: diſcant coniugatæ charitatem à Maria, Elizabeth miniſtrante: diſcant

Ex SS. PATRIBVS.

Medicina trifariam reuocat ſanitatem.

S. Ambr. l. 2. de virginibus.

Maria eſt imitanda.

diſcant matres frequentare Eccleſiam. & illic educare ſobolem ſuo exemplo, Mariâ duce, quę puerulum Ieſum in templo obtulit Deo Patri.

Maria Euæ virus extinxit. S. Bernard. ſerm in verba illa Apocal. Signum magnum.

Pharmacia propinat antidota, & hoc præſtitit Virgo, dum edidit Chriſtum, vnde Bernardus. *Crudelis Eua, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit; ſed fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum & viris, & mulieribus propinauit. Illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis; illa ſuggeſſit præuaricationem, hæc iniecit Redemptionem.* In eo genere laudatur terra lemnia, ſeu ſigillata, cui quaſi vis ineſt Catholica aduerſus innumeros morbos. Maria terra eſt vtique ſignata ſigillo totius Trinitatis, vt ait S. Bonauentura. Et S. Germanus ait, è Mariæ terra homines eſſe reformatos, qui de terra antea fuerant efformati. Sic ille. *Terra verè, in qua quæſitum repertum eſt; terra erat è qua ſumus eiuſdem formæ, & corporis, locum habens benedictum in Virginis vtero. Hoc enim aruum inuenit, vita noſtra Princeps ſpica, in qua ſine ſemine, & abſque agricultura ſupernaturaliter natus germinauit. Hic puluis, hæc ſpica, hæc terra regio, in qua nunc decentérque reformamur, per quam puluis noſter reformatus ad priſtinam dignitatem reuocatur.*

Sermone de dormitione B. Mariæ.

Maria terra nobis ſalutaris. Mariæ omnes debitores. S. Bernard. ſerm. in verba Apocalyp. Signum magnum.

Vides ex Maria terra ſigillata medicamen eſſe compactum, quo ægra natura fuit illicò reſtaurata: & vt illa lénia terra eſt omnibus ſalutaris; ita & Maria omnibus aliquid cótulit, ex Beruardo. *Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit; omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam.* In his, quibus potiſſimum viuit homo, eſt aër ſeu ſpiritus, quem ſi defæcatum ducimus, omnia nobis potiora conſtant. Et hoc beneficium parat nobis Deipara, ex Sancto Getmano. *Rurſus huiuſce aeris ſpiratio, vitalem hominibus odorem inſpirat. Ita & Chriſtiani omnis orthodoxi ad te reſpiratio, diuinitatis ipſum quoque participem facit: neque enim tantum cœli hauſtu anima noſtra reſpirant, quantùm nominis tui protectione confirmamur; adeò vt in Chriſto, & in te impleatur quod ſcriptum eſt: ſpiratio narium noſtrarum tu es, in tegumento tuo vmbra fruemur.*

S. German. Patriarcha vbi ſupra.

Tertium curandi modum ex Chirurgia, Maria reſpuit, vt cruentum; nam ex Bernardo. *Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt.* O librum egregium, & ſchema gratum medendi, ſimile pharmaco, quo conualuit Laurentius Mediceus parens literarum, qui legens pietatem quarumdam mulierum, conualuit. Macte, ô reptobe, curaberis pietate Mariæ, cui congruit ſymbolum terræ ſigillatæ, cui Dinetus hoc lemma inſcribit. DATA TEMPORE PROSVNT.

S. Bernard. ſerm. Signum. Sapiens 1.

EX HISTORIA. Bodinus in Proemio Method. hiſtoriæ.

EX SYMBOLIS. Pet. Dinet. l. Hieroglyphic.

MARIA PRÆSTO EST MEDICA, EI QVI SE PRÆSTAT MENDICVM.

ENCOMIA B. V. MARIÆ
Ex Iure Canonico.

In hæc verba:

Liber generationis IESV Chriſti.

SECTIO NONA.

EDito rerum omnium contextu, cui nomen orbis inditum eſt, ſingulis quibuſque Deus annuit, approbationis ſuæ calculum adiiciens, vt auctor eſt huiuſce Geneſeos ſcriba ſacer Moyſes, cuius eſt hæc appendix, in lucis, terræ, cœli, & beſtiarum exortu. *Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Sed homine effecto, an illi eſſet inuſta bonitas aliqualis necne, tacitus omnino præteriit. Silentij cauſam arbitror eam extitiſſe, quòd bonitas inſita cuique rei ſit externa tantùm, & phyſica, aſt hominis genuina bonitas ſit moralis, & interna, ſita penes hominis arbitrium, cuius Deus vſum expectabat, vt ex eo æquiore, vel iniquo ſuum referret inde ſuffragium, quod in aliis illico aperuit; quia lux, terra, & beſtiæ non erant ſui iuris, vt poſſent ingenitam ſibi exuere bonitatem, quâ cùm dirigantur ad Dei decus & gloriam, nequeunt inanima quæque, & animæ neſciæ rationis vnquam ab hoc ſcopo ſeu Dei tramite deuiare.

Geneſ. 1.

Homo verò ſecus, vtpote ſui arbitrij, potuit in alterutram partem inflecti, ideóque ſuſpenſa ſententia, dubiam hanc hominis indolem ſpernuta. Quia verò imbecilla hominum natura nacta eſt ingenium iners & imbelle, cuius Angelus refuga & deſertor non inſcius, hominem à Deo poterat auellere: benignus ille & prouidus hominum opifex, vt ingruenti diſcrimini citiùs occurreret, legem tulit de pomi lethalis inedia. *Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc enim ſanxit Deus, vt Adamum hominum caput, ſibi tenaciter hoc præſtito obſequio deuinciret. Et ecce tibi prima iuris Canonici rudimenta.

Geneſ. 2.

Eſt autem Ius, *ars boni & æqui*, vt definit Celſus: hæc ars æquum ab iniquo ſeparat, licitum ab illicito diſcernit. Iuris autem finem eundem eſſe ait Iuſtinianus ac Philoſophiæ moralis, quæ intendit omnem hominis bonitatem: ſic enim fatur Imperator. *Iuſtitiam colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes; veram, niſi fallor, Philoſophiam, non ſimulatam affectantes.* Et quia alia eſt bonitas, quâ denominatur homo in ordine ad vitam temporalem; & alia omnino, quâ dicitur homo bonus in ordine ad vitam æternam; ideò ius in duas diſſitum partes, Canonicum, & Ciuile nuncupatur.

Ius quid ſit: Iuſtitiæ quis ſit finis.

EX IVRE CIVILI. L. 1. ff. de iuſtitia, & iure. leg. 2. eodem titulo.

Vita vna eſt, quâ corpus viuit ex animâ, alia quâ animâ viuit ex Deo. Vita terrena bonis terrenis alitur, ſpiritualis ſpiritualibus: vt autem in vtraque vita iuſtitia ſeruetur, & vtilitas proueniat, primum homines vtrinque diſtributi ſunt, qui vtriuſque bona ſecundùm neceſſitatem, vel rationem, ſtudio ac labore acquirant; & hinc illa hominum diuiſio

in laicos, & clericos. Laici ſunt populares; nam λαὸς græcè eſt populus; dicuntur populi, *Clerus vnde ſic dictus.* illi qui terrenis addicti ſunt. Clerici à nomine κλῆρος, ſors: ſunt hi qui terræ incurij, Deum ſortiti ſunt, occupati tantùm eius famulatu, Eccleſiæ obſequio mancipati. Itaque potiſſimum laicos Ius Ciuile ſpectat, & Ius Canonicum pertinet ad Clericos.

Rurſus fuerunt aſſignandi homines, qui iura poteſtate officij commiſſi, ſecundùm æquitatem diſpenſent; propterea in vtroque populo, laico ſcilicet & clerico, iuxta vtramque vitam diſtributo, poteſtates ſunt conſtitutæ, ſæcularis & ſpiritualis: in vtraque di- *Leges Canonicæ & Ciuiles diſtinctæ.* uerſi ſunt gradus & ordines. Terrena poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis habet Summum Pontificem: ad firmamentum ergo cœli, id eſt vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id eſt duas inſtituit dignitates quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas, ſed illa quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus maior, quæ verò carnalibus minor, vt quanta eſt inter Solem & Lunam intercapedo luminis, tanta interſit differentia inter Reges atque Pontifices. Itaque cauſa efficiens Iuris Pontificij ſeu Canonici eſt Papa, Ciuilis autem Iuris eſt Imperator ſeu Princeps. Subiectum vtriuſque iuris eſt homo: ad hoc autem vt ſit homo ſubiectum Iuris Canonici, debet eſſe Catholicus, id eſt baptiſmo initiatus: nam de iis, qui foris ſunt, non curat Eccleſia. Igitur ſubiectum ſacri huius iuris eſt homo Catholicus, dirigibilis in bonum humanum, & diuinum: ſubiectum verò Iuris Ciuilis eſt homo politicus, conſtitutionibus legalibus dirigibilis ſimpliciter ad bonum humanum, & vtilitatem Reipublicæ.

Ita autem contemperatæ ſunt leges Canonicæ & Ciuiles, vt Pontifices accipiant Ius Ciuile ab Imperatoribus, & iſti ab illis Iura ſanctiora, vt ſcribit Nicolaus Papa Imperatori, eo textu qui tranſiit in Canonem. *Quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propriâ volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferna demergi; vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritualis actio, à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus.* Imò Leo Papa proteſtatur ſe nolle recedere à ſtatutis imperialibus, ſcribens Lothario Auguſto. *De capitulis vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorúmque Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſeruandis quantum valemus Chriſto propitio, & nunc, & in æuum nos conſeruaturos, modis omnibus profitemur.* Et viciſſim Imperator Valentinianus ait ſuffraganeis Eccleſiæ Mediolanenſis. *Talem in Pontificali ſede conſtitui procurate, cuius & nos qui gubernamus Imperium, ſincera iuriſdictioni noſtra capita ſubmittamus, & cuius monita cùm tanquam homines deliquerimus, ſuſcipiamus neceſſariò velut medicamenta curantis.*

EX IVRE CANONICO.

Nicolaus Papa huius nominis primus epiſt. ad Michaëlem Imperatorem. Canone, Quoniam idem mediator diſtinct. 10.

Leo Papa IV. Lothario Auguſto. Canone de capitulis diſtinct. 10. Meminit huius epiſtolæ Innocent. III. Extrauag. 2. de iudiciis.

Cauſa formalis vtriuſque Iuris eſt duplex, videlicet forma tractandi, & forma tractatus. Forma tractandi, eſt modus agendi, vt definitiuus, diuiſiuus, præceptiuus, prohibitiuus, & exemplorum poſitiuus. Forma verò tractatus, quæ conſiſtit in ſerie & ſyntagmate Iuris attenditur penes diuiſionem librorum totalium, in partiales; & partialium in titulos ſeu rubricas; & titulorum in capitula, leges, paragraphos. Ius Canonicum omne diſpeſcitur in quatuor libros partiales. Primus dicitur Decretum, quod compegit Gratianus, colligendo dicta ſeu reſponſa Sanctorum Patrum ann. 1193. Secundus liber inſcribitur, Decretales, & eſt compilatio diuerſarum Epiſtolarum Gregorij Papæ noni, & prædeceſſorum eius. Iuſſu Gregorij noni prodiit ille liber anno 1231. & hic in quinque libros partiales diſſitus eſt. Tertius liber Iuris Canonici dicitur ſextus, quia editus eſt poſt quinque libros decretalium. In illum librum Bonifacius Papa Octauus congeſſit Epiſtolas decretales ſuorum prædeceſſorum, Gregorij Decimi, Innocentij Quarti, Clementis Quarti: & hic liber ſpecialis editus eſt anno 1298. nonis Martij, Pontificatus Bonifacij Papæ Octaui anno 4. Quartus liber Iuris Canonici nuncupatur, Clementinæ conſtitutiones. Hunc librum edidit Clemens Papa Quintus in Concilio Viennenſi, anno 1310. Poſt hunc Pontificem, Ioannes Papa Vigeſimus-ſecundus librum illum auxit, & Conſtitutiones illæ à Clemente Quinto fuerunt Clementinæ nuncupatæ, & denuo promulgatæ anno 1316. Denique ne quid illibatum ſit in hac Iſagoge Iuris Canonici, differunt iſtæ voces Decretum, Canon, Decretales, etſi aliquando ſynonimôs vſurpentur. Decretum eſt ſtatutum, quod Papa de conſilio Cardinalium, ad nullius tamen conſultationem ſtatuit, & mandauit ſcriptis, vt habetur in ipſo iure. Decretalis verò Epiſtola dicitur, quam Papa ſolus vel de conſilio Cardinalium, ad conſultationem alicuius reſcribit & reſpondet. Demum ex Gratiano Canon dicitur, ſtatutum in Concilio generali vel prouinciali factum auctoritate Epiſcoporum.

Decretum quid ſit. Canon quid ſit.

Decretales quid ſint.

Cap. Præſenti de reſcriptis gloſſa in diſt. 3. can. 1. §. porro.

Nota, omnes leges conſentaneas etiam ſimplici rationi, quæ ciuiles dicuntur à iuriſtis, diuinas eſſe ſecundùm Theologos: quippe à Deo oriundæ dicuntur diuinæ. Eſſe à Deo liquet hinc, quòd ex S. Thoma lex importat rationem quamdam directiuam actuum ad finem: in omnibus autem mouentibus ordinatis oportet virtutem ſecundi mouentis à primi motoris efficacia deriuari: ſiquidem alterum mouens non mouet, niſi vt cietur à mouente potiore, vnde in quibuſque rectoribus, ratio tota regiminis à primo regente ad alios omnino deriuatur; ſicut ratio eorum quæ ſunt agenda in ciuitate à Rege deducitur, per præceptum in miniſtros Regibus obſequentes. Cùm ergo lex æterna ſit ratio gubernationis in ſupremo gubernante, neceſſe eſt omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna emanare: huiuſmodi autem rationes inferiorum gubernantium, ſunt quæcumque aliæ leges præter æternam.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. 2. q. 95 art 3. Leges vnde oriundæ.

Sic leges omnes vt congruunt rectæ rationi a Deo deriuantur: lex enim æterna eſt ipſe Deus. Tamen ſtrictè leges diuinæ nuncupatæ ſunt illæ, quæ à Deo promulgatæ, inſertæ ſunt codici ſacro tam veteri quam recenti; & quia ad ſalutem hominum inſtitutæ ſunt, poſſunt etiam canonicæ nominari: nam κανὼν idem eſt ac regula; nihil autem hominem æquè dirigit ac lex diuina, omnino homini neceſſaria, etſi ſcintillet in eo lex naturæ, quæ ſufficeret ſola, ſi homo non dirigendus eſſet ad finem, qui naturæ conamina tranſcendit: vt autem aſſequatur homo finem inuium niſibus hominum, operæpretium fuit exhibere legem diuinam, quæ firmaret hominem & faceret indubium circa rectam tramitis cœleſti indaginem. Si enim homines leges præſcripſiſſent de adipiſcendo regno cœlorum, multa dubia irrepſiſſent, quibus ab inceptis hominum vecordia deſtitiſſet.

Rurſus cùm requiratur ad perfectionem virtutis, vt homo ſit innoxius ſecundum actos interiores, & externos; illius ſolius eſt ferre legem, qui ea quæ ſunt abdita perſcrutatur; is eſt autem ſolus Deus. Denique non audet lex humana punire omnia delicta, ob quaſdā pleromque inanes cauſas; ergo fuit ingerenda lex omnium næuorum impatiens, & conſtans: ea autem lex eſt diuina, de qua Pſaltes *Lex Domini immaculata*. Quippe turpitudinis inimica. *Conuertens animas*. Quia non ſolùm vetatur circa exteriores actus, ſed circa interiores. *Teſtimonium Domini fidele*. Propter certitudinem veritatis, quæ abeſt vtplurimum a ſtatutis hominum. *Sapientiam præſtans paruulis*. In quantum hominem dirigit ad ſuperna. Ab hac autem directione, lex diuina eſt prima canonica: nam codicis ſacri libros a Deo per Propheras editos, Ius Pontificium vocat libros Canonicos. & in eo ſenſo prima lex canonica promulgata, fuit ea quam Deus impoſuit de non edendo pane. Et quia eadem lege Pontifices præſunt Eccleſiæ, poſſunt & illi condere Canones, quaſi eodem ſpiritu acti quo Prophetæ ſcripturæ canonicæ conditores: hoc enim inſinuat Damaſus Papa hoc canone *Violatores Canonum voluntariẏ grauiter à SS. Patribus iudicantur, & à S. Spiritu, inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt, damnantur*. Habuit itaq; gens Hebrça Ius ſuū Canonicū, ſicut & Eccleſia ſuū.

Lex Dei quos effectus ſortiatur in anima.

Pſalm. 18.

Canone, nullimou diſt. 9. Canone, Violatores 25 q. 1. Legis violatores à Deo puniuntur.

Iam vt ad Mariam ſeſe euehat oratio: ea triſariam laudari poteſt ex Iure Canonico. Primò quòd egregiè calluit Iura Canonica: item quòd morem impigrè ea geſſerit Iuri Canonico: demum quòd Iure Canonico eleuentur & firmentur dotes eius, probari faciles & fulciri ſacro hoc contextu. Habe igitur in hac ſectione, ex Iure Canonico Virginis encomia tripartita. Mariam probè tenuiſſe priſca Hebræorum Iura Canonica multifariam eſt liquidū. Primò eius auctoritate, quæ cùm ſuum ederet canticum omni magnificentia plenum, in quo ſeriem texit mirabilium Dei, inſinuat omnes figuras accepiſſe finem, eas ſcilicet quas Deus Abrahæ, & copioſo eius ſemini præoſtendit. Has autem ſe ſcire omnes Maria probat hoc extremo verſiculo. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula*. Vt explicat Richardus à ſancto Laurentio. Ex Ambroſio ita legi ſacræ Maria erat intenta, vt etiam noctu dormiendo verſaret animo, quæ interdiu lectitarat. Sic ille. *Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit, & tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pranuntiat*.

Ex SS. PATRIBVS.

De laudibus. Virginis.

Luc. 1.

S. Ambroſ. lib. 2. de virginibus.

Maria dormiendo lecta repetebat

Hanc omnimodam legis peritiam Mariæ inſitam, præſcius omnium Deus in fœderis arca, Virginis imagine figurauit. In ea enim præcepit Deus recondi tabulas legis. *Pone in arcu teſtificationem, quam dabo tibi*. Et rurſus. *Tollite librum iſtum, & ponite in latere arcæ* Non ſimpliciter Maria fuit ſcripturæ canonicæ conſcia; ſed & in latere, id eſt in corde ſuo abdidit, iuxta illud Pſalmi. *In corde meo abſcondi eloquia tua*. Quòd ſi de quibuſdam iuſtis prænuntiat Deus. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus illorum ſcribam illam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, dicit Dominus*. Quàm altè putes inſediſſe cordi Mariç canonicas haſce Dei ſanctiones. Et hinc maxime laudāda, quòd velut arca Dei fuit Maria, ſacrorum baiula bibliorum. Heſychius videtur eò reſpexiſſe, cùm vocat eam arcam, arcâ Noe potiorem. Sic ille. *Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ; illa corruptibilium animalium, illa vero vitæ incorruptibilis; illa ipſum Noe, hæc vero ipſius Noe factorem portauit*.

Exod. 25.

Deuteron. 31.

Pſalm. 118.

Ieremia 31.

Maria cur fuit præſtantior arcâ fœderis.

Heſchyus presbyter Ieroſolymis. in homil. 2. de Virgine.

Nec tantum legem theoricè ſciuit; ſed & exemplo ſuo praxim alios homines edocuit: & hoc aliud eſt ſchema laudis peritæ ex Iure Canonico, ita illud obſeruare, vt vna hæc iuris obſeruantia prætendat faces ad ſequelam harum regularum: nam ex Theologia, lex aliqua poteſt eſſe duobus modis in aliquo. Primò, vt in regulante, & ſic lex eſt in libro, vel in intellectu eius, qui legis peritiâ præpollet. Alio modo lex eſt in aliquo, vt in regulato; & ſic lex eſt in omnibus membris, quatenus hæc propenſa ſunt ad legis obſequium. Sic Paulus ait. *Video alium legem in membris meis* In primo ſenſu legem fuiſſe in Maria præfatum eſt: nam ea non ſolum integrè ſciuit ea, quç legis fuere veteris; ſed & noui teſtamenti myſteria quæque abdita nouit, vt ait Hieronymus: & confirmari poteſt ex eo quòd in arca erant duæ tabulæ legis, quaſi referentes duo teſtamenta. Rurſus Lucas ait de Maria ſpeculante ortum Chriſti, quem ſtipabant paſtores, Reges, Anna prophetiſſa; & Simeon grandæuus homo, nequaquam illaudatus; Lucas, inquam, Mariæ acta recenſens ait: *Conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Et Richardus ait, eam docuiſſe Apoſtolos potiora quæque legis. Imo S. Germanus Epiſcopus Conſtantinopulitanus ait, omnem notitiam noſtram eſſe inſitam nobis beneficio Mariæ. Sic ille. *Nemo Dei cognitione repletus eſt, niſi per te, ô ſanctiſſima*.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1.

Rom. 7.

Luc. 2.

Lib. 10. de laudibus Mariæ. ſerm. de dormit. Virginis.

Legem verò in Maria fuiſſe, vt in re regulata, ipſa etiam Maria tota clamat, quam vidiſſe fuit didiciſſe legem, vt benè Ambroſius eloquitur. *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitáque Beatæ Mariæ, de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis, hic ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt*. Hanc ergo nobis

Maria virtutum magiſtra.

S. Ambroſ. l. 2. de Virgin.

Magiſtram eligamus, in ediſcenda peritia legis, cuius habitus & inceſſus, ſunt vocales, & loquuntur ea quæ legis ſunt, vt ait Ambroſius. *Ipſa corporis ſpecies fuit ſimulachrum mentis, figura probitatis.* Id eſt lex fuit in eius mente, vt in regulante; in corpore autem fuit vt irregulato. Fortaſſe exiges à me exemplum aliquod legis obſeruatæ ab hac Deipara, vt nihil eius deſit encomiis deſumptis ex ſcriptura Canonica; lubens aſſentior, & ſic probo ſequelam perpetuam legis in Maria. Qui amore & reuerentiâ legis implet ea ad quæ non tenetur, ille legiſlatoris omnem aſſecutus eſt mentem: at Maria cum filium ſuum puerulum Ieſum circumcidit, & cùm ſubiit Purificationis ritum, egit ea quibus lege etiam explicitè ſoluebatur. Ergo Virgo fuit tenax legis veteris obſeruatrix.

Ex SS. Patribus.
S. Bernard. ſerm 3. de Purificatione.
Maria legis fuit obſeruantiſſima.

Audi Bernardum in hoc. *In lege ſcriptum erat, vt mulier quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet filium, immunda eſſet ſeptem diebus, & octaua die circumcideretur puer, dehinc ablutioni & purificationi intenta abſtineret ab ingreſſu templi, triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non aduertat, in ipſo ſententiæ huius initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyſes mulierem, quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper matre Domini blaſphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiſerit ſuſcepto ſemine? alioqui niſi parituram prævidiſſet ſine ſemine Virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? patet itaque quod lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine filium peperit, ſicut prædictum erat per Ieremiam. Putas ergo non poterat moueri animus eius, & dicere: Quid mihi opus purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus neſciens virum, templum factus eſt Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templum Domini, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cùm proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ex ipſo partu immaculato? Verè, ô beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione; ſed nunquid filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquam vna earum: nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum.* Hæc ille.

Qualem putas fuiſſe Mariam in aliis ſcripturæ canonicæ ritibus, quibus erat obnoxia? equidem arbitror fuiſſe eam legem animatam, ac proinde fidelibus non eſſe opus alio Iure Canonico, vnde mutuentur Dei obſequium.

Maria docet omnes.

Venite igitur, ô ſcioli quique, quos ſciendi ardor agit in diuerſas orbis oras, deſiderio ſcientiæ: attendite ad Mariam, & illud Ambroſij exclamate. *Ipſa te doceat, quas virtutes Magiſtras habet, quia quicquid egerit, diſciplina eſt.* O Maria explica te nobis, & ſic omne magiſterium virtutis adimplebis.

S. Ambroſ. vbi ſupra.

Ex Historia.
Plutarchus in vita Alexandri.

Vtinam nos is teneret amor libri iſtius canonici, quem ſenſit Alexander pro Homero, cuius adeò lectione ciebatur, vt etiam dormiens librum haberet ſuppoſitum ſuo ceruicali. O beatas hominum mentes, ſi etiam in ſomnis aliquid beatæ Virginis euoluerent; in quam vellem ego omnes affectos eſſe, ſicut fuit Rex Aragonum Alphonſus in libros doctrinę alicuius exquiſitæ. Ille Rex vſquequaque ſcientiſſimus, cùm ſtatuiſſet arcem reſtituere Neapolitanam, iuſſit afferri ſibi Vitruuium, ſeu librum de Architectura; allatus eſt ille liber, ſed adeò excluſus, vt ſine tegmine prorſus eſſet: doluit Rex eſſe librum ſine ornatu, & ait: Non decet hunc potiſſimum librum, qui nos quomodo conregamur tam bellè edocet, derectum incedere. Eamobrem volo egregiè parari ad vſus Regios, & omnibus quas melior, artibus adhiberi.

Panormitanus l. 1. de geſtis Alphonſi.
Liber Vitruuij charus Alphonſo Regi.

Si quoſuis homines rogare potis eſſem, quo ſit apud eos apparatu liber iſte canonicus, Virgo Maria nuncupatus; pleriqué Mariam ſine tegmine oſtenderent, alienam a mente ſua. O homo Chriſtiane, nefas eſt detectam Mariam à te abigere, ſine cuius ſuffragio nunquam cælorum ambitu contegeris: illa te ſinu ſuo fouit hactenus; eâ nimirum inſciâ, nihil tibi Deus propitius impertiit. Habeat igitur illa ſibi cor tuum vice tegumenti, & eam adhibe iugiter ad extruendas arces, id eſt ad virtutum praxim, quam proculdubio impiger obibis, ſi canones à Maria edoctos tuis actibus aſſequaris. Sed caue mendum omnibus inolitum, qui animum adiiciunt ad virtutem: hi dum omnibus inhiant virtutibus, nullam omnino conſequuntur. Itaque explora teipſum, & perpende, quâ tibi re ſit opus, & cuius virtutis indigus, noxiam vitam agis, & in Maria ſpeculare gratiam illam, & quo pacto ſe illa geſſit in tuis anguſtiis. Verbi gratiâ, aliquis tecum durius agit; incandeſcit animus, prorſus ad contemptum refuga: Mariam meditare quàm quieta extiterit ad quaſuis illatas iniurias, quámque ſuauiter, & modeſtè ſingula quæque iniuria ſemper exceperit; eius exẽplo cautior effectus, poteris tandem aliquando virginem æmulari.

Libri quomodo legendi vt proſint.

Eâ cautelâ vult Seneca perlegi libros. *Illud prius ſcribam, quemadmodum tibi iſta cupiditas diſcendi, quâ flagrare te video dirigenda ſit, ne ipſa impediat; nec paſſim carpenda ſunt, nec auidè inuadenda vniuerſa; per partes peruenient ad totum, aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quàm vti ſufficere poſſumus; non quantum vis, ſed quantum capis hauriendum eſt, quo plus recipit animus, hoc ſe magis laxat.* Et alibi. *Lectio certa prodeſt, varia delectat, qui quò deſtinauit peruenire vult, vnam ſequatur viam, non per multas vagetur, non ire iſtud, ſed errare eſt.* Nimirum cõpendioſa ad virtutem via eſt, vni adhęrere, cuius inopia næuos ingerit abhorrendos.

Seneca ad Lucilium ep. 109.
Idem epiſt. 49.

Hoc aſtu Carolus V. Imperator prudentiæ omnes numeros expleuit. Cùm enim videret imminere ſibi Franciſcum Regem Galliæ acris animi; ſtatuit infringere Gallicos impetus prudentiâ magis quàm vi armorum. Vt ergo callidi ingenij habitum omnem indueret, propoſuit ſibi vitam Ludouici XI. Regis Galli, qui Caroli Ducis Burgundiæ inquietem animum fregit, verſutiis ſuis potius quàm vllo alio belli apparatu, Fabium agens & exhibens aduerſus hunc Hannibalem. Itaque Carolus V. hac vulpinâ pelle delectatus, Philippi Comminæi commentaria de geſtis Regis Ludouici verſabat aſſiduè, vtique illi lectioni intentus eum ſe præſtitit quo queat in æternum Hiſpania gloriari. Ita quiſquis eximiũ ſe præſtare optat, ab ea virtute auſpicetur,

Ex Historia.
Bodinus in Proœmio Method. hiſtoric.

Liber Comminæi charus Carolo V.

quæ

Plutarchus in vita P. Æmilij.

quæ magis arridet, & illius in Maria ſpecimen omne reperiet. Ea ratione ex Plutarcho Paulus Æmilius domitor Macedonum, virtutes omnes ſibi comparauit, variâ ſcilicet lectione exemplorum quæ Romani Proceres ediderant.

Surius in vita Cæcilia.

Librorum lectione qui profecerint. Mariæ deuotus S. Bonauentura.

Et vt à profanis ad ſanctiora recurrat oratio, quid S. Cæciliam, virginem illibatam, ſociam Angelorum, & Martyrem fecit, niſi aſſidua Euangelij lectio, quâ adeò capiebatur, vt librum hunc canonicum diu noctúque pectori admotum circumferret? Quid Bonauenturam hominem ſeraphicum adſcripſit numero ſanctorum, niſi iugis ſpeculatio libri Canonici, quem Mariam nuncupamus? Siquidem ille duos compoſuit libros, quibus Mariæ virtutes explicatæ velut in ſpeculo, ſunt ab eo in modum pſalterij decantatæ. Vnum vocat librum, Speculum Virginis. Alium, Pſalterium Virginis. Hoc Canone, id eſt Mariæ exemplo, Bonauentura ſanctitatis normam egregiam adeptus eſt, ipſa ei Mariâ Virgine ſuffragante.

EX IVRE CANONICO.

Ad integra virginis Encomia, ex Iure Canonico rimandum eſt, an Iure Pontificio Mariæ poſſimus aliquid ſingulare affingere. Non faceſſet aliquale negotium res aperta & indaginis impatiens; quippe infra Deum, Ius ſanctum nulli decernit eos ritus, quos Mariæ aſſignat, vt non dicam. Primò Conceptionis eius feſtum ab Eccleſia tota receptum eſt, celebrari ceptum in Anglia anno 1070. regnante Guillelmo Duce Normanorum. Recepit hoc feſtum Eccleſia Lugdunenſis, Bernardi ætate, vt patet ex eius Epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes. Demum Pio V. Pontifice, orbe toto eſt ſolemnitas illa propagata. Conceptionis illibatæ veritatem Concilium Tridentinum indirectè inſinuat, cùm orum immundum hominum explicans ait. *Declarat tamen hæc ipſa ſancta ſynodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de originali peccato agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* Et reuera nefas erat, Mariam illo peccati originalis pollui contagio. Nam ex Iure Canonico, locus vbi debet confici ſacrum Chriſti corpus, debet antea conſecrari, vt ait iſte Canon. *Conſecrationem Eccleſiarum, & Miſſarum celebrationes, non alibi quàm in ſacratis Domino locis liquet fieri debere, omnibus quibus nota ſunt veteris & noui teſtamenti præcepta.* Ideò Deus tabernaculo Moſis non inſedit, antequam illud fuiſſet ſacra ſanctificationis vnctione delibutum, vt habet iſte alius Canon. *Tabernaculum enim Moyſem Domino præcipiente feciſſe, & ſacraſſe, cum menſa & altari eius, & ætius vaſis, & vtenſilibus ad diuinum cultum explendum legimus, & non ſolum diuinis precibus ea ſacraſſe, ſed etiam ſancti olei vnctione Domino iubente perliniſſe nouimus.* Igitur cùm corpus Chriſti, ex Mariæ ſanguine confectum fuerit, oportuit eam fuiſſe ab exordio ſuo Spiritus Sancti vnctione conſecratam; ac proinde patet æuum ſuum totum non egiſſe modò innoxium, ſed etiam intactum ab exigua etiam macula, vtpote quæ ſoli Deo intenta nihil niſi ſanctiſſimum ſemper impigrè perpetrarit; nam ſic habetur hæc ſanctio Sixti Papæ. *In ſancta hac Apoſtolica ſede ſtatutum eſt, vt ſacra*

Mariæ deuota fuit Eccleſia Lugdunenſis.

Concilium Tridentinum ſeſſione 5.

Canone Conſecrationem de conſecrat. diſtinct. 1.

Canone Tabernaculum de conſecrat. diſtinct. 1.

Mariæ Conceptio immaculata.

Canone in ſancta de conſecrat. diſt. 1.

vaſa non ab aliis quàm à ſacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Putaſne Deum inſtitutorem ſanctorum Canonum, Deiparam vas admirabile, opus Excelſi, humanis poſtea vſibus abdicaſſe. Abiit in rem indubiam, B. Virginem neſciiſſe labem, ea prærogatiua vaſis Deo ſacri, vt explicitè ait Damianus. *Quid vitij in eius mente vel corpore, vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium?*

Vaſa conſecrata nefas eſt à profanis attrectari.

Sermone 3. de natiuitate B. V. Mariæ.

Sed, quod omnium ſanctorum etiam ſpirituum gloriam tranſcendit, ipſo Iure etiam Canonico dignata eſt ampliori peplo quàm cæteri omnes ſancti, hæc Virgo, quæ omnia infra Deum ſublimia prætervolat. Peplum erat olim veſtis ſacra vſibus ſanctis; & in eo ſenſu Maria Deum veſtiuit carne ſua, iuxta illud Ieremiæ Prophetæ. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fæmina circumdabit virum.* Et mulier habens egregiam, aut longam, aut amplam veſtem dicitur Homero, βαθύπεπλος, καλλίπεπλος, ἑλκεσίπεπλος. Non iure Canonico Maria illo peplo donata eſt; ſed eo, quod idem eſt ac linteamen mundum, in quo egregia alicuius facinora pingebantur, & Mineruæ tholo appendebantur: tale enim peplum in Mineruæ tantùm decus inſigne pendebatur.

Peplum quid ſit.

Ierem. 31.

De peplo ſoli Mineruæ ſacro agit Seruius in lib. primum Æneidos.

EX IVRE CANONICO.

Eccleſia in honorem Mariæ tantùm plures feſtiuitates inſtituit, quæ ſunt monimenta egregiorum facinorum, quæ edidit illa Virgo heroina, & quæ talibus vulgo in Mariæ feſtiuitatibus explicantur. Ex Concilio Lugdunenſi, Purificatio, Natiuitas, & Aſſumptio eius, hoc Canone recenſentur. *Pronunciandum eſt Laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum.* Illic Purificatio præit Natiuitati, & Aſſumptioni; quia maius in Maria fuit ſpecimen emeritæ virtutis, humiliari in Purificatione, quàm naſci Dominam mundi, aut ad cælorum apicem euehi. Præſentatio eius in templum celebrata à Sancto Damaſceno his verbis. *Expleto triennio ætatis in templum à matre, quæ id vouerat, adducta eſt, in domo Domini plantata, & impinguata ſpiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt, cum ab omni ſeculari vita, & carnali concupiſcentia procul mentem amouiſſet.* Hæc inquam feſtiuitas Græcis iam cognita tranſiit ad Gallos, anno 1375. Carolo Quinto Rege rerum potiente, vt notat Molanus; reuera hæc ſui oblatio à teneris annis digna peplo. Benè obiicitur nobis vt hinc diſcamus vel ſerò facere, quod ſcitò Maria fecit adhuc in incunabulis. Eidem peplo adiecta eſt Viſitatio illa, quâ cognatam ſuam Virgo Maria dignata eſt; & hanc edidit Bonifacius Papa Nonus, anno 1389. firmauitque decreto Canonico. Et Pius Quintus Pontifex præ omnibus feſtis, dies Mariæ ſacros excoli voluit, explicita ſua ſanctione.

Canone Pronunciandum de conſecrat. diſt. 3.

Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15.

Molanus in notis & additis ad Vſuardum.

Extrauag. ſuperna benignitas Bonifacij 9.

Extrauag. cum primum Pij Quinti.

Ex præfatis, Maria vendicat ſibi inſigne decus ex Iure Canonico, quod multiplices Mariæ titulos explicat in peplo: vt qui litterarum ſunt inſcij, ſaltem variæ feſtiuitatis aſpectu, de tabula Mariæ diſcant egregia acta, vt ab oculis ad manus ſedula æmulatione deriuentur. alioquin inutilis eſſet ille aſpectus pepli, ſeu tabularum Virginis, ſicut inutilis lectio, quæ hominem non emendat. Ita Fridericus Imperator Philoſophiæ

Mariæ imitatio eſt ſumma religio.

 moralis

moralis libros edidit linguâ vernaculâ, vt plebs fieret hac lectione cautior. Et Græci, & Romani, procerum tabulas ſedulò aſſectabant, vt vel hinc iuuenum acuerent animos. Sed hæc eſto ſumma laudum Deiparæ ex Auguſtino. *Summa religio eſt imitari quod colimus.* Et ex S. Ildefonſo. *Maria non tantùm prodeſt laudatio noſtra, quàm nobis eius imitatio, magis placet imitator deuotus, quàm laudator otioſus, vera laudatio cordis, eſt imitatio operis.* Nulla enim ſunt Mariæ ſuffragia, ſi non adſint noſtra ad virtutes eius aliqua conamina, quæ ſi non deſunt, Virgo Maria ſibi vindicabit elegans illud ſymbolum Triuultij ducis interriti, qui victoriam pingebat vnâ manu palmam, alterâ caduceum præferentem, hoc titulo. ASTRA ME DVCE TVTVS ADIBIS. Nam rerum bellicarum gloriâ captus ille præpoſitus impiger, omnem mouit lapidem, vt nomen ſuum ætati poſteræ commendaret. Ita & Maria ſuos ſic excitat candidatos, ſingulos quoſque lemmate illo compellans: Fili præſta te ſtrenuum. & ſecutus eſto de mea Clientela, ASTRA ME DVCE TVTVS ADIBIS. Ne deficias in agone; palma namque te ſpectat & expectat, téque ſudore plurimo exhauſto caduceum manet, vt teſſera pacis æuiternæ. Mariam igitur audi adhortantem, nec aſpernare me clamantem.

Sermone de Aſſumpt.

EX SYMBOLIS *Typotius lib. Symbolorum.*

PARVM CAVTE MILES CASTRA METARIS, SI MARIAM NON MILLIES AD ASTRA IMITARIS.

ENCOMIA MARIÆ, Ex Iure Ciuili.

In hac verba:

Liber generationis IESV CHRISTI.

SECTIO DECIMA.

EX SYMBOLIS. *Typotius lib. Symbolorum.*

IMperij ſui finibus longè latéque promulgatis, Carolus V. hoc numiſma cudit. Duas columnas ſtellis vtriuſque poli ſuppoſuit, mediam inter has columnas Imperij aquilam explicauit, hoc verſu circumacto in iconis ora. NVMINE CÆSAREO PLENVS VTERQVE POLVS. Anſam numiſmati dedit facinus audax Columbi, qui nomine Ferdinandi Regis aui Caroli V. ſubdidit Indos Hiſpaniæ. Dixerim à vero abeſſe illud Cæſaris elogium: quippe non eſt numine Cæſareo plenus vterque polus: Nimirum pleriqne Reges excluſo Cęſare, & inuito eius numine regnant, & triumphant. Nam vt ſileam principes Chriſtianos, gentes exoticæ innumeræ neſciæ Hiſpani nominis, pro ſuo arbitrio iura decernunt. Aptemus igitur præfatum hoc Symbolum alicui citra inuidiam. Ea erit S. Virgo Maria, quam ego depingo mediam inter duo magna volumina expanſa, videlicet inter Ius Canonicum & Ciuile, hoc verſu. NVMINE VIRGINEO PLENVS VTERQVE LIBER. Id eſt, Mariæ Encomiis aptus vterque codex. Etenim nihil ſanctum, nihil auguſtum ſiue præcipuum, habet vtrumque Ius, quod non emineat in Virgine illibata, cuius encomiis legum ſcatet vterque liber. De Iure Canonico actum eſt ſupra; properemus nunc ad Ciuile.

Mariæ cura ſe ad omnes orbis oras extendit.

Dei opera ab initio fuiſſe perfecta nemo inficiatur; ſic enim habet Codex Geneſeos mundi. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Vnde enim diuino operi aliqua imperfectio, non ex parte materiæ, circa quam Deus agebat: nam aut nulla erat vt in creatione, aut ſi aliqua erat, vt in formatione hominis de limo terræ, & in productione auium piſciúmque ex aquis, ea Deo humile præſtabat obſequium, nullo reluctamine interiecto. Rurſus aliquale deliquium non potuit irrepere in opera Dei, ex parte cauſæ efficientis, in quam nulla cadit impotentia. Ex Ariſtotele. *Perfectio eſt vltimus actus operantis.* Id eſt, vnaquæque res in tantum perfecta eſt, in quantum vltimum ſuum finem adepta eſt: nam ex eodem Philoſopho. *Vnaquæque res eſt propter ſuam operationem.* Et in eo ſenſu omnia, homine excepto, edita ſunt facta recta: nam vltimum finem adepta ſunt, vtpote ſuo quæque centro appoſita.

Geneſ. 1.

Perfectio quid ſit.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſtoteles lib. 2. de anima tex. 3. Idem lib. 2. de cælo tex. 37.*

Ne autem Deus in homine defeciſſe videretur, dedit ei quo vtriuſque ſui finis compos exiſteret: habet enim homo duplex eſſe, æternum ſcilicet mortis expers, & temporale cineri obnoxium. Iuxta eſſe æternum ad beatitudinem homo dirigitur per gratiam & Ius Canonicum; iuxta verò eſſe temporale, hominem fecit in bonum Commune & Ciuile: non eſt enim homo homini lupus. Ad hoc autem vt ciuili bono homo aptior eſſet, legem naturalem omnium hominum mentibus inſeruit: eſt autem lex naturalis, inclinatio quædam homini indita ad debitum finem, & ad actus rationi conſentaneos, nec ſimpliciter omnis notitia boni cenſenda eſt lex; ſed notitia practica dictans hoc & hoc eſſe factitandum. Nam vt ait Angelicus Doctor, omne quod diuinæ prouidentiæ ſubditur, ab æterna lege regulatur & menſuratur; ſed homo nobiliori modo, quàm cætera inferiora ſubditur Deo: ergo in eo legis æternæ videre eſt radios emicantes, vt inſinuat Pſaltes. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Hoc tamen lumen etſi practicum, multa fuit offuſum caligine, ex quo verſipellis & tranſfuga Angelus hominem dementauit ideò aliæ faces fuerunt homini prætendendæ, quæ ducerent ad ſequelam boni, & homines auerterent à recto tramite deuiantes. Huius luminis idonei legeꝫ obiere vices; & vt vim coactiuam habeant, homines vrgent & validè deſidiâ torpeſcentes, & rurſus homines vt plurimùm à ſe inuicem indole diſſitos, ligant leges: ideo leges à ligando nuncupatæ.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 3.*

Pſalm. 4.

Hoc ciuili nexu ſociauit efferos Romanorum animos Romulus, qui adoleſcente Imperio populum diuiſit in triginta Curias; partes has vocauit Curias, quia hæ Reipublicæ curam habebant, & earum arbitrio ſe gerebat Romulus, & ita tulit ad populum leges Curiatas, quæ ſic à Curia dictæ ſunt, & ecce tibi incunabula Iuris Ciuilis apud Romanos ex Pomponio. Nam apud Græcos Ius Ciuile manauit à duabus ciuitatibus, Athenis, & Lacedæmone. Licurgus Lacedæmoniis iura dedit, regnante apud Hebręos Rege, cui nomen Ioas. Solon verò Athenis idem prę̨ſtitit, regnante in Iudæa Rege Sedecia, vt ſupputat Helinandus.

Iuris Ciuilis origo.

EX IVRE CIVILI. *Pomponius libro Enchiridij.*

Sed quia exoluêre leges Græcæ, Romam redeamus. Extincto Romulo Reges alij leges auxere

Helinandus in Chronicis ſuis lib. 3.

auxere Curiatas, quas Papirius ipſe ſuppar Tarquinio ſuperbo, ſcripſit ſtylo inoliro illi æuo; ideò Ius illud dictum Papirianum, non quòd fuerit legiſlator, ſed ſcriba tantùm. Exactis deinde Regibus, in odium illorum Roma fecit irritas eorum leges, & vixit exlex viginti annis; ſed pertæſa vitam agere iniciam legis, accepit à Græcia leges conſcriptas in decem tabulis, quibus duas Romani addidere tabulas, & hinc ortæ leges duodecim tabularum, quibus concinnandis Appius Claudius Decemuir auctor fuit. Poſt eum Publius Mutius, Brutus, Aufidius, Quintus Mutius Seruius, Atheius, Labeo, multas leges editas conſcripſere.

Papirius l. 6.

Mutato rerum ſtatu, Cæſarum æuo, Vlpianus & Papinianus in hoc agone explicandi leges, fecere ſibi nomen, & famoſum. Sed dum legum incrementa tædium ingererent, Theodoſius Iunior aliquas Imperatorum ſanctiones in volumen vnum congeſſit, & voluit inde oracula depromi, & ab eo liber ille dictus eſt, Codex Theodoſianus. Pij Imperatoris gloriam æmulatus alius Imperator, facinus audax aggreſſus eſt; ſcilicet ſelectas omnis Iuris Romani leges, in aliqua volumina transferre. Is fuit Iuſtinianus qui ope Trebonij, Theophili, & Dorothæi, & aliorum, veteres leges à priſcis auctoribus conſcriptas repurganit, & digeſſit in volumen vnum, quod ideo Digeſtum appellauit: & ne illaudati eſſent priſcæ ætatis auctores, voluit titulis ſubiici nomina eorum, quorum vigiliis fuere ſartæ tectæ legea; inde frequens mentio in Digeſtis, Celſi, Caij, Vlpiani, Papiniani, & aliorum.

Ex hiſtoria Iuris à Iuſtiniano compoſiti.
De nouo Codice faciendo.
Ex Proœmio ad inſtitut. § Cùique Deo

Rurſus Conſtitutiones Imperiales aliu diſcreuit volumine cui nomen ſuum Indidit, diciturque Codex Iuſtinianus, & eſt Secundus liber Iuris Ciuilis. Ex duobus prædictis aliquas ſummulas collegit, quas vt maioris eſſe momenti Imperator oſtenderet, voluit apellari leges Authenticas & plerumque ſunt explicationes ſeu conſtitutiones circa aliquas leges, aut certe etiam Authenticæ dictæ, quia agunt de rebus factis, vt Collatione prima, & ſecunda. Adiectus eſt illis libris alius dictus de vſibus Feudorum, vbi omnia in hoc genere enucleata liquent. Imperator ſtudioſæ iuuentuti conſulere volens, ex pluribus qui componendo Digeſto inſudauerant, tres præfatos elegit, Trebonianum, Dorotheum, & Theophilum, qui Iuris facerent Iſagogen, quam illi in quatuor libros ſcitè diſpeſcentes, vocauerunt libros Inſtitutionum, quibus rudiores ad peritiam iuris compendioſè diriguntur: ſunt etenim veluti Iuriſprudentiæ rudimenta.

Lege, ſcdiùs inſtitution. De iure naturali.

Nota hac Iuris voce Ciuilis, intelligi tantùm Ius Romanum, vt videre eſt in ipſo Iuris exordio, vbi ſic lex definitur. *Lex eſt, quod populus Romanus, Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti conſule conſtituebat.* Et ne diutius immoremur in dumetis huius diſciplinæ, accipe hoc breuiloquio diuiſionem legum ex ipſo Iure Ciuili. *Conſtat autem Ius noſtrum, quo vtimur, aut ſcripto, vt apud Græcos.* τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι. *Id eſt, legum aliæ ſunt ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ. Scriptum autem ius eſt lex, plebiſcitum, Senatuſconſultum, Principum placita, Magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum.* Sed heu.

Lege, lex eſt eodem titulo.
Ius Romanú quid ſit.
Leg. Conſtat. inſtit. De iure naturali.

O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!
O quantum in rebus inane!

Poſt tot lucubrationes, vigilias, & labores exantlatos, exurrexit quidem Magnus tomus, ſed Magnus error: ipſe enim Iuſtinianus, cui inſudabant magna ingenia in Iure condendo, peccauit in primam Inſtitutionum ſuarum notam, quæ hæc eſt. *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi.* Quippe ſuam falcem iniecit in Eccleſiæ meſſem, cùm in re ſacra leges ſanxit; videlicet. *Iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum, & Patriarcham, & Metropolitam, Sanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos, in eadem Prouincia ſemel aut ſecundo, per ſingulos annos ad ſe conuocare.* Item. *Clericos autem non aliter ordinari permittimus, niſi literas ſciant.* Rurſus. *Presbyterum autem minorem triginta quinque annorum, fieri non permittimus.* Multaque alia ſanxit Imperator, illa collatione noua ex Authenticis, quibus vſurpando poteſtatem condendi leges Canonicas, eò tandem deuenit, vt violentas manus iniecerit in Papam Vigilium, quem deportauit in exilium, impiæ iuſſioni Beliſario obſequente

Inſtitution. De iuſtitia & iure.
Authentica vt auth conuen.
Auth. clericos autem.
Auth. presbyterum.
De Sanctiſſimis Epiſcopis collat. 9.
Baronius in Iuſtiniano ſub an. 553.
Anaſtaſius in Vigilio Papa.

Iuris autem Ciuilis iniquitas irrepſit auctoribus Treboniano, & Ioanne, viris impiis, quorum Trebonianus vir auarus, & vile mancipium auri, ius venale fecit, legeſque condidit ad arbitrium eorum, qui ei pendebant aurum; & Suidas adiicit, eum fuiſſe cultorem idolorum, & hoc benè, quia ex Apoſtolo, Auaritia eſt idolorum ſeruitus: alius Treboniano adiectus ad Digeſti compoſitionem fuit Ioannes, inferior quidem ſcientiâ Treboniano, ſed non impar in alea vitiorum, vt auctor eſt Procopius: ac proinde fuit Baronio legitimum lugendi argumentum, cùm inuehens in perditos homines illos legum conditores, ait: vide quales homines leges ſanciuerint Romano Imperio. Alias autem iniquas leges infrà recenſebo.

Procopius de bello Perſico lib. 1.
Baronius Annalibus in ſub an. 529.

Ab hac autem legum iniquarum fœda colluuie ne læderetur Eccleſia, etiam in vſu rerum ciuilium, Deus nos in eadem ſorte fecit eſſe Salomonis, cuius mater eum à teneris vnguiculis edocuit, quomodo obeunda eſſet ſeries tota vitæ ciuilis. Ita & nobis idem rerum moderator, etiam matrem prouidit, ſcilicet B. V. Mariam à qua diſceremus, non tantùm ſcripturas Canonicas ſeu ius ſacrum, ſed & Ius Ciuile, vt vtriuſque vitæ temporalis & æternæ Mariam haberemus matrem & magiſtram orthodoxam. In cuius rei typum duas tabulas legis aſſeruari in arca Deus ſanxit, non ſolùm, vt aduertit Richardus, in B. Virgine inſinuans fore notitiam vtriuſque teſtamenti noui & veteris; ſed vt & præmoneret, Mariam exemplo ſuo edocturam nos vtrumque Ius, Canonicum, & Ciuile: & hoc indicat Ambroſius. *Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt.* Et vt Philippus Macedo gloriabatur filium ſuum lexandrum natum Ariſtotelis æuo, vt eo agiſtro ritum ediſceret vitæ cultioris; ita & Ambroſius congaudet Eccleſiæ, quòd ta-

Prou. 31.
Exod. 25.
Lib. 2. de Virgin.
Gellius lib. 9. cap. 3.

lem nacta ſit magiſtram omnigenæ diſciplinę.

S. Ambroſ. vbi ſuprà.

Sic ille. *Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri; quid nobilius Dei matre?*

EX HISTORIA.

Euander Rex Latinus Pallantem filium ſuum in prima lanugine Æneæ tradidit, adoleſcentem reputans hunc beatum, qui eo duce poſſet cuiuis ſe diſcrimini obiicere; eamobrem Rex grandæuus Æneæ filium ſuum hac verborum ſerie commendauit.

—Sub te tolerare magiſtro

Æneid. lib. 9.

Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta

Diſcat.

Sabellicus l. 6. Ennead. 7.

Mammea mater Alexandri Seueri.

Alexander Seuerus, ſi quis fuit innoxius Gentilium Imperatorum, ille vnus extitit; & totum hoc illius inſigne & ciuile decus ſcriptores referunt ad matrem eius, quam Mammeam vocant, fœminam vtique initiatam ſacris fidei myſteriis, & quâ magiſtrâ viſus Imperator, ciuilem egit vitam minimè indecoram.

Plutarch. in Gracchis.

Plutarchus quam panegyrim texit de duobus Gracchis, quibus nihil cultius erat in ipſa iuuentute? Tota Roma in ſtuporem acta; ſuſpiciebat hos iuuenes; quos tamen nulla alia diſciplina imbuerat, quam matris Corneliæ domeſtica virtus & exempla. Gallia, quæ ſuo gloriatur Rege Ludouico Nono adſcripto cœlitum albo, Matrem eius non ſilet ingloriam; ea etenim nomine Blanca filio ſuo verbo & opere, ſanctioris vitæ expoſuit prima rudimenta.

Maria Regis Emmanuelis vxor filios ſuos educat.

Luſitania quondam credidit ſe felicem, nacta principes octo iuuenes regij ſtemmatis, hi omnes innoxij & moribus adeò excultis primum agebant æuum, vt aula regia referret aurea ſæcula labia neſcia, & omnigenæ conſcia virtutis. Sed vnde his puerulis fratribus indoles ad omnem virtutem compoſita? vnde ciuile ingenium & compti mores intuentium oculos remorantes, & corda ad amorem illico percellentes? Denique vnde omnis ille ab ineunte ætate inſignis ad virtutem apparatus?

Oſorius l. 11. de rebus regis Emmanuelis.

Audi ex Oſorio: horum Principum mater, nomine Maria, vxor Regis Emmanuelis; hæc, inquam, Maria Regina mater, filiis ſuis inuigilans, ſibi inſita Charitate, & diſciplinæ ſeueritate in puerili officio continebat, nec ſinebat, vt aliquid ludendo committerent, quod ab honeſtate abhorreret, nullum quantumvis leue, puerilis flagitij veſtigium in illis impunitum relinquebat.

Hanc gloriam, quam parauit ſibi hæc Maria in educatione filiorum, alia Maria Regina licitatur: ea eſt B. Virgo Maria, Dei hominumque parens, magis ſollicita de toto cœtu fidelium ritè inſtituendo, quàm fuerit illa alia Maria Luſitana, quæ etſi nobilis, non eatenus tamen vt Maria, cuius nobilitas in codice ſacro, ex longo Regum Hebræorum contextu deducitur; vnde illud repeto Ambroſij.

Matth. 1.

S. Ambroſ. vbi ſuprà.

Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt Magiſtri; quid nobilius Dei Matre? Iam videamus ex Iure Ciuili, quas ſibi vendicet partes Beata Virgo Mater, & Magiſtra diſciplinæ.

EX IVRE CIVILI.

Totus vitæ ciuilis contextus attenditur penes tria. Parere Principibus, æquales honorare, & inferiorum ſortem miſerari. Obediendum eſſe Principi Ius ſtatuit, quia *Principis Epiſtola, ſententia, vel edictum, habet legis auctoritatem.* Imò ex Vlpiano. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.*

§. Sed quod & Principi. Inſt. de iure naturali.

L. Quod Principi, ff. de Conſtit. Princip.

Beata V. Maria lubens edicto Auguſti præbuit obſequium. Sic enim fatur ſcriba ſacer. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Ecce legem cui Maria morem geſſit *Aſcendit autem Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Poterat B. V. obiicere partum imminentem, & ſe ſponſam Spiritus Sancti eſſe ſupra legem: quippe ex ipſo Iure Ciuili. *Princeps legibus ſolutus eſt, ſed Auguſta licet legibus ſoluta non ſit; Princeps tamen eadem priuilegia tribuit, quæ & ipſe habet.* Dum ſe ſic Maria inclinat, ipſa ſolio dignior Cæſare Auguſto, cuius edicto facit ſatis, opere ſuo verba legis huius anteuertit. *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri, de auctoritate iuris noſtra pendet auctoritas; & reuerà maius eſt imperio, legibus ſubmittere principatum.*

Luc. 2.

Lege Princeps ff. de legibus

Lege Digna vox, Cod. de legibus.

EX SS. PATRIBVS.

Exordia Virginis in humilitate ſita, eam in gloriæ apicem poſtmodum euexerunt. In ea Virginis excelſæ humiliatione, ſtupens omnis hæret Bernardus. *Felix Maria, cui nec humilitas defuit, neque virginitas. Et quidem ſingularis virginitas, quam non temerauit fœcunditas, ſed honorauit; & nihilominus ſpecialis humilitas, quam non abſtulit, ſed extulit fœcunda virginitas, & incomparabilis prorſus fœcunditas, quam virginitas ſimul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile, quid non incomparabile, quid non ſingulare? mirum verò ſi non haſitas in eorum ponderatione, quid tua iudices dignius admiratione, vtrum videlicet potius ſtupenda ſit fœcunditas in virgine, an in matre integritas, ſublimitas in prole, an cum tanta ſublimitate humilitas. Et quid mirum ſi Deus qui mirabilis legitur & cernitur in Sanctis ſuis, mirabilem ſe exhibuit in matre ſua?*

S. Bernard. homilia 1. ſuper Miſſus.

Mariæ humilitas cõmendata.

EX IVRE CIVILI.

Rurſus eùm & aliis infra Principẽ, vita noſtra etiam diuiditur, vt habet hic textus. *Omne ius, quo vtimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Mariæ nulla fuit actio in aliquem, nec alicui contra eam; igitur in perſonis & rebus eſt morandum. Infra ſuperiores debetur etiam honor æqualibus ex hac lege. *Conſideranda perſona cui defertur honor, ſiue muneris adminiſtratio, item origo natalium.* Maria & hanc impleuit legem: cùm inuiſit Elizabeth cognatam ſuam, magnis ornatam natalibus. Item alia lex eſt. *Honorari debet ab omnibus ille, quem Princeps honorat, aliàs non honorans eum, tenetur pœna ſimilis ſacrilegij.* Cùm ergo Maria didiciſſet ab Angelo, cognatam ſuam filio Chriſti præcurſore & præambulone fœtam. *Exurgens cum feſtinatione abiit in montana, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth; manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus.*

L. Omne ius, ff. de ſtatu hominum.

Leg. Prima, C. de domeſticis.

Leg. Honor. de Muneribus.

Luc. 1.

EX SS. PATRIBVS.

S. Ambroſ lib. 2. de virginibus.

Audiendus Scholiaſtes huiuſce facinoris egregij Ambroſius. *Maria læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio, in montana perrexit, quo enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Diſcite & vos ſanctæ mulieres ſedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis, Mariam quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, nõ à*

publico

publico virginitatis pudor, non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Et ne Mariæ acta ſpeculeris modò, ſed & in praxim ea redigas; hæc exhibet Ambroſius, vt leges & regulas diſciplinæ. Sic fatus. *Didiciſtis, virgines, pudorem Mariæ, diſcite humilitatem, venit propinqua ad proximam, iunior ad ſeniorem, nec ſolum venit, ſed & prior ſalutauit; debet enim vt quantò caſtior virgo, tantò humilior ſit, nouerit deferre ſenioribus, ſit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis, eſt & cauſa pietatis, eſt etiam norma doctrinæ.* Hæc quæſo vltima ſancti verba altè noſtris mentibus inſideant, videlicet, eſt & cauſa pietatis, eſt etiam norma doctrinæ; quaſi diceret, hæc actio non dumtaxat Mariæ pietatem clamat, ſed & nos edocet, vt ad hanc normam actiones ciuiles inſtituamus. Quippe egregia Mariæ geſta non ſunt virtutis inania ſimulacbra, ſed ſunt veluti leges atque ſanctiones omnibus propoſitæ, ad vitæ cultioris rectius inſtitutum.

Mariæ humilitas probatur.

In hoc B. V. Maria rerum moderatrix, ampliore gaudet gratia quam vlla vnquam mulier Auguſta & Imperij conſors. Nunquam enim licuit Auguſtæ condere legem, ſed ea tantùm conceduntur Auguſtæ, quæ mulieri conueniunt. Maria verò non ſolùm condidit aliquas leges, ſed quicquid illa fecit diu hæc habuit adiecta, & cauſam pietatis & normam doctrinæ. Quomodo autem ſe habuerit Maria aduerſus inferiores, diſce ex nuptiis in Cana Galileæ. *Deficiente vino dicit mulier IESV ad eum, vinum non habent.* Principis eſt curam habere pauperum & prouidere alimenta, ideò vetat Imperator alienationem rerum, quas pietas Chriſtiana pauperum inopiæ mancipauit, ne pauperes in poſterum deficiant inediâ. Maria ſe teuerà Dominam præſtitit in nuptiis, cùm ſuccurrit ſuo ſuffragio apud Chriſtum, ſponſi inopiæ pudibundæ.

EX IVRE CIVILI.
Gloſſa. 1. in Leg. Princeps, ff. de legibus.
Ioan. 2.
L. Priuilegia. Cod. de Sacroſanctis.

Nec Maria tantùm vitâ ſuâ innoxiâ, emenſa eſt leges omnes idoneas vitæ ciuili; ſed quod ampliùs eſt leges iniquas opere diſſono ab eis, expunxit à iure Chriſtiano. Aliquas traduxiſſe nigroque lapillo ſufficiet mihi vt noxias annotaſſe. Primæ occurrunt leges propitiæ vſuris, ſcilicet iſtæ. *Etiam ex nudo pacto debentur ciuitatibus vſuræ, creditarum ab eis pecuniarum.* Et ne pudeat homines impios, impius Vlpianus vſuræ nomen inhumanum aliò detorſit in hac lege. *Vſuræ vicem fructuum obtinent, & meritò non debent à fructibus ſeparari.* Maria non dedit modò ad vſuram, ſed magnam vim auri oblatam à Regibus, totam in pauperum vſus erogauit, & pauperum æmulata ſortem, ipſis egenis Virgo pauperior effecta eſt; nimirum nondum mente elapſo, obitura ritum purificationis, obtulit duos pullos columbarum; oblationem Agni, ipſius inopiâ denegante.

Vſura quid ſit.
Leg. Etiam
L. Vſura, ff. de vſuris.

Alia lege iniqua ſæuitum eſt in cœlibes multiplici mulcta, vt cogerentur inire matrimonium, quædamque adiecta priuilegia iis, qui ſtipati eſſent duodecim filiis, vt lex ſic eliminaret virginitatem à Republica. Hæc impia ſtatuta luget Ambroſius ſic. *Qui Deorum ſuorum adulteria, & probra venerantur, cœlibatus & viduitatis ſtatuêre pœnas, vt æmuli criminum mulctarent ſtudia virtutum, ſpecie quidem quâ fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio quo propoſitum caſtitatis abolerent.* Maria Virgo prima eſt, quæ emiſſo voto de virginitate, rem hactenus inolitam fecit poſteris ſæculis æmulandam. Ita Auguſtinus *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ante ſe voniſſet. Non quæſiſſet vtique promiſſum filium ſibi quomodo paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet.* Auguſtino ſuppar Ambroſius, aſſertor eſt eiuſdem voti emiſſi à Virgine. *Vt eſſicax mea ſit deprecatio, Beatæ Mariæ Virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipſum tam nouum acciperet.* Bernardus adiicit & ſuum ſuffragium. *Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientia mea, votum eſſe ancillæ ſuæ, non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat iſtud?* Fruſtra clamat lex Papia, fieri iniuriam Reipublicæ, quæ liberis virginitate defraudatur, ei reſpondet Auguſtinus. *Beatius eſt in carne vitam imitari Angelorum, quàm ex carne augere numerum mortalium; hæc eſt vberior fœcundiorque felicitas, non ventre graueſcere, ſed mente grandeſcere; non viſceribus terram, ſed orationibus cœlum parturire.* Hæc ille Epiſtola 128.

Lex Papia ſeu Papiniana ſtatuit præmia pro liberis ſuſcipiendis.
§. Sancitum etenim Per quas perſonas nobis ius acquir.
Lib. de viduis
EX SS. PATRIBVS.
L. de Sancta virginitate cap. 4.
L. 2. de Virginibus.
Homil. 4. ſuper Miſſus eſt.
Virginitatis laus.

Alias impias leges Iure Ciuili ſancitas, Virgo pia humanitate abrogauit. Etenim lege Fuſia Caninia, nefas erat domino morienti manumittere ſeruos ſuos, & ſic erant ſerui deterioris conditionis, ægro domino, quam ſoſpite; item filios ſpurios vult omni beneficiu carere parentum: ſic enim habet textus. *Qui ex damnato ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecludantur.* Et hoc ſapit inhumanum. Virgo Beata non moriens modò, ſed & mortua terræ, cœlo viuida, multis impetrat libertatem, diluens nexus delictorum, quibus dæmon homines irretierit: Maria enim ex Bernardo, omnibus omnia facta eſt, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; neminem pia Mater excipit à ſuo ſuffragio, ideò Bernardus ſic hortatur. *Ad hunc miſericordiæ cumulum, tota ſolicitudine miſeria noſtra recurrat, potentiſſima & pia charitas, & affectu compatiendi, & ſubueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroque.* Et ne ſerui ſeu vilia peccati mancipia, & homines ſpurij à Deo degeneres vereantur Mariæ acceſſum, ipſe ſanctus eam pro omnibus fidenter exorat *Sit pietatis tua, ipſam quam apud Deum gratiam inueniſti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem tuis ſanctis precibus obtinendo.* Bernardo oranti præierat Auguſtinus, Mariam conueniens ea prece, quæ omnes amplectitur; & eamobrem etiam omnes eam amplectuntur: etenim hanc nemo neſcit orationem, quam texuit Auguſtinus, videlicet *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam commemorationem.*

EX IVRE CIVILI.
Authentica licet, §. Sed qui ex damnato Cod. de naturalib. liberis.
Maria eſt potentiſſima
EX SS. PATRIBVS.
Serm. 4. de Aſſumpt.
Sermone 18. de Sanctis.

Hinc Virginis humanitatem in miſeram Adami proſapiam, peccatis obnoxiam, luculenter extollit S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Nemo ſaluus, niſi per te, Deipara; nemo periculorum expers, niſi per te Virgo Mater,*

S. German. in Virginis dormitionem ſermone vnico.
Mariæ auxilium quàm potens ſit.

ter; nemo donum vllum conſecutus, niſi per te dilecta Deo: quis enim tantopere peccatores defendit? Nec inanes queunt eſſe preces vbi merita exuberant, vt idem ſanctus explanat. *Tu maternum ſuſtinens ad Deum robur, iiſque qui enormibus ſe peccatis manciparunt, eximiam remiſſionis gratiam concilias, & his qui ſupra modum omnem deliquerunt, modo quodam eminenti expedis veniam: fieri enim non poteſt vt non exaudiaris, cùm tibi tanquam veræ & intaminatæ matri ſuæ quoad omnia, per omnia & in omnibus ipſe Deus morem gerat.*

Ex Ivre Civili. *L. Nullius. Inſtitutionibus.* Locus ſacer in quo olim ædes ſacræ.

Ipſo item Iure Ciuili Mariæ ſtatus ſacer etiã poſt mortem fit palam: ſic enim ait Imperator. *Locus, in quo ædes ſacræ ſunt ædificatæ, etiam diruto ædificio ſacer adhuc manet.* Corpus Chriſti, gratiæ omnigenæ ædes ſanctiſſima, in Mariæ vtero habuit ſua fundamina, & exortum; ergo edito Chriſto, & ablato ex priſco ſuo fundamento, erit ſemper corpus Mariæ ſacrum, quod proinde Deus noluit extinctum permittere vermibus abſumendum; ſed vt ſacrum ad ſuperas euexit oras, factum denuo rediuiuum, vt ait Damaſcenus.

Ex SS. Patribvs. *S. Ioannes Damaſcen. oratione ſecunda de dormitione B. V. Mariæ.*

Cui placuit ex Maria Virgine carnem ſumere, & hominem fieri & naſci, cùm eſſet Deus verbum, & Dominus gloriæ, quique poſt partum, incorruptam eius ſeruauit virginitatem, eidem etiam placuit & ipſius poſtquam migrauit corpus immaculatum, incorruptum ſeruatum, tranſlatione honorare ante communem & vniuerſalem reſurrectionem. Tu vero, ò ſacrorum ſepulchrorum ſacratiſſimum, poſt Domini quidem ſepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons reſurrectionis: tecum enim loquar tanquam cum animato; vbinam eſt aurum illud purum, quod manus Apoſtolorum in te condiderunt? vbi diuitiæ, quæ conſumi nequeunt? vbi pretioſus ille theſaurus, qui vitam ſuſcepit? vbi nouum volumen, in quo ineffabiliter Deus Verbum ſine manu inſcriptum fuit? vbi abyſſus gratiæ? vbi pelagus curationum? vbi eſt deſiderabile illud Deiparæ Virginis corpus? Quid quæritis in ſepulchro eam, quæ ad cœleſtia tranſlata eſt tabernacula? cur à me cuſtodiæ rationem expoſcitis? non poſſum ego diuinis iuſſis reſiſtere. Sacroſanctum illud corpus, quod mihi quoque ſanctitatem impertiuit, ac pretioſiſſimi vnguenti fragrantiâ me repleuit, & diuinum templum effecit; relictis fasciis ac linteis, abiit raptum in ſublime.

Libri Porphyrij igni dati.

Ex Ivre Civili. *L. Sancimus, Cod. De ſumma Trinitate.*

Cæterum Imperatori Iuſtiniano defuit potiſſima conditio, quæ debet eſſe comes indiuidua legum conditoris; ſcilicet, eum ſe præſtare, quem exhibent leges: at ille ſecus magno animæ ſuæ diſpendio perpetrauit; eius enim eſt lex. *Sancimus igitur vt omnia quæ Porphyrius ſua pulſus inſaniâ aut quiuis alius contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcumque inuenta fuerint, igni mancipentur; omnia enim prouocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus.* O legem ſanctam, & quæ ſanctiorem vtique Iuſtinianum effeciſſet, ſi pij propoſiti tenax extitiſſet. Sed is immemor huiuſce ſanctionis, dum abdita quæque rimatur myſteria, defecit à fide, & adhæſit hæreſi eorum, qui Aphthartodocitæ ſeu incorruptibiles fuere nuncupati. Hi dicebant, Deum aſſumpſiſſe carnem incorruptibilem, & prorſus paſſionum expertem, & adiicit Euagrius, eum voluiſſe in errorem ſuum adducere omnes Epiſcopos, contradicentibus exilia comminando, & ſic Pontificis vſurpauit ius, decernendo nouos Canones in fide. Ideò poteſt ſacrilego Imperatori obiici illud Pauli Apoſtoli. *Confidis te eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege; qui ergo alium doces, teipſum non doces; qui prædicas non furandum, furaris.* Ille inquam homo ſacrilegus, à lege ſua deuians, perdidit omne decus & inſigne legiſlatoris; nam ex Lactantio. *Cùm quis non faciat quæ præcepit, quæ inſolentia eſt, vt homini libero imponere velit leges, quibus ipſe non pareat: homines enim malunt exempla quàm verba quia loqui facile eſt, præſtare difficile.*

Euagrius lib. 4. c. 38. & c. 39.

Rom. 2.

Leges ſunt obſeruãdæ à legiſlatore. *Lactantius l. 4. Diuinarum Inſtitution.*

Ex SS. Patribvs.

Et hæc pars ſemper in vnoquoque conditore legum deſiderata eſt: nulli etenim ſincera bonorum pars eſt conceſſa viro. Vna extitit Maria ſupra legem: præſtitit enim plura, quàm lex ipſi præſcriberet; nimirum expiata in purificatione, cuius tamen erat impos, vtpote mundiſſima, non continens extitit modò ad amuſſim legis, ſed emiſit votum hactenus inſolitum virginitatis excolendæ. Denique ipſa licet tacita ſemper; fuit tamen lex virtutum omnium loquax & ſonora, nec diſceſſit à mente Lactantij. *Quicumque dat præcepta hominibus ad vitam moreſque fingit; aliorum ſiquidem bona ſunt, quæ præcepit: at ipſi eodem modo viuendum eſt, quo docet eſſe viuendum; ſi aliter ille vixerit, præceptis ſuis fidem detrahet, leuioremque doctrinam ſuam faciet, ſi reipſa reſoluat quod verbis nititur aſtringere.*

Lactantius l. 4. diui. Inſtit.

Vide iam ex Ambroſio, an Mariæ conueniat condere leges. *Quid exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam, alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum ipſi naturæ penè defuiſſe, nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos ieiunio dies: & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret; dormire non prius cupiditas fuit, quam neceſſitas:* & infrà. *Inceſſu affectuque venerabilis, non tam veſtigium pedes attollebat, quàm gradum virtutis attollebat: ſic Maria intendebat omnibus, quaſi à pluribus moneretur, ſic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret quàm doceret.*

S. Ambroſ. l. 2. de Virginib.

Libet iam vſurpare voces quas Deus inculcauit Moyſi, poſt inuiſtam ei ideam arcæ fœderis, in quam tabulas legis poſteà congeſſit. Sic Deus Moyſem affatus eſt. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Satis ſuperque oſtendi, Mariam eſſe arcam, quæ concludit tabulas vtriuſque Iuris, Canonici, & Ciuilis. O homo, inſpice & fac: nam notitia, quam ingerunt leges, non eſt otioſa, ſed practica. Inſpice, id eſt, Mariam meditare, vt ad regulam eius totum te effingas. Indue animos Ageſilai qui noluit erudiri à ſophiſtis, dicens ſe eos velle tantùm habere in magiſtros, qui exhiberent affectum patris. Reſpue iniquas mundi leges, vt inſiſtas eis, quas præſcribit Virgo, vtique alma parens. Ita Salomon abdicato omni dogmate ſæculi, puer vni ſuæ adhæſit matri, à qua diuulſus & immemor eius, peſſum iuit. Sic ille. *Verba Lamuelis Regis, viſio*

Exod. 25.

Ex Historia. *Plutarchus in Ageſilao.*

Prouerb. 31.

quâ

quam erudiuit eum mater ſua. Nota, Salomonem quamdiu audiuit matrem ſuam vocati Lamuelem. Vox hæc Hebræa Lamuel, idem eſt ac in eo Deus. Dictio compoſita ex למו *in eo* אל *Deus.* Rurſos vox, viſio, præmittitur præceptis inclytæ matris. Quaſi ſolis piæ matris iuſſionibus ineſſet vis acuendi ingenium, & oculos filij obſequentis, qui quamdiu morem geſſit matri, Deus in eo fuit; qui abfuit, quando cor ſubdidit aliis mulieribus, quæ lue Venerea cor Salomonis infecerunt. O homo, crede experto Salomoni, & hortanti. *Prou.* 1. *Ne dimittas legem matris tua, vt reddatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo; fili mi, ſi te lactauerint peccatores ne acquieſcas eis.*

Vtinam nobis inſita eſſet indoles luſciniæ ſiue philomelæ: hæc auis adhuc rudis & neſcia cantus, in ſyluis alias audiens auiculas garrulas & loquaces, omnium aſpernatur auium cantum, vt parentis philomelæ patulis auribus ebibat ſuaue melos, à quo poſtea non diſcedit. Hinc fecit ſymbolum Camerarius, pingens in tabula luſcinias, hoc titulo. MELIOR DOCTRINA PARENTVM. Ita & ego præmoneo. Eſto caro demulceat, mundus alliciat, dæmon inſuſurret; tamen MELIOR DOCTRINA PARENTIS, ſcilicet Mariæ.

Ex SYMBOLIS. *Camerarius in Centuria de Auibus.*

Ne igitur dimittas legem Matris tuæ, & caue, fili, à ſuſurro peccatorum. Vni adhære Matri, & cor tuum appone ad hanc eius legem ſeu normam, vt cor illud iugiter rectum non deuiet à tramite recto Dei mandatorum, & vt regios ebibas animos, æmulare pietatem Regis Galli Ludouici vndecimi, qui vt ſoſpes & integer Mariam coluerat, iconem eius amuleti inſtar pendulam geſtans, ſæpeque deoſculans, vbi aduertit mortem inſtare, de regio apparatu in ſuo funere incutius, & exoſus faſtum, voluit deferri in ædem B. Virgini Mariæ ſacram. Quod mortuo Regi accidit, fac vt viuo tibi contingat, id eſt totum te deuoue ſanctiſſimæ Matri, illi adhære, morere rebus aliis exoticis, vt iugi Virginis obſequio manciperis.

Dupleix in Ludouico XI. ſub an. 1483. Mariæ imaginem portabat Ludouic. XI. Gall. Rex.

Nec Maria tantùm leges condit; ſed & impetrat gratiam leges obſeruandi, imò & condendi: qui enim innoxiam vitam agit, ille legem ſancit; ideò in Iure Ciuili ſic fatur Imperator. *Exoramus ſanctæ & glorioſa ſemper Virginis, & Dei genitricis Mariæ precibus, vt quicquid eſt minus Reip. per nos reſtituas Deus.* Sed memor eſto pſalmi. *In nomine tuo leuabo manus meas.* Id eſt, cùm Mariam orabis, explica manus ad ſequelam. Huic meæ parænesi Hieronymus ſuffragatur, dum ſic conſulit. *Dilectiſſimi, amate Mariam, quam colitis, colite quam amatis; quia tunc verè colitis & amatis, ſi imitari velitis ex toto corde quam amatis.* Huic ſancto occino, hoc effato.

Mariæ amor probatur ex imitatione. EX IVRE CIVILI. *In proœmio tituli De officio præfecti prætorio Africæ.* *Pſalm.* 62. *S. Hieron. ſermone de Aſſumpt.*

QVIQVID IN MARIAM CORDITVS INGESTVM EST, ET AB EA GESTVM AST, ILLVD DIGESTVM EST, CEV LIBER CIVILIS, VT HOMO SIT LIBER, HAVD SIT VILIS.

ENCOMIA, B. V. MARIÆ
Ex Rhetorica & Grammatica.

In hæc verba:

Liber generationis IESV CHRISTI.

SECTIO VNDECIMA.

SCrutatores rerum abditarum, prodidere, lupum dum anhelat, ſpirare virus, quod eminus homines elingues facit; & huic obſeruationi annuit Archipoëta, dum ſic ludit.

Vox
Deficit ipſa, lupi Mœrim videre priores. *Virgilius in Eclog.*

Ex lupi infernalis præſentia, & ex lethiferi pomi contagio, toxico ſimili ſauciatus Adam, tacitus extitit, Deo ſciſcitante, vbinam eſſet ille Protex mundi; mulier garrula fecit vt obmuteſceret homo, qui ſi ſupplex reum ſe clamaſſet, nequaquam is eum fuiſſet è cœlo ſoloque conclamatum. Ab eo momento, ſanctiores etiam homines quaſi imperiti de ſua balbutie conqueſti ſunt. Quis Ieremiâ ſanctior in Prophetis, qui ex vtero prodiit neſcius labis ab Adamo contractæ, vtpote ſanctificatus in matris ergaſtulo: Ille tamen eſſi terſioris eloquij ait Deo diceoti. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Ille, inqoam, detrectans vices, quæ decebant eloquentem, reſpondit. *A, A, A, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ſum.* Puer dicitur infans, quaſi non fans. Et Moſes eodem quo Ieremias ſpiritu perculſus, impatem ſe legati vſſicio confeſſus eſt, Deum ſic compellans. *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego? perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris. At ille: Obſecro Domine, inquit, mitte quem miſſurus es.* *Ierem.* 1. *Exod.* 4.

Nota myſterium. Moyſes, vt impoſitum onus excuteret, balbutiem prætexuit: annuit quidem Deus; ſed adiecit, ſe fore in ore elingui: quod vt audiit Moyſes, ait. *Mitte quem miſſurus es.* Id eſt, vt facias eloquentes, mitte Verbum tuum; Eloquentia ſiquidem ſtat Rhetoricæ atque Grammaticæ legibus illibatis. Rhetorica eſt ars dicendi egregiè & eleganter, hæc autem elegantia ſita eſt in delecto verborum, in figuris & phraſi à ſtylo vernaculo ſecedente. Grammatica eſt ars dicendi congruè; hæc autem congruitas attenditur, dum verba benè coniugantur, & nomina ritè declinantur: vtriuſque autem artis Maria Virgo eſt liber explicans regulas & exempla Rhetoricæ, atque Grammaticæ.

Rhetorica quid ſit.

Faceſſat illa gentilium Mioerua ſiue Pallas, ſcientiarum Dea nuncupata, edita de cerebro Iouis, vt notarent diſciplinas omnes à Deo infuſas: Maria reuerà à Deo proceſſit, quam ab æterno ſanxit fore Dominam omnigenæ diſciplinæ, & potiſſimùm Rhetoricæ atque Grammaticæ; vt homines, quos Eua tacitos effecerat, alia Mulier comptiore & congruo eloquio

Ex SS. PATRIBVS.

eloquio dignaretur. Eua acceptis à ſerpente verbis incongruis, verba etiam inconcinna edidit, quibus Adamum fecit conſcium iniqui colloquij. quod iniit cum Angelo deſertore: Maria verò ſecus deſuper illapſum accepit Verbum, quod poſteà eructans, omnium hominum ora tacita reſerauit. Audi Chryſologum,

Serm. 142.

Mariæ & Euæ antitheſes referentem. *Audiſtis Angelum cum muliere, de hominis reparatione tractantem, audiſtis agi, vt homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam; agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina.* Liquidiùs meo intento Tertullianus ſuffragatur.

Mariæ & Euæ antitheſes.

Lib. de carne Chriſti c. 17.

Deus imaginem ſuam à diabolo captam æmula operatione recuperauit, In Virginem adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis; in virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ: vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem; per eumdem ſexum redigeretur in ſalutem.

Ex Theologia.

S. Thomas 1. part. qu. 34. art. 1.

S. Anſelmus in Menologio cap. 58.

Mariæ cum Angelo colloquij Epilogus fuit conceptio filij Dei, qui dicitur Verbum; quia procedit via intellectus diuini: intelligere autem Dei, eſt dicere; nam ex Anſelmo. *Dicere ſummo ſpiritui, id eſt Deo, nihil aliud eſt, quàm cogitando intueri* Nihil autem perfectè dicitur ſine verbo periodum concludente; ideò res omnis dicta, dicitur verbum, & verbi nomine deſignatur. Maria autem dicitur concepiſſe Verbum, quia humanitas concepta terminata eſt à Verbo, quod etſi eſſet antè in Maria, non eo tamen erat modo, quo fuit puerulo Ieſu efformato. Cùm autem audis Verbum nouo adfuiſſe modo Mariæ; ne cogita aliquid noui accidiſſe Verbo: habuit enim ſe Verbum terminatiue in vnione illa hypoſtatica, ſeu perſonali; & hic modus nihil inuehit quo quidpiam poſſit adijci Verbo, quod quidem dicitur conceptum à Virgine: quia perſona concepti infantis eſt perſona Verbi: & cùm coëant in Chriſto idiomata Verbi & hominis; vtriuſque proprietates promiſcuè vſurpantur.

Fides nihil diſcutit.

S. Chryſolog. ſerm. 143.

Sed audiendus Chryſologus. *Ineffabile natiuitatis Dominicæ ſacramentum, credere magis conuenit quàm referre. Homo quod credere iuſſus eſt, diſcutere non præſumat.* Maria ergo, vt idem ait

Idem ſer. 142.

Quæ credidit verbo, meritò concepit Verbum Hoc autem Verbo Mariæ inuſto, ea facta eſt liber egregius Rhetoricæ, atque Grammaticæ. Nam elegantiſſimũ verbum perſonale, non tã pronuntiauit, quàm nomini noſtro ſociauit: & hinc egregia phraſis exurrexit, edita ab Angelis, ſcilicet. *Natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus.*

Luc. 2.

Rhetorica verbis & nominibus adunatis, inuenit ſuas figuras idoneas ad ſuadendum: Maria dedit Verbo figuram noſtram, quam vbi induit, virtutum praxim homini perſuaſit: ait enim. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde* Ideò Bernardus ait. *De nobis nato & dato faciamus ad quod datus, & natus eſt nobis.*

Matth. 11.

Verbum actiuum à Grammatica paſſiue inflectitur. *Verbo Domini cœli facti ſunt.* Atque adeò verbum Dei actiuum eſt: quippe Deus agit ad extra, iuxta ideas, quas ab æterno habet; ideæ autem ſunt in verbo expreſſiuo & effectiuo rerum. In homine ideæ ſunt tantùm cauſæ exemplares, ſed in Deo ſunt practicæ, & hinc verbum Dei eſt practicum & actiuum; habet autem à Maria vocem paſſiuam, ſcilicet vt ſit homo earum conſcius paſſionum, quibus hominum indoles fit paſſiua: vt enim ait Chryſologus. *Verus amor paſſionibus comprobatur; vt humanas tolleret anguſtias, humanis ſe dedit & aptauit anguſtiis, vt quas formauerat opere, reformaret exemplo.* Habebat Verbum nomen indeclinabile, ſcilicet Deus, cui repugnat à ſeipſo declinare; ſed in Mariam cœlis inclinatis, Deo deſcendente, Verbum adiectum eſt nomini Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen: nominis autem illius declinatio fuit à toto ad nihilum, vt ait Apoſtolus *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Philip. 2. Salutis autem noſtræ ſeries omnis acta in Maria fuit oratio adeò congrua, vt Maria de congruo aliquid contulerit, vt Verbum noſtri contextus orationem, ſeu rationem indueret: iure ergo Maria liber Rhetoricæ, atque Grammaticæ.

Rurſus comptioris eloquij exempla, atque periodos exhibuit hæc Magiſtra: nam ſermonum omnium editorum triplex eſt argumentum. Primum eſt de Deo, aliud de nobis, tertium de proximo, ſeu de rebus ad proximum quovis quoque modo pertinentibus. Item orationis Atticæ Veneres, & lepores exigunt, vt non luxurient phraſes in pampinis, nec bracteis vocum plurium crepet oratio effuſa nimis: ſed potius elegantia poſtulat, vt floſculis & pigmentis parciùs narratio ſuccingatur. Has obiuit Maria partes, quater tantùm locuta in Euangelio, primò cum Angelo, item cum cognata, rurſus in templo Chriſto reperto, & demum in nuptiis Galilææ; hoc ſuo breuiloquio Patribus & ſacro codici commendata.

Quomodo autem in quovis themate Deipara ſermonem congruè texuerit exploremus. Vbi Dei incidit mentio, Virgo ſui veluti neſcia, effuſa in præconia illius, ait. *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. Si ſeipſam loquuta eſt aliquando, humili adeò ſtylo ſe demiſit, vt ab Angelo Regina ſalutata, ancillam ſeſe Domini prædicaret; & Deo exigente conſenſum eius ad ſacros hymenæos, ita ſe illi aperuit, vt hinc cœlis apertis Deus in illam illapſus ſit. Euæ verbo obſeratæ cœlorum fores, hac voce, fiat. Mariæ verbo hoc vnico reſerantur: & id ſtupet Bernardus, Mariam ſic affatus. *Expectamus, & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis; in ſempiterno Dei Verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui reſponſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum: ô Domina, reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi, cui placuiſti ex ſilentio, iam magis placebis ex verbo. Tum ipſe tibi clamet è cœlo: ô pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam: ſi ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipſe te faciet videre ſalutem noſtram. Reſponde verbum, & ſuſcipe Verbum; profer tuum, & concipe diuinum, emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum: & ſi grata in ſilentio verecundia; magis tamen nunc pietas in verbo neceſſaria.* S. Bernard. homilia 4 ſuper Miſſus eſt. Vides quàm efficax Mariæ Rhetorica, vt vno verbo Deum è cœlis in vterum ſuauiter inclinarit.

Vbi

Ioan. 2.

Vbi de proximo Maria texuit ſermonem in Cana Gallilææ, audi eam de inopia ſollicitam, cui vt occurrat, filij ſui omnipotentiam vrget *Vinum non habent*. Nec incaſſum eius Rhetorica: virgo enim vt benè ſuada, filij ſui præſidium demeruit, vt ſponſi tergeret egeſtatem. Cæterum etſi Maria, loquelâ ſuccinctâ, omnes Rhetoricæ numeros expleuit; edocens, quo ſtylo ſit de Deo, de ſe, & proximo eloquendum; tamen admirabili ſilentio ſummum Rhetoricæ genus eſt profeſſa, iuxta theorema Pſaltis. *Silui a bonis.*

Pſal. 38.

Ex Historia.
Solonis ſilentium inter epulas.
Plutarchus in Apophteg.

In ea ſe Rethorica mirabilem præſtitit Solon Philoſophus, olim ſuper æthera notus, ad quem cum Legati exteræ gentis deueniſſent, in publico epulo diſcumbentem; rati ſe aliquid ex multiloquio multiſcij hominis excepturos, eum tacitum vidêre diu: rei cauſam ſciſcitantes ab eo, à quo ſe multiplici diſciplinâ crediderant imbuendos; venerandus ſenex ait: Renuntiate hoc Regi veſtro, vidiſſe vos hominem grandæuum, adeò ſui compotem in Epulis, vt vbi garruli omnes, ille vnus ediderit exemplum linguã ſilentio compeſcendi.

Libros abſtulit Chriſtianis Iulianus.
Sozomenus hiſtoria tri part. lib. 6. cap. 17.

A Maria igitur eſt quod ſumamus vtriuſque rei, ſilentij ſcilicet, & loquelæ modos: ſed cauenda Iuliani refugæ & fidei deſertoris impia ſanctio. Is abſtulit Chriſtianis libros omnes Rhetoricæ dicens, eos inde iacula depromere, quibus in gentiles ad internecionem vſque ſæuiebant. Solebant enim fideles ethnicos homines propriis telis configere. Ita & Dæmon Mariæ cultum impedit, imò etiam cogitatum. Quippe ſcit ſpiritus ille verſipellis, ex Mariæ vita meditata, arma egregia in Dæmones expediri, & illi Magiſtræ ſcientiarum omnium conuenire habitum Palladis, quæ cataphracta pingebatur iaculum manu prætendens ſcientiæ enim nos aduerſus quoſuis caſus expediunt dictaque eſt Παλλὰς ἀπὸ τοῦ πάλλειν, à iaculãdo. Ita & Maria armis eſt omnibus expedita: qui enim eâ vtuntur propinâ nequaquam ſunt inermes, nec in virginis huiuſce heroinæ typum dicuntur è turre Dauid pendere mille clypei, & omnis armatura fortium perperam, & incaſſum.

Pallas vnde ſic dicta.

Ex Symbolis.
Typotius lib. Symbolorum.

Quòd ſi Palladi ſit etiam oliua ſacra, id conſultò eſt quia ſcientiâ, pace, & bello ſequaces ſuos inſignes facit. Vnde & illi apto ſymbolum illud quo gloriatus eſt Alphonſus Carretus, qui gladiũ prætulit oleã intertextum, hoc lemmate. Vtroque clarescere pvlchrvm. Maria ſanè gladio & oliuâ claret bello in vitia, & pace in virtutum omnium incremento. Demum vt Rhetores dicunt nihil fieri inuitâ Mineruâ, id eſt, Pallade; ita & nihil benè fit inſciâ Mariâ, quia ex Bernardo. *Totum nos voluit Deus habere per Mariam.* Hoc igitur eſto fixum.

Qvi invita avt non invitata Maria aliqvid incipit, is desipit.

MARIA LIBER EST Chariſmatum omnium, cuius lectio miram ingerit voluptatem, & magnum excitat animi robur.

In hæc verba.

Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob.

Sectio Dvodecima.

ABrahæ proſapia, longâ deductâ ſerie, myſteriis fœta, pleraque nobis idonea componendis moribus inſinuat: cùm enim in recenſione prolis Abrahæ, nomina nepotum ſignantur, & abnepotum eius; ſub cortice vocum pinguem ego medullam ſenſuum ſubodoror, quæ liquebit ex nominum indagine. Abraham אברהם idem ac pater multarum gentium, genuit Iſaac, id eſt riſum: hoc enim ſonat vox Iſaac יצחק, à radice. *Tſacach.* צחק *ridere.* Iſaac autem genuit Iacob, id eſt luctatorẽ: hoc enim ſonat vox Iacob. יעקב, à radice *gnacab* עקב *luctari.* Ex hac ſanctorum nomenclatura Patrum, hanc colligo tropologiam; Scilicet, animam, quæ inſtar Abrahæ reliquit terram ſuam vt Deo adhæreret, eam eſſe multis virtutibus fœtam, atque adeò parentem ſobolis egregiæ, ſcilicet plurium egregiorum facinorum, quorum editio magnam lætitiam ingerit, cuius typus fuit Iſaac ſignificans riſum. Hoc autem gaudio facta vegetior anima, ecce tibi Iacob natum: quippe robur ſeu lucta animam ſequitur, virtute conſpicuam.

Geneſ. 17.

Vt autem aliquem fructum inde colligamus, redeamus ad Abraham, & ad prima virtutis eius rudimenta. Deus ait Abrahæ. *Ambula coram me, & eſto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te, multiplicabo te vehementer nimis; cecidit Abraham pronus in faciem.* Ecce B. Mariæ Virginis exordia trima adducta eſt in templum, vt ex ipſis rationis incunabulis ambularet coram Deo: Deus pepigit cum ea fœdus, Angelo agente paranymphum, fecitque eam creſcere dum viri neſcia concepit filium, Angelorum & hominum caput, ex cuius præſentia ineffabiliter geſtiens, & lætitiam cohibere nequiens, effuſa eſt in canticum; gaudij ſui locuples argumentum, ſcilicet. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Audis natum Iſaac in gaudio figuratum. Vide nunc orientem Iacob id eſt robur. Sic illa. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos.* Quid ergo mirum, ſi ex præſentia Dei, & ex pacto eius Maria imprægnata, extitit plurium virtutum parens: quippe quæ fuit omnigenâ gratiâ inſignis, nullius paſſa eſt virtutis inopiam.

Luc. 1.

Ex SS. Patribvs.
S. Ildephonſ. ſerm. 2. de Aſſumpt.

Suæ autem virtutum & gratiæ Panegyris, Maria habet ſanctos plurimos aſſertores. In his accipe Ildephonſum. *Beata virgo humiliat ſe in omnibus, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam conditoris, quia multum ſe humiliauit inter diuinitatis commercia.* Subſcribit & Bernardus. *Decuit Reginam virginum ſingularis priuilegio ſanctitatis, ab omni peccato ducere vitam immunem, quæ dum peccati mortiſque pareret peremptorem; munus vitæ & iuſtitiæ omnibus obtineret.* Vt olim gentiles vrbis Gazæ Deum ſuum Marnam exquiſitâ omni materiâ fabrefactum laudabant à pretioſis rebus, quæ in eum confluxerant; ita & ſancti Mariam extollunt, à ſingulari virtutũ omnium congerie: quicquid enim alibi diffuſum eſt, coit in Maria, vt benè Damianus. *Conſidera & quæ in cælis, & quæ in terris in Virgine refabricata?* Sophronius eam virtutum omnium vocat Epitomen. *Verè nouum, & omnium nouitatum ſupereminens nouitas virtutum.* Hanc autem virtutum ſobolem nouam, à Maria editam, adſcribit Auguſtinus præſentiæ Dei, cui Abraham debuit ſuam fœcunditatem. Sic Auguſtinus. *Noua fecit in ſæculo qui nouus venit in ſæculum.* Res ea noua fuit virtutum omnium chorus, in Virgine adunatus.

S. Bernard. epiſt. 174. ad Canonicos. Lugdunenſes.
Maria ab omni peccato immunis.

S. Petrus Damianus ſer. de Nat.

Sophronius ſerm. de Aſſumpt.

S. Aug. ſer. de Symb.

Qui igitur operam vult nauare virtuti, is altero

S. Ambroſ. lib. de Noë & arca. *Galat. 5.*

non eget libro, quo docetur ſanctioris animæ parentela, iuxta illud Ambroſij. *Optimi viri genus, virtutis proſapia eſt: vt enim homines hominum genus ſunt; ita animarum genus virtutes ſunt.* A virtutibus autem fluere gaudium, robur, & alia chariſmata; audi Apoſtolum. *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, lõganimitas, mãſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, aduerſus huiuſmodi non eſt lex.*

Ex Ivre Civili. Legis poteſtas quanta. *Lege 1. ff. de legib.* *Lege 2. eodem titulo §. ſanctionum Perquas perſon. nonnum ius acquiratur.*

Verè lex iuſto non eſt impoſita, ſed iis, quorum metuitur diſcolis actibus, vt habetur Iure Ciuili. *Lex eſt commune præceptum, virorum prudentum conſultatio, delictorum quæ ſponte vel ignoranter contrahuntur coërcitio.* Sunt autem iuſti ſub lege, ſi ea accipiatur vt merita proborum hominum brauio dignatur; eo ſenſu ius loquitur. *Legem præſidere, & bonis, & malis, & Principem, & ducem eſſe oportet, id eſt, bonis meritum, malis pœnam.* Cùm ergo anima multis fœta virtutibus ſit heroicarum actionum ferax; nonne priuilegio gaudebit legis Papiæ, quæ præmia decernit ei, qui diffuſa prole parens, plurimos edidit liberos ſacros publicæ libertati?

Nota, Paulum in ea recenſione prolis numeroſæ, quam enixa eſt infuſio Spiritus Sancti, fuiſſe memorem Iſaac & Iacob, id eſt, riſus, & luctaminis: nam ad Iſaac pertinent charitas, gaudium, pax, benignitas, manſuetudo, vt lætitiæ ſurculi. Ad Iacob autem luctatorem ſpectant longanimitas, patientia, continentia, caſtitas, vt inconcuſſi roboris argumenta. Quomodo autem gaudium anima concipiat, diſce ex Philoſophia. In omni motione tria ſunt ſpectanda, principium, ſequela, & finis ſeu quies; ſed anima mouetur ad bonum: ergo tria illa coëunt in hac motione. Primum eſt amor, quem obiectum excitat ſub ratione boni; eſt enim voluntas ſui impos ſecundùm ſpecificationem, etſi libera ſecundùm exercitium, id eſt, non poteſt odiſſe bonum ſub ratione boni, ſed actum amoris poteſt ſuſpendere: dum ergo bonum, amorem iuſſit voluntati, in progreſſu voluntas æſtuat, & hic æſtus eſt deſiderium, quod tandem extinguitur re adepta, quâ flagrabat; illa autem quies voluntatis, quam obiectum hactenus excitauit, dicitur gaudium, & paſſio, quam Doctor Angelicus vocat amoris completiuam.

Ex Philosophia. *Ariſtoteles lib. 2. Ethic. c. 5.* *S. Thomas 1. 2. q. 35. art. 4.*

Cùm igitur anima noſtra inquietè gyret, ſuo ſubducta bono, id eſt, Deo, à quo auerſa iugiter eſt inquies. Dum eo tandem aliquando potitur, aduocata multa virtutum praxi, gaudium exurgit & quies, quæ exuperat omnem ſenſum: cùm enim illa animæ lætitia ſit ſuperioris ordinis, Rhetorica omnis laborat verborum inopiâ, in ea ſpirituali lætitia recenſenda. Gaudij exortum excipit editio Iacob, id eſt, ab illa lætitia innoxia diffluit quoddam animi robur, quod omni dæmonum conamini hominem exhibet inconcuſſum; ſiquidem ex re medica conſtat, in diaſtolen aperiri cor exultans, ſicut & ſyſtole concludi cor mœrens: at cor dum ſe explicat, maiores concipit ſpiritus; ſpiritus autem ſunt quibus cietur vniuerſa compages hominis, quem dum ſpiritus vberiores agitant, ad facinora heroica compellitur exantlanda. Ex hac ſpirandi facilitate Hippocrates virtutem hominis aucupatur. εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν ἐς σωτηρίην *Spirationis facilitatem exiſtimare oportet habere magnam vim ad ſalutem.*

Ex re Medica. *Hippocrates lib. 1. Præſa. ger. cap. 10.*

Ex prælibatis claret in virtutum omnium ſerie & contextu Beatæ Virginis Mariæ myſtica parentela. Dum etenim Angelus nominat eam Gratiâ plenam, titulum prodit omnium virtutum: ea exultans in Deo ſpiritu ſalutari ſuo, lætitiam probat; & dum dicitur terribilis vt caſtrorum acies ordinata, robur eius ſatis ſuperque demonſtratur. Itaque non eſt quod aliò deuoluamur, vt diſcamus nomenclaturam & normam virtutum omnium. Maria liber eſt virtutum omnium abſolutus, cui eum debemus exhibere cultum, quem olim Tertulliano ſuo Cyprianus, qui ita afficiebatur lectione libri illius, vt cùm eum dari ſibi depoſceret, hoc elogio librum honoraret: Da Magiſtrum. Sed quid Tertulliano ad Mariam, quæ eſt liber omni Tertulliano potior. O homo, à Deo poſtula tibi inuri deſiderium libri huius, & ſic Deum vrge: Da Magiſtram Mariam, ô præpotens Deus, typographe libri, cuius ego depereo lectionem; aperi ſenſum, vt dogmata virtutum excipiam, quæ ab omnibus illo volumine propalantur.

Cant. 6. Ex Historia. *Nicephorus Caliſtus l. 4. hiſtor. c. 34.* Liber Tertulliani charus Cypriano.

S. Bonauentura quondam exoratus à Sancto Thoma, vt oſtenderet ei Bibliothecam, vnde ſcientiæ ſuæ latices hauriebat; Seraphicus ille Doctor oſtendit ei crucifixum, dicens, inde ſe petere quicquid egregium deſcribebat. O ſtudioſe lector, ſi me conſulis de ſtudio ſerio tibi ineundo; Mariam oſtendo, & aſſero ex eo libro te in alium hominem commutandum, vt fecère olim duo aulici Theodoſij Imperatoris, qui vt refert Auguſtinus, cùm ſpatiandi gratiâ, & aëris liberioris ebibendi ergô, foras proceſſiſſent, errabundi deuenerunt in cellam hominis vitam ſanctiorem profitentis. Cùm illic luſtrarent ſuppellectilem hominis ſancti, in librum incurrerunt, vitam Magni Antonij referentem: animi recreandi causâ vnus eorum codicem aperuit, ibique legit Antonium virtutis deſiderio ſic affectum, vt inſtar apis mel ſuaue è quouis floſculo depaſcentis, quoties deprehenderet in aliquo virtutis egregiæ ſpecimen, illud ſtatim operam ſedulam daret æmulari.

Chronicon Minorum in vita S. Bonauent. Liber vitæ S. Antonij duos aulicos conuertit.

Ea lectione vir nobilis illicò perculſus eſt, & vt ait Auguſtinus. *Cœpit mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militia, ſeruire Deo. Tunc ſubitò repletus amore ſancto, & ſobrio pudore iratus ſibi, coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Quid quærimus, cuius rei causâ militamus? Maiorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam vt amici Imperatoris ſimus, & ibi quid non fragile plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grande periculum? & quamdiu iſtud erit? amicus autem Dei ſi voluero eſſe, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus vbi Deus videt, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit; namque dum legit & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, & diſcreuit, decreuitque meliora, & ait amico ſuo, ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hac hora in loco hoc aggredior, tu ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia ſua, & ſequendi Chriſtum.* Hæc ille.

Ex Historia. *S. Auguſt. li. confeſſ. cap. 6.*

Si Antonius, in virtutis alea diſcipulus cum Maria compoſitus, talem effectum ſortitus eſt,

lectores

Ioãnes Bodinus in proœmio, Method. Hiſt.

lectores nactus idoneos, qui æmuli eſſent vitæ ſuæ; quid præſtabit Maria Magiſtra motum, ſi ſedulos nanciſcatur vitæ ſuæ ſectatores? Equidem credo, eam non fore inferioris energiæ, eà quam ſenſit ex Liuij libris Alphonſus Rex, qui ſtylo auctoris, & virtute heroum illic deſcriptorum adeò affectus eſt, vt ſoſpes è lecto ſurgeret, vbi æger anteà decumbebat. Heu quoties ægri decumbimus & iacemus non in lecto, ſed ſordido volutabro, vnde incunctanter ſurgeremus, ſi mens noſtra cogitans Mariam, eius veſtigus inhæreret.

Virtutem libri huius probè callens Angelus verſipellis, homines auertit à ſtudio iſtius voluminis; quaſi verò eſſet ſtorum fœminatum Enchiridion, & non manuale maſculorum. Plerique virorum reſpuunt vſum coronæ Virginis, & aiunt abdicato etiam hoc ritu fore ſe beatos, vitamque hominum non pendere de Corona ſeu cultu Virginis illibatæ. Illos homines ſacrilegos Mariæ iniurios ea fata manent, quæ Leonem Armenum Imperatorem ſatum patre Conſtantino Copronymo, qui coronam auream ab Imperatore Mauritio tholo appenſam ſanctæ Sophiæ, vt Virginis Mariæ redimiret caput, hanc ſuſtulit, & ſuo impio impoſuit capiti; ſed Maria vltrice, lethiferi carbunculi exorti in eius capite, eum occiderunt, pœnas à nefario homine depoſcentes.

Corona ablata Mariæ à Leone Imperatore fuit ominoſa.

Conſtantinus Manaſſes & Cedrenus in Leone.

Eo ſe facinore obſtringunt illi, qui Mariæ Coronam ſpernunt: negant illi debitum & placitum diadema: & cum ſe reputant fore Deo gratos, Mariâ ingratâ; nonne vſurpant coronam Deo ſacram & Mariæ, quam voluit ſoſpitator noſter Chriſtus habere nos aduocatam, atque adeò noſtræ coronæ participem. Nam vt ait Bernardus. *Hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* Et alibi. *Si quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurreris in Maria, de cætero ſuſpectam habeas, & accedere verearis: quòd ſi plena magis omnis pietatis & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benigniſſima miſeratione prouidit, in qua nihil poſſit eſſe ſuſpectum.*

S. Bernard. ſer. de Aquæductu.

Idem in ſer. ſup. Signum Magnum.

Maria nihil vnquam durum dixit.

Itaque tantùm abſit vt coronam Virgini demamus, quin potius animos hauriamus Roberti Siculi Regis, qui tanti ſuos faciebat libros, vt poſtponeret eis regium diadema. Sit & nobis Maria omni diademate charior, vtpote à qua mediante eſt, vt coronâ ſuperâ aliquando cenſeamur, & à qua habent omnia diademata vt fulgeant: Maria enim liber eſt potior illis, quos Pius V. Pontifex oſtendens homini laudanti gemmas, ait; hinc reuerà prodeunt gemmæ & exquiſita monilia. Eamobrem velim vſurpemus Symbolum Friderici Regis, qui in numiſmate cudit manum flammis imponentem librum, cui corona deſuper imminebat, hoc titulo. RECEDANT VETERA. Maria liber eſt vtique coruſcus & euomens flammas, ſiquidem amoris incendia excitat Mariæ cogitatus: Coronam ſibi depoſcit ſacer ille codex, id eſt Maria, roſario ſeu corona delectatur. Sed nota in Symbolo, ipsâ corona manum eſſe volumini propiorem: nam manibus noſtris, id eſt, ſanctis operibus Maria magis afficitur, quàm precibus. Hinc à Mariæ clientibus Sanctus Ildefonſus imitationem exigit. *Vade quæſo vos filij, imitamini ſignaculum fidei veſtræ Mariam.* Sanè praxis eorum, quæ Mariæ libet inculcat, reddet priſtinæ nouitati, & ſic RECEDENT VETERA, id eſt, miſſa faciemus retroactæ vitæ piacula. Quòd ſi incurij ſumus ſancti voluminis cœlitus explicati; eam incurremus mulctam, qua periit miles quidam, ex Ioſepho, qui ait, hominem ſacrilegum Biblia ſacra laceraſſe, & eamobrem ad mortem à Iudæis omnibus expetitum. Ita planè de Maria parũ ſolliciti, veluti vilia capita, pœnis pluribus addicuntur, reprobâ eorum vitâ, vltionem à Deo depoſcente.

Libri à Pio V. æſtimati plus quam gemmæ.

EX SYMBOLIS.

Typotius lib. Symbolorum.

Liber pro ſymbolo vſurpatus à Friderico.

S. Ildephonſus ſerm. de Aſſumpt.

Ioſeph. Antiquitat. Iudaic. lib. 20. cap. 24.

Declinabimus autem verbera promerita, ſi fuerimus Virginis virtutum omnium Magiſtræ impigri ſectatores; ſpiritu eius anima noſtra imprægnata, virtutes eius omnes concipiet, eo planè modo, quo greges Iacob varias pepererunt oues quæ ad aſpectum virgarum colore vario diſpunctarum, quas Iacob eis obiecerat, concepere fœtus vario colore reſperſos. Maria eſt virga de radice Ieſſe, multiplici gratiâ verſicolor; ea meditata inuret mentibus noſtris ideas virtutum omnium: virtus enim non eſt ſolitaria; ſed qui vnam habet, ſtipatur & aliis; quippe virtutes procedunt agmine quadrato, & hoc probare eſt Theologiæ opus.

Geneſ. 30.

Angelicus Doctor virtutem vſquequaque perfectam conſiderat, in quantum nos inclinat ad bonum ſuperioris ordinis; hæc autem propenſio ad vltimum finem noſtrum, ſcilicet ad beatitudinem, nequit eſſe ſine Charitate, quæ cùm ſit Regina virtutum, aliæ omnes ſua ei pendũt obſequia vt longo contextu Apoſtolus aſſeuerat. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, nõ agit perperam, non inflatur.* Et S. Gregorius ait, virtutes non eſſe perfectas, ſi ſint disiunctæ; quia nec prudentia vera eſt, quæ iuſta, temperans, & fortis non eſt. Eamobrem forſan priſca Philoſophia Gratias dixit eſſe ſorores nexu inuicem indiuiduo ſociatas, nec Charites diſſitas ambulare.

EX THEOLOGIA.

S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 1.

1. Cor. 13.

S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 1.

Mariâ nobis propitiâ, virtutum eius omnium etiam aderit chorus: eius enim virtutes non ſeorſum infunduntur: cùm de ratione ſit virtutis vt ſocias habeat, vt Iure Canonico perhibetur, vbi Clemens Papa vult prædicari arcana fidei his qui moraliter viuunt, ne eorum virtus manca eſſe videatur: aliis vero reprobis vetat pandi ſacra myſteria. Sic habet ſacer Canon. *Si ſobrius, ſi miſericors, ſi iuſtus, ſi mitis, & humanus: tunc conſequens videbitur, vt ei qui obtinet bona virtutum, etiam quod deeſt fidei & ſcientiæ conferatur, & in quibus maculari eius vita videtur, quæ eſt in reliquis probabilis emendetur. Si verò in iis quæ palam ſunt peccatis inuolutus permanet, & inquinatus: non me oportet ei aliquid de ſecretioribus & remotis diuinæ ſcientiæ proloqui, ſed magis proteſtari & conuenire eum, vt peccare deſinat, & actus ſuos à vitiis emendet.*

EX IVRE CANONICO.

Verbum Dei quibus prædicandum.

Canone in mandatis, diſt. 43.

Ex Mathematica etiã B. Virginis influxus probè inouitur: nã vt benè rimatur Hipparchus, cùm ſignum exoritur, exurgit & ea Leonis pars, quæ eſt à vigeſimo ſecundo gradu Leonis, ad octauum vſque gradum Libræ: culminat autem Taurus. Ita & Virgo dum noſtris exurgit in mentibus, leoninum robur illis inſerit, & zelum iuſtitiæ, cuius Symbolum eſt Libra. Rurſus ſignum Tauri in vertice cœli, animum notat ſacris intentum: Taurus enim teſſera eſt ſacrificij: ideóque Lucas Euangeliſta Tauro deſignatur, quia ſuam hiſtoriam à Zachariæ ſacerdotio auſpicatur. Denique ex S. Chryſologo. *Maria eſt virginitatis*

EX MATHEMATICA.

Hipparchus lib. 3. Phænomenon cap. 8.

S. Chryſolog.

nitatis inſigne, pudicitia decus, Collegium ſanctitatis. In hoc Collegio omnes diſciplinæ proſtant, & in Mariæ libro virtutum omnium ſummæ excuſa facit, vt merito Encyclopedia cenſeatur.

Beyerlink l. Apophteg. Chriſtianorum.

Vtinam in hunc librum eo eſſemus animo, quo fuit in alios omnes egregios libros Martinus Siliceus Archipræſul Toletanus, qui dum libros emeret, nolebat eos miniſtris tradere deferendos; ſed ipſe baiulus eos ad ſuas ædes aſportabat, dicens: Libri me honorarunt; quidni eos viciſſim geſtando honorem? Si quid honoris & gratiæ nos facit inſignes, illud totum eſt à Maria: eam itaque corde geſtulo ſemper reuerenter & piè baiulemus; & ei libro faciamus ſacros eoſdem verſus, quos ſuæ bibliothecæ Ranzouius aliàs conſecrauit. Hoc, inquam, hendecaſyllabum codici Mariæ Virginis appendamus.

Librorũ elegans encomium.

Saluete aureoli mei libelli,
Mea deliciæ, mei lepores.
Quam vos ſæpe oculis iuuat videre,
Et tritos manibus tenere noſtris.
Vos eſtis requies honeſta mentis,
Iucunda ingeniis bonis voluptas:
Rebus perfugium minus ſecundis,
In lætis decor & nitor refulgens,
Vos quàm fata diu ſinent amare,
Vobis immoriar mei libelli.
Saluete, ex quibus hac mihi voluptas
Æuum percipitur per omne grata;
Quàm vos intueor libenter, & quam
Lubens colloquor, ecquid aſtimandum eſt
Curis eſſe beatius ſolutis.

Ex Historia. Libros ſacros qui dedere Iuliano, illi à fide defecerunt.

Si Angelus aureum hunc libellum ſalutauit; quis dedignabitur Aue ei dicere? ſi Chriſtus ipſemet quotidie in humanis Virginem hanc ſalutauit, filij omnia reddens obſequia; quidni & nos debitam renuemus pendere ſeruitutem? Quòd ſi dæmon Iuliani Apoſtatæ reuocans perditam indolem, vult nos auertere ab hoc omnium diſciplinarum libro: aut ſi vt Diocletianus vult nobis ingerere tædium libri huius ſacri; induamus animos illorum fidelium, qui omnia iniere potius ſupplicia, quàm prodere & perdere libros ſacros, quos qui perdiderunt tradentes impiis, miſeram egere vitam vtique infidelem abnegantes Chriſtum.

Baronius in Iuliano ann. 362. Idem in Diocletiano.

Nota, ò Chriſtiane, verſutiam dæmonis. Ille primò non ſuadet abnegare fidem, aut vrget ad ſua impia ſimulachra; ſed ruinam hominũ Mariæ addictorum auſpicatur ab auerſione cultus eius, & ſic ſenſim librum exigit ſibi prodi ingerens fieri iacturam temporis, ſi ſolitæ preces Mariæ rependantur; non eſſe indubium pietatis argumentum, tot vocales exhibere ſupplicationes numero condicto; hoc genus obſequij ſapere Pythagoram, qui omnia ad numeros reuocabat; longam orationum contextutam ſubiacere animo in varia ſæpe ſæpius abſtracto; bonum non eſſe bonum niſi benè fiat; meliora eſſe vota compendioſa, quam multum ſyntagma precum, multis diſtractionibus obnoxium. Denique in tot ſe gyrat ſpiras, & anfractus ſinuoſus ille draco, vt multos diſtrahat ab inolito Mariæ obſequio. Quodque peius eſt & extra remedium, viros cute tenus pios habet aſſeclas dogmatis impij; ſcilicet ſuperuacaneas eſſe tot & tantas orationes: eſſe videlicet vltra hominis auſus, horas Beatæ Virginis quotidie adiungere Roſario; & Mariam cor attendere & non linguam; eámque ſeriem longiorem precum plus parere vanitatis oranti, quàm honoris Virgini comparare.

Audiui ego, & proh dolor! pleroſque tales impios aſſertores, quibus hoc obieci; multa dies eſt verbis otioſis impenſa & næniis; non deſunt vnicuique momenta ſuis crepundiis; vilibus vtplurimum multum temporis damus; quidni Mariæ aliquale momentum temporis addicemus? Nobis deperit quod Virgini ſubtrahitur; & ſecus nihil in maius lucrum cedit, quàm quod Mariæ cultui deuouetur. Ideóque imitandi fideles illi, qui ſub Diocletiano omnia potius obiere pericula, quàm perdere libros ſacros. Eſto aliquam temporis moram meis demo negotiis, vt Mariæ horas Canonicas & Roſarium expendam; malo hanc ſubire iacturam, quam deeſſe illi curæ, quam deuoui Virginis pietati. Ea iactura non eſt temporis aliquale diſpendium, ſed æternitatis lucrum ingens: & vt hi, qui dedere manus Diocletiano, ei tradendo libros ſacros, miſerè & peſſum habuere ſeſe; ita & de Maria parum anxij, eo fine Deo luere pœnas impietatis in Virginem perpetratæ.

S.Cypr. ſer. de lapſis.

Ex Historia. *Theophanes & Cedrenus in Iuſtiniano II. ſub anno 693.* Mariæ ædes eiecit Iuſtinianus II. ideo malè periit.

Accipe euentum aſſertorem vindictæ Dei imminentis quibuſuis hominibus impiis in B. V. Deiparam. Iuſtinianus II. Imperator parum ſollicitus de Virgine reuerenda, de ſuo tantùm palatio cogitans ampliando, deiecit ædes Beatæ Virgini ſacras, & vicinas domui illi regiæ. Malo fuit omini templi eiectio: quippe dicebant omnes, Mariam cuſtodem Imperij, ritè habuiſſe ædes ſuas iuxta palatium, vtpote quod ſtare nequit inſciâ Mariâ. Nihilo cautior Imperator, credidit prouidiſſe decori domus ſuæ, dedecore templi ſolo impiè adæquati: ſed malo omini fidem, fecit iniqua ſors, quæ excepit Iuſtinianum Imperatorem: nam vertente anno Deus eius euertit Imperium, eo expulſo turpiter è ſolio, naſo decurtato.

Vide quantum profecerit ſceleſto homini cura anxia palatij, cui dum credidit prouidere perdendo Mariæ ædes, & ſe perdidit atque Imperium. Eâ cataſtrophe diſpereunt multi, qui vt profanis diutius vacent operibus, & ſuas inde facultates adaugeant, recedunt à Mariæ cultu, pertæſi pias congregationes erectas ſub Mariæ vocabulo; has ſubſannando eructant voces, iniqui animi ſui indices: Quaſi verò ſit vacandum à domeſticis negotiis, vt Mariæ ſeruiamus; habeat ſuos illa ſequaces, quibus ſuppetit inane tempus hos ſcilicet, qui inepti ſeriis, otium quærunt atque vecordiam; nos altiora manent, quam deſides illæ preces; non orando nobis annona proſtat, ſed laborando. Ea eſt impia dialectus hominum, quos ſibi addixit totos cura anxia terrenorum.

Sed incaſſum illi omnes ſuis inſudant negotiis, Mariâ inconſultâ, quâ ſola propitiâ Deus aperit alueos gratiarum. Nimirum dum illi quaſi Mariæ ædes euertunt, quando illi cultum negant, malè cum eis agitur; peſſum eunt facultates, ſole æſtuante calent arua, marcent prata, algente cœlo rigent botri, & locuſtâ ſæuiente gramina depaſcuntur. Denique quod eſt ſumma mali, omnes à Maria alieni extorres fiunt ab Imperio beatorum, eos hinc pellentibus propriis eorum ſubditis, ſicut & à ſeruo ſuo pulſus eſt Iuſtinianus. Siquidem paſſiones noſtræ, quæ debuerant ſubiici nobis vt miniſtræ, inſurgunt in nos quando Mariæ Virgini non aſ-

ſurgimus

ſurgimus. Igitur, ô impie in Mariam, quid quęteris de dominio tuæ, quà cales, quid iactas te impotem ad amoris æſtus reprimendos, quid demum durum dominium deſles: illa vna eſt ratio tuæ ſeruitutis; illa, inquam, tua impietas in Mariam, cuius noluiſti ædes ſtare iuxta tuum palatium, noluiſti eius memoriam vigere in animo tuo, eamobrem omnium tuarum rerum, imò & tui pateris excidium.

Theophanes in Annal. lib. in Irene ſub ann. 797.

Vis aliud exemplum affine primo, & eodem Imperio Græco ſatum. Habuit Conſtantinus IV. Imperator vxorem egregiam, quæ illi bona omnia procuraret, nomine Mariam, datam ab Irene matre. Perditus adoleſcens inuita matre ſuâ, Mariam ſponſam expellit, & ad ſpurca deuoluitur. Mater offenſa tali diuortio, filium impium exæcat, pellit imperio, & fatis tandem eum addicit ingloriis. Maria ſponsâ vigente, ſtabant omnia proſpera Conſtantino; ſed eâ expulsâ, habuit & infenſam propriam matrem, quâ auerſo Imperio cecidit, & regno. Omnium Sanctorum Patrum concors eſt aſſenſus, Mariâ nobis comite adeſſe congeriem omnigeni boni; tamen etſi mater noſtra Eccleſia Sancta, hanc comitem dederit à teneris vnguiculis, ſalutationem Angelicam edocens, pleriſque Mariam repudiant facti grandiores. In hos Mariæ iniquos inſurgit Mater Eccleſia, anathemate feriens, & regno cœlorum pronuntians penitus indignos. Nec minæ inanes Eccleſiæ; quippe pœnis inferis in Virginem Mariam omnes impij mancipantur.

Maria ſuâ vxore expulſâ, perit Conſtantinus IV. Imp.

Inſtabis, Eccleſiam eſſe piam & pacificam Matrem, quæ ſanguinem neſcit, nec ob incuriam cultus Mariæ Virginis facilè deſæuire. Reſpondeo, matrem Conſtantini fuiſſe pacificam vt ſonat nomen eius Irene, quod pacem ſonat, à Græca voce εἰρήνη pax, quæ duo argumenta mater habuit in filium debacchandi. Primum, quòd ſponſam Mariam decoram omnibus virtutibus ablegaſſet. Secundum, quòd expulsâ Mariâ ſe egiſſet præcipitem in vitiorum omnium abyſſum irreuocabilem, quò ſi conſortem imperij tenuiſſet ille Mariam; nimirum deueniſſet. Ita & Eccleſia duplici capite etſi ſit pacifica, animaduertit in Mariæ perduelles. Primò, quia ſcandalo eſt, eſſe impium in Mariam. Secundò, quia homo alienus à Maria in omne ruit ſcelus: nam qui ſe elongat à plenitudine gratiæ, deueniat neceſſe eſt in ſentinam, & in imum omnium nefandorum; vnde Mater Eccleſia degenerem fœtum hunc reprobat, & vt adulterinum reſcindit à ſua familia: Imperium liberat tanto piaculo, quo expulſo, aliis inde Mariæ cultus integrior maximè commendatur.

Libros vitæ Romanorum Fridericus fecit traducere.

Ex Historia Saxon.

Ecce miſerandam ſortem eorum, qui Mariæ dedignantur obſequia, quibus vt ſunt fideles intenti, Eccleſia præuenit à ſeculo Friderici Imperatoris ingenium. Is Dynaſta vt ſuos excitaret ad gloriam bellicæ virtutis, iuſſit linguâ vernaculâ vitas edi Romanorum Imperatorum, vt Romano ebibito ex libris illis animo Martiali, fierent illa lectione fortiores. Eccleſiarum orbe toto patentium ſub Mariæ vocabulo multus eſt numerus, nec vlli vnquam Sanctorum tot erecti tituli, ſicut omnium Sanctorum Matri: nullius beatorum tanta & tam crebra recenſio: nullius extant feſtiuitates adeò celebres; nec vllius elogiis proſtat edita congeries voluminum adeò ingens; necdum ſtatim finis: Maria quippe eſt puteus inexhauſtus, nec poterit quouis eloquio ſumma B. V. Mariæ virtutum laudibus exhauriri.

Quidni ergo omnes huic libro dent operam? Longè alius ſanè eſt ab eo libro tam famoſo Thomæ à Kempis, de Imitatione Chriſti, quo adeò capiebatur S. Ignatius, vt bis quotidie librū illum euolueret: manè caput aliquod decurrebat ordine quodam ſibi præſtituto; & adeò ſedulus erat illi lectioni, vt Deum illic acciperet quaſi ſibi colloquentem. Veſpertinis horis eum rurſus librum attrectabat, & eo aperto in quamuis contexturam incideret, eam vt cœlitus obiectam perlegebat attentè; illinc rerum gerendarum deſumens oracula. Et ſæpius ſanctus ille teſtatus eſt, ſe nunquam impaſtum ab hoc volumine receſſiſſe; ſed ex eo didiciſſe ſemper ea, quæ antea dubium verſabant animum. Eamobrem ſuis alumnis almus ille parens vſum ſuaſit eius libri, quo directore ipſe fuit Chriſti impiger æmulator.

Lib. 1. P. Ribadeneira in vita S. Ignatij.

Librum Thomæ à Kempis S. Ignatius magni fecit.

Laudo, & equidem laudo Sanctum Ignatium, & eius conſilium quantum fas eſt ego ſuſpicio, expertus quantum proſit liber de Imitatione Ieſu Chriſti; ſed pace Sancti Ignatij dixerim, alium librum potiorem explicat Eccleſia perlegendum, quando Matrem obiicit, quæ eſt liber Generationis Ieſu Chriſti. Nemo Chriſtum de repente poteſt imitari; oportet habere ad manum virtutum Chriſti aliqua præuia rudimenta: ſcilicet ex Bernardo. *Nemo derepente fit ſūmus aut imus.* Maria eſt virtutum Chriſti optima Iſagoge: hunc librum de Imitatione Chriſti, more Ignatij, bis quotidie decurramus. Manè Mariæ eam virtutem cogitabimus, & poſcemus, cuius deliquio maximè laboramus. Serò, nos & noſtra ſine delectu tutelæ Virginis omnino committemus. Fruſtra quis Chriſtum illicò ſe putat imitari, ſi non à Maria capit virtutis exordia. Et vt monet Auguſtinus. *O homo, ſi non potes Solem, ſaltem attende ad lucernam; ſi non potes Deum, ſaltem hominem imitare.*

Ex SS. Patribus.

S. Bernard.

S. Auguſtin. ſer. de Sancto Stephano.

In more fuit poſitum priſcis temporibus, ex Virgilio acu interpuncto, & caſu aperto rimari ex verſu occurrente ſortes obuenturas, vnde & dictæ hinc ſortes Virgilij, quæ adeò propitiæ fuerunt cuidam Principi, vt conſulto Virgilio, illi ſe primo verſus prodiderit, quo iuueni portendebat Imperium: eſt autem is,

Tu regere Imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.

Æneid. l. 6.

Maria conſulta, exculta, & orata enixè, non portendit modò, ſed à Deo impetrat, imperium ſuis clientibus; imperium, inquam, in vitia quæ irrepunt, & in dæmones, qui inſurgunt; & demum ſequaces ſuos euchit ad ſolium imperij, neſcituri modum id eſt finem. Aliquid habet huic affine S. Bonauentura, ſic de Maria fatus. *Tenet plenū mare, tenet plena Maria, tenet contra luxuriam, caſtitatem proponendo, & dicat: Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? tenet etiam contra ſuperbiam, humilitatem ſentiendo, & dicat: Ecce ancilla Domini. Moueatur mare, & plenitudo eius, moueatur mare, moueatur Maria, moueatur certè ſuſpiriis, & caſtigationibus, moueatur lacrymis, & orationibus, moueatur eleemoſynis, & aliis venerationibus; moueatur, inquam, plenè, vt nobis effundat de ſua plenitudine, vt liquore plenum ſi moueatur, de facili ſubuertitur, & effundit liquorem: ſic Beata Virgo Maria ſi moueatur precibus, effundit liquorem.* Hæc ille, cui ego ſubiicio penſum meum, hanc nimirum ſententiam.

Maria nobis omnes virtutes impetrat.

S. Bonauent. in ſpeculo B. Virg. lectione 7.

Maria eſt precibus mouenda, vt fundat proces.

A QVO STATV ABEST MARIÆ PLENITVDO, STATIM ADEST AMARA POENITVDO.

HOMILIA IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT eſu pomi ſitis extinguitur; ita & Adami ſitis in Deum extincta eſt, eſu pomi vetiti, cuius piaculum toti etiam obfuit proſapiæ, quæ hanc ab origine contraxit culpam, quæ originalis ideò nuncupatur.

II. Maria non contraxit hoc lethale virus; ſed dæmonem abegit à ſe, à conceptu ſuo, vt dicam hoc inuento. Iudic. 5. Gentiles Iſraëli diu inſultarant; ſed Deo tandem propitio, Iahel Siſaram ducem capite eius terebrato confudit, vnde cecinit Debora. *Noua bella elegit Dominus & portas hoſtium ſubuertit.* Dico, Deum per puellam Mariam euertiſſe portas dæmonum, qui hoc peccato originali in animas irrepſerant.

III. His portis euerſis, Maria ſic dæmones eneruauit, vt homines valentiores inde effecti, dæmonis poſteà technas eluſerint, Maria opitulante & vindice.

IV. Tandem finio, inſinuans quomodo ſimus facturi nobis B. Mariam propitiam.

PRÆFATIO.

Macula non eſt in te.
Cant. 4.

C*ENSVIT Eliphas Themanites, illico non edere conceptum ſermonem, rem eſſe ſummum negotium faceſſentem.* Conceptum (*inquit*) ſermonem tenere quis poterit; *O Elipha, quæſito tuo facio ſatis, & dico, Conceptam de Concepta Maria retentam eſſe hactenus ab Eccleſia, qua decreto noluit adhuc inter theoremata de fide, iſtud piam dogma recenſere. Ita Areopagus Athenis rem arduam proximo ſæculo mancipabat; & Romani res dubias præmiſſa hac voce, Non liquet, relinquebant indiſcuſſas. Quæris, ô Elipha, hominem, qui tacitum poſſit tenere Conceptum; Aſt verò ſecus ſollicito quempiam, qui poſſit edere ſuum Conceptum de Concepta Virgine Deipara. Nimirum etſi Sole rutilo ſit Maria micantior: ea tamen acceſſum non patitur: habitat enim lucem inacceſſibilem. Eſto hoc tabernaculum ſuum ſanctificarit Altiſſimus: velis tamen iſtud tabernaculum obuolutur, atque adeò oculis eſt minime peruium. Rurſus ſit Maria cœlum cœli, Domino ſacrum: effuſa nubes negans aſpectum eius. Demque Conceptio hæc, licet fuerit neuorum impatiens, tot varios habuit auctores eam inuoluentes dubiis ſuis ſententiis, vt diceres eſſe lucem plaga Geſſen, rutilantem mediis in tenebris Ægypto noxiis. Ita & Mariæ Conceptio præfulgida nitet innixis auctoribus, qui originale deliquium omnibus planè mortalibus intulerunt. Hoc ſermone, Mariæ Conceptio, vt fax lucida præfulgebit. Sed quia ex Pythagora, non loquendum de lumine ſine lumine; de Maria, chruſca locuturi, ad eam accedamus, vt ab eadem accendamur, præuia oratione Angelica.* AVE MARIA.

PRouidè ſcitéque ſic natura cuique cauit, vt nullius oblita rei, ab omni defectu prorſus abhorreat, iuxta axioma. *Deus & natura non deficiunt in neceſſariis.* Quippe creatis omnibus inſita eſt ab ortu quædam propenſio ad ea, penes quæ eſt rei conſeruatio, vt & ipſæ res inanimes clamant: videre eſt, elementa inclinari ad centrum, vt terra, & aqua; alia exurgere verſus ſuam ſphæram, vt ignis, & aër. Alimenta congrua cuique bruto, beſtias omnes agunt præcipites ad indaginem paſtus; imò & prouida natura brutis ægris ſuggeſſit remedia, Dictamum Ceruo, cuius lateri inhæret lethalis arundo; Rutam Muſtellæ veneno ſauciæ; Gramen cani, qui gulæ nimium indulſit. Natura in minimis ſolers, fueritne minus ſagax in hominum rebus? Minimè verò; ſiquidem homo ſui impos, naturâ duce ad Deum fertur, vt ad ſcopum, ad quem eius debent omnia vota collimare, & vnde bonorum omnium ſcaturigo deriuatur. Et hoc fit palam ex infantium ritu, quos mater incuria ſolos ſub dio dereliquit. Pueruli nullo pædagogo audito, oculis in cœlum directis, ore patulo, clamoribus eum ſollicitant, quem natura dictat cœlo præſidere. Hanc à prima luce nobis inſitam Dei notitiam, & ad Deum inclinationem teſtatur Pſaltes.

Ex PHILOSOPHIA.

Beſtiæ ſua pharmaca cognoſcunt.

Deus;

Pſalm. 62.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

EX THEOLOGIA.
S. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. idem 1. 2. q. 109. art. 3.

Hominem naturæ dictamine in Deum efferre ſe Theologiæ Genius Thomas eſt aſſertor, idque firmat ex partis inclinatione ad amorem totius, pro quo naturaliter pars quæuis obit pericula. Verbi gratiâ, manus nulla ratione dictante, ſed ſolo naturæ ductu, pro tuitione capitis obiicit ſe caſui ingruenti: homo autem eſt pars vniuerſi, cuius caput eſt Deus; ideóque homo naturaliter ad Deum fertur, & eum ſitit, vnde Chriſtus ait. *Sitientes venite ad aquas.* Sed vt immodicus pomorum eſus ſitim extinguit; ita & pomo vetito, hominis illa pia ſitis ſedata eſt: ſed ſuccus ille lethalis alias ægritudines inuexit, quibus tota progapia facta eſt obnoxia.

Iſai. 55.

EX RE MEDICA.

Medicorum enim eſt placitum multa parentum vitia in filios, velut ex traduce deriuari. Quippe hepate (vnde hæmatoſis) vitiato; ſanguis imbellis, ſpiritus imbecilles edens, prolem peſſimè conformatam notat næuis, parentibus inuſtis. Hinc podagra, calculus, & hepatica intemperies, à parentibus in filios tranſcolantur; ſicut & à ſplene ſero Melancholico illic ſtabulante, & per anadromen refluente, cùm ſanguis inſpiſſatur, aut vapores teterrimi cerebri meninges vellicant, epilepſia hinc oborta, ſicut & lepra à ſanguine fœculento, ſobolem inficiunt.

Morbos hæreditarios hinc.

EX MATHEMATICA.
Iulius Firmicus & David Origan. in Iſagoga Apologia.

Mathematici quaſdam ſtellas nebuloſas, & ſubobſcuras aiunt aliquando præeſſe natiuitati quorumdam hominum, qui ideò nebulas oculorum fati ſui malignitate patiuntur. Adamus & Eua natiuitati hominum omnium præſunt: & quia ſtellæ nebuloſæ, & peccati tenebris fuerunt obuolutæ; tota gens eadem quâ & illi ſorte mulctata eſt. Factúmque eſt, vt natura velut oblita Dei, ſibi malè adhæreſcens, à Deo defecerit, iuxta illud, omnes naſcimur filij iræ. Virgo tamen Deipara etſi eiſdem quibus & nos prognata parentibus, eorum non eſt infidos paſſa characteres. Vt benè S. Cyprianus. *Vas electionis plurimum à cæteris differens, naturam communicabat non culpam.* Et huius Conceptionis illibatæ diem feſto celebri Eccleſia reddit inſignem, qualis eſſe ſolet dies victoriæ inſignis reportatæ ex hoſte hactenus indomito.

Ephe. 2.

Dicam primò, Mariam portas hoſtium confregiſſe. Secundò, illius victoriâ, homines factos fortiores contra aſtum latentis inimici. Huius concionis ideam habes in Cantico Deboræ. *Noua bella elegit Dominus, portas hoſtium ipſe ſubuertit.* In hæc verba, *Noua bella.* Dicam Deum, qui ante Mariam ſanctos viros aſſumpſerat Patriarchas, & Prophetas ad dæmones eneruandum, iam nouâ bellandi methodo, puellam armaſſe in vtero, vt peccatum originale, quod eſt porta omnium peccatorum, euertat. Etſi peccata omnia Deum impetant; ille tamen ſuperbis dicitur reſiſtere, quia ſuperbia extollitur ſupra omne id quod dicitur Deus: nam indirectè Deum petunt alia delicta; at ſuperbia, Dei gloriam appetens, directè fertur in ipſum Deum præpotentem, vt notat Ambroſius. *Quid hoc peccato deterius, quod à Dei cœpit iniuria? Deus ſuperbis reſiſtit, vt ſua iniuria propulſator.* Vt hanc autem plenè mulctet, rebus humilibus ſuperba Deus deiicit, in phyſicis atque moralibus.

Iud. 5.

Superbiæ nequitia.

Arbores proceræ, vento quo nihil leuius poteſt eſſe, proſternuntur. Mare turgens, & ſpuma nubibus inſultans, modico ſabulo deprimuntur. Elephas carnea Machina, animalculo videlicet mure proboſcidi inſerto deiicitur. Pharao, qui Deo inſultarat dicens. *Quis eſt Dominus? neſcio Dominum.* Puluere & cinife profligatur. Goliath Hebræis iniurius, & ore procaci blaſphemus, licet Giganteâ mole, à Dauid adhuc in ephebis capite truncatur: & hoc in figuram diaboli, cuius Deus typhum preſſit obiecta Virgine Deiparâ adhuc in vtero; ſicque noua bella elegit Dominus. De hac puella præfatus fuerat Deus. *Ipſa conteret caput tuum.* Necdum venerat ad huiuſce lucis vſuram, nec hoſtem ideóque viderat; eam tamen diaboli victricem Deus ipſe præco prædicabat; ſic ſuperbiam Angeli refugæ mulctaturus, vt humiliori ſexu, Angeli deſertoris faſtum protinus inclinaret.

Exod. 5.
1 Reg. 17.
Geneſ. 3.

Iahel fœmina verè pia, Siſaram Gentilem lacte potum, & in Conopeo decumbentem proſtrauit; ſed Maria necdum lacte pota, adhuc in vtero neſciens Conopeum, dæmonem omnino proſternit, eliſo capite ipſius, quo ſe in animas hominum inſinuat: Maria enim à primo exordio, neſciens originale deliquium, dæmoni viſa eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata; fugatúſque dæmon, vim huius ſideris orientis expertus eſt eamdem quam & lupi, cùm Syrius exoritur. Stella hæc Syria, dum Soli coniuncta terras luſtrat, lupis adeò infeſta eſſe dicitur, vt ad matutinum eius ortum, lupi fugam capeſſentes, nequeant eodem loco ſtare. Vnde & Camerarius ſymbolum fingit, in quo lupus fugiens, aſtro Syrio deſuper rutilante, hoc titulo. HOC ORIENTE FVGOR. Verè Maria ſtella. *Orietur ſtella ex Iacob.* Maria item in Syria orta, verè ſtella Syria. Lupus ille Tartareus hac ſtellâ oriente fugatur. Sicque vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor, dæmone à puella Virgine proſtrato.

Iud. 4.

EX SYMBOLIS.
Camerarius Lemnur. quadrupedum. num. 24.

Eâdem planè ratione Xerxes Rex Perſa, Græcorum eliſit faſtum apud Salaminam: nam eis furentibus, & in Perſas validâ claſſe ruentibus, obiecit ille fœminam vnam cataphractam, videlicet Artemiſiam Reginam Cariæ, quæ editâ magnâ ſtrage, Græcis æternam inuſſit infamiam; vnde & Rex eam Palmâ publicè donauit, dicens, illa die fœminas fuiſſe maſculas, viros verò muliebres animos induiſſe. Verè Perſa, noua bella elegerat; ſed non eatenus glorioſa, ſi confetas dæmonum validas acies à Maria profligatas.

EX HISTORIA.
Xerxes fœminæ obſequio Perſas fregit.

Dæmonis eluſit Maria laqueos, quibus omnes ante homines inuoluerat, vt præmonuerat Pſaltes. *In retiaculo eius cadent peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam.* Verè Maria ſingularis, ideò dicitur. *Vnica Columba.* Felle peccati carens, quo natura humana vitiata eſt. Quomodo autem originale peccatum contractum ſit, audi Theologos.

Pſalm. 140.
Cant. 6.

Peccatum aliud eſt originale, aliud actuale, originale naturam ſpectat, actuale verò perſonam, à cuius voluntate immediatè manat. De ratione peccati eſt, vt ſit voluntarium: originale peccatum voluntarium tantùm eſt Adami voluntate; ideóque tantùm contrahitur ex natura, quæ fluxit ab Adamo, qui totam naturam mouit, ſicut & voluntas omnia membra mouet ad peccandum, peccato aliquo actuali. Nam vt ex Porphyrio plures homines participatione eiuſdem

S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3.
Porphyr. lib. Præd. cap. de ſpec.

ſpeciei ſunt vnus homo, ſicut & plura membra ſunt vnum corpus; actus autem vnius membri, non eſt voluntarius voluntate membri illius, ſed voluntate animæ, quæ mouet illud membrum; ita & inordinatio, quæ reperitur in quouis homine generato ex Adamo, non eſt voluntaria voluntate talis hominis, ſed voluntate Adami, qui mouet via generationis omnes qui eius origine deriuantur; ſicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum; vnde peccatum, quod ſic ab Adamo fluxit in poſteros, dicitur originale; ſicut peccatum quod ab anima deriuatur ad membra corporis, dicitur actuale: ideóque defectus hic eſt naturæ, iuxta illud Apoſtoli. *Eramus natura filij iræ.* Et ſicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis; ita peccatum originale non eſt peccatum huius perſonæ, niſi in quantum hæc perſona naturam ſuam à primo parente emendicat. Alia vero peccata, quæ fecit Adam, perſonam eius infecerunt, & non naturam, ideò alios homines minimè vitiarunt. Primum autem peccatum, quia naturam infecit, dicitur originale, cui, Chriſto & Maria exceptis, omnes fuerunt homines obnoxij; quidquid reclamarint aliàs Pelagiani, in quos ideo inuehitur Auguſtinus, quia naturam humanam ab omni macula vindicabant.

Epheſ. 2.

S. Aug. l. 1. retract. c. 9.

Peccatū originale, quid ſit.

Originale autem peccatum, ex Sancto Thoma, eſt habitus ſeu inordinata naturæ diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua erat ſita iuſtitia originalis; ſicut & ægritudo corporalis, eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, quâ ſoluitur illa temperies, ex qua exurgit ratio ſanitatis, ideóque peccatum originale, languor naturæ nuncupatur. Fauet Auguſtinus dicens. *Paruulos concupiſcibiles eſſe, etſi non ſint actu concupiſcentes.* Indicans, habitum ineſſe puerulis vitioſum à natura. Hæc autem inordinatio fuit in Adamo vt cauſa principali; in ſemine vt causâ inſtrumentali: & cuilibet animæ infectæ ineſt, vt ſubiecto; in carne autem, ratione pœnæ tantùm. Formalis ratio huius peccati eſt priuatio originalis iuſtitiæ; materialis verò eſt concupiſcentia ſeu inordinatio partium animæ. Hoc peccatum contrahitur in infuſione animæ rationalis; priùs eſt ordine naturæ in anima, quàm in carne, ſed non ordine generationis, & temporis. Adueniente gratiâ, peccatum quidem in reatu tranſit, ſed remanet in pœna & fomite. Id eſt, non facit Deo ingratos, ſed nobiſmetipſis graues, quia nos Deo graues exhibuimus. Siquidem Baptiſmo ſuſcepto, ſentimus membrorum & animæ diuortium. Ratio petitur ex S. Auguſtino. *Sic vindicatur in rebellem contra Deum, vt ipſe ſit ſibi bellum, qui pacem noluit habere cum Deo.*

S. Aug. l. de Baptiſm. paruulor.
S. Thom. 1. 2. q. 85. art. 1. 2.

S. Auguſt. in Pſ. 25.

Hanc neſciſſe maculam Virginem Deiparam multiplex ratio perſuadet, fidémque facit iuxta regulam Auguſtini. *Quidquid tibi verà ratione meliùs occurrerit, id ſcias feciſſe Deum.* Virginem ergo matrem ſuam Deum præſeruaſſe, codices ſacri typicè inſinuant. Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Et clariùs Ambroſius. *Per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum habuit ex pignore.* Quaſi diceret, Chriſtum reparaturum naturam humanam, in Mariam gratiæ ſuæ præludia congeſſiſſe. Accedit ratio, petita ex Philoſopho. Amare, inquit, eſt velle bonum: Deus plus amauit Mariam, quàm creaturas omnes, ergo amplius bonum ei voluit. At velle Dei eſt practicum; ergo maiorem boni congeriem in Mariam inuexit, quàm in Angelos, & Adamum, quos creauit abſque vlla labe.

Lib. 3. de l. arb. c. 5.

Cant. 4.

Lib. 2. in Luc.

Ariſtot. lib. Ethic.

Ex SS. Patribus.

Ruſſus caro Mariæ debebat vniri hypoſtaticè Verbo; caro quippe Chriſti, Virginis huius carne coaleſcit. Debuit ergo expers eſſe peccati Virgo Deo ſacra, vt benè infert Sanctus Damianus. *Quid vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium?* Annon inſinuauit Salomon hoc Virginis ſingulare decus, cùm ait. *Mulierem fortem quis inueniet, procul & de vltimis finibus pretium eius.* Duos fines agnoſcit natura humana, ortum & occaſum. Eſt vtrobique Maria incorrupta. Ioab in medio portæ confodit Abner, ſed dæmon omne hominum genus in ipſa porta, ſeu naturæ exordio, ante Mariam conceptam occiderat, illa verò ſuorum procerum vltrix in eadem porta dæmonem homicidam abegit, & ſic heroïcè Maria cuiuſdam Virginis percelebris facinus anteuertit.

Serm. 3. de Natiuit.
Prou. 31.

2. Reg. 3.

Ex Historia.
Petrus Iuſtinian. in hiſt. Veneta ſub ann. 1475.

Obſedit aliquando vrbem Coccinam Turca, nominis Chriſtiani oſor acerrimus; & vt vrbem citò diriperet, dato ſigno irruit in portas, quas impetu fero tandem ſubuertit. Illic vir grandæuus occubuit, patriæ ſuæ vitam faciens ſacram & deuotam: concurrunt ciues, vlturi necem ſui contribulis, ſed perperam; nam & illi eodem fato abrepti. Turcâ itaque irrumpente, aduolat puella virgo, ſed adulta, patris vltura Manes, armis ſtipata patris recenti adhuc cruore madidi; adeò ſe fortiter geſſit, vt multo Turcarum ſanguine patri ſuo piè parentarit, atque ita paucioribus cæteris Turcarum cunctis, vrbem & patriam victrici manu liberarit. Venetæ claſſis præfectus generalis hanc Heroïnam amplis donatis exornauit, & optionem dedit nobilium omnium, vt ex his vni legitimo ſponſo iungeretur.

Puellæ generoſum facinus contra Turcas.

Sed quid hæc ad Mariam, quæ non adulta modò, ſed necdum nata patrum ſuorum extinctorum armis, id eſt eâdem quâ & illi naturâ, in eâdem porta Conceptionis, dæmones omnes plenè compeſcuit, & in victoriæ integræ fidem accepit Spiritum ſanctum in ſponſum, facta Regina, cuius fimbriæ auro rutilæ notant, naturam eius fuiſſe charitate fimbriatam. Siquidem ipſo Conceptionis eius articulo, puella hæc Dei amore feruida, nulla peccati deliquia perpeſſa eſt: licet eâdem quâ & Adam carne fuerit hæc compacta, vt ait Sanctus Damianus. *Caro virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non aſſumpſit.* In dotem accepit virtutes omnes, atque dona Spiritus ſancti eius ſponſi, iuxta Pſaltem. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, omnis gloria eius filiæ Regis abintus, in fimbriis aureis.*

Mariæ ergo fuit immaculata.

Serm. de Aſſumpt.

Pſalm. 44.

Nota, gloriam ſponſæ eſſe ab intus, id eſt à Conceptione, quæ quia fuit in charitate, dicitur eſſe auro, & eo puro, obrizóque fimbriata. Ideóque cæteris peccato obnoxiis, poteſt Mariæ dari canticum iſtud. *Ceſſauerunt fortes Iſrael, donec ſurgeret Debora Mater in Iſrael.* Humanæ naturæ meditanti medelam aliquam vulneri inflicto à diabolo, obiici potuit

Iudic. 5.

idem

idem quod ait Debora duci Hebræorum Barac. *Iud. 4.* *Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Siquidem ſanctis Mariæ atauis originali noxâ tinctis, hæc puella ſoſpes fuit & integra, ſicque manu fœminæ occidit Siſara, typus Angeli deſertoris.

Geneſ. 3. Huiuſce ſui caſus præſcius fuerat dæmon ab ipſo exordio mundi: Deo enim ei intentante minas capitis conterendi à fœmina, dæmon ſagaci indagine omnium ortus hominum ſedulus explorabat; eique accidit idem, quod amaſiæ Regis Henrici Galli præpotentis: ea, Gabrielis nomine, agebat vices non Angeli cuſtodis, ſed Angeli tentatoris, vnde ob nomen Angeli, quo mulier hæc erat inſignis, à quibuſdam peſſimus Angelus erat nuncupata. Audiit parari ſponſam Henrico, & ad nouæ Reginæ ortum, recedendum illi ab aula, cui tamdiu præfuerat, iamque Pariſios tabulas & figuras mitti virginum toto orbe celebrium, vt inde vna Regis conſors eueheretur in regnum. Gabrielem perculit fama regiarum virginum, quibus ſenſim Regis animus inclinabat. Iubet adferri ſibi tabulas omnium puellarum, vt hinc exploraret, an aliqua adeò præſtantis eſſet ſpeciei, vt ſibi timendum eſſet ab aliquo deliquio amoris, quem ſibi planè deuinxerat.

E x H i s t o r i a. *Dupleix in vita Henric. IV. ſub an. 1599.* Maria vxor Henric. IV. quare aliis prælata.

Viſis exquiſitè picturis omnibus, paruipendit eas omnes; ſed duæ tandem allatæ ſunt, quibus pulſabatur Regis anxij feruens affectio: duæ illæ icones erant Elizabeth Hiſpanæ, & Mariæ Florentinæ, quarum idea ſpirans aliquid regium, Gallos de noua Regina fecerat certiores. Gabrielem non terruit Elizabeth, dicentem: Nihil ominis mali ex nigella hac Hiſpana. Sed vbi primum oculos direxit in tabulam Mariæ Florentinæ; altos gemitus trahens: Heu, heu, inquit, ô Maria ſola es, quæ me ſollicitam tenes: vnam te metuo; nec mihi ſiniſtrum quid vnquam accidet, niſi à Maria. Eam non fefellit omen, ſiquidem Rex albedine Mariæ Mediceæ & ſpecie decora ſaucius, alios oblitus amores, eam duxit in vxorem.

Dæmon, qui vaticinio didicerat, parari ſibi malum à fœmina, cuius ſpecie Deus captus, eam in Reginam aſſumeret Angelorum. Ipſe peſſimus Angelus omnium fœminarum ortus & conceptus ſedulus inueſtigat, & præſertim Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Deboræ, Iudith, & Eſther; ſed nihil inde deprehendens mali ſibi intentari, ſtetit in Elizabeth, ex qua educendus erat Ioannes prodromus Chriſti Domini; nec hinc pſeudo-Angelus infremuit; nempe nigellam eſſe deprehendit, & conſciam peccati proauorum. Sed vbi ad Mariam deuentum eſt, ingemuit Angelus lucifuga, videns albedine & ſpecie Angelis ipſis praeire cœlicolis: Heu, heu, inquit: Ecce hæc eſt Maria, quæ conteret caput meum; *Geneſ. 3.* hæc eſt ſpecioſa & tota pulchra neſciens maculam. *Cant. 4.* Iſta eſt quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Nec fuit in Maria magni ominis neque nominis vmbra: nam hac oriente fugatus eſt cacodæmon. Sicut enim noctua eſt luminis impatiens; ita & dæmon non ſuſtinet ortum Mariæ coruſcantis, iuxta Iobi præfatum. *Iob 9.* *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Non ergo incaſſum. *Iud. 5.* *Noua bella elegit Dominus.* Quandoquidem vtius Mariæ virtus, portas hoſtium ſubuertit, conceptu ſuo ab omni noxa penitus illibato, vt notat Ambroſius. *Quid ea ſplendidius, quam ſplendor elegit.* *S. Ambr.*

Maria concepta ſub ſigno ſagittarij.

Etſi ſchema cœli multos dementarit Genethliacos; nemo tamen ibit inficias, Mariam hodie conceptam ſub ſagittarij conſtellatione, eam non eſſe alienam à ſagittæ ratione, cuius proprium eſt ad ſcopum attingere. Maria innoxia preces fundit pro genere humano noxio, & preces vtique Deo chariores eis, quas omnipotentes eſſe gloriabatur Duciſſa Valenciæ Regi Franciſco perquàm chara. Ea pro Symbolo aſſumpſerat ſagittam, hoc titulo faſtuoſo. C o n s e q v i t v r q v o d c v n q v e p e t i t. Quaſi diceret, nullas vnquam preces fudiſſe repulſam paſſas. Et eſto nuſquam hæc amaſia receſſit indonata, futilia tantùm & nænias obtinuit, Maria verò ſecus, vitam petit & exorat æuiternam generi ſuo toxico ſauciato. Conseqvitvr qvodcvnqve petit.

E x S y m b o l i s. *Ferrus parte 2. Theatri.*

Nec eſt quod Iudæi tantùm ſuam Eſther ventilent, quæ Hebræos omnes morti addictos à faucibus mortis, ſuâ prece enixè fusâ liberauit, cùm Regem ſic ſupplex affata eſt. *Eſther c. 7.* *Traditi ſumus, vt conteramur, & iugulemur, & pereamus.* Eſto, inquam, hac Iudæi mediatrice ſoſpites euaſerint; ſalus illa fuit tantùm cute tenus, multique erepti neci temporali, mortem fortè æternam obierunt. At Mariæ precibus multi iam diabolo obſtricti, cœlis adſcripti ſunt, & in his Theophilus ille, qui dato dæmoni Chirographo, quo ſe totum diris deuouebat, pœnitens facti Mariam appellauit, quæ illicò ſollicita de ſalute Theophili, fudit preces adeò miſericordiam Dei vrgentes, vt ſuis meritis veniam à Deo extorſerit, quam Theophili meritis iuſtitia Dei denegaſſet: quod vbi reſciuit S. Bernardus, eam ſic totius generis humani nomine compellauit. *Attende, Domina, & vide dolores vulnerum animarum noſtrarum, qui tibi reuelamus cauſam noſtram, cum fiducia. Tu peccatorem quemlibet fœtidum non abhorres, ſi ad te ſuſpirarit, tuumque interuentum pœnitenti corde flagitarit; ſpei medicamentum aſpiras, foues, non deſpicis. Famoſum huius benignitatis tuæ teſtimonium eſt Theophilus, per te gratiæ reſtauratus.*

Ex SS. Patribus. *S. Bernard. in ſerm. de B. V.* Mariæ miſericordiam ſenſit Theophilus.

Famoſum vocat ſanctus hic Abbas exemplum Theophili; nam præpotentis fuit hoc meriti, dæmoni eripere hominem, qui ſe vltro diris addixerat. Nec ſine Myſterio auroræ nomen ſortita eſt Maria in Conceptione ſua: nam ſicut aurorâ micante ſuas repetunt latebras beſtiæ lucifugæ; ita & ad Mariæ primordia, dæmonum omnes acies tenebricoſæ conſuluerunt ſibi fugâ. Non igitur erit inſtar Paradoxi theſis propoſita, ſcilicet homines Mariæ Conceptione factos validos & ſecuros; nimirum natura ſuæ ſorti reddita priſtinæ, dæmonum eliſit & eluſit arduos impetus, & Mariâ puritatis viam præmonſtrante, piarum mentium chorus, in maiorem ordinem ipsâ Mariâ aſpirante coaleſcet.

Fauet Eccleſiaſtici textus Græcus, qui vbi nos legimus, ab æterno ordinata ſum, habet, ab æterno vexillata ſum, quaſi Maria prima victrices acies inſtrùxerit in vitia, & ſigna in dæmones victrix explicarit; & ad id alludit Bernardus. *Eccleſ. 24.* Maria vexillifera. *Vexillifera tu, ô Maria, vexilla prodeunt Regis, tu nobis te agmine pro nobis.* *S. Bern. ſerm. in Salue.* Ad rem eſt

id

id, quod Plinius ait; ſcilicet, eſſe Leones, qui ad fœminæ cantum paucnt, & fugantur, ſicut & cæteri omnes Leones flammis abiguntur. Dæmon Leonis nomine ſignatur in Scripturis. *Aduerſarius veſter tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Mariæ cantu atque ſuffragio, Leo ille deficiet: & quia Mariæ Conceptio flammea eſt, & amore ignita; Leonibus eſt lethalis. Mariam ignitam diſce ab eius deuoto Ildephonſo. *Vt ferrum ignis, ita Mariam Spiritus ſancti flamma totam decoxit.*

1. Pet 5.

S. Ildeph. ſer. de Maria.

Ex SS. Patribus.

Dæmon expertus vim precum Mariæ, quibus vritur & vrgetur ille vafer & aſtutus; hominum animos à Mariæ cultu diſtrahit, & auellit: ſcit quippe eam non ſibi, ſed etiam toti naturæ humanæ natam; vt & aiunt ſancti Patres Ildephonſus & Anſelmus pietate in Virginem periuſigoes. S. Ildephonſus. *Per hanc non ſolum maledictio Euæ Matris ſoluta eſt, verum etiam benedictio omnibus condonata.* Nota, Deum ob Mariæ Conceptæ decus & ſpeciem, toti genti factum eſſe propitium, & benedictionem amplam elargitum: & cum dicere in diuinis idem ſit ac facere, iuxta id, dixit & facta ſunt, Dei enim dictio practica eſt, benedicere erit benefacere, benefacere nobis erit bonos efficere, patriæ à quâ excidimus adſcribendo.

S. Ildephonſ. l. contra eos qui de virginitate Mariæ diſputant.

Quæ omnia Deiparæ debemus exordiis, ab omni originali labe & macula defæcatis, vt diſputat Anſelmus. *Summa* (inquit) *Dei ſapientia, nullam in maſſa creationis humanæ viam inuenit, per quam vt diſpoſuerat in mundum veniens, tam luctuoſa perditioni ſubueniret, donec ad iſtam, de qua loquimur, Virginem ventum eſſet. Sed hæc mox vbi in mundum per humana generationis lineam venit, tantâ omnis boni virtute & conſtantiâ perfectè reſplenduit; vt eam ipſa ſapientia Dei, verè dignam iudicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum primorum hominum, ſed & totius mundi peccata deleret, & diabolum ſui operis inimicum, cum ſuis elideret, necnon damna cœleſtis patriæ, illuc hominem deducendo, redintegraret.* Hinc fit, vt perperam quis arduum facinus inſciâ Mariâ moliatur, & in huius rei veræ typum, ſubiectam hiſtoriam quæſo meditare.

S. Anſelm. l. de excellen. Virginis.

Maria ſola digna fuit quæ Deum in humanis ſuſciperet.

Hebræi ductu Mariæ ſororis Moyſis, pluribus à Deo deuincti gratiis, Mariam aliquando pertæſi extra caſtra deiecerunt: ſed populo ominoſa fuit talis eiectio; quippe eſt abſente Maria feriatum. Audi Moyſem. *Excluſa eſt Maria extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.* Multi ſeptem dierum, id eſt totius hebdomadæ ſpatio, eliminant à mente ſua Mariam, eius penitus immemores, inſalutatam multo tempore prætereunt; & quid inde piaculi? vis noſſe, non mouentur de loco ſuo donec reuocetur Maria. Noſti hunc pellice infamem, & inuſtâ libidine ſpurciſſimum; & miraris iiſdem adhuc fæcibus hactenus inquinari: deſine mirari. Excluſa eſt ab eo Maria ſeptem diebus, hebdomadas trahit Mariæ incurius; ideò non mouetur à cloaca, id eſt à loco ſuo fœtido.

Numer. c. 12.

Maria ſoror Moſis fuit Hebræis benefica.

Mariam qui non colunt, illi malè habent.

Alios videre eſt inquietos, & quaſi tædeat vitæ malè actæ, meliorem frugem ſeriò meditari; ſed eodem tamen recidere, iiſdem iræ ſtimulis vrgeri, vindictæ ſolitis cieri motibus, auri & argenti ſacrâ ſtimulari fame, & denique corum eſſe omnia ad virtutem emergendi irrita conamina. Huius peſſimæ in eodem loco ſtationis, hæc vnica eſto cauſa. Excluſa eſt Maria, ideò non motus eſt populus de loco ſuo, adhæret ei ſedes iniquitatis. Non inhiat ſacramentis populus Mariæ neſcius. Eccleſias inuias habet ille qui impius eſt in Mariam. Vni vitiorum ſentinæ addictus nuſquam exſiliet de loco ſuo, donec reuocetur Maria; imò & Deum quis Mariâ præteritâ nuſquam exorabit. Quippe Deus vult Mariam excloſam reuocari, vt loco moueamur, à quo volumus exurgere; & hoc Bernardus ſcitè enuntiat. *Quicquid id eſt quod offerre Deo paras, Mariæ commendare memento, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Quia ſic eſt eius voluntas, qui totum nos voluit habere per Mariam.*

Liquet ex præfatis, dæmoni liberos patere aditus in eos, à quorum mentibus excidit Virgo Deipara, atque adeò verſipellem hominum hoſtem aſtutè ſatagere ne reprobi probi fiant, & matris omnium noſtrum memoriam excutiant. Vt enim olim ad honoris templum non erat aditus, niſi per virtutis oſtium; ita nec ad gloriam beatarum mentium aperietur iter, niſi annuente Mariâ, quam idcirco appellant Sancti omnes, vt eam, penes quam ſunt gratiarum omnes lances perpetui. Et ne ſolos Latinos ſuſpicere Patres fuiſſe cultores Mariæ, audi è Græcis vnum Mariæ addictiſſimum, is fuit S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. *O Domina ſola meum ex Deo refugium, æſtus mei ros diuinus, arentis cordis ros diuinitus fluens.* Nota dici ſolum ex Deo ſolatium, quia vt iam ex Bernardo præfati ſumus, totum nos voluit Deus habere per Mariam, quæ ſola hodie Concepta eſt extra ſordes, quibus hominum antea tota ſeries inſorduit; ideóque ſola digna Deum facere propitium eis, quorum multiplicata lues, Dei beneuolos aſpectus auerterat. Eamobrem auſu pio idem qui ſupra Sanctus Germanus, Deum ſibi facturus æquiorem, Mariæ niſus emendicat, præmiſsâ clauſulâ, quâ omnia fauſta diuinitus infuſa ſibi, Mariâ adnitente confitetur. *Ita Domina, refugium meum, vita & auxilium, armatura, exultatio, ſpes, & robur meum.*

Ex SS. Patribus. Maria quam ſit benefica.

S. German. in Encomio Dei genitricis.

S. German. ibidem.

Nec cauſeris, Chriſtiane, Virginis infantiam adhuc neſciam lactis in vtero; puella hæc præpotens eſt, atque valentior, eo infante, de quo Pauſanias. Arcades olim fines ingreſſi Eleorum, in quos ſæuiebant, omnia ferro & igne populati, extrema quæque Eleis ſibi infenſis, truces intentabant. Elei dubij ſua ingeminant vota, ſi quopiam Numine propitio, auertatur omen iſtud infelix toti eorum genti. Illis arma capeſſentibus ecce Matrona ſeria & grandæua occurrit, puerulum adhuc tenellum baiulans, & affirmans monitam ſe in ſomnis, hoc infantulo duce, hoſtium omnium agmina profundenda. Hoc Dei placito Elei nihilo facti ſegniores, alacres obuiant hoſti, cui vt infantulum porrigunt, diceres nouo Numine perculſas acies, nutante veſtigio titubare. Elei vbi Arcades deprehenderunt pauere ad occurſum infantis, maiores ex pauore hoſtis, animos concipientes, & ex infantis præſentia grandiores effecti, Arcades victores hactenus, internecione propè non illicò deleuerunt. Eaque fuit tenellæ ætatis virtus, vt licet imbellis, bello tamen hoſtibus ſuis indicto, eos omnino profligant.

Maria infans etiam benefica.

Ex Hiſtoria. *Pauſanias lib. 6.*

Infantis cuiuſdam inſtitum beneficus.

Arcades victores ob infantem.

Bello

Ex SS. Patribvs.
S. Hieron. l. epiſt.
Ephes. 6

Bello vndique concutimur ab hoſte & hoc perduelle, cui nomina mille, mille nocendi artes; & vt præco Paulus admonet. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores.* Error in bello mors eſt; dæmoni ineſt multiplex experientia, quâ perdat inexpertos & incautos, vt ait Ambroſius. *In ipſa tentatione artificem accipe diaboli verſutiam, ſic tentat vt exploret; ſic explorat vt tentet.* Quid facto opus? Idem quod Elei: habes Matronam eamque venerandam S. Annam, vtero gerentem infantulam Mariam hodie conceptam: obiice Mariam turbis inferis in te ruentibus. Nequit ferre dæmon huius infantulæ nomen: voca hodie & inuoca hanc illibatè conceptam; & eâ potenter influente, dæmonum omnes acies fumo citius euaneſcent; rei exitu confirmante illud S. Germani præfatum de hac virgine ſacrum Encomium, quo eam vocat armaturam & refugium noſtrum, καταφύγιον ϗ τὸ ὅπλον

S. Ambr. l. 4. in Luc.
Diaboli aſtutia in tentando.

Sed ne aliquos de matris iam conceptæ, concepta ſpes decipiat, perperam de ſuffragiis eius præſumentes; videamus quâ cautelâ ſit Mariæ primis incunabulis aſſiſtendum, ne audax acceſſus receſſum inuolitum prouocet, aut ſaltem vltro mereatur. Ex codice ſacro mendicandus eſt apparatus quo ad Virginem debet ſe quiſquis accingere.

Perſicâ lege cautum erat, ne quis palatium habitu indecoro accederet, cui legi ne derogaret Mardochæus, veſte pœnitentis accinctus remanſit in platea, textu ſacro rationem hanc ſuggerente. *Non enim erat licitum indutum ſacco, aulam Regis intrare.* Beatæ Annæ vterus aula fuit, quâ reſedit primò Maria mox concepta; non licet animam laceram & pannoſam, hoc accedere palatium. Animam dico laceram, eam quæ vitiis diſtracta pluribus, quaſi ſaucia & multiplici vlcere aperta, tabe purulentâ diffluit vndequaque. Hæc anima purulenta nequaquam Mariæ ſiſtitur obtutibus, ex S. Damaſceno. *Virgo beata lutum omne fugit, ac cœnoſas affectiones auerſatur, quolibet vitio offenditur, quali bet autem virtute, vt peculiari ſuâ notâ lætatur & exultat.*

Eſther 4.
Maria odit vitia.

S. Damaſc. l. orat. 2. de dormit. virg.

Ex Symbolis.
Iubilæi Numiſm.

Diceres, iſtud Palatium eſſe Dei templum, cuius aditum Papa Gregorius XIII. icone Symbolicâ, Iubilæi tempore, figurauit. Cudit ille iconem, templi fores apertas præferentem, ſuperliminari inſcripto hoc titulo myſtico. Nihil coinqvinatvm. Quaſi diceret, templum non patere niſi his, qui mente defœcatâ ex prænia confeſſione, Iubilæi partes explere ſatagerent: aliis verò, qui noxiis obſtricti, ab his reſilire nollent, indulgentiæ portas in æternum obſerari. Primus ad vitam aditus eſt ipſa Conceptio: has portas hodie patentes obiicit Eccleſia, cùm Mariæ Conceptionem celebri feſto obſignat. Templi Dei oſtiola fecit Salomon de ligno oliuarum; prædicens, Mariam, templum Dei, habituram aditum ad lucis vſuram, miſericordiâ inſignem: quippe Deo miſerante ruinas hominum, naturam humanam in Mariæ conceptu innoxio, nitori primo reſtituit & decori. Oſtiolum hoc item dicitur eſſe de ligno oliuarum, quia Maria tota ſuauis eſt, & miſericors: nam ſicut Aſſuerus Eſther Reginæ dimidiam partem regni aſſignauit; ita & Deus Mariam mediâ parte regni ſui donatam excepit mox conceptam.

3. Reg. 33.

Eſther 7.

Regnum Dei ſtat miſericordiâ, & iuſtitiâ, vt canit præcentor ille diuinus. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Iuſtitiam Deo dereliquit Virgo beneuola, & ſuarum eſſe partium voluit eſſe miſericordiam; quâ quia infantula hæc lacteſcit, dicitur à Sancto Bonauentura, Mammilla paruulorum, cui & poſſis aptare illud Iob. *Ab infantia mea mecum creuit miſeratio, & de vtero meo egreſſa eſt mecum.* Sicque vides, Mariæ oſtiolum eſſe de ligno oliuarum; oliuâ enim aptè miſericordia figuratur. Eâ cautelâ tamen, vt poſtibus ex olea referente gratiam, pontificium lemma inuratur. Nihil coinqvinatvm. Vt hoc titulo vecordes homines ſui incurij, non ſalutem ſuam Virgini committant, de ea temerè præſumentes.

Pſalm. 100.

S. Bonau. in ſpeculo.
Iob. 31.

Et ne ſcrupulo pulſetur animus, cùm dico Virginem horrere peccatores; explico, duobus modis dici hominem peccatorem, ſcilicet in effectu, & in affectu. Nemo eſt qui non peccet in effectu, leuiuſculè ſaltem; quoſuis peccatores in effectu Maria ſuſtinet nec fatiſcit. Peccatorem eſſe in affectu, eſt vltro ſordere, & inſtar ſuis peccatorum luce fœdâ, & cœno velut obſcœno volutari, quod Theologi vocant peccato habituali eſſe obnoxium. Huius ſyntaxeos & ordinis peccatores Maria neſcit; imò vt inimica ſordium, Virgo hæc ab ortu ſuo pura & terſa penitus auerſatur. Et hæc noxiorum hominum claſſis arcetur ab hoc oſtiolo, etſi compacto de lignis oliuarum: miſericordiæ enim impotes ſunt omnes affectu ſontes & noxij; quos Virgo procul amandat à ſe, hoc lemmate: Nihil coinqvinatvm. Quod & alias alio typo præco inſonabat. Procul hinc procul eſte profani.

Ne autem dubios teneam animos ſodalium huius conceptæ Mediatricis hominum; accipe notas, quibus eius Ephœbi ab aſſeclis diaboli & mundi ritè diſpeſcuntur. Eſther exoratura vitam Hebræis ſic Regem affata eſt. *Da mihi populum meum.* Aduerte, eam ſignare populum; quaſi diceret, ſollicitor tantùm pro his qui mihi eâdem gente prognati ſunt affines, ſcilicet pro Iudæis. Nec myſterio vacat Iudæorum nomen, quod ex Hebræo fonte confeſſionem ſonat. Maria confitentibus eſt duntaxat affinis, id eſt, eis propitia, quibus retro acta non arrident, & vita reformanda proponitur: his nempe vitiis obligatis adſtat virtutum chorus, quo & ſtipata Virgo Deipara, init cum talibus myſticè parentelam; vt & S. Damaſcenus ait. *Si virtutes ſocias habemus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet.*

Eſther 7.

Iadah ידה. Confiteri.

Ex SS. Patribvs.
S. Damaſc. orat. 2. de dormit. virginis.

Confeſſionem meditantes, eſſe Mariæ Conceptioni celebrandæ idoneos, videtur inſinuare Propheta, dicens. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Quaſi diceret: Homo vitæ reprobæ impatiens, dolore actus intrinſeco, quem ſyndæreſim vocant, his ſtimulis actus & conceptis, ſua delicta in confeſſione aperiens, peperit iniquitatem: ſicque confitendo, Iudæi rem & ſignificationem profeſſus eſt, dignus ideò Virginis Deiparæ ſacrâ clientelâ. Hominis ſic accincti ſortem S. Ambroſius æmulatur ita hominem compellans pœnitentem. *Curribus confeſſionis inſidens, tendis ad veniam, accipe me tecum in hac cogitatione conſortem, vt adiuncto communi comitatu, ad metas indulgentiæ properemus.*

Pſalm. 7.
Confeſſionis efficacia.

S. Ambr. lib. de pœnit.

Multos

Matth. 15.

Coruinum, cras, cras, quis denotet.

S. Auguſt. in Pſalm. 102.

Multos hodie auerſatur Maria hominum tutrix, vſurpans illud. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt a me.* Me prouocauerunt in eo quod non eſt populus; & ego Deum non inuocabo mediatrix. Reuerà multi ore Mariam venerantur; pauci verò opere reuerentur. Quippe ſi vrgeas ad confeſſionem hac celebritate peragendam; inſtabunt, Natale Domini inſtare, & ſic omnes eludent pias pœnitentiæ paræneſes, remittentes in craſtinum diluere facinora, eáque ſacro ritu pœnitentum expiare, & hoc carpit Auguſtinus. *Vox coruina, cras, cras, coruus de arca miſſus & non reuerſus; non quærit Deus dilationem in voce coruina, ſed confeſſionem in gemitu columbino.*

Eſther 5.

Maria deterſit reliquias veneni Euæ.

Quia verò plerique hypocritæ imponunt Confeſſario, Eſther acta Dei ſpiritu, populo ſuo cuius ſaluti inſtabat hoc præcepit. *Non comedatis tribus diebus, & ego ſimiliter ieiunabo cum ancillis meis, & tunc ingrediar ad Regem.* Iudæorum Eſther flocci facit gemitus crebros & alta ſuſpiria, parui pendit hæc heroina fletuum magna diluuia, ſi renuit anima, ciborum, quos ederat hactenus, inediâ laborare. Cibi tui, ô reprobe, ſunt peccata, quibus te ſemper ingurgitas. Maria ieiunium ſanxit generale, de quo Auguſtinus. *Ieiunium generale abſtinere à vitiis.* Itaque tibi caſſa ſunt Mariæ ſuffragia, ſi noxiis adhuc actibus hodie ſaginaris. Ad Regem eſt ingreſſura Virgo, Deum ſcilicet factura propitium ieiuno populo, id eſt, iis qui ad vomitum minimè redituri, noxas quas confitendo vomuerunt, nequaquam amplius actione repetita reuocabunt. Profitere diuortium cum vitiis, iura ieiunium à quibuſuis reprobis actibus, & audacter vrge Mariam atque fidenter. Cum Bernardo eius inuoca pietatem. *Exurge, hoc virus mortiferum exinanitura, quod de pomi ſui reliquiis Eua nobis propinauit, adiuua infirmitatem noſtram, aufer opprobrium noſtrum. Quis tam idoneus loqui ad cor filij tui Domini IESV, vt tu, ô Maria, quæ in ſecretiſſimis amplexibus recubas in meridie ſempiterno.*

Eſther 5.

1. Ioan. 2.

Iacobi 2.

Non incaſſum ternario concluditur indictum ieiunium. *Non comedatis tribus diebus.* Nam tota peccatorũ cohors triplici clauditur offendiculo, ſcilicet ſuperbiâ, auaritiâ, & libidine, iuxta illud. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Sicque liquet ieiunare tribus diebus, idem eſſe ac omnem declinare noxam. Parum enim eſt inchoare ternarium, ſi non impletur, quid namque prodeſt aliqua emendare peccata, ſi animus aliquo deuinctus peccato teneatur. *Qui enim in vno peccat, factus eſt omnium reus.* Duos ieiunare dies, & tertio die ſoluere ieiunium, hoc eneruat preces Eſther; ſicut & Mariam nobis parum æquam reddit emendatio mutila vitæ iniquæ, id eſt, emendare ſuperbiam & auaritiam, retenta libidine, hoc Mariam nobis facit infenſam & non propitiam; ea namque duntaxat ternario promeretur.

Huiuſce ternarij nexus, diuiſionis impatiens, patet ex ſcripturis, quarum ſancto tenore liquet, aliquos etſi duos dies ieiunaſſent, vno tamen dempto, & miſerè paſtos luiſſe pœnas, quibus piaculum ſuum morte obita diluerunt. Vtque Mariæ interuentum eſſe inutilem pateat iis, qui alterum ex tribus his peccatis admiſerint, ſacer textus obiicit nobis arcam fœderis inutilem caſtris Iſraël, quando quiſpiam ex Hebræis aliquo ſe deliquio deturparat. Fuiſſe autem arcam fœderis Mariæ typum, nemo eſt qui inficietur: accipe igitur vno quouis è ternario peccatorum, arcæ interuentum fruſtra petitum ab Hebræis. In obſidione vrbis Iericho, Ioſue Dux agminum Iſraël ſanxerat, ne quis pollueretur ex iis, quæ illi vrbi addicta fuerant. Paret exercitus; nemo libidini indulſit, nec aliquis de victoria inſoleſcens ſuperbiit: ſed vnus Acham auro rutilante captus, dedit auaritiæ nomen ſuum, & eamobrem fruſtrà arca Dei conſultâ, Ioſue ſemel & iterum victus ab hoſtibus, Deo auaritiæ crimen illi perpetratum intimante; atque ita nihil profuit domita ſuperbia; & caſtitas illibata decus ſuum ibi non auſa eſt obiicere Deo, quia Acham aurum ſuffuratus, peccatorum ternarij abſtinentiam non penitus adimpleraт. *Ioſue 5.*

1. Reg. 14.

1. Reg. 13.

Quingentis ab hinc annis arca Dei ſtante in Iſraël, voto ſe obſtrinxit Saul, non eſurum donec Philiſtæos internecione intentata deleuiſſet. Ieiunio inſtat Iſraël, vno Ionatha excepto, qui inediam ſuam melle leuans, ieiunium generale ſoluit; ideóque à Saule orante Deus preces eius exoſus, factus eſt velut alienus. Hoc comperto, Ionathas crimen aperiens ait: Guſtaui paululum mellis, & ecce morior: Regius ille adoleſcens ſuperbiæ & auaritiæ neſcius, melle tamen deliquerat. Multi perinde neſcientes alia peccata, libidine tamen æſtuante perierunt, libido autem melle ſeu dulcedine deſignatur. Demum Saül hactenus Deo gratus; quippe qui faſtum abhorrens atque libidinem, necnon auaritiam, atque adeò myſtico ternario inſignis, infauſtè tandem ieiunium hocce violat, cùm exactæ virtutis oblitus, typho tumens ſibi inſolito, ambiit ſacerdotis officium, ſacrificans Domino; vnde & à Samuele audit, Deo dictante, ei in pœnam ſuperbiæ auferri infulas regni aliò deferendas: & hoc decretum arca potens non auertit, nec tale vnquam Maria piaculum ſoluet æqua à nobis, ſi ieiunium viderit imminutum.

Maria vt ſit nobis propitia à nobis quid requirat.

Igitur Mariæ omnes obſequio addicti (vos enim iam compello) hoc habetote fixum; Maria ingreſſura ad Regem, veſtræ ſalutis ſollicita, gratiarum vberes adiiciet prouentus, ſi cautelam triduani ieiunij tenueritis illibatam, quam & ego perorans inculco. Non comedatis tribus diebus, ô omnes Mariæ candidati, ſi eius ſuffragia vultis non irrita Deo præſentari. Non vnius aut alterius virtutis obſequio eſtote contenti; inſtate toti virtutum choro, vitiis omnibus abdicatis: ſcio concepiſſe vos actus planè heroicos; in dolore parere hos conceptus neceſſe eſt, hoc die Conceptioni Deiparæ ſacro. Sed etſi dolens & reluctans natura pariat; non memineris aliquando preſſuræ, ô anima Chriſtiana, ob ſacros tuos conceptus editos egregiè, tandem cœlis in æternum Deo dante potitura.

HOMILIA IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. CVM eâ ſit indole homo, vt intellectus eius vacare nequeat: Deus librum ei aperuit maiuſculo charactere compactum, ſcilicet mundum ſenſibus obuium. Sed quia liber hic Magiſter erat mutus; Deus Verbum ſuum edidit, vt librum ſcriptum intus & foris. Liber hic vocalis extitit: nam implicat, Verbum eſſe mutum. Ad huius libri intelligentiam Deus alium librum dedit, vt prima rudimenta ad Chriſtum capiendum.

II. Hic liber fuit Maria, & ecce inuentionem & ideam iſtius homiliæ. Obuia ſanè eſt hæc Mariæ cum libro relatio, & communis: hoc tamen inuentum tento facere ſingulare in hac homiliæ contextura, vbi poſtquam edocui libri huius Authorem, Editionem, Approbationem, Dedicationem.

III. Dico hunc librum tribus conſtare tractatibus. Primus eſt de virginitate. Secundus de coniugio. Tertius de viduitate: nam Maria fuit Virgo, ſponſa, & vidua; & ſic idoneus eſt iſte liber cuiuis profeſſioni: Mariæ enim vita ex S. Ambroſio eſt omnium diſciplina.

IV. Demum finio, edocens vſum huiuſce voluminis, & quâ ſit reuerentiâ peruoluendum.

PRÆFATIO.

Liber Generationis Ieſu Chriſti. Matth. 1.

Liber ſcripturæ quam reuerēter ab Hebræis in arca repoſitus eſt.

LIBER ſacer, & præſtinus Meſſiæ naſcituri, eo cultu tenebatur ab Hebræis, quo & manna: Quippe arca prædiues auro ductili, & ligno imputri auiterna, aſſeruabat Biblia ſacro-ſancta: libri huius, in quo Chriſti proceres ataui deducuntur ex nomine, cura fuit, etſi ingens, non eatenus tamen magna, quin amplior ea fuerit, quâ Deus Virginem Deiparam vtero matris abdidit, aliquando reſerandam. Fuit verè à liber, hæc Virgo ſemper illibata; liber vtique Generationis Ieſu Chriſti. Non vulgaris liber ille ergaſtulo recondendus erat, vtpote ſacratior omni Bibliorum textu, qui duntaxat erat in membranis belluarum, quas mors depaſta illarum corium ſuas fecerat exuuias. Maria verò liber membranâ viuaci atque virgineâ conſtans; aliâ Bibliothecâ tegendus erat, vtpote ea quam vocant βιβλιοθήκην ἔμψυχον, id eſt Bibliothecam animatam. Ea fuit Deipara mater Anna, cuſtos ſedula & fidelis libri Generationis Ieſu Chriſti. Anna inquam Bibliotheca, quâ nulla vnquam aptior inueniri potuit, ad Mariam aſſeruandam.

Liber Homeri ab Alexandro vbi repoſitus.

Vt enim Alexander librum Homeri in arca aurea rutilante gemmis condidit, dicens librum hunc talem poſcere thecam: ita & Maria nec debuit, aut potuit, alio ſcrinilio condi, quàm Beata Anna vtero, quem gratia Dei Mariæ præambula conſecrarat. Quippe Anna multis coruſca gratiis, Deo opifice, Mariæ præuiit exordiis, Virginem hanc ſuis abditura viſceribus; nec incaſſum ſortita eſt Anna nomen iſtud, Anna, quod Hebraïs gratiam ſignificat. Hoc nomen enim gratiam ſonans quâ plena erat Anna, filiam etiam enixa eſt, hac exuberante gratiâ pleniorem. Quippe adhuc Maria propè non adulta, Angelico dignata colloquio, gratia plena vocata eſt, in eo Angeli affatu ſic eam compellante. Aue Maria gratia plena.

ARiſtoteles, ille Philoſophus, cui nihil inuium in natura, animæ penitiora rimans ait de hoc ſimulachro Dei, intellectum eſſe quodammodo omnia paſſiuè ſcilicet, & actiuè; id eſt intellectum poſſe omnia efficere, ſicut & effici. *Ariſtot. l. 3. de anima textu 17.* Scholiis eget iſtud axioma, & intimis Philoſophiæ receſſibus, quibus aperiat mentem Philoſophi, eadem Philoſophia rerum omnium indagatrix. EX PHILOSOPHIA. Duplicem intellectum hæc adſtruit diſciplina, agentem ſcilicet atque patientem; agens educit ſpecies à phantaſmate, quod eſt icon rerum obiectarum, eaſdem etiam icones elicit è potentia animę intellectiuæ, quæ tranſmittit ideas ad intellectum patientem, qui eſt potentia animæ rationalis cognoſcens, & quà verè homo ad imaginem Dei fictus, Codice ſacro prædicatur. Intellectus agens, iudicis agit partes, dum obuia quæque ſibi prodit & aperit; aſt patiens intellectus oculum intelligendo refert. *Intellectus quomodo ſit omnia.* Agens habet rationem luminis illuſtrantis; patiens verò rationem potentiæ elicientis viſionem obiecti, cuius indolem, ope ſpecierum, vult exploratot impiger intimè perſcrutari.

Liquet hinc, eam animæ vim ſcientiarũ omniũ eſſe Palladiũ: iam intellectus arx animæ, ſcitarum rerũ abdit ſpecies propè indelebiles.

Mundus eſt liber.

Ne autem otio torperet intellectus, librum egteginm homini Deus obiecit, rerum omnium vſus & ideas babentem. Volumen illud eſt othis vniuerſus, in quo res omnes ſicuti cbaracteres, pro præli arbitrio coëuntes mirâ compagine, faciunt voluminis huiuſce contexturam. Ritè dixeris librum bunc, rerum omnium ſyntagma lectotibus ingerentem, eſſe omnia obiectiuè; hominem veiò eſſe omnia ſubiectiuè, quando terum omnium ebibit imagines ſenſibus hauſtas. Is fuit vnus Adam, & alter fortaſſe Salomon, quos nihil latuit eorum, quæ hoc contextu toto nitent, quos πολυμαθοὺς atque multiſcios, imò πανϑομαθοὺς omniſcios licet ideò nuncupare.

Ex SS. PATRIBVS.

Altos indaganti ſenſus diffuſos hoc toto volumine, pleráque patent attributa Dei; potentia in creatione, bonitas in diffuſione, ſui prouidentia iu ordine ſingulis quibuſque rebus præſtituto: vocales enim ſunt ideæ, omnes paſſim obuiæ tes; vt ait Vates. *Erit vobis viſio omnium, quaſi verba libri ſignati.* Iſque fuit Beati Antonij animus, nullum aliud volumen pulchrius eſſe mundo, quo præclara Dei facinora noſtris mentibus inurantur. Vt hunc librum Romani conſulant, Paulus inſinuat; aſſeuerans, tes ſenſibus obuias Deum apetire. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*

Iſai.29.
S. Athanaſ. in vita S. Antonij.
Rom.1.

In boc orbis vniuerſi volumine reuoluendo, Adam rerum præclararum incurius, imaginum ſpecie inſolitâ captus, puerorum inſtar ſtetit in pomo, & vxoris luæ forma. Haſque habuit imagines veluti temoras, animum eius, ne libri obiecti ſenſus abditos erueret, penitus auertentes. Hoc autem præter intentum Dei accidit; creata enim omnia, velut elementa quæ in vocabula coaleſcunt homini innoxio, Deum clamant ex Richardo. *Integer amator Dei, quocumque ſe verterit, babet familiarem admonitionem amoris, rebus bis pro ſpeculis vtitur, aſpicit cuncta, quæ condidit Deus, & quo condit fine, & in his non tam admirabilis, quàm amabilis occurrit.* Vnde & ideo Adam in icone ſtetit inconſultè. Libros quos digeſſit color ater, ſeu alius quiuis color chartis ingeſtus, Magiſtros eſſe mutos, veteri inualuit adagio; quippe elingues docent: ſed orbem totum eſſe volumen ingens gloriam Dei enarrans, ait regius Pſaltes. Nec eſt quod cauſetur homo ſuam inſcitiam, vt, tædium lectionis huius excuſans, vacet à ſtudio: Deus enim librum iſtum eo charactere compoſuit, vt primo intuitu omnibus innoteſcat.

Richard. de gradibus charitatis.
Pſalm.18.

Sed quia bomo librum probibitum conſuluit, nempe dæmonem, à quo faſcinatus eſt; neſciit orbis vniuerſi peritiam: dæmoni adhæſit aſſerenti. *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Quodque eſt in veteri paræmia euenit ei. Κύων σπεύδουσα τυφλὰ τέκνα τίκτει *Canis feſtinans cæcos parit catulos:* feſtinus enim ad ſcientias indebitas caruit eâ notitiâ exquiſitâ quam callebat. Eámque induit caliginem tota cæcutientis Adæ proſapia, in quâ ſic ſæuitum eſt, vt patre ſcilicet ſciolo nati, eſſent inſcij prorſus in abditis, in quibus fruſtrà laborant, caligent verò in peruiis, vt flet ille.

Geneſ.3.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!

Perſius Satyr.1.

Hominis imperiti tenebras terſit Deus noua diſciplina; librum namque priori volumini ſpreto ſubſtituit: & ne inſtarent homines habere ſe mutum librum; ipſummet Verbum, per quod facta ſunt omnia, factum eſt & volumen, vt præſciit quidam Vates. *Ecce manus miſſa ad me, in qua erat liber inuolutus, ſcriptus intus & foris; & ſcripta erant in eo lamentationes, carmen, & væ.* Manus, auxilium Dei notat exhibitum, cùm Deus hominum conſors naturæ effectus, liber loquax nobis obiectus eſt: verbum enim neſcit obmuteſcere, aut abdere meditata. Lamenta Chriſtus & Ipſe flens exhibuit, aperiens diei extremi horridam cataſtropben, mutata cœli facie terribilem: cecinit carmen, Beatitudines ediſſetens, tripudióque geſtire ſuos inuitauit. *Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Demum væ reprobis fore ait, quos illa dies exceperit, letbalibus flammis, exceptâ vltimâ ſententiâ mancipandos.

Ezech.c.2.
Luc.21.
Luc.10.

Scriptus erat foris Chriſtus eodem quo homines elemento; intus autem inuiſibili charactere, nempe Dei: ad huius intelligentiam ſacri voluminis excedentis hominum captum, libellum præmiſit veluti præludium, cuius ope fieret peruius humano captui liber ſacer & abditi ſenſus. Liber præuius Chriſto fuit Maria Mater eius, epitome gratiarum Chriſti, quam & ideò non inſulsè dicam, Chriſti vt volumen eſt, prima Rudimenta.

Maria fuit liber præuius Chriſto.

Dicam ergo primò, Mariam eſſe librum. Secundò aperiam ea omnia, quæ hoc myſtico libro reconduntur. Eccleſia acta Dei flamine ſancto, ad B. Virginis exortum legit Matthæi caput, cuius hic eſt tenor. *Liber Generationis IESV Chriſti.* Nam Eccleſia aliquid commune ſubodorans Mariæ & libro, banc Virginem enaſcentem miris effert præconiis, ex libri egregij Symbolo ductis; eorum autem quæ Mariam ornant, indicem texit in ea ſerie Sanctorum Abrahæ, Iſaac, Iacob, Dauid, & aliorum procerum Cbriſti, quibus & Beata Virgo ſata, eorum virtutum hæres illuſtratur. Quærenti igitur, quæ ſit Virgo hæc recens nata? Reſpondebitur ex Matthæo, liber generationis IESV Cbriſti: vt autem ſtet concinnè Mariæ & libri relatio, explicanda ſunt quatuor ad librum ſpectantia, Auctor, Editio, Approbatio Dedicatio; & an Mariæ ſingula quæque quadrēt, ſagaci ſcrutinio ſunt nobis hęc indagāda.

Matth.1.
Maria eſt liber.

Rerum omnium Deum architectum eſſe, nemo iuit vnquam inficias, multa tamen cauſis ad boc inſtitutis permittit, quæ pro indita ſibi facultate prodant: vnde & cauſis actio conceditur, quaſi ſint illæ, quæ influant, inſcio quouis alio motore; ita Medicus facit rediuiuos, & Menecrates medicinâ clarus Iouem ſe iactabat eſſe nomine ementito. Mathematica Lunam credidit altricem & auctricem humidi radicalis, & Phyſica formas infert eſſe eas, quæ dant eſſe rei, Deiq; in omnibus effectibus nulla eſt, aut parca mentio, quaſi exuerit naturam cauſæ vel influxum nullum communicet, totúmque rerum decus cedat cauſis; quæ tamen ſui impotes, vt Dei iuris & indigæ ex ſe, hoc ſolùm habent quod Deus impertiuit. Inualuit tamen & hæc in ſacro textu phraſis, vt opera hominum dicantur eſſe multa ordinis infimi, vt. *Simulachra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum.* Sed vbi effectus aliquod

Ex MATHEMATICA.
Origan. in Iſagog. Aſtrologica.
Pſal.113.

egregium

egregium facinus, id totum adſcribitur meliori notæ, vt. *Verbo Domini cæli firmati ſunt:* & illud affine. *Spiritus Domini ornauit cælos.* Denique humilia vindicet ſibi cauſa quæuis; omnia tamen, quæ rutilant inſignia, Deo tantùm adſcribuntur.

Pſalm. 32. *Iob. 26.*

Igitur cùm rerum omnium infra Deum, apicem ſortita ſit B. Virgo recens nata, vt piè Anſelmus ait. *Quicquid magnum eſt ſub Deo, minus eſt Virgine.* Non eſt quòd vexemur in auctore ſeu opifice Virginis recens natæ, in cuius encomia effuſi omnes Primores Eccleſiæ, in hoc ſunt concordes, vt eam dicant opus Dei, cui impar eſt omne quod Deo minus; hicque liber Generationis Ieſu Chriſti, auctoris potiſſimum nomine celebratur.

S. Anſelm. de B. Virg. Mariæ opifex Deus.

Liber hic neſcit auctorem anonymum, ſed Architectum titulo præfert; & hunc qui ſolus ſufficit ad tale condendum opus, vt ait S. Damaſcenus. *Ὡς θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα ἐφ᾽ ᾧ ὁ δημιουργὸς εὑρέθη θεός. O diuinum & viuum Dei ſimulacbrum, ad quod Deus opifex inuentus eſt.* Vtque Apellis olim enituit ſumma de penicillo peritia, edita Venere, quam adeò fecit egregiam, vt eius ſpecie capti alij omnes artifices, ceſſerint primas illi Veneris architecto. Ita & Maria ipſo ſui natalis exordio, ea eluxit ſpecie inſignis, vt Angelos in extaſim raptos egerit in has voces, egregiæ eius ſpeciei teſtes. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Eius hæc forma, iuxta quam ſunt ſpecioſa quæque, auctorem ſuum ea ratione prodit, quâ Apellem Protogeni lineæ ductus in tabula præoſtendit. Etſi enim omnes rutili Angelorum chori, in vnam animam congeſſiſſent quidquid habent eminens & coruſcum; hæc anima decore omni Angelico conſtans & compacta, cederet huic Virgini, quæ Deo auctore, rebus aliis omnibus quantumuis egregiis & decoris præſtabit ſemper. Imò & infans propè non nata, compoſita cum Angelis ampliori gratiâ præfulgidis, multùm hæc illuſtrior eis omnibus eminebit.

S. Damaſc. ſer. de B. Virg. *Cant. 6.*

Habes ex præfatis Deum auctorem libri, quem hoc ſermone decurrimus, tantique auctoris in hoc volumine micat ingenium eatenus, vt qui Virginem neſcit, eum etiam lateat Dei opificis exquiſita peritia, teſte Chryſologo. *Quantus ſit Deus ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Auctore ergo voluminis huiuſce conſpicuo, editionem libri ſermo reſiduus inueſtiget.

S. Chryſolog. ſerm. 140.

Editas ab æterno res omnes in ideis, quæ penes Deum ſæculo præierunt, id eſt, ab æterno eſſe omnia in mente Dei, dogma eſt fide ſtans atque ratione. Fide quam debemus codici ſacro, & ratione quam ingerit Theologia, altiſſima diſciplina. Sic habet ſacer ille textus *Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius.* Rerum autem notitia ſtat, & fit per ideas: nam res ipſæ non ſe mentibus ingerunt. Rurſus ſeipſum Deus intelligit adæquatè, id eſt, virtutem ſuam capit totam, ſciens ad quæ omnia poſſit actione ſpatiari: ergo omnia eáque infinita cognoſcit, quia ad infinita extenditur illa Dei virtus; ſicque liquet, eſſe in Deo ideas rerum omnium. Prætereà ea quæ agunt per intellectum, non temerè ſuas actiones exerunt, ſed ob finem aliquem ſibi præſtitutum; vt artifex domus, in ea fabricanda, domum habuit in mente præambulam, ſecundùm eſſe intelligibile: habere autem finem præuium actioni ſecundùm eſſe intelligibile, eſt habere ideas rerum, vt ſcholæ Genius Thomas ſcitè admodum explanauit.

Ex Theologia. *Hebr. 4.* *S. Thomas 1. part. qu. 14. art 5.* *S Thom. 1. p. q. 15. art. 1.*

Itaque prima Mariæ editio fuit ab æterno, fuitque illi libro, pro Bibliotheca Deus optimus, nec eo modo Maria omnino fuit, quo & cætera omnia in mente Dei, ſed nobiliori planè. Ad cuius rei intelligentiam nota duo in ideis. Primò eas eſſe vel ſpeculatiuas, & tunc eſſe meras rerum rationes præexiſtentes in mente Dei, vt ait Auguſtinus. Secundò, eas eſſe & practicas, vt aiebat Plato, id eſt, cauſas effectrices rerum, quæ ad exemplar idearum noſtris ſenſibus ingeruntur. Ex parte Dei omnia ſimul & ſemel ideata ſunt, in vtroque modo, theorico ſcilicet & practico: nam Dei eſſentia, quæ eſt ratio æterna rerum cognoſcibilium, non variat, vt ait Apoſtolus. *Apud Deum non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio* Et fuſiore ſtylo hanc idearum explicat ſcientiam Auguſtinus ſic. *Ideæ ſunt principales quædam formæ vel rationes rerum ſtabiles atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ diuinâ intelligentiâ continentur. Sed cùm ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundùm tamen eas formari dicitur omne, quod oriri & interire poteſt, & omne quod oritur & interit.* Igitur ex parte Dei, qui à ſeipſo in ſua notitia minimè diſpeſcitur, Maria ab æterno edita eſt cum ingenti illo volumine, id eſt, mundo hoc ſenſibili, qui rerum penè infinitarum velut paginarum ſyntagmate textus, liber eſt omnibus ediſcendus.

Ex SS. Patribus. *Iacob. 1.* *S. Auguſt. lib 83 quæſt. q 46.* Ideæ quid ſint.

Creaturis inter ſe compoſitis, Maria alio planè modo edita eſt, quàm cætera omnia Nam ex Philoſopho. *Vt ſe habet res ad eſſe, ita & ad cognoſci.* At Maria in eſſe ſuo cæteris præſtat entibus infra Deum; ita & in mente Dei præiuit ab æterno aliis omnibus, quæ Deus aliquando ſtatuit exercere Et hoc eſt affine Virginis encomio, quo Salomon Deiparam quaſi penicillo graphicè lineauit. Vide tabulam, & in ea Mariam ab æterno præeuntem omnibus. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar.* Nota vim verborum. *Ante colles ego parturiebar.* Id eſt, mea natiuitas in mente Dei præceſſit ortum rerum omnium aliarum, quas ſi ad me referas, earum quæuis altitudo erit inſtar collis, cùm ego præaltorum montium iuga ſuperem vſquequaque.

Ariſtot. lib. 2. Metaph. textu 4. Ex Philoſophia. *Prou. c. 8.*

Exquiſita verborum hæc ſeries quam Eccleſia Mariæ exortui aptat, perlegens ea in huiuſce diei tremendo myſterio, liquidò notat ſenſum hunc præſcitum à Salomone: nam ex Chryſologo. *Non apices, non litera, non ſyllabæ, non verbum, non nomina, non perſona in Euangelio diuinis vacua ſunt figuris.* Quod hìc aſſerit de Euangelio; Chriſtus & idem adſtruit de toto Bibliorũ textu. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnũ, aut vnus*

Ex SS. Patribus. *S. Chryſolog. ſerm. 146.* Scripturæ ſacræ apices etiam non ſunt muti. *Matth. 5.* *Pſal. 39.*

apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Bene ergo Mariæ quadrant voces illæ. *Ante colles ego parturiebar.*

In eo item ſenſu Chriſtus dicitur primus prædeſtinatorum, iuxta illud. *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Quò enim Deo quiſque magis eſt ſimilis, plura de eo cognoſcit & Deus: ſicut etſi plerique ex turba Chriſtum premerent, confuſéque tangerent abſque delectu; tunc tamen duntaxat ait ab aliquo ſe fuiſſe tactum, cùm mulier ſaucia fluxu immodico, tetigit fimbriam panni ſalutaris, cúmque ſciſcitaretur à ſequace turba, quis eum tetigiſſet, ſubiecit. *Tetigit me aliquis; nam ego noui virtutem de me exiiſſe.* Ita quia maior Dei virtus a Deo diffuſa eſt in Mariam; ita & illa Deum magis perculit ab æterno, quàm aliarum compago rerum, atque adeò Virginem multiplici dote cenſuque claram diuinæ menti dicimus altius inſediſſe.

Luc. 8.

Voluminis, cuius Deum auctorem habes, & editionem primam ab æterno, dies hodiernus ſecundâ editionem in eius natiuitate recenſet: prima quippe editio ex intimo Dei prælo non proſtabat; aliâ molitus eſt Deus editioné charactere ſenſibili, & condono naturæ lectorum. Perfecit vtique, cùm Mariam natam, editam ex vtero promulgauit; nec fuit opus in hoc edito libro cautela, quæ cuilibet editioni librorum apponitur. Videlicet prodit hæc ſecunda editio emendata & caſtigata à mendis, quæ in primam editionem irrepſerant; in primam enim editionem Mariæ ab æterno, nihil irrepſerat vitioſum: nam Deus præſciit eam immunem à peccato, iuxta illud. *Tota pulcra es & macula non eſt in te.* Editio ſecunda Beati Ioannis, Domini præambulonis & prodromi, fuit caſtigata & emendata: nam præcurſor ille ex ſua conceptione fœdus, editione ſecunda naſcitur illibatus.

Cant. 4.

Approbatione non eguit liber iſte ſanctus, & Deo auctore ſanctior: ſed vt cenſores incurrentes in librum elegantem, & omnibus numeris abſolutum, non approbant tantùm, ſed ei mira, cenſuræ loco præfigunt encomia; ita & Angeli, Sanctique omnes, Mariæ decore eximio ſaucij, miris laudibus atque præconiis ariâs inſolitis extulerunt. Prima editio cenſores non habuit, ideò non præcones, quia charactere ſoli Deo nota fuit ab æterno: ſed ſecunda editio primâ fuit auctior; nam ſupra eſſentiam Mariæ addidit exiſtentiam, qua Maria poſita extra cauſas, Angelis & hominibus agnita, eorum acuit ſtylum ad ſuam panegyrim meritorum copioſè compingendam.

Maria in toto grata.

Cœtus Angelici coriphæus ille Gabriel, Mariam gratiâ plenam enuntians, primo ſuo affatu, cœleſti breuiloquio, luculentam omnigeni præconij texit Epitomen, in Mariæ gratiam, cumpendioſè ediſſerens id quod Hugo Victorinus ſtilo pleniore digeſſit. *Totum quod in te pulchrum eſt, in toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo diſplices, tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam.* Quid loquor Angelus in Mariæ encomiis, cùm eam totam ſibi Trias adoranda vendicarit. Audiendus Bonauentura Deiparæ addictiſſimus.

Hug. Vict. ſerm. 9. inſtitut.

Maria eſt totius Beatiſſimæ Trinitatis nobile triclinium. Quaſi diceret, in Maria quieſcere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; hoc enim ſonat vox illa triclinij vſitata Latinis, etiamſi ſit mere Græca. τρικλίνιον erat conclaue tribus lectis ſtratum, vbi diſcumbebant conniuæ. Vnde Horatius

Maria eſt Trinitatis triclinium.

Triclinium quid ſit.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Et Horatio ſuppar Iuuenalis.

Si libuit menſis neglectum adhibere clientem
Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto.

Horat. lib. 2. Ser. Satyr. 4. Iuuenal. Satyr. 5.

Maria ergo Dei receſſus intimus, Sancto Bonauenturæ, triclinio comparata arridet; & hanc ab Heſychio ideam fortè mutuarat: vocat enim ille plenitudinem totam Trinitatis; in quo & equidem fateor, ſum demiratus animum pium in Mariam R. P. Salazar Societatis Ieſu mihi reuerà ſuſpiciendæ. Hoc Heſychij textu ſeipſum torquet Salazar in Theologia tota diſſecanda, vt adſtruat ſenſum verè doctiſſimum, aſſignatum menti Heſychij, quem ait appellaſſe Mariam totius Trinitatis complementum: cùm tamen Heſychius ab hac ei impoſita Theologia fuerit penitus alienus. Nec aliud ille voluit, imò nec potuit maius encomium affigere, quàm dicere totâ Trinitate plenam, & vt aiunt Philoſophi, in abſtracto plenitudinem totam Trinitatis: nec græcus auctor abhorreos à termino æquinoco, voluiſſet ſcriptis ſuis inſerere vocem, quæ complementum aliquod in Triadis ſanctæ myſterio reſonaret. Etenim æuo Heſychij Græcia tota nutabat in fide huiuſce myſterij: cui næuos affingebat dum Chriſto omne complementum ſubtrahebat; ſicut & Spiritui Sancto, dum proceſſionem à Filio Græcia contumax infitiatur.

Salazar. in Prouerb. c. 8.

Maria eſt plenitudo Trinitatis.

Audiamus Heſychium idiomate ſuo damnantem eos, qui cum inſcitum præfati textus referunt aſſertorem, vbi ille Mariam præfert Arcæ Noe, quæ viuentia omnia reliqua ex diluuio geſtabat: nam inquit Heſychius illa totam Trinitatem gerebat vt illa plena. Αὐτὴ δὲ ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα· ἐπειδήπερ γὰρ καὶ τὸ πνεῦμα ἐπεδήμει, καὶ ὁ πατὴρ ἐπεσκίαζε, καὶ ὁ υἱὸς ἐνσκηνῶν κυοφορούμενος. *Hæc enim tota Trinitatis plenitudo, quandoquidem & Spiritus aduenerat, & Pater obumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat.* Hoc tenore textus, & verborum, complementi acuta illa Theologia mihi nauſeat vt perperam inuecta, etſi placeat ſua in Mariam egregiâ pietate. Quicquid enim de Maria dixeris eximium, arridebit mihi Mariæ candidato: quale omne eſt id quod Societas Mariæ chara ſcribit de hac rerū reparatrice.

Ex SS. PATRIBVS.

Heſychius orat. 2. de laudibus B. V. Mariæ.

Vis aliud Mariæ decus, cui aliud omne ſit impar encomium. S. Dionyſius Mariæ videndæ deſiderio, eam adiit, ſed vbi Mariæ compos effectus eſt, ſtatim ſui impos, Deum in illa ſubodorans, ait ei, ſe fide ſola impediri, quin ad eius pedes aduolutus, tot inſignem gratiis in ea micantibus, eam coleret veluti viuum Deitatis omnigenæ ſimulachrum Eccleſiæ naſcentis ille fuit zelus in hanc Virginem Deo plenam, vt plerique ei placentas ſacrificarent, Deam inde recolentes, ſicut & videbant filium eius à fidelibus haberi pro Deo Optimo Maximo, nulloque ritu præcipuo magis adhiberi cultum, quàm hoſtiâ conſecratâ Pietáſque in Mariam eò egit fideles indiſcretos,

Mariam Dionyſius vidit radiantem.

vt

vt fecerit infideles; hæc tamen impietas, Mariæ ſtabilit inſignia valde Chariſmata, quibus efferendis, præcones omnes verbi Dei, ſcribæque omnes deuouerunt ſe totos, ita vt merito Eccleſia in eius laudem vſurpet has voces.

Eccleſia in Miſſa introitu, die Concep.

Egredimini filiæ Sion, & videte reginam veſtram, quam laudant aſtra Matutina. Angeli & proceres Sanctæ Eccleſiæ recèns emergentis aſtra matutina non inſulsè dixeris, quorum egregiè dicta de Maria, librum hunc myſticum quem voluimus hoc diſcurſu, non approbant modò, ſed quibuſdam illuſtrem ſcholiis aperiunt, explicant, omnéſque ſuæ ſalutis minimè incurios prouocant ad legendum.

Ea præfatis, dicatio voluminis huiuſce liquet: cùm enim Maria toti ſit addicta Trinitati, quis hærebit in quærendo cui dicatus ſit ille liber; Deus hanc ſibi condidit, vt cœlum ſanctius ipſo cœlo, vt præcinit Pſaltes.

Pſalm. 113.

Ex Symbolis.

Typotius lib. Symbolorum.

Mariæ Reginæ Angliæ ſymbolum.

Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Iſtique Mariæ quadrat illud ſingulare lemma, quod in icone cudit altera Maria Angelico ſtemmate illuſtris. Hæc Henrico Rege nata, coniugio ſortita eſt Philippum, illum Regem & patris & ſuo etiam nomine percelebrem, & Hiſpaniarum regno præpotentem. Erat is princeps veluti fax toti Europæ prælucens, bello & pace clarus. Animum regina ſuum teſtatura gratum, in gratiam nuptiarum, cudit hoc Symbolum, ſtellam videlicet rutilam iuxta Solem, hoc titulo. Sola dicata lvci. Dicebat ſe eſſe ſtellam Veneris, quæ Solis eſt comes indiuidua; ideóque copulatam Regi, quem pro Sole habebat. Hæc Maria faſtum redoluit hoc Symbolo; ſed Maria noſtra Sola dicata lvci: peccati enim tenebræ antea omnes homines innotuerunt. Expers fuit illa Virgo caliginis, Sola dicata lvci: non enim coeunt lux & tenebræ; Maria autem & ſtellâ, cœlóque notata, luce innatâ coruſcat, iuxta illud. *Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens.* Caliginem neſcit lumen indeficiens, nec ſtella Sola dicata lvci.

Maria ſacrarium diuinitatis

Ex SS. Patribvs.

S. Damian. ſer. 3. de natiuit. B. Virg.

Hoc clamat Damianus. *Quid vitij in eius mente vel corpore, vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium?* In typum dedicationis Mariæ, ſcribit Moyſes, Abrahæ vernaculum Eliezer ſollicitum aliquando fuiſſe de Virgine, quæ eius eſſet decoris, & meriti, vt poſſet fieri conſors filij Abrahæ heri ſui; vbi autem incidit in Rebeccam, ſingulari gaudio geſtientem ait exclamaſſe. *Ipſa eſt mulier, quam præparauit Dominus filio Domini mei.* Si dubius quæris, quæ ſit ea virginum omnium; quam Deus Filio ſuo deuouit ab æterno: Nata hodie Virgo ipſa eſt, quam Dominus præparauit Filio ſuo in matrem, & nobis in volumen ſtudio iugi reuoluendum.

Geneſ. 24.

Quid ſit in hoc libro & quot Tractatus.

Virtus eſt vera nobilitas.

Et hunc apparatum diſce, ex titulo libri præferente geneſim Chriſti, cui ſacer eſt iſte liber, ſic ideò nuncupatus Liber generationis Iesv Christi. Quo verborum compendioſo tractu, ſeries penè tota rerum liquet, quæ iſto volumine proſtant, quod titulo ſuo eleganti præſagio, omnia virtutum omnium egregia ſpecimina ſonat, nec vaniloquum ambitum ementitur. Quippe Generatio Chriſti, eiuſque tota cognatio, eſt totus ipſe virtutum tenor: eſt enim ille virtute ſatus, & non libidinis illo profluuio, atque adeò in hac attexenda geneſi, nulla animum tuum ſubeat idea carnalis: ſed memor eſto effati huius S. Ambroſij.

S. Ambr. lib. de Arca & Noe.

Probati viri genus, virtutis proſapia eſt: ſicut enim hominum genus, homines ſunt; & ita animarum genus, virtutes ſunt. His ergo præfatis de Domini Ieſu proſapia, prælecto Mariæ titulo, qui eſt generatio Ieſu Chriſti, reliquum libri textum toto diffuſum volumine, fauſtè tibi liceat augurari.

Nobilitas vera à virtute.

Credo quidem vbi dæmon, ſpiritus ille lucifuga, incidit in librum hunc, collegiſſe ex titulo parari ſibi non inſidias modò, ſed tormina noua; eo planè ſugutio, quod colligit amor, is ſcilicet obſcœnus, cum incurrit in librum, quem edidit Poëta ſalax pœnitens eorum voluminum, quæ ſordebant fœdâ libidine, quorum item lectione exhauſtâ, animus turpiter æſtuabat. Prælecto titulo libri, quem Poëta inſcripſit de remedio amoris, Ipſe amor ſibi peſſimè ominatus eſt, inquit ille ſagaci atque ſalaci indole Poëta.

Ouid. lib. 2. de remed. amor.

Legerat huius amor titulum, nomenque libelli.
Bella mihi video, bella parantur, ait.

Nihil aliud ſibi dæmon ominari aut debuit aut potuit, quàm imminentem in proximo ruinam, hac Virgine enata, in eáque ſide instantis ſibi perniciei dæmon amplius ſtetit, Mariæ libri titulo prælibato. Nimirum aiebat callidus hic & verſipellis hominum oſor, meum hactenus ſtetit imperium, vitiis effuſis in totum orbem; aſt liber iſte ſuo titulo ſonante Generationem Chriſti, vitiorum refert antidotum. Nulla enim eſt futura geneſis Dei in humanis, quam virtutum indiuidua connexio, quâ obliterato vitio omni, peſſum ibit meum omne dominium. Sic ſcitè admodum ſpiritus ille nequam, ſuum præſenſit exilium, ex Chriſti cum virtute myſtica parentela: virtutes autem illæ quibus texitur hoc volumen, etſi gregatim ſint effuſæ; non tamen congregatim, id eſt, hic liber non continet indiſcretam virtutum congeriem, ſed tota virtutum ſancta cohors, in tres partita choros, efficit tres tractatus, congruos tribus his ſtatibus, ſcilicet virginibus, coniugatis, & viduis. Tribus enim his cancellis continetur hominum genus, omnéſque cuiuſuis ætatis hominum ſtatus, hac claſſe triplici diſpeſcuntur.

Eſt hæc diuiſio conſona vitæ innoxiæ, quam egit Virgo Deipara inſignis in præfato quouis ſtatu: fuit enim Virgo, fuit & deſponſata Ioſeph, & demum hoc defuncto, vidua ſtetit reliquo vitæ decurſu. Ideò primus libri tractatus eſt de virginitate; in hoc virgines diſcent, quomodo virgineus ille flos ſtet. Secundus tractatus erit de matrimonio; illic ſcient omnes coniugati, ſincera omnia dogmata coniugij. Denique tertius tractatus eſt de viduitate; hic viduæ edocentur, quâ nauſeâ mundi huius cupediæ omnes ſint habendæ, & quo ſint amoris æſtu cœleſtia omnia proſequenda.

Ex SS. Patribvs.

S. Chryſol. ſerm. 146.

Horum fuiſſe ſtatuum ideam exquiſitam, Virginem hanc, inſinuat Chryſologus. *Maria nomen, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis.* Cuique expendenti ſingulas

voces, liquebit eas non ineptè referri ad virginum, nuptarum, & viduarum animos ritè & piè componendos. Cæterum ſi ſagax ſciſciteris, quid in vniuerſum explicet ille liber, & cui claſſi nos reponat, crede Chryſologo affirmanti eſſe *Collegium ſanctitatis*. Ita vt quæuis profeſſio, ſeu virginum aut aliorum, habeat quod ediſcat in hoc collegio, vbi nulla virtutum praxis inuia eſt. Sed ne coaceruem ſtatuum ſingulorum leges atque diſſita dogmata, ab incunabulis hodierna die enatæ Virginis auſpicabor.

Mariæ nomen collegium ſanctitatis.

Eclog. 4.

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Naturam hominum deturpauit olim Angelus nequam & refuga, ſed eadem hæc natura primæ nitelæ conſcia redit in hac Virgine infante. Iam redit & Virgo. Idem ſpiritus mendax, ſcientiæ appetitum ſed præcocem ingeſſerat in animum hominum. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Sed homo inde caligans & ignorans cæcutiit. Deus edito libro nouo, nempe Mariâ hodie editâ, noua ſciendi cupidine homines ineſcauit.

Geneſ. 3.

Cant. 6.

Virgo nata, & ipſa purior luce. *Electa vt Sol, pulchra vt Luna.* Hoc virginitatis inſigne coluit erepta oculis hominum, intimoque abdita penetrali; & hoc ſonat Hebræis nomen virginis *aghalma* עלמות ſignificat virginem & abſconditam; quaſi idem ſit virginem eſſe & abſcondi: ſemper enim virgo furtiuis hominum aſpectibus timet anxia deprædari. Virgo ſui ſollicita, Tertulliani conſilio cautior. *Nec ſuos emittet oculos, nec admittit alienos: tales enim volent virginem viſam, quales habet oculos virgo, quæ videri volet.* Obque ſuos receſſus intimos ſponſa cœleſtis nuncupatur in Cantico, hortus concluſus, cuius emiſſiones paradiſus. An non paradiſus Ieſus Chriſtus à Virgine emiſſus in præmium abditi & virginei floris illibati? An non & Gabriel paradiſo & cœtui Angelorum prætulit Virginis hoc conclaue? Deum quippe in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſciebat illapſum Virginis animæ, & mox virgineo nitore captum, in eius vterum illapſurum, ex quo educturus erat nouum paraditi diadema atque decus, videlicet hominem Ieſum, beatitudinis integræ maximum incrementum.

Tertull. lib. de veland. virg.
Virgo fugiat oculos alienos.

Hanc Ambroſius Virginem abditam admiratus, excitat omnes virginitatis amantes & hoc flore inſignes ad Virginis ſectanda veſtigia. Arrige aures, anima Mariæ imitatrix, auditura Ambroſium. *Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia, diſce virginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginum eſt & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum viderit, ſolus Angelus repererit, ſola ſine teſte, ne quo de genere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* Hoc verborum œſtro Sanctus iſte ciet virginum animos, vt à Maria calle trito decurrentes hoc æuum pudore intemerato illuſtres, ipſam tandem B. Virginem & ipſæ virgines aſſequantur.

S. Ambroſ. lib. 2. in Luc.
Virginum eſt trepidare.

Quidni meditatus pudor Virginis Deiparæ, virginum faueat & pudori, cùm vna eiuſdem virginis imago hoc præſtiterit aliquando; ſcilicet in expeditione Neapolitana, Rex Gallus Carolus octauus, Italiæ imminens, omnium cùm in ſe ora conuerteret, virginem egregiam nactus, exarſit illicò, & libidinem iam ſuam expleturus, puella non decoris immemor, animaduertens ad cubilis latus eminere tabulam Virginis ſacræ, ſic dicitur Regem compelliſſe: Rex præpotens, Virginem Matrem reuerere, cuius hic tabulam intueris; ob eius illibatum florem, meum & tu ne decerpas, ſi me virginem deperis, hanc omnibus aliis aſpice Virginem pulchriorem; eius amori da pudorem illum meum, quem fœdo deluſus amore ſtatuiſti miſerè delibare. Mirum! Rex prima lanugine adoleſcens, hac puella vt fomite libidinis hactenus accenſus, vt in Mariam oculos direxit, eius adeò percitus eſt idea virginali, vt alterius velut immemor puellæ, ſuam libidinem extinxerit, hancque virginem caſtè veneratus ſuis reddiderit integram, officiúmque ſibi ab ea ſanctè exhibitum, compeſcendo libidinem, dote regia puellæ præſtita compenſarit.

Duplex in hiſtoria Caroli VIII.

Mariæ imago fecit caſtum Carol. VIII. Regem Gall.

Maria cingulum tradit caſtitatis.

Caſtitatē Mariæ donū à Deo ſuffragiis eius obtentum, Salomon inſinuat dicens de muliere illa, quam ingerit vt Deiparæ typum, eam tradidiſſe cingulum Chananæo, id eſt Mariam cinxiſſe renes eorum, qui inſtar Chananæi, qui ſalax erat, libidinis æſtu conflagrabant. Cingulum enim ex Homero virginum erat pudica teſſera, quam in templo Veneris ſoluebant, ſi cogitarent coniugium: tradere ergo alicui cingulum eſt amorem ingerere caſtitatis, & horrorem parere luxuriæ, denique validè cōpeſcere omnes libidinis inquietæ motus inſurgētes.

Homer. lib. 11. Odyſſ.

Diſcant itaque virgines receſſum & conclaue Mariæ, horrendo frequentiam hominum, cum Deo & Angelis colloquia in oratione miſceant, ſicut & Beata hæc Virgo; vtque ei pares aliquatenus fiant, Chriſtum ex Euchariſtia frequenter accipiant, & quem virgo geſſit in vtero, illæ in pectore gerant ore antea præguſtatum. Nec erit illis in poſterum virginitati ſuæ timendum, ſi eam ad Mariæ exemplum componant: nam ſi Plinio licuit aſſerere apud Cyzicenos Palladis fontem extinguere cupidinis æſtus; quare & nos dubiam faciemus hanc gratiam, interuentu Mariæ, quæ hodie nata eſt cataphracta vt Pallas, quam armatam exiiſſe è cerebro Iouis gentilitas ementitur. Vere Maria nata armata, quia peccati neſcia, & gratiâ multiplici ſtipata, terribilis extitit Angelo nequam, vt caſtrorum acies ordinata. Fruſtra, ô virgines, ad ſpeculum deponitis faciei næuos; vnum ſit vobis hoc ſpeculum terſum, vt ſtet flos incolumis virgineus, Deiparæ ſcilicet ſpecies imitanda.

Palladis fons extinguit libidinem.

Plin. lib. 35. c. 2.

Cant. 6.

Habebunt fortè quod metuāt coniugati, audientes Mariam reconditam, & conclaui totam penè addictam, nihilque ſibi & Deiparæ timebunt fortè affine; & hanc, quæ Angeli timida colloquium velut ægrè admiſit, credent hominum reſpuere conſortium, ſicque à Virginis obſequio auerſi homines coniuges, Virginis acceſſum miſerè formidabunt. Macte, ô coniugati, fuit & Maria deſponſata viro nomine Ioſeph. Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcit. Triginta annorum curriculum egit, coniugis Ioſeph virginis ipſa Virgo conſors non exoſa conſortium, vtriuſque pudore incolumi. Eſt hic tractatus libri ordine ſecundus, virtutum ferax, & auctior prima parte

Luc. 2.

Æneid. 8.

virgi

virginitati ſacra : nam & Maria deſponſata grandior facta, cepit ſponſa virtutis etiam multiplex incrementum. Prima ſe obiicit in coniugio, coniugum ſocietas indiuidua, quâ ſtante nihil infidele ſubit animum zelo obnoxium. Maria Ioſepho ita & indiuidua comes hæſit, vt ad cognatam Elizabeth non ierit, niſi eo conſcio & ſocio; ſicut & in Ægyptum ambo Angelo præeonte ierunt, amboque ſimul eodem ſpiritu reduce Chriſtum ſeptennem ſoſpitem adſportarunt.

Sueton. in Auguſto vita.
Iulia filia Augusti veſtium luxu notata.
Ex HISTORIA.

Iulia, filia Auguſti, veſtibus pretioſis luxurians, ſicut & corpore toto, patris animum grauiter offendit, qui cùm eam obiurgaret, veſtes cultiores arguere incultam mentem; illa compoſita ad quoſvis caſus, ait: ô mihi ſuſpiciende pater, cum induor modeſtè, oculis patris, id eſt tuis, me adapto; cùm ſuperbe induor, hoc facio ad decorem capitis, inde oculis ſponſi gratior, illi meo coniugi placitura. Optime ſanè Iulia Partem faſtum eius carpentem eluſiſſet, ſi comptior tantùm extitiſſet coniugi placitura: hoc enim matrimonij non eſt infimum decus, alios neſcire oculos quàm eius cui ſors nos addixit. Plerique ſanè hanc expleuere partem Mariæ deſponſatæ, oculos ſponſi nuſquam vel morâ minimâ declinantis. Etenim multi eo amoris mutui æſtuant, vt non niſi ægrè ad officia ſibi impoſita obeunda diuelli queant: ſed vnum eſt, quo coniugati omnes deflectunt à Maria ad quam ideò omnes vt ad ſcopum intendere debent, & quotidiana praxi ad hoc ſignum ſibi imitandum, & præfixum ſeriò collimare.

Audiant omnes adſtricti vinculo connubij Maria ſponſo ſuo addicta ſi quæ vnquam alia coniunx; ſui tamen adeò fuit in hoc amore compos, vt ſacram ſe totam Domino Ieſu ſeruarit ſemper: nec amore naturali ita filium ſuum Dominumque deperiit, quin amore Dei eam vrgente, ſubſcripſerit filio ſuo offerenti ſe, & hic quod naturæ conceditur abdicarit. Hoc verè eſt ſe neſcire matrem, annuere morti depaſcenti filium equidem qui illi cum Deo patre communis erat; cùm ſe neſciit eſſe matrem, præſtitit ſe Deo plenam, & exemplum parentum, quorum affectus in filios officiunt affectui, quo Deus vult recoli. Ad Mariam ergo, coniuges, attendite, ſobolemque veſtram nolite velut Dei incurij deperire; veſtris ergo mentibus inſitum ſit hoc propoſitum tenax, non coniugem neque prolem ita amore proſequi, quin etiam Ieſus matri ſuæ ſemper adſtans vobis etiam ſit obuius. Vtque puriùs obeatis partes omnes coniugij, etiam cogitate Ioſeph, vt eius fulti ſuffragiis, Mariæ amorem in ſuum hunc ſponſum graphicè referatis.

Ioſeph ſponſus Mariæ quando obiit.

Vbi Ioannes abluit Chriſtum, Ioſeph grandæuus occubuit, & Maria ſorte coniugij abeunte, viduarum ſe fecit in exemplar. An Maria fletuum iugi profluuio, ſponſi aſperſit exequias, & diuulſæ comæ capillos ſparſit innocuos, aut in voces gemebundas erupit, ne amorem ſuum erga ſponſum benè meritum fineret inteſtatum? Minimè verò: non etenim impar fuit Maria viduæ illi, quam extollit S. Hieronymus. Melania vocabatur illa heroina, quæ extincto coniuge, & duobus item liberis fato ſublatis, quos vt ſponſi chara pignora dilexerat; mulier hactenus inſignis, ſeipſa iam excelſior facta, vltro ſæuientibus annuit fatis, nec humili vnquam animo vidua luctui interrita ceſſit ingruenti. Sed calente adhuc funere, ipſa vtique maiore feruore accenſa, pedibus aduoluta Chriſti è cruce penduli, ait gratulabunda, & ad vtroſque caſus æquanimis. *Gratias tibi ago, Domine Ieſu, qui me tanto onere liberaſti; expeditius tibi ſeruitura ſum.* Vtque ſtaret his promiſſis Deo factis de obſequio in poſterum promptiori æquè cultiori, mare transfretat, means in Paleſtinam, loca omnia Chriſti ſui paſſione celebria peragrauit.

S. Hieron. li. epiſt.
Melaniæ viduæ vox poſt mortem viri.

Hæc reuera eminet valde vidua, Sancto Hieronymo excelſa & illuſtris; ſed emineat quantùm illi Sancto fuerit viſum ſatis ſuperque; totus ille virtutis apex eſt infra Mariam, quæ ſponſo ſublato non perdiderat hominem ipſam remorantem à Dei cultu; imò Mariæ erat Ioſeph non impiger etſi non æqualis æmulus: vnde ipſa videns ſponſum quotidiana virtutum acceſſione comptiorem, gratiæ prouentus amplioris hauriebat hinc maximum argumentum. Ideóque materia luctus inerat ampla Deiparæ ex fato viri, cuius ſuppetiis & exemplo iuuabatur. Vrgenti fato non abnuit; ſed vidua excelſa accinxit ſe ad facinus animi multò potioris, eo quo Melania puerulos imbelles & impedimenta pietatis tumulo extulit. Quippe vidua hæc Virgo ſuum animum prælium iniuriarum, quas ſubiturus erat filius eius, non ſalutis obex, ſed auctor; ſuum, inquam, animum concordem Deo ad omnes ærumnas paſſionis inflectebat. Melania inuiſit loca, paſſione Chriſti inſignia; ſed Maria paſſionis huiuſce conſors; loca hæc filij ſui patientis ſanguine rubentia; non vidit tantùm, ſed & illic Chriſto vnigenito ſuo commoriens, edidit in exemplum viduarum, extincto ſponſo, & in matrum ſolatium, pignoribus emortuis, virtutis omnimodæ ſpecimen inauditum.

Ex SS. PATRIBVS.
Mariæ virtutes ſingulares omnes.

Meritò igitur viduarum idea & exemplum eſt Maria, ſicut & virginum, ac ſponſarum, à quibus cunctis cum generetur Chriſtus, earum virtute ſatus; nonne Maria liber erit generationis Chriſti, cùm eius tota cognatio, id eſt virtutes omnes apud alios deſcriptæ minutis literis atque communibus, in Maria maiuſculo aureoque charactere referantur. Et hoc annotauit iam Bernardus. *Virtutes ſingulares prorſus inuenies in ea quæ videbantur eſſe communes.* Hæc enim Virgo eminenter habuit quod ſingulis quibuſque ſanctis Deus largitus eſt; vtque aqua ſcaturiens ex imo terrarum, bitumen, ſulphur, redolet & metalla reſidentia in alueis, quibus aqua inde ſalutaris ad nos deducitur; ita & Maria ſanctis prognata Regibus atque Patriarchis, ab his tanquam aureis deducta cuniculis, omnes eorum virtutes hauſit, Deo optimo maximo largitore. Habuit ab Abraham, quòd filium ſuum addixerit cruci, ſpontanea oblatione: cum Iſaac, ſe concordem obtulit Deo Patri: cum Iacob, non Eſau fratris, ſed Iudæorum fratrum tulit æquanimiter omnes ſimultates, & demum mortem illatam pignori ſacro: cum Dauide fuit ſecundùm cor Dei; imò quod Mariæ atauí omnes habebant egregium, illud

S. Bernard. ſerm. 4. de Aſſumpt.

fuit pleniùs in Maria conſummatum.

S. Amb. lib. de arca.

Hodie aperitur liber ille Generationis Ieſu Chriſti, & non tam cunis quàm throno imponitur, vt hinc diſcamus geneſim Chriſti, nempe virtutes, quæ ſunt animæ proſapia, vt ait Ambroſius. Eo planè modo in Concilio Epheſino, vbi in Neſtorium animaduertit Eccleſia, Sancti illi Patres librum ſcripturarum in eminentem thronum, vt Dei genitricis θεοτόκου teſtem vindicem euexerunt. Nempe ex conſulto eo libro ſacro, qui geneſim Chriſti diſſerit, Maria Deipara dicta eſt, inficiante fruſtra Neſtorio. Ita & anima Deiparam vt librum Chriſti geneſeos conſulens, erit ipſa χριστοτόκος pariens Chriſtum. Huc igitur adeſtote omnes parere Chriſtum auentes animæ, ſeu virgines, aut ſponſæ, vel viduæ, librum Deiparæ conſultuiæ. Illic enim practicè habentur Theoremata omnia virtutum ſingulari cuiuſque ſtatu, vt benè olim edocuit S. Fulgentius Deiparæ acceptus. *Venite virgines ad Virginem, concipientes ad concipientem, matres ad matrem, lactantes ad lactantem, coniugata ad coniugatam; ideò enim iſtos omnes naturæ curſus Virgo Maria in Domino noſtro ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum.*

Baron. in annal. ann. 431.

S. Fulgent. de laudibus Mariæ.

Maria ad omnes ſtatus pertinet.

Virgines olim Sibyllinæ libros aliquos texuêre fatidicos, quos tanti Roma fecit, vt penes eos Reipublicæ momenta omnia poſuerit; ſiquidem imminente periculo conſolebant Sibyllarum paginas, ibantque obuiam ſic ingruenti periculo. Sed nos reuerà feliciùs, quovis nos vrgente caſu, ſi attendimus ad Mariam, ex ſacri huius voluminis indagine, cunctis propè dæmonum inſultibus occurremus. Si te, ô virgo ingenua, inhoneſta quæpiam ſpecies inquietat, cogita Mariam & animum eius ab omni obſcœno non alienum modò ſed planè abhorrentem. Si fortè Ieſum perdideritis, ô coniuges, ſicut & aliàs Ioſeph & Maria amiſerunt, mente eam curam reuoluite, quâ pij hi parentes eum quærentes vbique; vos hinc docuêre, Deum etſi ab eo coniuges deficiunt aliquo deliquio, cum tandem in templo, multo fletu præuio reperiri. Si nauſeat, ô viduæ, ſtatus hic ſingularis, & mentibus ingerat viduas obnoxias eſſe pluribus incommodis; Mariam aſpicite iuxta crucem intrepidè ſtantem, & implentem numeros omnes viduæ & Matris orbæ filio, cui impar eſt omne hominum genus. Denique Chriſtiani omnes aliquando iactati quovis modo, pendite feriò, quid in eo quo vos iactamini caſu, Maria perpetraſſet.

Cicero. lib. de diuin.

Præſtat hic liber libris Sibyllinis, de eoque iure dici poteſt illud Apoſtoli, *Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia.* Quorum chariſmatum vt nos impotes faciat dæmon vafer, homines ab hac lectione libri auertit, ſciens eum eſſe regulam virtutis & gratiæ, omnes ab eius intuitu diuellit ille aſtutus hominum inſectator. Eodem aſtu ille cacodæmon tentauit opprimere fœtus immaturos ſurgentis Eccleſiæ, id eſt, fideles ex idolorum cultu baptiſmate tinctos; nimirum ille peruicax Angelus Diocletianum imperio clarum eò perculit, vt tolleret librum Generationis Ieſu Chriſti, id eſt, biblia omnia ſacra, ſciens hac lectione ablata paginæ ſacræ, ſe facturum homines ex fidelibus infideles.

Galat. 6.

Libros ſacros Diocletianus combuſſit.

Vt ergo Diocletianus arceret Chriſtianos à lectione pia librorum, quibus anima virtutis amans excolitur, excogitauit anxius innumeras technas, nunc dira ſupplicia intentans, aliàs præmiis neglectum hunc librorum inſinuans. Ita & dæmon ſuppar illi viro nefario, toto aſtu ſuo hoc ſatagit, vt Mariæ obſequentes abſtrahat à ſolito cultu & ſtudio huius libri, ex quo ad ſtudioſos gratiæ ſeges vberrima deriuatur. Scit quippe infelix, & eos fore infelices, qui Mariæ incurij, ab eius deuotione deſtiterint. Quid ergo, ô homo, aliàs aſſuetus orare Virginem, Roſario tuo ſuperſedes? quid officium aliàs ſæpius abſolutum hactenus abiecisti? quid ſynaxim in eius feſtiuitate ſolitam frequentare, hanc diuinam eſcam faſtidiens reliquiſti & impiè nauſeaſti? Non longè es, homo vecors, ab imminente ruina, vtpote fulcro carens, ſcilicet Mariæ valido auxilio, cuius impos eris Mariæ iniurius, cuius obſequium abdicas quamdiu ab eius ſtudio feriaris. Audi Bonauenturam. *Non ſolùm in te peccant, ô Domina, qui tibi iniuriam irrogant, ſed etiam qui te non rogant.*

Euſeb. lib. 8. cap. 4.

S. Bonauent. in ſpeculo.

Huic ruinæ fuit obnoxius olim Dynaſta quidam potens nomine Barda, cognatus Leonis Armeni Imperatoris. Is æger imaginẽ Deiparæ accepit à viro ſãcto, Theodoro Studita, ea certitudine, quamdiu Mariam excoleret, cũ in dies habiturũ ſe meliùs: credidit Bardas, ſeque totum Virgini deuouit, & hinc aura aſpirans propitia ægrũ aliquãtulũ ſoſpitauit. Sed Iconoclaſta quidã, B. Virginis oſor acerrimus, conualeſcenti Bardæ ſuaſit abiicere iconem Deiparę, aſſerens eum benè valiturum, ſi imagine illa abdicata, inungeret ſe oleo quod ex tunc protulit. Credulus æger, Mariæ imaginem pellit, inungitur oleo hominis iniqui in Mariam; ſed fuit illi oleum hoc lethale: nam eodem tenore Bardæ vita ſtetit, quo & pietas eius in Mariam; quando enim ab ea defecit, vitam etiam eo ferè momento temporis abdicauit. Adeò verum eſt quod ait Bernardus. *Totum nos Deum velle habere per Mariam.*

Ex Historia.

Mariæ imagine abiecta perit Bardas. *Hoc in Bardam ſupplicium accidit ann. 820. ex Baronio in annalibus eiuſdem anni.*

Heu quot deſides animas inuoluit ſors hæc Bardæ impij in Mariam! Vidi ego, & heu flens luctuque altè cordi inſito hæc typis mando: vidi, inquam, plurimos Mariæ ſodalitios pios, imò & pietate inſignes, quamdiu arſit ille zelus in Virginem Deiparam: ſed vbi diſcoli oleo ſuo inunxerunt eos, id eſt, vbi conſcios effecerunt ſuæ libidinis; ex tunc & eos vidi impiè laſciuire. Vnde hi impij à gratia non exciderunt modò, ſed morti æternæ deuincti ſunt; quaſi Deus gratiam totam penes Mariam depoſuerit, quæ eſt tota plena gratiâ: & id clamat ſanctus Bernardus. *Plena eſt gratiâ, & adhuc gratiam inuenit; digna prorſus inuenire quod quærit, cui propria non ſufficit plenitudo, nec ſuo poteſt eſſe contenta bono, petit ſupereffluentia ad ſalutem vniuerſitatis.*

Maria nobis ſuperplena gratia.

S. Bernard. ſer. de aquaductu.

Anima, Mariæ cliens addictiſſima, Deum ore regio Pſaltis & tu etiam ſic compella. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.* Id eſt, faxit Deus, vt non induam animum hominum inſolentum, ſed orationi intendam,

Pſal. 140.

tendam, aſſimilatus eis, qui benè placiti Mariæ, ſe totos eius cultui deuouerunt.

Sophronius in prato ſpirituali c. 66. Maria cellā Cyriaci ſubire refugit. *S. Anſelm. l. de excellent. virginis.*

Aſt memor eſto huius librum; alios nefarios non ferre libros, vt expertus eſt Cyriacus, qui Mariam rogans vt ad ſe intraret; ea loquit: Non accedo eò vbi eſt mihi hoſtis acer; ſicque euaneſcens, Cyriacus in cella ſua deprehendit eſſe librum Neſtorij, qui ideò combuſtus eſt, quia poſſeſſori ſuo obfuit, ne Mariæ colloquio dignaretur. Si quid cordi tuo inſidet fœdum & incultum, illud totum expunge, ſi non vis arcere Mariam, reprobis ſtuduiſti hactenus libris, genio petulanti indulgens; veteres hos titulos abrade, & Mariam edisce: huic iugiter ſtude, & quæ ab ea didiceris, agito incunctanter, ſitque ori tuo frequens oratio hæc Anſelmi. *O pulchra ad videndum, ô deſiderabilis ad amandum, quomodo effugis capacitatem cordis mei?*

IN DIE FESTO
PRÆSENTATIONIS
B. VIRGINIS MARIÆ.

EVANGELIVM. Luc. 11.

LOQVENTE IESV ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi.

I. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

EXPOSITIO MORALIS

Digeſta in vnicam ſectionem.

LOquela Chriſti irrita planè eſſet, ſi mulier de turba nō extolleret vocem, id eſt, ſi Maria orta ex hominum proſapia, non funderet preces pro nobis.

I. Qui beati efficimur, Verbum Chriſti fide concipiendo, & dando vbera Chriſto, hoc præſtamus cum cor ei pandimus: nec id omne eſt; imo parum, mente Deum excipere, & corde æſtuare, ſi brachia deſint, quibus infans adhuc teneatur: quippe gerulos vult, qui vlnis ſuſtineant & brachiis. Flocci enim eſt audire verbum Dei, ſi non cuſtodiatur, & exertis brachiis ad praxim reuocetur.

QVA CAVTIONE PRÆVIA verbum Dei nos beatos efficiat.

In hac verba:

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

SECTIO VNICA.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q. 65 art. 1.* Finis hominum quis ſit.

HOminis biceps eſt conſtitutio, & ſua cuique beatitudo conſtat: aliud enim eſt eſſe naturale, aliud ſuperioris ordinis, vtriuſque verò ſtatus ſuam ſibi depoſcit felicitatem, quæ in eo ſita eſt, vt homo finem naturæ ſuæ idoneum aſſequatur. Finis conſentaneus hominum indoli eſt, vt animæ vires non deficiant ab obiecto, videlicet intellectus in apprehenſione veri minimè cæcutiat, & voluntas à bono non declinet, ſi obiecta ſint merè naturalia, hominis eſſe beatum erit eiuſdem ordinis; ſi verum autem & bonum naturæ conamina excedant, exurgit inde beatitudo ſupernaturalis. Ad vtrumque hunc felicem ſcopum verbo explicito deuenitur, id eſt ſcientiâ, & doctrinâ, cùm humanâ, tùm diuinâ. A verbo humano auſpicemur: etenim eſſe naturale ſubſternitur eſſe ſupernaturali.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſtot. lib. 1. De Interpretatione.*

Ex Philoſophia, duplex eſt ſcientia, vna habitualis, alia actualis: Habitualis, ea eſt quæ animæ hominis etiam dormientis inhæret, & hanc Ariſtoteles definit eſſe cognitionem rerum per cauſas; hæc autem notitia repetita ſæpiùs, intellectus operatione comparatur, id eſt per multiplex verbum mentis; quævis etenim actio intellectus, vt completa eſt, terminatur in verbo mentis: dicitur rei alicuius conceptus, verbum mentis, à ſimilitudine verbi corporalis, quod diſcurrendo profertur. Nimirum ſolius eſt intellectus, & non alterius animæ potentiæ, diſcurrere, & ratiocinari; & eamubrem etiam ad ſolum pertinet intellectum edere verbum mentis, quod nihil aliud eſt quàm res quæ reſultat ex diſcurſu animæ, id eſt cognitio actualis ſeu conceptus formalis rei, circa quam intellectus ratiocinando occupatus eſt; ſic liquet ſcientiam generari verbo mentis, ex quo multiplici fit habitus ſcientiæ, qui dum reducitur ad actum terminatur etiam ad verbum mentis, quod eſt actualis ſcientiæ complementum, fitque vt verbum mentis præcat ſcientiæ habituali inſtanti, & ſcientiam actualem ſubſequatur. Sic inductione claret, hominia beatitudinem eſſe penes ſcientiam, ſeu verbum; *(Scientia eſt via ad Deū.)*

bum;

Luc. 1.

bum; iuxta titulum ſectionis. *Beati qui audiunt verbum.* Illius eſſe beati exordium, & progreſſum, explicat Hugo. *Via ad Deum eſt ſcientia, quæ ad inſtitutionem rectè, & honeſtè viuendi pertinet: eſt diſciplina bonitas, & beatitudo; per ſcientiam itur ad diſciplinam; per diſciplinam itur ad bonitatem: per bonitatem ad beatitudinem.* Cuius vt fieret compos Dauid, ſic orabat. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.*

Hugo Victorinus de inſtructione nouitiorum.

Pſalm. 118.

EX HISTORIA.

Sciſcitabere forſan, vnde beetur homo ſcientiâ inſtructus, etiam rerum humanarum. Reſpondeo, hominem inde perfici, quo diſtinguitur à brutis, & accedit ad Angelos: illud autem eſt ratio, quæ ſcientiâ informata fit terſior. Quò quis enim magis eſt eruditus, eò magis hominem participat, & à bruto plus recedit: vt ſecus ille pecori affinior eſt, qui plus inſcitiæ tenebris opacatur; vt lepide Ariſtippus ait cuidam, qui ipſi negabat ſummam, quam exigebat ab eo, vt filium eius inſtrueret, obiiciens ſe hac ſummâ poſſe equum egregium licitari. Benè, inquit Ariſtippus, equum equidem hac pecunia emes, & inſuper aſinum retinebis; inſinuans, filium rerum inſcium, nequaquam eum homine, ſed cum aſino componendum: & in hunc hominis ſtatum ignarum Chryſoſtomus inuehitur. Sic ille. *Naturaliter non habere rationem tolerabile eſt; verum ratione decoratum irrationali creaturæ comparari, voluntatis eſt crimen, non naturæ.* Scientiæ Socrates tribuebat eſſe ſuum à brutis longe diſſitum, & à vitiis indolem ſuam penitus alienam: cùm enim Zopirus phyſiognomiam callens, ex linearum faciei ſyntagmate conieciſſet, Socratem hominem nefarium, & ideò diſcipuli Socratis ſubſannaſſent hominem coniectorem; Socrates illos cohibuit dicens: Nihil mentitus eſt; omnino talis eram futurus, niſi me Philoſophiæ gubernandum tradidiſſem. Hæc Cicero ſcribit. Ælianus alio exemplo luculento aſtruit beatitudinem ineſſe ſcientiæ: ait enim Timotheum illum ducem, quem adeò felicem dixit antiquitas, vt in dormientis ſagenam & retia vrbes incurrerent, ſuum defleuiſſe ſtatum, vbi incidit in Platonem: illico enim mutatus in alium, reſpuit omnia ea, quibus ſuſpiciebatur hactenus, patrii pendit opes, & exuit infulas dignitatum, Platoniſque inſtitutione beatiorem ſe eſſe cenſuit, quàm ex heroicis actibus exantlatis. Ariſtoteles vbique ſui ſimilis, cuidam percontanti, quid lucri cepiſſet ex Philoſophia? vt ea, inquit, nullo imperante faciam, quæ vulgus facit metu legum: idiota cauet à furto, quia lex minatur pœnam: Philoſophus abſtinet, quia per ſe turpe eſt, etiamſi liceat impunè. Adiice ſcientiæ encomiis, celebre effatum Dionyſij iunioris Regis, qui cùm regno pulſus eſſet, audiens Cratem Philoſophum, de exilio, & de aduerſis æquo animo ferendis optimè diſſerentem, exclamauit: Male ſit rebus etſi regiis, per quas non licuit talem hominem agnoſcere. Laërtius hoc apophthegma putat eſſe Demetrij Phalerei.

Scientia ex Ariſtippo diſtinguit homine à beſtia.

Diogenes Laert. in vitis Philoſoph. lib. 2. c. 8.

Sermone de Aſcenſione.

Ignorantia voluntatis eſt crimen.

Sciẽtia quid prodeſt homini.

Cicero lib. 3. Tuſcul. qu.

Ælian. lib. 2. variar. Hiſtoriar.

Scientia ad beatitudinẽ conducit.

Diogenes Laert. de vitis Philoſ. l. 5. c. 1.

Idem l. 5. c. 1.

Sciẽtia quid proſit.

Gentilium etiam ſententiis, homini mediante ſcientiâ beatitudo preſtat. Sic Cicero. *Si oportet velle ſapere; dare operam Philoſophiæ conuenit.* Et alibi. *Duo hæc ſunt maxima in Philoſophia, Iudicium veri, & finis bonorum.*

Primo Rhet.

Idem in Hortenſio.

Tullio ſubſcribit Seneca, dum ſic fatur. *Dicet aliquis: Quid mihi Philoſophia prodeſt, ſi Deus rector eſt? Quid prodeſt ſi caſus imperat? Nam & mutari certa non poſſunt, & nihil præparari poteſt aduerſus incerta, ſi aut conſilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut conſilio meo nihil fortuna permittit. Quicquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt, ſiue nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſiue arbiter Deus vniuerſi cuncta diſpoſuit, ſiue caſus res humanas ſine ordine impellit, & iactat, Philoſophia nos tueri debet: hæc adhortabitur, vt libenter Deo pareamus, vt fortunæ contumaciter reſiſtamus; hæc docebit, vt Deum ſequaris, feras caſum.* Sequenti Epiſtolâ, idem verſans argumentum, hæc adiicit. *Hoc ſcio, neminem poſſe benè viuere, ſed nec tolerabiliter, ſine ſapientiæ ſtudio; cùm omnia habueris, tunc & habere ſcientiam voles, & ſapientiam. Hæc erit vltimum vitæ inſtrumentum.* Platonis eſt etiam elegans illud ſcitum; libros liberis tantò chariores eſſe oportere, quantò filij mentis præſtant filiis corporis: & ne effato ſuo deeſſe videretur ille Philoſophus, magnam vim auri acceptam à Dionyſio Rege Siculo, contulit ad emendos libros Philolai, Pythagoræ ſectatoris: tantique idem fecit libros Sophronis Syracuſij, vt in illis velut in puluinari caput dormiens inclinaret. Hoc Magiſtro didicit Ariſtoteles, quanti eſſent æſtimandi libri, magnam ſiquidem auri copiam impendit ad Speuſippi libros comparandos, vt auctor eſt Gellius. Non eſt quòd ſileam Alexandrum, de re literaria adeò benè meritum, vt in gratiam Pindari Poëtæ terſioris aliis omnibus æui ſui, pepercerit ædibus eius, dum Thebas euerteret: etenim ædibus hominis eloquentis titulum hunc inſcripſit. Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. Id eſt. Pindari conditoris Poëmatum ædes ne cremate. Iulianus Imperator aliàs inglorius, in hoc efferendus eſt laudibus, quòd tempus ereptum Imperij regimini, euoluendis Philoſophiæ paginis impendebat.

Ep. 16. ad Lucilium.

Philoſophiæ effectus mirabiles.

Idem ep. 17.

Diogenes Laert. in vita Platonis.

Libri Philolai magni æſtimati à Platone.

Libri Sophronis magni æſtimati à Pythagora.

Dion. Iulianus Imperat. ad Euſebium.

EX SS. PATRIBVS.

Eſto Philoſophiæ huiuſce ſæculi adſint acumina quædam, ad virtutis obſequium homines excitandos; illud omne qualecumque eſt, Philoſophia ſacra, ſeu diuinum eloquium continet eminenter. Quippe ex Auguſtino. *Si quæ vera Philoſophi dixerunt; ab eis ſunt tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus vendicanda in vſum noſtrum.* Et alibi, *Non eſt religio à Philoſophis quærenda, qui eadem ſacra recipiebant cum populis, & de ſuorum Deorum natura, ac ſummo bono, diuerſas contrariaſque ſententias in ſcholis perſonabant.* Nec eſt obiicienda virtutis idea, quam prætulit priſca Philoſophia: nam perſonata fuit ea virtus, quam nos ſincerè fuco demiſſo ſtudeamus æmulari, ſi volumus declinare ſcomma Hugonis. *In Philoſophis fuit venerabilis imago virtutis, cùm ſine fide, & dilectione, virtutis ſubſtantia eſſe non poſſit, & vtinam in nobis inueniatur, qui virtutis imaginem teneat. Quis vmbras virtutum induit, quibus videmus floruiſſe gentiles? Quis enim Themiſtoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, Socratis continentiam, Fabricij fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlyſſis, Catonis pietatem imitatur? qui quaſi quædam ſuorum ſæculorum ſidera ſplenduerunt, tempora*

Lib. 2. de doctrina Chriſtiana.

Et lib. de vera religione.

Hugo à S. Victore l. 3. ad didaſcal.

Philoſophi miſerandi quia non cognouere Chriſtum.

ſua illuſtrantes. Sed quia Chriſtum non cognouerunt, in cogitationibus ſuis ſuperbiâ tumeſcentes, verâ humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, & ſeipſos eſſe ſapiẽtes æſtimantes, & dicentes, ſtulti facti ſunt. Lactantius verbi Dei, cũ priſca gentilium ſcientia diſcrimen ſic aperit.

Lactantius lib. 3.

Verbum Dei eſt ſimpliciter proponendum.

Diuina eruditio Dialecticam, in qua omnis loquendi ratio continetur, non deſiderat, quia non in lingua, ſed in corde ſapientia eſt, nec intereſt quali vtare ſermone; res tamen non verba quæruntur: & nos non de grammatico, aut oratore, quorum ſcientia eſt, quomodo loqui deceat; ſed de ſapiente diſſerimus, cuius doctrina eſt quomodo viuere oporteat: quòd ſi neque Phyſica illa ratio neceſſaria eſt, neque hæc Logica, quia beatum facere non poſſunt; reſtat vt in ſola Ethica totius Philoſophiæ vis contineatur. Ad quam ſe abiectis omnibus Socrates contuliſſe dicitur: in qua etiam parte quoniam Philoſophi errauerunt, qui ſummum bonum, cuius capiendi gratiâ generati ſunt, non comprehenderunt; apparet, falſam eſſe & inanem omnem Philoſophiam, quia non inſtruit ad iuſtitiæ munera, nec officium hominis rationeſque confirmat. Et alibi. *Cum ſæpe Philoſophi per ignorantiam veritatis, à ratione deſciuerint, atque in errores inciderint inextricabiles, id ſolet his euenire quod viatori viam neſcienti, non fatentiſ ſe ignorare, vt vagetur, dum percontari obuios erubeſcit.* Auguſtinus Philoſophos & ſpuriæ diſciplinæ profeſſores ranas vocat. *Habes congruenter ſignatam Philoſophorum, vel hæreticorum prauitatem, ſi conſideres ranarum loquacitatem: ranæ ſunt clamantes in paludibus limoſis per ſuperbiam, & inanes contentiones; ſtrepitum vocum habere poſſunt; doctrinam veræ ſapientiæ non poſſunt inſinuare. Qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti, ranæ ſunt tædium afferentes auribus, non cibos mentibus.*

Idem de ira Dei, cap. 7.

Phiſophi ſũt ranæ.

S. Auguſt. l. de conuenientia decem præceptorum, & decem plagar.

Inceſſe verbo Dei exterminium in vitia, expende ex proximo contextu, quo Moſes Dei interpres, & præco verbi eius, ſic affatus eſt Pharaonem. *Mitte iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuerſa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderítque ſuper ea grando, morientur.* Meditare quale imperium in animas exerceat verbum Dei: ait enim Eccleſiaſtes ſeu qui prædicat: Mitte iam nunc, id eſt, tolle moras, & incunctanter obſequio morem gere dictis meis, quæ te ſollicitant vt reddas te tibi: hactenus enim extra te effuſus multo pecore abundas, id eſt, plurima peccata, pecoris acta, impiè perpetraſti; ſedulo examine reuoca intus quæ ante foras egeſſiſti. Inſtat enim ira Dei in eos, qui ſui incurios præſtiterint ſeſe; ſiquidem hos errones lethifera falce metet. Huius ſermonis, gerentis curam hominum, & pecorum, quis fuerit exitus, accipe ex ſequela textus. *Qui timuit verbum Domini, de ſeruis Pharaonis; fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos: qui autem neglexit ſermonem Domini; dimiſit ſeruos, & iumenta in agris.* Hæc eſt ſors bipartita ſontium, atque inſontium: verbo Dei auſcultantes, totos ſe colligunt: aſt inobedientes dicto, dyſcolam agunt vitam, cuius accipe cataſtrophen. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram; & grando, & igne miſta pariter ferebantur.*

Exod. 9.

Verbum Dei quàm efficax ſit.

Ibidem.

Verbo Dei qui obedit benè ſibi cõſulit.

Ibidem.

Homines iniurios verbo Dei ingentia excipiunt mala, ſcilicet tonitrua: quippe Dei vindictam eis nefaria quæque acta iugiter inſonant; multiplici grandine Deus illos quatit, iuxta illud Pſaltis. *Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.* Quodque deterius eſt, ignis & grando pariter miſta, Deo æquo vindice depaſcuntur eos, qui detrectant verbi Dei ſe ſequaces exhibere: nam etſi conterantur crebris iuſtitiæ verberibus, igne tamen luxuriæ flagrant ſemper: eſt enim libido ignis deuorans compages hominum, & medullas; extinguitur ille ignis verbo Dei, aut lecto, vel audito, vt ait Hieronymus. *Ama lectionem ſcripturarum; & carnis vitia non amabis.* Exemplo ſuo S. Cæcilia edocuit, Codicem ſacrum ſcintillantes libidinis obſcœnæ ſopire flammas: etenim pectori ſuo admota Euangelia continuò circumferens, eò puritatis euecta eſt, vt Angelico pudori ad inuidiam mirabilis, Angelum ſuæ caſtitatis conſortem & cuſtodem ſæpe ſæpius videre meruerit. Vide igitur quàm aberrent illi, qui pertæſi ſanctioris eloquij ſimplicitatem, inanis eloquentiæ floſculos inſectantur: hi toti in pampinis & Rhetoricæ foliis virentibus, non inebriantur vino diuinæ ſapientiæ, ſapidæ vtique ſcientiæ: illis ſuccenſet Deus, Prophetâ Ezechiele ſic tonante. *Ecce ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ,* Vbi Hugo Cardinalis. *Nudabunt gladios ſuper illos, qui pulchritudini ſapientiæ ſtudent, non vtilitati, vt illi, qui quærunt verba ad placentiam tantum, & non ad fructum.* Contra huiuſmodi nauſeantes ad diuina, cauet Deus. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Vbi Rabanus Maurus *Nemus inter eloquentia ſæcularis, ædificatio Eccleſiæ in nitore ſæculari conſiſtere non debet.* Et Petrus Cellenſis. *Non eſt nemus Ariſtotelicum iuxta altare plantandum, vt fidei Sacramenta obumbremus quæſtionibus infinitis.* Iunge his S. Damianum. *Nolumus poma ſpiritus, opacis prolixæ locutionis foliis operire.*

Verbi Dei neglectores puniuntur.

Pſalm. 31.

S. Hieron. lib. epiſt.

Surius in vita Sanctæ Cæciliæ.

Verbum Dei adulterantes quinam ſint.

Ezech. 27.

EX SS. PATRIBVS.

In cap. 27. Ezechielis.

Deut. 16.

Petrus Cellenſ. l. de tabernac.

S. Damian. ep. 58. c. 7.

Verbum Dei pigmenta reſpuens, & ornatus extrinſecos, ſufficit ſibi vt animas demulceat Deo placituras, vt videre eſt in eâ cõcione, qua Paulus nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, multas animas adiecit caulis Eccleſiæ. Sic enim fatur Lucas indiuiduus Pauli comes. *Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Vide beatos, qui audiunt verbum Dei, & auditum verbi Dei eſſe indubium beatitudinis argumentum; ſicut ex aduerſo, contemptus eſt reprobationis index, vt inſinuat idem Lucas, qui vbi recenſuit præordinatos ad vitam credidiſſe, adiicit Iudæos homines nebulones inſurrexiſſe in Paulum. *Iudæi autem concitauerunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos ciuitatis, & excitauerunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus ſuis.* Vt manna à ſolis fidelibus legebatur; ita & verbum Dei à ſolis cœlo ſuſcipitur aſcribendis. Eſſe verò verbum Dei manna, Ambroſius eſt aſſertor. *Spiritale manna eſt pluuia ſpiritualis ſapientiæ, quæ inge-*

Act. 13.

Verbum Dei audire nota prædeſtinationis.

Id. 8. ep. 62.

Verbum Dei cum manna com. aratũ.

nioſis,

nioſis,& quærentibus de cœlo infunditur,& irrorat mentes piorum:qui igitur intellexerit infuſionem diuinæ ſapientiæ,delectatur,nec alium cibum quæret. Melle dulcius eſt manna:eſt ſermo, quem ordinauit Deus,hæc ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam ſapientis,& illuminat,atque obdulcat,reſplendens veritatis coruſco,& mulcens tanquam fauo diuerſarum virtutum ſuauitate, & ſermone ſapientiæ : faui enim mellis ſermones ſunt boni,ſicut ſcriptum eſt in prouerbio. Hoc manna in diem colligebatur, in diem alterum non ſeruabatur,eò quod inuenta ſapientiæ ui tempore ſint gratiora,nec tam miranda,quæ ſpatio temporis reperiuntur, quàm illa,quæ præſentis ingenij viuacitate,ſiue quia futura reuelantur myſteria,eo quod ſeruatum manna,vſque ad Solis exortum,eſus iam eſſe non poſſet,id eſt,vſque ad Chriſti aduentum, habere gratiam oriente ſole iuſtitiæ, perfecta illa ſumenda forent. Hactenus Ambroſius, qui explicans illud Dauidis, ignitum eloquium tuum,

Idem ſer.8. in Pſal 118

ſic fatur. *Ignitum eſt verbum Dei, quem miſit, qui*

Verbum Dei eſt ignis.

ſecretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus,qui vaporem fidei & deuotionis adoleret,qui cupiditatem virtutis accenderet, bonus ignis, qui calefacere nouit, neſcit exurere niſi ſola peccata:hoc igne ſuper bonum fundamentum poſito, Apoſtolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum; hoc igne illi lapides pretioſi illuminantur;hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur; vrit enim ſermo diuinus,vt corrigat conſcientiam peccatoris,non exurit vt perdat;hic ignis habitare per fidem Chriſtum in cordibus facit; hic ignis materialium extinguere ſæua flammarum conſueuit incendia. Denique Hebræi hoc igne ſuccenſi,fornacis ardentis vaporem, nec timere, nec ſentire potuerunt.

Verbum Dei quos peccatores conuerterit.

Ex Hiſtoria.

2.Reg.12.

Ionæ 3.

Verbi Dei energiam priſca & recentior clamat hiſtoria. Dauid annum propè egerat homicida & adulter impœnitens facti : aſt vbi audiit Nathan diuino clarum eloquio, procidens ait ſe peccaſſe. Rex Niniuitarum, & ſui ipſius & populi ſalutis immemor, noxiis actibus Dei vltionem vrgebat : accedit Ionas præco ſacer, Dei ſancita annuntiat; Rex ſermone perculſus exuit infulas, induit ſaccum, & cinere reſperſus præiuit populo pœnitenti.

Ioan.7.

Phariſæi ſicarios miſerant iniecturos violentas manus in Chriſtum : properant, facturi ſatis impio officio, vbi tamen audierunt Chriſtum facti ſunt & ipſi eius encomiaſtæ : dicebant enim, nunquam ſic locutus eſt homo. Nec ipſe Dominus tantùm, ſed & Sancti diuino fuerunt illuſtres effato : plerique enim prædicatione ſua, lupis quam plurimis manſuetudinem ouinam inuſſerunt. In his conſpicuus eſt Eleutherius, quem cùm Adrianus Imperator perdere vellet, miſit è ducibus ſuis vnum nomine Felicem, qui ſanguinem ſitiens Chriſtianum, ingreſſus Eccleſiam vbi Eleutherius prædicabat, ſuauitate verbi Dei delinitus animum leoninum depoſuit, vt Catholicum ebiberet; & qui venerat Eleutherium capere, capitur; & verbera infligere, verbis configitur atque compungitur ad abiurationem ritus exotici; ſanguinem lictor cogitat effundere, & lachrymas fudit, & aqua ſalutari reſperſus mutatus in alium, dedit manus Chriſto, dum credidit ſacras Eleutherij manus impiis vinculis inncctere. O omnipotentiam verbi Dei.

Verbo Dei captus Felix volens capere Eleutherium.

Surius in vita ſãcti Eleutherij.

Superiore ſæculo, Germania rem propè parem aſpexit. Etenim Godeſcalcus Epiſcopus Pragæ, coram Henrico Rege Germaniæ ſermonem habens, eum adeò ad pietatem inflexit, vt peculerit ad obliuionem iniuriæ, quam is acceperat à præpotente Dynaſta, qui ab eo defecerat, & agmina congregarat. Et quia contrariorum eadem eſt diſciplina, ſicut illi qui audientes fuêre dicto Dei, Deum habuêre propitium; ita & contemptores verbi, malè à Deo habiti ſunt, & iuſtitiæ multiplices luêre pœnas : vt experta eſt ſuo diſcrimine quædam vrbs Perſica, cuius Epiſcopus nomine Milles, cùm diu incaſſum diſſeminaſſet Euangelium, prædixit vrbi imminentem cladem ob verba Dei ſubſannata. Flocci fecêre monita ciues ſacrilegi, ſed vt abyſſus abyſſum inuocat, iidem peccantes in Saporem Regem ſuum, eum grauiter offenderunt, vnde is irâ æſtuans perdidit ciuitatem ſolo adæquatam, & illic vt agro ſemina commendauit. Eumdem ſortiuntur exitum omnes, qui reſpuunt ſemen Dei, id eſt, verbum ſacrum; omnino perſum eunt, & malo ſemini fiunt obnoxij. id eſt, ſemini vitiorum, quæ ingerit mundus. Et hæc ſanè ratio eſt, cur impij ſordent omnium criminum colluuie, ſcilicet ob ſpretum verbum Dei. Quid etiam aliàs ferè euertit Venetias, niſi incuria verbi Dei, quod ſerebat Iuſtinianus Patriarcha, cui Veneti minime auſcultantes, ſeſe omnes iræ Dei deuouerunt, vt vir ſanctus degens in Corcyra inſula futurorum præſcios antea præmonuit.

Verbo Dei captus Henricus Rex Germaniæ.

Ditmarus in Hiſtoria anni 1015.

Verbi Dei contemptores qui & quomodo puniti.

Sozomenl. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 14

Bernard. Iuſtiniaus in vita Sãcti Laurentij Iuſtiniani.

Corpus humanum politicum eo modo afficitur ac phyſicum, quod vt medici aduertunt, dum incurrit in grauem aurium morbum, non longè abeſt à perdito. Audiendus Hippocrates in hoc argumento, *οἷσιν ἅμα πυρετῷ κωμώδεες οἰδήματα ὑπώδεα, πνιγμοειδέα εἰς πλευρὸν ὀδύνη ἐπελθοῦσα παραπληκτικῶς κτείνει. Quibus vnà cum febre ardente ſoporiferi tumores, ac veterno ſi accidunt, dolor ſi latus occupet, necat modo apoplectico.* Hæc ille ſummus rei medicæ dictator, qui ait ſe vidiſſe homines hoc aurium tumore lethargo, defeciſſe tacitos & elingues, *ἀφώνους*. Et hoc reuerà quadrat iſti meo intento de verbo Dei, quod quis cùm ſpernit, ille reuerà tumorem aurium prodit, ſcilicet ſuperbiam & animæ typhum inuſtum auribus, qui adeò lethalis eſt, vt plerumque tales verbi Dei incurij moriantur *ἄφωνοι*, id eſt, taciti, & abſque confeſſione. Scioque plerosque ita defunctos elingues, iuxta illud Auguſtini. *Iuſto Dei iudicio, qui viuendo oblitus eſt Dei; moriendo obliuiſcitur ſui.*

Ex re Medica.

Hippocrates coaca 64. l. 1. Lib 3. Epidemion ait mori tacites.

Verbum Dei eſt reducendum ad praxim.

Ne quid autem peccetur in ea auditione verbi, adiecit Chriſtus has voces. *Et qui cuſtodiunt illud.* Inſinuans, parum eſſe audire verbum Dei, ſi non & opere exerceatur; ad quod alludens Paulus ait. *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.* Quaſi diceret, eos, qui ſcire ſuum capite tenus iactant, inermes præferentes manus, minime cognoſcere quomodo verbum Dei mentibus inſeratur. Hunc locum Bernardus ſic expendit. *Vides quod non multa ſcientes probat, ſi modum ſciendi neſcierunt. Vides quomodo fructum, & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Quid ergo dicit modum ſciendi, niſi vt ſcias? Quo ordine, quo ſtudio,*

Luc.11.

1.Cor.8.

Ex SS. Patribvs.

S.Bernard. ſerm.36. in Cantica.

Scientiæ quis finis eſſe debet.

die, que fine vnumquodque ſcire oporteat? Quo ordine? vt illud prius, quod maturius monet ad ſalutem. Quo ſtudio? vt illud ardentius quod vehementius ad amorem. Que fine? vt non ad inanem gloriam, & oſtentationem, ſed ad tuam, & aliorum ſalutem. Gregorius vero ſic. *Vera ſcientia afficit, non extollit, nec ſuperbientes quos impleuerit, ſed lamentantes facit, quâ quiſque cùm repletus fuerit, priori loco ſe ſcire appetit, & iam ſui conſcius tantò per illam robuſtius ſapit, quantò ſe infirmum in illa verius recognoſcit.* Et his æuo ſuperior Lactantius hæc ait: *Quis ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ?* Et alibi. *Scientia eſt Deum noſcere, virtus colere, in illo ſapientia, in hoc iuſtitia continetur.*

S. Gregorius lib. 13. Moralium.

Scientiæ bonæ effectus ſalutares.

Lactantius l. 3. inſtitut. & l. 6. c. 5.

EX RE MEDICA.

Denique ſcitum eſt omnium ſanctorum verbum Dei minimè proficere ſi non alto animo recondatur, ſicut nec alimentum vertitur in ſubſtantiam aliti facultate inſita retentrice. Nam altricis facultatis ex Fernelio auxiliariæ, & miniſtræ ſunt hæ. *Attrahens, expellens, continens, concoquens, quarum neceſſitate corpus alitur, & ſuſtinetur: nulla enim eſt, ne minima quidem corporis particula, quam non alimenti benignitas attingat.* Ita & animæ totidem ſunt virtutes, vt poſſit verbo Dei optimè ſaginari. Prima eſt attrahens, id eſt deſiderium verbi Dei, & attentio; attentionem excipit contritio, & tædium vitæ nefariæ; cuius dum acta peſſima reſcinduntur, anima facultatem ſuam prodit expultricem. Rurſus verbum Dei meditatum oſtendit vim animæ continentem: demum anima ſe accingens ad praxim vices obit concoctionis. Benè igitur ait Chriſtus. *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Fauet Ius Ciuile, cuius iſta eſt lex. *Scire leges, non eſt earum verba tenere, ſed vim ac poteſtatem.* Dum ergo auditores verbi ſacri audiunt ſancita legis ſacræ, non ideò cultiores fiunt, niſi teneant vim & poteſtatem verborum: tenere autem eſt aliquid manibus apprehendere, & hæc apprehenſio praxim ſonat. Rurſus intentum legiſlatoris eſt anima legis, quam qui non aſſequitur, ille eſt exlex; at intentum Chriſti legum conditoris diuinarum eſt, vt verbum Dei opere compleatur.

Fernelius l. 5. phyſiolog. c. 4.

Verbum Dei quomodo impinguet animas.

EX IVRE CIVILI.

Leg. Scire leges ff. de legibus.

EX FIGVRIS.

Ioſue 2.

Verbi Dei qualis ſit genius diſce ex figura Ioſue. *Miſit Ioſue duos viros exploratores in abſcondito, & dixit eis: Ite, & cõſiderate terram, vrbemque Iericho; qui pergentes ingreſſi ſunt domum.* Vbi auribus inſonuit verbum ſacrum, Deus loquitur in abſcondito, & quibuſque hominibus ait: Ite, & conſiderate terram, id eſt, meditamini cœlorum perpetuum incolatum; illic eſt terra vobis promiſſa à conſtitutione mundi. Hoc ingerit Bernardus. *Erubeſce volutari in cœno, ô anima, que de cœlo es.* Et Hieronymus homini refugæ à religionis inſtituto imprôperans obiicit. *Donatiuum quod militaturus acceperas, beſtilia caſtra ſuſpirant.* Quaſi diceret; ô Heliodore, quò euanuere crebræ Dei voces ingeminantes; ito, perge, & conſidera terram; ito de virtute in virtutẽ; perge, & exulta vt gigas ad currendam viam tuam; conſidera quanta ſint cœlorum gaudia, quorum ſi dæmones hoſtes noſtri poſſent fieri compotes, quos niſus non experirentur, vt eo tandem aduolarent?

Epiſt. 1. ad Heliodorum.

Verbum Dei quos ſortiatur effectus in anima.

Ait Codex ſacer, exploratores audito verbo Ieſu filij Naue, perrexiſſe & ingreſſos fuiſſe domum. Si quæris qui dignandi ſunt ingreſſu domus illius, quam decet ſanctitudo in longitudinem dierum? Reſpondeo, eos ſolos, qui verbi Dei ſunt impigri ſectatores, & qui pergunt neſcientes inertiam. Quid autem fecerint in illa domo hi exploratores, audi ex contextu. *Nuntiatum eſt Regi Iericho, & dictum, egreſſi viri, ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſraël, vt explorarent terram, miſitque Rex Iericho ad Rahab: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam; exploratores quippe ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt.* Rahab illa dicta meretrix, & iam timens Dominum Deum Iſraël, typus eſt Eccleſiæ, quæ olim Gentilis, iam Deo deſponſata & renata fonte baptiſmatis; eſt reuera domus Dei, ad quam vbi ſe recipiunt homines verbo Dei attenti, ecce dæmon poſticò nectit inſidias, & mittit aſſeclas ſuos nebulones, qui hos cœlorum inquiſitores auertat. Sed hoc fruſtra: nam de Rahab perhibetur. *Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſua, operuitque eos.* Vbi quis vrgente Dei verbo adit Eccleſiam, id eſt conſulit confeſſariũ; irrita fiunt omnia conamina Angeli nequã: nam illico ſuadetur aſcenſus animæ pœnitenti, & in ea virtutum praxi effugit dæmonum technas.

Ioſue 2.

Rurſus nota, in ea recenſione dici exploratores viros, & non ſimpliciter homines; quia verbum Dei opere complere, pertinet ad animas fortes, quæ viri nomenclatura gaudent. Nam Latinis, Græcis, & Hebræis homo cùm ſtrenuus eſt, & animo extra vernaculum; ſibi peculiare nomen vendicat. Dicitur vir, à virore ſeu, à virtute: vt enim virentia magis vegetant, quàm marcida quibus omnia defluunt: ita & qui actioni inſiſtunt dicuntur viri & heroës. Alij verò leuioris armaturæ homines, genuinè dicuntur homines: quippe ab humo homo nominatur; & antiquis dicebantur terræ filij, homines inglorij. Græcis homo fortis dicitur Ἀνὴρ ab ἀνδρία, id eſt à fortitudine. Hebræis homo dicitur אדם *Adam à terra*, vel אנש *Enoſch* à radice, אנש *anaſch, infirmari*: fitque, vt homo, & infirmus eodem vocabulo cenſeantur. Aſt vbi incidit ſermo de homine impigro, tunc dicit ur גבר *guener*, à radice גבר, id eſt *roboratus eſt*; atque ita nomen eius fortitudinem ſonat. Collige hinc, eos tantùm eſſe viros, & ſtrenuos, qui audito verbo Dei, pergunt, & opere exhibito fidele obſequium verbo Dei validè profitentur. Nec aliundè ſcriptura ſacra venatur encomia verbi ſacri, quàm à ſequela eius, id eſt à praxi, teſte Ieremia. *Ad vocem loquela grandis exarſit ignis in ea.* Id eſt, vbi anima verbo Dei imbuta eſt, illico exarſit; vt fideles illi qui enaſcente Eccleſia, vbi audierunt Apoſtolum prædicantem, Spiritu Sancto illabente in eos protinus exarſerunt. Quibus adiice diſcipulos euntes in Emaüs, qui audito Chriſto recenſente paſſionis ſuæ abdita myſteria, ad vocem loquelæ illius grandis æſtuarunt; vnde & erepto oculis Chriſto, dicebant ad inuicem: *Nonne cor noſtrum erat ardens in via dum loqueretur nobis?* Iure Canonico ſola praxis intenditur, & non ſimplex auditio verbi Dei, vt habet iſte Canon. *Virtutes extrinſecus debet demonſtrare, quas intrinſecus debet retinere.* Quaſi diceret, quid iactas ſcientiam animæ tuæ inſitam, ſi ea ſe non prodit beneficio virtutis? Quid conciones ventilas te memoria retinere, ſi labuntur è manibus? Hoc habe à Chriſto. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Virtutis ſtudioſi ſunt ſtrenui.

Verbum Dei amorem parit.

Ieremia 18.

Luc. vltimo.

EX IVRE CANONIC.

Canone Clericus, diſt. 41.

Hoc dogmate Chriſtiano cautior factus Hugo

Ex Hiſtoria. Scipio Dupleix in Hugone Capeto. Ex Symbolis. Typotius l. Symbol. Simoniæ damna.

ille Capetus, qui lilia gallica non ſuis inſeuit hortis, ſed parmæ Gentilitiæ ſuæ adiecit, cum corona. Audiit ille ab Epiſcopis æui illius clariſſimis Deum ſceptrum ademiſſe ab nepotibus Caroli Magni; quia beneficia Eccleſiaſtica ſuæ ditioni adiecerant. Timuit Rex, & cognatis aduocatis, ait: Fiamus cautiores periculo ſuperiorum Regum; audiuimus eos regno cecidiſſe ob res ſacras profano vſui mancipatas; abdicemus itaque quicquid ſacrum eſt, & reddamus Eccleſiæ, vt ſit nobis perenne regnum. Hoc dicto ille primus Abbatias inſignes exuit, & fecit iuris Eccleſiæ, cuſo poſteà numiſmate, vbi homo cataphractus erat, hac voce. LABOR VIRIS CONVENIT. O egregium Symbolum! Vis eſſe vir, ô auditor verbi; labora, inquit Paulus, opus fac Euangeliſtæ. Si non laboraſſet Hugo Capetus, cecidiſſet Regno Gallico; ſi inquam non cuſtodiſſet verbum Dei, morem gerendo eis, qui conſulebant abdicationem ſacrarum opum. Ita Regno cœli cades, labens ad inferos, ſi non laboras audito verbo Dei: nam AVT LABI, AVT LABOR.

HOMILIA
DE
PRÆSENTATIONE
B. V. MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVIA Homo, ab vltimo ſuo fine, ſcilicet Deo, aberrauit; hodie proponitur ei B. V. Maria licet, infantula, ad cuius normam & amuſſim homo ad Deum dirigatur, & infanti Mariæ ritu agat, quod hæc expleuit in die PRÆSENTATIONIS.

II. Mariæ nomen idem ſonat, ac illuminata, & Domina: offerre Deo Mariam, eſt dicare illi primas noſtras intentiones: ſunt enim illę, prima lumina, quæ noſtris affulgent actibus: rurſus dominium eſt offerendum Deo, id eſt gloria emergens ex præclaro quoque facinore.

III. Poſt Præſentationem Mariæ, illa remanſit in templo; ita & nos Deo ſacri multis gratiarum dotibus ditabimur in triplici templo, videlicet in mundo hoc, qui eſt templum eſſentiæ Dei. Secundò, anima noſtra, templum gratiæ multis ornabitur aulæis atque Chariſmatum tapetibus. Tertiò in templo gloriæ exanimes præmio donabimur tali, quale noſtra Deo dedicatio vendicabit.

IV. Finio dicens, Mariam hodie in templo præſentatam, gaudere templis: vnde ſi cultum ambimus Deiparæ, debere nos in modum templi conſecrare: nec peccata præterita debere nos auertere, dummodo abiurentur. Nam Præſul Summus Bonifacius IV. Pantheon idolorum omnium cultu infame, purgauit, & demum B. V. Deiparæ dedicauit.

Hinc vides, totum intentum, & inuentum homiliæ iſtius eſſe in relatione rerum; quas Deus exigit à nobis, cum rebus, quas ſignificat nomen Mariæ: & in præmium huius dedicationis, nos etiam inſtar Mariæ, remanſuros in templo, idque cum multo fœnore gratiarum.

PRÆFATIO.

Primitias tuas non tardabis reddere.
Exodi 22.

Pſalm. 77. Exod. 16. Eccleſ. 43.

GENS Hebræa vſque ad delicias Deo chara, vtpote paſta pane cuius Angeli opifices. Panem Angelorum manducauit homo. *Gens hæc inquam, ne panis huius immemor eſſet opimi, vas manna plenum auróque inſigne Deo obtulit, & abdidit arca, quo reponenda foret templo à ſuis aliquando poſteris erigendo. Non eſt quando inficiemur, placuiſſe Deo tale populi μνημόσυνον, id eſt animi memoris argumentum. Sed ſi tanti vitrum quanti Margaritum: quam gratius Deóque magis conſonum, vas illud hodiernum Manna plenum; vas, inquam, præſcitum Salomoni, & præſenti?* Vas admirabile opus excelſi. *Acceptabile reuerâ Deo fuit amplius vas hodie præſentatum. Cùm vas admirabile loquor Mariam dico: Manna plenam: Man enim ſonat idē quod gratia; vberem autem in Maria gratiā, nemo facit dubium controuerſum. Deus hominem miſeratus, voluit tandē naturam eius induere; ſed antea ipſe purus, omne impurum exoſus, ſingulari gratiæ profluuio ſuos parentes, auos,*

Mariæ vas manna plenum.

auos,& atauos alluit ; & in his Ioachim, & Anna ingens gratiæ pondus impertiuit. Diceres largos Mannæ imbres inundaſſe ædes ſacras, vnde Virgo Deipara toti mundo illuxit. Beati parentes eius non ingrati hodie aduehunt in templum vas admirabile gratiâ affluente ſuperplenum, & veluti prælndia gratiæ affutura in Chriſto, cuius Chariſmata prorſus diuina, farique neſcia, fuerunt in hodierna virgine prælibata. Cum ergo hodie vas iſtud, gratia regurgitans inferatur in templum, accurramus & nos, adſtantes illi myſterio : ad minimum enim motum vaſis iſtius, effundentur latices copioſi gratiæ, quæ ideo effluet, quia ſemper affluit: ipſomet Angelo aſſertore, qui nuncupauit eam gratia plenam, dicens. Ave Maria.

Ariſtot. l. 2. phyſic. textu 74.

Ex Philosophia.

ARiſtoteles Philoſophiæ Genius, omni æuo ſuſpiciendus ait. *Finem eſſe optimum vniuſcuiuſque rei.* Cui Philoſophi omnes, principis huius aſſeclæ ſubſcribentes, aiunt bifariam vſurpari vocem iſtam, finis. Primò pro re, quæ propter ſe primariò appetitur, & dicitur illa res finis vltimus. Secundò ſumitur pro re, quæ appetitur in ordine ad aliud, vt equus ad carpendam viam; & ſic non tam finis quàm medium res illa nuncupatur. Ex mente igitur Ariſtotelis, nihil alicui optimum eſſe poteſt, ſi non induit rationem vltimi finis; atque adeò perperam appetitur anxiè omne id, quo adepto, appetitus nauſeare poteſt. Ideóque pigrè cientur agentia, ad alios fines medios, qui collimant ad vlteriorem finem : ad vltimum finem habentem rationem optimi, vltro ſingula quæque percelluntur, nullaſque edit actiones cauſa quæuis, niſi excitata fine aliquo, vt præmonuit ipſe Philoſophus. *Omne agens agit propter finem.* Mouentur enim cauſæ aut ab agente ſuperiori, vt ſunt agentia omnia naturalia neſcia intellectus, vt ignis; & hæc à Deo percita ſunt: opus enim naturæ, opus intelligentiæ: & hæc minimè deuiant à ſcopo, ad quem dirigit illa Deus: alia verò agunt ex motu phantaſiæ, vt bruta, quibus & fines congrui ſunt eorum naturæ præſtituti. Denique alia ſunt agentia ex ratione : & hæc ſola ſunt ſui iuris, præſtituentia ſibi finem, quem magis arridere ſibi mens ſuggerit. Claſſis huius ſunt, cùm Angeli, tum homines, in eo ſui compotes, vt nulli fini vinciantur neceſſariò & coactè : plures enim & varios fines affingunt ſibi, ex indole inſita ſibi; etſi tamen ad vltimum, eumque optimum finem, ratione dictante, vrgeantur.

Finis optimũ eſt cuiuſque rei.

Ariſtot. l. 2. phyſ. textu 8.

Hinc fit vt bonitatis ſeu malitiæ rationem induant actus humani, à fine bono ſiue malo, ad quem tendunt: nam ex Philoſophorum apice. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.* Et è conuerſo. *Cuius finis malus eſt, ipſum quoque malum.* Nam bonum phyſicum, & morale hoc habent indiuiſum, vt ſequantur naturam entis ſui. Verbi-gratiâ, à quo lapis habet vt ſit ens morale, ab eo habet vt ſit bonum morale : à fine autem habet quælibet res vt ſit bona moraliter; ſicut à cauſa efficiente, vt ſit phyſicè bona : ergo finis, ſiue bonus, ſiue malus, affinget actioni ſuam ſibi conſonam entitatem. Et ab hac Ariſtotelis diſciplina non deflectit Theologiæ vertex S. Thomas.

Ariſtot. l. 3. topicor. c. 2.

Finis bonitatem ſuam affingit actionibus.

Ex Theologia.

S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 4.

Cum igitur Deus hominis ſortem iniquam miſeratus, videret eum aberrare ab optimo fine ſuo, atque inde noxios actus emergere : edidit ille rerum omnium reſtitutor, ideam, & exemplar, cui homines conformati, non erunt deuij in poſterum. Ex Doctiſſimo Idiota. *Maria eſt omnium Idea & exemplar.* Ad Mariam ergo attendite, omnes à Deo fine optimo inuij deflectentes. Maria infans propè non ablactata, primos ſuæ loquelæ ſonos edidit vt concentus Deo ſacros, ſe totam illi addicens; vixque labante greſſu, tuta figere veſtigia compos, parentes vrget aduehere in templum, vt eſſet Pontificis ſanctione ratum illud propoſitum tenax, quo ſe Deo deuouebat. Annuit Anna, & conſcio coniuge ſuo Ioachim, offertur Deo pretioſa illa Margarita, inferenda templo, cui immorans tenella Virgo Deum vnicum ſuorum omnium actuum finem ſibi ita propoſuit, ſicque iugiter adhæſit illi ſcopo, vt nec vnquam ab eo impoſito ſibi fine infans Virgo & tenellula deuiarit vel tantillùm.

Maria eſt idea & exemplar omniũ.

Idiota lib. Medit.

Sed accipe Myſterium, & perutile dogma Chriſtianum, in quo ſitum eſt Inuentum homiliæ iſtius quam deſcribo. Anna Mariam hodie Deo præſentatam, templo addicit, vbi diu inhabitat futura parens Chriſti. Anna gratiam ſignificat. Gratia Mariam Deo ſacrat, Maria duo ſonat, primum eſt illuminata, ſecundum Domina : nam, Maria, Hebræum nomen, lucem, & dominium ſignificat. Grata Deo anima omnem ſuam lucem, id eſt primos cogitatus, & intentiones in quauis actione, deuouet Deo, item & dominium, id eſt gloriam tantùm Domini Dei quærit ex omni ſuo præclaro facinore, omniaque faciens ad maiorem Dei gloriam, ſciens pro præmio ſe inhabitaturam templum gloriæ in æternum. Dicam primò, omnes intentiones noſtris præeuntes actibus eſſe ad Deum dirigendas, ſicut & earum decus atque dominium Deo conſecrandum. Secundò dicam, ob hæc Deo penſa, brauium gloriæ nos manere. Deus vt futuri non inſcius, volens vati ſuo Ieremiæ aliqualem ingere notitiam eius gratiæ, quâ ſanxerat hominem reparare ſuóque primo reddere nitori, Vatem hunc inducit in domum figuli. *Surge*, inquit, *& deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea; & deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis, conuerſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius vt faceret. Et factum eſt verbum Domini ad me dicens : Numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere domus Iſraël, ait Dominus? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.* Verè homo vas ex luto compactum eſt, vt & ſonat nomen Homo ab humo, & vox Hebræa Adam ſignificans terram rufam. Hoc vas, ſpiritu nefario afflante, concuſſum decidit, hocque caſu deformatum eſt; ſed eadem figuli prima manus, ſuæ peritiæ non immemor, aliud vas effinxit, eo decore ita inſigne, vt Adamum multo amplius antecellat. Hoc vas eſt Maria, quæ quia mirabilis, dicitur, ideò. *Opus excelſi, vas admirabile.* Et quia ſibi Deus vas tale cõpegerat, in vernaculos vſus noluit illud relinquere; ſed vas hoc neſciens contagiũ addixit ſibi ſoli, qui id ab Adami labe prorſus abſterſerat, vt ait Cyprianus. *Vas electionis plurimum à cæteris differens, naturam communicabat non culpam.* Ne autẽ vas hoc cuiuis obuium incurreret quid profanũ, ad ſui templi decus totum hodie mancipauit.

Intentio eſt Deo ſemper conſecranda.

Ierem. 18.

Homo eſt vas ex luto.

Maria vas electionis.

Itaque Deum laudant aſtra matutina, cùm gra-

Iob.38.
Exod.15.

tiæ omnes in Mariam coëuntes, faciunt chorum, cui præfecta Maria hæc præſtantior illa Maria ſorore Moſis, gratias illas omnes aptat ad Dei gloriam, cui iugi pietate obſecutura, primitias ſui obſequij, oblatione ſua Deo exhibita, conſecrauit.

Cùm ergo Deus ſibi Mariam vendicauit, animam lumine atque dominio claram, oſtendit eſſe iuris & partium Dei, qui luminis eſt fons, & in Maria ſpecimen quod ſequamur, imitandum propoſuit: vt duo illa quæ ſingulas actiones noſtras comitantur, ſciamus eſſe diuini iuris; ſcilicet intentionem, quæ actibus præit; & gloriam, quam egregiis quibuſque rebus editis aucupamur. Id verò Deus non exigit, quaſi indigus bonorum noſtrorum, ſed vt meliores nobis ipſis efficiat nos, iuxta Ariſtotelis theorema? *Illud eſt melius, quod eſt optimo propinquius.* Quò enim maior erit noſtra ad Mariam acceſſio, in directione noſtrorum omnium actuum, eò etiam virtutis erit omnigenæ amplius incrementum. Deum Maria Deo ſacra vnicum ſibi ſcopum propoſuit; ab eo enim ſi quidpiam deuiat, illud omni ſe deorſum inflectit: à Maria ergo licet infantula addiſcamus inhiare Deo ſoli, iuxta conſilium Apoſtoli. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti.* Nimirum à fine bono, egregia quæque facinora ſuam ſpeciem emendicant. Quod quia dæmonem minimè latet; ille callidus inſidiator ſemper adſtat molientibus aliquid operoſum, vt aliquo contagio finem alluat, vt verbi gratiâ, placere oculis hominum, aut aliquid priuati commodi venari ex tali actione, qui fines vt aberrant ab vltimo fine nempe, Deo, omnes eo fine actiones editas floccifaciunt, vtpote quas fœdâ illuuie aſperſas Deus aſpernatur.

Melius aliquid quomodo fiat.
Ariſtot. 2. de cœlo. text. 66.
Intentio bona opus perficit.
Coloſſ. 3.
Intentioni diabolus inſidiatur.

Præmonuit nos & ipſemet Deus, & aſtum dæmonis aperuit, cùm dæmonem increpans humani lapſus impulſorem, ait ei. *Inſidiaberis calcaneo eius.* Id eſt, actionum omnium calcaneo ſeu fini laqueos aſtutè tendes, vt omnia hominum præclarè geſta nutent, fine inſtabili, id eſt, calcaneo titubante. Cautè ergo, ô homo, manus explica, quoduis aggreſſurus opus; tenellum adhuc actum Deo præſenta, vt Mariæ tenellæ conſortem & ſocium. Puella hæc vocatur illuminata; ita & intentio tua Deo plena, illuceat operi tuo. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*, inquit Chriſtus. Dicitur oculus ſimplex qui nullo obice inſito tenebraſcit: ſi nulla intentione praua aut à Deo aliena caligas, ô anima, totum corpus, id eſt opus tuum totum gratia rutilum erit, nimirum virtutes animæ lumina ſunt, ſi prognatæ ſunt intentione Deo ſacrà, & ab omni reſpectus humani conſortio defæcatâ.

Gen. 3.
Matth. 6.
Intentionis ſcopus qualis eſſe debeat.

Eò reſpexit olim Cardinalis Farneſius, fortè qui & Papa Paulus III. cuius erat hoc Symbolum. Sagittam ad ſignum album directam præferebat, hoc titulo. βαλλ' οὕτως. Hoc latino hemiſtichio reddi poteſt. SIC MITTE SAGITTAM. Quaſi diceret bonorum ſe omnium attigiſſe verticem, albicante fine ſemper ſibi præſtituto. Sic ergo, ô anima, mitte Sagittam, id eſt collima ad ſcopum innoxium, nimirum Deum, cui ſi ſubſtituis alium ſcopum, finis hic albedine depoſitâ, ubi ſuam aſſinget nigredinem. Deo; qui tibi intimus eſt, ſatagito placere duntaxat, nec extra te deuius, auram popularem aucupans noxiè diuagator.

EX SYMBOLIS.
Typotius l. 1. Symbolorum.

Senecam haud præteriit iſtud dogma; quod tamen eſt ſupra Stoicam viri diſciplinam. Sic fatur ſolito faſtu ſuo animal tumidum vanæ gloriæ, inquit, Hieronymus. Sic, inquam, Seneca ſcribit longè tamen ab hac praxi. *Propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt, ſacer intra nos ſpiritus, ſed & malorum bonorumque noſtrorum obſeruator, & cuſtos: hic prout a nobis tractatus eſt; ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt.* Quaſi diceret, ſi Deum abdicas, alio fine ductus; & tu à Deo pariter expungeris. Hinc liquet Dei intimam præſentiam, facere Deum propitium, ex mente viri Stoicè probi, Deóque altè mentibus inſito, cultiores fieri homines. Quidni ergo Mariæ æmuli ſi non in templo præſentati, ſaltem ipſimet Domino cordibus noſtris abdito, adſtemus ſemper, quippe frequenti eius intuitu vegetamur.

EX SS. PATRIBVS.
S. Hieron. l. epiſt.
Senec. ep. 41.
Præſentia Dei nobis ſit intima.

Non aliunde Abraham hauſit virtutum illud inſigne decus quo aliis quondam eminuit, vt ait Moſes, Deum ſic Abraham compellantem inducens. *Ambula coram me & eſto perfectus.* Qui verborum textus inſinuat, Deum hominum mentibus obiectum, illos perficere; Dei verò oblitos deficere. Deo igitur adſta cum Maria, & Abraham, ſi vitæ cultioris auidus, eorum ideam ſedulus æmularis. Ad Abrahæ ſpeciem ſe totum compoſuit alter Patriarcha nomine Tobias: hic enim Deo ſemper obuerſaus, idolorum ſe eripuit contagio, quo ſe contribules eius penè omnes obſtrinxerunt immemores Dei ſui; ſic enim habet codex ſanctus. *Cum omnes ederent ex cibis gentilium; ipſe cuſtodiuit animam ſuam, & numquam contaminatus eſt in eſcis eorum, quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo.* Vnde optimè Seneca. *Maxima pars peccatorum tollitur ſi teſtis aſſiſtat.* Nequiuit enim Tobias, memor Dei, id eſt Deo teſte deturpari.

Gen. 17.
Præſentiæ Dei effectus in Tobia.
Tobiæ 1.
Senec. lib. ep.

Comparatur autem hæc Dei præſentia, abſentiâ ſui, ex Ambroſio. *Adeſt mihi*, inquit Deus, *qui abfuerit ſibi. Ille mecum eſt, qui intra ſe non eſt; quoniam qui in carne eſt, non eſt in ſpiritu. Ille mihi integer eſt, qui propter me perdiderit animam ſuam.* Ægrè enim coëunt illa diſparia, homo ſcilicet ſe anxiè amans, & Deus præter omnia homini diligendus. Eſt aduerſo flumine niti, Deo inſcio aliquid aggredi: nam eum ſtipitem referimus de quo Plinius. Is nomine Lotos in Nilo frequens floret in aquis; ſed abdito Sole plicatur & floſculus, infraque fluuium ſe demittit, nec emergit flos niſi reduce. Sole, quo quaſi extincto poſt occaſum, floſculus ille languere videtur, & exanimis expiraſſe. Cæſar Capaccius inde Symbolum nobis idoneum pinxit, ſcilicet florem illum ſeſe explicantem ad Solem, hac voce. TE SINE QVID MOLIAR? Hic verò floſculus graphicè refert vnumquemque noſtrum. Reuerà Dei immemores, gentilium ritus obiuimus omnes, pluribus vitiis obnoxij & Dei immemores. Non eſt exurgendi locus ſi non affulgeat Solis noſtri ſplendor ille viuax, qui nos efficiat ſuo lumine rediuiuos.

Præſens quibus ſit Deus.
S. Ambr. l. de Iſaac c. 5.
Plin. lib. 22. hiſtor. c. 21.
EX SYMBOLIS.
Cæſar Capaccius libro Ital. Symbol. cui titulus eſt Impreſſo.

O homo extincte, & aquis immerſe vitiorum profluuio, gemebundus cum regio Vate, affare Deum ſic tibi fortè propitium. *Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* Si quid pietate meremur, aſpice nos, hoc tantùm. *Aruit tanquam teſta virtus mea.* TE SINE QVID MOLIAR? Affulge ergo mihi, ô Sol præfulgide, ſicque animum emortuum luce viuificâ recreabis. Si tamen, ô anima effœta

Pſal. 68.
Pſal. 21.

effœta, oblita Dei, & immemor tui, cùm Deum à te expunxiſti; ſi inquam, non vis delictorum aquis abſorberi lethalibus, ſit tibi hodierna feſtiuitas frequens; ſingulæ quæque dies ſint tibi Præſentationis ſiue præſentiæ Dei animo tuo obuerſantis pia monimenta. Si tibi Deus præſens ſemper aſtulget, & ei attendas illibatâ intentione; præſtitiſti te Mariam, id eſt animam illuminatam.

Ex SS. Patribus. Mariæ imitatio.

S. Hieron. ſerm. de Aſſumpt.

Animam ſic Deo aſſulgente præfulgidam, ſingulis quibuſqoe diebus Deo offerens, Mariam genuinè refers, & Præſentationis eius myſterium piè recolens, tuo commodo eóque maximo quotidie reuocabis. Ea nimirum vult pietate coli infans Deipara; eâ ſcilicet, quâ & ipſa Deum coluit; caſſa enim eſt deuotio neſcia praxis, vt benè clamat S. Hieronymus. *Dilectiſſimi, amate Mariam quam colitis, colite quam amatis; tunc verè colitis, & amatis, ſi imitari velitis quod amatis.*

Tertull.

Hæc pia praxis & ſequela Mariæ, virtutum ſi quæ nobis aſſulgeant, omne dominium & gloriam penes Deum ponent, iugi oblatione eorum omnium quæ Deo dicente nos egimus: nam ex Tertulliano: *Nihil eſt noſtrum, ſed Dei ſunt omnia, cuius nos quoque ſumus.* Nec eſt quòd glorieris homo, quaſi tuum ſit aliquod editum facinus egregium. Audi Auguſtinum ſuperbiæ typhum egregiè deprimentem. *Quid tam non tuum quam tu ſi alicuius es quod es?* Ingeminant crebrò codices ſacri, Deo ſoli gloriam & honorem, vt Regi ſæculorum immortali referendam.

S. Aug. tractat. 29. in Ioan. 1. Tim. 1.

Proſtat in Leuitico, ſanctio quædam faciens diuini iuris gloriam, quæ reſultat ex edito quouis actu, etiamque ſacro Audi ritum hunc typicum. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* Id eſt, pinguedo gloriam connotans ſemper erit Deo ſacra; vt & Myſterio hodierno liquet, quo Maria, id eſt Domina, dominium ſignificans Domino conſecratur. Sed quia oderunt peccare mali formidine pœnæ; Deus typicè olim indicauit, quod ſe piaculo dignos efficiant cupidi gloriæ, quæ Thymiamate notatur in Exodo: erat quippe compoſitio ex multo aromate compacta, quam adolebant in templo tantùm. De ea autem ſic lege cautum, *Sanctum Sanctorum erit vobis Thymiama, talem compoſitionem non facietis in veſtros vſus, quia ſanctum eſt Domino. Homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Hoc textu fumus ille ſacer honorem adumbrat, quem Deus ſibi vendicat ſoli, nemine in partem gloriæ ſuæ conuocato.

Leuit. 3.

Gloria boni operis ad Deum ſolum pertinet.

Exod. 30.

Ex Historia. Ex vita Al. Seuer. Imperat.

Pœnæ indictæ fuit obnoxius Thurina quidam aulicus, qui honores vt fecit venales, rei familiaris augendæ gratiâ, incurrit in odium Alexandri Seueri Imperatoris, qui animaduertit in eum, ſupplicio crimini conſono. Scilicet hunc gloriæ nundinatorem ex patibulo pendulum fumo extinxit, præcone has ingerente cauſas mortis intentatæ: Fumo perit qui fumos vendidit. Ita & Thymiamatis ſeu gloriæ Dei tumidus vſurpator peſſum ibit, & hoc vitiorum omnium eſt primum, in quod Deus animaduertit.

S. Ambroſ. in Pſal. 118.

Ita ediſſerit Ambroſius. *Quid hoc peccato deterius, quod à Dei corpus iniuria? Deus ſuperbis reſiſtit tanquam ſua iniuria propulſator.* Hac lethali lue, id eſt gloriæ appetitu dæmon vitiat egregia quæque facinora, vt inſinuat Vates ſanctus Habacuc. *Ipſe de Regibus triumphabit. eſca electa cibus eius.* Quippe vana hæc gloria, in hominis vani perniciem, paſta virtutibus intumeſcit. Vide Phariſæum ſaginantem eſcâ electâ gloriæ noxium appetitum. *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Quid inde in vſus proprios retulit homo vaniloquus? docet Auguſtinus. *Magis placuit humilitas in malè factis, quàm ſuperbia in benè factis.* Nempe publicani noxæ humilitate expunctæ ſunt, & Phariſæi virtutes omnes typho inſoleſcente perierunt. Et hoc gemit Ambroſius. *Parcus alieni, liberalis ſui, non refugus ieiunij; nil tamen ei tot genera virtutum vno vitio decolorata profuerunt.*

Habac. c. 1.

Gloria vana perdit bona opera.

Gloria vana Phariſæo nocuit. Luc. 18.

S. Auguſt. de Phariſæo & Publicano.

S. Amb. in Luc. c. 18.

Collige ex prælibatis qualis ſit hoc momenti, Mariam adhuc tenellam Deo præſentari, id eſt quantùm expediat cuiuſlibet actionis eximiæ, in ipſo eius exordio, gloriam totam adſcribere Deo, cuius eſt dominium & gloria rerum omnium, quæ ſibi gloriolam quamdam putant poſſe licitè vendicare. Huius virtutis conſcia Deipara, cum ſuæ dignitatis titulos eminentes recenſeri audiuiſſet ab Elizabeth cognata ſua, virgo neſcia ſuperbiæ, erupit in laudes debitas Deo largitori gratiarum, quarum texebat ſeriem Elizabeth encomiaſtes eius. Virgo enim Deum duntaxat attendens ait, *Magnificat anima mea Dominum.* Eminentiæ ſuæ decus refundens in eum qui bonorum eius fuerat impertitor.

Luc. 1.

Apollini citè laurus dicata.

Ex Historia.

Nec cæcutiuit adeò gentilitas, quin ſciuerit, ea omnia quibus geſtimus bona, nobis tantùm ineſſe precariò. Et eamobrem coronas lauro textas triumpho adhibuit, vt ſcirent hinc victores, Apollinis eſſe pompam illam, cui dicata laurus, quà totus hic eminebat faſtus. Sed vbi gentibus illuxit Chriſtus, ſub Conſtantino rerum moderatore, fideles hi nouum in Deum gratitudinis modum inuexerunt. Etenim exuentes laurum cum Apollinis infando ritu, coronas induerunt auro prædiuites, interpuncto nomine Ieſu Chriſti, quo ſignabant, ſe abdicato Apollinis cultu nefario, dediſſe nomen ſuum Chriſto, cuius numine, æquè ac nomine ſtant alternantes bellorum caſus, ad quem ideo ſolum pertinet iure omnimodo triumphare.

Baronius in Annal. 331.

Ieſu nomen adiectum coronis triumphantium.

Romanis id & inſitum erat, triumphi pompam inducere in templum Iouis ſui Capitolini, & coronam ſimulachro Dei imponere; hoc ſuo ritu teſtari id, in quo exhibendo errarur à multis, nomine tantùm fidelibus, Chriſtumque ementito ore iactantibus, cùm eos minimè pudeat, modicam gloriolæ auram ſibi auſu temerario vendicare. In hos inſurget aliquando Titus ille gentilis, qui captâ Ieruſalem, reſpuit triumphum dicens, hoc opus Dei eſſe, non hominum: nec Græcia adeò exoſa Deum, quin in Athenarum fano pinxerit Iouem tenentem victoriam, quâ ideâ Græci, omnium bonorum exordia penes Deum eſſe, huius ſimulachri ſpectatorem mentibus ingerebant.

Gloriam Deo victores dabant.

Ioſephus de bello Iudaico.

Gloriam Deo dedit Titus Imp.

Pauſanias in Attic.

Longè latéque patens pietas Conſtanti in hoc argumento, illuxit orbi toti Chriſtiano, quippe Maxentio Tyranno cæſo, qui dubium Conſtantini imperium quærebat, victor hic Imperator, triumphi infulas exoſus, Romæ in medio foro crucem erexit & baſi eius inſcripſit, ſe penes hoc vexillum reponere gloriam ſuam omnem atque decus, ſuóſque ad internecionem hoſtes, huius labari auxilio profligaſſe. Huic Imperatori dilectus Euſebius ait, orti pij huius Principis frequentes fuiſſe has precandi formulas. *Te*

Euſeb. l. 4. de vitâ Conſt.
Gloriā Deo dedit Conſtantinus Impe.

adiutorem inuocamus; abs te victorias referimus tibi; præſentium bonorum gratiam acceptam ferimus, & per te futura quoque ſperamus; tibi ſupplices ſumus omnes. Quæ nos non manent opprobria, ſi pium hunc ducem vilia capita pigeat imitari.

Ex SS. PATRIBVS.
Gratiarum actio Deo quænam reddenda ſit.
S. Auguſt. in Pſalm. 83
S. Ambroſ. de obitu Theodoſij.

Ne igitur incurramus in ſcopulos ingrati animi & gloriæ vſurpatæ; audiendi ſunt huius noxæ cenſores acerrimi Auguſtinus & illi ſuppar Ambroſius, hoc nos vrgentes ſtylo. S. Auguſtinus. *Agnoſce te à Deo habere, & ex te nihil habere, vt nec ſuperbus ſis nec ingratus: dic Deo tuo, quia accepi, non quia habui; quia dediſti, non quia merui.* Sic concinit Ambroſius. *Quando non habes quod Deo debeas, aut quando ſine munere Dei es, cui quotidie, viuendi vſus à Domino eſt? Ergo quia ſemper accipis, ſemper inuoca; & quia quod habes, à Domino eſt, ſemper te debitorem cognoſce.* Si quid de meo adiicio, occinam Anſer inter olores.

Huic argumento Colophonem impoſiturus, hoc altè velim inſidere noſtris omnium mentibus, feſtiuitatem hodiernam Præſentationis eſſe ex præcepto; ſed aliis præceptis maximè diſſono: quippe vacatur ab opere aliis diebus feſto notis, vt animus orationibus illo die ſtudeat & intendat. At hodierna dies neſcit inducias, ſed exigit Mariæ imitationem & ſequelam, à qua nemini vnquam eſt impiè feriandum. Ergo Deo ſuas omnes addicere primitias, virtutum fœtus adhuc immaturos ad Dei gloriam enutrire, nuſquam arrogare ſibi Deo debitum Thymiama, adipemque ſacræ hoſtiæ non tollere, denique beneficam Dei manum adorare, vt bonorum omnium ſcaturiginem, hoc eſt Mariam Deo hodie oblatam, impigrè, & iugiter æmulari. Nam vt ſcitè monet S. Ildephonſus. *Mariæ non tantùm prodeſt laudatio noſtra, quàm nobis eius imitatio; magis placet imitator deuotus, quàm laudator otioſus: vera laudatio cordis, eſt mutatio operis.* Verè enim manu colitur Deipara, & non linguá deſide; feruidâ virtutum praxi gaudet infans Deo grata, exoſa cultus hominum infœcundos. Quam ſequaces imitabimur, adhærebimus & eidem in templo, cui hodierna die addicitur, Virgo hodie ſacra Deo: & hæc ſecunda pars Homiliæ nobis eſt decurrenda, in qua nos ſcripto præambulo obſtrinximus, aperire quâ ratione hi qui ſuarum actionum exordia Deo dedicant, & gloriam inde emergentem oon arrogant ſibi, Dei templo multiplici mancipentur. Multiplex eſſe Dei templum, nemo eſt qui eat inficias, niſi neſcius varij modi, quo Deus inhabitat orbem hunc vniuerſum. Ne autem ædes illæ ſacræ exurgant in numerum immenſum, ſicut & illæ quas erexit Iuſtinianus Imperator, quas pene infinitas recenſuit Procopius. Ne, inquam, tædioſus Architectus nimias moliar ego baſilicas; tria tantùm Deo templa aſſigno, iuxta triplicem eius eſſendi modum, ſecundùm nos attentè meditatum. Trifariam enim Deus aliquid inhabitat, primò ſecundùm eſſentiam, ſecundò per gratiam, tertiò per gloriam: nec vbique Deus exiſtit hoc triplici inhabitandi modo; ſcilicet Deus eſt in reprobis per eſſentiam, ſed non eis vnitur per gratiam, quia iuſtis tantùm intimus eſt: nec his nempe iuſtis gratiâ inſignitis Deus ineſt per gloriam, quam plenè, homini licet innoxio, in hoc ſæculo non impertit.

Mariæ imitatio quàm vtilis.

S. Ildeph. ſer. de Aſſump.

Templū Dei triplex eſt.
Procop. l. de ædific. Iuſti.

Hunc diuerſum in Deo eſſendi modum adſtruit S. Bernardus, *Licet in omni loco ſit, qui nullo clauditur loco; dicitur tamen: Pater noſter, qui es in cœlis, quod alter illic, & proprio quodam modo ſe præſentem exhibeat; non quidem ipſe diuerſus, ſed diuerſa diſtinguens.* Inoffenſo igitur pede decurrentes triplices hos in Deo eſſendi modos, ſancti huiuſmox laudatis veſtigiis inſiſtemus.

S. Bernard. ſerm. 6. de dedic.
Deus diuerſo modo ſuam præſentiam exhibet.

Philo Iudæus lib. Alleg.
Mundus eſt templum.

Quia eſſentia primum eſt quod occurrit, auſpicemur à templo Dei eſſentiæ, & dicamus cum Philone, mundum eſſe Dei templum, cuius introitus eſt ipſa natiuitas: templi incolatus ſiue mora eſt vitæ decurſus; exitus verò omnibus & inuitis patens eſt mors. Hoc ſibi ſtruxit templum, vt ſui nobis admirationem ingereret ſummus rerum architectus. Et hoc notat ſcitè Tertullianus. *Totam molem iſtam verbo quo iuſſit, ratione quâ diſpoſuit, virtute quâ potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum maieſtatis ſuæ.* Ab hoc templo Maria non receſſit, niſi cedens fatis; ſed illic Deo ſacra, eminuit omnigenâ virtutum ſpecie; & hæc eſt idea animæ Deo addictæ; in hoc rerum omnium vniuerſo degit vt in templo.

Tertull. lib. Apolog. c. 17.

Iupiter eſt quodcumque vides, quodcumque tuetur.

Eòque hæc inſignis anima gratiarum imbre alluitur à Deo, vt chariſmatum eſſe iuge profluuium, rectè eius dixeris incolatum. A Dei quippe aſpectu nuſquam alienus, alio non indiget templo: templum enim non adimus niſi vt Dei ſiſtamur obtutibus, quorum ſic ſcriptura ſacra narrat influxus. *Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Salit enim omnis quem Deus aſpexerit; aſpicit autem eos, qui viuaces eius obtutus norunt ſuo reciprocante aſpectu promereri. Nec hi Dei intuitus tribuunt ſimpliciter tantùm viuere, ſed & benè beatéque viuere, iuxta illud Iſaiæ. *Dicite iuſto quoniam benè.* Et hoc liquet ex Dei ipſius eloquio. *Si in præceptis meis ambulaueritis, apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panē veſtrum in ſaturitate, & abſque pauore habitabitis in terra veſtra. Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Vide bonorum omnium indicem illum, eſſe effectum aſpectuum Dei dicentis. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Gratiarum enim omnium affluit diuinis illis aſpectibus incrementum.

2. Reg. 6.
Præſentia Dei nos ad ardua ſollicitat.

Iſai. 3.
Leuitic. cap. 26.
Decalogi obſeruatio multa bona conciliat.

Recenſet beneficus ille largitor omnium, homines ſibi addictos, eſuros panem ſuum in ſaturitate: hoc eſu figuratur, illa pietas piorum hominum, qui ſacræ frequentes adſtant menſæ, vbi opimo Chriſti pane paſti, omnia terrena faſtidiunt: ſiquidem nil ſæculum hoc afficit eos, qui ſic in eo quaſi in templo verſantes, alia potiori annonâ, videlicet Deo ipſo ſaginantur. Nec probos tantùm laus ſua quoque manet; ſed & deriuantur eorum bona in natos natorum & qui naſcentur ab illis; adeò eſt larga Dei manus, ex ipſamet hiſtoria. *Dixit Dominus ad Iehu: Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab: filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſraël.* Nota Deum ſingulariter exprimere egregia illa facinora acta eſſe in oculis ſuis: attendit enim Iehu gloriam ſolam Dei in euerſione domus Achab Deo iniurij, vnde vlturus offenſas Dei ſui, accepit in præmium regnum, & hoc proli naſcituræ confirmatum.

4. Reg. 10.

Hinc videre eſt, optimos eſſe ſibi conſultores, eos qui gloriæ ſuæ incurij, ei tantùm ſtudent quâ

Deus

Deus afficitur; nempe Deus reciproco quæſtu ſuam videtor exuere gloriam, vt induat eos, qui ſe in hoc mundi patente templo addixerunt illi, & veluti gloriæ inſcij ſingularis ſtatuere tantùm ingentes gloriæ Dei globos, indefeſſo ſtudio glomerare. Alij verò ſecus peſſimè ſecum agunt, qui immodico appetitu faſtus, ambiunt pompam & phaleras, potius quàm infulas veri decoris: hos etenim gloriæ abortiuos, vitâ Deus punit inglotiâ, vt minatur ipſe: *Contemptibilis es valde, ſuperbia cordis tui extulit te: ſi exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus.* Et alibi paſſim Deus ſuperbiam exoſus, in gloriæ cupidos excandeſcit.

Superbia facit contemptibiles.

Abdiæ 1.

Ex SS. Patribus.

Si adeò pinguis eſt gratiarum ſeges, quam colligunt homines, qui dedere Deo nomen ſuum, ſi in hoc vniuerſi templo tanta totque proſtant chariſmata eis; quis valeat ea recenſere, quæ in templo gratiæ væneunt: templum gratiæ, dico animam Deo gratam, iuxta illud. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos.* Quod explicat ſic Bernardus. *Templum Dei ſumus, dignatione Dei, non dignitate noſtra.* Hanc Deus ſibi ſacram animæ ædem, multâ ſolet gratiarum aſpergine conſecrare.

1. Cor. 3.

S. Bernard. ſer. de Dedic.

Templû Dei eſt homo.

Maria ex quo dicata fuit hodie, non receſſit à templo niſi conceptura Verbum caro factum: ita & anima vbi facta eſt diuini ioris, abdicato ſæculo, nuſquam ſe immiſcet rebus externis, vt expertus eſt Bernardus. *Veſtra eſt hodierna feſtiuitas, vos dedicati eſtis Domino; quam benè commutaſtis quicquid habere potuiſtis in ſæculo, quando propriȳ meruiſtis eſſe auctorem ſæculi!* Frequenti affatu Angelorum vſa eſt in templo Virgo ſubducta ſæculo: iuge etiam ineſt animæ cum Deo commercium, vbi ea extorris facta inhiat tantùm cœlo, vt aiebat Iſraëli Vates Azarias. *Azarias facto in ſe ſpiritu Dei ait: Audite me omnis Iuda: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo; ſi quæſieritis eum, inuenietis.* Si arca Dei domum Obededon beauit aliquando, eius inducta in ædes inanimes; quos putas ingeret Deus bonorum globos in animam factam templum Dei? Has vt ſenſit cupedias Auguſtinus, oauſeauit anima eius, & exoſa ſæculi delicias, erupit in has voces, conſcias gaudij, qua penè liquata, deficiebat propè. *Chriſte IESV adiutor meus, & redemptor meus, quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eiiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas; eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini; omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.* Faceſſat illa immunitas, quam præſtabat imago Imperatoris geſtata in aperto: ea, inquit Comelius, ita conſecrabat eum, cui fas erat habere iconem Principis; vt non citra piaculum in eum incurrerent & incauti: vnde ait Tacitus. *Multos ad aliorum inuidiam geſtaſſe imaginem Imperatoris.* Eſto fecerit pleroſque hæc imago tutos; ſed hæc fuit tutela ſolùm cute tenus: aſt ab omni nos incurſu tutatur gratia Dei; ideóque eſt eius maxima clientela. Crede Deo in Iſaia prophetanti, *Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo; portas æreas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum.* Huic Vati

S. Bernard. ibidem.

Præſentia Dei nos beat.

2. Paral. 15.

S. Aug. lib. 9. Conf. cap. 1.

Gratiæ Dei ſuauitas in Auguſtino.

Imago Imperatoris geſtata erat ſalutaris.

Cornelius Tacitus in Annalibus.

Iſaiæ 45.

Gratiæ Dei auxiliû potentiſſimum.

alter etiam occinit, & hic cantor, nempe Pſaltes. *A Domino greſſus hominis diriguntur.* Cui ſe verſui Scholiaſten præbens Caſſianus, ait. *Cuius greſſus a Domino diriguntur, quid aliud poteſt eſſe quàm iuſtus? cùm ceciderit non collidetur, cùm lapſum peccati alicuius incurrerit non collidetur, id eſt non opprimetur diu incurſione peccati: ſed licet ad præſens videatur eliſus; tamen diuino quod implorat erectus auxilio, celeri reſurrectione ſtabilitatem iuſtitiæ non amittet: vel etiam ſi ad præſens per carnis fragilitatem amiſerit, ſuppoſitio manus Dominica reparabit.* Idipſum præmiſerat Deus, imò & promiſerat Hebrææ genti, ſi ſtaret à partibus Dei. *Dormietis, & non erit qui exterreat; auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit fines veſtros.* Quod vt ſcitum eſt à gentibus, eæ non auſæ ſunt laceſſere populum Deo acceptum, vt Achior dux Chaldæus Holofernem præſcius malorum eius ſapienter admonuit. *Si non eſt offenſio populi huius, coram Deo ſuo non poterimus reſiſtere eis; quoniam Deus eorum defendit illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ.*

Pſalm. 36.

Caſſianus collat. 22. c. 13.

Leuit. 26.

Iudith 5.

Anima Deo accepta, non eſt modò templum gratiæ nomine tenus; ſed eo etiam gaudet celebri indulto, quod ſuis aliàs ventilatum ſcriptis edidit Pauſanias de monte Lyceo, vbi area Ioui ſacra, radios Solis excipiebat eo influxu, vt corpora aduecta illuc neſcirent vmbram; quaſi beneficio loci nequirent homines vmbram edere, impotes opacare. Alio item priuilegio inſignis hæc Dei Gentilis ædes; ſi ad eam animal quodtis venatu laceſſitum confugiſſet, præſidio loci, eludebat canum peritiam, imò & ipſius venatoris: etenim virtute quadam ſenſibus inuiâ, ſiſtebant canes ad ianuam, & alij omnes animali abdito futuri noxij; ideóque non perperam fuit hæc area ſuo hoc tutamine omnibus præſtito celebrata.

Ex Historia.

Pauſan. in Arcadicis.

Templi Iouis olim magna ſecuritas fuit in monte Lyceo.

Eſto ſint indubia hæc præfata; malim eſſe in gratiæ Dei templo, quàm in hac Lycei montis area, quæ non potuiſſet arcere dæmones; quorum tamen retundit inſultus anima gratiâ Dei gaudens: hæc enim anima templum eſt Dei ſummi, præter quem non eſt alius inſuper; & hic Deus pro ſui templi foribus adſtans, illi inuigilat, ne quid irrepat in atrium eius, aut Angelus hominum oſor quidpiam templo diſſonum impiè moliatur. Et hinc gloriatur gentium Eccleſiaſtes Paulus. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Huius Dei præſidij non inſcius Ambroſius, Deum ſic affatur. *Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea: In te Domine ſperaui non confundar in æternum. Spero quotidie; finem iſta non habet, neſcit inducias.*

Ex SS. Patribus.

Rom. 8.

S. Ambr. in Pſalm. 118.

Spes in Deo aſſidua ſit.

Vide quàm benè ſibi conſulat homo in præſentatione ſua. Antequam Dei eſſet, ſuus erat; & ideò hoſti patens, & quibuſuis inſultibus obuius: ſed vbi factus eſt partium Dei; factus eſt inde Dei templum, quod per gratiam inhabitat & efficit ædem refugij, in quam caſſi ſunt hoſtium aſtus: in ea ſcilicet anima ſicut in aſylo, virtutis omnigenæ chorus impunè tripudio geſtit, atque Deo ſuo collætatur.

Non equidem diffiteor, dæmonis technas inexplicabiles eſſe: vt enim ait S. Leo. *Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, vbi*

Tentationes quàm multæ & variæ ſint.

S. Leo ſerm. 7. de Natiuit.

S. Hieron. l. Epiſt.

quemque viderit ſtudioſius occupari. Hunc aſtus varietate, vocat Hieronymus hoſtem. *Cui nomina mille. Mille nocendi artes.* Siquidem acquiſitâ plurium annorum peritiâ, dolis inſtructus & arte Pelaſga, ſolet in homine acriter deſæuire. Beato Ioanni poſito in extaſi Deus aperuit dæmonis indolem homicidam. *Ecce* (inquit) *draco magnus habens capita ſeptem, & in capitibus eius diademata ſeptem.* Draconis ſpeciem induit Angelus, quia ſuperbiit; & vt ait Iob, omnibus ſuum terrorem incutit, ſicut draco animantibus cæteris. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt; ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Capita ſeptem diademate inſignita, ſeptem peccata notant lethalia, quibus regnat in impiis, in quos hac ſeptemplici vitiorum illuuie debacchatur. Demus, hunc dæmonis eſſe valde terribilem apparatum. Excutit tamen omnem inde incuſſum timorem, alter ex aduerſo regius apparatus in hominum auxilium inſtructus, eidem Apoſtolo præoſtenſus. *Vidi* (inquit ille) *ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis; habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, de ore eius gladius exibat, vtraque parte acutus.* Rurſus idem Deo dilectus Ioannes ait. *Vidi agnum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem.* Liquet ex hoc ſeptenario oppoſitum ſeptem diaboli capitibus, inferri ſeptem Sacramenta, quæ ſunt ſeptem candelabra; ſeptem cornua, ſeptem dona Spiritus ſancti; ſeptem ſtellæ in manu Chriſti notant praxim ſeptem virtutum, quæ ſeptem vitiis opponuntur. Gladius ex ore procedens inſinuat Dei auxilium ore Dei nobis ſæpe pollicitum. Non eſt ergo quod anxiè paueamus impetum latentis inimici, Dei potentis aucti præſidiis; in templo gratiæ degentibus maior ineſt ſecuritas, quàm in Monte Lyceo, vbi enim Deus adeſt, & illinc abeſt omnis idea mali, ipſo Deo pro nobis anxio, atque ſatagente. Ideóque enixè efflagitat Auguſtinus hanc inhabitationem Dei, dicens. *Cùm inhæſero tibi ex omni me; nuſquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea, tota plena te: hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in me ipſo; & omnis copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt mihi.*

Apoc. 12.

Iob. 41.

Tentationibus noſtris Deus occurrit ſuis auxiliis.

Apoc. 1.

Amoris Dei magna ſecuritas.

S. Aug. l. 10. Confeſſ.

Etſi anima in gratiæ templo, tota deliciis abſorpta circumfluat; illam tamen maiora manent oblectamenta in templo gloriæ, illic ſeſe plenius diffundente Deo; vt Dauidi aliquando Deus ipſe, obiiciens ingratum Dauidis animum, ait illi. *Ego vnxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael & Iuda, & ſi parua ſunt iſta, adiiciam tibi multò maiora.* Audiſne Deum, multâ bonorum omnium recenſione factâ, adhuc tamen ampliora pollicentem? Virgo Deipara in templo illo Ieroſolymitano, gratiæ ingentem cumulum Deo dicata congeſſit, ſed inde poſtea Deum ipſum gloriæ enixa eſt, noſtræ carnis exuuiis inuolutum: ita & anima ſoluta corpore, & poſita extra ſepta carnis huius, petitura templum gloriæ, Deo tunc illi adiiciente maiores cumulos gratiæ, congaudebit. Eſt enim ea compago templorum gratiæ & gloriæ, ſicut ea templorum Virtutis, & Honoris, quæ Marcellus ea arte compoſuit, vt non aliunde ad Honoris ædes pateret aditus, quàm per Virtutis oſtium. Gloria etiam ſe ſic habet ad gratiam, vt non niſi per gratiæ fores apertas innoxiis, ad gloriæ templum illi liceat introire.

2. Reg. 12.

Templum Honoris, & virtutis ſimul.

Ex Hiſtoria.

Plutarc. in vita Marcelli.

Noſtræ præſentationis Deo feſtum excipiat illa gloriæ feſtiuitas, neſcitura finem, ad quam ſpirans Sanctus Auguſtinus totis nıſibus anhelabat. *O patria noſtra, patria ſecura, à longè te videmus, ab hoc mari ſalutamus, ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis, ſi quo modo ad te perueniamus. Spes humani generis, Chriſte Deus, guberna nauem noſtram tua dextera & clauo tuæ crucis, ne pereamus.*

Ex SS. Patribus.

S. Auguſt. lib. Soliloq. c. 35.

Ex Philoſophia, primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum: ergo cùm Maria prima ſit, cuius colitur Præſentatio ſingulis quibuſque annis recurrentibus; Mariæ ideam mentibus noſtris inuramus valde tenaciter, vt ad amuſſim eius, noſtræ Deo dedicationis munia rectiùs obeamus.

Ecce hodie in templum adſportata puellula Deo oblata eſt, fructus verè præcox naturæ reſtitutæ; eam à parentibus eius poſtulemus in patronam, vt ei ſeruuli conuiuamus. Hoc erat votum. S. Ildephonſi. *Vt ſim ſeruus filij eius, hanc mihi dominari peropto; vt dominetur mihi filius ipſius, huic ſeruire decerno, vt comprober ſeruire Deo: ſic namque refertur ad Dominum, quod ſeruit ancillæ; ſic redundat ad filium quod impenditur matri; ſic alternat in nutritio quod adhibetur in nutrice.* Has igitur in iubilo voces exeramus. S. Germani, qui hodie eam vocat Ναὸν ἔμψυχον Κυρίου, *templum animatum Dei.* Χαῖρε ἐκλαμπρυσμένη δι' ἧς τὸ σκότος ἐλάθη καὶ τὸ φῶς ἀντεισήχθη. *Salue illuminata, per quam tenebræ pulſæ ſunt, & lux eſt introducta.*

S. Ildephonſ. lib. de Virg. Mar. c. 12.

Mariæ ſeruus Filio eius ſeruit.

S. Germ. ſerm. de Natiuit. B. V. Mar.

Maria idem ac illuminata.

Memor eſto Mariam hodie in templum adduci, quo docemur, Mariam gaudere templis: ſi Mariæ hodie affectas obſequium; eſto templum Dei. Sed heu auditores nos verè templa, ſed vt illud Pantheon, quod Agrippa ſubiecit toti dæmonum claſſi. Quot vitia, tot ſunt idola, quibus addicimur. Saltem imitemur Bonifacium Papam IV. qui templum hoc expurgatum, Mariæ dedicauit, vnde & hodie Maria Rotunda hæc ædes nominatur. Expurga homo mentem, vitiorum aſpergine fœdam; & tunc verè Bonifacius ſiue bona faciens eris. Virginique Deiparæ ſacer eris, ſi animo fueris illibato, vt benè præmonet Damaſcenus. *Si virtutes ſocias habemus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet.* Faxit Devs.

Pantheon à quo fuit Mariæ conſecratum.

Anaſtaſ. Bibliothec. in Boniſ. 4. ann. 607.

S. Damaſc. orat. 2. de dormitione B. V. Mariæ.

IN

IN FESTO
ANNVNTIATIONIS
B. VIRGINIS MARIÆ.

EVANGELIVM. Luc. 1.

I. MIſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph; de domo Dauid, & nomen Virginis, Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

II. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideóque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi quæ vocatur ſterilis; quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

III. Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

EXPOSITIO MORALIS
digeſta in ſectiones.

I. ANgelu cognata virginitas multiplici gratia conſpicua eſt, quâ quâ nitet.

II. Ille parens eſt Domini IESV, nihilque eſt quod illum aliquo timore percellat aut quatiat.

III. Et eſto tot tituli dignitatum animam Deo factam inſigniant; non tamen inſoleſcit, ſed ad voluntatis diuinæ amuſſim totam ſe componit.

QVANTIS VIRGINITAS
ſtipata gratiis eniteat.

In hæc verba:

Aue gratia plena.

SECTIO PRIMA.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. p. q. 3. art. 7.*

THeologia Dei naturam inueſtigans, dum ſua promit oracula, diuinas dotes, ſeu omnes perfectiones diuinas infert ex ſimplicitate Dei: probat enim eum eſſe ſimpliciſſimum; quia omne compoſitum poſterius eſt ſuis componentibus, & dependens ex eis: Deus autem eſt independens. Rurſus omne compoſitum cauſam habet: nam quæ diuerſa ſunt, non conueniunt in aliquod vnum, niſi per aliquam cauſam adiuuantem res illas ante à diſſitas, vt tandé aliquando coaleſcant. Item compoſiti partes ſunt in potentia reſpectu totius: habent enim inſitam potentiam paſſiuam, ad hoc, vt coëant in vnum compoſitum; Deus verò eſt purus actus, potentiæ paſſiuæ omnino neſcius: ergo ſimplex. Et ex hoc fonte fluunt attributa Dei omnia: nam ex eo quòd ſimplex eſt, & non ſit in potentia ad aliquid; omnia continet eminenter quæ orbe toto diffuſa ſunt. Ex eodem ego principio deſumo luculentum virginitatis argumentum, & infero eam nobilitate præire coniugio. Quo enim aliquis ſtatus Deo propior eſt, eò nobilior eſt alio qui recedit; aſt virginitas Deo propior eſt coniugio: quippe virginitas eſt in vnitate ſita, coniugium verò ſecus, miſtionis amans, ſimplicitatem neſcit. Sed ne in titulum irrepat mendum, aperio quid ſit virginitas, & vnde omne ſuum decus emendicet. Virginitatis commendatio egregia.

Virginitas bifariam vſurpatur: primò pro carnis integritate, libidinoſæ contagionis experte; & ſic non eſt virtus, ſed quidpiam naturale cum quo naſcimur: & hæc integritas in adultis, ſi nullum alium ſcopum ſibi præſtituat, quàm corpus illibatum, non eſt meritoria; imò ſæpius in inanis gloriæ diſcrimen adducit ſequaces ſuos, vtpote non virtutis ſed gloriolæ ſectatores. Hoc virginum genus exoſus Auguſtinus, ait. *Quid prodeſt integra caro mente corrupta? melius eſt humile coniugium, quam ſuperba virginitas.* Palámque eſt detrimentum quod ingerit ſuperba virginitas, ex pœna virginum illarum, quas Chriſtus ait, accedentes ad nuptias cœli, paſſas fuiſſe repulſam: vnde Gregorius ſic fatur. *Bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis; ne per hoc* Virginitas eſt duplex. Ex SS. PATRIBVS. *S. Auguſt. in Pſalm. 29.* *S. Greg. hom. 13. in Euang.*

quod

Gloriæ vanæ mala.

quod à vobis rectè geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur: ecce enim redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines; & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ ſunt, quia earum quædam dum de virginitate ſua gloriam foris expetunt, in vaſis ſuis oleum habere noluerunt. Ideò Auguſtinus ait. *Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipſo in quo ſe extollunt, humilientur: quid enim prodeſt cui eſt continentia, ſi dominetur ſuperbia?* Vt ergo vacet à culpa virginitas; hanc ille idem Auguſtinus ſic deſinit. *Virginitas eſt in carne incorruptibili, incorruptionis perpetua meditatio.* Dicit eſſe meditationem: nam corporis & animæ curam indefeſſam gerit plena virginitas, quantum autem emineat illa profeſſio, diſce ex Philoſophia, quæ rerum nobilitatem ex incorruptione dimetitur, & hanc incorruptionis indolem, ex ſimplicitate cuiuſque rei infert.

S. Auguſt. ſerm. 57. Virgo ſuperbiam caueat.

Idem lib. de Sancta Virginit. c. 13. Superbia virginitatem noxiã facit.

Ex Philosophia. Ariſtot. l. 1. de cælo & l. 1. de ortu & interitu cap. 6. text. 43. Virginitatis elegans deſcriptio.

Cœlos omnibus præſtare corporibus in confeſſo eſt apud omnes: ſunt enim non incorruptibiles tantum actu, ſed nec habent aptitudinem vllam ad exterminium ſui: omnis enim corruptio petitur à materia ſuſceptiua formæ alicuius quam antea neſciebat; verbi gratiâ, lignum eſt corruptioni obnoxium, quia materia ligni peruia eſt formæ ignis, quam dum induit, exuit ligni formam, & ita lignum peſſum abit: cæli verò ſe ſe ſecus habent ex Ariſtotele; illorum enim materia adeò ſuâ formâ cælicâ delectatur, vt ſit impatiens alterius omnis formæ, & eamobrem materia illa inuia aliis formis exoticis ſemper ſibi conſtat, corrumpi neſcia, aut diuelli à priſca ſua forma. Sic ſe habet virginitas; etenim ſibi ſemper eſt ſimilis, nullámque aliam patitur ideam voluptatis: coniugium verò contra, quia reſpexit alium ſexum, patet corruptelæ, ideo virgo dicitur corrupta quando paſſa eſt iura coniugij, aliàs verò dicitur incorrupta, & integra, & hoc ſonat nomen Hebræum בתולה *Bethula*: ſignificat enim virginem, & rem incorruptam. Cæli ſecreti à terra, longè abſunt ab eius ſordido contagio: ſed vt Angelorum incolatus, lumine indefeſſo iugiter irradiant; ita virginitas diſſita ab omni voluptatis illicitæ commercio, minimè polluitur obiectu rerum terrenarum, ſed multiplici chariſmate deſuper effuſo rutilans, iugiter enitet & coruſcat. Status coniugalis propior terræ illius aſpergine, multa patitur incommoda, quæ paucis Paulus enucleat, facta antitheſi virginis, & ſponſatæ. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi quomodo placeat viro.*

1. Cor. 7.

Virginitas quantũ alios ſtatus excedat.

Ex SS Patribus. S. Aldhelmus Epiſcop. vixit anno 680. tom. 3. Biblioth. SS. Patrum, lib. de laud. virginis.

Quale autem ſit diſcrimen inter virginitatem, & alias hominum claſſes audi ex Sancto Aldhelmo Epiſcopo Saxonum, cuius opera proſtant in Bibliotheca Patrum. *Cum tres ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cœlibatus, coniugium; ex reuelatione Euangelii didicimus, ſi ratio meritorum habenda eſt, eum has inter virtutes conſtituendum eſſe ordinem, vt ſit virginitas aurum, cœlibatus argentum, coniugium æramentum. Virginitas diuitiæ, cœlibatus mediocritas, coniugium paupertas. Virginitas pax, cœlibatus redemptio, coniugium captiuitas. Virginitas Sol, cœlibatus lucerna, coniugium tenebræ. Virginitas Regina, cœlibatus Domina, iugalitas ancilla.* Ambroſius totus eſt in virginitate laudanda. Sic ille. *Quanta eſt virginitatis gratia, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis: virgo genuit mundi ſalutem, virgo peperit vitam vniuerſorum.* Imò dicere auſim Angelos non adeò capi cælorum incolatu, quàm virginum commercio, vt benè ait Hieronymus. *Angelus ad virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas: profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis; vnde in carne angelicam gloriam acquirere, eſt maioris meriti quam habere. Eſſe enim Angelum, felicitatis eſt: eſſe verò virginem, virtutis: dum hoc obtinere nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura; vtrumque tamen, & eſſe virginem & Angelum, diuini muneris eſt officium, non humanum.*

S. Ambr. lib. de officiis. Virginitas Deum è cælo attraxit.

S. Hieron. ſer. de Aſſumpt. Virgines in quo Angelos excedant.

Hieronymo ſuperior Cyprianus ſic compellat ſtatum hunc virginum. *Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria eſt, maior & cura eſt, flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti, gaudet per illas atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas, quantóque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, gaudium matris augeſcit.* Ambroſius plura adiiciens, virginum ſic eloquitur encomia. *Quæ non nubunt neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei in cælo: nemo ergo miretur ſi Angelis comparentur quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxiſſe de cælo, quam non facilè inuenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit: tunc in vtero virgo concepit, & Verbum caro factum eſt, vt quod caro factum eſt, fieret Dei. Dicet aliquis: ſed etiam Elias, nullis corporei coitus fuiſſe permiſtus cupiditatibus inuenitur; ideò ergo curru raptus ad cælum, ideò cum Domino apparet in gloria, ideò Dominici venturus eſt præcurſor aduentus.* Hactenus Ambroſius aſſertor virginitatis cælitus illapſæ: quippe ante Mariam ſi quæ gens virgines habuit ritibus ſuis ſacras; illæ duntaxat prætulere virginitatis inane ſimulachrum, vt pergit dicere idem ſanctus. *Quis mihi prætendit Veſtæ virgines, & Palladis ſacerdotes? Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum, quæ non perpetuitate ſed ætate præſcribitur? Petulantior eſt talis integritas, cuius corruptela ſeniori ſeruatur ætati. Ipſi docent virgines ſuas non debere perſeuerare nec poſſe, qui virginitati finem dederunt: qualis autem eſt illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur eſſe impudicæ anus?*

S. Cyprian. lib. de habitu virginum. Virginum tituli egregij.

S. Ambr. l. de virginib.

S. Ambroſ. ibidem. Virgines Veſtales non comparandæ Chriſtianis.

Ex Historia. Plut. in Ariſtidis vita.

Philoſophia gentilis ſubodorans quid diuinum in virginitate, virginibus ſacros etiam honores exhibuit. Vt de Euclia Herculis filia, quæ virgo defuncta Dea habita eſt, & à Locris, & Bœotiis dignata ſacris. Eius ſimulacra erecta in foro: huic ante nuptias ſponſi & ſponſæ faciebant ſacra, vt auctor eſt Plutarchus. Nec Græcis tantùm extitit animus in virginitatem beneuolus, ſed & Romanis: hi enim virginem quandam, quam Varro ait fuiſſe filiam Fauni, coluere ſub nomine Bonæ Deæ: hæc adeò pudica fuit, vt nuſquam viſa ſit homines alloqui, imò nec hominem vnquam vidit, aut ab homine viſa eſt:

Virgo Euclia Dea habita.

Macrobius l. 1. c. 12.

eamobrem

Virgines olim potuere locum habere in Olympiis ludis.

eamobrem diuini honores illi decreti ſunt Kalendis Maij, eâ cautione vt viri ab eius templo arcerentur, vt ait Macrobius. Quàm beatior eſt Chriſtiana religio, quæ virginum choris illuſtris eſt, & ſuas virgines Deo ſacras, potiore cultu dignatur eo quem Elei exhibuere virginibus, quibus fas erat ſpectare ludos Olympios, matronis non item, vt ſcribit Pauſanias.

S. Aug. de defunctionibus.

Chriſtiana religio ſuas virgines euehit, vt olympionicas & victrices: nam vt ait Auguſtinus. *Inter omnia certamina Chriſtianorum, duriora ſunt prælia caſtitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria; rara enim concordia formæ atque pudicitiæ* Et alibi. *Caſtitas eſt per edomitas vitiorum furias munda, & honeſta totius corporis habitudo.*

Caſtitas quid ſit.

Nonne fuit miraculo ipſis etiam Romanis, virginitas puellarum inermium, quas fides fecerat Chriſtiana cataphractas? In his fuerunt Agnes, Cæcilia, Catharina. Et Ambroſius ait æuo ſuo è Barbaria prodiiſſe puellas, quæ dedere virginitati & Chriſto nomen ſuum. Sic ille.

S. Ambr. lib. de Virginibus.

Contuemini quam dulcis pudicitiæ fructus ſit, qui barbaricis quoque inoleuit affectibus, ex vltimis infra vltraque Mauritaniæ partibus deductæ virgines hic ſacrari geſtiunt: & cùm ſint omnes familiæ in vinculis; pudicitia tamen neſcit eſſe captiua: profitetur regnum æternitatis quæ mæret iniuriam ſeruitutis.

Caſtitas etiã venerabilis apud barbaras gentes.

Rurſus ille Sanctus diſcrimen narrat virginis ſanctæ, quam ad coniugij tædas volebant plerique pellicere. *Memoria noſtra puella dudum nobilis in ſæculo, nunc nobilior Deo, cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad ſacroſanctum altare confugit; quo enim melius virgo recurreret quam vbi ſacrarium virginitatis offertur? Nec id quidem finis audaciæ, ſtabat ad aram Dei pudoris hoſtia, victima caſtitatis, nunc capiti dexteram ſacerdotis imponens, precem poſcens, nunc iuſtæ impatiens moræ: Nunc melius,*

Virginis Deo conſecrandæ conſtantia cõtra parentes ei reſiſtentes.

inquit, quàm altare velabit, quod ipſa ſanctificat velamina frontem? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Chriſtus quotidie conſecratur. Quid agitis vos propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptiis ſollicitatis animum? Sponſum offertis? meliorem reperi. Quaſlibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate; habeo eum cui nemo ſe comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo; ſi talem habetis, non refuto optionem; ſi non reperitis, non prouidetis mihi, ſed inuidetis. Silentibus cæteris, vnus abruptius: Quid ſi, inquit, pater tuus viueret innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore, pietate: Et ideo fortaſſe defecit, ne quis impedimentum poſſet afferre, quod ille reſponſum de patre, de ſe oraculum, maturo ſuo probauit exitio. Ita cæteri, eadem quiſque metuentes, fauere cœperunt qui impedire quærebant, nec diſpendium debitarum attulit virginitas facultatum, ſed etiam emolumentum integritatis accepit. Quæſo an ludi Olympij agonem adeò glorioſum toti vnquam Græciæ præſtiterunt? Minimè verò: quippe retroactis Græciæ ſæculis, virgo inaſpecta fuit elidens carnis impetus inſurgentes.

Surius in vita S. Alexij.

Sozomenus lib. 4. c. 13.

Habet hiſtoria Eccleſiaſtica plures quos erigat titulos caſtitatis. In his Alexius eminet, qui in prima lanugine ipſa nocte nuptiarum ſeceſſit, ſponſam linquens illibatam. Non eo inferior fuit alter iuuenis, nomine Ammon, qui inuitus virgini egregiæ ſociatus, ipſa etiam nocte, virginitate benè ſuadâ ſuam ſponſam perculit ad votum emittendum de colenda hac dote Angelorum.

Chron. Minor. in vita S. Elza.

His omnibus ſuperior Elzearius comes Ariani, qui calente ætate cum vxore virgine longum traxit æuum illibatus, quod ego difficilius duxerim & dixerim, quàm ardere rubum & non vri: nimirum ex Caſſiano.

Caſſianus lib. collat.

Caſtitatis magna eſt fortitudo.

Maior eſt virtus, ac ſublimior gratia, internam libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinſecus irruentes, iugo Domini, ac virtutis altiſſima potentia ſubiugare.

Ex re Medica.

Quid, diuina loquor in efferendo laudibus ſtatu virgineo; ipſa res medica miſeras ſcribit eas, quæ marem expertæ, de fœtu ſuo ſibi blandiuntur: audiendus Fernelius.

Fernelius l. 6. pathologia c. 17.

Grauidarum mulierum incommoda.

Eius morbi inſultus præſentiſcit, cui maximè fuerit opportuna, & quicquid eſt in corpore vitij, id totum detegitur; quemadmodum & non grauidis mulieribus, quoties menſium inſtat eruptio, corpus quaſi laſſitudine frangitur, lumbi, inguina, fœmoráque ingraueſcunt ac dolent, ſomnus grauis interdiu obrepit, his accedit cibi faſtidium, inappetentia, nauſea, ac plerumque vomitio, modò pituitoſa, modò bilioſa, ex eo ſcilicet humore ſuperuacaneo, qui in præcordiis redundauerit: quibus autem cumulatus humor vomitione non prorumpit, iis ſpirandi difficultates, vertigines, animi defectiones anxietateſque contingunt. Et cùm tetri humores ventriculi tunicis impacti fuerint, pica, & malacia, omniſque rei alienæ & peregrinæ, vt terra, teſtarum, carbonum, ſalſorum, aridorúmque eduliorum deprauata appetitio, in quartum quintúmque menſem fatigat. Hæc medicorum æui ſui facilè Princeps.

Matrimonij incommoda.

Hæc malorum ilias quæ excipit imprægnatas, virginem neſcit, quæ ſi à carne vrgeatur ad conſenſum illicitæ voluptatis, reſpondeat illud Demoſthenis, à quo cùm pellex ſtupri pretium ingens poſceret; ille ait: Tanti pœnitere non emo. O virgo, ſatis ſit tibi tua virginitas, vt quæ immunem faciat à malis antea recenſitis; quæ etſi corpus vſquequaque contorqueant, longè animam amplius diuexant & lacerant: quippe accidit id quod meminit Fernelius, *appetitio rei alienæ & peregrinæ.* Siquidem vt mater filiam ſuam viro opulento ſociet, æſtuat & ſitit opes alienas, maximo ſui diſcrimine, atque animæ diſpendio.

Geneſ. 35.
1. Reg.

Nec malorum hic exitus; imò prælibata ſymptomata plerumque ſunt præambula mortis: quot enim Matres enixæ perierunt, vt Rachel, & nurus Heli ſacerdotis? Quot nuptas pœnituit virginitatis ſuæ feciſſe iacturam, cùm præſenſêre moleſtias, quas ingerit fœtus: audi quid Moyſes de Rebecca narret.

Virginitatis & matrimonij comparatio.

Geneſ. 25.

Collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid mihi neceſſe fuit concipere? Ab hoc argumento rei medicæ, Sancti Patres virginitatem etiam matrimonio præferunt.

Ex SS. Patribus.

In his ſunt Ambroſius, & Cyprianus, quorum primus Ambroſius ſic fatur.

S. Ambr. l. 1. de virginibus.

Conferamus ſi placet bona mulierum cum vltimis virginum, iactet ſe licet fœcunda nobilis mulier partu, quò plures generauerit, plus laborat, numerat ſolatia filiorum, ſed numeret pariter moleſtias, nubit & plorat, qualia ſunt vota, quæ flentur? Concipit & graueſcit, prius vtique impedimentum fœcunditas incipit afferre, quàm fructum, parturit & ægrotat: quàm dulce pignus quod à periculo incipit, & in

periculo

periculis deſinit, prius dolori futurum quàm voluptati? Periculis emitur, nec pro arbitrio poſſidetur? Quid recenſeam nutriendi moleſtias & inſtituendi? Felicium ſunt iſta miſeria; habet mater hæredes, ſed auget dolores. Venient dies quando dicant, beata ſteriles ventres & qui non genuerunt. Quid ego famulatus graues & addicta viris ſeruitia replicem fœminarum, quas ante Deus iuſſit ſeruire quam ſeruos.

S. Cyprian. lib. de habitu virginum.

S. Cyprianus ex eadem Hippocratis diſciplina virgines adhortatur. *Seruate virgines, ſeruate quod eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis, magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Vultis ſcire quo malo careat, & quid boni teneat continentiæ virtus? Multiplicabo, inquit, mulieri Deus triſtitias tuas, & gemitus tuos, & in triſtitia paries filios, & conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe dominabitur tui. Vos ab hac ſententia liberæ eſtis, vos mulierum triſtitias & gemitus non timetis, nullus vobis de partu circa filios metus eſt, nec maritus eſt Dominus. Dominus veſter & caput Chriſtus eſt, ad inſtar & vicem maſculi ſors vobis & conditio communis eſt. Domini vox eſt illa dicentis: Filij ſæculi huius generant & generantur, qui autem habuerint dignationem ſæculi illius, & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt: neque enim incipient mori; æquales enim ſunt Angelis Dei, cùm ſint filij reſurrectionis. Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis, vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo iam tenetis, per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis, cùm caſtæ perſeueratis & virgines, Angelis Dei eſtis æquales. Tantum maneat & duret ſolida & illæſa virginitas, & vt cœpit fortiter, iugiter perſeueret, nec monilium, aut veſtium quærat ornamenta, ſed morum.*

Virginitatis excellentia.

Virginitatis priuilegia.

Ex Ivre Canonico.

Deum ſponſum virgines habent, quid eſt quod aliis nuptis inuideant, quas ſua ſors iniqua manet. Virginibus autem omnia læta & amœna virent & rident: nam ex Iure Canonico. *Virgines plus amat Chriſtus quàm alias, quia ſponte tribuunt quod non ſibi fuerat imperatum.* Rurſus ex eodem Iure. *Virginitatis priuilegium maximum eſt, quia replet paradiſum:* vnde & extat iſte Canon. *Nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum.* Sed ne quis otioſam prætendat virginitatem, Ius ſacrum illam vult bonis operibus imprægnari. Sic habet. *Hoc ſolum nunc dico, quòd quomodo abſque cæteris operibus ſola virginitas non ſaluat; ſic omnia opera abſque virginitate, puritate, continentia, caſtitate imperfecta ſunt.* Meritum caſtitatis Canones venantur ex operis heroici virtute ardua. Sic enim Canon. *Qui ſitit, veniat, & bibat, qui poteſt capere capiat: non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis eſt atque currendum, ſed qui voluerit, qui potuerit currere atque portare, ille vincet, ille ſatiabitur; & ideò plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt, quod non ſibi fuerat imperatum, maioriſque gratiæ eſt offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.* Hic Canon eſt Hieronymi, qui & ait nuptam poſſe fieri ſaluam, ſi filiorum virginitatem fecerit Deo ſacram: & hoc effatum ſancti huius doctoris in corpus Canonicum tranſtulit Gratianus. *Tunc ſaluabitur mulier, ſi filios illos genuerit, qui virgines permanſuri ſunt, ſi quod ipſa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis & cariem, flore compenſet & pomis.*

Cap. firmiter de ſumma Trinitate.
Gloſſ. fin. in c. ad monaſterium de ſtatu monach.
Can. Nuptiæ 32. q. 1.
Can. hoc ſolum 33. q. 5.
Can. qui ſitit 33. q. 5.
S. Hier. lib. 1. in Iouin.
Can. Tunc ſalua 33. q. 5.

Iuri Canonico & Ius Ciuile ſuffragatur, dum ait virginum vitam feliciorem eſſe quàm continentium. Sed quis fortaſſe obiiciet illud quod & aſſerit ipſum etiam Ius Ciuile. *Virginitas vel caſtitas corrupta reſtitui non poteſt.* Quid ergo texis encomia rei, quæ ad paucos pertinet? Reſpondeo, aliam virginem eſſe in affectu, aliam in effectu, neminémque eſſe, ſi pœniteat, ab hac expertem puritate, quæ eſt penes mentem, & de qua ſic Auguſtinus. *Quæ eſt mentis virginitas: Integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas.* Sic ergo definio hanc virginitatem mentis, quæ labefactata poteſt iterum reparari. Virginitas mentis eſt, in anima incorruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Vbi nota, animam, quæ per ſe neſcit vitiari, poſſe corrumpi in paſſionibus, aut ſuis potentiis, ſcilicet intellectu, memoria, & voluntate: ne autem anima peſſum eat; tota adhæreat Deo ſponſo ſuo, eum cogitans vt Deum verum, totum amans vt ſummum bonum, beneficia eius memoria recolens, vt ingrati animi notas nequaquam ineurrat. Mente Deo totus adhærebat ille qui ait. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, ſitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* Eius item voluntas æſtuabat amore Dei, dum exclamat charitate ſaucius. *Quid mihi eſt in cælo, & quid à te volui ſuper terram.*

Virginitas mentis quænam ſit.

Ex Ivre Civili.
Gloſſ. fin. in auth. cui relictum Cod. de indicta viduitate.
Leg. 1. cod. de raptu virgin.
S. Auguſt. in Pſalm.
Pſalm. 62.
Pſalm. 72.

Ideam caſtæ illius voluntatis obiicit Auguſtinus, ſicut & intellectus omnia iuſtè & piè perpendentis. *Ille iuſtè & ſanctè viuit, qui rerum integer æſtimator eſt, ipſe eſt qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat quod non eſt diligendum, aut amplius diligat quod eſt minus diligendum, aut minus diligat quod eſt amplius diligendum, aut minus aut amplius quod eſt æquè diligendum.* Animæ integritatem, quam Deus concupiſcit, Bernardus luculenter ſic deſcribit. *Studeat vnuſquiſque, ne diſſideat ipſe a ſemetipſo, quoniam omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, nec intrabit Chriſtus vbi fuerint parietes inclinati, & maceria depulſa: nonne enim corporis ſui domum integram anima vult habere, & exire illam neceſſe eſt, ſi fuerint inuicem membra à ſe diſperſa? Videat ergo, & ipſa ſi deſiderat habitare Chriſtum per fidem in corde ſuo, id eſt, in ſeipſa, ſolliciè caueat ne à ſe inuicem membra diſſideant, id eſt, ratio, voluntas, memoria. Sit ergo ſine errore ratio, vt benè congruat voluntati: talem enim voluntas amat, ſit & voluntas ſine iniquitate, quoniam ratio talem approbat, alioqui ſi ſeſe iudicat anima propter voluntatis prauitatem, in eo quod per rationem probat, bellum inteſtinum eſt, & diſcordia periculoſa, quoniam voluntatem huiuſmodi ratio ſemper ſugillat, ſed accuſat, ſed diiudicat, ſed condemnat. Sit etiam memoria ſine ſorde, vt nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confeſſione, & dignis fructibus pœnitentiæ deleatur, alioqui conſcientiam, in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruerſa, nec memoria fuerit inquinata.* Hactenus ille ſanctus caſtos Dei & animæ cecinit hymenæos.

Ex SS. Patribvs.
S. Auguſt. lib. de doctrina Chriſt.
Amor quomodo debeat ordinari.
S. Bernard. ſerm. 2. de dedicatione.
Animæ potentiæ quomodo ſunt ordinandæ.
Templum Dei quomodo fiat anima.

Demum vt adulter dicitur, qui ad alterum thorum vadit; ita anima ſi deuiat à Domino Deo ſuo, ſuſpicionem de ſe facit minus integræ frontis: Deo igitur vtique ſponſo ſuo anima vniatur, æmulata ſponſam Canticorum, cuius eſt vox charitate feruida. *Inueni quem diligit*

Cantic. 3.

S. Aug. ſolil. 31.
Dei effectus in anima.

anima mea, tenui eum, nec dimittam. Quippe ex Auguſtino *Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil, infra quem nihil, ſub quo totum, cum quo totum, in quo totum, à quo omnia, per quem omnia, in quem omnia, cuius nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit, qui petere iubes, & inuenire facis, a quo auerti cadere eſt, in quem conuerti reſurgere eſt, in quo manere conſiſtere eſt, quem nemo admittit niſi deceptus, nemo quærit niſi admonitus, nemo inueniet niſi purus & purgatus, Deus quem neſcire mori eſt, quem noſce viuere eſt, cui ſeruire regnare eſt, Deus cuius pietatis opere, & benè ſeruis ſubiectus, & benè dominatur prolatus,* Cùm ergo penes Deum tot ſint amoris argumenta, nonne infimæ perfidiæ notas inuret anima ſibi, quæ ab hoc ſponſo impiè declinabit?

Amoris erga Deum cauſæ.

Ea Symbolis.
Typotius lib. Symbolorum.

Nein hos perfidiæ ſcopulos impingat anima ſponſa Dei, adaptet ea ſibi Symbolum mulieris nobilis & viduæ præpotentis, quam Typotius Paleologam vocat: illa elato marito, candelabrum pinxit, cuius apex in figuram trianguli erat compoſitus, candelis ordine diſpoſitis, ex vtraque parte trianguli, vt fieri ſolet in triduo Paſſionis ante Paſcha, candelis extinctis ea ſola elucebat, quæ ex ſummo triangulo eminebat, hoc titulo. VNVM SOLVM SVFFICIT IN TANEBRIS. Voluit forſan indicare hæc vidua, omnibus charis ſuis extinctis, Deum minimè deficere, qui ſemper eſt ſuperſtes, nec deeſt vnquam animæ, quæ ſuum illi triangolum, id eſt cor, ſubiicit: eſt enim cor formæ trianguli. Macte igitur, ô anima ſpirans ſacra Dei connubia, omnes extingue amores io anima tua ſcintillantes, Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ. DAVS SOLVS TIBI SVFFICIT IN TENEBRIS. Eſto tenebreſcant opes, & gloriæ humanæ defecerit fulgor, recole illud Cypriani. *Sufficiet tibi Deus tuus, quia tu ſufficis Deo tuo.* Gloria & diuitiæ in domo eius, Deo apud te illucente, cætera omnia penitus extinguantur. Nimirum ILLE SOLVS TIBI SVFFICIT IN TENEBRIS.

Hiulcus eſſet iſte de virgioitate tractatus, niſi coronidis vice adiicerem cautiones, quibus ſtat & ſit virginitas illibata. Non deero huic meo officio: non me etenim fugiunt crebræ & quotidianæ inſidiæ, quibus virgines impetuntur, vt priſca gentilitas edocuit, Palladem pingens cataphractam. Fuit Pallas teſſera virginum: ea vtique virgo credita, neceſſe virgo illa, virginum typos, armata caſſide & lorica, inſinuans multis patere virgines inſultibus, quibus ne frangantur, neceſſe eſt vt caueant ſibi præualidis armis. Quadrat ſanè iſti propoſito emblema virginitatis olim ſic depictæ in tabula: virgo egregia erat capite tenus cœlum pulſans, vna manu ramum ſalicis præferens, alterà verò examen apum. Salicis ramus notat caſtitatem: habent enim ſalicum flores vim inſitam compeſcendi Veneris appetitum, qui etiam duobus modis extinguitur in hac tabula figuratis, ſcilicet examine apum, & capite in cœlo. Apes laborem ſeu actionem clamant; actione enim Venus occidit, iuxta illud.

Virginitatis emblema egregium.
Beyerlinck tom. 7. ſui theatri refert hoc emblema.

Ouid. de remed. amoris.

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.
Extinctaque iacent, & ſine luce faces.

Vnde cùm Venus Cupidinem ſuggillaret, quod impotens eſſet in Palladem, quam nuſquam valuit telis ſuis etſi peritiſſimis impetere; ſubiecit ille: Nunquam ego otioſam reperio.

Virginitas otij inimica.

In figuram integræ caſtitatis, priſca ætas, primâ die nuptiarum dabat nuptis calathum muliebri ſupellectile inſtructum, vt lana, acu, fuſo; ſic puellas edocens fore caſtas, ſi operi attenderent: & Salomon mulieris caſtæ texens panegyrim, eam maximè laudat ab opere. Sic ille. *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum, & de nocte ſurrexit, deditq; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis: conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam, accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum, guſtauit, & vidit quia bona eſt, negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius, manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.*

Prouerb. 31.

Virginis caput in cœlo notat, virginis curam totam eſſe debere ex cælo, & de cælo: ſi enim alij quàm Deo cæli virgo ſtuduerit, peſſũ ibit, vt benè admonet Cyprianus explicans illud Iſaiæ *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Sic ſanctus ille ſcholiaſten agit. *Hoc Deus culpat, hoc denotat, hinc corruptas eſſe virgines, hinc à cultu vero, atque diuino deſciuiſſe pronuntiat, exaltatæ ceciderunt, compta turpitudinem fœditatémque meruerunt, ſericum, & purpuram induta, Chriſtum induere non poſſunt. Quis non id execretur & fugiat, quod alij fuerit exitio? Quis id appetat, & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Virgo cogitat ea quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu, virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet, & credi; nemo cum virginem videt, dubitet an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum, corporis cultus infamet: quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum habeat aut quærat? Timeat potius placere ſi virgo eſt, nec periculum ſui appetat, quæ ad meliora & diuina ſe ſeruat: quæ virum non habent, cui placere ſe ſimulent, integræ & puræ non tantùm corpore, ſed etiam ſpiritu perſeuerent: neque enim fas eſt virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne, & de eius pulchritudine gloriari, cum nulla ſit illis magis quàm aduerſus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obſtinata certatio.*

Ex SS. Patribus.
Iſaiæ 3.
Virginum cura de Deo ſolo.
S. Cyprian. lib. de habitu virginum.

Eodem ſtylo pungit Ambroſius Virgines indecoras. *Cernis vt pomparum ferculis ſimilis incedat, quæ ſe componit vt placeat, omnium in ſe vultus & ora conuertens, eo ipſo quo ſtudet placere, deformior: prius enim populo diſplicet, quàm placeat viro; certè lacera vulneribus aures, & depreſſa onera miſera ceruices, non ſunt alleuamenta pœnarum, ſed diſcrimina metallorum. Hinc collum catena conſtringit, inde pedem compes includit; nihil refert auro corpus oneretur, an ferro, ſi ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus; nihil pretium iuuat, niſi quod vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid intereſt, vtrũ aliena ſentẽtia, an veſtra vos dãnet; hinc vos etiã miſerabiliores quã qui publico iure*

S. Ambroſ. lib. de virginib.
Mulieris vanæ elegans deſcriptio.
Virgo volẽs nubere eſt miſera.

damnantur, quod illi optant exui, vos ligari. Quàm verò miſerabilis illa conditio, quòd tanquam mancipij forma venalis nuptura licitatur: & qui pretio vicerit emat. Virgo quamuis pulchra ſit & decora, & timet videri & cupit: cupit, vt ſe cariùs vendat; timet, ne hoc ipſum deceat quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum euentus ſuſpecti metus, ne pauper illudat, ne diues faſtidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis ſpernat. Hæc Ambroſius.

Plutarch ait Phidiam Venerem ſic pinxiſſe.

Hanc virginum libidinem diſcurrendi, & explicandi ſuam formam, prudens antiquitas clauſurâ compeſcuit, quam ſuadebat hoc emblema. Scilicet pingebant Venerem egregiâ ſpecie inſignem, ſed teſtudini inſidentem, notantes hac tabula, virginem debere eſſe tardigradam, & inſtar teſtudinis domo ſua tectam. Hoc habitu codex ſanctus caſtitatem heroinæ Iudith obiicit nobis. *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbata & neomenias, & feſta domus Iſrael: erat autem eleganti aſpectu nimis. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Hoc ſecretum S. Hieronymus commendat virgini Euſtochio, ſic. *Nolo te ſponſum quærere per plateas: nolo te circumire angulos ciuitatis, zelotypus eſt Ieſus, non vult ab aliis videri faciem tuam, foris vagentur virgines ſtultæ, tu eſto intrinſecus cum ſponſo.* Fauet priſcus ille ritus, quo ſponſæ in coniugis ædes curru vehebantur apud Bœotios, & ante fores currus vrebatur: vt vel hinc reſcirent nuptæ, ex hinc ſibi cuſtodiam domus eſſe iugiter amplectendam.

Caſtę mulieris exemplū. Iudith. 8.

S. Hieron. epiſt. ad Euſtochium

Virgo Deo ſolo contēta.

Virgo timeat videri. *Tertull. lib. de velandis virginibus.*

Tertullianus adiicit, virginem debere etiam declinare hominum aſpectus. Sic ille cenſor auſterus. *Ipſa concupiſcentia non latendi, non eſt pudica, patitur aliquid quod virginis non ſit: ſtudium placendi vtique & viris, quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis. Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet quam ſeipſam; confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum qui bonum ſuum protegat aduerſus tentationum ictus, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem. Timebit virgo cenſorium lumen & gaudebit ſibi & ſoli Deo nota: quis audebit oculis ſuis premere faciem clauſam, faciem non ſentientem? Quicumque malus cogitatus ipſa ſeueritate frangetur, iam ſe etiam mulierem negat quæ virginem celat.* Hæc ille fuſiore ſtylo, ex quo ſuperflua ego reſcidi, traducens huc idonea tantùm meo propoſito. Tandem parænesim hanc ſic concludit, *Oro te ſiue mater, ſiue ſoror, ſiue filia, virgo, ſecundùm annorum nomina dixerim, vela caput: ſi mater propter filios, ſi ſoror propter fratres, ſi filia propter patres. Omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos, adimple habitum mulieris, vt ſtatum virginis ſerues: mentire aliquid ex his quæ intus ſunt, vt ſoli Deo exhibeas veritatem.*

Ibidem. Virgo velet faciem. Virginis veſtes quales eſſe debent.

Ex Ivre Civili.

Ex Iure Ciuili virgo iure ſuo cadit, veſtita indecorè, hæc eſt lex Iuſtiniani. *Si quis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minus peccare videtur, multò minus ſi meretricia veſte fœmina non matrum familiarum veſtita fuiſſent.* Quid ſit autem appellare, lex alio hoc paragrapho aperit. *Appellare eſt blanda oratione alterius pudicitiam attentare.* Vide quanti ſit momenti modeſtè virgines incedere, vt quæ pateant iniuriis impunè, ſi noxio cultu incedunt Veneris ſectatrices. Itaque

Lege item apud Labeonem § ſi quis virg. & §. appellare, De iniuriis.

Deo se flectens sit virgo, avt virga sit plectens.

ANIMA IN GRATIA DEVM concipit, quo fœta nullo caſu concutitur.

In hæc verba:

Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam: Ecce concipies.

Sectio Secvnda.

Ex Mathematica. *Hipparcus lib. 3. ad Phænomena Arati & Eudoxi.*

Maria gratiâ plena, eâ vtique quâ ſtipantur virgines, Chriſtum concepit, Verbum Dei noſtris indutum exuuiis. Tria ſeſe offerunt enucleanda nobis eo ſenſu literali; ſcilicet, Virginitas, gratia, & conceptio Verbi. Virginitas gratiarum chorum adſciuit, & ille chorus Charitum Deum prouocauit, qui medius adſtat inter gratias potiori modo, quàm Appollo inter Muſas. Dicere ex Mathematica hæc tria præſcita & ſignata in ordine ſignorum zodiaci. Nam ſignum Virginis medium eſt inter Leonem & Libram: ea enim eſt ſeries ſignorum, Leo, Virgo, Libra, quibus hæc tria deſignantur, Chriſtus Leo de tribu Iuda, Virgo Maria, & Gratia, quæ libram habet veluti teſſeram & ſymbolum æquitatis. Primus, eſt Leo, quia Verbum eſt ab initio & ante ſæcula: ſequitur Virgo, Libram antecedens, quia Virgo præiuit gratiæ, vt ſubiectum eſt prius accidente: & vt vltima pars Virginis excipitur a Libra; ita ipſa Mariæ creatio fuit ortus gratiæ illius: & licet ad literam, Mariæ ſoli conueniat incedere, hoc Leonis, Virginis, & libræ ternario radiantem, vt quæ ſola corporali conceptione genuerit Chriſtum; tamen myſticè omnes animæ virgines, id eſt impollutæ & gratiâ inſignes, Verbum concipiunt, & cuique earum dicitur: Noli timere, inueniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies. Quomodo autem fiat iſta Dei conceptio, audiamus ex Philoſophia.

Virginis, & gratiæ conſortium.

Ex Philosophia. *Ariſtot. de anima lib.*

Quemadmodum terra ſuſcepto fruticum ſemine concipit & parturit; ita & intellectus à rebus obuiis ſpecies excipit, veluti ſemina, quę decocta maturo diſcurſu, fœtum delineant in ànima, quæ ideò dicitur eſſe quodāmodo omnia, quia anima omnia concipiens fit rerum omniū compos. Anima igitur Deum cogitatione ſedula meditans, concipit Deum; & conceptus ille formalis, qui eſt verbum mentis ſubiectiuè, erit verbum Dei obiectiuè: quia illud verbum eſt de Deo: ſed hæc conceptio inſciâ etiam gratiâ habituali edi poteſt, quia via naturali deuenitur in notitiam Dei; non quòd Deus ſit per ſe notus: nam ex Ariſtotele. *Nemo cogitare poteſt oppoſitum eius quod eſt per ſe notum.*

Præſentiæ Dei vis eſt mirabilis.

Ariſtot. l. 4. Metaph. textu 9.

Sed

Pſal. 52.

Sed multi ſont athei, vt loget Pſaltes *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Sed Deus innoteſcit per effectus, qui ſuam cauſam prodant, vt indicat Paulus. *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Hac Dei cognitione parta lumine naturali, homo nequaquam gratior exiſtit aut melior; alia eſt ergo inueſtigaoda ratio præambula cooceptui, quo anima Deo fœta, impauida oullis ſubditur inſultibus.

Rom. 1.

Ex Theologia. *S. Thom. 2.2. q.4.a.1.& 5.* Gratiæ Dei cum arbitrio conſortium

Ea Theologia, Deus nobis reuelatione aperitur; & aſſenſus, quem præbet intellectos reuelationi, eſt actus fidei, quæ eſt habitus duo inuolueos, actum voluntatis imperantis, & aſſenſum intellectus credentis; voluntas dum imperat, vt feratur intellectus in verum vt in bonum diuinum, charitatis actum elicit, & fidem informat: nam forma actus voluntarij petitur à fine, à quo etiam ſpecificatur; fitque vt fides informata charitate, animam in Deum effundat, cum amore Deum appetit, & Deum viciſſim refundat in animam, ea quæ Dei ſunt intime cogitantem: coque Dei incolatu eſt anima veluti Dei parens, gremio ſuo illum fouens, multiſque virtutum actibus enutriens Hic autem Dei conceptus in anima, gratiæ eſt non naturæ: quippe natura ex ſe Deo inſcio nequit gratiam ſibi comparare; ideò de Maria dictum eſt, eſſe eam gratiâ plenam, antequam parentis titulum indueret: nã gratia pręit omnib. actis heroicè exãtlatis.

Legis & gratiæ conſortium.

Ex SS. Patribus. *S. Auguſt. lib. de ſpiritu & gratia.* *S. Chryſoſt. homil. 32 in 29. Matth.* *S. Fulgent. ad Theodorum Senatorem.*

Audiendi in hoc themate Sancti Patres: in his Auguſtinos ſic. *Lex data eſt, vt gratia quæreretur; gratia data eſt, vt lex impleretur.* Et Chryſoſtomus nos concipere ex gratia explicitè admonet. *Vt terra non germinat, niſi pluuias ſuſceperit, nec pluuia fructificat ſine terra; ita nec gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas ſine gratia poteſt.* S. Fulgentius, *Cùm oculus factus ſit vt lumen videre poſſit; videre non poteſt, niſi ſe illi lumen infuderit; ita bonum quod facis gratiæ adſcribendum: nam quod videt oculus, beneficium eſt luminis, quo ſi careret, cæcus remanebit in tenebris* Gregorius. *Bonum quod agimus, & Dei eſt & noſtrum; Dei per præuenientem gratiam, noſtrum per obſequentem voluntatem.* Iſidorus mentem infœcundam fieri grauidam ope Dei, ſic declarat. *Hominis meritum ſuperna gratia vt inueniat præuenit, & poſtquam præuenerit, perficit, atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ ſolum inuenerat quod puniret.*

S. Greg. l. 13. Moral. c. 7.

S. Iſider. l. de ſummo bono lib. 2. cap 5.

Ex Figuris.

Sed ne hallucineris in aoimæ cooceptu, accipe qua ratione Ieſum queas & tu concipere; typum habes in Abraham: is nulla prole leuans ſenectutem, mœrens querebator ſe eatraneis inſudare; ſed audiit à Deo. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi, faciámque te in gentem magnam.* O homo, quid luges animam infœcundaio? exi de terra tua, de vitiorum cœno, valedic cognationi tuæ, id eſt, torbæ impiorum, & cœtui iniqoo, & demum aptus erit edendæ virtutum proſapiæ. Rurſus vbi Abraham morem geſſit Deo, hoc mandatum accepit. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Parum enim erat exiuiſſe de terra ſua, ſi non vitæ daret operam cultiori: ita oec ſatis eſt tibi exuiſſe veterem hominem, niſi induas & nouum, qui in nouitate ſpiritus editus eſt: quid inde emolumenti Abrahæ acciderit, audi. *Faciam te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, Regéſque ex te egredientur.* Præmium virtutum Abrahæ fuit regia proles deducta ex lombis eius; & ſequela virtutum, quas homo reducit ad praxim, eſt Chriſti conceptio Regis Regum,

Geneſ. 12.

Geneſ. 17.

Mundi contemptus nos facit magnos.

Ex Hiſtoria. *Du-Plaix in Henrico II.* Myrrha fecit fœcundam Catharinam Mediceam.

Hiſtoria Gallica aliquid ſuggerit idooeum iſti argumento de regia proſapia. Egerat decennium totum Regina Catharina infœcunda. Fernelius in re medica periſſimus accerſitur; is muliere purgata & repurgata, decernit vſum pillularum ex myrrha, quibus Regina, quaſi induens vterum nooum, ita eſt fœcundata, vt enixa ſit tres Reges, videlicet Franciſcum ſecuodum, Carolum nonum, Henricum tertium, & Iſabellam Reginam Hiſpaniæ. Si ſapore ingrato myrrhæ fuiſſet deterrita mulier; animum eius erexiſſet medicus, dicens: Macte ô Mulier, degluti pharmacum, Reges egredientur ex te. Multi reuerà eaoſi myrrham pœnitentiæ, ſterilitatis notam incurrunt; hos compello. Eia quid laboratis infamiâ? per vos ſtat regia clarere proſapia; pœnitentiam agite, illa gratiam Dei ſollicitat, & hæc Dei aura beneuola animæ vterum parat ad conceptum vtique regium & diuinum. Locuples eſt teſtis Maria Magdalena, quæ dudum ſterilis, vbi pœnitentiam egit, fuit hac myrrha cœlitus imprægnata. Fauet Auguſtinus, ſcribeos apparatum ad hoc puerperiom: ſic ille. *Animam Dei pietas reſpicit, humilitas ſubuenit, pœnitentia reducit, iuſtitia deducit, obedientia conducit, perſeuerantia perducit, deuotio introducit, puritas iungit, charitas vnit.* Hæc virtutum ſyntaxis refert ritum expiationis templi, quod vbi repurgatum eſt, fit Angelorum poſtmodum incolatus.

Sponſæ Dei quis ſit apparatus.

Luc. 7.

S. Auguſt. l. de ſpiritu & anima, c. 7. Animæ ornamenta.

Luculenta eſt Hiſtoria templi, quod Pantheon nuncupabant: illud à Marco Agrippa ter Conſule ſub Auguſto dedicatum Ioui vindici, ſexcentis annis ſtetit incolume; ſed annuente Phoca Imperatore, Bonifacius Papa Quartus, hoc templum multis ritibus expiatum, omnibus Sanctis, & eorum Reginæ Deiparæ Virgini conſecrauit, vt fusè Beda & Anaſtaſius referunt; factúmque eſt templum aliàs infœcuodum, iam multis fœtum gratiis fidelibus impertitis. Ita planè homo reprobus vitiis ſcatens, eſt Pantheoo tot ſordidis infame ſimulachris, quot vitiis impiè mancipatur: ſed vbi luminaria accenſa, cinis aſperſus, & aqua luſtralis profanas prius ædes Deo addixerunt, locus fit ſanctior. Ea ratione, vbi cognitio noxij ſtatus illuxerit, pœnitentia præceſſerit, & fletuum imber animam alluerit, iam Deum illa concipit, quem illa hactenus abiurarat.

Anaſtaſius Bibliothec. in Bonifacio. Beda l. 2. Hiſtor Anglic. 4.

Dedicatio Eccleſiæ celebranda.

Ex Iure Canonico. *In Canone Eccleſias.*

Iure Canonico aliàs cautum fuit, ne ſolenni pompa Clerus in eas Eccleſias procederet oraturus, quæ inſcio Pontifice eſſent minimè conſecratæ: has autem vult Canon multis orationibus Deo deuoueri: ſic Clemens, cuius eſt ſanctio illa. *Eccleſias per congrua & vtilia facito loca, quæ diuinis precibus ſacrare oportet.* Et quotannis ſanctiſſimi ritus vult recoli feſtum Sanctus Gregorius, vt habetur hoc Canooe. *Solennitates Dedicationum Eccleſiarum, & ſacerdotum, per*

Ex Canone ſolemnitates de conſecrat. diſt. 1.

ſingulos annos ſolenniter ſunt celebranda, ipſo Domino exemplum dante, qui ad feſtum Dedicationis templi, omnibus idem faciendi dans formam, cum reliquis populus eamdem feſtiuitatem venit celebraturus. Ita gratiarum chorus ad nos non procedet ſi criminum prius expiatio non præiuit, oratione præuia, aliiſque ſequacibus pœnitentiæ ritibus. Typum accipe in ſponſa Canticorum, quam Angeli multâ virtutum prole inſignem ſic mirantur.

Cant. 3.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Nota prænotari myrrham, deinde puluerem pigmentarium: nam myrrha, quæ mortificationem & pœnitentiam ſonat, puluerem pigmentarium, id eſt virtutes alias antecedit, ſicut ſupra oſtendi in Muliere regia, myrrhæ vſum præceſſiſſe delineationem fœtus.

Ex Re medica. Sterilitas vnde oriatur. Fernelius Pathologia lib. 6. c. 19.

Vt autem quiſque videat, an ſibi congruat myrrha, audiamus a medicis ſterilitatis aliquas cauſas; vt ſi illæ in animam irrepſerint, ingruenti malo protinus occurramus. Sic ergo Fernelius ſterilitatem aperit. *Steriles ſunt, & infœcundi, qui vel ætate matura, morbo acuto, vel etiam diuturno afficiuntur, qui vel humores corrumpat, vel ſpiritus principes offendat; ad horum conditionem accedunt, & qui citra manifeſtam corporis actionúmque vitæ offenſionem principum partium, vt ventriculi, iecoris, lienis, ac pulmonum latenti vitio, intemperie, obſtructione, aut ſcirrho tenentur; maximè ſi vel cachexia, leucophlegmatia, vel icterus, vel tabes, & corporis extenuatio, vel lenta febris, vel alia quædam cacochymiæ ſoboles ſit conſecuta.* Genuina ſanè deſcriptio rerum, quæ Chriſti conceptum impediunt. Primò recenſet Medicus morbos acutos, humores & ſpiritus validè depaſcentes, eſſe puerperio inimicos; & ego ſubiicio paſſiones immodicas & effrænes, vt eliminantes Spiritus S. chariſmata, obſtare diuino fœtui, nimirũ ex Codice ſacro.

3. Reg. 19.

Non in cõmotione Dominus.

Ex Theologia. Gratia totã animam perficit.

Rurſus partium imbecillitate, ſcilicet iecoris, lienis, & ventriculi mulieres abortiunt. Ita dum laborant principes animæ facultates, intellectus, & voluntas, anima prorſus eſt conceptionis impatiens. Cachexia verò, & malus habitus corporis vniuerſi acediam clamant, quæ eſt inimica gratiæ, ſine qua præambula Deum nemo accipiet: nam ex Theologia, gratia totam animam perficit, & in eo diſtita eſt a qualibet virtute, quòd vnaquæque virtus aliquam potentiam perficiat, vt fides dirigit intellectum, charitas voluntatem, gratia verò animæ inſita totam animam ſanat primò, & potentias conſequenter; ideóque a Doctore

S. Thom. 1. 2. q. 110 art. 3. Pœnitentiæ neceſſitas. Pœnitentiæ effectus.

Angelico dicitur gratia virtutum exordium. Igitur ex præfatis animæ cachexia impos fœtus, non eſt curanda aliqua praxi virtutum, ſed acquiſitione gratiæ: poteſt enim quis virtuti inſiſtere informi, inſciâ gratiâ; nequit autem anima labefacta reſtitui ſine infuſione gratiæ, ad quam primus apparatus eſt penes pœnitentiæ Sacramentum, quæ expungit crimina tetra, vt ait Tertullianus. *Hoc pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem.* Quaſi diceret, hac myrrhæ acrimonia humores noxios exſiccari. Hanc vim eius myrrhę experti ſunt Petrus, & Paulus, vt ait Chryſologus.

S. Chryſol.

Quis in ſæculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro? illi tamen meruerunt aſſequi non ſolùm miniſterium, ſed etiam magiſterium ſanctitatis.

Ex Iure Canonico.

Et benè myrrha hæc animas facit idoneas ad partum: nam detergit omnia inimica conceptui, ſcilicet ſcirrhum, tumorem, & duritiem ſuperbiæ, vt habetur in Canone iſto.

Can. Perfecta de Pœnitentia. diſt. 3.

Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas: hæc eſt perfecta & fructifera pœnitentia. Eam eſſe pharmacum alteri Canon enuntiat.

Can. Sacerdos, 3. q. 7. Pœna ſit vbi noxa.

Sacerdos vt ſapiens & perfectus medicus primò ſciat curare peccata ſua, & poſtea aliena vulnera detergere & ſanare, & non publicare. Itaque anima ex pœnitentia gratior Deo non habet quod timeat: cui enim peccata fuere obliterata, non eſt vllum formidinis argumentum, iuxta illud Chriſti paralyticum ſic ſolantis.

Matth. 9.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quippe gratia excipit remiſſionem peccatorum: vbi autem de deliquio nihil amplius conſtat, cenſura nihil habet quod depoſcat, & hoc Iure Ciuili, cuius eſt iſta lex.

Ex Iure Ciuili. L. Sancimus, C. de Pœnis. §. finali in Authent. de raptu mulier.

Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi noxa eſt, peccata ſuos teneant auctores. Alia autem lege. *Præmia imponuntur merentibus; pœna delinquentibus.*

Ex SS. Patribus. S. Bernard. ſerm. 85. in Cantica. Tentamur à multis impulſoribus.

Benè igitur Angelus ait vnicuique gratia Dei cataphracto: Noli timere, inueniſti enim gratiam, quâ facias irrita omnia dæmonum conamina; etenim ſi Deus pro nobis quis contra nos? Deus autem medius aſtat ei quem gratia Dei condecorat, & caſſos facit omnes hoſtium impetus, vt ſcitè ait Bernardus. *Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Quæris quis ille impulſor? Non eſt vnus; impulſor diabolus eſt, impulſor mundus, impulſor homo. Quis iſte homo ſit quæris? Quiſque ſui (noli mirari) vſque adeo homo impulſor ſibi eſt, & ſuimet præcipitator, vt non ſit quod ab altero impulſore formidet, ſi ipſe à ſe proprias contineat manus: quis enim, inquit Petrus, vobis nocere poterit, ſi boni æmulatores fueritis?* Elimatius adhuc Chryſologus explicat eam ſecuritatem, quę eſt à gratia, dum ſic fatur.

S. Chryſolog. ſerm. 145. Gratia omnem pellit timorem.

Ne timeas, Maria, quare? quia inueniſti gratiam; timet non qui inuenit, ſed qui perdit; inuenit hæc concipiendo ſupernæ germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatis inſignia. Ne timeas, Maria, quid timet quæ rerum ſecuritatem concipit, parit gaudia ſæculorum? Timor non eſt, vbi diuinum eſt negotium, non humanum; vbi virtutis conſcientia eſt, non pudoris. Quid timet quæ ſuſcepit eum, quem timent omnia quæ timentur? Quid timet, cui iudex eſt cauſæ aſſertor, integritas teſtis innocentiæ?

Ex Symbolis. Lukius lib. Numiſmati.

Demum gratia dum ſecuras facit animas & prægnantes, affingit eis Symbolum coniugis Maximiliani Imperatoris, quæ quatuordecim enixa liberos idoneos regno, iconem cudit, in qua Pauo erat ſuis incubans pullis, hoc titulo. ME PROLE ET SCEPTRIS IVNO SECVNDA BEAT. Iunonia erat auis Pauo, & Iuno præeſſe coniugiis credita eſt; ideò teſſera fœcunditatis erat eius ales, ſcilicet Pauo. Nobis erit columba ſymboli loco; ea gemens & fœcunda pœnitentiam deſignabit & gratiam, hoc lemmate. ME PROLE ET SCEPTRIS LÆTA COLVMBA BEAT. Nam gratia nequaquam eſt infœcunda; ideo hoc æternitati inſcribo effatum.

FOEDVS CVM DEO SEQVITVR FOETVS EX EO.

HVMILI

HVMILITAS ET OBEDIENTIA gratiam Dei conſequuntur.

In hac verba:

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Sectio Tertia.

Ex Mathematica. *Ptolomæus libro de ſignificatione ſiderũ non errantiũ in Virgine.*

PTolomæus aſſertor rerum futurarum ex ſiderum influxu, prænunciat eo articulo, quo Sol ingreditur Virginis ſignum ſeu aſſeciſſimum, flare auſtrum, diſſolui nubes in pluuias, & denique cœlum ſæpius irrigare. Eos planè effectus ſortitus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter: dum enim vterum Virginis ſubiit, flauit auſter, ſcilicet Spiritus Sanctus, obumbrans Virginem Deo fœtam, quam gratiarum dum largus imber alluit, ea tota contremuit ad tonitru laudum ſuarum, quas tonante Angelo audiit recenſeri. Quælibet anima repurgata, aliquam ſortem habet in vbere hoc gratiarum influxu, quo Maria prædiues extitit in conceptu Chriſti. Nam ex Iure Canonico anima pœnitens primo ſtatui reſtituitur innocentiæ, & ſic virginum ſtatum aliqualiter æmulatur, vt ait Gloſſa in Canonem iſtum S. Gregorij. *Ferrum de terra tollitur, cum fortis propugnator Eccleſiæ, à terrena quam prius tenuit actione ſeparatur: non ergo in eo debet deſpici quod fuit, quia iam incipit eſſe quod non fuit.* Eaque renouatio iſto Canone probatur, quem Sanctus Hieronymus auſpicatur à textu Michææ Prophetæ ſic fantis. *Cùm exaudiero eos, dabo eis virtutem Spiritus mei, & implebo eos iudicio meo, & fortitudine. Animaduerte in præſenti loco poſſe docere aliquem poſt peccatum, ſi tamen vitia priſtina pœnitentia digna diluerit: vnde Dauid poſt adulterium, & homicidium loquitur in Pſalmo. Aſperges me hyſſopo & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor: nec ſua tantùm puritate contentus eſt, ſed infert: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: cùmque feceris; docebo, ait, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Hoc Canone non tantùm ei aſſeritur priſtinus ſtatus, quem pœnitentia abluerit, ſed & Spiritus Sancti aura beneuola promittitur, & virtutum chorus dicitur affuturus, vt liquet verba Michææ Vatis ſeriò perpendenti. Ait enim. *Cum exaudiero eos*, id eſt, cùm eorum pœnitentiam fecero ratam & ſtatam, *dabo eis virtutem Spiritus mei: & implebo eos iudicio meo, & fortitudine.* Id eſt afflabo eos ſpiritu meo, & donis eius. Vbi nota ex Theologia veritatem tituli huiuſce ſectionis, quã probare incumbit mihi, humilitatem & obedientiam eſſe ſequaces gratiæ.

Ex Iure Canonico. *Can. Ferrum diſt. 50. S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 16.* *Can. Cùm exaudiero diſt. 50. Hieron. in c. 3. Michææ.* Pœnitentiæ effectus ſalutares. *Michææ 3.*

Ex Theologia. *S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 9.*

Homo in ſtatu naturæ perfectæ, non minus à Deo diligitur, quàm in ſtatu naturæ corruptæ, quæ etſi vitiata ſit in ethnicis Philoſophis; virtutes habuit morales, quibus intellectus & voluntas perficiebantur in ordine ad verum & ad bonum: ergo in ſtatu gratiæ danda fuerunt ſubſidia quædam, quibus homo eueheretur ad ſuperna, & facilè mobilis eſſet ad Dei obſequium. Et reuerà Deus homini non defuit, cui ſeptem dona Spiritus Sancti infudit, in quibus cùm numerentur, ſapientia, intellectus, atque conſilium; ſic arguo. Vt habet ſe intellectus ſeu habitus primorum principiorum in rebus naturalibus, ita ſe habet donum intellectus, in rebus ſuperioris ordinis; ſed ex Ariſtotele, intellectus non poteſt ſe habere ad oppoſita primis principiis: ergo nec donum intellectus & ſcientiæ in diuinis, poterunt aliquo modo cæcutire; atque adeò homo in gratia res plenè intelliget, quæ conducunt ad ſalutem ſuam, nec poterit ad oppoſita declinare. Sed vnum potiſſimum eſt, ſuipſius notitia, & Dei obſequium, quæ duo humilitatem, & obedientiam clamant, & ſic liquet hominem gratiâ Dei conſpicuum non poſſe ſuperbire, aut obedientiam Deo detrectare: ſunt enim hæ virtutes veluti comites, indiuiduo nexu ſociatæ.

Ex Philoſophia. *Libro 4. Metaph. textu 9.*

Obedientiæ obiectum duplex.

Obedientiæ obiectum duplex aſſignatur, ſcilicet obiectum quod, & obiectum cui: obiectum quod, eſt omne opus præceptum, quia ad hoc volendum, aut faciendum hæc virtus inclinat: obiectum cui, eſt ſuperior, quo qui caret, ille non obedire poteſt; ideò in Chriſto vt Deo non fuit obedientia: eſt enim coæqualis Patri. Ratio formalis obiectiua obedientiæ in obiecto cui, eſt ius & poteſtas regendi, quam habet ſuperior; ratio verò obiectiua in obiecto quod, eſt debitum auctoritati ſuperioris ratione præcepti: cùm autem præſtatur alicui obedientia propter Deum, ea eſt eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ ipſimet Deo exhibetur; ſicut amor. quo proximus amatur Dei ergo, non eſt alius ab amore Dei: nam actiones ſpecificantur à fine; Deus autem eſt is, cuius gratiâ debitum alicui redditur obſequium: igitur cùm gratia nos faciat Deo propiores, aptiores etiam efficiet ad ea omnia quæ Deum ſpectant, vt eſt reſignatio, ſeu obedientia.

Ex re Medica. Gratiæ & ſanitatis comparatio. *Fernel. Pathologia l. 1. c. 5.*

Ex re medica petitur etiam luculenta probatio huiuſce veritatis: nam vt ſe habet gratia in anima, ita & ſanitas in corpore: quo autem ſanitas ineſt corpori magis exquiſita, eo etiam membra alacriùs morem ingerunt imperio animæ, quæ de cerebro ſpiritus infundit, quos nerui peruij muſculis inſeruot, vt pernice motu fiat illicò quod ſancitur; vnde Fernelius ſanitatis intenſionem cum Ariſtotele venatur ex obedientia facultatum: ſic ille. *Ariſtoteles ſanum ex integritate actionum, ægrum ex quauis offenſione dimenſus, nihil inter hæc medium conſtituit, ſed priuantia fecit, perinde ac videns, & cæcum. Corporis partiſve abſoluta & exquiſita ſymmetria, qua ad ſummum peruenerit, ſumma eſt ſanitas; quæ ab hac paulum deficiens conſtitutio, nec actionibus noſtris nocua eſt, nec animali manifeſtè grauis, ſanitas etiamnum eſt, at non perfecta; quæ dein eò vitij proceſſit, vt iam homini conſpicuè moleſta ſit, eiuſque functiones grauiter offendat, morbus eſt, qui ſenſim ingraueſcens tandem ad extremum, quod mors eſt, perducit.*

Ex Hiſtoria.

Ita etiam Sancti Patres, animæ ſanitatem ſeu gratiæ intenſionem, ex obedientia exhibita celeriùs augurantur, vt videre eſt in Siluano Abbate, qui cum cæteris Monachis Marcum impenſius diligeret, alij liuore perculſi, ſuum hunc Abbatem detulerunt ad alios

In vita SS. Patrum l.2. de obedientia §.5.

ſenes, vt amorem eius in Matenm temperarent. Conuenêre proceres illi Sancti Siluanum Abbatem, ſciſcitantes ab eo argumentom amotis, quo Matcum depetibat. Ille ductis ſenibus ad fores ſingulorum Monachorum, pulſanit ſingulas, dicens vnicuique: Adeſdum frater, opus habeo tuo ſubſidio. Decurſis ſingulis quibuſque cellulis, nemo tetulit inde pedem: vbi autem acceſſit ad cellam Marci, ad primam vocis autam exceptam, Marcus foras quantocyùs exiliit. Ingreſſi ſeniores cellam eius, inuenêre chartam, cuius ſcriptura deſinebat in littera, o, quam pingere inceperat dum vox ſuperioris inſonuit: ſed dum ei præceptum egrediendi innotuit, ſtetit, nec gyrauit vltra calamum, vt impleret orbem, literam hanc concludentem. Admirati ſenes velox obſequium Marci, dixêre Syluano Abbati: O Syluane, & nos tecum hunc tuum diſcipulum amore præcipuo dignamur præ cæteris, quem Deus etiam amore peculiari præueniens, fecit cæteris omnibus obſequentem.

Obedientia prompta.

Obedientiæ cauſa litera incepta relicta.

Ex Historia. *Nicephorus Calliſtus Eccleſiaſtica Hiſtoria lib. 14.c.51.*

Adiice præfatæ Hiſtoriæ ritum, quo priſci Sancti ſubiecerunt examini vitę genus inauditum, quod ſectabatur Sanctus ille Simeon Stylites habitus inſtar miraculi. Is iniit inaſpectum viuendi inſtitutum: etenim ex edita columna ſecretos à terra, cælicolam agens, ſub dio degens, ſui incurius, cæli ſemper patuit iniuriis, ſignis atque prodigiis vſquequaque conſpicuus. Primores huius æui veriti ne ſeſe nouæ virus ineſſet gloriæ inanis aucupandæ, miſerunt qui virtutem illius hac indagine explorarent, ſcilicet eum ſic compellarent. Ad quid hæc inſolens & peregrina habitatio? Cur tritam hanc & ſanctis ferè omnibus calcatam viam relinquens, aliam quandam, & prorſus ignotam ſemitam iniiſti? Illud præterea dedere eis quos miſerant mandatum, vt deſcenſum de columna ei iniungerent, ac ſiquidem promptum ſe exhiberet deſcendendo de columna, illi permitterent vacare ei priſtino inſtituto. Etenim obedientiam eius, ſi Deus inſtituti huius auctor eſſet, fore vadem cenſuerunt; ac ſecus voluere Patres, vt ſi inobediens eſſet dicto, pedibus abductum illicò deturbarent. Adfuere igitur delegati, qui Simeonem obiurgantes de inſolita viuendi methodo, præceperunt vt pedem de columna referret. Ille nihil cunctatus ſe inclinat ad deſcenſum, & gratias agit eis de cura quam ſuſceperant explorandi, an Dei eſſet hæc amuſſis ad virtutem, an propriæ voluntatis. Illi demirati humilem hominis indolem ſuaſere ſequelam eius quod inierat cælitus inſtituti, vt fusè enarrat Nicephorus: adeò verax eſt illa mea aſſertio, gratiæ indaginem peti ab humilitate, & obedientia; ſicut à mundi exordio Deus ipſe teſtatus eſt, qui hominis ſtatum incolumem repoſuit penes obedientiam, vt Sancti Patres aduerterunt, in quibus accipe Ambroſium atque Gregorium.

Obedientia prompta S. Simeonis Stylitæ.

Obedientiæ encomia egregia.

Ex SS. Patribus. *S. Ambr. in Pſalm. 118. S. Gregorius l.65. Moral. cap. 10.*

Ambroſius ſic. *Non potuit Deus perfectius demonſtrare, quantum ſit bonum obedientia, niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala; ſola ibi obedientia tenuit palmam, ſola ibi inobedientia inuenit pœnam* Subſcribit Papa Gregorius, *Quid mirum ſi peccator homo, ſe obedientia in præſentis vitæ breuitate ſubiicit, quando hanc mediator Dei & hominum tenuit, & tenendam præcepit. Sciendum verè eſt nunquã per obedientiam, fieri malum; aliquando autem per obedientiam debet bonum quod agitur, intermitti: neque enim in paradiſo arbor mala extitit, quam Deus homini ne contingeret, interdixit; ſed vt melius per obedientiæ meritum homo benè conditus creſceret dignum fuerat, vt tunc etiam à bono prohiberetur, quatenus tanto veriùs hoc quod ageret virtus eſſet, quanto & à bono ceſſans, auctori ſuo ſe humilem, & ſubditum exhiberet.* Et adhuc. *Obedientia ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit inſertáſque cuſtodit, melior eſt obedientia quam victima, obedientia victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas mactatur.*

Idem vbi ſuprà.

Et inde dignitatem obedientiæ infert Angelicus Doctor, dicens eam virtutem aliis præire, quæ plus Deo offertur: obedientia Deo hominem totum addicit: & hoc non præſtant caſtitas & paupertas, quia materias habent peculiares ſibi præſtitutas; obedientia verò ſecus per omnia diſcurrit & vagatur. Imò aliquando vacatur à bono, vt obedientia minime ferietur. Denique iuſtitiam noſtram Deus ex obedientia dimetitur, iuxta illud. *Mens iuſti meditabitur obedientiam.* Toto virtutum choro obedientiam ſpatiari audi ex Bernardo. *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, nec contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur.* Et ibidem ille genium obedientis ſic aperit. *Verus obediens mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis: non attendit verus obediens quale ſit quod præcipitur; hoc ſolo contentus, quia præcipitur.* Nam etiamſi mali quidquam abditum eſſet in re præcepta, tamen obedientia excuſat à peccato, quia verus obediens neſcit iudicare.

Ex Theologia. *S. Thom. 2.2. q 104 art 1.* Obedientiæ perfectio in quo ſita ſit.

Prou. 15.

S. Bernard. de precepto & diſpenſatione.

Obedientia neſcit moras. Obedientia non iudicat.

Ideo Iure Ciuili non eſt actio in obedientem: ſi quis ex obedientia alterius paſſus eſt iniuriam, contra imperantem debet procedere, & non aduerſus obſequentem. Accipe legem ex Iuſtiniano *Liber homo ſi iuſſu alterius, manu iniuriam dedit, actio legis Aquiliæ cum eo eſt qui iuſſit, ſi modo ius imperandi habuit: quod ſi non habuit, cum eo agendum eſt qui fecit.* His conſonat conſilium Bernardi de obediendo in dubiis. *In his profectò fas non eſt, noſtrum ſenſum ſententiæ præſcribere magiſtrorum, in his omnibus prælatorum nec iuſſio, nec prohibitio contemnẽda.* Ex hac omnimoda ſubiectione ſuperiores nobis euadimus, ex Iſidoro. *Tunc rectè ſubiiciuntur nobis omnia quæ ſub nobis ſunt, ſi nos ſubiicimur ei, à quo nobis illa ſubiecta ſunt.*

Ex Iure Ciuili.

L. liber homo ad legem Aquiliam.

S. Bernard. epiſt. 7.

S. Iſidorus de ſummo bono lib. 1. cap. 11.

Hanc obediendi formam natura nos docuit in eo flore, quem Solſequium vocant, cui ea eſt ad Solem propenſio, vt verſus eum ſe inclinet tota die: vnde hunc florem hoc titulo Typotius in Symbolis inſignit. NON POSSVM ALIO ME VERTERE. O obediens, hoc tibi Solſequij Symbolum apta, hoc titulo deſuper inuſto. A SOLIS ORTV VSQVE AD OCCASVM, Deo totus & toto tempore obediendo iugiter adhæreſce, & hoc tibi inſideat.

Ex Symbolis. *Typotius lib. Symbolorum.* Obedientia ſuperiori nobis ſubiicit inferiora.

NON OBEDIRE OBIRE EST, NON PARERE PERIRE EST.

HOMILIA

HOMILIA
DE
ANNVNTIATIONE
B. VIRGINIS MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. NATVRA humana Angelo nequam inſtigante defecerat, cùm vir & Mulier à Deo deuiarunt: ſed hodie fit redux ea natura vaga, & contrario planè modo quo errauit. Superbierunt Adam & Eua; humiliantur autem Deus & Maria in Annuntiatione, Angelo Dei paranympho myſterij iſtius. Paſſa fuerat hominum gens tota repudium; hodie greſſu retrogrado, Deus init cum homine ſacra connubia. Iſta autem hæc eſt inuentio Homiliæ.

II. Abraham mittit Eliezer, vt quærat virginem ſponſam filio ſuo. Eliezer hanc elegit, quæ aquam non in vaſe ſufficientem haberet; ſed quæ fuſiore plenitudine poſſet camelos inundare: & talis fuit Rebecca. Gabriel mittitur, vt paret virginem Filio Dei. Ille Mariam inuenit eatenus gratiâ plenam, vt & brutis, id eſt reprobis gratiæ latices puros valeat elargiri.

III. Rebecca erat ſterilis; ſed prece feruidâ Patriarchæ Iſaac fuit fœcundata, duoſque enixa eſt filios Eſaü & Iacob gemellos. Maria etſi Virgo, atque adeò virginitate ſua, impos prolis; tamen Patriarcharum vota, Prophetarum preces, & ipſius Mariæ potentiſſima merita fecere Deiparam, & parentem gemellorum, Dei ſcilicet, & hominis.

IV. Demum finio, dicens Virginem eſſe vas gratiarum, aquis exuberans, & puellam facilem eſſe ad effuſionem, ſi moueatur precibus nuſtris; eamque adeò propenſam ad pietatem, vt ſollicitata vix, ipſa propitia Deum & ipſa propitium efficiat.

PRÆFATIO.

Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM, *& filius Altiſſimi vocabitur.* Lucæ. 1.

DISCVMBEBAT quondam Cambyſes Epulo, & is Perſarum Rex. Adſtabant illi proceres regni conuiuantes: vtque eſt aulicorum indoles, ad adulandum tota compoſita; illic problema iactatum eſt, idoneum ſanè lenocinio aurium Regis iam tumentis inanis gloria multo typho. Hac erat quæſtio, ſcilicet quis Maior eſſet & ampliori dignior Encomio, Cambyſeſne, an Pater eius Cyrus? Variè à variis peroratum. Sed ecce tibi ex improuiſo, ingenioſum & ſagacem huius litigij compoſitorem: facilis, inquit, Adulans hic orator; facilis, inquam; & obuia quæſiti ſolutio, Cambyſi & Cyro glorioſa. In hoc Cyrus eminet Cambyſi & Regibus retro cunctis, quod nactus ſit filium Cambyſem talem, qualem nemo vnquam edidit, rerum gloriâ præeuntem aliis omnibus: Cambyſes in quo Cyro inferior. *ita vt Cambyſis gloria vergat in Cyri patris inſigne decus, cui pro maximo elogio ſatis ſuperque eſt genuiſſe Cambyſem. Patulis auribus excepta eſt ſolers illa diſtinctio, atque adeò applauſum eſt vndequaque blandientis. Procul hinc omnis aſſentatio, non habet illa locum, vt de Maria Virgine texendus eſt ſermo: in Beatæ huius puerpera laudes ſe totos effudere omnes qui potuere comptiore ſtilo; ſed omne encomium impar eſt ei, quo hanc ſignat Euangeliſta, qui proceres Chriſti longâ recenſens ſerie, vbi ad Mariam venit, non eam cumulat honorum titulis & inſulis, ſed ſic compendioſè laudat.* Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt IESVS. Matth. 1. *Hanc omnium laudum eius Epitomen ſecutus Ambroſius, ſic multis miſſis elogiis Mariæ perorauit.* Quid in ſingulis moror, digna fuit ex qua filius Dei naſceretur, S. Ambr l. 1. de virginib. *Quaſi diceret, filij gloriam redundare in matrem, quæ hoc titulo eminet omni, quòd infra Deum aliquâ luce nitet: ideo hac die, quâ concepit Dei vnigenitum, Gabriel, cœleſtium omnium nomine ſpirituum, humile præſtitit obſequium, eam ſic affatus.* Aue gratia plena.

Ariſtot. l. 1. Topic.

Ex Philosophia.

PHiloſophorum apex Ariſtoteles, naturæ ſedulus explorator ait. *Quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur aliud.*

Nec in ſerie tantùm rerum naturalium ſtetit axioma, ſed & enituit in deplorato hominum ſtatu reparando. Quod vt liqueat, priſcum hominis ſtatum, à quo ille incurius excidit, ſagaci indagine perſcrutemur. In ipſo mundi ortu Deus hominis opifex, illum condidit eo ritu, quo & cætera, quæ *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit.* Gratiam homini, liberalis ille conditor infuderat, ad cuius menſuram metiretur & gloriam; ſecundum ab Angelis, rebus aliis extulerat: demum hominem peritus artifex ex luto compegerat, vt pondus materiæ, qua conſtabat, faſtum eius deorſum inflecteret. Sed hunc ſibi præſtitutum ordinem pertæſus homo, ab auctore ſuo perditè deuiauit.

Sapien. 11.

Ex SS. Patribus.

S. Anſelm. l. Cur Deus homo.

Incarnationis gratia quam ſalutaris

Quia autem non vult Deus perire totam aliquam naturam rationalem, vt ait Anſelmus; & Adami lapſu, nutabat vniuerſa prolapia: de homine ſuſcitando conſilium ſuum, quod inierat ab æterno, hodie explicat, & hoc ineffabili modo, diuinitatis inſulas non exuens, hominem induit, naturæ imbellis patrios inuolucra. Et hoc gratulabundus præco, clamat Auguſtinus. *Quis huic gratiæ gratias agendo ſufficiat; fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & inuenitur homo factus, qui fecit vt non periret quem fecit.* Hic homo eſt Deus in humanis, quem Paulus alium Adam vocat oppoſitum primo: ergo quot modis dicetur Adam primus, tot modis dicetur hic Adam oppoſitus alteri, à cuius errore fuit penitus alienus.

S. Auguſt. l. 50. hom. homilia 44.

Adæ primi, & ſecundi differentia

Vide Paulum recenſentem vtroſque. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem; nouiſſimus Adam in Spiritum viuificantem: primus homo de terra terrenus; ſecundus homo, de cælo cæleſtis.* Adam menſuram excesſerat in eo, quòd ſupra gratiam ſibi inſitam, ambiit gloriæ, exceſſum indebitum, appetens deitatem. Reſipuit primus Adam in ſecundo, in quo menſura prima ſtetit, cum *Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* Audis in verbo abbreuiato, menſuram Adami decurtatam. Adamo ſuus non arriſit numerus: nam qui infra Angelos erat ſecundus, voluit eſſe primus, deluſus à dæmone mentiente. *Eritis ſicut dij.* Secundus Adam hunc numerum impleuit, à quo primus homo receſſerat. de eo enim præſcius Pſaltes ait. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis.* Audis minus; ergo ſecundus ab Angelis, quorum natura præſtat hominibus vniuerſis. Tandem Adam ſui figmenti atque ponderis immemor, eminere voluit typho ſuperbiæ; ſed ſecundus Adam, hos tumentes depreſſit auſus contrario plane niſu: nam hominum naturam primo ponderi reddens. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum.* Quo textu Apoſtolus probat, hominem hunc humilem, Adami altos impetus inclinaſſe.

1. Cor. 15.

Geneſ. 3.

Pſalm. 8.

Philip. 2.

Sed vt Eua virgo fuerat ad lapſum homini præambula; ita ſurgere non potuit ſine alia virgine, quæ præiret ſecundo Adamo, ante cuius ortum marceſcebat ſenio mundus, vt ſcitè explicat Damianus. *Multis annorum millibus tam cæleſtia, quàm terreſtria incaſſum ſtare videntur. Stat illa magna ciuitas, ciuium ſuorum numeroſitate fraudata, & a ſtellantibus palatiis, multiplex habitantium multitudo propellitur. Condemnatur hominum ſucceſſio, & & omnis creatura ingemiſcit & parturit. Tacet Deus omnipotens, & ordinans eius omnipotentia, tantam diſſimulat confuſionem: tandem naſcitur Maria, & ad nubiles annos egrediens, ſpeciem induit ſpecioſam, qua ipſum alliciat Deum. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator ſecretorum Dei, concupiuit rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* hæc Damianus. Nec ſolitarius eſt in hac meditatione Damianus, ſed Sancti omnes Eccleſiæ proceres Mariam opponunt Euæ: in his hos accipe, ſcilicet Bernardum, & illi alios antiquiores. *Crudelis Eua, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit ſed fidelis Maria, qua ſalutis antidotum & viris, & mulieribus propinauit.*

Pet. Damian. ſerm. de Annunciat.

Pſalm. 44.

Mariæ natiuitas quam fauſta mũdo.

S. Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Sanctus Chryſologus, ſexcentis & amplius annis Bernardo præierat, ſic fatus. *Angelus adiecit congrue, Benedicta tu in mulieribus, quia in quibus Eua maledicta puniebat viſcera; nunc in illis gaudet, honoratur, ſuſcipitur Maria benedicta, & facta eſt verè nunc mater viuentium per gratiam, qua mater antè extitit morientium per naturam.* Oppoſitionem Mariæ cum Eua luculentiùs adhuc aperit Afer ille Tertullianus. *Deus imaginem ſuam à diabolo captam, æmula operatione recuperauit: in virginem adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis, in virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ; vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem: crediderat Eua ſerpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Si fas ſit mihi & meum calculum adiicere: dico ego Euam ſpiritus nequam & anxij ſenſiſſe illapſum lethalem; ſed Mariam aduenientem Spiritum Sanctum & vitalem animo ſuſcepiſſe in ſponſum, ex quo conciperet hominem nouum, qui homines priſca ætate effœtos, faceret ortu ſuo rediuiuos, vt ait Auguſtinus. *Noua fecit in ſæculo, qui nouus venit ad ſæculum.*

S. Chryſol. ſerm. 140.

Mariæ & Euæ oppoſitio.

Tertull. de carne Chriſti c. 17.

Incarnatio renouauit omnia.

S. Aug. l. de Symboli expoſit. ſer. 2.

Dicam primò, Mariam Spiritui Sancto deſponſatam in Annuntiatione, eo planè modo, quo Rebecca deſponſata fuit Iſaac. Secundò dicam, Mariam edidiſſe duos Geminos, ſcilicet Ieſum, & hominum omne genus: ſicut & Rebecca duos filios, vnico partu, ſcilicet Eſaü, & Iacob; vnde Maria eſt Mater Dei & hominum. Vt vnicus penicilli ductus tabulam non adimplet, ſed replicatæ lineæ, etiam picturæ linimenta petunt, bibulo tincta penicillo; ita nec vna tantùm figura ſcripturæ ſacræ, Mariam adæquatè refert: præter enim inſignem illam Rebeccæ hiſtoriam, cui tota hæc incumbit Homilia; Maria etiam genuinè vt licet, in Regina illa Eſther adumbratur. Cuius ſeriem accipe ex contextu ſacro, quod deſcripto Aſſueri conuiuio luculento, & primoribus Regni Perſarum adunatis. *Præcepit Rex ſeptem Eunuchis vt introducerent Reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius; erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad Regis imperium*

Eſther. 1.

rium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempſit.

Ha. textura patet Euæ lapſus, quo incuriâ mandati à Deo iniuncti ſuperbiit: audito iam

Ex Figvris.

æqualem vtriuſque mulctam. *Egrediatur edictum, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius altera quæ melior eſt illa, accipiat.* Eua Deo deſponſata inſoleſcens, paſſa eſt repudium. Ne autem Aſſuerus orbus & cœlebs ſuum fruſtraretur hærede regnum, quæſitæ ſunt ſpecioſæ virgines vndequaque. Ea autem lege conuenere puellæ illæ

Eſther c. 2.

omnes egregiæ. *Quæcumque inter omnes, oculis Regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi.* Frequens fuit corona virginum, ſed *Eſther quoque inter cæteras puellas tradita eſt ei. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur. Et adamauit eum Rex pluſquam omnes mulieres, feciſque eam regnare in loco Vaſthi.* Hæc ſingula quæque expendenti Mariam conſone delineant; ſed non omnimodè, ſicut & Rebecca.

Geneſ. 23.

Defunctâ vxore Abrahæ, quam fleuit ille mœrore ingenti percitus, vt animi tædium leuaret, miſit Eliezer præpoſitum domus ſuæ, qui virginem pararet in ſponſam filio ſuo Iſaac. Ita & Euâ paſſâ deliquium, Deus miſit vnum ex præpoſitis, ſcilicet Gabrielem, qui quæreret virginem in ſponſam Spiritus Sancti, & in matrem Filij ſui, quæ aduentu ſuo cæli regiam fauſte recrearet. Diceres Abraham præſcium huius hodierni Myſterij:

Geneſ. 24.

ait enim mente præſagâ, vernaculo ſuo. *Dominus ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Si quæris vnde orta ſponſa Spiritus Sancti, & Mater filij Dei? Reſpondeo, inde natam quò miſit Dominus Angelum ſuum, ſcilicet in Nazareth.

Geneſ. 24.

Procedente igitur Eliezer. *Ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in ſcapula ſua, puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro; deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam.* Præſcierat Eliezer mente fatidicâ eam fore ſponſam Iſaac quæ largo aquarum profluuio poſſet ſiti arentes inundare: ſic enim colloquutus fuerat ſecum

Geneſ. 24.

Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam; & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis dabo potum; ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac.

Ex SS. Patribvs.

S. Damianus ſerm. de Annunt.

Gabriele Angelo ſollicito quænam foret illa virgo, superni conſcia conſilij. *Ecce,* inquit Damianus. *Statim de theſauro diuinitatis, Mariæ nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa, totum hoc faciendum decernitur: vt ſicut ſine illo nil factum; ita ſine illa nil refectum ſit.*

Mariæ plenitudo in omnes ſe effudit.

Multæ reuera ante Mariam fœminæ hydrias ſuas aquâ plenas circumgeſſere diu; ſed non eatenus plenas, vt affluens gratia poſſet effluere, & inopes inundare. Soli Mariæ conceditur ea plenitudo gratiæ, quæ & Camelis poſſit ſufficere, id eſt, quæ exuberante affluxu poſſit & peccato tabidos reficere atque recreare. Hoc tamen egit Maria, & quotidie adhuc præſtat, ex Hieronymo. *Verè plena, per*

S. Hieron. ſer. de Aſſumpt.

quam largo Spiritus Sancti imbre ſuperfuſa eſt omnis caro. Ideo ab Angelo ſalutata eſt Gratiâ plena.

Vbi Eliezer Rebeccam Deo dictante agnouit eſſe eam, quæ adducenda foret in ſponſam.

Gen. 24.

Protulit vir inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem. Mariæ etiam donum fidei cælitus infuſum: fides autem notata per inaures appendentes ſiclos duos, inſinuat duo obiecta eſſe fidei, ſcilicet duas naturas Chriſti, diuinitatem videlicet & humanitatem in vna hypoſtaſi coëuntes. Armillæ autem ſiclorum decem, ſignificant gratiam operandi, iuxta normam Decalogi, qui eſt denario præceptorum Dei inſtar armillarum compactus: nam vt armillæ conſtant annulorum nexu; ita & mandata Dei eo tenore adinuicem inſeruntur, vt qui peccat in vno, fiat omnium reus, forma circularis, qua armillæ in gyrum brachia circumagunt, adumbrat facilitatem in Virgine, non ad Decalogum tantùm obſeruandum, ſed ad virtutis omnigenæ munia quæuis obeunda. Quippe

Ex Theologia.

S. Thom. 3. p. q. 27. art. 3.

Ezech. 43.

Mariæ quando fuit ſubtractus fomes peccati.

ex Theologia extinctus erat in Virgine fomes omnis, inuiam nobis & inuiſam virtutem gignens. Sic fatur Doctor Aquinas. *In ipſa Conceptione carnis Chriſti, in qua primò debuit refulgere peccati immunitas, credendum eſt quòd ex prole redundauerit in matrem, totaliter fomite ſubtracto, & hoc figuratur in Ezechiele, vbi dicitur: Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam orientalem, id eſt per Beatam Virginem; & terra, id eſt caro ipſius, ſplendebat à maieſtate eius, ſcilicet Chriſti.*

Interrogata Rebecca, an vellet ire ad Iſaac; non petiit inducias, neque moras importunas viro Abrahæ prætendit virgo manſueta, ſed parenti ſciſcitanti: *Vis ire cum homine iſto? ait: Vadam.* Ita & Maria vbi Angelus vrget ad conſenſum, illa illico reſpondit. *Ecce Ancilla Domini.* Rebecca ad occurſum Iſaac deſcendit de Camelo, & pudore rubens pallio ſe velauit. Ita & Maria vbi ſe ſponſam Dei & Matrem audiit Verbi incarnandi, ancillam ſe profeſſa Dei, deorſum inclinauit, & hac humilitate ſponſi ſui caſtos amplexus promeruit,

Cant. 1.

S. Bernard. ſerm. ſupra Miſſus eſt.

vt præſciuerat Salomon in Canticis. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Nardus enim frutex eſt, cuius quò ſtipes humilior eſt, eò etiam ſuauiùs fragrat; quò etiam humilior Maria, eò etiam gratior: ita vt Bernardus gratiarum apicem in Maria dederit huius humilitati. *Virginitate placuit, humilitate concepit.*

Maria Deo præ Angelis placuit.

Demum Rebecca introducta in tabernaculum Iſaac, ab eo tantum dilecta eſt, vt mœrorem illum abſterſerit, quem ex morte matris ſuæ contraxerat: eo etiam Deus amore Mariam dignatus eſt, vt ſi ex Euæ deliquio mœrorem collegiſſet, Mariæ decor omnem leuaſſet triſtitiam; ſiquidem Deus nullibi ante Mariam plenè fuerat in vllo mortalium iucun-

S. Damian. ſerm. de Annunt. B. V. Mariæ.

datus, vt ait Damianus. *Nunquid in Angelis voluptatem habet Altiſſimus, in quibus reperit prauitatem? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam; quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus. Nunquid in aquis, vbi furens & tortuoſus immoratur Leuiathan? aut in terra, quæ ſpinas emittit & tribulos? Non eſt locus voluptatis niſi vterus Virginis.* Eodem & ſpiritu afflati plerique Sanctorum, Mariæ vterum paradiſo, throno, & cœlo compararunt.

Maria concha ferens margaritam pretioſam.

Mirum quàm pietate geſtiat, inter Græcos

Andreas

Andreas Cretenſis in oratione de Annunt. B. V. Maria facta an. 549.

Andteas Cretenſis Epiſcopus, Eccleſiæ primitiuæ inſigne decus, ſed animo grato in Mariam inſignior. *Salue latitia organum, per quod delicti noſtri expiata eſt condemnatio: Salue magnificum diuinæ gloria templum: Salue conſecratum regis palatium: Salue thalame, in quo Christus noſtram deſponſauit humanitatem: Salue cælum Solis, gloria ſupercæleſte tabernaculum.* S. Damaſcenus vocat concham hanc Virginem Deiparam. *In Maria mundi Concha generatur, quæ cælitus ex coruſcatione diuinitatis concipiet, & pariet pretioſam Margaritam Christum.* Maria hodie verè concha, cui competit Symholum eius, qui conchæ titulum hunc præfixit. PVRO FOECVNDA RORE, vt enim concha concipit vniones rore illapſo, ita & Maria ſuperueniente Spiritu ſancto, PVRO FOECVNDA RORE. Cùm Mariæ dico encomia, & Dei ſponſam ſimul & matrem celebro, obuerſatur meæ menti facinus illud egregium Ducis Lithuaniæ gentili cultui adhuc addicti. Is grandæuus virginem iuuenem Reginam Poloniæ, quæ eſt contermina Lithuaniæ; virginem hanc, inquam, Heduigem nomine petit in ſponſam filio ſuo. Hæc renuit dicens: Quomodo fiet iſtud; ego ſum addicta Chriſto, & Dux Lithuaniæ alio ritu viuit. Has, inquit Dux, ne necte moras; eiuſdem ero ritus tecum, ſi annuis apertis tibi ſponſalibus. Regina obſecuta, Ducem accepit in ſponſum, qui ſuos omnes inuexit theſauros in Poloniam.

S. Damaſc. in ſer. de Natiu. Mariæ.

EX SYMBOLIS. *Paradin. lib. Symb.*

EX HISTORIA. Matrimoniū Heduigis Polonæ.

Ioan. Herburt. in hiſtor. Polonia, ſub ann. 1386.

S. Bern. homilia ſuper Miſſus.

Angeli ad Mariam elegans oratio.

Eo planè modo Angelus Mariam vrgebat, vt extorqueret conſenſum eius circa ſponſalia Dei, has Virgini intimè tenui ſuſurro voces ingeminans, quas habes in Bernardo. *Virgo, aperi cor fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori.* Inſtat Maria: Quomodo fiet iſtud; quaſi diceret: Rem captu perquàm difficilem profers, ô Gabriel, cùm proponis Dei cum homine commercium; nimirum diſpares hæ naturæ, Dei, & hominis, ægrè concordabunt. Ad hæc paranymphus ait: Equidem ineffabile eſt mihi iſtud Myſterium, angelico captu maius; ſed hoc concipies, dum tu concipies ex Spiritu Sancto ſuperueniente tibi: eodem enim Deo & doctore, & ſponſo, filioque ſcies, quî fieri poſſit, vt vtriuſque naturæ toto cœlo imparis, ſtet in vno dontaxat ſuppoſito ſeu perſona Verbi concors incolatus. Itaque, ô Puella Deo accepta, grataque præter omne hominum genus, ne cauſeris diſcordes Dei & hominum ritus: Deus hominum naturam induet, humanis ſe aptabit ærumnis, vt hominum omnes tollat anguſtias: cœlum, quod eſt ei quaſi natale ſolum, parum faciet, & in has Paleſtinæ plagas amore tuo ſaucius aduolabit. Quicquid gratiarum toto cœlo diffuſum eſt, tibi proſtat, quicquid irradiat toto cœlorum ambitu, hoc tibi nitet; quidquid nobilitat Patriarchas omnes; illud totum te adornat: denique ô Virgo quicquid eminet in omnibus Angelorum choris, infra te eſt, quæ ita litaſti gratiæ, vt ſponſa Dei effecta, Chariſmatum Dei prædiuites gazas ad arbitrium tuum poſſis hominibus propitia moderari.

Maria tunc ſuperni conſcia conſilij, ſe totam compoſuit ad conſenſum, & hunc explicatum hoc tenore. *Ecce ancilla Domini,* *Luc. 1.* *fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Similes olim voces Abigail ediderat, rogata per legatos inire cum Dauide coniugium, vt habet regia hiſtoria. *Miſit Dauid, & locutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi vxorem. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti ſunt ad eam dicentes: Dauid miſit nos ad te, vt accipiat te ſibi in vxorem. Quæ conſurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.*

Libro 1. Reg. c. 25.

Sed vt nulla eſt Dauidis cum Deo Mariæ ſponſo comparatio; ita planè diſpar eſt illa Abigail cum Maria relatio, ſicut impar cæli & ſoli affinitas: nam Abigail peccatis obnoxia, potuit congruè dicere ſe ancillam; ſed Maria neſciens næuum neque labem, ſe inclinat miraculo nouo, alios òe ſe omnes inflectens ſenſus, quos Angeli potuit eloquio collegiſſe. In humili fortuna poſito, exiles nutrire animos, hoc conſonat; ſed Dei ſponſalibus eminere, & ancillam ſe profiteri, Deiparæ tantùm & Heroïnæ facinus eſt tanta dignum gloria, quanta fuit humilitas inſita menti Virginis inclinatæ. Siquidem ea Bernardo. *Rara virtus eſt humilitas honorata.*

S. Bern. hom. ſuper Miſſus eſt.

Abigail ſuum Dauidi gratum animum teſtatura ait. *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei* Quod hæc ſinait ſe facturam, formulam præferens humilis animi; hoc & fecit Mater Dei Maria: nam cùm animæ pedes ſint affectus, omnium lauat pedes, cùm affectuum noſtrorum ſordes ope ſua non tergere dedignatur. Mariæ vnius idea ſola meditata, pedes noſtros aliquâ labe ſordidos reparare poteſt. Virginis habitus & indoles ad Angeli affatum, pudore rubentes genæ ad occurſum Spiritus efformati in adoleſcentis egregij modum, virtutes denique omnes in Maria coëuntes, quoſvia poſſunt pedes tergere lutulentos. In hoc huiuſce myſterij fonte haurit aquas Sanctus Ambroſius. *Et ingreſſus ad eam Angelus. Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia, diſce virginem oraculo, diſce myſterio, trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari, ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.*

1 Reg. 25. S. Ambroſ. l. 2. in Luc. Maria ſola ab Angelo inuenta.

His Mariæ virtutum aquis alluere, ô anima Deiparæ ſpirans obſequium, ſi non via ſortem incurrere Petri, lotionem ſuorum pedum manibus Chriſti inconſultè dedignantis. Vt enim Petrus Dominum ſuum vidit ſe accingentem, vt aquam pedibus eius infunderet, ait ei. *Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Fruſtra Mariæ cultum ementimur, caſſæ ſunt ingeminatæ omnes illæ fuſæ preces atque roſaria, ambitioſâ pietate ventilata, ſi ad Mariæ exemplar pedes noſtri non niteant: de ea quippe dicitur in Canticis. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis, filia Principis.* Eius ergo beneficio, pedum fæces quamprimùm emundemos. Ait enim Domina idem quod & ait Dominus. Si non lauero te, non habebis partem mecum: fru-

Ioan. 13.

Cant. 7.

ſtra

ſtra mihl ſtudes, irrita ſunt omnia vota tua, ſodalitij tui & cœtuum mihi addictorum ſtudia non arridcnt, imò & religioni nomen dediſti incaſſum, ſi mibi deſudas animo turpi & noxio, & ſi meorum veſtigiorum incurius me ſequeris, pede multa vitiorum illuuie fæculento.

Verè terſos babuit illa Virgo pedes: humilitas enim, quæ pedum Symbolo figuratur, ſocias ſemper alias habet virtutes, ex Bernardo.

S. Bernard. epiſt. 42. Humilitatis effectus

Vt caſtitas ſeu charitas dentur, humilitas meretur; quoniam humilibus Deus dat gratiam: ſeruat acceptas; quia non requieſcit Dominus niſi ſuper humilem: ſeruatas conſummat; nam virtus in infirmitate, hoc eſt in humilitate perficitur. Vt terſos ergo pedes habeas, Virginis humilitatem ſtudeas inſectari. Nam ea virtus adeò neceſſaria eſt, vt ex Bernardo,

S. Bern. hom. 1 ſuper Miſſus eſt.

ſine humilitate nec virginitas Mariæ placuiſſet. Si Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus Sanctus non requieuiſſet; ſi ſuper eam non requieuiſſet: nec impregnaſſet: quomodo enim de ipſo, ſine ipſo conciperet? Patet itaque vt de Spiritu Sancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potius quam virginitatem. Etſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit; vnde conſtat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Liquet ex prælibatis, Mariam Deo ſponſo attuliſſe in dotem virtutes omnes, humilitati Mariæ indiuiduo nexu fœderatas.

EX HISTORIA. Iulius Obſequens l. de prodigiis.

Prælalta hæc Mariæ humilitas, fœtui eius id eſt Chriſto ſuum characterem perfectiſſimè inuſſit, conſtat enim ex peritis rerum naturalium, eas ideas inuri fœtibus, quas mente prægnantes diu conſeruarint. Vnde prodigij loco habitus infans editus piloſus in vrſi modum, quia mater eius habebat eminentem cubili ſuo tabulam B. Ioannis veſtiti pelle cameli villis hirſuta, cuius aſpectu, ideas villoſas mente conceptas, embrioni impreſſit, qui ideo enatus eſt hac ſpecie deformatus. Ita & Maria Angeli encomiis tantùm abeſt vt mente ſurrexerit, quinimò, quaſi dehiſceret animus eius, in ſuæ exilitatis abyſſum, ita ſe depreſſit, vt conceptus, quem de nihilo ſuo expreſſerat, eſſet ipſius non entis idea: conceptio autem ſeu intellectio rei alicuius à virtute intellectiua procedentis dicitur verbum mentis, quia id eſt quod mens fuit elocuta. Ideo Virgo Deipara in eo momento, quo verbum mentis eius nihilum expreſſit, id eſt cum ſe nihil eſſe cogitauit, Verbum Dei concepit, & huic fœtui ſuo, qui erat Verbum Dei, ita verbum mentis ſuæ impreſſit, id eſt, adeò humilitatis notas inuſſit, vt Verbum noſtræ carnis exuuiis indutum, ea fuerit viſum humilitate, vt illud Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſerit exinanitum.

Conceptio rei intellectæ, dicitur verbum mentis ex. S. Thom. 1. p. q. 27. art. 1.

Philippenſ. c. 2.

Exinanuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, habitu inuentus vt homo. Idémque Deus præſcitus homo à Prophetis humili nomine dici gauiſus eſt. Hine Iſaias paruulo nomine nuncupat. *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.*

Iſai. 9.

Licet etiam eâ virtute emineret Dominus Ieſus, vt ad eius aſpectum omnium virtutum chorus obuius eſſet intuenti: tanta ſiquidem virtutum compagine Chriſtus erat effictus, vt omnigenæ virtutis eſſet archetypus, aſpectu ipſo, virtutis ingerens diſciplinam, vt idem Iſaias præuiderat. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Licet, inquam, ipſe Chriſtus eſſet forma Chariſmatis omnimodi; vni tantùm nos humilitati ſuæ voluit adaptare, quaſi diceret: Hæc eſt via, ambulate in ea, vt ei dixit Auguſtinus.

Iſai. 30.

EX SS. PATRIBVS. S. Aug. S. Bernard. epiſt. 42. Humilitatis cómendatio.

Excelſa eſt patria, humilis eſt via. Bernardus inducit hunc Archimandritam, virtutis ſibi charæ Theoremata fidelibus inculcantem. Sic fatur hic Doctor. *Auctor & dator virtutum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt abſconditi, in quo omnis quoque plenitudo diuinitatis habitat corporaliter; nonne tamen & ipſe de humilitate tanquam ſumma ſua doctrina, ſuarumque virtutum gloriatus eſt? Diſcite ait à me, non quod ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid eiuſmodi, ſed quia mitis ſum & humilis corde: à me, inquit, diſcite, non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, ſed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, & fœmina; ille potentiæ, illa ſcientiæ; vos autem æmulamini chariſmata meliora, diſcentes à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Hactenus ille.

Incarnationis effectus.

Vt Maria ſibi & oculis Dei vilis ſummè effecta eſt, ita & Deus nobis exinanitus eſt, vt faceret nos ſui ſequelâ ſupremos & excelſos, vt explicitè inſinuauit. *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Huius ſcientiæ compos Auguſtinus ſic loquitur. *Deus homo factus eſt, vt homo fieret Deus; & vt ſeruus in Dominum verteretur, formam ſerui Dominus accepit; habitauit in terris, habitator cælorum, vt homo habitator terræ, habitaret in cælis.*

S. Aug. ſerm. 52. de diuerſis

In humilitatis huius argumentum Deus hodie corpus induit ita exile, vt apiculæ molem non Chriſti caro tota ſuperarit. Quomodo autem virgo viri neſcia conceperit, non rationis eſt inquirere, ſed fidei, vt benè Chryſologus. *Conceptum Virginis noli diſcutere, ſed crede. Deum voluiſſe naſci, piè ſentis, quia facis iniuriam ſi requiris: tu hic totum vis de ratione conſtare, vbi totum conſiſtis ex fide; quod tamen non ſine ratione ſubſiſtis, ſed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile, niſi vt Deus quicquid voluerit, poſſit; qui quod vult non poteſt, Deus non eſt.* Hæc Chryſologus. Quia Deus diſponit omnia ſuauiter, & nobis adauget fidem, multos adhibuit teſtes myſterij huius ineffabilis, vt ore plurium teſtium ſtaret in mente noſtra verbum iſtud incarnatum. Exige, ô Chryſologe, teſtimonium ab his, quos ſic tu ſcripſiſti.

S. Chryſol. ſerm 141. Incarnatio diſcutienda non eſt.

Quæ mandat Deus, exequitur Angelus, implet Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura ſuſcipit, celi narrant, annuntiat firmamentum, oſtendunt ſtella, magi prædicant, paſtores adorant, pecora cognoſcunt, atteſtante Propheta. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Tu homo, ſi non mox cum Angelis, agnoſce vel tardiſſimè cum iumentis; ne dum moraris, ipſis iumentis, quibus antè comparatus fueras, poſtponaris.

S. Chryſol. ſerm. 141.

Philip. 86.

Vno eodémque conceptu Rebecca geminos Eſau & Iacob babuit: ita & hodie Maria duorum Mater geminorum, Dei ſcilicet, & hominis in genere. Et hoc expreſſit regius Pſaltes. *Sion dicet, homo, & homo natus eſt in ea,*

Iſai. 1.

fundauit

fundauit eam Altiſſimus. Sion eſt Eccleſia gaudens Deum hominem, & hominem alterum editum ex Virgine. quam fundauit Deus vt parentem horum gemellorum: ideò, Pater Auguſtine, Mariam nuncupabas, *Opus æterni conſilij*, quia Deus in eius opificio, humano generi conſulebat.

Maria quomodo Ieſum in nobis parturiat

Ex SS. Patribvs.

Guerricus Abbas ſer. de Natiuit. Chriſti.

Maria titulo duplici Mater eſt Chriſti. Primò ex conceptu, vbi Chriſtus Virgineo ſanguine coaluit. Secundo, quia quotidie Chriſtum parturit in mentibus noſtris, ſicut ô Abbas Guerrice, piè deſcripſiſti hoc ſtylo. *Maria cupit iterum formare vnigenitum ſuum, in omnibus filiis adoptionis, qui etſi genitis ſunt verbo veritatis, tamen parturit eos quotidie deſiderio & cura pietatis, donec formetur in illis Chriſtus, donec occurrant in virum perfectum, in menſuram plenitudinis ætatis filij ſui.*

Maria mater omnium.

S. Auguſt. l. de Sancta virginitat. c. 6.

Quà autem ratione Matris partes agat Chriſti & hominum Mater adæquata, edoce nos eâ quâ polles argutiâ, Doctor Auguſtine; audiamus te placidè ſic effantem. *Maria cum ſit Mater capitis Eccleſiæ, erit etiam & membrorum, quod nos ſumus: & vt fœtus in vtero, non aliud accipit alimentum, ab eo, quod Mater ore ſuo illi infundit; ita & nos, dum ſumus in vtero Eccleſiæ, nil habemus, quod non fuerit prauium ori orantis Mariæ.* Lætitiâ geſtiens Salomon ait in Canticis, nomine omnium noſtrum. *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Duo vbera geſtat Deipara duplici nomine parens, vt duos ſuos geminos lactet. Ea fuit mens Ambroſij. *Benedictus frater, per quem Maria Mater noſtra eſt; & benedicta Mater, per quam Chriſtus noſter frater eſt.*

Cantic. 1.

S. Ambroſ.

S. Iſidorus l. 2. Etymol.

Chriſti tituli.

Luculenter aperit hanc noſtram cum Chriſto & Maria Matre eius myſticam parentelam S. Iſidorus. *Chriſtus eſt vnigenitus in ſubſtantia deitatis, primogenitus in ſubſtantia humanitatis, primogenitus in gratia, vnigenitus in natura, primogenitus in multis fratribus, vnigenitus ex Deo ſolus: inde eſt, quòd frater nuncupatur, & Dominus; frater, quia primogenitus; Dominus verò, quia vnigenitus.*

Geneſ. 25.

Rebecca erat naturâ ſuâ ſterilis; ſed Iſaac Patriarcha deprecante fœcundata eſt: ſic enim habet textus Geneſeos. *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Maria etiam Virgo, prolis erat impos: nam virginum hoc à natura eſt opprobrium, eſſe ſcilicet infœcundas. Itaque cùm Maria eâ eſſet virginitate, quâ nec Angeli nitent, æquè ſterilis atque Virgo erat; ſed inſtantibus oratione ſuâ Patriarchis & Prophetis, Iſaiæ præoſtenſum eſt illud Myſterium: ait enim. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Mariam hic præſciri patet ex nomine filij eius, quod ex Hebræo fonte idem ſonat ac Nobiſcum Deus. Fœcundauit ergo Deus Virginem hanc brachio ſuo præpotente. Quòd ſi Ariſtoteles ait, cuique eſſe in ſua arte credendum; fides maximè erit adhibenda Virgini de ſe eloquenti, cùm explicat ſe ex ſterili imprægnatam: Dei enim dum dicit opus, adiicit nunc conceptum naturæ imnium eſſe omnipotentiæ.

Iſai. 7.

Virgo Beata, adueſperaſcit ſanè; mundus enim vergit ad occaſum: in hac ergo ſæculi veſpera, Cantici tui, quod canitur ad veſperas aliquos nobiſcum concine verſiculos, quibus ediſcamus te præter rerum ordinem impregnatam. Audite Virginem (ô vilia capita) ore canoro ſuauiter occinentem. *Exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Fecit potentiam in brachio ſuo.* Mulierum cantu aliquos arceri Leones effert Plinius: hac credo Mariæ voce ſonora compeſcentur omnes Leonis rugientis, quærentiſque quem deuoret, rationes omnes ad eludendam fidem noſtram compoſitæ: Virgine namque diſſerente, fœtum hunc neſcire virum parentem, ſed è ſurſum eſſe membrorum hanc totam compaginem, ſuadente nobis fidem potentiâ Dei; eam nulla debet infida ratio remorari.

Luc. 1.

Leones timent mulierum cantus.

Plinius in hiſtor. Naturali.

Ex SS. Patri.

S. Chryſolog. ſerm. 142.

Audiuit ſanè Mariæ ſuauem hunc concentum Chryſologus, ſic concinens. *Beata & verè Beata Maria, quæ præter generandi curas, tantam germinis peruenit ad gloriam, intra domum Virginis, negotium cæleſte ſic geritur, vt manentibus clauſtris ipſa domus ſepta non ſentiat. Qui ingreditur & egreditur; & introitus ſui, & exitus ſui nulla veſtigia relinquit; diuinus habitator eſt, non humanus. Noſtra ergo carnis ordo ſecedat; hic ſibi natura noſtra nil vendicet, vbi ad diuinam progeniem cæleſtis ordo diuinam inſtituitur in naturam, conceptus & partus ſermo audientis animum non fatiget, nec leuiter ſenſum moueat Chriſtiani, vbi ad cæleſtem progeniem, virtutis Dei diuina peraguntur inſignia.*

Rebeccam infœcundam non propria pietas, ſed aliena fecit Matrem; ſed Mariæ gratia, quæ ſe totam effuderat in Virginem hanc Dei ſanctuarium, vt Sancti eam appellant; hæc, inquam, gratiæ plenitudo Mariam viri neſciam cælitus impregnauit, vt benè ſubiecit idem qui ſupra aureo ſtylo Chryſologus. *Virgo, te gratia Matrem præſtitit non natura; genitricem te dici pietas voluit, quam non ſinebat integritas.*

S. Chryſolog. ſerm. 142.

Ad fidem huius myſterij ſtabiliendam facit ritus ille nuptiarum, quo velo ſponſi velut nubibus obumbrantur; vnde nubere dicuntur à nube, quaſi velum illud ſit nubes. Ab hoc nubendi ritu non abhorruit Deus: quippe ad inſtar nubis obtentæ, Spiritus Sanctus, cuius in circuitu nubes & caligo, Mariam deſuper obumbrauit. Itaque res hæc tota plena caligine, hominum anxiam non patitur indaginem, quâ comprehenſione capi poſſit, admirationi tantùm aditus patet & fidei, cui negotium iſtud cælitus innoteſcit. Ita Sancti, abditæ rei ſcrutinium abhorrentes, laudibus Deiparam proſequentes aſſumptam in Dei ſponſam, & amorem Dei in nos meditantes, amore in Deum etiam æſtuarunt. Audi Damianum poſitum in ecſtaſi *Senſit Virgo Deum ſuis illapſum viſceribus, maieſtatemque illius, virginalis ventris breuitate concluſam ô venter diffuſior cælis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudis omnia concludentem, in quo Deus gloria reclinatur. Angelus ait: Aue gratia plena, quia a Deo electam & præelectam totam eam rapturus erat ſibi Spiritus Sanctus. Iam conſecranda erat in locum voluptatis, de* quo

S. Damian. ſerm. de Annunt.

Maria hortus voluptatis.

quo fons ille debebat aſcendere, qui vniuerſam terræ ſuperficiem irrigaret.

Iſta nomenclatura fontis Mariæ congruit, iuxta relationem eius cum Rebecca, cui non aqua in vaſe proprio ſufficiens erat; ſed ex fonte, cui adſtabat, effundebat & camelis. Ita & Maria non beneuola tantùm iuſtis, ſed & reprobis propitia, ſi eius opem atque præſidium velint animo ſupplici mendicare. Quid tibi, ò Bernarde vir iuſte, & nobis reprobis, quorum vſurpas orationem, ſic B. Virginem reclamans. *Ciba hodie pauperes tuos, ò Domina, ipſi quoque catelli de micis edant; nec puero tantùm Abrahæ, ſed & Camelis potum tribuas de ſupereffluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta, & præparata Altiſſimi filio.* Ad hunc Mariæ fontem & nos Bernardo comites adiungamus.

Ex HISTORIA. *Hiſtoria Imperatoris in vita Andronici ſenioris ſub an. 1328.*

Quam ſint ſalutares aquæ de Mariæ fontibus erumpentes, omnes penè Sancti ſitibundi clamant; ſed & eadem Virgo prodidit, miraculo toti Græciæ ſtupendo æquè ac grato. Decumbebat ſemper tot Andronicus ſenior Paleologus. Medicis morbo cedentibus imminebat ægro mors certiſſima: furiente febre, vitalia æſtuabant, ſitique arebant ægri fauces. Ille etſi vitæ oblitus, vt qui iam fatis ceſſurus eſſet; Mariæ tamen non immemor, petit afferri ſibi vas plenum aqua fontis Mariæ: erat ille fons Mariæ addictus, vt qui non longè ab ædibus ſacris Deiparæ. Itur ad fontem Mariæ, reportatur aqua, quam hauſit Imperator maiore in Mariam pietate accenſus, quam eſſet febrilis æſtus quo ardebat. Mirum, ab hoc hauſtu aquæ de fonte Mariæ irrepſit ſopor, & ſoporem excepit integra valetudo.

Ex SS. PATRIBVS.

Non facit inuidiam, ò felix Imperator, ſanitas tua dubia reſtituta. Manent ſua quemque chariſmata, copioſè in nos ex perenni Mariæ alueo deriuata; ita vt libeat exclamare cum Damaſceno, quem Maria fecit & ſanum. *Tu vberrima benedictionis ſcaturigo, quæ nobis bonorum omnium cauſa & parens extitiſti, vitæ immortalis puros latices fundis.* Faceſſunt heu Mariæ negotium diſcordes geminorum eius indoles, ſicut Rebeccam læſit filiorum in vtero diſſenſio. *Collidebantur in vtero eius paruuli. Quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* O homo, Mariam tu crucias cùm in Chriſtum reprobus incurris; caue ne fruſtra Virgo in te conceperit abortiuum. Cùm proximis iniurius es, colliduntur in vtero filij: vt quid Mariæ matris viſcera lanias impie fili & deſertor? Audi Guerricum Abbatem. *Exemplo tibi ſit Dominus IESVS: vterum grauidauit non grauauit: te non ſentiat grauem vterus eius, caue ne illam te pœniteat concepiſſe; ſi qui tales ſint, Deus emolliat cor lapideum, ne quatiat viſcera Matris, ipſe viſcera Matris conſoletur, ne fatigetur eos portare qualeſcumque ſint, donec formetur in eis Chriſtus.*

S. Damaſc. orat. de Natiuit. B. V. Mariæ.

Mariæ vterus non grauauit eam.

Guerricus Abbas ſer. 3. de Annun.

O benignitatem inauditam à ſæculo! Maria non patitur modò hominum iniquos inſultus in filium ſuum Ieſum, imò occiſum ab homine non vlta eſt; ſed hominis iniquam miſerata ſortem, Deum Patrem fecit homini propitium: figuram accipe ex ſcriptura, vbi Mulier illa Thecuitis ideam Mariæ refert, Dauidem orans, vt filio ſuo fratricidæ remittat immane ſcelus. *Ancilla tua erant duo filij, qui rixati ſunt in agro aduerſum ſe, percuſſitque alter alterum & interfecit eum. Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio aduerſum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum.* O homo, inſurrexiſti in Chriſtum cùm peccaſti: vniuerſa cognatio Angelorum expetit pœnas: ſed Maria ſollicita de te qui ſuperſtas, anxia vitam à Deo meruit impertiri. Audit fœmina Thecuitis Dauidem Regem æquiorem factum in fratrem homicidam dicere Ioab Duci: Placatus feci verbum tuum, reuoca puerum Abſalon. Maria quidem gratiam extorſit à parente Deo, quem Filij Ieſu mors fecit infenſum; ſed nobis verbi præconibus, ducibus animarum, reuocandi fratricidas cura incumbit, vtpote à Deo demandata.

2. Regum cap. 14.

Igitur adeſte, Abſalones, reprobi omnes huc conuenite, Chriſti necis conſcij omnes, ne vos ampliùs venia dubia ſollicitet: ſi Mariam conueneritis, illa retroactæ vitæ impiæ titulos omnes eradet. Quid nectitis moras, inſtant dæmones, vindictam vrgentes, quam & Angeli petiere, vindices mortis Chriſto rerum omnium Domino turpiter intentatæ. Adeamus Mariam ſupplices; nam ex Bonauentura, illa Deipara vas eſt adeò gratiis exuberans, vt vndequaque redundet; & ſi precibus moueatur, largiter inundabit. Fortè, ò reprobe, os tuum pleraque impia & impudica locutum; deficiunt verba, quibus Mariam ſupplex queas deprecari: inopiam tuam leuabit S. Ildephonſus. *Procido coram te ſolum opus Incarnationis Dei mei, rogo te ſola inuenta ancilla filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei, concedas etiam mihi adhærere Deo & tibi, illi ſicut factori meo, tibi ſicut genitrici factoris mei, ideo ego ſeruus tuus, quia tibi Filius Dominus meus, ideò tu Domina mea, quia tu ancilla Domini mei: oro te Sancta Virgo, vt de illo ſpiritu habeam Ieſum, de quo tu genuiſti Ieſum; ab illo ſpiritu ſit mihi noſſe Ieſum, à quo tibi affuit, habere & noſſe Ieſum; in illo ſpiritu, humilis excelſa loquar de Ieſu, in quo confiteris eſſe te ancillam Domini; in illo ſpiritu, diligam Ieſum, in quo tu hunc adoras vt Dominum, tueris vt Filium, intueris vt Deum. Amen.*

S. Bonau. in ſpecul. cap. 8.

S. Ildephonſ. de Virginit. Mariæ c. 12.

Maria inuocata vt Deũ conciliet.

IN DIE FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

EVANGELIVM.

I. EXVRGENS Maria in diebus illis abiit in montana, cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.

II. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio, in vtero meo, & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.

III. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

I. *ANIMA Deo impregnata, neſcit humilia, ſed ad cæleſtia tota erigitur pernice niſu.*

II. *Nec ſibi tantùm, ſed & aliis eſt proficua atque benefica, cùm exemplo, tum facultatibus.*

III. *Suorumque chariſmatum dedignata decus impenſum, ab aliis ſuorum agonum teſtibus, gloriola inanis neſcia, totam gloriam penes Deum eſſe ait, in quem & refundit, magnificans eum hiante corde, & ore patulo.*

ANIMA DEO IMPRÆGNATA tendit ad excelſa.

In hæc verba:

Exurgens Maria abiit in montana.

SECTIO PRIMA.

EX Sacra Theologiæ diſciplina, animæ dotes in duas Claſſes diſpeſcuntur adæquatè: ſunt enim gratiæ omnes, vel in naturæ confinio, vel naturam hæ prætervolant, & tranſcendunt. Si ſunt ordinis vernaculi, hominem illæ charites elimant & poliunt in ordine ad omnia naturæ munia: ſed eum non imprægnant diuino fœtu. Quippe Deus ſolo naturæ conamine nequaquam concipitur; & ideò Philoſophi quantauis virtute morali enituerint, minimè tamen Dei vnquam compotes extiterunt, ſed euanuerunt, inquit Apoſtolus, in cogitationibus ſuis, & anima eorum neſcia fœtus abortiuit. De his animæ ſenſibus non diſputat hæc ſectio; ſed de gratia habituali, quâ homo fit formaliter Deo gratus; & hæc hominē ita euehit ad ſuperna, & ſuo lumine cælos ita ei peruios facit, vt S. Thomas gratiam & gloriam aſſerat ad idem pertinere genus; & gratiam nihil eſſe quàm gloriam inchoatam: & ſic Sanctus ille aſſertor eſt eius quam hîc profiteor veritatis, ſcilicet animam Deo fœtam infima quæque tranſcendere, adinſtar Mariæ, quæ ſtatim à conceptu ſuo, exurgens abiit in montana, pertæſa ſedes inferioris ordinis.

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 24 art. 3. ad 2. Rom 1.

Mariam deſignare animas gratiâ inſignes liquet ex nomine eius, quod ſignificat Dominam, ſeu illuminatam: peculiare autem eſt gratiæ illucere hominibus, & præſtare dominium in naturæ iniquæ impetus inſurgentes: & hoc dominium homines facit idoneos ad ardua, & diſgregat à terrenis. Hoc Hebræi, & Græci ſuo idiomate optimè deſignarunt: nam homo Sanctus, id eſt exquiſitæ gratiæ dicitur *cadoſch*, קדוש, à radice *cadaſch* קדש id eſt *reſtaurauit*. Nam homo priſco ſtatui redditur innoxio, gratiæ illapſu; eo autem in ſtatu infima quæque exoſus, tantùm cæleſtibus inhiabat: cùm ergo eum gratia reſtauret, lutea quæuis abiuret homo, de gratia benè meritus, & arduis rebus omnino mancipetur, vt & fert vox Græca ἅγιος Sanctus, quam Origenes deducit ab α priuante, id eſt ſine, & γαῖα terra.

Ex Philoſophiis etiam ſtare poteſt noſtra aſſertio: nam ex Ariſtotele. *Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.* Id eſt virtus vbi quempiam induerit, accingit eum ad maiora, ſed ex Magiſtro ſententiarum, gratia & virtus idem ſunt, dicitur enim gratia quia gratum efficit ſubiectum; virtus verò, vt diſponit ad praxim arduam & excelſam. Cùm autem audis gratiam virtutem eſſe, cogita genus nobile virtutis: nam aliæ præſtant facultatem, boni operis, ſed non vſum, quales ſunt multæ virtutes intellectuales, quæ boni & mali quidem notiones ingerunt, ſed non dant vſum boni operis, vt faciūt virtutes in voluntate ſitæ: Charitas verbi gratia,

Virtus quid ſit. Ex Philosophia. *Ariſtot. l. 7. Phyſic. cap. 3. Magiſt. ſententi. lib. 2. Sententi. diſt. 26.*

&

& facultatem boni operis, & bonum vſum præſtat; ergo cum gratia & Charitas ſint idem realiter in via Scoti, vides gratiam alas hominibus expedire, ita vt vnicuique homini Deo grato, conueniat Symbolum Pegaſi equi alati, cui per aëra vecto inurit has voces Typotius, ALTA ALATIS PATENT.

EX SYMBOLIS.
Typotius l. Symbolor.

Homo ſanè in mero naturæ ſtatu equo propè non eſt ſimilis, imò inferior dum delinquit: nam peccatum eſt pecoris actum; ideò monet Pſaltes *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Carni quippe addictus, carnalis efficitur; eſt autem omnis caro fœnum, quo equus ille miſerè ſaginatur. Sed gratiâ circumcingente hominem, diceres componi alas, quibus ad prælta quæque citiùs efferatur: nihil enim quod cunctari queat auſus Sanctorum hominum obiici poteſt: nimirum. *Alta alatis patent.* Exurgentes abeunt in montana: nam vt de Maria ait Ambroſius. *Quo enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora, cum feſtinatione contenderet? neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Oportere autem eſſe expeditum ab infimis, vt virtuti ſtudeatur, inſinuat ille idem Ambroſius. *Virtus eo pluris æſtimanda eſt, quò plura contemnit: magna virtutis eſt cum felicitate luctari, magna virtutis eſt à felicitate non vinci: mens non poteſt habere regnum virtutum, niſi prius excuſſerit regnum vitiorum.* Quà verò ratione comparetur illa animi indoles, cæleſtia meditantis, edocet Ambroſius. *Qui deficit ſibi vt virtuti adhæreat, amittit quod ſuũ eſt, accipit quod æternum: nulla ſine labore virtus eſt; quia labor proceſſus eſt virtutis.*

Pſalm.31.

EX SS.PATRIBVS.
S. Ambroſ. in Luc.1.
Idem in ſer.
Virtutis vis patet in vitia
Idem in pſal. 118.
Virtus vera quænam ſit.

Ne autem inceſſus ille ad ſuperna tædium ingerat, neſcit moras virtus impigra, ex Auguſtino ſic narrante. *Non eſt vera virtus, niſi quæ ad eum finem tendit, vbi eſt bonum hominis, quo melius non eſt.* Ad Deum autem contendere, ex Bernardo, eſt indefeſſo gradu ad eum properare: currentem enim non apprehendit Deum, qui & ipſe pariter non currit; & hinc eſt illa parænefis Bernardi. *Feſtinemus obſecro dilectiſſimi, feſtinemus; tota nos multitudo cæleſtis curiæ expectat; exultare fecimus Angelos, quando conuerſi ſumus ad pœnitentiam: perficiamus & feſtinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum; putaſne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam ſperato vis priuare gaudio. Quid nũc erit, ſi ab ipſa paradiſi ianua reuerti viderint, & abire retrorſum eos, qui iam pedem alterum in paradiſo poſuerunt: nam, etſi corpora inferius, ſed corda ſurſum; currite fratres, currite; non ſoli Angeli, ſed & ipſe creator Angelorum vos expectat.*

S. Auguſt. de Ciuit. Dei, lib.4.
S. Bernard. ſerm. 2. de Vigilia Nat. Domini.

Lactantius eos ſolos aptos ad hoc cæli curriculum ait, quos virtutis defæcatæ praxis indeſinens, à vitiorum contagio fecit penitus alienos. Quaſi diceret, id quod mihi eſt multiplici argumento mentibus ingerendum, ſcilicet animas innoxias nihil hiulculum pati, & minimè dehiſcere, aut deorſum inclinari, ſed potius emergere de barathro, & ad ſupera omnia quantocyùs euolare. Sic ille. *Nemo virtuti ſauet, niſi qui ſequi poteſt: ſequi autem non eſt facile omnibus; hi poſſunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit: nam ſi virtus eſt tolerantia malorum; non capiunt ergo virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt: quia mala nec experti ſunt, nec ferre poſſunt, aſſuetudine ac deſiderio bonorum, quæ ſola nouerunt; eo fit vt pauperes facilius credant Deo, & humiles qui ſunt expediti, quàm diuites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, imò concatenati, & compedites, ſeruiunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit, nec poſſunt in cælum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt; virtutis autem via non capit magna onera geſtantes. Anguſtus admodum eſt trames, per quem iuſtitia hominem deducit in cælum, hunc tenere non poteſt, niſi expeditus & nudus nam iſti locupletes multis & ingentibus ſarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam latè perditio dominatur.*

Lactantius Firmianus lib.7.cap.1.
Paupertatis encomia.

Virtutem arduis aſſueſcere præoſtendit & Chriſtus, cuius omnia præclarè geſta myſticum quidpiam eloquuntur. Aſcendebat ille crebrò in montem orare ſolus. Et vt priſca ſæcula reuocem. Quò ſe contulit Moſes Deo plenus, niſi in montem Sinaï, illic denuo Dei colloquio fruiturus? Quò pernice greſſu properauit Helias, cælico pane paſtus? Nonne in montem Oreb, Dei aſpectu potiturus ex edito loco. Quò filios Prophetarum Eliſæus ſacris diſciplinis deduxit imbuendos? Annon in montem Carmelum? vt vel hinc ediſcerent, virtutis ſtudium eſſe diſciplinam rerum arduarum, vt lepidè retorſit Socrates in Theodatam meretricem, quæ pellice pompa & habitu in libidinem compoſito, multis ſtipata iuuenibus, quos ſua ſpecie dementarat, occurrens Philoſophorum illi ſapientiſſimo, cum ſcommate hoc feriit: Quid eſt, ô Socrates, quòd Philoſophiam iactes, & ambitioſo eloquio concrepante carpas meum inſtitutum, cuius plures circumduco ſequaces, quàm habeat tua Philoſophia ſectatores? Benè, inquit Socrates, plerique tibi lenocinantur: ô vile caput, ampliore caterua tu ſtiparis, ô obſcœnum ſcortum, quia deducis ad abyſſum luxuriæ; ego verò raros habeo ſymmiſtas, quia aſcenſum virtutis profiteor.

EX HISTORIA.
Exod.19.
3.Reg.19.
4.Reg.2.
Voluptas cur ſequaces habet.
Ælianus li. 13. variarum Hiſtoriarum.
Theodatæ meretricis colloquium cum Socrate.

——Facilis deſcenſus Auerni,
Sed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Æneid.6.

Carlomanno Principe ſeceſſum è ſæculo meditante, ſubiit animũ eius ardua cogitatio. Erat is regij Gallorũ ſtemmatis, Pipini Regis germanus, & patruus Caroli Magni Imperatoris, Dum igitur, priſcos exoſus mores ſuos, cogitaret aliud inſtitutum; ſeſe obiecit illi Mons Caſſinus, vt locus idoneus receſſui, & edito ſuo culmine referens arduum vitæ genus, quod obire volebat Princeps pertæſus vilia mundi crepundia: poſitis igitur infulis omnibus, & titulis dignitatum præpotẽs hic Dynaſta, mente Deo fœta pergit ad montẽ Caſſinum, moliens rem excelſiorem illo monte; ſcilicet apud ſe ſtatuit ementito regio ſuo ſtatu fingere ſe peregrinum, qui precariò vitam agẽs peteret aditum Monaſterij, vt illic æuum ſibi ſuperſtes ageret, cibos ſibi impenſos iugi obſequio redempturus. Siſtitur Abbati Princeps, gregarium hominem ſimulans: traditur ei portio gregis vt paſcenti inuigilet; obit lubens demandatam Prouinciam, & depreſſo ſupercilio faſtuque ſæculi, ea humilitate ſurrexit, vt fuerit Eccleſiæ toti ea tempeſtate miraculo. Reuerà fundamenta eius in montibus Sanctis: primo enim impetu gratiæ montem Caſſinum adiit, vnde virtutum omnium apicem animo impigro ſuperauit. Quippe, vt præfatus ſum virtus

Leo Oſtienſis in Chronico Montis Caſſini.
Carlomanni receſſus à ſæculo.

in arduis eſt, & ad ardua ſuos ſollicitat ſectatores, vt ait Lactantius. *Vna eſt virtutis via, quæ fert nos in Elyſios campos, vt Poetæ loquuntur.* Et quia Poëtarum facit ille mentionem, audi eos in ſuo choro, virtutem decantantes delectati rebus præexcelſis. Præeat Archipoëta Maro.

Lactantius lib. 6. c. 4.

EX PROFANIS.

Pauci quos æquus
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus
Dijs geniti potuére.

Virgilius li. 6. Æneidos.

Ait homines Deo ſatos, virtutis ſuffragio aſcribi cælicolis; & hoc conſonat meo titulo prædicanti, homines Deo percitos aliis omnibus eminere. Naſo occinit Virgilio.

Inuia virtuti nulla eſt via, & alibi.
Difficile eſt fateor, ſed tendit in ardua virtus

Horatius non longè abeſt, dum deſcribit virtutis auſus.

Ouid. Metam. lib. 14. fab. 4.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures,
Arbitrio popularis auræ. & alibi,
Non poſſidentem multa vocaueris
Rectè beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati.

De Ponto li. 2. Elegia 2.
Horatius carminum lib. 3. Ode 2.
Idem Odê 94.

Seneca expreſſius ait eminere virtutem, vrgens Lucilium ad ſequelam eius. *Virtus extollit hominem, & ſupra aſtra mortales collocat; nec ea, quæ bona, aut mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaueſcit.* Et aliâ epiſtolâ, eiuſdem virtutis texens encomia, illius heroicos effectus ſic recenſet. *Virtus regna, vrbes, prouincias temperat, fert leges, amicitias colit, inter propinquos liberoſque diſpenſat officia, modò arcto fine circundetur paupertatis, exilij, orbitatis; non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio, in priuatum, ex regio in humilem ſubducitur, ex publico & ſpatioſo iure, in anguſtas domos vel angulos coit.* Vndè ſic arguo: natura hominis duobus modis perficitur, ſcilicet virtute, & gratia. Virtus hominem elimat in his, quæ ſunt naturæ conſona, nec excedunt eius auſus; gratia verò hominem idoneum cælo facit, & compotè boni, cuius impos eſt natura, ſuo tantùm freta conamine. Ergo ſi natura virtute inſignis fertur ad ardua, vt præfati auctores clamant; gratia etiam habitualis ſuos ad ſidera efferet titulo potiore.

Seneca ad Lucilium, epiſt. 88.
Idem ep. 75.
Virtus quales effectus in anima ſortiatur.

EX RE MEDICA.

Fauet & res medica huic intento: nam ſanitatem venatur illa ex conatibus arduis; & Hippocrates habitum Athletarum vocat ſummum, & quaſi vltimam periodum ſanitatis, vlterius progredi neſciam: quippe illi præualidâ compage lacertorum fulti, longa curricula præteruolant. Ita & nos gratiam affirmamus hominem diſponere ad maximos auſus, ex quibus intenſio ſiue remiſſio gratiæ colligitur: iuxta illud Galeni *Functionibus ſecundùm naturam obeundis ſanitatis habitus diſcernitur.* Et ex Cornelio Celſo. *Sanus homo, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet: hunc oportet frequentius ſe exercere, ſiquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectam, hic longam adoleſcentiam reddit.* Hoc ferè ait Apoſtolus, cùm Spiritus Sancti gratiam legibus non addictam, ſed liberam eſſe pronuntiat. *Vbi Spiritus, ibi libertas.* Quaſi diceret, eos quos gratia inſtituit eſſe ſui iuris, & nulla vitiorum compede præpediri; nihilque eſſe quod moras nectat, cùm properant ad excelſa, quò nemo pergit niſi vitiis expeditus: vt habetur Iure Canonico quo etiam ſtat noſtrum

Hippocrates li. 1. Aphoriſ.
Galenus de ſanitate tuenda lib. 1.
Cornel. Celſus lib. 1. c. 1.
2. Cor. 3.

theorema, vt liquet hoc Canone, quem decreto inſeruit Gratianus ex Ambroſio. *Cum renunciatur improbitati, ſtatim adſciſcitur virtus. Egreſſus enim malitia, virtutis operatur ingreſſum; eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Vbi nota malitiæ egreſſum, eſſe animæ conatum arduum, quem excipit ingreſſus ad virtutem, vtique velox, qualem deſcribit ſic Bernardus. *Quidam ad omnia via & vita huius exercitia non ſolùm ambulant, ſed & currunt imò potius volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni ſuaues, labores non ſolùm tolerabiles, ſed & appetibiles videantur.*

Virtutis ingreſſus in animam.

EX IVRE CANONICO.

In Canone cũ renunciatur 32. qu. 1.
S. Ambr. lib. 2. de Cain & Abel.

A contrario autem ſenſu extorres à gratia non tepent modo; ſed & humi ſerpunt, neſcij virtutum omnium: hos ſic pungit idem ſanctus. *Alij corde arido, & affectione recalcitrante vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Sunt iterum multi inter nos, qui de vno pane comedunt nobiſcum, dormiunt nobiſcum, cantitant nobiſcum, laborant miſeri, & miſerabiles, vtpote ſocij tribulationis, ſed conſolationis non ita: huiuſmodi autem ſi ita permanſerint diu ſub onere, aut opprimuntur, & ſuccumbunt, aut quodammodo in inferno ſunt, vt nunquam ad plenum reſpirent in luce miſerationum Domini, nec in libertatem Spiritus, quæ ſola facit iugum ſuaue, & onus leue: inde autem tam pernicioſa tepiditas emanat, quia affectus, id eſt voluntas eorum nondum purgata eſt, nec bonum ſic volunt ſicut nouerunt, à propria concupiſcentia abſtracti grauiter, & illecti: inde eſt quod rarò affectiones ſuas dirigunt in Deum, & eorum compunctio, non continua, ſed horaria eſt; impleri autem viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ his diſtractionibus ſubiacet, & quanto magis illis euacuabitur, tantò amplius iſtis implebitur: vel certè ſi magis probas, nunquam miſceri Domino poterunt in æternum, quia vbi vaſa vacua non inuenit, ſtare oleum neceſſe eſt, nec mittunt nouum vinum, niſi in vtres nouos, vt ambo conſeruentur: neque enim ſpiritus & caro, ignis & tepiditas, in vno domicilio commorantur; præſertim cum tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum prouocare. Si enim Apoſtoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola ſancta, quia Sancti Sanctorum erat, Spiritu Sancto repleri nequiuerunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ, quæ ſordidiſſima eſt, & diuerſarum ſpurcitiarum phantaſiis repleta, aſtrictus, & conglutinatus, illum mundiſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renuntiare tentaueris.* Hæc fusè Sanctus Bernardus.

Virtus feruentes efficit.
S. Bernard. ſer. 3. de Aſcenſione Domini.
Religioſi quare nõ ſentiunt conſolationes.
Conſolationes animæ vnde petantur.

Prælibatis non modicum lumen adiicit Mathematica, ſuo modo probans animam quò augetur in gratia, eò etiam perniciore motu percelli ad emicantia facinora. Ex Aſtronomia, Luna triplici motu fertur iuxta tres cælos, quorum patitur illa motum. Fertur à cælo mobili, & quatiente alios omnes ab ortu ad occaſum; ille motus eſt æqualis, vtpote remiſſionis & intenſionis expers: à cælo ſuo deferente Luna cietur iterum greſſu retrogrado ab occaſu ad ortum; eo motu Luna ſuum etiam tenorem ſeruat. Sed & eſt aliud cælum ſeu potius circulus craſſitudini cæli inſitus, in cuius orbe Luna gyrat, momentis anomalis: aliàs enim dicitur tarda, decurrens duodecim gradus Zodiaci, vno die Mathematico; aliàs dicitur velox perficiens

EX MATHEMATICA.
Ioannes à Sacro-boſco lib. 1 de Sphæra. & Clauius in lib. 1. Sphæra.

Auctores omnes de modo componendi Ephemerides c. de luna.

ficiens quatuordecim gradus:eſt autem velox aucta lumine,quaſi lux diffuſa Lunæ expediret alas.

Ita anima,deterſa peccati caligine,& gratiæ lumine illuſtrata, neſcit moras, ſed feruida exultat vt gigas ad currendam viam ſuam, Spiritu Sancto cienre facultates omnes animæ hactenus elanguentis; repurgata tamen fæce criminum, vt notat Bernardus. *Tunc purgabitur affectus,& voluntas renouabitur,vel potius noua creabitur, vt omnia,quæ primò difficilia, imò impoſſibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcodine & auiditate. Emitte*,inquit, *Spiritum tuum & creabuntur,& renouabis faciem terræ.* Sicut per faciem exterior homo cognoſcitur,ſic per voluntatem demonſtratur interior. Emiſſo ergo Spiritu creatur & renouatur facies terræ, id eſt terrena voluntas fit cæleſtis, parata ad nutum citiùs obedire. *Beati qui tales ſunt, quia non ſolùm mala ſentiunt, ſed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De his autem quos ſupra commemorauimus, terribiliter ait Deus: Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt,id eſt carnales, & quicquid in eis ſpiritus fuerat,in carnem euanuit.*

Femoris effectus. *S. Bernard. vbi ſuprà.* *Pſal. 130.*

Gen. 6.

Et vt nihil deſiderari queat ad firmandam gratiæ præſentiam;libet adſciſcere ex Iure Ciuili effatum nobile Iuſtiniani Imperatoris,qui vt ſe probaret Dei obſequin maximè addictum, atque adeò gratiæ Dei cultorem religioſiſſimum,id voluit fieri palam, ex odio in quæque deliquia, & ex cura quâ flagrabat, vt vnuſquiſque vitam ageret ad amuſſim legum, ſic fatur hæc maieſtas: *Iuſtitiam colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes; bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes; veram, ni fallor, Philoſophiam non ſimulatam affectantes.* Equidem ſcitè ais,Imperator,te non inani ſtudere Philoſophiæ; hanc etenim aſpernatur eminens hæc pietas, quam tu profiteris: neſcit illa fucos, in aperto eſt, omnibus ſe explicat & aperit illa virtus; & vt è cælis eſt oriunda, illuc ſuos euehit & ſequaces.

Ex Ivre Civili. *Lege 1. de Iuſtitia & Iure.*

Gratia non repit solo tenvs, sed ad cælvm rapit qvos tenet.

GRATIA NON SIBI TANTVM, ſed & aliis eſt benefica.

In hæc verba.

Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.

Sectio Secvnda.

Ex Philosophia. *Porphyr. in lib. prædicab.*

PHiloſophiæ theorema eſt omnis exceptionis impatiens, ſpecies omnes in vna eademque ratione conuenire generica,vt homo, Leo,agnus, etiamſi ſint diſſitæ ſpecies ab inuicem; in eo tamen conueniunt quo cenſentur eſſe animalia: habent enim corpus ſenſibile; ergo cùm gratia, Dei indiuidua comes charitatis, ſit ſpecies boni, erit diffuſiua ſui: in eo enim ſita eſt ratio boni, non vt tantùm ſe diffundat,mouendo appetitum, ſed & communicando ſe;vt videre eſt inductione facta per omnia:quò enim præſtant elementa, eò ſunt ampliora,aqua vt terrâ nobilior,terrâ maior eſt,vt quæ eam circumagat;aër præſtat aquæ, vtpote ſine quo vita duci non poteſt, ideò aër magis effunditur; ignis autem nobilius elementum ſphæra gaudet potiore: & quia aër & ignis præeunt aliis viuentibus; ita ſe inſerunt ſuis qualitatibus, vt vita dicatur eſſe in calido & humido, ſicut in ſubiecto: aqua verò & terra, vt infima elementa, compagini tantùm corporum addicuntur. Igitur cùm nihil in rerum natura gratiæ adæquari poſſit, neceſſe eſt vt ſuos latices longè latéque diſpergat, vt videre eſt in Maria, quam vbi gratia copioſior alluit, ea velut impos ſui, abiit in montana, intrauit domum Zachariæ: & vt fœderis arca repleuit domum Obededon aurâ beneficâ, atque toti familiæ proficuâ; ita & Maria propitia illuxit domui Zachariæ, eiuſque præſentiam præſenſit infans necdum ab vteri ergaſtulo expeditus.

2. Reg.

Ex Theologia.

Anima Mariæ æmula, cui illapſus eſt Deus, non ſibi tantùm,ſed & aliis etiam ſtudet: nam ex Theologia, quò quis magis ad Deum accedit, eò Dei naturæ eſt ſedulus imitator, & is quem exigebat Chriſtus,dum aiebat. *Eſtote vos perfecti,ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* At ex ſancto Thoma gratia eſt quædam participatio diuinæ naturæ quâ deificamur, Deo ſeſe communicante nobis: ergo vt nihil eſt in rerum natura, quod Dei liberalem manum effugiat; habent enim omnia à Deo vt ſint; nihil etiam homo Deo gratus excipiet ab officio ſuæ charitatis, ſed erit omnia omnibus, vt ſuadebat Paulus. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Vt autem componamur ad exemplar Dei, audiamus ex Tertulliano quid ſit, & quis ſit Deus. Sic ille. *Deus æqualis eſt ſuper omne hominum genus & indulgens, & increpitans; communia voluit eſſe, & commoda profanis, & incommoda ſuis, vt pari conſortio omnes, & lenitatem eius, & ſeueritatem experiremur.* Quaſi diceret doctiſſimus ille Afer: Si vis Deum æmulari, præbe te omnibus æqualem, ſiue corrigas, ſiue impertias de tuo penu, omnium ſaluti inuigila. Nam charitas virtus cùm ſit infuſa, quâ diligimus Dei bonum, id eſt, volumus Deo ſuum illi ineſſe bonum, ipſius tantùm Dei gratiâ; ea etiam ſunt curanda, quæ faciunt ad gloriam Dei: videlicet ſalus proximi, ad Dei nempe gloriam ſpectat vt proximi ſint beati.

Matth. 5. *S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 1.* *Rom. 12.* *Tertullian. Apologetic. cap. 41.*

Meritum in anima vnde augeatur.

Ex SS. Patribvs. *S. Auguſt. li. de laud. charitatis.* *Idem lib. de Doctrinâ Chriſtianâ.* Charitas eſt glutinum.

Hac qui charitate flagrat, non alio eget gratiæ habitualis argumento. De ea ſic eius Encomiaſtes Auguſtinus? *Non numeroſitas operum non diuturnitas temporum,ſed maior charitas,meliorque voluntas auget meritum: nam quod patet, & quod latet in diuinis codicibus tonet, qui charitatem ſeruat in moribus.* Alibi ille. *Sola charitas eſt, quæ vincit omnia, & ſine qua nihil valent omnia,& quæ vbicumque fuerit, ad ſe trahit omnia. Scientia ſi ſola ſit,inflat; quia verò charitas ædificat, ſcientiam non permittit inflari; ea eſt actio rectitudinis,oculos ſemper habens ad Deum, glutinum animarum, ſocietas fidelium, otio non fracta, non fugax, non audax, non præceps.* Charitatem otio non frangi, Maria teſtata eſt, cum exurgens abiit in montana cum feſtinatione, non eſſe eam audacem ſiue præcipitem,clamat humilis inceſſus & ingreſſus, de quo ſic ſcriba ſacer. *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.* Vis ſcire quomodo euehat & nos ad mõtana illa virtus, diſce à ſummo à Pontifice Gregorio Magno. *Tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit,cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer*

Luc. 1. *S. Gregor. de paſtorali.*

Charitatis augmentum vnde petatur.

attrahit, & quæ benignè deſcendit ad infima, valenter incurrit ad ſumma: & ibidem adiicit. *Charitas cor iuſti diuidi per multa compellit, quod tamen tantò arctiùs in Deo colligit, quantò latiùs per ſancta deſideria ſpargit.* Hactenus ſanctus Archipræſul.

Eſto hoc igitur ratum hominem Deo gratum, proximi etiam ſui bonis omnibus incubare, vt quaſi obſtetricante manu, animæ parturienti fœtum gratiæ & ſalutis opem ferat: quæ ſint autem bona quæ conducant ad ſalutem, audi ex Bernardo.

S. Bernard. in ſerm. de triplici genere bonorum.

Alia ſunt bona naturalia, ſpiritualia, æterna; & quidem naturalia bona magna, ſpiritualia maiora, ſed maxima ſunt æterna. In primis reparamur, in ſecundis excitamur, extendimur & beatificamur in tertiis.

Bona multa animæ, & quæ ſint.

Bonum naturale ſanitas, ſpirituale puritas, æternum gloria æterna. Sanitati conſulitur proximi, Eleemoſynis; gratiæ ſiue puritati, conſiliis & exemplis; gloriæ æternæ, orationibus atque ieiuniis: & hoc potiſſimum per modum ſuffragij impenſi animis, quas cenſura flammæ vindicis excoquit in clibano repurgante. De hoc ternario ordine diſſeramus.

Gratia eſt Eleemoſynæ comes.

Ea prouidentia moderatur Deus ſalutem omnium noſtrûm, vt alios patiendo ſanctè, alios verò compatiendo & apparendo curet: vnicuique autem medicamen naturæ conſonum adhibet, ita vt quis in paupere ſit ſuperſtes in gratia, qui in opum affluentia peſſum iret: ſicut ergo pauperes in patientia debent poſſidere animas ſuas; ita etiam diuites Eleemoſynis debent redimere peccata ſua, quemadmodum conſulunt omnes Sancti, in quibus ſic Auguſtinus.

S. Auguſt. ſer. de verb. Domin.

Pauper nihil portat, tu nimium oneratus es, da illi de eo quod habes, & illum paſcis, & pondus minuis. Item ille. *Eleemoſyna mundat peccata, & ipſa interpellat pro nobis ad Dominum, quia quicquid pauperibus dederimus, ipſum integrè poſſidebimus.* Rurſus.

Pauperes adiuuandi. Eleemoſynæ effectus.

Idem ſer. de diuite.

Idem ſer. de verb. Dom.

Fœcundus eſt ager pauperum, citò reddit donantibus fructum, via cœli eſt pauper, per quam venitur ad patriam; incipe ergo erogare, ſi non vis errare: dicit tibi Chriſtus, da mihi ex eo quod dedi tibi; de meo quæro, da & redde; habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem; temporalia mihi das, æterna tibi reſtituam, teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Pauperes eſſe antidotum facultatum, quibus multiplex virtus ineſt, accipe ex eodem Auguſtino.

Ibidem. Pauperes amandi.

Vtantur diuites conſuetudine infirmitatis tuæ, ſed doleant aliter ſe non poſſe; ſi ergo non extollitur pauper de mendicitate, quare tu extolleris de infirmitate.

Ex Theologia.

S. Thom. 2. 2. q. 14. ar. 2.

Quare gratiæ comes ſit Eleemoſyna, accipe ex Theologia: Gratia eſt gloria inchoata, vtpote faciens nos diuinæ conſortes naturæ; ſed Deus omnibus largitur affluenter, & beatitudo in communicatione ſita eſt: ergo is, cui gratiæ lumen affluxerit, opes habebit effluentes, in ſubſidium inopum. Et in Eleemoſyna eſſe beatitudinis partem ait Pſaltes, cuius ſpiritum ebibit Ambroſius ſic effatus.

S. Ambroſ. li. de officiis.

Beatus planè de cuius domo nunquam vacuo ſinu pauper exiuit, neque enim quiſquam magis beatus, quàm qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Rurſus ille explicans mentem Pſalmographi ſic ſcholiaſten agit

Idem in Pſal. 118.

Pauperum manus gazophylacium.

Ille intelligit ſuper egenum & pauperem, qui largitur pauperi; iam quid prodeſt miſereri inopis, niſi alimoniam ei largiaris; hoc eſt occidere hominem, vitæ ſuæ ei ſubſidia denegare: caue ne inter loculos tuos includas ſalutem pauperum, tanquam tumulis ſepelias vitam inopum.

S. Hieron. lib. epiſt.

S. Chryſol. in ſerm. de Eleemoſy.

Occinit Hieronymus. *Pars ſacrilegij eſt, rem pauperum non dare pauperibus: laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta conuiuia.* Nihil autem æquè Eleemoſynam commendat, ac illa Chryſologi encomia. *Manus pauperis eſt gazaphylacium Chriſti: quicquid pauper accepit, hoc Chriſtus acceptat: da ergo pauperi terram, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt detur tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, hoc habebit alter.*

Ex Historia.

Munſterus lib. 3. Coſmograph. vbi de ducibus Allobrogum.

Pauperes quâ amauit Amadæus Sabaudus.

Nicephorus Calliſtus hiſtoriâ Eccleſiaſt. lib. 12. c. 42.

Non latuit Amedeum Sabaudiæ Ducem eminens illa vis Eleemoſynæ, qua coëmitur regnum ſiquidem Legatis ab eo ſciſcitantibus, an non venaticos canes haberet exquiſitos, quibus leuaret aliquando tædium huius vitæ. Habeo equidem, inquit, & optimos, quorum ſagaci indagine paſcor, & maximam capio voluptatem: cras, ſi licet vobis per otium, turbam illam meorum horum canum oſtendam. Illis poſtera die redeuntibus, Amedeus protensâ manu in pauperum agmen ait: Ecce venaticos canes, quibus gratiam Dei venor, & cælum: quod enim Deus mihi nequaquam concederet, hoc ipſum Eleemoſyna minimè denegabit. O regiam planè vocem, vtique cælo dignam! Quam putas animæ ſuæ geſſiſſe curam, eum qui ſalutis alienæ etiam corporeæ adeò fuit ſollicitus?

Induerat ille Princeps animum Imperatricis olim coniugis Theodoſij, cuius menti adeò altè pietas in pauperes inſederat, vt propria manu illis inſeruiens Eleemoſynas erogaret: vnde à ſuis obiurgata, arbitrantibus dedecere Maieſtatem imperij, ſi manuum obſequio pauperes adiuuaret; illâ quâ pollebat, ait, modeſtiâ; Imperator Imperium fecit Deo ſacrum; mihi manus à Deo traditæ ſunt vice Imperij, has illi conſecro in pauperum humili famulatu: quippe Deum in paupere agnoſco & veneror. Perculſi hoc mulieris effato pietatis illius cenſores importuni, eam impenſiùs poſtea coluerunt.

His exemplis ſtudeant quibus fas eſt, pauperum leuare inopiam, & egeni patientiâ ſuâ redimant criminum ſuorum maculas, quas diuites Eleemoſynâ, & pietate detergunt. Æquè enim eſt neceſſaria inopi patiens æquanimitas, ac diuiti opum effluxus, Deo vtrumque optimè ſanciente, vt bellè explicat Baſilius.

S. Baſilius hom. 1.

Eleemoſyna cur facienda.

Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, ſcilicet bona temporalia, an iniuſtus eſt Deus, inæquè aliter res nobis diſtribuens; cur tu abundas, & ille mendicat, niſi vt tu bonæ compenſationis merita conſequaris; ille verò patientiæ brachiis decoretur? Panis eſt famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides: quocirca tot labefactas, quot vales ſubuenire & contemnis.

Eleemoſynæ duplex genus.

Ex Iure Canonic.

In Canone Duæ ſunt diſtinct. 45.

S. Auguſt. li. 50. hom. in ſexta hom.

Inſtabis; charitatem, quæ omnium procurare debet bona temporalia, deficere reſpectu eorum, qui non egent Eleemoſyna noſtra, & aſſignandam eſſe aliam viam, quæ etiam prædiuitum hominum ſalutem temporalem curare queat. Iure Canonico prouiſum, cuius eſt iſta ſanctio, quæ fuit aliàs Auguſtini. *Duæ ſunt Eleemoſynæ, vna cordis, altera pecuniæ. Eleemoſyna cordis eſt, dimittere ei à quo læſus es: nam dare aliquid indigenti quæris aliquando, & non habes; indulge peccanti, quantū volueris redundat tibi. Eleemoſyna cordis multò maior eſt, quàm Eleemoſyna corporis:*

charitatis

charitatis Eleemoſyna, ſine ſubſtantia terrena, ſufficit ſibi; illa verò, quæ corporaliter datur, ſi non benigno corde tribuitur, omnino non ſufficit. Ne cauſare igitur impotentiam diuiti ſuffragandi, ſi te læſit; eò enim potior & Deo gratior Eleemoſyna, quò nobilius eſt bonum, quod erogatur egenti: at bonorum omnium potiſſimum eſt amor; ab eo enim alia omnia bona fluunt: nam ex Ariſtotele, amare eſt velle bonum; & amor eſt primum bonum, quod alicui impenditur, eáque eſt amoris indoles, vt neſcius ſit iniuriæ: cùm enim nos vnanimes Deo efficiat, & Deus amorem proximi inſinuet; neſcit Dei amator integer, non amare eum, quem legifer amabilis ſanxit adamari.

Eleemoſynæ tres faciendæ.

Alius item eſt Canon, reliqua munia charitatis explicans, & congruè ad titulum noſtræ ſectionis, quæ enunciat gratiam eſſe omnibus proficuam: ſic habet hoc decretum. *Tria ſunt genera Eleemoſynarum: vna corporalis, egenti dare, quicquid poteris; altera ſpiritualis, dimittere à quo læſus fueris; tertia delinquentes corrigere, & errantes in viam reducere veritatis.* Affinis eſt iſte & Canon, ex Iſidoro tranſlatus in decretum. *Et qui emendat verbero, in quem poteſtas data eſt, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læſus eſt, aut offenſus, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolùm in eo, quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, Eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat; multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ſibi ipſis inueniuntur eſſe inimici.* Hactenus Canónes ſancti. Eleemoſyna attendit bonum temporale, ſicut & peccati remiſſio: nam vindicta diſpendium ingerit bono temporali, ſcilicet corpori verberando, aut facultatibus eas diſperdendo, dum ferro & igne in prædia deſæuitur: qui autem homini iniurio offenſam pius dimittit, bona eius temporalia ſarta tecta relinquit.

Can. tria ſunt & Canon. & qui emendat. diſt. 45.

S. Iſidorus de ſumm. bono lib. 1. 54.

Eleemoſyna ſpiritalis.

Ex Symbolis.

Scipio Bargag. lib. Symbolor.

Bona ſpiritualia vti præſtant, gratiæ ſeu charitatis in homine arguunt incrementum; eminentis enim eſt animæ, alios etiam prout conceditur expurgare, correctione ſcilicet atque recollectione, quæ ingeritur exemplis virtutum, atque conſilio; nimirum correctioni, atque bonis conſiliis quadrat Bargaglij elegans Symbolum, quo emunctoria pinxit, & candelam plus ſolito rutilantem, hoc lemmate adiecto. REDDENT CLARIOREM. Id eſt, quæ emungunt, tenebras tergunt, & lumen intendunt, quod erat antea remiſſius. Nemo eſt, quem non obumbret aliqua nubecula; quippe nemo ſine crimine viuit: adhibita correctione diluetur vmbra peccati, quæ caliginem hactenus offundebat, & ſic correctio animam emunctam REDDET CLARIOREM: vt perhibent codices ſancti, è quibus audi Salomonem. *Virga aut correctio tribuit ſapientiam.* Accipe Iacobi effatum. *Si quis errauerit ex vobis à veritate, & conuerterit quis eum; ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem de errore viæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* At ſecus ex Bernardo. *Impunitas, incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ & tranſgreſſionum nutrix.* Quodque timorem debet vnicuique ingerere, ex Gregorio. *Qui non corrigit reſecanda, committit; & facientis culpam habet; qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.*

Prov. 29.

Impunitatis mala.

Iacob. 5.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. lib. 3. de conſiderat.

S. Gregor. in Regiſtro.

Quid autem ſit correctio, accipe ex Auguſtino. *Correctio eſt errorem innatum, vel conſuetudine factum fræno rationis inhibere.* Ab ea non vacare debet quis diſplicere timens; nam vt benè idem Sanctus ait. *Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio; ille in ligando, iſte in cædendo, ſed ambo diligendo: ſi autem iſtos negligant, & perire permittant; iſta potius falſa manſuetudo, crudelis eſt.* Idem argumentum alibi pertractans, ſic ſcribit. *Non vos iudicetis maleuolos eſſe, quando alterius crimen indicatis; magis quippe nocentes eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis: ſi enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari; nonne à te crudeliter ſileretur & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde.* Concinit Auguſtino magiſter eius Ambroſius. *Peccatum vnius, quod cognitum non arguitur, contaminat multos, imò omnes qui norunt & non deuitant, aut cùm poſſunt arguere diſſimulant: non enim ſibi videtur peccare, quando à nullo corripitur.* Eſſe autem amoris argumentum eam correctionem, ait idem Sanctus. *Non oſculatur pater filium quando eum caſtigat; quando caſtigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur: habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cùm amarius inferuntur; dulcior eſt enim amara & religioſa caſtigatio, quàm blanda remiſſio.* Hæc proceres Chriſtianæ diſciplinæ.

Correctionis neceſſitas.

S. Auguſt. lib. de finibus.

Idem in epiſt. ad Bonif.

Idem, de diuinis vita cleric.

S. Ambr. in epiſt. 1. ad Cor.

Idem in ser. ad Petr. vincul.

Quia autem hæc cenſura iniquioris vitæ in proximo deprehenſæ, opus eſt charitatis, quæ ſibi & aliis incumbit; aduerterunt Sancti, eum qui aliorum vult detergere næuos, debere immunem eſſe à macula, vt corrigentis animus neſcius labis, ſit charitate omnino decoctus; & hoc indicat Gregorius. *Mundus eſſe à vitiis debet qui aliena curat corrigere, quatenus tantò perſpicacius aliis fugienda videt, quantò hoc ipſe per ſcientiam & vitam celerius declinat; quia nequaquam purè in membro maculam conſiderat oculus, quem puluis obtenebrat; & ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent.* Eò collimauit Ambroſius. *Qui cordis ſui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? Et qui peccatis trabem ex ſuo non poteſt eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare feſtucam?* His ſe adiungit Hieronymus, ſic admonens. *Quomodo poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum ſimile corruerit; aut qua libertate corrigere peccantem poteſt, cùm tacitus ipſe reſpondeat ſibi, eadem ſe admiſiſſe quæ corripit?*

Correctio fiat ab innoxiis.

S. Greg. lib. 6. moral.

S. Ambr. lib. de dignit. ſacerdotali.

S. Hieron. in epiſt. ad Tit.

Ne autem erretur in modo; leges iſtæ cenſoribus piis, Iure Canonico præſcribuntur: ſic ſancit iſte Canon. *Sunt namque nonnulli ita diſtricti, vt omnem etiam manſuetudinem benignitatis amittant; & ſunt nonnulli ita manſueti, vt perdant diſtricti iura regiminis: vnde cunctis rectoribus vtraque ſummopere ſunt tenenda, vt nec in diſciplina vigore benignitatem manſuetudinis, nec rurſum manſuetudine, diſtrictionem deſerant diſciplinæ; quatenus nec à compaſſione pietatis obdureſcant, cùm contumaces corrigunt, nec diſciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum*

Ex Iure Canonico.

Canone ſunt namque, diſt. 45.

S. Greg. l. 19. moral. 1. 23.

Correctio fiat manſuetè.

animos conſolantur. Regat ergo diſciplina vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. A Gregorio Pontifice fluxit iſte Canon, ſicut & ſequens eodem fonte manat. *Vera iuſtitia compaſſionem habet, falſa verò dedignationem, quamuis & iuſti ſoleant rectè peccatoribus dedignari; ſed aliud eſt quod agitur typho ſuperbia, aliud quod zelo diſciplina. At contra hi, qui de falſa iuſtitia ſuperbire ſolent, cæteros quoſque deſpiciunt, nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt; & quò ſe peccatores eſſe non credunt, eò deteriùs peccatores fiunt.* In hos inuehitur lex ſancta: hæc ex Hieronymo translata in decretum. *Recedite, inquiunt, polluti; recedite, abite, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communicare. Talis loquela non illuminat cæcum, non ſanat ægrotum, non curat infirmum; ſed magis occidit, atque in deſperationem periclitantem immittit: boni etenim rectores ex ſua infirmitate, aliorum infirmitates penſantes, magis per humilitatis & manſuetudinis leuamentum ſtudent peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per auſteritatem, in foueam perditionis nutantes propellere.* Hactenus ſacræ ſanctiones.

Iuſtitia vera compaſſionem habet.
Idem hom. 24. in Euāg. Canone, vera iuſtitia, diſt. 45.
Canone, Recedite, diſt. 45.
Correctio indiſcreta qualis.

Præfata bona refert Maria Virgo in viſitatione Elizabeth, dum Deo grauidata, hanc ſuam cognatam inuiſit; corporale exhibens obſequium, & Ioannis natiuitati Maria Virgo fauens, notat opem, quam debemus impendere proximis molientibus gratiæ exordium: Ioannes enim gratiam ſonat יוחנן à radice חנן *chanan miſereri*. Bonum verò æternum Maria oſtendit ſe totam optare, quando gloriam à cognata oblatam refudit in Deum, in has effuſa voces: Magnificat anima mea Dominum. Gloriam Dei, ipſi Deo ſoli anhelat anima compos gratiæ: ideò exultat de gloria Sanctorum; vt quorum gloria cedat in ipſius Dei inſigne decus, illos colit & ſuppliciter orat, vt eorum ſuffragiis illis aliquando adſcribatur. Audi Auguſtinum hoc œſtro percitum, & feruidum. *Oro vos per veſtram charitatem, ô ſancti, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis; ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſolliciti eſtote de multiplici noſtra miſeria; per ipſum vos rogo qui vos tales elegit, de cuius immortalitate facti eſtis immortales: eſtote iugiter memores noſtri, ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacentes: date manum, & erigite iacentes ſuper pedes, vt conualeſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello: ſumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, carnis mancipia; & tamen ſub Chriſti confuſione poſiti, ligno Crucis ferimur: nauigantes per hoc mare magnum, & ſpatioſum: orate piiſſimi, vt veſtris precibus & meritis adiuti, ſalua naue & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis, & quietis, & continuæ pacis.* Rurſus ad inferas partes dehiſcens anima, compatitur eis quos Purgatorij vindex flamma decoquit: illis adeſt Eleemoſynis, & orationibus, per modum ſuffragij, eorum nomine fuſis.

S. Hieron. in c.4. Threnorum.
S. Auguſt. lib. medit. c. 4.
Peccator animal gulæ.
Ex Mathematica.

Si deeſſent è terra rationes ad firmandam hanc veritatem; ſcilicet, gratiam, quò amplior eſt, eò etiam eſſe feraciorem magis aliarum virtutum, Mathematica nobis copioſas de cælo ſuggereret, vbi corpus illuſtrius energia potiore claret, nimirum Sol auctor eſt omnium, quæ in toto naturæ confinio generantur: & quia luminis vbertate ſideribus aliis præeminet; vendicat ſibi typum animæ gratiæ lumine coruſcantis, & hoc multifariam. Primò, omnes Planetæ aliquando greſſu retrogrado deuiant à directo, Lunâ exceptâ; ſed hæc cum aliis Epicyclum habet, in quo ſicut & alij Planetæ ab Ecliptica declinat vtplurimum: at Sol nec retrograditur, nec recedit ab Ecliptica; ſicut neque ſancti homines retrocedunt vnquam, aut declinant à linea recta, quam perfectio præſtituit eis.

Clauius in l. 1. Sphæræ.

Cùm autem Sol tot cenſibus, atque dotibus naturæ præpolleat, medius in Planetis poſitus eſt, vt ſuo effuſo lumine illos accendat, & vim influendi impertiat; ei namque tanta eſt vis inſita, vt quidam ſiderum inſpectores, pueri fata omnia explorent, ex ſolo ſchemate Solis, vt à quo cæteri Planetæ ſuam energiam emendicent. Et in eo Matheſis adſtipulatur nobis aſſerentibus, actionem vegetam eſſe pro modo gratiæ hominem informantis; eoſque homines, qui ad inſtar Solis coruſco lumine irradiant, eſſe etiam omnibus vtiles & fœcundos: ſicut & videre eſt ex re Medica, quæ cùm diſpeſcat corpus in partes principes, & in partes miniſtrantes, ait, partes nobiles, plures ſortiri functiones aliis partibus inferioris ordinis. Conſulendus in ea re Fernelius, qui ſic fatur congruè meo intento. *Quæ partes corporis principatum obtinent, iecur, cor, & cerebrum, cùm natura, tum ſpiritu prapotente valent, vt non ſeipſis duntaxat gubernandis dent operam; ſed alios de ſe ſpiritus tanquam iugi de fonte promant, in omne corpus propriis ductibus deriuatos. His quicunque partibus ſingulis ingeniti ſunt ſpiritus, aluntur, hi in vires functionéſque ſuas concitati, conſtantem & perpetuam operum functionem edunt: vnde intelligitur, præter innatos ſpiritus, qui ſtabiles, & in vnaquaque parte fixi ſunt, tres inſuper errantes & vagos influentéſque exiſtere, vnum naturalem è iecore, per venas in corporis extrema diffuſum; alterum vitalem, quem cor aſſiduè per arterias emittit; tertium animalem, qui in cerebri ventriculis genitus, hincque per neruos profectus, partes irrigat ſenſus motúſque compotes.* Vbi nota, ſanitatem exquiſitam, hanc triplicem ſpirituum propaginem facere; ægritudinem ſecus ſeriem inducere ſpirituum, qui ſi ſint intercepti, oriuntur inde paralyſes, epilepſiæ, deliquia cordis, aliáque præambula mortis affuturæ: vt autem tres ſpiritus, tria bona ſunt, veluti fœtus ſanitatis; ita bona ſpiritualia & bona æterna ſunt ſicuti ſoboles gratiæ, animam validè vegetantis.

Ioannes de Indagine lib. de Horoſcopo.
Ex re Medica.
Fernelius Phyſiologia lib. 4. c. 12.
Corporis partes principes.

Ea & ſeries claret in corpore politico, cuius partes principes, vt Reges, & Optimates capita populorum, ſuam curam in modum influxus, cunctis partibus infundunt: vt videre eſt in Iuſtiniano Imperatore, qui in gratiarum actionem chariſmatum cælitus acceptorum, ſe accingit ad componendas leges idoneas moribus hominum reformandis, vt legere eſt in Codice eiuſdem Imperatoris, qui deuictâ Africâ,

Ex Iure Ciuili.

ſic

Lege. Deo itaque, & lege. Optamus ergo. Codice de officio Præfecti Prætorio Africæ.

ſic fatur. *Deo itaque auxiliante, pro felicitate Republicæ noſtræ. per hanc diuinam legem ſancimus, vt omnis Africa, quam nobis Deus præſtitit, per ipſius miſericordiam, optimum ſuſcipiat ordinem, & propriam habeat præfecturam.* Deinde volens Magiſtraturæ prouidere; hanc tulit legem. *Optamus ergo, vt omnes Iudices noſtri ſecundùm voluntatem & timorem Dei, & noſtram electionem, atque ordinationem, ſic ſuas adminiſtrationes gubernare ſtudeant, vt nullus eorum, aut cupiditati ſit deditus, aut violentias aliquas, vel ipſe inferat, vel iudicibus, aut officiis eorum, aut quibuſcumque aliis collatoribus inferre permittat.* Hoc textu animum ſuum prodidit Imperator beneficum, & inhabitantis gratiæ vadem luculentum.

Ex Historia. Du-Pleix in vita Ludouici 9.

Si optimas leges ille ſanxit; ſanctus Ludouicus Galliæ Rex inclytus, ſanctiores etiam obſeruauit, vtique Iuſtiniano ſanctior: cùm enim Rex Chriſtianiſſimus quotidie cumulos gratiæ ſuis virtutibus adiiceret, omnibus ſe beneficum etiam exhibebat; & audi rem omnibus Principibus potiſſimum fidelibus æmulandam. Paſſus fuerat Rex diutino bello iacturas, comites indiuiduas armorum: rebus tandem compoſitis cum omnibus Principibus, pace vſus eſt firma Ludouicus, cuius beneficio ſtante, Principes Chriſtiani, Galliæ contermini mutuis odiis exarſerunt; & agmine educto populantes prædia, ſe ſe ad bellum accingebant. Dixère quidam Regi Gallo: Ecce, ô Rex, tempeſtatem, Galliæ propitiam; etenim ſi vis diſcordias fouere Principum, Gallia immunis erit, bello alibi conflagrante. Quid putas reſponſurum Regem Deo plenum? aſſenſum forte? minimè verò. Ego, inquit, nolo timeri à vicinis, ſed amari; ac proinde non diſcriminum fautor eſſe volo, ſed arbiter pacis; magiſque eſt cordi regnum Chriſti, quàm ſæculi principatus. Beneficio regnatur; non illato cuiquam diſpendio.

Vt gratiæ periculum facias animæ Ludouici inſitæ, vide bona naturalia, ſpiritualia, & æterna abundè ab eo longè, latéque prouiſa. Relictâ Galliâ transfretauit Orientem verſus, vbi ſuis facultatibus multos fideles redemit de compede gentis alienæ & infidæ. En bona naturalia, ſcilicet libertatem, & corporis curam. Multos infideles, præconibus verbi Dei aduocatis, ad caulas Chriſti adiecit; en bona ſpiritualia, ſcilicet gratiam, ex fonte baptiſmatis enaſcentem. Amplos reditus & annonas multis Eccleſiis adſcripſit, vt oraretur pro defunctis militibus in expeditione illa, vbi ſæpius eſt cum hoſte teterrimo dimicatum. Et ecce bona æterna, ſcilicet gloriam, ad cuius aditum, Rex pius animas defunctorum, ſacrificio oblato, miniſterio ſacerdotum diſponebat.

Platina in vita Pauli Papæ. Pauperum amator Paulus I. Ex Historia.

In Paulo primo Pontifice gratia ſuum omnem nitorem abundè diffudit: quippe Chriſti ſedulus imitator nulli vnquam etiam ſibi iniurio iniquus extitit; imò charitatis ſinu excipiebat amanter eos, à quibus malè ipſe fuerat acceptus. Nocte paucis clericis ſtipatus, pauperes ægros inuiſebat, facultatibus ſuis eorum leuans inopiam, & conſiliis reuocans ad meliorem frugem: carcerem frequenter adibat, indéque pleroſque ære alieno nexos, perſoluto creditoribus pretio liberabat; pupillos & viduas circumuentas fraude cauſidicorum tuebatur, & eleemoſynis ſuſtentabat, vt auctor eſt Platina, qui hac breui recenſione operum Pauli, omnia bonorum genera commendauit.

Platina in vita Leonis III. Papæ.

Elogio Leonis III. Pontificis, idem Platina præoſtendit, omnia bona deduci ex gratia: ſic enim Leonem ille commemorat. Fuit vir caſtus, integer, & facundus, viros amans doctrinâ præcipuos, ita vt vndequaque eos adſciſceret, præmiis illectos, conſuetudine eorum mirè delectatus. Præterea ægrorum curæ inuigilans, eos inuiſebat, ingerens patientiæ monita crebra, in eleemoſynis largus; & vt ſermone & lepore erat præſtans, multus etiam in prædicatione fuit, quâ multos reddidit gratiæ, à qua turpiter exciderant. Adeò mitis extitit ingenij, vt omnes diligeret, neminem odio haberet, tardus ad iram, facilis ad miſerandum ſortes iniquas hominum, pietate nemini impar, ſtrenuus rerum Eccleſiæ propugnator.

Charitatis opera egregiè deſcripta.

Ciaconius in vita Alexandri quinti Pontificis.

Sed ne priſca ſæcula omnia decurramus: Alexander V. Pontifex, dum titulos dignitatis ampliores acquirebat, eò ſe præſtabat vtiliorem omnibus; animo benefico in eo inualeſcente, dum emergerent in illo homine dignitates; & hinc vox eius admiranda: Fui ego diues Epiſcopus, pauper Cardinalis, & nunc inops ſum Pontifex: teſtem ſe præſtitit Illius celeberrimi effati Auguſtini. *Semper habet vnde det, cui plenum eſt pectus Charitatis.* Quam ille ſic deſcribit. *Charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contimeſcit offendere, ad alios ſe inclinat cum alios erigit, aliis blanda, aliis ſeuera, nulli inimica, omnibus mater.* Cui Gregorius aſſentitur. *Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur, quæ à duobus præceptis incipit, ſed ſeſe ad innumera extendit: huius Charitatis initium eſt dilectio Dei, & proximi; quia per amorem Dei, amor proximi generatur, & per amorem proximi, amor Dei nutritur: nam qui Deum amare negligit, profectò proximum diligere neſcit.*

Ex SS. Patribus. S. August. in Psalm. 36. Idem lib. de Catechiſ. rudibus. S. Greg. L. 10. Moral.

Diceres innotuiſſe Gentilibus hanc Theologiæ noſtræ ſummam, in actione gratiæ idoneâ conſtitutam; nimirum Encomiaſtæ omnes Ethnici qui texuère panegyres Imperatorum, hunc à nobis tritum callem ingreſſi ſunt, vt ex virtutibus editis, eos Diis ſuis charos, compriore ſuo eloquio propalarent. Traianus abſentem nullum ſe vnquam virum bonum interfecturum, aut notaturum ignominiâ, iureiurando confirmauit. Ciuitatibus Italiæ multa largitus eſt, ad educationem liberorum; bonos honoribus exornabat, amari optabat à ciuibus, magis quàm honorari, abſtinebat ab aliena pecunia vt ab iniquis cædibus, vt copioſè eloquitur Dion. Quidni igitur, bonum appellarent eum Principem, à quo in Rempublicam bonorum omnis copia deriuabat.

Ex Historia Gentili. Dion. Nicæus in Traiano. Traiani vox & exemplum boni Principis.

Idem in Nerua.

Prima rudimenta virtutis didicerat Traianus à Nerua Cocceio, prædeceſſore ſuo, qui dicere auſus eſt, ſe nihil omnino feciſſe in ſua imperij adminiſtratione, quo minus poſſet depoſito Imperio tutus viuere. Is ciuibus in egeſtate poſitis, non tantùm agros diſtribuit, ſed & ſupellectilem totam auream & argenteam liberaliter erogauit. Quodque fidem omnem ſuperat, vbi reſciuit ſibi ſtrui inſidias ab iis, qui de inuadendo Imperio cogitabant; neſcius vindictæ, non ſæuiit in hos perduelles, ſed aſcendit in Capitolium, & illic Traianum Principem fecit, & in Senatu Cæſarem deſignauit; propinquos ſuos poſtponens homini extraneo, quem virtus præ aliis excolebat.

Suetonius in Tito.

Titi Imperatoris non eſt hîc tacendum encomium:

Virtus non poteſt lædi nec iniuria affici.

mium. Is dicere in more habebat, non poſſe ſe iniuria affici, quia vitam agebat innoxiam, & inuiam opprobriis; & inſuper flocci pendere, ea quæ falsò obiicere poterant impij ſycophantæ. Principes hi, virtutum fuco gloriolam aucupantes, Diis adiecti ſunt ab Ethnicis; ſed nos æmulemur chariſmata meliora, vt quos gratia dignior illuſtrat, faciat etiam illuſtres virtus inſignior.

GRATIA INSIGNIS, GRATA EST IN SIGNIS, ATQVE VIRTVTIBVS.

SANCTI OMNES VIRTVTIS ſuæ decus & gloriam refundunt in Deum.

In hæc verba:

Magnificat anima mea Dominum.

SECTIO TERTIA.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſt. lib. 7. Phyſic. c. 1. & lib. 8. c. 5.*

PHiloſophia adeò exoſa eſt cauſarum proceſſum in infinitum, vt Deum inde cognouerit; dicens, deueniendum eſſe ad primam vnam cauſam, à qua cæteræ ſuam cauſandi rationem habeant, & mendicent. Nàm vt ait Ariſtoteles. *Cauſa ſecunda non mouent niſi mota.* Ita enim cooperatur Deus immediatione ſuppoſiti & virtutis, vt nihil eo inſcio exerant vllæ cauſæ, quarum effectus ita Dei eſt; vt hinc Philoſophi aſſerant, primam cauſam magis influere in effectum, & præpollere cauſæ ſecundæ: nam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Ergo ſi quidpiam heroïcum editum eſt ab homine; egregij facinoris gloria refundenda eſt in Deum, vt in primam cauſam: inuritque piaculum hominibus, ſi temerè fuerit vſurpata. Habemus in Maria Virgine typum gloriæ Deo rependendæ: vbi enim illa audiuit ſeriem ſuarum texi gratiarum ab Elizabeth eam ſic affante. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Maria velut neſcia ſuorum chariſmatum, & gloriæ inanis impatiens, illicò Deo thymiama laudis adoleuit, dicens. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Luc. 1.

EX THEOLOGIA. *S. Thomas 2. 2. q. 131. Art. 1.*

Deum magnificat, & exultat; & hæc ſumma Theologiæ de gloria diſceptantis. Quippe in magnificentia & in exultatione, vt in duplici cardine, vertitur omnis gloriæ latitudo; nimirum ex S. Thoma, culmine Theoſophiæ gloria dicit claritatem; & ex Auguſtino. *Glorificari idem eſt ac clarificari.* Claritas autem illa in manifeſtatione alicuius decoris attenditur, vt hominibus innoteſcat, & ab eis magnifiat. Quòd ſi magnificentiam illam homo Deo ſubiiciat; offert illi ſacrificium laudis, & exultare poteſt, quòd Deus in donis ſuis enitcat rutilus & coruſcus.

S. Auguſt. tract. 82. in Ioann.

Ea fuit diſciplina; quâ ſuos Chriſtus imbuit, dum opera eorum bona nitere voluit palam, vt inde Deo gloriam abundè compararent. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Et quia virtutis præmium eſt animæ quædam innoxia lætitia, quæ exurgit ex bono opere fortiter exantlato: anima exultat in Deos iuxta illud Apoſtoli. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Si quis autem arrogaret ſibi illam claritatem, id eſt, ſi quis ideò notitiam ſuarum virtutum aliis ingereret, vt ipſe faceret ſibi nomen; ea eſſet vana & inanis gloria: nam ea eſt gloria iniqua, quæ quæritur ex re aliena; at opus omne bonum Deum auctorem habet, iuxta illud. *Quid habes quod non accepiſti; ſi ergo accepiſti, quid gloriaris?* Vſurpationem hanc iniuſtam & iniquam eſſe, accipe ex vtroque Iure Canonico & Ciuili.

Matth. 5.

1. Cor. 10.

1. Cor. 4.

Honores quibus dandi.

EX IVRE CANONICO. *Can. qualiter. De electione. Canone miramur §. Si enim §. Principatus diſt. 61. S. Leo. ep. 85.*

Iure Canonico ſic cautum eſt. *Honorem nemo debet ſibi aſſumere, ſed qui vocatus eſt à Deo ſicut Aaron.* Alio Canone infert Ius ſacrum, honores diuinos immeritis non deferri, quia & honor fugax ſæculi, virtutem emeritam ſibi iure præambulam honori expoſtulat. Sic Canon ſe habet, qui eſt Leonis Papæ. *Si enim ad honores mundi, ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris, indignum eſt peruenire; & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adiuuant; quàm diligens & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio diuinorum munerum, & cæleſtium dignitatum.* Idem alio paragrapho eiuſdem Canonis fuſioris. *Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus, aut actibus non offendit; ipſius tamen initij ſui pernicioſus eſt exemplo.* Malè ergo gloriam debitam Deo, arrogat ſibi vilis homuncio.

EX IVRE CIVILI. *L. Iuſtitia ff. de Iuſtitia & Iure.*

Iure Ciuili liquidior eſt illa iniquitas: ſic enim fert lex. *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi.* Vnde ſic arguo ex Apoſtolo. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria.* Ergo ſi ſolius Dei eſt gloria, iniquus eſt, & iuſtitiæ prorſus incurius, qui ſuam facit gloriam: ſi enim iuſtus eſſet, ſuum cuique tribueret, nempe Deo gloriam, & humile iugiter obſequium; vt fecit ipſemet Imperator Iuſtinianus, vt ex eodem Iure patet, vbi deuictam à ſe Africam narraturus, ne qua obrepat gloriola, ſic auſpicatur titulum vigeſimum ſeptimum libri primi Codicis ſui. *Quas gratias, aut quas laudes Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre; multas quidem, & anteà à Deo meruimus largitates, & circa nos innumerabilia eius beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egiſſe cognoſcimus: præ omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus, per nos, pro ſua laude, & pro ſuo nomine demonſtrare dignatus eſt, excedit omnia mirabilia opera, quæ in ſæculo contigerunt, vt Africa per nos tam breui tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque annos à Vvandalis captiuata.*

1. Tim. 1.

Gratitudo quænã Deo debeatur. *Proœmium Tituli de officio Præfecti Prætorio Africæ.*

EX HISTORIA. *Paul Æmil. in Clodoueo.*

Iuſtiniani exemplo, plerique Principes Chriſtiani, inaſpecto anteà ritu, penes Deum omnem gloriam ſuam repoſuerunt. In his Reges Galli plures: nam vt taceam Clodoueum, qui coronam auream ab Imperatore Anaſtaſio miſſam, depoſuit ad pedes ſummi Pontificis; notus eſt Hiſtoriæ non neſciis animus Philippi primi Regis, qui in diplomate quoque regio ſic annos regni ſui volebat annotari: Regnante Domino Ieſu, & non: Regni noſtri (vt mos eſt) anno tali; legerat quippe Rex Gallus, illud Salomonis oraculum, quo Deus ſic fatur. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* Rex alius abnepos Regis huius, ſcilicet Ludouicus IX. Dei gloriæ ſectator adeò religioſus extitit, vt ſuarum iniuriarum immemor, blaſphemias ſeuerè caſtigaret: & cùm hominis Deo iniurij linguam ſtylo candenti terebraret; aulicis veniam deprecantibus pro

Du-Pleix in Philip. 1.

Prou. 8.

Ioinuilleus in Ludouic. nono.

hom ine

hominc ſacrilego, Rex gemens ait: Vtinam in caput meum hæc mulcta retrocederet, & in poſterum nemo iniuriam Deo inferret; vt autem iſtius ciuis potentis & opibus præpollentis, exemplum alios compeſcat, volo eum ſanguine ſuo, & igne crimen expiare. Is item Rex pius, ne de regio apice videretur inſoleſcere, pompam exoſus abſtinebat à ſericis veſtibus, prædiuites pannos dedicans Deo, illos miniſterio Eccleſiæ mancipando.

Corona miſſa Pontifici.

Vicina Galliæ Anglia, Reges habuit æmulos Gallicæ pietatis. Sed heu, ô ora antiqua, quàm diſpari domino dominaris! Rerum olim illic potitus eſt Rex nomine Canutus I. qui cum Mare aſpiceret de littore, audiit ab aſtante nobili: O te beatum, ô Rex, qui terræ & mari dominaris; cui Rex: Volo iam mei dominij facere periculum; hoc dicto, propius acceſſit ad fluctus inſurgentes, & ait: Ego Rex terræ & maris præcipio tibi, ô Pelague inſoleſcens, ne tumentes aquas huc deducas. Vix fecerat loquendi finem, cùm fluctus erumpens crepuit in littore, & Regem maris aſpergine ſalſa deturpauit; vndâ ſic ſuperbiam ſuam illicò deſpumante. Tum Rex vt erat aquâ aſperſus, ait ad ſuos: Meum detrectat principatum pontus, alio Rege gaudens: Venite, ſequimini; & oſtendam eum, penes quem ius eſt in omnia. Hoc dicto, perrexit in vicinam Eccleſiam, & detracto diademate ſuo, impoſuit capiti Crucifixi: nec vnquam voluit Rex poſtea coronari; dicens, ſoli Deo diadema conuenire, vt cui perpetuum debeant omnia famulatum. O Regem coronâ æternâ dignum, quia Dei gratiâ coronam humilem abdicauit! Et ſummus hominum Apex Pontifex Maximus ne nimium gloriæ indulgeat, quæ ex tanto faſtigio exurgit, nonne ſe nuncupat ſeruum ſeruorum Dei? Et quia etiam ipſi Reges illius pedibus inclinantur, Pontifex crucem aſſuit his crepidis, ad quarum oſcula Principes admittuntur; vt oſtendat non vſurpare ſibi oblata obſequia, ſed penes Deum illa reponere, cuius crux inſigne ſacrum proſtat in crepidis honoratis.

Andreas Duchesne in Hiſtoria Anglica ſub ann. 1031.

Canuti Regis corona ſupra caput crucifixi.

Ea cautione faſtum compeſcuit Celſus, Dux Venetus, qui vbi Veneti Ducatus inaugurationem accepit numiſma cudit, in quo erat pileus ducalis, cui inſutus erat Crucifixus, hoc titulo circumducto in ora iconis. NON MIHI SED CHRISTO. Ita & tu Chriſtiane, omnibus operibus tuis laude dignis inure Crucifixum, & teſtare te nihil inſcio poſſe Crucifixo. Fiet hinc, vt inanis gloriolæ motus comprimas emergentes, dæmonem ſic refellendo. NON MIHI, SED CHRISTO.

Petr. Iuſtinian. in Hiſtoria Veneta in Celſo Duce.

EX SYMBOLIS.

Lubinus lib. Numiſmatū.

EX SS. PATRIBVS.

Et hoc conſulit Bernardus. *Vbi eſt gloriatio tua, Chriſtiane, nonne in nomine Crucifixi?* Alioquin incurres in diſcrimé, de quo monet Gregorius. *Qui accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat: ſibi de ſingularitate ſapientia blanditur fatuitas.* Hac vſurpatione laudis, deperit omne decus debitum virtuti, vt idem edocet Sanctus. *Quaſi latrunculus eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus, ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio, vita gradientium trucidetur. Agitur vt ante iuſti Iudicis oculos fouea mentis memoria ſit virtutis, quia remuniſcēdo quod geſſit, dum ſe apud ſe erigit, apud humilitatis auctorem cadit.* Quomodo ſerpat ille appetitus, inſinuat peritus ille Sanctus. *Quatuor ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur, cùm bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant, aut ſi datum deſuper credunt,*

S. Bernard. in Med. Paſſio.

S. Gregorius l. 9. Moral. c. 2. & l. 8 c. 23.

Gloriæ vanæ appetitus.

Gloriæ vanæ multæ ſpecies.

Idem l. 23. Moral. c. 4.

pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant, aut certè cum iactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cæteris, ſingulariter videri appetunt habere quod non habent.

Auguſtinus aperit quoque lethale virus, virtuti inſidians. *Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Ideò ille liber ab hac noxa, ſuam etiam adſcribit Deo libertatem. *Humiliaſti tanquam vulneratum ſuperbum, & tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.* Eodem actus œſtro Deum ſic affatur. *Domine gloria noſtra tu es, propter te ametur & verbum tuum, & nomen tuum timeatur à nobis: qui enim laudari vult ab hominibus, iudicante te; non eripietur, damnante te.* In ea eſt ſententia Ambroſius. *Fortitudo gloriæ caueat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, ſemper autem nocuit vſurpata.* Agmen Sanctorum claudet Bernardus canens receptui, quo poterit intenſiore tono. *O ſtulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam.* Denique omnium hominum gloriam ad Deum, vt ad omnium rerum caput, debere referri clamant textus omnes anteà recenſiti.

S. Auguſt. l. regularū regul. 3. c. 5.

Idem l. 7. Confeſſ. c. 7. & l. 10. c. 36.

S. Ambr. l. 10. Officiorum c. 9.

S. Bernard. Epiſt. 126.

Et luculenta ſanè eſt relatio hominum ad Deum, ſicuti membrorum ad caput: nihil enim ſibi partes miniſtrantes vſurpant in corpore, ſed principibus inſeruiunt; & ſi quid eſt ſpiritus enati ex ſanguine, illud totum refunditur in caput. Vide miniſteria partium ex Fernelio. Prima coctio eſt Chyloſis, ea fit in ventriculo; huius præparatio præceſſit in ore, quâ non atteritur modò cibus, ſed & leuem mutationem ſubit. Secunda coctio celebratur in iecore, αἱμάτωσις appellata; hac Chylus è ventre hauſtus, propria iecoris vi, quæ in eius ſubſtantia potiſſimum inſidet, in veram ſanguinis ſpeciem conuertitur: è ſanguine illo exurgunt tenues aliquæ partes, quas ſpiritus nuncupant, naturales quidem in hepate, ſed vitales in corde, vbi elimatior ſanguis generat vitales ſpiritus, quos nec cor audet vendicare ſibi, ſed in capitis obſequium genitos illuc tranſmittit; nam eodem Principum, & Principe Medico. *Eorum materia continenter è corde per carotidas ſuggeritur, præparaturque in admirabili contextu, ac dein in choroide, vbi ambientis cerebri vi in animalem ſpiritum conuertitur, qui priores ventriculos prorſus implet, ex his in ſenſus & muſculos diſtribuitur.*

EX RE MEDICA.

Fernelius Phyſiolog. l. 6. c. 6.

Idem l. 6. c. 8. Phyſiologiæ.

Ita nemo debet penes ſe retinere, quod in opere quouis ſpiritale inſitum eſt, ſcilicet gloriam & honorem; ſed omne decus ſurſum ad Deum euehere, à quo ad nos omnis gloria deriuatur: & hoc eſt facinus egregium hominis verè ſani & ſancti, quod Gentiles cupidi auræ popularis, antea neſcierunt, vt videre eſt in Cicerone ſuperbiæ typho turpiter intumente. *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ; quâ quidem detractâ, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus. Inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam.*

Gloria virtutis merces.

Cicero in oratione pro Archia Poëta.

Benè, ô Cicero, & congruè ad indolem

tuam

Eratoſthenes l. ad Arati phænomena. tuam cupidam auræ, quam ſpirat vulgus imperitum. Non ſic verè pij, non ſic; ſed ſpreto gloriolæ ſimulachro, ingenuæ tantùm gloriæ vtique diuinæ litant, quæ eſt iuſtitiæ conſummatæ: vt colligere eſt ex Mathematica, quæ dum venatur ortus & occaſus aſtrorum, quæ cum Zodiaco exurgunt; animaduertit rem idoneam noſtræ ſectioni, quæ eſt de gloria debita ſoli Deo ex iuſtitia. Matheſis, inquam, ex Eratoſthene deprehendit, cum ſigno Libræ ſurgere conſtellationem, quæ Corona nuncupatur. Quaſi inſinuans, coronas eſſe comites iuſtitiæ, cuius ſymbolum eſt Libra. Vnde cùm Deus ſolus ſit iuſtus & bonus; illi ſoli competunt & coronæ. Eamobrem

INTENTVS AB INANI GLORIA PROVENTVS, EST VENTVS.

HOMILIA
DE VISITATIONE
B. V. MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVIA homo conſtat corpore & ſpiritu, Deus illi rerum ſpiritualium ingerit notitiam, captatâ ſimilitudine rerum ſenſibus obuiarum: verbi gratiâ, Eccleſiam ſuam vocat regnum cælorum: vt enim Sol & Luna ſuis influxibus infima vegetant; ita & Ieſus, & Maria omnes homines aſpectu ſuo recreant; ideoque vita noſtra benè figuratur feſtiuitate hodierna, in qua Deus, qui viſitauerat primò Mariam, deinde à Maria iuit ad Ioannem.

II. Etenim ſicut Sol oriens, primò luſtrat cacumina montium; ita Deus Mariæ affulſit, priuſquam cæteris, quia illa erat excelſior, & vt arduis aſſueta, abiit in montana, id eſt magna ſemper edidit.

III. Non lento gradu Maria decurrit omnes aliis inuios virtutum calles, ſed cum feſtinatione: nam ſicut corpus ſpiritu vegetatur; ita & virtutum anima, eſt feruor.

IV. Maria amica montibus pergit ad Ioannem, quem fore præſciebat euehendum ad eum virtutis apicem, cui eſſet inferius omne aliud faſtigium aliorum retro Sanctorum.

Sic vides, inuentionem iſtius Homiliæ conſiſtere in comparatione vitæ noſtræ cum Viſitatione: vt enim viuimus affluēte Sole, comite Luna; ſic & nos ſtamus ad influxū Chriſti & Mariæ, qui vt aſſueti ſunt ad mōtana, nos hinc ſollicitant exurgere ad montana, id eſt nos vrgent ad praxim virtutis, quæ ſita eſt in arduis, & tūc nos ſtipatos toto gratiarum choro, Chriſtus & Maria ſuâ viſitatione dignabuntur.

PRÆFATIO.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione. Luc. 1.

4 Reg. 2. *ELIAS olim Vates perquàm acceptus Deo, Eliſæo diſcipulo eius tantùm conſcio factis, igne deſuper illapſo totus incanduit. Hoc ſtipatus igne, nauſeans ad terrena, exurgens abiit in montana. Quippe dicunt igneo curru vectum, fuiſſe adſportatum in paradiſum voluptatis, in edito loco ſitum. Tam feſtinus abiit ille homo flagrans, vt aciem oculorum penè fefellerit Eliſæi. Annon hæc eſt ſpecies, & idea Myſterij, quod hodie nobis obiicit Eccleſia, recolens ſimile quidpiam geſtum in Maria. Erat hæc Virgo, non vt Elias duntaxat peraccepta Deo, ſed & gratia plena, omnibus hominibus inſciis, vno ſolùm Angelo Gabriele conſcio myſterij, Deo illapſo cælitus in vterum eius, ita accenſa eſt (quippe Deus ignis conſumēs eſt:) ita, inquam, Virgo exarſit hoc igneo grauida globo, pertæſa infima quæque; vt abierit in montana, imitata naturam ignis, qui iugiter deſinēs in acumen, vergit ad ſuperna. Aſt in hoc Maria præit Eliæ, quòd Vates ille ignitus euectus ſit in paradiſum, quo illo gaudet, & beatur, quantum poteſt homo lethales patiens exuuias: ſed Maria Spiritu ſancto acta, ita hodie tranſuolat edita cacumina montium, vt tandem veniat in paradiſum voluptatis, id eſt domum Elizabeth; hic autem paradiſus ſtat tantùm, non ob Elizabeth, aut Ioannem, ſed ob Virginis incelatum. Nimirum Virgo Deo impregnata, eſt ipſa paradiſus, ſecum vehens eum, qui condidit locum voluptatis; ideóque benedicta ab Elizabeth nuncupata, ſicut & antea ab Angelo ſimili encomio compellata, cùm eam ſic eſt aggreſſus.* Aue gratia plena.

ANima & corpore vt coæuis quibuſdam partibus homo conſtat, eàque compagine coëunt illæ partes, vt indiuiduo tantùm earum nexu homo ſit ſuperſtes: ſi verò ſecus quidpiam diſpeiciat Ex PHILOSOPHIA.

diſpeſcat corpus ab anima, partis vtriuſque diuortio dehiſcet homo: quippe qui duntaxat ex corporis & animæ ſtata textura coaleſcit. Vt autem, ex Philoſophia, modus operandi ſequitur modum eſſendi, homo antequam ceſſerit fatis, nullas exerit actiones, in ceiâ vtraui parte, ſi quidem duplici ſubſtantia exurgit bipartitus homo; hinc fit vt quantouis acumine polleat intellectus, hebes tamen erit acuta illa vis tota, corpore feriante. Nam ſi ſenſus inſiti corpori, opem ſuam animæ detrectant, & rerum ideas atque ſpecies non ingerunt menti, mens vacabit. Quia ex Philoſopho, *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Sic ſuas nequeunt homines obire vices, diſſitis ſeoſibus ab anima, quæ nullius rei habet notitiam, quin ea prius ſenſibu obuerſetur.

Huic hominum ritui res agnoſcendi & ipſe Deus obſequitur, in ea quam hominibus ingerit notitia rerum cæleſtium: cum enim Deus in humanis magiſtrû egit, ſuos cultiori diſciplina efformans diſcipulos, vſus eſt rebus ſenſibus obuiis, vt his aſſuetus animus, & relatione facta ad ſuperna conſcij ſic myſteriorum Dei, cæleſtia penetraret. Hinc idem Archimandrita Deus, Eccleſiæ maieſtatem aperire volens rudibus adhuc diſcipulis, vſurpauit rem omnium nobiliſſimam, vt cum ea com-
Ex SS.Patribus. Matth. 25. poneret Eccleſiam ſuam. Vocauit enim eam Regnum cælorum. *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Et hoc paſſim Regni cæleſtis vocabulum crebrius ingeminat, vt vel hinc maximè decus Eccleſiæ mentibus inuratur. In ea mecum eſt ſententia Gregorius. *Cælorum re-*
S.Gregor. homil. 12. in Euang. *gnum, fratres chariſſimi, ideo terrenis rebus ſimile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, ſurgat ad incognita quæ non nouit; quatenus exemplo viſibilium, ſe ad inuiſibilia rapiat, & per ea quæ vſu didicit, quaſi confricatus incaleſcat.* Cùm audis Regnum cælorum, ne tibi ſubrepat opinio ſortis beatorum Spirituum in cælo regnantium, ſed cogita tantùm & ſidera, & cælorum ambitum, quorum influxu Deus hæc infima mode-
S.Gregor. vbi ſuprà. & hom. 12. in Euang. ratur. Et id quoque explicat Gregorius. *In ſacro eloquio Regnum cælorum, præſentis temporis Eccleſia dicitur, de quo alio in loco dicit Dominus: Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala: neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inueniri ſcandala poterunt quæ colligantur.*

Sed ne ſuadâ mente nefariâ, cenſeas ineptè coaptari & cælos & Eccleſiam; accipe vtriuſque communes ſpecies & ideas. Cæli etſi pernice motu inquietè gyrent; ſuo quique tamen ſtant cardine, à quo non deuiant. Ita & Eccleſia, licet in ſuis fidelibus præpete greſſu vergat ad occaſum mortis; fidem non variat, in qua velut in cardine vertitur tota, nec inclinat, fruſtrà hæreſi reclamante. Cælû cingit zona, quam zodiacum vocant; ea eſt duodecim diſtincta ſignis, quorum influxus dicitur adeò vitalis, vt animantibus vitam impertiat, vnde & zodiacus quaſi dans vitam ἀπὸ τῆς ζωῆς καὶ δίδωμι. Eccleſiæ ſigna potiſſima ſunt duodecim Apoſtoli, quorum influxus adeò viuax extitit, vt orbis oras penè omnes, ſua virtute vegetarit.
Pſalm. 18. Nempe. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, &*
S.Greg. hom. *in fines orbis terræ verba eorum.* Prædicationem
30. in Euang. vim cælicam habere, liquet ex Gregorio. *Scriptum eſt: Spiritus Domini ornauit cælos: ornamenta enim cælorum ſunt virtutes prædicantium; quot ergo ſunt bona prædicantium, tot ſunt ornamenta cælorum: hæc autem operatur omnia vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Igitur Apoſtoli cùm fidem, qua viuunt iuſti, infuderint prædicantes, cum zodiaco optimè componuntur.

Aſtrorum agmine rutilo cæli micant; habet & ſua ſidera Eccleſia, in ſuis ſtellata Do-
ctoribus, quos Daniel ſic nuncupat. *Qui docti* Daniel. 12.
fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quia cælorum ſitus variat quater, ſcilicet in duobus ſolſtitiis & æquinoctiis: quatuor ſunt tempeſtates. Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, quæ ſingulos annos quadripartito temporum ſtatu metiuntur. Quatuor & Euangeliſtas habet Eccleſia, ad quorum notus, atque paradoxa, variant quatuor illi ſtatus in orbe perceſebres, ad quos omnes homines reducuntur. Sunt hi, Virginitas, Cælibatus, Matrimonium, Viduitas; & hæ quatuor tempeſtates, ſuas ex Euangelio ſlatas habent leges, ſicut & quatuor anni tempora ſuas norunt periodos, quibus actis, tempora reuoluuntur.

Sed potiſſimum ſidus, quod in cælo micat, eſt Sol, ſuâ viuifica luce recreans vniuerſa; dicitur Sol, quia ſolus: Solem ſe Chriſtus dixit.
Ego ſum lux mundi. Et Paulus eum vocat ca- Ioan. 8.
put Eccleſiæ: vt enim à capite in cætera mem- Epheſ. 5.
bra diffluunt ſpiritus animales; ita & à Sole in orbem vegetæ qualitates. Et rurſus eodem planè ſtylo Chriſtus, beneficio Eccleſiæ ſummo opem ſuâ infundit vſquequaque. Vtque Deus e naſcente mundo fecit duo luminaria magna, Solem & Lunam; ita & ſurgente Eccleſia, Ieſum & Mariam ei præfecit, vt bina lumina, quibus illuſtrata caliginem omnem effugeret: vtque Sol comitem habet Lunam ad influxus; ita & Chriſtus orbi toti ſatis ſuperque affulgens: voluit tamen, ad chariſmata infundenda Lunam, id eſt Mariam ſibi ſociari. Diceres eam totam quam agimus vitam, eſſe Viſitationem, quam hodie recolit Eccleſia. Nam vt hodie Ieſus & Maria Ioannem inuiſerunt; ita & nos quotidie inuiſimur ab vtriſque: ſicut & mundus à Sole, & à Luna viget. Vnde liquet Viſitationis hodiernæ diem non per ſingulos quoſque annos recurre cisſed per ſingula quæque momenta recoli ab his, qui Ieſum & Mariam benignè influëtes, minime dedignantur.

Dicam primò. Ieſum Mariam viſitaſſe, deinde Mariam ipſum Ieſum portaſſe ad Ioannem matris vtero deliteſcentem; ſicut & Sol primò viuificas Lunæ impertit qualitates, quibus demum Luna deorſum influit. Dicam ſecundò, Solem in oriente, iuga montium in occaſu ſita, ſua luce reſpergere, antequã campis affulgeat: ita Ieſum poſt Mariam inuiſiſſe Ioannem, proximum à Maria, vnde & dicitur Maria abiiſſe in montana cum feſtinatione, quia feſtina eſt in iuuando, ſi quempiam viderit in montanis: id eſt, Maria propitia eſt eis, qui exurgunt à peccato: & vt eſt eis velox; tarda eſt eis, quos à recto virtutum calle Inſolita vitia remorantur.

Hoc conſtãs eſt Philoſophiæ aſſertũ. *Primum* Ex Philosophia. Ariſtot. l. 10.
in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorũ. Ad amuſ- Metaph. text.
ſim hanc inferimus iterum iſtud, Aſtronomis in 7.

nullis indubium, ſcilicet Solem omnimodæ lucis fontem, aliis impertiri ſideribus lumen, quo ſcintillant; ſed in Lunam ſe totum effundere. Nempe ei indiuiduus comes aſſignata eſt, ad egregia quæpiam exerenda. Non ſibi conſtant Aſtronomi, in ratione aſſignanda molis Lunæ, cuius nec copioſa lux effuſa næuos non deterſit nigricantes in eius orbe vndequaque lucido, nec liquet, ſidus hoc nocturnum aliis præſtare ſideribus: id eſt, non conſtat ex ſe Lunam aliis eminere: ſi enim alia ſidera propius accederent, ſicut & Luna adeſt nobis, eſſent fortaſſis Lunæ præitura; cæterum, balbutiunt omnes, qui in hac præalta ſiderum indole aliquid effari voluerunt. Non adeò cæcutiere illi Theologiæ Proceres ſancti, qui Dei illapſum in Mariam ſcrutati ſunt, illuceſcente fide. Sic igitur ſatur Theologia Deo plena.

Ex Theologia. S. Thom. 3. p. q. 7. art. 11. Gratiæ, & lucis comparatio.

Gratia ſicut & lux bifariam accipitur. Primò ex parte gratiæ, ſiue lucis. Secundò ex parte habentis gratiam. Ex parte gratiæ, dicitur eſſe plenitudo gratiæ, cum quis eò gratiæ euectus eſt, vt ad ſummum gratiæ deuenerit, & quantum ad eſſentiam eius, & ad quoſuis effectus exerendos. Sic gratia tantùm in Chriſto fuit, de quo ait Ioannes. *Vidimus eum quaſi vnigenitum a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* (Ioan. 1.) Ita lux nullibi eſt eâ intenſione, quâ nequeat dari maior; in Sole tamen multa lux eſt, & clarior omni alterâ quantumuis affulgeat. Secundo modo gratia conſideratur vt afficis animam Deo gratam, & tunc dicitur illic eſſe gratiæ plenitudo, cùm tali animæ gratiam Deus impertit, iuxta modum ſtatus, cui à Deo addicitur, vt ait Apoſtolus, gratiam Dei expertus. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* (Epheſ. 4.) Vnde cùm Maria à Deo electa ſit mediatrix hominum, dicitur plena fuiſſe gratia; quia habuit tantam, quantam aduocatæ ſtatus exigebat. Et licet Stephanus dicatur fuiſſe plenus gratia; non tamen cæteros plenos vt Maria: quia conditio eius infra Mariæ ſtatum non tale profluuium requirebat, vt obiret munia Diaconi, & prædicantis Dei verbum; ita & lucis plenitudo ineſt Lunæ, ſed non ſicut Soli, cuius eſt proprium lucem ſpargere a nemine mendicatam.

Ex SS. Patribus.

Luna non ratione molis ſuæ, excedentis alios ſtellarum orbes et fulgida, ſed iuxta alternantes eius in Epicyclo ſitus, quibus obuiat Soli in trigonis aſpectibus, & in tetragonis; aut concurrit, ſicut in coniunctione; aut deuiat, ſicut in aſpectu diametro: Maria verò præfulget aliis omnibus Sanctis, quantumuis emineant, & ratione molis, & ratione ſitus. Quo ad molem, Anſelmus ſic eam eſt metitus. *Quidquid eſt magnum ſub Deo, minus eſt Virgine.* (S. Anſelm. de excellent. Virginis.) Situm autem eius explicat Pſaltes. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* (Pſal. 86.) Quaſi diceret, Sanctorum omnium apicem, Mariæ ſubiici; ſicut & domui fundamina ſubſternuntur. Et hoc claré priſcorum patrum vnus hoc effatur; is eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha Germanus. *Super omnem creaturam eſt honor tuus, & Angelis præeſt excellentia tua, Dei genitrix.* (S. German. de dormit. Mariæ.) Hugo à poſteriori hoc ſidus inſuetur, nequiens ſub periculo caliginis excipere radios eius, nonniſi reflexos, id eſt merita eius penſat ex gratia, quæ talia merita fuit poſtea ſubſecuta. *Quàm pulchra es, & ſuauis, quam ſcrutator rerum probat, quam inſpector cordium laudat, quam diligit author pulchritudinis, cui teſtimonium perhibet magiſter veritatis.* (Hugo Victorinus in Cantic. 4.) Quid motor in ſingulis, Maria ſola ſibi conſcia, ſic inducitur loquens ex codice ſacro. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* (Eccl. 24.) Quem ſic elucidat textum Bernardus. *Verè ei Sanctorum plenitudo: quia non ei defuit fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, caſtitas Virginum, fœcunditas coniugum, nec puritas Angelorum.*

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 2. ar. 12. Maria quomodo habuit plenitudinẽ Sanctorum.

Vt igitur Sol exortu ſuo, præalta montium iuga verſus occaſum prominentia, luce dealbat, illuc ſupereffuſa, priuſquam campis affulgeat; ita & ſitu ſuo Virgo aliqualiter meruit, vt Sol iuſtitiæ Chriſtus illi priuſquam ipſiſmet Angelis cælitus affulgeret. Nam etſi de condigno nemo meruerit myſterium ineffabile Verbi incarnati, tamen de congruo Patriarchæ & alij hominum proceres innoxij meruere: congruum enim eſt Deum exaudire hominum vota, cùm ſunt de re à Deo volita, iuxta Pſaltis effatum. *Voluntatem timentium ſe faciet.* (Pſal. 144.) Atqui in rerum omnium tota contextura, nihil ita Deum affecit, ſicut Maria: ergo Maria plus meruit de congruo cæteris Sanctis, Deum incarnari. Deus igitur Mariæ, vt eminenti loco ſitæ, primò illuxit, occidente Synagoga. Maria Iudææ regno ſita erat mons occidentis, ideo Chriſtus montem hunc ſuis radiis inſigniuis, cum ſe illius abdidit vtero: vtque lux vitrum peruadit, illæſo vitro; ita & Deus Virginis ſe condidit aluo; vt Virginis carne inſcia myſterij, Virgo manſerit illibata.

Ex SS. Patribus. S. Chryſol. ſerm. 141. Incarnationis myſteriũ ineffabile.

Et hoc ſtupet Chryſologus. *Cogita vtrum poſſis Dominicæ Natiuitatis penetrare ſecretum, vtrum merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire vbi totus ſupernis Regis, tota diuinitatis requieſcit maieſtas, vtrum debeas humanis oculis, corporeis ſenſibus, conceptum Virginis temerarius diſcuſſor attendere, vtrum poſſis ipſas Dei manus operantes ſibi corpus ſanctum, templum, intra aluum genitricis, audax & curioſus arbiter intueri; conſpectibus tuis abſconditum ſæculis nudare myſterium, reuelare tibi, ipſis Angelis inuiſibile ſacramentum. & ita cæleſtis fabricæ præſidere, vt deprehendas liquidò tu, quomodo Deus penetrale clauſæ carnis intrauerit, quemadmodum præter ſolutionem carnis, totam carnis aſſumpſerit veritatem: quemadmodum ſacri corporis in illo venerabili vtero, præter Virginis conſcientiam lineamenta pinxerit, quomodo præter concipientis ſenſum, manſura ſæculis oſſa ſolidauerit.* Quid mortalem hominem compello de abdita huius veritatis indagine! cum ipſe Angelus Myſterij neſcius, rogatus à Maria ſciſcitante: Quomodo fiet iſtud: Ille Muneris nuncius Gabriel, rem eſſe ſupra ſe cauſatus, ſit præfatus Virgini ſollicitæ: Spiritum Sanctum ſuperuenturum in eam, cúmque Mariæ fore præaltæ illius ſcientiæ prælectorem.

S. Bernard. hom. ſuper Miſſus.

Hinc arguit Bernardus Soli Deiparæ myſterium iſtud eſſe patens. *Qualiter ille ſplendor inacceſſibilis, Virginis ſe infuderit viſceribus, ſoli datum eſt ſcire, cui ſoli datum eſt experiri.* Et benè ſtat Bernard. in Metaphora lucis: ſicut enim lux concorporea fit cryſtallo quem permeat; ita

Maria fer-
métum Dei.

*Orat. de An-
nunt.*

Pſalm.15.

Apoc.12.

ita Chriſti corpus fuit ipſa Virginis caro, in corpus Domini Ieſu coaleſcens. Vnde & fermentum Dei dicitur ab Andrea illo piſcis læculis Epiſcopo Cretæ. *Salue fermentum ſanctum Dei, ex quo tota generis humani maſſa conſperſa eſt, & ex vno Chriſti corpore factus panis, in vnum coiit incrèbilis concretio.* O ſacramentum cælicolis adorandum; Mariæ caro à Deo aſſumpta, eundem quem ſibi Deus, & illa cultum ſibi vindicauit! Annon hoc lumen illuait regio Vati, dum cecinit. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Id eſt corporis ſui portionem dedit, vt ex eius compagine exurgeret homo Deus. Annon fuit ei idonea ſpecies obiecta Ioanni. *Mulier amicta Sole.* Annon eamobrem Angelus ait ei, *Dominus tecum.* Aſt non eo modo, quo omnibus rebus adeſt; ſed ea ratione, quà portionem tui, Deus ipſe ſibi in corpus iamiam efformabit. Ea hoc efformato corpore de Maria, omnia alia reformanit, vt inquit Damianus. *Conſidera & quæ in cælis & quæ in terris, in Virgine reſabricata, Deum qui cælum palmo metitur, Virginei ventris breuitate concluſum, redemptionem hominum, reſtaurationem Angelorum: denique quicquid fuit, eſt, & erit, per Virginis vterum reparatum; per virum, & mulierem viam omnia reſtaurantur, nec ſine magno fœnore gratiarum excedit damni æſtimationem, doni magnitudo.*

*S.Damian.
ſerm. de An-
nunt.*
Maria eſt
reparatrix
omnium.

Ea Sym-
bolis.
*Lutius lib.
numiſm.*

Igitur Henricus ille ſecundus Rex Gallus non inuitus appendat Deiparæ tholo Symbolum pompâ plenum, quo ſe parentis inſignia egregia facinora aſſecutum ſubindicans, ſe patri ſuo Regi Franciſco non imparem, ob res præclarè geſtas, Symboli ſui picturâ & lemmate ventilabat. Erat hoc Symbolum, Sol & Luna in Numiſmate, cuius ora voces has circompoſitas obiiciebat, Solis & Lunæ lumina rimantibus. DVM PLENA EST FIT ÆMVLA SOLIS. Vt enim Sphæra Lunæ, dum pleno lumine irradiat, ementitur Solem; ita & Henricus fugato Carolo Quinto, obſidente Metas, & imminente Galliis, hoc ſuo lemmate patri ſuo Franciſco, ſe dicere ſupparem intendebat. Non aſſentatorem induo, neque in blanditias me compono, ſi Mariæ aris ſuperimpono ſacris Regium illud Encomium abditum lemmatis inuolucro. Ita ſanè, Maria gratiæ plenitudinem congruam ſibi aſſecuta eſt; vnde & ſortita nomen ſonans plenitudinem gratiæ: dicta quippe eſt ab Angelo. *Gratia plena.* Itaque. DVM PLENA EST FIT ÆMVLA SOLIS. Sic enim enituit Maria in Dei conceptu, vt in Solem ipſum ipſa Virginis caro aliqualis tranſierit, dum fuit in corpus Domini coaptata. Ideò fontis lumine à Sanctis appellata. *Aue fons lucis omnem hominem illuminantis: aue Solis ortus qui nullum ferre poteſt occaſum.* Rurſus cùm dicitur Maria, id eſt illuminata, & poſtea ſubiicitur textus Angelicus. *Gratia plena:* diceres idem eſſe ac. CVM PLENA EST, FIT ÆMVLA SOLIS.

Ea SS.Pa-
tribus.
*Chryſippus
Hieroſolym.
Presbyter
in orat. de
laud. Mariæ.*

Dimitte mihi, lector operum meorum inſpector beneuole, indulge mihi meis affectibus indulgenti, non poſſe cohibere œſtrum, quo percieor in Mariam. Fruſtra laboramus, Dei Parens Virgo, in encomiis tuis euoluendis, exile eſt tibi, quod ſtylo noſtro ſublime affulget; nobis eſt balbutire, cùm penſum hoc aggredimur, id eſt, cum tui aliquod eloqui præconium, animus ſe accingit: in tua panegyri repit encomium, quod alibi hyperbolen ſapit.

Nec te morer, quiſquis es, qui Mariæ obſequetis, audi Chryſologum. *Quantus ſit Deus ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur: pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non ſuſtinet, natura non ſufficit, & vna puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cælis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cæleſtibus parentelam, ipſius Dei cum carne commercium, pro ipſa domus exigat penſione, pro ipſius vteri mercede conquirat, & impleat illud Propheta: Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* His Mariæ euolutis gratiæ, gloriæque titulis, neceſſe eſt vt omnis pruriens lingua poſt fatiſcat.

*S.Chryſol.
ſerm.140.*
Maria quan-
tus ſit Deus
oſtendit.

Inſtabis, & forſan non ineptè; ſi deficis in momento eo, quo Virgo concepit, quid diſcemus à te de ipſius incrementis, quibus in eum gratiæ cumulum euecta eſt, vt cæteris omnibus emineat? Quæſito facio ſatis, dum vſurpo textum hodie prælectum. *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione.* Quo enim virgo Deo plena, niſi ad cælos animum dirigeret? Nonne Philoſophi hoc eſt axioma. *Idem manens idem, ſemper aptum eſt producere idem.* Ergo Deus, qui eſt de ſupernis, cùm naturæ ſuæ deliquium non ſit paſſus ex eo commercio, quod iniit hominem induens; ergo, inquam, Deus ab æterno ſuperus, ſuperam fecit & Mariam, cùm eam extulit in montana.

Ex Philo-
sophia.
*Luc.1.
Ariſtot. lib.2.
de gener. tex-
tu 56.*

Ineſt phraſi ſenſus, medullitus eruendus. Nomine montis, ſcriba ſacer myſticè notat aliquid excelſum & prælatum, vt liquet ex his infra textibus. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Montes excelſi ceruis; petra refugium herinaciis.* Imò & Maria ipſa, quia excelſa, montis nomine inibi deſignatur. *Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Et ne gratis me fingere arbitreris Deiparam intelligi vocabulo montis: audi Gregorium, vocis huiuſce ſenſum indagantem. *Poteſt montis nomine beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei Genitrix deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit: annon mons ſublimis Maria, quæ vt conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium deitatis erexit? Huius enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans ait: Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit: nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem, hanc diuina fœcunditas non leuaret.*

Pſal.35.

Pſal.103.

Pſal.67.

Ea SS. Pa-
tribus.
*S.Gregorius
l.1. Reg.*
Maria mons
eſt eminens.

Igitur cùm audis Mariam exurgentem, abiiſſe in montana, cogita montem ſuperimpoſitum montibus; vnde ſi licuit Hieronymo ſcribenti cuidam adhuc dicere Neophyto. *Nihil in te humile, totum ſummum, totum perfectum deſidero.* Quid Maria dignum, noſtris occurret mentibus, in quæ putas Mariæ virtutes, montium excelſa cacumina ſurrexiſſe? Apage gentile commentum Midæ, ementiens auri naturam induiſſe omnia, quæ Rex ille prædiues tetigiſſet. Quaſi verò è manibus

*S.Hiero. epiſt.
ad Heliodor.*

aurifica vis efflueret, in obuia tactui Regia huius: nil fingimus, nec auribus verba damus, cùm Mariam abeuntem in montana dicimus, eo ſpiritu percitam, quo concepit, tot edidiſſe montes, quot egregia facinora perpetrauit. Quippe, ex Bernardo, virtutes illæ, quibus præfulſere omnes, ſanctitate inſignes viri, etſi ſurrexerint in apicem altum; ſi eas tamen cum Mariæ praxi tu componas, *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, & vt ait Dionyſius, *Supremum infimi attingit tantùm infimum ſupremi*, id eſt, ſumma quæque Sanctorum omnium ita ſe demittunt ad Mariæ præſentiam, vt ei tantùm ſubſtrata eſſe videantur.

Pſal. 86.
S. Dionyſ. de cæleſti Hierarch.

Iſaiæ 2.
Pſal. 83.
Cant. 2.

Et hoc iam præfatus eſt Iſaias. *Erit in nouiſſimis diebus preparatus mons domus Domini, in vertice montium.* Quod ait Pſaltes. *Ibunt de virtute in virtutem*, id præſcijt Sanctorum inquietos greſſus ad virtutem edifſerens: ſed de Maria prægnante, & eam grauidante dilecto, ſic præſcitum eſt. *Ecce dilectus, tranſiliens colles, ſaliens in montibus.* Neſcit quippe Deus humi repere, neque vitæ exilis & tepidæ fæcibus immorari. Vtque fontibus hoc inſitũ eſt à natura, in eam ſurgere altitudinem, qua eminet eorum exordium, licet aqua nimis decurrat alueolis: ita licet Deus imæ & humilis Mariæ ſeſe abdiderit alueolo; Dei ſummi Filius illic latens, ſuæ memor originis à Patre, qui eſt fons totius Trinitatis. Mariam vrget cælo fœtam, vt exurgat, & abeat in montana: deſurſum enim erat fœtus, qui Mariam Virginem imprægnabat.

Seneca lib. quæſt. natural.

Hinc obiter diſce, homo, gratiam Dei, quam illabente Spiritu Sancto concipimus, ducere nos in montana: vt enim ex Seneca, vbi ventus multus, terræ hiatibus immerſus, concamerata montium antra replet, concutit montes, & excutit ſurſum; ita & Spiritus Sanctus vbi alicuius peruaſerit mentem, eam illico dirigit ad ſuperna, ita vt exurgens abeat in montana; ideòque virtutis excelſæ praxis, ardua, indubium eſt inhabitantis Sancti Spiritus argumentum. Iubet hinc animos excitare remiſſos, Bernardum imitando. Quid facis in cœno, ô anima, quæ de cælo es? quid humili greſſu virtutum callem ingrederis, cùm ſit virtus in arduis? Exurge & tu abiens in montana, ſi Dei conſcia es, & Mariæ obſequens, eam optas inſectari

Sed aduerte Mariam, cum feſtinatione abire in montana: nam vt bonum non eſt, niſi ex integra cauſa; virtus decorem omnem amitteret, ſi langueret: vnde cum Maria hodie in montana exurgat, vt tabola ex edito loco ad imitationem expoſita, Lucas olim pictor eximius feſtinam obiicit eam nobis, vt vel hinc ediſcamus, ad virtutem abſolutam nulla deſiderata fuiſſe Deiparæ linimenta Itaque propero greſſu graditur in montana; & hoc aduertant pij omnes, neſcij fortè in quo ſita ſit deuotio, quam ementiti plerique, ſeſe hypocritas aperiunt, quia tepent: tepere autem neſcit vera deuotio, ſed acta Spiritu Sancto, neſcit tarda molimina; aſt impos feriarum anima Deo verè deuota, quietis impatiens, feruidis ſemper actibus incaleſcit.

Ex Ariſtotele, cuique in ſua arte credendum eſt: igitur adhibenda fides Angelico Thomæ, dum deuotus, & deuotè, deuotionis explicat rationem. Sic fatur impiger ille Sanctus. Deuoti dicuntur illi qui ſe totos deuouent Deo vt ei totaliter adhæreant, & ſubdantur: eo modo olim deuoti dicebantur à Romanis, illi qui Idolis ſe deuouebant in mortem, vt perniciem auerterent, quæ patriis laribus imminebat; vnde & Decij duo dicti deuoti, quia ſubiere alacres mortem quam vltro adſciuere ſibi, vt luarent victoriæ. Ita & hodie nuncupamus eos deuotos, qui ea ſe alacritate Deo deuouent, vt cum ſeſe occaſio præceps obtulerit patrandi facinus aliquale pium, nullas nectunt moras, quæ deflectant aliò facinus intentatum,

S. Thom. 2.2. q. 82. art. 1.

Titus Liuius l. 8. Decad. 1.

Inde liquet pietatis cotem, eſſe abire in montana, cum feſtinatione. Et hoc innuit ſponſus ille Canticorum, quem ſponſa eius æmula, ceruis aſſimilat decurrentibus montes. *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum.* Sic ergo diſcerne deuotos. Si aliqua ſunt obeunda munia pietatis, hypocrita retrogradus prætexit cauſas, cur recuſat; homo vecors tentabit quidem, ſed remiſſe: homo verò qui deuotione præſtat, nihil vnquam impiè detrectabit. Habes in Hebræis ſpecimen ingenuum pietatis, cùm populum Moiſes ſollicitauit vt Deo primitias redderet *Multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima atque deuota primitias Domino.* Ibi ſacer textus, promptitudinem & deuotionem indiuiduo ligamine nectit: neſcit nempe moras deuotio, quæ gratiæ ſemper expetit incrementa.

Cant. 8.

Exod. 35.
Primitiæ Deo offerendæ alacriter.

Nonne ipſiſſima deuotio, Dominus Ieſus virtus animata, ſe deuouens morti, facturus hominem rediuiuum, quem diabolus extinxerat, nonne nequicquam reluctante carne, editurus ſpecimen deuoti animi, vltro ſe obiecit inimicis? Nonne iam ſpontaneo ſanguinis ſui fluxu, in ſudore illo ſanguineo Paſſionis ſuæ primitias Deo Patri ex animo conſecrarat? Annon & Maria rogata de conſenſu explicando, ſuam ſic aperuit deuotionem. *Ecce ancilla Domini.* Quibus aliis argumentis Samuel adhuc puer, ſe in deuotione grandæuum oſtendit, quam alacri animo Deo reſpondendo. *Loquere Domine quia ſeruus tuus audit.* Eius inſiſtens veſtigiis, alius item & Propheta, quærenti Deo: Quis ibit nobis, ait: *Ecce ego mitte me.* Denique deuotio quaſuis exoſa moras, neſcit ipſa aliquando otioſa feriari.

Luc. 1.

1. Reg. 3.

Iſai. 6.

Igitur exquiſito examine animum tuum explora, homo, an ad opera pietatis te impigrum præſtes: an animo reluctante orationi vaces: an inuitus ieiunio corpus extenues: an greſſu nutante adeas ædes ſacras: an remiſſè frequenſve, auguſtiſſimi fias particeps ſacramenti. Hac enim tantùm alacritatis trutinâ, nobis eſt pietas expendenda. Ita cenſuit Apoſtolus, ſic ſuos proſelytos inſtituens. *Sollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.*

Rom. 12.

In fidem huiuſce veritatis, Carolus Borbonius præfectus quondam Galliæ prætorio, defecit a Rege ſuo, vt Carolo V. Imperatori adhæreret. Deſertor ille atque perduellis ſuum teſtaturus animum Carolo, cohorti ſuæ, quam habebat expeditam, dedit hanc teſſeram: nimirum, ſanxit vt veſti bellicæ inſueret vnuſquiſque miles ceruum alatum, ſeu peritiſſimè elaboratum, hoc titulo.

EX SYMBOLIS.
Paulus Iouius lib. Symbolorum.

CVRSVM

Feruentis animæ ſymbolum.

Cvrsvm intendimvs alis. Hanc in ſuo obſequio expertus alacritatem Caroli Borbonij Imperator, refugam Gallum Regi Gallo ſemper oppoſuis, vt eius impetus frangeret inſurgentes.

Quàm aptius hodie, Chriſto & Mariæ abeuntibus in montana cum feſtinatione, aſſignanda foret hæc teſſera integræ pietatis, atque diligentiæ inpigræ, in ceruo aligero adumbratæ: etenim veriſſimè hoc lemma vſurpare poſſunt. Cvrsvm intendimvs alis. Nam, vt iam prælibaui, Chriſtus aſſimilatus capreæ hinnuloque ceruorum. Itaque ſi quæris cur feſtini tranſuolant montes Ieſus, & Maria: en ratio, Spiritu aligero filius atque parens perciti ad ardua percelluntur. Diceres huius myſterij præſcium Ezechielem, cùm deſcribit animantium ſanctorum impigros greſſus. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rota pariter eleuabantur ſequentes eum: ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* Ieſus, & Maria rotarum inſtar ad motum faciles, acti Spiritu Sancto, qui eis iugiter adfuit, omnia feruidè munia pietatis obiuerunt.

Ezech. 1. Spiritus Sancti effectus in anima.

Sed vt ſuſpiceris, altiorum montium curam habere Deum magis quàm vallium, atque ita Ieſum & Mariam in montibus degere ſolitos arbitreris; Lucas monet Deiparam abiiſſe in montana, vt Elizabeth cognatam ſuam inuiſeret: erant enim illic duo montes eminentes ſanctitate, ſcilicet Zacharias & Elizabeth, quorum vitam innoxiam, & ipſimet codices ſacri proteſtantur. *Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini ſine querela.* Ex hac apotheoſi infer, quo culmine ſurrexerint illi, quos Euangeliſta falli neſcius, eò ſanctitatis euexit. Rurſus erat illic mons in vertice montium, ſcilicet Ioannes Baptiſta, prodromus ille Dei, quem & ipſe Chriſtus eatenus extulit, vt quibuſvis Sanctorum non imparem dixerit: indéque conſtat, Ioannem ſuis parentibus ſanctitate præiuiſſe.

Luc. 1.

Ad hos aduolant montes Chriſtus & Maria, feſtinos ſe præbent iis, qui feſtini & ipſi ſe Deo exhibent ad virtutum praxim. Sed libet intereſſe occurſui ſanctorum iſtorum, imò & vniuerſæ ſibi obuiæ ſanctitatis. Audiendus eſt Bernardus. *Felix Elizabeth, ad quam properat mater Saluatoris, quam ſalutaribus obſequiis, cælorum Imperatrix impertitur; ſed puer multo felicior, qui ſalutantis maieſtatem agnoſcens, intra viſcerum tenebroſa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ ſalutationis attendit. Aſcendit cum feſtinatione Virgo in domum Zachariæ, ad ſalutandam Elizabeth, portans in vtero filium Dei, Regem gloriæ, Dominum maieſtatis. Occurrit Elizabeth, & antiqua ſterilitatis carens opprobriis, ſponſi amicum, præconem Verbi feliciſſimo ventre deportat. Iunguntur amplexus, veniunt ad oſcula, & copulantur felicee vteri; Regem, & militē, nonniſi duo parietes tenerrimi abiungunt.*

S. Bernard. ſerm. de S. Ioanne Baptiſta.

Peritorum eſt in Mathematicis aſſertum, ſidera non vacare, ſed iugi influxu recreare terras. Medicorum item expertum eſt, vſu quotidiano conſtans, enaſci in montibus herbas ſalutares, quas vix in terra ſeſe demittenſe ſeperias. Affine eſt hoc Theologicum dogma, quo dicimus, Chriſtum & Mariam iis adeſſe ſemper, qui virtute aliquâ excellunt, & gratias non aliis vernaculas hominibus iſtis vt virtute excellis elargiri. Has inolitas experti ſunt gratias, Zacharias, Elizabeth, & Ioannes: ſed hic quia vertice ſanctitatis propius cælo acceſſit, ideò Chariſmatum ampliorum exuberantes ſenſit influxus eos, quos accipe ex Bernardo. *Prorſus obſtupenda dignatio puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere, eique gratanter occurrere ſeruitio dulciori, quem virginali ſubſtantia præſenſit infuſum. Quid mirum, ſi miratur puer, & exultat a tactu tam proxima Diuinitatis afflatu? Poteratne vacare à quocumque miraculo, cui præſens erat Regis præſentia, regnantis mater, mundi Redemptor? Quid quod non ſemel, tam Sanctorum amplexuum fuit coniunctio celebrata.*

Ex Medicis. Dioſcorides. Fuchſius in libro herbarũ Medicarum.

S. Bernard. vbi ſuprà.

Fusè Bernardus ait, quod melius Euangeliſta digerit, etſi compendioſè. *Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth.* Miſare myſterium hoc textu abditum. *Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ* Benè, ô Luca, Dei ſcriba dicis. *Et factum eſt.* Nihil enim infectum eſſe poteſt illic, vbi eſt Maria, cuius ſalutatio aërem non verberat, ſed aërias poteſtates eliminat ex aëre. Verè. *Et factum eſt.* Quia id omne, quod Maria ſuo dignatur aſpectu, non deficit; eſſe ideò nequiens imperfectum. Cũ audis. *Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth.* Ex hac enumeratione liquet, gratiarum omnem cõgeriem in nos deriuari ad Mariæ occurſum: nam quod factum eſt, id perfectum eſt; nequit autem eſſe quid perfectum, niſi multiplici gratiâ coëuote: nam ex Philoſopho, bonum eſt ex integra cauſa.

Luc. 1.

Rurſus exultauit infans, & mater repleta eſt Spiritu Sancto. Accurata iſta recenſio innuit omnes virtutes inſitas; quia cùm gaudium ex S. Thoma ſit quies animæ in bono, quieuit fœtus in ſummo bono, quod in matrem iſteplerat, ad Mariæ ingreſſum.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 25. art. 1.

Hæc omnia in typum geſta ſunt eorum, quæ orbi toti imminebant chariſmatum: vt enim tota illa familia geſtiit ad Mariæ vnam vocem; ita & cæli & terræ geſtierunt, non ad vocem, ſed ad Verbum editum à Maria. Hoc Angelus præco ait. *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Sicque cœlis Maria prouidit & terris, cum de ſalute omnium ſollicita, fuit cœlitus imprægnata. Hoc luculenter Bernardus ſpeculatus. *Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus, copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit, omnibus ſinum miſericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona, carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.*

Ex SS. Patribvs. Maria omnibus omnia facta eſt. Luc. 2.

S. Bernard. ſer. Signum magnum.

Horum omnium bonorum texuit breue compendium, priſcis Eccleſiæ temporibus Chryſippus Presbyter Ieroſolymitanus. *Salue armarium vitæ, ſalue quæ es hortus Patris, ſalue pratum totius fragrantiæ Spiritus Sancti, aue radix bonorum omnium, aue gemma ſpecimen omne pretium excedenis.* Et vt animos adderet ille doctor, facerétque fiduciam; Mariam vocat puteum aquæ ſemper viuentis: vt ſicut

Chryſippus in orat. de laud. Mariæ.

Maria armarium vitæ.

putei iuris ſunt communis; ita omnes ad Mariam non detrectent accedere confidenter. *Aue, quæ es puteus ſemper viuentis aquæ; aue nubes, pluuia potum animis Sanctorum exhibentis,*

Nota benè exprimi, pluuiam illam animas Sanctorum alluere; nam abhorret à fœtidis: quid enim Chriſto ad Belial, & puro ad impurum? Fauet myſterium feſtiuitatis hodiernæ, qua Maria præſto eſt Eliſabeth cognatæ ſuæ. Maria non diuertit ad impios, ſed ad eos tantùm, quibus ineſt ei exurgens ea virtute myſtica parentela: hos feſtina inuiſit hæc benigna parens; adeóque largam ſe præſtat in acceſſu, vt nuſquam ſit exultandi finis. Huius gratiæ copioſæ inſcius non fuiſti, ô Bernarde: quippe hoc exuberante fonte potus, iſta mihi ſubiicienda, tuis in paginis eructaſti, *Ad eam non incongruè pertinere dicimus, quod ſcriptum eſt. Quam bona Domina Iſrael, his qui recto ſunt corde: his aduocata noſtra ſolà bonitate ſuà agente, præſentia ſuæ tantam plerumque copiam exhibet, & quam ſit orabilis, exhibitione impertita gratia docet; vt innouati ſpiritu proclament, per conſolationem experientia: Salue regina miſericordia. In his intelligentia non capitur, niſi quantum experientia ſapit, ſola vnctio ſpiritus docet hæc, plus valet hic ſibilus cordis, quam ſtrepitus oris, motus gaudiorum, quàm ſonitus labiorum; conſonantia voluntatum, magis quàm vocum.* Eaperto credite; ad eos ait iſte Sanctus gaudia Virginis pertingere, qui ei conſonant in voluntate. Vis ſcire quæ ſit Mariæ voluntas? nulla planè niſi voluntas Dei: hoc autem Dei velle pandit Apoſtolus. *Patientes eſtote ad omnes; videte ne quis malum pro malo reddat alicui, ſed ſemper quod bonum eſt ſectemini in inuicem, & in omnes; ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei.* Sed heu! tantùm abeſt vt ſe aduoluant ſupplices plerique pedibus Mariæ: quinimò eam male habent, dum eos prægnans orat, vt excipiant ipſam gerentem vtero eum, penes quem ius eſt vitæ & necis.

Maria bona bonis

S.Bernard. ſerm. in Salue Regina.

1. Theſſ. 5.

Ex Historia.

Andreas Duchesne in hiſtoria Anglica ſub ann. 1321.

Regina Angliæ non recepta in caſtro cuius ideo præfectus morti addictus.

Maria eſt nomen virtutis omnimodæ.

Eam vt plurimum hæc Regina ſortem ſubit, quam olim Anglorum Regina Yſabella vxor Edoardi II. Hæc rerum Anglicarum Domina prægnans, pietatis causâ Cantuariam adiit, credens illic ſe Deum partui, qui inſtabat, propitium habituram. Carpit iter Regina multo ſtipata comitatu; ſed multâ iam emenſâ viâ, dum Sol vergeret ad occaſum, ſtetit Regina fœtu grauis, & fatiſcens ea labore, quem obierat illa die, petit caſtrum ſibi obuium, vt diuertat: caſtrum illud vocitabant vulgo Ledss: obſtitit vehementer Præfectus Caſtri, & milite armato præcluſit aditum Caſtri Reginæ prægnanti & cæteris qui ſe ei famulos adiunxerunt. Ægrè tulit iniuriam Mulier non aſſueta probris; aliò diuertit tamen illa nocte, vltura poſtmodum hoc facinus læſę Maieſtatis: coniugem ſuum Regem poſtridie querula Mulier vrget ad vindictam: vxoris animum induit Rex, & ipſe læſus in contemptu ſuæ charæ conſortis; caſtrum illud obſidione cingit, aggreditur, ingreditur, & hos omnes perduelles Reginæ iniurios laqueo ſuſpendit; vt quos rebellio fecerat dominæ iniurios, hos etiam fœda mors faceret indecoros.

Diui vitæ noſtræ ſeriem totam referre diei huiuſce myſterium, quo Mariam recolimus Verbo Dei grauidam inuiſere cognatam ſuam Eliſabeth: & reuera hactenus eadem Regina, terrâ cælóque potens, multos adhuc viſitat à quibus excipitur lætè & piè magno cum fœnore gratiarum: hæc enim prædiues Virgo, multóque chariſmate grauida, omnium bonorum agmen ſuis hoſpitibus impertitur. Et hoc ſonat ex Bernardo Reginæ nomen. *Regina, gloria nomen eſt & honoris, magnificētia & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & honorificentia, ſublimitatis & potentia, gubernationis & iuſtitia, defenſionis & gratia. Sancta Sanctorum hac omnia nobis, & pro omnibus nobis, cui decantamus aſſiduè, Salue Regina.*

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. ſerm. 1. in Salue Regina.

Deuotio in Mariam hoc ſæculo rediuiua in paucis, deficit in pleriſque, qui ementito nomine ſodalitij alicuius inſtituti ad Virginis obſequium, turpem agunt vitam. Etenim acti ſpiritu nequam, Mariæ virtutum prorſus immemores, aut ſaltem incurij, fœdâ ſe peccatorum illuuie coinquinant. Hos quoſque ſingulos habet dæmon, vt Caſtrum Lauas: hæc vox reddita Gallicè, *Laides*, turpitudinem clamat, & reuera reprobi ſunt deformes; quippe expunctâ gratiâ, quâ ſolâ Deo aſſimilamur, homo fit informis. Maria Regina prægnans circuit Eccleſiam pietate ducta, diuertit aliquando ad reprobos, ſi ei tandem ſui compotes aperiant; ſed homines nefarij, ſui obliti, ſicut & Mariæ, eius obſequia dedignantur impij; toti ſunt in ſubſannando pios, & Mariæ cultui addictos; flocci ſunt eis roſaria, aliique ritus Mariam deprecandi; ſed querula Dei hominúmque parens, vltura ſua tandem opprobria, etſi nunc incuria videatur iniuriæ; tamen morte inſtante, ſupplicio plectet & hoc æuiterno.

Huic mulctæ fuit obnoxius Conſtantinus ille Imperator, nomine Copronymus; hoc nomen turpitudinem olet, ſtercus enim fœtet; ſiquidem κόπρος id ſignificat. Fœtidus ille ſupramodum Mariam exoſus, cultum eius inhibuit, ſed in agone extremo eiulans, ait: Crucior ob Mariam; hanc colite, hanc colite: ſicquę impius in Mariam, pœnas termini neſcias moriens anteuertit.

Mariæ contemptor Copronymus malè moritur.

Ex Historia.

Theophanes in Annalibus ſub ann. 775.

Huius impij periculo cautiores facti, accingamur ad Reginam hanc excipiendam lautè: & quia montibus aſſueta, permeat excelſa tantùm; ſeriò virtuti inſtemus. Nam virtus in arduis, nimirum virtus edito loco reponit aſſeclas ſuos, cœno ereptos, cui vitia reprobos adigunt, in hoc fœdo volutabro inſtar ſuum turpiter ſeſe volutantes. Abeamus igitur in montana, cum feſtinatione, excepturi Virginem ad nos diuertentem: erit hæc feſtina, & feſtiua nobis, ſi feſtini nos feſtiuè gerimus, non veſtium ambitu ſpecioſo, Mariæ feſta recolentes, ſed laciniis vitæ retroactæ depoſitis, ſequaces Mariæ, offerentes ei animos vitiis illibatos. Non eam auaij tantùm præſtolemur, ſed etiam aduentum eius vrgeamus, ſic orantes cum Bernardo. *Fac, ô benedicta, per miſericordiam quam peperiſti, vt qui te mediante fieri dignatus eſt particeps miſeria, & infirmitatis noſtra; te quoque intercedente participes faciat nos gloria, & beatitudinis ſua. Amen.*

S. Bernard. ſerm. 2. de Aduentu.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

EVANGELIVM. Luc. 2.

POSTQVAM impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent cum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.

I. Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur, & vt darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini.

II. Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus Sanctus erat in eo; & reſponſum acceperat à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini; & venit in ſpiritu, in templum. Et cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.

III. Et ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

I. VT ſimilis ſimili gaudet; ita Deus rerum omnium principium, vult ſibi aſſeruari primitias omnium, veluti rerum exordia.

II. Et ne remoretur penſum pietatis, mens malè ſibi conſcia, metuens flocci-pendi ſua obſequia, turturis inſtar gemat, ob ea omnia qua hactenus paſſa eſt deliquia.

III. Hanc ſic accinctam Dominus IESVS inuiſet, & ruet in amplexus, quibus anima recreata, & pertaſa ea quæ ſæculi ſunt, nihil æquè optabit ac corporis cum anima diuortium, id eſt mortem, quâ poſitis exuuiis ſarcinæ importunæ, ad Deum protinus euehatur.

QVAS PRIMITIAS DEVS exigat ab homine.

In hæc verba:

Omne maſculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur.

SECTIO PRIMA.

Ex Philoſophia. *Porphyrius li. prædicab.* Primitiarum tria genera.

TRibus veluti cancellis concluditur ſeries tota rerum, quarũ Deus primitias olim exigebat; erant nempe res illæ, aut fruges, aut beſtiæ, aut infantes; & hoc rerum ternatio integer homo denotatur. Nimirum ex Philoſophia, primùm homo in vtero vita vegetante viuit, dein ſentiente, & demum exurgit in hominem: ſpeciebus enim infimis hoc inſitum eſt, vt aliarum ſupremarum cenſus atque dotes omnes nobiliore ritu participent; vt animal vegetat nobiliore modo plantis, quæ primo tantum gradu vitæ gaudent; & rurſus homo, animalium rationis expertium vitam antecellit. Deus igitur petit ab homine primitias rerum, quæ vegetant, ſentiunt, & diſcurrunt: quæ autem ſint res illæ, Theologia conſulatur.

Ex S. Thoma, homo diuiditur in exteriorem, & interiorem. Exterior homo dicitur omne id, in quo conuenimus cum pecude; & hic homo corruptioni eſt obnoxius, ſicut & pecora. Homo interior, eſt id, quo Angelis conſiuimus, ſcilicet intellectus, & voluntas, & hic homo diuinorum conſcius, gratiæ amplioris ſuſcipit incrementum. Hanc doctrinam hauſit ab Apoſtolo Angelicus Doctor, ait enim Paulus. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.* In homine exteriore Deus exigit illud, quod pertinet ad vitam vegetantem; eſt autem id nutritio: denuo petit quod & ſpectat naturam animalis, id eſt partem ſenſitiuam, quæ eſt ſubiectum paſſionum. In homine interiore, voluntatis & intellectus potiores quaſque actiones: In nutritione mortificationem ſenſuum expoſcit: In appetitu ſenſitiuo, rectiorem vſum paſſionum: In appetitu autem intellectiuo amoris rectitudinem ingerit. Cum trium harum facultatum Deo offerendæ primitiæ nobis innoteſcant: de ſingulis quibuſque ſuo ordine diſſeremus.

Ex Theologia. Homo alius interior, alius exterior. *S. Thom. 1. p. q. 71. art. 4. ad 1.* 2. Cor. 4.

Nutritione inſinuari regimen ſenſuum, ibunt inficias rei medicæ ignari; at periti non annuent modò, ſed auctoritate fulcient hoc effatum, quod in guſtu nullas patitur inſtantias. Eſt enim guſtus animantibus inſitus, ad ſapores explorandos, an ſint idonei necne

Ex re Medica.

animali nutriendo. De odore res eſt etiam indubia, nimirum vetuaculo experimento liquet, cerebrum gratis odoribus confortari; imò & homines ali nidore ciborum, quorum odor, quem exhalant, tenues ſecum vehit partes congruas alimento. Tres alij ſenſus rem dubiam faciunt: quomodo enim nutriant viſus, tactus, & auditus, res eſt operoſa valde concipere Imperito. Hanc aperio. Iiſdem nutrimur quibus conſtamus; conſtamus autem partibus humidis, ſolidis, & ſpiritualibus. Spirituales partes Medici nuncupant eas, quæ exurgunt ex ſanguine defæcato, vt ſunt ſpiritus vitales in valuulis cordis, & animales in cerebri ergaſtulis. Partes ſolidæ, & humidæ aluntur cibis ore deguſtatis, & nidore qui naribus ebibitur. Spiritus autem vitales cordis incolæ, & animales cerebri indigenæ, poſtremo ſenſuum ternario recreantur.

Duret in ſcholiis ſuis in praxim Holery c. de ictero.

Vnde Duretus ictero conſulit, vt aëre liberiore degat, & aſpectu rerum exquiſitarum oculos paſcat, vt ſpecies inſitæ lætiores, ſpiritus vegetiores faciant, ad colores fœdos illico detergendos. Et ſic habes ex Dureto medico ſummo, oculos nutritioni ſpirituum inſeruire.

Ambroſius Paræus l. expeditionum quas obiit in variis Prouinciis.

Spiritus animalis qualis ſit.

Affinia ſunt ea quæ tradit Ambroſius Paræus de tactu: ait enim ſibi traditam curam Dynaſtæ præpotentis, qui cum decubuiſſet aliquot menſes in lecto impos ſui quoad motum nec vellet mutari ſindonem, ne ex tranſlatione cubilis ad alium lectũ, intenderetur dolor; linteamina adeò ſordida euaſerant, vt mouerent ſtomachum omnibus, qui viſendi cauſa ad Principem accedebant. Cum igitur à Rege Galio in illas oras miſſus Paræus hominem vidiſſet immundæ ſindoni incubare; ſuaſit primò munditiem, etſi ægrè admodum æger annuerit aliò ſe transferri. Mirum vbi tantiſper, repurgato cubili, omnia nitentia fuerunt appoſita, Princeps mundioris lintei tactu delinitus, ſopori indolſit & melius habere cœpit. Ratio autem medica hæc eſt. Viuente animali totum corpus aëri ambienti peruium eſt, hiantibus poris, & patulâ cute: vnde cùm arteriæ effuſæ in totum corpus iugiter moueantur, claudente eas ſyſtole, & diaſtole eas explicante; fit vt alternante motu, ebibat corpus attactu ſuo, aëri circumfuſo inſitas qualitates. quæ ſi ſint noxiæ hominem lædunt, ſi ſecus ſint ſalubres, illis homo validè ſoſpitatur.

Fernelius Phyſiologia, l. 4. cap. 2.

Audiendus Regius Fernelius. *Spiritus eſt corpus æthereum, caloris facultatumque ſedes & vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentum: huius fouendi gratiâ inſpiratione aerem introducimus, qui non modo corpori refrigerationem, ſed pabulum quoque ſuppeditat.* In auditu totus rei vertitur cardo: nam canalis, quo ſpecies aure receptæ vehuntur ad cerebrum, eſt omnino aëris impatiens. Reſpondeo, recreari ſpiritus primò à ſpecie intentionali, quâ cùm gaudeat anima, congaudent & ſpiritus. Secundò deliniri queunt aures leni aeris à cantu flabro, vt ſæpe accidit ægris, quos aquæ caſus, veluti muſicus, allicit ad ſoporem. Sic præfatis fit palam, ſolida ſolidis, & tenuia aëre ſaginari, vt habet explicitè Fernelius ſic eloquens. *Corporis denſa moles, aeris ſubſidio haudquaquam indi-*

Idē vbi ſupra.

Aëris neceſſitas vt viuat homo.

get, vt quæ craſſiore recreatur alimento, ex omnium elementorum permiſtione concreto, quare neceſſum eſt aerem hauriri, & attrahi, vt finitima, & cuipiam in nobis ſui generi ſubſtantiæ iungatur, eique velut in paſtum cedat: ſi nulla in nobis eſſet tenuis & ſpirituoſa ſubſtantia, vix vlla profectò ad inſpirandum neceſſitas impelleret. Hæc ille, ex cuius recenſione ſtat ſarta tecta mea ſententia, ſenſuum quinario alimenta hominibus congrua procurari.

Partis huiuſce vegetantis ſollicitat primitias Deus, quas vltro pendunt illi, quibus ineſt ius in ſuos quoſque ſenſus. Oculorum primitias luit Iob, dum ſic fatur. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Oculis ille tantùm vtebatur ad licita; vbi autem ſe vellent effundere ad illicita, compeſcebat. Negauit hoc penſum Deo Dauid, ſed maximam attulit Principi incauto perniciem libido oculorum, quam pungit codex ſanctus. *Vidit mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum; erat autem mulier pulchra valde.* Nota voces has. *Ex aduerſo* Reuerà aduerſum eſt omne id quod irrepit in oculos imparatos. Dauid ſuo periculo cautior factus, ſerò tandem ſoluit oculorum illud penſum, dum ait. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce ſicut oculi ſeruorum, in manibus dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Et ne in ſcopulos oculi incurrerent Deum ſic orabat. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Iob 31.

2. Reg. 11.

Pſal. 122.

Pſal. 118.

Oculorum mortificatio in S. Ludouico Episc.

Ex Historia.

Chronicon Minorum in vita S. Lud. Epiſcopi.

Hac virtute inſignes fuere Sancti Ludouicus Epiſcopus & Carolus Borromæus, quorum Ludouicus annum agens circiter vigeſimum, oculos humum verſus inclinans, rerum exterarum aſpectum, & ſpeciatim in Eccleſia iugiter inhibebat: cuius rei cùm fama crebrior inualeſceret; mulier quædam iuuenis Epiſcopi virtutem adultam non credens, voluit ipſa tentare, an adeò auſterus eſſet ille Præſul, vt de rigore illo nihil omnino relaxaret. Adit illa Eccleſiam, obiicit ſe Epiſcopo, eius explorans oculos, an nutarent: ſed incaſſum intenta hæc fœmina; etenim Ludouicus ille ſemper ſibi conſtans, oculos non inflexit aliò quàm deorſum: vnde & poſtea habuit mulierem illam ſuæ virtutis encomiaſten.

Huius ſancti æmulus impiger fuit & alter Præſul, S. Carolus Borromæus, oculis ſuis ita inuigilans, vt inuitatus aliquando ad amœnos hortos inuiſendos, recreationis ergô; ille non detrectans comitatum nobilium hominum, qui eum ad hoc ſollicitabant, eò ſe contulit: ſed eâ ſui cuſtodiâ, vt nequaquam oculis ſuis liberiorem vſum Carolus indulgeret, quod & ſæpius præſtitit in ſimili agone.

Oculos Scipio & Alexander auerterunt à mulieribus.

Q. Curtius de geſtis Alexandri.

Plutarchus in Scipione.

Huius virtutis aliquos ſymmiſtas celebrat; gentilis hiſtoria, Alexandrum, atque Scipionem, Heroës vtique inſignes, quorum Macedo, Dario Perſa profligato, noluit videre filias eius virgines ſpecioſas, ne vinceretur à ſexu imbelli, ille hominum oppugnator. Eumdem ſe præſtitit Africanus ille Scipio, direpta Carthagine: quippe ſciens virginem egregiæ formæ ſibi aſſeruatam, libidinis explendæ gratiâ, non paſſus eſt eam venire coram, ne ſuis oculis illuderet.

Aures etiam ſibi addici Deus ea religione voluit,

Deut. 21. Obedientia olim præcepta ſub pœna mortis.

voluit, vt inobedientem dicto ſacerdotis, ex ore Dei aliquem præmonentis, morti addixerit, vt & filium incurium obedire patri, ſicut hac lege cautum eſt. *Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: filius noſter iſte proteruus eſt, & contumax, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuijs, lapidibus eum obruet populus ciuitatis; & morietur, vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* Aures Deo ſacræ debent etiam detrahentibus, & obſcœnis ſermonibus obturari, iuxta conſilium Sapientis. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* Morem geſſit huic ſtatuto honeſta mulier, & famoſa Suſanna, quæ ſenibus ſuadētibus iniqua, nō annuit, illud obijciens. *Anguſtiæ ſunt mihi vndiq; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras ſed melius eſt mihi, abſque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini.* Dum multarum rerum vſum prohibuit Deus, guſtui lex indicta eſt, & primum mandatum fuit, de gula refrænanda. *Ex omni ligno paradiſi comede de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Offerre primitias guſtus, eſt ab obſoniorum cupedijs exquiſitis, ſibi Dei gratia temperare; vt fecerunt pueri Hebræi regio ſanguine sati, qui Chaldæi Regis ſpretâ annonâ, ſolo legumine condito cælitus opiparè victitarunt: ſic enim fert ſacer textus. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de mēſa Regis, neque de vino potus eius* Et vt cōſtaret, quàm accepta foret Deo victus illa reſcindens ſuas guſtui delicias, ait Daniel Eunucho præpoſito pueris. *Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibēdum, & contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio, & ſicut videris, facies cum ſeruis tuis. Qui audito ſermone huiuſmodi, tentauit eos diebus decem; poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.*

Eccleſiaſtici cap. 28.

Daniel. 13.

Geneſ. 2.

Daniel. 1.

Ne igitur cauſare, ô delicate, indolem imbecillam lautiore cibo recreandam. Deus adeſt iis, qui vim facientes gulæ, ipſi temperantiæ actibus obſequuntur. Odoratus ſuam etiam cenſuram ſubit, dum ſuffitus, aromata, & puluerem pigmentarium aliquis, virtutis ergò, longè facit, & abiurat: quippe hæc hominem arguunt muliebrem; ſed myſticus in odoratu ſenſus eſt potior: eo curioſa rerum omnium inueſtigatio deſignatur; naſuti enim curioſi eſſe perhibentur, iuxta illud Horatij.

Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Curioſi igitur nares emungant, ne impingant in diſcrimen, iuxta Ieſu Syracidæ conſilium *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis.* Vide Bethſamitas durè habitos, ob arcam Dei curioſius inſpectam. *Percuſſit Dominus de viris Bethſamitibus eò quòd vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Multi ſimiliter periere deficientes à fide, quia ſagaciore quàm fas erat indagine, quæ fidei ſunt voluere perſcrutari.

Eccleſiaſtici cap. 3.

1. Reg. 6.

Prou. 5. Mulierum conſortium declinandum.

Supereſt ſenſus tactus, libidinis fomes, luxurians in oſcula; item & hic ſenſus peccat munere iniquè accepto. In prima deliquia ſenſus huius, quem oſcula deliniunt, ſic cauet ſcriptura ſanctior. *Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius; nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps.* Quam verò perniciem munera inferant, aut bona malè parta, diſce ex plaga Giezi, in quem ſic Dei ira deſæuiit Eliſæo ferente ſententiam. *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas; ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo quaſi nix leproſus.*

4. Reg. 5.

Geneſ. 3.

Senſuum ſuorum regiminis incuriâ Eua diſperiit, & conſortem etiam ruinæ ſuæ coniugem ſuum fecit. *Vidit lignum quod bonum eſſet ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* En in oculis deliquium. *Tulit & comedit.* Ecce in gula peccatum; naribus præſenſerat odorem gratum, qui eam pellexerat; aures præbuerat ſerpenti deluſori: & manu apprehendens infecit & tactum. Vt occurreret Chriſtus omnium ſenſuum diſcrimini, ſic ſuos informauit. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te; expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorū, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.*

Matth. 5.

Ex SYMBOLIS. Camerarius lib. Centuriar.

Quo contextu Chriſtus obuiam iuit eruptioni ſenſuum, vt præſcripto ab eo regimine compeſcantur: etenim oculi proiectio, & abſciſſio manus, inſinuant parcum vſum earum partium, quibus collectis anima ſibi poterit adſcribere Symbolum Camerarij, qui limacem abditum, & ſua concha tectum obiicit, hoc titulo. VNDIQVE TVTVS. Neſcit enim limax cæli iniurias, dum ſe ſuo tecto intimè concludit; ita nec homo dæmonum patet inſidijs, ſi totum ſe contrahit ſenſibus ſuis inuigilans: tunc enim eſt VNDIQVE TVTVS. Vt videre eſt in Iudith muliere heroïna, quam ſic ſcriptura commemorat *In ſuperioribus domus ſuæ, fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Quid inde emolumenti collegerit, adiicit textus. *Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum.* O nos beatos, ſi in ſuperiore domo, id eſt in penitiore receſſu noſtro, habeamus ergaſtulum, quo puellas noſtras, id eſt cogitationes colligamus, & ſenſus cohibitos illic reſtringamus! Non erit qui malum nobis aliquando opponat, quia tunc erimus vndique tuti. At ſecus aperto oſtio, Dalila prodidit Samſonem; ita & mors intrat per feneſtras, multique iere peſſum, aliquo proditore ſenſu.

Iudith. 8.

Hiſtoria

Edoardi II. Regis Angl. mors violenta.

Ex Historia.

Andreas Du Cheſne in hiſtoria Angliæ ſub ann. 977.

Senſuū pone ſunt obſeruandæ.

Eccleſ. 19.

Paulus Æmilius de geſtis Francorum.

Hiſtoria omnigena multa eſt, in receuſione eorum, quns neglecta ſeuſuum cuſtodia abſumpſit. Luxit inde Regem ſuum Edoardum II. Anglia, qui cùm poculum vini ab egregia & eleganti muliere porrectum acciperet, diu hæſit in vultu meditando obuiæ fœminæ, longiorque mota dedit locum & auſam ſicario Regem occidendi, quem conuenire non poterat hactenus occupatum: itaque vino & muliere periit Rex inclytus, qui ſe recepiſſet incolumis, ſi abſtemius à fœmina oculos auertiſſet. Similes caſus præſciit Ieſus Syracides. *Qui ſpernit modica paulatim decidet: vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* In quot heu diſcrimina Gallos adduxere tactus impudici apud Siculos, Sicilia ſtante à partibus Gallorum! cùm enim mulieres Siculæ feriâ ſecundâ Paſchatis, extra vrbem poſitas ædes ſacras inuiſerent, Galli ad portas ciuitatis in ſtatione poſiti, ſimulantes velle explorare, an arma veſtibus abdita celarent, impudicè mulieres attrectabant. Salacem indolem non tulit Italia, metuens ne tactus eſſent præambuli adulterij, in proximo ſequuturi: & hinc ferale conſilium de tollendis Gallis, qui eo die omnes cæſi, ictu gladij luere pœnas, quas liberior tactus ſuo crimine demerebat.

Dupleix in Carolo IX.

Extremo etiam fato ſublata eſt Ioanna Nauarræ Regina, immodico ſuauium odorum vſu, hunc eius animum vbi reſciuerunt ij, qui in caput eius ſeſe conſcripſerant, Chirothecas ſuaueolentes miſerunt ad incautam, quas dum naribus appoſuit, hauſit & lethale virus aſperſum Chirothecis: multi etiam dum plus æquo indulgent naribus, libidinis hinc fomenta facile ſuſcipiunt. Quàm crebra etiam deliquia ex auribus, ad quoſque diſcurſus hiantibus: quot virgines & matronæ in choræis, aure patulâ toxicum ebiberunt, vt luget Petrarcha. *Ibi virgo didicit, quod melius ignoraſſet: Matrona ibi ſeruatum diu decus perdidit.* Rurſus detrahenti auris credula, & ſeminanti rixas facilis ſupra modum, odij ſemina concipit, quæ in cædes poſtmodum adoleſcunt. Conſtantinus ille Magnus filium ſuum innoxium nonne iniquè perdidit, nouercâ deferente ſuſpicionem inceſtus? Senſuum ſuorum impiger cuſtos, eo ſui dominio gaudebit, vt paſſiones etiam ad rationis arbitrium hominem deducant in obiecta conſona virtutibus, quarum praxi hæ primitiæ paſſionū Deo perſoluuntur.

Choreæ luxuriæ obnoxiæ.

Petrarcha l. de remedus vtriuſque fortunæ, Dial. de choreis.

Ammian. Marcell. in Conſtant. vita.

Ex Theologia.

a. Damaſc. l. 2. orthod. fidei, cap. 12. S. Th. 1. 2. q. 22. art. 2.

Paſſio quid ſit.

Ex Damaſceno. *Paſſio, eſt motus appetitiuæ virtutis ſenſibilis, in imaginatione boni, vel mali.* Dicitur ille motus, paſſio, quia reuera totus homo patitur, & mutatur in apprehenſione boni, vel mali: & licet virtus apprehenſiua aliquid patiatur ab obiecto; paſſiones tamen ex S. Thoma non ſunt in apprehenſiua facultate, ſed in appetitiua, quæ ita percellitur, vt hominem totum plerumque concutiat, ſi non ſit ſui iuris: & eam ob rem paſſiones non ſunt verè in anima, ſed in toto compoſito, quod patitur, ingruente aliqua paſſione. Dum enim aliquod bonum animali obiicitur; eo apprehenſo, fertur in illud amore, & deſiderio; & ſi quis obſtiterit, excandeſcit. Omnes autem illi motus hominem iactant & gyrant in varia, vnde illis ineſt nomenclatura paſſionis: quæ bifariam conſiderari poteſt; ſcilicet in ſtatu naturæ, aut in genere moris. In ſtatu naturali, paſſiones, ſeu animæ motus, inter ἀδιάφορα, id eſt, res ancipites, & indifferentes reputantur, ſicut & reliquæ animæ facultates, quibus inſtruitur ad actiones ſuas exercendas, in genere moris. Animæ paſſiones bonitatem à recto vſu rationis emendicant, ita vt amor, deſiderium, odium, & cætera dum rationi ſubſunt, virtutis nomine cenſeantur.

Ex Philosophia.

Primitias quare Deus exigat.

Ariſtot. l. 2. phyſic. c. 2.

Quod vt præſtet homo, Deus vult ſibi primitias omnis maſculini fœtus ſpontaneè dedicari: quomodo autem primitiæ paſſionum diſcernantur, diſce ex Philoſophia. Omne agens rationale finem habet ſibi præſtitutū, ex Ariſtotele: & finis ille prior eſt in intentione, animamque mouet ad agendum, & ab hoc fine tota ſeries actionis ſuam ſpeciem malitiæ, aut bonitatis emendicat. Quod autem primum eſt in aliquo rerum contextu, illud primitiarum ſibi vendicat rationem; ergo intentio quâ mouemur, & quæ paſſiones excitat ad agendum, eſt id quod exigit Deus ab homine circa paſſiones, quando meminit primitiarum. Nam ſi præeat operi bona intentio finis; ille ſuam diffundet etiam toti operi bonitatem, & paſſiones anteà meriti expertes, iam ſuperueniente fine optimo, teſſerâ virtutis inuruntur.

Geneſ. 3.

Iudic. 16.

Quod callens probè dæmon, vnicuique operi heroïco ſtudet inducere noxiæ intentionis aliquam aſperginem, vt actionis ſibi ſic primitias vendicet: & hoc præmonuit Deus in ipſo ſæculi exordio. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; ipſa conteret, caput tuum & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Mulier hæc eſt anima, quæ prima dæmonis conamina elidit, dum Deo adhæret: vt autem irrita ſint opera ſanctorum hominum dæmon inſidiatur calcaneo, id eſt fini, ſeu intentioni. Nam vt tota Samſonis virtus erat in capillis; ita tota animæ & actionis energia ſita eſt in eo cogitatu primo, quem intendit homo in parturitione boni: vnde ſi homo inani gloriâ ductus, aliquod edit facinus egregium; deperit illi tota virtus operis, cuius calcaneo inſidiatus hoſtis, bonitatem omnem expunxit ab hoc actu.

Exod. 1.

Hunc dæmonis aſtum æmulatus eſt Pharao, diaboli typus ingenuus, cuius fuit hæc impia ſanctio ad obſtetrices. *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eum: ſi fœmina, reſeruate.* Ita & dæmon ſuis mancipiis, & eiuſdem cum ipſo fatiuæ aſſeclis ait: cùm quæpiam anima aliquod opus bonum editura molietur partum, videte an finis ſit bonus; tunc enim maſculus eſt, & Deo acceptus, vtpote primitiarum referens rationem: cautè occidite, & delete hanc piam intentionem, quâ præuiâ omnis fidelium actio nobis exterminium intentabit. Si autem ſecus intentio ſit peruerſa, tunc erit fœmina; hanc reſeruate, & quanto fieri poteſt ſtudio, iugiter enutrite: nam optima quæque actio, imò ipſa Euchariſtiæ ſumptio, prauâ intentione præambulâ, obnoxia eſt cenſuræ. Studeas ergo, ô homo Chriſtiane, bonis primitiis Deo perſoluendis.

Ex Mathematica.

Habet Mathematica quidpiam, quod congruat naturæ paſſionum: ait enim illa ſiderum diſciplina. Lunam ſicuti luminis patitur decrementum & augmentum; ita etiam bonitatis

atque

Iulius Firmicus de virtute Planetarum c. de Luna.

atque malitiæ varias inducere rationes, prout aſpicitur à Planetis. Verbi gratia, ſi Iupiter Planeta fauſtus irradians, Lunæ præeat aſpectu diametro, Luna propitia effectus ſalutares ſortietur; ſin minus Saturnum, aut Martem aſpexerit, Luna iniquior mala omnia pariet & infauſta: ita & paſſiones noſtræ a recta ratione moderamen mutuantes, eà prauiâ laudabiles erunt; ſi verò quis Saturno aut Marte, id eſt, acediâ aut irâ præoccupatus quid faciat, omnia frigebunt pigredine, aut contrà ebullientc vindicta, dicto citius æſtuabunt. Caueat ergo anima, ne prauâ aliquâ intentione, totâ virtute cadat; ſed primitias Deo gratas ſemper penes ſe reponat: has autem primitias animæ potior pars exoluit, quando intellectus & voluntas Deo humili obſequio deuouentur. Cum matutinus homo Deum cogitat, & à corde eſiminat amorem omnem exoticum, iuxta illud Chriſti. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Ibi mens, & cor hominis inſinuant intellectum atque voluntatem, quarum facultatum non exordia tantùm, ſed & totum vſum debemus Deo, ſed & nos totos, iuxta Ius vtrumque Canonicum & Ciuile.

Matth. 22.

EX IVRE CIVILI.

Feudum vnde dicatur.

L. 1. feudor. ſinul. 3. de immeſitura per quas fiat. & tit. 6. de forma fidelitatis.

Feudum ad quid obliget ſubditos.

Iure Ciuili cautum eſt, vt qui feudum tenuerit à Principe, fidelitatem Principi præſtet, id eſt obſequium: nam ex iure. *Feudum dicitur à fidelitate, & à fide.* Seu vt habet idem Ius. *Beneficium, ſeu feudum id dicitur, quod ex beneuolentia ita datur, vt res immobilis proprietas beneficiata, id eſt beneficio data, aut accepta penes dantem remaneat.* Hac lege, etſi nobiles aliqua ditione gaudeant prænobili & potente, vt ſunt Marchionatus, & Ducatus; ſummum ius eſt penes Regem, aut Principem, imò & rei proprietas, cuius vſus ad hæredes non deuoluitur niſi acceptâ inueſtiturâ a Principe. Hæc autem ex iure inuoluit fidelitas, cui feudum aliquem obſtringit, vt habetur in Iure. *Qui Domino ſuo fidelitatem iurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet. Incolume, ne ſit in damno Domino ſuo de corpore ſuo. Tutum, ne ſit ei in damno de ſecreto ſuo, vel de munitionibus ſuis, per quas tutus eſſe poteſt. Honeſtum, ne ſit ei in damno de ſua iuſtitia, vel de aliis cauſis quæ ad eius honeſtatem pertinere videntur. Vtile, ne ſit ei in damno, de ſuis poſſeſſionibus. Facile vel poſſibile.* Vnde ſic arguo. Iuri Ciuili dominationes etiam inſignes, quas feuda vocant, etſi poſſeſſores ſuos euehant, obſtringunt tamen alicui obſequio, quo ſummum dominium ſui eſſe penes Principes atteſtantur: ergo etſi virtutum egregia facinora quæ patramus, nos cælo dignos efficiant; cum à Deo dependeant; à quo veſtimur gratia, ad penſum primitiarum nos omninò obligabunt.

EX IVRE CANONICO.

Extrauag. Apoſtolicæ Cameræ Innocent. VIII.

Annatæ quid ſint.

Rurſus Iure Canonico; Epiſcopus à Summo Pontifice in Epiſcopum aſſumptus, etſi Eccleſiæ ſuæ annonam omnem & prouentum habeat ex vi inueſtituræ; tamen primi anni reditus pendit Summo Pontifici, & hoc penſum annatas vocant. *Quas qui non exſoluit, excommunicatur ipſo facto, & cadit omnibus quæ poſſidet beneficiis, & ab aliis poſſunt hominibus impetrari.* Ex decreto Papæ Innocentij Intentiones, & primæ animæ facultates, vt ſunt intellectus, & voluntas, ſunt veluti annatæ Epiſcopatus noſtri, id eſt ſtatus perfecti ſi quo præpollemus: faciamus igitur Deo ſatis, & hoc incunctanter.

EX SS. PATRIBVS.

S. Bernard. ſerm. 3. de Purific. B. V. Mariæ.

Gratitudo nos obligat ad offerendũ Deo totum quod ſumus.

Hoc monent ſancti, in quibus Bernardus ſic hortatur. *Quid nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis: ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem quam habuit, nimirum quia pretioſior eſſe non poterat. Et nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus, offerentes illi quod ſumus, vtique nosmetipſos. Ille ſeipſum obtulit: tu quis es qui teipſum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: vtinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre; bonum enim mihi, longéque glorioſius, atque vtilius eſt, vt tibi magis offerar, quàm deſerar mihiipſi: nam ad meipſum anima mea conturbatur, in te verò exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Mortuos Domino Iudæi mortuas hoſtias offerebat; ſed nunc viuo ego; dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat; non vult Dominus mortem meam, & non libenter afferam illi vitam meam. Hæc eſt hoſtia placabilis, Deo placens hoſtia, hoſtia viua: ſed in illa oblatione Domini tres fuiſſe leguntur, & in oblatione noſtra, tria nihilominus à Domino requiruntur; fuit in illa oblatione Ioſeph ſponſus matris Domini, cuius filius putabatur: fuit & ipſa Virgo mater, & puer Ieſus qui offerebatur: ſit ergo & in oblatione noſtra conſtantia virilis, ſit continentia carnis, ſit conſcientia humilis: ſit, inquam, in propoſito perſeuerandi animus virilis; ſit in continentia caſtitas virginalis, ſit in conſcientia ſimplicitas & humilitas puerilis.*

Vide quàm benè Bernardus faueat intento meo de tribus primitiis, frugum, animalium, pecudum, & hominum, id eſt facultatis vegetantis ſeu nutritiuæ, ſentientis in qua vigent paſſiones, & intellectualis: quæ omnia in Ieſu, Maria & Ioſeph graphicè lineantur. Ioſeph augmentum ſonat; nam יוסף deducitur à *Iaſaph* יסף *augeri*. Benè ergo facultatem nutritiuam ſonat, penes quam eſt augmentum. Maria etiam adeſt oblationi: Mariam Dominam eſſe liquet ex nomine deriuato à מר *mar*, quod dominam clamat: ea denotat dominium paſſionum, quod acquirunt primitiæ paſſionum, id eſt intentiones rectæ, quibus optima quæque diriguntur. Denique IESVS animam intellectualem ſubindicat: nam verbum terminat intellectum, & vltima intentio ea eſt, quam ſibi præſtituit intellectus.

S. Hieronym. epiſt.

S. Ambroſ. in Luc. c. 1.

Iam ſenſuum cuſtodiæ debere nos inſudare, cape ex Hieronymo. *Caue ne linguam & aures prurientes habeas.* Cui occinit Ambroſius, dum receſſum inſinuat, exemplo Mariæ. *Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari, ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolam Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu.* Vt Feudi proprietas eſt penes Principem, cui debet obſequiũ feudo cadens; ita audi ex Auguſtino cuius ſis. *Quid tam tuum quam tu, & quid tam non tuum quã tu? ſi alicuius es quod es.* Ideo hoc habe oraculum.

S. Auguſtin. tractatu 29. in Ioan.

SI BONA INTANTIO NON PRÆEAT, PEREAT NECESSE EST ACTIO, AVT PARVA AVT PRAVA.

POENI

POENITENTIA GEMEBVNDA Deum inclinat.

In hæc verba:

Par turturum, aut duos pullos columbarum.

SECTIO SECVNDA.

Prouerb.6. Pœnitentis animæ ſymbolum.

EO hominem eius deduxere deliquia; vt qui Deo Doctore vſus non eſt, mittatur ad pecora, ab eis edocendus: ita deſidem ſugillat Rex Salomon. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Textus præpoſitus huic ſectioni, ad turturum claſſem mittit hominem pœnitentem, vt ediſcat inde pœnitentiæ diſciplinam. Turturem eſſe typum pœnitentis, vox eſt Sanctorum, vt infra liquebit; & vt ordinata decurrat hæc ſectio, tota erit in ſacrificio turturis explicando, cuius ſeriem Deus ipſe delineat hoc contextu. *Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris, veſiculam verò gutturis, & plumas proiiciat propè altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi ſolent, confringetque aſcellas eius, & non ſecabit, neque ferro diuidet eam, & adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito; holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.* Nec nauſeam ferat hæc figura, vt commonis: eam ego tibi nouam adiiciam dum referam illi omnes ſcientias obſequentes. Primum quod occurrit in figura hac eſt, quòd Deus ipſe & non Moſes hoc decernat ſacrificium. Et inde edocemur, à Deo eſſe pœnitentiæ exordia, & ab eo debere hominem vt pœniteat auſpicari, ſiue Philoſophicè, ſiue Theologicè de pœnitentia diſceptemus.

Ex HISTORIA. *Leuitici 5.*

Virtus quid ſit.

Ex PHILOSOPHIA. *Ariſtot.l.2. Ethic.c.5. Idem l.7. phyſic.c.1.* Cauſæ ſecundæ non mouent niſi motæ.

Ex Ariſtotele. *Virtus eſt habitus electiuus ſecundum rationem rectam.* Sed ad rectam rationem pertinet, vt aliquis doleat de quo dolendum eſt, & eo modo & fine quo dolendum eſt: ergo pœnitentia, quæ eſt dolor de crimine perpetrato, erit virtus, ſi ſpectetur vt eſt in voluntate dolor ille cum quadam electione; ſi autem ſimpliciter dolor ille eſt in appetitu ſenſitiuo, erit paſſio & nō virtus. An verò virtutis huius homo Deo initio poſſit eſſe conſcius, ipſa etiam Philoſophia inficiatur, cùm clamat, ex ipſo Ariſtotele *Cauſas ſecundas non mouere niſi motas*, à ſuprema ſcilicet cauſa: cùm ergo pœnitentia, vt virtus, ſit motio voluntatis exoſæ ſcelus, & ad virtutes in poſterum inhiantis, motore alio indiget, qui eſt Deus, cuius opem potiore ratione efflagitat pœnitentia Theologicè conſiderata: ea eſt enim ſacramentum à Chriſto inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, habet ſiquidem ſignum ſenſibile gratiæ, quæ confertur eo ſigno ſenſibus obuio. Duplex eſt materia huius ſacramenti; proxima, & remota. Proxima ſunt actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſſione teſtata, & propoſitum vitæ cultioris. Materia remota ſunt peccata vtique deteſtanda. Forma ſacramenti eſt abſolutio, à ſacerdote impenſa, cùm ait. *Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis.* Accingere autem ſe ad ſacramenta, quæ dicunt ordinem ad gratiam & gloriam, hoc non eſt opis humanæ, ſed diuinæ, vt habetur vltimo Threnorum. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

Ex THEOLOGIA.

S.Th.3.p.q.84 art.2.& 3.

Threnorum c. vltimo.

Ex SS.PATRIBVS. Examinis conſcientiæ formula exquiſita.

Dei ope reclamatâ, turtur retorqueat ad collum caput, id eſt reflectat ſe ſupra ſe, & ſagaci ſerotinio retroacta crimina pœnitens inueſtiget: nam ex Theologia, etſi pœnitentia quoad habitum ſit à Deo tantùm eam infundente; eſt diſpoſitiuè à nobis, ex timore iudiciorum Dei; quibus ſe obnoxium reprobus eſſe meditatur. Quid hanc cognitionem ſui excipiat, vide ex textu. *Ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris.* Id eſt contritio, quæ examen conſequitur, cor lacerat præ dolore, &c. inde erumpunt lacrymæ, quæ ſunt inſtar ſanguinis cordis. Vide ex Patribus, præire cognitionem ſui ictori. Sic Bernardus. *Recole primordia, attende media, memorare nouiſſima tua: hæc pudorem adducunt, iſta dolorem ingerunt, illa metum incutiunt. Cogita vnde veneris, & erubeſce; vbi ſis, & ingemiſce; quo vadis, & contremiſce. Vide ne adiicias adhuc ignorare, ne forte veniat ſuper te terribilis illa comminatio, quâ ſponſus intonat dicens: Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere.* Idem rurſus. *Noueris te, vt Deum timeas; noueris ipſum, vt æquè diligas ipſum; in altero initiaris ad ſapientiam, in altero & conſummaris, quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis eſt Charitas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda eſt tibi, quàm ſine timore & amore Dei ſaluus eſſe non potes.*

S.Bern. ſer.de primordiis, mediis & nouiſſimis.

Idem ſer. 37. in Cant.

S.*Chryſol.ſer. 2. de prodigo.* Pœnitentia vnde ſic dicta.

Conſonat his Chryſologus, reditum prodigi ad patrem adſcribens notitiæ. *In ſe reuerſus eſt, in ſe antè redit, vt rediret ad patrem, qui à ſe antè receſſerat, cum receſſit à patre: ſurgam & ibo ad patrem: iacebat qui dixit, ſurgam; intellexit lapſum, ſenſit ruinam; iacere ſe turpi luxuria reſpexit in lubrico, & ideò exclamat, ſurgam, & ibo ad patrem meum. Qua ſpe, quâ fiduciâ, quâ confidentiâ? Qua ſpe? illa quâ pater eſt; ego perdidi quod erat filij; ille quod patris eſt non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore, ipſe qui interuenit, & exorat affectus.* Vides præire lacrymis genuinam notitiam, vnam ſui ad contritionem, aliam Dei ad amorem atque fiduciam. Sed reliquum textum exploremus, quid ingerat poſt lacrymas Sic Deus. *Veſiculam verò gutturis, & plumas proiiciet.* Veſicula gutturis notat ieiunium; nam ex Iſidoro. *Pœnitentia dicitur, quaſi punientia* Et adiice Chryſologi elegantem hunc ſermonem. *Fames reuocat, & illi patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem; & ſi tantùm præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit præſtare ieiunium: oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne ſupernam valeas ſentire pietatem. Ergo vacuandus eſt venter, moderatione ieiunij, vt exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes poſſit, ad ipſum pietatis auctorem totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, qui Dominici continuatione ieiunij, defæcatus à carnali pondere, mortis victor euolauit ad cœlum.* Hæc ſanctus aureo ſtylo decurrens.

S.Iſidorus l. Etymolog. c.15.

S.Chryſol. vbi ſupra. Tribulatio cogit nos ad Deũ redire.

Aduerte cum veſicula gulæ, plumas & proiectas ad orientalem plagam, in loco vbi

cineres

cineres effundi ſolent, vt notetur emendationis propoſitum ab ipſo exortu pœnitentiæ, quæ cineris effuſione figuratur. Etenim orientalis plaga, ad quam fit cineris effuſio, ſunt ipſa incunabula pœnitentum, quæ & ieiunio & emendatione proſtant, id eſt non abſtinentia ab annona, ſed & temperando ſibi ab omni deliquio, vt monitor eſt Bernardus. *Si gula ſola peccauit, ſola quoque ieiunet, & ſufficit: ſi verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet ergo oculus, qui depredatus eſt animam, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipſa: ieiunet oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia, vt benè humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa; ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quibuſcumque otioſis, ad ſalutem minimè pertinentibus; ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque ſcurrilibus verbis, interdum quoque ob grauitatem ſilentij, & ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria: ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæ non ſunt imperata, ſed & multò magis anima ipſa ieiunet à vitiis, & propria voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio hoc, cætera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt, quia in diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur.* Hæc Bernardus.

S. Bernardus ſerm. de ieiunio.

Ieiunium ad omnes ſenſus ſe debet extendere.

Voluntatis propriæ ieiunium.

Ex Symbolis.

Reuerà plumis affines ſunt ſenſus noſtri: nos enim efferunt in aëra, & incautos; Icaro ſimiles efficiunt, cuius alæ infideles eum de edita aëris ora deorſum egere præcipitem, & fecêre locum Symbolo Ambroſij, qui Icarum in præceps actum pinxit, hoc lemmate. Pro talibus avsis. Id eſt, quia ſe commiſit plumis malè fidis, illæ hunc miſerè perdiderunt. Ita & ſenſus effrænes, dum animam gyrant in varia, eam tandem allidunt ad ſcopulos, vnde nequit poſteà repedare, & hoc Pro talibus avsis.

Amb. l. Symb.

Ex SS. Patribus.

Proiiciantur ergo illæ plumæ, id eſt ſenſus illicitè compeſcantur, iuxta conſilium Sanctorum, in quibus Gregorius ſic guſtum ieiunio decurtauit. *Qui à paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc inquantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus.* Factum prohibet Auguſtinus. *Nihil ſentio quod magis ex arce virtutis animum deiiciat virilem, quàm blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt.* Idem oculos vagos cohibet in obiecta quæque rutilantes. *Reſiſto ſeductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes affectus mei, quibus ingredior viam tuam, Deus meus, & erigo ad te inuiſibiles oculos meos, vt tu euellas de laqueo pedes meos.* Eo doctore Bernardus ait. *Vt teipſum ſemper aſpicias, ab omnibus oculos auerte.*

S. Greg. hom. 16. in Euan.

S. Aug. Sol. l. 1. c. 10.

Senſuum mortificatio.

Lib. confeſſ. 10. c. 34.

S. Bernard. epiſt. de vita ſolitaria.

Aurium pruriginem ſic curat Hieronymus. *Nos ad patriam feſtinantes, mortiferos Sirenarum cantus ſurda debemus aure tranſire.* Rurſus. *Auditum tuum ad bonorum magis laudem, quàm ad malorum vituperationem commoda.* Subdit effati rationem Iſidorus. *Non licet tibi alterius vituperationem audire patienter, quia nec ab eo optas recipi tuam.* Bernardus adiicit rationem auris fortiter obſerandæ. *Vanus ſermo citò polluit mentem, & facilè agitur quod libenter auditur.* Coincidunt illa Gregorij. *Neceſſe eſt, vt nec ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat.* Tanti facit Deus ſenſuum hoc regimen, vt illud reiteratò in eadem figura turturis inſinuet, dum ſic fatur. *Confringet aſcellas eius, & non ſecabit neque ferro diuidet eam.* Etenim Deus cum ſuaſit in Euangelio proiectionem oculorum, & abſciſſionem manus, noluit ferro reſecari, ſed iniquum vſum ſenſuum frangi, eum optimè moderando. Ad cætera properemus.

S. Hierony. c. 105. & 14.

Aurium mortificatio.

S. Gregor. l. 7. moral. c. 6.

Adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito. Reliqua hæc ſeries pertinet ad effectum pœnitentiæ, ſeu Abſolutionis, de qua proxima ſectione. Superſedeamus igitur, & verſemus iterum has plumas proiiciendas: in eo quippe proiectu aliquid etiam ſubodoror, quod vltra ſenſuum rectos vſus reſtitutionem clamat. Nam multi, inſtar illius cornicis Æſopicæ, malè partis veluti plumis alienis exornantur: hæ plumæ ad orientalem plagam reponendæ ſunt, id eſt, ab ipſo priore articulo pœnitentiæ eſt reſtitutio meditanda. Vt enim vna Aquilæ pluma alias erodit & conſumit; ita facultatis malè partæ vnica pluma, omnes eneruat pœnitentiæ portiones. Ideò Auguſtinus omnimodam ſatisfactionem ſic ſuadet. *Quicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit; meminerit ſatisfactione quàm citius curare quod fecit, & ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere.*

S. Auguſt. l. regul. regula 3. c. 38.

Satisfactio neceſſaria.

Et hæ ſunt partes integræ pœnitentiæ, cuius ideam refert ſacrificium turturis, quod à Deo inſtitutum docet primordia pœnitentis eſſe à Deo hominem excitante. Caput retortum ad collum ſubindicat examen, ſeu exactam ſui notitiam; ſanguis decurrens, lachrymas & contritionem innuit. Veſicula gutturis proiecta, ieiunium ſapit, ſicut & plumæ remotæ, reſtitutionem & fugam rerum quæ retroactis deliquiis ancillantur: & hæc tota ſyntaxis animæ priſco & integro ſtatui reſtitutæ quadrat ritui, quem obſeruat res medica in corpore ſoſpitando.

Ex re medica.

Primores huius diſciplinæ viuificæ, totam Medicinam aſſerunt eſſe tripartitam, ſcilicet, ἐν τῇ διαγνώσει ἐν τῇ προγνώσει, καὶ ἐν τῇ θεραπευτικῇ in ſpeculatione ſeu notitia, in prænotione ſeu prædictione, & in medicina practica conſtitutam. διάγνωσις ſeu cognitio, requirit in medico peritiam φυσιολογίας καὶ τῆς παθολογίας. Phyſiologia eſt corporis humani integra deſcriptio, & partium ſolidarum, humoralium, & ſpiritualium ſcientia: Pathologia verſatur in natura morborum, quibus obnoxiæ ſunt ſingulæ quæque hominum partes; nec vnquam æger conualeſcet, ſine præuia morbi notitia. Et vide, quàm benè quadret pœnitentiæ hæc prima pars, quæ affinis eſt examini conſcientiæ, quod verſari debet in indagine vniuſcuiuſque indolis, & naturæ: an ſcilicet typho tumeat animus, aut ſecus ſi plus æquo ſocordia deprimatur. Rurſus quæ peccati ſpecies animum inclinet, quænam animæ facultates vitij contagia ſubeunt; nam hæc notitia incipit diluere pharmaca decernenda, vt perhibent Sancti, in quibus accipe Auguſtinum. *Qui ſe cognoſcunt, ſicut ſemper peccant, ita ſemper plorant in tota vita ſua.* Ei iunge Gregorium: *Si nos virtus compunctionis in intimis afficit, omnis ſtrepitus prauæ ſuggeſtionis obmuteſcit.*

Fernelius Præfatione in rem medicam.

Cognitio ſui quam efficax.

Ex SS. Patribus.

S. Auguſt. de vera & falſa pœnit. c. 8.

S. Greg. l. 5. Moral. c. 12.

Altera pars medicinæ, eſt Prognoſis, quæ ex ſignis præteritis, atque præſentibus, ex grauitate morbi æquè ac Symptomatum infert, an ſanari queat necne qui decumbit: hæc portio ſpectat animæ medicum, qui eſt à confeſſionibus Galenus ait fieri iniuriam remediis, ſi applicentur homini, cuius ſanitas eſt omnino declamata:

Compunctionis effectus.

Contritionis expers anima inſenſibilis eſt.

S.Bern.ſer.2. de ieiunio.

ita & incaſſum adminiſtrat quiſpiam ſacramenta homini, cuius nequit eſſe redux vitiata ſalus, ob contritionis inopiam, vt Bernardus inſinuat. *Si non plangis, planè non ſentis animæ vulnera, conſcientiæ læſionem, ſed nec futura ſatis gaudia concupiſcis, ſi non quotidie poſtulas ea cum lacrymis.*

Abſtinentia viuificat & mortificat.

Deinum tertia pars medicinæ tota eſt in praxi: dicitur ea Therapeutice, ſeu methodus medendi, & in ea rei medicæ cardo vertitur omnis: ad quid enim diagnoſis, & prognoſis, ſi medicamen non inſpirant. Hæc pars inueſtigans rationem curæ morborum, in tres diſpeſcitur medendi formulas, quas medici vocant, διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν. Aiunt enim periti illius artis ægros omnes ſuam ſalutem poſſe ſchemate triplici procurare: ſcilicet diæta, id eſt ciborum parco delectu: pharmaciâ, id eſt remediis catharticis, quæ vt plurimum ſunt ingrata guſtui: denique chirurgia, id eſt adiectione manus, emittendo ſanguinem, inurendo cauteria, & membra putrida reſecando.

S Iſidorus l.2. de ſer. bono c.44.

S. Ambroſ. in Hexaemeron.l.6.c.4.

Animæ pœnitenti indicitur diæta, cùm ieiunium præſcribitur: audi Sanctos decernentes hanc animæ diætam. Iſidorum accipe. *Abſtinentia & viuificat, & occidit; viuificat animam, & corpus occidit.* Ambroſium deinde alludentem ad rem medicam. *Ieiuni hominis ſputum ſi ſerpens guſtauerit, moritur; & ideo quanta vis ieiunij ſit, vt ex ſputo ſuo ieiunus homo terrenum ſerpentem interficiat? quanto magis ergo ſerpentem ſpiritualem, per ieiunij virtutem.* Pharmacia ſalutariter propinat potiones, quæ vomitum cient, & abdita quæque produnt amarore ſuo: reuerà amara eſt confeſſio, ſed omnia interiora repurgat, vt clamat Ambroſius. *Qui iaces in tenebris conſcientiæ & delictorum tuorum ſordibus quaſi in reorum carcere; exi foras, delictum proprium prode, vt iuſtificeris: ore enim confeſſio fit ad ſalutem.* Chirurgia dum iniqua reſcindit, monet eſſe amputandas peccati anſas, & abiuranda omnia quæ lapſum ſuadere queunt, & à bonis noſtris eſſe aliena omnia remouenda: accipe Bernardum agentem medicum. *Abſcindatur ferro acuta compunctionis, vlcus inueteratæ conſuetudinis.*

Ieiuni hominis ſputum antidotum.

Idem de pœnit.l.2.c.7.

Conſuetudo mala quomodo reſcindenda.

S.Ber ſer. 18. in Cant.

EX MATHEMATICA.

Eratoſthen. l. ad Arati Phænomena.

Diceres coire omnes diſciplinas vt pœnitentiæ partes aſtruant; & quia omne donum de ſurſum eſt, cælos aſcendamus viſuri quid illic congruat animæ pœnitenti. Ex Erathoſtene ſiderum inſpectore vetuſto, cum ſigno, cui nomen eſt Taurus, oritur celebris ea conſtellatio, quam Perſeum vocant: oriuntur item pes & manus aurigæ, vbi ſunt duæ ſtellæ lucidæ atque coruſcantes. Et ſpeculare tecum pœnitentiæ encomia. Bos laboris eſt Symbolum, quia natus eſt ad laborem; & Theſeus olim numiſma cudit, in quo erat bos notatus, vt vel hinc ediſcerent Athenienſes, quotidiano attrectatu monetæ eſſe ſibi laboribus inſiſtendum.

EX SS. PATRIBVS.

S Aug.l.de vera & falſa Pœnit c.13.

Reſtitutionis neceſſitas.

Eamobrem & bos pœnitentiam congruè referre poteſt: ea enim iugis debet eſſe, vt ait Auguſtinus. *Pœnitens ſemper doleat; ſemper coram Domino, ante quem peccauit erubeſcat, & dolorem cum vita finiat.* Vbi pœnitentia hominem induxerit, ſtatim cum eo oritur Perſeus: liceat hic ex profanis ſacra elicere, vt licuit S. Ambroſio, qui Crucem comparat malo nauis Vlyſſis. Perſeus olim creditus eſt filius Iouis, qui virginem Andromedam liberauit à fera marina, & gladio adamantino ſerpentem occidit. Cum pœnitentia ortum habet & Chriſtus, Deo ſatus, reſtaurator naturæ humanæ, quem Leuiathan bellua marina voluerat perdere, & perditam deglutire. Chriſtus gladium de cælo eduxit, quo ſerpentem tartareum inermem fecit: & hunc tradit enſem pœnitenti, quo reſecat malè parta: nam vt ait Auguſtinus. *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Pes aurigæ oritur cum eiuſdem manu. Chriſtus eſt currus Iſraël, & auriga eius: pes eius miſericordiam ſonat quam accepit Magdalena, ad pedes eius prouoluta: manus indicat protectionem & tutelam; miſericordia autem & tutela duabus lucidis ſtellis optimè componuntur.

S. Auguſtin. epiſt.54. ad Macedonium.

Pœnitentiæ encomia.

S.Cypr. ſer. de Pœnit.

Satisfactionis neceſſitas oſtenditur.

Gaudeat ergo pœnitens, & miſericordia dignus Dei, atque clientela: nam vt iubilat Cyprianus, ea eſt ſic compellanda. *O pœnitentia, quæ Deo miſerante peccata remittis, & paradiſum reſeras, quæ contritum ſanas, omnem triſtem exhilaras, vitam de interitu reuocas, gratiamque abundantiorem refundis.* Sed nota, Solem, antequam Taurum ſubeat, fuiſſe in Ariete, ex quo proximè deuoluitur in Taurum. Ex Matheſi Sol in Ariete, eſt in exaltatione ſua, & præaltiſſima facultate. Ita & priuſquam anima pœnitentiam ineat, Tauro figuratam, debuit Solis influxum propitium mendicare: ſcilicet exaltationem Solis, nempe Dei, qui exaltatur, dum miſeretur, iuxta illud Iſaiæ. *Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Sed quod eſt mirabile in Matheſi myſtica, eſt eo articulo, quo Taurus oritur, Scorpium occidere, qui Dæmonis eſt typus blandientis vt ſcorpio ſuis brachiis, ſed cauda lethale virus abdit, dum voluntas initio ſe blandè inſinuat, demum animas & corpora deprædatur. Occidit reuerà Dæmon, & fugit, vbi pœnitentia exurgit, cuius ſingulas partes accipe ex Iure Canonico.

Iſaiæ.30.

EX IVRE CANONICO.

Can. non poteſt. de Pœni. d.1.

C. Non ſufficit.

Can. Menſuram de Pœnit. diſt.1.

Primò neceſſitas eius oſtenditur hoc Canone. *Non poteſt quis gratiam doni cæleſtis accipere, niſi primùm purgatus fuerit ab omni ſorde peccati, per pœnitentiæ confeſſionem.* Partes omnes hoc alio canone demonſtrantur. *Non ſufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & ieiuniis.* Vide & emendationem alio textu. *Apud Deum; non tam valet menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia tantùm ciborum quàm vitiorum.*

EX IVRE CIVILI.

Lege 1. qui ſatisdare.

Lege dedit §. inter quis ſatisdare.

Lege 1. qui ſatisfacere.

Et ne cauſeris rigidum eſſe Ius diuinum, non dimittens reatum, niſi reſtituatur ablatum; conſule Ius Ciuile, & conſtabit eſſe neceſſariam ſatisfactionem, quam eamdem eſſe ac ſatisdationem, leges explicant; & de qua hæc lex eſt. *Satiſdatio neceſſaria eſt, ad quam quis lege reſtringitur.* In quo ſita ſit hæc ſatisfactio, lex & docet hoc tenore. *Satisfacere ei dicimur, cuius deſiderium adimplemus.* Vnde arguo; Deus à pœnitente deſiderat cor ad creaturas deuolutum, & hominis famam, detractione violatam, atque opes malis artibus comparatas: ergo neceſſe eſt, vt ſatisfactio hæc omnia complectatur.

EX HISTORIA.

Euſebius & Cedrenus in vita Mag. Conſtantini.

Hæc omnia eſtimatiùs prodet Hiſtoria, ex qua occurrit primò conuerſio Conſtantini Imperatoris, qui luce coruſcante, ad crucis obſequium inuitatus, aquâ baptiſmali præparatâ, lepræ ſordes exuit in baptiſmo; quo ſuſcepto

ſimulachra

ſimulachra Deorum diruit, & ſacras ædes extrui orbe toto procurauit. Lux Conſtantino obiecta confirmat eſſe à Deo illucente nobis pœnitentiæ primordia, quæ etiam notitiæ ſui lumen præuium petunt, vt lacrymæ excitentur, quibus ineſt vis quædam baptiſmalis, vt ait Gregorius. *Polluta conſcientia, lacrymis baptiſata renouatur.* Hoc lacrymarum profluuio, pœnitẽs omnem colluuiem illico diluit, rerum omnium noxia ſimulachra quæ coluit, non abiurat modò, & frangit. Demum vni Deo ſe templum dedicat in æternum.

S. Greg. l. 27. Moral. c. 12.

Feſti violati à ſe pœnas exegit Olaus rex Noruergiæ.

Vis pœnas inflictas in expiationem delicti audi rem, & hanc raram, vt quæ ſecundam non habeat. Olaüs Rex Noruergiæ, pius ſi quis vnquam alius, die Dominico baculum geſtans & cultellum, inaduertenter cultello cœpit baculum in minuta pleraque diuidere, alibi tamen animo occupato. Aſtantium quiſpiam iocando ait: ô Rex, ſuperſede labori, cui adeò ſerius intendis; eſt hic dies Domino ſacer, à quo & Dominicus appellatur; infers iniuriam diei tam celebri hoc tuo opuſculo. Ridere aſtantes, atque cachinnari ob lepidam hanc cenſuram, ſed Rex nequaquam iocum intellexit, vbi Dei offenſam eſt ex ſuo opere ſuſpicatus: fruſta omnia baculi collegit, & extemplò palam ſuppoſita manu iuſſit illa accendi, vt manus delicti conſcia lueret igne deliquium. Si reuerà appenderetur in ſtatera dolor, ille grauior crimine appareret: ſi igitur, ò pœnitens, vis integrè pœnitere, pœna delicto, vt fieri poteſt, ſit congrua.

Saxo. l. 10 & Crantzius l. 4. Metrop. c. 8 hoc Olai Regis commemorant facinus.

Satisfactio impoſita Ludouico Regi Gallorum. *Paulus Æmilius l. 5. de Francorum geſtis.*

Alium pœnitendi ritum Sanctus Bernardus impoſuit Regi Gallo Ludouico iuniori, qui conſcius ſibi cædis multorum hominum, qui vrgente Regis ira perierant, eò mœroris ſe deiecit pœnitudine facti, vt impaſtus, & inſomnis vitam pertæſus & regnum, propè non impos ſui iam nutaret. Conuenit Regem Bernardus Abbas ille Eccleſiæ toti notus, & celebris: cum blandè conſolatus ait, facilem eſſe criminis huius etſi momenti magni expiationem, ſi vellet morem gerere conſulenti. Eia, inquit Rex, intrepide fare, & obiurga; pręſtò ſum ad omnia quæ ſuggeſſeris obſequia. Cui Bernardus, hoc vnum impono penſum, ò Rex, vt expedito exercitu numeroſo te conferas in Orientem verſus Ieruſalem; ſic fiet vt fideles ſe accingant bono huic operi, & eorum virtute redimas mortem, quam iniquâ ſorte, percitus irâ, multis inſontibus intuliſti. Sanctus intento ſuo minime fruſtratus eſt: nam plerique ea expeditione piè defunctis cælis adſcripti ſunt, qui alias domi miſerè periiſſent. Egregium ſanè typum exhibuit Bernardus pœnitentiæ ſubeundæ. Hunc & ego ſuadeo, ô anima contrita, & humiliata: coge exercitum, & ito Ieruſalem, hoſtes Chriſti in via profuſurus. Collige omnes animæ tuæ facultates, & dirige cælum verſus, bellum validum vitiis inducturus; nullas necte moras, ſed impigrè propera de virtute in virtutem: hinc fiet vt ſenſuum nefanda olim acta redimas, opere ſanctiore, & ſic erit acceptabile tuum Deo turturis holocauſtum.

Ex SS. Patribus.

S. Bern. ſ. 49. Cant.

Pœnitẽs fugit hominũ conſortia.

Vbi audita eſt vox turturis in limbo ſectionis, audij te, lector, expoſcentem, ex Patribus, vnde habeam turturem eſſe ideam pœnitentis: ne ſim Patribus importunus, vnum Bernardum ſufficiet excitaſſe. Sic ille. *Dum ſancta quæque iam anima Chriſti præſentiam ſuſpiraret, regni dilationem moleſtè ferret, deſideratam patriam gemitibus & ſuſpiriis à longè ſalutaret; nonne tibi videtur vice fungi gemebunda ac caſtiſſima turturis, quæcumque anima in terris ita feciſſet; ex tunc ergo, & deinceps vox turturis audita eſt in terra noſtra; quidni moueat mihi crebras lacrymas, & gemitus quotidianos Chriſti abſentia?* Rurſus. *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis, cur verò ſicut turturis? Pudica auicula eſt, & conuerſatio eius non cum multis, ſed ſolo degere fertur contenta compare: ita vt ſi illum amiſerit, alterum non requirat, ſed ſola deinceps conuerſetur. Tu ergo, qui hæc audis, vt ſanè otioſè non audias ea, quæ ſcripta ſunt propter te, ſede ſolitarius ſicut turtur.* Hæc ille, dum componit turturem pœnitenti.

Idem ſ. 40. in Cantica.

Cant. 2.

Si gemis, tvrtvrem emis, hvnc cædis et necas, et dæmoni cedis et negas.

OBLATIONEM TVRTVRVM excipit ſuſceptio Chriſti, id eſt, pœnitentiam gratia ſubſequitur.

In hæc verba.

Ipſe accepit eum in vlnas ſuas.

Sectio Tertia.

DEi ipſius gratiæ largitoris eſt effatum neſciens inficias. Turturis holocauſtum ritè exhibitum, Domino placiturum. Sic enim fatur codex ſanctus. *Adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito, holocauſtum eſt, & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.* Quod idem eſt ac hominem pœnitentem, ſi omnia pœnitentiæ munia obierit, fore Deo acceptum. In cuius typum rei, oblatione turturum factâ, Simeon accepit Chriſtum in vlnas ſuas. Videamus iam, ex omnium ſcientiarum choro, gratiam eſſe comitem indiuiduam pœnitentum. Ex Theologia, in omni Sacramento, videre eſt Sacramentum, & rem Sacramenti, vnum ſenſibile, aliud inſenſibile; ergo cùm pœnitentia ſit Sacramentum, hæc duo poterunt aſſignari. Sacramentum eſt materia ſenſibilis, adiecta formæ: res Sacramenti eſt gratia infuſa ſigno ſenſibili. In pœnitentia, Sacramentum faciunt, actus exteriores pœnitentis, & abſolutio ſacerdotis: quæ omnia ſunt peruia ſenſibus. Sed rem Sacramenti facit remiſſio peccatorum, ex gratiæ illapſu: poteſt etiam pœnitentia interior, ex S. Thoma, dici & res Sacramenti, & etiam Sacramentum, ſicque palam eſt, Chriſtum illabi homini pœnitenti.

Leuit. 1.

Ex Theologia.

Pœnitentiæ gratia eſt comes.

S. Th. 3. p. q. 84. a. 1. ad 3.

Philoſophia annuit titulo ſectionis, & ſic ex Ariſtotele arguit. Cauſa efficiens poſitis omnibus requiſitis ad agendũ, & ſublato omni obice, ſuum ſortitur effectum; ſed pœnitentia eſt cauſa efficiens gratiæ: ergo dato homine ritè diſpoſito, illi gratiam protinus impertiet. Imò Deus ſe ad hoc obſtrinxit, ſcripto authentico apud Iſaiam. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum veſtrarum cogitationum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus; ſi fuerint peccata vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

Ex Philoſophia. *Ariſt. l. 2. Phyſic. c. 7.*

Iſaia 1.

Regium eſt veniã dare.

Et hæc habent vim legis, ex ipſo Iure Ciuili, quo Iuſtinianus hæc ſancivit. *Principis Epiſtola, ſententia, vel edictum habet legis authoritatẽ.* Vnde colligo: verba Iſaiæ ſũt placita Dei recẽſentis opera pœnitentiæ, ad quæ gratia mẽtibus illabitur, vt

Ex Ivre Civili. *§. Sed quòd & principi inſtitut.*

 indicat,

indicat, dealbatio prælibata: ergo hæc Dei verba legis vim imponunt pœnitentiæ Sacraméto, vt dealbet; & hac lege Deus optimi Principis partes impleuit eas quas Ius Ciuile depoſcit, vbi ſic loquitur

Lege Imperialis. Codice de nuptiis.

Imperator. *Imperialis beneuolentiæ proprium hoc eſſe iudicantes, vt omni tempore ſubiectorum commoda tam inueſtigare, quàm eis mederi procuremus: nam ita credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam, quantum noſtra natura poſſibile eſt, imitari, qui quotidianis hominum peccatis, ſemper ignoſcere dignatur, & pœnitentiam ſuſcipere noſtram & ad meliorem eam ſtatum deducere. Quod ſi circa noſtro ſubiectos imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni eſſe videbimur.*

Miſericordiæ Dei effectus. Pœnitentiæ effectus.

Vnde arguo, optimi Principis inſtitutum eſt parcere pœnitenti, qui veniam facti pœnitudine demeretur; ſed Deus Principum eſt optimus: ergo is, vbi viderit hominem pertæſum crimina præterita, citò citiùs veniam largietur; vt videre eſt in parabola prodigi, cuius pater videns eum à

Lu. 15.

longe. *Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius & oſculatus eſt eum.* Vbi

Ex SS. PATRIBVS. *S. Chryſolo. Serm. 3. de prodigo.*

Chryſologus ſuo inolito decurrens eloquio. *Miſericordia motus eſt qui loco non poteſt dimoueri; accurrit non progreſſu corporis, ſed pietatis affectu, cecidit ſuper collum eius non lapſu viſcerum, ſed compaſſionis, vt erigeret ſic iacentem, vt amoris onere, onus tolleret peccatorum; filius innatur, iſtius patris onere non grauatur. Oſculatus eſt eum, ſic pater iudicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula non flagella; delicta non videt vis amoris.* Congruunt ea Cypriani.

S. Cyprian. Sermone de Pœnitentia.

O pœnitentia, omnia tu ligata ſoluis, omnia ſoluta tu reſeras, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas.

EX IVRE CANONICO. *Can. Quid de pœnit. diſt. 1. S Hierony. Epiſt. 50. Can. Nouit. de pœn. diſt 1. S. Ambroſ. in cap. 1. Luca.*

Iure Canonico pœnitens Dei compos efficitur, vt habet iſte Canon. *Quia diuinitatis natura clemens eſt & pia, magiſque ad indulgentiam quàm ad vindictam prona; quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: ſi quis poſt lapſum peccatorum, ad veram pœnitentiam ſe conuerit, citò à miſericorde iudice veniam impetrabit.* Ex Hieronymo tranſſumptus eſt ille textus Canonicus: ſicut & iſte ex Ambroſio. *Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum.*

EX RE MEDICA. *Fernelius in præfatione ad ſuam medicinam.*

Sed eſto omnes diſciplinæ coëant in elogiis pœnitentiæ propalandis, res medica tamen aliis præſtat, ob intimum animæ nexum cum corpore, cuius ſanitas, & animæ ſanctitas aliquam affinitatem habent: congruit quippe Metanœæ, id quod de Medicina iactat Fernelius, cuius hæc ſunt encomia. *Medicina eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam morboſque profligandos comparata; nihil eſt medicina melius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præſtabilius: nam ſi eſt vita cunctis mortalibus chariſſima, ſi ea primum munus eſt, & præſtantiſſimum animantibus attributum; ars quæ illam ſeruat, continet, ac tuetur, quo pacto non ſit omnium præſtantiſſima?* Hæc Fernelius appoſitè ſanè ad rem, quam tractamus: quippe Sancti pœnitentiæ vim

S. Auguſtin. l. 1. de vera & falſa pœn. c. 1.

medendi attribuunt teſte Auguſtino. *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos reſuſcitat, ſanitatem auget & conſeruat; claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum; vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat.*

S. Iſidorus l. de ſummo bono.

Fauet Iſidorus. *Pœnitentia eſt medicamentum vulneris, ſpes ſalutis, per quam peccatores ſaluantur, per quam Deus ad miſericordiam prouocatur.* Et vide quomodo præſtet medicinæ, quæ ſi vitam corpori præbet, hæc animæ Chriſtum affert, cuius ſuſceptio oblationem turturum conſequitur, vt videre eſt in Simeone, qui, vbi turtures oblati ſunt, Chriſtum in vlnas accepit.

EX MATHEMATICA. *Eratoſthenes lib. ad Arati Phænomena.*

Mathematica ſuum adicit & calculum, cùm ait, oriente Virginis ſigno, oriri etiam ſtellam eam inſignem, quæ dicitur Spica Virginis. Rurſus ex Eratoſthene, hæc Virginis Spica, & conſtellatio quam Craterem ſeu Caliçem vocant, ſunt in circulo æquinoctiali, & non in alijs zoois. O ſpeculationem inſignem! Pœnitentia primo, & quaſi Virgineo ſtatui reddit hominem exoſum retroactum ſcelus, vt patet in prodigo, de quo ait pa-

Ex SS. PATRIBVS. *S. Auguſt. lib. 3. hypog.*

ter. *Citò proferte ſtolam primam.* Ex Auguſtino. *Pœnitentia res eſt optima, & perfecta, quæ defectus reuocat ad perfectum.* Statim vt anima eius exortum ſubit illico adeſt & Spica Virginis, ſcilicet Chriſtus qui in communione eſt frumentum electorum, & datur animæ pœnitenti, quæ cùm ſit Deo grata & iuſta, eſt veluti circulus æquitatis, ſeu æquinoxialis, ſedes Spicæ & Calicis; quippe Calix Chriſti ſolis tantùm iuſtis propinatur. Sic Matheſis non inſulsè ſuo ſuffragio etiam pœnitentibus ſuffragatur.

EX SYMBOLIS. *Fran. Villaua lib. Symbol.*

Itaque animus eſt affingere huic virtuti & Sacramento Symbolum, quod Villaua tribuit Salamandræ, quæ quia degit in aquis, ignibus impunè ea apponitur, cui ille titulum hunc inſcribit.

EX HISTORIA. *Sabellicus l. 5 c. 5.* Pœnitentia Thais meretricis.

IN VANVM FLAMMA LABORAT. Pœnitentes aſſueti lacrymis, non horrent tartareos ignes; nimirum, illis hæc IN VANVM FLAMMA LABORAT. imò eos manent beata cæli tripudia, ſicuti veridicâ proſtat Hiſtoriâ, eaque multâ, de qua prodit, vna pellex famoſa & inſignis, nomine Thais, Alexandrina genere, quæ Paphnutij Abbatis induſtriâ reddita meliori frugi, omnia quæ meretricio quæſtu parauerat, in foro combuſſit, & Monaſterium ingreſſa cellæ ſe incluſit, vbi triennium egit, ea madens aſpergine lacrymarum, vt defuncta viſa ſit à Paulo diſcipulo ſancto magni Antonij intereſſe Angelorum choris. Habuit Simeon in vlnis ſuis Chriſtum paſſibilem, ſed pœnitens anima fato functa, Chriſti impaſſibilis gaudebit amplexibus.

Edgari hoc facinus & pœnitentiam meminit Vincentius l. 24. c. 78.

Vide etiam in Edgaro Rege Anglo pœnitentiæ energiam. Libidine flagrans Rex ille virginem compreſſit Deo ſacram, inde furiis actus Deo vltore, Edgarus impatiens erat ſui. Eum adit Dunſtanus Epiſcopus, vtique vir ſanctus, imponit ſeptennium totum vt pœniteat, tollit diadema regium & infulas alias regij principatus: annuit Rex, & exhauſto eo ſpatio, rediit Epiſcopus, qui rurſus Regem regno confluente & applaudente diademate redimiuit. Qui peccauit, animam ille ſuam virginem polluit; pœniteat depoſito faſtu, & reddetur ei ſtola prima, tripudiante cælo: eſt enim gaudium in Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; huic ergo morem gere effato.

VT GRATIÆ META NE SIT, METANOEA SIT.

HOMILIA

HOMILIA DE PVRIFICATIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVIA bonum eſt ſui diffuſiuum, Iocarnationis bonum non ſtetit in Maria taotùm, ſed & profuit toti hominum proſapiæ, quæ repaiata eſt greſſu retrogrado, & diſſono ei, quo fugatus eſt Adam in paradiſo. Accipe igitur inuentionem iſtius homiliæ de Purificatione.

II. Adam à fœmina deiectus eſt è paradiſo: hodie Maria Euæ oppoſita Ieſum induceos in templum: eſt alia fœmioa, ſecundum Adam, & cum eo omnes homines reducit in paradiſum, offerens eos Deo expiatos; & ſic Maria, quæ fuit in Annuntiatione ſponſa & mater, eſt in Purificatione mediatrix.

III. Ea autem, quæ inibi geſta ſuot, notant ea omnia, quæ coëunt ad noſtram purificationem. Fiebat Purificatio poſt quadraginta dies; hic numerus laborem ſonat & ieiuoium in ſcripturis; nos labore, qui comes eſt indiuiduus pœnitentiæ, purgamur. Agnus notat munditiam animæ poſt quadragenarium. Si non habes agnum, id eſt, ſi adeò deficis, vt non ſis innoxius; offer turtures, id eſt geme, & defle ſtatum tuum deploratum. Ieſus & Maria illic aſtaot, quia nihil purum eſt ioſciis Ieſu & Maria.

IV. Finio excitans auditores, vt ſint ipſi templum Dei, in quo ſe quotidie expurgent, id eſt, ea niteant puritate, vt eorum acceſſum non horreat Maria exoſa malos, id eſt eos, qui in ſuo corde putruerunt.

PRÆFATIO.

Tulerunt eum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino. Luc. 2.

Tob. 5. *EXcernente ſuas hirundine faces, illarum illapſu cæcutiit Tobias iam grandæuus, & hunc omnium rerũ adeo impotem fecit hæc caligo, vt adſtanti Angelo, & fauſta ei deprecanti, voce ipſiſſima.* Gaudium tibi ſit ſemper, *Velut omne leuamen exoſus, Angelo reſponderit.* Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumẽ cæli non video? *Mente perſpicaci ſanè erat ille cæcus, quem cæli calux tantum poterat recreare; eodem & ſpiritu actum Senem obiicit nobis Euangelicus hodie textus, qui longæuum hunc virum, Simeonem vocat, multiplici titulo pietatis inſignem, ſcilicet iuſtum, timoratum, & plenum Spiritu Sancto, quaſi ſancto huic ſeni, ſacer ille Spiritus incubaret. Eorum, quæ orbe toto ſpecioſa patent, nihil animum Simeonis perellebat: quippe cæterorum incurius, quæ homines incautos ineſcare ſolent, ad vnicum cæli lumen, vir pius, auidus anhelabat. Sol ille hodie rutilus affulſit homini ſancto ad cætera caliganti. Chriſtus exoptatum illi lumen illuxit; Maria obiit vices candelabri, cui fax hæc cæleſtis imminebat: hodie Maria tulit IESVM, baiula lucis illucentis templo, quò perrexit Simeon; ad luminis huius exortum, erupit in Iubilum dicens.* *Luc. 2.* Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. *Quaſi vaſo dicens luci, viſo lumine ſalutari, quo ſtant omnia ſtatu aliquali conſtantia. Audito Simeone in Dei laudes effuſo, non fuit elinguis Anna Propheteſſa; imo & adſtantes omnes in chorum acti, miris extulerunt encomiis & Ieſum & Mariam, quæ Solem hunc vtero ſuo, veluti nube clauſum nuper effuderat; beatam dixerunt omnes, & vtique plenam Gratiâ, ſicut iam affatus erat Gabriel, dicens.* AVE GRATIA PLENA.

DIonyſius ille, qui quondam Areopagi fuit inſigne decus, eâ quà pollet peritiâ aperit naturam boni, dicens eſſe ſui diffuſiuum: hanc plenam ideam boni Ariſtoteles abdiderat his verborum inuolucris. *Bonum eſt, quod omnia appetunt.* Ex Areopagitæ ſenſu bonitas explicata, præuia fuit aſſerto illi, quò Theologia ſanxit, fuiſſe conueniens Deo, hominum ſe naturæ coaptare. Cum enim Deus ſit ſummè bonus, debuit & ſummè effundere ſe; quod & præſtitit, naturam hominum induens: ſed quia ex Philoſopho. *Bonum non eſt, niſi ex integra cauſa.* Tota Adam proſapia fuiſſet expers boni quod ex incarnatione emerſerat, ſi ad omnes alios hæc ſumma Dei dignatio in illo myſterio præoſtenſa minimè dimanaſſet. Quippe Deo incarnato vnus tantũ homo, ſcilicet IESVS, bonorum omnium in ſe congeriem collegiſſet: vt ergo illa Dei bonitas patens in Annuntiatione, pateret latius; hodierna fuit feſtiuitas inſtituta, quæ nomenclaturâ ſuâ Purificationem edocet omnium eorum hominum, quos Euæ partus infecerat. Parum fuiſſet hominibus, ſi vnus dumtaxat homo Deo vnitus effugiſſet commune periculum; tale indultum vni conceſſum, ſecretis aliis hominibus, non eſſet plenè diffuſum, atque adeò rationem boni minimè ſortiretur.

EX PHILOSOPHIA. *S. Dionyſ. de diuinis nom. c. 4.*

Ariſt. l. 1. Ethic.

S. Th. 3. p. q. 1. a. 1.

Ariſt l. 2. Ethic. 6.

Deus vt bonus ita ſe plenè diffundit toti hominum proſapiæ enaſcendo.

titetur. Vt ergo liqueret, Deum omnibus in ſua Incarnatione prouidiſſe, Natiuitatem excepit Purificationis ritus, quem Maria labis neſcia obiuit tamen, vt iam doceremur exemplis, qui præceptorum incurij fueramus hactenus, vt ſuggerit Auguſtinus. *Homo non ſequendus erat qui videri poterat, Deus ſequendus erat qui videri non poterat: vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.*

S. Aug. ſ. de Natiuit.

Incarnatio quare facta.

Nimirum homo ab ortu ſuo, præcoci appetitu, auidus ſcientiæ Dei, cuius pruritum fecerat Angelus ementitus. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Homo, inquam, diſcendi deſiderio flagrans, à Deo homine inſtituendus erat: & hinc Incarnationem Dei in virtutum praxi, Doctor Aquinas potiſſimum verſari, doctiſſimè ſuo more meditatur. Nam, vt is optimè arguit, non dicimur boni ab intellectu, ſed tantùm à voluntate: etenim alta rerum abditarum notitia, quæ dæmonis intellectum perficit in ordine ad ſcientiam, non denominat bonum, Angelum hunc nequam. Nam intellectus non aſſimilat nos rebus intellectis, quarum bonitas ſuos non inurit homini intelligenti characteres, ſed voluntatis eſt id proprium, rei volitæ induere bonitatem, iuxta id. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Et Auguſtinus Prophetæ occinit. *Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni aut mali amores.* Vt ergo praxis exciperet eam quam exhibet fides notitiam; Circumciſio & Purificatio, Incarnationis myſteria ſubſequuntur. Maria in eo momento Incarnationis eà fulſit gratiâ, cui impar eſt nitor omnis; & Chriſtus alter Adam, prioris ſtatum eſt infinitè ſupergreſſus: vt ergo bonitas hæc in plures velut alueos, id eſt, in hominum omnium mentes deducta flueret; Chriſtus & Maria intenderunt praxi virtutum, ob quas hactenus inuias hominibus, illi à recto tramite deuiabant.

Gen. 3.

Ex Theologia.

S. Th. 3. p. q. 1 art. 1.

Ex SS. Patribus.

Oſeæ 9.

S. Aug. de ciuit. Dei.

Amoris eſt quod boni ſumus.

Chriſtus octiduus, carnis illibatæ paſſus eſt ſciſſuram, vt homines edoceret ſuos inclinare faſtus, ad exemplar Dei, ad peccatorum ſe ritum inflectentis. Maria necdum à partu foris egreſſa, etſi neſciens labem niuei pudoris, & non obnoxia legi indicenti tale piaculum puerperis, pueruli Ieſu hærens veſtigiis, virtutis ſpecimen edidit admirandum. Vnde & ei gratulatur ſic Bernardus. *Verè, ô B. Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt Purificatione; ſed numquid filio tuo opus erat Circumciſione? Eſto inter mulieres tanquam vna earum; nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum.* Chriſtus elinguis, loquaci prædicat exemplo Circumciſus: vt enim ait idem Abbas. *Infantia ſua Sacramentis noſtra gaudia multiplicat.* Ita & Virgo puerpera, primo egreſſu ſuo de Bethlehem, vbi Ieſum enixa eſt, virtutum Chriſti callem ingreditur, vt ſedula prolis ſuæ imitatrix, filij humiles greſſus non diſpari greſſu proſequuta. Mariæ vtero abditus Deus duos tantùm perfecit homines, Chriſtum, & Mariam: ſed hodierna celebritas totam pertinet ad Adami proſapiam: nam hodie Eua quem deiecerat è paradiſo hominem, eumdem reducem in paradiſum intromittit, cùm Maria Euæ oppoſita Ieſum Adamum alterum inducit in templum; templum autem eſſe paradiſum, ait Nilus Abbas.

S. Bernard. ſerm. 3. de Purific.

Dicam ergo primò, hominem à fœmina reuocatum, & inductum in paradiſum. Secundò dicam, ea quæ ad ritum Purificationis pertinent edocere nos quomodo reddamur priſtinæ puritati. Ex Philoſophia natura ferias exoſa, molitur aliquid ſemper, & id ſonat axioma. *Operari ſequitur eſſe,* ſiue vt vult Thomas. *Quæuis forma ad aliquid inclinat.* Cùm ergo Ieſus & Maria nobilem habuerint eſſendi modum; modo etiam agendi non diſſono præſtitiſſe, quis eat inficias? Non tamen naturæ ſepta prætergreſſus, voluit infantulus actiones edere inuias huic ætati: ſed matre conſcia, cui vt adultæ maiora licebant, edidit Chriſtus reparatæ ſalutis hominum multiplex argumentum. Et ne aliunde petam, prima lineamenta reſtitutæ hominis naturæ, videre eſt ea in Purificatione Mariæ.

S. Thom. 1. p. q. 5 art. 5.

Maria cibum edit qui nos reduxit in cælum.

Eua egreſſa de coſta concamerante pectus Adami, egreſſum hunc vitalem lethali compenſauit egreſſu: abegit enim virum de loco voluptatis paſta cibo, cuius reliquiis noxiis ſoboli naſcituræ hominem ineſcauit. Maria primo egreſſu ſuo ab egreſſu Chriſti de vtero, hunc nouum Adamum ipſa redux in templum inducens, reddit paradiſo; diſpari ſanè cibo Maria & Eua cibatæ, vt ait Auguſtinus. *Per cibum ſumus à paradiſi amœnitate deiecti, per cibum quoque ad paradiſi gaudia reparati: cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij pœna mulctauit: Maria edidit cibum, qui nobis cœleſtis conuiuij aditum patefecit.* Eua inobediens intentauit Adamo ruinam; ſed ex Iræneo. *Euæ inobedientiæ nodus, ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ.* Eua intumuit, Maria ſe deiecit; & hinc gratulatur ei Bonauentura. *Tu ſpiritum elationis Euæ, humilitatis vertice complosiſti.*

Ex SS. Patribus.

S. Auguſt. ſ. 1. de natiuit. Mariæ.

S. Iren. l. 3. hæreſ.

S. Bonauen. in ſpeculo c. 9.

Adiicio ego Euam diaboli mediatricem, vt hominem incautum inuolueret ruinæ, quam ſubiit, vt deplorat Chryſologus. *Mulier mali cauſa, via mortis, ſepulchri titulus, inferni ianua, lamenti neceſſitas tota, ob hoc homines naſcuntur lachrymis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur.* Maria ante Purificationem Dei & hominum Mater; ſed hodie mediatricem agit, hominem reducem Deo ſiſtens, dum Ieſum Dei ſacris obiicit obtutibus. Vis titulos aſſerentes Mariam mediatricem; pete à Sanctis Doctoribus, penes quos Eccleſia tabulas repoſuit, vnde petuntur arcana fidei noſtræ. Audiuit nos ſanè dubios Bernardus, fidus ille titulorum Mariæ cuſtos & interpres, ſic exclamans. *O Adam, muta iniqua excuſationis verbum in vocem gratiarum, & dic: Domine, mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum eſt mihi ſuper mel ori meo, quia in ipſo viuificaſti me: ô admirabilem parentum reparatricem, poſterorum viuificatricem!* Verè Maria fructum vitæ obtulit, dum Ieſum dedit in eſcam, quâ qui in Euchariſtia cibantur, hi opimè ſaginantur.

S. Chryſol. ſ. 79.

Mulieris epitheta ingloria.

S. Bernard. ſuper Miſſus eſt.

Mulier malorum cauſa fuit.

Prouocabis fortaſſe ad æuum ſuperius; aderit Auguſtinus. *Vt vitiorum ſordibus horribiliter ſqualeſceret mundus, ab origine iam in paradiſo captiuus, fœmina cauſa fuit; cùm autem nemo ſuccurreret, ad fœminam cauſa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati per genitricem Chriſti, proſapies impietatis per proſapiam pietatis, ſtirps mortis, per ſtirpem vitæ percutitur.* Tacuit Bernardus ad occurſum Auguſtini, ſed quaſi ſubſcribens Auguſtino, addiicit hæc. *Eua miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis; illa ſuggeſſit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem.*

S. Aug. ſ. 17. de natali Domini.

S. Ber. hom. 1. ſuper miſſus.

I nunc & inficiate Mariam mediatricem Dei

&

Maria ſanat quod Eua ſauciauit.

& hominum, quos veluti rediuiuos reddidit hodie paradiſo, hactenus extinctos, vtpote aſſuetos auræ peſtilenti, quam hauſerunt in aliena & extera ſibi plaga degentes. Nam vbi homo à Deo defecit, extra Deum non reperit qui ſua damna reſarciret.

Mũdus eſt ad ornamẽtum diuinæ maieſtatis.

Egit hodie primùm ſuas vices Deipara, hominibus & Deo Mediaſtina: dum enim Deo Patri puerulum Ieſum offert in templo, nonne hominem reſtituit paradiſo, vnde illum Eua malè ſuada turpiter abegerat? Mundus ab exordio fuit templum, vt benè infert Tertullianus.

Tertull. Apolog. c. 17.

Totam molem iſtam verbo quo iuſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum maieſtatis ſuæ. Huius autem Templi ſanctuarium erat paradiſus, extra quem Deus hominem condiderat, vt ſciret, non deberi ſibi, ſed accepiſſe gratis hunc paradiſi cælitus incolatum. Homo ſanctuarij ſacer æditiuus huic impar officio relegatur in atrium exterius, ipſis etiam peruium pecoribus: & hanc ſortem deflet Pſaltes.

Pſalm. 48.

Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Sed Deo nobiſcum mitius agente, vt ait Auguſtinus, ad fœminam cauſa reuertitur; & eodem fuſte Deus Dæmonis eliſit faſtum, quo idem lucifuga Angelus hominem contruderat exulantem.

Mariæ cantus plãctum Euæ excluſit.

Etenim ſpiritus ille deſertor, organo imbelli id eſt fœmina, hominem egit palantem è paradiſo: ſed hodie animæquior homo factus iuri ſuo redditur, & eſt dux fœmina facti, nempe Maria. Horruit prodigium tale cacodæmon, videns obſeratas paradiſi fores, ad minimum impetum vnius innoxiæ puerperæ reſerari. Audiendus Auguſtinus.

S. Aug. ſer. 18. de ſanctis.

Cauſam inualeſcentis errati, miraculum noui partus eiicit, & Euæ planctum Mariæ cantus excluſit.

Geneſ. 3.

Maria excepit aciem gladij, qui erat in foribus paradiſi.

Adſtabat foribus paradiſi Angelus, gladiò verſatili & flammeo prohibens aditum loci, à quo exterris Adam hactenus errauerat. Maria vltro gladij excipit aciem, vt peruius homini reddatur aditus. Quod vt tibi liquidò conſtet, memor eſto, hominem è paradiſo eiectum, reddi paradiſo, cùm in templo ſacris Dei ſiſtitur obtutibus: eſt enim templum paradiſus: nam vt in illo Dei paradiſo, ſeu locò voluptatis, Deus erat ſingulari quodam modo gratias ſuas homini largius impertitus; ita & idem rerum moderator, noſtris adeſt templis, alio planè modo, quàm alibi: vt enim Adamo viſus eſt in eo loco deliciis affluente; ſic etiam templo Salomonis viſa eſt affulgere gloria eiuſdem rerum opificis. In eo paradiſo homo Deo totus addictus, & intentus, cælitem egiſſet vitam: ea planè ratione degitur in templis; namque templi vocabulum deducitur à voce contemplari.

Hunc hodie paradiſum aggreditur Virgo Deipara parum ſollicita de gladio, cuius mucro peruaſurus erat valuulas intimas cordis eius: aggreditur, inquam, locum illum; ſed æquiore ſorte eâ, quâ ſpectante orbe toto aggreſſus eſt Pariſiorum ampliſſimam vrbem Rex Henricus bello

EX SYMBOLIS.

clarus. Is in obſidione ſparſerat pleraque numiſmata, quibus impreſſa erat figura ciuitatis, armis & opibus opulentæ. In limbo numiſmatum legere erat has voces præſagas, vt putabat

Lukius l. numiſm. ann. 1592.

Rex Gallus. AGGREDIAR, INGREDIAR. Sed Henricus, Alexandri Fernesij gladio prohibitus aditu terreſtris illius paradiſi; euentu hoc ſiniſtro didicit, aggreſſum, & ingreſſum etiamſi voce tenus, aliquid quidpiam ſimile ſonent, non tamen hominum conamine eiuſdem eſſe ſpeciei. Itaque ad pompam iconis Regiæ defuit æqua ſors; ſed Mariæ ſarta tectáque fuerunt omnia: aggreditur & ingreditur templum, vlnis ſuis inferens Adamum inſcium omnigenæ labis; & vt inquit Bernardus, has apud ſe reuoluebat voces.

S. Bernard. ſerm. 3. de Purific.

Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus neſciens virum, templum factus eſt Spiritus ſancti: cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Sua puritate Maria quaſi cataphracta obiicit ſe Angeli gladio ancipiti, qui paradiſi fores hactenus obſerarat. Angelus templi foribus aſtans erat Simeon, quem Lucas olim pictor egregius, ſuo penicillo induit habitu Angelico.

Luc. 2.

Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Annon Angelus, cui totum de Angelico ritu conſtat. O virgo, Angelum iſtum caue, ne incauta incurras in aciem gladij corpus & animam validè terebrantis!

Nil cunctanter agens Deipara acta Spiritu, qui neſcit tarda molimina, templum victrix ingreditur. Et vt ſcribit Bernardus.

S. Bernard. ſerm. 1. de Purific.

Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit. Accingit ſe Simeon, exerit gladium, quo animum percellat impauidum Virginis, auſæ inducere hominem in eum, à quo exciderat, paradiſum. Videre horret animus aciem mucronis rubentis iam ſanguine virgineo. O Simeon, parce linguæ tuæ; ne eam exere in Mariam: eſt enim acies eius acutior omni gladio ancipiti: Mariam miſerè diſcerpis dicens, filium hunc eius Adami vices obeuntem Paſſionis gladio feriendum, quia incurius gladij Angeli adſtantis foribus paradiſi, aditum hunc auſus eſt hodie reſerare, ipſamque baiulam hominis huius ingreſſi paradiſum, eodem & gladio obnoxiam. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

Luc. 2.

Ictum hunc fatidicæ linguæ exquiſitè ſenſit Maria, vulneráque filio infligenda, amantiſſima parens, hodie ſuis ſenſibus anteuertit.

EX SS. PATRIBVS.

Non inſcio igitur Angelo, nec eius innoxio gladio, homo redux extitit paradiſi compos; in ipſo aditu templi, idem gladius, filium in vulnere Matri ſociauit, cùm Paſſionem Chriſti Simeon ingeſſit menti Mediatricis hodiernæ eò verborum penè textu, quem habes in Bernardo.

S. Bernard. ſerm. 3. de Purific.

Oblatio iſta ſatis delicata videtur, vbi tantùm ſiſtitur Domino, redimitur auibus, & illico reportatur. Veniet quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio; quia redemptionem eum Deus miſit populo ſuo: veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra ciuitatem inter brachia crucis. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum; iſtud quidem iucundius, ſed illud plenius; iſtud enim tempore Natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis.

Vt è pectore Chriſti ſaucio ictu lanceæ exiuit aqua; & ex Scriptura.

2. Reg. 14.

Aqua multa, populi multi, & ſicut aqua dilabimur ſuper terram. Ita ex hoc vulnere, filio Matrique communi, ex ore Simeonis exiliêre aquæ multæ, populi multi.

Nam in infantulo Ieſu oblato, obtulit & Virgo genus omne hominum, quod Deus habuit peracceptum, Mariâ cum filio rem hanc totam feliciter æquè ac piè moderante. Sic ideò vrget eam Bernardus. *Offer filium tuum, virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræſenta; offer ad noſtram omnium reconciliationem, hoſtiam ſanctam Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem nouam, & pretioſiſſimam hoſtiam, de qua ipſe ait: Hic eſt filius dilectus in quo mihi benè complacui.*

S. Bern. vbi ſupra.

Maria celebranda ab omnibus.

Vt autem indicaret Deus, hanc oblationem expiare omnes cuiuſuis ſexus homines & omnis ætatis; ſenem Simeoonem, viduam Annam, virginem iuuenem, puerulúmque Ieſum voluit ad myſterium iſtud myſticè conuenire. Vnde & Damaſcenus omnes ætates, & omne hominum genus ſollicitat ad Mariam celebrandam. *Adeſto omnes gentes, omne hominum genus, omnis lingua & ætas, & omnis ſtatus, vniuerſa lætitia ortum celebremus.* Idémque Mariæ cultor Damaſcenus, Mariam bonorum omnium nobis exordium ait, cùm natalem eius diem vocat præludium omnium ſolennitatum. *Natiuitas virginis eſt omnium feſtiuitatum exordium, & eorum quæ ſpectant myſterium Chriſti præludium.* Vt enim Deus Adam efformato ait. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus adiutorium ſimile.* Ita voluit Chriſtum inſcia matre, ſaluti hominum iugiter inſudare. Hoc obiter notat Bernardus. *Nobis bonum non erat hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Huicque Sancto præiverat Damianus, in ea de Maria reparante nos pia meditatione: ſic piè Damianus. *Per virum & mulierem vnam omnia reſtaurantur; nec ſine magno fœnore gratiarum, excedit damni æſtimationem doni magnitudo; ſic nimirum artifex clementiſſimus, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam.*

S.Damaſc. in ſerm. de nat. Mariæ.

Geneſ.2.

S.Bern. ſerm. ſignum magnum.

S. Damian. ſerm. de Aſſumpt.

Non temerè fit hodie proceſſio, quæ egreſſos è templo, rurſus vergentes eò deducit in eaſdem ædes Deo ſacras: in hoc enim myſterij hodierni cardo vertitur totus, vt notet, homines retrogrados hactenus, iam directè procedere: qui enim à paradiſo diſceſſerant ſiniſtro calle; illuc viâ rectâ, Ieſu & Mariâ hodie ducibus inducuntur. Sed quia non eſt otioſa iſta feſtiuitas; eſt ſeriò expendendus ille ritus, quo Maria non legi obnoxia, impleuit tamen legem, ſed ea rerum ſerie, quam ſi mente capimus, conſortes forſan Deiparæ fore nos ſuggerit animus. Igitur coëuoria illic multa Sacramenta, pro inſito nobis modulo breuiter indagemus.

Leuit.12.

Lege cautum erat, ne mulier à partu ſuo conueniret Templum ante dies quadraginta, quibus euolutis ſiſtebatur Domino, cui fœtum offerebat, redimens illum agno, aut binario turturum, ſi inopiâ ad manum non haberet agnum. Nemo noſtrûm ſterilis eſt; vnumquodque enim eſt propter ſuam operationem: ſed heu quotuſquiſque eſt, qui præcipiti partu non peperit abortiuum, iuxta id quod cecinit Pſaltes! *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Indicitur nobis quadraginta dierum numerus myſticè decurrendus. Quadragenarius hic numerus pœnitentiam ſonat & laborem: conſtat enim hic numerus denario quater repetito. Denarius ob decalogum, legem indicat; ſicut & quaternarius Euangelium ſignat, ob quatuor Euangeliſtas: decurrere ergo quadraginta dies, eſt morem gerere Decalogo & Euangelio. Quadraginta annos errauit gens Hebræa, ante aditum Palæſtinæ, quadraginta dies Elias ieiunus non feriatus ambulauit, antequam in monte Horeb Deo ſuo ſiſteretur. Miſſos facio quadraginta dies ieiunij Chriſti & Moſis, vt hoc numero populum ad pœnitentiam efformarent. Hunc Ionas indixit numerum Niniuitis. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Sciebat quippe Vates hunc numerum mentes expiare ſontes & noxias, ſi vt par eſt ab homine exoſo retroactam vitam fuerit exantlatus.

Pſalm.7.

3.Reg.19.

Ioſue 2.

Matth.4.

Exod.14.

Iona 3.

Ex SS.Patribus.

S. Auguſt. in Pſalm 84

Pœnitentia Deum ad miſerandum inflectit.

S.Ambr. l. de Dauid.

Hunc igitur numerum exple, ô anima fœculenta partu abortiuo, pœnitentiam age & tunc agnum offeres Domino, id eſt, tu primam indues innocentiam, quam incauta & inſoleſcens turpiter exuiſti. Si mihi non attendis ingerenti pœnitentiam ſeu quadragenarium, credes fortè ſummis Eccleſiæ præconibus, in quibus audi Auguſtinum. *Iuſtitia Dei de cælo proſpexit dicens, parcamus huic homini, quia ipſe ſibi non pepercit: ignoſcamus, quia ipſe agnoſcit; conuerſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, conuertar & ego ad liberandum eum.* Subſcripſit ſuppar Auguſtino Ambroſius ritum ediſſerens Purificationis Dauid. *Peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit, quod non ſolent Reges.*

S.Greg. hom. 33. ſupra Euang.

Qui bis eminuit Pontificatus infulis Gregorius, Mariæ Magdalenæ expiationem dat pœnitentiæ eius. *Quot habuit in ſe oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta; conuertit ad numerum virtutum, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Eiuſdem fuit ſpiritus ille præco pœnitentiæ Hieronymus. *Pericula maris ſpe lucri delectant, dolorem medicinæ ſpes lucri mitigat; qui deſiderat nucleum, nucem frangit, pœnitentiamque agit, qui vult æterno adhærere bono.* Et ne cauſeris hæc omnia Patrum elogia non probare agnum innocentiæ non alio vænire pretio, quàm hoc quadragenario numero tibi prælibato; coronidis vice ſuperimpono columnis Eccleſiæ Tertullianum ſic perorantem. *Hoc pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem.* Inoffenſo igitur pede decurre iſtud curriculum, ô anima enixa fœtum fœtidum, id eſt quæ operata es noxia, te efficientia pœnitentum legibus obnoxiam.

S.Hieron. l. in Matth.

Pœnitentia de delicijs facit holocauſta.

Tertul. l. de pœnit.

Pœnitentiæ datur impunitas.

Eſſentias eſſe veluti numeros, adiectione vel detractione variantes, Philoſophi ratum habent: ex quo infero, difficilem eſſe pœnitendi ritum, qui ſi exceſſerit, animum notat indiſcretum: ſi verò defecerit, teporem ſignat animæ de feruore priſtino remittentis; ſicque liquet, agnum offerre Domino, eſſe hominum prædiuitum, id eſt eâ expiari pœnitentiâ vt ſit mens Deo accepta, hoc dari tantùm animæ defæcatæ. Cùm ergo multa ſit inopia talium animarum, & rari ſint agnorum greges, occurrit Deus operoſo iſti negotio, turtures agnis ſubſtituens: ſic enim ſancitum eſt. *Cúmque expleti fuerint dies Purificationis ſuæ, pro filio ſiue pro filia*

Leuit.12.

filia deferet agnum anniculum in holocauſtum. Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures. Quâ ſanctione ſuccurrit Deus his, quorum pœnitentia mutila numerum non expleuit. Numerus autem decurtatus, inſitum ſibi hunc defectum inurit pœnitentiæ, quam Deus examine penſat, & ponderat exquiſito; vt hac ſimilitudine explicat Tertullianus. *Prius nummum homines, quo paciſcuntur, examinant: ne ſcalptus, néve raſus, ne adulter: etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, ſcilicet perennis vitæ conceſſurum.* Si hic agnus innocentiæ carè vænit; in promptu ſunt, & cuiuis ad manum turtures. Miſerorum hoc vnum eſt ſolamen, flere: Eſt quædam flere voluptas.

Tertul. l. de pœnit.

Pœnitétiam Deus explorat legitima ſit, necne.

Ex SS. Patribus.

Fletibus autem ineſſe virtutem expiantem, nemo eſt qui neſciat, niſi ſit inſcius rerum earum, quarum neſcius non eſt quiſquam. Aſini aurei agaſo Apuleius ait; in palatium Pſyches, id eſt animæ, non appellere quemquam, niſi ventorum flabris illi propitiis: nos ſtylo Chriſtiano ſtatum hoc habemus, nemini aditum patere ad templum; niſi illis qui turturum inſtar, gemitus crebros ediderint imbre præuio lacrymarum. Quippe ex Gregorio. *Lacrymæ ſunt iter ad Deum.* Hoc itinere, Dauid & Manaſſes deuij, ad Deum expiati peruenerunt. Quid de Petri ſacrificio poſt lapſum, an fuit agnus illi Apoſtolo, qui negarat Agnum qui tollit peccata mundi? Minimè verò; Chriſto nempe Agno deperdito, non eſt agnus inſuper idoneus, cuius ſacris, hominum ſordes peccato contractæ poſſint omnimodè defæcari. Petrus ergo morem gerens legi, non habens agnum ad manum, nam Agnum Dei abiurauerat, addictum manibus Iudæorum, quorum ſimultate dirè vexabatur ille Diuinus Agnus: Petrus neſciens Agnum; ait enim: *Non noui hominem.* Par turturum paulò poſt obtulit holocauſtum; crebris namque gemitibus Deus illi eam, à qua immemor exciderat, gratiam impertiuit. Hoc ſacrificandi genus verba non patitur, neque preces, ore patulo crebrò repetitas, vt ait Auguſtinus. *Hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quam affatu.*

Lacrymarũ effectus quàm ſalutares.

Luc. 22.

S. Aug. epiſt. ad Probam.

Libet intereſſe ſacrificio elingui turturum, quas Petrus refuga, facti pœnitens obtulit. Hos turtures audiit aliquando Ambroſius, ſic ſuper hac re ſcribens. *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego; ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt dicere, vel confiteri. Lacrymæ veniam non poſtulant, ſed obtinent; fleuit amarè, vt lacrymæ lauarent delictum; tu ſimiliter dilue culpam lacrymis. Non inuenio quid dixerit, ſed quod fleuit.* Huius ſacrificij meminit Hieronymus, & vim magnam ineſſe, paucis ille explicat, hoc ſcilicet breuiloquio. *Oratio Deum lenit, ſed lacryma cogit; hæc vngit, illa pungit.*

S. Ambr. lib. in Luc. l. 9.

Lacryma Deum cogit.

S. Hieron. in Iſaiam.

Animaduerte, puerperam arceri à templo, ſi horum incuria rituum auſu nefario ſacras ædes voluerit impia conuenire; nec impari modo hominem à Deo elongari, ſi ſit impœnitens. De eo enim Purificationis incurio dicitur. *Requieuit Moab in fecibus ſuis.* Item. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Alibi. *De cadaueribus eorum aſcendit fætor.* Denique, in mulctam & odium peccati, cui incubant reprobi, Ioannes audiit eos omnes templo deiici, quos peccatorum nexus aliqui vinciebant. Ecce oraculum. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes.*

Ierem. 48.
Ioel. 1.
Iſaia 34.
Apoc. 22.

Sed quid turturi cum gaudio? Quid eſt indiuiduum gemitibus, & cantui? Vt quid Anna Mulier grandæua, gaudio geſtiens hodie, quam vt viduam gaudia dedecebant? cum ſit viduitas idonea mœſtitiæ, & amica mœroribus. Quorſum & Simeon ipſe longæuus, lacrymis ſuis non alluit hunc gladium Paſſionis, Chriſto obeundæ, & quo Deiparæ Virginis innoxiæ viſcera terebrauit? Quare homo ille venerandâ canitie conſpicuus, exultauit in ſpiritu, mente præſaga præſciens lethales omnes Chriſti agones? Ad quid canticum illud inſonuit? *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Quaſi verò foret iubilus idoneus illi myſterio, cui turtures ingemebant? Grande reuera Myſterium, & quod valeat pœnitentum lacrymas abſtergere. Hoc ſanè, vt præſens Vates. *Vinum mistum eſt aqua.* Nam gemitus animæ pœnitentis excipiunt gaudia, non lugenti tantùm propria; ſed quæ ad Angelos ipſos reſiliant; vt & ait Chriſtus. *Gaudium eſt in Angelis, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Aptè ergo, & congruè, Mariâ ſiſtente Domino puerulum, & turtures offerente, Simeon & Anna modeſtè gaudio geſtierunt. Illæ ſunt ſtabiles tantùm orbis huiuſce rerum vices, vt ſicut alternant dies & nox; ita inuiolabili quodam nexu, pleraque triſtia ſint velut interpunctiones, & virgulæ gaudiorum; adeò, Nil eſt omni ex parte beatum.

Luc. 2.
Iſai. 1.
Luc. 15.

Miſſos hîc facio Romanorum ritus, quibus in triumphis victoris typhum, iniuriis illi ſcommatibus, & ore procaci dicteriis inflectebant. Ab hac rerum facie & ipſe CHRISTVS minimè abhorruit, qui, Mariâ matre ipſius exultante, ob reducem hominem antea deuium, voluit à Simeone gladium Paſſionis exeri, vt iubili vinum miſceretur aquâ triſtitiæ. Et ſecus etiam voluit ſociari turtures cantico Simeonis, vt hinc addiſcerent pœnitentes, ſuas breui lacrymas alternante gaudio detergendas. Eſt hoc argumentum lætitiæ Bernardo. *Felices lacrymæ, quas benigna manus conditoris abſtergunt, & beati oculi, qui in talibus liqueſieri elegerunt, quàm eleuari in ſuperbiam, quam omne ſublime videre, quam auaritiæ, & petulantiæ famulari.* Turtures gemant, toti tamen templo ſumma affulget lætitia; Maria, Ioſeph, Simeon, & Anna chorum agunt canticis exultantem. Quo, vt præfatus ſum, notantur Angeli lacrymis noſtris benè poti, vt ait Bernardus. *Lacrymæ pœnitentium, vinum ſunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, & ſerenatæ conſcientiæ ſuauitas.* Et ne mirere, aquam lacrymarum ab eo dictam eſſe vinum; idem Sanctus ſubiicit hanc rationem. *Illas enim verò lacrymas in vinum mutari bonum dixerim, quæ ſuperna compaſſionis affectu, in feruorem prodeunt Charitatis, pro qua etiam ad horam, tui ipſius immemor, ſobria quadam ebrietate videris.*

Lacrymas Deus abſtergit.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. de contempt. mundi.

Lacrymæ vinum Angelorum.

S. Bernard. ſerm. in Cant.

S. Bernard. vbi ſupra.

Appoſitè admodum quidam pro Symbolo turturem pinxit, hoc titulo. IDEM CANTVS, IDEM GEMITVS. Nam cùm putas Turturem gemere,

Ex Symbolis.

Sripio Barg. In l. Symb.

gemere, tunc ille canit; cùm item canere credis, tunc ille gemit: vtrumque enim ſimul præſtat eâdem voce turtur. Ita & pœnitentes, cum reprobis flere videntur, & gemere; illis IDEM CANTVS, ET GEMITVS: nam plenè tunc ſpiritu mentéque iubilant, fletus tantùm oculorum tenus ementiti.

Lacrymæ paſcunt, & conſolantur.

Audi emergentes è lacrymis rationes exultandi, ex Ambroſio.

S. Ambr. de obitu Valentiniani.

Paſcunt frequenter lacrymæ, & mentem alleuant fletus, refrigerant pectus, & mæſtum conſolantur. Maiora ſunt ea quæ proponit argumenta lætitiæ Hieronymus.

S. Hieron. lib. epiſt.

O humilis lacryma tuum eſt regnum, tua eſt potentia, tribunal iudicis non vereris, inimicis accuſantibus te ſilentium imponis; non eſt qui vetet accedere, ſi ſola intraueris ad Regem, vacua non redibis; magis crucias diabolum quàm pœna infernalis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis.

Lacrymarũ poteſtas in Deum iratum.

Ne ergo nos, ô reprobi, ſubſannate; nos pœnitentes, turtures inſtantes gemitui, dimittimur in pace; neſcit ſynderesim anima turture redempta; cantus veſter, ô dyſcoli, erit aliquando gemitibus obnoxius; canite fleturi, dum nos gemitibus innoxiè iubilamus.

Hominibus pœnitentiæ ſtimulis actis afflabit inanis gloriolæ fortaſſis aura, eò quòd turture impenſo, & quadragenario numero feliciter emenſo, priſco gratiæ fulgore nitent, ſuóque fortè dabunt conamini, quòd caſo peccati chirographo, quo miſerè perierant, iam facti ſint Deo propitio ſuperſtites, atque redíuiui. Sed dehiſcet tumens omnis ille faſtus, cùm dixero, omnem illam pœnitentiæ pompam nihil conducere ad ſtatum reducem animæ, ſi puerulus IESVS, & eius perquàm accepta parens, non adfuerint; nihil turturum geminis, & totus lacrymarum imber, quo anima ſuos actus nefarios exoſa madet; nihil omnia conducent holocauſta; erunt & virtutes hominum mutilæ omnes, inſciis IESV & MARIA, à quibus limpidiſſimi ad nos gratiæ latices emanarunt.

Leonis ira compeſcitur obiecto infantulo.

Igitur ita pœnitentiæ vices obeamus, vt ſemper hoc ſtatum mentibus inſideat, actus noſtros, quantauis virtute polleant, non eſſe viuaces, niſi ea, quam Ieſus & Maria inſpirarint, aura eos viuificet actus impotes ex ſe ad aliquod egregium facinus exerendum. Ideóque in hoc myſterio Purificationis, quæ eſt idea ritus, quo expiantur homines, aliquâ labe ſordidi; in hac, inquam, myſtica methodo purgandi fontes, Ieſus & Maria principes agunt perſonas. Dæmon hactenus vt Leo rugiens, multo ſanguine humano potus, homines fecerat ſui iuris: ſed Maria contrà obiicit huic Leoni Ieſum Leonem alterum de tribu Iuda, qui ſolus valuit iras Dæmonis compeſcere ſęuientis. Non ergo ſunt ingenij noſtri ſed ſolius Chriſti ſalutis exordia. Mària verò baiula Leunculi, in eius agone mediat, ſuaque munia ita diſpeſcunt Ieſus & Maria in ſalutis humanæ negotio, vt rerum conditor Ieſus, ſic earum etiam ſe reparatorem præſtet & redemptorem, & Maria piæ & anxiæ Mediatricis partes obire videatur.

EX HISTORIA.

Conſona planè diuinæ Menti extitit Maria, Deo duplici nomine grata: eo nimirum, quo ſponſa Dei; & altero, quo Verbum enixa eſt incarnatum: eoque infantulo ſtipato gerula parens hodierna die, ita Deum Patrem perculit, vt iam nemo pati repulſam poſſit. Hac Virgine Deipara mediante, ſimili induſtriâ patris animum inflexit aſtuta parens Henrici Quarti Gallorum Regis.

Famin. in Hiſtoria Nauarrea, ſub ann. 1553.

Hæc heroina hactenus ingrata patri Henrico Albretio Regi Nauarræo, eò quòd fœtus expors eſſet: edito partu tandem Regem ſenſit æquiorem, qui ex puerculi vultu, animum illi fore Martialem ſubodorans, præ nimia lætitia velut impos ſui, dicitur aſtantes hoc præſagio compellaſſe. Filiam ſuam pueruli Henrici gerulam Rex geſtiens indice manu inſinuans, aiebat: Hæc ouis Leonem peperit. Diceres Reges mente præſagâ, rebus adeſſe futuris. Henricus enim puerulus non defuit fato: nam Leonis ritu grandior factus ad nullius pauit occurſum. Hoc igitur Leone baiula parens, ab Henrico Rege, auo infantis, petita iugiter impetrabat.

Henrici IV. Regis Galli natiuitas.

Titulo potiore hoc ſibi vendicant elogium Ieſus & Maria, quibus hodie ſiſtentibus ſe Deo Patri; ille ſic cælites affatus eſt, indicans vtrumque: Hæc ouis peperit Leonem: Maria filium edidit, qui ſæuientis è tartaro Leonis æmulus, imbellem faciet. Vt nec fallere falli ve poteſt Deus, Deum præſcium leunculi victoria comprobauit. Hodie Mater hoc leunculo gratior Deo, conciliat hominem, quem Eua à Deo deuium in plura diſperſerat, iuréque Maria dici poteſt Mater viuentium: alia Eua debebat ortum ſuum homini, ex cuius compagine ſurrexerat; ſed Mariæ debemus omnes præludia vitæ, quâ fruimur: Chriſtus enim corpus ſuum, quo viuimus, ab hac Virgine mutuauit.

EX SYMBOLIS.

Typotius l. Symb.

S. Aug. ſer. 18. de ſanctis.

Maria quomodo virum circumdedit.

Vnde & Mariæ iure aptes Symbolum, quod vſurpauit magno ambitu Maria Imperatrix, Maximiliani vxor. Ea pauonem cinctum pullis ſuis pinxit hac epigraphe. ME PROLE ET SCEPTRIS IVNO SECVNDA BEAT. Voluit indicare ſe tot Reges edidiſſe, quot filios: rei euentus hanc fefellit; ſed reuera omnes, quotquot Sancti regnant, Mariæ debent ſuæ ſalutis particulã aliqualem. Audi Auguſtinum. *Circumdat, id eſt protegit virum Maria, Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum, ſerpenti conſentiendo.* Imò eo ſolo quòd Deus induit naturæ noſtræ exuuias in Mariæ vtero, iam Adam paradiſo reddebatur. Sed quaſi myſterium repetitur dum offertur in templo; vt quod latebat in vtero Virginis, idem in templo pateret latius explicatum.

Cant. 4.

EX SS. PATRIBVS.

Rupertus in c. 4. Cant.

B. V. Maria cum paradiſo comparatur.

Mariam autem eſſe hortum, cuius emiſſiones ſunt paradiſus, id ex eius Epithalamio conſtat, cuius Scholiaſtes Rupertus de Maria ſic perorat. *Iſte eſt nouus paradiſus caleſtis: in illo poſuit Dominus Deus hominem, quem formauit: in iſta formauit hominem, qui apud ipſum in principio erat; iſtam humum, iſtam terram ſuam benedixit Dominus, & ex ea cuncta germina gratiarum produxit.* Ne autem hallucinetur homo credens, inconſultâ Mariâ nobis aliquid cælitus ingeri virtutis; ſic pergit Rupertus. *Emiſſiones tua paradiſus: nam quidquid gratiarum, & virtutum, & operationum caleſtium mundus accepit, emiſſiones tua ſunt; pulchra valde varietas huius paradiſi noſtri.*

Maria nouus paradiſus.

Ex his ſic arguere licet. Conditus eſt hominis ergô paradiſus; ergo homo ius habuit ad paradiſum: vnde ſi Maria paradiſum refert; habebit homo ius Mariam adeundi, vt cui inſit affinitas, & relatio quædam ad Mariam. Hos nobis animos adiecisti, Beate Auguſtine, dum Mariam ſic omnium hominum nomine compellaſti. *O Maria, multum gaudeo, multum audeo;*

S. Aug. l. in Ioan.

Mariæ cum peccatoribus affinitas.

nos tibi téque nobis mira viciſſitudo confœderat, vt ſcilicet pro nobis habeas id eſſe quod es, nos verò per te id eſſe quod ſumus. Si nulla noſtra præceſſiſſet tranſgreſſio, non eſſet ſecuta noſtra redemptio; & ſi neceſſarium non eſſet redimi peccatorem, non eſſet neceſſarium parere Redemptorem: vt quid enim fieres mater Saluatoris, ſi nulla eſſet indigentia ſalutis.

Etſi egregia referat Auguſtinus exiles hominum animos erecturus, tamen iſtis adiicit Chryſologus, vrgens Mariam, vt aditu paradiſi dignetur hominem, quem priſca mulier egit foras. Sic ille. *Redde virum, mulier, redde ex te, quem perdidiſti per te, redde depoſitum Dei; ille ex te aſſumet, & faciet virum. qui in principio te fecit, & aſſumpſit ex viro.* Quid ergo homo nutante veſtigio Mariam adis, & vt Bernardus increpitat. *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas; nil auſterum in ea, nil terribile; tota ſuauis eſt, omnibus offerens lac & lanam, omnibus omnia facta eſt.*

S. Chryſol. ſerm. 143.

Maria virum reddidit quẽ Eua perdidit.

S. Bernard. ſerm. Signum magnum.

Ne autem irrita ſint noſtra conamina, quibus Mariæ addicti, litare intendimus; non nos prætereat ritus ille expenſus à nobis, quo immundi expiantur, id eſt caueamus aditum templi, ſine turture: gemitu præuio Deipara eſt oranda; homines horret illa fœculentos, opémque ſuam aliquando homini impuro viſa eſt indignans Deipara detrectare. Et hoc ſpecimen tibi ſit conueniendæ Virginis.

Euagrius l. 5. hiſtor. c. 18.

Anatolius quidam ementito nomine Chriſtianus, clam idolorum cultor, multiplici crimine ſordidus, homo prædiues, Tiberio Imperatori inuiſus malè audit, eóque fama increbuit, Anatolium eſſe nefandum. Vt pius Imperator eum crediderit reum, quem publica expetebant dudum vota carceri mancipari. Igitur Anatolius traditur ergaſtulo. Ille ſibi malè conſcius, ipſius mente imminentis ſuadâ mali, imaginem intuens Deiparæ, ſupplex aduoluitur ad tabulæ limbum, imaginem eius fore ſperans aſylum. Sed, ô rem ſingularem! faciem auertit hæc imago, dedignans eum, qui Dei incurius, & ſui immemor, vitiorum omnium contagio ſe diabolo mancipatat. Quid teſtibus opus, vbi Maria perdito inſultabat; hunc Tiberius laniandum beſtiis obiecit.

Ex Hiſtoria.

Maria faciem auertit ab Anatolio viro nequam.

Fias cautior hoc exemplo, homo, quem Mariæ pietas ſperata moratur à meliori fruge; ſi te peccatorum illuuie ſordidum aſpexerit, non litabis modò, ſed eâ indignante, ſpiritibus, qui ſupra feras immanes deſæuiunt, id eſt dæmonibus addiceris. Mentiris te Chriſtianum, ô reprobe, cultor auri alieni, quod malis titulis vſurpaſti. Annon carnibus adoles incenſum, ô adulter, cum in vxorem alienam vota tua tota conſpirant? Annon fidei illibatæ deſertor extitiſti, cùm ad omnia nefanda veluti Dei neſcius anhelaſti? Caue Mariæ intuitum, ſi hæc omnia non ſerio abiuraſ; ſed ſi pœnitens abdicaſti, ſpe plenus vſurpa hanc orationem Bernardi. *Per te acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Humilitas tua Deo grata noſtræ veniam impetret vanitati, copioſa charitas tua cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Amen.*

S. Bernard. ſerm. 2. de Aduentu.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

EVANGELIVM. Luc. 10.

I. ENTRAVIT IESVS in quoddam caſtellum.

II. Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait: Domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.

III. Porro vnum eſt neceſſarium.

IV. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

I. ANIMA, quam Gratia Dei cataphractam ornat, eſt caſtellum, quod ſubintrat Dominus IESVS.

II. Quæ cùm ſtipetur omni virtutum choro; anima, quam dignatus eſt Chriſtus introitu ſuo, prævalida eſt omni virtutum agmine, bipartito in virtutes intellectuales, & morales, quæ ſororum inſtar, ſunt germanæ, vtpote eâdem matre ſatæ: Quippe eas vna eadémque anima enixa eſt, Deo ſæta, cuius alumna potior.

III. Eſt vnio, ſeu Dei contemplatio.

IV. Cui cùm à teneris vnguiculis Maria Virgo

Virgo fuerit addicta, optimam partem elegit in hoc ano.

V. Et in ſubſequente.

ANIMA GRATIA DEI munita, eſt caſtrum, quod ſubit Chriſtus.

In hac verba:

Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.

SECTIO PRIMA.

Genes. 32.

PAtriarcham Iacob reducem ad ſuos, dignatus eſt Deus hoc honore recenſito à Moyſe ſic ſcribente. *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet ait: Caſtra Dei ſunt hæc.* Nota ad ſectionis liquidiorem notitiam, caſtra Dei appellari locum, cuius tutela ſingularis eſſe ſcitur penes Deum. Dicam rem imperitis fortaſſe dubiam. Fortior eſt anima, Dei gratia inſignis, eâ, quæ peccato obnoxia, haberet ſibi omnes Angelos incubantes: ergo talis anima eſt caſtellum, cuius typus ingenuus fuit illa turris Dauid, de qua Cantica Canticorum hoc perhibent. *Ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Cant. 4.

Ex Theologia. S. Thom. 1.2. q. 110. art. 1

In quo autem ſita ſit animæ fortitudo, è Theologia rimandum eſt. Animæ fortitudo ſita eſt in integritate eius; integritas autem illa attenditur in facilitate obeundi munia ſua, potentiis animæ minimè deuiantibus ab obiectis; aſt hoc habere nequit à natura, in Adamo paſſa deliquium: ergo habebit à gratia infuſa, quæ, ex S. Thoma, eſt ea dilectio, quâ Deus hominem trahit ſupra conditionem naturæ humanæ, ad participationem boni æterni, quod vt apprehendatur, fides infunditur: vt ametur, Charitas inutitur, & vt ad illud mens anhelet, ſpem Deus impertitur. Ergo cùm gratia ideò detur ad participandum bonum æternum, videlicet Deum; Deus inerit animæ in gratia conſtitutæ, eritque ea caſtellum cum propugnaculis: etenim intellectu fide illuſtrato, & voluntate charitate æſtuante, nihil eſt quod animam quatiat, Deo etiam quæ ſunt animæ omnia procurante.

Animæ fortitudo in quo ſita.

Nota, fieri mentionem propugnaculi, & clypei, antequam deſcribatur alia omnis armatura fortium, vt hinc ſciat homo, inuigilandum ſibi magis quàm hoſtibus, & propugnandum antequam oppugnandum. Propugnant qui ſibi cauent, & conſulunt fugâ, ne repentina occaſio animam incuriam miſerè deprædetur. Oppugnant qui ſe foras produnt, vt doceant, prædicent, inuiſant ægros; aliaque faciunt, quibus vitia profligantur. Hoc igitur ſatagat anima, vt clypeum paret antequam pilum & ſagittam: nimirum dum caſtellum inſtruitur, cogitat artifex propugnacula, priuſquam arcem muniat armis, quibus hoſtis irruens impetatur.

Chriſto poſtmodum intrante, fiet mentio, eaque celebris, Marthæ, & Mariæ, id eſt virtutum, quæ Domino hoſpiti, iugi obſequio feruidè ancillantur. Has ſorores Martham & Mariam, id eſt virtutes oppugnantes, manet ſequens ſectio: ſiſtamus hic in clypeis & caſtello. Putat Iſidorus dicta eſſe caſtra, quaſi caſta: quippe à caſtris impedimenta omnia, & in his mulieres, arcebantur; & ego crediderim caſtellum dici quia caſtum: cum enim nihil habeant degentes in caſtello, quod diuerberet ſenſus, & menti ingerat ſæculi pompam, aut cupidinem corporis egregij, & compti, in libidinem compoſiti: caſtitas illic altas radices aget, cuius propugnacula ſunt ſenſuum ſagax cuſtodia, iugiſque & pia ſolitudo, caſtimoniæ parens, quâ capitur Chriſtus, vt animas eligat ſibi in ſponſas, vt indicatur hoc verſu Epithalamij. *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.*

S. Iſidorus l. 1. Etymol.

Sponſarum Chriſti conditiones.

Cant. 1.

Ex SS. Patribus. S. Bernard. ſerm. 40. in Cant.

Spatiatur eloquenter ſuo Bernardus more, ſcholiaſten agens Cantici Canticorum. *Imitator caſtiſſimæ volucris ſedeas, ſecundum Prophetam ſolitarius, quoniam leuaſti te ſupra te, omnino ſupra te Angelorum Domino deſponſari, annon ſupra te adhærere Deo, atque vnum Spiritum eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius, ſicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiamque ipſum obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. O Sancta anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis; an neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam, præſentibus cæteris. Solus es, ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites: alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es.* Concinit Gregorius. *Qui mortificare ſe appetit, valde ad inuentam requiem contemplationis hilareſcit, vt exterius mundo lateat, & cunctis rerum exteriorum perturbationibus ſe intra ſinum intimi amoris abſcondat: prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo eſt mentis.*

Solitudo decet ſponſas Chriſti.

Mortificatio animas aptat ad contemplationem.

Pulchrè Hieronymus leuat moleſtias, quas ingerit horror ſeceſſus auſterioris. *Infinita Eremi vaſtitas te terret? ſed paradiſum mente ambula, quotieſcumque mente illuc conſcenderis, toties in eremo non eris.* Adiicit Auguſtinus receſſionis encomia. *Strages peſſimæ conuerſationis nemo proſternit, nemo calcat, nemo funeſtat, niſi ſingularis caſtitas ſola, quæ munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas, probitatis præſidium, & improbitatis excidium, animæ victoria, & corporis præda, vbertas gratiarum, & ſterilitas criminum.* Hoc textu clamat Auguſtinus animam reuerà eſſe caſtellum, quæ ſecedit à turbis: voces enim illæ, munimen inuictum, expugnatio fortis, fortitudinis firmitas, nihil niſi caſtellum ſonant, cum propugnaculis.

S. Hier. ep. 1. ad Heliodorum.

S. Aug. lib. de ſingularitate clericorum, cap. 22.

Solitudinis encomia.

Solitudo quot bona nobis conciliet.

Deum autem ſubire talia caſtella, vt præmonui, audi ex Bernardo. *Cum quo Deus eſt, nunquam minus eſt ſolus, quàm cùm ſolus eſt: tunc enim liberè fruitur gaudio ſuo, tunc ipſo ſuus eſt, ibi ad fruendū Deo in ſe, & in Deo. Tunc in luce veritatis, & in ſereno mundi cordis, vltro patet ſibi pura conſcientia, & liberè ſe infundit de Deo memoria, & illuminatur intellectus, & bono ſuo fruitur affectus, & liberè ſeipſum deflet humanæ fragilitatis defectus.* Nec id fugit Senecam Philoſophum, qui virtutem ratus in ſolitudine verti velut in cardine, ſic compellat Lucilium. *Subducendus eſt à populo animus tener, & parum tenax recti, facilè tranſitur ad plures.*

S. Bernard. Epiſtola de vita ſolitaria.

Seneca ad Lucilium epiſt. 7.

Egregio

Solitudo eſt neceſſaria.

Gen. 6.

Egregio typo Deus caſtellum animæ lineauit in arca Noë. Etenim antequam illi nauigio ſe ſuóſque Noë committeret, hoc à Deo mandatum accepit. *Manſiunculas in arca facies, & bitumine lintes intrinſecus, & extrinſecus.* Dum cohibiti ſenſus colligunt ſeſe, ſuas habent ſinguli quique manſiunculas, diſſitas ab inuicem; anima verò ſeorſum degens, ſanctioris bituminis gaudet in ſolitudine linimento. Sed aduerte interius, & exterius bitumen induci, ne irrepere poſſit aqua; aquæ autem populi multi. Caueat ergo anima, ne etiam in ſolam irrepant peſſimi cogitatus: ſiquidem Gregorio monitore. *Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis? qui enim corpore remotus viuit, ſed tumultibus conuerſationis humanæ, terrenorum deſideriorum cogitatione ſe inſerit, non eſt in ſolitudine. Si verò premitur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos ſæcularium tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe.*

S. Gregor. l. 9. Moral. c. 12.
Solitudo animæ eſt neceſſaria plus quam ſolitudo corporis.

Arcâ interius atque exterius expeditâ, contra aquarum, & aëris iniurias, tandem ingreſſus eſt Noë ſuâ ſtipatus familiâ hoc caſtellum ſuis propugnaculis expeditum. Eo planè modo Deus differt animis ſeſe hominum inſerere, niſi videat homines interius atque exterius, ſuorum adhibitâ cuſtodiâ ſenſuum optimè delinitos, vt ſcitè Gregorius. *Tantò mens melius ad ſuperna appetenda componitur, quantò ab illicitis arctiùs corpus edomatur.* Et rurſus. *Niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat; nec valet apprehendere quod ſupra ipſum eſt, qui neſcit mactare quod eſt.* Quaſi diceret, animam non poſſe fieri compotem Dei, & induere Chriſtum, ſi à ſeipſa non protinus exuatur. Ne autem hominum ſalus tribueretur arcæ, ſeu nauigio, ſcriptura commemorans ingreſſum Noë in arcam, hoc adiicit. *Et incluſit eum Dominus deforis.* Quaſi diceret, fuiſſe parum feciſſe arcam niſi & fuiſſent propugnacula aduerſus aquas, deſuper irruentes

Idem lib. 31. Moral. c. 17.
Idem hom. 32. in Euang.
Abnegatio ſui neceſſaria.
Gen. 7.

Ita & gratia Dei, hominem in modum erigit turris, & caſtelli, cui ne deſint clypei, claudenda eſt anima deforis, & vſum oportet temperare ſenſuum, iuxta rerum omnium temperiem, quam depoſcit Iſidorus. *Quicquid nimis, & vltra modum eſt, pernicioſum fit, ſtudiúmque ſuum in contrarium vertit: in omni ergo opere modum, & temperamentum oportet habere.* Anima, Deo incola inſignis, ea eſt, quæ fuit olim Ieruſalem, de qua rerum Dominus ait. *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata; ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te: ſuper muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes.* Cuſtodes ſunt virtutes cohibentes ſenſuum libertatem, iuxta praxim Sanctorum, quos audi ſenſuum licentiam reſtringentes. Sic Auguſtinus. *De illecebra odorum non ſatago nimis, cùm abſunt non requiro, cùm adſunt non reſpuo; ſemper tamen carere paratus.* Proximus ab odoratu ſenſus, eſt guſtus, quem ſic moderatur Bernardus. *Obſeruandus eſt ſumendi modus, & tempus; cibi quantitas, & qualitas; fugienda quoque ſunt ſuperflua, & adulterina condimenta. Obſeruandus eſt modus, vt non effundat, qui comedit, animam ſuam ſuper omnem cibum; tempus, ne ante horam; qualitas, qualibus vtatur; communitas fraternitatis, exceptâ cauſâ manifeſta infirmitatis.* Magna cautione eget guſtus, vt innuit Auguſtinus. *Hoc me docuiſti Domine, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam; ſed dum ad quietem ſatietatis ex indigentia moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu, mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ.*

Diſcreta ſit mortificatio.
S. Iſidor. l. de ſummo bono, 2. c. 44.
Iſai. 62.
Diſcretio in virtutibus obſeruanda
S. Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 32.
S. Bernard. epiſt. de vita ſolitaria.
Cibus ſumendus vt medicina.
S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 31.
Gula tendit in cibis inſidias.

Corpore toto diffuſus eſt tactus, ideóque patens inſidiis, & maximè libidinis, qua corpora mutuo contactu æſtuant, fitque corporum illecebris quod exurgit ex attritu vrticarum, quibus vel tantiſper admota manus, ſubitum inde concipit incendium, iuxta Symbolum Camerarij, qui vrticis hunc titulum inſcribit. LEVITER SI TANGIS, ADVRVNT. Hoc & moneo; ſi corpora attrectas, conflagrabis igne luxuriæ: nam caro ex contactu ſcintillat, & magna ſpirat incendia. LEVITER SI TANGIS, ADVRIS. Vt ergo illibata ſit caſtitas, fuge contagium corporum, & ſecede. Sic conſulunt Sancti, in quibus accipe Ambroſium. *Caſtitas ſolitudinem quærit, pudica ſecretum, impudica conuentum.* Adhibe teſtem Gregorium. *Cuſtodienda eſt munditia corporis, in ſtudiis bonæ actionis.*

EX SYMBOLIS.
Camerarius l. Symbolorũ.
S. Ambr. lib. de viduis.
S. Gregor. l. 7. regiſt. indict. 2. c. 25.

Oculi incauti animam produnt, ideò colligendi ad amuſſim eorum, quos meminit Gregorius. *Sancti viri cùm ſiniſtra pulſari delectatione ſe ſentiunt, ipſa, per quæ forma ſpecies ad mentem ingrediuntur, diſciplinæ magiſterio lumina reſtringunt, ne prauæ cogitationi viſio lenocinia famuletur.* Et ex Ambroſio, facilè inclinat animus quando ſpecies iniuſta oculis eos perſuaſit. *Quod non videris, non amabis; ſed vbi cura concupierit, compatientis quoque animi, conſtantia defatiſcit, & mens conſortio amoris inflectitur.* Quia auditu etiam nitor animæ deperditur; habet & hic ſenſus ſuas ſeras, quibus occluditur, ex Gregorio. *Neceſſe eſt vt nec ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat.* Hi ſunt cuſtodes atque propugnacula, quibus anima referens ideam caſtelli, nequit à vitiis oppugnari.

Idem lib. 21. Moral. c. 6.
Ambroſius in Luc. lib. 4. c. 4.
Oculi mortificandi.
S. Gregor. l. 7. Moral. c. 6.
Aurium mortificatio.

Fauet Philoſophia. Nimirum ea diſciplina, tota in ſpeculatione rerum naturalium, ait eo ſolo nomine cælos neſcios eſſe corruptionis, quia materia eorum ita eſt amans formæ ſuæ, vt nullam aliam appetat; vnde cùm nihil corrumpatur, niſi ex appetitu Materiæ primæ formis pluribus inhianti: anima Deo gaudens, & vltra nihil anhelans, erit caſtellum inexpugnabile. Rurſus nihil corrumpitur, niſi præuia alteratione; ſed anima inuigilans ſibi, neſcit alterari: ergo etiam nec corrumpi, & Deo inhabitante animam, irrito conamine dæmon arietabit in caſtellum. Siquidem ex SS. Patribus, è virtutum choro ineſt animæ fortitudo.

EX PHILOSOPHIA.
Ariſtot. l. 2. de cælo.

Ita Ambroſius. *Reuera ea iure fortitudo vocatur, cùm vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non perturbatur aduerſis, non extollitur ſecundis, & quaſi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Item. *Fortitudo inuicta eſt ad labores, fortis ad pericula, rigida aduerſus voluptates, dura aduerſus illecebras, quibus aurem deferre neſciat.* Congruunt ea, quæ ſcribit Gregor. *Iuſtorum fortitudo eſt, carnem vincere,*

Fortitudo vera vincere ſeipſum.
EX SS. PATRIBVS.
S. Ambroſ. lib. 1. officior. c. 36.
Ibidem.
S. Gregor. l. 7. Moral. c. 8.
Fortitudo Sanctorum qualis fuerit

proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, aduerſitatis metum corde ſuperare Compendioſè Auguſtinus. *Qui vera virtute fortis eſt, nec temerè audet, nec inconſultè timet.*

S. Auguſt. epiſt. 29. ad Hieronym.

Ne autem inſoleſcat homo, Gregorius ait à Deo eſſe omne illud robur. *Qui in auctoris ſui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualeſcunt, eo à propria virtute deficiunt; & quo robuſtiùs æterna appetunt, eò fortiùs à temporalibus ſalubri defectione laſſantur.* Conſonant elogiis Sanctorum ea, quibus Lucilium ſuum Seneca ad virtutum praxim vrget *Sapiens, & fortis, ad omnem incurſum munitus & intentus, non ſi paupertas, non ſi luctus non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet intrepidus, & contra illa ibit, & inter illa ſtabit.* Et item non immemor ſui adiicit. *Sapiens virtutem ſi licebit, in diuitiis explicabit, ſin minus in paupertate, in patria ſi poterit, ſin minus in exilio, ſi poterit Imperator, ſin minus miles, ſi poterit integer, ſin minus debilis.*

S. Gregorius l. 4. Moral. c. 30.

Ex Profanis. *Seneca ad Lucilium ep. 59. & ep. 85.*

Ex Historia. *S. Gregor. lib. 4 dial. c. 14. & homil. 15 in Euang.* Seruuli patientia.

Huius elogij luculentos ſe præſtitere vades plerique Sancti, quos vt caſtella in edito loco ſita, quæuis irrogata mala non potuerunt expugnare. Vide fortitudinem in diuitiis & in paupertate egregiè coruſcantem. Seruulus homo mendicus ex Sancto Gregorio, æuum ſuum in lectulo totum egit in Paralyſi, quæ potuit quidem diſſoluere compages artuum & inutile grauare corpus; aſt huic morbo nequaquam ceſſit animus illibatus. Quoties nauſeante carne, dæmon voluit teporem ingerere Seruulo? Quoties animæ illius arcem præualidam voluit ſubire callidus hoſtis, vt tædio morbi concepto patientiæ retro exhibitæ titulos eraderet? Sed incaſſum vafer Angelus ſuas technas omnes in Seruulum explicauit: nam, teſte Gregorio, totus erat in laudibus Dei, & ea eleemoſynis acceptis, egenis aliis erogandis. Tantum valuit Dei præſentia in paupere, vt diuitem virtutibus efficeret.

Petrus Matthæus in hiſtoria ſua ad an. 1599 fusè ſcribit mor. & Philippi II. Regis Hiſpani.

Silere nequeo animi robur propè miraculum Philippi II. Regis Hiſpani, quem annis grauem, grauare non potuit infirmitas, quæ iuuenem quemque robuſtiſſimum oppreſſiſſet. Is corpore grandæuo ſanie diffluente, acceptâ Euchariſtia ſenſit arcem animæ ſuæ acceſſu & ingreſſu CHRISTI Domini roborari: accerſitum filium ſuum eiuſdem nominis Philippum, hæredem regni, explicata ſindone, & corpore aperto deformi plaga & vlcere, ſic compellat: Eia fili meditare, Reges non eſſe inuios humilibus quibuſque caſibus, qui vernaculos homines excipiunt. Deo ferienti annuo lubens; tu mei memor eſto, atque compatere, altéque inſideat animo tuo meum fatum, vt hinc in obſequio Dei cautior fias. O animum inuictum in corpore debellato! Arx tenera eſt & caſtellum multo propugnaculo potens, mens quam ſubiit Christus.

Lib. vitæ SS. PP. Eremitarum.

Locuples eſt teſtis roboris integri ſanctus ille Anachoreta, qui in Philoſophos gentiles incurrens, poſt ſcommata & dicteria, iniuriis tandem & plagis durè habitus, cum flocci hominem eum ſuggillarent, dicentes: Heus tu dicito nobis, quid iſtibi tuus proſit crucifixus? Ille compos ſui, ſerenus ait: Hoc prodeſt, vt veſtrarum immemor iniuriarum, animum non illæ concutiant. O effatum viri adamantini pectoris! Neſcio an huic præſtet facinus audax Sancti Dominici Patriarchæ Ordinis celeberrimi orbe toto. Impegit ille in homines hæreticos, qui eum oderant cane peius & angue, vt hominem, qui hæreſeos eſſet ſedulus inſectator. Eccleſiæ illi perduelles virum ſanctum apprehenſum ſic affantur: Tune ille declamator in eam quam profitemur fidem ſinceram? Ad hæc Sanctus: Ita planè, ille ego. Illi ira æſtuantes obiecerunt: Quâ ſorte putas excipiendum te, & quam gratiam exiges? Ego, inquit Sanctus, illud enixè peto, vt articulatim cæſum, orbatis oculis, & diu laniatum perdatis in ſanguine palpitantem. Illi admirati hominem impauidum, illæſum ad ſuos remiſerunt, incolumitatem ſerui ſui Deo optimo propugnante.

Gerſo in vita S. Dominici.

Fortitudo animi S. Dominici.

Surius in vita S. Cypriani & ſanctæ Iuſtinæ.

Habet & ſuam laudem non imparem vlli, heroïca virtus Iuſtinæ virginis, cuius ſpeciem exquiſitam cùm deperiret perditus adoleſcens, conſuluit Magum Cyprianum nomine, vt malis artibus libidine animum virginis accenderet. Iniquo fœdere inito, Magus ſciens ignem luxuriæ eſſe Tartareum, dæmonem arceſſit, vtpote ſtipatum talibus flammis, quarum ille fornacem incolit; conſilium illi aperit de Iuſtina virgine oppugnanda: promittit ſpiritus ille nequam, ſuas ſe artes impenſurum, & ex eo temporis articulo aduolat in virginis ædes, animúmque quatit imagine obſcœna, corpori ſubiicit faces, quas antea neſcierat. Virgo inexperta corporis illam fœdam pruriginem, procumbit in genua, ad Crucifixi pedes prouoluitur, multoque lacrymarum imbre ſopit ignes peſſimis auſibus excitatos. Inualeſcit hoſtis, noua ſpirans incendia; gliſcit æſtus antea extinctus, & impetigine carnis, virgo latentem præſentit hoſtem; preces ingeminat, & ſuſpiriorum flabro ita excutit illicitos ſenſus, vt deluſo libidinis incendiario, ſtet ſoſpes & integra triumphatrix.

Diabolus eſt infirmus in Sanctos Dei cultores.

Cyprianus pertæſus moras huius certaminis, in aliquot dies protracti, dæmonem reuocat, & obiicit ignauiam. Quid, inquit, cunctaris in puella? An fortè marmoreâ compage cato eius alget, vt nequeat illa calere libidine? Quid moras tandiu protraxiſti? Cui dæmon alta trahens ſuſpiria: Non per me ſtetit, Cypriane, quin Iuſtina Veneri iam litarit: nihil intentatum reliqui, ſed ea fortiter obſtitit: quidquid ingeſſi, illa validè egeſſit. Quaſi verò, ait Cyprianus, puella imbellis à tuis ſeſe potuit laqueis expedire? ô Cypriane, replicat dæmon,

Non hæc humanis opibus, non arte Magiſtra
Maior agit Deus.

Surius in vita S. Cypriani & Iuſtinæ.

Hoc vnum habe ratum, animam Chriſto deuinctam impugnari non poſſe. & impunè illi, cui Chriſtus adeſt, laqueos intentari. His auditis, Magus dæmonis obſequium abdicauit, dedit manus Chriſto, fidémque ſuam ſanguine purpurauit. Vides quàm validum ſit hoc caſtellum, quod Chriſtus aliquando ſubintrauit.

Ex re Medica.

Hæc animæ ſanctitas poteſt ſcitè ſanitate corporis

Fernelius Phyſiologia lib 6. c.6. Idem Pathologia l.1. c.2. Morbus quid ſit.

corporis adumbrari, quæ ſita eſt in valida conſtitutione corporis, cuius principes partes ſunt optimè conſtitutæ, ſcilicet ventriculus benè coquit, Meſenterium chylum exſugit defæcatum ab impuro, & iam rubere incipientem ingerit in hepar, vbi tranſit in ſanguinem, qui toto corpore diffuſus omnes oras alluit, & vnicuique parti annonam conſonam impertitur. Homo integrâ valetudine gaudens, ſuis etiam debet inuigilare ſenſibus; eorum enim incuriâ corpus offenditur. Verbi gratiâ, candelæ emortuæ odore perit fœtus, & mater abortit: ex cadauerum tetro odore lues exurgit. Lethale virus ſæpè ſæpius eſt ori famelico propinatum: frigore, aut calore tactus immutatur: nimio candore viſio diſgregatur. Demum auditus, ingenti murmure ingeſto auribus, obſurdeſcit.

Vnde ſic arguo, ex Fernelio. *Morbus eſt affectus inſidens contra naturam corporis; affectus autem contra naturam, non modo naturæ limites excedit, ſed illi vim infert, eiúſque vires, & functiones manifeſtè perturbat, atque id modò proximè, modò alterius interiectu.* Itaque cùm morbus nihil ſit præter & vltra affectum contra naturam, ſi homo ſanus naturæ ſuæ ſit ſollicitus cuſtos, ne quid eam lædat, reuerà ſanitas erit velut in arce, & caſtello ſuis propugnaculis expedito, Ita cum peccatum ſit affectus contra animæ indolem, quæ Deo ſoli debet intendere; ſi anima occurrit offendiculis, ne lædatur, erit omnino ſanitas eius ſarta tecta, velut in caſtello. Vt autem medici eſt curare corpus ægrum, & reducem ſeruare ſanitatem; ita optima animæ conſtitutio à Deo eſt influente, & poſtmodum iugi eam auxilio confirmante; & hoc ſonat hæc ſectio; dum ait animam gratiæ Dei compotem, eſſe caſtellum, vtique neſciens expugnari, non virtute propria, ſed Dei condonantis.

Ex Ivre Civili. *Lege omnia ff. de officio Præfecti vrbis.* Præfecti vrbis ius & poteſtas. Gratia Dei eſt quod ſumus boni. *Lege, Imperialis Codice de nuptiis.*

Hoc poteſt Iure Ciuili fieri palam, quo Princeps alicui caſtellum in feudum concedens, omnem etiam iuriſdictionem ei intra circum impertit, vt videre eſt in Iuſtiniano, ſic præfecturam vrbis cuiuſque fulciente. *Omnia omnino crimina præfectura vrbis ſibi vendicauit, nec tantùm ea quæ intra vrbem admittuntur, verùm ea quoque, quæ extra vrbem; quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad præfectum vrbis videtur pertinere: ſed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad præfectum vrbis pertinet.* Hac lege, eſto præfectus vrbis ius habeat intus, & extra; illud totum eſt à Principe. Ita & anima, etſi ius habeat in ſenſus internos, & externos; id omne eſt à Deo Domino, hominum ſortem miſerante, & agente partes optimi Principis, quem Iuſtinianus ait, *Debere non tantùm curam habere ſuorum ſubditorum; ſed & procurare commoda, & mederi incommodis.*

Ex SS.Patribvs. *S. Auguſt.l.1. Confeſſ. c.7. Idem de correptione & gratia,c.8. S.Gregor.l.32. Moral.c.7.*

Vtrumque Deus præſtat, gratiam ſuam largiter infundendo, vt ait Auguſtinus, Deo gratias agens. *Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea vt glaciem ſoluiſti, gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala.* Rurſus ille. *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem; & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Adeſt & Gregorius. *Miles Dei ſupernæ gratiæ fretus auxilio, ſic vulnera infirmitatis ſuæ curat, vt aliena non deſerat.*

Ex Ivre Canonico. *Can. ne forte. Can. Medicina de pœnitentia diſt.1. S.Hieron.in c.12.Oſe.*

Canones ſancti gratiam hanc referunt, vt ſtatuentem nos in caſtellis: ſic enim habet iſte Canon, ex Hieronymo deductus in Decretum. *Ne forte peccati memores, tardiùs reuertantur, adhuc inquit ſedere vos faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis, vt quod facit baptiſma, hoc faciat pœnitentia, & habitent in tabernaculis Saluatoris, hoc eſt in Eccleſia.* Nota, tabernacula eſſe diuerſoria militantium, & animam pœnitentem aſcriptam eſſe Militiæ Dei, accepto gratiæ ſtipendio, quod Deus exoſis nefas ſuum, redux atque propitius elargitur, expunctis omnimode noxis antea perpetratis; vt fert iſte Canon, qui deſumptus eſt ex Ambroſio. *Medicina miſericordiæ tollit peccata magna.* Sed ne gratiâ impertitâ cadat hæc, Maria Magdalena lugeat in receſſu, & caſtello; ſiquidem

S.Ambroſ. l. de Abra.

Potior animæ redivivæ cavsa est secessvs, et castellvm, ei est, casta tellvs.

GRATIA DEI ANIMAM ſtipat omnium virtutum choro.

In hæc verba:

Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria.

Sectio Secvnda.

Ex Theologia. *S.Thom.2.2. q.5.art.4.*

CHriſto ingreſſo in caſtellum occurrerunt Maria & Martha; nec vacat myſterio ſacer ille occurſus ſororum, quæ Chriſti obſequio intentæ, ei iugiter ancillantur. Subodoror hoc contextu, animam gratia Dei conſpicuam, non eſſe duntaxat caſtellum, ſeu turrim Dauid cum propugnaculis; ſed etiam inibi eſſe omnem armaturam fortium, id eſt virtutes omnes, quæ Marthæ & Mariæ typo optimè deſignantur: & hoc adſtruendum ſibi vendicat iſta aſſertio, multiplici ratione petitâ à variis ſcientiis. Theologiæ effatum eſt, gratiam non eſſe deſidem, aut inertem, iuxta illud Apoſtoli. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui.* Cùm enim hominem totum perficiat; oportet in habente gratiam, eſſe rectitudinem voluntatis, vt diſputat S. Thomas. Per gratiam enim hominis voluntas dirigitur in ſupremum bonum; ignoti autem vt nulla cupido, Deus gratiam infundendo, dat etiam donum intellectus, quo non naturalia tantùm homini peruia ſunt, ſed etiam & diuina: Ergo cùm hominis intellectus, & voluntas nunquam vacent ab opere; liquet hinc, gratiam, quæ obſtetricante manu adiuuat eas facultates, minimè feriari.

1.Cor.15. Gratia eſt cum rectitudine voluntatis.

Ex SS.Patribvs. *S.Bernard. ſerm.16. in pſalm. Qui habitat.*

Sed nota, omnes operationes intellectus, & voluntatis bifariam poſſe conſiderari, vt à duplici principio mouentur. Si à principio merè naturali cientur illę facultates, nihil exerunt vltra naturæ conamina, vt cùm homo ſpeculatur naturam rerum inferiorum, & amat res congruas indoli ſuæ; hæ, inquam, fiunt citra

gratiam habitualem, & poteſt ceſſare ab eo exercitio, pro arbitrio ſuo, imò ægrè homo ad ſpeculationem ſe rerum applicat, ex corruptela humani ingenij reluctantis. Alio modo agit homo percitus à ſuperiore cauſa. Videlicet, cùm pertæſus infima, mente ſuperiora tranſcendit, Deum anhelans, & ſitiens: tunc nobiliore cauſa percitus, dicitur agere, non ex naturæ dictamine, ſed impulſu gratiæ percellentis.

Deo excepto nihil poteſt conſolari animas.
S. Iſidor. l. 5. de ſummo bono, cap. 12.
Beatitudinis causâ facilè omnia tolerantes.

In ea ſpeculatione non ineſt labor, ſed ingens conſolatio, vt ait Bernardus. *In quo horum omnium ſperas ſolatij aliquid, vel auxilij inuenire; ſi quæras intra te, aruit cor tuum, & obliuioni datum te reperis, tanquam mortuum à corde; ſi infra te, corpus quod corrumpitur aggrauat animam; ſi circa te, terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem; quære ergo ſupra te.* Nec tantùm afficit mentem rerum ſuperatum alta cogitatio, ſed & lenit amatorem rerum iniquarum, vt ait Iſidorus. *Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præſentis æquanimiter portat; quoniam ex illius dulcedine huius amaritudinem temperat.* Inde ſic arguo, & probo, gratiam Dei non eſſe deſidem, aut vecordem, ſed virtutibus ſociatam. Natura etſi vitiata, intellectum atque voluntatem ſemper exagitat, nec patitur inertiâ rubiginem contrahere illas principes animæ facultates: ergo gratia, quæ naturam perficit, erit energiæ etiam potioris; habet enim ſeſe adinſtar olei vrgentis totas quas inunxit.

Ex Philosophia.
Natura quid ſit.

Ex Philoſophia, delectatio perficit operationem; at maior eſt delectatio percepta è re mere ſpirituali & cæleſti, eâ quam ingerunt res phyſicæ, atque vernaculæ: ergo & actio illa citiùs exercetur, quæ ad virtutem ſpectat, vt quæ eſt ordinis ſuperioris: ſicque fiet, vt gratia virtutum principium non eas inertes relinquat. Rurſus ex Ariſtotele.

Ariſtot. l. 2. Phyſic. c. 1.

Natura, eſt principium & cauſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primò, & per ſe, & non ex accidente ineſt. Igitur quò natura potior, ita & ad motum aptior; ſed gratia naturam perficit vltra omne quod prætenditi poteſt: ergo & hominem aptum inſtruet actioni; multis autem actibus ingeruntur habitus conſoni. Vnde cùm gratia hominem ſæpiùs excitet ad bonos cogitatus & affectus; intellectus & voluntas induent habitus, quibus homo dicitur bonus: hi autem habitus ſunt virtutes ex Ariſtotele dicente.

Idem lib. 2. Ethic. cap. 6.
Ariſtot. l. 1. de cœlo text. 116.

Virtutem eſſe, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Et quia nemo dicitur bonus à potentia, ſed ab actu; liquet virtutes eſſe habitus operatiuos. Nam auctore Ariſtotele, virtus cuiuſlibet rei determinatur ad vltimum in quo res poteſt: oportet autem, vt id, in quod vnaquæque res poteſt, ſit bonum; nam malum, defectum importat. Ergo cùm bonum ſit, id quod omnia appetunt, & virtutes ferantur in bonum; fruſtra earum eſſet appetitus, ſi non reducerentur ad actum. Eamobrem Auguſtinus ait.

S. Auguſt. lib. de moribus. Eccl. c. 6.

Nemo dubitabit quòd virtus animam facit optimam. Quis igitur ex præfatis, ibit inficias, animæ caſtellum armaturâ omnimodâ præpollere.

Nota myſterium inſigne in eo quòd duæ tantùm ſorores inibi fuerunt, ſcilicet in caſtello illo, quod ſubiit Ieſus. Nam virtutes omnes hominis incolæ, ad duo tantùm capita referuntur, eâ diſtributione, quâ ſunt ab Ariſtotele diſpertitæ: ait enim ille, virtutes omnes eſſe vel intellectuales, vel morales, id eſt pertinere ad intellectum, aut ad voluntatem; ideóque dico, germanas eſſe virtutes omnes, vt eâdem matre ſatas, ab eâdem ſcilicet excoltas animâ, & inſitas duabus potentiis, quæ ſunt ſororum inſtar.

Ariſtot. l. 2. Ethic. c. 1.
Virtutes ſunt intellectuales vel morales.

In hoc autem diſſitæ ſunt virtutes, quòd quædam ſunt, quæ perficiunt quidem potentiam, ſed non dant bonum vſum talis habitus, vt virtutes intellectuales; videlicet, intellectus, ſapientia, & ſcientia; quæ ſunt merè ſpeculatiuæ, intellectum quidem perficiunt in ordine ad verum, ſed non inclinant intellectum ad bonum vſum illorum habituum, vt liquet in diabolo, qui ſpiritus eſt ſcientiſſimus, ſuâ tamen ſcientiâ ad meliora non inclinat. Morales verò habitus contrà, hominem inclinant ad bonum, quia potentiæ appetitiuæ proprium eſt hominem inflectere; & ſic non modò ſuam potentiam perficiunt, ſed & adiiciunt bonum vſum: nam verbi gratia charitas, non ſolùm voluntatem dirigit in bonum, ſed & præſtat bonum vſum.

Ariſtot. l. 6. Ethic. c. 3.

Rurſus habitus intellectuales, alij ſpeculatiui tantùm, alij practici. Primi ordinis tres tantùm aſſignat Philoſophus, ſapientiam, ſcientiam, & intellectum: principia per ſe nota fiunt palam animæ habitu intellectus; ea, quæ cauſarum indaginem mediocrem petunt, à ſcientia cognoſcuntur. Sed res quarum notitia vt abdita, eſt penes altum ſcrutinium; eæ, inquam, habitu ſapientiæ tantùm innoteſcunt. Quippe ex Philoſopho. *Sapientia eſt cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas.* Habitus practici intellectuales duo ſunt, ſcilicet ars, & prudentia, quæ diſtinguuntur realiter ab eodẽ Stagyrita. Inuenitur enim diuerſa ratio virtutis in arte, & in prudentia.

Idem lib. 1. Metaph. c. 1. lib. 6. Ethic. c. 5.

Ars quid ſit.

Ars eſt recta ratio aliquorum faciendorum, quorum tamen bonum conſiſtit in eo, quòd appetitus humanus benè ſe habeat, ſed in eo tantùm, vt opus quod fit, ſit bonum: non enim pertinet ad laudem artificis, in quantum artifex eſt, quâ voluntate opus faciat; ſed tantùm hoc intenditur in eo, ſcilicet, quale ſit opus quod facit: ſic ars eſt habitus ſpeculatiuus, in quantum ſpeculatur; & eſt operatiuus, quia ad praxim effunditur. Prudentia verò eſt recta ratio agibilium, vt ars recta ratio factibilium: diſſita ſunt autem agere, & facere: nam ex Ariſtotele factio eſt actus tranſiens in exteriorem materiam, ſicut ædificare. Agere autem eſt actus permanens in ipſo agente, ſicut videre, velle, & alia huiuſmodi: ſic ſe habet prudentia ad has actiones humanas, quæ ſunt vſus potentiarum, & habituum, ſicut ſe habet ars ad exteriores factiones, quia vtraque eſt perfecta ratio, reſpectu illorum actuum, ad quos comparantur duo illi habitus. (Et quæſo, lector, eſto tui iuris in his ſententiis, vt virtutum indolem aucuperis.)

Prudentia quid ſit.
Ariſtot. l. 5. Metaph. textu 16.

Perfectio autem, & rectitudo rationis in ſpeculatiuis dependet ex principiis ex quibus ratio ſuas deducit & venatur concluſiones. Verbi gratia ſcientia omnis dependet ab intellectu, non vt intellectus dicit potentiam animæ à voluntate diſcretam, ſed vt

ſupponit

ſupponit pro habitu, quo prima principia ſeſe produnt ea perſcrutanti; & hic habitus primorum principiorum præuius eſt omni ſcientiæ: nulla enim ſcientia probat ſua principia, nec eſt diſputandũ contra negantem prima principia. *In humanis autem actibus*, ex Ariſtotele, *ſe habent fines, ſicut principia in ſpeculatiuis.* Ideóque ad prudentiam quæ eſt recta ratio agibilium, requiritur in homine optima diſpoſitio circa fines; ea autem eſt mediante appetitu recto: idcirco ad prudentiam moralis virtus deſideratur, quà appetitus bellè & ingenuè dirigatur. Aſt bonum arte-factorum, nun eſt bonum appetitus humani, ſed bonum rerum, quas ars expoliuit: nec ars præſupponit appetitum rectum; peritus enim artifex & optimus poteſt eſſe peſſimus in genere morum, quia bonitas artis non eſt in artifice, ſed extra, ſcilicet in re facta. Igitur ars non eſt virtus moralis perficiens hominem, vt vitia expungat, ſed eſt virtus illuminans intellectum, in ordine ad factibilia, prudentia verò ſecus, eſt virtus moralis, quæ appetitum a vitiis exigit alienum, & eſt virtus omnino neceſſaria: nam ad benè operandum non ſufficit, vt quis bona depromat, & egerat, ſed intereſt, quomodo bona fiant, ſcilicet ex recta electione, non autem ex impetu, aut aliqua paſſione quatiente hominem. Cùm verò electio ſit eorum, quæ ſunt ad finem; rectitudo electionis duo requirit, ſcilicet debitum finem, & id quod congruè ordinatur ad debitum finem: ad debitum autem finem homo congruè diſponitur per virtutem, quæ perficit partem appetitiuam animæ, cuius obiectum eſt bonum, & finis: ad id autem, quod idoneè dirigitur in debitum finem, debet homo diſponi per habitum rationis; quia capere conſilium, & eligere media, quæ conducunt ad optimum finem, ſunt actus rationis, & ideò neceſſe eſt in ratione eſſe virtutem aliquam intellectualem, per quam perficiatur ratio, ad hoc vt non ineptè ſe habeat ad ea, quæ ſunt ad finem; & hæc virtus prudentia nuncupatur.

Ariſtot. l. 7. Ethic. c. 8. Finis eſt in actibus humanis, vt principia in ſpeculatiuis.

Electionis rectitudo quid requirat.

Martha erat occupata circa plurima; & virtutes morales nos & hic plurimum occupant: ſunt enim plurium feraces actuum; quodque benè quadrat, legitur Maria fuiſſe ſoror Marthæ, vt cum lauit pedes Domini lacrymarum imbre, ſed nunquam Martha ſeorſum ſine Maria Deo legitur adſtitiſſe: ita etiam virtutes aliquæ intellectuales poſſunt eſſe ſine moralibus; nam ſcientia poteſt eſſe ſine iuſtitia, coïreque poteſt in homine cum omni vitiorum colluuie, vt videre eſt in Iuliano, Auguſto, Porphyrio, & aliis, quos ſcientia inſignes vitia deformarunt. Sed Martha nequit eſſe ſine Maria, id eſt virtutes morales nequeunt inſciâ Mariâ conſtare ſibi, ſeu non poſſunt ſubſiſtere ſine aliqua virtute, intellectus, vt ſine intellectu, & prudentia. Nam moralis virtus, eſt habitus electiuus, id eſt hominem idoneum faciens ad conſona quæque eligenda: ad hoc autem vt electio congrua ſit, duo requiruntur. Primò vt ſit debita intentio finis, nimirum à fine ſuam bonitatem aut lethale virus actiones hominum emendicant: bonus autem finis intenditur, virtute morali moderante appetitum, & eum inclinante ad bonum congruum. Secundò requiritur, vt homo rectè accipiat ea quæ ſunt ad finem: & hoc fit per rationem rectè conſiliantem, iudicantem & præcipientem, vt loquitur S. Thomas. Sed iudicare, præcipere, & eligere, actiones ſunt rationis, atque prudentiæ, quâ inuitâ, anima eſt neſcia virtutis.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſtot. l. 6. Ethic. c. vlt.* Virtus moralis habitus eſt electiuus.

S. Thom. 1. 2. q. 58. art. 4.

Rurſus abſque intellecto non eſt virtus moralis; ſiquidem intellectus eſt habitus primorum principiorum, quæ naturaliter patent, tam in ſpeculatiuis, quàm practicis. Vnde ſicut recta ratio in ſpeculatiuis, in quantum procedit ex principiis naturaliter cognitis, præſupponit intellectum principiorum; ita etiam prudentia, quæ eſt recta ratio agibilium, intellectum præuium requirit. Quomodo enim prudentia media eligeret idonea, ſi intellectu inſcio cæcutiret. Eſt igitur nexus hic indiuiduus virtutum, vt prudentia quæ eſt virtus intellectualis, nequeat eſſe ſine morali virtute, quia prudentia dicit propoſitionem appetitus, in debitum finem: debitus autem finis eſt quid bonum, ad quod inclinari, eſt proprium appetitiuæ facultatis, & virtutis moralis: & alternante vice, nulla moralium virtutum poteſt eſſe ſine prudentia; quia cùm moralis virtus ſit talis à fine, à quo ſpecificatur talis, indiget prudentia, vt electione præambula mediorum poſſit in hunc finem optimè deuenire.

Prudentiæ natura declaratur.

Sic duarum ſororum animus concors atque indiuiduus, in eodem animæ caſtello liquet cùm virtutes in duas diſſitæ propagines, intellectuales ſcilicet, & morales, in eodem tamen ſuppoſito coaleſcunt: videlicet vna eadémque anima, gratiâ Dei conſpicua, dum vitæ actiuæ, & ſpeculatiuæ eſt intenta, Mariæ & Marthæ ſororum dotes & gratias ſatagit æmulari, tuncque in eâ animâ eſt omnis armatura fortium. Cùm cernitur agmine ſtipato virtutum omnium, quarum præſidio & præſentia Chriſti, qui ſubit hoc caſtellum, & medius aſtat in virtutum acie, intrepidè ſuſtinet auſus omnes Dæmonis inſurgentis. Quid enim obſtare queat ei, qui Dei præſentia ſultus, omni virtutum cuneo cingitur, ſine quo Chriſtus non accedit, nec ſuccedit in animas, quas exornat.

Iuſtinianus Imperator ait, Principem coronâ nobilium illuſtrem eſſe; & fieri ſolenne, quod eo præſente ratum eſt. Sic habet Ius Ciuile. *Omnium teſtamentorum ſolemnitatem ſuperare videtur, quod inſertum merá fide, inter tot nobiles, probatáſque perſonas, etiam conſcientiam Principis tenet.* Chriſtus non eſt ſolitarius in animæ caſtello, ſed cum eo eſt magna frequentia, & corona virtutum, in quarum conſeſſu, anima ſeſe totam Dei obſequio conſecrauit. Ea deuotio Chriſti famulatui, quam profeſſa eſt anima, inter tot nobiles teſtes, ſcilicet gratias, & virtutes comites, & ſocias Chriſti omniuoi teſtamentorum fidem ſuperat: nec eſt quòd anima in poſterum timida vereatur: nam ex eodem Iure. *Princeps vbi eſt, ibi eſt ſecuritas, & ideo in curia Principis ceſſat præſumptio iuſti timoris.* Eamobrem Gabriel Angelus, Mariæ ait. *Ne timeas Maria, quia inuenisti gratiam.* Id eſt, gratia innenta adeſt, & Chriſtus, & vbi Princeps eſt, ibi eſt ſecuritas.

EX IVRE CIVILI. *Lege omnium codice de teſtament. L. prima codice de his qui propter metum Iudicis.* Gratia facit ſecuros.

Ex SS. Patribus.
S. Chryſol. ſerm. 145.
Gratia Dei timorem pellit.

Ad hoc alluſit Sanctus Chryſologus. *Ne timeas Maria, quare? quia inueniſti gratiam: timet non qui inuenit, ſed qui perdit.* Rurſus. *Timor non eſt, vbi diuinum eſt negotium, non humanum; quid timet qua ſuſcepit eum, quem timent omnia quæ timentur.* Et nota, Chryſologum benè nuncupare gratiam, negotium diuinum, non humanum. Negotium dicitur, quaſi negans otium: nam etſi pax ſit virtuti innata; non tamen ea à laboribus vacat, ſed vt Martha, & Maria; ita reciprocante negotio vices ſuas cum otio, virtus mox in oratione ſedet, & quieſcit, aliàs ærumnis, aut aliis actibus exercetur, vt compendioſè ait Bernardus. *Virtus in pace acquiritur, in preſſura probatur, in victoria approbatur.* Vides, pacem eſſe incunabula virtutis, quæ adoleſcit in preſſuris, atque moleſtiis. Et demum in agone glorioſo laureolis obumbratur. Iſta Mariæ & Marthæ hiſtoria totam eorum hominum, qui ſunt in gratia ſeriem complectitur. Martha erat virgo, & notat animas, quæ à gratiâ Dei minime defecerunt. Maria plorans, animas notat, quas memoria criminum alluit profluuio lacrymarum: & dicere auſim, intenſiorem eſſe gratiam pœnitentium ſeriò, eâ multorum hominum, qui à ſua lenta & tepente gratia nequaquam exciderunt. Hoc in Magdalena liquet; hoc & in Lazaro claret, qui eſt figura peccatoris. Ad mortuum & fœtentem accedit Chriſtus; lacrymatur, vt reducem aſtantibus ſiſtat; edita voce compellat extinctum, vt faciat rediuiuum; ſoluit ab inſtitis, quibus antea præpeditus iacebat in ſanie, demum aduocat ad menſam ſuam, vbi multis ſatia fuit cernere diſcumbentem.

S. Bernard. ſerm. 58. in Cantica.
Virtus vbi acquiratur, probetur & approbetur.

Ex Ivre Canonico.
Can. quantumlib. de Pœnit. d. 1.
Pœnitentia reſuſcitat animas ad inſtar Lazari.
S. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 17.
Can. ſunt qui § Renuntiandum de pœnit. d. 2.

Iure Canonico ea narratio typus eſt animæ pœnitentis: ſic enim habet Canon. *Quantumlibet ergo mortui fœtor, aboletur omnis, vbi ſacrum redoleuerit vnguentum, & ſurgit defunctus, & ſolui iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato eſt, tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ, quam acceperat, obumbrabat. Sed quia venia donatus eſt, reuelare faciem, aperire vultum iubetur: non habet enim quod erubeſcat, cui peccatum dimiſſum eſt. Ieſus non reuocat beneficia, imò cumulo ſua liberalitatis amplificat, reuiſit ſollicitè ſuſcitatum, & celebrat a reſurrectione gratia, lætus ad cœnam venit, quam ei præparauit Eccleſia, in qua ille qui fuerat mortuus, vnus inter diſcumbentes cum Chriſto inuenitur.* Vbi autem gratiam induerit pœnitens, illic adſunt Martha & Maria, id eſt gemitus atque ſuſpiria, cum aliarum virtutum praxi iocundante. Hoc monet & hic Canon. *Renuntiandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum, quàm natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus eſt orationibus, viuendum ita, vt in tali vita huic moriatur vſui, ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur.* Leo Papa idipſum ingerit hoc Canone. *Aliud quidem eſt debita iuſtè repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere, ſed illicitorum veniam poſtulantem, oportet à multis etiam licitis abſtinere.* Hæc abſtinentia à licitis & in virtutum praxi calens animus proximis duabus hiſtoriis emicabunt. Demus primas Regi Boleſlao; qui enim ſe detecit pœnitens, eò debet altiùs honorari.

Can. Aliud de pœnit. d. 1.
S. Leo ep. 90.
Pœnitentis vita qualis eſſe debeat.

Ex Hiſtoria.
Cromerus l. 5. Hiſtoria.
Pœnitentia Regis Boleſlai ob fratrē occiſum.

Impiè occidit fratrem ſuum Boleſlaus; ſed hoc nefas auctorem ſuum adeò dirè habuit, vt de expiando crimine ſeriò cogitarit. Primò Quadrageſimam totam egit vllo impaſtus obſonio, aqua dumtaxat & pane ſuam leuans inediam. Corpore ſic mactato, animum efferens ad ſuperna, iugi oratione Deum demeruit: larga ſuarum etiam facultatum profuſione in pauperes, & in Eccleſias ſibi ea cautione prouidit ſui ſceleris aduocatos. Nec hic ſtetit eius inquies animus, quem gratia Dei feruide percellebat: quippe Rex morarum impatiens, anhelans ad maiora, voto inito peregrinandi, multas Sanctorum reliquias inuiſit, & ea pietate pedes totam ferè Galliam, Narbonenſem, & Hungariam, raro ſtipatus comite peragrauit.

O typum vtiquequaque integrum pœnitentiæ omnigenæ! quæ fieri debet ſatis illis omnibus, quibus peccatum obfuit. Deo ſatisfecit multa oratione, ad quam ſe accinxit inediâ, quæ quantùm corpori adimit, tantùm & ſpiritui adiicit. Lacrymis maculas crimine contractas abunde terſit, eleemoſynis, ſi quid male fuit partum, illicò reſtituit: ſcandalo autem, quod orbis pene totus homicidio conceperat, occurrit pedeſtri peregrinatione, in qua eumdem fratricidam exhibuit toti Eccleſiæ pœnitentem. In ieiuniis, precibus, eleemoſynis, vide virtutum nexum, & demum in vario itinere emenſo, feruidam quæſo indolem gratiæ demirare, & videbis germanam Mariam & Martham, id eſt, virtutes omnes intellectuales & morales in hoc homine ſua diluente piacula fuiſſe egregiè adumbratas.

Pœnitentia Pelagiæ.
Marullus l. 4. c. 10.
Sabellicus l. 5. c. 5.
Fulgoſius l. 6. c. 9.

Alium pœnitendi ritum iniit Pelagia, fœmina famoſa libidine ſua, & opibus, quas obſcœnis artibus amplas congeſſerat: hæc conuerſa prædicatione Nonij Epiſcopi ſanctiſſimi, effuſa in lacrymas, nefarium vitæ ſuæ ſchema commemorans, totum actuum ſuorum contextum aperuit; mox confeſſa ſe non Pelagiam, ſed Pelagus fuiſſe vitiorum, ſeruos & ancillas manumiſit, opes pauperibus diſtribuit, ad apicem ſe montis Oliueti contulit, vbi in ſeceſſu, ementito ſexu, & veſte mutata, virum ſimulauit vocataque eſt Pelagius: in eàque virtutum palæſtra initiata, profeſſa eſt inibi magiſterium omnigenæ ſanctitatis. Hæc hiſtoria patiens anatomen, explicat alium a ſuperiore typum pœnitendi qui tamen eodem collimat. Primò Pelagia conuerſa eſt prædicatione Nonij. Etenim non fit anima redux, ſola ſponte ſua, ſed Deo etiam illucente. Gratia ei affulgente, totam ſe lacrymis alluit, antequam obiret munia confitentis: nam cognitio ſeu examen & contritio noxæ, confeſſioni præire debent, quâ peractâ, ſeruos & ancillas manumittat anima, priſcos exoſa ritus, id eſt, omnia abdicet, quæ peccatis ſuis antea præſtiterant obſequio ſuo famulatum.

Ita & Magdalena comam ſuam, veſtes, & alabaſtrum, quaſi manumiſit, cùm res eas omnes ſpreuit ſibi hactenus ancillantes. Rurſus male parta dedit pauperibus, & hoc neceſſarium munus animæ crimini defungentis. Aſcendit montem Oliueti, figuram miſericordiæ, quam oleum veluti Symbolo delineat:

ſiquidem

ſiquidem anima, quam pœnitet, ad miſericordiæ Dei apicem multa virtutum congerie effertur & traoſcendit: omnes enim virtutum niſus atque conamina, ſunt auſus & aſcenſus animæ, Dei miſericordiam inſectantis, Demum Pelagia ſexum ſuum ementitur & veſtem habitu maſculo, vultque vocari Pelagius degens in receſſu. Et hæc ſumma animæ reduc is ad gratiam; ea nempe vbi exuit animum muliebrem, quem fregerant in mollitiem voluptatis illecebræ, debet viriles ſpiritus induere, & abdicato omni impio conſortio dumtaxat ardua cogitare. Siquidem Spiritus Dei vbi quempiam acceperit, eum euehit ad excelſa, magnos ingerit motus, quibus corpora concitantur.

Ex re Medica.
Galen. l. artis parua 77.
Fernel. Physiologia l. 9. c. 18.

Res medica idipſum aſtruit, cùm ex Galeno naturam integram ex opere pronunciat. Sic enim Galenus. *Natura opifex, medicus verò miniſter.* Et Fernelius ſcire probat, motum cieri à ſpiritu è capite in neruos & muſculos deriuato. Sic ille. *Senſuum inſtrumenta, neruique omnes, & muſculi ſpirituum, virtumque animalium continenti illapſu, & aſpiratione firmantur, ſimulque ſtabilimen & præparationem quamdam, ad obeunda munia, aſſumunt, hoc certè argumento, quo præpeditus & obſtructione quadam intercepris viis, velut in paralyſi, non modo ſentiendi, aut mouendi ſpes adimitur, ſed omni prorſus robore diſſoluto langueſcunt: dum verò accepto ſpiritu, omnia ſuo robore conſtabunt benè inſtructa & compoſita erunt ad opus, & tum integrè ſuas functiones obibunt.* Hæc ille; doctè adiiciens, etſi ſpiritibus mouendi inſit energia, eos tamen requirere obſequium muſculorum & neruorum. Ita etſi Spiritus Sanctus influat in animam gratiâ Dei prævalidam; animæ tamen neruos depoſcit, ſcilicet virtutes, quarum actus emergentes vt muſculi, animam euehunt ad ſuperna.

Sēſuum miniſtri ſunt nerui.

Ex Symbolis.
Lubrus l. numiſmatū.

Itaque velim omnibus inſidere Symbolum Philippi Regis Hiſpani, quo innuit eam rationem, quâ via parauit ad regnum Deceſſerat Luſitaniæ Rex nullo derelicto hærede regni: litigabant multi ſpe concepta regni; ſed Hiſpanus exercitu numeroſo conſcripto, ius ſuum fecit in primis, ſibique regnum hoc ſubiecit agmine præpollente. Dein numiſma cudit præferens hominem cataphractum, ſuâ haſta coronam auream præferentem, hoc titulo. Qui volat. Quaſi diceret; multi de corona Luſitana cogitant, illa ſolùm manet, quos reperit cataphractos. Ecce ea proſtat, armis & ſanguine demerenda. Qui volet. Si quis cupidus eſt regni, de pugna cogitet. Hoc præfatus fuerat & Paulus *Qui certat in agone, non coronabitur niſi legitimè certauerit.* Et eò alludens Gregorius, ſuum calculum affert. *Ad hæc audita inardeſcit animus, iamque illic cupit aſſiſtere, vbi ſe ſperat ſine fine gaudere, ſed ad magna præmia peruenire non poteſt, niſi per magnos labores: delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.*

2. Timot. 2.
S. Greg. ho. 37. in Euan.

Huic certamini nos fore idoneos, ait Paulus, ſi vni Deo tantùm inſiſtamus, terrenis omnibus abdicatis. Sic ille *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit.* Nam eſto Dei ſimus, & inhabitet corda noſtra; ſi tamen vacemus à virtute, in diſcrimen illius incurremus, qui in fronte aperta & edita domus ſuæ, aureo charactere hæc verba inſcripſerat. Si Deus pro nobis, Quis contra nos? Is, inquam, incautæ obuius vaccæ ſæuienti, ab ea occiſus eſt. Vnde quiſpiam titulo domus adiecit. Vacca Quaſi reſpondens quæſtioni. Id eſt petis, Deo nos protegente quis poſſit nobis obeſſe? Reſpondeo, vaccam poſſe eludere Dei præſidium. quod ita nobis eſt præſtò, vt velit etiam nos nobiſmetipſis conſulere, ne aliquod infauſtum opprimat inconſultos.

Ex Hiſtoria.
S. Ambroſ. l. ſymbolorum.

Voluptuoſa vita meretrix eſt cuius miſeriæ deſcribuntur.

Ex SS. Patribus.
S. Ioannes S. Chryſoſt. ſerm. 30. quod nemo læditur niſi à ſeipſo.

Cautior igitur fias hac hiſtoriâ: nam etſi hæc ſectio clamet, animam Deo gratam, eſſe caſtellum, e quo mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, licet illic Deus præſideat, caue tibi à vacca, ſcilicet à carne tua, & à voluptate, quæ meretricio habitu animas incurias ſibi deprædatur, vt luget Sanctus Chryſoſtomus hoc tenore. *Meretricem appello hanc vitam, quæ in deliciis & voluptatibus transfigitur, & eam quidem turpiſſimam, cuius facies fœda, & horrida, aſpera, amara, crudelis: & licet tam turpis vultus eius, & fœdus; tamen multos decipit, cùm videant apud eam omnia cruenta periculis, mortibus, inſidiis, inuidiâ, tormentis plena, cúmque eam ſtipari videant peſſimis ſodalibus, contumeliis, infamia, curis pernicioſis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis infauſtis conſortibus, velut anguium corona circundari; fructum verò in his nullum niſi interitum eſſe perniciem, pœnamque perpetuam, patitur tamen à pluribus amabilis, & exoptabilis haberi. Tanta eſt eorum ſtoliditas, qui decipiuntur, vt cùm eos ratio nulla ex hoc interitu reuocet, ne euidentia quidem indeſinenter pereuntium exempla deterrreant.* Hæc Sanctus, perpetuus oſor voluptatis, appoſitè ad vaccam illam, quæ hominem perdidit, ſibi de Dei præſidio blandientem. Igitur vaccæ illi, ſcilicet voluptati, ne fias obuius; cornu ferit illa, caueto; ſed habe tibi vernaculam virtutum praxim, ne æuecordiâ peſſum eas: iuxta hoc meum effatum.

Homo, cuius anima non agit, animam agit.

DE NECESSITATE VNIONIS animæ cum Deo.

In hæc verba:

Porro vnum neceſſarium eſt.

Sectio Tertia.

Ex Philoſophia.
Ariſt. l. 10. Ethic. c. 7. & 8.
Finis hominis eſt perfectio eius.

Illud alicui ex Philoſophia neceſſarium eſt, ſine quo finem ſuum nequit adipiſci. Ergo cùm ex Ariſtotele finis hominis ſit eius perfectio & beatitudo in vnione ſita cum ſupremo intelligibili; illa vnio erit homini neceſſaria, ſi nolit à fine ſuo illo optimo deuiare. Quod vt liqueat, audi Philoſophum diſputantem. Nomine beatitudinis intelligitur vltima perfectio rationalis ſeu intellectualis naturæ: nequit autē perfici intellectualis natura, niſi ſecundùm id, quo eſt natura intellectualis: at non eſt primò & præcisè natura intellectualis à voluntate, ſed ab intellectu: nam voluntatis partes & munia non ſunt, intelligere: at intellectus

perficitur ab intelligibili ſupremo intellectu, quantum ab anima poteſt intelligi, ſiquidem potentiæ perficiuntur ab obiecto. Potiſſimum autem obiectum intellectus eſt Deus verus, à quo & cuius veritate, vera omnia habent vt ſint quibus veritas inſit. Optimè Ariſtoteles beatitudinem illam ſuam, naturæ confinio debitam, aſſignat ſapientiæ, quam ait eſſe cognitionem rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas.

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2.

Theologia potiore lumine illuſtrata, ad Deum alia vnione tranſcendit, quâ beatur anima. Hæc vnio eſt, quam Dominus ipſe extollit titulo ſectionis; ea nempe, qua Maria Magdalena effuſa in orationem, eorum, quæ circum agebat Martha, nihil pœnitus attendebat. Hæc vnio alia planè eſt ab ea, quam Philoſophus extullit: etenim illa intellectione homo non fit melior, vt videre eſt in Diabolo, qui multa de Deo nouit ad mulctam potius ſuam, atque perniciem; ſed oratio eſt actus rationis practicæ, quæ eſt cauſa alicuius editionis in rerum natura: nam ex Caſſiodoro. *Oratio eſt quaſi oris ratio.* Ex Ariſtotele autem. *Optima deprecatio ratio* Vnde cùm oratio Deo animam vniens, ei ſua deliquia explicans, petit ea reparari, cauſa eſt diſpoſitiua ſaltem gratiæ, quam Deus impertitur. Rurſus illa vnio ſecum vehit duas principes virtutes, fidem ſcilicet, atque charitatem, vt probat Angelicus Thomas. Fidem, qua Deo ſiſtitur, quem præſentem apprehendit, & omnipotentem, & miſericordem. Idem charitatem exigit, iuxta illud Pſaltis. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Hinc duo ſunt effectus potiſſimi orationis; ſcilicet mereri, & impetrare: habet meritum à charitate, & vim impetrandi à fide mutuatur. Eius autem neceſſitas petitur primò ex præcepto Chriſti. *Oportet ſemper orare, & non deficere.*

Oratio quid ſit. — *Pſal. 65.* — *Luc. 18.*

Rurſus ex Dei prouidentia, non diſponuntur tantùm effectus, qui ſunt futuri; ſed eadem prouidentia reſpicit, & à quibus cauſis, & quomodo talia ſunt ventura. Inter alias autem cauſas, ſunt etiam rerum quarumdam cauſæ actus humani: ideóque neceſſe eſt homines aliqua agere, non eo fine vt vim faciant ordinationi diuinæ, ſed vt per ſuos actus impleant quoſdam effectus iuxta ordinem à Deo decretum. In illis actibus potiſſimum locum tenet oratio, quæ non fit vt immutetur ordo à Deo præſtitutus, vt docet S. Thomas; ſed vt impetremus illud, quod Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum eſſe implendum, vt ſcilicet homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus ante ſæcula diſpoſuit elargiri.

Oratio à Deo inſtituta vt conducens ad prædeſtinationis effectum. *S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2.*

Ex Historia. *S. Auguſtin. ſermone de Sancto Stephano. S. Fulgent. ſermone de Sancto Stephano. S. Auguſtin. l. 2. Cōfeſſion.*

Potuit reuerà Deus, Paulum inſciis hominibus efficere vas admirabile opus Excelſi; noluit tamen, ſed orationi Protomartyris in ſummo agone poſiti, dedit huius neophyti ſoſpitatem, vt aſſerit Auguſtinus. *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Cui ſubſcribit Fulgentius. *Charitatis virtute ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem: & quem habuit in terra perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem.* Annon Auguſtinus Monicæ matris oratione ſuperſtes extitit: audierat ea à ſancto viro: Fieri non poteſt vt filius iſtarum lacrymarum pereat.

Nonne & in Regem Perſarum præualuit oratio Iacobi Epiſcopi, quo orante tela cælitus emiſſa ſunt in acies Saporis Regis, qui Niſibim obſidebat. Oratio ſanè ſpicula vibrat in Dæmones, hoſteſque viſibiles, ſi fas ſit ad ſalutem. Sed quæ hiſtoria luculentior eâ, qua Aurelius Antonius Imperator liberatus eſt in Germania ab innumeris hoſtibus, qui eius acie circumacta internecionem cogitabant: præter hoc diſcrimen exercitus Romanus laborabat aquarum inopia, & eamobrem bicipiti morte erat pereundum. Iuſſit Aurelius fundi preces Diis ſuis: caſſa fuere ſacra, hoſte ſcilicet inualeſcente; ſed vbi legio Chriſtiana ſe accinxit ad fundendas preces: Ecce cæli effuſa nube fluidi facti Romanis largo profluuio, quo ſitim ſuam copiosè milites & beſtiæ diluerunt. Sed, ô prodigium! Iidem cæli propitij Romanis, iniquiores hoſtibus, eorum acies grandine & fulmine contriuerunt. Dictaque eſt hæc Chriſtianorum legio fulminatrix. Et hinc ab eo Imperatore facta copia Chriſtianis, palàm & impunè ſua Chriſto obſequia profiteri.

Nicephor. l. 9. Eccleſiaſt. Hiſtoria cap. 28. Oroſius l. 7. c. 15. & Nicephorus. l. 4. Eccleſ. Hiſtoria cap. 12.

Ex SS. Patribus. *S. Gregorius l. 1. Dialog. c. 8. S. Auguſtin. de Eccleſ. dogmatibus. c. 56.*

Viget & hodie ea vis orationis: nobis enim demeretur imbrem gratiarum, & hoſtibus interitum, hæc autem induſtria oratio promeruit, quia Deus ante ſæcula diſpoſuit ea dare, quæ oratio depoſcebat, vt benè aduertit Gregorius. *Ea quæ ſancti viri efficiunt orando, ita ſunt prædeſtinata: vt precibus obtineantur.* Ergo fuit illa vna oratio neceſſaria, vt & Auguſtinus aſſentitur. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante venire, nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante operari, nullum niſi orantem auxilium promereri.*

Ex Iure Civili. *Lege omnia, §. Seruos ff. de officio præfecti vrbis.* Statuæ Imperatorum ſalutares. Oratio ſit cum reuerentia.

Promeritam olim indulgentiam ad ſtatuas Imperatorum ſubindicat Ius Ciuile; quando ſeruos vim dominorum declinantes, & confugientes ad ſtatuas, facit iuris eius qui eo tempore præfectus erat vrbi. Sic enim fatur Imperator legis oraculo, *Seruos qui ad ſtatuas confugerint, vt manu-mittantur de dominis querentes audies.* Potuit Imperator ſeruis alio modo prouidere; ſed ſtatuit præ cæteris ritibus alius pronum ad ſtatuas obſequium. Ita & Deus oratione voluit homini ſubuenire, dum ea humilis ſit, & in modum Mariæ Magdalenæ poſitæ ad pedes Chriſti, aut ad inſtar Chananææ, quæ ſe canem profeſſa, Dei animum inclinauit

Ex Mathematica. *Clauius l. 1. in ſphæram. Eratoſthenes lib. in Arati Phænomena*

Et hìc occurrit Mathematica, non ineptè tres orationis partes explicans, ſcilicet vnionem animæ cum Deo, humilitatem, & efficaciam. Nam ex Clauio & vetuſtioribus Eraſtothene & Arato, ſignum illud cæleſte, cui nomen Canis, eſt in Cancro prope Leonem, & in ore Canis eſt ſtella omnibus aliis ſplendidior. Ita & anima, quæ ſe humilem, & canem clamat, orationi maximè idonea eſt, vtpote quæ ſit prope Leonem, id eſt attentione ſuâ vnita Chriſto Domino, quem Ioannes vocat Leonem de tribu Iuda: in ore Canis, eſt ſtella lucida, quæ calores excitat intenſos, quorum æſtu caniculari dies excitantur. Ita & in ore hominis humilis eſt oratio quæ refulget oculis cæleſtibus, & terrenis.

Ex SS. Patribus. *S. Auguſt. ſer. 226. de tempore.*

Eſto igitur, homo, iuxta Leonem, id eſt, Deo vnite: nam hoc monent Sancti; & in his Auguſtinus. *Quid eſt oratio, niſi aſcenſio animæ*

anima de terreſtribus ad cæleſtia inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium. Vis iuxta Leonem adhæſionem Canis, accipe ex Bernardo. *Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio.* Indolem Canis in humilitate ſuadet & idem Sanctus, *Quanta cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate debet accedere, à palude ſua procedens ranuncula.* Deniqoe caue ne ouſteot oculi, dum ſidus orationis irradians, ſuos fulgores ſpargit, eodem mox laudato auctore. *Oratio eſt ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet.* Vis feruotem æſtos, quo dies incandeſcunt vigente Cane; audi Gregorium, & protinus iocaleſces. Sic ille. *Virtus vera orationis eſt celſitudo Charitatis.* Quaſi diceret, orationem inorere Charitatem, id eſt animam deoouere flammis vſquequaque.

S. Bernard. Epiſt. de vita ſolitaria. Idem ſerm. de quatuor modis orandi. Idem epiſt. de vita ſolitaria. S. Gregorius homil. 27. in Euang.

Et quod maximè propoſito meo quadrat, Camerarius aſſertor eſt rei mirabilis: ait etenim oriente ea ſtellâ, quæ rotilat iu ore Canis, lupos ioſtabiles fugâ ſibi conſulere, ſideris influxum minime patientes: vnde ille Symbolum hoc texuit. Pinxit lupum eo ſidere deſuper emicante, hoc titulo. HOC ORIENTE FVGOR. Ego ntationi vt figoratur eâ ſtellâ præfulgida, affingo & aſſioe Symbolum, pingens Dæmonem ad ſideris huius ortum illico ſecedentem, eo etiam lemmate inuſto Angelo deſertori. HOC ORIENTE FVGOR. Ait enim Chriſtus eſſe genus Dæmoniorum, quod non eiicitur niſi in oratione.

EX SYMBOLIS. *Camerarius Centuria Quadrupedū.* EX RE MEO, TICA. *Fernelius Phyſiologia l. 6. cap. 8.*

Rationem fugæ accipe, ex eo quòd Spiritus Dei, & Diaboli non coëunt; hinc animâ in oratione ebibente Dei Spiritum, alius ſpiritus nequam deorſum euaneſcit. Liceat mihi mutuò accipere à medicis theorema congruum argumento, quod decurro de Spiritu Dei, quem concipit oratio. Ex Fernelio, ſpiritus vitalis cordis dum ſurſum euehitur ad caput, fit animalis, nouumque induit gradum, quo corpori toti dat & ſentire & moueri: ſic ille. *Cum vitalis ſpiritus in animalem conuertatur à cerebro eiuſque meningibus, nouam ſpeciem & vires nouas aſſumit, aſciſcitque ſibi quas demum tanquam actionum opifices, in neruos ſentientes, tangentes, ac mouentes ſecum prouehit. In his autem ſemper præſens adeſt, quoniam iugis illa cerebri agitatio eum aſſiduè profundit atque diſtribuit.*

Eâ etiam prædita eſt energiâ oratio; ſiquidem homo orationis œſtro percitus, ſpiritu in Deum fertur tanquam ad rerum caput & exordium: ideò Iure Canonico cautum, *Vt oratio verſus orientem fiat.* Vbi autem ſpiritus hominis ad caput hoc ſcilicet Deum deuenit, illic immutatur: & vt medici aiunt, ſpiritus capitis eſſe lucidos, ita & homo orationi intentus, lumina quædam emendicat, teſte Moyſe, cuius corulea fuit facies ex Dei colloquio, quo inſolito pigmento refulſit: & hoc ingerit iſte Canon. *Illa anima Deo pingitur quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis: illa anima benè picta eſt, in qua elucet operationis diuinæ effigies.* Ea lox expunxit omnes tenebras peccatorum, quibos homines opacantur, vt videre eſt hoc Canone ex Ambroſio deſumpto, ſicut & fuit ſuperior. *Quando Adam ſolus*

EX IVRE CANONICO. *Can. illa anima. Can. quando de pœnis. d. 2. S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 7. l. 6. epiſt. 42.*

erat, non eſt præuaricatus, quia mens eius adhærebat Deo. Et hæc adhæſio Deo, illud eſt vnum nobis neceſſarium, cuius deliquio peſſum imus.

SI DEO VNIMVR, MVNIMVR, DEO CARENS, EO IPSO CARO EST SPIRITVS EXPERS, DEVM NON EXPERTA.

QVICQVID MAGNVM eſt ſub Deo, minus eſt Beata Maria Virgine.

In hæc verba:

Maria optimam partem elegit,

SECTIO QVARTA.

TRiplicem patitur ſtatum, quo variat hæc infima rerum congeries. Etenim vnaquæque res bona eſt ab incunabolis; dum autem adoleſcit fit melior; demum tertium emenſa gradum, optima nuncupatur. Hanc vltimam rerum omnium faciem, optimam ſcilicet partem, Maria Virgo, & hæc vnica, ſibi iure merito vendicauit. Dicto fidem facit Philoſophica anatome, ſeu diſſectio boni, in vtile, delectabile, & honeſtum: ſi enim bonum appetitur vt deducat ad alium finem, dicitur vtile, vtpote tunc induens rationem medij; ſi verò fugax quæpiam illecebra ſeſe animis ingerat, dum aliqoi bonum venantur, dicitur illud bonum delectabile, eò quòd delectet, & voluptate afficiat. Tandem ſi res aliqua, ſui ergô duntaxat, & non alterius appetitur, dicitur bonum honeſtum, in quo vaga hactenus anima conquieſcit. Hæc tripartita boni diuiſio, concludit opes, aurique gazas, vt vtiles ad tergendas huius æui, quod anceps agimus, ærumnas atque iniurias ingruentes. Rurſus bonum delectabile importat omnes ſæculi corporiſque cupedias atqoe voluptates. Bonum verò honeſtum dicit, pompam & infulas, hoootum ſcilicet titolos, & gloriam, quæ fulgore ſuo non perſtrinxit oculos tantùm hominum, ſed & miſerè dementauit.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſt. naturam boni explicat l. 1. Ethic. c. 1. Diuiſionem boni probat S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6.* Boni quot ſint ſpecies.

Coit alia partitio boni in internum, & externum. Bonum internum eſt honeſtum, ſcilicet virtotes; & verè bonum ab homine appetendum, quia ab anima potiſſimum habet homo, vt talis ſit. Bonom externum, ſeu corporale, inhærens eſt, aot diſcretum: ſi inhæret, eſt ſanitas, vel voloptas: ſi verò diſſitum eſt à corpore, eſt auri copia, quâ intellige facultates. Doctorum apex Thomas, vocat ea bona, mioima, media, & magna. Minima inquit, ſunt bona fortunæ, media ſuot bona naturalia, magna ſunt habitus virtuoſi. Eorum etiam Sanctus ille, fructus tres aſſignat & diſpeſcit; ſcilicet fructum honeſtæ conuerſationis, ſacræ deuotionis, & iucundæ pietatis.

S. Thom. 1. 2. q. 35. art. 4.

In his aotem omnibus bonis, quicqoid in apicem ſurgit aut optimum ſapit, illud omne Maria fecit ſui Iuris, titulumque dominij petit, ex titulo ſectionis, cui hæ voces inuſtæ ſunt, *Maria optimam partem elegit.* Vt autem ideam habeas optimæ partis huius, accipe

ſynopſim

Mariam elegiſſe bonorũ omnium optimam partem latè probatur.

ſynopſim bononorum omnium, vt electionem Mariæ fuiſſe optimam teneas indubiè. Eſto bona ſint fortunæ facultates; earum bonus vſus eſt bonum melius, & contemptua eſt bonum optimum. Ergo Maria profeſſa altam & vltroneam inopiam in bonis fortunæ, optimam partem elegit, ſcilicet paupertatem. Eiuſdem farinæ bona ſunt, honores alternantis & iocantis fortunæ ludibria, quibus etſi ratio boni conueniat, eorum fuga eſt bonum melius; ſed bonum optimum eſt in edito faſtigio bonorum mens depreſſa, qualem Maria exhibuit profeſſa ſe ancillam, cùm Angelus eam inclytæ Dei matris titulo compellaret.

In his ergo bonis adhuc humilitate ſua Maria optimam partem elegit. In bonis naturæ, quæ ad corpus pertinent, corporis integritas, vna eſt ſanitas, alia virginitas, quæ duæ habuere ſuum culmen in Maria. Ergo optimam partem elegit. Si animam ſpectes, bona eius ſunt virtutes intellectuales, & morales, quæ eò deuenere, vt fuerit Maria miraculum, quia optimam partem elegit. Si bona gratiæ inueſtigas in Maria, plenitudo eius Angelo præcone clamat, eam optimam partem elegiſſe. Bona demum gloriæ, primâ ſectione radiabunt. Iam ex præfatis, ſingula quæque bona diluamus, vt eorum indoles optima vni Mariæ tantùm adſcribatur, optimam eius electionem omnigenâ ſcientiâ conclamante.

Ex Philosophia.
Ariſt. l. 6. Ethic. c. 5.

Philoſophia facem accendit, cuius lumine erunt pleraque peruia, quæ alioquin inuia ſine face forent. Ait hæc diſciplina rerum omnium ſedula indagatrix, prudentiam eſſe rectam rationem agibilium, quæ duo dicit, ſcilicet intellectum, & rectitudinem appetitus. Denotat hæc virtus intellectum, id eſt habitum, quo media idonea fini in notitiam deueniant inquirentis, & depoſcit appetitum rectum, ne perperam obiiciat intellectus media congrua voluntati. Inde infero argumentum, quod ſeſe effundit in claſſes omnes, & cancellos, quibus bona omnia concluduntur. Hic autem eſt diſcurſus. Qualis prudentia, talis electio: ſed Mariæ ſumma fuit prudentia; ergo & ſumma electio, quâ optimam partem elegit. Fuiſſe in Maria ſummam prudentiam liquebit, ſi facio palam, eam præſtitiſſe intellectu præfulgido, & voluntate effuſa in bonum, quæ duæ ſunt indiuiduæ partes, quibus prudentia tota coaleſcit.

Ariſt. l. 2. Metaph. c. 2. tex. 5. Idem l. 8. Phyſic. c. 3. tex. 41.

Sic igitur irrepentes tollo inficias, & explico Mariæ intellectum præfulgidum, & voluntatem amore boni percitam. Ex Ariſtotele, in agentibus per ſe & eſſentialiter ſubordinatis inferius non cauſat, niſi dependenter à ſuperiore; & cauſa prima plus influit, & efficaciùs mouet, quàm cauſa poſterior: ergo quò maior erit influxus cauſæ, nobiliorem etiam prodet effectum. Sed Maria Virgo edita eſt, quaſi feriante naturæ niſu, & Deo opifice: nam Anna parens huiuſce Virginis erat infœcunda: ergo anima edita Deo ſic auctore fuit nobilior aliis, quæ via vernacula ſuis organis infunduntur: ſicut vinum nuptiarum Cana Galilææ, melius erat eo, quod primò appoſitum fuerat. Nam illud primum erat naturæ donum, quæ botros in vinea decoxerat: aſt alterum inſcia natura editum Dei erat opus vtique perfectum. Vnde & Architriclinus, ſapore vini captus inſueti, ait ſponſo. *Tu ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* *Ioan. 2.*

Ex SS. Patribus.

Rurſus cùm anima operetur beneficio organorum, Mariæ organa, Dei manu obſtetricante compacta, fuerunt exquiſita, atque adeò emicantis fuit Mariæ intellectus, ad mediorum indaginem optimè compoſiti. Inde colligere eſt, in Virgine extitiſſe prudentiæ ſummitatem, quæ fuit miraculo, cui aliud præiuit miraculum cùm ſterilis Anna Mariam enixa eſt, miraculorum officinam: & hoc eloquenter explicat Damaſcenus. *Quid autem eſt cur Virgo mater ex ſterili orta ſit? quoniam ſcilicet oportebat, vt ad id quod ſolum ſub Sole nouum erat, ac caput miraculorum omnium, via per miracula ſterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad ſublimiora progreſſus fieret. Habeo & aliam altiorem & diuinam rationem. Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula ſtat, prodigia non ſuſtinens.* Tandem ille Sanctus, effuſus in Mariæ ortum efferendum, exclamat. *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admiranda: ſiquidem par erat, vt ad Dei incarnationem omni ſermonis facultate ſublimiorem atque indulgenter ſe demittentem iter per miracula ſterneretur.*

S. Damaſc. orat. 1. de natiuit. B. V. Mariæ.
Mariæ natiuitas incepit à prodigiis.

Ne autem ſim nimius in Mariæ officina miraculorum recenſenda, inſiſtam prælibato bonorum ordini, & ordiar à fortuna, penes quam plerique reponunt Gazas, decepti adulterino lumine rutilantis auri, fortunam venerantes vt parentem beatitudinis, iuxta illud Pſalmi. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* In his fuit Conſtantinus Paleologus, Imperator Græcus, incubans auro ſuo adeò anxiè, vt vita, & Imperio orbatus fuerit à Turca, quia noluit aperto ærario conſcribere exercitum, quo vires poſſet frangere truculenti hoſtis inſurgentis. Hinc auri cupidus Imperator, ne aurum perderet, quo ſolo ſe beandum crediderat, ſeipſum perdidit, & Græciam. Animi ſui in aurum plus æquo propenſi, conſcios habet quàm plurimos infelix hic Dynaſta: eos videlicet omnes, qui moniti hoſtes inſtare, numeroſo agmine, nolunt ſoluere loculos, vt ære effuſo parent pauperum exercitum, vtique præpotentem. Hoc quippe tantùm genere armorum, ſcilicet eleemoſynis, iiſque largis, acies infeſtæ proſternuntur, vt monuit Daniel Principem infidelem. *Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.*

Pſal. 143.
Ex Historia.
Calchondylas in Mahometo II.
Paupertatis laus.
Daniel. 4.
Ex Profanis.
Seneca ep. 2. ad Lucilium

Dei gladios vindices ſtringunt in capita noſtra, multa à nobis crimina repetita Dæmones expetunt nos vt victimas; vna ſalus eſt in opibus erogandis, quæ qui cuſtodit, ille odit animam ſuam, Philoſopho Ethnico etiam aſſertore, qui partem ſummi boni in inopia collocauit. Is eſt Seneca, cuius hæc ſunt ſenſa, digna planè homine Socratem æmulante. *Cui cum paupertate benè conuenit, diues eſt; non qui parum habet ſed qui plus cupit, pauper eſt.* Ille idem aliquid ſubolens in paupertate, tranſcendens hominum ritum, ſic Lucilium admonuit. *Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo: nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit.* Rurſus. *Si vis vacare animo; aut pauper ſis oportet, aut pauperi*

Idem Epiſt. 18. & Ep. 17. S. Hieronym. Epiſt. 13 ad Paulinam.
Paupertatis amãs Crates.

ſimilis

ſimilis. Si Seneca diſplicet, vt cuius inopia fuerit labiorum tenus, videlicet in faſtu pompaque ſermonis, accipe alium, cui Hieronymus hoc teſtimonium perhibet. *Crates ille Thebanus quondam ditiſſimus, cùm ad philoſophandum, Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit in mare, nec putauit ſe poſſe & virtutes ſimul & diuitias poſſidere.*

Ex Theologia.
S. Thom. 1. p. q. 25 art. 1.
Idem 2. 2. q. 23. art. 8.
Finis duplex bonorum actionum.

Nemo inficiatur, eos Philoſophos fuiſſe inſignes, quos expetita inopia commendauit: ſed in hac virtutum palæſtra, Maria optimam partem elegit, vt ex Theologia conſtat, cuius genius Thomas ait, duplicem eſſe hominum finem, à quo ſuam ſpeciem actiones quælibet emendicant. Alius eſt metè naturalis, quem attingere omnes poſſunt, duce ratione: ad hunc deuenere finem Philoſophi, cenſentes aurum eſſe infra hominum ſortem, atque adeò terram hanc propitio Sole decoctam, non mereri cultum, quo ei facultatum cupidi mancipantur.

Alius eſt finis naturæ inuius, ſcilicet Deus, ad quem ſola nos Charitas dirigit, & euehit, & qua inſcia, virtutes ſunt informes, quod ſic probat Theologus. In moralibus, forma actus attenditur ex parte finis præcipuè, quia principium moralium actuum, eſt voluntas, cuius obiectum habens rationem formæ, eſt finis. Aſt forma actus conſequitur formam agentis: hinc neceſſe eſt vt in moralibus, id quod dat actui ordinem ad finem, det ei & formam: ſed Charitas virtutes omnes dirigit ad vltimum rerum omnium finem Deum: ergo dat eis & formam, cùm finis det ſpeciem in moralibus: dare autem ſpeciem, eſt proprium formæ, à qua res habent vt ſint talis ſpeciei Ergo Maria, quæ Dei amore flocci fecit opes, in vſu facultatum ſuarum, optimam partem elegit.

Mariæ paupertas.

Fuiſſe Mariæ inopiam ſpontaneam colligere eſt ex claris natalibus, quibus orta à teneris vnguiculis templo addicta eſt cum nobilibus aliis tenellis virginibus. Erogaſſe autẽ in pauperes ſuas facultates, ſatis ſuperque clamat profectio illius in Bethlehem, vbi edidit puerulum Ieſum in ſtabulo, nullo præuio apparatu. Rurſus acceptos à Magis theſauros potuit aſſeruare; ſed ſtatim effudit in egenos: ita vt ipſa inde pauperior, non habuerit agnum, quem offerret, purificanda ritu Moſaico. Vnde ne deeſſet legi, obtulit par turturum, iuxta morẽ pauperum fœminarum. Faceſſat ergo gentilis inopia, neſcia Charitatis, Maria optimam partem elegit, acta Dei amore, quem ſolum æſtuans hæc anima deperiit.

Ex SS. Patribus.
S. Auguſtin. l. de documentis Eccleſiæ c. 71.

Audiendi in hoc genere Sancti Patres, quorum erit anteſignanus Auguſtinus. *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, melius pro intentione ſequendi Dominum inſimul pauperibus donare, & abſolutum ab omni ſollicitudine egere cum Chriſto.* Maria cum Chriſto rerum omnium indiga fuit; ergo in bonis fortunæ optimam partem elegit. Facultates dicuntur bona vtilia, quia ad finem aliquem conducũt homini præſtitutum. valet enim aurum ad omnia; ſed eius contemptus ad finem vltimum, videlicet regnum Dei, ſuos euehit contemptores. Ergo qui contempſit, optimam partem elegit. Rurſus auſcultandum Auguſtino.

Idem in Epiſtolam Canonicam S. Iacobi.
Paupertatis eſt gloria magna.

Magna felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni poſita eſt in paupertate, poſſidere quod cum labore acquiritur, paucorum eſt: contemnere quod cum fructu contemnas, omnium eſt. Felicitas ergo magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertate faciant pretium regni cælorum. Non ergo tibi diſpliceat paupertas tua; nihil enim ea poteſt ditius inueniri: vis ſcire quàm locuples ſit paupertas, cælum emit.

Paupertas cœlum emit.

Auguſtino ſuppar Ambroſius, hæc eructat. *Iuſtus vir qui hîc eguerit, illic abundabit; & qui hîc laborem tolerauerit, illic conſolationem habebit: qui autem hîc receperit bona, illic mercedem eorum ſperare non poterit.* Rationem lucidam affert meriti huius virtutis Chryſoſtomus. *Non malum aliquod æſtimemus inopiam; etenim ſapientiæ, & patientiæ, & omnis Philoſophiæ nobis magiſtra eſt inopia.* Quid aliud putas deriuari ex hoc gymnaſio, niſi gratiæ omnigenæ multiplex incrementum, quod quia Bernardo innotuit, ſic familiarem ſibi vrget. *Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem imitatorem; ille gradus proficientium eſt, hic perfectorum: amicitia namque pauperum Regis amicos conſtituit, ſed amor paupertatis Reges facit. Regnum denique cælorum pauperum eſt.* Item alibi. *Felix paupertas voluntaria, relinquentium omnia, & ſequentium te, Domine Ieſu: felix planè, quæ tam ſecuros imò glorioſos faciat, in illo ſingulari fragore elementorum in illo tremendo examine mortuorum, in illo tanto diſcrimine iudiciorum.*

S. Ambroſ. l. 6. in hexameron. cap. 8.
S. Chryſoſt.
Paupertatis mira encomia.
S. Bernard. Epiſt. 103.
Idem ſermone 2. in Pſalmũ Qui habitat.

Affinia ſunt iſtis Gregorij Magni Pontificis oracula. *Quando ad fidei agonem venimus luctamen contra malignos ſpiritus ſumimus: maligni autem ſpiritus nudi ſunt, quia nihil in hoc mundo proprium poſſident; nudi ergo cum nudis luctari debemus: nam ſi veſtitus quis cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur.* Rurſus ille ipſe: *Cùm deeſt terrena ſubſtantia de qua æterno iudici rationem ponemus, liberius ad patriam pergimus, quia quaſi in via pondere caremus.*

S. Gregorius hom. 22. in Euang.
Idem homilia 9. in Ezechiel.

Itaque conclamantibus omnibus Sanctis, paupertatem præſtare diuitiis, quis ibit inficias in hoc argumento opum, B.V. Mariam optimam partem elegiſſe: quandoquidem conſtat, eam facultates ſuas, eaſque non modicas, pietate ſibi inſita, in pauperes effudiſſe. Ex S. Auguſtino diuitiarũ tinea eſt ſuperbia, à qua diues quaſi diuus haberi ab omnibus deſiderat. Ideò magna vi auri comparat ſibi titulos dignitatum inhians honoribus: at Maria humilis optimam partem elegit. Nam vbi gyrant vilia inanis gloriæ mancipia, & ſuas circumferunt gazas, ex illuſtri officio gloriam mercaturi; Maria oculis hominum inglorìa ad pedes Domini inclinata quieuit, opibus abdicatis.

Simoniacorũ ambitio.

Et hæc quies ex Mathematica patet, nam ex Euclide. Centrum eſt id punctum, circa quod æqua intercapedine, linea in orbem inflectitur; hoc autem punctum etſi moueatur orbis, eſt motionis expers, ſicut axis circa quem rota gyrat. Ita ex Seneca. Ambitio eſt inſtar turbinis, qui rapta conuoluit ſed ipſa anteà voluitur: annon eò reſpexit Pſaltes, dum cecinit, impios in circuitu ambulare?

Ex Mathematica.
Euclides l. 1. Element. Geometriæ.
Seneca l. epiſtolarum ad Lucilium.
Pſalmo 11.

Vis noſſe hoc genus impiorum? Ij ſanè ſunt diuites inuij pauperibus, atque adeò à pietate extorres, incubantes opibus, vt Magiſtratuum munia nundinentur. Bernardus ait, eos nec tẽperare ſibi ab Eccleſiæ muniis iniquè comparandis. In hos ſic declamat ille Sanctus. *Videas homines pecunioſos ad honores quoſque Eccleſia-*

Ex SS. Patribus.
S. Bernard. hom. 4. ſuper Miſſus.

ſticos

ſticos peruolare, moxque applaudere ſibi ſanctitatem, veſtium dumtaxat mutatione, non mentium, & dignos ſe æſtimare dignitate, ad quã ambiendo peruenerunt, quodque ſi audeo dicere, adepti ſunt nummis, attribuere meritis. Et alibi deflens volubiles ambitionis amfractus, ſic loqet. *O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places, nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat, nihil tamen apud miſeros mortales celebrius negotiis eius.* Maria circuitus dedignata ſuperbiæ, cùm opibus omnem etiam faſtum, pompamque depoſuit, & humilitati vt centro adhærens, optimam reuerà partem elegit, quæ non auferetur ab ea; nequit enim centrum orbis terrarum omnino dimoueri.

Idem l. 3. de conſiderat.

Humilitas quid ſit.

S. Bonauen. tit. 7. Diætæ ſalutis c. 1. Iſaiæ 30. Idem vbi ſupra. Iob. 26.

Humilitatem eſſe centrum, moralis Mathematica monet, & habet Seraphicum Bonauenturam ſui dogmatis aſſertorem, cuius eſt hæc ſententia. *Eſt humilitas ſicut breuis via, quia cùm humilitas petat centrum, per conſequens vetat circulum, & ſpecialem circuitum, & facit diametrum, & diametraliter pertranſit ſpatium: & ita rectiſſimè venit ad terminum. Ideo dicit Iſaias, hæc eſt via, ambulate in ea.* Ruſus ille. *Humilitas ſe annihilat, vt de nouo creetur: ipſa enim eſt illud nihilum, ſuper quod Deus fundauit terrã, vt dicit Iob, qui appendit terram ſuper nihilum, id eſt animam ſuper humilitatis fundamentum.* Ex prælibatis, cùm humilitas petat centrum, & in centro conquieſcat, habet ſe per modum centri, à quo omnes lineæ deducuntur: nam vt elementa grauitant extra ſuum centrum; ita omnes virtutes quamtomvis eximiæ grauant, & ſunt oneri ei, qui eas diſpeſcit ab hoc centro, id eſt ſine humilitate omnia bona, quæ quis agit, ſunt pœnis obnoxia, quibus aſſolet Deus in ſuperbiam deſæuire.

Ex Ivre Civili.

Lege animaduertimus Codice de iis qui potentiorum nomine titulos prædiis aſſigunt. Eadem L. §. Quiſquis.

Gloriæ vanæ cupidus perdit virtutis meritum.

Conſonat Ius Ciuile, quo quis cauſâ cadit, ſi præſidiis ſuis affixerit titulos, ſeu notas dignitatis illi incongruæ. Audi conſtitutionem Imperatorum Arcadij & Honorij. *Animaduertimus plurimos iniuſtarum deſperatione cauſarum, potentium titulos, & clariſſima priuilegia dignitatis iis a quibus in ius vocantur, opponere; at ne in fraudem legum, aduerſariorumque terrorem, his nominibus abutantur & titulis, qui huiuſmodi dolo ſcientes conniuerint, afficiendi ſunt publica ſententia nota: quiſquis igitur contradictoriis libellis, aut titulis, alterius nomen crediderit ingerendum, eius poſſeſſionis, aut cauſæ, quam ſub fraude, aut retinere, aut euitare tentauerit, amiſſione mulctetur, nec repetẽda actionis, etiamſi ei probabilia negotij merita ſuffragantur, habeat facultatẽ.* Gloria eſt titulus ſoli Deo conueniens, qui ſibi hunc titulum vſurparit, ieiunãdo, orando, aut quodvis opus arduum exantlando, deperit illi tota merces operis heroïci: & licet merita ſoffragari videantur, tamen actiones illæ, in quas irrepſit ſuperbia, ad gratiam minimè repetentur.

Ex SS. Patribvs.

S. Greg. l. 8. Moral. c. 13. S. Chryſoſt. in Ioannem.

Congruunt ea, quæ à Sanctis Patribus ſcitè ſuggeruntur, vt videre eſt apud Gregorium. *Quaſi latrunculus eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio, gradiẽtium vita trucidetur* Nam vt tituli vſurpati non prædia tutantur, ſed fiſco exponunt; ita gloria vendicata nocet, & facit inglorios eos, qui inde ſuis voluere ſodalibus inſultare. Eamobrem benè conſulit Chryſoſtomus *Gloriam vanam cupere, ingloriatio eſt; gloria autem vera hæc eſt, ſcilicet hãc deſpicere,* Maria Dei titulos non aſſumpſit, ſed cecinit eſſe Dei, omne quod in ipſa demirans Elizabeth laudibus extulerat; etenim eius encomiis Maria obiecit hanc humilis animi profeſſionem. *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Quaſi diceret. O cognata, non me latent ea, quæ rutilant ex me chariſmata, nec dedignor eam notitiam; hoc tamen alte tibi inſideat, hos à Deo ipſo mihi affixos fuiſſe titulos non quæſitos, nec mihi quicquam vendicate conſpicuum. Si gratiarum auctorem inueſtigas, fecit mihi magna qui potens eſt, quippe à magno magna omnia deriuantur, ſicut ab homine nihil ſui conſcio, humilia omnia dignoſcuntur. Hac ego perfuſa luce, omne meatum virtutum abdico dominium, vnamque humilitatem profiteor ancillam.

Luc. 1.

Ex Figvra.

Maria titulos aſpernata ementitæ gloriæ, & humile ſectans obſequium, optimam partem elegit: & hæc electio quantum aliis præſtet, ex ſcriptura palam eſt. Athalia fœmina vetula, anhelans ad regnum, mortuo Rege Ochozia deleuit internecione Principes omnes, minimo excepto, nomine Ioas, quem abſcondit ſoror eius, vt ait textus ſacer. *Abſcondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratque cum ea ſex annis, clam in domo Domini. Porro Athalia regnauit ſuper terram.* Singula expendamus, vt ſuperbiæ virus ſeſe prodat ex contextu. Mortuo Rege Ochozia, inſurrexit Athalia annoſa fœmina Ochozias nomen Hebræum, ſignificat poſſeſſionem Domini, ac proinde gratiam ſonat, qua Deum demeremur. Expunctâ ab homine gratiâ, ſuperbia inſultat, fœmina reuerà vetula: nam hæc noxa primò fœminam Euam inuaſit. Animos exoſa viriles, ſuperbia non impetit, vtpote ipſa fœminina. Sæuit Athalia in grandiores filios, recens emortuo Rege ſatos, quos extinxit. Vbi anima decidit à gratia, virtutes omnes hoc ſacro ſemine prognatæ cedunt in ius ſuperbiæ: ſiquidem anima ingrata, de Dei donis extollitur, & quos gratia imprægnante fœtus enixa eſt, inani perdit gloria nouercante.

4 Reg. 11.

Bona opera abſcondenda, ne excidant.

Vnus Ioas minor natu eripitur, eo ſolo nomine ſoſpes, quòd fuit abſconditus à facie Athaliæ: hæc ſola opera ſunt reuerà vitalia, quæ inuia ſuperbiæ edit humilis anima. Manſit clam in domo Domini Ioas; quæ enim virtutes humilitate fuere conceptæ, eædem virtute comite capiunt incrementum. Regnat interim Athalia ſuper terram: nam ſuperbia præualet tantùm eis, quos ſibi terra deuinxit. Tandem vbi Ioas factus eſt ſeptennis, occiſa eſt Athalia, necis eius Ioiada conſcio ſacerdote. Ita & humilitas, aliarum ſex virtutum ſtipata comitatu, ſuperbiam eliminat & aſſeclas eius alias noxas, fitque vt ſex peccata lethalia virtute ſeptemplici deleantur. Vt autem altiores agat radices humilitas, conſulendi ſunt ſpirituales patres: nihilque fieri debet inſcio ſacerdote. Qui filios regios eduxerunt, ij perditioni fecerunt obnoxios; ſed ſoror Ioas optimam partem elegit, puerulum abſcondendo.

Ex SS. Patribvs.

Bonau. titulo 7. de Diæta ſalutis cap. 1.

Ioas ſeptennis, idoneus regno cenſetur à Ioiada, quia clam in templo Domini fuerat enutritus. Qui clam Deo obſequitur breui ſeptenarium implet virtutum: nam ex Sancto Bonauentura. *Humilitas eſt breuis ſchola, ſi vis addiſcere; eſt enim compendium*

dem totius iuſtitia: vnde ipſa dicitur omnis iuſtitia, in Matthæo, vbi Christus baptiſmum Ioannis excipiens ait: Sic decet nos implere omnem iuſtitiam, id eſt humilitatem. Ideò Saluator & magiſter optimus, in ſua ſcola prolixitatem totius legis reduxit ad quandam ſummam, id eſt ad methodum humilitatis, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Rurſus Ioas ſeptennio expleto, inauguratus in Regem, ſeptem dona Spiritus Sancti illabentia in humiles optimè præfigurat: ſiquidem Ioas nomen Hæbreum ſignificat ignem Dei; Ioas enim יואש componitur ab יה quod eſt Deus & *eſch.* אש ignis: vbi namque diuinus ille ignis, ſeu diuina cognitio irradiat, illicò adeſt Spiritus ſeptiformis, qui capiti Apoſtolorum inſedit, præuio Dei lumine coruſcante.

Humilitatis deſcriptio.

Audi ex Bonauentura, humilitatem eſſe lucem, eamque multo chariſmati ſociatam. Sic ille. *Humilitas eſt ex intuitu propriæ conditionis, vel conditione voluntaria mentis inclinatio; ſe euacuat vt impleatur, id eſt vacuam & inanem ſe reputat, vnde figuratur per altare tabernaculi, de quo dicitur in Exodo, quod erat inconcauum, vt poſſet recipere ligna, ignem, & victimas; ſic humilitas eſt vacua, vt capiat iſta tria, ſcilicet ignem dilectionis, ligna compaſſionis, & victimam deuotionis.* Vis explicitè ignem & virtutes, audi Gregorium. *Mens quæ diuino Spiritu impletur, habet euidentiſſimè ſigna ſua, virtutes ſcilicet, & humilitatem: quæ ſi vtraque in vna mente conueniunt perfectè, liquet quòd de præſentia Sancti Spiritus teſtimonium ferunt.* Secus ſine humilitate nullas eſſe virtutes, aut ſaltem eſſe noxias, & grauantes, vtpote extra centrum ſuum, accipe ab eodem ſancto Pontifice. *Miranda actio cum elatione non eleuat, ſed grauat, qui enim ſine humilitate virtutes congregat; in vento puluerem portat; & vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius excæcatur.*

Idem vbi ſupra.

Humilitas quomodo acquiratur.

S. Gregorius l. 1. Dialogorum c. 1.

Idem hom. 7. in Euangelica.

Ex Historia. Plutarch. vbi de Tarquinio.

Itaque inſiſtendum Mariæ optimæ electioni, ſi declinare volumus incommoda ſuperbiæ, & humilitatis commoda comparare, quæ vtraque patent ex Hiſtoria Tarquinij, qui altiora papauerum capita, virga frangens, & adæquans eorum ſtipites aliis infimis notauit hinc procerum Romanorum eſſe ſuperbiam illico conterendam, & humiles vrbis municipes eſſe ſedulo conſeruandos.

Ex Symbolis. Paradinus l. Symbol.

Ex quo facinore Paradinus anſam accepit, hoc Symbolum effingendi. Pingit ille alta papauera, quorum capita trunca, ſtipites eorum æquant ceſpiti humiliorum papauerum hoc titulo adiecto. ÆQVARI PAVET ALTA MINORI. Id eſt, res minor pauet videns ſibi res altas æquari. Etenim vt res alta infimæ adæquetur, fieri nequit hoc, quin pauorem vehat, ob ſubitum tranſitum rei eminentis ad ſtatum viliorem. Ne igitur æquari paueas alta minoribus, prudens lector, eſto minor, iuxta ſententiam cuiuſdam Sancti. *Eſto paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei.* Eligant ſibi altiora ſuperbi, tu Mariæ ſortem aſſequere, quæ humilitatis amans, optimam partem elegit: ſi adeo fuit oculata B. V. Maria, in electione boni, quod extra naturam ſcilicet in diuitiarum flocci-pendio & honorum repudio, qualem fuiſſe putas in naturæ bonis, quæ corpus humanum ſpectant?

Humilitatis neceſſitas.

Ex re Medica. Fernelius in Phyſiologia

Medicorum placitum eſt, naturam quò plus recedit à vitæ principio, eò etiam magis vergere ad occaſum; ideoque iuuenes eſſe vegetos & viuaces, quia non longè abſunt ab ortu ſuo cuius adhuc ſcintillat ignis in corde, vt in ſacrario vitæ; ſenes verò ſecus marceſcere, quia longè alij ſunt, quàm fuerint initio: quòd ſi qui ſint validi ſenes ætate prouecti, eo robore præſtant, quia eorum eadem eſt indoles, quæ fuit initio; nec eorum temperies vllum eſt paſſa deliquium. Ea ratione medicâ colligo, virginitatem eſſe ſtatum optimum, vtpote defæcatum; quia is eſt, quem puer recens editus ex ventris ergaſtulo, huc intulit: Maria ergo prima virginum hunc vitæ ritum ſortita, nonne in naturæ bonis optimam partem elegit? Equidem ſanè: nam vt corpus humanum tale ſtans, quale fuit initio, calore vitali viget; ita & homo virginitate inſignis, quâ natus eſt, multo etiam chariſmate cælitus illuſtratur.

Duretus in l. coac. Hyp.

Ex SS. Patribus. S. Auguſt. l. de ſancta virginitate c. 13.

Audiendi Patres Sancti in hoc argumento: ex his Auguſtinus obſeruationi meæ medicæ ſuffragatur, cùm virginitatis profeſſionem aſſerit eſſe incorruptionis ſchema aliquale. Sic ille. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio: cedat huic omnis fœcunditas, carnis omnis pudicitia coniugalis.* Sanctus Ambroſius virtutis huius amans, præluxerat Auguſtino: eius enim eſt hoc elogium. *Quid eſt virginalis caſtitas, niſi expers contagionis integritas?* Eadem ferè eructauit Gregorius. *Candida vita eſt carnis incorruptio & flos virginitatis.* Vide, ſentire mecum Sanctum hunc; dum virginitatem florem nuncupat: vt enim flos vitæ noſtræ eſt illius exordium, cuius qui retinet diutius viuida præludia, eſt eò etiam multò viuacior, & aptior vitæ muniis obeundis; ita qui non abeſt ab ea puritate, quâ nitet infantilis ætas, non longè eſt ab ea puritate, quâ natura humana in paradiſo degens Angelorum conſors enituit. Ideò Angelis cognatam eſſe virginitatem Chryſologus aſſeruit, & Ambroſius ait. *Non mirum, ô virgines, ſi pro vobis militant Angeli, quia Angelorum moribus militatis; meretur eorum præſidium caſtitas virginalis, quorum meretur & vitam & mores.*

Virginitas eſt Angelorum comparatio.

S. Ambroſ. l. de virginibus.

Virginitas quid ſit.

Virginibus adſtant Angeli.

S. Chryſol. ſerm. de Annunt. B. V.

S. Ambroſ. l. de virginib.

Eſſe autem virgines aſſecutas optimam partem, audi ex Auguſtino. *Profectò habebunt magnum aliquid virgines præ cæteris, in illa communi Sanctorum immortalitate; quoniam habent aliquid iam extra nuptias in carne.* Ex quo infero, aliquid optimũ præ cæteris elegiſſe, ex eo quòd amplior virginibus merces aſſeritatur: hinc Sanctus ille ſic virgines adhortatur. *Gaudeat magis puella nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, quòd ſit per diuinum conſortium, præcipuam in cælis conſecutura ſublimitatem, quàm ſi eſſet per humanũ connubium, prolẽ in terra propagatura ſublimem.* Ne autem peregrina tibi videatur mea moralis aptatio virginalis ſtatus cum eo phyſico ſtatu, quem validiores homines præferunt eumdem, qualem ex vtero protulerunt. Audi rurſus Auguſtinum. *Bonum eſt tibi, ô anima, virginalis vt ſis, quando virgo es: ſic vniuerſo ſeruans in corde, quod renata es, ſeruans in carne quod nata es, concipias cum timore Domini, vt parturias ſpiritum ſalutis.*

S. Auguſt. l. de ſancta virginitate c. 12.

Virgines in cælo præ aliis aliquid habent.

Idem vbi ſupra, lib. c. 34.

Ex re Medica. Fernelius vbi ſupra.

Vide quàm benè congruat medicinæ locus iſte. Ea diſciplina aſſerit, iuuenes inquietos eſſe, & maximè mobiles, quia ſpiritibus multis pollent; vigent autem, & multiplicantur ſpiritus in illa virente ætate, quia eadem ferè eſt caro, quæ nata eſt, eodem propè calore decocta;

ĉta; Sic ex Auguſtino, quia virgo eadem eſt in carne quæ nata eſt, ita & ſpiritum concipit & parturit, quo alij homines ſunt quaſi ſteriles, vtpote Deo minimè impręgnati.

Virgines quomodo concipiant Deum.

Nimirum virgo concipit, & de Spiritu ſancto, & parturit Deum, qui ſpiritus eſt, vt videre eſt in Maria Virgine, quæ concepit de Spiritu Sancto: talis enim conceptio eam decebat, quæ prima vouit virginitatem, vt aiunt gloſſemata Iuris Canonici. Rurſus ſi non fallit iſte Canon. *Virgo vbicumque eſt, templum Dei eſt, neque lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas loci abolet infamiam.* Quid mirum ſi Deus Mariæ vtero virginali captus eſt, quem templorum ſacer ſpectat & decet incolatus. Si enim cuilibet virgini proprium eſt, eſſe templum Dei; in quem apicem putas ſurrexiſſe hoc Mariæ templum, quod aliis ſe præſtitit in exemplari? Nec Mariæ obfuit impia hominum colluuies, æuo Deiparæ orbe toto effuſa. Etenim gens Hebræa adeò declinarat à priſcis ſuis inſtitutis; vt eliminata honeſtate, luxuriæ litarent omnes, nec nobiles ipſæ puellæ Hebrææ palam à Venere temperarent: vt videre eſt in Magdalena claris orta natalibus. Hæc, inquam, ſpurciſſima rerum facies, næuos non ingeſſit Reginæ Virginum, vt habet proximus ille Canon. *Neque lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas loci abolet infamiam*, & reuera virginis huius ſanctæ odor balſamo ſuauior, graueolentiam, quâ erat Deo ingrata hominum fœtida proſapia, penitus aboleuit.

EX IVRE CANONICO. *Gloſſa finali. in c. ad monaſter. de ſtatu Monach.*

Virginitas dicitur replere paradiſum.

Gloſſa virginalis in Clement. 1. De ſumma Trinit.

Virgo Dei templum eſt.

Can. Tolerabilem 33. q. 7.

Virgo loca ſanctificat, vbi degit.

Inſtabis; vigente lege Moſaicâ, Mariam non optimam partem elegiſſe: nimirum eſſe tunc infœcundam dabatur opprobrio mulieribus; quippe omnes expectantes Meſſiam quiſque geſtiebat edere filios, aut à quibus ille naſceretur, aut ſaltem editus ab eis aliquod caperet obſequium. Reſpondeo, Mariam ineundo callem virginitatis, compotem factam eius voti, ad quod omnis Iudæorum populus anhelabat: nam voto animo concepto, de virginitate facienda Deo ſacra, Deo ipſi deſponſata eſt, & ex hoc connubio illibato, ortus eſt filius Deo patre ſatus, ſcilicet Dominus IESVS. Præſcit Pſaltes ſacros hymenæos. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. & concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Maria audit Deum ſuadentem virginitatis propoſitum, inclinauit aurem ſuam, & ita oblita eſt populum ſuum, vt dixerit Angelo. *Virum non cognoſco.* Deo ſoli cognita, eum vnicum attendebat, & de ea prænuntiatum. *Deſponſabo te mihi in fide, & iuſtitia.* Et rurſus eadem Virgo, ſub typo ſapientiæ, vero fuit præſcia Salomoni, cuius hi ſunt amoris æſtus, in libro Sapientiæ. *Hanc amaui, & exquiſiui eam, & quaſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* A Beata Virgine, calle aperto virginitatis, multæ poſtea virgines fuere Dĕo ſociatæ, vt habet Pſalmus occinens ſacros Virginis hymenæos. *Adducentur Regi virgines poſt eam.*

EX SCRIPTVRA SACRA. *Pſal. 44.*

Luc. 1.

Oſea. 2.

Sapientia 8.

Ergo Maria, non inficiante lege Moſaicâ, optimam partem elegit; ſiquidem Iſaia præmonente, Chriſtum de virgine naſciturum, optimè Maria ſe virginem exhibuit, vt ad Chriſti enaſcentis exordia propiùs accederet. Si requiris Sanctos aſſertores mei dogmatis, accipe Auguſtinum. *Mariā Virginem Domiū ſic alloquitur per Prophetam: Deſponſabo te mihi in æternum, ſemper ergo virgo eſt, quæ ſponſa eſt, quæ vocabulo ſponſa non caruit, in æternum virgo permanſit.* Se adiungit Auguſtino Epiphanius. *Virgo inuenitur eſſe cæleſtis ſponſa, & mater, quæ donorum ante nuptialium nomine, Spiritum Sanctum accepit; dotis verò gratiâ, cælum & terram.* Propoſitum virginitatis à Maria, Deo inſtigante conceptum, inſinuat Bernardus, eiuſdem propoſiti cuſtos vtique tenax. *Sermo Dei viuus, & efficax ante tibi factus eſt magiſter, quam filius; prius inſtruxit mentem, quam indueris carnem.*

EX SS. PATRIBVS.

S. Auguſt. ſerm. 22. de tempore.

S. Epiphan. de laudibus virgin.

Virgo Dei eſt ſponſa.

Ille nitor virginitatis emicans è virgine, clientes eius obligat ad pudorem, nihilque eſt quod æquè offendat Mariæ oculos ac impudicus habitus. Sponſum habuit virginem S. Ioſeph. *Vt*, inquit Hieronymus, *ex virginali coniugio, virgo filius naſceretur* Occidens filius eius, Matrem virginem Ioanni diſcipulo vtique virgini, commendauit. Lectulus eius floridus eſt; demum ea cum filio paſcitur in liliis, id eſt delectatur conſuetudine virginum, hominum ſcilicet, qui ſunt à Venere penitus alieni, vt ſubindicat Ieremias, dum ſic fatur: *Nazaræi eius candidiores niue, nitidiores lacte.* Hinc eſt quòd Maria, Vdonis Epiſcopi cultum aſpernata, eum lictoribus permiſit perimendum. Hunc Virgo beata, humili loco ſatum ad Præſulis infulas euexerat, ſtudiis eius beneuola adfuerat, ingenio pellucido iuuenem deuotum acuerat, preceſque quas ſedulus Virgini fundebat, ea Mater alma, multo chariſmate compenſarat. Sed quia proſperitatis ea eſt perfidia, vt homines faciat infideles: Vdo ſui oblitus, & pudoris, delabitur in barathrum libidinis, cuius ſpurcitia cum inficeret preces, quas erat ſolitus reddere Virgini, reſpuit illa penſum exhibitum ab impio, vtpote Venere conſpurcatum. Et tandem Virgine ipſa vrgente Deum ad vindictam, eo fine miſer ille periit, quem ſupra deſcripſi. Adeò verum eſt, Mariam integram odiſſe omnes integritatis incurios.

EX HISTORIA.

S. Hierony. in Matth.

Fulgoſius c. de morte inſolita.

Vdonis mors tragica ob luxuriam.

Cæca gentilitas, æmulata ritum, quo fides Chriſtiana demeretur Mariæ curas ſalutares, Deæ Iſidi credidit eſſe nefas offerre ſuem, aut capram: in ea fuere Religione Phocenſes, qui piaculum duxerunt eſſe, & ſcelus immane, altaribus Iſidis exhibere animalia Venerea, qualia ſunt capræ, aut ſues, vt notat Pauſanias. Credita eſt Iſis eſſe rerum omnium mater, ideo pingebatur mammis nimio lacte turgentibus. Maria reuerà parens omnium noſtrum vberi pleno lacte ſalutaris, ideo appellatur à Seraphico Doctore Bonauentura. *Mammilla paruulorum.* Apage ergo, ô anima fœda, libidine infamis; Maria neſcit ſues neque capras. Ea optimam partem eligit ſibi, ſcilicet animas integras, & non Venere decurtatas. Mariæ offer quod ipſa Deo aliàs fecit ſacrum, ſcilicet turtures; ſi virgo es, caſti ſunt turtures; peſſum iuit tua virginitas, eam defle, & nunquam reducem geme, pudicè victurus; ſic referes & turturem amiſſo compare gemebundum.

Pauſanias in Phocicis.

Iſis olim aſpernata capras.

Maria odit luxurioſos.

Accipe & aliam hiſtoriam congruam propoſito. Olim templo Dianæ præpoſita fuit virgo inſignis nomine Comætho; ea ſacerdos Deæ virginis, ſuâ exquiſitâ ſpecie animum inflexit Menalippi adoleſcentis nobilis, vt & ſpecioſi: & vt in vitium prona eſt illa ætas, fomitis ad libidinem non indiga, mutuis amoribus duo hi virgines exarſerunt. Eos, depaſcente flammâ luxuriæ, locum & horam condicunt explendæ libidini: eâ extinctâ, facinore expleto, accenditur ira

Luxuria Menalippi peſte olim creditur inuexiſſe.

Dianæ,

EX HISTORIA.

Dianæ, inquit Pauſanias. Quippe ſæuiit Dea in ſceleſtos, & in omnes actus nefarij conſcios, imò lues adeò dira graſſata eſt, vt ominarentur omnes, in proximo fore Græciæ parentandum. Conſulunt tremuli omnes Apollinem, vnde orta plaga lethalis, minitans cladem toti Achaiæ. Oraculo moniti didicere Græci, infenſam Dianam ſacrilego amplexu Menalippi, qui virginem Deæ virgini ſacram dum corrupit, grauiter offendit; vnde & morte ſuâ diluit ex parte ſcelus, quo iram Deæ impiè prouocauit. Vno verò tantùm modo poſſe occurrere eos imminenti periculo, ſubdidit oraculum; ſcilicet ſi offerrent Dianæ virginem vnam, & puellum in ſacrificium: cùm enim libido offendiſſet Deam puritatis; Apollo aſſeruit, non poſſe Dianam iram compeſcere, niſi virgine mactata cum puello, vt ſic virgini vitiatæ redderetur hoſtia duplicata. Adiicit Pauſanias puerum illum, qui debuit offerri Dianæ cum virgine mactanda, fuiſſe forma egregiâ, vt vel ſic Deam poſſet cum puella, ſua ſpecie demulcere. Liceat ab hoc gentili piaculo, meo more, eruere aliquid morale congruum cultui, quo Virginem matrem debemus iugiter excolere.

Pauſanias in Achaicis.

Luxuria quomodo ſit expianda.

Nemo it inficias, virgines omnes eſſe Mariæ ſacras, vt virginum matri: ergo qui virginum carpit flores, is peccat in Mariam; cuius mouere bilem adeò graue eſt, vt Deus tardus ad vindictam criminum, quæ in Deum ipſum referuntur, velox fit ad ſcelerum in Mariam pœnas expetendas. Et in peccatis, vna eſt libido, quæ vltionis exempla ſeuera protulit ex ſcriptura, teſte diluuio, quod ideo extinxit hominum pene genus, quia *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Et quia aqua mitior extitit, Deus tandem igne in Sodomitas animaduertit; quia Veneris igne tota illa regio conflagrabat. Et equidem credo hodie, dum hoc opus lucubro, orbe toto perire Chriſtianos, bellis ingloriis, quia Venus effuſa eſt in omnes orbis oras. Fruſtra igitur clauſtra gemunt, & Eccleſia indicit Iubilæum; perperam ad Mariæ ædes publicæ fiunt ſupplicationes, niſi Virgo alia virgine cicuretur. Hoc præſtabit noxia gens, ſi ſe pœnitentem Mariæ exhibeat, & promittat repudium cum omni ſpurcitia, vitæ ritum innoxiæ profitendo. Hac cautione præuia, id eſt animo caſto, adhibendus eſt puer egregius, ſcilicet Dominus IESVS acceptus in Euchariſtia. Eo habitu accedat anima pœnitens ad Virginem, & expleuit cultum, quo Diana propitia fuit Achæis.

Anima libidinem exoſa, & ſceleris retroacti à ſe exigens pœnas, refert virginem, quæ mactata fuit in crepidine altaris. Nam pœnitens anima, corde ſuo contrito ſacrificium eſt, iuxta illud. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatū Deus non deſpicies.* Et ſacra communio puellum egregia ſpecie comitem habet. Denique hoc vnum eſto ratum, Mariam fore nobis propitiam & à Deo omnia proſpera accepturam eis, quos puritas & Euchariſtiæ frequentia commendarint. Præfata omnia, Mariæ optimam electionem, in naturæ bonis, ſatis ſuperque clamarunt. Iam in donis gratiæ, omne quod ſub Deo magnum eſt, eſſe minus Virgine, nemo eſt qui reclamet; imò concors Sanctorum omnium Patrum corona, hanc Virginem tantis coronat elogiis, ſonantibus eius eminentiam, vt renuat iſta ſectio prodere ſententias in eo themate tantas, quantas poſſent reddere multa volumina. Ne verò deſim meo inſtituto, ſenſa Patrum adiicienti omnibus diſciplinis, pauca & ea optima delibabo.

Pſal. 50.

EX SS. PATRIBVS.

S. Bernardus paſſim Mariæ gratias demiratus ait. *O fœmina plena, & ſuperplena, gratiâ, de cuius plenitudinis exundantia, reſperſa reuiniſcit omnis creatura.* Et licet nulla potuerit creatura Chriſti conceptionem mereri de condigno; tamen Mariæ tanta gratia fuit inſita, vt vna præ omnibus electa ſit, ad hoc opus Deo beneuolo conſummandum. Et hoc innuit S. Auguſtinus. *Felicior partus ſpiritualis, quam carnalis: beatior enim Maria fuit concipiendo Chriſtum fide, quam carne.* Conſonat Ildephonſus. *Tu virgo electa es à Deo, aſſumpta à Deo, proxima Deo, adhæreas Deo, coniuncta Deo.* Idem penè Beda: *Dei genitrix inde quidem beata, quia Verbi incarnati miniſtra fuit temporalis: ſed inde beatior, quia eius ſemper amandi cuſtos manebat æterna.* Deus ergo cùm Mariam elegit ſibi in Matrem, optimam ipſe partem elegit.

S. Bernard. ſerm. de Aſſumpt.

S. Auguſt. lib. de ſancta virginitate, cap. 3.

S. Ildephonſ. de virginitate Mariæ.

Maria beatior fide concipiendò quam corpore.

Beda in Luc. 11.

Hac Dei electione certiores, hallucinari nequeunt, qui ſibi prouiſuri matrem eam, quæ optimam partem elegit, & ipſi eligunt ſibi in parentem, eamdem ſcilicet, quam elegit Deus. Huic almæ parenti congruit eadem ratio, quæ gentiles impulit, vt colerent terram, ſub nomine communis omnium matris, vt aduertit Mariæ cultor, & is Seraphicus Doctor Bonauentura, ſic ſcribēs. *Per terram benè ſignificatur Maria, de quâ ſic legitur in Iſaia; Aperiatur terra & germinet Saluatorem. Quid terra humilius, quid terra vtilius? terram omnes ſub pedibus habemus, & de terra omnes vitam fouemus: vnde enim victum & veſtitum, panem & vinum, lanam & linum, & huius vitæ neceſſaria, niſi de terra, & de plenitudine terræ habemus? Quid humilius? quid vtilius Maria? Ipſa denique humilitate ſua, omnium eſt infima; ipſa plenitudine, ſua omnium eſt vtiliſſima: vitæ namque ſpiritualis neceſſaria habemus, de pleniſſima terra Maria. Ideo benè Bernardus ait. Altius intuemini, quanto deuotionis affectu à nobis voluit honorari Mariam, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.* Hæc ſanctus Mariæ cliens.

S. Bonauent. in ſpeculo B. V. Mariæ lectione 7. Iſaiæ 45.

Maria terræ nomine deſignata.

S. Bernard. ſerm. de Aquaductu.

Mariæ humilitas fusè deſcribitur.

Ea mater noſtri curam noſtri geret illā, quàm Rebecca geſſit filij ſui Iacob, cui paternam benedictionem hoc aſtu pio demeruit. Mater ſollicita eum ſic ex ſacro codice compellauit. *Nunc, fili mi acquieſce conſiliis meis, affer mihi duos hædos optimos, vt faciā ex eis eſcas patri tuo.* Ita, & Maria ſuadet, vt duas noſtri partes mactemus, Deo depaſcendas; carnem ſcilicet, & ſpiritum, iuxta illud ſupra recenſitum. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor cōtritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Reuerà Deus eam carnē terrenis emortuam, Quaſi ſeipſo dignam nequaquam aſpernatur, neque ſpiritum, qui eſt contritione feruida decoctus. Quid autem acceperit emolumenti Iacob, moderante matre, totam hiſtoriam cape ex ſequela textus ſic habentis. *Veſtibus Eſau valdè bonis, quas habebat apud ſe domi, induit eum.* Ita virgo parens, animas ſibi deuotas & addictas, quas clientelâ ſuâ & materno dignatur obſequio, induit veſtibus fratris primogeniti, id eſt virtutibus Domini Ieſu, iuxta illud Apoſtoli Pauli, *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.*

Geneſ. 27.

Pſalm. 50.

EX FIGVRIS.

Gen. 27.

Rom. 13.

Hoc habitu ſancto induit ſuos Virgo: dū à Deo

gratiam illis impetrat; Chriſtum autem eſſe fratrem noſtrum, eâdem Virgine matre ſatum, gaudent ſancti Patres: in his Ambroſius, qui explicans illud Cantici. *Venter tuus, vt aceruus tritici.* Sic ingenioſus ſcholiaſtes expendit. *Chriſtus granum vnum fuit in vtero Virginis, & tamen aceruus dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes electos, vt ſit ille primogenitus in multis fratribus.* Et rurſus ille geſtiens exclamat. *Benedictus frater, per quem Maria eſt mater noſtra, & benedicta mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater.* Eâdem perculſus lætitiâ Anſelmus, eam ſic omnibus explicat. *Exultabo, & lætabor, quia quicquid iudicabitur de me pendet ex ſententia fratris, & matris meæ.* Videlicet Chriſti & Mariæ.

S. Ambroſ. l. de inſtitut. virgin.

Mariæ venter quare dicitur aceruus tritici.

S. Anſelm.

Hoc egregio veſtium apparatu filium ſuum Iacob Rebecca admonet lectulo Iſaac ſenio decumbentis. Quid inibi actum ſit, aperit ſcriba ſacer, *Statim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini: ſeruiant tibi populi: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur.* Virtutibus ille fragrat, qui Chriſti ſuaueolentem habitum induit, id eſt qui ſacris eius virtutibus exornatur, iuxta Apoſtoli. *Chriſti bonus odor ſumus Deo* Hac myſticâ Deus pater fragrantiâ captus, largos benedictionum imbres fidelibus impertit. Benedictione ea, qua rore cæli alluitur anima, gratia denotatur; ſicut & pinguedo terræ curam delineat, quam Deus habet rerum temporalium, quæ ſuis filiis obſequuntur. Rurſus ſeruiunt populi eis quos diuina benedictio ſtabiliuit: etenim ſenſuum & paſſionum ignobile vulgus, omneſque appetitus, ſuum humilem pendunt animæ famulatum. Denique omnes beati ſpiritus, à Deo iam benedictionibus impleti, benedicunt & his, quos Deus tanta congerie chariſmatum inſigniuit. Soli dæmones grunnientes ſæuiunt in Virginis beatam hanc & benedictam proſapiam, mala dictantes & ſuggerentes: ſed ob ea malè dictata & maledicta, ſpiritus illi nequam iugi anathemate cenſebuntur.

2. Cor. 2.

Ex prælibatis liquidò eſt, quantùm ſub Deo emineat Virgo Deipara, cui quiſquis addictus eſt, ille optimam partem elegit: & vt ad ſcientias comparandas delectus vtilis eſt librorum, quos quis debet euoluere; hunc ego omnibus conſulo librum iugiter euoluendum.

MARIA LIBER EST, CVIVS OPTIMA EST ELECTIO, ET OPIMA LECTIO.

MARIA IN GRATIA BEATOS omnes ſpiritus antecellit.

In hæc verba.

Maria optimam partem elegit.

SECTIO QVINTA.

EX veſtigio Herculis deprehenſo in puluere olympico, ſtatuarum quidam peritus artifex, proceram corporis eius molem intulit, & effinxit: eâdem ego peritiâ, facilè explicabo quantum Virgo Maria emineat omnibus Sanctis in gloria, ſi illius indolem oſtendero in terris, præ aliis omnibus fuiſſe gratia conſpicuam. Sed primò ex Philoſophia ſupponendum eſt, eſſe aliqua accidentia quæ poſſunt intendi, & remitti, ſeu vt loquitur ſchola, ſuſcipiunt magis & minus. Eorum autem intenſio nomine graduum & certo numero denotatur, quo expleto illa accidentia vim inferunt ſubiecto, & nouam ei ingerunt formam. Verbi gratia, vbi lignum incaluit calore ad gradus octo intenſo, protinus accenditur, & deperit forma ligni, flammâ ſubiectam materiam depaſcente. Iſta Philoſophia Theologiam illuſtrabit, quâ diſcimus, gratiam eſſe qualitatem ſuperioris ordinis: vnde iuxta cuiuſuis qualitatis ingenium gratia intenſior eſt, & eſſe poteſt, ſecundùm graduum adiectionem: nam licet prima infuſio gratiæ non cadat ſub meritum noſtrum; tamen vbi Deus animam hoc decore fecit inſignem, poteſt mereri ea anima Deo grata nouos gradus, quibus emineat aliis hominibus quos virtute tepente fecit ignauos vecordia.

Ex PHILOSOPHIA.

Ariſtot. lib. categoriar.

Ex THEOLOGIA.

S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. q. 114. art. 5, ad 2.

His poſitis, facilis erit tituli obiecti explicatio, de B.V. Mariæ gloria, præ aliis Sanctis coruſcante. Cùm enim gratia ex Sancto Thoma ſit gloria inchoata, & participatio quædam diuinæ bonitatis; ſi Maria aliis Sanctis gratiâ præſtiterit, eos etiam gloria ſuperabit. Præiuiſſe autem Deiparam omnibus Sanctis, quoad gratiâ, accipe hac ratione prææpotenti. Cura Dei in rebus ſuperioris ordinis, non eſt inferior, eâ curâ, quam exhibet in rebus quibuſuis inferioris ordinis: at in infirmis etiam animalibus ea eſt Dei prouidẽtia, vt ea induat neceſſariis omnibus, ad exercenda munia congrua ſpeciei; alites inſtruit pennis, vt aëra diuerberent; piſces nauium inſtar aptat clauo & remis, ad natandum; vnicuique quadrupedi dictat, quonam paſtu ſit indiuiduo conſulendum, vt videre eſt in diſſita quadrupedum claſſe, aliis gramina paſtum, aliis caro ferina ſaginam ſubminiſtrat. Ergo vbi actum eſt de Matre filij ſui, eum ſe præſtitit qui fuit ſemper, id eſt gratiam conſonã dedit atque idoneam. Nam ſi populo ſuo daturus Regem, Saülem vnxit, quia non erat vir melior illo, putas eumdem Dominum Deum electurum Reginam beatorum non influxiſſe gratiis idoneis. Gratia autem idonea huic ſtatui & qualitati Matris Dei, omnes alias excedit, quæ infra Deum ſublimes eſſe recenſentur. Si Deus filium ſuũ voluit mutuare carnem à Virgine, cui ſanitatem integram impertiuit, vt cuius corpus fuerat editũ ab Anna ſterili, Deo propitio fœcunda: quam putas Deum etiã animæ gratiam elargitum; quæ autem fuerit hæc gratia collige ex re medica, nimirum affinia ſunt ſanitas & ſanctitas.

S. Tho. 2. 2. q. 24. ar. 3. ad 2. Idem 1. 2. q. 110. art. 3.

3. Part. q. 7 art. 10.

Mariæ conditio requirebat gratiæ plenitudinẽ.

Ex PHILOSOPHIA.

Ex MEDICA.

Ex Medica diſciplina, tria clamant ſartam tectamque ſanitatem: ſcilicet qualitas corporis, actiones eiuſdem, & denique excretiones. Qualitas corporis attenditur in colore, & figura, quæ ritè conformata prodat interiora ſe habere optimè, cùm in mole, tùm in ſitu. Actiones aliæ ſunt animales, numero ternario definitæ, κινητικαὶ, αἰσθητικαὶ, ἡγεμονικαὶ, motrices, ſenſificæ, & principes. Rurſus actiones ſunt naturales, & vitales. Vitalis actio attenditur in pulſu, & reſpiratione; naturalis actio multiplex eſt, ſcilicet coctio, aſſimilatio, & excretio. In præfatis benè conſtitutis, vertitur cardo omnimodæ ſanitatis. Ita & animæ gratus eſt habitus, cùm qualitas, actiones, & exeretiones congruunt ſanctitati. Si Mariæ colorem quæris, is fuit qui virtutis, ſcilicet pudibundus, teſte eâ ſpecie, quæ vultum Mariæ pinxit verecundum Angelo ſubintrante. Si molem Virginis inueſtigas, ea fuit gracilis, &

Andreas Laurentius l. de Methodo Prænoſcendi.

Sanitatis integræ notæ quales ſint.

quam

quam decet virginem egregiam. Audi gracilem. *Ecce ancilla Domini.* Si motrices actiones exigis, audi abeuntem in montana cum feſtinatione. Si ſenſiticas petis, meditare quàm fuerit illa ſenſibilis ad miſerias aliorum, ex eo quòd oblatas Regũ Magorũ Gazas citò in pauperes erogauit.

Item expende ſenſum eius, ex cura, quam geſſit inopiæ ſponſi, in Cana Galilææ prouidens nuptiis, deficiente vino. Taceo eam adeò fuiſſe ſollicitam cognatæ ſuæ Elizabeth, vt audito conceptu Ioannis, eam per abrupta & inuia conuenerit, etſi ipſa quoque eſſet cælitus imprægnata. Et quia ſumma nutritionis eſt in ea facultate, quæ ſecernit purum ab impuro, vt impenſo ſanguine cuique parti, ea quæ ſunt exotica ſecernantur. Vide quàm parca fuerit Maria in vſu rerum, ſine quibus natura ſtare nequit; & ne nimius ſim, actiones animæ principes, vt intelligere & amare, in Maria adeò extitere ſacræ, vt hinc adepta ſit ſummum in gloria principatum: quod hac item ratione facio palam.

Ex Philoſophia. Auctor libri de cauſis.

Ex Philoſophia, quò nobilior eſt cauſa, eò etiam nobilior eſt effectus, ſi ſit editus à cauſa ſuam totam energiam exerente. Igitur cùm gloria æterna ſit vltimus effectus gratiæ, quæ tunc dicitur conſummata; ea gloria erit omnium maxima in Maria, quia eam merita maxima præceſſerunt. In eo ſenſu eſt omnis corona Sanctorũ Patrum, qui gratiam & gloriam Mariæ eſſe in cælis præcipuam, ſuo olim eloquio conclamarunt. Ne autem cæcutias in eo quod dixi, gloriam eſſe gratiæ effectum; ibi gloriæ nomine, intellige cum S. Thoma, peruentionem ad fruitionem Dei.

S. Thom. 1. 2. q. 111. art. 3.

Ex SS. Patribvs. Virginũ gaudia ſunt de Chriſto, & per Chriſtũ. S. Auguſt. de ſancta virginitate, c. 27.

Iam ex Mariæ virginitate, audi Auguſtinum gloriam inferentem. *Gaudia virginum Chriſti ſunt de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum, gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadem non virginum quamuis Chriſti.* Cùm ergo Mariæ virginitas ſit ſanctior aliis quem putas illi Deum præ aliis gloriæ cumulum adiecisse? Mariæ plenitudinem ſpeculans Bonauentura ſic ſuos ſenſus exarauit: *De plenitudine illa intelligere poſſumus illud Iſaiæ: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & plena erat domus maieſtate eius. Domus illa in cuius ſolio Dominus ſedit, eſt Beata Virgo, in cuius mentis ſolio Dominus requieuit. O verè beatiſſimum! ô verè ſtabiliſſimum ſolium! ſicut dicitur in libro Regum, firmiſſimum ſolium tuum in æternum. Hoc ſolium eſt excelſum in intellectu, eleuatum in affectu, excelſum eſt quoque ſuper homines, eleuatum ſuper homines, excelſum eſt inſuper gratia, eleuatum in gloria: in ſolio ergo Mariæ, in ſolio, inquam, mentis eius Dominus ſedit, & domus corporis eius maieſtate Verbi incarnati plena erat.*

S. Bonau. in ſpeculo B. V. lectione 7. Maria eſt ſolium in quo Deus ſedet.

S. Ambroſ. in Luc. l. 2. c. 1.

De hac ineffabili plenitudine beatus Ambroſius ait. *Benè ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur auctore.* O verè felix domus, tam felici fœcunditate plena! ait namque Bernardus. *Benè gratia plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & fœcunditatis gloriam non amiſit: Dominus ergo in ſolio mentis Mariæ ſedit per gratiam, & domum corporis eius maieſtate ſua impleuit per aſſumptam naturam.* Idem Sanctus Mariæ glorioſæ diffundit radios, qui in ſcriptis eius rutilant vſquequaque: ſic ille. *Iuxta illud Eccleſiaſtici: Gloria Domini plenum eſt opus eius; opus Domini mirabile eſt Maria, de quo dicitur, vas admirabile opus Excelſi. Verè opus mirabile, quia nunquam inuenitur ſimile: vnde de hoc dicitur: non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, non vtique in regno cæleſtium, non in regno terreſtrium, non in regno infernorum: quia nullum opus tale in cælo, nullum tale in mundo, nullum tale in limbo fuit. Hoc enim opus plenum eſt dominica gloria, quæ ſuper omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in Maria: nam præter aſſumptam à Verbo naturam, nullum eſt opus nulla eſt creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in Maria: gloriam enim de reſtauratione facta in cælo, gloriam de redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno, habet Dominus per Mariam.*

S. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus.

Maria eſt opus mirabile alias puras creaturas excedens.

Congruit & Anſelmus. *Tibi ſolum loquor, Domina, beneficiis tuis plenum eſſe mundum, inferna plenitudo tua penetrauit, cælos ſuperauit: plenitudine enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, ſe lætantur liberata; & quæ ſupra mundum ſunt, ſe gaudent reſtaurata*: hæc ille.

S. Anſel. lib. de B. Virgine.

Ex Ivre Civili. Lege Princeps ff. de leg. Auguſta gaudet priuileg. Princ.

Iure etiam Ciuili ſtabiliri poteſt noſtra hæc ſectio, de ineffabili gloria Beatæ Virginis vltra omnes Sanctos, ſiquidem ea non optimam partem elegit, ſed totum etiam ipſa poſſidet: Nam Sancti anima tantùm tenus ſunt beati, corpore eorum expertæ, & alieno à gloria: de nullo Sanctorum Eccleſia Aſſumptionem celebrat, ſicuti de Maria, quæ tota beata eſt, & cui eamdem gratiam corporis reaſſumpti Chriſtus impertiuit, quam corpori ſuo ipſemet Chriſtus adiecit, illud cælis inferendo rediuiuum; locumque habuit in Maria lex illa Cæſarea. *Princeps legibus ſolutus eſt; ſed Auguſta licet legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem priuilegia tribuit, quæ & ipſe habet.* Hoc fuit ſingulare ius Chriſto, ſuum corpus ad arbitrium reſumere; Auguſta tamen & cælorum imperatrix gauiſa eſt eodem iure induendi corpus; hanc gratiam Virgini indebitam, Deo Domino & Principe concedente. Alia lege cautum. *Loca vbi ſacræ ædes fuerunt extructæ, eſſe ſacra, etiam diruto ædificio.* Ergo Mariæ corpus fuit ſacrum, etiam diruto ædificio; id eſt, etſi emortuum animâ diſſitâ, tamen fuit ſanctum, quia aliàs humanitas Chriſti, ſacrarium Deitatis ſuæ illic fecit, imò & accepit inde fundamina: ergo corpus illud fuit euehendum ad cælos, vt in locum illi congruum, & vt res ſanctiſſima, quam Angeli terris & hominibus inuidebant.

Lege ſacra res § locus autem Inſtitut. de rerum diuiſ.

Ex Ivre Canonico. Cap. Nona de pœnit. & remiſſ.

Hoc, & pluribus aliis titulis, Iure Canonico hoc teſtimonium de Virgine perhibetur. *Beatiſſima virgo eſt dignior, & excellentior omnibus Apoſtolis.* Vbi nota omnes, qui gloria cælica dignati ſunt, dici quidem beatos, ſed vnam eſſe Deiparã quæ beatiſſima nũcupatur, ratione corporis, & animæ: vnde optimè ei affingit hiſtoriam Reginæ Saba, S. Bonauentura, cuius eſt hæc figuræ adaptatio.

Ex Figvris. 3. Reg. 10.

Ipſa ſignata eſt per Reginam Saba, de qua dicitur: Et ingreſſa Ieruſalem cum comitatu multo, diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas. Conſidera in his verbis gloriam ingredientis Mariæ in cæleſtem Ieruſalem. Conſidera dico: ingredientis excellentiam, ingredientis potentiam, ingredientis opulentiam. Conſidera excellentiam in principatu, potentiam in comitatu, opulentiam in apparatu. Conſidera certè excellentiam principatus Regina noſtra Maria, in eo quòd dicitur, Regina Saba, quod interpretatur clamor,

Ex SS. Patribvs.

S. Bonauent. in ſpeculo B. V. Mariæ lectione 13.

Maria enim eſt Regina mundi, vbi eſt clamor gemebundus. Eſt etiam Regina cœli, vbi eſt clamor iucundus: hæc & ipſa Regina clamantium cum cæteris clamantibus, clamare non ceſſat, teſte Auguſtino, qui ait. Tu Maria concines cœli ciuibus, ſimꝰ ſine coniuncta Angelis, Archangeliſque ſociata, indefeſſâ voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamare non ceſſas. Ingreſſa eſt cum multo comitatu cæleſtem Ieruſalem, ſcilicet cum multo comitatu potentium Angelorum: credendum eſt enim militiam cælorum, cum ſuis agminibus feſtinè obuiam veniſſe Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulſiſſe, & vſque ad thronum olim illi paratum ante mundi conſtitutionem, cum laudibus, & canticis ſpiritualibus perduxiſſe. Item conſidera in Maria opulentiam meritorum, in apparatu munerum pretioſorum: attulit namque ſecum aurum infinitum dilectionis Dei & proximi, gemmas pretioſas virtutum & donorum, aromata bonorum operum & exemplorum. Parum eſt enim, quod de theſauris Mariæ dico, reſpectu eius quod Bernardus ait Mariam alloquens: In manibus tuis ſunt omnes theſauri miſerationum Domini, abſit vt ceſſet manus tua; neque enim gloria tua minuitur, ſed augetur, cum pœnitentes ad veniam, iuſtificati ad gloriam aſſumuntur.

Mariæ ingreſſus in cœlum cum multo apparatu gratiarum.

S. Auguſt. ſerm. 38. de Sanctis.

S. Bernard.

Hæc S. Bonauentura adiectis aliis Sanctorum locis luculenter explicat; ſed liceat mihi adiicere id quod Sanctus ille non aduertit, ſcilicet reliquum textus. *Non ſunt allata vltra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Nemo enim Sactorum eſt cœlos ingreſſus, eâ fragrantia meritorum neque eo comitatu: nam anima corpore ſuo comite, omnium etiam beatorum Angelorum & hominum agmine ſtipabatur. De ea præſcius Salomon ait: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Supergreſſa vtique es, ſupergreſſa certe es in natura, ſupergreſſa es in gratia, ſupergreſſa es in gloria, vniuerſas filias, vniuerſas animas, vniuerſas intelligentias angelicas, ô Maria. Dico quod Maria in natura ſupergreſſa eſt vniuerſas filias hominum, dum quod natura non admittit, virgo concepit, & virgo peperit, & non ſolum hoc quod virgo filium, ſed etiam quod Deum peperit, ſuper omnem naturam eſt; ideo ait Hieronymus, quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creatura etiam omnis miratur cæleſtis: hoc totum eſt quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nuntiatur, & per Chriſtum adimpletur. Item ſupergreſſa eſt Maria in gratia vniuerſas animas Sanctorum, dum non ſolùm gratia plena, ſed etiam ſuperplena fuit, teſte Gabriele, qui prius dixit: Aue gratia plena; & poſtea ſubiunxit: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te; ſi autem gratia plena fuit; ergo quicquid ſibi ſuperueniens poſtea Spiritus Sanctus contulit, in hoc vtique pluſquam plena, in hoc certè ſuperplena fuit; vnde Bernardus ait; veniente iam Spiritu Sancto plena fuit ſibi; eodem quoque ſuperueniente, nobis ſuperplena, & ſupereffluens facta eſt Maria.* Hæc Seraphicus Doctor. Iam Mariam ſupergreſſam eſſe in gloria intelligentias Angelicas liceat mihi ex cælis capere ideam gloriæ Deiparæ.

Mariæ gratia omnes alias Sanctorum antecedit.

Prouerb. 31.

S. Bonauent. in ſpeculo B. V. Mariæ, lectione 13.

S. Hieron. ſerm. de Aſſumpt. B.V. Mariæ.

S. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumpt.

EX MATHEMATICA.

Ex cælica Matheſi nemo neſcit eſſe duodecim ſigna zodiaci, quæ Sol illuſtrat ea ſidera decurrẽdo. In his duodecim ſignis vnũ eſt Virginis ſignũ, quod pingitur aligerum, & alis ingentibus. Ruſſus illud ſidus Virginis multis radiat ſtellis à capite ad calcem; alas habet, & vultum vergentem ad Boream, ſpicam tenet manu, quam ad Auſtrum porrigit, & in ea ſpica eſt ſtella primæ magnitudinis. Diceres Aſtronomos Mariam Virginem depinxiſſe, quam figuratè pinxit abdita Apocalypſis *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Nonne tibi ſatis eſt Virgo rutilans tanto ſiderum apparatu? *Datæ ſunt mulieri duæ alæ magnæ, vt volaret.* Vis videre volatum, omnia ſidera tranſcendentem? lege Bernardum ſic ſcribentem. *Aſcendit plane Maria ſuper omne hominum genus, aſcendit vſque ad Angelos ſed & ipſos quoque tranſcendit, & cæleſtem omnem ſupergreditur creaturam,*

Clauius in Sphæram Sacrobosco.

Apocal. 12.

S. Bernard. ſerm. de Aquæductu.

Maria quò aſcendit.

Quòd autem Virgo ſpicam ſuam porrigat ad Auſtrum, illud inſinuat, Mariam dare tantùm iuſtis, & amore feruidis filium ſuum, qui eſt ſpica ſeu frumentum electorum; quod in Auſtro tantùm ſiue Meridie paſcit, & paſcitur, iuxta illud Canticorum. *Indica mihi vbi paſcas in meridie.* Alæ verò extenſæ ad Boream, delineant Mariam promptam ad peccatores miſerandos, quorum eſt Boream verſus frigidus incolatus. Demum hæc Virginis eſt cõſtitutio, vt nemini beatorum queat etiam aſſignari, ſcilicet ex Bernardo. *Nec in mundo locus dignior virginalis vteri thalamo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cælis regali ſolio, quo Mariam Mariæ filius ſublimauit.* Hinc eſt quòd Theologia ſãxit, peculiari cultu Mariam eſſe recolendam: nam cùm cultum duliæ deferat creaturis, quæ habent aliquam affinitatem cum Dei gloria; Mariæ decernit illa ſacra diſciplina cultum, quem hyperduliæ nominát illi ſancti Theologi, vt videre eſt apud S. Thomam: quia Mariæ ad Deum affinitas tanta eſt, vt neſciat parem; ſicut Bernardus ingerit, ſic compellans hanc Dominam & lucidum ſidus. *Tu veri Solis expreſſiſſima imago, inter millia aſtrorum Deo aſſiſtentium, virginali puritate in cœlis glorioſa præfulges.*

Cant. 1.

Idem ſerm. 2. de Aſſumpt. B.V.M.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 2. 2. q. 103. a. 4.

S. Bernard. in deprecatione ad B. V. Mariam.

Maria Solis imago eſt expreſſiſſima.

Huius præcipui cultus ideam exhibuit Imperator ille Græcus Caloioannes, Mariæ obſequio clariſſimus. Ille Conſtantinopoli degens, audiit Scythas, gentes infidas, & ſitientes ſanguinem Chriſtianum, irruptione facta populari oras conterminas, & ſignis explicatis contendere in vrbem caput imperij. Imperator, plane impar caſtris hoſtiũ, ſupplex emendicauit opem Beatæ Mariæ, conuerſus ad imaginem eius. Hac oratione vegetior factus, parua militum manu, occurrit hoſtibus numeroſis, manus conſeruit, tantaque edita ſtrage fudit, vt ſupra hominem omnino fuerit parta illa victoria. Poſtquam ſe collegit Imperator, ne deeſſet gratiis matri Deiparæ rependendis, iuſſit extemplo fabricari currum argenteum, coruſcum multiplici gemma, cui Beatæ Virginis inſignem imaginem impoſuit, quadrigis albis currum vehentibus, & præeuntibus quatuor dynaſtis Imperiali ſanguine ſatis, qui quadrigas agitabant, ipſo etiam Imperatore pedite, & aperto capite, Mariæ currum antecunte verſus ædes ſacras Sanctæ Sophiæ vbi Princeps omnia grati animi ſpecimina edidit conſona pietati, quá beneficam ſibi Virginem excolebat.

EX HISTORIA.

Baronius ex Niceta. ſub ann. 1123.

Maria in curru triumphali poſita ab Imperat. Caloioanne.

Eo propemodum ritu vellem Mariam ab omnibus honorari, cùm ratio potior ſit ſuada ſingularis obſequij: non enim Scythas fudimus, ſed dæmones & vitia teterrima, Mariæ ſuffra-

gio;

gio ; quidni ergo peculiari ritu ab eis execolatur, quos obſtrinxit: currus argenteus gemmis radians ſit anima rutilans gratiis; quadrigæ albæ ſint quatuor virtutes Cardinales ; & quatuor Principes agentes currum ſint quatuor Euangeliſtæ, ingerentes eam diſciplinam, cuius ad amuſſim Mariæ eſt totis amoris æſtibus obſequendum.

HOMILIA DE ASSVMPTIONE B. V. MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. HOMO corpore & aoima conſtans, nihil cognoſcit inſciis ſenſibus, ſitque vt res ſenſilis menti iogerat notitiam rei merè ſpiritalis, Ideóque Codicis ſacri, Mariæ dotes lineantes, figuris crebris illam adumbrant.

II. Ex omnibus Mariæ typis, aſſumo in inuentionem iſtius Homiliæ arcam Noë, quam compono cum Maria, quæ fuit arca ſalutaris hominum genti, non valenti effugere iram Dei ſæuientis.

III. In longitudine, & latitudine arcæ, dico Mariæ virtutes.

IV. In altitudine, dico Mariæ gloriam, & vt arca Noë requieuit ſuper montes Armeniæ, ita dico Mariam, vbi muoia obiuit in ſæculo, ad quæ eam Deus condiderat, in cælos euectam, vbi cæteris exiſtentibus beatis velut in plano, Maria aliis excelſior eſt veluti ſuper mootes. Et cùm Mariæ pleoitudo gratiæ, animam affecerit & corpus, fuiſſe etiam congruum vt Mariam Deus quoad corpus etiam ſublimaret.

V. Denique finio, hortans vnumquemque vt ingrediatur hanc arcam, extra quam nemo nouit refugium; Deo ſic ſtatuente, vt nullus Mariâ inconſultâ, iræ ſuæ diluuium inundans effugiat.

PRÆFATIO:

Requieuit arca ſuper montes Armeniæ. Geneſ.8.

ETſi placido mari naues ſolo tantùm tenus emineant; validis tamen æſtibus alta rates adeò exurgunt, vt diceres cælos velle mari ſuffurari naues, aut eas ſe velle cælis inſerere, dum ſurſum elata ventorum flabris excelſas cæli lambunt oras: & hos maris æſtuantis emergentes fluctus Pſaltes Pſalm.92. *Regius admiratur.* Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. *Quaſi diceret, fore nauim vnam, ſeu arcam aliquando, quæ validiori percita ſpiritu, non cælis proxima tantùm, ſed & cælis eſſet excelſior. Hanc nauem Salomon Dauide ſatus præſcit; cùm ait de muliere illa* Prouerb.31. *eleganti, quam ſedulo deſcribit.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem. *Eſto, inquit Dauid, mare fluctibus intumeſcat. Mirabilis tamen in altis Dominus; hic ſcilicet altiſſimis, ad quæ Maria euecta eſt. Dauidi præcentori ſuccinit ex ſuperiori Chòro Bernardus.* S. Bernard. ſerm. de Aſſumpt. *Mirabiles elationes maris; mirabiles magis elationes Mariæ. Vt enim alternante ſitus ſuos fluctu eodem, mox eadem ſe dimittit nauis, & exurgit poſtea; ita & Maria myſtica verè nauis, in hoc vita ſalo diu deliruit; ſed hodiè tandem cælos erecta tranſuolauit. Ea tamen intercedit diſtinctio inter Mariæ Aſſumptionem, & Filij eius Aſcenſionem, quæ inter ventum & nauem. Vt enim ventus natura celer, nemine ciente volat; ita & Chriſtus inſitâ ſibi virtute ſe erexit in ſublime: aſt vt nauis, niſi turgida vela flabris ſpirantibus illam agant, non mouetur; ita Dei totum fuit, quod Maria Spiritu ſancto percita, ad cælorum apicem appulerit, & illic hodie coruſcarit. Statque ſemper Mariæ Canticum.* Fecit mihi magna qui potens eſt, &, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc.1. *Beata verè Maria, naturâ illibatâ, beatior gratiâ plenâ, beatiſſima gloria conſummata, hac ipsâ die, quam nos recolimus, vt comites Angelorum, cum quibus Mariæ & nos gratulemur, dicentes.* Aue gratia plena.

PEnitiora quæque velle rimari, inolitum eſt homini: ab enaſcentis orbis initio, & ab hac effræni ſciendi cupidine, ruinam ſuam auſpicatus eſt Adam; nimirum cepit eum prurigo quædam & appetentia Deitatis, vt de ſciolo qualis erat, ſcientiſſimus euaderet. Quippe Deus vno intuitu, eoque ſimplici ſui intellectus, abſque vlla diſcretione actuum, omnia intelligit vſquequaque. Homo verò ſecus, in venanda rerum notitia, dubius ſemper & anxius, rerum ſpecies ſpeculatur primò, poſtea iudicat, demum hallu-

cinante ſæpius illatione concludit; ſitque vt diſſitis hiſce tribus actibus, homo ſucceſſiuè res cognoſcat; vni nempe Deo, qui purus eſt actus expers potentiæ, datur, nullâ præuiâ indagine, omnia & ſimul & ſemel intueri. Imò & Angeli præuntes hominibus, non æmulantur omnimodam Dei notitiam: non enim eo planè modo intelligunt, quo & Deus: nam eorum intellectus bifariam eſt in potentia, ſicut & hominum intellectus, ex Philoſopho. Primò poteſt Angelus à Deo accipere habitus nouos, quorum eſt nunc inſcius. Secundò non actu ſemper intelligunt Angeli ea omnia, quorum eis ſpecies inuruntur. Ita S. Thomas.

Ex Philosophia.
Ariſtot. lib. 3. de Anim. text. 8.
S. Thom. 1. p. q. 58. art. 2. & art. 2.

Rurſus etſi Angeli, eis lumine inſito, videant concluſiones omnes in principiis; nequeunt tamen extra Verbum intelligere plura ſimul: quia ſicut ad vnitatem motus, vnus terminus requiritur; ita & ad vnitatem operationis intellectus, vnum duntaxat petitur obiectum. Qualis ergo ritus hominum erit, in rerum notitia ſenſibus aucupanda?

S. Dionyſ. de Diuin. nom. cap. 7. & c. 9.

Dionyſius Angelos vocat cæleſtes mentes: ea autem ſerie diſpeſcuntur homines & Angeli, quâ cæleſtia corpora & terrena. Cæleſtia ex natura ſua, ſtatim perfecta ſunt; ſed terrena crebris moribus obnoxia pedetentim perficiuntur; ita & Angeli in eis, quæ naturaliter norunt, inſpiciunt omnia, quæ naturaliter cognoſci poſſunt: ideò dicuntur intellectuales; nam omnia patent eis, ex vi intellectus, qui eſt habitus primorum principiorum: ſed quia caligat in homine ille habitus, adiecta eſt ei vis diſcurſiua, quæ vnum infert ex alio, diſcurrendo.

Omnigenæ verò ſcientiæ prima rudimenta precariò ſunt à ſenſibus, qui ſpecies hauſtas rerum obuiarum ingerunt menti, quæ his intenta præludiis, aliqualem tandem habet notitiam. Vnde ſi rei præcellentis ideam integram homo velit effingere, quaſi apis ſingulos decurrens hortos, quidquid alibi floridum eſt, ille carpit, & ſic plerisque rebus peritis aliunde, vna res cognita coaleſcit. Hoc hominum ſtylo Deus compingi voluit Codices ſacros, vt qui homini adminiculo forent ad diſcendum, ſe aptarent hominum captui. Hinc tanta ſeges rerum, quas affingunt Deiparæ ſcribæ ſancti; Vates intelligo Mariæ præſcios: dixerunt enim eam ſtellam, Lunam, Solem, cælum, paradiſum, multiſque elogiis pinxere rutilam, priuſquam exurgeret, cæliſque appoſita coruſcaret.

Ex Figvris.
Cant. 6.

Vt enim ad Dianæ Epheſinæ templum, ſartum tectumque erigendum, coierunt omnes omnium Aſiæ regum Gazæ, quibus effuſis, extitit fanum & prædiues miraculo tenus. Ita vt Mariam Dei templum mentibus noſtris ingererent priſci omnes hi ſcriptores, circumiere cælum & terram, quidquid inibi venuſtum occurrit, hinc eductum, Mariæ totum illud addixerunt. Hunc tramitem es ſecutus, ô Bernarde, tuam leuaturus inopiam, cùm te totum in Mariæ laudes effudiſti. *Non ſolùm autem cælum, & firmamentum Domina rerum intelligitur; ſed alys nominibus conuenienter appellatur, & rerum vocabulis deſignatur. Ipſa tabernaculum Dei, ipſa templum, ipſa domus, ipſa atrium, ipſa cubiculum, ipſa thalamus, ipſa ſponſa, ipſa filia, ipſa arca diluuy, arca teſtamenti, vrna aurea, ipſa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, ciuitas Dei, ipſa Sol, ipſa Luna, & ſtella matutina, aurora ipſa & lucerna, tuba, & mons, fons quoque hortorum, & lilium conuallium.*

Mariæ multa nomina cur affingantur.
S. Bernard. ſerm. 3. in Salue Regina.

Vides, hominum mentes, capere neſcias Deiparæ excellentias omnes, emendicare ſpecioſa quæque diffuſa orbe toto, vt appoſitis his variis penicillo linimentis, exurgat multicolor illa ſpecies Mariæ; quæ dedecore ſuo, Angelos infra ſe poſuit, Deumque affecit eatenus, vt quaſi dehiſcente cælo, Deus hominem induens ſeſe in vterum Virginis inclinaret. Ab hoc calle Scripturæ ſacræ toto, ego in hac homilia non deflectam: non ſum enim neſcius, Mariam vnico conceptu non parere. Igitur ex allatis à Bernardo Symbolis Deiparæ, ſeponam vnum, & illud idoneum feſto, quod Eccleſia die hodierna recolit: & quia Virgo & viuens, & extincta hodie proponitur; ſeligo typum aptum vtrique ſtatui, & vt opinor, ille typus Mariam referens in Aſſumptione ſua, fuit hactenus illibatus.

Componam primò Mariam cum arca Noë, ex cuius ego contextura Mariæ dotes eximias aperiam. Secundò dicam, arcam illam, vbi ſuas obiit vices, requieuiſſe ſupra montes Armeniæ: ita & Mariam, poſtquam obiit, euectam non ſupra montes, ſed vltra cælos. Etſi ab æterno, indiuiduâ notitiâ omnia Deo ſint obiecta: nam vt ſe intelligit adæquatè; illam vim ſuam etiam capit, quâ res infinitas poteſt exerere: & quia virtus illa effectiua rerum, infinita correlata inuoluit; ea omnia Deus dilucidè nouit. Sed quia Dei proprium eſt misereri ſemper & parcere; actiones miſericordiæ Dei indices, dicimus ſtylo noſtro, Deo prius aliis obuerſari. Deus etenim in effectione rerum, ruinam non intendit, ſed ſtatum, & hunc fixum: quòd ſi iuſtitiâ ſæuiente, aliqua deficiant; ille defectus habet exordium ab aliqua nequitia, quæ effluxit à ſubiecto ſuæ ſalutis incurio, ſicque liquet Deum, qui res ab æterno ſimul nouit, iuxta ſuum cuiuſque ſtatum, noſſe, miſericordiam præire iuſtitiæ. Et in eo ſenſu, in præuiſione Dei, miſeratio iuſtitiam anteuertit.

Ex Theologia.
S. Thom. 1. p. q. 24. art. 4.

Verbi gratiâ in ipſis incunabulis mundi, exarſerunt homines fœda libidine, quam vt Deus extingueret, lethalibus aquis homines alluit & immerſit; ſed pius opifex gentis iniquæ ſortem miſeratus, præmiſit bonitatis ſuæ facinus egregium: ſcilicet ſanxit vt Patriarcha Noë extrueret arcam, quæ exciperet aliquales hominum reliquias; operi ſuo colophone impoſito, Deus hominum gentem iniqua Venere perdidit æſtuantem. Eſto Deus ab æterno ſimul & arcam & aquas aſpexerit: vidit tamen eâ ſerie diſpoſitas, vt fuere poſtmodum exiſtentes; non enim confusè Deus res diſcretas intelligit. Igitur arca Noë, quæ præextitit diluuio, eundem ſeruabit & tenorem inter ideas Dei, etiamſi rerum omnium ſpecies ſint illi coæternæ.

Geneſ. 6.

Ex præfatis collige Virginis inſigne decus: eodem quippe ſitu Maria gaudet in mente Dei, quo & arca ſalutaris hominum genti; ſi quidem Deus in extrema mundi periodo, ſuas vlturus iniurias, arcam prouidit, cuius præſidio homines aliqui forent ſuperſtites, eruti ſupplicio flammæ, in reprobos iugiter ſæuientis. Maria Virgo Deipara, eſt hæc arca, beneficio cuius occurrit Deus naturæ fatiſcenti, vt benè ſpeculatur Bernardus. *De hac & ob hanc, & propter hanc, omnis ſcriptura facta eſt, propter hanc totus mundus*

Maria eſt propter quã mundus factus eſt.
S. Bernard. ſerm. 3. in Salue Regina.

factus

factum eſt, & hæc gratia Dei plena eſt, & per hanc homo redemptus eſt, Verbum Dei caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis.

Geneſ. 6.

Fuit quidem Noe artifex Arcæ, ſed non architectus, id eſt, non animo dictante modum, fecit arcam, ſed Deo præſcribente typum. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.* Verè ligno læuigato, quōd mergi nequit, Maria compacta eſt; & ne aquæ gliſcentes in arcam irreperent, Virginis Deiparæ, Charitatis illito bitumine prouidetur. Scilicet interius illita eſt, ex vtero nempe Matris aquæ inundantes alios fœtus originali noxæ obnoxios, Mariam neſcierunt. Exterius hoc bitumen, immunem fecit etiam à guttulis, quæ ſanctiſſimos quoſque ſolent alluere. Et ne in ſingulis morer, Maria adeò peccati neſcia, vt arcam verè ab aquis his longè latéque fuſis dixeris illibatam. *Triſtega facies in ea*, ad quid illa triplex contignatio tabularum? ſunt qui aſſerant & id reuera ſcitè, Deum intercapedine hac triplici diſpeſcuiſſe arcam, vt animantia ſuo quæque ſtarent loco, id eſt in infimis quadrupedes, alites in medio, homines in ſupremis: ſed quid hæc ad Mariam? alto nos ſcrutinio breuiter exploremus.

Geneſ. 6.

Mariæ tres ego ſtatus agnoſco varios, vnde & trifariam conſiderari poteſt hæc arca. Primò ante ortum ſuum abdita aluo Matris. Secundò ante Chriſti illapſum in vterum eius. Tertiò demum poſt enixum hunc deificum fœtum; & hæc ſunt triſtega ad homines, qui in triplici ſunt ordine recondendos. Quicquid enim eſt beatorum hominum, triplici ſorte diſpeſcitur. Alij ſunt in infimis, detenti ergaſtulo ignis, animas excoquentis. Alij mediant inter hos & Beatos: hi ſcilicet, qui vita ſuperſtite, vt alites volitant & ad cæleſtia anhelant. Denique alij ſummo loco repoſiti, curam gerunt aliorum, ſicut & homines, ex arcæ ſupremo loco, animantium ſaluti non deſides incubant.

EX SS. PATRIBVS.
Bernard. ſerm. 4. de Aſſumpt.
Mariæ miſericordia quas habeat dimēſiones.

In Maria attende hæc triſtega, ex Bernardo. *Quis, ô Benedicta, miſericordiæ tuæ longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis: latitudo eius replet orbem terrarum, vt eius quoque miſericordiæ plena ſit omnis terra; ſic & ſublimitas eius, ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem; & profundum eius ſedentibus in tenebris & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te, ô Beata, cælum repletum, infernus euacuatus eſt, inſtaurata ruinæ cæleſtis Ieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.* Ne ergo tuum, ô homo, cauſare ſtatum, reformidans inuoluentes aquas; eo non ſis animo ſic remiſſo, vt conſcientia renitente non audeas conuenire arcam iſtam, iuſtis tantum fabricatam, vt mentitur Angelus nequam, te diuellens ab arca. Memor eſto facta hîc triſtega, idonea capiendis brutis ſimul & hominibus. Maria primò quidem iuſtis, ſed etiam inuocantibus ſe reprobis obſecundat.

S. Bernard. vbi ſuprà.
Mariæ inuocatio ſuadetur à Sanctis.

Accipe huius rei vadem Bernardum. *Abyſſus abyſſum inuocat, abyſſus luminis & miſericordiæ, abyſſum miſeriæ & tenebrarum.* Et vt in ore duorum imò trium ſtet omne verbum; accipe & duos ſine exceptione maiores teſtes, affirmantes Mariam hominibus à Deo deuiis, ſuis etiam precibus inſudare. Baſilius ſic prodit. *Ne diffidas, ô peccator, ſed in cunctis Mariam ſequere, & inuoca ipſam, quam Dominus voluit in cunctis ſubuenire.* Huic Sancto ſe adiungit alter, non inferioris notæ Bonauentura. *Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat vniuerſos; colligit à culpa, impinguat gratia, liberat à morte æterna.*

S. Baſilius ſerm. de Annunt.
S. Bonau. de ſpecul. c. 5
Maria quid inuocantibus confeſrat.

Ex præfatis liquet, in Maria eſſe triſtega; tria nempe receptacula, apta ad ſaluandos peccatores, iuſtos, & perfectos. Fiduciam adiicit & feneſtra illa arcæ, ex qua euolauit columba, ramum oliuæ portans: è Maria namque egreſſa eſt columba, ſcilicet Chriſtus veniens propitius peccatori, & indicem animi ſui beneuoli pacem, frequens habens in ore. *Pax vobis. Pacem meam relinquo vobis.* Quâ ſalutandi formulâ, fauſta homini precabatur. Aſt nota, diſſonos eſſe columbæ, & Chriſti egreſſus ex ſua quaque arca: quippe aperta eſt feneſtra altri; ſed vtero Mariæ clauſo erupit Chriſtus, & hoc inſciis valuulis honeſtatis, præter rerum ordinem, vt exclamat Chryſologus. *Quòd Chriſtus naſcitur, non eſt natura ſed virtus; non ordo eſt, ſed poteſtas; eſt cæleſte miraculum, ratio non humana. Maria virginitate ſponſa, fœcunditate mater, mater viri neſcia, conſcia partus, principium dedit rebus natura virgo, ſemper mater, ſic rerum ſemper nouerca corruptio. Eſt ergo muneris virginalis, vt regeneret per Deum virgo, quod per Deum virgo generauit.*

Luc. 24. Ioan. 20.
S. Chryſol. ſerm. 146.
Incarnatio non eſt opus naturæ.

Subodoror ego aliud myſterium ex feneſtra, quâ patente, redux columba ramum oliuæ refert. Explico, os Mariæ, patens in oratione fuſa pro ſuis clientibus, vrgere Deum, vt dimittat his, quibus Virgo litat. Hanc Deiparam pro nobis anxiam fortè vidit, aut ſenſit ſaltem Bernardus. *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus.* Feſtina rediit ad arcam columba, & feſtinus item Chriſtus ad Mariam aduolat, dum ſupplex, homines Virgo Deipara miſeratur: hanc Chriſti celeris ad Mariæ nutus adfert rationem Theophylactus Alexandrinus. *Gaudet filius orante matre, quia omnia, quæ nobis precibus ſuæ genitricis euictus donat, ipſi matri ſe donare putat, & accepta ab illa ſine patre humanitatis vices reddere.* Sic filium atque matrem reciproca munerum exhibitione, diceres alternare.

Mariæ precibus in cælo Chriſtus gaudet.
S. Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.
Theophyl. Alexand. l. de Incarnatione.

EX SYMBOLIS.
Typotius l. Symbol.

Itaque feneſtra patens Mariam clamat ore precante ſollicitam pro nobis, ſæpius incurus adeò amantiſſimæ matris, cui libet affingere lemma eius, qui hominum miſerias ſic deflebat. Nauem hic pingebat irato mari iactatam, hoc titulo. EN CVRAS HOMINVM. Quaſi miſerans in prolem affectos ſic parentes, vt iniquos maris æſtus ſubeant, ad rei familiaris aliquod incrementum. Redde te tibi aliquando, ô anima Mariæ curis dudum obnoxia; cogita Mariam adhuc in huius vitæ ſalo fluctuantis inſtar nauis, tuæ ſalutis anxiam. EN CVRAS HOMINVM. Non eſt Virgo neſcia, ſe à Deo in aſylum eſſe factam, cuius præſidio ſontes erepti pœnis, ineant vitam in poſterum vitiis illibatam. Non curas, ô reprobe, Deiparæ Reginæ curas; ſed te fata manent ea, quæ præſcius Chriſtus præfatus eſt ventura ſanctæ ciuitati. *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient*

Luc 19.

dies

dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique. Noſſe vis malorum omniom caput, lethale ſuum virus influens; audi. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

Ex SS. Patribvs.
S. Bernard. in orat. quæ eſt poſt ſerm. de Aſſumpt.

Illæ voces etſi mali tantùm ſint imminentis leuia præludia; mentem meam tamen adeò cient & percellunt, vt ſicuti pueri ad laruarum obiectum horrent, & fugiunt ad ſinum matris; ita & ego audiens mala, quæ manent Deiparæ Virginis immemores, mihi conſulam eius præſidio, quod iamiam fuſis à Bernardo precibus auſpicabor. *Nemo, Domina, tam idoneus, vt gladio Domini manum pro nobis obiiciat vt tu, Dei amantiſſima, per quam primum in terris ſuſcepimus miſericordiam de manu Domini Dei noſtri. Aperi itaque tu, mater miſericordiæ, benigniſſimi cordis tui ianuam, ſuſpirioſis precatibus filiorum Adam; ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis vmbraculum confugimus, a facie formidinis fortitudinis Dei filij tui Domini noſtri; iram, quam peccando grauiter ſuccendimus, erga nos mitiga; eiuſque gratiam, à qua ingrati excidimus, nobis tua gratia conciliet.*

Maria præ aliis idonea Deum orare.

Vt clauus clauo truditur; hæc longiuſcula precatio trudenda eſt longitudine arcæ, quæ longiorem texet hiſtoriam earum dotum, quibus Virgo parens eminet, & rutilat.

Trecentorum cubitorum erat longitudo arcæ. O longitudinem cui impar eſt alia omnis longitudo! Centenarius conſtans denario decies repetito, perfectionem ſonat: nam in numeris denarius omnes alios comprehendit: nec poſſumus vltra denarium in recenſendis numeris procedere, quia vndecim, duodecim, & ſubſequentes numeri ſunt tantùm vnitates adiectæ denario. Ideo denarius dicitur Græcis δέκα à verbo δέχομαι capio: ſi ergo denarius decies in ſe recurrit & voluitur; facit centenarium, quo ſumma perfectio lineatur. In huius rei fidem pater ille cæleſtis, cuius familia, ſi quæuis alia, eſt abſoluta; illam adumbrauit numero centenario, dicens habere ſe centum oues: & Daniel curiam cæli, numero denario, & centenario pinxit. *Decies millies, centena millia miniſtrabant ei.* Maria igitur hoc triplici centenario ter perfecta, myſticè nobis adumbratur.

Maria cõſtat omnibus creaturis.

Luc. 15.

Daniel. 7.

Et reuctà, vt inquit Arnoldus Carnotenſis. *Maria conſtat creaturis omnibus: quidquid enim creator ſingulis diſtributor iuſtus contulit; hoc totum matri adornandæ congeſſit.* Et vt Gazenſes olim facturi ſimulachrum Dei ſui, materias omnes ingenti pretio conquiſitas, in illud congeſſerunt opus; ita & Deus Mariam effecturus ſui ſimulachrum, vt ait Damaſcenus. ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα ἐφ᾽ ᾧ ὁ δημιουργὸς ηὐφράνθη θεός. *O Diuinum ſimulachrum, ad quod Deus opifex intentus eſt!* Ad hoc, inquam, ſimulachrum abſoluendum Deus gratias aliis conceſſas impendit, & id eminenter. Iam ſuos ventilet Angelos Hierarcha Dionyſius, eorúmque ternos influxus aperire nobis anxius ſe torqueat. Si tanti vitrum, quanti margaritum? ſi ſeruulis Deus hæc indidit, quæ ſunt quæ Reginæ Deus addidit incrementa?

Arnoldus Carnotẽſis de B. V. Maria.

S. Damaſc. orat. de Natiuit. Mariæ.

S. Dionyſ. cæleſt. Hierar. c. 8.

Igitur ecce Angelorum trina dimenſio, ſiue perfectio, quam à Domino Deo ſuo mutuantur; poſſunt & alios adſciſcere in partem eius aliquatenus. Scilicet à Deo Angeli purgantur, illuminantur, & perficiuntur; ſed non eatenus plenè ſicut & Maria, quæ plenitudinem gratiarum accepit, ſicut & agnouit Angelus, in obſequio Virgini exhibito ſubindicans eam Angelorum choris omnibus eminere. Purgati ſunt Angeli in exortu ſuo, neſcientes vllam maculam, illuminati affulgente gratia, & perfecti dum compotes Dei effecti ſunt. Purgati ſunt in ſtatu naturæ integræ, illuminati in ſtatu gratiæ illucentis, perfecti demum nulliuſque rei inopes in eo perquàm optabili ſtatu gloriæ coruſcantis. Sed hæc Angelorum omnia lumina tenebraſcunt, oppoſita ei, quæ eſt electa vt Sol. Nimirum Virgo eximiè à Deo purgata in exortu, imò non exorta: illuminata Angelo nuntiante Solem orientem: perfecta dum Deo plena, facta eſt ſacrarium Dei: denique euecta eſt Maria ad eum gratiarum omnium apicem, vt ei chariſmatum Dei chorus omnis obſecundet.

S. Dionyſ. l. cæleſt. Hierarch. c. 6. & 7.

S. Thom. 1. p. q. 106. art. 1.

Cant. 6.

Hoc vt liquidò conſtet, expendamus ſingulas quaſque dimenſiones eius. Purgatio, quæ eſt aliis inſtar præludij; purgatio, inquam, ea fuit in Maria, vt cælorum illa puritas, Mariæ ceſſerit illud ſuum inſigne decus; ſcilicet, eſſe tabernaculum Dei. Nimirum de Maria præſcit Dauid. *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* In eamdem it pedibus ſententiam Bernardus. *Is, in cuius conſpectu nec aſtra munda ſunt, tanta munditia carnem tuam iudicauit, vt etiam ſuæ diuinæ puritati eam agglutinare non deſpexerit: his ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnatis; omnis ante faciem tuam, ſpiritualium nequitiarum militia in fugam conuerſa eſt; mundum hunc immundum & lubricum impolluto calle tranſiſti.*

Pſalm. 45.
S. Bernard. in orat. ad B. Virg. poſt ſermonem de Aſſumpt.
Maria quare dicta amicta ſole.

Deus bone! ſi purgata Virgo ſic rutilat, vt præfulgeat ipſi cælo; quomodo dirigemus in eam oculorum aciem, ſi illuminatam volumus intueri? opus erit obiecto velamine, cuius hiantes rimulæ radios referant ſic refractos. Præfatus doctor Bernardus præbebit hoc velamen. *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ ſapientiæ diuinæ profundiſſimam abyſſum, vltra quam credi valeat, penetrauit; vt quantum ſine perſonali vnione, creatura conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Si nubes ſubiecta Soli, emẽtitur ipſum Solem luce ſua licet aliena; quos emittet radios mulier illa amicta Sole, quam Ioannes prædicat vt ſignum magnum, & rem ſæculis omnibus inauditam?

S. Bernard. ſerm. in hæc verba: Signũ magnum.

Verè illuminata, illi oriente Sole, cuius phoſphorus Angelus extitit: vtque homines accolentes Septentrionis oras extimas, quibus rarus eſt Sol, nimirum occidens eis per integros menſes: vt hi, inquam, iuges ſuas exoſi tenebras, iubilant illuceſcente Sole; ita & natura ſenium exuit, & ineffabili lætitia geſtiit, Virgine Deipara multiplici gratia rutilante. Hunc fulgorem venerati omnes, cum Angeli, tum homines, lætè admodum ſalutarunt: in his accipe priſcum oratorem, & hunc Epiſcopum Andream. *Salue intellectualis contemplatiua præcognitionis ſpeculum, ſalue dioptra perſpectiua, per quam venientem deſuper cum gloria ortum Solem iuſtitiæ, qui in triſti peccatorum vmbra & tenebris ſedebant, ſuſcipientes, mirabiliter illuſtrati ſunt.* Vt ad lucis auſpicantis primos radios ſubalbentes, albicante cælo, auium prima, quæ canora excitat alias, eaſdem habet & mox concinentes; ita vbi quis Sanctorum Patrum ad Mariæ lucem occinit, chorum omnem compellit ad concentum. Sed quaſi aliis præſtans

Olaus Magnus in hiſtoria Septentrion.

Andreas Cretenſis Epiſcopus in orat. de Annunt.

S. Bernard. ſer. de Aquæductu.
Idiota c. 2.
Maria Sole illuſtrior.

præſtans voce prævalidâ Bernardus agit & piè præcentorem. *Tolle corpus hoc ſolare, vbi dies? tolle Mariam maris ſtellam, quid niſi caligo involuens?* Huius aſſerti rationem ſubiicit Doctiſſimus Idiota. *Maria aſtris illuſtrior ſuo lumine, nulla ſui viciſſitudine, complet ac ambit omnia, flammis luſtrat, luce veſtit, benignitate tegit, virtute fouet, nec illi ſuccedit nox.*

Prouerb. 4.

Hæc præfata Mariæ lucem ſatis ſupérque diffundunt, & eam præ Angelis illuminatam oſtendunt. Quomodo autem & eis præeat in perfectione, non eſt magni momenti probare, idque ratione valida ſtabilire. Ex Salomone. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Ergo ſi Mariæ lux Angelorum lumen exceſſerit, eodem & incremento Mariæ perfectio anteuertet illam Angelorum, ſicque arcæ noſtræ longitudo myſtica, trecentos cubitos adimplebit. Perfectionis illibatæ candorem, in Maria ſpeculatur Bernardus. *Candidiſſimus ſanè, ſed & calidiſſimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in ea non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed nec tepidum aliquid, aut non feruentiſſimum liceat ſuſpicari.*

Ex SS. Patribus.
S. Bernard. ſerm. in hæc verb. Apoc. Signum magnum.

Quòd ſi in te ineffabili, qualis eſt ea ſumma perfectio, quâ Dei mater enituit; ſi, inquam, in themate regio, licet aliqua balbutire pro modulo, ſic eam Virginis infero perfectionem. Id perfectum eſt, cui nihil deeſt, at Mariæ nihil deeſt modò, ſed & ſupereffluit vndequaque gratia, cuius plenitudinem Virgo ipſa non ſuſtinens, affluxus exuberans gratiarum refluit vſquequaque. Rurſus ex Ariſtotele. *Virtus eſt id quod reddit bonum habentem.* Ergo qui omnes habuerit, ille optimus erit & perfectus. Vide omnium virtutum agmen abditum in Maria, ſub typo florum hortulum ornantium, & id ex Epithalamio ſponſi, corculum ſuum horti nomine compellantis. *Hortus concluſus ſoror mea, emiſſiones tua paradiſus.*

Ariſt. l. 2. Ethic. c. 6.
Cant. 4.

Et ne ſuſpiceris illic aliud quidpiam cogitari, quàm Deiparæ flores, accipe ſcholiaſten Bernardum. *Hortus concluſus tu es, Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris non introiuit; tu ſanctorum areola aromatum, à cœleſti conſita pigmentario; virtutum omnium ſpeciebus floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores, tres miramur in te, ô excellentiſſima: hi ſunt, quorum odore ſuauiſſimo totam domum Domini reples, ô Maria, viola humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis.* Hoc virtutum ternario concluſit totum agmen ille doctor: nam virtus omnis reſpicit aut intellectum, & humilitas illic inſidet; aut reſpicit voluntatem, & actus eius potior eſt charitas; aut virtus corpus facit illibatum, & hoc caſtitas præſtat. Sic patet omne in Deipara complementum.

S. Bernard. tract. ad Mariam poſt ſerm. de Aſſumpt.
Mariæ hortus quàm variis floribus conſitus

Hæc arcæ longitudo abduxit longè ſpatiantes, latitudo vt parcior anguſtiabit. Sic Deus lineauit eam. *Quinquaginta cubitorum latitudo.* Numerus ille, vt erat Iubileo ſacer, miſerationem ſignat; ita & Maria in tota latitudine ſua miſericordiam clamat. Verè quidem Deus miſericors eſt, ſed & iuſtus; ideóque reluctante iuſtitia, miſericordia Dei non eos ſortitur effectus, quos aliquando vrgens hominum inopia ſibi vendicaret. Ita Anſelmus. *Filius eius Dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum, dum ergo aliquando ſuo nomine inuocatus non exaudit, iuſtè quidem id facit; inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur, merita tamen matris intercedunt, vt exaudiatur.* Anſelmo ſuffragatur Bernardus, ſic Mariæ miſericordiam deſcribens ad læuam, & ad dexteram ſine diſcrimine diſcurrentem. *Ea eſt, quæ velut alterum Solem induit ſibi: quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur; ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu.*

Geneſ. 6.
Mariã quare facius ſit inuocare quàm filium.
S. Anſelm. de excellent. Virg. c. 6.
S. Bernard. ſuper hæc verba Apoc. Signum magnum.
Maria non diſcutit merita peccantium.

Animæquior igitur eſto, homo, quem vitia remorantur ab acceſſu Virginis, ſi peccator es, læua eius ſub capite tuo, vt ſuggerat retrogrados calles, vitamque defæcatam; ſi animam verò illibatam hactenus Deo addixiſti innoxius, dextera eius amplexabitur te, tuique miſerans illa parens, erit affectu ſedulo ſingularis. Mirabere forſan, cur differo altitudinem Mariæ dimetiri. Facio ſatis: ea me terret. Audi textum. *Triginta cubitorum erit altitudo illius.* Redolet myſterium numerus iſte triginta, vbi ternarius repetit denarium: nam ſi decem ter reuoluas, triginta exurgent vnitates.

Numerus denarius creaturis addictus eſt, quia illæ omnes decem velut cancellis, quos categorias vocant, recluduntur: quippe omnia reducuntur ad decem illa prædicamenta, vnde trecenti ſummam creaturæ perfectionem delineant. Sed ternarius Deo ſacer eſt, vnde perfectio diuinarum perſonarum trigenario denotatur. Cùm ergo audis altitudinem arcæ pertingere ad triginta cubitos, Mariam intellige euectam vſque ad ſolium Trinitatis, quantùm tamen fas eſt creaturæ ſolium illud accedere; & hoc item ſubindicat textus ſacer, cùm deſcribit arcam requieuiſſe ſupra montes Armeniæ. Angeli nimirum & Beati ſunt in cælis vt in plano; ſed Virgo Mater ſuper montes. Audi in his Bernardum. *O Virgo virga ſublimis, quàm ſublimè verticem ſanctum erigis? vſque ad ſedentem in throno.*

S. Bernard. ſerm. 2. de Aduentu.
Maria eſt virga ſublimis.

Sed vt Theologiæ amuſſim aptemus ad menſuram altitudinis huius, conſtat gloriam dari ad menſuram gratiæ, ſicut & olim exuberabant aquæ fluuij, quem Nilum vocant, quando vberes erant aquæ fontis in vrbe Syene celeberrimi. Conſtat autem gratiæ plenitudinem, Mariæ corpus & animam affeciſſe plenè: ergo gloria Mariæ animam cùm corpore ſimul inundauit. Vtque nihil Mariæ gratiam adæquauit in terris; ita & Beati omnes in gloria, primas Mariæ cedunt: vt benè arguit Bernardus. *Origo fontium & fluminum, mare; virtutum auctrix & ſcientiarum ſanctarum, Maria: quia ſicut Sol vniuerſa cœli lumina præcellit prærogatiua claritatis, ſic ipſa totam rationabilem creaturam, poſt Filium præcellit ſplendore virtutis ſuæ ac ſcientiæ.* Cùm ergo gratia ſit gloria inchoata, & gloria gratia conſummata; ex præmiſſis à Bernardo ſequitur hæc ſequela, quam colligit Damianus. *Sol ita ſibi rapit ſiderum poſſeſſionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint; ſic etiam virga Ieſſe, veri prœuia luminis, in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic utrorum ſpirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint nec debeant apparere.*

Fontis Syenes proprietas.
S. Bernard. ſer. de Salue Regina.
Maria fontium mare.
S. Damianus ſerm. de Aſſumpt.

S. Auguſtinus ait, Deum, qui noluit ex corpore virgineo

S. Auguſt. ſerm. de Aſſumpt.

virgineo generari filios, noluiſſe etiam ex ea mortua generari vermes; ideóque ſoluto debito mortis, cui etiam Chriſtus fuerat obnoxius, illud venerabile corpus in cælos aſſumptum eſt: nam cùm caro Chriſti deducta de corpore matris, illic iam regnaret; noluit Chriſtus corpus exanime diuelli ab anima matris, quam iam cælo geſtiente ſublimarat. Debebatur hæc prærogatiua matri à momento illo quo concepit: Deo etenim Patri Filium vtique tradens indiuiduum, ab eo ius regni æterni itidem accepit.

Ex Hiſtoria. *Ex Hiſtoria Nauarrica Andreæ Fauin. ſub ann. 1555.*

Etſi ſacra & profana non coëant; facit tamen ad rem iſtam de Mariæ regno confirmando, facinus egregium Henrici Albreti Nauarræ Regis. Is filiam vnam tantùm nactus, Antonio Borbonio deſponſatam, ægrè ferebat ſe morientem orbum ſobole maſcula, quippe eius filia ſemel & iterum abortiuit. Itaque regno ſuo prouiſurus cogitabat ſucceſſorem: Ioanna metuens ne caderet cauſa, & Regnum in quod ius habebat, aliò diuerteret; patrem ſupplex orat, ne ſui ſanguinis immemor quempiam alterum aduocet, minus idoneum Nauarræ regno, patris ſic animum inflectens, cum tandem ea lege Mulier inclinauit. Scilicet vt proximo partu, qui inſtabat, (erat enim prægnans anxia hæc mulier,) ſi pareret maſculum, filius ille editus ius totum regni deuolueret in parentem. Igitur grauida fœmina ſui fœtus ſollicita, cui erat debitura regnum, cautè ſe quamdiu fuit fœta gerens, euoluto tempore maſculum edidit, & hunc poſtea Henricum quartum Galliæ Regem, natum ſummâ aui matriſque lætitiâ, & Nauarrâ totâ tripudiante. Adſtitit filiæ ſuæ parturienti Henricus Albretus, & de manu obſtetricis puerulum maſculum excipiens vna manu, altera manu dedit matri infantuli ſcriniolum aureum, quo erant recondita iura regni, dicens: Accipe, ô filia, accipe tibi regnum; ego mihi vendico hunc filium, quem etiam fecit natura meum. Noſter erit iſte puer, quo in te Regni mei iura omnia deuoluuntur.

Regnũ Nauarræ datum matri Henric. IV. ob editum filium.

Eodem plane modo (ſi tamen fas eſt miſcere ſacra profanis) Pater æternus, Antiquus ille dierum, ſe geſſit cum Maria, quæ ei vnica duntaxat erat filia: nam ex Apoſtolo. *Eramus natura filij iræ ſicut & ceteri.* (*Ephes. 2.*) Maria verò legitima, ſed vna filia Deo ſata, vt & ipſemet Deus perhibet in Canticis. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ.* (*Cant. 6.*) Henrico Albreto miſerè perierant, vt prædixi, alij filioli; ita & Adam Deo Patri ereptus eſt, morte eum miſerè depaſcente: Deus hærede extincto, mittit ad filiam vnicam Mariam, habentem gratiam in plenitudine, quam Ioanna illa Regina habebat tantùm nomine tenus: nam Ioanna gratiam ſonat. Legat Deus Angelum ad Mariam, qui exploret velitne pudore incolumi, fieri conſcia fœtus maſculini ſexus; (*Luc. 1.*) fore hunc eius filium Regem, perpetuum in domo Iacob, qui regni ſui iura in matrem etiam ſuam transferet. Annuit virgo, eoque ſic fœdere Deus & eius vnica filia Maria paciſcuntur.

Inſtante partu, Deus adeſt; vtque Maria filium enixa eſt, Pater ſuum ſibi vendicat; ſed reponit penes Mariam omnia iura regni cæleſtis, in cuius verticem hæc filia vnica electa, euecta eſt hodie, vt præſciit Epithalamij ſacer auctor. (*Cant. 6.*) *Vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ: viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt.* Verè Virgo non beata ſolùm, ſicut & Sancti, quorum corpora ab anima diſpeſcuntur. Virgo hæc, inquam, beatiſſima, cuius & gloria animæ refluit in corpus; huius autem gloriæ totam congeriem filio debet, quo edito, ſumma regni fuit penes matrem, quæ eodem partu velut duos gemellos parturiit, Ieſum ſcilicet & regnum, in perpetuas myriades vtroque fruitura.

Maria filij hæres contra morem.

Præpoſterum hîc rerum ſitum admiratur Damaſcenus Deiparæ addictiſſimus. *Quamquam ſemper ita comparatum eſt, vt hæreditas à parentibus ad filios deuoluatur; nunc ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt.* Quaſi diceret, alij omnes filij, vt eſt legibus cautum, ius habent in bona materna; Maria verò ſecus, à filio ſuo Rege, regnum cum agmine bonorum omnium emendicat.

S. Damaſc. orat. 2. de Aſſumpt.

Hanc, credo, adhuc ſuperſtes vidit Auguſtinus Reginam hodie geſtientem: vt enim erat is Sanctus Deiparæ perquàm charus, potuit aliquos latices eius gloriæ prælibaſſe. Sicut & liquet hoc ſcripto Virginem compellante. *Tu virgineos choros ab inceſtiuæ carnis illecebris alienos, per lilia roſaſque vernantes, ad fontem perennis gloriæ portandos initias: tu in illa beatorum beatifica regione, primi ordinis dignitatem adepta, plantis roſcidis oberrans, inter paradiſi amœnitates, gramineoſque crocos, tenero poplite pergis, feliciique palma violas immarceſſibiles carpis: tu concinentibus ſine fine coniuncta Angelis, Archangeliſque ſociata, indefeſſa voce clamare non deſinis, Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

S. Auguſt. ſerm. 2. de Aſſumpt. Mariæ beatitudo deſcribitur ab Auguſtino.

Amplius & vltra ſexaginta annos fluctuauit hæc arca in vndoſo huius vitæ ſalo: ſed hodie requieuit arca ſuper montes Armeniæ, æquiore nobis ſorte, quàm arca Noë. Scilicet illa ſtatio arcæ otioſa fuit ſæculo: homines enim impunè hanc arcam relinquentes flocci fecere lignum, cuius tabulæ vietæ & inutiles æuo putruerunt. Maria verò arca ſalutaris orbi vniuerſo, non inanis ſtetit hodie in edito cæli iugo: ſed ſibi Symbolum hoc egregium adaptare poteſt, à quadam Academia quondam vſurpatum. Profeſſores non ingrati, aut immemores ſuæ dignitatis, quæ eos aliis eminentes in editum locum, id eſt in cathedram euehebat. Hi, inquam, prælectores pro ſuæ Academiæ Symbolo, pinxerunt in tabula nubes lucidas exurgentes, hoc titulo imminente nubibus. VT IN ORBE PLVAMVS. Ita & Maria arca vitalis leuata eſt, vt ſit toti hominum ſoboli ſalutaris: verè hodie corpus & anima Mariæ nubes ſunt lucidæ exurgentes. Si ab eis ſciſcitere cur ſeſe ſubducant terris illæ nubes, hoc tibi reſponſum dabunt. VT IN ORBE PLVAMVS. Stet igitur inutilis arca Noë; noſtra ſcilicet arca Maria proſtat, non vtilis modo, ſed vitalis vtique, ita perennis iis omnibus, qui tam proficuæ, & ſalutaris arcæ præſidia ſupplices præſtolantur.

Ex Symbolis. *Franciſcus Villana in lib. Symbol. lingua Hiſpan.*

Mariam nubibus adumbrari liquet ex codice ſacro, vbi Chriſti exortus hoc nubium Symbolo patet. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* (*Iſai. 45.*) De cælo rorauit cùm Deus illapſus eſt in Virginis vterum; ſed tunc pluuia de nubibus excidit, cùm alma parens enixa eſt infantulum IESVM. Heſychius priſco æuo clarus Mariam vocat nubem, nauem, & arcam Noë. *Hic appellat illam matrem lucis. Alij nubem, pluuias ſine corruptione continentem. Alij nauem mercibus refertam, & gubernatore*

Heſychius orat. ſecunda de laud. Mariæ.

non

Mariæ cum arca Noë comparatio.

non egentem. Alij arcam Noë, ſed latiorem, longiorem, illuſtriorem. Illa viuentium arca, hac verò vita: illa Noë, hac verò Noe conditorem tulit: illa duas & tres contignationes habebat, hæc autem totam Trinitatis plenitudinem. Quandoquidem enim & Spiritus aduoniebat, & Pater obumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat. Vides, lector, obiter, quàm aptè Maria cum arca Noë hac homiliâ totâ componatur.

Huius nauis meminerunt Orpheus l. 1. Flaccus in Argonaut. Cicer. lib. 1. Tuſc. Paradinus l. Symbol.

Argonautas finxit garrula Græcia naue ſua vectos vellus aureum reportaſſe; ſed cùm maris anguſtias quaſdã illa nauis permeare non poſſet, vegeti hi iuuenes eductam ſolo nauem, humeris extulerunt, donec eam in altius mare reponerent: & hunc mendacio colophonem imponunt; quippe dicunt, hanc nauem ad cœlos euectam, vbi componit ſidus, quod cum Sole oritur circa diem vigeſimam quintam Martij. Sic audacter æquè ac ingenioſè Græcia commentatur. Huic naui adſcriptum eſt hoc elogium. CÆLOQVE, SALOQVE, SOLOQVE, quia fuit vtilis illa nauis, mari, terra, & adhuc è cælo, vnde influit vt ſidus. Hæc aptius omnia Mariæ conueniunt, quæ non vellus aureum, ſed Agnum tulit cum vellere ſalutari, quæ terras incolens omnibus proficua fuit, tandem ad cœlos euecta, illic ſidus conſtituit quod à Ioanne vocatur ſignum magnum. *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole.* Si quæris primum huius ſigni orientis cum Sole diem; primus ille dies fuit vigeſimus quintus Martij quo Sol oriens ex alto huic naui adiectus eſt; Angelo Gabriele obeunte vices auroræ diei præeuntis.

Apoc. 12.

Arcam hanc Deus adhuc eo fine reſeruat, quo fieri ſanxerat arcam Noë, quem ſuperſtitem ſeruare volens ait ei. *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam; te enim vidi iuſtum coram me.* O Maria, quantùm præſtas illi arcæ, ad quam tantùm iuſtis patebat aditus, & hîc nobis dicitur. Accedite ad Mariam vos, quibus omnibus facta eſt. O homo aſſuete vitiis, ingredere in arcam Mariæ, pedibus eius aduoluere, voca, inuoca Mariam; retroactæ vitæ Virginis huius præſidio te illico pœnitebit. Non enim eſt aliud nomen poſt nomen Ieſu, in quo oporteat nos ſaluos fieri, vt Bernardus clamat. *Mariam veneremur, quia ſic eſt eius voluntas, qui totum nos voluit habere per Mariam.*

Geneſ. 7. Soli arcam ingredientes ſalus.

S. Bernard.

In huius rei fidem Hebræi aiunt, ſorore Moſis comite nunquam aruiſſe ſiti caſtra Iſraël; ſed vbi mortua eſt, populum ſitibundum propè non diſperiiſſe. Sic habet liber ſanctus. *Mortua eſt Maria, & defecerunt aquæ.* O Impiè, qui ſitim clamas, tibi mortua eſt Maria, ideò defecerunt aquæ gratiarum: tibi mortua eſt Maria, ô homo, qui ſoli Angelo nequam viuis, noxiis actibus: tibi ô Gulo, qui ventri tantùm victitas, mortua eſt Maria. O Aſmodæi mancipium, ô homo Veneree, Dæmonis inhoneſti turpis aſſecla, tibi mortua eſt Maria; quid clamas te depaſci ab igne, in corpus & animam iniqua libidine ſæuiente. Defecerunt aquæ tibi, tale ſopientes incendium: æſtuabis in æternum, ni exurgat tibi Maria. Eſto compos feſtiuitatis hodiernæ, quâ recolimus Virginem exurgentem; tibi Virgo viuat inuocata, & quod potius eſt, imitata; & aqua ſalutari iugiter allueris.

Numer. 12.

O reprobe, hactenus tuis morem geſſiſti ſodalibus; patulas Angelus nequam habuit aures tuas lethali ſuſurro, quo te faſcinauit; accipe ſalutis antidotum, nimirum Bernardi vitale conſiliũ, quo te nutantem adhuc firmabit tandem, ſi adhibes hunc tibi conſultorem, qui ſic Mariæ perorat encomia. *Ad hunc igitur fontem ſitibunda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat. Ecce iam quibus potuimus votis aſcendentem te ad filium deduximus, & proſecuti ſumus ſaltem à longè, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ, ipſam quam apud Deum gratiam inueniſti, notam facere mundo, reis veniam, periclitantibus adiutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die ſolemnitatis & lætitiæ, dulciſſimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus ſeruulis, per te, Regina clemens, gratia ſua munera largiatur IESVS CHRISTVS filius tuus, Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Amen.

Homo ſollicitatur vt adeat Mariã.

S. Bernard. ſerm. 4. de Aſſumpt. Maria fons, ad quem eſt recurrendũ.

HOMILIA DE ROSARIO B. V. MARIÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. ADEò caliganit acies intellectus hominum, vt ipſa cæleſtia nequeant agnoſcere, niſi ſub typo rerum terreſtrium: hinc eſt quod gloria æterna, corona nuncupatur; & quia vna eſt in cælo Imperatrix Maria, illi ſoli triplex Corona ſcilicet Roſarium, quod ex triplici Corona coaleſcit.

II. Hæc erit inuentio Homiliæ. Luna cùm eſt aucta lumine, corona cingitur: nam terra ſuos exhalans vapores, illi ſurſum vecti, Lunam circumagunt &

in coronam ſe adaptant, quæ coronat hoc luminis incrementum. Ita & Maria quia inſtar Lunæ, gloriæ plenitudinem poſſidet, corpore ſimul cum anima coruſcante, exigit à nobis preces noſtras, quæ inſtar exhalationum animæ, ſurſum vergunt, & Mariam coronant, dum pendimus illi penſum Coronæ.

III. Dæmon præſcius gratiarum, quas infudit hæc Luna plena cùm cingitur votis & Coronis noſtris, totus eſt in homine diuellendo à cultu Mariæ; & præſertim auertit pleroſque à ritu dicendi Roſarium, quod recitari debet ore, manu, & corde.

IV. Ne autem otietur homo, qui Mariæ Roſario addictus eſt; oſtendō eleganti figura ſacra, Mariam horrere Coronas, quæ ei offeruntur illotis manibus, imò & plectere eos, ſicut & Dauid cum morte affecit, qui diadema regni attulit, manibus ſanguine delibutis.

PRÆFATIO.

Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4.

A*SSVETI typis Ægyptij, quaſi elingues, pictura loquaci ſuos edebant conceptus. Exempli gratiâ, volentes effingere fœminam triplici titulo regiam, id eſt filiam, ſponſam, & matrem Regis; pingebant tres coronas ſibi incumbentes. Simili Symbolo ſponſus in ſuo Epithalamio, ſponſam ſuam ter vocatam, amicè compellauit. Nimirum dum eam vocat ad coronam, ter præmiſit hanc vocem, veni.* Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. *Scilicet cuilibet, veni, tot ſubſunt & Coronæ. Hoc idem militans Eccleſia præſtat obſequium; triplici namque Corona Virginem hanc excelſam, in Roſarij inſtitutione Eccleſia inſigniuit. Etenim Roſariũ tribus conſtat coronis, quas quando appendimus Virginis almæ tholis, typicè inſinuamus his Coronis tribus, Mariam eſſe filiam, ſponſam & matrem Regis. Siquidem eſt Filia Dei Patris, Mater Dei Filij, & Sponſa Dei Spiritus Sancti; nec vulgari gemma nitent hæ Coronæ, ſed Margaritis, quas Deus & Angeli ad nos adnexerunt. Enimuerò orationes, quibus Roſarium contextum eſt, non ſunt artis humanæ. Dominica videlicet oratio, Chriſtum habet huius formulæ prælectorem: Angelica verò ſalutatio, Angelum habuit paranymphum agentem, cùm primum pronuntiata eſt. Faxit Deus vt ſolius Domini ſimus, cùm inſtantes erimus Dominicæ petitioni, & Angeli ritu viuamus, cùm ſupplices Mariam alloquemur, illi dicentes.* Aue gratia plena.

Cantic. 4.

Corona triplex apud Ægyptios cui ſolita dari. Mariam cur deceat corona triplex.

EO Deus æquilibrio condidit hominem, vt duæ hominis partes velut geminæ lances in neutram inclinarent partem; ita enim duæ illæ hominis portiones, corpus videlicet & anima, ſuo quæque loco ſtabant, vt in eo ſitu nihil iniquum ediderit homo: ideóque iuſtus, vt is quem Poëta pingit.

Homo à Deo deficiens totus terræ addictus.

Scis etenim iuſtum, gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ.

Perſius Satyra 4.

Sed vt minimum quid extraneum adiunctum alteri lanci, eam deorſum inflectit; ita homo mulieri vt adhæſit, oblitus cæleſtium & æquæ lancis, totus in ima deuiauit. Itaque corpus quod eſt crebris defectibus obnoxium, ſuo pondere animam grauat eatenus, vt animam nihil adeò afficiat vt res corporeæ. Ortu ſuo quidem præſtantior corpore anima: ſi enim ad illud compararetur, habet rationem formæ. Sed vt gula, Eſau fratri ſuo minori ſubdidit; ita & eadem gula animam ſui decoris incuriam corpori mancipauit. Igitur homo à Deo ſuo deficiens, ſummum naturæ ſuæ paſſus eſt illico deliquium: nam Philoſophi omnes in eo ſunt concordes, nullas vſpiam formas in phyſicis materiam ſibi ſubiectam ſentire grauem: quippe vt forma dat eſſe ſpecificum; ab ea fluunt qualitates actiuæ omnes, materia nuſquam vrgente compoſitũ, imò potius ea iugiter otiante.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 83. art. 2.

Huius indulti, quo ſingula quæque gaudent, homo vt degener eſt impos, nouercãte natura; fitque anima velut obſequẽs & addicta corpori quod informat, vt Sapiens ille ſpeculatur. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Tantúmque abortiuit homo, vt diuina ſapere nequeat, niſi ſub ſenſibilium teſſera ſpecierum. Ideóque Deus ſe aptans huic hominum indoli, dum voluit gloriæ ſuæ ſpecimen aliquod ingerere, quo beatorum gloria pareret hominibus; vſurpauit ille res ſenſibus obuias: quippe ait, beatos fore inſignes corona radiante gemmis vtique rutilis. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Hinc homines in cœlis omnia fore regia, ſunt ex hac loquendi formula ſuſpicati.

Sapient. 9.

Pſal. 20.

Coronæ forma circularis, exordiu finéque carens, æternitatem clamat, lapis inſinuat ſolidam fore, & non ſuperficie tantùm tenus, gemmeus demum ſplendor coruſcum lumen lineat, quod affulget in gloria: & hæc tria manent omnes aliquando beandos; ſed vni Imperatori tres tantùm coronæ dantur: ita vna eſt Maria Imperatrix, quam triplici corona cenſuit Eccleſia recolendam. Triplex hæc corona effertur nomine Roſarij, in quo tres coronæ referunt hanc coronam olim Symbolum Imperij. Prima corona quam Imperator excipiebat, erat ferrea, in ſignum fortitudinis. Secunda argentea in notam puritatis. Tertia aurea, quaſi præſaga bonorum omnium, quibus debebat Imperium, hoc rerum domino, redundare.

Corona triplex Imperatori datur.

Roſarium conſtans tribus Coronis, affine eſt coronis hiſce præfatis: quippe Corona quæque ſingulari addicta eſt myſterio, cui quædam ineſt relatio cum metallo, quo cuſæ ſunt hæ coronæ. Alia eſt corona ferrea, & huic apta myſteria doloroſa Paſſionis, quæ occupant hominem in prima Virginis Corona meditantem. Alia eſt argentea, quam aptè refert illa Corona quæ gaudioſa Myſteria Chriſti infantis conſiderat. Denique tertia Corona

aurea

aurea congtuit vltimæ Coronæ Roſarij: in hac oempe Corona Myſteria glorioſa Chtiſti & Mariæ ſpeculantur hi, qui Mariæ ſe totos obſequio deuouerunt. Cæterum Mariæ bunc cultum edocet nos terra, quæ multis à Lona docibus digoata, boc ſidus gratitudine mira colit. Nam dum Luna plenè oitet, videre eſt coronam ſuccingentem illud aſtrum: hæc autem corona ſublucida eſt quædam exhalatio tenuis, quæ obiecta Lunæ, dum diſpeſcit illa ſuo lumine oubeculam, ſola ſuperſtes eſt corona, velut penſum ſoluens, quo ſe deuinctam terra ingenuè profitetur.

In hoc igitur cultu eahibito Lunæ à terra, ſtabunt geminæ partes iſtius Homiliæ. Dicam primò, terram exhalantem tenoes ſui portiones, quæ ſurſum latæ io coronæ modum cingont pleniluniom, edocete nos eahalare preces; hæ namque ſunt exiles noſtri partes; vtque preces in orbem ſeu cotooam titè deſinant, sũt dirigendæ ad Mariam, illi eaoluendo penſum Roſarij; alioquin ingrati animi in Mariam notæ iniquæ tenaciter nobis inurentur. Dicam ergo ſtatim de Luna, vt Mariam refert. Secundò dicam de corona. Reluctante ratione, vbi primoses Eccleſiæ & Scriptura ſacta eoeunt, caligo eſt animum inuoloens, & non inſtanti aliquod ingerens lumen, tei ſatia ſuperque indubiæ: eſtque nodum in ſcirpo quærere, velle ſtabilire argumeotis id quod

Maria Lunæ comparata.

nulla ratione nutat. Huiuſmodi eſt Mariæ & Lunæ affinitas myſtica, ſæpius Eccleſiæ decantata, cui præiuit ille præcentor Epithalamij.

Cant. 6.

Pulchra vt Luna, electa vt Sol. Vates item regius Mariam liquidius ait eſſe Lonam, dum eam ſub typo throni Dei ſic deſcribit.

Pſal. 88.

Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum. Præfulſit Lona ab orto ſuo; ita & Maria præfulgida ab inito conceptu, vt liqoet ex Canticis.

Cant. 4.

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. in orat. quæ eſt poſt ſermon. 1 de Aſſumpt.

Mariæ lux quanta ſit, fusè deſcribitur à Bernardo.

Sed ne ſuſpicaretis ineſſe Lunæ lumen independens; ideò dicitur Luna, quaſi luce lucens aliena. Ita & Maria quidquid habet rutilum, & coruſcum, illud totum à Deo velut ſuo Sole mutuatur. Audiendus in hoc eſt Bernardus. *Ipſe Sol iuſtitiæ de te proceſſurus, ortum ſuum matutina quadam irradiatione præueniens, in te lucis ſuæ radios copiosè transfudit. Tu pulchra vt Luna diceris, eique non immeritò compararis; illa enim omnium aſtrorum ſola, Solis ſimillima comparatione, & candore venuſta argenteo, cæteris in cælo præmicat ſideribus: tu verò Solis imago expreſſiſſima inter millia aſtrorum Deo aſſiſtentium, virginali puritate in cælo glorioſa præfulges. Illa enim transfuſo in ſe ſolari lumine, noctem noſtram illuminas: tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis, ad imitationem tui nos promocas, ſicque noſtram noctem illuminas; qui enim vias tuas conſectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed lumen vitæ inueniet. Tu ergo pulchra es vt Luna, imò & pulchrior Luna, quia tota pulchra es, & macula non eſt in te, neque viciſſitudinis obumbratio.*

Luna ſola inter aſtra dicitur plena; ita de nullo Sanctorum conſtat plenè glorioſum eſſe penes corpus & animam, Mariâ exceptâ: nam etſi plerique, Sanctos Ioſeph & Ioannem Chriſto dilectum, Mariæ in hoc induxerint ſocios; adhuc tamen ſub Iudice lis eſt: ſed Mariam eſſe ad cælos euectam, orbis Chriſtiani concors auctoritas aſſeuerat.

Eminentis huius gloriæ Sancti aliquas rationes auctoritati ſubiiciunt. In his audi grandæuum vnom, ſcilicet Sanctum Methodium.

S. Methodi. orat. in hypapant.

Mariam quomodo filius honorauit.

Qui dixit honora patrem & matrem, vt is decretum à ſe promulgatum obſeruaret, & alios excederet; omnem matri & gratiam & honorem impendit. Si omnem gratiam Deus effudit in Mariam; ergo & omnem gloriam, quia gloria gratiam conſequitor. Demum ſi omnem gloriam poſſidet Virgo, eſt hæc omnigena gloria penes animam & corpus attendenda. Affine eſt qood habet S. Bonauentura.

S. Bonauent. in ſpecul. c. 7.

Quid mirum ſi lætitiam & gloriam plenam, & ſuperplenam habet in regno, quæ gratiam plenam & ſuperplenam habet in exilio?

An putas Salomonem maiori pietate in matrem ſuam flagraſſe; & io reuerentia exhibenda matri, Chriſtum ſuperaſſe, qui in hoc ſæculo degens, erat ſubditus illi. Io partem throni

3. Reg. 2.

matrem ſuam Salomon vocaoit; quidni & Chriſtus throno dignatus ſit & matrem, Angelorum omniom choris gloriâ micantibus longè præcellentem. In ea ſublimitate Virginem eminentem alloquitur ſic Bernardus.

Maria non ſtetit inter Angelos.

Ne ſteteris vel inter Angelos Virgo Beata, ſublimius aliquid tuo ſibi miniſterio propinandum ſitiens præſtolatur, paululum cùm tranſieris inuenies quem diligit anima tua Etſi Angeli oaturâ ſuâ capere materiæ hominibus præſtcot; tamen quia gratia eſt ordinis ſuperoaturalis, Maria Angelos antecellens gratiâ quâ plena eſt omnes beatorum ſpirituum ordines gloriæ ſuæ radiis antecellit. Gloriæ Virginis audi fidum aſſertorem Damianum

S. Damian. ſerm. de nat. Mariæ.

Attende Seraphin, & in illius ſuperiorum natura ſupernola dignitatem, & videbis ſolum opificem illud opus ſupergredi.

Sed inquies fortè; quorſum hæc pertinax aſſertio plenitudinis gloriæ in Deipara? Congruè admodum ſanè, ſtabilienda fuit & ingerenda mentibus illa plenitudo gloriæ, vt influxuum eius in anima, ingens copia poſtmodum innoteſcat. Etenim cùm vehiculo lucis influat Luna; conſtat ex Mathematicis, potiores eſſe influxus, imò & ſenſibus obuios creſcente lumine, vnde medulla & cerebrum, & alij humores ſtante plenilunio turgent in animantibus: ergo cùm Maria omni modo ſit cùm gratiæ tùm gloriæ lumine pellucida, ſuis clientibus plenior hæc Luna bonorum omnium ingeret incrementum.

Ex Mathematica.

Lunæ ſunt potentiſſimi effectus.

Mariæ gloria metienda eſt ex gratia.

Quo plus luminis Luna capit à Sole, plus effundit virtutis in homines. Ita & Maria, ex Bernardo.

Ex SS. Patribus.

S. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumpt.

Lunæ influxus mirabiles.

Quantùm in terris gratiæ adepta eſt præ cæteris, tantùm & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Quòd ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe; quid præparauit gignenti ſe, & quod omnibus eſt certum, diligenti præ omnibus quis loquatur? Aſcendens ergo Virgo in altum, dabit ipſa quoque dona hominibus: quidni daret; ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas; Regina cælorum eſt, miſericors eſt.

Ex Sancto Baſilio.

S. Baſil. lib. Hexaem. 1.

Luna eſt decor noctis, mater roris, miniſtra humoris, menſura temporis, aeris immutatrix. Hæ ſingulæ dotes ſpectant ad Mariam, vt cuiqoe patet expendenti

Mariæ quadrant Lunæ influxus.

eas ſigillatim. Maria decus peccatorum, quos cæca tenebrarum caligo inuoluit; mater roris, cùm Matrem ſe gratiæ præſtat; miniſtra humoris, cùm lacrymarum imbres pluit pœnitenti; menſura temporis, cùm ſuo ingi præſidio vitæ momenta regit. Demum aërem variat, cùm poſt nubila lacrymarum gratiæ Solem reducem obiicit pœnitenti, quem hæc Luna myſtica ſerenauit. Ex Iſidoro potentiſſimi ſunt Lunæ effectus in mari, illique congruit Pſaltis eloginm. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Et ingens eſt Mariæ influxus in pœnitentes, quorum typus eſt mare, nam ex Ayguano Doctore quondam incognito. *Mare ad litus, virtute Lunæ conuerti, eſt amaritudinem noſtram in quietem commutari, virtute Mariæ.*

S. Iſidor l. 11. Etymol. c. 6. Pſal. 88.

Ayguanus in Pſal. 103.

Mariæ lux quos effectus ſortiatur.

Vni tantùm Lunæ conceditur luſtrare vniuerſum cœli ambitum ſingulis quibuſque menſibus, nullâ præteritâ Zodiaci manſione. Vnius eſt etiam Mariæ prouidere ſingulis Eccleſiæ membris, nemine fruſtrato Mariæ præſidiis. Et hoc diſertè ait Bernardus. *Maria cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor & præfulget in ſupernis, & infernos penetrat, calefacit mentes, fouet virtutes, excoquit vitia.* Cæterum nos beneficio Deiparæ ſaluari, Scriptura ſacra præſatur egregio typo Lunæ. *In die plena Lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam.* Vt enim Iudæi Paſcha celebraturi, redibant Ieruſalem inſtante plenilunio; ita & homines deuij à cælo, Mariâ propitiâ, ad propria ſcilicet in cælos aliquando repedabunt. Subiicit idem codex ſanctus aliud Myſterium, Mariæ encomiis idoneum. *A Luna ſignum diei feſti.* Quaſi diceret nullum eſſe hominibus argumentum geſtiendi, quod non petatur ab hoc aſtro, ſcilicet à Maria. Hoc explicitè & ingenuè profeſſus eſt Methodius in Virginem non ingratus. *Tu feſti noſtri principium, medium, & finis, regni noſtri pretioſiſſima Margarita.* Nihil denique inſciâ Lunâ cælum terris infudit; ita nec Deus homini dat quidpiam, Virgine hac inconſultâ.

S. Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Prou. 7.

Eccleſ 43.

Maria feſti noſtri principium.

Ad Lunam quondam alludentes Hiſpani, cùm Philippus eorum Rex, à Gallis in ſponſam accepit Iſabellam Valeſiam; pinxerunt vbique Solem, & Lunam ſimul, hoc titulo. IAM FELICITER OMNIA. ſubindicantes hoc Lunæ Symbolo, Reginam illam eis eſſe præludium optimæ alicuius ſortis. Potiori nos omnes argumento addicimus nobis, id eſt Eccleſiæ, illud fauſtum omen nullis fatis contra nitentibus eludendum, Maria & Chriſto ſimul influentibus. IAM FELICITER OMNIA. Nimirum ſuum ſortietur complementum illud Prophetæ Vaticinium. *Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi Lilium.* Maria quippe illucente, omnia hactenus marcida, viuaci eius lumine ſoſpitantur.

Typotius l. symbolorum.

Iſaiæ 35.

Habet Eccleſia quo Synagogæ præſtet, hoc ſidere irradiante, vt præſciit idem Vates. *Decanta laudem quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Synagoga aliàs ſemper fœta abortiuit hactenus; ſed olim ſterilis gentilitas, vbi nomen dedit Chriſto & Mariæ, horum affluxu ſiderum, fuit gens innoxia, & multiplici gratiarum ſobole fœcundata. Ideò hortatur Iſaias, vt decantemus laudem huic Reginæ cæli, cuius beneficio Deus, vt ait Pſaltes. *Benedixit coronæ anni benignitatis ſuæ.* Ideò vult Deus Matri ſuæ idem reddi obſequium, quod reddebatur à viginti quatuor ſenioribus, qui coronas ſuas deponebant ad pedes ſedentis in throno: ita & idem rerum opifex, Matrem ſuam Coronis ſeu Roſario à nobis exigit inſigniri.

Iſaiæ 54.

Pſal. 64.

Apoc. 4.

Eâ olim pompâ excepta eſt à Gallis Maria quædam, ſoror Regis Henrici Octaui Angli. Duæ illæ Gentes bello fatigatæ; quippe vtrimque igne & ferro deſiderati ſunt multi: vna fuit firmandæ paci Maria Mediatrix. Vtque indiuiduo nexu pacta ſtarent, Rex Gallus Ludouicus Duodecimus Mariam accepit in coniugem, cui à Gallis itum eſt obuiam, coronas ferentibus ei vt Reginæ, quæ vt ſic diademate cincta eſt, totâ curiâ geſtiente.

EX HISTORIA. *Andreas Ducheſne in Hiſtor. Anglica, ann. 1514.*

En ideam ſortis iniquæ, cui ſubiacebat homo: multa iam euoluta ſæcula multiplicabant lamenta, Virgine Mariâ nondum exortâ, cæli & terra non cohærebantur; terra vapores tetros ferebat in cœlum, ſpirans fumum & ſpiſſam fuliginem, nigráſque fauillas ſurſum eiaculans tanquam reliquias ignis luxuriæ omnia depaſcentis. Cæli etiam vt terræ noxij, diluuio abſorbuere montes, inundauere terras, & extinxerunt penè omne hominum genus: & quia Noëmi ſoboles propagata exereuerat, ſupplicio aquarum incautior; nam Sodomitæ ſontes ſupra, quàm fuerant homines, quos lethales aquæ deleuerant, cælis in eo ſæuientibus, igne conflagrarunt. Seneſcente mundo, inualeſcebat bellum, cuius oneri tellus impar erat. Deus diſcordiis modum impoſiturus, Prophetas veluti caduceatores miſit explorantes, velitne homo fœdus inire cum ſuperis. Malè excepti ſunt hi legati; in eos quippe lapide, ferro, ignéque ſæuitum eſt: ſed ecce ex improuiſo virgo vna, ſiue virago, nomine Maria, deſponſata Deo, hoc ſuo connubio inito cum ſuperis, cæleſtibus ima ſociauit. Cælites illam excepere, veluti Reginam, eíque coronam compegere ſtellis conſpicuam, quâ inſignitam vidit Ioannes cum reliquo eius apparatu & pompa. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, verè coronanda ſtellis hæc Regina, quæ ſidera fecerat terræ propitia, quæ fuerant hactenus odioſa.

Maria vna pacem dedit Anglis & Gallis.

Apoc. 12.

Bernardus ait, ſtellas hoc fulſiſſe capite glorioſas. *Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis: quidni coronent ſidera quam Sol veſtit.* Supereſt vt terra ſuo non deſit muneri, ſed & appendat coronas huic Reginæ, cuius ſuffragio pax ſumma non tantùm eſt inita, ſed etiam homo cæleſtia demeretur. In more poſitum erat priſcæ Romanorum genti, vt adnaſcente filio, mox coronæ apponerentur pendulæ de porta parentis, vt meminit Iuuenalis.

EX SS. PATRIBVS. *S. Bernard. ſerm. in Signũ magnum.*

——— Foribus ſuſpende coronas
Iam pater es.

Iuuenal. Sat. 9.

Nam Coronas ſeu Roſaria ſollicitat ille ritus

nam

Coronæ olim ſuſpenſæ foribus eius, apud quem natus erat primogenitus.

nam Mariæ & Regina eſt, & parens. *Foribus ſuſpende coronas*, ſi vis eam parentem. Si negas vſum Coronæ tuæ; negas eam & matrem. Inſtat illa tibi dies extrema, in qua fortè morieris indignatus Virginis ſuffragio, quia ei Coronam pendere dedignaris.

Miſit Anglia Mariam ſuam coronatam, nec fleuit abeuntem; ſciebat enim eius abſentiam fore proficuam regno, quod ſic Galliæ fœderatum, diſceſſu Mariæ firmiùs ſtabat. In Deiparæ diſceſſu à terra non eſt quòd lugeat terra, ſed potius illam multiplici corona donatam comitetur. Audi Bernardum.

S. Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.
Mariæ abſentia non eſt lugenda nobis.
Iudith. 3.

Quantum de eius præſentia cælum exultat, numquid non conſequens eſt, vt tantum lugeat hic noſter inferior mundus eius abſentiam; ceſſet tamen querela noſtra. quia nec nobis hic eſt manens ciuitas, ſed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta peruenit. Maria non ita exoſa terras in cælum euecta eſt, quin ſæpe ſuis homines dignetur obtutibus. Fidenter dicam, & nil diſſonum à mente mea. Maria frequens adeſt nobis, & toties, quoties illi adſumus: eo illam excipiamus occurſu, quo Syriæ populi Holofernem, quem tamen inſipientes illi in ſuam perniciem adſciuerunt. Adeò perculit gentem illam Holofernes, vt cum facta gens propitium, iret obuiam ei cum coronis. O homo, Mariæ occurre cum Corona ſeu Roſario; æquiorem facies tibi, quam fortè retroacto tempore tu læſiſti, eius patrocinium redime Coronis, quod tu crebris & noxiis actibus, quondam impius abdicaſti.

Ex Historia.
Duplex in vita Clodouei.
Coronâ oblatâ Pontifici Clodoueus ſuum obſequium teſtatus eſt.

. Coronæ obſequium Deiparæ exhibitum, argumentum eſt hominis frugi, vitæ reprobæ deſertoris, & Mariæ cultum meditantis, vt & videre eſt in Rege Clodoueo Anteſignano Regum initiatorum fidei myſteriis. Rex ille vitam gentilem exoſus dedit nomen ſuum Chriſto; quod vbi reſciuit Anaſtaſius Imperator, coronam auream mittit, præmium facinoris egregij: ſed Rex, Eccleſiæ cuius erat Neophytus, ſuum animum gratum exhibendo conſecrauit. Sic indubia Regis fides patuit. Vis, ô homo, vitæ melioris indices dare, venerare Mariam; ſi penes eam repoſueris Coronam, eris eius iuris, nec quiſpiam te impune laceſſet. Igitur quis adeò mentis inops, vt abiuratâ omni vecordiâ, & hauſto ampliori ſpiritu, nolit Mariam Coronæ obſequio demereri.

Philoſtrat. in vit. Apollony.
Corona ſolē cingens necem notauit Domitiani.

Cùm dico Mariam nobis propitiam hoc Coronæ penſo, internecionem etiam loquor omnium hoſtium, quorum quotidie percellimur inſultibus. Sicut enim vallo in orbem circumducto caſtra cingunt qui patent hoſti; ita & Corona Mariæ ſodalem adeò ſecurè vallat, vt dæmonum aſtus, inſidiæ etiam cautiores, & valida conamina facili negotio diſpeſcantur.

Ad hoc alludit Appollonij famoſi olim Magi fatidica aſſertio. Is in celebri ſuperboque hominum conſeſſu, animaduertit, Solem corona cingi, illico exclamauit: Miles cui coronæ nomen ineſt, occidit Dominum Imperatorem noſtrum Domitianum. Scitum eſt poſtea, eâdem horâ ceſſiſſe fatis, milite Stephano nefarium hominem obtruncante. Stephanus Græcè Στέφανος coronam ſonat, & corona cingens Solem lethalis extitit impio Imperatori. Hoc tibi ſtatutum eſto, ô homo, Coronam Roſarij vbi Lunam, id eſt Mariam cinxerit, dæmonem, in cuius iura abieras, illico perdere: nam Princeps huius mundi eiicitur foras, cùm Roſario addicti, Virginis Deiparæ obſequio deuouemur.

Scrupulum credo mouet coronæ vocabulum, quaſi iniuriam Deo, cuius vt Regi ſæculorum immortali, eſt omnis honoris ſymbolum ſine nota, vt eſt corona. Occurro dubio vexanti animum innoxium, & dico, verè coronas eſſe inſulas dignitatis ſummæ: ſed Deum, qui Deos nominat electos. *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Et Moyſi loquens. *Ego te conſtitui Deum Pharaonis.* Aio, inquam, Deum qui nos vocat in partem nominis ſui, etiam Sanctos diademate coronare. Aduerte tamen ſoli Deo ex natura ſua coronam competere; nobis autem ex indulto, inquit Dauid. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* Si ergo nobis qui vilia tantùm ſumus capita, vſus coronæ conceditur in ſtatu beante; quidni & Mariæ hic dotis eximiæ titulus vltro detur, nemine reluctante?

Pſal. 81.
Exod. 7.
Auguſtæ datur priuilegium Imperatoris.
Pſal. 102.

Fauent leges, Imperatricem vocantes in ius Regni. *Princeps legibus ſolutus eſt: Auguſta autem, licet legibus ſoluta non eſt; Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent.* Suffragatur Arnoldus Carnotenſis coæuus S. Bernardo. *Nec à dominatione vel potentia filij, mater poteſt eſſe ſeiuncta; vna eſt Mariæ & Chriſti caro, vnus Spiritus, vna Charitas, & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum & donum. Vnitas non recipit diuiſionem, filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico quam eandem.* Hinc liquet non eſſe iniurios Deo eos, qui Mariæ obſequuntur. Adeò verax eſt Arnoldus, dicens communem eſſe gloriam Matris, & filij, vt nihil honoris deferamus Matri, quin honor ille in filium reſiliat; vt videre eſt in Roſario ſeu Corona, vbi ita eſt inſerta Oratio Dominica Angelicæ Salutationi, vt huius Coronæ decimas quaſque velit Deus; vt ipſemet olim decimas rerum omnium, ſanctione cauerat ſibi conſecrari. *Quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* Huic præſcripto Dei morem gerunt illi, qui recitant Roſarium: nam auſpicantur ab oratione Dominica, quâ peracta, decies Mariam ſalutant, dicentes Aue Maria. Hinc quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino, nam exhauſtis his decem Aue Maria, repetitur Pater noſter, Deo ſic ſuas decimas ſibi vendicante.

Ex Iure Ciuili.
L. Princeps ff. de legib.
Arnoldus Carnotenſ. de B.V. Maria.
Mariæ dominatio non eſt ſeiuncta ab ea quæ ad filium pertinet.
Leuit. 27.

Præleius verè fuit Salomon huius ſacri myſterij, atque ritus in fabrica coronæ ſuæ aureæ, quam (vt Cedrenus ſcribit) fecit liliatam, ſpinis intertextis, floribus liliorum, exaratis maiuſculis hiſce literis. VICTORIA AMORIS. Roſarium enim liliis conſtat, ſpinis interiectis: nam myſteria Paſſionis, & alia gaudioſa, alternante corona ſubſequuntur. Dicetes, Roſarium eſſe coronam victoriæ amoris: nam inſtituta myſteria Roſarij epitomen texunt vitæ Domini IESV, quæ cùm ſit argumentum amoris Dei in nos, quo amore actus dæmonem vicit, noſque ſibi iure perpetuo deuinxit. Hanc totam amantiſſimam ſeriem vitæ Chriſti Corona recolimus, quam poſſe vocari victoriam amoris, quis quæſo queat inficiari?

Ex Historia.
Andreas Fauen. hoc ex Cedreno refert in hiſtor. Nauar. lib. 16.
Corona aurea Salomonis fuit liliata.

Tom. I.

BBb 3 Igitur

Ex SS.Patribus. S.Ildephonſ. de V. Maria, c.12. Mariæ cultus, filij obſequium eſt.

Igitur non cauſetur impius nos Deo iniurius, cùm Mariam coronis excolimus: Dei eſt, quod eſt & Mariæ; filij eſt quod & Matris, quæ habet à filio quod ſit Alma Redemptoris Mater; & S. Ildephonſus Dei cultum indubium, & ei perquàm acceptum, ex iugi pioque in Mariam obſequio ſedulus inueſtigat. Audi illum ſic orantem Dominum rerum conditorem. *Ita ſeruiam matri tuæ, vt ex hoc ipſe me probes ſeruiſſe tibi; ita hæc dominetur mihi, vt ex hoc nouerim me placuiſſe tibi; ita dominium eius me teneat in ſæculum, vt tu ſis Dominus meus in æternum.* Audis Mariæ dominium in nos, ipſo eo nos totos Deo mancipare.

Nec vacat myſterio quòd Sanctus inſtitutor Roſarij vocetur Dominicus, quia ille Mariam excolendi ritus eſt totus Dominicus, vt Dei dominio & Mariæ rerum Dominæ addictus, in cuius instituti gratiam, ſacra illa familia Sancti Dominici eſt tota Dominica; ex qua Thomas, Theologiæ apex & dominus, & Sancti Pontifices Eccleſiæ Domini fauſtè prodierunt. Annon ex nomine Sancti Dominici inſtitutoris Roſarij, coniicere liceat dominium ei, qui Roſarij Mariæ erit cultor impiger? Ad hoc collimat augurium, quo Ægyptius libertas permiſſa eſt redux, cùm Romani Imperialia ſigna inferrent in Ægyptum; quod vbi reſcitum eſt Romæ, lege cautum eſt, ne Conſules vnquam in expeditione Ægypti, ſuæ dignitatis illic indices inſulas explicarent. Angelus nequam non eſt neſcius reprobos verè Ægyptios anima nigricante, iugum ſuum excuſſuros, cùm Coronas Mariæ, indices dignitatis eius, piè recitarint. Nihilque eamobrem adeò ingratum dæmoni, quàm Corona ſeu Roſarium, cuius deuotio piè exhibita Virgini, non eſt ſalutis æternæ vltimum argumentum.

Alex. ab Alex. dier. Genial. l. 2. cap. 17.

Corona in labaro propoſita ad animos erigendos.

Ex Symbolis. *Typotius lib. Symbol.*

Nec ineptè Virginis huic Coronæ affinxerim illud ſtratagema Regis Angli Henrici V. quo ſuos milites vrgebat ad bellum ingraueſcens contra Gallos. In labaro ſuo ſeu vexillo regio pinxit coronam liliatam, quæ Gallorum eſt, hoc titulo. IMPERII SPES ALTA FVTVRI. Quaſi diceret: ô milites, hæc nos corona manet, ſi bellum more fortes huic belli indicti negotio gnauiter incumbamus. Vbique patent labara & vexilla Mariæ ſacra, pendula de tholis Eccleſiæ, quibus Coronæ depictæ ſunt; reuera hæc Mariæ corona eſt IMPERII SPES ALTA FVTVRI: habet enim quod ſperet Mariæ cliens; futuri imperij arrhas dat hæc Corona. Denique Mariæ cultui addictus, beatos fore clamat hæc teſſera pietatis: vt quid ergo alios ritus inueſtigas orandi, & demerendi Deum; inſta Coronæ Virginis, & illam gratiam impetrabit, quâ noxius antea vitam agas innoxiam, penes quam eſt imperij ſpes alta futuri. Mariæ totum te deuoue in hoc Coronæ penſo, in quo eſt IMPERII SPES ALTA FVTVRI. Denique hoc ſit tibi ratum, eum, qui ſuum Mariæ nomen dedit, nunquam ex libro Beatorum expungendum.

Mariæ & Chriſti eſt commune præconium.

Summa pretij, quod ineſt Roſario, attenditur ex eo quòd Deum impenſius hoc ritu veneramur, quàm ſi alias funderemus tantùm preces directas ad Deum. Regem enim ille magis ſuſpicit, qui tremulus adit, interiecto aliquo mediante, quàm qui auſu temerario ſe obiicit Regi; & hunc aditum ad Deum plenum vtique reuerentia præſtat Roſarium, quo Deum colimus quidem, ſed Maria Virgine mediatricis vices obeunte. Rurſus intima filij & Matris affinitas, cultum Mariæ non diſpeſcit ab eo, quem titulo potiori filio deferimus, vt ait Arnoldus. *Cùm debitæ venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper; quod Maria ſit gratia plena, manifeſtum eſt, indiuiduam eſſe matris & filij gloriam, & commune eſſe vtriuſque præconium.* Quaſi diceret omne decus Matris in filium Deiparæ redundare.

Ex SS.Patribus. *Arnoldus Carnotenſ. de Maria.*

Igitur cùm dæmon videat & inuideat, ſalutis æternæ momentum ineſſe non modicum Roſario; ſpiritus ille lucifuga totus eſt in fideles auertendo ab hac vtili methodo Virginem demerendi: nec ita laborat in expungenda Dei memoria à cordibus noſtris, quàm deſudat in tollenda idea Virginis: quippe ſcit ille ſalutis noſtræ oſor acerrimus, non nutare ſalutem huius, apud quem frequens oratio, cui Virgo propitia perennabit. In huius rei typum accipe odium, quo Sara ferebatur in ancillam Abrahæ nomine Agar, cuius filium Iſmaël ferre nequibat, vt puerulum eiiceret: orat Abraham, vt matrem exturbet & natum ſimul. *Eiice ancillam hanc, & filium eius.* Nimirum ſciebat, ſtante matre, filium reducem fore, cuius aſpectu ipſa miſerè vexabatur. Eſto, ô Sara, oderis Iſmaëlem. Quid peccauit mater, quæ Dei nutu puerulum enixa eſt? truderur foras infans: ſed quæſo te, inquiebat Abraham, mater ſit ſuperſtes. Minimè verò, inſtat Sara: Eiice ancillam hanc, & filium eius; vbi nota, illam non vocare Agar Matrem, ſed ancillam hanc: & id in odij, quo eiiciebatur in eam, maximum argumentum.

Geneſ. 21.

Mariæ cultum diabolus conatur impedire.

Id ego pace dixerim Saræ mulieris ſanctæ, odium implacabile illius, Symbolum eſt eius ſimultatis, quam exercet in nos dæmon. Ferre nequit Ieſum noſtris in ædibus; non ſuſtinet puerulum hunc ſanctum, noſtris abditum cordibus. Mittit ſpiritus auerruncos, qui Ieſum exturbent; morem gerunt vltro ſpiritus illi nequam, hominum oſores perpetui, ſitque vt dæmone impulſore Deus à reprobis abiuretur. Gratia Dei ſic ab homine expuncta ob lethale peccatum, quod dæmone ſuaſore contraxit, ſpiritus ille nequam redit ad auctorem, ſcilicet ad Diabolum cuius eſt aſſecla: exigit ille ſeriem rei actæ in hominis perniciem. Ego, inquit ille, hominem hunc mihi ad perdendum commiſſum, feci periurum, infidelem, & rapacem, hiſque artibus puerulum Ieſum eieci foras; etenim puer ille cum reprobis minimè commoratur. Ad hæc dæmon ſuperioris ordinis, qui ius habet in cæteros petit, an Mariam adhuc matrem pueri eiecerit, id eſt an hominem à Corona recitanda diuerterit; an nauſeam ingeſſerit Roſarij, cæteriſque cultus in Virginem. Cui tentator: hoc equidem non potui nec poſſe reor; quia deprehendi adeò addictum Mariæ, vt licet vitiis indulgeat, nequeat tamen vllis actibus impediri. Sæuit tunc Archidæmon, vrget,

inſtat,

inſtat, i celer, accelera. *Eiice ancillam hanc & filium eius.* Mariam vocat ancillam, quia ipſa ſe dixerat ancillam Domini: redit hic ſuſurro tartareus, hominem ſugillat, tentat, tantaque ſuggerit in Mariæ cultum, vt fieri ſegnior incipiat homo ille, atque in Roſario ſuo dicendo remiſſior, ſenſimque irrepente acedia pergit in Virginis obſequio nauſeare.

Demum ingraueſcente aſtu Sycophantæ ſpiritus, homo vacat à Corona Virgini expendenda, fitque ei Maria extorris, quâ eiectâ, dæmon animam hanc facit ſui iuris; nam Mariâ eiectâ non eſt ſpei locus: Mariæ verò cultu ſtante, filius Matrem inuiſurus hominem Mariæ matri acceptum, in ſuam gratiam recipiens, in huiuſce tandem hominis propria reduxiſſet: etenim dæmon nullius ſalutem deſperatam nouit, quamdiu Mariam recolit; ſed vbi quis deficit a Mariâ, ea defectione æternum defectum à rerum omnium effectore Deum meditatur. Cum enim nemo ſaluus fiat inconſultâ Mariâ; quomodo emerget qui cultum eius impius abdicarit? S. Damaſcenus eam vocat. *Generis noſtri reuocationem* τὴν προσκυνῶμεν τοῦ γένους ἀνάκλησιν. ἄρτι γὰρ τὸ καθ' ἡμᾶς σύζυγες ἀρχὴν λαμβάνει θεώσεως. *Adoramus generis noſtri reuocationem; iam enim quod nobis cognatum eſt, initium capit deificationis.* Qui ergo abiit à reuocante, quem poſtea patronum pœnitens inuocabit?

Maria eſt generis noſtri reuocatio.

Ex SS. PATRIBVS. S. Damaſc. orat. de Natiuit. Mariæ.

Malo quondam omini datum eſt quod fulmine icta ſtatua Cæſaris, corona excidiſſet è vertice; ſiquidem Augures inde mortem Cæſari inſtare intulerunt, fidemque fecit augurio caſus iniquus, quo Cæſar occubuit. Nos item Eccleſiaſtæ ſeu præcones verbi Dei, cùm audimus, pleroſque tepere in obſequio Deiparæ, eóque deueniſſe deſidiæ, vt vacent à Corona Mariæ perſoluenda; talibus iniquam ſortem imminere breuiter ominamur: Nec fallit augurium, iuxta Auguſtini præfatum. *Qui recedit à miſericordia ſubſequente, incidit in iuſtitiam perſequentem.* Et hoc deſleuiſſe Vatem liquet ex Threnis eius. *Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis quia peccauimus.* Vbi nota, coronæ caſum præire peccatis: nam ait, cecidit corona; demum ſubiicit, væ nobis quia peccauimus; quaſi innueret, malorum iliadem homines hos manere, qui à dicenda Corona Deiparæ feriantur.

S. Auguſt.

Thren. 3.

Hac cautelâ quidem Imperatores prouiderunt ſibi, contra ſubitaneos fulminis deſuper illapſus: coronas texuerunt ſibi è lauro, cui vis ineſſe dicitur inimica fulmini. Hoc modo Deus occurri vult dæmonum inſultibus, quos Chriſtus Dominus aſſimilat fulguri dicens. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Huic fulmini tartareo Deus obiecit Coronam ſeu Roſarium, quo dæmones eludimus, hoc tutamine fortiores.

Luc. 10.

Hac Corona Deiparæ ſeipſum tutatus eſt contra inuidiam Conſaluus ille Magnus, quo victore Regnum Neapolitanum ceſſit in ius Ferdinandi Regis Hiſpanorum: timebat Rex Hiſpanus, ne Conſaluus bello clarus typhum inde colligeret, quo turgidus aliquando ad ſui perniciem, & regni dedecus intumeſceret. Rex cautus, fortunam veritus ſecundam hactenus huic Heroi, illum redegit in ordinem, anſâ, vt libuit, captatâ; nimirum nuſquam Regibus deeſt occaſio quidlibet audendi. Itaque Dux aliàs caſtris aſſuetus, & frequenti cinctus ſemper coronâ militum, priuatus ſecedit in propria, vbi nihilo ſegnior factus, vir bello clarus multaque lauro inſignis, facinus edidit nouo titulo laureandum. Scilicet coronam illam multorum bellantium, quibus præficiebatur, commutauit in aliam coronam vtique Deo gratam: nam ſemper Coronam ſeu Roſarium geſtans, ita ſe aptauit huic Methodo exorandi Deiparam; vt in fortuna, cuius mœrorem coronæ ex lauro leuare non poterant, vna recitata Virginis Corona licitos omnes ei ſenſus omnino temperaret. Annon Deipara iam anteuertit ex hoc ſæculo præmia, quæ ſeruulos eius ſpectant? Quidni in hæc verba ſonent. *Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Si nos affari poſſes, ô Conſalue, tuas iam exoſus coronas & triumphos; fatereris ingenuè plus debere te Roſario, quàm aliis ſæculi pompis, & trophæis, quæ ficta duntaxat gaudia mentiuntur.

Ex HISTORIA. Baudier in vita Ximenis. Paul. Iouius ſcripſit vitam Conſalui.

Prou. 8.

Sed quia bonum non eſt bonum, niſi benè fiat; & ex Sancto Thoma bonum non à fine tantùm ſit tale, ſed & à circumſtantiis comitibus actionis, ex qua bonum tale emergit, duo petit Virgo, vt capiti ſuo aptare poſſit noſtras coronas, quæ illi non arrident, ſi ea ſerie quam vult Virgo, coronæ hæ noſtræ minimè contexuntur. Primum quod exigit illa Deipara, eſt animæ collectio, vt attenta vacet obſequio Virgini præſtito, in illo exhibendo penſo; neque fruſtra vocant Roſarium tres Coronas Mariæ, in vnum gyrum coëuntes, ſiquidem omnigeni flores illic adunati, hanc coronæ mirabilem faciunt in honorem Deiparæ contexturam.

Ex THEOLOGIA. S. Thom. 1. p. q. 5. art. 3.

In his floſculis aduerto flores Amygdali eſſe perquàm gratos Deo: nam erumpentibus his floſculis è virga Aaron, ſortitus eſt ille Pontificatum Hebræorum; quia cùm Pontificis obeundæ vices, ſint iuges formulæ deprecandi Deum, abſolutam refert orationem Amygdalus: quippe ei eſt hominis teſſera deprecantis. Idque licet ex tribus, quæ principes ſunt partes Amygdali, ſcilicet folia, flores, & fructus, trunci ſobules adæquata. Folia Amygdali ſunt efformata in modum linguæ quâ diſtinctè verba ſunt efferenda. Flores quintuplici ſciſſura diffiſi manum delineant, quæ quinque digitis diſpeſcitur. Fructus inſtar cordis eſt. Actus innoxij ex digitis, & attentio ex corde admodum bellè figurantur.

Coronæ tres in Roſario B. Virginis quid figurent.

Sunt & qui ingenioſè dicunt, arborem Malum typum eſſe Roſarij, quia genuinè refert in fructu ſuo triplici, triplex genus myſteriorum, quibus tres Coronæ Roſarij benè coaleſcunt. Scilicet in arbore malo, eodem aſpectu fructus ter variant. Videre eſt illic mala aurea velut aurum, alia viridia virore viuaci, ſed hæc immatura, alia demum enaſcentia, quæ tria ſic Roſario Deiparæ coaptantur. Poma enaſcentia delineant myſteria gaudioſa CHRISTI recens nati, aut Concepti, vt ſunt Annuntiatio, Viſitatio, Natiuitas, Præſentatio in templo, & Inuentio in templo. Poma immatura virentia congruunt myſteriis doloroſis amarorem ſonantibus: ſunt

autem hæc. Oratio in horto delibuta ſanguine deſudato, Flagellatio, Coronatio, Crux baiulata, & crucifixio. Poma aurea glorioſis conueniunt myſteriis, quæ rutilant affulgente illic gloria Dei. Hæc habes & ſunt iſta, Reſurrectio Chriſti agnita primò Virgini, Aſcenſio, illapſus Sancti Spiritus in die Pentecoſtes, Aſſumptio Mariæ, denique eius in cælis coronatio: quæ omnia myſteria numero quindecim, abſoluunt Roſarium, & illud dicenti meditanda cuilibet exhibentur.

Poma hæc non ſunt illota manu decerpenda, ſed illibata prorſus à ſordibus; & eſt vltimum quod incumbit onus in decurrenda iſta materia, ſcilicet Roſarium debere dici mente deſæcata à noxiis: nam ſi licuit Poëtæ hoc verè enuntiare.

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

Corona B. V. qua debeat dici puritate vt placeat Deo.

Theologi habent & affine dogma, non eſſe grata Deo plenè opera, quæ emergunt ab homine ingrato; ingratum autem eſt id omne quod excidit à gratia, qua primitus vt lumine coruſcabat. Vt ergo Mariæ arrideant Coronæ quas illi pendimus, tollator obex, id eſt peccatum omne diluatur, vti par eſt, ſi velimus euadere ſortem, in quam incurrit ille qui incautus attulit ad Dauidem Diadema regni, manibus regio ſanguine cruentatis. Erat ille vir è caſtris Regis Saül, cuius occiſi diadema detulerat offerendum ſucceſſori: & vt maiorem iniret gratiam apud Dauid, ait illi. *Stans ſuper eum, occidi illum.* Quod ſcelus exhorreſcens Dauid, morte ſubita diluit piaculum dicens. *Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini: ſanguis tuus ſuper caput tuum.* Idem ſane & ille te manet exitus, ô homo, qui Mariæ obſequium ementiris. Si animo peccatis obnoxio ad Mariam accedis, illa ſanguinem Chriſti agnoſcit: quippe omnis lethaliter peccans, conſcius eſt ſanguinis Chriſti, quo vt recens fuſo calet anima noxia. O auare, ô helluo, ô ſuperbe, ô reprobi omnes, addicti Coronæ ſeu Roſario, & qui dediſtis nomen cœtui illi ſacro; cauete, ne illotis manibus Mariæ Coronam hanc offeratis, manibus Chriſti ſanguine deliburis. Lachrymis, ô homo, dilue quas circumfers adhuc ſanguinis impiè fuſi labes; alioquin Maria dicet: Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini, fietque in te quod minatur Pſaltes. *Fiat oratio eius in peccatum.* Cautior itaque alieno periculo effectus, aſta Mariæ, & inolitum tibi penſum ſolue, id eſt Roſarij exhibe Virgini Diadema,

2. Reg. 1. Coronam Dauid horruit oblatam manibus ſanguine regio cruentatis.

Pſal. 108.

Arbores infructuoſæ ineptæ ſacris Alex. ab. Alex. l. 4 c. 17.

Ad hoc alluſit Gentilitas, etſi ſæpe cæcutiens. Etenim coronas Sacris adhibebant priſci illi gentiles, quas ex arbore frugifera decerpebant: nimirum ſteriles, & infœcundas arbores abhorrebant, vt ait Alexander. *Arbores quæ non fructum ferunt, infauſtæ habentur omnibus Sacris, & damnatæ religionis.* Igitur, ô Chriſtiane, arbor es infructuoſa, & infauſta Sacris Mariæ, ſi ab opere Deo grato piger otiaris. Si quem fraudaſti, redde quadruplum, & ecce fructus pœnitentiæ; ſi quem læſiſti, occurre damno, alioquin eris obnoxius Iudæ Apoſtolo vocanti ſimiles tui. *Arbores autumnales, bis mortuas, eradicatas, quibus ſeruata eſt procella tenebrarum.* Cæterum ſi fueris arbor virtute ferax, poteris Virginem ſic exhibito Roſario compellare; & in hoc tibi præit Auguſtinus. *Accipe Virgo quaſcumque meritis tuis impares gratiarum actiones, accipe preces noſtras intra ſacrarium exauditionis, accipe quod offerimus, redona quod rogamus, quia tu es ſpes Vnica peccatorum. AMEN.*

Iuda 1.

Maria oranda vt gratas habeat noſtras preces.

TRACTATVS ALTER
DE ENCOMIIS ET CVLTV BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Priuilegia conceſſa Deiparæ Virgini ab ortu eius vſque ad occaſum.

§. I.

Ex SS. Patribvs, Ex Ivre Canonico, Ex Historia.

Plutar. in Themiſtocle.

GRæcia fatiſcente malis, quæ inteſtina ſecum bella trahunt, Athenis indicta ſunt comitia, vt exceptis omnium ſententiis iretur obuiam ruinæ, quæ inſtabat. Hinc & inde plures remedia propoſita; ſed hæc omnia ad trutinam maturi iudicij appenſa, viſa ſunt incongrua, & intempeſtiua malo vigenti, cui erat opportunè cito eitiùs occurrendum. Itaque fluctuabant illa coacta gratis comitia, nullo reperto ſatis ſalutari conſilio; cum ecce nequam & triobularis homo, de populi fæce prodit, copiamque petit fandi. Annuente Themiſtocle comitiorum præfecto, præfatus homo licet inglorius media propoſuit idonea, quorum obſequio Græcia ſarta tecta foret, pelluerentque mala, quæ diſcrimen extremum Græciæ minabantur. Dubius hæſit Themiſtocles, neſcius, eſſet adhibenda fides necne viro nihili & flocci; eſto benè opinatum eſſe virum hunc aſſereret: metuebat enim ne abiecta viri conditio detraheret aliquid merito conſilij, quod ille licet humilis ingeſſerat. Vt aſtutus erat Themiſtocles, ita cauit dubio. Iuſſit hominem nominatum, & de Republica Græca benè meritum proponere rem eamdem, vt auctoritate probi innixa viri, melior appareret. Hæc

Themiſtoclis induſtria.

Malorum ſententia licet bona fidem non habet.

placuit

placuit induſtria comitiis: ſtatim enim atque prudens ille vir & famoſus prælibata viri plebeij conſilia recenſuit, quæ neglecta prius fuerant; omnes in eamdem iuere ſententiam, cuius cenſores erant quando vilis homo ſuggeſſit eam: tantæ molis ſunt effata viri, cui virtutes magnum fecere nomen, quemque probant omnes vt inſigni meritorum pondere commendatum.

Animo meo inſedit idem Themiſtoclis æmulari factum: cùm namque mira meis chartis inſcripſerim de Beata Virgine Deipara; exurget ex aduerſo Momus hæreticus obſtrependo, nona eſſe Virginis encomia, eſto mihi Patres Sancti concionant. Ne ergo detur anſa viris impiis declinandi in Mariam, teſtes abhibebo ſine exceptione fidos, Sanctos ſcilicet Patres, necnon hæreſiarchas, vt videant noſtrates hæretici non ſolùm Sanctos Eccleſiæ doctores, ſed etiam patriarchas ſuos, ipſorum in Mariam ſcommata deteſtari. Ordiar ab ortu illibato matris Dei, cui adſtipulatur Origenes. *Mater* (inquit) *immaculata, mater incorrupta, mater intacta*, &c. *Quæ neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, neque eius afflatibus venenoſis infecta eſt.* Rurſus ille nihil omnino niſi altum & ſublime reuoluens animo, cùm de Maria cogitat, ita fatur. *Reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ: in quam humilitatem reſpexit Dominus? Quid habebat mater Saluatoris humile & abiectum, quæ Dei filium geſtabat in vtero? Quod ergo dicit. Reſpexit in humilitatem ancillæ ſuæ, tale eſt quaſi dixerit: Reſpexit in iuſtitiam ancillæ ſuæ, reſpexit in temperantiam, reſpexit in fortitudinem, atque ſapientiam. Dignum quippe eſt, vt virtutes reſpiciat.*

Maria immaculata.

Origen. hom. 1. in diuerſ. Hom. 8. in Luc.

Humilitas virtutes omnes notat.

Fortè quia humilitas omnium virtutum agmen habet, quo ſtipatur; Origenes arbitratur, virtutes omnes, quæ influxerunt in Mariam, humilitatis eius nomine deſignari. Non eſſe nouam ſententiam de immaculato Virginis exordio in humanis, præter Origenem, multi præterea Patres & famoſi naſcentis Eccleſiæ teſtantur elogiis egregiis, paſſim ab ipſis ſonorè atque luculenter in hoc themate decantatis. Ita Cyprianus effert laudibus hanc Virginem. *Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vſuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum eſt, ideoque innoxiam affligi non decuit; nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſeſſeretur iniuriis: quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritali & corporali intus & extra Chriſti præſentia fruebatur.*

Cyprian. ſer. de Natiuit. Chriſti.

Maria vas electionis.

Cypriano fuit ætate ſuppar Gregorius Neocæſarienſis, adiiciens & ipſe ſuum calculum in gratiam eius, quæ refulſit in Virginis anima & corpore ſanctitatis. *Maria* (inquit) *ſic gratiâ plena dicitur, quod in illa Virgine totius gratiæ theſaurus reconderetur, quæ ſola ex omnibus generationibus ſancta corpore, & ſpiritu fuerit.* Si ſancta fuit; ergo ſibi conſtans nullibi vitiata. Athanſius in eo argumento ſuam ſententiam liquidiùs explicat: conceptionis namque memor, eam ſic commendat, vt ab ea ſanctitatem huius Deiparæ Virginis auſpicetur. *Idcirco* (inquit) *gratiâ plena cognominata eſt, eò quòd adimpletione Spiritus ſancti omnibus gratiis abundaret, & virtute altiſſimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus, etiam habuiſſe confido. Neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe.* Ephræmus eiuſdem æui auctor, non cunctatur eam ab omni macula prorſus immunem aſſerere, prædicare. *Intemerata* (inquit) *prorſuſque pura Virgo Deipara, Regina omnium, ſpes deſperantium. Domina mea glorioſiſſima eademque optima ſublimior cælicolis, purior Solis radiis & ſplendoribus, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim.* Ecce beato illi coæuum & alium Sanctum, ſcilicet Epiphanium dulciter occinentem. *Virgo* (inquit) *eſt lilium immaculatum, ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancillam digna, & mater ſancta, mater immaculata, ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis.*

Greg. Neocaſ. hom. de Annunc.

Maria ſancta corpore & ſpiritu.

Athanaſ. ep. ad Epictetum

Maria ſancta à conceptione

Ephræm. orat. de laudibus Mariæ.

Maria Sole purior.

Epiphan. de laudibus Mariæ.

Chryſoſtomus eſto, ſupra omnem aliorum eloquentiam extiterit; attamen ingenuè ſuam fatetur inopiam, commemorando dotes, atque dona, quibus affirmat hanc Virginem creaturis omnibus eminere: vt dixit eam eſſe miraculum, & antecellere omnia, quæ in hoc rerum vniuerſo nitent; eſt in confeſſo, labem, quam nos contraximus in conceptu, procul ab anima ſanctiſſimæ iſtius Virginis amandatam. *Magnum* (inquit) *reuerà Virgo hæc mundi miraculum eſt: ecquid enim in rerum vniuerſitate queat hac maius & ſublimius inueniri? Sola hæc cælum & terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illa ſanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quippiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles vna hac maius aut excellentius inueniri poteſt.* Idem alibi citra vocum omnium ambages, ait eſſe Deiparam à peccati næuis omnibus illibatam. *Miſſus eſt* (inquit) *ſeruus incorporeus ad Virginem immaculatam, miſſus eſt à peccato integer ad corruptionis expertem.* Sophronius eâdem tempeſtate fecit ſibi grande nomen. Ille ſua Deiparæ pendens obſequia nihil prætermittit, vnde queas inferre Dei genitricem neſciuiſſe labem originis, affirmando Matrem Dei gratiarum omnium affluxu fuiſſe ſanè ab omni vitio defæcatam. Sic ille. *Quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas & ſimplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum miſericordia & iuſtitia quæ de cælo proſpexit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt vniuerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus, vt neſciat violari, neque corrumpi vllis inſidiarum fraudibus. Fons ſignatus totius ſigillo Trinitatis, ex quo vita fons manat, in cuius lumine videbimus lumen.*

Maria miraculum mũdi.

Chryſoſt. hom. in hyppant.

Maria ſanctior omnib. hominibus & Angelis.

Idem ſerm. de Annunt.

Mariæ puritas quanta.

Maria hortus deliciarum.

Sophron. ſer. de Aſſumpt.

Maria fons ſignatus.

Maria quare immaculata ab ortu ſuo.

Si in hoc argumento Patres illos deſideras, quos vulgò dicunt quatuor Doctores Eccleſiæ; non cunctabor eos referre, velut Mariam nullam incurriſſe labem originis validè propugnantes. Ita prior Ambroſius deſcendit in arenam contra viros iniurios huic Virgini. *Maria, vt incorrupta ſit Virgo, ſed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Quaſi

Ambroſ. ſer. 22. in Pſal. 118.

diceret

diceret. Mariam immunitate labis originalis ad conceptionem Chriſti fuiſſe cœlitus adaptatam. Hieronymus item ſic in illo Patrum choro canit. *Beata terra Eccleſia, cuius Rex eſt Chriſtus filius ingenuorum, de Abraham, Iſaac, Iacob, Prophetarum quoque & Sanctorum ſtirpe deſcendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id fuerunt liberi. Ex quibus nata eſt Virgo liberior ſancta Maria.* Nota matrem hanc Dei fuiſſe liberiorem aliis omnibus Sanctis; quia illi omnes editi ſunt in vinculis culpæ, quam incurrunt omnes Adamo ſati: at illa beata parens Altiſſimi, citra nodos omnes huius culpæ prodiit expedita. Ideóque quadrat ei præſcium illud Dauidis oraculum editum velut in gratiam Deiparæ, nullis prorſus culpæ nexibus irretitæ. *Cadent in retiaculo eius peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam.*

Hieronym. in cap. 10 Ec.

Pſal. 140.
Maria expedita ab omni vinculo.

Maria ne peccarit dubitare nefas.

Auguſtinus ait eſſe quidpiam indecorum quærere de Virgine Deipara, fueritne labe aliqua infecta: quippe liquet fuiſſe procul ab omni contagio Virginis animam, in quam tot & tanta Dei chariſmata deſuper influxerunt. *De ſancta* (inquit) *Virgine Maria, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam prorſus habere volo quæſtionem. Scimus enim quod plus ei gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Gregorius adeò ſelectis encomiis etiam proſequitur hanc omnium noſtrum Dominam; vt inueſtigare, labem originis contraxerit nec ne, piaculum ſit. *Poteſt,* inquit, *montis nomine beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei genitrix deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. Annon mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſque ad ſolium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinãs ait. Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, Mons quippe fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit: mons quippe & & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, ſacrum præparauit vterum.*

Auguſt. de natura & grat. c. 36.
Maria quare mons dicatur eſſe.
Greg. in lib. 1. Reg. c. 1.

Maria omnem electam creaturam antecedit.

Aduerte, potens deduci argumentum ex præfatis in gratiam Deiparæ. Ait ille verax & ſanctus Pontifex, Mariam tranſcendere altitudinem omnis electæ creaturæ. Ergo cùm Eua mater viuentium edita ſit in gratia, nulla prorſus contracta labe; res eſt indecora næuos inurere velle matri non viuentium, ſed eius qui eſt vita, via, & veritas: alioquin Deiparâ contrahente labem originis, falſum eſſet dicere, Virginem Matrem electas omnes creaturas alias anteire. Luculenter adhuc immunitatem hanc propugnat Ildephonſus Toletanus, auctor ante annos mille florens. De induſtria texuit ille miras & præclaras Deiparæ laudes: & præſertim hoc videtur indixiſſe ſibi negotium, vt probaret Mariam neſciiſſe labem illam, quâ tota proles Adami infecta patrum contagio ſordido conſpurcatur. *Beata*, inquit, *Maria, licet ipſa de carne peccati ſit nata & procreata, ipſaque quamuis caro peccati fuerit, non tunc tam ex præueniente Spiritus Sancti gratia, ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Alioquin ſi non eodem Spiritu ſanctificata eſt & emundata, quomodo eius caro, non caro peccati fuit? Etſi caro eius de maſſa primæ præuaricationis venit: quomodo Chriſtus Verbum caro ſine peccato fuit qui de carne peccati carnem aſſumpſit? Niſi quia Verbum quod caro factum eſt, eam primum obumbrauit, in quam Spiritus Sanctus ſuperuenit, & virtus Altiſſimi totam eam poſſedit? Propterea verè caro eius iam non caro peccati fuit, in qua Deus totum infudit, & Verbum, quod caro factum eſt, ſine peccato ad nos venit, qui iure non ſolum legem naturæ vitiatæ non tenuit in naſcendo, verè nec legem primæ originis, quam haberent fœminæ, ſi mandatum ſeruaſſet mater omnium Eua in paradiſo. Alias autem, quomodo Spiritu Sancto eam replente, non ſine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas glorioſa, Catholica in omni Eccleſia Chriſti ab omnibus felix & beata prædicatur? Enimvero ſi non beata eſſet & glorioſa, nequaquam tam feſtiua celebraretur ab vniuerſis, & vbique. Sed quia tam ſolenniter colitur, conſtat auctoritate Eccleſiæ, quod nullis quando nata eſt ſubiacuit delictis, nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum.* Hactenus Ildephonſus.

Ildephonſus Toletanus contra eos qui diſpu. ant de perpetua virg. Mariæ.

Mariæ caro non fuit caro peccati.

Mariæ conceptio immaculata.

Doctiſſimus atque pius Idiota breui elogio ab omni culpa originali immunem fuiſſe Dei matrem ait. Floruit ille ante annos octingentos, ac proinde valet eius ſententia, vt ſit in confeſſo nouum nos non inducere dogma, labem omnem ab omni experte æui Deipara Virgine longiùs amandantes. *Trahe me,* inquit, *poſt te, ô benedicta Virgo Maria; benedicta ante ortum, in ortu, & poſt ortum.* Ruſus idem refricans encomium. *Tota*, inquit, *pulchra es, & macula non eſt in te, ô pluſquam glorioſa Virgo Maria! Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc ſolum effecta, vt templum Dei eſſes Altiſſimi, &c. In ſumma, nullo vacaſti genere virtutum, ô Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto; & macula peccati, ſiue originalis, ſiue actualis, ſiue mortalis, ſiue venialis non eſt in te.* Profectò nihil in illo magis enitet argumento.

Idiota in contemplat. de B. Virgine c. 1. Id. ibid. c. 2.

Quia crediderc quidam, Bernardum alioquin cultorem Beatæ Virginis, de eius conceptione immaculata fidem habuiſſe dubiam; non erit abs re, recenſere loca, quæ recolunt ortum Deiparæ, vt etiam Bernardi auctoritate fiat liquidior illa concluſio præfata, decus hoc attribuens Deiparæ, vt poſt Chriſtum ſola labem non incurrerit originis, quam omnes Adami vitio contraxerunt. *Cùm*, inquit, *omnimodo conſtet, ab originali contagio ſolâ gratia mundatam eſſe Mariam, vt omnino pium eſt credere; proprium Mariæ delictum non habuit.* Non eum pœnituiſſe talis encomij, hoc etiam effato luculento patet. *Cùm omnes in iniquitatibus concepti ſint; neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Ieremiam & Ioannem Baptiſtam; quamquam & de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, vtpote ſanctuarium illud, in quo Deus & Dei Filius carnem ſuerat ſuſcepturus.*

Bernard. ſer. 2. de Aſſumptione.
Serm. de priuileg. Ioan. Bap.
Maria in vtero matris purior Ieremia & Ioan. Bap.

Serm. de B. V. Maria.

Diſtinguit ille, & equidem prudenter, inter

inter ſanctificationem Ieremiæ & Ioannis Baptiſtæ, & Mariæ: eodem namque modo Ieremias & Ioannes contraxêre labem originis, qua poſtea deterſa, puri erupêre lucis ad vſuram. Sed Virgo immaculata modo alio emerſit & nobiliori, quia neſcia contagij illius conceptio, fuit à colluuie culpæ penitus illibata.

Serm. 4. ſuper Salue Regina.

Denuo Bernardus. *Licet Maria de patrum natura vitiata per peccatum duxerit originem, præelecta tamen per Spiritum Sanctum, & præſeruata.* Denique, ne quis iniurius conceptioni Deiparæ, Bernardum eſſe ſuis à partibus dicat; ſille notam falsò ſibi inuſtam deterget egregio hoc diſcurſu, quem ex compoſito in gratiam conceptionis intemeratæ diceres effinxiſſe.

Maria quare turris Libani.

Sic ergo piu aille cliens Virginis Deiparæ, eam compellando, labia expertem conceptionem eius adſtruit *Turris ex Libano. Libanus mons qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignificat innocentiam. Innocens fuiſti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Vnde auctoritas Auguſtini. Cùm de peccatis agitur, nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem ei credimus collatam virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruerit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc eſt, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo ſola excepta, cæteri omnes quod dicere poſſunt, niſi quod ait Apoſtolus Ioannes. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Ego quoque pia fide opinor, in vtero matris tuæ ab originalibus te abſolutam peccatis, nec vana eſt fides, nec opinio falſa. Denique & rationes & auctoritates inueniuntur iſta adſtipulantes. Et quidem ratio: ſic ſi alij in vtero matris fuerunt ſanctificati, multò magis tu mater Domini; ſed Ieremias & Ioannes, alter ſanctificatus, alter Spiritu Sancto repletus in vtero matris leguntur: ergo & tu Maria genitrix Dei, quæ ſola totam gratiam Spiritus Sancti poſſediſti. Tuum odorem longè ante in filio Patriarcha Iſaac trahebat dicens: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni. Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protuliſti frumentum electorum, quod eſt etiam Angelorum cibus. Te benedixit Dominus, vt per te benedictam vita veniret, ſicut mors per Euam processerat maledicta. De te ſecretorum cæleſtium conſcius Salomon dicit. Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Aurora ſemper noctem ſequitur, nox præcedit auroram. Quid autem eſt nox frigida & obſcura niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentiâ, obſcurum ignorantiâ? Tu ergo proceſſiſti vt aurora lucida & rubicunda; quia ſuperatis originalibus peccatis, in vtero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Inde eſt quòd natiuitatem tuam ſanctam, ſancta Eccleſia feſtiuis celebrationibus honorat, quòd aliàs non faceret.*

Mariæ conceptio quomodo probatur.

Maria ager plenus.

Maria aurora quare dicatur.

Peccatum originale nocti comparatum.

Nulla poteſt auctoritate magis eſſe rata, illæſa matris Dei conceptio, cui & ab Eccleſiâ naſcente Patres præbuêre ſuum aſſenſum. Sed vt euitente Sole, cælum albeſcit, cui nox opaca ſuas tenebras offuderat, & lux diffuſa Solis incrementa capit maiora, die ſe explicante verſus meridiem, ita fides, quam concêpere Patres de Virginis immaculata conceptione, magis emicuit hoc ſæculo, multis ſuper hac quæſtione libris editis, longè latéque pluſquam antea propagata. Credo fore etiam ponderis atque momenti alicuius teſtimonium Sanctæ Brigittæ Deo afflatæ, cui & Concilium Conſtantienſe fidem conciliauit. Scribit hæc beata, ſe dignatam colloquio Deiparæ, & ab ea accepiſſe, neſciam fuiſſe labis eius conceptionem, neque næuos contraxiſſe partum, eſto ſata eis eſſet: Veritas hæc cælitus aperta nobis ne quando excideret, explicata fuit à Sancta Brigitta, & reuelationum eius codice recenſita. Placet & Petri Bleſenſis elogium, quod ante quingentos annos ille expreſſit. *De maſſa*, inquit, *carnis humanæ, quaſi de quadam vniuerſitate frugum, in modum decimæ primitiua, Mariæ caro exempta, & ſanctificata eſt, & de illa ſanctiſſima carne adhuc dignior quædam portiuncula electa eſt, quam ſibi aſſumeret Verbum Dei.* Non erit ingrata Muſa canens ad honorem Deiparæ, quam diſertè probat non fuiſſe labis originalis tenebris obumbratam. Ecce melos perſuaue viri, Deiparam ab omni conceptus nebula vindicantis.

Ex Historia.

Mariæ conceptio immaculata reuelata.

Brigitta lib. 6. reuelat. c. 49.

Mariæ caro vt decimas excepta.

Petrus Bleſenſ. ſerm. 44.

Mariæ conceptio pura egregiè verſibus adſtructa.

Baptiſta Mantuanus, lib. 1. Parthen.

Mariæ conceptio immaculata glorioſa eſt Christo.

Ante teter ſacra fœtus quàm vineret aluo
Conceptus, ne prima nouos exordia pulſus
Indueret maculis, mens ne ſincera nitenſque
Communem imbiberet labem, ac pigra liquore
Pectora lethæo fierent, quæ lactea magno
Pabula, & amplexus fuerant latura Tonanti,
Semine conſuetas ſordes, & virus inuſtum
Diſſecuit, felici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra ſentire, nec illos
Incuſamus, habeat quo ſe tueantur, & olim
Iſta hominum communis erat ſententia: verùm
Iam ſenio exangui frigens, ſua robora ſenſim
Perdit, & amiſſa iam maieſtate recedit
Sponte ſua, ceditque nouo Latonia Phœbo.
Sed prior vt nobis æquum ſentire videtur,
Dignior eſt, & grata magis Nato atque parenti.
Adde quòd & multis fert adiamenta, fidemque
Roborat infirmam; nam nec veniſſe ſub vlnum
Sordo laborantem tali ſublimia cæli
Numina nonnulli ingenio præſtante putarunt.
Quòd ſi ſiderei tanto ſplendoris honore
Fulget, vt æterno qui temperat ordine mundum,
Geſtarit gremio, lactauerit vbere dulci,
Strinxerit amplexu, ſummoque vocarit Olympo.
Quare illam in noſtras opus eſt detrudere ſordes,
Et turpi infeſtare luto?

Vt Chriſto ceſſit ad gloriam, diaboli confeſſio, teſtata verum hunc, quem Iudæi habebant exoſum, eſſe Dei filium: ita Matri Dei non erunt ingloriæ ſententiæ, quas in gratiam eius ortus puri infideles & impij homines ediderunt. Pſapho quidam homo ignotus, indoſtrio commento fecit ſibi nomen vtique famoſum, quippe ſimul congregauit aues vocales, aptas reſonare voces adinſtar hominum. Illas erudiit referre voces iſtas. Pſapho magnus eſt Deus. Edoctas ita demum miſit aues in ſyluas, quæ refricando voces illas, Pſapho magnus eſt Deus, multis ſuſpicionem

Pſaphonis induſtria vt Deus eſſe crederetur.

Max. Tyrius, ſerm. 19.

cionem fecere, Deum eſſe Pſaphonem, qui volucrum barum obſequio ſic populos Lybiæ dementauit. Attamen Coruus indignatus eas voces propitias intento viri huius aucupantis auram popularem, recitare voces illas abnuit ſemper, & eluſit Pſaphonis induſtriam, quæ ſic in coruo caſſa fuit.

Coruus Pſaphonis recuſat eum laudare.

Hactenus in honorem Deiparæ ſuaue melos Patrum inſonuit, & inde dotes eius inſignes accepimus. Præter aues illas mundas, & Philomelas ipſis Angelis aſſuetis cælo gratas; res erit glorioſa ſatis Deiparæ, ſi refero coruos ei pendentes obſequium, quod Pſaphoni Lybico denegarunt. Vt Sanctos dico Patres aues eſſe, melos edentes perſuaue; ita voco coruos, hæreticos, impios, alioſque eiuſdem farinæ homines, qui eſto male loqui, & crocitare ferè ſemper aſſoleant; ſuperſedêre tamen editis in Sanctos iniuriis, quando locus occurrit eis diſcurrendi de Virgine. Itaque credo fore gratum Mariæ cultoribus, coruos audire ſui oblitos, & Mariam egregiis titulis & omni laudum genere recolentes.

Mariæ laudes ab hæreticis.
Eraſm. Roter. in Paane.
In Apologia ad lib. Alberti Py.

Eraſmus Roterodamus, eſto Deo & Sanctis fuerit iniurius; attamen conuiciis non abſtinuit modò, memor Virginis, ſed præclara ſecus de ea ſcripſit. *Tu felix*, inquit, *illa plantula, de Ieſſe radice ſublimata; nihil tamen inde genitalium ſordium trahens: tu ſacratiſſimum pacifici Regis templum, tam magnificum, vt in eo Rex Olympi præſideret; tam ſacrum, vt nulla vnquam peccati labe potuerit profanari.* Rurſus ille. *Quam magnificè ſenſũ de ſacratiſſima Virgine declarat Paan meus & obſecratio tam toties excuſa, ſemperque fauit ſententia qua liberat eam ab omni peccato etiam originali.* Lutherus Eraſmizat, & in hoc argumento ſicut Eraſmus alibi Lutherizat. *Dignum*, inquit, *& iuſtum erat Mariæ perſonam ab originali peccato præſeruari, de qua Chriſtus ſumpturus erat carnem, quæ omnia peccata ſuperaret.* Mahometes etiam calculum ſuum adiecit ei ſententiæ, quæ Mariam vindicat ab omni contagio. *Nullus*, inquit, *naſcitur de filiis Adam, quem non tangat Sathan, præter Mariam, & eius filium.*

Luther. in Euang. de concept.
Mahometes Azoar. 75.

Multis hæreticis idem omnino accidit, quod pſeudoprophetæ Balaam, qui conductus ab impio Rege Balac, vt conuiciis ageret cum Hebræis, ſe quidem accinxit ad maledicendum huic populo electo; ſed vbi coram adfuit, alium prorſus animum induit. *De Aram*, inquit, *adduxit me Balac Rex Moabitarum, de montibus Orientis. Veni, inquit, & maledic Iacob, propera & deteſtare Iſrael. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur?* &c. *Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.* Præfati viri impij de montibus Orientis inſpexere quidem Deiparam, quando eius ortum ſiue conceptionem ſpeculati ſunt. Tres præfatos eſto cacodæmon imbuerit conuiciis & dicteriis in ſanctos, ita tamen perculſi ſunt reuerentiâ in Virginem, vt Mahometem, Lutherum & Eraſmum, inter inuitos & cælitus adactos recenſere queas præcones Virginis orientis. Namque labis expertem dixere matrem Dei: & ab Angelo iniquo licet conducti, vt Mariam iniuriis laceſſerent, non temperauere ſibi tantùm ab iniuriis, ſed etiam in laudes eius ſeſe totos ſæpius effuderunt. Ita Lutherus. *Eo ipſo quòd Maria Dei mater facta eſt, tam præclara & ingentia dona ei data ſunt, vt ſuperent captum cuiuſcunque. Hinc enim omnis honos ac beatitudo proueniet, vt in vniuerſo humano genere vnica perſona ſit ſuperior cunctis, cui nemo ſit par, quod cum cæleſti Patre Filium habet communem.*

Num. 23.
Mariæ conceptio immaculata ab hæreticis probata.

Luther. in Magnificat.

Ioannes Oecolampadius homo nequam & Apoſtata indubium ait eſſe reprobationis argumentum, eſſe malè affectum erga Deiparam. *Rectè*, inquit, *admonet Propheta, vt in Sanctis laudemus Deum. In quo autem plaſmate tam laudandus Deus, vt in Virgine Maria, quam hodie non ſolùm inhabitare ceu templum ſanctiſſimum, ſed ex ea, & in ea carne aſſumpta homo fieri dignatus eſt? Cæli enarrant gloriam Dei: ne inuideant; quem ipſi continere non poterant, Virginis vtero clauditur. Obſtupeſcant Angeli, quòd ipſis præteritis, Rex eorum ad Virginem diuertit. Et quomodo per Mariam laudabilis Deus, in qua ſe oſtentat gratiſſimè, ſi vſpiam diuina commendantur munera, in quam congeſta quæ alicubi diſſeminata; in qua refulgent quæ alicubi niteſcunt? Nam vt homini communicata omnium creaturarum dignitates, ita omnium humanarum eminentiarum iſta particeps eſt. Quid mirum ſi παραβολικῶς, nulli non creaturæ comparetur, dicaturque vt eſt, cælum ornatiſſimum, pulchra vt Sol, electa vt Luna, clarior ſideribus, fœcundior terra, profundior abyſſis, candidior liliis, odoratior roſis, humilior violis: & rurſus procera vt palma in Cades, exaltata vt cypreſſus in Sion, exaltata vt platanus iuxta aquas: exaltata vt cedrus Libani? Et quis colligeret omnia? Si cæleſtes Angelicaque virtutes nobis cognitæ eſſent, in eis liceret nobiliùs cognoſcere, quid illi cum vnaquaque commune? Sed quæ omnes excedit, quæ Regina eſt omnium, quam Deus præ omnibus honorauit, cui ſimilis non reperietur alia, quid non aſſecuta, quod eminentiſſimam probet? Erga eam minus benè affici, reprobatæ mentis indicium exiſtimo. Et quis eſt, qui non rapiatur in amorem eius, quam ipſe Deus deamat, quam venerantur Angeli & Archangeli.*

Oecolampad. ſerm. de laudando Deo in Maria.

Mariam non colere reprobationis eſt ſignum.

Paucis etiam multa concludit encomia vir alioquin blaſphemus, & peſſimus inter omnes ſanctæ Eccleſiæ & orthodoxæ fidei deſertores. Vir ille transfuga ad aduerſa Eccleſiæ caſtra, eſt Martinus Bucerus, qui de Maria malè ſentire nefas immane putat, & à ſingulis quibuſque piis hominibus penitus alienum. *Pius* (inquit) *animus de Maria vaſe tam ſancto atque electo, vt Chriſtum nobis pareret, non niſi ſanctiſſima cogitabit.* Indubium eſt perduelles iſtos legiſſe Patrum oracula, edita in gratiam Deiparæ, & eis accidiſſe perinde ac Saüli, qui malo licet actus eſſet ſpiritu, à quo excipiebatur iniquè; tamen inter Prophetas optimè prophetabat: vnde natum illud adagium. *Num & Saül inter Prophetas?* Præfatos hæreticos inter Mariæ encomiaſtas puduit etiam non aliquid ſimile reſonare.

Mart. Bucerus in cap. 1. Matth.

1. Reg. 19.

***

DEIPARAE PARTV FVIT EIVS *Virginitas illibata.*

§. II.

Ex SS. Patribvs, Ex Historia, Et Symbolis.

Hæretici vt cantharides muſcæ.

Mariæ virginitatem quinam hæretici negarint.

Cantharides muſcas nitela florũ exaſperat; diceres enim muſcas illas virulentas & immundas ægrè ferre flores eſſe puros: quippe ſuas fæces floribus aſpergunt, vt ita decus omne florum excidat. Ecce typum hæreſeos; illa virus ſuum aſperſit omnibus vſquequaque rebus ſanctis, ne ſola putens & turpis eſſet. In his quæ tentauere næuis offendere hæretici, recolitur Mariæ virginitas, quam pariendo Chriſtum ſcripſere viri illi perditi vitiatam. Eccleſia necdum ex incunabulis emerſerat, cùm Cerinthus, viuente Deipara negauit, eam virginem eſſe nato ex ea filio, vt Irenæus ait, qui & hanc blaſphemiam Carpocrati etiam affingit, ſicut & Epiphanius. Origenem & in hunc offendiſſe lapidem, aiunt Ambroſius & Hieronymus. Iouinianus eiuſdem farinæ fuit, auctore Auguſtino. Vt Caluinus adinſtar ranæ fuit, cui cloaca placet; ita nihil prætermittit eorum, quæ alij hæretici obſcœni & impij confinxerunt. Eamobrem ille puritatis expers, & qui malè audiit, crimine nefando notus, ferre nequit, Mariæ virginitatem fuiſſe voto irreuocabili conſignatam. Ne quem fortè lædat illa hæreſis iniuria Deiparæ, vtque rata magis & ſtata fides ſit, quam de Mariæ virginitate concepimus, operæ-pretium eſt inter eius encomia recenſere Patrum ſententias, illi veritati calculos afferentes. De induſtria prætereo illa luculenta Vatum oracula. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Nota, neque Conceptum, neque partum Virgini derogare. Alius item Propheta clamat. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur.*

Irenæus li. 1. c. 25. *Epiph. hæreſ. 27.* *Ambr. in Luc.* *Hieron. lib. 2. contr. Pelagium.* *Auguſt. hæreſ. 82.* *Caluin. in harmo. ad c. 1. Luc verſu 34.* *Iſai. 7.* *Ezech. 44.*

Præſtat poſt hæc oracula, recenſere Patres, prætermiſſis rationibus aliis, quæ ſtabiliunt illud ſingulare Deiparæ priuilegium, primo etiam ſæculo prædicatum. Sic Ignatius ætate ſuppar Deiparæ. *Decebat*, inquit, *Creatorem, non conſueto, ſed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.* Cùm audis admirandum partum, puta natum Chriſtum haudquaquam virginitatis carcere reſerato. Hoc luculenter ait Athanaſius ille malleus hæreſeos. *Virginale*, inquit, *illud clauſtrum, in quo diuinus theſaurus repoſitus fuit, omni ex parte purum, atque impollutum permanſit.* Quia lepida ſunt argumenta, quibus Cyrillus Ieroſolymitanus laceſſit Græcos & Iudæos inficiantes Deiparam ſeruaſſe decus integrum Virginitatis à partu Chriſti; non erit abs re illa paucula recenſere. *Græcus*, inquit, *ex ipſorummet fabulis os obſtruamus. Qui enim dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere poſſe negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali naſci aliquem impoſſibile eſſe dicitis? Qui de femore veſtri Iouis prognatum falsò dicitis eſſe Bacchum, cur noſtram veritatem reiicitis? Iudæus ſic occurrens perquire vtrum eſt difficilius ſenem ſterilem parere, aut Virginem iuuenem generare: ſterilis erat Sara, & præter naturam peperit. Verum difficilius eſt, Virginem parere, aut virgam in animal mutari?* Ita proſſus Græci & Iudæi credidere plura magis difficilia captui.

Ignat. epiſt. ad Heronem. *Athanaſ ſer. de Maria & Ioſeph.* *Cyril. Ieroſol. catecheſ. 12.* *Mariæ virginitas quomodo Græcis. & Iudæis probetur.*

Eſt hic & memoranda diues ſententia Gregorij Nyſſeni. *Eadem & mater, & Virgo eſt. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem ſoluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros, incorruptosque ſeruaret, ab incorrupta ſibi deſeruiente integritate initium duceret.* Virginitatis huius etiam poſt partum aſſertor eſt Tertullianus hoc contextu. *Agnoſco & Angelum Gabrielem ad Virginem miſſum; ſed cùm benedixit illam inter mulieres, non inter Virgines eam deputat, benedicta tu inter mulieres. Sciebat & Angelus mulierem etiam Virginem dici.* Cyprianus huius magiſtri ſui ſententiam veridicam ſuo ſuffragio corroborat. *Erat* (inquit) *Maria proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec antè, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul mater & Virgo ſingulis titulis inſignita.* Coæuus Cypriano Zeno Veronenſis, hac re inſueta, fide non excidit, imò magis eam auxit: quippe fides obducta capit tenebris incrementum. *O magnum* (inquit) *Sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit, Virgo peperit, poſt partum Virgo permanſit.*

Gregor. Nyſſ. orat. de Nat. *Tertull. de vel. virginib. c. 6.* *Maria ab Angelo cur vocata Mulier.* *Cyprian. ſer. de Nat. Chriſti.*

Ambroſius hoc prodigium exemplo probat rerum aliarum, quæ ſunt ſupra fidem hominum, quibus tamen accedente fide potiori, ſcilicet diuina, nemo refugit aſſentiri. *Quid* (inquit) *incredibile, ſi contra vſum originis naturalis, peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra vſum naturæ, mare vidit & fugit atque in fontem ſuum Iordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem, quòd Virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas, & in montis ſpeciem maris vnda ſolidata eſt.* Hieronymus Mariæ virginitatem poſt partum Ezechielis authoritate ſatis credidit eſſe ratam. *Hæc* (inquit) *eſt porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.*

Zeno Veron. ſerm. de Circumc. *Ambr. epiſt. 81. ad Siricium.* *Maria porta clauſa.* *Hieron. li. 2. aduerſ. Pelag. c. 2.*

Locuples eſt & teſtimonium Auguſtini. *Aluus* (inquit) *tumeſcit Virginis, clauſtrum pudoris permanet, impletur vterus matris ſine vllo complexu patris: ſentit prolem, quæ ſe ignorat coniugem. Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur. Chriſtus fide concipitur: miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater, & Virgo facta, & intacta: naſcitur filius ſine homine patre, qui fecit & ipſam matrem.* Hactenus Auguſtinus. Si quartum doctorem deſideras, ſcilicet Gregorium Magnum; aderit citò, ſuum & aſſenſum præbens. *Sicut* (inquit) *Maria Virgo ſancta, Virgo facta, Virgo ante partum, Chriſtum peperit Virgo, & poſt partum incorrupta permanſit; ita & mater Eccleſia filios Dei ſine dolore generat, & virgo ſemper illibata perſeuerat.* Hæc ille.

Auguſt. lib. 4. de Symb. ad Catechu. c. 4. *Gregor. in Pſal. 4. Pœn.*

Eſto nemo fidelium eat inficias, non eſſe depaſtum Mariæ florem, quando Ieſum enixa eſt; & ſit indubitata fides Catholica, Deiparam fuiſſe Virginem poſt puerperium: dogma tamen illud altius inſinuo, quia incidimus in tempora opaca, quibus hæc inuſta fuit nota prorſus ingloria, vt ſcateant hæreticis, quos hæc prurigo tenet, deliria iam damnata nouis etiam erroribus adſcitis hoc inde miſerando ſæculo refricare.

fricare. Itaque alios conduco Patres coëuntes in veritatis huiuſce fidem. Leo Magnus è Petri ſede vera fudit oracula,in quibus hoc eſt. *Noua natiuitate genitus eſt, conceptus à Virgine, natus ex Virgine, ſine paterna carnis concupiſcentia, ſine materna integritatis iniuria. Humano vſu & conſuetudine,quod credimus,caret;ſed diuina poteſtate ſubnixum eſt,quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, & Virgo permanſerit.* Leoni Magno notus Chryſologus, eadem tempeſtate florens,ita fatur. *Quid terrenum naſcitur,vbi auctore Spiritu Virgo vocatur in partu? Quis non diuinum credat, quando qua peperit, nil ſenſit humanum,Deum mulier virgineo portabat in templo;hinc eſt, quod & acquiſiuit honorem matris, & virginitatis gloriam non amiſit.* Eſſe fide tenendam iſtam veritatem ait Iſidorus Hiſpalenſis, auctor nominatus ante mille annos. *Integra,*(inquit)*fide credendum,Beatam Mariam eſſe Chriſti matrem, & Virginem genuiſſe, & poſt partum Virginem permanſiſſe: nec hic blaſphemia Heluidij acquieſcendum qui dicit: Virgo ante partum, non Virgo poſt partum.* Nota dici blaſphemiam illam ſententiam,quæ in Maria poſt partum titulum Virginis aboleuit.

Leo Magn. ſerm. 2. de Nat.c.2.
Chryſol. ſer. 59.
Mariam negari Virginē poſt partum blaſphemia eſt
Iſidor. Hiſpal. de doctrina.& fide c.35.

Fulgentius item antiquior longè Iſidoro probat hoc inſigne decus Mariæ hoc diſcurſu. *De cælis medicus tranſiens per Virginem, poſt tranſitum ſuum, illa tam fecit Virginem permanere. Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in ſua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare naſcendo? Creuit enim eius partu integritas corporis, potius quàm decreuit, & virginitas ampliata eſt potius, quam fugata.* Petrus Damianus ita concinit. *Immenſum concepit, æternum genuit,genitum ante ſecula parturiuit,qui ſibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus, qui antequam naſceretur,talem creauit eam,vt ipſe dignè poſſet naſci ex ea.* Bernardus & ipſe cliens Virginis Deiparæ virginitatem eius poſt partum egregiè tutatus eſt hoc tenore. *Non ſolùm ſine pudore conceptus, & ſine dolore partus, ſed & mater eſt ſine corruptione. O verè nouitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore.*

Mariæ virginitas probata.
Fulgent. ſer. 3. de laud. Mariæ, ex partu Saluat.
Pet. Damia. ſerm. 3. de Nat.Mariæ.
S.Bernard. ſerm. 4. in Vigil. Natal. Dom.

Quia Caluinus eos irridet, & ſubſannat, qui affirmant Deiparæ virginitatem fuiſſe voto ſtatam, non erit extra carceres excurrere, ſi Auguſtinum ei oppoſuero ex aduerſo, voti huius mentionem emiſſi à Virgine facientem. *Ipſa* (inquit) *virginitas Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam ipſe conſeruaret præripuit; ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit: Quomodo* (inquit) *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quòd profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe antè vouiſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant; deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo,ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa iam vouerat.* Rurſus illa voti emiſſio ſatis ſuperque liquet ex colloquio Virginis & Angeli. Dum namque prolis meminit Angelus Mariā puellā ſatæ; illa velut impar myſterio ait: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? id eſt, propoſui irreuocabili ſponſione virum me nunquam meæ toto vitæ tempore cognituram. Alioquin eſſet reſponſio illa gratis; quippe nulla foret ſtuporis occaſio, neque ſuſpicio prodigij, ſi Maria eſſet aliquando grauida coniugis obſequio.

Maria vouit virginitatē.
Auguſt. lib. de ſancta virginitate, cap.4.
Mariæ votū de virginitate quomodo probetur.

Ad hoc obiter nota, apud Hebræos vſurpari tempora promiſcuè. Vnde Virgo Deo fœta dicens: Virum non cognoſco; dicere voluit: Virum non cognoſcam obſtricta voto; & tamen affirmas, ô Angele, me diuina ſobole grauidandam. Citra voti nexum, quo ſe Virgo prius obſtrinxerat, quæſtionem eius ſoluere potuiſſet Angelus facili negotio; ſiquidem illa petente: Prolem quomodo concipiam, quæ virum non cognoſco? hæc reſponſio inſtabat: Eſto virum non cognoſcas, in illa diu forte tibi non conſtabis, ac proinde fœtum concipies ſociata viro, cuius ope tuus vterus intumeſcet. Sed quia Angelus erat conſcius voti Mariæ, nec ipſe capax erat dubium Mariæ diſſoluere; reſpondit ei, myſterij huius ſummam eſſe penes Spiritum Sanctum, quo doctore eam obumbrante tenor omnis huius hiſtoriæ ineffabilis eſſe Angelo doceretur.

Ex Hiſtoria.
Ex Chronicis Minorum in vita Beati fratris Ægidij.

Stupendo olim miraculo Mariæ virginitas illibata fidem inuenit apud Theologum, qui nutabat. Is dubius conuenit aliquando fratrem Ægidium virum ſanctitate famoſum, & Sancto Franciſco charum, qui Deo reuelante, nouit illum Theologum malè ſentire de virginitate Deiparæ, quam ſuſpicabatur fuiſſe nato filio temeratam. Beatus Ægidius, vt labantem hominis fidem erigeret, baculo ſemel, iterum, & tertio terram pulſans ait: Maria virgo ante partum, Maria Virgo in partu, Maria Virgo poſt partum. Ad ſingulas autem quaſque vices exortum eſt lilium niue candidius,ſuo candore probans,nullos fuiſſe næuos in virginitate Deiparæ,nec eam tantiſper fœtu edito nigricaſſe.

Mariæ virginitas probata miraculo.

Itaque Deiparæ virginitas exquiſitè poteſt exprimi ſymbolo, quod ſibi affinxit Clemens Papa VII. Ille globum cryſtallinum in ara finxit, cui pellucidum ſidus deſuper irradians lumen infuderat, quo rutilante micans erat ille globus, quem illæſum peruaſerat totum lux coruſca cælitus influendo. Titulus appoſitus iſte fuit. Candor illæsvs. Haudquaquam de Pontificis intento liquet. Ideoque penes alios eſto rata typi huius abdita ſignificatio: Non inuito Papa, Mariæ adſcribo globum illum cryſtallinum in ara. Vbi namque ſuos fixit greſſus Virgo,illic ara fuit: quippe voto ſuam virginitatem quando Deo obſtrinxit, tunc illa velut hoſtia immaculata fuit,habens in cryſtallo typum idoneum,quia puriſſima, & cæleſtis conſcia puritatis.

Ex Symbolis.
Ægid. Sadeler.lib.1. Iconum ſymbol.

Vt impura Venus ardet, ita friget virginitas deteſtata faces,quas ſupponit libido flagrans, ac proinde poteſt virginitas componi cum cryſtallo, cuius ortum Plinius ab aqua glacie concreta petit,fauere dicens etymologiam. Nam κρύσταλλος dicitur παρὰ τὸ συστέλλεσθαι ὑπὸ τοῦ κρύους. hoc eſt ab eo quod gelu contrahatur, Spiritus Sanctus deſuper influxit in globum illum cryſtallinum, qui ſuſcepto Deo in vtero clauſo nullam omnino fecit iacturam priſtinæ claritatis. Integro pudore nitor ille Virginis emicuit: & eſto fœta Deo eſſet, vt & enixa Deum in humanis; illa fuit ſemper Candor illæsvs, obſerata ſemper clauſula caſtitatis.

Mariæ virginitas lineata ſymbolo.
Plin. lib. 37. cap.2.
Cryſtallus vnde ſic dicatur.

Hunc illæſum peruaſiſſe globum eleganter

ait

Gaudentius tractatu 2. de lectione Euangel.

nit Gaudentius ætate ſuppar Hieronymo. *Qui ſine corruptela matris conceptus creditur, cur non etiam ſine corruptela editus præſumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem naſcendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam,* &c. *O miranda fides! reſerata non ſunt ianuæ, & ipſe intrinſecus, cum vero corpore Apoſtolicis non ſolum videtur oculis, ſed & manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cuius rationem non niſi ſola fides aſſequitur, omnipotentiam clamat auctoris: nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis puſillitas humanæ mentis non tenuerit. Eadem ergo diuinitatis virtute per inuiolabilem feminam, mundi huius intrauit hoſpitium, clauſtrum virginei pudoris etiam naſcendo conſeruans, qui poſt reſurrectionem, ianuis obſeratis domum potuit corporeus introire.* Hæc ille, velut ex profeſſo probans lumen cæleſte globo illuxiſſe, & inde lucem mundi emerſiſſe, globo tamen integro permanente.

Mariæ virginitas probata ex apparitione Chriſti poſt reſurrectionem.

MARIA IN CAELVM ASSVMPTA, votis, precibus, & encomiis, perquàm digna eſt celebrari.

§. III.

Ex SS. Patribvs, Ivre Canonico, Historia, et Antiqvitate.

DEcernente Deo, fœderis arca compacta fuit, iuxta datum Moyſi exemplar, aſſumptis ad hoc lignis Sethim corrumpi neſciis. Hac arca mediante Deus multa plebi Hebrææ dedit oracula: item arcæ eiuſdem ergaſtulo concluſæ legis tabulæ, cum manna, & virga, cuius obſequio tot portenta Deus edidit in Ægypto. Sed illa licet arca Deo ſacra nihil haberet vitij; attamen capta fuit & ceſſit in poteſtatem Philiſthim, hanc iacturam offenſo ab Hebræis Domino permittente. Sed alternante rerum ſorte, Deus factus eſt propitius populo afflicto, & arca redux reddita populo, & ſuadente Rege Dauid adducta eſt in vrbem orbe toto celeberrimam, ſcilicet Ieruſalem, vbi ædificato à Salomone templo famoſiſſimo, arca locum præcipuum templi Sancta Sanctorum vendicauit ſibi: quippe decens erat, vt arcæ rei ſanctæ theca foret arcæ congrua dignitati.

Mariæ cum fœderis arca comparatio.

Damaſcen. orat. 1. de Nat. Mariæ.

Damaſcenus Mariam vocat. *Sanctificationis arcam*, quæ fœta Deo, concluſit ergaſtulo puro ſui vteri manna, panem ſcilicet Euchariſticum, legis auctorem, & virgam de radice Ieſſe: vt vitio Adami, ſoboles eius tota iuri mortis ceſſit, ita Maria fœderis arca fuit obnoxia morti, & concluſa ſepulchro, ſicut & omnes Adamo patre ſati. Sed Deo velut vlciſcente matri iniuriam factam, tumulus euomuit corpus hoc abſorptũ, quod corruptionis expers animæ redditũ eſt, reſurgẽte Virgine rediuiua. Hæc fœderis arca redux ad cæleſtem Ieruſalem euecta eſt, vbi citra metum blaſphemiæ, dico coli eam à cælicolis omnibus, vti debet Sancta Sanctorvm; quæ vt ſtipata fuit gratiis ſupra modum aliis Sanctis inolitum, vtpote gratia plena; ita cælis inſerta gaudet prærogatiua gloriæ ſingularis.

Ex SS. Patribvs.

Reuoluẽdo Patres, vnum reperi, qui ante mille & centum annos in fœderis arcæ cum Maria comparatione mihi illuxit, hiſtoriam illam referens ad priuilegium Aſſumptionis eius. Hic eſt Andreas Cretenſis mihi maximè charus, eò quòd Mariæ cultor eximius extiterit, & eã ſcriptis egregiis maximè commendarit. Sic ille, *Mota ſunt caſtra Dei à tabernaculis Cedar, ad materna expertia & redimina tabernacula. Tabernaculum legis exemplar accepit arcam ſupermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id, quod eſt ſupra ſupernas fores, vt ſummam cæli portam cæleſtium regia regio ſinu accipiat. Hanc excipite candidis veſtibus induti Angeli, laudate cæli, glorificate terrigenæ, attollite ciuitatẽ Dei, Regis magni: Plaude terra, proſequere laudibus, narra quæ ſunt glorioſa Virginis, partus faſcias, ſepulchri miracula, quomodo ſit ſepulta, quomodo trãſlata, & quomodo cernatur inane ſepulchrum.*

Andreas Cretenſis orat. 2. de dormit. Deipar. c. 5.

Rurſus ille velut tripudians cogitando choros cæleſtium ſpirituum, qui Mariam triumphantem excepere ſuis amplexibus, ita pompam illã quamuis ineffabilem homini neſcio talis panegyris atque cœtus, ſatagit quantum ei ſuppetit, enarrare. *Regina* (inquit) *tribuum, Eccleſiæ fidelium, Regina generis, quæ a Deo Rege omnium Principe in cæli regiam regaliter hodie aſſumitur, pompam celebrat, & ex ſe dona ei offert, quicquid eſt pulcherrimum, atque iucundiſſimum. Quæ puluerem reddidit cæleſtem, puluere exuitur: & quod à generatione acceperat, deponit operculum, & terræ reddit id, quod eſt ei cognatum. Quæ cum vitam conciliaſſet, in vitalem ſtatum denuo reuertitur, & in locum introducitur, ex quo vita ducitur principium. Et in ſumma, ex his quæ apparent, id quod apparet, aſſurgit, & cum eo, quod intelligentia percipitur, intelligendi ratione congreditur, iis rationibus, quas nouit is, qui prius colligauit & ſoluit, deinde rurſus colligauit.*

Idem Encomio de dorm. Deip. c. 5.

Mariæ Aſſũptio deſcribitur.

Demum ille demirans hunc triumphum, ſic hanc concludit hiſtoriam: *Erat ſpectaculum verè nouum. Mulier, quæ cælorum ſuperauerat naturam puritate, in adytorum, quæ ſunt in cælis ſancta, commeans, & ingrediens. Virgo Seraphim naturam vincens miracula Dei generationis, primæ naturæ proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis; mater, quæ ipſum viuere pepererat, conſecuta finem partui non abſimilem, & miraculum Deo, & fide dignum. Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus: ita mortua caro non periit. O miracula! partus effugit corruptionem, & ſepulchrum non admiſit interitum.* Hactenus ille cliens Mariæ.

Ibidem c. 5.

Mariæ Aſſũptio quõmodo ſuadeatur.

Ne fortè gratis arbitretur aliquis, Deiparam fuiſſe cælis inſertam corpore rurſus anima inſtructo; Damaſcenus hoc ſibi negotium indixit, ſcilicet recenſere plures rationes, quæ conducunt ad animas obſtringendas, vt fateantur, æquum & par fuiſſe, Matrem Dei, quæ illibata fuit degens in humanis, euehi in cælum ab omni corrũptela corpore vindicato. Ecce pia ſenſa viri Mariæ addictiſſimi. *Sanctiſſimum Mariæ corpus præclariſſimo imponitur monumento: ſed hinc tertio die ad curſus cæleſtes, in cæleſtia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem qui non poteſt exhauriri, aquæ remiſſionis, cæleſtis panis terram inarabilem, botri ambroſia terram inirrigabilem, ſemper florentem & fertilem oleam paternæ miſericordiæ coerceri in ſinu terræ; ſed quemodo, quod ex eâ conſtitit, verbi Dei corpus ſanctum & integrum, & interitui minimè obnoxium, tertio die ſurrexit ex monumento: ita etiam eam eripi è ſepulcro de-*

Damaſc. ſerm. de dormitione Deip. cap. 14.

cebat, & matrem tranſferri ad Filium: & quomodo ipſo ad eam deſcendit; ita etiam eam illi dilectiſſimã ad ipſum extolli in maius & perfectius tabernaculum, nempe in ipſum cælum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in ſuo vtero hoſpitio exceperat, collocari in diuinis Filij tabernaculis; & quomodo dixit Dominus debere ſe eſſe in iis quæ ſunt Patris ſui: ita etiam Matrem oportebat habitare in Regia Filij, in domo Domini, & in atriis domus Dei noſtri. Si enim in ipſo eſt habitatio omnium, qui lætantur, vbi eſt cauſa lætitiæ, oportebat eius, quæ in pariendo integram conſeruauit virginitatem, incorruptũ conſeruari corpus, etiam poſt mortem. Oportebat eam, quæ Creatorem in ſinu geſtauit infantem, in diuinis verſari tabernaculis, oportebat ſponſam, quam Pater deſpondit, degere in thalamis cæleſtibus. Tandem egregia proſopopeia tumulum inducit, reſurrectionem Virginis explicantem. *Quid quæritis in ſepulchro eam, quæ ad cæleſtia tranſlata eſt tabernacula? cur à me cuſtodia rationem expoſcitis? Non licet mihi iuſſis diuinis reſiſtere. Corpus ſacrum & ſanctum relictis ſindonibus cùm me impertiiſſet ſanctificatione, & vnguento bonoque odore repleuiſſet, & templum diuinum effeciſſet, abit raptum in ſublime, comitantibus Angelis, & cæleſtibus omnibus.* Eleganter etiam Fortunati Muſa ſuum ſuaue melos edidit, ante mille & centum annos in hoc argumento canens.

Ibidem cap. 17.

Fortunat. lib. 1. de part. Virg.

Cuius honore ſacro Genitrix trãſcẽdis Olympũ,
Et ſuper aſtrigeros erigis ora polos.
Conderis in ſolio fœlix Regina ſuperbo,
Cingeris & niueis lactea Virgo choris:
Nobile nobilior circumſiſtente ſenatu,
Conſulibus celſis celſior ipſa ſedes.
Sic iuxta genitum Regem Regina perennem
Ornata ex partu mater opima tuo.

Gregorius Magnus conſtanter affirmat hanc Mariæ rediuiuæ gloriam. *Mortem*, inquit, *ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.* Non profectò fuit elinguis in hac ſolennitate pius Mariæ cultor Ildephonſus, qui aduertit Aſſumptionis feſtũ eſſe magis Angelorum, quàm hominum. Etenim lætantibus atque choros beatorum agentibus Angelis ob Mariæ aduentum in regiam cæli, terra mœrẽs erat ob Mariæ exceſſum arbitrata ſe eſſe ſuo decore omni, tranſlata in cælũ Maria Virgine, ſpoliatam. Eſto cedat ad gloriam Virginis illa cælis eius inſertio; attamen à lacrymis temperare mihi non potuiſſem, ſi conceſſum fuiſſet aſpicere Virginem hanc aſſumptam derelicto ſolo, in cæleſti ſolio reſidentem.

Greg. Magn. lib. Sacramẽt. in die Aſſũpt.

Mariæ Aſſumptio eſt feſtiuitas Angelorum.

Accipe Ildephonſum ita fatum. *Hæc eſt feſtiuitas hodierna, præcipua & venerabilis nobis, ſed venerabilior in cælo eſt Angelis & Sanctis omnibus quorum lætitia & gaudium procul dubio ex huius adimpletur diei exultatione, quãdo beata Dei genitrix clarior Sole refulſit in throno claritatis. Nam Chriſtus, ſicut legimus, In Sole poſuit tabernaculũ ſuum, de quo ipſe tabernaculo preceſſit tanquam ſponſus de ſuo thalamo. De quo ſanè tabernaculo, ac ſi ex voce Genitricis Dei dicitur: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Idcirco abſque dubio beata Virgo pro tanta gratia, ſantique honoris priuilegio materno hodie reſedit ſublimata in throno.* Rurſus ille votis ait & laudibus eſſe proſequendam hanc Virginem aſſumptã, quę ſenecta dedit ingens lætitiæ beatis mentibus incrementum. *Feſtiuitas* (inquit) *hodierna, celebritas eſt eximium ſupernorum ciuium gratiſſima: quia eius eſt Aſſumptio de corpore, ex qua orta eſt veritas & iuſtitia. Hinc fratres, quæſo, iũgamus vota cum ſupernis ciuibus, & iuxta modulũ infirmitatis noſtræ, exequamur laudibus, quoniã quod natum eſt ex ea commune eſt omnium gaudium. Illi ſiquidem occurrunt lætantes & ſuſcipiunt eam gaudentes cũ hymnis & laudibus; nos proſequamur cum omni deuotione cordis & integritate fidei, ſicque proſequamur, vt ad illa ineffabilia dona, quæ percepit beata Dei Genitrix, quandoque pertingere valeamus. Fortè hodie interrogauerũt quidam Sanctorum eminus proſpicientes illud de Canticis. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Quoniam in aſcenſu eius multa fragrabant ornamenta virtutum incendio diuini concremata amoris. Quæ ideò quaſi virgula fumi quia ipſa eſt virga illa de radice Ieſſe, quæ hodie aſcendit.*

Ildephonſ Tol. ſerm. de Aſſump.

Pſal. 18.

Eccleſ. 24.

Serm. 3. de Aſſumpt.

Cant. 8.

Aſſumptionem Deiparæ Ildephonſus, vt indubiam ſuppoſuit dicens, de ea neminẽ prorſus ambigere. Vndẽ miror hęreticos, qui, vt deorſum vergunt negantes hunc triumphum, iniurios ſeſe Virgini præſtiterunt. *O beatiſſima*, inquit, *& glorioſa celebratio noctis huius, in qua venerabilis Virgo Maria cũ laudibus cæleſtis militiæ, poli aulâ cum ineffabili triumpho excipitur, ex cuius carne Dominus Ieſus Verbum caro efficitur, quã ad immortalitatis gloriam tranſmutatam, ac ſuper Angelos eleuatam, nullus fidelium ambigit.* Petrus Damianus, & ipſe totus Mariæ addictus, egregiè celebrat & deſcribit hunc triũphum, & explicat vnde Marię Aſſumptio ab Aſcenſione Chriſti Domini diſpeſcatur. *Hæc*, inquit, *eſt illa dies, quæ cælorum officinas ſublimiori gaudio cumulauit, annua mundo, & Angelis cõſimia, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione coniungens. Intuere mentalibus oculis Filium aſcendentẽ & Matrem aſſumptam, & videbis aliquid excellẽtius in Aſcenſione Filij exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcẽdit enim Saluator in cælum poteſtatiuè, virtutis imperio, ſicut Dominus & Creator, Angelorũ comitatus obſequio, non auxilio fultus. Aſſumpta eſt Maria in cælũ, ſed gratia ſubleuãtis iudicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam ſubleuabat gratia, non natura. Ideò dies hæc Aſſumptio, illa Aſcenſio vocatur, cùm aliud ſit potentia, aliud miſericordia, ſolumque ſoli ſit priuilegium Creatori, naturam rerum propria poteſtate ſupergredi.*

Mariæ Aſſumptio quomodo ab Aſcenſione Chriſti differat.

Pet. Damia. ſerm. de Aſſumpt.

Mariæ Aſſumptio glorioſior Aſcenſione.

Mariæ Aſſumptio vnde dicta.

Aſcenſio Chriſti vnde dicta ſit Aſcenſio.

In hoc aſſumptionis pompa fuit glorioſior Aſcenſione Chriſti, quòd ſoli Angeli occurrêre Chriſto; at Chriſtus ipſe Matri occurrit, quæ proinde fuit ſtipata toto agmine beatorum. Huiuſce triumphi apparatum ſpeculans Anſelmus ita fatur. *Cùm ipſe eam in regnum ſuum aſſumere, & ei magnificentiã regni ſui gloriæ decreuiſſet oſtendere, cuius precor dignitatis aut honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorũ, quibuſue vocibus exultationis & ſalutis reſonabant numeroſa tabernacula antiquorum Patrum, ipſi curiæ tunc aſſociatorũ? Certè crediderim omnes illius beatæ patriæ ciues, feſtiniori, ac ſublimiori nitore decoris, ad aduentum matris Domini ſui præparari, & noua quadam ac ineffabili iucunditatis gratia pro tãta rei expectatione coniubilare, &c. Stipatus mille millibus, imò innumerabilibus Angelorũ agminibus, Deus ipſe huic piiſſimæ matri ſuæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque ſuper omnes cælos exaltatam cunctæ ſecum creaturæ perenni iure dominaturam, in throno gloriæ collocauit.*

Anſelm. de excellent. Virginis. c. 8.

Mariæ Aſſumptionis feſtum quando fuit inſtitutum.

Aſſumptionis

Mariæ Aſſumptionis feſtũ quando fuit inſtitutum.

Ex Ivre Canonico.

Can. Pronunciandum. De conſecr. diſt. 3.

Aſſumptionis Deiparæ veritas etiam adſtruitur Iure Canonico decernente dies anni ſolennes, in quibus Aſſumptionis feſtum ſpeciali Canone recenſetur. En decretum Concilij Lugdunenſis coacti ante mille & centum circiter annos, quod Iuri Canonico inſertum eſt. *Pronunciandum eſt Laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum. Sunt iſti dies, Natalis Domini, &c. Aſſumptio S. Mariæ.*

Ex Ivre Civili.

Carol. Magn. lib. 1. leg. cap. 164.

Sigeber. in anno 847.

Iure etiam Cæſareo cautum, ne quis ſolennitatem huius feſti profano opere temeraret. Ita ſanxit Carolus Magnus. *Feſtos dies in anno celebrari ſanximus, Natiuitatem Ioannis Baptiſtæ, Aſſumptionem Mariæ.* Sigebertus item ait, Leonem V. Imperatorem, in honorem Virginis, conſtitutionem ſimilem edidiſſe.

Ex Historia.

Greg. Turon. lib. 1 de gloria Martyr. c. 4.

Aſſumptionis Deiparæ, & tranſitus eius ab hoc ſeculo meminère plures hiſtorici Latini & Græci, vnde paucula perſtrinxiſſe ſatis erit. Auſpicabor à Gregorio Turonenſi. Is ait inſtante fato ſupremo Deiparæ, Apoſtolos omnes orbe toto diſſitos diuina virtute percitos eò confluxiſſe. Adiicit ille, conſciis Apoſtolis Chriſtum adſtitiſſe, qui ſinu ſuo excepit animam, quam Maria efflauit, & Apoſtolos exanime corpus Deiparæ apparato ad hoc tumulo condidiſſe: ſed remanſiſſe funus hoc in ſepulchro, breui tempore, quia Chriſtus ipſe nubi corpus illud inſeruit & euexit ad ſidera rediuiuum. Nicephorus cum Gregorio conuenit; ſed Glycas ait, abfuiſſe Thomam, cùm Virgo ſepulchro mandata fuit, & eius intuitu fuiſſe tumulum apertum, vt mœrorem, quem ille contraxerat ex morte Deiparæ, leuaret aſpectu corporis exanimis. Cùm autem tumulo reſerato Thomas acceſſiſſet cum cæteris Apoſtolis, ille refert repertas ibi fuiſſe ſolas funeris exuuias, ſcilicet ſindonem, Mariæ videlicet incorrupto corpore ſuſcitato. Bernardus ait terram nullam incurriſſe iacturam amiſſo corpore Deiparæ, quia illa viam hominibus ſtrauit, vt illi cum Chriſto beatis mentibus inſerantur. *Præceſſit*, inquit, *nos Regina noſtra, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominum ſerueli.* Richardus item in contemplatione huius myſterij defixus, in has voces ſui ſtuporis indices erupit. *O quanta ſit conſidera, tu quiſquis es in tubilo, iſtis ſuffulta floſculis, iſtis malis ſtipata, ſtas erutæ periculis. In partu laureata, deſideratis oſculis iam fruitur beata, coniuncta Trinitati.*

Niceph. lib. 2. hiſtor. Eccleſ. c. 22.

Mariæ mors & Aſſumptio deſcribitur.

Glycas part. 3. Annalium.

Bernard. ſer. 1. de Aſſump.

Richard. Victor. in Cant. c. 42.

Maria aduocata.

Ex SS. Patribvs.

Cùm itaque Maria ſuſcitata ſit Regina cæli; eſt in confeſſo, nobis eam poſſe Deum facere propitium, pluſque valere preces eius ad hoc, quàm cuiuſuis alterius; Maria namque Dei gratiâ & ſanctitate vitæ Sanctos alios anteiuit. Ideoque votis aſſueta vocari Deipara, non eſt aſpernata nomen aduocatæ fidelium, vt aduertit Irenæus. *Sicut* (inquit) *Eua ſeducta eſt vt effugeret Deum; ſic Maria ſuaſa eſt obedire Deo, vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* Eo maximè nomine Mariam conuenit & compellat Athanaſius ille magnus hæreticorum malleus, ſic orans. *Audi filia Dauid, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui.* Ephræmus & ipſe Sanctus eiuſdẽ ſeculi, totus in Mariam amore flagrans in vota, preces & laudes effunditur. Sic ille. *Tu meus portus, ô Virgo inuiolata & præſens auxiliatrix; denique ſub tutela & protectione tua totus ſum. Crebris lacrymis te, ô celeberrima mater, imploro & aduoluor tibi, Domina mea, &c.* Rurſus ille titulis egregiis Mariam excipit. *Nos te,* inquit, *ô immaculata, & benedicta Filij tui Deique omnium mater inculpata, pura, integra, ſanctiſſima, deſperatorum ſpes & damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi; vt gratiâ plenæ, quæ Chriſtum genuiſti, omnes tibi aduoluimur, omnes te imploramus. Erue nos, ô intemerata, ab omni neceſſitate. Eſto noſtra conciliatrix & aduocata in hora iudicij.* Chryſoſtomus eam præclaris encomiis proſequendo, preces ei offert animo toto eius cultui mancipato. *Omnia* (inquit) *exuperant ſenſum, omnia ſunt glorioſa in te. Dei genitrix, myſteria caſtitate ſignata & virginitate cuſtodita. Qui tuam opitulationem adepti, intemerata, & tuis interceſſionibus à malis eruti, & per crucem Filij tui omnino protecti, ex debito piè te magnificamus. Quoniam omnibus factoris præſtantior exiſtis, collaudare te dignè non valentes, Dei genitrix, gratis flagitamus te: miſerere noſtri.*

Iren. lib. 3. c. 19.

Athan. in Euang. de ſanctiſſima Deipara.

Ephrem. orat. de laudibus Mar.

Mariæ tituli inſignes.

Idem in Lamentatione Deiparæ propè crucem.

Mariæ laudes eximiæ.

Chryſoſt. in Liturgia.

Præ aliis mihi arrident illæ breues Damaſceni preces ad Mariam: quippe licet ſuccincta vota ſint; hoc non obſtat, quin Mariæ præſens auxilium, opemque citam, dummodo ſint feruida, mereantur. Ecce typũ paucis Virginem exorandi. *O Domina, peccatoris orationẽ accipe, ardenter tamen amantis ac colentis, teque ſolam gaudij ſpem habentis, vitæ antiſtitem, in gratia cum Filio me reducentẽ, firmamque ſalutis arrham. Peccatorum ſarcinam diſcute, idque quod mentis meæ tenebras offundit, ac terrenam craſſitiem diſſipa. Tentationes comprime, piéque ac ſanctè vitam meam guberna, atque ad cæleſtem beatitudinem fac te duce perueniam.* Rurſus ille preces ingeminans ſic precatur. *O Domina Verbi parens, vtinam nos inſpicias, ac res noſtras arbitrio tuo regas & moderetis, fœdiſſimarum affectionum noſtrarum impetum comprimas, fluctuſque compeſcas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine dones.*

Mariam orandi formulæ breues.

Damaſcen. orat. 1. de Nat. Mariæ.

Orat. 1. de dormitione Mariæ.

Non erit res importuna, Muſas audire ſuo è Parnaſſo melos edere in honorem Deiparæ, quam ex culmine excelſo ſui mõtis aſpexere ſuper ſidera triumphantem Baptiſta Mantuanus Muſas initiatas ſacris religionis noſtræ myſteriis conduxit, vt canerent in honorem Deiparæ, quam fatentur reſurrexiſſe cæli ſupremis vt ſedibus inſideret.

Hæc eſt illa dies, quâ Chriſtus in æthera Matrem
Suſtulit indutam membris: ſic credere ſanctũ eſt.
Nam nec erat locus in terris, vbi viſcera condi
Fas foret, æternum quæ progenuere Tonantem.
Curia tum quali reſonarit Olympica plauſu
Qui canens cælo audies, quàm læta frequenſque
Pompa, quis ornatus Diuûm ne diſcere tenta:
Gaudia non capiunt noſtri cæleſtia ſenſus.
Demum iuſſa ſuper ſtellis & Sole micantem.
Ire thronũ, cæli accepit ſceptrũ atque coronam.

Baptiſt. Mantuan. lib. 8. Faſtorum de Aſſumpt.

Hic Poeta velut Mariæ cultor, ei vota preceſque dicat, vt eius præſidio ſoſpes integerque queat ad propria remeare.

Erue me tantis igitur Regina periclis.
Et lacera ſparſas collige nauis opes.

Idem Voto ad Virg.

Quare verò preces noſtræ ſollicitent Deiparam, vt ope cita nobis adſit, ille verè & prudenter ait eſſe pia eius in viſcera refundendum.

Tu licet à noſtro ſpatiis ingentibus orbe,
Diſiungare, ſuos quantùm polus eleuat ignes;
Non tamen humanos caſus oblita, tuumque
Nil pertaſa genus, vigili mortalia cura
Suſcipis, & lacrymæ tangunt tua pectora noſtræ.
Tu placidum terræ ſidus, quod liberat omnes
A pelagi feruore rates, quod luce benigna

Lib. 1. Parthen.

Mariam orat Eraſmus.

Eraſmus in peane ad Mar.

Saturni, Martiſque grauem eliminat iram.

Vt canat anſer inter olores, volo melos hoc ſuaue ſociare viri impij precibus reuerà piis; & vtinam anſer iſte talem ſe præſtitiſſet ſemper, fortè niue candidior nunc cum cygnis cæli, id eſt, cum beatis candida ſtola nitens dulciter occineret, & beata Dei cantica ipſius organo reſonarent. Ille eſt Eraſmus Roterodamus eo vel nomine peſſimus, quòd ſe quandoque bonum ſimulat, vt imponat. Sic ille ſupplex Mariæ aduoluitur. *Certa fiduciâ en ego pronus tuis aduoluor pedibus, quibus etiam ipſi cælites ſe ſubſternunt; præſentes tuo numini ſupplex tendo manus. Succurre quæſo, mea ſeruatrix, mea ſalus, meum vnicum caſtiſſimumque perfugium, Maria. Per omnium, qui in te ſpes ſuas fixerunt, vota obſecro Virgo intemerata, peccatoris patrocinium ſuſcipe; eius iram, quam meis flagitiis excitaui deprecare.* O Eraſme procax & proterue, voti huius atque precum oblitus es, quando ritus Eccleſiæ, atque omnia ſacra ludens impiè crocitaſti.

Vt plerumque tubus ſordidus, vnde fluit aqua nitens atque pura, parit nauſeam, & obſtat quin ſitientes inde ſuam leuare queant ſitim; ita preces, eſto piæ & contextæ ſicut decet, offendunt animas erga Deum benè affectas, ſi formulæ illæ Deum aut Mariam exorandi, ab homine iniquo maléque ſibi conſcio compingantur. Ne ergo deſint formulæ & ideæ precum, quæ & Mariæ concludunt encomia, ſatius eſt recenſere Patres Sanctos, & eos inducere cum ſerie deuota precum, quas reliquere nobis ad exemplum, ne prætexamus ignauiæ noſtræ cauſam, ex precum inopia, vtque maior ſit copia precum ei, cui inſedit ſæpe votis & precibus ad ſe Beatam Virginem inclinare.

Maria quibus ſit conuenienda votis & precibus.

Vt à Deo ſunt auſpicandæ preces, ita prodeſt, imò ex Bernardo neceſſe eſt vt plurimum Mariæ interuentu Deum conuenire, ſicut & fecere Patres Sancti, in quibus ita precatur Ambroſius. *Vt efficax mea ſit deprecatio, beata Maria Virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipſam tam nouum acciperet.*

Ambroſ. 2. præp. ante Miſſ.

Hac etiam Virgine mediante Deum orat Auguſtinus, hoc tenore. *Pie & miſericordiſſime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea; ſed propter bonitatem tuam, ſuſcipe preces ſerui tui, & da mihi effectum petitionis meæ & deſiderij mei, intercedente, & orante, & impetrante glorioſa Virgine genitrice tua Maria, Domina mea.* Et illa placet oratio Ildephonſi erga Dei Matrem bene affecti, vt hac eius ſupplicatione liquet. *Nunc venio ad te ſola, Virgo mater Dei, procide coram te, ſolum opus incarnationis Dei mei, rogo te ſola inuenta ancilla Filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei concedas etiam mihi adhærere Deo & tibi, famulari Domino & tibi. Illi ſicut factori meo, tibi ſicut Genitrici factoris mei.* Rurſus ille paucis explicat, quid debeat quiſque à Maria votis ſuis & precibus expectare. *Oremus,* inquit, *vt ſit protectrix in proſperis, ſubmoneat noxia, ſuggerat profutura, admittat preces ſupplicantium intra ſacrarium diuinitatis, nobiſque impetret conſortium ſuæ beatitudinis.*

Auguſt. Meditat. c. 35.

Ildephonſus de virginit. Deipar. c. 12.

Maria intercedente quid petere debeamus.

Idem ſer. 6. Aſſumpt.

Theologiæ placitum eſt, Sanctos & in cœlis habere curam eorum, quos & in humanis habuere ſibi ſubditos, ac proinde Reges in cælis precari fauſta ſuis olim populis, vt inſtitutores ordinum eis, qui profitentur eorum regulam. Cùm ergo Maria totius Eccleſiæ ſit patrona; nihil in orbe toto curæ ipſius ſe ſubducet, vt Idiota benè aduertit. *Cæteri,* inquit, *Sancti iure quodam patrocinij, pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe in curia Altiſſimi, quàm pro alienis: beatiſſima vero Virgo Maria, ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium patrona & aduocata, & cura eſt illi de omnibus.* Anſelmus ait, Mariæ intereſſe preces noſtras vt audiat; nam ſic exorata probat ſe eſſe omnium hominum aduocatam. *Subueni* (inquit,) *nobis Domina piiſſima, & non conſiderata peccatorum multitudine, velle tuum ad miſerandum nobis inflecte. Eya ſuccurre oramus, vt laus, quam per tot ſæcula poſſediſti, continua tibi duret in gratia ipſa, qua mundo perdito ſubueniſti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus, effice potius, vt ſalus noſtra de die in diem multiplicetur.*

Mariæ cura ad omnes porrigitur.

Idiota in proſ. contempl. de Maria.

Mariæ intereſt, vt preces noſtras exaudiat.

Anſelm. de excel. Virg. c. 12.

Maria eſt propitiatorium.

Obiter nota, Patres non improbare preces, quas ad alios Sanctos dirigimus, ſed dumtaxat commendare magis Deiparæ cultum, deductis à meritis & dignitate beatæ Mariæ Virginis argumentis. Vnum ex Idiota feci palam, quod ille petit ab Andrea Cretenſi ſic orante. *Placa Dominum pro communi figmento: nam quamdiu verſabaris in terra, te habuit parua terræ portio: ex quo autem tranſlata es è terra, te vniuerſus mundus habet commune propitiatorium.* Aliud argumentum eſt à gratia, cuius plenitudo fuit in Maria, ac proinde Deo propior eſt aliis Sanctis, qui ſunt infra Deiparam. Eò vergit oratio hæc Ruperti. *Ad quem Sanctorum conuertemur? In quo ex omnibus vobis fugientē dilectum citius conſequemur, & comprehendemus? O Beata Maria, mons montium, Virgo virginum, Sancta ſanctorum, ad omnes quidem conuertimur montes aromatum, & vocamus, vt reſpondeant nobis: ſed ad te præcipuè conuertimur, ad te præ cæteris oculos noſtros leuamus, tuum præ omnibus auxilium ſuſpiramus.*

Andreas Cretenſ. in ſalut. Angelic.

Maria quare præualeat aliis Sanctis.

Rupert. lib. 3. in Cantic.

Habet profectò vilis hominum conditio, vnde quærat opem indiga; namque miſera eſt hominum indoles, & cunctis egeni homines, vt exules in hæc infima relegati. Richardus in his poſitus anguſtiis ita clamat. *Ad te matrem miſericordiæ, matrem miſerorum clamant exules filij Euæ, clamant ipſa miſeria. Habet enim miſeria clamorem, & vallis hæc lacrymas; vallis eſt enim lacrymarum, adeò vt ſi miſeri ipſi non clament, iſta auribus tuis inſonent. Non poſſunt hæc ante te ſilere, nec auditum tuum latere, eò quòd aurem audiendi miſerias habeas, & eas ſcire, ſit eas audire. Sicut enim vbicumque fuerit corpus, congregantur & aquilæ: ita vbicumque fuerit miſeria; tua currit & ſuccurrit miſericordia. Adeò pietate replentur vbera tua, vt alicuius miſeria notitia tacta, lac fundant miſericordiæ, nec poſſis miſerias ſcire, & non ſubuenire. Et quid mirum ſi miſericordia affluis, quæ ipſam miſericordiam peperiſti?*

Mariæ opis eget homines indiga.

Mundus vallis lacrymarum.

Richard. Victor. in Cant. c. 23.

Mariæ miſericordia lacte plena.

Eſt & hîc aliquo dignanda loco Muſa Petrarchæ. Etenim hæc pertæſa nugas, in quas ſe quondam imprudenter effudit, cautior facta redux Mariæ aduoluitur, vt eius obſequio Deus eum comiter excipiat, totaque vitæ, quæ ſupereſt ſeries, optimè dirigatur. Ecce pœnitentis, anheli ad meliora preces.

Petrarcha in Pæane ad B. Virginem.

O ſine labe nitens, penitus ſinceraque Virgo
Effice; nāque potes, vt me tua ſancta propago
Comiter excipiat, refouens, bis terque beatæ.

Ad

Ad te confugio ſupplex, & ſupplice corde,
Sis mihi præſidium, quæſo, vitamque labantem
Dirigito ad curſum rectum, metamque laborum.

Maria curam gerit peccatorum.
Maria cur dicitur Luna, & aurora.

Eſto curam omnium hominum Maria ſuſceperit; illa tamen homines, qui anhelant ad meliorem frugem, ſollicitius adiuuat; vnde nomen adepta matris miſericordiæ, cum Luna cæcæ noctis ſidere comparatur. Aliàs cum aurora, quia pœnitentes è tenebris emergunt. Eò alluſit Innocentius Papa fidem concilians ei effato, quo Maria curam dicitur gerere peccatorum, & maximè pœnitentum. *Qui iacet,* inquit, *in nocte culpa, reſpiciat Lunam, deprecetur Mariam, vt ipſa per Filium cor eius ad compunctionem illuſtret. Quis enim de nocte inuocauit eam, & non eſt exauditus ab ea? Qui vero ad diluculum pœnitentia ſurgit, reſpiciat auroram, deprecetur Mariam, vt ipſa per Filium cor eius ad ſatiſfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non eſt exauditus ab ipſa?* Ne iuſtis videantur eſſe fores ad Mariam occluſæ, illa quæ dicitur aurora conſurgens, & pulchra vt Luna, in gratiam peccatorum, quos pœnitet facti, dicitur etiam electa vt Sol, in gratiam iuſtorum, quorum innoxia vita Solis inſtar emicat, vtpote nullis peccatorum nubibus obumbrata. Ad corroborandam fidem, quam de Virginis excellentia concepimus, proderit recenſere Patrum encomia illa luculenta, quæ in honorem & perenne decus huiuſce Beatæ Virginis emerſerunt. Breuem itaque catenulam conficiam horum, qui de Maria benè meriti, laudes eius atque præconia ſcriptis ſuis ætati poſteræ commendarunt.

Innoc. Tertius ſerm. 2. de Aſſumpt.
Maria, quare Sol nuncupatur.

Mariæ, & Euæ antitheſes.
Chryſoſt. ſer. de Geneſ. & interdict. arboris.

Auſpicemur à Chryſoſtomo. *Mors*, inquit, *per Adam, vita per Chriſtum. Euam ſerpens ſeduxit, Maria Gabrieli conſenſit; ſed ſeductio Euæ attulit mortem, conſenſus Mariæ peperit à ſæculo Saluatorem. Reſtauratur per Mariam, quod per Euam perierat. Per Chriſtum redimitur, quod per Adam fuerat captiuatum. Redditur per Mariam vita, quæ per Euam fuerat interempta.* Rurſus ille. *Angelus Virginem adiit, & clara voce? Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum. Non eſt amplius diabolus contra te: vbi enim primus hoſtis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibuit medicamen. Vnde mors ingreſſus principium habuit, inde vita ſibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue gratia plena. Nec te pudeat quòd mulier cauſa damnationis extiterit. Tu enim iudicis & Redemptoris mater exiſtis. Aue gratia plena, quæ mundo paries Saluatorem. Aue gratia plena, genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue animatum Dei templum. Aue cæli terræque pariter domicilium. Aue natura illius, quæ comprehendi non poteſt, ampliſſimum habitaculum.* Hactenus ille.

Orat. de Annunt.

Maria templum animatum.

Maria omnibus Sãctis aliquid impertit.

Ephræmus oratione de laudibus ſanctiſſima Dei Matris. Intemerata prorſuſque pura, Virgo Deipara, Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſſima, eadémque optima, ſublimior cælicolis, purior Solis radiis & ſplendoribus, honoratior Cherubim, & polyommatis, id eſt, multoculis ſpiritibus, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione, cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, ſpes Patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia & lumen ſtudioſorum Abraham, Iſaac, & Iacob, decus Aaron, Moſis ſplendor, & Gedeonis vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum ac Virginum corona ob fulgorem inacceſſa. Acerra aurea, lucerna micantiſſima, vrna cæli manna geſtans, tabula ſcriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuiniſſima, omnium princeps, circumſpecta & lucifera Virgo, conſolatio ſanctiſſima, & omnium dux, &c. Tu peccantium & auxilio deſtitutorum adiutrix, tu portus procella vexatorum, ſolatium mundi, carcere clauſorum liberatrix celeberrima: tu orphanorum ſuſceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus. Tu ſolitariorum ſtabilimentum, & ſpes mundanorum. Tu virginum decus, corona, & gaudium, &c. Dignare, Virgo, te tuum ſeruum laudare, & dicere: Aue Dei ſplendidiſſimum & luculentiſſimum vas: aue ſtella fulgentiſſima: ex qua Chriſtus prodiit: aue illuſtriſſima lux, mater, & Virgo: aue canticum Cherubim, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium, & ſalus mundi: aue generis humani lætitia: aue Patrum præconium & Prophetarum decus: aue Martyrum pulchritudo, & corona Sanctorum: aue piorum gloria, & in ſolitudine degentium hymnus: aue præclariſſimum hierarchiarum cæleſtium ornamentum: aue præſtantiſſimum orbis terræ miraculum: aue lignum vitæ, gaudium & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi ſalus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: aue noſtra periclitantium auxiliatrix.

Maria continet omne quod habuit olim fœderis arca.

Maria in omni afflictione adiutrix.

Mariæ præclara epitheta.

Epiphanius, ſermone de laudibus S. Deipara Maria, Miſer ego ſum, qui effulgentes ſplendoris Deiparæ radios terribiles, & incomprehenſas facultates cæli, & terræ inhabitatæ myſterium, admirandúmque propitiatorium verbis conſequi tentaui. Gabriel ait: Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade geſtans lucem inextinguibilem, Sole ſplendidiorem. Aue gratia plena, hami eſca ſpiritalis, in te ſiquidem hamus diuinitatis. Aue gratia plena, quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatias. Aue gratia plena, mare ſpiritale, habens gemmam cæleſtem Chriſtum. Aue gratia plena, ſplendidum cælum, quæ in cælis incomprehenſum contines Deum. Quid dico? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: natura formoſior es ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelorum, cui prædicandæ cæleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt; non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabuntur Angeli tanquam ipſi duntaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima Virgo ſuperior nata, Deum habitantem in cælis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & verſaretur cum hominibus. O beata Virgo, columba pura, & ſponſa cæleſtis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis, quæ coruſcantem in cælo & terra Solem habes Chriſtum, nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum.

Maria eſca hami ſpiritalis.

Maria fons.
Maria cælũ, & gloriæ radix.

Maria Angelos in terram trahit.

Maria thronus diuinitatis.

Cyrillus Alexandrinus homilia Epheſi ha-

bita in Neſtorium. Salue ſancta Deipara, eximium illud totius orbis decus, & ornamentum. Salue lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum rectæ doctrinæ, templum indiſſolubile. Aue locus eius, qui loco capi non poteſt. Salue mater, & Virgo, per quam is benedictus in Euangeliis nominatur, qui venit in nomine Domini. Salue quæ immenſum incomprehenſumque in ſancto virgineo vtero comprehendiſti. Salue Virgo, per quam ſancta Trinitas in vniuerſo orbe glorificatur & adoratur, per quam cælum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cælo decidit, per quam prolapſum plaſma in cælum denuo ſubuehitur, per quam vniuerſa creatura idolorum veſania detenta, ad veritatis cognitionem perducta eſt, per quam ſanctum baptiſma obtingit credentibus, per quam exultationis oleum conſecratur, per quam toto terrarum orbe fundatæ ſunt Eccleſiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam. Ecquis laudatiſſimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat? Ipſa & mater, & Virgo eſt: ô rem admirandam!

Mariæ præclara elogia.

Maria quot bona procurarit.

Proclus Conſtantinopolitanus, homilia de Domini noſtri Ieſu Natiuitate. Non vulgatis hac mundi ætate muliebri ſexui per Virginem & matrem gloria acceſſit. Stupenda ſanè, planéque inaudita eſt hæc Virginis & matris copula. Ecce igitur & terra & mare Virginem honorant, doniſque cumulant. Hoc quidem nauigantibus mitia dorſa ſubſternens; illa verò viatorum veſtigia inoffensè dirigens. Exultet natura, honorentur fœminæ, choros humana ducat natura, & carmina canter, glorificentur virgines: vbi enim abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia. Sacra Deipara Maria in vnum nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille illibatæ virginitatis theſaurus, decuſque, & ornamentum: hæc ſpiritualis ſecundi Adami Paradiſus: hæc vnitarum inter ſe naturarum officina: hæc ſalutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem ſibi deſponſauit: hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis non combuſſit: hæc verè leuis illa nubes, quæ ſuper Cherubim ſedentem in corpore ſuo geſtauit: hæc vellus mundiſſimum cæleſti pluuia madens, ex qua paſtor ouem induit: hæc ancilla eſt, & mater, & Virgo, & cælum: hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit: hæc admirandæ illius œconomiæ tela, ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt. Cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus; netrix, virtus ex alto obumbrans; lana, vetuſta villoſaque Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immenſa geſtantis gratia; artifex, verbum per auditum illapſum. Quis vidit, quis audiuit vnquam talia? Incircumſcriptus Deus vterum inhabitat, quem cæli non capiunt, venter complexus eſt Virginis.

Mariam maria & terra venerantur.

Mariæ tituli eximij.

Maria tela ex qua confecta eſt vnionis tunica.

Baſilius Seleucius aliis poſterior, ætate tamen ſuppar Hieronymo, ita fatur in oratione in Annuntiationem Deiparæ. Copioſam præconiorum materiam comperiet, qui ſacram Deiparamque Virginē laudibus efferre inſtituerit. Nec quorumlibet eſt promeritas Virgini laudes perſoluere, ſed eorū, qui diuinæ gratiæ lumine inſigniter illuſtrati ſunt. Quomodo, obſecro, admirabilem illam inuſitatamque gratiam pro dignitate celebrabo? Quomodo clementiæ fontem celebrabo? Quomodo benignitatis fluuium prædicabo? Quomodo virgineum illud pelagus cantabo? Quomodo magni illius myſterij altitudinem perſcrutabor; niſi tu Deipara me veluti imperitum natatorem, veterem hominem, qui ſecundùm erroris deſideria corrumpitur, exuere docueris? mentiſque meæ os, ô miſericordiæ plena, ad partus tui profunditatem deduxeris, quo miſericordiæ tuæ lumine colluſtratus, veritatis margaritam in te abditam inuenire queam. Quæ lingua adeò diſerta eſt & ſonora, quæ Virginem illam pro dignitate decantare queat? Per eam enim illuſtribus bonis ditati ſumus. E quibus laudum floribus promeritam illi coronam texemus? Quæ dona offeremus ipſâ non indigna? Quippe quæ tanta ſit, vt vniuerſa, quæ mundi ambitu continentur, cum illius dignitate comparari non valeant. Si enim Apoſtolus Paulus de aliis Sanctis verè aſſerit, quibus non erat dignus mundus: quid de Dei parente Virgine cogitare nos par eſt, quæ vniuerſos Martyres ſuo ſplendore tantùm excedit, quantùm Sol reliqua aſtra? Aue gratiâ plena, aue perpetuò virens caſtimoniæ Paradiſus, in qua vitæ lignum plantatum, omnibus ſalutis fructum fundit: ex qua itidem quadripartitus Euangeliorum fons dimanans, mortalibus fide exornatis, miſerationum fluenta vbertim emittit. Aue, quæ inter Deum & homines mediatrix intercedens, efficis vt interiectus inimicitiæ paries tandem aliquando euertatur, terrenaque cæleſtibus coniungantur.

Mariam laudare ad quē pertineat.

Maria comparata cum Paradiſo voluptatis.

Chryſippus Presbyter, & ipſe quinti ſæculi auctor, libello de laudibus Virginis Mariæ. Aue gratia plena; tuum eſt enim reuerà auere & gaudere, tuum eſt veriſſimè audire iſtud gratiâ plena, quia tecum eſt vniuerſus lætitiæ theſaurus, totius lætitiæ & gratiæ Rex cum ancilla, cum ſpecioſa inter mulieres, ſpecioſus forma præ filiis hominum, cum puella impolluta is, qui ſanctificat omnia. Tecum eſt conditor omnium, vt ex te gignatur: tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur: tecum velut Deus, vt ex te ſit Deus & homo. Aue, quæ vterum adepta es præter naturam ipſis cælis latiorem, quandoquidem per hunc comprehendiſti eum, quem ne cæli quidem capiunt. Aue fons lucis, omnem hominem illuminantis. Aue Solis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum. Aue armarium vitæ: aue, quæ es ortus Patris: aue, quæ es pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti: aue radix omnium bonorum: aue ſpecimen gemmæ, omne pretium excedentis: aue vitis, vuas pulchras producens: aue nubes pluuiæ, potum animis Sanctorum exhibentis: aue, quæ es puteus ſemper viuentis aquæ: aue, quæ es rubus ardens igne ſpiritali, nuſquam tamen adureris.

Maria cauſas habet omnes audiendi Aue.

Andreas Cretenſis, coæuus & Chryſippi, oratione in Annuntiatione Dei Genitricis. Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Qui eſt ante te, hodiè tecum eſt, & paulò poſt erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore. Non fuit ſatis gaudium indicaſſe, niſi ipſum gaudij auctorem ineſſe Virgini ſignificaret. Illud enim, Dominus tecum, perſpicuè Regis præſentiam declarat, qui ſic ex ipſa corpus aſſumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Gaude lætitiæ inſtrumentum, per quod

Mariæ ſalutationis paraphraſis eximia.

Mariæ prærogatiuæ ſingulares.

tristis

triſtis execrationis ſententia in lætum gaudij iudicium commutatur. Gaude verè benedicta: gaude ornatiſſimum diuinæ gloriæ templum: gaude ſacro-ſanctum Regis palatium: gaude thalamus, in quo ſibi Chriſtus humanitatem ſponſam adiunxit: gaude electa à Deo antequam genita: gaude diuinum inter Deum atque homines conciliationis perfugium: gaude theſaure vitæ immortalis: gaude cælum, in quo Sol gloriæ ſplendet, domicilium cælo præſtantius:

Maria fermẽtum ſanctum.

gaude vnicum illius, qui nuſquam capitur, ampliſſimum habitaculum: gaude ſancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui vetera in Adam ſeruet: gaude fermentum ſanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani maſſa fermentatur, & in vnius corporis Chriſti panem euadit, & admirabili ratione coagmentatur. Gaude gaudij mater ſempiterni: gaude noua Dei arca, in qua Dei Spiritus conquieſcit.

Maria velut arca Noë.

Arca, in qua noſter Noë Chriſtus humanitatem ſeruauit: arca, in qua nouæ gloriæ ſanctificatio, & qui natura ſanctus eſt, in virginea naturæ

Maria vrna aurea.

officina corpus ſibi ratione mirabili fabricatus eſt: gaude vrna aurea, quæ contines illum, qui dulce manna, & mel è petra ingrato populo ſubminiſtrauit: gaude ſeraphica myſtici carbonis ardentis forceps. Salue ſpiritale præcognitionis perſpicuæ ſpeculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei ſubmiſſionem vaticinati ſunt. Gaude ſpeculum, per quod iuſtitiæ Solem venientem è cælo ſuſcipientes ij, qui denſis in tenebris peccati verſabantur, illuſtrati ſunt. Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium decus, & clariſſima humanæ præcognitionis arcanæ tu-

Maria terra ferens ſpicam.

ba. Benedicta tu in mulieribus. Et meritò benedicta: benedixit enim te Deus tabernaculum ſuum; quoniam paternæ gloriæ plenum Chriſtum Ieſum hominem eumdem & Deum, in iis, ex quibus, & in quibus naturis conſiſtit, admirabili ratione in vtero tuo geſſiſti: Benedicta tu in mulieribus, quæ cæleſtem theſaurum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi, in ſacro virginitatis tuæ penu ſine an-

Mariæ virginitas terram cælis æquat.

guſtia comprehendiſti. Tu verè benedicta es, cuius vterus arcæ cumulus eſt: quia benedictionis fructum, immortalitatis ſpicam Chriſtum, ſine ſemine, ſine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium meſſem, noſtræque ſalutis agricolæ produxiſti. Tu verè benedicta, quæ ſola ex omnibus matribus Creatori tuo mater electa es: & quod eſt matrum omnium proprium, ignoras: cuius quoque excellentia virginitatis, maternis doloribus corrupta non eſt; virgineo germine tuo ſigna tuæ caſtitatis integra conſeruante. Tu verè benedicta, quæ ſola ſine viri coniunctione Filium genuiſti, qui cælos condidit, & terram virginitate tua cælis exæquauit, &c. Dixit Maria. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Apertè ſignificat. Ecce parata ſum, & nihil prohibet vterus opportunus, vtpote minimè inquinatus, & ſoli ſeruatus Creatori. Ecce ancilla Domini, ad obediendum parata, ad ſeruiendum idonea, ad ſuſcipiendum prompta.

Mariæ potentiſſimum auxilium.

Germanus Conſtantinopolitanus, in Encomio ad adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ. Tu, ô caſtiſſima, & optima, & ſummè miſericors Domina, Chriſtianorum ſolatium; eorum, qui affliguntur, potentiſſima recreatio; paratiſſimum refugium peccatorum; ne nos relinquas orbos tua defenſione. Nam ſi tu nos deſerueris, quonam confugiemus? Quid autem de nobis fiet, ô ſacratiſſima Deipara, ſpiritus & vita Chriſtianorum? Quomodo enim corpus noſtrum, vitalis

Mariæ nomen eſt ſalutare.

ſignum operationis habet reſpirationem: ita etiam ſanctiſſimum tuum nomen, quod in ore ſeruorum tuorum verſatur aſſiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non ſolùm eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat, &c. Non eſt reuera finis tuæ magnitudi-

Mariâ inſciâ nihil nobis datur.

nis, non eſt vlla ſatietas tuæ defenſionis, non eſt numerus tuorum beneficiorum. Nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per te, ô puriſſima: nemo eſt cui donum concedatur, niſi per te, ô caſtiſſima: nemo eſt, cuius miſereatur gratia, niſi per te, ô honeſtiſſima. Quis poſt tuum Filium ita generis humani curam gerit, ſicut tu? Quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? Quis tam citò præueniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in ſupplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non poſſunt, adeò repugnando excuſat?

Ioachim, & Annæ laudes eximiæ.

Ioannes Damaſcenus, oratione prima de Natiuitate B. Mariæ. O caſtiſſimum ratione prædictarum turturum par, Ioachim, & Anna! Vos vt naturæ legi conſentaneum erat, pudicitiâ conſeruatâ, ea, quæ naturam ſuperant, diuinitus conſecuti eſtis: Virginem enim Dei matrem mundo peperiſtis. Vos piè & ſanctè in humana natura verſati, Angelis ſuperiorem, ac nunc Angelis dominantem

Mariæ infantulæ laudes.

filiam, in lucem extuliſtis. O pulcherrima, & ſuauiſſima filiola! O lilium inter ſpinas, ex nobiliſſima & maximè regia radice ortum! Per te legis tranſlatio contigit, atque ſpiritus, qui ſub litera deliteſcebat, patefactus eſt; tranſlata nimirum à Leuitica tribu ad Dauidicam ſacerdotali dignitate. O roſa, quæ ex ſpinis, hoc eſt ex Iudæis orta es, ac diuinâ fragrantiâ cuncta perfudiſti! O filia Adami, ac Dei mater! Beati lumbi, & venter, ex quibus prodiiſti! beatæ vlnæ, quæ te geſtauerunt, & labia, quibus tuis puris oculis frui conceſſum eſt, &c. O ſanctiſſima Ioachimi & Annæ filia! quæ Principatus ac poteſtates fefelliſti, atque ignea maligni tela extinxiſti, quæ in Spiritus thalamo verſata es, atque immaculata conſeruata in Dei ſponſam. O ſanctiſſima filia, in maternis vlnis conſpicua, rebellibuſque Angelis formidabilis! O ſanctiſſima filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris! O Deo chara filia, parentum decus, quam vt verè abs're dictum eſt,

B. Annæ matris Deiparæ laudes.

generationes omnes prædicant beatam! O Deo digna filia, humanæ naturæ venuſtas, primigenæ matris æuiæ correctio! Etenim per partum tuum, ea, quæ ceciderat, excitata atque erecta eſt. O ſanctiſſima filia mulierum ornamentum, &c. Ioachim, & Anna, tanquam ſpiritales montes dulcedinem ſtillarunt. Lætare beata Anna, quoniam fœminam peperiſti. Hæc fœmina ſummo Regi Deo, tanquam fimbriis aureis circumiectam virtutum elegantiam offeret, Spirituſque ſancti gratiâ coronatam, cuius gloria interna eſt. Vt enim fœminæ omnis gloria maritus eſt foras prodiens; ſic Dei Genitricis gloria interna eſt, nimirum fructus ventris.

Cyprianus ſermone de Chriſti Natiuitate. Genitrix eſt, & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam; attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam, totum negotium

tium

tium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Nec locus ibi erat lauacris, quæ ſolent puerperis præparari: quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læſerat: quoniam ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate. Vltrò maturus ab arbore balula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat.

Maria quare nouo modo ſalutata.

Ambroſius in caput primum Lucæ. Maria benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam antè comperta. Soli Mariæ hæc ſalutatio ſeruabatur. Benè enim ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur auctore. Et meruit audire: Beata, quæ credidiſti! Et verè beata, quæ ſacerdote præſtantior, cùm ſacerdos negaſſet, Virgo correxit errorem. Nec mirum ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoauit à matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.

Maria prima ſenſit fructū Redemptionis.

Maria qualis fuerit deſcribitur.

Idem lib. 2. de Virginibus. Bona domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primò prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum: vt mens noſtra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus poſita foris luceat. Sic Maria intendebat omnibus, quaſi à pluribus moneretur. Sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret, quàm doceret. Talem hanc Euangeliſta monſtrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus ſanctus elegit. Quid enim in ſingulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius naſceretur? Hæc ad ipſos ingreſſus Angeli inuenta domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet: neque enim comites fœminas deſiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum ſibi minus ſola videbatur, cùm ſola eſſet. Nam quomodo ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuiſere ſolebat, inuenit, & Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota trepidauit, quaſi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo, vt agnoſcas aures religioſas, oculos verecundos. Denique ſalutata obmutuit, & appellata reſpondit: ſed quæ primo titubauerat aſpectu, poſtea promiſit obſequium. Quàm verò religioſa in propinquos fuerit; Scriptura diuina ſignificat. Nam & humilior facta eſt, vbi ſe à Deo cognouit electam, & ſtatim ad cognatam ſuam in montana proceſſit, non vtique vt exemplo crederet, quæ iam crediderat oraculo. Beata enim, inquit, quæ credidiſti. Et tribus cum ea menſibus manſit. Tanti enim interuallo temporis non fides quæritur, ſed pietas exhibetur. Et hoc poſteaquam in vtero parentis exiliens puer matrem Domini ſalutauit, prius compos deuotionis, quàm naturæ. Inde tot ſequentibus ſignis, cùm ſterilis pareret, Virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret Magus, expectaret Simeon, ſidera nuntiarent: Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum, conſeruabat (inquit) hæc omnia in corde ſuo. Quamuis mater Domini, diſcere tamen præcepta Domini deſiderabat; & quæ Deum genuerat, Deum tamen ſcire cupiebat.

Maria quare timuit ab Angelo ſalutata.

Maria quare viſitat Elizabeth.

Chryſologus ſermone 140. Aue, hoc eſt, accipe gratiam: ne trepides, ne ſis ſollicita de natura. Gratia plena. Quia in aliis gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo. Dominus tecum. Quid eſt in te Dominus? Quia ad te non viſitandi ſtudio venit, ſed in te nouo naſcendi illabitur ſacramento. Adiecit congruè. Benedicta tu in mulieribus. Quia in quibus Eua maledicta puniebat viſcera; tunc in illis gaudet, honoratur, ſuſpicitur Maria benedicta. Et facta eſt verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam.

Maria facta mater viuentium.

Idem ſermone 143. Verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis poſſidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & ſustulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & Regina totius extitit caſtitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terrâ, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, ſola cepit. Portauit eum, qui portat orbem: genuit genitorem ſuum; nutriuit omnium viuentium nutritorem.

Maria prius concepit fide quàm corpore.

Leo Magnus ſermone primo de Natiuitate Domini cap. 1. Virgo regia Dauidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro grauidanda fœtu, diuinam humanámque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et ne ſuperni ignara conſilij, ad inuſitatos paueret affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu ſancto, colloquio diſcit Angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura.

Fulgentius ſermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris. Maria in anguſto corporis membro ſuſtinuit, quidquid ſuſtinent cæli. Plena ſunt viſcera; & nullum nouit contagium Virginis conſcientia. Cùm eſſet grauida, ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim, quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat. Facta eſt Maria feneſtra cæli; quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen. Facta eſt Maria ſcala cæleſtis; quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælos. Facta eſt Maria reſtauratio fœminarum; quia per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubſtractæ. Tria denique mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euæ dictum eſt: In doloribus & in triſtitia paries, & ad virum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Tribus ergo his malis ſe ſubiungunt fœminæ, quæ Mariam non ſequuntur, dolori, triſtitiæ, ſeruituti. Maria autem è contrario, quàm præclariſſimis tribus bonis ſublimetur, auſculta; ſalutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur ſalutaſſe. Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cùm dixit: Aue, ſalutationem illi cæleſtem exhibuit. Cùm dixit: Gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam. Cùm dixit: Benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expreſſit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres quæcunque perſeuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeaſſe.

Maria feneſtra, & ſcala cæli.

Maria tria mala Euæ abſtulit.

Virgines quare benedictæ.

Venite virgines ad Virginem, & lætamini; ponite maledictionem præuarićationis, & benedictionem reſtaurationis aſſumite. Proiicite dolores, quos Eua per ſerpentem accepit, & quos per Angelum Maria ſuſcepit, honores aſſumite.

Ambroſius Anſbertus auctor nominatus antè nongentos annos lib 2. in Apocal. Cùm Maria Virgo ideò beata credenda ſit; quia ſine humano ſemine concepit, quia Dei Filium hominem factum, intemerata virginitate mundo edidit; radicem tamen ſuæ beatitudinis ſolerter inſpiciens ait. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; ac ſi diceret: Quia humilitas vera præceſſit, quæ Dei Filium ad habitaculum carnis meæ inuitauit, quæ Spiritum ſanctum ad munditiem cordis mei attraxit, vt Verbi carnem cum Verbo & Patre in viſceribus meis formaret; propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipſa promerui. O quantùm meruiſti, ô quantùm beata humilitas in ſacra Virgine valuiſti? Quid enim in ſacra Virgine meruiſti, niſi vt Deum homini coniungeres, vt Verbum carni vnires? Quid in ſacra Virgine valuiſti, niſi vt Spiritum ſuper eam attraheres, qui carnem Verbi cum Verbo & Patre in vtero eius formaret? Quid in ſacra Virgine potuiſti, niſi vt quæ erat ancilla, conditoris ſui mater fieret & ſponſa?

Humilitas quanta Dei mereatur dona.

Mariæ humilitas peperit ei alia dona.

Idiota contemplatione de B. Maria cap. 4. Ad hæc omnia fecit te Deus, Maria Virgo ſanctiſſima, vt ex tuo ſuperbenedicto fructu Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à ſeruitute liberaretur. Ædificauit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam, creaturæ inferiori libertatem. Per te, ô ſuperbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur & vnitur, diabolus vincitur & conteritur; quia de te ſcribitur: Ipſa conteret caput tuum.

Mariæ aliquid omnes creaturæ debent.

Idem cap. 6. Inueniſti gratiam apud Deum, ô beatiſſima Virgo Maria; gratiam, inquam, corporalem, quia fuiſti vas innocentiæ puriſſimæ ſine macula & labe, & virginitatis primipila, ſine corruptione fœcunda, ſine faſtidio grauida, & ſine dolore puerpera. Inueniſti, Virgo Maria, gratiam ſpiritualem; quia fuerunt in mente tua deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & martyrium cordis. Inueniſti, Virgo, gratiam cæleſtem, quia fuerunt in te, ab originis labe præſeruatio, Angelica ſalutatio, Spiritus ſancti ſuperuentio, & Filij Dei conceptio. Adiuuas in vita præſenti tam bonos quàm malos. Bonos, eos in gratia conſeruando; vnde de te canimus: Maria mater gratiæ. Malos, eos ad miſericordiam reducendo; ideò dicitur: Mater miſericordiæ. Adiuuas etiam in morte, ab inſidiis diaboli protegendo; ideò ſubditur: Tu nos ab hoſte protege. Adiuuas quoque poſt mortem, animas ſuſcipiendo, & eas in cælum deducendo; & ideò ſubinfertur:

Et horá mortis

ſuſcipe.

Maria virginitatis primipila.

Maria bonos & malos adiuuat.

DE CVLTV B. MARIÆ Virginis.

Obſeruationes ſcitu digniſſimæ, quæ vt induſtriæ, ita & abundè docent, quibuſnam ſit Beata Virgo Maria excolenda modis.

§. IV.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

VEntilare & iactare volens famoſa quondam vrbs Gaza zèlum ſuum erga Iouem inſulâ Cretâ ſatum, celebres ei fecit ædes, quas marmore incruſtatas & perfectas colophone impoſito, MARNAN, peregrino, videlicet Cretenſi nomine nuncupauit. Pietatis erga Deum illum fictitium ſumma fuit, ſtatua conflata Ioui ex auro, cui inſeruiere rara omnia, quæ orbe toto nitent, & conciliauere ſibi nomen pretioſum in æſtimatione hominum. Auro quippe micans hæc ſtatua, erat inde diues: vtque nihil adiici poſſet ad diuitias huius ſtatuæ; gemmulis & lapillis conquiſitis vndequaque, Iouis hæc figura rutilans & coruſca ſibi obiectos oculos effuſo lumine perſtringebat.

Stephanus.

Gazæ induſtria ad colendum Iouem.

Marnæ ſtatua.

Æmulabor ego zelum hunc, inueſtigando modos idoneos ad propagandum B. Mariæ Virginis cultum. Namque licet ediderim iam tractatum de omnibus feſtis eius, vbi ſcientiæ omnes aduolutæ ſacris Deiparæ pedibus humilia pendunt obſequia: Mariæ de nouo obſtrictus, appendicem ſubnecto velut penſum pro contracto nouo debito perſoluendum. Æmulabor, inquam, Gazæ zelum in ſtatuendo Deiparæ cultu. Quippe venabor ego ritus omnes Hebræorum atque profanorum, qui conducunt ad Beatam Mariam Virginem excolendam. Etenim Hebræi in honore habuère quaſdam fœminas illuſtres: & Gentiles eſto ſuis idolorum cultibus impliciti coluere Deas, quas meras fuiſſe nugas nemo negat: & tantam in cultu cuiuſque Deæ adhibuerunt induſtriam, atque pietatis imaginem; vt hanc omnem reuerentiam transferre ad Beatæ Mariæ Virginis obſequium animo meo inſederit, ita Idolorum omne penu & ſpolia ditiora tholo Beatæ virginis appendendo.

Ea ratione Phocas Imperator, Pontifice ſuggerente, ſacrum fecit Deiparæ Virgini Pantheon, concludens olim omnia ſimulacta. Ita mores atque ritus præcipuos Hebræorum atque Gentilium inueſtigo, quibus ſuos coluère Deos atque Deas, vt inde modos eliciam idoneos & inſignes ad Beatam Mariam Virginem excolendam. In hac rerum gentilium atque profanarum applicatione ſequar Paulum Apoſtolum, qui diſcutiendo ritus profanos, olim frequentes, & orbe toto notos, eos adaptabat diuino cultui, aut virtutum praxi. Vt namque ſua antiquitate placent obſoleti iam illi ritus; ita magis ſeſe mentibus inſinuant, ac proinde mirum in modum erudiunt, quando ſacrum ad cultum Numinis applicantur.

Mariæ olim Pantheon conſecratum.

Anaſtaſ. Biblioth. in Bonifacio III. ſub ann. 607.

Paulus obſeruató more Græcorum in Olympia,

pia, vbi de laurea certamen acre fuit inter pugiles & Athletas, luculentum inde cepit argumentum hortandi Corinthios, vt ſe ad coronam gloriæ æternæ accingerent eadem ſollicitudine, quâ ad corruptibile brauium referendum ex agone Olympiæ, Græci illi fortes & generoſi pugiles, ſeſe ſuo tempore diſponebant. *Noſcitis*, inquit, *quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Quidni ergo ritus obſoletos antiquorum refricando, iuris efficiam Deiparæ Virginis, vt inde pios quoſque ſollicitem homines ad debita & iuſta obſequia præſtanda Virgini illi, quam ſcimus infra Deum omnibus eminere.

1. Cor. 9. Olympico certamini qua ſe ratione aptabant athletæ.

Æquo ſatis animo pietas Chriſtiana fecit ad Dei gloriam, quidquid aliquando ſuis exhibuêre Diis gentiles, quando fuit hoc congruum; vt hæc ſunt adolere thura, dum fit res ſacra, faces accendere, adſtantes aqua luſtrali reſpergere, laudes decantare Deo, aliaque ſicut hæc ſunt pleraque Sacris olim profanarum gentium vſitata. Namque pudet Chriſtianos, non exhibere Deo cultum, eius diuinæ maieſtati conſentaneum, quem Gentiles falsò ſuis detulere Diis, quos reſcimus fuiſſe ſolùm Numina voce tenus, vtpote dumtaxat impia ſimulacra ſuis cultoribus illudentia. Igitur citra metum aut periculum erroris, inſiſtendo piis Eccleſiæ veſtigiis, aliqui quandoque ritus antiquorum poſſunt Beatæ Mariæ Virginis cultui conſecrari.

Hanc probari Sanctis Patribus induſtriam, quæ ad Dei obſequium transfert ea, quæ Gentiles olim ſuis detulere Diis, Auguſtinus ait egregiè. *Sicut*, inquit, *populus Iſrael exiens de Ægypto, ſibi potius, tanquam ad vſum meliorem, vaſa aurea & argentea, quibus non benè vtebantur, præcepto Domini, ab ipſis Ægyptiis tulerunt: ſic doctrina omnes Gentilium vſus veritatis aptiores, ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum ſunt vendicandæ. Nam patet ex Ethnicorum bene factis acriores addi ſtimulos ad virtutem, quàm noſtratium; cùm ſubit animum, quàm turpe ſit, non id perſpicere pectus Euangelica luce illuſtratum, quod per pectum eſt his, quibus ſola naturæ ſcintilla pellucebat: non præſtare nos, qui ſub Chriſti vexillis militamus pietati, qui ſtipendium immortalitatis ab eo expectamus, quod præſtiterunt hi, qui nihil hominis è rogo, id eſt à morte, ſupereſſe, aut ſuſpicati ſunt, aut planè crediderunt.* Hactenus Auguſtinus.

Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 40. Gentilium ritus quando & quare queunt aptari diuino cultui.

Inſtabit quiſpiam fortè, ritus vſurpatos ab antiquis fuiſſe, fœdis etiam implexos actibus perpetrari ſolitis ante ſimulacra, quibus illi ſeſe deliri & errantes populi deuouebant. Occurro inſtantiæ, reſecando praua omnia, quæ vſurpandos à me ritus deturpare queunt: vt exectis enim extremis viperæ, illa ſuo corpore truncato facit antidotum; ita ritus obſeruati ab antiquis, quando virus aliquod habent abditum; ſi purgetur, cautè valent ad pietatis obſequia Numini deferenda. Ex hoc Gentilium ſenticeto flores carpam, Deo dante, manus ſeruando procul à ſpinarum aculeis, qui incautos pungunt. Vſus Theodoreto conſultore, vepres antiquorum calcabo pede penitus inoffenſo.

Sic ille fatur, ſugillando Græcos. *Vt qui roſaria demetunt, ſpinas quidem intactas dimittunt, roſarum verò calices legunt. Ipſis quoque apibus hanc natura legem inſtituit, vt non ſolùm floribus qui ſunt dulces, inſidant, ſed qui etiam amarulenti. Cùm tamen ſolam dulcedinem hauriant, &c. Ita & nos veſtrorum Poetarum, Hiſtoricorum, Philoſophorumque monumenta verſantes, alia ex his, vt noxia & peſtifera declinamus, alia verò ſparſim noſtræ inſerentes doctrinæ, auxiliarem vobis ac ſalutarem curationem aſſerimus.* Hæc Theodoretus appoſitè ad hoc opuſculum de cultu Mariæ exhibendo, modis etiam ab antiquitate gentili aliàs vſurpatis.

Theodoret. lib. 1. de Græcar. affect. curatione. part. 2.

Obſeruatio prima, ſignificans præcipuum Mariæ cultum eſſe penes imitationem eius.

§. V.

VT procliuius eſt in iniqua quàm in recta nutans ſemper hominum ingenium; ita debet illò trahi congruis auxiliis, vnde labans auertitur. Confert oratione benè ſuada bonum animis ingerere; ſed plus reuerà prodeſt agere exemplis, quàm ambitioſa verborum pompa viam virtutis oſtendere. Quippe ſuis verba viduata factis & exemplis ſunt argumenta penè irrita ad animas excitandas. Matathias idcircò ſuis filiis vt animos adiiceret, inſtante agone extremo memor actionum, quas generoſi Hebræorum proceres ediderant, hos Heroës eis recenſuit, ita natos circumſtantes affatus. *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Imò Deus ipſe in humanis Iudæos adhortatus, vt abſtinerent à vitiis, Abraham propoſuit eis in exemplum, vt ad amuſſim huius Patriarchæ ſua vitia reformarent. *Si* (inquit) *filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.*

Exemplis eſt docendum.

1. Machab. c. 2.

Ioan. 8.

Ita Vates Iſaias, Hebræos de ſua ſalute ſollicitos admonuit, refricando Patris Abrahæ, & vxoris eius Saræ memoriam. *Audite me* (inquit) *qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Quem reuera locum pertinere allegoricè ad Ieſum & Mariam præcipua Eccleſiæ columina, omnibus eſt compertum, quibus Scripturæ ſacræ ſenſus myſticus innoteſcit. Chriſtum eſſe nobis propoſitum in exemplum, diſertè docet Petrus, hoc contextu. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Sed quia prototypus ille vires excedit, conſilium Senecæ probo, viros in exemplum adducentis indoli noſtræ magis appoſitos; ne dum ſeuerior aliorum diſciplina moras nectit ad ſequendum, virtutis incuria hoc prætextu in ignauis animis inualeſcat.

Iſai. 51.

Maria in Sara figurata.

1. Petr. 2.

Qui ergo Dei in humanis cunctatur inire vias aſperas, ille viam carpat, in qua Maria Virgo ſuos aptauit greſſus: namque nemo cauſari poteſt, eſſe ſupra vires noſtras gratiâ Dei adiutas, pro modulo noſtro mores & virtutes huiuſce Dei matris & illibatæ Virginis imitari. Habere ſibi aliquem accommodatum ingenio noſtro, vt in ſpeciem eius componamur. Seneca ſalutare vocat conſilium, ita concludens epiſtolam vnam. *Iam clauſulam epiſtolæ poſcis. Accipe, & quidem vtilem,*

Exemplum aliquod nobis proponendum quod ſequamur.

Senec. lib. 1. epiſt. 11.

&

Exēpla proportionata ſine viribus imitātium.

& ſalutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, cuſtodem nobis, & pædagogum dedit, nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſuum ſecretum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, cui è erit verendus! Elige itaque Catonem: ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Lalium; elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipſius animum ante te ferens, & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, ad quem mores noſtri ſeipſi erigant. Niſi ad regulam, praua non corriges.

Iuxta prudens hoc conſilium, Mariam propono velut typum virtutum omnium, & hunc eſſe credo præcipuum cultum placitum illi Virgini venerandæ. Quippe ſicut illa debet eſſe nobis in exemplum, quia primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorũ, & regula; ad quam omnia concluſa tali genere concluduntur. Ita ſacri quædam ſumma nobis erit obſequij, Mariam imitando, palam profiteri, eam eſſe primam inter homines, & ſub Chriſto; ſicque priuas deferre Matri Dei, ſectando vias virtutum, quas decurrit, eſt illam ſupra modos omnes alios honorare.

Ex SS. Patribvs.
S. Ambroſ. l. 2 de virginib.
Magiſtri nobilitas eſt primus diſcendi ardor.

Ambroſius ad hæc nos hortatus obſequia Deiparæ. *Sit* (inquit) *vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beata Mariæ de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Attendite ad Saram, quæ peperit vos. Cùm ergo Saram Hebræi dignati ſint hoc honore, ſibi vt eam imitandam propoſuerint; eritne minor affectus noſter erga matrem Dei: erit profectò minor, ſi Mariam ſic honorare piget, ac proinde preces eius erunt infimæ, cuius vita procul à Deiparæ virtutibus imitationis obſequio, illam colere detrectauit.

Maria ſoror Moſis Dux aliarum fœminarum, virginis Mariæ figura. Exod. 15.

Hac ſpecie honoris etiam Hebræi coluerè Moſis ſororem nomine Mariam: nam illa præeunte, ſequax mulierum turba melos perſuaue Deo Domino concinebat. Sicque vices egit Antiſtitis, atque ducis hæc Maria, quam nemine conctante ſequi, Hebræorum omnes fœminæ coluerunt. Ita codex ſanctus. *Sumpſit Maria propheteiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.* Potior longè nobis eſt ratio ſequendi Mariam Deiparam; quippe vicit illa teterum omnium hominum hoſtem, conterendo caput Draconis, dum extitit immunis à peccato, quod nos omnes ab ortu contraximus. Quiſquis ergo ſequens hanc victricem atque Ducem Mariam, componendo vitam ſuam adinſtar eius, ille ſacri cultus debiti Virgini Mariæ præcipuos numeros adimpleuit.

Ex Antiqvitate.

Sunt hæc auſpicanda Matris Dei obſequia ab exterminio vitiorum omnium: illa nimirum eſt exoſa fæces omnes peccatorum; nec apprimè poteſt quiſquam referre mores huiuſce Matris ſanctiſſimæ, niſi prius illam nequitiæ colluuiem, beneficio Sacramenti Pœnitentiæ peractæ, prout æquum eſt atque decet, ſeriò repurgàrit. Hanc animæ munditiem, & omnium peccatorum interitum aſſequemur, æmulando ritum illum celebrem apud Græcos Achaïæ, qui Pauſania auctore ſuã Dianam hoc coluere modo. Carcere fabricato prope aram concludebant abunde feras omnigenas; quippe fides illic antiqua fuit, Dianæ placere feras enectas. Vt ergo gratum facerent Dianæ ſacrum, admoto foco enncluſas illic beſtias occidebant. Si verò ſæuiente flamma feris euadere ſuccurreret, illæ rogo morituræ denuo mandabantur. Quippe nefas erat, atque vice piaculi, vel vnam reſeruare feram, vt ſarta tecta ſecus religio, beſtias omnes occidere: nam Græci credidere Deam illam ſcilicet Dianam aſſidua & indeſeſſa venatione truces ſemper beſtias inſectari.

Pauſan. in Achaicis. Diana culta morte ferarum.

Reuera quadrat intento meo præfatus ille modus conciliandi Dianam, quam gentiũ veſana fides virginem eſſe ſibi finxit. Illa nimirũ beſtiarũ laniena poteſt ad vitia transferri quorum extinctio ſupra modum eſt grata matri ſanctiſſimæ, quæ vt virulentum ſerpentis eliſit caput, ita pia, atque iugi virtutum omniũ praxi, peccatorum omnium agmina profligauit. Quiſquis ergo ſolers omnia peccata, feras animæ, mactauerit, ille labis expers Deiparam ſincerè colet, & ad arbitrium eius: nempe pura parens in vnoquoque deuoto cultore ſuã vult indolem agnoſcere, vt deprehensâ hac virtutũ affinitate, ſitá in imitatione vitæ innoxiæ, his anima virtutibus ſtipata cedat in clientelam Deiparæ; quia repurgata nitet, & pro parte ſua B. Mariæ Virginis eſt conſcia ſanctitatis.

Peccata cum beſtiis comparata.

Vt vnicuique detur copia conciliandi Deiparam iuxta morem hunc præfatum; dico, ſacerdotis à confeſſionibus tribunal eſſe carcerem, quo ſunt concludendæ feræ omnes, id eſt peccata, quibus eſt ſupponendus ignis contritionis, vt amoris Dei flamma reacccenſa, & exurente truces has omnes beſtias in confeſſione perſtrictas, omnia ſic vitia concrementur. Non eſſe peregrinam vitiorum cum beſtiis comparationem, ex Beato Bonauentura liquet, qui ex profeſſo feras ſingulas ad ſingula quæque peccata refert. Imò Scriptura ſacra typis beſtiarum vtitur, lineare volens peccata, quæ perſtringit. Ita Vates Ezechiel deſcripturus Synagogam vitiis infectam, eam aſſimilat templo feris pleno, iuxta viſum Deo compellente ſibi conceſſum. *Dixit ad me: ingredere & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Ergo valet applicatio, quà peccata feris eſſe ſimilia demonſtrantur.

Bonauent. in opuſculis.

Ezechiel 8.

Sed aduerte ferà vnà reſiliente, Sacrum Dianæ fuiſſe diri ominis & malè ceſſiſſe, donec beſtia, quæ ex igne fugax euaſerat, rurſus deprehenſa focis iniecta necem oppeteret. Ita planè vana eſt confeſſio, quę multa quidem crimina commemorat, & ſic ea ſiſtit aris, vt vrantur; ſed aliqua peccata ſilet: quippe cedit in diſcrimen vitæ æternæ, & eſt ingrata Matri ſanctiſſimæ

ctiſſimæ confeſſio facta, graui aliquo de induſtria crimine reſeruato. Quid namque feris & Virgini, quæ Deo plena truces omnes odit beſtias, auerſata nomen etiam noxæ; quia ex diametro gratiæ opponitur, quæ eò culminis aſſurexit in Maria, vt quidquid ſub Deo magnum eſt, illud ſit infra matrem Dei. Igitur qui Mariam demerere volet, ille ſuum nomen det virtuti, & vitia omnia deteſtetur. Ad hoc reſtificata valet hæc Damaſceni ſententia. *Virgo beata lutum omne fugit, ac cœnoſas affectiones auerſatur, quolibet vitio offenditur, qualibet autem virtute, vt peculiari nota ſua lætatur & exultat. Si virtutes ſocias habemus frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet.*

Maria virtutes amat & odit vitia.

Damaſcen. orat. 2. de dormit. Virginis.

Coincidit & aliud Græcorum atque Romanorum inſtitutum, quod violare nefas fuit in Sacris Cereris. Græcis & Romanis olim celebrata Ceres grãde nomen ſibi fecit, & alma parens hominũ dicta, δημήτηρ, quaſi, γημήτηρ hoc eſt terra mater, vtpote reputata frugũ creatrix & altrix. Vocata eſt & Theſmophoros, id eſt, legifer, à græco nomine θεσμὸς, quod legem ſignificat, & verbo, φέρω. Quippe Ceres, vt homines edocuit ſemina commendare ſolo, leges conditæ ſunt de agrorum finibus aſſignandis. Homines agnitâ & perceptâ frumenti virtute, Cereris obſequio confecêre panem, cuius eſu facto vegetior, eſt dignata gratiore lucis vſurâ. Et nequando notam ingrati animi homines illo pane paſti turpiter incurrerent; eam, ſcilicet Cererem, vt de orbe toto benè meritam, poſtquam ſublata fuit è medio, inſeruere ſuis Faſtis, & habuêre velut Deam maximam, illam inter præcipuos cœlites adſcribendo.

Cereris epitheta nobilia.

Ceres quare olim adorata.

Ciuitas Eleuſina grates actura Deæ illi ſictitiæ, ſacra fecit ei ſolennia, quibus intereſſe viris nequam ſeuerè fuit interdictum. Vnde Nero male ſibi conſcius, hanc peragrando plagam, non auſus eſt ſe Eleuſinis immiſcere ſacris; quia compertum eſt, viros nefarios, ob hæc temerata Sacra neœ fuiſſe ſublatos vtique repentina. Vt ergo Ceres benè culta foret propitia, clientes eius operam nauabant egregiam, ne qua vitij ſuſpicione labem incurrerent, vitam ita ſuam aptantes ad virtutis ſtudiũ, vt afflantes innoxiæ vitæ fragrantiã peruio tandẽ templi Cereris aditu dignarentur. Nos arctius obſtringimur Deiparæ, quæ reuerà eſt alma parens, & vniuerſæ terræ mater, in cuius aluo cœlitus impregnata ſatum eſt frumentum electorum, ex quo in acerba Paſſione trito panis efficitur; panis reuerà vitæ, has quas paſcit & ſaginat faciens animas immortales.

Strabo l. 8. Sueton. in Nerone.
Eleuſina ſacra.

Cùm fuit hoc frumentum orbe toto ſatum, ſtatim etiam fuere leges promulgatæ de finibus agrorum, vbi frumentum hoc reponitur. Ager eſt anima Chriſtiana ſemen hoc concipiens. Huius agri finis eſt Deus, in quem collimare docet nos Euangelij lex, Chriſto legiſlatore lata: ideóque poteſt Maria Theſmophoros, id eſt legiſlatrix idoneo nomine nuncupari. Quiſquis ergo ſibi conciliare volet hanc vniuerſæ terræ matrem, ille ſuam ſic componat vitam, vt ſanctior ſit decantatæ Deæ Cereris cultoribus, qui ſimulata vitæ caſtioris ſpecie Sacris aderant Eleuſinis. Pudeat in Chriſtiano fidem non præſtare, quod error elicuit à profanis, quos Deitatis opinio Cereri affecta pios erga vanum hoc Numen ita fecit, vt aucupantes auram huius adamatæ Deæ, quam credidere malis eſſe parum propitiam, ſe virtutis omnigenæ ſtudio mancipârint.

Romani & erga Deam illam Cererem, ſicut & gens Græca, proni; porcam ei mactabant, quam præcidaneam vocabant, quia ante ſacra ſolennia pridie cædebatur, vel quia ante fruges præcidendas illa Deæ frugum hoſtia ſiſtebatur. Huius meminêre ſacri Cato, Varro, Nonius, Marcellus, Gellius & Feſtus Pompeius. Item & Macrobio auctore, fuit moris Romanorum ſacrificare matri Deorum porcam prægnantem. Ex Scriptura ſacra ſues immunditiam ſignificant, iuxta Petri ſententiam. *Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Ruſſus, quia immunditiæ ſumma penes luxuriam eſt, & luxuria ſemper eſt fœta malis, & vitiis ſtipata ſuo congruis ingenio; prægnans porca typus erit luxuriæ, qua ſtante nequit Virgo beata charos habere fœdos hos cultores, qui ſi demerere volunt hanc Dei & hominum almam matrem, incunctante mora cædant porcam fœtam, deteſtando luxuriam aliis pluribus vitiis imprægnatam.

Cereri porca immolata.
Porca præcidanea.
Cato de re ruſtic. c. 137.
Varro de vita popul. Rom. lib. 3.
Non. Marcell. verbo Præcidan.
Gell. lib. 3. c. 6.
Feſtus lib. 4.
Matri Deorum porca prægnans immolata.
Macrob lib. 1. c. 12.
2. Pet. 2.

Vt Herodias impudica mulier, caput hominis caſtiſſimi Ioannis Baptiſtæ furens expetiit, quia vir ille labis impatiens inuehebatur acriter in obſcœnos huius fœminæ mores; ita cane peius & angue, Virgo parens odit omnes, qui luxuriæ indulgent; ſiquidem illa vilia luxuriæ mancipia animalia velut ex diametro puritati Beatæ Mariæ Virginis opponuntur. Porcam eſſe typum luxuriæ, qua mactata viget caſtitas, abundè liquet ex antiquo more Græcis inolito, apud quos Theſmophoria feſta ſacra Cereri, præter porcam immolatam, quæ morte ſua ſignificat extinctam luxuriam, adſtringebant cultores ſuos ad tantùm caſtitatis ſtudium, vt Plinius affirmet præfatis his feriis inſtitutis ad honorem Cereris, caſtitatis illibatæ leges infractas, etiam in nuptiali toro coniuges obſeruaſſe.

Theſmophoria ſacra, quam caſta.

Plin. lib. 24.

Deiparam locupletatam fuiſſe gazis virtutum omnium, res eſt in confeſſo; tamen ab vna ſibi ſingulare nomen fecit, videlicet a virginitate, cuius ea fuit puritas, vt ſteterit illibata, licet conceperit, ediderítque prolem, hactenus ignoto naturæ prodigio. Vnde quando nomen Virginis abſolutè ſonat ſine adiectione, nobis ſtatim Mariæ ſpecies obiicitur; quia illa parens Altiſſimi à ſtupenda ſua virginitate maximè commendatur. Quanta puritate nitens extiterit hæc intemerata mater Dei, ſupra recolui, congeſtis eo intento Patrum ſententiis eximiis, quibus & hæc alia non pigebit adieciſſe Patrum oracula. In his antelignanus erit Chryſoſtomus, ita fatus. *O ineſtimabilis laus Mariæ; Ioſeph magis credebat caſtitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat. Poſſibilius credebat, mulierem ſine viro poſſe concipere, quam Mariam poſſe peccare. Hic maritalem zelum, & vteri clamantis accuſationem, ſola*

Ex SS. Patribus.
Chryſoſt. hom. 1. operis imperf.
Mariæ virginitas a Ioſepho quomodo probata.

præterita

præterita conuerſationis documenta vincebant.

Mariæ quare Angelus eſt miſſus.
Hieron. in epiſt. ad Paulam & Euſtoch. de Aſſumpt. B.V.

Illa tata & conſtaos de Mariæ vitginitate fides illæſa fœtu, quem ex vtero intumeſcente vidit, eſt puritatis deprehenſæ in Maria Virgine locuples argumentum. Hieronymus aliunde venatur inſigne decus illud, quod præfulſit in Virgine. *Benè*, inquit, *Angelus ad Mariam mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. Vnde in carne Angeli eam vitam acquirere, maius eſt meritum, quàm habere.* Item illa Matris Dei virginitas ſincerè ſatis exprimitur nomine Hebræo, quo expreſsè Vates eam enuntiat עלמה *nghalma* Vox illam ſonat filiam abſconditam, à verbo עלם *nghalam*, id eſt abſcondit. Virgo quippe viro fuit ita abſcondita; vt Angelo cubiculum eius ſubeunte viri ſpecie, facies eius verecunda metum expreſſerit, quem Angelus expreſſerat, apparens ei facie maſculina.

Maria ſemper abſcondita oculis hominum.

Virginem hanc fuiſſe domi ſemper abſconditam, vt abdito cubiculi ſecreto ſuæ virginitatis immortale decus etiam hominum oculis eriperet, ita ſcribit Ambroſius. *Prodire domo neſcia, niſi cum ad Eccleſiam conueniret, & hoc ipſum cum parentibus, aut propinquis. Talem hanc Euangeliſta monſtrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Hæc ad ipſos ingreſſus Angeli inuenta domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet. Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota trepida, quaſi non incognitum audita nomine recognouit: ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo, vt agnoſcas aures religioſas, oculos verecundos.* Mariam fuiſſe teuerà viris imò creaturis etiam aliis abſconditam, & in hoc ſpecimen edidiſſe rarum integræ caſtitatis, paucis ait Hieronymus hoc tenore. *Hortus*, inquit, *concluſus, fons ſignatus, ſoror mea ſponſa. Quod clauſum eſt atque ſignatum, ſimilitudinem habet matris Domini, matris & virginis, & tamen hæc Virgo perpetua, multarum eſt mater virginum.*

S. Ambroſ. l. 2. de virginib.
Maria quare ad aſpectum Angeli trepidauit.
Hieron. lib. 1. aduerſ. Iouin.
Maria hortus concluſus.

Vt ignis eo ardore, quo feruet & æſtuat, alia corpora calefacit quæ adiacent: ita pudor Mariæ, virginitatis eius illibatæ comes, ſpectatores & obuios quoſque ad affectum caſtitatis fortiter inclinauit. Id pro comperto fatur Ambroſius, hoc contextu. *Beata Maria tanta fuit gratia, vt non ſolum in ſe virginitatem reſeruaret, ſed etiam his, quos viſeret integritatis inſigne conferret. Viſitauit Ioannem Baptiſtam & in vtero matris, priuſquam naſceretur exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obſecutus antequã natus. Nec immeritò manſit integer corpore, quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento, Domini mater exercuit. Eadémque poſtea Ioanni Euangeliſtæ eſt tradita coniugium neſcienti. Vnde non miror præ cæteris locutum diuina myſteria, cui præſtò erat aula cæleſtium ſacramentorum.* Eſto grati fuerint Deiparæ omnes Apoſtoli; illa tamen Ioannis Euangeliſtæ pia prætulit obſequia, ſiquidem ille fuit virgo, ac proinde magis hanc Beatam Virginem imitatus.

Maria ſpectatores ad caſtitatis affectum inclinabat.
S. Ambroſ. lib. de inſtitutione virginis.
Maria quare fuit Ioanni tradita.

EX ANTIQVITATE.
Bona Dea quænam fuerit.

Poteſt & abundè pudor, ſeu inſigne decus caſtitatis ingeri Mariæ cultoribus, ex imitatione ritus olim vſurpati in Sacris Bonæ Deæ. Macrobius ſcribit, quoſdam olim exiſtimaſſe Bonam Deam fuiſſe Floram, fœminam tantæ caſtitatis, vt extra Gynæceum nunquam egreſſa, viris inaſpecta totum æuum confecerit. Hoc caſtitatis exemplo Dea credita eſt, ac proinde ſacris eius indoli caſtæ congruis honorata. Quippe ſolæ virgines & equidem Veſtales, quarum caſtitas erat indubia, Sacra bonæ Deæ obibant, eiectis à delubro omnibus vſquequaque viris, quibus illis intereſſe Sacris erat piaculum. Vnde malè audiit Claudius, qui hunc violare morem auſus, magnâ Bonæ Deæ iniuriâ, ſacrificio interfuit, & ita ritum hactenus inolitum, magno Romanorum ſcandalo, ſtupro etiam illic edito temerauit. Cicero aduertit ſcire nomen huiuſce Bonæ Deæ, eſſe viris nefas; & Seneca adiicit, obtenſa etiam fuiſſe vela picturis animalium maſculorum, ne in ſpecie maſculina pudor oberrando labem contraheret. Tanta demum cautela fuit obſeruata Sacris Bonæ Deæ; vt inde foràs eiecerint, quidquid ſuſpectam aliquando poteſt adſtantium facere caſtitatem. Varro putat, Bonam Deam fuiſſe matrem Deorum. Præter citatos meminere Sacra Bonæ Deæ, Lactantius & Plutarchus. His adiice Iuuenalem, ita ritum de imaginis maſculinæ tegmine recolentem.

Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 12.
Bonæ Deæ ſacra quam caſta.
Cicer. orat. de Aruſpic. reſponſis.
Senec. lib. 10. epiſt. ad Lucil.
Varro. lib. 1. de lingua Lat.
Lactant. lib. 1. c. 22.
Plutarch. in Cæſar. & problem. c. 19.

Vbi velari pictura iubetur
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram eſt.

Iuuenal. Satyr. 2.
Flora Dea quæ fuerit.

Profectò nihil liquidius recenſere queas in argumento pij cultus, quem conſulo Dei matri à Chriſtianis omnibus exhiberi. Quicquid namque Bonæ Deæ caſtitatis affingitur, illud omne cedit Deiparæ, quam præſtitiſſe plura patet, quàm ſint ea quæ Gentilitas illa loquax fingit in gratiam Floræ Bonæ Deæ, quæ Flauio nupſit, ideoque pudor in illa nævum contraxit; qui à Maria tamen eſto viro ſociata procul abfuit, coëunte flore virginitatis, cum titulo matris. Vnde hæc vna poteſt Maria Virgo virginum appellari. Vt ergo, ſicut par eſt, adeas hanc Virginem, ô deuote cliens Deiparæ, abſtine ab obſcœnis, & picturas omnes inhoneſtas, quas impreſſêre tibi turpes habitus pelle tuâ memoriâ: nempe ſacram hanc Virginem ſpecies illæ impuræ offendunt, ſi aduertat illas adhuc imagines, & picturas Venereas animo tuo quõdam aſſueto rebus turpibus obuerſari.

Non eſt prætereundus & ille ritus, quem meminit Alexander, dicens, quando fiunt Sacra Bonæ Deæ, fuiſſe moris operire limina templi eius, vittis purpureis. In purpurea vitta pudor exprimitur, quo offuſo rubet facies eius, qui profitetur obſequium Virginis, ſi quando voces inſonant, quæ non ſunt congruæ caſtitati. Anima futura ſequax Mariæ cuncta debet turpia odiſſe, ſicut & illa quondam exoſa fuit, vnde dicta fuit degere in præalto Libani monte, vero ſymbolo puritatis. Ita Hieronymus. *Veni columba mea, immaculata mea, veni de Libano, veni coronaberis. Venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus & dealbata niue candidior, Spiritus S. muneribus, ſimplicitatem columbæ in omnibus repræſentans: quoniam quicquid in ea geſtum eſt, totum puritas & ſimplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum miſericordia & iuſtitia, quæ de cœlo proſpexit, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.*

Alex. ab Alex. lib. 6. dier. genial. c. 8.
EX SS. PATRIBVS.
Hieron. in epiſt. ad Paul. & Euſtoch. de Aſſumpt.

Hanc virtutum omniũ ſuppellectilem, quæ præfulſit in Maria, ſollicitare pios eius cultores ad imitationis obſequium, elimatè docet

Mariã quare dicta venire de Libano.

idem Sanctus, omnes homines adhortandu, ſactas Mariæ virtutes, vt cuiuſque poteſt indoles, imitari. *Si*, inquit, *placet vobis, chariſſimi, talis, ac tanta Virgo; placeat & opus virtutis, cuius vita omnium eſt diſciplina, cuius mores inſtituta ſunt Eccleſiarum, quæ præcellit cunctos, ſupereminet vniuerſis. Quia ſicut in comparatione Dei nemo bonus; ita & in comparatione matris Domini nullus inuenitur perfectus, quamuis virtutibus eximiis comprobetur. Vnus eſt pater noſter, qui in cælis eſt, vnus & magiſter. Vna eſt forma virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis, in ſculpturam Spiritus Sancti.* Hieronymum diceres ex profeſſo refricare locum Iſaiæ, à quo auſpicatus ſum iſtam parænesim. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Id eſt Ieſum & Mariam habetote velut exempla, quibus aptata vita veſtra fiet innoxia & ſancta ſuis numeris omnibus abſoluta.

Hieron. vbi ſupra.
Mariæ virtutes propoſitæ ſunt ad exemplum.
Maria vna eſt virginitatis forma.
Iſaiæ 51.

Suadetur item hæc imitatio virtutum Deiparæ, à neceſſitate talis obſequij, vt namque poteſt eſſe Dei iuſtitia ſine nobis, ſed in adultis nobis eſſe nequit, ſine nobis; ita poteſt Maria Virgo nobis inſciis eſſe mitis digna præconiis: imò poteſt iterare preces, non inuocata; tamen illa nequit inuitis procurare vitam æternam, ſed illis tantùm adeſt propitia, qui ſectando vias eius, cuſtodiunt ſeſe ab omni vitio repurgatos. Gregorius Nyſſenus eò collimat ita monens. *Nos, qui transformamur renouatione mentis noſtræ, & veterem hominem exuimus, & diuinæ imaginis ſimilitudinem, quoad fieri poteſt ab hominibus, in nobis circumferimus, ſic ad ſalutaria & ſpiritualia feſta accedere neceſſe eſt, vt ſint nobis conuenienter ei, quod dicit Propheta: Ieiunium quartum, & ieiunium quintum, ſeptimúmque, & decimum, ad lætitiam, & bona feſta. Vt ieiunium ſcilicet intelligatur anagogicè, in eo quòd abſtineatur, & temperetur ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Verbum æternum hodie in templum cum matre proficiſcitur. Feſti huius hodie commemorationem celebrantes, expleamus, nos delicijs ſpiritualium contemplationum, ſicut montes incorporea, & diuinorum miraculorum maieſtatem glorificantes, erimus ſocij illorum dignitatis.* Hæc ille.

Feſta quomodo celebranda.
Greg. Nyſſ. orat. de occurſu Dom.
Zachar. 8.
Ieiunium à vitiis eſt cum lætitia.

Bonauentura nobis liquidiùs inſinuat, Virginis imitationem dare miram vim & virtutem eius ſuffragiis, quæ reuera cadunt effectu ſalutari, ſi homo Beata Maria Virgine inuocata, nolit aſſuetis vitiis abſtinere. Vt ſecus illæ valent abundè preces, quas Maria fundit in gratiam animarum, quæ hoc indixere ſibi negotium, vt anhelæ vitæ ſanctioris, hoc virtutum omnium exemplar in ſcopum aſſumerent, in quem indefeſſa virtutum praxi, toto ſemper animo collimarent. Sic Bonauentura fatur. *Vt glorioſam Reginam Domini Matrem benedictam in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis neceſſitatibus, periculis, preſſuris; ad eam tanquam ad tutiſſimum refugium te conuertas, ipſius tutela præſidium flagitando, eámque in tuam ſuſcipiens aduocatam, deuotiſſimè & ſincerè tuam cauſam ei committas, quia mater eſt miſericordiæ, quotidie ei ſtudeas ſingularem reuerentiam exhibere: & vt tua deuotio ſit ei accepta, & reuerentia grata; ipſius puritatem, ac munditiam omni virtute, mente, & corpore illibatè in te ſeruando, toto conatu mitius humilitate ac manſuetudine veſtigia illius imitari.*

Bonau. lib. de 25. mirabilib.
Mariæ ſuffragia vt proſint, quid facto opus.

Concinit & Bernardus, elimatè notans, Mariam præcipuè affici virtutum praxi, ſi ſit illa penes eos, qui ipſius ſanctiſſimæ Matris opem votis vtique feruidis emendicant. Sic ille. *Ad eam non incongruè dicitur: Quam bona Domina Iſrael, his qui recto ſunt corde, &c. Vita, dulcedo, ſpes noſtra, ſalue. Ordo pulcherrimus, dulcedinem vita præcedit, ſpes ſequitur. Non enim ſapis niſi viuas, nec ſperabis, niſi viuas, & ſapias. Primò ponit vitam, quæ eſt in integritate virtutum, ſecundò dulcedinem ſpiritualium gaudiorum, deinde ſpem infert æternorum.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, bonitatem & alias virtutes fidelium eſſe præcipua argumenta, quibus ad miſericordiam Beatæ Mariæ Virginis affectus fortiter inclinatur.

Maria bona bonis.
Bernard. in ſerm. ſuper Salue Regina.
Maria vita & dulcedo.

Sed quia virginitas ſola tumet, & inflata necat omnem virtutum proſapiam, operæpretium eſt aduertere, virgines illas eſſe procul à Maria, quæ ſollicitæ quidem de virginitate, carent aliis virtutibus, & præſertim inflatę typho ſuperbiæ, de annexis virginitati dotibus intumeſcunt. Non eſſe cælis idoneam hanc virginitatem, diſcrimine paſſo vitæ æternæ probant virgines fatuæ, quæ ſua virginitate plebis auram aucupatæ, parum curauere ſibi comparare penu aliarum virtutum: vnde ſui faſtus luerunt pœnas, & equidem dignas, turpiter eiectæ foras, quando Dei cæleſtis animarum ſponſi foribus adſtiterunt.

Ne ergo gratis & incaſſum, Chriſtiane, decus virginum impensè colas, hoc altè tibi inſideat, diſplicere Deo virginem, quæ ſuperbit; & hanc eſſe ſolùm aptam cœlis, quæ vt puritate nitet, quæ in puriſſima Dei Matre micat, ita miram quoque, & ſingularem humilitatem Mariæ Virginis æmulatur. Virginitatis, & humilitatis neceſſarium nexum eſſe docet Bernardus, quia virginitas vt ſit ſarta tecta, petit humilitatis tegmine roborari. *Factor* (inquit) *hominum, vt homo fieret, naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit eligere, imò condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat & ſibi nouerat placituram. Dedit Virgini partũ, qui ei iam antè virginitatis inſpirauerat votum, & humilitatis prærogauerat meritum. Vt igitur, quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat & paritura, ſancta eſſet corpore, accepit donum virginitatis, vt eſſet ſancta & mente, accepit & humilitatis.*

Humilitas neceſſaria virginibus.
Bernard. hom. 2. ſup. Miſſ.
Sanctitas alia corporis alia animæ.

Nota duplex ſanctitatis inclytæ genus Mariam afficere: vnum, quod eſt virginitas, ſanctificat corpus; alterum, quod eſt humilitas, animam ſanctificat. Vnde ſicut non animam ſanctitas illa beat, quæ eſt cute tenus, ſed illa ſolùm, quæ animam deuincire Deo poteſt; ita nihil omnino nobis gratiæ iuſtificantis impertit virginitas, quæ neſcia humilitatis, ſuperbię vitio temeratur. Proſtat in hoc argumento verax Auguſtini ſententia. *Quid* (inquit) *prodeſt integra caro, mente corrupta? melius eſt humile coniugium, quàm virginitas ſuperba.* Humilitas quippe Deum coniugatis efficit propitium; ſuperbiâ verò ſecus illa nota inuritur virginitati, vt in extremum cedat animæ detrimentum. Quamobrem non veretur Auguſtinus

Auguſt. in Pſal. 29.
Humilitatis expers virginitas quid ſit.
Auguſt. ſerm. 57.

hoc

hoc effatum ſuis inſerere ſententiis. *Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipſo, in quo ſe extollunt, humilientur: quid enim prodeſt, cui eſt continentia, ſi ei dominetur ſuperbia.*

Itaque Beata Virgo demerenda magis inflectitur humilitate, quàm virginitate ſola: ſiquidem humilitas nequit eſſe ſola, vtpote quam ſtipat arctè ſacer omnium virtutum chorus, vt in Deiparæ virginitate liquet, quæ comitante humilitate & ſuffragante cepit virtutum omnium incrementum. Fuiſſe penes Mariæ humilitatem, virtutum omnium cuſtodiam, & has omnes Deiparæ virtutes eſſe datas hominibus ad exemplar, ait Hieronymus, ita fatus. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Plena erat virtutibus Maria, & tamen ſolam humilitatem reſpexiſſe Dominum fatetur, quæ cuſtos eſt cæterarum virtutum. Collocauerat omnem in tuto ſtationis portu ſublimia meritorum ſuorum exercitia, & ideo diuinitus illuſtratur: vnde & beata iam ab omni ſeculo prædicatur. Dicitur beata Virgo à Chriſto Domino humiliari, cæteráque virtutum documenta intra humilitatis cuſtodiam aggregare. Et ideò ſi placet vobis, chariſſimi, talis ac tanta Virgo, placeat & opus virtutis, cuius vita eſt omnium diſciplina, cuius mores inſtituta ſunt Eccleſiarum, quæ præcellit cunctos, ſupereminet vniuerſis. Quia ſicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nullus inuenitur perfectus, quamuis virtutibus eximiis comprobetur. Vnus eſt pater noſter, qui in cœlis eſt, vnus eſt magiſter, vna eſt forma virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt imaginem reformetis, integritatis faciem imprimere debetis in ſculpturam Spiritus Sancti. Quoniam hæc eſt hortus conclusus, fons ſignatus, puteus aquarum viuentium: ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici; ſed permanſit ſancta mente & corpore, multis donorum priuilegiis ſublimata.* Hieronymus hoc contextu clamat idem, quod tota ferè ſonat hæc ſectio, Beatæ Mariæ Virginis cultui dedicata. Ait ille, motum integritatem conciliari perfectè, vitam proponendo ſibi Deiparæ Virginis, vt ea Spiritus Sancti obſequio & influxu, altè piis mentibus imprimatur.

Humilitas eſt virtutum omnium cuſtos.

Hieronym. epiſt. ad Paulam & Euſtoch. de Aſſumpt. Virg.

Mariam debet imitari ille cui placet Maria.

Mariæ imitatio reformat animas.

Mariæ vita eſt omnium diſciplina.

Illa ſalutaris impreſſio Virginis inuritur animis, quando cedunt in Deiparæ familiam, & induunt gentilitiam veſtium eius teſſeram, omnium colorum varietate diſcolorem. Vt namque Matris Dei veſtia, eſt virtutum omnium habitus, qui ſic omnia pigmenta refert, iuxta Vatis oraculum. *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Ita vita cultorum Deiparæ multicolor eſt à virtutum omnium praxi, qua ſola Mariæ ſerui nobiles ab ingloriis mancipiis huius ſæculi diſpeſcuntur. Mariæ ſequaces debere vitam eius referre, prout poſſunt, paucis ait Pſaltes, ſic occinens. *Adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi.* Nota, dici virgines eos omnes, qui ſeſe deuouêre Matri Dei: illa quippe fæces luxuriæ exoſa, ſolos amat in ſuamque refert familiam, qui in polymita virtutum omnium veſte nitent egregio ſtemmate puritatis.

Mariæ veſtis pigmenta refert virtutum omnium.

Pſal. 44.

Mariæ cultores quomodo indui debeant.

Ibidem.

Vt eſt Scriptura ſacra ferax exemplorum, quæ conducunt ad ſalutem; ita nobis ingerit egregium illum Mariæ cultum, qui attenditur in ſtudio virtutum eius, quas diximus eſſe velut Mariæ veſtes, ab omnibus, qui dedere nomen ſuum illi ſanctiſſimæ Virgini, colligendas. Ecce congruam intento meo hiſtoriam, quæ in Eſther Regina typum ingenuum Mariæ ſuppeditat. *Circumdata eſt* (inquit) *gloria ſua. Cùmque regio fulgeret habitu, & inuocaſſet omnium rectorem & ſaluatorem Deum, aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur*, &c. *Altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans.* Quiſquis ergo parum eſt ſollicitus de colligenda veſte Deiparæ, ille locum nullum prorſus habet inter eos, qui in famulorum eius numero recenſentur. Tanta fuit in Maria virtutum praxis, vt habitus ab ea contracti defluant, ſicque pios eius cultores alliciant & inuitent ad ſequelam, quæ ſola valet ad probandum pietatem erga Deiparam, quæ reuera nihili facit cultum, qui comite congruo, opere defraudatur.

Eſther. 15.

Mariæ veſtes defluẽtes nos ad imitationem ſollicitant.

Vt quiſque ſuo concipiat animo votum efficax Mariam imitandi, præſtat eam audire, ſuos ſic famulos alloquentem. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Beata Virgo ſuos ſic cultores alliciendo, duo ſignificat. Primum eſt, vt qui benè ſunt affecti erga illam, tranſeant ad ipſam: alterum eſt, vt adimpleantur ab eius generationibus. Omnia, quæ pendi poſſunt obſequia gratiora Matri Dei, in hoc duplici cardine conuertuntur. Quantis ſit fœta bonis illa ſententia palam facio. Tranſitus ad Mariam obſtringit homines ad repudium omnium rerum, quas illa ſancta parens odit: non enim deuenitur ad terminum ad quem, niſi derelicto prius termino à quo. Vnde malus abdicato malo properare debet ad Mariam, cuius eſt inuius aditus eis, qui peccatorum ſordibus inquinantur.

Eccleſ. 24.

Itaque præludia pietatis erga Deiparam ſunt attendenda penes gratiæ ſtatum; quippe praui habitus, & Mariæ cultus non coëunt. Igitur anima repurgata ſcopis pœnitentiæ, anhelans ad cultiora Matris ſanctiſſimæ obſequia, alterum habet ad præſtandum, videlicet vt à generationibus Mariæ citiùs impleatur. Generationes illæ notant virtutes omnes Virgine matre ſatas: namque parens illa fuit virtutum omnium, antequam Chriſtum conciperet. Vnde nemo placere poteſt ei, quin adſcita ſibi ſancta prole virtutum Deiparæ, animam exhibeat gratiis omnibus imprægnatam. Quippe tota generatio Mariæ, quæ replere debet animas, eſt in virtute ſita, iuxta vetus oraculum Ambroſij. *Probati viri genus, virtutum proſapia eſt; animarum genus virtutes ſunt.* Ne igitur, Chriſtiane, tibi imponas, arbitrando ſatis eſſe non peccare lethaliter, ad hoc vt deuincire queas Deiparam; hoc memento, parum eſſe Dei gratiæ illapſum percepiſſe, niſi ſtudeas adipiſci virtutum etiam omnium incrementum. Namque parum eſt tranſitus ad Mariam, ſi non adiicias virtutum eius ſobolem, qua ſtipantur omnes, qui Mariæ cultum, vti decet, & exigit illa Dei Sancta Parens, animo impigro profitentur.

Ambroſ. lib. de arca.

Nobilitas animarum virtutes ſunt.

Obſeruatio ſecunda, notans Mariam precibus atque votis chriſtianè coli.

§. VI.

Liberale Dei ingenium non ſe duntaxat in creatione prodit, qua dedit eſſe rebus ex profunda nihili & inanis abyſſo depromptis; ſed in hoc potiſſimum emicat alta Dei magnificentia, quòd eſſe communicato rebus, cauſalitatem eis etiam indiderit, quæ facultas eſt productina rerum: ſicque Deo non ſuffecit eſſe dare creaturis; ſed adiecit rationem cauſæ, quam influendo congruè ſortiuntur. Vt concolor eſt natura Dei; ita ſuum tenorem ſeruat in phyſicis, & in moralibus: etenim plerumque pij homines non accepere ſolùm à Deo ſatore rerum omnium, vt ſint vſquequaque pij; ſed vt etiam in alios influant, eos excitando ſuo exemplo mores aptare typo, quem referunt aliis prælucendo vita & moribus illibatis.

Exempla virtutis ad virtutes etiã alliciunt.

Ille modus influendi petitur à virtute cauſæ moralis, iuxta verax Philoſophiæ effatum. *Operari ſequitur eſſe.* Hinc fit, vt virtus larta tecta, ſibi ſuauiter animos conciliet, quis eſt de cuiuſque rei perfectæ ratione, ſibi ſimile producere, aut ſaltem edere effectum lineamenta ſuæ cauſæ omnibus ingerentem. Vnde quia Beata Maria Virgo fuit ea puritate, cui etiam Angeli ſunt impares, vtpote cuius eminentia captus ipſe Deus Virginis huius carne ſibi corpus aptauit; aſſeruere Patres, Mariam ineffabili pudore conſpicuam, caſtitatis fragrantia quam ſpirabat, ad virginitatis ſtudium homines obuios excitaſſe. Ita Ambroſius. *Beata Maria tanta fuit gratia, vt non ſolùm virginitatem in ſe reſeruaret; ſed etiam his, quos videret, integritatis inſigne conferret.* Aduerte Dei concurſum eſſe ſuperioris ordinis in cauſa morali, ſuadente vitæ retroactæ in peccatis tædium & pœnitentiam: namque ſine Dei gratia excitante nequit homo meditari, & conari vitæ ſanctius inſtitutum.

Maria intuentes ſe excitabat ad virginitatẽ.

S. Ambroſ. lib. de inſtitutione virginis.

Præter exempla, quibus Sancti ſollicitant animos ad virtutum praxim, cælitus accepere donum procurandi gratiam ſuis cultoribus, non illam infundendo, ſicut facit Chriſtus, cuius vnius priuilegium eſt; ſed gratiam à Deo pro inuocantibus ſe ſuis clientibus opportunè fuſis precibus impetrando. Hac prærogatiua Deus illuſtrem fecit ſeruum ſuum Iob, eum conſtituendo velut hominum aduocatum: quippe Deus ipſe malè affectus erga viri huius ſancti amicos impiè locutos, præmonuit illos, ſi tempeſtiuè ſibi vellent conſulere, maturè virum illum ſanctitate conſpicuum adirent, vt ille ſuis ſuffragiis Deum ſubiratum, in illorum gratiam exoraret. Ita facet textus. *Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos; quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Deus ita ſuæ diuinitatis participem fecit Iob, mittendo viros, qui orarent eum, vt mediatoris apud Deum munere fungeretur.

Sanctis conceſſa ſunt facultas Deum propitiandi.

Iob. 42.

Eliphaz, & ſocij eius ſeſe præſtiterant iniurios erga virum ſanctum Iob, vt ergo Deus hominem hunc iniuriis oppreſſum erigeret iuſſit eum inuocari ab iiſdem hominibus, qui ſuperbia percellente malè ominati de viro ſanctiſſimo & probatæ virtutis, eum conuiciis vtique grauiſſimis antea laceſſebant. Eodem hoc honore Deus Moyſem affecit, compellendo Regem Pharaonem vt peteret à Moſe preces idoneas conciliando Deo, ita Moſe vices gerente Dei: ille nempe Dei ſpeciem aliqualem habet apud eos ſupplices & indigos, quorum emiſſis abundè votis atque precibus inuocatur. Ita codex ſanctus. *Dixit Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Quiſquis ergo volet deuincire ſibi Mariam cultu præcipuo, ille ſupplex eam inuocet, ingenuè confitendo totum quod ſperamus, præſuppoſito merito Chriſti, eſſe beneficis Deiparæ precibus aſſignandum.

Moyſes quare Deus Pharaonis appellatus.

Exod. 7.

Mariæ preces quare Deo placeant.

Et ne ſuſpiceris eſſe Dei iniuriam, inuocare matrem eius; Theophylactus ait gaudere Deum, quando interpoſitis Marię meritis exoratur. *Gaudet*, inquit, *filius orante Matre; quia omnia quæ nobis precibus ſuæ Genitricis exiſtimus donat, ipſi Matri ſe donare putat, & accepta ab illa ſine patre humanitatis vices reddere.* Imò verax eſt & concors Patrum ſententia Mariâ inuocatâ nihil omnino deperire Deo, ſed potius inde magis nos honorare Deum, in quem pro comperto eſt, Mariæ exhibita obſequia omnia redundare. Accipe Ildephonſum. *Ita*, inquit, *ſeruiam matri tuæ, vt ex hoc ipſo me probes ſeruiſſe tibi: ita hæc dominetur mihi, vt ex hoc nouerim me placuiſſe tibi: ita me dominium eius teneat in ſeculum, vt tu ſis Dominus meus in æternum.* Conſonat & Arnoldus Carnotenſis hoc tenore. *Cùm debita venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper, quòd Maria ſit gratiâ plena, manifeſtum eſt, indiuiduam eſſe matris & filij gloriam, & commune eſſe vtriuſque præconium.*

Theophylact. Alexandrin. lib. de Incarnat.

EX SS. PATRIBVS.

Ildephonſ. lib. de virginit. Mariæ c. 12.

Mariæ & Chriſti cultus eſt indiuiduus.

Arnold. Carnot. de B. V. Maria.

Tantùm abeſt, vt Mariâ exoratâ fiat Deo iniuria, quinimò Dei nutum ſic ſequimur; ſic nempe ſua dona Deus diſtribuit hominibus, vt illa velit omnia beneficis Mariæ manibus erogari. Ecce vadem meæ ſententiæ Bernardum. *Cæleſti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus hominum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam. Altiùs ergo intueamini, quanto deuotionis affectu, eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria; vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens.* Eſt itaque Maria inuocanda nobis, ſicut olim Sara fuit ab Abraham Patriarcha, ſibi ſic conſulente Saræ obſequio, quam ſciebat eſſe Pharaoni Principi placituram. Vt ergo ditas Ægyptiorum manus effugeret, ita Saram affatus eſt. *Dic, obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Abraham cunctante Regi ſe ſiſtere, Sara prudens hoc conſilium ſecuta, Regem fecit Abrahæ propitium.

S. Bernard. ſerm. de nat. B. V.

Maria noſtræ redemptionis pretium tenet.

Mariæ intuitu omnia benè cedunt nobis.

Geneſ. 12.

Ita Deus in Maria nobis de ſalute noſtra dubiis ſapientem ſubdidit aduocatam. Etenim præpeditus homo ſuis deliquiis habet vnde ſibi

timeat

timeat deprecandò Deum: ſed abundè metus ille detergitur, inuocando potens Beatæ Mariæ Virginis auxilium: namque Deum inter & nos hæc mediat, vt opportunè monet Bernardus, ſic hortatus. *Amplectamur Mariæ veſtigia, & beatiſſima ſupplicatione beatiſſimis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens eſt enim, nempe vellus eſt medium inter rorem, & aream, mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta.* Reuerà Parens illa Dei ſanctiſſima, noſtræ ſororis agit partes apud Deum, & benè nobis eſt propter eam, vnde nihil diſpendij patitur orbis ex receſſu Mariæ in cælum; imò bona largiter influunt in nos efficaci atque iugi B. Mariæ Virginis interuentu

Bern. ſerm. 7. in Signum magn.

Maria quare dicatur vellus.

Vtilem eſſe nobis abſentiam Mariæ ab hoc orbe docet liquidò Bernardus ita fatus. *Quantùm de eius præſentia cœlum exultat, numquid non conſequens eſt, vt tantùm lugeat hic noſter inferior mundus eius abſentiam? Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis hic eſt manens ciuitas, ſed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta peruenit,* &c. *Præceſſit nos Regina noſtra & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur dominam ſeruuli clamantes: Trahe nos poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam iudicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Pretioſum hodie munus terra noſtra direxit in cœlum, vt dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Illuc enim aſcendit fructus terræ ſublimis, vnde data optima & dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas; Regina cælorum eſt, miſericors eſt, mater eſt vnigeniti filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius ſeu pietatis magnitudinem commendare, niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare Matrem, aut dubitare quis poteſt, omnino in affectu charitatis tranſiiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus, corporaliter requieuit.* Bernardo auctore patet, Mariam inuocatione coli quàm maximè, atque poteſtatem eius preces abundè fuſas, & vota reddita commendare. Igitur ad Mariæ cultum conferet illa breuis oratio compacta ſtylo Abrahæ: Virgo beata precor, dic quod ſoror mea ſis, vt mihi benè ſit propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.

Mariæ abſentia ab hoc orbe nobis vtilis.

Bernard. ſer. 1. de Aſſumpt.

Mariam aduocatā præmiſit peregrinatio noſtra.

Mariam inuocandi formula.

Haudquaquam argumenta deſunt, quæ nos ſollicitant ad illud inſigne genus obſequij. Primum eſt, à Deo præſtitutus ordo, quo ſtante Deus non influit in animas, Beata niſi Virgine conſcia; ita vt omnes, quos vberior gratia Dei afflat, ſint inde magis B. Mariæ Virgini debitores. Hoc argumentū pios quoſque monet Bernardus, vt ſuam erga Deiparam pietatem excitent & acuant. *Totis*, inquit, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos voluit habere per Mariam,* &c. *Quæramus gratiam & per Mariam quæramus, quia quod quærit, inuenit, & fruſtrari non poteſt.* Homo memor ruinæ in quam Adamus incurrit, pulſus illo peramœno loco voluptatis, in quem Deus illum induxerat, cunctando, tremens, & ægrè ſuas offerre preces erat ſolitus: ſed vt ſunt inuiſa Deo timoris ſeruilis obſequia; ita nobis conſuluit prouidendo nobis mediatorem humana carne ſatum, cuius ſi maieſtas adhuc horrorem incutit, Maria Virgo data eſt nobis, vt apud Filium coruſca nimis gloria terribilem, pulſata piis precibus intercedat.

Bern. ſer. de Nat. B. V.

Maria mediatrix apud Filium.

Hæc mea ſenſa probat Bernardus eloquio perſimili. *Ad Patrem*, inquit, *verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas; Ieſum dedit tibi mediatorem. Quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia ſua. Pater enim diligit filium. An verò trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo maieſtatem vereare diuinam, quòd licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Aduocatam vis habere & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ: nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua, Exaudiet vtique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam, non audire, aut non audiri filius poteſt? Neutrum planè.*

Bernard. vbi ſuprà.

Chriſtus apud Patrem eſt mediator.

Illa Ieſu & Mariæ combinatio ſalutaris refricat inolitum veteri Romæ ritum, quem meminêre Zeno, Cicero, & Macrobius, qui ſcripsêre Sacra omnia initium cepiſſe ab inuocatione Iani & Veſtæ. Fabius Pictor ait, Ianum inſtituiſſe Sacra, & erexiſſe primùm aras & delubra Diis, ac proinde locum meruiſſe primum in precibus atque votis, quando ſua Sacra homines auſpicantur. Adiicit ille, Ianum habuiſſe ſibi Veſtam in vxorem, & hanc ignis vſum adhibuiſſe Sacris, ſicut antè panem atque vinum offerre Diis Ianus edocuit: hunc verò Sacris adhibitum ignem Veſta piis quibuſdam virginibus aſſeruandum tradidit, nequando viuax flamma deficeret. Vnde vetus virginum Veſtalium inſtitutum pro cuſtodiendo foco hinc creditur effluxiſſe.

EX ANTIQVITATE

Ianus, & Veſta primi inuocati in ſacris.

Zeno lib. 1. rerum Ital.

Cicero. lib. 2. de natur. Deor.

Macrob. lib. 1. Saturn. c. 9.

Fabius Pictor. lib. 1.

Ianus quis fuit.

Veſta, qualis fuit.

Veſtalium virginum origo.

Domitianus etiam ſubodoratus in ſexu fœminino Deum inflectendi aliquid idoneum, à Pallade inuocata fecit ſuorum omnium Sacrorum exordium, vt auctor eſt Philoſtratus. Pietatis Domitiani erga Deam illam fictitiam, cauſa fuit iactantia: quippe delirus homo ille, Dei infulas affectando, Dea Pallade matre ſatum ſe eſſe dicens, omnibus imponebat. In Peloponneſo fuit & ſexui fœminino ſuus ſartus tectus honos: hi nimirum Græci, à Melyſſa, Nymphas ſuas ſemper incepere preces, in gratiam mellis, cuius vſum eis alma Melyſſa dedit. Ita Gyraldus, Cælius Rhodiginus, & Lactantius. Tanta fuit etiam religio Gentium erga Solem, & Lunam; vt vtrumque ſidus excolerent, ſub nuncupatione Liberi & Cereris. Vnde Poëta preces ita ſuas fundit.

Philoſt. lib. 7. c. 12. vita Apollon.

Pallas inuocata à Domitiano initio ſacrorū.

Lilius Gyraldus de Diis Gent Synt. 17.

Cæl Rhodig. lib. 18. c. 27.

Lactan. lib. 1. c. 22.

Sol, & Luna ſimul adorati.

Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum

Virgil. l. 1. Georg.

Liber , & alma Ceres:

Maria apud Ieſum intercedit.

Hæc omnia prælibata decent eum Mariæ cultum , quem ſuadet obſeruatio , quam ſuggeſſi dicendo , ritè Mariam precibus inuocari. Namqoe Iano & Veſtâ Diis Gentilibus ſancta parens Eccleſia afflata Deo , ſanctius aſylum habet ; quippe Ieſum & Mariam accepit cœlitus aduocatos. Ideoque ſnam teſtatura fidem erga ſuos hos patronos Eccleſia ſanxit , vt orationes quæ Deum & Mariam ſpectant, initium dent horis canonicis. Quippe *Pater noſter,& Aue Maria* , breues ſanè preces , quæ Ieſum & Mariam ſollicitant , horis diurnis & nocturnis congruè præmittuntur. Diceres ex profeſſo ritum illum eſſe mori antiquo ſuffectum deprecandi Ianum & Veſtam initio ſacrorum. Benè Ieſus dominica oratione præit, vt mediatorem agat apud Patrem ; ſalutatione demum Angelica Mariam vrgemus , vt ipſa ſuas etiam partes agat , ex qua pietate poteſt erga Ieſum , indubiè ſanctæ Matris fuſis in gratiam noſtri precibus inflectendum.

Ex SS. PATRIBVS.
Innocent III. ſerm. 2. in Feſto Aſſump.
Maria quare dicatur Luna, & aurora.

Hoc profectò fuit ſalutare Papæ Innocentij III. conſilium. *Qui iacet in nocte culpa reſpiciat Lunam , deprecetur Mariam , vt ipſa per Filium cor eius ad compunctionem illuſtret. Quis enim de nocte inuocauit eam , & non eſt exauditus ab ea ? Qui verò ad diluculum pœnitentia ſurgit , reſpiciat auroram , deprecetur Mariam, vt ipſa per Filium cor eius ad ſatisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eum , & non eſt exauditus ab ipſa.* Huius indiuidui Ieſu & Mariæ conſortij beneficij hominibus mentionem luculentam facit Arnoldus Abbas Bonæuallis.

Arnold. tract. de laud. Maria.

Securum , inquit , *acceſſum homo iam habet ad Deum , vbi Mediatorem cauſa ſua Filium habet ante Patrem , & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus , & vulnera ; Mater Chriſto pectus , & vbera: nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi concurrunt , & orant omni lingua diſertius hac clementia monumenta , & charitatis inſignia.* Huic auctori ſuppar ætate Petrus Cellenſis, cum illo coït in eandem ſententiam, de fauſto nobis illo binario , Chriſto ſcilicet, & Maria , quo velut vehiculo ad ſidera ſubleuamur.

Maria eſt altare.
Petr. Cellenſ. de panibus, c. 21.

Filius (inquit) *noſtra apud Patrem eſt propitiatio , qui interpellat pro nobis: Mater apud Filium , quia rogat pro culpis noſtris. Filius eſt altare de terra ſanctu , quia corpus habet de Matre ſine macula , in quo cremantur holocauſtomata, dum condonantur peccata: Domina noſtra nihilominus altare eſt terrenum, quia refugium eſt miſerorum.*

Guillel. Aluern. de diuina Rhetor. cap. 15.
Maria Regina pietatis.
Maria à Deo repulſam non patitur.

His omnibus adiice colloquium Guillelmi Aluerni auctoris ante quadragintos annos nominatiſſimi Ille Matrem omnium noſtrum Mariam ſic affatur. *Adibo te , imò etiam conueniam , glorioſiſſima Dei Genitrix , quam matrem miſericordia , & Reginam pietatis vocat imò clamitat omnis Eccleſia Sanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tua gratiam apud benedictum ac ſemper & vbique benedicendum Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum ? Tu , inquam , cuius glorioſitas nunquam repulſam patitur : cuius miſericordia nulli vnquam defuit : cuius beniginiſſima humilitas nullum vnquam deprecantem, quantumcunque peccatorem deſpexit. Dum te exoro , vt me miſericordiſſimo Filio tuo reconcilies , hoc proculdubio à te peto , quod maximè gratum atque placitum tibi certiſſimè ſcio.*

Ianus olim oblatione panis atque vini facta Diis , inſtituiſſe Sacra fertur. Chriſtus conſecrando panem & vinum, præcipuum omnium Sacrorum fecit , quod quando Sacris initiati presbyteri conficiunt, meminere Ieſu Chriſti, qui ſpeciali edicto cauit , ne fieret res illa ſine memoria Chriſti Domini reſtricata. *Hoc* (inquit) *facite in meam commemorationem.* Veſta Sacris ignem adhibuit , quem voluit eſſe penes virgines. Maria Virgo beata tota cœlitus incanduit igne ſacro amoris , quo accenſo Sacris noſtris adeſt Deus propitius. Ignis huius ſancti cuſtodiam virginibus , id eſt puris duntaxat hominibus , & à fœda procul macula, commendauit. Cùm ergo gens noſtra totum debeat Chriſto & Mariæ , noſtrarum eſt partium vtrumque ſidus honore congruo venerari. Dignè profectò ſuas obit partes Eccleſia: ſiquidem vt auſpicatur horas canonicas inuocando Ieſum & Mariam ; ita finem facit pſallendi terminando preces , quas & illa vocat collectas , Ieſu Chriſti nomine recenſito. Etenim oratio concluditur hoc tenore. *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum,* &c. Et nequando Parens noſtra Maria Virgo deſit , pſalmodiam excipit antiphona Salue Regina , vel altera iuxta ritum temporis.

Lucæ 22.

Maria inuocatur initio, & in fine horarum canonicarum.

Vnde ſicut auſpicamur horas canonicas conciliando nobis Ieſum , & Mariam ; ita preces illas concludimus . Domini Ieſu , & Mariæ ſanctiſſimæ Virginis veneranda nomina reuocantes.

Si Domitiano ſatis aliquando fuit ad Palladis obſequium , ſe Pallade matre cretum, mente nimis credula promulgaſſe ; quid præſtabit plebs Chriſtiana tali dignata matre, qualis eſt ipſa Dei mater ? Illud idem quod Princeps ille ſuæ Palladi , nempe Matri ſanctiſſimæ , & Virgini beatæ fuſis ex animo precibus obſequetur. Ille precum cultus , qui defertur ei , ſignificat , nos eam recenſere ſicut Matrem illam , quam veteres Opem dixere Deorum matrem , quæ à verbo *ῥέειν* quod eſt fluere , fuit etiam dicta Rhea , quaſi affluens , & cauſa boni quod influit in homines. Etenim Maria Matre Dei , & noſtra intercedente , nobis bona omnia cælitus illabuntur.

Mariam eſſe ſcyphum , quo redundans gratiarum aqua ſalit , voce canora ſonat Bernardus. *Vita aterna fons indeficiens , qui vniuerſam ſuperficiem irrigas Paradiſi. Nec modo irrigas , ſed inebrias fons hortorum , puteus aquarum viuentium , qua fluunt impetu de Libano, & fluminis impetus lætificas ciuitatem Dei.*

Maria eſt aquæductus.

Quis verò fons vita , niſi Chriſtus Dominus ? Deriuatus eſt fons vſque ad nos , in plateis deriuata ſunt aqua , licet non bibat alienus ex eis. Deſcendit per aquaductum vena illa cæleſtis , non tamen fontis exhibens copiam , ſed ſtillicidia gratia arentibus cordibus noſtris infundens ; aliis quidem plus , aliis verò minus. Plenus equidem aquaductus , vt accipiunt cæteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſum. Aduertiſtis , ni fallor , quem velim dicere aquaductum , qui plenitudinem fontis ipſi non capere poteramus. Noſtis enim , cui dictum ſit : Aue gratia plena. An verò inueniri potuiſſe miramur vnde talis ac tantus fieret aquaductus , cuius nimirum ſummitas , inſtar profectò ſcala illius , quam vidit Patriarcha Iacob , cælos tangere , imò tranſcendere , vt

Bernard. ſer. in Natiuit. V. Mariæ.

viuidiſſimum

viuidiſſimum illum aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt, poſſet attingere fontem? Nimirum tantopere humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod nondum intercederet is, de quo loquimur tam deſiderabilis aquæductus. Nec mirabere diutius expectatum, ſi recordaris quot annis Noe vir iuſtus in arcæ fabrica laborarit, in qua pauca, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt, idque ſatis ad modicum tempus. Sed quomodo hic noſter aquæductus fontem illum attigit tam ſublimem? Quomodo putas niſi vehementia deſiderij, niſi feruore deuotionis, niſi puritate orationis, ſicut ſcriptum eſt: Oratio iuſti penetrat cœlos. Et quis iuſtus, ſi non Maria iuſta, de qua Sol iuſtitiæ ortus eſt nobis. Quomodo ergo illa inacceſſam attingit maieſtatem, niſi pulſando, petendo, quærendo

Meliſſa Nympha quæ.

Olim Nympha Meliſſa ſibi Græcos obſtrinxit mellis ſuauitate rudi adhuc populo demonſtrata. Maria nuncupata vita, ſpes, & dulcedo, nobis quid dulcius melle dedit, quando Ieſum enixa eſt, & quando plena gratia, & ſuperplena nobis etiam gratiam impetrauit. Habemus hoc gratiæ dulcore ſatis idoneum argumentum, ad nos huic Meliſſæ arctis obſequij æterni vinculis obſtringendos. Bernardus iterum audiendus. *Quod* (inquit) *quærebat, inuenit, cui dictum eſt: Inueniſti gratiam apud Deum. Quid? plena eſt vbi gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorſus inuenire quod quærit, cui propria non ſufficit plenitudo, nec ſuo poteſt eſſe contenta bono, ſed vt ſcriptum eſt: Qui bibit me, adhuc ſitiet, petit ſupereffluentiam, ad ſalutem vniuerſitatis. Spiritus Sanctus, ait, ſuperueniet in te, & pretioſum illud balſamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, vt copioſiſſimè effluat circumquaque. Ita eſt, iam ſentimus, iam exhilarantur facies noſtræ in oleo, iam clamamus oleum effuſum nomen tuum.* Potior longe fuit gratia huius olei ſancti conceſſa Matris Dei precibus, quàm beneficium mellis à Meliſſa Græcis populis impertitum. Idcirco manet nos eadem & gratitudo, niſi fortè maior occurrat, vt expedit. In exhibendis his gratiis noſtra magis intereſt, quàm Mariæ: nam hæc inuocata nihil proficit; nos verò ſecus omnibus vſquequaque bonis affluimus, quando ſicut par eſt, à nobis Beata Maria Virgo votis anhelis, atque piis precibus inuocatur. Vt namque ſonat illa Patrum corona ſupra recenſita, Deus Pater Chriſto nihil recuſat, vt nec Chriſtus ipſe ſuæ Genitrici, quando ſuis cultoribus conſultura Natum adit, pulſata votis eorum, qui ſeſe eius cultui manciparunt.

Bernard. vbi ſuprà.

Alex. ab Alex. lib. 6. c. 8. dier. Gen.
Ops olim Dea benefica.
Opis aſylum patens.
Maria præ omnibus Sanctis eſt ſollicita pro nobis.
Auguſt. ſerm. de Aſſumpt.

Ait Alexander, eos, qui indigebant Opis auxilio, ſemper habuiſſe patens aſylum: Ops quippe Dea priſca illa ætate fuit credita, non opibus affluens tantùm, vnde ſibi nomen grande, diues & liberale fecit; ſed & prædicata fuit prona bonis etiam omnibus influendis. Quiſquis opis Mariæ indigus eſt; ille fores occloſas haudquaquam inueniet: ſiquidem illa ſolùm, non vſquequaque patet, & aditum facilem hominibus præſtat, ſed inſuper eſt ita rerum humanarum ſollicita, vt in hoc pietatis obſequio omnes etiam cœlites antecellat. Fauet Auguſtinus hoc contextu. *Sicut apud Deum eſt Beata Virgo potentior; ita & præ omnibus Sanctis, eſt pro nobis ſollicitior.*

Dionyſius Carthuſianus etiam opportunus adeſt in explicando modo, quo Virgo Beata curam noſtri indefeſsè gerens, ſalutem noſtram, imò vitæ momenta ferè omnia moderatur. Sic ille Matrem Dei, & omnium noſtrum affatur. *Tu mater miſericordiæ pro miſeris Filium tuum rogabis; quoniam Deus Pater, te Filium ſuum inter & homines poſuit mediatricem. Et ſicut tu Iudicem nunquam inuenis difficilem; ſic te reus nunquam inuenit inexorabilem. In manibus tuis ſunt omnes theſauri miſericordiarum Dei: ideo regratiemur Deo, quòd talem nobis concedit adiutricem.* Qua verò ratione nobis inuigilet illa Parens prouida, pergit ille fidus cultor, & teſtis locuples aperire. *Volens* (inquit) *Rex Meſſias Chriſtus Dominus propriam exaltare, honorareque Matrem, conſtituit eam inter ſe Iudicem eoſque iudicandos mediatricem; ſtatuit eam apud ſe noſtram aduocatam, commiſit ei militantem Eccleſiam, ſubiecit ei omnium electorum cateruam, eatenus vt niſi per eam nihil nobis donetur: ita vt ſi nos exaudiri, ſi indulgentiam gratiamque ſortiri contigerit; totum per Mariam nos adipiſci ſciamus, in cuius manu ſalus noſtra repoſita eſt.* Non ergo gratis & perperam dixi, Mariæ obſequendo magis noſtrâ quàm huiuſce Beatæ Virginis intereſſe.

Maria Filium ſuum nobis facit propitium.
Maria theſauros habet miſericordiarum Dei.
Dionyſ. Carthuſ. opuſc. de laud. vitæ ſolit. art. 27.
Ibidem art. 3.

Quid cunctamur ergo preces fundere, & Mariam conciliare votis, cum illa fores miſericordiæ peruias omnibus exhibeat, & à gratiis, quæ vberes eius interceſſione fluunt, in animas nemo niſi volens, & noxius arceatur. Vnde piè Baſilius ita fatur. *Ne diffidas, ô peccator, ſed in cunctis Mariam ſequere, & ipſam inuoca, quam Dominus voluit in cunctis ſubuenire.* Ne verò moras nectat homo malè ſibi conſcius, ob retroactæ vitæ genus impium, Anſelmus inde maius pietatis erga Matrem Dei, homini peccatori ſuggerit argumentum. Ecce viri ſancti fiduciam magnam, quam concepit in gratiam hominum, qui conſcientiâ lancinante tremunt, atque puris obtutibus Deiparæ ſiſti, impuro animo reformidant. *Scio* (inquit) *illam magis propter peccatores quàm propter iuſtos eſſe factam Dei Matrem. Dicit enim Filius eius, ſe non veniſſe vocare iuſtos, ſed peccatores. Apoſtolus quoque teſtatur quod Chriſtus in hunc venerit mundum peccatores ſaluos facere, quorum ſe fatetur primum eſſe. Sic igitur propter peccatores ipſa, ſcilicet propter me, meique ſimiles facta eſt Dei Mater. Quomodo ergo immunitas quælibet peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam errorum, cùm tam ineffabile bonum ſit factum ex ea, ob curationem eorum?*

Baſilius ſer. de Annun.
Maria facta propter peccatores.
Anſelm. lib. de excellent. Virg. c. 1.

Vt eſt indoles humana rerum plurium indiga; ita Deas ætas hominum priſca plures adinuenit, quas præfecit editi in lucem hominis egeſtati. In his celebriores fuere Deæ iſtæ, Proſa, Poſtuorta, Egeria, Fluonia, Lucina, Educa, Potina, Maia, quæ & aliquando fuit Fatua nuncupata. Dixere Proſam, & hanc fecere Deam, vt obſtaret, ne peruerſa foret editio fœtus, vt plerumque cadit, quando contra modum à natura indictum, conuerſi in pedes pueri, brachiis diductis hærent in faucibus vteri, vnde matres non ſine diſcrimine vitæ ægrius enituntur. Vt huic periculo iret obuiam Roma, Proſam excoluit, vt auctor eſt Gellius. Poſtuorta ſibi quoque munus

EX ANTIQVITATE.
Proſa Dea qualis extiterit.
Gellius l. 16. cap. 16.
Poſtuortæ Deæ munus quale.
Gellius l. 16. cap. 16.
Macrob. l. 1. Saturn. cap. 7.

rius Idem attribuit, & eius meminere Gellius, atque Macrohius. Egetia dicta fuit ah egetendo parto, quo cunctante foras exire, matres in hoc agone dita ventris tormina patiuntur. Huius mentiooem fecere plores, vt Feſtus Pompeius, Liuius, & Plutarchus. Hane dixere Numæ coniugem, à qua Numine afflata leges acceptas Sacrorum ſanxit. De hac etiam Ouidins ita canit.

Egetia Dea qualis extiterit. *Feſtus Pomp. l. 5. Liuius. 1. Decad. l. 1. Plutar. in Num.*

Egeria eſt, qua prabet aquas, Dea grata Camœnis.
Illa Numæ coniunx, conſiliumque fuit.

Ouid. l. 3. Faſtor.

Fluonia ſic nuncupata fuit, quod ſanguinis fluxum ſiſteret in conceptu. Hanc recolunt Martianus Capella, Arnobius, & Feſtus Pompeius. Lucinæ fuit officium heneficiam procutare lucis vſuram infantihus. De illa ſonat ita Terentius.

Fluoniæ Deæ officiũ quale. *Martianus Capel. in nuptiis Mercurij. Arnob. aduerſ. Gentes. Feſt. Põp. l. 6.* Lucina qualis extiterit. *Terrent. in Andr.*

Iuno Lucina fer opem.

Virgilius item egregium de illa Lucina facit commemorationem, hac illam inuocandi formula tecenſita:

Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Virgil. in Bucol. Eclog. 4. Cic. l. 2. de Nat. Deor.

Qualis Lucma fuit ex Cicerone patet. *Luna* (inquit) *à lucendo nominata: eadem eſt enim Lucina. Itaque vt apud Græcos Dianam, eamque luciferam; ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant.* Plinius Lucinæ nomen deducit à luce, quam ſinceram infantibus recenter editis impertitur. Alij verò lucum, qui Iunoni Romæ ſacer eſt in exquiliis, dediſſe nomen Lucinæ credunt. In his eſt Ouidius.

Plin. l. 16. c. 44.

Gratia Lucina: dedit hæc tibi nomina lucus
Aut quia principium tu Dea lucis habes.

Ouid. l. 2. Faſtor.

Educam vocat Vatro Deam, quæ facultatem edendi paruulis elargitur. Hanc Auguſtinus Edulicam nominat: hanc etiam commemorat Nonius Marcellus. Potina à facultate potus hauriendi nomenclaturam habet. Donatus eam commemorat. Maia demum, quæ & Fatua à fando nomen habet. Hæc inducta fuit, vt infanti loquelam faceret expeditam. Ita Macrobius. Si credula nimium Roma Diis inanibus aduoluta ſua teddidit ohſequia, arbitrata natos ioſantes ope talium Numinum indigere. Gens Chriſtiana ſacris initiata myſteriis, certò ſerens, Deiparam impetrare nobis plura Dei chariſmata, quàm quæ finxit antiquitas, nonne debet eam quibuſcumque modis expedit, honorare. Quod Proſæ, & Poſtuortæ fuit falsò datum de aptando fœtu, vt erumpat ſicut decet. hoc præſtat Maria tempeſtiuè, fœtus animæ noſtræ dirigendo, vota ſcilicet noſtra, & conceptus de ſanctiore vita inennda, ad praxim congruo tempore reducendo.

Educa Dea qualis extiterit. *Varro l. 2. de vita populi Rom. Aug. l. 4. c. 11. de Ciuit. Dei. Nonius. Marcell. lib. de propriet. ſerm.* Potina Dea quænam extiterit. *Donat. in Phormionem Terenty.* Fatua Dea vnde dicta. *Macrob. l. 1. Satur. c. 12.* Maria quare ſit obſtetrix.

Egeriam partum egeſſiſſe nugans ait antiquitas, ſed conſtat Mariæ interceſſione plures egeſſiſſe ſuas noxas in confeſſione, quæ pudore præpediente diu hæſerant in faucihus, ſic ſeſe ad ſacramentum confeſſionis homine pœnitente gratis & perperam accingente. Fluooiam à fluore ſanguinis ſiſtendo dici, eſto verum ſit; illa tamen magni nominis vmbra fuit, nemine prorſus experiente Deæ fictitiæ influxum. Sed eſt in confeſſo, bona, quæ propoſuimus exequenda, ſuum ſortiri effectum nec inc. ſum effluere interuentu Beatæ Mariæ Virginis obſtetricis. Illa nimirum obſtetricante ratum & fixum eſt omne bonum, quod inſpirante Deo concipimos, nec nos acerba manet cenſura Vatis in eos, qoorum fœtus omnis, & conceptus in inglorium deſinit abortiuum. *Venerunt* (inquit) *filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.*

Iſai. 37.

Lucina nihil contulit omnino lucis ad vſuram. Aſt Maria Virgo lucem attulit mundo, cui ſeſe caligo diu offuderat, & huinſce lucis obſequio degeotes in opaco prius homines illuſtrauit. Educa famem exercere nequit, ſicut nec Potina ſitim. Virgo verò Beata vinum atque panem ex ſe tulit, vnde fami, atque ſiti animarum coosulitur, adſcitis hominibus ad Angelorum menſam, vhi corpore & ſanguine Chriſti compotes huius eſcæ potuſque ſalutaris animæ ſaginantur. Fatua & ſtulta verè Roma fuit, quando Deam Fatuam innexit, ne elinguis & tacitus aliquando foret infans editus in lucem. Sed Roma Chriſtiana ſapit, quæ Mariam credit peperiſſe Verbum, quo afflatus nemo tacet. Denique quidquid antiquitas illa loquax mentitur, vt adſtruat eſſe Deas plores homini propitias, illud omne cedit gratiis, quæ influunt, quando Beata Maria Virgo votis atque precibus exoratur.

Maria plus poteſt, quàm quod finxit antiquitas de ſuis Dus.

Itaque Maria ſola Diis omnihus præſtat Gentilium, pluſque poteſt in gratiam hominum, qui ſe committunt ei, quam quod mendax fabula ſuggeſſit eis, quos ætas illa nimis credula dementauit. Idcirco placet vſurpare lætum hoc effatum Ioannis Damaſceni, ſollicitantis omnes homines ad cultum Deiparæ. *Adeſte*, inquit, *gentes omnes, omne hominum genus, omnis cuiuſuis lingua & ætatis, ac dignitatis, orbis vniuerſi lætitia natalem diem læto animo celebremus. Nam cùm Gentiles dæmonum per commentitias fabulas mentem ſubripientium, ac veritatem obſcurantium, atque Regum natiuitates omni honoris genere celebrarint, pro ſua quiſque facultate munus quoddam offerentes, tametſi etiam alioqui illi vita humana perniciem inferrent, quanto magis nos Dei Genitricis natalem honore complecti conuenit, per quam mortalium genus redintegratum eſt.* Rurius idem alibi Mariæ feſta dicit eſſe feſtis omnihus priſci illius Gentilium ſæculi præponenda. *Alij*, inquit, *alia feſtorum argumenta pro audientium arbitratu pertractent: nobis autem illud ad laudationem proponatur, cuius caput eſt præſens ſolennitas, auſpicem habens Verbi matrem.*

EX SS. PATRIBVS. *Ioan. Damaſ. orat. 1. de Nat. Mar.*

Idem orat. 2. de Nat. Mar. Maria quare omnium ſtatuum aduocata.

Ad ſuadendum etiam Mariæ cultum conducit meminiſſe, piam hanc omnium hominum matrem cunctas obiiſſe vices, quas ſubire queont omnes. Ad tres enim claſſes reducitur omne hominum genus, virginitatis ſcilicet, coniugij, & viduitatis. At Maria, Virgo licet extiterit ſemper, coniugem habuit, quo extincto fuit & vidua. Cùm ergo trium horum ſtatuum extiterit Virgo, illa tribus his aderit, vtpote congrua viduarum, coniugum, & virginum aduocata. Ideóque ſcitè clamat Fulgentius. *Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, &c. Ideo omnes iſtos curſus naturæ Virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium, noua Eua ſeruando virginitatem, ſicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Ieſus Chriſtus.*

Fulgent. ſer. de laudibus Mar. ex partu Salu.

Ne

Marię preces ad omnes ſe porrigunt. *Auguſt. ſer. 18. de Sanctis.*

Ne vero tibi ſubrepat, ſexui fœminino ſolùm litare preces Mariæ; Auguſtinus ait, Virginis huius opem eos, qui commemorant illam omnes homines experiri. *Sentiant*, inquit, *omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam commemorationem.*

Anſel. lib. de inuoc. B. V.

Dixi ſupra, rerum omnium inopiam, qua premente gemunt homines, eos obſtrinxiſſe Deas inuocare nouas, quas credidêre propitias. Si ergo viget & vrget adhuc nos hæc egeſtas, operæ-pretium eſt eò confugere, vnde poteſt opportuna ſalus influere. Congruum atque ſalutare nobis refugium eſt Maria Virgo. Quippe leuat atque iuuat ope ſua confugientium ad ipſam omnium hominum indolem imbecillam. Poteſtatis eius ad tergendas omnes omnium anguſtias vt Anſelmus erat conſcius; ita Matrem Dei conciliare ſibi ſatagit, ſupplices ingeminando preces, quarum argumenta facit miſerias, in quas eſt hominum natura patris ſui Adæ vitio condemnata. Sic ille *O mater ſalutis, ô templum pietatis & miſericordiæ, tibi ſe conatur præſentare anima mea morbis vitiorum languida, & vlceribus flagitiorum putrida: tibi, inquam, nititur quantum moribunda valet ſupplicare, vt potentibus tuis meritis, & piis tuis digneris eam precibus ſaluare. O tu benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate, anhelat ſpiritus meus moribundus ad tanta benignitatis reſpectum, ſed erubeſcit ad tanti nitoris conſpectum: eadem enim peccata mea, ô Domina mea, cognoſci cupiunt propter curationem, apparere fugiunt propter execrationem*, &c.

Maria mater miſericordiæ.

O tu illa piè potens & potenter pia Maria, de qua fons eſt ortus miſericordiæ, ne contineas, precor, tam veram miſericordiam, vbi tam veram agnoſcis miſeriam. Ille bonus filius hominis venit ſponte perditum ſaluare, & mater Dei poterit perditum clamãtem non curare? Fugiat ergo reus iuſti, ad piam matrem miſericordis Dei. Pie Domine, parce ſeruo matris tuæ: pia Domina, parce ſeruo Filij tui. Qui me conijcio inter duas tam immenſas pietates, non incidam inter duas tam immenſas ſeueritates. Hactenus Anſelmus.

Maria quid ſanctis hominibus & etiam Angelis dedit. *Auguſt ſer de Nat Mariæ.*

Quam ſit Maria Virgo potens, & quàm longè latéque influxus eius excurrant, fusè docet Auguſtinus, enumeratione facta rerum, quas ab ea cuiuſvis generis homines ſancti, necnon & beati ipſi ſpiritus acceperunt. Sic ille. *Facta eſt Maria ianua cœlorum, ſublimatio Apoſtolorum, laus Martyrum, iubilatio Confeſſorum, continentia Virginum: facta eſt Maria norma Principum, iuſtitia Regum, ſalus omnium populorum, gloria viduarum, gaudium Angelorum, requies animarum: facta eſt Maria ſalus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.* Hæc ille, cui Bernardus etiam verbis eius ſententiæ congruis aſſentitur. Scribit enim, Deiparam ita ſe aptare rebus humanis, vt omnibus prouideat. *Maria*, inquit, *omnibus omnia facta eſt, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam.*

Bernard. ſer. in Apocalypſ. Signũ Magn. Maria omnibus omnia facta eſt.

Eſto queant hæc præfata nobis ſuadere pium Mariæ cultum in eius inuocatione ſitum non eſt prætereunda tamen ratio petita crebris à dæmonum inſidiis & ictibus, vnde ſalus noſtra vertitur in diſcrimen. Olim Roma videns ſe vndequaque peti; vt æmulorum impetus eliderer, arbitrata Deam eſſe victoriam, ſimulacrum ei erexit, & inſtituit Sacra, quibus Victoriam obſtringeret, vt à partibus Romanorum ſtaret: tantaque fuit Romana fides erga Deam illam commentitiam; vt eius opis & influxus eſſe ratum & fixum haberent, hoſtium ab ipſis agmina profligata. Vnde quia Chriſtiana fide illucente ruit hæc ſtatua poſita quondam in Capitolio; Symmachus vir Conſularis eò prorupit audaciæ, vt Valentiniano Imperatori Chriſtiano coram dixerit, malè rebus Romanis conſultum eſſe, poſt abiuratum Victoriæ cultum, quem ille petens reſtitui in integrum, grauiter offendit hunc Principem à deliris Ethnicorum ritibus alienum.

Victorię ſtatua olim culta Romæ.

Symmach. orat. ad Valẽt. Imperat.

Vt Principem inflecteret garrulus hic orator, adſcita venuſtate comptioris eloquij, hoc eleganti in dicendo lepore fucos fecit, & impoſuit pluribus adſtantibus, enumerando clades illatas imperio, poſt abdicatum Victoriæ cultum, quem reuocaſſent denuò multi Senatorum adſtantium, niſi Sancto Ambroſio ſuaſore pius Imperator fortiter obſtitiſſet. In hoc potiſſimum cardine vertebatur oratio Symmachi, ſtante more priſco Romanorum, qui Victoriam coluêre ſicut Numen. fuiſſe omnia ſarta recta Romæ, cui impares fuêre plagæ omnes orbis vniuerſi, deturbatâ ſecus ſtatuâ Victoriæ, omnia peſſum iuiſſe crebris irruentibus hoſtibus in Romanos iniurios Victoriæ, cuius obſequio & veneratione diu res Romana ſæuis hoſtibus fractis ſteterat illibata.

Profectò potiori ratione ſibi Virgo Beata preces & obſequia fidelium vendicat: illa namque Deo decernente data eſt nobis in tutamen contra feros dæmonum inſultus, quos coërcere nequit homo ſuo marte, velut impos obſtare tali & tanto hoſti, qualis & quantus eſt ille nequam Angelus, qui & in perniciem noſtram conducit omnia ſpirituum etiam agmina deſertorum. Quanam verò truces illi nos arte petant hoſtes, & quas adhibeant technas vt proſternant, operæ-pretium eſt obiter enarrare, vecors vt indoles noſtra ſibi caueat, & auxiliares copias conſcribat, quarum ope freta, frangat aut eludat, fortis huius & aſtuti impetus inimici. Primum quod occurrit eſt nomenclatura ſonans in hominum hoſte vafrum quidpiam, nempe dæmon dicitur ſerpens: eſt autem ſerpens callidum atque prudens animal, caput cautè ſuum ingerens, vt deinde totum corpus inſinuet; ita notans dæmonis induſtriam, qui ſe ſuggeſtione prodit impetu primo, demum hoc capite immiſſo, trahit in conſenſum animam, cui non cura fuit pellere ſuggerentem. Ita Gregorius. *Suggeſtioni eius, ſi primo non reſiſtitur, repente totus ad interiora cordis, dum non ſentitur, illabitur.* Huius etiam verſipellis inimici Cyprianus abundè fucos detegit; ita telas, quas ille orditur, expandens. *Plus cauendus & metuendus eſt inimicus, cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, vnde & nomen ſerpentis accepit. Ea eſt eius ſemper aſtutia, ea eſt circumueniendi hominis cæca & latebroſa fallacia.*

Dæmonis aſtutia in tentatione.

Greg. lib. 17. Moral. c. 20. Diabolus dicitur ſerpẽs. *Cypr tract. de vnitate Eccleſiæ.*

Ruſus

Rurſus ille, vafri hoſtis explicando morem in tentando, notat in quot ille gyros ſerpens eat, & in quot amfractus hominem voluat, neſciens inſidias inimici huius tam ſæui, quàm callidi præcauere. *Circuit*, inquit, *ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens muros explorat, & tentat an ſit pars aliqua murorum minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, vt ſonis dulcioris auditu ſoluat & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat. Vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta, vt animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat: oſtentat falſa, vt vera ſubripiat: & cùm latenter non poteſt fallere, exertè atque apertè minatur: in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Quamobrem, fratres chariſſimi, contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas ſtare debet inſtructus animus & armatus, tam paratus ſemper ad repugnandum, quam eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus.* Tandem Cyprianus vt homines inſtituat ad cautelam contra tela vafri atque potentis inimici, ſic perorat. *Aduerſarius vetus eſt & antiquus hoſtis, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum iam penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat, omnia genera tentandi & artes atque inſidias deiiciendi, vſu ipſo vetuſtatis edidicit. Si imparatum inuenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſollicitum, ac toto corde vigilantem, circumuenit neſcium, fallit incautum, decipit imperitum. Si quis verò Dominica præcepta cuſtodiens, & fortiter Chriſto adhærens, contra eum ſteterit, vincatur neceſſe eſt, quia Chriſtus quem confitemur inuictus eſt.* Hæc ille.

Idem tract. de zelo & liuore.

Diabolus omnes ſenſus obſidet vt inde ſibi viã faciat in cor.

Senſuum incuria facilis eſt ad conſenſum peccatorum.

Tẽtationum quot ſpecies ſint.

Tentatio debet nos facere cautiores.

Hæc dæmonis aſtuti hominum hoſtis deſcriptio exquiſita metum & terrorem cuique generoſo poteſt incutere, quidni & pauido? cùm imbelles ſint hominum auſus, vt dæmonem frangant. Ne imbecilla tamen hominum natura cadat animo, opportunè Deus in Virgine Matre dedit arma, quibus Mariæ cultor homo truces inimicos in fugam ageret, & de illis ipſa duce & comite Virgine triumpharet. Nonne fuit idcirco ſ'arens illa Dei dicta, Turris Dauidica, ex qua mille clypei pendent, & in qua ſita eſt omnis armatura fortium? hoc ingenioſo typo turris, Deo inſinuante, vires noſtras omnes, eſſe parum idoneas ad vincendum hoſtes inuios aſpectibus, niſi Virgo Beata ſuis nos dignetur opibus adiuuare.

Cypri. tract. de exhortat. ad Martyriũ. ad Fortunatum.

Maria quare turris Dauid.

Mariam præualere feris omnium dæmonum turbis conſtat ipſo Dei oraculo: cùm namque dæmon ægrè ferens hominem eſſe ſibi ſubſtitutum, eum induxiſſet in peccatum Euæ virginis obſequio; hoc maledicto Deus feriit callidum hunc ſerpentem. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Quod perinde eſt ac dicere. Non dudum lætabere victor: quippe fiet, vt ab illibata demum Virgine conteraris. Perfidus ille memor oraculi, Maria exoriente, vires eius ſenſit. Recenter enim nata Virgo Beata metum & terrorem, quem diabolus incuſſerat, retorſit in hoſtem illum terribilem, quem ideo ſic inducit, Scriptura ſacra voce querula lamentantem. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?*

Gen. 3.

Maria diabolo terribilis.

Cant. 6.

Neminem poſſe, Mariâ Virgine inconſultâ, vires & inſidias dæmonum effugere, hiſtoriâ luculentâ & equidem ſacrâ liquet. Chananæus Rex nomine Iabin Hebræos inglorio & importuno iugo dudum oppreſſerat, & ſpem omnem libertatis aliquando reducis ademerat: quippe Ducem eis Siſaram præfecerat, hominem ſtrenuum & potentem, qui præter nongentos currus falcatos, adhuc ſtipatus erat electorum militum agmine numeroſo. Hebræis in arcto poſitis, & iniquè ferentibus ſeruituris iniuriam, propitius fuit Deus, præficiendo Barac Ducem agminum Iſrael. Debbora prophetis afflata Deo Duci Barac iniunxit, vt militem conſcriberet, & exercitu comparato Duci Siſaræ occurreret: namque fore cæſo vt Siſara, & exercitu eius diſſipato, plebem Hebræorum afflictam eriperet miseræ ſeruituti. Barac arbitratus negotium illud eſſe plenum diſcriminis, atque periculi, præſcia mente typum Beatæ Mariæ ſubodorans in Debbora, renuit exercitum inſtruere. Sed Debbora vrgente Barac ad prælium, ille moras omnes, quas prætexebat, ait ſe rupturum, & in hoſtem proceſſurum alacriter, ſi Debbora ipſa Dei acies expeditas in Siſaram præſentia ſua potiore omni robore confirmaret. *Dixit ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, nõ pergam. Quæ dixit ad eum. Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.*

Mariæ auxilium, figuratum in Debbora.

Iudic. 4.

Ex Cypriano ſupra recenſito patet, in quos incurrat hoſtes hominum genus, & noſtro experimento ſcimus, quàm ſit infirma manus humana, vires vt repellat dæmonis inſurgentis. Virgo tamen Beata ſuos cultores vrget & inuitat, vt concurrant cum Angelis apoſtatis. Quid ergo moras nectis, Chriſtiane, times fortè robur hoſtis acerbi? Prudenter agis, & conſcia infirmitatis metum habes, vnde excuſes: fatiſcente tamen animo, Mariæ Virginis adſciſcas opem; vſurpatâ prius, prælibata Barac formulâ deprecandi. Si venis mecum, ô Beata, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam. Quippe niſus noſtri omnes explicantur incaſſum contra manum illam lectiſſimam hoſtium, qui inſurgunt in nos? Irriti ſunt impetus noſtri contra diros hoſtes, qui nos vndequaque petunt; ſed te, ô Beata, comitante pauor omnis excidet: & eſto totus infernus occurrat; nos tuis auxiliis ſuffulti, animo infracto fortiter incurremus. Eſt namque verax oraculum: In fœminæ manu Siſaram eſſe tradendum, id eſt, dæmonem à te Beata Maria Virgine profligandum.

Virgine Beata duce, acies aduerſas agi in fugam, ſupra palàm feci, commemorando ſtragem Scytharum editam ab Imperatore Græco Caloioanne, poſt emendicatam opem Deiparæ. Vnde fuit & in more poſitum Græcis, pictam in labaro Virginis imaginem præferre die conflictus, vt Maria auxiliante, miles aut vinceret, aut mortem fortiter oppeteret; ex fauſto euentu conſtat abundè, ritum Beatæ Mariæ Virgini placuiſſe. Sed quia

Baronius ex Niceta ſub anno 1159.

maioris

Maria adfuit Coloīanni Imperatori.

maioris eſt ponderis,& momenti pugna nobis indicta cum dæmone, idcirco magis eſt æſtimanda cura, quam Virgo Beata gerit rerum noſtrarum. in procinctu congreſſus huius, cuius exitus haudquaquam anceps erit, ſi Maria ſtet à partibus noſtris; ſtabit autem conducta votis,& precibus; quippe nemo repulſam ab ea patitur inuocata.

Damaſcen. in Annunt. Mar.

Mariæ potēs eſt auxilium.

Bernard. in orat. ad Virginem.

Quàm ſit Virgo potens adiuuando ſuos pugiles & Athletas Damaſcenus ait, eam ſic compellans. *Inuiſuperabilem, Deipara ſpem tuam habens,ſeruabor;defenſionem tuam poſſidens, ô pura non timebo; perſequar inimicos meos, & in fugam vertam, ſolam habens vt thoracem protectionem tuam,& omnipotens auxilium tuum deprecor clamans tibi,Domina,ſalua me interceſſionibus tuis.* In gratiam auxilij, quod Virgo ſuis clientibus impendit, Bernardus ita clamat. *Per te gratiam acquirimus,gloriam impetramus:per te, Maria, franguntur vincula, ſoluuntur debita, vincuntur vitia,ſolidantur confracta,recuperantur perdita, renouantur vetera, roborantur infirma,magnificantur minima,exaltantur infima,incœpta promouentur,infecta perficiuntur,perfecta conſeruantur, dæmones fugantur, purgatur cor, mens refulget,animus inflammatur, liqueſcit pectus,dulceſcit guſtus,& decoratur aſpectus.*

Si non ſuppeterent & alij abundè Patres, qui de Beatæ Mariæ Virginis inuocatione mira conglomerant, illud vnum Bernardi effatum ſufficeret,ad enumerandas gratias,quæ influunt in clientes Deiparæ; imò textus ille ſatis ingereret cultum, in quo commendando nos ſcriptores & Eccleſiaſtæ Dei ſæpe ſæpius inſudamus. Non eſt hîc prætereunda vetus obſeruatio Hebræorum, qui fœderis arcâ ſolùm conſultâ, ſuas educebant acies ad conflictum. Lacones olim neſcio qua ducti religione foras ibant & in hoſtem in plenilunio; cultores enim vt erant Lunæ, hoc ſidere in orbem ducto bonum omen de inſtante victoria, & profligandis hoſtibus, hi deliti populi conceperunt. Mariam fœderis arcam eſſe,Patres paſſim & certatim dicunt; eâ inconſultâ nemo feliciter pugnat. At Mariâ ſecus conductâ & conſultâ cedunt omnia fauſtè piis eius ſodalibus Rurſus Maria eſt Luna, procul ab indole Lunæ noſtræ,quæ vt eſt omni momento fugax, ita ſibi conſtare nequit, ideò facta typus inconſtantiæ, vt ex Plinio ſeniore liquet. *Modo*, inquit, *curuata in cornua, modò æqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem,maculoſa eademque ſubito prænitens,immenſa orbe pleno, ac repente nulla.* Maria plena ſibi, & ſuperplena nobis non eſt obnoxia deliquiis,idcirco votis eſt atque piis obſequiis Luna hæc fulgida proſequenda. Vt in plenilunio,hæc inferiora ſudant influente magis Luna in corpora illi affinia;ita Mariâ ſemper ſtante plenâ gratiis, habent quod lætentur cultores eius, vtpote ſecuri de iugi influxu gratiarum, quæ alluunt omnes, qui Mariæ cultum impigrè profitentur.

Luna plena culta à Spartanis.

Pauſanias in Atticis.

Luna quare typus ſit inconſtantiæ.

Plin. lib.2. c. 19.

Guill. Aluer. de diuina Rhetoric. c. 18.

Salutaris necne ſit pietas in Mariam diſce eloquio hoc Guillelmi Aluerni. *An falsò & inaniter vocat te omnis Eccleſia ſanctorum aduocatam ſuam, & miſerorum refugium? Abſit hoc à matre Dei, quæ fontem pietatis toti mundo peperit, vt cuiquam miſerorum ſua miſericordia ſubuentionem vnquam deneget. Innumeris exemplis magnificorum operum miſericordiæ tuæ,quæ operata es erga peccatores miſerrimos,docuiſti nos,& perſuaſiſti de miſericordia tua confidere, de tua pietate ſperare, & in omnibus neceſſitatibus noſtris ſub alis tuæ protectionis fiducialiter confugere. An eſt miſericordiæ tuæ oneroſa multitudo ad te clamantium? An eſt aliquatenus difficilis gratioſitati tuæ impetratio, vel venia, vel gratia quantacumque? Scio, Domina miſericordiæ, quia nihil horum eſt apud te, quin potius gaudium eſt tibi ſuffragari miſeris, & reuocare gratioſiſſimus, & ſemper efficaciſſimis precibus tuis periclitantes, & etiam periclitatos à perditione, & perditionis periculis Tu enim dulciſſima Dei Mater ſuper omnes Angelos & homines noſti, quantùm placeat benedicto Filio tuo ſalus noſtra. Quia ergo ſuper omnes homines & Angelos diligis gloriam benedicti Filij tui,quæ indubitanter maxima eſt ei ex ſaluatione perditorum; maximè places tibi procurare illam. Hoc autem eſt impetrare peccantibus gratiam ipſius his,qui vitiis & peccatis ſuis offenſi ſũt illi. Dum ergo te exoro,vt me miſericordiſſimo Filio tuo reconcilies,hoc procul dubio à te peto,quod maximè gratum atque placitum tibi certiſſimè ſcio Non potes igitur denegare mihi quod peto:ſi enim mihi denegares quod tibi gratiſſimum eſt,quid poſſet ſperari vnquam à te,vel ſuper quo vnquam exoranda eſſes, Domina mea dulciſſima, nulla creatura & tot & tanta, & talia impetrare poſſet apud benedictum Filium tuum miſeris, quanta tu apud ipſum impetras eiſdem. In quo procul dubio, non vt ancillam ſuam, quæ indubitanter es, ſed tanquam matrem veriſſimam te honorat.*

Maria precibus noſtris delectatur.

Maria ſalutē hominū procurat.

Illa viri vſquequaque probi fuſa prolixior oratio, ſatis ſuperque clamat, non intempeſtiuè coli Mariam, cùm poteſtate apud Deum, & pietate erga totam Eccleſiam, omnes homines, nec non & Angelos antecellat. Vernaculo experimento notum eſt, Mariæ cultores in cenſum & mercedem obſequij ſui multas referre dotes, & multa ſecus accidere infauſta viris impiis, qui Mariam colere dedignantur. Neſtorij Mariæ iniurij mors horrenda clamat, non impunè peti Deiparam. Iuſtinianus item II. Imperator ob deturbatas ædes Mariæ vicinas, Regiæ, cuius ita grandiora fecit pomœria, vindice mucrone malè periit. Conſtantinus Copronymus, & ipſe Matrem Dei exoſus, egit animum eiulans, & clamando pœnis inferni ſe necdum ſolutâ animâ corpore cruciari. Nonne & Guillelmus Rex Angliæ furore percitus, in Galliam traiiciens, igne & ferro cladem & hominum ſtragem ſpirans, ſupponendo faces Eccleſiæ, cuius patrona fuit Deipara, eodem momento foci depaſcentis Eccleſiam Beatæ Virginis, incendia dira febris ex improuiſo natæ ſenſit, quæ accenſa Regem ſacrilegum extulit, Virginis iniuriam morte ingloria & peſſima compenſantem.

Ex Historia.

Mariæ iniurij homines quo fato ſublati.

Hiſtor. Imperial. in Iuſtinian. II.

Hiſt. Angl. in Guillelm.

Poſſumus & à Troia piam Mariæ cultum addiſcere, æmulando curam, quam vrbs illa ſolers adhibuit in aſſeruando Palladio; ſic nominauêre Deæ fictitiæ Palladis imaginem deſuper illapſam, vt gens & ætas illa nugax finxit. Troia penes hanc Palladis effigiem ſua extrema credidit eſſe fata; etenim Apollo ſuis oraculis edixerat fore Troiam hoſtibus inuiam ſtante Palladio. Suprema tandem Troiæ fata fidem fecerunt oraculis, vrbe ſuo excidio luente pœnas Palladij ſegnius aſſeruati. Quandiu Troia ſagax arce munita ſuum texit Palladium, Græci fruſtra crebris arietũ impulſibus tentauêre muros vrbis, quã vt adæquare ſolò poſſent, vbi lõga decennij ſcilicet obſidione parũ ſe profeciſſe vidẽt, de Palladio ſuffurãdo ſagax

Palladiū quid olim erat.

Ex Antiquitate.

Seruius in li. 2. Æneid.

Dionyſ. Halic. lib.1.

Strabo lib.6. Virgil. 2. Æneid. Plutarch. in Camillo, & in Parallelis c.35. Pauſan. in Attic. Herodian. lib. 1.

ineunt conſilium, vt eo ſublato Troiam proſternerent, armis ſæpe ſuis perperam hactenus impugnatam. Callidi conſilij ſeries in praxim reuocanda fuit penes Diomedis & Vlyſſis induſtriam. Vt Diomedes erat ſtrenuus, ita fuit & Vlyſſes arte potens: ambo ſibi fecêre viam per cloacas & loca fœda quibus exundare ſolent fæces. Inde petunt arcem, & occiſo cuſtode nihil metuente ſibi, deponunt Palladis effigiem, qua ſublata ſua caſtra petunt, ſicque Troia ſuo Palladio fruſtrata feris hoſtibus ceſſit, qui eam turpiter euertunt. Huius excidij ſumma liquet his verſibus Æneidos.

Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo
Palladium, caſis ſumma cuſtodibus arcis
Corripuêre ſacram effigiem.

Palladium à quibus ablatum.

Huius Palladij memoria luculenta viget apud Seruium, Dionyſium Halicarnaſſeum, Strabonem, Plutarchum, Pauſaniam & Herodianum. In hac Troiæ direptione typus ingenuus proſtat excidij animarum, quarum ruinæ diabolus inuigilat. Quippe verax illa Patrum ſententia eſt, videlicet in caſſum tela iaci dæmonum in eos, qui impenetrabili Mariæ Virginis clypeo proteguntur. Cùm ergo vafer hominum hoſtis aduertit ſua ſpicula contorta nihil inferre mali Deiparæ cultoribus, omnes aſtutiæ ſuæ neruos eò dirigit, vt Mariæ cultum eliminet, & homines ab eius abſtrahat obſequiis, quod vt præſtet non Diomedis aut Vlyſſis opem conducit; ipſe nimirum eſt ſatis ſuperque dolis inſtructus & arte Pelaſga: ſed in animas ſeſe callidus hoſtis inſinuat; apertâ ſibi viâ ſordidâ cloacarum. Vt namque ſacrum Deiparæ cultum omnino expungat ab anima, concupiſcentiæ fomite proritato fœdas ſuſcitat effigies, quibus intenta vecors anima, obſcœnis illis delinita ſimulacris incauta litat Veneri, & immunda demum mergitur in cœnum luxuriæ, fœtida cloaca peius. Inde datur hoſti ampla ſatis via ad cordis neſcia cuſtodiæ intima penetrandi. Vnde ſicut ille vigil eſt æmulus hominum dæmon; ita citus atque velox eſt ad nocendum, ſtatim atque ſibi peruia corda fecit. Summa mali quod infert animæ eſt Deiparæ cultus incuria. Scit quippe, malè ceſſurum eis, qui aſſuetum Mariæ obſequium ob voluptatis vſum turpiter abnegarint. Contrà nequam hic & deſertor Angelus, Mariæ cultu ſtante, nequit proficere ad diſcrimen animarum, quod intendit: ſiquidem illa potens & Beata Virgo fugat omnia illa Angelorum agmina transfugarum.

Mariæ cultu ſtante nequit dæmon nobis nocere.

Ex SS. Patribus. *Bernard. in Salue Regina.* Mariæ exempla docent nos.

Hinc Bernardus eam ſic compellat. *Vexillifera tu, ô Maria: vexilla prodeunt Regis, in nobis te agente pro nobis* Ad hoc Mariæ potens auxilium pertinet illa vetus Radulphi Ardentis ſententia. *Maria eſt quaſi quadam lux & ſtella prauia in magno & periculoſo huius mundi pelago nauigantibus, ſuo exemplo nos docens, ſuis virtutibus nos illuminans, ſuis interceſſionibus nobis auxilians. Si ergo, fratres mei, maligni ſpiritus nos infeſtant, ſi caro nos tentat, ſi mundus nos oppugnat; ad Mariam reſpiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus.* Quod perinde eſt ac dicere Troiæ ciuitati, caſſos fore diros omnes Græcorum auſus Palladio mœnia propugnante.

OBSERVATIO TERTIA, SOLLICITANS animas ad decantandas Mariæ laudes: cultus enim ille penes eius encomia poſitus, eſt ei perquàm gratus.

§. VII.

INſtituta licet Sacra Deum concilient hominibus, quia inde Deus poiſſimum excolitur & probatur; nemini namque, Deo excepto, ſacra fiunt: aliunde tamen ipſe Deus, quaſi pertæſus Sacra plebis Hebræorum, excoli voluit, videlicet encomiis & laudibus, quarum Cantica & Pſalmi pręcipua referunt argumenta. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me.* Imò Deus, vt homines alliceret ad hoc obſequium laudum, gloriam repromiſit eis, à quibus gloriæ penſum acciperet. *Quicumque*, inquit, *glorificauerit me, glorificabo eum* Cùm ergo Deus Mariam in partem regni adſciuerit, hoc genus obſequij ſanxit ei ab omnibus exhiberi. Huic edicto morem gerit Eccleſia: nam concludens horas canonicas, quæ totæ Deum laudant & prædicant, vice colophonis, addicit antiphonã, qua Virgo Beata priuſquam oretur vt adiuuet nos, laudibus exaltatur. *Pſal. 49.* *1. Reg. 2.*

Maria prius laudatur ab Eccleſia, deinde inuocatur.

Vt hoc inductione palàm fiat, obiter anatomen texe precum illarum, quas Eccleſia ſubnectit horis canonicis; & aduertes, Mariæ laudes eſſe magis cordi Eccleſiæ, quàm ſit ipſa petitio ſuffragij. Cùm *Salue Regina* canit, antequam deueniat ad voces illas. *Eia ergo, aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte*, luculenta præmiſit encomia: Virgo nimirum prædicatur eſſe Regina, Mater miſericordiæ, vita, ſpes noſtra, & dulcedo, quibus titulis illa parens Dei ſanctiſſima maximè commendatur. Tempore aduentus reſonat *Alma Redemptoris Mater.* Epilogus antiphonæ meminit quidem miſerorum, vt Mariam inflectat. *Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.* Sed ante ſonant egregia Mariæ præconia; quippe prædicatur alma Redemptoris Mater, peruia cæli porta & ſtella maris. Ante Paſcha ſuas finit horas Eccleſia, Mariam ſalutando breui hoc eloquio. *Aue Regina cœlorum.* In calce quidem huius antiphonæ Deiparam inuocat compendioſè precans. *Vale, ô valde decora, & pro nobis Chriſtum exora.* Sed ante Matris huius ſanctiſſimæ cecinit elogia, vnde Virgo micat, vti Regina cœlorum, Domina Angelorum, radix & porta lucis. Denique ne videar hîc indicem texere breuiarij; antiphonas, hymnos, verſus, & omnia expende, quæ Eccleſia ſancta canit de Maria; deprehendes, eam antè miris encomiis extollere, & poſtea precibus inuocare.

Mariæ laudes quare magis placent, quàm inuocatio.

Ille nimirum cultus, qui in Maria laudibus proſequenda totus eſt, vt ſanctior eſt, & à commodo encomiaſtæ procul; ita magis Mariam demulcet & obſtringit vtpote compoſitus ad amuſſim obſequij ſacri, quam ex Scriptura ſacra patet fuiſſe quondam nobis ab ipſa Beata Maria Virgine pręſtitutam. Etenim cùm hæc Virgo, Dei flamine perculſa, ſuæ ſortis encomia perſtringeret dicẽdo, Deum, qui potens eſt, fêciſſe ſibi magna, ſic concluſit. *Ecce enim ex hoc, Beatam me dicent omnes generationes.* Quaſi diceret; vt electa Dei Mater ego piis excolar obſequiis, ſed omnium potiſſimum, atque mihi gratiſſimum erit Beata dici, & laude meis titulis congrua prædicari. Vt Sancti Patres erant conſcij, quibuſnam Virgo Beata *Luc. 1.*

modis

modis eſſet excolenda; ſuos ita libros reſperſerunt encomiis, vt hæc recenſere, tomos eſſet excudere iam editos. Vt illa Patrum pietas erga Matrem Dei ſanctiſſimam eluceſcat, erit ſatis aliquid decerpere ex floreto Patrum, vt inde flores lecti Mariæ cultoribus inſeruiant, ad coronam laudum Virgini componendam.

Ex SS. Patribus.

Auguſt. ſer. 2. de Nat. Mariæ.

Mariæ laudes ſunt infra dignitatem eius.

Auguſtinus agmen ducet. *Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis tranſitorium verbum, quæ illud de ſe protulit Verbum, quod permanet in æternum? Quæ lingua in eius laude inuenietur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Nam dum cuiuſlibet Martyris ſertia ſacta extollere cupimus, dum virtutum eius inſignia ad Redemptoris noſtri gloriam prædicamus, etiamſi ad cogitandum tardior ſenſus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non ſuppetit; verborum tamen copiam ipſius rei materia ſubminiſtrat. Cum vero B:atiſſimæ Genitricis Dei laudem ſcribere volumus; quia noua & inaudita ſunt quæ tractanda ſuſcipimus, nulla inuenimus verba, vt ad hæc digne exprimenda ſufficere valeamus: tollit enim facultatem ſermonis materia ſingularis. Quæ enim lingua explicare ſufficit, vel quæ ratio humana non obſtupeſcat, cùm cogitare cœperit, quia creator oritur ex creatura. Latet inter materna viſcera paruulus, qui cum æterno Patre rerum omnium iura gubernat immenſus. O beata vbera, quæ Dominum tenerum alunt, lac puerilibus labris infundunt, Angelorum & hominum cibum paſcunt. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Nullus ergo humanus ſermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei & hominum cognoſcitur incarnatus. Impar illi eſt omne humana lingua præconium, quæ de intemeritate carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum, qui ait: Ego ſum panis viuus. Per cibum quoque ſumus à paradiſi amœnitate deiecti, per cibum quoque ad Paradiſi gaudia reparati. Cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit. Maria edidit cibum, qui nobis cœleſtis conuiuij aditum patefecit.* Hactenus Auguſtinus.

Bernard. ſer. 4. de Aſſ. ūpt.

Mariæ laudes enuntiare vires omnes hominum ſuperat.

Egregius ſanè typus eſt laudandæ Dei Matris, profiteri ſeſe miris eius laudibus imparem, vt ſuo exemplo docet Bernardus, ita fatus. *Non eſt quod me magis delectet, ſed nec eſt, quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem. Vt enim ſileam interim ineffabile priuilegium meritorum & prærogatiuam penitus ſingularem, tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, ſuſcipiunt vt dignum eſt vniuerſi; vt licet de ea loqui geſtiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipſo quòd dici potuerit, minus gratum ſit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus ſapiat quicquid de incomprehenſibili gloria comprehendere potuerit mens humana?* Bernardo ferè fuit ætate ſuppar Abbas Bonæ-vallis Arnoldus, qui percitus eodem pietatis œſtro velut impos ſui confitetur inopiam ſuam, proteſtatus, eſſe parum omne, licet emineat, quicquid magnum de Beata Maria Virgine prædicatur. *Si,* inquit, *linguis hominum loquar & Angelorum; nihil dignè, nihil propriè de Sancta ac perpetua Virginis matris Chriſti Mariæ gloria eloqui potero: quia verè in laudibus eius modulandis non inuenitur conueniens organum, & hebes eſt cuiuſcumque ſubtilitatis ingenium. Cùm enim debitæ venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper; quòd Maria prædicatur gratia plena, manifeſtum eſt indiuiduam eſſe Matris & Filij gloriam, & commune eſſe vtriuſque præconium, cuius definitio omnem ſuperat intellectum.*

Arnold. Abbas Bonæ-vallis tract. de laudibus Mariæ.

Mariæ & Chriſti commune præconium.

Ex Antiquitate.

Tuba ſonans olim laudes Dei figurabat.

Iam eruderare placet ex antiquitatis obſoletæ ruinis illud obſequium Virginis, quod præfatus ſum ex præconiis eius non conſtare modò, ſed & etiam maximè commendari. Hebræi primi occurrunt, vt ad quos pertinuêre ritus Sacrorum, ipſo legiſlatore Deo, qui ſanxit auſpicanda ſingula quæque menſium initia ſono tubæ, ſicut illa Vatis exhortatione patet. *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ. Quia præceptum in Iſrael eſt.* Hoc clangore tubæ, ex verſu anteriore liquet eximias Dei laudes fuiſſe tunc ab Hebræo populo decantatas. Pſaltes enim ſic præfatur. *Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob, Sumite Pſalmum.* Namque melos ſuaue ſolùm pſalmus haudquaquam ſignificat, ſed & Dei laudes, quas quotidiano experimento ſcimus vnoquoque pſalmo velut de induſtria compoſito, panegyrico cantico reſonare. Cùm ergo Deo dignum ſit obſequium illud in laudando ſitum, erit profectò Matri Dei res glorioſa, tubis, id eſt encomiis eam celebrare, prout patietur inopia ſermonis exigui.

Pſal. 80.

Ad hunc Hebræorum morem alluſit Sergius Hieropolita viuens ante mille annos. Ille quippe volens prædicare Matrem Dei, meminit tubæ myſticæ depromendæ. *In hac,* inquit, *feſta celebrique luce buccinâ ſpirituali clangamus. Etenim præſenti die, ex Dauidico ſemine naſcitur vitæ Mater, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix.* Hæc tuba mirum gratumque ſonum edidit Dionyſio Carthuſiano in laudem Virginis inclytæ buccinante. *Totis,* inquit, *viribus laudemus, veneremur, diligamus, ac veneremur præſtantiſſimam Dei Matrem; cúmque hòc ipſum egerimus, recognoſcamus nos nihil egiſſe condignum, nec beneficiis eius poſſe idoneam rependere vicem, cum S. Auguſtino dicentes: Quid nos tantilli, quid actione puſilli in eius laudibus referemus? cùm etiamſi omnium noſtrûm ora verterentur in linguas, eam tamen laudare nullus ſufficeret.*

Sergius in Natal. Mariæ.

Maria cõdignè nequit laudari.

Dionyſ. Carth. l. 1. de laud. Virg. art. 3.

Fuiſſe morem Hebræorum, beneficia accepta miris encomiis agnoſcere, perquàm celebri exemplo patet. Quippe tota Hebræorum gente Iudith egregio facinore & induſtria liberata truci atque fero hoſte, qualis erat Holofernes. Iudæa grates rependendo Iudith, tota fuit in hac laudibus eximiis Heroina fœmina prædicanda. Nempe ciues vrbis ereptæ diris armis Aſſyriorum ſic reducem excepêre Iudith. *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Hac acclamatione plebis expleta, primas in vrbe tenens Ozias, eam ſic affatus ait. *Benedicta es tu à Domino Deo excelſo filia præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.* Achior etiam idolis addictâ licet Gente ſatus, ita Iudith extulit. *Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum magnificabitur ſuper te Deus Iſraël.* Nota

Gratitudo bona eſt laudatio.

Iudith. 13.

Ludolph. Sax. vita Chriſti part. 2. c. 80.

Deum magnificari laude, quæ defertur ei, qui Deo auxiliante mirum aliquod facinus exantlauit.

Hoc Virginis Mariæ exemplo docet Ludolphus Saxo. *Nulli*, inquit, *dubium, quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quidquid dignè Genitrici ſuæ impenſum fuerit.* Denique Ioacim ſummus ſacerdos ſtipatus choro ſacerdotum Bethuliam ſe contulit, cui obuiam facta Iudith audiit, & præclara ſua encomia à Principe ſacerdotum.

Iudith.15.

Tu, inquit, *gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri: quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris, ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Iuxta morem Hebræorum Eliſabeth afflata Deo, quo reuelante norat, Mariam eſſe Deo fœtam, congratulata ſuæ huic cognatæ, vnico verbo totam concluſit panegyrim. *Beata*, inquit, *quæ credidiſti*. Angelus antè ſacram hanc Virginem benedictam in mulieribus dixerat.

Luc.1.

Erit ergo gratum Mariæ obſequium, ſi beata & benedicta Virgo hæc inclyta prædicetur. Ita Dauid extollens Abigaïl, eodem & titulo laudes eius expreſſit.

1.Reg.25.

Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem.

Maria ſæpe iram Dei compeſcuit.

Maria profectò Dei iram compeſcuit, & quàm ſæpe, gladij eius vltoris aciem obtundens, ideoque ſuis encomiis non eſt fruſtranda Parens ſanctiſſima, quæ præſcia mente nouit ſe beatam ab omni populo nuncupandam. Hugo Cardinalis expendens illud oraculum.

Hugo Card. in c.1.Luc.

Maria quare laudanda ab omnibus.

Omnes, inquit, *generationes, id eſt, omnes gentes, ſcilicet Iudæorum, & Gentilium, virorum & mulierum, diuitum & pauperum, Angelorum & hominum, quia omnes per ipſam ſalutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, Angeli reparationem. Chriſtus enim Dei filius operatus eſt ſalutem in medio terræ, id eſt, in vtero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illum enim reſpiciunt, vt Bernardus inquit, & qui habitant in cælo, & qui habitant in inferno, id eſt in Purgatorio, & qui habitant in mundo.*

Maria Beata dici gaudet.

Primi, vt reſarciantur; ſecundi, vt excipiantur; tertij, vt reconcilientur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, ô beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam genuiſti: mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miſeris gloriam. Ideò tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter. Primum eſt vox Angelorum, quorum ruina per ipſam reparata eſt: ſecundum eſt vox hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt: tertium eſt vox mulierum, quarum infamia per ipſam deleta eſt: quartum eſt vox mortuorum, quorum captiuitas per eam reducta eſt.

Ioan. Gerſon tract. 4 not. 1. ſuper Magnificat.

Virginem Matrem gaudere dici Beatam certò ſciens Gerſon, eam hoc titulo dignatus eſt, & equidem ſæpe, Matris vt huius ſanctiſſimæ gaudia refricaret. *Dignare*, inquit, *nos laudare te, Virgo ſancta, ô ter quaterque beata. Beata primò, quæ credidiſti, clamat Eliſabeth. Beata ſecundò, quia gratia plena ſecundùm Gabrielis ſalutationem. Beata tertiò & benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Beata quartò, quia fecit tibi magna qui potens eſt. Beata quintò, quia Mater Domini. Beata ſextò, quia fœcundata cum virginitatis honore. Beata ſeptimò, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem.*

Pauſanias in Arcadicis.

Si ab Hebræis ad Græcos placet diuertere, vt inde palàm fiat, obſequium laudum eſſe magni ponderis & momenti; Arcades occurrent, qui ex Pauſania Deam colunt vnam, in qua veneranda toti ſunt, cultuſque ſui ſummam ponunt in nuncupatione Deæ, quam *Δέσποιναν* vocant, id eſt, Dominam.

Maria mari Domina.

Dicunt eam Neptuni filiam, aquâ marinâ ſatam. Maria vox Hebræa ſonat idem ac Domina maris מַר *mar* Dominam ſignificat, & ים *iam* idem eſt ac mare.

Maria collegium ſanctitatis.

Chryſol. ſer. 146.

Dictio illa duplex Hebræa nomen Mariæ texit. Nam dicitur Hebraicè מרים *miriam*. Ad ortum huius Dominæ maris, aquæ omnes cæli, id eſt, omnes gratiæ confluxerunt. Idcircò benè vocat eam Chryſologus. *Collegium ſanctitatis.*

Laurent. Iuſtinian. ſerm. de feſto Nat. Mariæ.

Cùm itaque Beata Virgo ſuis delectetur encomiis, non erit abs te, penu laudum comparare piis eius clientibus. Laurentius Iuſtinianus, nitidum olim iubar Venetorum, ſuppeditabit has laudum Mariæ prædiuites vſquequaque gazas.

Mariæ relationes cum fœderis arca.

Maria margarita orbis.

Maria animatum Dei ſimulacrum.

Maria negotium omniũ ſæculorum.

Maria mũdi gaudium.

Accipe luculenta viri ſancti elogia Beatæ Virgini Mariæ conſecrata. *Mariæ*, inquit, *laudis holocauſtum commendatur*, Sanctificationis quidem priuilegio, virtutum meritis, virginitatis honore, prolis fœcunditate, humilitatis decore, atque donorum plenitudine mortales ſupereminet vniuerſos; omnium quippe cumulo referta gratiarum, cunctis in ſe Deum fecit eſſe laudabilem. Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit eſſe Genitricem, reparatricem ſæculi, lucem mundi, ſpeculum ſanctitatis, fidei magiſterium peregrinationis ſolatium, immaculatum templũ, & fœderis arca diuinis manibus fabricata. Annon Maria teſtamenti arca veriſſima, quæ auro veſtita mundiſſimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis ſpiritualiter facta teſtamenti tabulas, frondentem virgam, & ſuauiſſimum in ſe manna continuit. Vteri huius venerare pudicitiam, & arcæ huius myſticæ gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talemque genuit prolem, quæ te corporis ſui mannâ reficeret, inebriaret cruore, Paſſione redimeret, morte ſaluaret. Decebat prorſus vt immaculata eſſet mente, & corpore ſancta, plena gratia, meritis locuples, virtutum vniuerſarum varietate decorata, quæ de cœlo ſuſcepit Verbum, fide concepit filium, conuerſatione illuſtrauit mundum, mannâ pauit turbam fidelium. O Beata inter fœminas, cuius gratia hominum & Angelorum tranſcendit naturam, propterea Angelicus nuntius de cœlo miſſus eſt, tam officioſè Virginem ſalutauit, dicens: Aue ſanctiſſima Maria. Quæ enim ſanctificata in vtero, ac ab omni culpæ originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem, quam mente perceperat portendebat exterius. Illam profectò adhuc in matris vtero decubantem adamauit Verbum, ſibique in genitricem elegit, vtpote ſuperabundanti iam benedictione præuentam, iamque Sancti Spiritus magiſterio deputatam. Hæc ille.

Cyrill. homil. 6. habita in Concil. Epheſino.

Idem homil. contrà Neſt.

Damaſcen. orat. 1. de Nat. Mariæ.

Bernard. ſer. 2. de Pentec.

In laudum Mariæ Virginis argumento Patres agunt certatim, & elinguis nemo ſilet. Cyrillus in Concilio Epheſino Mariam *mundi gaudium* dixit. Idem nuncupauit eam alibi *Formam Dei, & margaritam orbis terrarum*. Damaſcenus hanc appellat. *Animatum Dei ſimulacrum.* Bernardus *Negotium omnium ſæculorum, ad quod reſpiciunt, & qui in cælo habitant,*

&

Ignat. epiſt. 2. ad Ioan.

& qui in inferno, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Ignatius eam hoc ſtupendo dignatur encomio, *Cæleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum.* Recenſui ſupra plura, & concatenata Patrum effata, quibus Sancti litant, & Virginem extollendo ſuis præconiis, pietatis & cultus eximij erga Dei Matrem egregia proferunt argumenta.

Cybeles olim culta ſono cymbalorum.
Seruius in l. 3 Æneid.
Diodor. Sicul. l. 4. c. 5.
Laurent. Iuſtin. vbi ſupra.

Reſonare mira Virginis encomia potiori ratione debent, quàm laudes olim Cybelis, quam finxere matrē eſſe Deorum, & cuius ſacerdotes, vt Seruius & Diodorus aiunt, cymbalis inſtructi & tympanis, ad modulos & tinnitum æris ita ſua aptabant obſequia, vt ſuaue melos hoc crederent conciliare ſibi magnam Deorum Matrem, cuius etiam laudes inter cymbala perſonabant. Beatus Laurentius Iuſtinianus hortatus omnes Mariæ cultores, vt proſequantur eam honore congruo, alludit ad hunc morem, qui ad ſua teſtanda Matri Deorum obſequia, laudes, encomia, pæana, melos, & cymbala conducebat. *Nos* (inquit, *ad honorem ipſius Virginis præcinamus in confeſſione, Deoque noſtro pſallamus in cythara, Ipſum veneremur in Matre, & Matrem honoremus in Filio: vtriſque vota noſtra fideliter exoluamus.* Accedit & ille ritus Romanorum, qui in publica ſupplicatione ſuam Iunonem decantato à pueris & puellis carmine celebrabant. Fuit autem eo ſeculo delirante Iuno credita

——————Diuûm Regina Iouiſque

Æneid. 1.

Et ſoror, & coniunx.

Iuno ſolenni carmine celebrata.
Liuius 4. Decad. 4.

Huiuſce ritus crebrò memor eſt Liuius. Hunc quoque morem placuiſſe toti Eccleſiæ conſtat, non hymnis tantùm editis, qui teruntur ab omnibus adſtantibus horis canonicis, quando dies aliquis feſtus Mariæ recolitur, ſed & aliis verſibus atque proſis de induſtria compoſitis, ne elingues & tacitæ videantur eſſe Muſæ in diuite titulorum Virginis argumento. Itaque ne quis aliunde petat aliqua Mariæ Virginis encomia texta rithmis, & verſibus; ſuggeram hic aliqua generis huius encomia, educta foras ex euderato veteri monumento. Auſpicabor à Petro Comeſtore viro percelebri, & nominato dudum à multis ſæculis

Petrus Comeſtor apud Vinc. in l. 30. cap. 1.
Mariæ laudes celebrare nemo poteſt vt par eſt.

Ille gazas meritorum Mariæ deſcripturus, eſt ferè totus in profitenda vocum inopia, quarum ope queat eminentes Beatæ Mariæ Virginis titulos explicare. Sic ille.

Si fieri poſſet, quòd arena puluis, & vnda,
Vndarum gutta, roſa, gemma, lilia flores.
Æthera, cælicola, nix, grando, ſexus vterque,
Ventorum penna, volucrum, pecudum genus omne
Syluarum rami, frondes, auium quoque penna,
Ros, gramen, ſtella, piſces, angues, & ariſta,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones,
Lingua cuncta forent, minimè depromere poſſent,
Quæ ſis, vel quanta, ô Virgo Regina Maria:
Quæ tua ſit pietas, nec litera, nec capit ætas.

Petr. Damian. in carmine præclaro de Maria.

Huic ſuppar ætate Petrus Damianus, & ipſe pius Mariæ cultor, conduxit Muſas ad hanc omni laude ſuperiorem Virginem excolendam. Sic illius Muſa canit.

Scala, thronuſque Dei, nitor orbis, ianua cæli,
Mater aue Chriſti, ſcala thronuſque Dei.
Tu noua ſtella maris, qua lux eſt reddita terris,
Ortus & a Solis, tu noua ſtella maris.

Mariæ obſequio vita redux.

Concipis abſque viro, tu ſola puerpera Virgo,
Quæ verbum verbo concipis abſque viro.
Virgine vita redit homini, quā virgo peremit:
Mors nece victa perit, Virgine vita redit.

Fortunat. l. 8. de partu Virgin.

Sic Cardinalis huius Muſa luſit, vt cuiuſque hexametri initium ſit concluſio pentametri. Fortunatus, & ipſe Vates nobilis ante mille annos, ita Dei Matrem poëtico percitus œſtro ſuis verſibus illuſtrauit.

O Virgo inſignis, Mater pia, nobile ſemen,
Quam Deus impleuit totius orbis ope
O Virgo excellens, vincēs ſuper omnia matres,
Quam genus erexit, cui Deus alta dedit:
Cuius fructus adeſt, & flos non perdit honorem:
Quæ Nato es genitrix, & tibi Virgo manes.
Felix, quæ generi humano, ſub tartara lapſo
Ad cælos facta es ſors, via, porta, rota:
O Virgo inſignis, Benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terra, fulgor, honorque poli,
Ecce tuus florens vterus, quæ præſtitit orbi
Te pariente fide nos paradiſus habet.

Mariæ laudes quia impares ſunt, illi detrahunt.

Laudibus his Domini Genitrix, fragor intonat aſtris,
Militiaque poli hæc tibi clangor agit:
Aſt ego ferre volens, videor ſubducere laudes:
Nam tibi quiſque cupit voce fauere ſacra
Mens oret genitum, ſic Matri digna loquatur
Cuius amore pio viuit honore nouo:
Chara, benigna, micans, pia ſancta, verenda, venuſta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

Damaſus in carmin. de Chriſto.

Damaſus Pontifex Maximus, & præterea Sanctus, Muſas initiauit ſacris ante mille & ducentos annos. Sic Chriſtianæ Muſæ Damaſo ductore, ſacræ Virgini prouoluuntur.

Quemque vtero incluſum Maria, mox numine viſo
Virginei tumuere ſinus, innuptaque mater
Arcano obſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum.

Prudentius contra Ebionem.

Prudentius Damaſo concors, vtpote ſuppar æuo, canit hoc carmine,

——————Innuba Virgo,
Nubit Spiritui, vitium nec ſentit amoris
Pubertas ſignata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica
Iam mater, ſed Virgo tamen, maris inſcia mater.

Petrus. Apollon. in feſto de Nat. Mariæ.

Placet & Petri Apollonij ſtylus, de Beata Virgine Maria benè meritus.

Salue Virgo parens, labes quam nulla vetuſti
Per tot ducta gradus criminis implicuit:
Quippe hominum rerumque ſator, tam longa retexens
Fata, tibi numeros ſuſtulit ante ſuos.
Te dum conciperis, culpâ quicunque negauit
Immunem, brutis nil ſapit ille magis,

Innocent. III. hymno ad Mariã Virg.

Si rithmos in gratiam Mariæ decantare placet, audi Innocentium III. Pontificem.

Pro me Deum interpella
Vt me ſoluat à procella
Huius mundi tam immundi,
Peccatorum conſolatrix,
Conſolare me lugentem
In peccatis tam fœtentem
Me defende peccatorem
Et ne tuum des honorem
Alieno, & crudeli,
Precor te Regina cæli.
Me habeto excuſatum
Apud Chriſtum tuum natum.

Petr. Cluniac. hymno de S. Maria.

Petrus item Cluniacenſis Abbas, antiquior & ipſo Papa Innocentio ſic orabat.

Parens noſtri tu parentis
Et genitrix nos gignentis
Pia matris fiducia
Natos Patri concilia.
Ora Mater Deum natum,
Noſtrum ſoluat vt reatum,
Et poſt conceſſam veniam,
Det gratiam, & gloriam.

Auguſt. ſer. 5. de Aſſumpt.
Maria cur omnibus creaturis emineat.

Auguſtinus vt auſpicatus eſt encomia Virginis, ita chorum claudet. *Circunda* (inquit) *omnem creaturam in cogitatione, & vide ſi eſt ſimilis Dei Genitrici Mariæ. Circumi terram, aſpice mare, ſciſcitare aerem, cœlum mente ſcrutare, inuiſibiles virtutes cogita, & vide ſi eſt aliud tale miraculum in omni creatura. Sol iniuriam non ſufferens obſcuratus eſt, Infernus mortuos cum timore euomuit, Mons aſcenſionem ſuſcipiens ſubrigauit, Iordanis tremens reuerſus eſt retrorſum, Mare timens ſciſſum eſt, Ignis in Babylone Trinitatis numerum timuit. Et tamen inter innumerabilia magis magiſque mira, Virginis victoria attollenda eſt; quoniam quem tota creatura timore & tremore laudauit, iſta ſola ineffabiliter thalamizauit* Id eſt vteri ſui thalamo excepit. Ne quis autem ſuſpicetur Mariæ præconia decantata parum prodeſſe piis Deiparæ encomiaſtis, Auguſtinus hæc ſubiicit. *Cunctis præconiis veneremur Mariam, vt ipſa nos inter procellas ſæculi frequentes aſpiciat. Neque enim dubium eſt, quin quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſet liberatis impertiri ſuffragium.*

Ibidem.

Serm. 3. de Nat. Mariæ.
Mariæ laudes nobis cõciliant eius ſuffragia.
Iudith. 13.

Sed Chriſtiane, memor eſto veræ eiuſdem Auguſtini ſententiæ *Summa eſt religio imitari quod colimus.* Memor, inquam, eſto Dei matrem velle ſuos encomiaſtas eſſe ornatos ad inſtar eorũ, qui Iudith reducem ex caſtris Aſſyriis, eximiis laudibus exceperunt. Ecce plebis encomiaſtæ habitum. *Concurrerunt ad eam omnes, à minimo vſque ad maximum, &c. Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuerſi.* Maria, quam Scriptura ſacra Solis & Lunæ typo expreſſit, vt eſt gratiarum omnium luce micans & coruſca; ſuos ita pios vult cultores eſſe pellucidos, & aliis Chriſtianis virtutum praxi rutila præfulgere.

Mariæ dignitatem aſſequuntur qui faciunt volũtatem Dei.

Vt vſquequaque ſuum diffundant lumen homines Mariæ addicti, hoc vnum habent quod conentur, videlicet eam imitari quatenus eſt illa Mater Dei. Qui autem fecerit voluntatem Dei, ille Pater & Mater eſt Chriſti, ſicque lucens irradiat lumine ſingulari. Fauet Auguſtinus, ita fatus. *Notate, fratres, dignitatem veſtram, ſi adimplentes voluntatem Dei, frangitis voluntatem veſtram. Ecce beata & venerabilis Virgo Maria, ſecundùm carnem quidem Chriſti Mater fuit, frater non fuit, ſoror non fuit, & quicumque aliquid horum alicui, ſecundùm carnalis propinquitatis vinculum extiterit, aliud ſibi eſſe omnimodè non valebit. Ei nimirum ſi mater fuerit; frater, vel ſoror eſſe non poſſit. Si verò frater, vel ſoror extiterit; mater non ſit. Nos autem hæc ſimul omnia Chriſto per ſpiritum ſumus, ſi voluntatem Chriſti, quæ illi ſemper cum Patre communis eſt, adimplere ſatagimus. Sed quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Ex illa ergo parte, qua Redemptor Deus noſter eſt, propinqui ei tam multipliciter ſumus, quantum illi Beata Virgo, ex qua naſci dignatus eſt, ſecundùm carnem eſſe non potuit.* Igitur, Chriſtiane, gratis & fruſtra ſonant in ore tuo Virginis encomia, ſi non accendis luminaria. Si iam Virgo ſuos cultores inuiſeret, & luſtraret, quod quæſo luminare Matri Dei oſtenderes? Quid virtutis obiiceres, vnde ſuum te clientem agnoſceret? Profectò nihil. Ideoque, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, odit obſequia, quæ impendis ei affectu vitiis opacato. Concolor eſt cenſura viri ſancti, ſcilicet Ildephonſi. *Vnde vos quæſo imitamini ſignaculum veſtræ fidei Mariam.*

Auguſt. ſerm. 5. de Nat. Mariæ.

Mater Chriſti quiſque poteſt eſſe.

Mariæ cultores debent accendere luminaria.

Ildephonſ. ſerm. de Aſſumpt.

OBSERVATIO QVARTA; PROBANS, offerre dona Deiparæ, eſſe gratum ipſi cultum.

§. VIII.

Exod. 34.

Munera ſibi offerri Deus ſanxit.

IN teſſeram obſequij, quod Deus olim exegit ab Hebræis ſanxit eos offerre ſibi dona, quibus Gens illa Deo deuincta grates ob beneficia accepta referret, & cultum indubium congruè teſtaretur. Deus ſic decreuit. *Non apparebis coram me vacuus.* Eſt quippe donis quædam vis inſita, & equidem potens illa Deum & homines inflectendi.

Munera, crede mihi, placant homineſque
Deoſque.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Et hunc arridere ritum Dei Genitrici, res eſt indubia teſtata crebris miraculis, quæ eſſe grata dona oblata ſacræ Virgini confirmarunt. Præcipuarum orbis gentium inueſtigabo dona facta ſexui fœminino, quibus excoli Virgo poteſt. Auſpicabor ab Hebræis, apud quos ille frequens munerum vſus extitit. Occurrit Virgo Rebecca prior, quæ vt Iſaac Patriarchæ Deo decernente fuit aſſignata, donis egregiis eſt dignata, typum referentibus munerum, quæ par & æquum eſt Beatæ Mariæ ſemper Virgini conſecrare. Eliezer emiſſus ab Abraham, vt ſponſam idoneam conquireret Iſaac filio ſuo, obuiam factã ſibi Rebeccã, donis eam his excepit. *Suſpendi* (inquit) *inaures ad ornandam faciem eius, & armillas poſui in manibus eius.* Inaures obedientiam ſignificant, vt & armillæ bonas actiones: armillæ namque manus ſunt ornamenta: nihil verò manus ſic exornat, vt actiones virtuti conſonæ perpetratæ. Hoc ergo piis Mariæ cultoribus inſideat, ſcilicet armillas & inaures ei offerre, quibus obſequium ſuum ei fixum atque ratum inſinuent. Hoc præſtabunt profitentes virtutum omnium indefeſſam praxim, atque citam obedientiam Beatæ Mariæ Virgini iugiter exhibentes. Rurſus Eliezer. *Prolatis vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* Anima dignata Dei gratiâ vas eſt aureum, & virtutes ſunt habitus. Quiſquis ergo Deo gratus eſt, & ſtudio virtutis afficitur, & ſe Mariæ obſequio obſtrinxit, ille vaſa aurea & habitus egregios Beatæ Virgini conſecrauit.

Gen. 24.

Mariæ ſunt offerẽdæ inaures & armillæ.

Rachel item Virgo donum longè maius accepit à Patriarcha Iacob; ille nimirum Racheli puellæ ſpecioſæ vitæ ſuæ ſeptem annos integros ita addixit, vt temporis iniurias omnes æquo animo tulerit: amoris œſtro & æſtu, quo flagrabat depereundo ſuam illam amaſiam, anguſtias corporis & animæ decoquente. *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis; & videbantur*

Gen. 29.

Mariæ quãdiu ſeruiendum ſit.

illi

illi pauci dies, præ amoris magnitudine. Vt ſeptenario numero ſignificatur vniuerſitas; ita Mariæ addictus homo toto vitæ ſuæ curriculo, dedicando vitæ ſeriem omnem Virginis obſequio, ſeptenarium ei numerum dicitur obſtrinxiſſe. Habemus & in Regina Saba modum eximium, ad cuius amuſſim debemus munerum noſtrorum omnem ſupellectilem inſtruere.

3. Reg. 10.

Dedit Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas: non ſunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni. Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit & petiuit ab eo, exceptis his, quæ obtulerat ei munere regio. Eſt in confeſſo, plures gratias influere in animas, Mariæ beneficio, quàm interceſſione Sanctorum omnium: quidquid namque fragrat aromatum, & quicquid aurea charitate ditat animas, illud omne Deus nobis Mariæ precibus erogauit. Vt ergo grates ei rependamus idoneas, quiſque debet eam vltro donis atque votis afficere, & præterea ſe accingere ad præſtandum quidquid à nobis illa Dei Mater exegerit. Aſt ab vnoquoque petit ſorti eius ſpecimina congrua ſanctitatis.

Deo etiam auctore munus innotuit idoneum ad Mariam honore debito proſequendam. Nempe quia obſtetrices Ægyptiæ dedignatæ Regis Pharaonis ſententiam inhumanam, pepercere recèns editis infantibus.

Exod. 1.

Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos. Maria nobiſcum obſtetricem agit, quando foras educit, & in praxim concepta vota Deo ſanctioris vitæ ritu iugiter obſequendi. Sunt ergo gratæ obſtetrici ædificandæ domus. Hoc præſtitere Reges & Principes, qui ædibus extructis, eas ſub titulo Beatæ Virginis Mariæ Deo rerum omnium Domino conſecrarunt. Suas & partes agunt in hoc genere obſequij omnes, qui ſacella, gibbos atque rimas agentia, rurſus ære ſuo inſtaurant in honorem Virginis.

Pauſanias in Arcadicis.

Ita quondam Arcades teſte Pauſania Iunonem, quam credidere Deam, & Reginam Deorum, dignati ſunt triplici templo, iuxta triplex vitæ genus, quod eſt experta degens in hoc æuo. Virginem Iunonem dixere παῖδα puellam: nuptam verò Ioui τελείαν perfectam: cùm à Ioue demum receſſit, χήραν viduam appellarunt.

Iunoni triplex olim templum extructum.

Maria, Virgo licet extiterit ſemper, ſponſa fuit, & vidua Ioſepho ſublato de medio; ideoque litat ei ratio, quæ conduxit, vt Arcades tria templa ſuæ Iunonis nomini nuncuparent.

Ædificare ſacras ædes ſub titulo Deiparæ, facinus eſſe pium, & idoneum propagando Matris Dei cultui, ipſa palàm fecit, quando Sole decurrente ſidus Leonis niue cælitus illapſa locum ædificando templo congruum aſſignauit.

Corona quare miſſa Reginæ Damaretæ.

Occiſo Duce Carthaginenſium Amilcare, & eius exercitu fracto, Carthago pene deleta fuit, ſed Damareta Regina Regem Gelam Syracuſanum induxit ad pacem miſeris erogandam. Ea lege tamen vt in ſacello recèns inſtructo pacis fœdera conſcriberent.

Diodor. Sicul. l. 11.

Conditione pacis accepta, ciues in pignus gratiæ acceptæ coronam auro textam miſere Regis vxori Damaretæ Reginæ, velut oppreſſæ ſuæ vindici libertatis. Ita Diodorus Siculus. Adami vitio gens humana ſua libertate penitus exciderat; ſed Maria intercedente Deus homines in integrum reſtituit: ne verò notam ingloriam animi ingrati homines incurrant, Eccleſia ſancta Dei flamine perculſa ſacras ædes erigit, quæ eſto Deo ſoli conſecratæ ſint: quippe Deo tantùm dedicantur templa; tamen illa clientelæ Matris Dei inclytæ commendantur. Refricantur ibi pacta pacis, quando ſacerdotes homines ſollicitant, ne delinquant, ſed viuant ex præſcripto legis.

Corona ſpicea Dianæ oblata.

Corona demum auro diues, atque nitens gemmis offertur Deiparæ, quando recitatur Corona ſacris Dominicis precibus, & Angelicis vocibus intertexta.

Pauſanias in Achaicis.

Profectò forent gratiores hæ coronæ, ſi eſſent adinſtar eius, quam Pauſanias ait in Achaia ſolitam Dianæ offerri. Spicis contexta fuit hæc corona, cuius ſpeciem is referet, qui recitando Mariæ Coronam, frumento electorum, id eſt pane ſacro Euchariſtiæ paſtus ſua ſic dona Matri ſanctiſſimæ myſtica conſecrabit.

Dianę Epheſinæ tributũ pẽtum quotannis.

Magna quippe lucra, & gratiarum cenſus accedunt, quando Coronæ Virginis annectitur cõmunio frequẽtata ſicut decet: namque Deo vt propior eſt anima refecta cibo hoc diuino; ita magis idoneæ ſunt preces eius ad Dominum inflectendum. Ne quis aliquando deſit illi obſequio coronæ perſoluendæ, ratum, & conſtans eſſe votis omnibus opto vetus hoc Alexandri Magni edictum, quo ſanxit Dianæ Epheſinæ appendi quotannis munera, vt tributa, quibus hoc teſtatum omnes facerent, ſe ſuaque omnia Numini deuouere. Ita Arianus.

Mariæ corona perſoluenda.

Nos ſanctiora premunt & vrgent argumenta, quibus maximè cordi eſſe debet vnicuique pius Mariæ cultus: quidquid namque nobis illabitur ad ſalutem propitium, illud omne Deus hominibus in gratiam Beatæ Mariæ Virginis impertitur.

Enitens adhuc ex incunabulis Eccleſia, mulieres vidit tanto amoris æſtu percitas erga Matrem Dei, vt ei placentas tanquam Numini conſecrarent. Nòn ego Deam dico Dei Matrem, neque Sacra volo pane aut placentis agi; ſed conſulo, ſæpe ſacris vt altaribus adſtent Mariæ cultores, ibi pane Angelorum animas & corpora refecturi.

Reginæ cæli placentæ olim ſacrificatæ.

Deo miſerante viget hodie ille ritus: quippe rarus eſt Chriſtianus, qui non communione ſacrâ paſtus agat feſta Deiparæ; alios verò, ritus huius incurios, multa mala excipiunt, & lancinant vndequaque. Ideóque quadrant hominibus incuriis obſequij Deiparæ lamenta plebis Hebrææ.

Ierem. 44.

Sacrificemus (inquit) *Reginæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, Reges noſtri, & Principes noſtri vrbibus Iuda & Ieruſalem: & ſaturati ſumus panibus, & benè nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus. Quòd ſi nos ſacrificamus Reginæ cæli, &c.* Abſit à me vt Sacra velim fieri Deiparæ; ſed affirmo, mala crebrò ingruere, quia communio deſeritur diebus Mariæ ſacris, vt peracta ſecus illa pietatis obſequia, concilìant hominibus gratiarum omnium incrementum.

Dianæ templum ſubire nefas, niſi nudis pedibus.

Vt ſint ſarta tecta Matris Dei obſequia, aduerte ſacras eius ædes adeundas eſſe ritu, quo Cretenſes olim accedebant ad delubrum Dianæ, quod ſubire nefas, niſi pede nudo fuit. Ita ſuos cultores odit illa Parens ſanctiſſima, ſi affectus animæ pedes vitiorum cœno ſordido conſperguntur.

Solin. c. 4.

Sunt itaque omnes detergendæ fæces animæ, vt Virginis beatæ ſacris ſiſtamur aſpectibus. Operæ-pretium eſt, & huc reuocare morem Albanorum, qui vt habuere Lunam pro Numine, hominem

Lunæ ſacrificati homines. *Strabo lib. 11.*

anno toto ſaginatum eſcis opiparis, corde prius ſpiculo transfixo Deæ ſuæ alacres immolabant. Auctor eſt Strabo nobis anſam illo truci more ſuppeditans dicendi homines paſtos eſcâ ſacrâ corporis Chriſti, ſi corde ſincero, & transfixo telo amoris Dei, Mariæ ſe cultui obſtrinxerint, eam congruè demereri. Recenſendo dona Mariæ grata, penè excidit edictum, quo ſeuerè fuit cautum apud Phocenſes, ne quando ſues offerrentur Iſidi, quam dixere matrem omnium. Hoc & decretum apud cultores Virginis Beatæ viget: quippe nefas eſt ſiſtere ſe Matri Dei, & omnium noſtrûm habitu immundo, & luxuriæ ſordibus inquinato.

Iſidi nefas offerre ſuem. *Pauſanias in Phocicis.*

Puto ſatis eſſe ritus hos hactenus expreſſos, vt quiſque ſibi conflare queat inde typum idoneum obſequij huius, & cultus æterni, quo ſe arctè velit Beatæ Mariæ Virgini deuincire. Ne labores in delectu; vſurpare potes omnia, quæ conducunt ad conciliandam gratiam Deiparæ, te tuáque omnia Virgini deuouendo. Namque fiet, vt ſicut olim ex Homero ſacræ Palladi hoſtiæ non erant corruptioni obnoxiæ, ita totus Mariæ obſtrictus, ſtando ſacris pollicitis, Deo miſerante nihil lethale tibi aut putidum excidat. Nempe pios omnes Virgo ſuos famulos ſuâ ſic clientelâ tegit, vt nullo vitio corrumpantur.

Palladi oblatæ hoſtiæ non putreſcebant. *Homerus lib. 20. Iliados.*

ENCOMIA
SANCTI IOSEPH,
RECENSITA EX EVANGELIO diei Feſti eius expoſito moraliter,
CONSVLTIS OMNIBVS OMNIVM Diſciplinarum Oraculis.

Hîc tot Conciones habes pro Aduentu, quot ſunt ſectiones.

OMNIPOTENTIS DOMINI NOSTRI IESV Sanctiſſimo Patri nutritio Ioſepho

VOTVM.

SVASORE Deo, O SANCTISSIMÆ IOSEPH, Moyſes nudo inceſſu acceſſit ad eum rubum, qui igne illapſo deſuper emicabat. Hos humiles greſſus, exegit Deus, vt nudipes homo fieret propior igneo ſenticeto: cui incubans Dominus rerum, locum circumquaque effuſum effecerat ſanctum; quia inibi in flammea teſſera rutilarat. Nihil tibi & ſentibus, O BEATE, qui virtutum omnimodam fragrantiam afflans, roſeti potius quàm ſpineti hirſuti ſpeciem omnibus obieciſti. In eo tamen, ſacri illius tubi igneum habitum induiſti, quod ſicut erat citra ſui diſpendium flammeus, etſi videretur eum flamma depaſcere; ita & tu crebrò amplexans puerulum Ieſum, globum illum igneum impunè ſæpius attrectaſti. Et hoc etſi mirabile; eſt tamen infra illud prodigium, quod meditantes in ecſtaſim rapit: videlicet quòd Mariæ adiectus in coniugem, triginta egeris annos incombuſtus eâ Virginis eleganti formâ, cui compoſita exquiſita omnis ſpecies Angelorum eſt deformis. Itaque cùm tot eluceant in te Dei aſtantis indubia argumenta; nonne eadem teneor lege, quâ & Moſes, tuis volens ſiſti obtutibus? Ita planè apertos pedes petit inceſſus, qui ad te dirigit clientes tuis deuotos obſequiis. Soluenda ſunt calceamenta de pedibus volentibus aſtare tibi, nec hic tantùm ſiſtit ille ritus, quo ſe quiſque accingere debet ad acceſſum tuum, qui vt addictus tibi idoneo apparatu adornet, depoſcit aliam prorſus nuditatem ab ea, quam præſtitit Mnſes, id eſt, pedum tenus. Tu homo quaſi

extorris,

extorris, rerum humanarum neſcius, non nudipedem ſolùm hominem quæris, ſed omnino ſolutum curis anxiis huiuſce ſæculi, ne diſcolor ſit habitus orantis & orati. Beati Franciſci inſtituto arctiori, cui ab ephebis nomen dedi, eò etiam maximè deuinctus ſum, quòd Capucina profeſſio, non duntaxat meos exuerit pedes, ea ſanctione, qua calceis abſtinemus; ſed quia adiecit rerum omnium inopiam, qua ſola locupletes eius ſancti inopis alumni pauperes tuam pro modulo ſuo vitæ egenæ indolem æmulantur. Itaque, Pater Sancte, Currus Dei Iſraël, æquior eſto humili ſeruo tuo nudipedi, & egeno, qui tua emendicat ſuffragia, & in argumentum amoris ſui hæc tua elogia contexuit, veluti perenne tuæ gloriæ monumentum.

PRÆFATIO.

MALE ominatus eſt ille, qui Virginitati iniurius, ſtatum hunc cælitus illapſum dixit inutilem, vtpote infœcundum, eo nomine eſt carpenda lex Papia, faciens viros virgines inglorios. Hallucinata eſt Roma olim cæca, & iniqua virginibus. Sed vbi Sol iuſtitiæ Chriſtus illi illuxit, & terſit tenebras eius; venerata eſt in quibuſque virginibus Angelicum inſtitutum. Nimirum Roma Chriſtiana plura edidit volumina in laudem huius inſtituti, quàm characteres olim effinxerit, vt in Virgines ipſa Roma Ethnica declamaret. Miſſos facio candicantes virginum choros, quos ſanctiſſimi Proceres Eccleſiæ miris effatis veluti liliis aſperſerunt. In vno ego homine ſiſto, qui ſub Chriſto & Maria, Princeps eſt virginum. Ille eſt Ioſeph, ea puritate inſignis, vt neſciens parem fuerit ideo Chriſto & Deiparæ conſecratus. Nequaquam infœcunda extitit eius virginitas; quippe fuit veluti parens eorum conceptuum, quos edidere omnes illi Encomiaſtæ huius ſancti, quem recolo, vt & de meo inope penu aliquid adiiciam eius encomiis.

Reuerà non eſt citra negotium, & equidem ingens, rei perfectæ aliquid adiicere: atqui Codex ſanctus ſuo ſibi inſito breuiloquio concludit omnes Ioſephi panegyres, dum illum recenſet regio ſanguine ſatum, Mariæ virum, & Patrem Domini Ieſu ab ipſa Deipara nuncupatum. His ex Euangelio prælibatis, nonne ergo in eodem themate exornando perperam inſudatur? Minimè verò: licet enim ſumma laudum beati huius in eo ſit, quod aduertit textus ſacer, nimirum Ioſeph fuiſſe Regibus atauis, Mariæ ſponſum, & Chriſti patrem nutritium; non ideò tamen arcentur ab hoc textu iij omnes interpretes quibus propitia deſuper afflarit aura. Longè latéque apertus eſt ille campus, ac proinde idoneus vt cuiuſque docti Scholiaſtæ ſpatietur animus. Pleroſque vidi Theologos cùm veteres, tùm recentes in eo argumento, quod verſo, doctè & piè deſudaſſe. Neque inficior, illis inſciis non eſſe editum iſtud opus; omnibus debeo lumina micantia, quorum ſuffragio, ſicuti bonis auibus ingreſſus ſum palladium omnium ſcientiarum, ita ex his fontibus omniſciis, multi conceptus, qui ad mores pertinent, tanquam riuuli in meas ſectiones velut in alueos congruè deriuarunt.

Ne eo igitur lateat vt abdita gaza, rerum vbertas, quæ huc congeſta eſt. Ioſephi iſta encomia conducere omnes ſcientias, vt ſuam referrent induſtriam, ad ornandam contexturam laudum huius Sancti, aliis omnibus eminentis. Rem dicam huic Sancto inſignem. Vbi me accinxi ad decurſum iſtius argumenti addicti elogiis Patriarchæ iſtius, ſcientiæ omnes velut agmine facto, citra ſtipendium vltro dedere ſuum nomen, vt pro tuenda dignitate praexcelſa ſponſi Deiparæ congruè militarent. Theologia chorum ducens, Ioſephum eò euehit, quò infra Mariam nemo appulit: quippe annuente ea ſacra diſciplina, Ioſephus præit illi omni, quod ſub Maria magnum eſt; quibus autem ſcalis omnia tranſcenderit, ipſa etiam Theologia ſuffragante conſule hunc tractatum, vbi & Philoſophia concors à Theologia non diſſentit. Ex Mathematica & hiſtoriis pleraque hic legere eſt hactenus inaſpecta, eo ſaltem ſenſu, quo aptantur huic de Ioſephi encomiis inſtituto. Vtriuſque iuris ſtatuta ſuum pendunt obſequium iſti tractatui, in quo etiam idoneos cancellos ſortita ſunt ſymbola congrua propoſito themati. Et licet titulus operis ſit de genere demonſtratiuo, vtpote ſonans Encomia; non tamen meo animo excidit alius ille titulus inſignis, qui mea omnia volumina clamat eſſe quidem diſſitos tomos, ſed qui eódem ſpectant, ſcilicet ad moralem Encyclopædiam, cuius hæ ſunt partes, vt ſcientiæ omnes aduocatæ penſura obſequium ſuum ſingulis quibuſque ſectionibus, tamen etiam moribus obſecundent. Siquidem eo intento hanc aleam ingreſſus ſum, & mihi hoc indixi penſum, plures moliri tomos in Euangelia, vt hinc locuples exurgeret apparatus, idoneus moribus excolendis.

Mihi conſto hoc tractatu, vbi etſi locuples ſit gaza laudum ſponſi Dei genitricis; nihil illic prætereo quod virtuti litare queat, omniaque recenſeo congrua vitiis extirpandis, ita vt ſit dubia nomenclatura huius operis: ſcilicet in ancipiti eſt, an potius iſtud opus queat dicere paræneſes ad virtutem, quàm Ioſephi encomia nuncupare. Vt in cuiuſque fidelium mente adoleſcat deuotio in Ioſephum, benè ominor iſti opuſculo explicanti ſingulares eius dotes, quarum oculis exhibita ſeries non modicam ingerat reuerentiam in hunc Sanctum, cui in argumentum humilis mei obſequij vigilias has deuoui.

Cæterùm ſi quid in ea rerum varietate, quâ exurgit hoc ſyntagma panegyricum, arridet tibi; noli illud meæ tribuere peritiæ, quæ nulla eſt. Sed vbi in Dei illapſum refuderis præcipua capita gloriæ, ſi quæ exurgit; aduoca etiam in partem honoris eum Sanctum, cuius vt nomen Ioſeph, idem eſt ac augmentum,

tum, ita etiam eius ſuffragio aſpiranti mihi, acceptum refero qualecunque eſt huiuſce panegyris incrementum. Quemadmodum enim velificantes lucro, vbi ſe committunt pelago immenſo, ſi eos aura validior extulerit, obuias habent plagas aliis inaſpectas, quæ ſeſe eis explicant, citra eorum induſtriam. Ita licet multi, huius ſancti Encomiaſtæ me anteiuerint, ingreſſi Oceanum meritorum viri, infra quem eſt omne quod ſub Maria exurgit; quid mirum ſi mihi in eadem velificatione occurrerint multa, quæ alios præterierẽ? Non vno tantùm alueo concluditur mare, ſed alluit multas orbis oras, & quandoque ferociens litteris impatiens excurrit. Nulli vnquam dabitur Ioſephi merita immenſa congruis illi laudibus adæquare. Eſto excelſa elogia affingantur iſti Sancto, hoc tractatu. Seſe offerent diuitiora ſequacibus meis, qui in hoc pelago transfretabunt. Mihi ſanè afflauit aura ſingularis, dum traieci aliquas Ioſephi dotes, ideoque non eſt quòd meæ aſcribam induſtriæ ea ſenſa, quæ ſuggeſſit genius, meo vtique ſuperior. In illud autem incurrimus, cui Deus addixit patris ſui nutritiq; gratias omnibus explicandas. Vt præambulones habui in eo themate; ſpero etiam habiturum me multos in eo propoſito conſequentes.

Quo autem tramite decurram, quoque ritu abſoluam penſum mihi à memet indictum, accipe. Euangelium addictum diei feſto Ioſephi diſſeco in quinque partes, quæ ſingulæ ſuas ſectiones texunt, affectas peculiari cuidam doti, quam illuxiſſe huic ſancto oſtendo multifariam, multiſque paginis multiplici ſcientia fimbricatis. Itaque ex præfatis quinque ſectionibus, Ioſephi quintuplex encomium exurgit, conſonum textui quem expendo. Patriarchæ huius laudes in aperto poſita præbent, adhortandi homines vt ſimiles ineant calles, locuples argumentum; ita vt Encomiaſten agam ſimul & cenſorem vitiorum in hoc opuſculo, texto vt fas fuit opere polymito.

IN DIE FESTO

SANCTI IOSEPH.

EVANGELIVM. Matth. 1.

I. CVM eſſet deſponſata mater IESV Maria Ioſeph.

II. Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.

III. Voluit occultè dimittere eam.

IV. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph fili Dauid,

V. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem Filium; & vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

EXPOSITIO MORALIS digeſta in ſectiones.

I. EA virtutum ſummâ coaluit ſanctus Ioſeph, vt in tale incrementum ſurrexerit, quale depoſcebat ingis illa ſocietas, quâ Mariæ deuinctus eſt, demerendo titulum ſponſi illius Virginis emeritæ, quæ vt omne impurum aſpernatur, ita etiam adſciſcit ſibi omne id quod vernat multiplici virtutum flore. Et hoc ſonat illibatum illud coniugium Ioſeph & Mariæ, id eſt, virginitatis & virtutum.

II. Si commodi tui ſedulus ampliator inueſtigas, quænam chariſmata fluant ex eo ſancto Mariæ contubernio, dicam paucis ineffabilem rerum omnium influxum. Antequam conuenirent Maria, & Ioſeph, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Hoc Euangeliſta ſuggerit, ne ſubrepat tibi, Chriſtum natum ex coniugio Mariæ & Ioſeph, ſicut Abel editus eſt ex coniugio Adami & primæ parentis Euæ; hoc enim nefas eſt arbitrari. Vt ergo cælitus Virgo deſponſata concepit Dominum rerum potientem; ita & aliquali modo idem Chriſtus influit in animas, quas deuinxit ſibi eadem Virgo, virtutum omnium incremento.

III. Vbi autem Chriſti præſentia incipit affulgere animis prouecta virtutis; quaſi impotes tanta gratiæ, declinare volunt bonorum omnium hunc affluxum, vt impares huic honori. Solet enim eſſe Dei chariſmatum comes humilitas, quæ vt alta fuit in ſancto Ioſeph, cogitauit receſſum à Maria, quæ fuit vt canalis, quo diuinæ ſcaturiginis latices influebant.

IV. Sed quò penitiores quærit latebras, & receſſus humilitas, eò etiam magis hanc prodit Deus; & ſi defuerint homines miniſtri & præcones, has ſibi partes Angeli vendicabunt, non cenſentes eſſe inglorium mitti in miniſterium eorum, quos Deus peculiari dignatur honore.

V. Ad

℣. Adſtantes Angeli, nutantes animos firmant, & adiectione noui luminis edocent animas, omne id quo refulgent eſſe deſuper, nec eſſe omittendum Deo inuito, cuius vt eſt influere, & id copioſè; ita & noſtrarum eſt partium non detrectare illius chariſmata. Etenim eſt penes figulum eodem coagulo effingere vaſa in honorem, & alia ad ignominiam, pro vt libuerit, luto minimè renitente. Ita & ad arbitrium Dei gratia affluunt & emicant in homine, cuius non eſt congruum bonum has amoris teſſeras aſpernari.

DE ENCOMIIS S. IOSEPH.

Maria eorum tantùm gaudet obſequio, penes quos eſt virtutum omnium incrementum.

In hæc verba :

Cum eſſet deſponſata mater IESV Maria Ioſeph. Matth. 1.

Sectio Prima.

FVſiori ſtylo oſtendi, Mariam eſſe librum generationis IESV Chriſti, tunc ſcilicet quando Euangelium illud expendi, vbi ex profeſſo meminit Matthæus libri generationis IESV Chriſti. Scientiæ omnes aduolutæ throno Deiparæ, ſuas aperuere gazas, quibus cenſum penderent debitum huic Dominæ rerum, nec præſtitere tamen Bibliothecæ omnes aliud quàm epitomen encomiorum Reginæ cœli : vt ergo aliquid adiiciam illi compendio laudum Mariæ, inibo ritum eorum, qui edito aliquo volumine, molientes editionem alteram, ſupplementum aliquod inſerunt, vt tomus aſſurgat in ampliorem molem. Congruum meo intento incidit argumentum, quando meam ſubiit mentem moralis expoſitio Euangelij quod expendo. Ibi commemorat ſcriba veridicus, dotes inſignes, quibus effulſit Sanctus Ioſeph, indiuiduus comes Virginis puerperæ, vt & nos æmulemur chariſmata Sancti huius, ſi anhelamus ad Mariæ obſequium. Licet enim ſeries tota vitæ huius Virginis Sanctæ fuerit illibata, & ſpiret aliquid innoxium, quod exigit à ſuis ſequacibus; tota tamen Mariæ indoles magis ſeipſam prodit in eâ recenſione, quam texit Matthæus de deſponſatione huius coniugis Sancti Ioſeph. Nomen Ioſeph idem ſonat atque incrementum : cùm ergo panegyrim paro de Sancto hoc incremento, ſubiicio ſupplementum tractatui de Mariæ encomiis. Si enim tantâ puritate enituit Virgo Deipara, vt in Sancto Ioſeph exegerit tanta præludia ſanctitatis, quibus præuiis Mariam deſponſaret; nonne in eam redundat totus ille contextus meritorum Sancti eius ſponſi, cuius nomen à creſcendo dictum congruit huic Euangelio quod decurro, quaſi in incrementum laudum Virginis illibatæ?

In quinque capita reſoluitur ille textus, decurrens hiſtoriam Sancti Ioſeph, cui cùm audis deſponſatam fuiſſe Mariam, indigam obſequij coniugis huius Sancti, collige hanc Dominam illis potiſſimum acquieſcere, quos ſtipat omnis virtutum chorus; talibus aſſueſcit Virgo, & hos veluti ſuos contubernales facit, & hoc probare incumbit iſti ſectioni, ſicut & infra reliquæ ſectiones ſingula quæque ſibi capita vendicabunt. Antequam moralem ſenſum obeamus, demus aliquid encomiis Sancti Ioſeph, vt ex emicante illius virtute inferamus ideam, ad cuius exemplar effingamus noſmetipſos, & quaſi habitum induamus eius Sancti perquàm accepti Mariæ, in ordine ad quam habuit ille ſacer ſponſus potiſſimas infulas dignitatis, quibus enituit. Vt enim colores præcipui in decore, non habent ab effuſâ luce vt ſint cærulei, coccinei, albi, & virentes, vt quibuſque inſitum eſt à naturâ; luci tamen hanc gratiam debent hi colores eximij, quòd inſcia luce prodere ſe nequeant, caligine omne quod eſt in colore viuidum opacante. Ita etſi gratiam habitualem, quâ Sanctus Ioſeph fuit iuſtus & inſignis, non à Mariâ acceperit, ſed aliunde, ſcilicet à Deo; tamen ille decor emicuit, & Eccleſiæ toti innotuit, Mariâ ſuos diffundente radios. Quippe Ioſeph adſcitus in Mariæ ſponſum, præbuit anſam augurandi, fuiſſe in eo Sancto ingentes gratiæ cumulos, quorum ſuffragio in eum aſſurgeret honoris apicem, ad quem euectus eſt, Mariam ducens in coniugem. Vt ergo præcipuæ dotes huius Sancti non nos prætereant, æmulemur ſtylum primi encomiaſtæ huius Sponſi, quem Euangeliſta recenſet, primò à regiâ proſapiâ, dum deducit eum concretum regio ſanguine Dauid. Secundò Matthæus *Matth. 1.* ille ſcriba encomiorum Ioſeph, totam gratiarum eius ſummam concludit ex relatione ad Mariam. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt* IESVS, *qui vocatur Chriſtus.*

Diceres, Euāgeliſtam venari altitudinem S. Ioſeph, eâ planè ratione, quâ Mathematici prouinciarum & climatum ſitum inueſtigant. Illi ſiderum inſpectores familiari vtuntur inſtrumento, cui nomen eſt aſtrolabium, eſt id planiſphærium, ſeu ſphæra cæleſtis deſcripta in plano, in quo videre eſt ſiderum ortus & occaſus, ſingulóſque gradus apprimè diſſitos. Illic linea mobilis & tranſuerſa decurrit, illud bipartiens inſtrumentum, cui eo fine hæc regula verſatilis incumbit, vt eius obſequio Mathematicus deprehendat & terræ & ſiderum ſitum. Nimirum regula illa ænea pinnulas habet, exiguo foramine lumini peruias; iuxta numerum graduum, quos permeat hæc linea, colligitur altitudo rei, cuius indagini inſpector inſudat : nihilque inuium eſt huic inſtrumento, quod vſum eius effugiat; eo enim deprehendit quiſque peritus, quantùm emineant turres, aut dehiſcant valles, imò & quàm longè latéque diſcurrant campi. Aſtrolabij ſuffragio homini ſeſe explicant aſtra, & eorum acceſſus ad polum innoteſcit; nempe omnes imagines globi ſuam habent illic epitomen. Itaque vnum idémque inſtrumentum, rerum terrenarum atque cæleſtium prodeſt indagini. Ea eſt Maria vt planiſphærij habitum induat; duos enim globos illa refert, cæleſtem, & terreſtrem, quidquid in terris vernat & aſſurgit quidquid in cælis rutilat & influit, illud omne in Maria deſcriptum eſt. Eamobrem quò quis plures ſibi vendicabit gradus, quibus Maria aſſurgit, ille etiam plus aliis eminebit. Fauet mihi Andreas Epiſcopus Ieroſolymitanus, Mariam ſic compellans. *Καίρεις διόπτρα προβλεπτικά.* Salue dioptra, perſpectiua. Eſt autem dioptra inſtrumentum, quo deprehendimus è longinquo latitudinem, & altitudinem, vt ait Proclus libro de ſphæra. Vt ergo fiant palam ex omnes dotes, quibus eminebat S. Ioſeph, eſt nobis

EX MATHEMATICA.

S. Ioſeph gloria cognoſcitur ex Maria.

Stofflerus lib. de vſu Aſtrolabij.

Maria eſt dioptra.

Dioptra quid ſit.

EX SS. PATRIBVS.

Serm. de annunt. B. V. Maria.

nobis Maria aduocanda, vt ex ea colligimus in quo excelluerit ille eius ſponſus.

Ne ordine præpoſtero cælos emetiar, auſpicabor à terra, cuius altitudo fuit ſumma in hoc Sancto adæquante Mariam in eo genere. Quippe ambo regio ſtemmate oriundi, ſua ducunt exordia à Regibus Dauide, & Salomone ſatis. Et hanc Ioſephi nobilitatem non recenſuiſſet Matthæus, niſi Mariæ mentio fieri debuiſſet, vt matris Domini I E S V Chriſti. Et ſic Maria eſt veluti dioptra metiens eum apicem nobilitatis, ad quem ſurrexit ille Sanctus, quem cùm Deus ab æterno ſtatuiſſet decernere in ſponſum Mariæ, non imparis voluit eſſe ſtatus, ſed eiuſdem proſapiæ, vt Hebræorum ritu nobilitas ſponſæ de ſponſi ſtemmate probaretur, vt notat Ambroſius. *Noli mirari quòd Ioſeph origo deſcripta eſt. Etenim ſecundùm carnem natus, vſum debuit ſequi carnis; & qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi, maximè cùm in Ioſeph origine, origo etiam ſit Mariæ. Nam cum vir iuſtus fuerit Ioſeph, vtique ex tribu ſua, & ex patria ſua accepit vxorem. Nec potuit iuſtus facere contra id quod lege præſcriptum eſt. Sic enim habes: Quia vnuſquiſque in hereditate tribus ſuæ patriæ adhærebunt filij Iſrael, nec de tribu ad tribum tranſibunt, & omnis filia quæ habet hæreditatem tribuum filiorum Iſraël, vni ex populo, & ex tribu patris ſui erit vxor. Itaque & cenſus tempore aſcendit Ioſeph de domo & patria Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore ſua. Quæ ex eâdem domo, & ex eâdem patriâ profeſſionem defert, vtique eiuſdem tribus, & eiuſdem patriæ ſe eſſe deſignat.* Hæc Ambroſius.

Lib. 3. in Luc.

S. Ioſeph quare Mariæ deſponſatus.

Ex FIGVRIS. *Cant. 3.*

Maria ergo fuit argumentum nobilitatis, quæ enituit in S. Ioſeph, cuius vt luculentius texam encomium, volo ex codice ſacrò deſumere ideam aliquam egregiam veluti typum S. Ioſeph, ad quem indubiè aſpexit Spiritus ille ſanctus, quo Salomon afflatus ait. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem.* Et quia hic textus debet eſſe argumentum huius panegyris, accipe ſynopſim encomiaſticam, quam fusè & multifariam explicabo. Ferculum vox eſt à ferendo deriuata. S. Ioſeph verè fuit ferculum veri Salomonis, qui ſæpiùs incubuit, & inſedit brachiis patris ſui nutrinij. *De lignis Libani* extitit hoc ferculum, id eſt, ex Cedro arbore procerâ & ſuauis afflatus, nimirum S. Ioſeph regiâ ſtirpe ſatus; is fuit nobilitate inter homines, qua eſt Cedrus in ſiluis. *Columnas eius fecit argenteas.* Gratia & caſtitas fuere veluti baſes, quibus innixa eſt qualitas ſponſi, vnde habuit vt eſſet ferculum Domini I E S V. *Reclinatorium aureum.* Chriſtus non tam quieuit in vlnis S. Ioſeph, quàm in eius corde, auro amoris rutilo atque coruſcante. *Aſcenſum purpureum mediâ charitate conſtrauit.* Verè aſcenſus pueruli IESV in brachiis S. Ioſeph ſeſe effundentis, fuit purpureus. Etenim quotieſcunque vlnis ſuis ille infantem IESVM excepit, toties amore exarſit, & ne ſuſpiceris, amorem hunc fuiſſe ordinis naturalis, qualem accendere ſolet ſpecioſa & venuſta facies infantium; Spiritus ſanctus adiecit, hunc totum aſcenſum charitate rubere. Eſt autem charitas amor Deo ſacer, fomitem neſciens in humanis; quippe nihil humanum ſapit, aut infirmum redolet ille amor, quo anima in Deum, Dei causâ, fertur. Demum hiſtoriam hanc concludit auctor hoc contextu. *Propter filias Ieruſalem.* Vt reſcirent omnes, illum apparatum & inſignem Mariæ gratiâ recenſeri: eſt enim illa vna ſpecioſa inter filias Ieruſalem. Ita planè Maria gloria Ieruſalem, & honorificentia populi noſtri, multùm conduxit ad gratiam & ad gloriam S. Ioſeph ferculi Salomonis, vt ex hac panegyri liquebit; auſpicemur.

Ferculum quid ſit.

S. Ioſeph fuit ferculum Chriſti.

Sagax illa deſcriptio ferculi Salomonis, eo ipſomet Rege auctore appoſitè delineat ſanctum gerulum pueri I E S V, qui hunc ſuum patrem nutritium effinxit; ita vt Chriſto in ordine ad Sanctum Ioſeph quadret denominatio floris illius, qui in tuſſilagine præit folijs, & ſub finem Martij oritur. Dicitur ille flos aureus. Filius ante patrem. Etenim cum folia ſoleant eſſe præambula florum, hic verò ſecus accidit: ita & in Chriſto, qui etiam menſe Martio conceptus eſt, filius anteceſſit patrem, nam perſona Chriſti æterna eſt, ac proinde verum eſt, eum ſibi & patrem nutritium, & veram Matrem pro ſuo arbitrio coaptaſſe. Sed quare ex lignis Libani editum hoc ferculum Salomonis? id eſt, quare nobili progenie natus eſt iſte Ioſeph? Multiplicem animo meo verſo rationem, & vt ſcholiaſten Euangelij agam, mea ſenſa promam.

Tuſſilago Chriſti ſymbolum.

Dioſc. lib. 3. cap. 9.

Chriſtus omnibus omnia factus eſt, atque adeò recenſeri voluit genealogiam ſuam, in cuius ſerie ſunt mulieres adulteræ, vt Bethſabee: alienigenæ, vt Ruth: malæ famæ, vt Thamar: homines Regiis infulis clari, & alij inglorij, vt Chriſtus in humanis iniiſſe videretur quandam affinitatem cum tota Adami proſapiâ. Et eò ſpectat iſte Canon Iuris Pontificij. *Dominus noſter I E S V S Chriſtus voluit non ſolùm de alienigenis, ſed etiam de adulterinis commiſtionibus naſci, nobis magnam fiduciam præſtans, vt qualicumque modo naſcamur, dum tamen eius veſtigia imitemur, ab ipſius corpore non ſeparemur, cuius per fidem membra effecti ſumus.* Non ille ſuos nobis proauos imitandos propoſuit, ſed ſeipſum. Eamobrem ille Canon ſic dehiſcit. *In eóque ſi filij eius ſumus, quæ ipſe fecit nos imitari debemus.*

Ex IVRE CANONIC. *Can. Dominus noſter diſt. 56.*

Chriſtus quare natus ex proauis peccatoribus.

Rurſus illa Chriſti proſapia etſi regia, multis tamen reatibus obnoxia, duo clamat in Chriſto attendenda. Primum eſt ſceptrum Iuda; inſinuans Chriſtum reuerà Regem omnium ſcilicet fidelium, qui eum corde & ore confitentur; hoc enim ſonat vox Iuda ab Hebræo ידה *iadah confeſſus eſt.* Alterum eſt, eum veniſſe ad reparanda piacula perpetrata ab atauis ſuis, quæ ipſe diluit victima & ſacerdos. Vnde & Lucas familiam Chriſti deſcribit ex ſerie ſacerdotum, ſicut & Matthæus ex contextura Regum; quaſi vnus Regem prædicet, alter verò Redemptorem, quando ſacerdotem inſinuat. Mihi præluxit Ambroſius. *Quod per Salomonem Matthæus generationem deriuandam putauit, Lucas verò per Nathan, alteram regalem, alteram ſacerdotalem Chriſti familiam videtur oſtendere. Fuit enim verè, & ſecundùm carnem regalis & ſacerdotalis familia. Rex ex Regibus, ſacerdos ex ſacerdotibus.* Hæc ille.

Chriſtus natus ex Regibus & ſacerdotibus.

Ex SS. PATRIBVS. *S. Ambr. l. 3. in Luc.*

Sed hæc nihil ad Sanctum Ioſeph. Eſt ergo inueſtiganda ratio deſcriptæ proſapiæ, & quare

hoc

Chriſtus quare natus ex Regibus.

hoc ſuum ferculum Chriſtus è cedro compegerit, id eſt, quare Dominur ille rerum omnium voluerit habere patrem nutritium eiuſdem ſtemmatis cum Maria matre ſua. Prætereo rem notam lippiratque tonſoribus, & antea prælibatam, ſcilicet pares paribus ſociari, & Mariam ideo vt regio ſanguine procreatam, vindicaſſe ſibi ſponſum non imparem. Alia igitur hæc eſto ratio, & à nemine mihi cognito recenſita. Chriſtus ideo hominem induit, vt primam hominum ſortem ſuo nitori redderet, & decori. Aſt humana natura in Adamo cepit initium, vtique nobile & illuſtre, ſcilicet veluti Deo patre editus eſt Adam, & terrâ matre, reuera virgine, & neſcia cultoris. Proregem ſuum fecit Deur hunc hominem claris ortum natalibus, eum paradiſo inſeruit, palatio idoneo infulis, quas Deo annuente induerat, vt ea ortu ſuo & loco altor animos conciperet ad virtutem. Vbi autem degener homo à Deo defecit, pulſus eſt regiis ædibus, & quaſi Deo dedignante prolem hanc factam ei iniuriam, homo animalis effectus eſt non ſapiens ea quæ Dei ſunt. Eum Deus fecit ignobilem atque ingloriũ, quia fuerat ſuæ nobilitatis incurius, ſicut & innuit iſte Canon. *Adam primus homo pro peccato de paradiſo eiectus eſt: hoc eſt quia Dei nobilitatem à ſe deiecit, nobilitate loci priuatus eſt.* Vt ergo Chriſtus alter Adam naturam noſtram ſartam tectámque faceret, voluit naſci Deo ſolo patre, & matre Mariâ Virgine ſatâ Regibus, & ne quid ignobile deorſum inclinaret ſuam familiam, patrem etiam nutritium Sanctum Ioſeph elegit iiſdem natalibus inſignem.

Peccatum priuat nobilitate.

Ex Ivre Canonic. Can. Adam. diſt. 40.

Diſpenſatio hæc diuina nequaquam temeraria, quâ totam ſuam Chriſtus familiam ſanxit ab æterno fore regiam, nobilitati ſummam reuerentiam conciliat, quidquid ſecus ſentiant plerique, à quibus ego toto cælo diſſentio. Quippe in Phyſicis vt & in Moralibus aliquid eminere liquet: in humanis autem ſi rerum ſeries attendatur, nonne in confeſſo eſt apud omnes, ineſſe nobilibus viris inſitum a naturâ maximum argumentum ad res arduas exantlandas? vt innuit Hieronymus. *Nihil aliud video in nobilitate appetendum, niſi quod nobiles quadam neceſſitate conſtringantur, ne ab antiquorum probitate degenerẽt.* Concinit alter. *Qui nobili loco natus eſt, probitatem morum generis nobilitati & ſplendori opponet, atque ex aduerſo ſpectandam producet. Ita duplici nomine clarus erit, nempe & maiorum imaginibus, & propria virtute ac priuatim inſpectus.* Cùm ergo Deus ſibi ferculum aptauit, non è quouis ligno voluit illud componere: vt enim non è quouis ligno fiebat olim Mercurius; ita neque abſque delectu condi debuit ille ſponſus emeritus Virginis illibatæ.

Nobilitas eſt æſtimanda.

Ex SS. Patribus. Lib. epiſt. Greg. Naz. orat. 18.

Nobilitas ad virtutem nobiles adhortatur.

Si arcam, quæ fuit tantùm typus Chriſti, ſanxit Deus fieri ex lignis Sethim, auro rutilis, quonam putas apparatu effinxiſſe Sanctum Ioſeph gerulum infantiæ Saluatoris? Eo planè luculento magis, quam præextiterit cura ſolers Salomonis, in ferculo ſuo regiè adornando. Et eſto genus inſigne Deum nequaquam demereat, iuxta illud. *Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis: Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus. Neſcit religio noſtra perſonas, nec conditiones hominum, ſed animas inſpicit.* Nemo tamen inficiatur, nobilia hominum exordia recenſeri inter beneficia ſingularia, quibus Deo nobilitate conſpicui homines obſtringuntur. Etenim alia ſunt huius ſæculi inſignia, aliæ verò dotes, quæ cælis nos inſcribunt; vtrimque autem Deo Domino deuincimur, cùm nobilitate & gratia inſignes facit. Dum igitur Deus vult congerere in S. Ioſeph gratias omnes, quibus in vtroque ſæculo emineat, auſpicatur à ſanguine regio, quo hic homo coaluit, progenitus Regibus atauis.

S. Hieron. ep. ad Celantiã. Nobiles ante Deum qui ſint.

Nobilitas eſt Dei beneficium.

In hoc Sancto ſuum effectum ſortita eſt illa benedictio, quâ ſuum Ioſeph olim dignatus eſt moriens Patriarcha Iacob. *Benedictiones patris tui confortata ſunt benedictionibus patrum eius.* Quaſi diceret: Fili mi Ioſeph effundo in caput tuum omnem gratiarum congeriem, quam accepi ab Iſaac patre meo, cuius hoc de me extitit votum. *Det tibi Deus de rore cæli; & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* S. Ioſeph de pinguedine terræ accepit, quando nobili proſapiâ editus eſt: vt enim olim ignobiles dicebantur filij terræ; cur non nobiles dicemus ortos non ex quouis limo, ſed è pinguedine terræ, ea videlicet, qua Cedri Libani vegetantur? Et reuerà quaſi procreati eſſent nobiles è pinguedine terræ, quidquid optimum eſt orbe toto diffuſum, illud cedit in ius hominum nobilium: & hinc voluit Samuel indicare Saüli, eum breui nobilitandum regiis infulis, dicens: *Cuius erunt optima quæque Iſrael, nonne tibi, & omni domui patris tui?* Id eſt optima quæque manent eos, qui optimis ſeu nobilibus editi ſunt parentibus, inſtat tempus quo rerum potieris, electus in Regem; & tunc quaſi è pinguedine terræ eſſes oriundus, omne quod pingue eſt erit tui iuris. Saül ignobilis hæc optima detrectauit, dicens: *Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima inter familias omnes de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* Quaſi diceret: Ego homo ignobilis nequaquam ortus de pinguedine terræ, nequeo in eam ſpem aſſurgere, vt opima & pinguia terræ aliquando poſſideam.

Ex Figvris. Geneſ. 49.

Geneſ. 27.

S. Ioſeph benedictio fuit de pinguedine terræ.

1. Reg. 9.

Ex his collige S. Ioſeph claris ſatum natalibus, fuiſſe a Deo benedictũ in pinguedine terræ, item & in rore cæli, quando multiplices gratiæ Dei latices alluerunt animam eius. Et quod eſt ſummum priuilegium Sancti huius: benedictiones præfatæ eò deduxerunt illum vt in abundantia frumenti, & vini ageret æuum ſuum. Nimirum totos triginta annos fecit Domino Chriſto ſacros, ſub eodem tecto degens. Chriſtus autẽ fuit frumentũ electorũ, & botrus Cypri de vineis Engaddi: ideoq; Ioſeph Chriſti hoſpes nullã penuriã ſenſit vini & frumẽti.

Benedictio de rore cæli qualis.

Cant. 1.

Fortaſſe quiſpiam obiiciet, me immemorem argumenti præfixi iſtis encomiis, quo ego profeſſus ſum me receſſurum à trito calle, & inuia ſectaturum: & tamen inſtabit momus, me inhærere nobilitati Sancti Ioſeph ab omnibus adeò ventilatæ, vt ſit oratori ingloriũ, velle denuo aliquam gloriam affingere illi Sancto petitam ab eius incunabulis, cùm & regia etiam ſtemmata aliis Sanctis communia ſint, quibus infulæ non ceſſerunt ad gratiæ ſeu gloriæ aliquod incrementum; imò potiùs regia proſapia pleriſque fuit obex ad

S. Greg. lib. Dialog.
Nobilitas parit aliquãdo mentis ignobilitatẽ.

gratiam, quia intumuere typho purpuram conſequente, vt luget Gregorius. *Nonnullus ſolet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minus ſe in hoc mundo deſpiciant, qui plus cæteris aliquid fuiſſe meminerunt.* Reſpondeo, me extra aliorum metas ſpatiari, ſi idem verſans argumentum, mea ſenſa promam alia prorſus ab anteceſſoribus meis, & ſcholiaſtis Euangelij, quorum abſit vt obducam merita, aliqua æmulatione percitus, quinimò vt laus tota penes eos ſit, meas aperio ſententias, eo ferè nomine prælo dignas quòd nouæ ſint, & veluti radij recens emergentes à Patre luminũ

Hoc igitur eſto meum primum aſſertum in re decantata. Nobilitas vt plurimum præpediens viam ad gratiam, atque adeò ſpreta à Sanctis, eius generis extitit in Sancto Ioſeph, vt ea præuia multis gratiis auctus, ſanctior euaſerit. Etenim ratione ortus ſui nobilis, Mariæ ſponſus effectus eſt, & hinc nutritius pueruli Ieſu, cuius ſocietate in ſanctitatis apicem euectus eſt. Sed diſcuſſio iſta Theologica eſt; &

Ex Theologia.
S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8.
S. Ioſeph nobilitas contulit ad ſanctitatẽ eius.

res noua, ex Theologia probare, nobilitatem adiecisse huic Sancto aliquod incrementum ſanctitatis; ſic ab hocce intento ſe expedit iſta diſciplina. Res illa, quæ ex Dei intento nos ordinat ad Deum ipſum, & arcet ab aliis rebus, eo ipſo noſtræ pietatis augmento caret, ac proinde dicitur ſancta, vt videre eſt in ſacramentis, quæ ideo inſtituta ſunt, vt anima Dei compos fiat, & ſecedat à noxiis, vnde & ſancta dicuntur ſacramenta, non quòd ſint ſubiectum gratiæ, ſed quod eorum ſuffragio gratia influat in animas. Sed Deus ab æterno decreuit effingere Sanctum Ioſeph ea nobilitate, quæ eſſet præambula coniugio Mariæ, & regimini infantiæ Saluatoris: ergo cùm nobilitas illa ad Chriſtum ordinata ſit, verè fuit ſancta, eius enim ratione Ioſeph ſecretus eſt ab aliis rerum humanarum commercio, vt Mariæ addictus, gerulus etiam eſſet atque nutritius infantuli Ieſu, à quo vt fonte primitiuo copioſos ebibit gratiæ effluxus. Ergo prædeſtinationis Sancti Ioſeph effectus nobilis extitit eius nobilitas, qua veluti præambula adſcitus eſt in familiam Domini Redemptoris. Fauet meo intento ſacer textus, qui non meminiſſet proauorum Sancti Ioſeph, ſi non fuiſſent Chriſti exordia recenſenda. Sancta ergo nobilitas Sancti Ioſeph, non inſtar ſacramenti; ſed quia ab æterno fuit Chriſti infantiæ conſecrata.

Itaque congruè comparaui Libani lignis, ſtemmata nobilia Sancti Ioſeph: vt enim cedri aliis eminent arboribus, & ſuaui odore fragrãt; ita Sanctus hic regia ſtirpe ortus præiuit aliis hac ſua proſapia, virtutúmque odores gratos ſparſit, quibus mirificè puerulũ Ieſum recreauit, vt & Matrem eius, in ea virtutum alea huic ſuo coniugi præeuntem. Et equidem auſim affirmare, Spiritum Sanctum ex contextu parentum Ioſeph, velle magis ingerere fragrantiam virtutum eius; quàm regium eius ſtemma. Etenim vbi plures coëunt ſenſus in codice ſacro, ille præcipuè intenditur à Spiritu Sancto, quo fit anima Deo propinquior;

S. Ioſeph virtutibus omnium SS. Patrum illuſtratus.

at animæ nobilitas, qua præfulſit Ioſeph, eum Deo ſociarat ante coniugium Mariæ: ergo ea intenta eſt à Spiritu Sancto priuſquam illius ſtirps, cuius ſuffragio, ei Mariæ & infantis eius cuſtodia fuit poſtea demandata. Namque vt omnia flumina in mare influunt; ita & virtutes omnes proauorum Ioſeph in eo coëunt, ſcilicet fides Abrahæ, charitas Iſaac, ſpes Iacob, caſtitas Ioſeph, ſanctitas Dauidis, ſapientia Salomonis, reliquuſque omnium virtutum contextus ita in eo coaluit, vt diceres, eum extitiſſe mare aliquod, in quod confluxere flumina gratiarum, quæ proauos eius primitus alluerunt.

Matrimoniũ ſoluit ſeparatio voluntatis

Quid ergo ſtupere eſt exorieum, in coniugio Mariæ & Ioſeph? nihil planè in eo eſt quod recedat à communi rerum ritu; imò melius & ſanctius iniere coniugium Maria & Ioſeph, quàm quis alius vnquam, & hoc ex vtroque Iure liquet, Canonico ſcilicet, atque Cæſareo, quorum hæc eſt communis definitio. *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas; & ideo non ſoluit illud ſeparatio corporis, ſed ſeparatio voluntatis.* Conſonat hæc Iuris Ciuilis deciſio. *Nuptias non concubitus: ſed conſenſus facit.* Vnde ad ampliorem gloriam Sancti Ioſeph ſic arguo. Vbi rei alicuius ratio formalis exiſtit, ibi magis elucet illa res; ſed in Maria & Ioſeph, ratio formalis coniugij magis enituit, quàm in quouis alio coniugio: ergo vtrique maximè competit nomenclatura coniugum. Nam conſenſus, qui eſt anima coniugij, nullibi vnquam talis præextitit: ergo nuſquam tale repertum eſt coniugium, & ſuis adeò numeris omnibus abſolutum. Quippe ex Philoſophia, quæ ſunt eadem in vno tertio, ſunt eadem inter ſe ſe: at Maria & Ioſeph ſe totos ita addixerant Deo, vt quaſi ad arbitrium Dei tantùm cierentur, Deo ergo decernente coniugium Mariæ & Ioſeph, quorum velle totum erat penes Deum, nonne conſenſus extitit ſummus, vtpote elicitus ad amuſſim diuini intenti: ſiquidem Maria & Ioſeph tale iniere coniugium, quale & Deus ab æterno conſtituit fore inter vtramque partem, atque ita ambo Dei placito perciti, virginalis coniugij vices alacres obierunt. Nimirum Maria iam labarum virginitatis in corde ſuo erexerat, & voto præuio confirmarat, vt hic textus Canonicus videtur innuere. *Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde; ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore. Subiecit ſe diuinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeueraturam virginem, niſi Deus aliter ei reuelaret.* Non erat bonum hanc mulierem eſſe ſolam, habuit adiutorium ſimile ſibi, videlicet, Sanctum Ioſeph, qui eo etiam coniugio factus eſt auguſtior, etſi antea vtraque nobilitate corporis & animæ conſpicuus.

Ex Iure Canonico.
Can. Matrimon. 27. q. 2.
Ex Iure Ciuili.
Ex Philoſophia.
S. Ioſeph cũ Maria fuit verum matrimonium.
Ex Iure Canonico.
Can. B. Mar. 27. q. 2.
Votum virginitatis à Maria factũ.

Res ita fiet palàm duabus hiſtoriis. Elato Theodoſio iuniore Imperatore, rerum ſumma fuit penes Pulcheriam ſororem illius virginem omnium virtutum penu prædiuitem. Proceres Imperij virgini Heroïnæ ſuaſerunt caſtos hymenæos, vt vel hinc nomine viri & non fœminæ regeretur Imperium. Illa Reipublicæ inuigilans, & rata ſuum coniugium ceſſurum in commune bonum, non reſpuit ſana conſilia; ſed hæſit in delectu viri, quem ſibi ſociaret. Quæ enim Deo virginitate ſua litauerat, viros omnes æqua lance penſans, æqualiter ignorabat. Res tota delata eſt ad Senatum, vt conſeſſus ille nominatorũ hominum

Ex Hiſtoria.
Baro. tom. 6. Annal. ſub. an. 450.

virum

virum decerneret idoneum Imperio, & moribus adeò defæcatis, vt inire mereretur coniugium cum virgine Pulcheria. Senatores non ancipiti cura diſtraxit, nec dubios fecit electio hominis, qui coniux eſſet emeritæ virginis, & qui ſimul etiam Imperium deſponſaret. Omnes concordi animo coïerunt in Martiano, viro vtique inclyto bello & pace, & quem maturæ virtutis & probatæ, nulla vitij ſuſpicio denotabat. Dedit manus virgo Pulcheria, coniugem accepit Martianum, qui eo coniugio fuit auctus Imperio, virginitate ſuæ ſponſæ nullatenus imminuta.

Pulcheria nubit ſalua virginitate.

Si ea codice ſacro effluxiſſet iſta hiſtoria; reuerà eſſet typus ingenuus coniugij Mariæ & Ioſeph; & dicerem, Adamum fuiſſe Theodoſium Imperatorem: nomen enim Theodoſij idem ferè ſonat ac donum Dei, & Adam ſpeciali dono Dei habebat omne id quo conſtabat, euectus à Deo ad rerum omnium apicem ſub cælo, vt hoc diuino diplomate legere eſt. *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini.* Voces illæ, Creſcite & multiplicamini, ſubiicite, dominamini, tot ſunt ſpecioſi & nobiles tituli dignitatis, quibus Adam exutus eſt, quando peccato perpetrato extinctus eſt. Adamo emortuo deuoluitur imperium ad ſororem eius, ſcilicet ad Mariam eodem patre ſatam, quo Adamus, ſcilicet Deo, cuius ſingulare opus extitit illa Virgo, non Pulcheria, ſed adeò pulchra & ſpecioſa; vt omnis alia pulchritudo ſub Deo eminens, infra hanc Virginem etiam eſſe cenſeatur. Virginis huius dominio congruebat nomen, ea nempe dicta eſt Maria, id eſt Domina; hoc enim ſonat nomen Syrum *Mar* מר; Domina ſanè fuit Maria, vtpote neſcia contagij, quod ſubeunt omnes obnoxij næuo deducto ab Adamo, & contrahi ſolito eodem inſtanti, quo & homo enuntiatur editus. Ea ſeruitute immunis Maria, recepit dominium, quo ceciderat frater eius Adam. Quæſitus eſt coniunx, qui humeros ſupponeret oneri & honori. Pulchra hæc Virgo, ipsâ Pulcheriâ longè purior, Dei conſilio permiſit coniugium; Deo enim ſacra, nullius viri ideâ tenebatur, vt Angelo affirmauit dicens. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Inuentus eſt Ioſeph eiuſdem cum Maria ſtemmatis, pulcherrimæ Virgini comes adiicitur & ipſe virgo coniunx, factus eo coniugio Imperij conſors, ſicut & Martianus infulas induit Romani imperij cum perſona mariti Pulcheriæ, quam virginitate frui conſenſit mortetenus.

Geneſ. 1. Peccatum quos titulos illuſtres Adamo abſtulerit.

Luc. 1. S. Ioſeph et Mariæ coniugio illuſtrior.

Fortè quiſpiam obiiciet, fuiſſe iniurium Mariæ coniugium initum cum Ioſepho; quia ea Domina rerum hominem duxit inferiorem ſibi, & Iure Cæſareo eſſe cautum, vt mulier ſequatur conditionem viri: ſic enim habet lex. *Vxor marito concreſcat, & ſentiat eius fulgorem.* Eodem item codice mulieres ſic fantur. *Mulieres honore maritorum erigimur, & genere nobilitamur.* Et expreſsè Vlpianus hæc reſcripſit. *Connubio interueniente, liberi ſemper patrem ſequuntur.* Ea lege damnatam fuiſſe Virginiam ſcribit Liuius libro decimo. Hæc genere nobilis vtpote Patricia, plebeium hominem deperiit, eique vinclo iugali ſociata

Mulieres honores maritorum participant.

Ex Ivra Civili. *Cod. de nuptiis Lege finali. C. de Incolis. Lege Connubio. De his qui in poteſtat. ſunt.*

Virginia nobilis nupſit homini plebeio.

eſt; eamobrem Senatuſconſulto cecidit nobilitate ſua, velut incuria gloriæ, quam à ſuis atauis acceperat. Et in eo diſpar eſt ratio adoptionis atque coniugij, quòd *Adoptio gentem mutat & non genus.* Coniugium verò & genus & gentem mutat vxoris, quæ mariti conditionem induit. Ergo fuit inglorium Mariæ coniugium S. Ioſeph, vtpote diſparis cum ea qualitatis. Reſpondeo, nequaquam fuiſſe inglorium Mariæ illud coniugium; ſed potius aperuiſſe nobis regiam Mariæ proſapiam, quæ forte nos lateret, ſi Matthæus non meminiſſet eius ſponſi, quem vbi oſtendit progenitum Regibus, inde ſatis ſuperque probauit, Mariam ſponſam illius eodem fuiſſe etiam ſtipite regio procreatam.

Leg. prima §. Cognitionum Vnde cognat. L. Fœmina ff. de Senatorib. L. Ingenua. C. De marilegulis.

Non fuit infra decorum Reginæ Anglorum Mariæ, accipere in ſponſum Philippum Auſtriacum, nullo adhuc diademate inſignem, ſed illud coniugium ceſſit in Mariæ Reginæ Anglorum decus, quod Princeps nobiliſſimus electus ſit in ſponſum illius, etſi non eſſet adhuc regiis infulis inſignitus. Nimirum is erat Carolo V. Imper. ſatus, & futurus plurium regnorum adiectione Rex inclytus. Maria Virgo Regina Angelorum non ſibi fuit iniuria contrahendo coniugium iſtud cum Ioſepho; imò ille hominum omnium nobiliſſimus, explicat quàm eminens extiterit hæc Virgo, infra quam ſummi Angelorum apices ſe inclinant. Et eſto fœminæ ſequantur viri conditionem: lex illa deficit in Reginis, quæ alioquin cogerentur agere cælibem vitam, aut ſe abdicare regno nubentes ſi regno caderent, & induerent ſponſi ſortem. Toto enim terrarum orbe annuente, is quem Regina in ſponſum duxit Rex eſt, nemine reclamante. Et licet Angli non conuentur Hiſpanis; Maria tamen Regina Anglorum ſuperſtite, Angli omnes Philippum Regem ſuum confeſſi ſunt, congruo ei præſtito obſequio. Ita & ante Mariæ coniugium rara fuere commercia Angelorum cum homine. Sed vbi Maria Regina Angelorum nupſit Ioſepho, Angeli ſtatim ei quaſi Regi ſæpius adſtiterunt, vt fuſius infra dicam Sectione quarta. Non ergo aliquid deperiit Mariæ ea coniugio Ioſeph, ſed Ioſepho magna eſt adiecta gloria; quia Reginæ conſors eſt effectus. Iuris autem Reginarum eſt, ſolij ſui facere participes ſponſos ſuos, vt fecere Pulcheria & Maria Angla.

Ea Historia. *Hiſt. Ang. ſub reg. Ma.* S. Ioſeph coniugium non fuit inglorium Mariæ.

Regina Regem facit ſponſum ſuum.

De eo Iure Reginarum proſtat affirmatiua Iuriſperitorum ſententia, decernens Reginæ nubenti omnia conſtare ſarta tecta, & earum ſponſos vocari in partem regni. Vide ergo in quos cothurnos aſſurgat iſte Ioſeph, ex Mariæ coniugio: nam etſi clarus extitiſſet ſtirpe ſua, factus eſt tamen inſignior Mariæ conſortio. Vt enim cedri proceræ arbores, etſi aliis lignis emineant, tamen eminentiæ ſuæ multum adiiciunt, ſi ex edito loco ſurrexerint. Ideo non fuit ſatis Salomoni facere ſuum ferculum de vernacula Cedro; ſed excidit eas, quæ ex monte Libani aliis eminebant. Ita licet Ioſephus Illuſtri proſapiâ ſuperaret omnes Principes Iſrael; tamen vt hæc cedrus eſſet excelſior, Deus eam in montem Libani extulit, quando Ioſephum adſciuit in Mariæ familiam; comparatur autem Maria monti Libano, cùm ob eminentiam virtutum, tum ob puritatem; nam Libanus idem eſt atque

Ex Ivre Civili. *Bald. in cap. Significauit. Colum. 1 de reſcrips. Decius in l. 1. Cod. de edend. Tiraquel. de nobil. c. 18.*

candidatio Hebræis, à radice *laban* לבן *dealbauit.* Facturus ſibi fereulum Salomon noſter Ieſus, hoc Libani lignum elegit, altum, ſuaueolens, incorruptum, nobilitate excelſum, omnigeoa virtute fragrans, & iugi gratiarum tenore & augmento incorruptum, ſicut & inferre eſt ex contextu, qui lignis Libani ſubiicitur. *Columnas eius fecit argenteas.*

Argēti egregia ſymbola.

Locuples eſt ſenſus myſticus, quem pottendit hoc metallum, & ne me copia inopem faciat, duo tantùm ſpeculabor in argento, candorem ſcilicet, & tinnitum, vt hinc litare queam encnmiis Sancti Ioſeph. Candor in argento præcipuus puritatem notat, non illam vernaculam, qua claruere etiam Philoſophi, vulgi ſuffragio cedto digni, quia nulla parentis vitij aſpergine couſpurcati. Candor ille niueo candori præſtat in eo quòd rutilus eſt, & coruſcus, aduerſo etiam ſole perſtringens oculos lumine quo radiat. Ea fuit albedine conſpicuus Sanctus iſte Ioſeph, vt ipſi etiam niui fecerit fucos, factus ipſe niue candidior iuxta illud Ieremiæ. *Candidiores Nazarei eius niue.* Ioſephũ autem hunc notari hac voce Nazaręi diſce ex alio Ioſeph Patriarcha, quẽ grandæuus eius parens Iacob præſcius futurorum, Nazaræi nomiue nuncupauit. Etenim recenſitis votis & benedictionibus acceptis ab Abrahamo & Iſaac, omnia hæc bona colligens effudit In vnum hunc filium ſuum prædilectum Ioſeph, ſic fatus. *Fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazarai inter fratres ſuos.* Diceres, Patriarcha Iacob mox ceſſurum è ſæculo duos recenſuiſſe Ioſephs vnum explicitè expreſſum, cui & alterum adiecit à primo diſſitum illâ particulâ, *Et*: vbi enim dixit. *Fiant in capite Ioſeph.* Quaſi alium commemoraret ſubiecit. *Et in vertice Nazarai inter fratres ſuos.* Iacob autem non tam attendiſſe ænum illud quod agebat, quam futurum collige ex præfatione, quam ſuis ille benedictionibus adhibuit. Sic habet codex ſacer. *Vocauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annuntiem qua ventura ſunt vobis in nouiſſimis diebus.* Rurſus ipſa vox Nazaræi ſanctum ſignificat, à radice *nazar ſanctificauit.* Quid autem ſanctius fuit eo, quem virtutum omnium incrementum euexit ad titulum ſponſi Reginæ Angelorum, & quem Matthæus virum Mariæ nominat, ne meritorum eius ſplendida congeries cuiquam imponeret, eum non fuiſſe hominem ſed Angelum, qui in corpore ementito tot gratiarum radiis emicabat. Ea etiam cautela vſus textus ſacer hiſtoriæ Iob. Nam agones athletæ illius enuntiaturus, ne quis ſuſpicaretur in eo aliquid ſupra hominem, dixit eſſe virum, & non Deum aut Angelum, ſic enim hiſtoriam illam texit auctor. *Vir erat in terra Hus.* Chryſoſtomus locum illum commemorans ſic expendit. *Quoniam vitam narraturus erat, noſtram vim ſupra modum vincentem, ne quis agonis ſublimitatem reſpiciens putares, non humanam ſed peregrinam eſſe naturam; deſcribit naturam: vt propoſitionem mireris, quòd homo exiſtens, ſupra hominem viuendo conuerſatus ſit.* Hæc ille.

Thren. 4.
Ioſeph Patriarcha quare nominatus Nazaræus.
Geneſ. 49.
vbi ſuprà.
Iob quare fuit dictus vir.
Ex SS. PATRIBVS.
Chryſoſt. homil. 2.
Iob virtutes ſupra naturæ vſum.

Hoc itaque eſto meum effatum In gratiam candoris ſeu puritatis Ioſeph. Eo virtutum omnium ſyntagmate coaluit iſte Sanctus, vt Deus in eum velut in cumulum congeſſerit dotes, quas aliis parcas inſeruit. Maior enim eſt Deo cura animarum quam corporum, id eſt, Deus plus influit in animas eorum, quos euehit, quàm in eorum corpora, pluraque eis confert, quibus niteant ad gloriam æternam, quam quibus emineant in ſæculo. Ergo ſi regia fuere exordia Sancti Ioſeph claris editi natalibus, ſi quod ſummum eſt in ſæculo contulit, ſcilicet nobiliſſimam omnium ſtirpem; vtique etiam credo fuiſſe omnia ſumma, quæ Ioſephi animum exornarunt: nec Matthæus adeò religioſus extitiſſet in contextura regia parentum Chriſti, niſi Spiritus Sanctus aliquid myſticum inde propalaſſet. Scilicet Chriſtum eos duntaxat cenſere parentes ſuos, quos virtutes ſicuti regia ſtemmata condecorant. Habeo Rupertum mihi concinentem. *Quæ ratio eſt, vt generationis linea contingat Ioſeph, qui Ieſum Chriſtum non genuit? Euangeliſta diuinus generationem carnis Chriſti minus curauit, quæ paucorum erat, niſi eiſdem ad ſalutem ſolum ſufficiebat; ſed ad generationem gratiæ intendit, quæ multorum eſt, vel eſſe poteſt, & eis ad ſalutem ſola ſufficere valet.*

Libro 1. in Euang. c. 4.
S. Ioſeph virtutibus illuſtrior quam nobilitate.

In ea nobilitatis Chriſti indagine, non ſe adeò ſerium præſtitiſſet S. Euangelij textor, ni Ioſephus, à quo deducit Chriſti regiam proſapiam, nobilitati corporis inſitæ adiecisſet & animæ nobilia inſignia, quibus mens eius niue candidior, animæ omnes potentias fecit argenteas, futuras aliquando columnas, quibus incumberet ferculum Salomonis. Vtque ſenſus, quos deperditos Chriſtus recreauit, verbi gratiâ oculi cæcorum, quos accendit antea extinctos, fuere vegetiores eis, quos natura impertit, & comitem inuexere aliam lucem intrinſecam, quæ Chriſti diuinitatem aliis inuiam, peruiam fecit iſtis. Ita nobilitas Sancti Ioſeph quia ſpeciali relatione Chriſtum contingit, ea ſanè mente recenſetur à Matthæo, vt nobis aliam inſinuet, qua tantùm aliis præiuit Sanctis, quantum regio ſuo ſtipite aſſurgens, aliorum hominum ſurculos anteceſſit. Quæ fuerit animæ ingenuitas diſce à Sanctis, quorum eloquia accommodans Sancto Ioſeph, hoc vnum non excidat, videlicet eſſe infra Ioſeph omnia ea, quæ de ſacra animarum proſapia commemorant Sancti Patres; tot enim gratiæ titulis irradiat iſte Sanctus; vt oculorum aciem retundant hæc lumina, atque adeò neſciuntur, quia inaſpecta.

Si aliqua lubet legere diplomata nobilitatis animarum, conſule Chryſoſtomum. *Ille clarus, ille ſublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam putet, ſi dedignetur ſeruire vitiis, & ab eis non ſuperari.* Sanctus hic eo textu aperuit tantùm communia ſtemmata nobilium animarum. Sed Gregorius Nazianzenus altius inueſtigat nobilem animarum proſapiam. Sic ille. *Nobilitas noſtra eſt diuinæ imaginis conſeruatio, atque archetypi imitatio, quam ratio, & virtus efficiunt, purumque deſiderium eos, qui ſupernarum rerum verè ſtudioſi ſunt, quotidie magis ac magis, quantùm ad Deum attinet, informans; ac denique cognitum habere, & quidnam, & quam ob cauſam facti ſumus.* Hæc ſunt, & equidem hæc ſunt peripetaſmata, quibus ornatur nobilis anima, hæc ſunt regia reuera ſtromata, quæ Ioſephi animã illuſtrarunt, vt decuit inſigniri eum, quem Deus effinxerat in ferculum filij ſui adorandi.

Chryſoſt. in Matth.
Nobilitas vera qualis ſit.
Virtus nobiles facit.
Greg. Naz. orat. 18.
Nobilitas animæ penes quid conſtituatur.

Idonea

Iſidor. Pelu. lib. 2. ep. 291. Nobilitas vnde ortum habuit.

Idonea ſunt quæ deſcribit Iſidorus. *Vera nobilitas à probis moribus nata eſt, firmáque, & ſtabilis dignitas virtute comparatur.* Cùm ergo ſeries hæc ſit ſcripturæ ſanctioris, vt ſub typo ſenſibili, ingerat ſemper aliquid congruum ad animas euehendas; illud profectò fuit intentum Dei, inſinuare nobis ea chariſmata, quibus dignatus eſt Sanctum Ioſeph, quando de nobilitate illius fecit longiorem contexturam. Nam vt ait Gregorius. *Non noſtrum eſt nec Philoſophicum, eam nobilitatem admirari, quæ à fabulis, & ſepulchris, ac ſupercilio iampridem putrefacto manat: nec eam, quæ ex ſanguinibus, & literis oritur, quam noctes largiuntur, ac Regum ignobilium quoque fortaſſe manus, nobilitatem, velut quiddam aliud ſubenntium; ſed quam pietas & mores notant atque indicant, & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, aſcenſio.*

Greg. Naz. orat. 33. Nobilitas quænam ſit cōmmenda.

Sidon. in Panegyr. Anth.

Hoc vnum inſedit menti Heroum omnium, vt ſe ſatos aliquo Deo omnibus imponerent. Alexander nonne prædicauit ſe Ioue patre editum, quo dixit matrem ſuam Olympiam imprægnatam, ſub ſpecie ſerpentis? Annon & Auguſtus in Solem voluit ortum ſuum refundere, vt ludit egregiè Sidonius Auernorum decus?

Nobiles qui ſe dixere Diis ſati.

Magnus Alexander, necnon Auguſtus habētur
Concepti ſerpente Deo. Phœbumque Iouemque
Diuiſere ſibi: namque horum quæſiit vnus
Cyniphyra ſub ſyrte patrem, maculis genitricis
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi.

S. Ioſeph nobilitas vnde.

Chriſtus, qui matrem ſibi elegit innumeris probatam oraculis, etſi Ioſephum non habuerit patrem; quia tamen creditus eſt à Iudæis eo patre ſatus, non fuit immemor eius, aut parcus ea eo excolendo gratiis congruis muneri tanto, & honori. Ne autem ieiunus eſſet Encomiaſtes ſacer in laudibus huius Sancti, æmulatus eſt ritum familiarem pictoribus, qui integras referunt acies, ſumma duntaxat hominum capita lineando. Ita & Matthæus ne fortè detraheret meritis tanti viri, omnia virtutum eius agmina concluſit vno tantùm capite, vocans eum iuſtum. *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus.* Audis eo textu iuſtitiam interminam, id eſt, cuius modum nequeat homo quiſpiam aſſignare. Quàm coruſca fuerit illa Ioſephi iuſtitia, qua abſolutè iuſtus fuit, & eo nomine deſignatur, bellè præſciit Ieſus ille Syracides, dum ait rutilare iuſtum, ad æmulationem Solis. Sic ille. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol.* Verè indolem Solis aſſequutus eſt Sanctus iſte, & nominis beatius.

Matth. 1.

Eccleſ. 27.

EX MATHEMATICA.

Ioan. de Indag. lib. de nouo modo faciendi ſchema cœli.

Qui ſiderum vim abditam inueſtigant ſagacius, hoc vnum affirmant, eſſe ingenium Solis, vt circiter triginta dies totos impleat in vnoquoque ſigno, ſeu in ſingulis quibuſque domibus Planetarum. Subiicit Ioannes quidam de Indagine, Solem induere virtutem eorum Planetarum, apud quos agit hos triginta dies; vnde quaſi præterito nomine alterius Planetæ, ille Matheſeos non ignarus, Solis ſtatione tantùm inſpectâ, ei effectus eoſdem aſſignat, quos ſortiri ſolent Domini domus eius, quam Sol tunc temporis inhabitat. Exempli gratiâ, Mars ſibi vindicat ſignum Arietis vt domum ſuam. Ille Planeta feruidus eſt & ſiccus, atque adeò multæ bilis cauſa. Si ergo quiſpiam editus ſit Sole degente in domo Arietis, hic erit indolis igneæ & feruentis, quia Sol induit naturam Arietis, & Planetæ illius. Quàm benè quadrat hæc obſeruatio Matheſeos Ioſepho noſtro, Solis nomine deſignato. Sol iſte non triginta tantùm dies, ſed triginta annos egit in domo Chriſti & Mariæ. Chriſtus non Aries, ſed Agnus Dei, atque ita domus eius ignea tota & feruida fuit. Ioſeph Solem agens in ea domo, vbi erat Mariæ coniux & veluti pater Ieſu; ſic enim eum Maria appellabat, vt videre eſt eo loco. *Dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sol inquam ille tamdiu degens in illa domo tota amore Dei feruida, nonne etiam totus incanduit amore ſacro? vt & denotatur eo apparatu, quem præfatus ſum in ferculo Salomonis, vbi hæc proſtant, *Reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit.*

Luc. 2.

Cant. 3. Iuſtitia debet eſſe quadrata.

De eo recubitu Chriſti dicam proxima ſectione, ſatis erit modo prælibaſſe, Ioſephum ineffabili charitate in illa domo ſeu fornace amoris iugiter æſtuaſſe, & earum virtutum, quæ emicabant in Ieſu & Maria ſideribus huius domus, non modicam vſurpaſſe partem, cuius adiectione iuſtitia illius fuit veluti conſummata, & ea, quam meminit Clemens. *Eſt iuſtitia quadrata, omni ex parte æqualis, & ſimilis in verbo, in facto, in abſtinentia à malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis nunquam vllo modo claudicans.* Hæc ille, cuius definitioni aptat virtutes Ioſephi Chryſoſtomus. *Vidiſti Ioſephi obedientiam? vidiſti animum facilè ſacris omnibus fidem accommodantem? Vidiſti mentem omnino vigilem, & nulla prorſus corruptione violatam?* Adiice hæc ex Euſebio. *Aderat Ioſepho libertas animi, maximè robur inuictum, pudor eximius, iuſtitia, modeſtia, prudentia ſumma, ſed pietate in verum Deum maximè præſtabat, erátque mirabili corporis præditus formoſitate, qua adoleſcentia virtutibus ornata inſignis videbatur.* Hæc Euſebius effatus de iuuene Ioſepho, figurâ noſtri Ioſeph; quonam ſtylo texuiſſet encomia noſtri Ioſeph, maturæ ætatis & virtutis emeritæ, & infra quam fuit ille alius Ioſeph.

EX SS. PATRIBVS.

Cl. Alexand. lib. 6. Strom. S. Ioſephi virtutes aliquæ recenſentur.

Chryſologum fas eſt audire etiam in hoc argumento. Sic ille. *Ioſeph autem cum eſſet iuſtus. Hoc pro magis videtur conuenire quàm iuſto, ſed humano iudicio, non diuino; penes Deum, neque pietas ſine iuſtitia, neque ſine pietate iuſtitia: quia æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas eſt. Ioſeph ergo meritò iuſtus, quia pius; & pius, quia iuſtus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum cauſam temperat, iudicium cuſtodit; dum vindictam differt, crimen euaſit; dum refugit accuſatorem, fugit ſæuitiam.* Dixerim ego cōpendioſius, Ioſephū omnes adæquatè numeros impleuiſſe iuſtitiæ quantùm homini fas eſt, & ab eo virtutū omniū incremento demeruiſſe nomē iuſti.

S. Chryſol. ſerm. 145. S. Ioſeph iuſtitia probatur. Iuſtitia pietatis comes.

Sanctum hunc fuiſſe veluti compendium virtutum omnium, colligere eſt ea nomenclatura illa, qua eum Matthæus inſigniuit, vocans eum virum Mariæ, quæ ſuo exemplo anteuertit illud Pauli conſilium. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris.* Arbitror ego, virum dici caput ſuæ ſponſæ, quia ſicut omnia membra qui-

EX RE MEDICA.

Epheſ. 5. S. Ioſeph, eſt virtutum omnium compēdium.

bus tota coaleſcit compago corporis, vident, audiunt, & denique ſentiunt beneficio tantùm capitis. Ita & mulier pro viri duntaxat arbitrio debet ſuas vices exercere. Nec Mariæ ſolùm caput extitit Ioſeph, ſed & Chriſto pueſulo inhabitãte lares exiguos huius Sancti, ille capitis ſortem ubiit in ea familia, Luca aſſertore, Chriſtum fuiſſe ſubditum Ioſeph, & Mariæ. Itaque Ieſus, Maria, & Ioſeph ea ſortiti ſunt munia in ea domo, quæ ſortiuntur in corpore humano cor, hepar, & caput. A corde habent hepar & caput vitæ exordia; ſiquidem eſt cor primum viuens. Habuerunt à Ieſu, Maria & Ioſeph, non vitæ tantùm principia, ſed & gratiæ exortum, qua vita viuitur immortali. Hepatis eſt ille ſanguis, quo cordis intima purpuraſcunt, & quo per anadromen alluitur caput. Mariæ fuit & ſanguis, quo Chriſti caro coaluit; & Ioſeph ruens in amplexus pueruli Ieſu, Deiparæ debuit illas ſuas delicias. Etenim nunquam Ioſeph attrectaſſet tenellum illud corpus Chriſti, ſi in coagulum eius Deipara Virgo ſuum ſanguinem minimè præſtitiſſet.

S. Ioſeph Chriſtus ſe totũ tradidit.

Multa ſanè ſunt ea obſequia, quibus cor & hepar dignantur caput; ſed id non ingratum mutuas vices ei rependit: quippe etiam toti corpori inuigilat caput ſollicitum de annona, cuius ope membra cætera vegetentur. Simili modo curam egit Chriſti & Mariæ Sanctus Ioſeph, vtpote vtriuſque nutritius, & agonum indiuiduus comes, pro modulo ſuo fœnus pendens gratiarum, quas vberes ei Chriſtus & Maria procurarant. In ſingulis Sanctorum encomiis miris elogiis effertur ille amoris index, quo aliquos eorum Chriſtus Dominus inſigniuit. Verbi gratiâ quando pedes ſuos dedit Magdalenæ alluendos lacrymis eius; illi dono appendit veniam eorum omnium criminum, quibus ſe aliàs obſtrinxerat. Quando Petro dehiſcentibus aquis dedit manum; reducem fecit & vitam, cuius periculum ille Apoſtolus incurrebat. In ſuprema cœna præbuit pectus ſuum Ioanni, qui eo amoris ſtrato diſcubuit. Inde poſtea amore incanduit ille diſcipulus, concipiens flammas illius incendij, quo Chriſti æſtuantis anima conflagrabat.

Illa omnia chariſmata ſeorſim ſumpta beare poſſunt eos, quos ſingula quæque afficiunt, imò ſponſa Canticorum ad vnum tantùm oris Chriſti oſculum anhelabat. Sic illa amore flagrans ſua vota pangit, *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* Arbitrata eſt, illa Dei amaſia, ſibi ſatis ſuperque conſultum, ſi vno tantùm oſculo frueretur. Quibus ergo laudibus euehendus eſt Ioſeph, cui Dominus Ieſus ſui totius copiam fecit. Nimirum ille puerulum Chriſtum pluribus annis gerens, eſt etiam millies amplexatus. Quidquid gratiarum aliis Sanctis diſtribuit Chriſtus ſigillatim, illud totum in cumulum congereos, patri ſuo nutritio Dominus impertiuit. Itaque in eo Sancto totum reperire eſt quod alibi tantùm velut in fruſta digeſtum eſt.

Cant.8.

Obſtetricatur huic meo conceptui appoſitè res Medica, dum recenſet ea inſignia, quibus caput alias omnes corporis oras antecuertit: vt autem diximus, Ioſeph eſſe virum ac proinde caput Mariæ; ita etiam ei quadrant prærogatiuæ capiti à ſummis medicis attributæ. Ex hac ſchola audiendus vnus, & is Fernelius, de capite ſeu cerebro egregiam texens hiſtoriam. Nota hic obiter, nomine capitis me intelligere & cerebrum & reliqua, quæ toto capitis ambitu concluduntur. Sic Regius medicus eloquitur. *Cerebrum humanæ mentis arx & domicilium cogitationum rationiſque ſedes, motus omniſque ſenſus fons & origo, corporis ſummam partem tenet, ſurſum ſpectans, cælo proximum. Vt enim huius vniuerſitatis parens, menſque illa rectrix in cælo excelſiſſimo loco conſedit; ita decebat cerebrum noſtræ mentis arcem ſummo corpore collocari. Quoniam verò id viſcerum præſtantiſſimum, futurum erat irruentibus extrinſecus iniuriis obnoxium, naturæ prouidentiâ, vndique circumſeptum eſt oſſeo tegumento.* Hæc ille.

Fernel.lib.1. Phyſio.c.9.
Cerebri laudes & deſcriptio.

Breuis illa recenſio capitis, tria commemorat affinia valde Sancto Ioſeph, ſcilicet eminentiam, ſenſuum omnium originem, & ſingulare oſſeum contra deforis noxia quæque tegumentum. De eminentia Sancti huius aliqua præfatus ſum, vbi nobile illius ſtemma recenſui, quo regio ſanguine ſatus, Mariæ in ea naturæ dote ſuppar effectus eſt. Rurſus ille aliquod imperium exercens in Ieſum & Mariam, creaturis aliis omnibus eminebat, argumento ducto ab eo effato Themiſtoclis, qui aiebat, filium ſuum Diophanem toti Græciæ imperare: ille enim matri ſuæ imperat, eam pro arbitrio ſuo inflectens; mater autem eius me inclinat ad aſſenſum voti ſui; & ego toti Græciæ emineo: filius ergo meus pro modulo ſuo Græciam nonne moderatur? Ita plane quia ille ad cuius nutum viuitur ſuperior eſt eis qui eius nutibus obſecundant. Rimare imperium Sancti Ioſeph inductione pari. Ieſus imperij ſui præpotentis teſſeras veſtimento ſuo iouſtas Ioanni oſtendit. *Rex Regum, Dominus Dominantium.* Ille idem Ieſus ſuæ poteſtatis aſſertor indubius ait Apoſtolis. *Mihi data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et ne inane ſimulacrum poteſtatis in conſeſſu Apoſtolorum ventilaſſe videretur; vnl eorum imperij ſui pompam obiecit, vt poſtea cæteris coapoſtolis ille hic Ioannes præoſtenſum ſibi ſcriberet apparatum. Totius pompæ ſumma ſita fuit in hoc, vt quidquid in cælo præaltum exurgeret infra Deum, illud omne Chriſti pedibus apicem ſuum aduolueret. *Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum.*

S. Ioſeph cõparatio cum capite.

Ex HISTORIA.
Plutarc. in apoph.
Themiſtoclis filius infans dictus toti Græciæ imperare.

Apoc.19.
S. Ioſeph eminentia vnde peti poſſit.
Matth.18.
S. Ioſeph ſubditi Ieſus & Maria.

Apoc. 4.

Sed eſto in eam eminentiam aſſurgat Chriſtus; Matri tamen ſe ſubdidit, & ea aliquod ius exercuit in filium ſuum, eomet annuente, qui digito ſuo legem expreſſerat de ſingulari cultu parentibus exhibendo. Inde Sancti omnes Mariæ altitudinem ſpeculantes, vbi ſe volunt effundere in titulos dignitatis emeritæ, quibus exurgit præalta hæc Deipara; quaſi eos eloquentes ſtupor efficeret, protinus obmuteſcunt. Quòd ſi aliqui ſui compotes extiterunt in eo argumento laudum Mariæ decurrendo; in confeſſo eſt apud omnes, eos tantùm Virginis huius fimbrias attigiſſe. Præeat Auguſtinus in hoc Sancto choro præconũ Deiparæ. *Tanta eſt Virginis dignitas, eò quòd*

Maternitas in Maria quantæ dignitatis extiterit.

Ex SS. PATRIBVS.
Aug.l.3. de Symb.ad Catechum.

Mater

Mater Dei ſit ; vt planè excedat non ſolùm omnium hominum dignitatem , verum etiam Angelorum , cum longè præſtabilius & excellentius ſit, eſſe matrem Principis , quàm miniſtrum. Tantò enim perfectior vnaquæque res appellatur, quantò magis vnitur , & coniungitur Deo , qui eſt ſumma perfectio.

Mariæ maternitas excedit dignitatem Angelorum.

Bonau. in ſpecul. B.V.

Matre Dei maior nequit à Deo fieri.

Seraphicus Doctor ait , & equidem ſcitè, titulum hunc Matris Chriſti exhaurire omnem potentiam Dei , ſi ſpectetur in ordine ad filium tantæ Matris. *Ipſa eſt , qua maiorem Deus facere non poſſet , maiorem mundum poſſet facere Deus , maius cælum facere poſſet Deus ; maiorem Matrem quàm Matrem Dei non poſſet facere Deus. Vnde Bernardus ait : Neque decebat eum alia Mater , quàm Virgo ; neque Virginem alius filius quàm Deus : quia nec maior inter matres, nec maior inter filios naſci potuit.* Sanctus Epiphanius ſtupens hæſit , Mariæ encomia tentaturus. *O Virgo Sanctiſſima , quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti ; ſtupendum enim eſt miraculum in cœlis , mulier amicta Sole ; ſtupendum miraculum in cœlis , mulier geſtans lucem in vlnis ; ſtupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus ; ſtupendum miraculum in cœlis , mulieris filius , qui & ipſius & ſæculorum eſt pater : ſtupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis habens filium Dei , Deum ſponſum Chriſtum.*

Epiph. ſerm. de Virg.

Maria ſtupendum miraculum.

Matris Dei titulus revera ſummus non fuit in Maria voce tantum tenus , & magni nominis vmbra , ſed fidus index eius imperij , quo eam filius eius non coactus ſed vltro dignatus eſt , ſuis olim obſequiis præueniens agnitum ſibi Matris arbitrium. Hanc in parentem ſuam, magnam pietatem fuiſſe adeò altè infixam viſceribus Chriſti arbitratur Anſelmus, vt etiam nunc apud eum pia Mater neſciens repulſam impetret ſuo ſuffragio , chariſmatum dotes innumeras eis , qui eam humili obſequio demerentur. Remque arduam Anſelmus affirmat in argumentum iuris Deiparæ, ſcilicet eius clientelâ citius impertiri reis veniam , quàm ſi ad tribunal Chriſti ſupplices appellarent. Sic ille. *Velocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ , quàm inuocato nomine* IESV *vnici filij ſui , & ideo non id quidem fit , quòd ipſa maior , & potentior eo ſit : neque enim ipſe maior, & potentior eſt per eam, ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione eius, quàm in filij ſui ſæpe percipitur ? Dicam quod ſentio. Filius eius Dominus eſt , & Iudex omnium , diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus non ſtatim exaudit , profectò id iuſtè facit : inuocato autem nomine Matris , etſi merita inuocantis non merentur , vt exaudiatur ; merita tamen Matris merentur vt exaudiatur.*

Maria inuocata citius exaudit quàm Chriſtus & quare hoc

Anſelm. tract. de excell. B. Virg. c. 6.

Mariæ ſuffragia quid præſtent inuocantibus.

Quàm efficax ſit Maria , eloquitur ei addictiſſimus Abbas Claræ-vallis ; ille ſcilicet orbe toto notus , cui à bona nardo nomen. *Per te gratiam acquirimus , gloriam impetramus : per te , Maria , franguntur vincula , ſoluuntur debita , vincuntur vitia , ſolidantur confracta, recuperantur perdita , renouantur vetera , roborantur infirma , magnificantur minima , exaltantur infima , incepta promouentur, infecta perficiuntur , perfecta conſeruantur , dæmones fugantur , purgatur cor , mens refulget , animus inflammatur , liqueſcit pectus , dulceſcit guſtus, & decoratur aſpectus.* Hæc ille.

Bernard. de B. Virg.

Fortè inſtabis , in Ioſephi argumento perperam necti textus hos præfatos, qui pertinent ad Mariam. Reſpondeo appoſitè enarrari potentiam Matris , vt hinc ſponſi illius merita queant congruè propalari. Etenim dato & conceſſo, virum eſſe mulieris caput, ſponſus gaudebit etiam titulo ſponſæ ſuæ ; ita vt eâ auctâ imperio , ſponſus eius debeat eiſdem infulis inſigniri. Eo iure æuo elapſo vſus Philippus Auſtriacus , beneficio vxoris ſuæ in apicem Regni Hiſpaniarum euectus eſt : ambobus enim legitimo matrimonio iunctis ceſſit fatis Iſabella Regina Hiſpaniæ mater Ioannæ coniugis Philippi Auſtriaci Principis : ea ſublata de medio , ad filiam ſuperſtitem deuolutum eſt Regnum eius hæreditario iure, non vigente illic ea lege Salica , qua fœminis eſt regnare nefas. Annuente igitur Regno, conclamatur Regina hæc Ioanna , ac proinde illius ſponſus Philippus eodem regio titulo nuncupatur. Simili modo etſi Maria nubens Ioſepho nondum eſſet cœlitus impregnata, ac proinde Regina cœli non eſſet ; tamen ſtante coniugio vero & ſacro editus eſt IESVS , cuius partu Maria effecta eſt Domina rerum : in partem regni adſcitus eſt Ioſeph conſcius honorum indiuiduæ coniugis ſuæ. Etenim de iure Reginarum eſt , vt etiam viris ſuis titulum Regis impertiant vt eruditè probat Decius in Legem primam , Codice de edendo, &c. Quantùm ergo exurgit ille Sanctus , cui ſe vltro ſubdidere Chriſtus , & Maria ! Nonne idonea voce nominatur , quando eum appellamus caput, de cuius ratione ſicut eſt vt exurgat ; ita & partium eſt ſancti Ioſeph , dignitate ſua aliis Sanctis omnibus eminere ?

Ex Hiſtoria.

Hiſt. Hiſpa. in Philip. 1.

Regina Regi confert ius regni.

Alterum , quod ex re medica meminimus pertinere ad caput , eſt , in nulla alia plaga microcoſmi coïre ſenſus omnes. Vnum eſt caput, in quo quinque vigent ſenſus ; illic enim micantes elucent oculi , patulæ audiunt aures , apertæ nares quibuſvis peruiæ ſunt odoribus , guſtus exquiſitus eſt in cuſpide linguæ & palato , demum tactus toto capite diffuſus eſt ; cæteris verò membris vno tantùm ſenſu gaudentibus , ſcilicet tactu eis inſito vt declinare queant iniurias illatas. Illud etiam eſt priuilegium Sancti Ioſeph , vt in eum quaſi in mare magnum confluxerint omnia aliorum hominum flumina gratiarum. Quæ quia recenſere erat opus importunum , ſcriba ſacer vno iuſtitiæ nomine concluſit omnes dotes illius Sancti , dum vocauit eum iuſtum. *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus.* Sacer ille encomiaſtes ſequutus eſt ritum eorum , qui Regis alicuius titulos deſcripturi , Regem vocant; eo charactere arbitrantes , ſe omnium ditionum eius climata ſatis graphicè deſcripſiſſe. Eodem ferè ſtylo lineauit encomia Ioſephi Matthæus ; tacitas fecit virtutes eius ſingulas, de vna eius tantùm iuſtitia ſollicitus , quia omnium gratiarum facit ea virtus vnica contexturam. Quippe ex Auguſtino. *Iuſtitia ad omnes partes animæ pertinet , quia ipſa ordo , & æquitas animæ eſt.* Itaque Codex Sanctus, virtutum Sancti huius Mariæ ſponſi breuem facturus epitomen , eum iuſtum vocat , vniuſcuiuſque arbitrio linquens anatomen virtutum abditarum ſub ea, quam dicimus æquitatem.

Matth. 1.

Iuſtitia ad omnes animæ partes ſpectat.

Ex SS. Patribus.

Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. Manich.

Gerſ. ſer. de Nat. Mariæ.
S. Ioſeph virtutes, & encomia quare Scriptura fusè non meminit
Dionyſ. de cæl. hierar.
S. Ioſeph cur dicitur iuſtus adæquatè laudatur.
Iuſtum eſſe quid ſit.

Audiendus eſt in eo argumento Gerſon, ſtudio in Sanctum Ioſeph obſequio clarus. Sic ille. *Soluitur quæſtio, cur de Maria, cur de Ioſeph præconiis, dignitatibus, & excellentiis, virtutibus, operibus, & geſtis ampliora non tradidit Scriptura ſacra? nec enim mundus ipſe caperet omnes, qui ſuper his ſcribendi eſſent libros, ſed ex eo quod Ioſeph eſt vir Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus, velut ex quodam principio fœcundiſſimo, copioſiſſimo, ampliſſimo laudum ſeminario habet deuotè contemplantis animus, vnde faciliter aſſurgat ad laudes quantaſlibet Mariæ, & Ioſephi, quas in aliis creaturis etiam Angelicis conſiderat: nam habet hoc ordo Hierarchicus, ſecundùm Dionyſium, vt inferiorum virtutes ſint in ſuperioribus perfectiori modo repoſita: quemadmodum ſapientia perfectior eſt in Seraphim, quàm in Cherubim. Eſt autem Maria ſuper choros Angelorum per gratiam & gloriam ſublimata, quale de ipſo Ioſeph negare non audeo. Erunt igitur in ambobus perfectiones cæterarum creaturarum irrationabilium, & rationabilium, etiam Angelicarum, eminenti quodam modo reperibiles, & attribuibiles.*

Non ergo incongruè virum hunc Mariæ vtique iuſtum compoſui cum capite, ea ratione ductus, quòd ſicut in capite ſunt repoſiti ſenſus omnes; ita & animæ Sancti Ioſeph inſitæ ſunt virtutes omnes, quæ in aliis Sanctis diſſitæ contrahuntur. Et ſic Matthæum explicat Chryſoſtomus; vbi aduertens, Ioſephum dici iuſtum; ſic commentatur. *Iuſtum hic in omni virtute dicit eſſe perfectum; eſt enim iuſtitia generalis, quæ ex cunctis perficitur.* Fuit & eius ingenij Albertus ille Magnus, ſic fatus. *Fuit ergo Ioſeph vir per conſtantiam fidelitatis, quantùm ad iuſtitiam pertinet; & per virtutem caſtitatis, quantùm ad temperantiam; & per excellentiam diſcretionis, quantùm ad prudentiam; & per ſtrenuitatem operationis, quantùm ad fortitudinem: & ſic in ſancto Ioſeph notatur excellentia quatuor virtutum Cardinalium.*

Chryſ. ho. 4. in c. 1. Matth.

Albert. Magnus in Luc. cap. 1.
Iuſtitia concludit alias virtutes.

Videtur Apoſtolis eſſe iniuria illa ſimilitudo capitis & Ioſephi, vtpote hunc Sanctum euehens ſupra Apoſtolorum chorum Reſpondeo, non eſſe quidquam iniurium, quod fit ad amuſſim æquitatis, ac proinde æſtimationem huius Sancti ſuper Apoſtolos non eſſe illis iniquam; quia talis eſſe perhibetur ex ipſis etiam principiis ſanctiſſimæ diſciplinæ, videlicet Theologiæ, quæ conſulta, eminentiam meritorum Ioſeph diuina hæc oracula propalabunt. Audiendus eſt vnus è ſummis Theologiæ proceribus: hic erit Thomas, Angelico acumine inſignis. Sic Ille. *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij: vnde Dionyſius dicit, quòd Angeli, qui ſunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines. Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundùm diuinitatem quidem auctoritatiuè, ſecundùm verò humanitatem inſtrumentaliter; vnde & Ioan. 1. dicitur. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: beata autem Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundùm humanitatem; quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.*

EX THEOLOGIA.
S. Tho. 3. p. q. 27. art. 5.
Dion. c. 4. cæl. Hierar.
Maria quia Chriſto propior ideo ſanctior.

Hoc fundamine poſito à Sancto illo, ſuperimpono ei Mauſolæum gratiæ, cuius fabricam meditor exquiſitam, & ſic ſtabilio intentum meum. Quò quis Chriſto propior eſt, eò maiores influxus gratiæ accipit; ſed Mariâ exceptâ, Ioſeph omnibus aliis Sanctis propior extitit: ergo in eo præ aliis gratia vberiùs emicuit. Nota, me non agere hic de propinquitate cute tenus, qua Ioſeph attrectauit & oſculatus eſt puerulum IESVM; illa enim propinquitas minimè compeſcuit Iudam à crimine: propinquitatem igitur aliam inueſtigo, eam videlicet, qua quis virtute attingit Chriſtum, qui ſic attrectatus magnis virtutibus in ſuos influit attrectantes.

Exemplo ſit hæc mulier, quam memorat Lucas. *Mulier quædam erat in fluxu ſanguinis, ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari: acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Et ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis: nam & ego noui virtutem de me exiuiſſe. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo; &, quemadmodum confeſtim ſanata ſit. At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſaluam te fecit; vade in pace.* Inani reuera tactu Mulier attrectaſſet defluentem veſtem Chriſti, ſi tepentem illius fidem Chriſtus non antea ſuſcitaſſet. Sed cùm ab æterno Deus hanc mulieris animam vt ouem errantem ſtatuiſſet in ſuas adſciſcere caulas, eam permiſit profluuio ſanguinis, cui ſiſtendo medicos adhibuit fruſtra, ſuis in eos opibus erogatis. Patiens eius animus, & inopia emergens ex impenſis pharmacorum, fuere veluti prima rudimenta fidei huius fœminæ patientis fluxum ſanguinis importunum. Quippe re medica caligante, arbitrata eſt, eſſe Deum conſulendum; vbi animo eius Inſedit ille cogitatus, in præmium eius, alius deſuper illuxit radius, quo quædam in Chriſto deprehendit abditæ deïtatis lumina ſcintillare. Facta ſecurior illucente fide, venerata eſt Deum in hominis inuolucris, procidens ad pedes eius. Humilitatis autem potioris ſpecimen editura retro acceſſit, vt impos radiorum, quibus facies Chriſti Domini radiabat.

Luc. 8.

Fuit ſanè ille omnis apparatus præuius ſanitati, quæ emerſit ex contactu Chriſti, qui non fuit phyſicus tantùm, ſed moralis; mulieris ægræ anima tota effuſa in obſequium Chriſti, cuius Deïtati ſuum illa intellectum credendo antea mancipatat Quippe turbis Dominum prementibus, ille tacitus minimè quæſierat, quis tetigiſſet etſi plerique fideles eum tunc ſtiparent. Vnam voluit hanc mulierem facere omnibus notam, cuius fides intenſior extiterat in contactu, & cui ipſe Deus fecerat ſatis, ope ſuâ illico impertitâ. Ioſephi encomia quam maximè illuſtrat locuples illa hiſtoria ſœminæ, contactu Chriſti Domini ſoſpitatæ. Nempe Deus, qui huic tactui efficaci voluit tot & tanta virtutum præire præludia, vt patientiam, iacturam opum æquo animo

S. Ioſeph Chriſti amplexibus ſanctior eſt effectus.

animo habitam, & fidem; quas credis virtutes elargitum illi Sancto, quem oſculis ſuis atque amplexibus dignari voluit ab æterno? Dicam audentius, ſi vt Apoſtolos faceret idoneos miniſtros noui teſtamenti, triennio toto eos expoliuit, & demum in die Pentecoſtes Spiritu ſuo afflatos, eo alluit imbre gratiarum, quæ decuere vices miniſterij, quod obibant.

2. Cor. 3. Ideo ait Apoſtolus Eccleſiaſtes Gentium. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.* Si ergo ad Apoſtolatum tanta confluxerunt charismata: qualem putas fuiſſe affluxum gratiarum, quibus Ioſephum inſigniuit Deus, vt eum aptaret non ad miniſterium noui teſtamenti; ſed ad obſequium & tutelam Domini conditoris vtriuſque teſtamenti.

S. Ioſeph ab æterno ordinatus in nutritium Chriſti.

Si Deus peculiarem puritatis ritum exegit à priſcis ſacerdotibus, vt baiularent fœderis arcam, quæ fuit ſimplex idea Chriſti; quo candore arbitraris enituiſſe Ioſeph, qui ipſum Chriſtum tot annis gerulus amplexus eſt? Eò ſpectant teſtimonia Echij. *Sicut Maria ab æterno, præuiſa fuit in matrem filij Dei, ita & Ioſeph in nutritium, atque cuſtodem Chriſti, & Mariæ electus; & ideo conuenientibus officio donis ornatus eſt, vt de eo intelligatur illud Dauidicum: Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Quando igitur vir ſanctus Ioſeph in cuſtodem pueri Ieſu, & Virginis matris electus eſt; meritò gloriâ magnâ exornatus eſt, iuxta illud Prouerb. 27. Qui cuſtos eſt Domini ſui glorificabitur.*

Echius to. 3. ſer. de S. Ioſeph.

Quemadmodum Deus, caput inſtituens ad regimen omnium membrorum, præcipuis etiam dotibus ornauit illud; ita & idem ecceum Dominus eligens Ioſeph in caput eius familiæ, cui & voluit aſcribi filium ſuum; præuenit eum gratiis idoneis ad hoc munus ſanctiùs exequendum. Quippe Dei & hominum diſpar eſt ratio in delectu hominum, quibus eſt cura rei alicuius arduæ demandanda. Nimirum homines in miniſtris egregij facinoris, præexiſtentes aucupantur dotes, congruas officio ab eis obeundo. Vt quando Imperator Conſtantinus filium voluit imbuere ſanctioribus inſtitutis, quæſitus eſt orbe toto notus eloquentiâ ſuâ Lactantius, vt literas diſceret Criſpus, eo altero Tullio præceptore. Eodem ingenio actus Philippus ille Macedo filium ſuum Alexandrum facturus inſignem rerum omnium peritiâ, ei præfecit Ariſtotelem in Magiſtrum, qui vt naturæ genius penitiora quæque rimans, ea omnia ingenij ſui acumine pertingebat.

Magiſtri Principum qui fuerint inſignes.

Deus verò ſecus aliquem vni intentu præſtituens, non ſupponit partes idoneas illi obſequio, ſed impertit. Verbi gratiâ, ſollicitus erat Tobias ſenior de comite viæ, cuius ductu Tobias adoleſcens iret in Mediam; dixerat enim. *Perge nunc, & inquire tibi virum aliquem fidelem, qui eat tecum ſalua mercede ſua. Tunc egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. Et ignorans quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum.* Nota, Deum reuelaſſe Angelo, fel piſcis fore idoneum ad diluendam cæcitatem vetuli patris, & cor aſſum eiuſdem piſcis fore iniquum Dæmoni Aſmodæo, qui ſæuierat in ſeptem ſponſos puellulæ, quam Deus ab æterno hoic iuueni deſponſarat. Itaque eo comite inſtructus adoleſcens exenterat piſcem Dæmonem arcens, caſtos agit Hymenæos, abſtergit caliginem patris, demum omnium bonorum Angeli ſuffragio ſuſcipit incrementum. Eſto Tobias Angeli obſequio incolumis extiterit; Deo tamen debuit hanc gratiam, quia eo reuelante Angelus æquum ſe præſtiterat ei, & patri patienti deliquium oculorum.

Ex Figuris. Tob. 5.

Hinc quæſo collige eminentiam ſancti Ioſeph, quem præfecit Deus non in comitem tantùm, ſed & in patrem nutritium puerili Ieſu, qui vltro ſe ſubdidit ei, quem nomine etiam patris dignatus eſt. Si Angelum aptauit in comitem viæ vnius Tobiæ; in quos credis titulos aſſurgere eum, qui præfectus eſt in eam dignitatem, quam vendicat illud nomen patris Chriſti; ſic enim eum appellarunt Maria, & Apoſtoli. Chriſto degente in templo, Mater anxia, vbi tandem hunc reperit, ait. *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Philippus autem Apoſtolus agnito Ieſu, geſtiens ait Nathanaeli. *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph a Nazareth.* Eo nomine Patris Chriſti liquet plenitudo gratiarum, quarum influxum accepit ille Sanctus omnino alium ab eo, quo Apoſtoli dicti ſunt pleni Spiritu Sancto. Siquidem quò dignitas eſt amplior, eò etiam potior eſt influxus gratiarum, quas exigit qualitas illa ſancta. Sed Ioſephi ſtatus illuſtrior fuit eo, quo Apoſtoli conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram. Et ne nutet animus in credendo; libet huic panegyrico contextui attexere verba doctiſſimi quondam Iſolani Iubaris, ordinis Prædicatorum, quem eo nomine potiſſimum colo, quòd fuerit egregius encomiaſtes huius Sancti. Sic ille. *Sunt quatuor proprietates Apoſtolicæ dignitatis. Annuntiatio, Matthæi vltimo. Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Illuminatio, Matthæi 5. Vos eſtis lux mundi. Reconciliatio. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Marci vltimo. Et per Spiritum Sanctum locutio. Ioan. 13. Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Hæ proprietates digniſſimæ ſunt, quia ſunt immediatè à Chriſto, & ſub Chriſto, & propter Chriſtum. Proprietates verò Sancti Ioſeph fuere deſponſatio Reginæ cælorum, nominatio Patris Regis Angelorum, defenſio Meſſiæ promiſſi in lege Iudæorum, educatio Saluatoris omnium. Et hæ proprietates ſunt immediatè ſuper Chriſtum propter Chriſtum. Quiſquis ergo ingenio polles, rerum diuinarum præmiſſa veritate diſcurre, argue, conclude ab Apoſtolica comparatione maieſtatis, ad cæleſtem Ioſeph dignitatem, quanta ſit illi præſtita dignitas, ſanctitudo, ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum, & non deprimetur, aut humilior erit apud te maieſtas Apoſtolici culminis, ſed exaltabitur Deus in latentibus donis patris ſui putatiui Ioſeph. Quamobrem mens contemplationi dedita ingrediatur locum, quem calamus refugit, intelligat animus quod verba exprimere declinant, admiretur ingenium quod ſcripta non attingunt.* Hæc piè & eruditè eloquitur vir ille inſignis.

Luc. 2.

Ioan. 1.

Apoſtolicæ dignitatis quatuor ſunt proprietates.

S. Ioſeph dignitas eſſe oſtenditur ſupra Apoſtolos.

Rurſus ſi ad regendum populum ſuum, Deus

Deus Hebræorum omnium ſanctiſſimum Samuëli præoſtendit, ſcilicet Saülem, de quo ait codex ſacer. *Saül electus, & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo.* Si Saülis pietate fatiſcente, in locum eius ſuffectus eſt alter, verè Iſraelita, nomine Dauid, ſecundùm cor Dei; quali debuit puritate nitere homo ille, cui credidit Deus filium ſuum creatorem populi Hebræorum? Bernardus hoc ſpeculans ait. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum. Huc accedit, quod dicitur fuiſſe de domo David. Verè enim de domo Dauid, verè de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à patre ſuo Dauid. Prorſus, inquam, filius Dauid, non tantùm de carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione, quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit ſecundùm cor ſuum, cui tuto committeret ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum: cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit: & dedit illi non ignarum eſſe myſterij, quod nemo principum huius ſaculi nouit, cui denique datum eſt, quod multi Reges & Prophetæ, cum vellent videre, non viderunt; audire, & non audierunt; non ſolùm videre, & audire, ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & nutrire, & cuſtodire.* Hæc Bernardus.

1. Reg. 9.

S. Ioſeph laudes ex Bernardo.

Ea hoc apice honoris, ad quem euectus eſt ille Sanctus ſupra Apoſtolos, nullum faceſſit negotium illatio gratiæ, qua etiam Sanctis omnibus eminuit ille Ioſeph, qui vt Chriſto propior, ſcilicet admiſſus ad oſcula chariora etiam ex ore Dei delibauit pignora ſanctitatis. In argumentum amoris præcipui, quo Ioſeph in Deum efferbuit, illud eſt annotandum; ſcilicet, illud idem fuiſſe fomitem amoris Ioſepho, quod coniuges etiam ſanctiſſimos abſtrahit a diuinis. Namque amor prolis quandoque nimius, iniurius eſt charitati, quæ alterius amoris impatiens totum cor noſtrum vult Deo Domino mancipari. At plerumque incauti parentes adeò in filios imprudenter inclinant, vt licet Deum ament; ita tamen prolem ſuam depereunt amore tenero, vt Deum lædant hoc corde ſuo bipartito. Procul à Ioſepho fuit tale periculum, dum amore in puerulum Ieſum feruidus æſtuauit: quippe amor ille nihil niſi ſanctum & ſuaue ſpirans, nullos paſſus eſt næuos; ſed ſecum gratiarum omnium agmen vehens, eo Ioſephum illuſtrauit. Longè abfuit Ioſeph ab eo diſcrimine quod incurrit Heli Pontifex Hebræorum, qui licet innoxius; nimia tamen indulgentia in filios ſuos periit: cæco amore prolis, puerorum delicto conniuente. Sed ſecus hic Sanctus ſingulis quibuſque actis à Domino Ieſu applaudens, gratiæ incrementum ſingulare ſibi fœnerator ſedulus adſciſcebat. Adiice, quemque ſuis etiam magis rebus affici quàm alienis: atqui Ieſum vt aliquali modo ſuum ſciebat eſſe Ioſeph, & inde nouum habuit amoris in Deum argumentum: quòd ſcilicet is, qui omnium Pater eſt & Dominus, Patrem & Dominum in terris dignatus ſit accipere ipſum Ioſeph.

S. Ioſeph in amãdo puero Ieſu non exceſſus amoris periculũ incurrit.

Amor filiorũ quandoque eſt noxius, vt in Heli patet

Ioſepho militat Ius omne Cæſareum, quo vindice Ioſephus ſuum eſſe puerulum Ieſum potuit affirmare: ſic fatur Imperator. *Si quis in alieno ſolo, ſua materia domum ædificauerit, illius fit domus, cuius eſt ſolum. Sed hoc caſu materia dominus proprietatem eius amittit, quia voluntate eius intelligitur alienata, vtique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare.* Nemo inficiatur, Mariam fuiſſe coniugem Ioſeph, Angelo etiam ipſomet aſſertore, vti enarrat ſacer textus. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ergo Ieſus in eo veluti ſolo Ioſeph à Deo patre ſatus, cedet in ius Ioſeph, qui eo dominio gaudens poterit puerulum illum Ieſum vt rem ſuam ſibi vendicare. Idem Imperator ait, quoſdam cenſuiſſe, pictorem, qui in aliena tabula egregium aliquod opus edidiſſet, picturæ ſuæ iacturam facere, & eam eſſe eius ad quem tabulæ pertinebant. Pater æternus filium ſuum ad imaginem ſuam ab æterno genitum, voluit etiam hominum habitu lineare in Virgine; ea autem tabula ad Ioſephum pertinuit: ergo humanitas ſacra rubens virgineo ſanguine coniugis huius Sancti, declinare nequit aliquale dominium Sancti Ioſeph, cui reuera ſe ſubdidit ille, per quem Reges regnant, & Principes imperant. Quid autem fœnoris acceſſerit ad cumulum gratiarum, quibus antea Sanctus ille adeò locuples erat, vt eo nomine meruerit de congruo Virgini Deiparæ deſponſari; audi ex eodem Iure Ciuili, auaritiam fiſci iniurij compeſcente.

Ex Iure Ciuili. Inſtit. de rerum diuiſione L. Cum in ſuo ſolo.

Ante tempora Imperatorum Leonis, & Zenonis, ij omnes, in quorum ſolo reperta fuerant aliqua monilia, aut vis ingens auri, nullum ius habebant in theſaurum illum, niſi annuente fiſco, fruſtra reclamante Lege de rerum diuiſione, qua ſoli dominus, erat & dominus eorum omnium, quæ in eodem aut ex eodem ſolo emergebant. Præfati Imperatores, ituri obuiam incommodis, quibus erant obnoxij domini prædiorum, penes quæ theſauri erant reconditi, ſic cauerunt. *Nemo in poſterum ſuper requirendo in ſuo vel alieno loco theſauro, vel ſuper inuento ab alio, vel à ſe, effuſis precibus pietatis noſtræ benignas aures audeat moleſtare. Nam in ſuis quidem locis vnicuique, dummodo ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odioſa theſaurum, id eſt, condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore monilia quærere, & inuentis vti, liberam tribuimus facultatem, ne vlterius Dei beneficium, inuidioſa calumnia perſequatur.* Ea lege inexhauſtæ cæli gazæ fuere in poteſtate Ioſeph; quia inuenta eſt Maria coniux eius fœta puerulo Ieſu, in quo ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei: atque adeò Ioſeph illius terræ benedictæ dominus, ius habuit in monilia illic pretioſa recondita. Non eſt ergo quòd mens refugiat aſſentiri, Ioſeph eminere ipſis Apoſtolis, cùm nobiliori planè modo ſe habuerit ille in Dominum Ieſum, quàm Apoſtoli omnes, vt liquet ex qualitate patris putatiui, & ſponſi Deiparæ.

Theſaurus inuentus cuiuſnam ſit.

Leg. Nemo in poſterum. Cod. de Theſauris.

Domus eius eſt, cuius & ſolum.

Ioſephus in eum apicem euectus patitur aliquot inſtantias, quæ inclinant faſtigium eius infra Apoſtolicum culmen. Primò concordi omnium Patrum ſuffragio de Apoſtolis vſurpatur ille verſus. *Conſtitues eos Principes ſuper*

Pſal. 44.

S. Ioſeph quomodo princeps extiterit.

per omnem terram. Ergo loſra eos erit Ioſeph. Reſpondeo, Ioſeph non Principem tantùm extitiſſe, ſed bifariam eo titulo præire Apoſtolis. Primò, ratione ortus ſui è Regali proſapia. Secundò, quia ei ſe ſubdidit ille, qui conſtituit Apoſtolos principes ſuper omnem terram; Deo Patre illi communicante nomen Patris Filij Dei, quod nulli Angelorum conceſſum eſt. Rurſus, plenitudo gratiæ data eſt Apoſtolis, vt obiiciunt illi, qui Ioſephum volunt è ſuo faſtigio detrahere; ergo nemo eis poteſt ſub Virgine Deipara ſuperior aſſignari. Quantus autem fuerit gratiæ affluxus, quo fuere Apoſtoli inſignes, Paulus eloquitur. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes.* Et alibi. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* Reſpondeo, vtrobique fuiſſe plenitudinem gratiæ, & in Ioſepho, & in Apoſtolis.

Rom. 8.
Epheſ. 1.

Ex Theologia.
S. Tho. 3. p. q. 7. art. 10.

Sed audienda eſt Theologia, vt ea prælucente videamus quomodo hæ omnes gratiæ diſpenſẽtur. Sic diſcurrit ea omnium aliarum princeps diſciplina. Bipartita eſt gratiæ conſideratio in ratione plenitudinis. Nimirum vna eſt plenitudo gratiæ, quæ penes ipſam gratiam attenditur, & eſt ea, qua aliquis pertingit ad ſummum gratiæ, & quantùm ad eſſentiam, & quãtùm ad virtutem eius; quia eâ gaudet gratiâ in ea tota extenſione, ad quam ſe porrigere poteſt gratia. Huius plenitudinis gratiæ vno Christo excepto, omnes omnino Angeli & homines impotes extiterunt. Alia eſt plenitudo, quæ non eſt gratiæ, ſed perſonæ, in quam influit gratia, qua plenam dicimus aliquam animam; dici tamen poteſt plenitudo gratiæ, quia gratia ipſa replet, etſi ea tota ſua latitudine non vigeat, qua pollere poteſt. Iſta plenitudo variat, variantibus & perſonis, quæ dicuntur plenæ gratiâ quando eis adeſt gratia congrua ſorti, quam obeunt. Ea ratione dicti ſunt Apoſtoli pleni gratiâ, quia fidei propagandæ ſortiti vices, Deo vſi ſunt adeò propitio, vt comite vberiori gratiâ, officio ſuo minimè defuerint.

Gratiæ plenitudo poteſt duobus modis conſiderari.

Vt ergo inferamus, quæ fuerit nobilior plenitudo gratiæ, an Ioſephi, aut aliorum cuiuſvis ordinis beatorum; attendenda eſt vaſis cuiuſque capacitas, vt ea occupata prodat quantùm ſe plus vel minus gratia infuderit. Præuio vtendum eſt lumine, ne caligemus in hac indagine. Præmitto, omnes creaturas rationales, vt inferiores Christo, eſſe tantò nobiliores, quantò illuſtriori miniſterio pollent; aliud autem eſt miniſterium in ordine ad gratiam gratum facientem, & aliud in ordine ad vnionem hypoſtaticam. Apoſtoli omnes adſciti ſunt ad ſummum illud miniſterium ſpectans gratiam; quippe eis cura demandata eſt orbis vniuerſi, vt eorum obſequio fides propagata Gentes efficeret gratiæ Dei conſcias vſquequaque. Illud munus omnia Spiritus Sancti charismata, vtpote idonea ad docendum & animos inflectendum ad fidei aſſenſum ſibi præuia vendicauit. Sed eſto hi ſanctiſſimi Christi aſſeſſores, eò honoris euecti ſint, ratione nobilis ſui huius miniſterij; tamen eminet eis Sanctus Ioſeph, vtpote ſanctiori obſequio addictus. Etenim res eſt illuſtrior habere curam eius à quo effluxit gratia, quam eidem gratiæ ampliandæ totis viribus inſudare.

S. Ioſeph ad Chriſtũ quomodo fuit ordinatus.

Licet Maria ſola de ſuo penu ſuppeditarit fermentum, ex quo coaluit corpus Christi, vnione hypoſtatica conſecratum; ac proinde primas obtineat in eo genere miniſterij: ipſe etiam Ioſeph ordinatus eſt ad ſuas & vices obeundas, in hoc genere pertinentes ad vnionem ſeu ad gratiam vnionis, quæ eſt eſſe perſonale, quod à Deo datur gratis humanæ naturæ in perſona Verbi, & eſt terminus aſſumptionis eius, vt eruditè ait Angelicus Doctor. Etenim cùm nollet Deus homini vniri, niſi homo ille conciperetur à virgine deſponſata, & vnus Ioſeph electus ſit in hunc ſponſum; reuera vnioni hypoſtaticæ exhibuit famulatum eum omnem quem potuit, & ratione cuius ſupra omnem Apoſtolorum apicem euectus eſt. Et huius ſententiæ aſſerentis merita S. Ioſeph. Suarez vir vtique doctiſſimus, ſtrenuum ſe propugnatorem præſtitit, nec rem Apoſtolis credidit iniuriam, probare, Sanctum Ioſeph eſſe ſuperiorem eis, & omnibus aliis vſquequaque beatis, quantumvis infra Mariam emineant.

S. Thom. 3. p. qu. 66.

Suar. to. 3. in 3. p. q. 29. art. 1. & 2. diſp. 8. ſec. 2.

Quòd ſi quis vrgeat, Apoſtolos ab aliis Sanctis prædicari, vti præeuntes toti beatorum choro ſub Christo & Maria. Suarez ait, ſeponi ab ea comparatione Sanctum Ioſeph, imò eſſe illud intentum Dei, cui ſanè videtur adſtipulari lex ab Imperatoribus Seuero & Antonino lata, ſic decernens. *Alumnos tuos & cæteras res, quas neminem credibile eſt pignori ſpecialiter daturum fuiſſe generali pacti conuentione, quæ de bonis tuis facta eſt, in cauſa pignoris non fuiſſe rationis eſt.* Gloſſa de ſuo penu hoc ſcholium adiicit: *Alumnos ſcilicet, qui te aluerunt.* Itaque fas eſt arbitrari, Deum in Codice ſacro, ſi quando commemorat gratiam affatim Sanctis aliis impertitam, non tamen aliquem euehere ſupra eum Sanctum, quem ab æterno elegit in ſuum nutritium, penes hunc deponens curam infantiæ eius humanitatis, quam aſſumpſit, & cuius teneræ decurrens æuum, omnes abſoluit numeros pietatis exhibendæ patri, ſpecimen edens inſigne, & poſteris imitandum. Quippe, vt præfatus eſt Lucas, *Erat ſubditus illis* Puerulus ille Ieſus, rerum omnium Apex & opifex obediuit iſti Sancto, quaſi imperij ſui inſulas exueret, vt his Ioſephum amplius inſigniret.

Ex Ivre Civili.
Lege. 1. Cod. Quæ res pig. Filij non cadunt ſub pignus.

Ex Historia.
Hiſt. Gall. in Ludou. Pio.

Locuples eſt & celebris mentio apud Hiſtoricos Ludouici Pij Regis Galli. Is patre ſuo Carolo Magno Imperatore decumbente, & grandæuo, nihil penè vſurpauit, quo præcox imperium ambire videretur. Imò renuit adire patrẽ ſuum, licet ægrum, ne ſuſpicionem faceret optati imperij. Christus ſuperſtite Sancto Ioſeph nullas planè notas edidit imperantis Domini; ſed ſecus humili habitu ſe ſemper filium præſtitit obſequentem. Fauet illa obſeruatio Sanctorum Hieronymi, Bonauenturæ, & Bernardini, Sanctum Ioſeph occidiſſe ante nuptias in Cana Galilææ, vbi primum editum eſt miraculum clamans Deïtatem Christi: ceſſiſſe autem fatis Ioſeph ante illud miraculum, liquet ex contextu, qui memorat inuitatos; nulla tamen mentione facta Sancti huius, cuius præſentiam Ioannes ſcriba ſacer minimè tacuiſſet. Sic ille. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ; & erat mater Ieſu ibi; vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.*

Hier. l. cont. Heluid.
Bona. de vita Chriſt. c. 17.
Bern. l. ſerm. ſer. de S. Ioſ.
Ioan. 2.

S. Ioſeph titulo paternitatis à Chriſto fuit honoratus.

Diceres, Christum in Ioſepho patre ſuo putatiuo

tutiſuo reueritum Inſignem titulum eius à quo eſt omnis paternitas, & eo patre ſuo nutritio ſuperſtite, gloriam ſuam abdidiſſe, ne ipſi Ioſepho eminere videretur, & conſultò ſe non exhibuiſſe legiferum Euangelij, niſi ſublato è medio eo Sancto, coi ipſe legifer Chriſtus vltro morem geſſerat Itaqoe, ô Cicero, apage Flaminium tuum Tribunom plebis, cuius pirtas in patrem, ſua teperit encomia, eò qoòd Flaminius pro toſtria legem agrariam editurus, viſo patre ſuo, illico deſcenderit ex ſoggeſtu, ne etiā latæ legi videretur inuoluere & patrem ſuum. Non eſt hic filius reuera pius cum Chriſto Domino componendus, qui nullo natoræ vinculo adeò arctè obſtrictus eſt Ioſepho ſicuti Flaminius patri ſuo; & tamen abſtinuit à legibus eo patre ſuo nutritio ſoſpite promulgandis. Meritò ſanè laudādus & ille adoleſcens, quem ſatis ſuperque commendat biſtoria commemorans eius pietatem, qua renuit titulos omnes, quibus ſe abdicans pater, eum volebat exornare. Filius hic qoaſi ſui incuriur vt nō eſſet iniorius patri ſoo ait: Abſit vt ego emineam viuo patre meo: Regnet & viuat pater, idqoe non anxiè. Meom regnare eſt obedire patri. Idipsū & præſtitit Ieſus, degente in bumanis Sācto Ioſepb. Tacitus aiebat ille: Meum regnare, eſt ſubdi patri meo nutritio. Eo incolumi non me prodam Thaumatorgum, mirabilium operum patratotem, totum dominiū volo eſſe penes hunc parentem.

Cicer. l. 2. de inuen.

Flaminij generentia erga patrem quanta fuit.

I. Ioſepho Chriſtus ſubditus egregiè deſcribitur à Bernardo.

Bern. ho. inf. oct. Epiph.

Bernardus ſimile quidpiam affingit Chriſto, dum ſic ſcribir. *Deſcendit cum eis & eſt ſubditus illis. Securè aſcendit cum tali nutritio, & cum tali matre deſcendit feliciter. Deſcendit qui ſpiritu Dei actus, charitatem inferioribus oſtendit. Deſcendam libens cum bis ducibus in Ægyptum: ſi tamen ducunt reluctantem, ſi cogunt deſcendere, & recouſcendere faciunt. Libenter ſubdar, libens ſupponam humeres oneri: quod impoſuerint; libens ſuſcipiam iugum, cui me ſubdunt; ſciens quia iugum eorum ſuaue eſt, & onus eorum leue.* Non eſt ergo quòd animus nutet, eum audir Ioſephi Encomiaſten affirmantem, Sanctum hone aſſurgere ſupra editum Apoſtolorum chorum, cùm nomenclatuta patris Cbriſti potior ſit titolo diſcipuli; imò tanta, vt, quia eminet creatis quiboſqoe rebus, ſic exclamet Iſolanus. *O Deus immortalis! cui ſimilem faciam Ioſephum putatiuum patrem, niſi tibi Chriſto Domino, ac Virgini tua matri?* Nec illud elogium ſapit blaſphemiam: nam ſi bomo factus ad imaginem Dei aliquali ſimilitudine Deum eefert, quatenus effectus eſt rationis compor; quidni & liceat Iſolano nuncupare Ioſeph ſimilem Deo & Virgini, cùm dignitas eius, Patris æterni velut æmula ſit, eodem titulo patris gaudens! Ee eſto ſobriè dicendus ſit ille Sanctus pater Cbriſti; non eſt ideo fruſtrandus encomiis, quæ depoſcit ille ſtatus, infra quem eſt alius omnis ſob Virgine Deipara inſignis.

S. Ioſeph dictus eſſe ſimilis Chriſto & Mariç.

Iſolan. 4. p. cap. 5

S. Ioſeph poteſtas egregio ſymbolo lineata.

Eamobrem Ioſepho placet attexere ſymbolum inſigne, quo vſus eſt Pompeius ille magnus, qui annulu ſoo inſculpſit leonem, gladium exertum præferentem, cui & titulus iſte legitur appoſitus. Calsa potestatis specias. Voluit eâ ambitiorâ teſserâ innuere Pompeiur, idem habere imperium in homines, quo & geſtit leo inter animalia etiam præſtantiſſima. Ioſeph de tribu Iuda fatus, eodem & ſtemmate vſus eſt, quo & tota tribus, cui Leo inditus eſt pro gentilitia parma, ad quem leonem alluſit & Iacob, in ſupremo agone ſic compellans Iudam. *Catulus leonis Iuda.* Et in Apocalypſi Chriſtus ea tribo progenitus, leonis nomine cenſetur. *Vicit leo de tribu Iuda.* Non inſulsè leoni ſuo Ioſepb enſem adiiciet, in gratiam tutelæ, quam obiit pueruli Ieſu, eum vindicans ab iniuriis, quas ei Herodes impius intentabat: atque ita ſymbolum, quod in Pompeio faſtum ſapir, erit veridicum, ſi Ioſepbo congruè conſecretur. Qoippe poteſtas eius eſt. Celsa potestatia specias, & alia planè ab eâ, qua vnua Ioſue inſignis eſſe perbibetur, vt qui eemoratus ſit Solis eitatiſſimos gyros hactenus inconctantes; ipſomet Deo annuente votis vnius bominis, quaſi cœlo imperantis, vti colligere eſt ex textu referente facinus inaſpectum. *Tunc loquutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit Amorrhaum in conſpectu filiorum Iſraël; dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis: Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci vnius hominis.* Non eo inficias, rem hanc eſſe illuſtrem, vtpote quæ ſoperet hominum vires, quibus inuia ſunt ſidera. Inde illoſtrior emicat & Ioſephus, qui triginta annos agens cum Domino, iuge imperium exercuit in bunc Solis & rerum omnium opificem, qui ſæpe ſæpius ſtetit ad arbitrium Sancti Ioſepb; reuera *Obediente Domino voci vnius hominis*, coios imperium graphicè effingitur ſymbolo prælibato. Calsa potestatis apecies.

Ex Svmbolia.

Ferr. p. 2. ſui Theatri.

Geneſ. 49.

Apocal. 5.

Ioſue 10.

S. Ioſeph Deus obediuit.

Iſta omnis contextura laudum Sancti Ioſeph, nequaquam eſt citra myſterium, nec à ſalutari morum inſtitutione vacat. Etenim ſi omnia in Codice ſacro vocalia ſunt in ordine ad mores, vt ad amoſſim virtutis illi dirigantur; res eſt in confeſſo apud omnes, ea maximè myſteria, quæ pertinent ad perſonam Cbriſti, aut verſantur circa humanitatem eius, ſapere quid morale, non equidem vernaculum, ſed præcipuum. Eamobrem cùm tot & tantis gratiis veluti præludiis, ad Mariæ coniugium fuerit accinctua Sanctus Ioſeph; quærendum eſt ſedula indagine, quid ſonet omnis ille apparatus, vt hinc dogmate aliquo accepto, anima noſtra ſanctitatis capiat incrementum. In eo quippe ſalutis noſtræ vertitur cardo, ſcilicet vt Sanctorum panegyres ſint & nobis parænefes ad virtotem.

Expeditæ hoius ſectionis encomia decurrunt nobilitatem eius, atque iuſtitiam, qoibus præeuntibos Mariæ addictus eſt ille Sanctus in cuſtodem & coniugem illibatum. Maria namque dedignatur animas ignobiles, & vitiorum illuuie conſpurcatas. Ita ſanè Deipara edita Regibus, depoſcit etiam animos regios, aut ſaltem nobiles: in quo autem ſita ſit ea nobilitas, non audio Ius Ciuile, quo cenſentur ij nobiles, qui patre ſati ſunt nobili, etſi mater ſit plebeia: probarem magis effatum Baldi Iuriſperiti, qui claris natalibus adiicit & virtutem, vt ſi nobilitas illuſtrior Sed quia nobilitas hæc non ſit iuris noſtri; eam non depoſcit Virgo Deipara in ſuis clientibus, quos

Nobilitas ex parte patris accenditur.

Ex Ivre Civili.

Lege Mulieres C. de Dig. Bald. in leg. nobiliores. C. de commercii.

haberet

haberet ratos, ſi ſine proſapia inſigni proauorum eſſet virtus ingloria. Maria ipſa non ideo illuſtris, quia Regibus edita; ſed quia vitiis inuia, neſcit næuos, & tales hæc famulos ſibi nunc depoſcit.

Ex SS. Patribus.
Hier. ep. ad Demetriad.
Idem. epi. ad Celantiam.

Nempe ea eminens Regina rerum, ſtemma animarum ponit in virtute, vt & fecere Sancti omnes, in quibus ſicait Hieronymus. *Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integrã nobilitatem ſuam ſe ſeruare putet, ſi dedignetur ſeruire vitiis ab iiſque non ſuperari.* Idem vt deprimeret faſtum, qui exurgit in ſobole claris orta parentibus, cuiuſdam nobilis præaltos inclinans animos ad virtutis obſequium, ſic monuit. *Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores quoque humiliore loco natos inferiores putes: neſcit religio noſtra perſonas accipere, neque conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum; ſeruum & nobilem de moribus pronunciat, ſola apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus*, Huius Sancti ingenium ebiberat ille, qui nobilem fœminam laudat, quia velut inſcia ortus ſui præpotentis, humili habitu ſedulam virtuti operam dabat. Ille eſt Bernardus, *Non multos nobiles, ſed ignobilia mundi elegit Deus. Prouidè benedicta tu in nobilibus, quæ pro gloria certantibus cæteris, de contemptu gloriæ glorioſius ſublimaris, & ſublimius gloriaris. Inſignior planè atque illuſtrior, quod de paucis facta es, quàm quod orta de magnis. Illud namque Dei munere tuum eſt, hoc tuorum. Porrò quod tuum eſt, tantò carius eſt, quanto rarius.*

Nobilitas vera caret vitiis.
Nobilitas non faciat ſuperbos.
Bern. ep. 113.
Nobilitas contempta Christi cauſâ facit nobiliores.

Humilitas ſuos cultores extollit.
Luc. 14.

Sed eſto ſingulæ quæque virtutes, ſuis nobilibus gaudeant infulis; dicere auſim, humiles præire aliis, iuxta illud Chriſti. *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* Etenim humilitas eſt diploma regium, quo aſſeritur nobilitas aliarum omnium virtutum. Ideo Bernardus in ea multus eſt, vt ſingulis quibuſque hominum animis inſeratur, vtpote qua vna duntaxat ſuperis adſcribemur. Sic ille. *Quantò humilior fueris, tantò te maior ſequetur gloria altitudo. Deſcende vt aſcendas, humiliare vt exalteris, ne exaltata humilieris; quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. De excelſo grauior caſus eſt. De alto maior ruina eſt. Humilitas caſum neſcit, humilitas caſum non nouit, humilitas ruinam nunquam incurrit, humilitas lapſum nunquam paſſa eſt. O ſponſa Chriſti agnoſce, quia Deus humilis venit. Agnoſce, quia ſe in forma ſerui humiliauit, factus obediens vſque ad mortem. Eſto vilis, eſto deſpecta, eſto abiecta, diſplice tibi; qui enim ſibi vilis eſt, ante Deum magnus eſt; qui ſibi diſplicet, Deo placet. Chariſſima eſto paruula in oculis tuis, vt ſis magna in oculis Dei. Tanto aris ante oculos Dei pretioſior, quantò fueris ante oculos tuos deſpectior.* Hæc Bernardus.

Bern. lib. de modo benè viu. ſer. 39.
Humilitatis elegans commendatio.

Humilitas Chriſtiana excelſior nobilitate ſæculi.

In ea Chriſti Domini ſanctiore diſciplina, Virgo Agatha erudita, oblita ſe nobilem, hoc vnum meminit, & in eo gloriata eſt, ſe eſſe ancillam Chriſti, cuius humile obſequium pluris fecit, quàm titulos omnes eoſque inſignes acceptos ab illuſtri ſua parentela, vt legere eſt in recenſione actorum eius, quæ quotannis recolit Eccleſia, commemorans agonem huius virginis Heroinæ, quæ irrita fecit omnia conamina. Quintiani Prætoris Siciliæ, debacchantis in humile inſtitutum vitæ Chriſtianæ. Sic enim ille inſultabat. *Nonne te pudet nobili genere natam, humilem & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? Cui Agatha: Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas, & ſeruitus, regum opibus, & ſuperbia.* Et tantum abeſt, vt hæc humilitas animos deprimat ad ima, & ingloria facinora, quinimò potius ſtimulat ad aſcenſum, vrgens animos humiles ad ſuperna. Et reuera arbitror, eò reſpexiſſe Chriſtum, quando aſſeruit humiles exaltandos, & ſuperbos ſecus deorſum agendos in præceps. Etenim ſic expendo locum iſtum. Vnicuique hominum inſita ſunt quædam ſemina ad gloriam aucupandam; quippe nemo eſt vſquequaque gloriæ incurius. Ille ergo, qui ſæculi pompam nihili fecerit, omnem eius gloriolam aſpernatus, proculdubiò aſſurget ad alias infulas, maioriſque momenti gloriam venabitur; eam ſcilicet quæ à Deo eſt, & qua ſola beari poteſt homo. Cùm enim cor hominis ſpiritu ſibi ingenito gloriam ambiat, nec vacare poſſit ab ambitu; ſi nihili facit & refugit infera quæque, quæ emicant, neceſſe eſt, vt homo rerum ſuperarum compos veluti effectus, ad gloriam cœlitum enitatur.

Acta Mart. S. Agath. in Brev. Rom.

Nobilitatem Chriſti cauſâ contemnere nobiliſſimũ eſſe oſtenditur.

Tom. I.

In eo ſenſu ex hoc ſæculo, ſententia Chriſti fidem habet, quia flocci pendens æui huius inanem gloriam cenſetur humilis, & inde altiora petit, nempe cœleſtia, quia veluti vilia crepundia deſpicit gloriolam mundi. Et in eo exaltatur, quia noluit exaltari: ſicut ex aduerſo ille humiliatur qui ſuperbit, eò quòd incurius gloriæ æternæ ille ſe deprimit ad minima. Et ſic homo hallucinans, dum ſuperbit, credit ſe erigi, quando à cœlis ſuo typho deuius inclinatur. Huiuſmodi inanis gloriolæ mancipia Virgo Deipara dedignatur, vtpote aſpernans vilia hæc capita, quæ nihil ſanctum & ſublime ſapiunt. Illis tantùm ea eſt propitia, qui ſequuntur indolem Ioſeph, qui ſtemmate virtutum nobilior extitit quàm parentum, atque adeò Mariæ gratior virtutis & gratiarum proſapiâ, quàm titulis Regum, quos in procerum numero recenſebat. Itaque hoc vnum altè tibi inſideat, ô homo Virgini addicte, in aula Regia Deiparæ neminem cenſeri nobilem, aut coronâ dignum, ſi eum alicuius vitij fœda illuuies fecerit ignobilem.

Ex Historia.
Andr. du Cheſ. in hiſt. Angl. ſub an. 1300.
Corona ſtare nequit cum ſeruitute.

Appoſitè ad hoc thema occurrit locuples hiſtoria ex Angliæ abditis monumentis. Vt rerum bellicarum ſors alternat, varij etiam ſunt euentus belli, quibus etiam obnoxij Reges, ancipiti rerum fato ſubſunt. Eam iniquam expertus eſt ſortem Rex Scotiæ Ioannes Balliol, iure belli deueniens in poteſtatem Edoardi I. Regis Angli, eius æmuli præpotentis. Rex Scotus ergaſtulo addictus, diadema ſuum abdidit; ſed Anglus cautè ſuſpicatus Regem illum, fortunæ aduerſæ ludibrium, coronam ſuam texiſſe veſtium inuolucris, aperit veſtem, & diadema opertum inquirit; eo reperto ait Regi Scoto: O Rex, hoc inſigne dedecet hominem factum alieni iuris; corona ſeruitutis impatiens, eſt teſſera libertatis. Eamobrem te corona indignum arbitramur, vtpote addictum noſtro arbitrio. Eo ſcommate Maria animaduertit in omnes homines aliquo ſibi virtutis emeritæ titulo blandientes. Verbigratiâ, aliquis caſtitate aliis præeminet, ac proinde ſua laurea non eſt defraudandus; hoc diademate conſpicuus ingeret ſe in Mariæ obtutus, quia illa gaudet obſequio hominum coronis inſigniũ; ſed ſi caſtitas patiatur vitij alicuius vile conſortiũ, erit illa prorſus ingloria. Si homo caſtus ideo aſſurgat in gloriã, ſi odio concepto ſæpius indormiit: ſi malè partis opibus inſtaure-

Rex Scotiæ captus, in bello coronâ ſpoliatur.

Maria quorum Roſaria & Coronas auerſetur.

tint loculi eius; tunc multiplici tegmine inuolutum eſt diadema caſtitatis, quo vt abdito geſtire nequit homo aliunde reprobus; Maria exprobrante, coronas non decere eos, qui vitiis ſeſe ingloriè totos ex animo manciparunt. Ita ſanè Maria auerſatur obſequia, ſcilicet Coronas ſiue Roſaria eorum, qui vt vilia mancipia deuenerunt in manus Dæmonum atque vitiorum. Etenim nulla eſt turpior ſeruitus, quam quæ voluntaria. Itaque ſeriò perpendenda eſt ſors, qua viuimus, vt ſi ſit ea ignobilis, confeſſione præuia reddamur priſtinæ libertati.

Ex SS. PATRIBVS.

Eccleſ. 1. — *Bonau. in ſpec. Vir. c. 7.* — *Maria mare, in quod gratiæ omnes SS. refluxerunt.* — *Chryſolog. ſerm. 146.* — *Maria eſt vt congregationes aquarũ.* — *Damian. ſer. de Aſſumpt.*

Fauet & intento, Mariæ nomen, quod ab Hebræis deductum idem ſonat ac mare; ea ſiquidem eſt mare vtique gratiarum: vt enim ille alueus, qui omnes concludit aquas, dicitur mare; ita & illa perſona, quæ ſub Chriſto dignata eſt plenitudine ampliori gratiarum, Maria nuncupatur, vti & Sancti antea prælibarunt, in quibus Bonauentura expendens locum iſtum. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Sic ille Sanctus Virgini Matri addictiſſimus, Deiparæ affingit illum textum. *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam; vnde ipſa optimè dicere poteſt illud Eccleſiaſtici 24. In me omnis gratia viæ, & veritatis, & in me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Quid mirum, ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim beatus Auguſtinus. Gratiâ es plena, Maria, quam apud Dominum inueniſti, & hanc per totum mundum effundere meruiſti: fuit enim in plenitudine Sanctorum detentio Virginis.* Hæc Bonauentura, cui alius præierat Sanctus, ab aureo ſtylo ſuo Chryſologus, ita fatus. *Congregationes aquarum appellauit Maria. Maria, nomen hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc collegium ſanctitatis.* Aduocari poteſt & Damianus. *Vniuerſus orbis pigmentarius in Virgine proiectus eſt, quando in ea virtutum connentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit.*

Mariæ cum mari elegans comparatio.

Sed inquies: Quorſum iſta Mariæ cum mari relatio? vbi fas eſt aſſerere, Mariam dedignari omne id, quod eſt inglorium, atque ignobile. Genuina planè eſt ea comparatio maris & Mariæ in propoſito argumento. Quemadmodum enim mare horret corpora inanima, vt videre eſt in ora maris, vbi iacent cadauera lurida velut euomita à mari; ita & Maria non ſuſtinet putidas animas gratiæ expertes; has euomit, & abigit procul, vtpote ignobiles, quaſi Diabolo patre ſatas, iuxta illud Chriſti in reprobos Scribas atque Phariſæos inuehentis. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* At ex Iure Ciuili filius editus patre ignobili & matre nobili ſequitur conditionem patris; ergo etſi natura humana nobilis extiterit baptiſmo illuſtrata, Chriſtianus adultus diabolo adhærens parturiet actus ignobiles Mariæ exoſos, quorum indoles ignobilis nos arcebit ab acceſſu ad Mariam, gratiarum omnium pelagus inexhauſtum. Hoc igitur eſto ratum, vilia capita, ſeu vitiorum vernas, & Mariam non coire, ac proinde oportere eſſe illuſtres Mariæ candidatos. Nimirum vti nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo, & Mammonæ; ita & perperam quis cogitat vno eodemque tenore, vitiis, & Mariæ ſuum pendere famulatum: etenim ſeruitus, & libertas non coëunt. Si quos igitur ſancta Mariæ cupido tenet, ſuas omnes curas eò dirigant, vt non cadant ea libertate, quam depoſcit omnibus proficua Deiparæ clientela.

Ioan. 8.

EX HISTORIA.

Dauidis Ducis Venetorũ deſperatio, ne duceretur in triũphum.

Vtinam multos ſuæ indolis æmulos haberet Andreas Dandulus, olim præfectus impiger Venetæ claſſis. Ille iniquo Marte congreſſus cum Lamba ſtrenuo Duce Genuenſium, ceſſit in ius hoſtis acerrimi, qui vt Dandulo inſultaret, & ampliori litaret gloriæ, eum incolumem triumpho reſeruauit. Venetus iniuriæ ſibi ſeruitutis impatiens, noluit inſtar ſuppedanei hoſtem ſuum in ſolium euehere; ideoque viam iniit expediendi ſeſe à vinculis, quibus naui erat alligatus. Etenim homo ſuæ vindex libertatis, capite fortiter alliſo ad nauem, morte ſua ſe eripuit opprobriis, quibus victor hoſtem ſuum deprimit inſoleſcens. Non laudo facinus, nec illud imitandum refero; ſed vellem omnes hominem hunc æmulari in ſpiritalibus, mortem potius oppetendo, quam deuenire in poteſtatem Dæmonis inſultantis. Quot heu homines luxuriant, gulæ indulgent, choreis & ludis vacant, inanis glorioIæ aurâ tument, denique quot Bacchi & Veneris fœtida mancipia ducunt in bonis dies ſuos? Quot reprobi omnia ſibi proſpera afflare geſtiunt neſcij ſe ſeruari ad triumphos & pæana, de eorum ruina diabolo gloriante? Reuera millies occumbendum priùs, quàm dare manus hoſti adeò ignobili, vt eſt Dæmon; & hoc eſt, quod ſuadeo, Andreæ Danduli exemplo, ea eſt cura libertatis animæ, quam ingero, ea morte, quam ſibi conſciuit hic præfectus aſſertor læſæ ſuæ libertatis.

Catonis deſperatio vt ſe eriperet hoſtis ſui triũpho.

Seneca multus eſt in Catone Vticenſi efferendo laudibus, quia ſuæ diſpendio libertatis noluit Cæſari dare manus: maluit enim Cato vltro mortem oppetere, quàm viuere precariò. Et licet nemini eſſet inglorium vinci à Cæſare; ſatius duxit eſſe litandum Manibus, quam victori. Cenſuit Cato, eſſe glorioſum magis ſanguinem fundere gladio ad hoc conducto, quàm ſe effundere in preces, indices animi incurij impetitæ libertatis. Pudeat ergo nos, Chriſtianos nomine tantùm tenus, quos nulla cura ſollicitat declinandæ diaboli ſeruitutis, in quam incurrimus vitiis obſequendo. Iugo autem Dæmonis excuſſo, animæ nobilitas aſſeritur, & ab homine contrahitur prima conditio, quam depoſcit Maria, in familiam ſuam adſciſcens nobiles tantùm animas, vt videre eſt in Ioſepho, cuius nobilia exordia fuere veluti prælndia coniugij quod contraxit.

Euangeliſta recenſens dotes eximias, quibus ille Ioſeph inſignis enituit, nobilitati eius ſubiicit virtutum omnium compagem, vno duntaxat iuſtitiæ nomine lineatam. Quippe vocando eum iuſtum, diceres voluiſſe reddere, id quod Hebræo nomine Ioſeph ſignificat, ſcilicet *incrementum.* Hoc enim ſonat vox illa Ioſeph. Et vt ex Philoſophia analogatum ſimpliciter poſitum ſtat; incrementum illud in Ioſepho debet innuere alicuius rei exquiſitæ magnam congeriem; nihil autem rarius eſt gratiâ, & virtute. Ergo cùm Ioſephi nomen indiſcriminatim ſonet incrementum; non aberrabit à veritatis ſcopo ille, qui in eo coniiciet omnium virtutum contexturam. Et hic virtutum omnium apparatus nos adſcribit familiæ Virginis intactæ, ad cuius aulam acceditur eodem ritu, quem ſeruari ſanxit in ſuo palatio Rex Chaldæus, cuius accipe ſanctionem. *Ait Rex Aſphenez præpoſito eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio pueros, in quibus nulla*

Dan. 1.

eſſet

Nobilitas à pud Deum qualis ſit.

eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio Regis. Eo textu, Ioſephi indiuidui Mariæ coniugis ſpecies egregia nobis ingeritur, erat quippe de ſemine regio, vt Matthæus probat ex deducta à Dauide proſapia vſque ad Ioſeph: nulla in eo erat macula, cui Codex ſanctus iuſti nomen attribuit. Has & dotes præambulas vult Maria ſibi pendi à deuotis, nobilitatem, & iuſtitiam.

Ex SS. Patribus.
Hier. epiſt. ad Celantiam.

Nobilitatem equidem illam, quam meminit Hieronymus. *Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit? Quid in fœminis B. Mariâ illuſtrius, quæ ſponſa fabri deſcribitur? ſed illi piſcatori & pauperi cæleſtis regni à Chriſto creduntur claues. Hæc ſponſa fabri meruit eſſe mater eius, à quo ipſæ claues data ſunt.* Non eſt ergo quòd quis emendicet ab atauis ſtemmata regia, quibus Deiparam tentet ſibi deuincire, cùm plerumque iniquis artibus ſurrexerint tituli nobilium, vt aduertit Hieronymus. *Nobilitas mundi nihil aliud eſt quàm diuitiæ inueteratæ; omnes autem diuitiæ de iniquitate deſcendunt. Vnde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima: Omnis diues, aut iniquus, aut iniqui heres. Nobilitas igitur generis ex iniquitate venit.* Quæ ergo ſit attendenda nobilitas, diſce ab ipſo rerum potiente Deo. *Quicumque honorificauit me, ego honorificabo eum, & quicumque contempſerint me erunt ignobiles.* Quòd ſi à parentibus deriuata nobilitas eſt ſpectanda, quid eſt quod diſcernat Chriſtianos editos omnes eodem Patre Deo, qui ab omnibus voluit & præcepit ſe vocari patrem, in eo orandi typo, quem docuit, vt expendit Chryſoſtomus. *Non dicit, Pater meus, qui es in cælis, ſed Pater noſter, ſuperbiam remittens, inuidiamque explodens, & introducens matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorſus expellens, & miram Regis cum paupere æqualitatem honoris oſtendens; ſi tamen in maximis, & ad æternam gloriam neceſſariis, communione ſociemur. Cunctis enim hanc vnam & eamdem nobilitatem donauit Deus, cùm dignatus eſt omnium Pater vocari.*

Idem epiſt. ad Heliod.
Nobilitas mundi quid ſit.
Diuitiæ iniquitate ſatæ.
1. Reg.
Chryſ. ho. 20. in Matth.
Oratio Dominica charitatem & humilitatem inſinuat.

Eò ſpectat & illud Auguſtini effatum. *Admonentur hic genere nobiles ſecundùm ſæculum, cùm Chriſtiani facti fuerint, non ſuperbire aduerſus ignobiles; quoniam ſimul Deo dicunt, Pater noſter. Quod non poſſunt verè ac piè dicere, niſi ſe fratres agnoſcant.* Accedit & Hieronymus. *Fruſtra ſibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cùm vniuerſi pars honoris, & eiuſdem apud Deum pretij ſint, qui vno Chriſti ſanguine ſunt redempti neque intereſt qua quiſque conditione natus ſit, cùm omnes in Chriſto renaſcamur.* Ab hac nobilitate deficimus, quando degeneres, in Deũ inſurgimus, ſicut & nobiles quique in ſæculo ſua nobilitate cadunt facti iniurij ſuo Principi. Itaque cliens omnis Deiparæ ſartam tectamque ſuam à Deo partam nobilitatem ſeruet, ſi velit ſiſti Reginæ cœli, quæ non admittit niſi pueros de ſemine regio, id eſt, prænobiles, & huius generis, ad quod alludit Gregorius ille Nyſſenus, ſic fatus. *Vna eſt generis amplitudo, propinquitas cum Deo, quæ non caſu cuiquam contigit, quemadmodum mundana claritudo generis, quæ etiam ad improbos defertur, ſed quæ non aliter ac electione voluntatis acquiri poſſit.* Et reuera non eſt, quòd quis inuideat Ioſepho eam nobilitatem, quæ regio ſanguine concretus enituit: hæc enim illi inſcio, & citra meritum infuſa eſt; ſed potius eſt ſatagendum, vt eam aſſequamur animi ingenuitatem, virtutis omnigenæ conſciam, quæ præfulſit in hoc Sancto, vt quiſque pro modulo ſuo queat non in ſe, aut proauis, aſt in Deo Domino gloriari. Iuxta illud Senecæ:

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte.
Hier. epiſt. ad Celantiam.
Nobilitas non debet homines ſuperbos efficere.
Gr. Nyſſ. or. de Thaum.
Nobilitas vera debet acquiri voluntatis obſequio.

——Nobiles non ſunt mihi
Aui, neque altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus. Qui genus iactat ſuum
Aliena laudat——

Senec. in Hercul. Furente.
Nobilitas eſt bonum alienum.

Et ex Gregorio. *Nobilis dicitur, qui à ſuperna conuerſatione conſpicuus eſt, & de mundana vita ruſticitate nihil habet, inde enim nobilis vnde ciuis.* Qui ergo Reginæ cæli meditatur obſequium, & famulorum eius albo adſcribi; operam ſuam omnem ſedulus impendat, vt ſit cœli ciuis. Etenim ſicut *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium*, vt ipſe ait Chriſtus; ita & Maria eſt Regina cœli, & non terræ: id eſt, ſicut hi qui lethali peccato obnoxij, & gratiæ mortui non litant Deo; ſimili modo illis, qui à cælitum vita abhorrent, vt in vitij cœno ſe voluten, his inquam, Maria Regina non eſt, ſed eius omnino detrectant imperium, atque ideò, prorſus alieni à Mariæ palatio, nunquam eius ſacris atque propitiis ſiſtentur obtutibus; quia non ſunt de ſemine illo regio virtutis & gratiæ, vnde beati omnes ſuum genus myſticum emendicant, vt & inſinuat Gregorius ille Nazianzenus, Hieronymo diſcipulo clarus. *Triplex genus eſt nobilitatis, vnum quod supernè originem traxit, quod quidem ſi conſideremus, omnes peræquè nobiles ſumus; quippe ad imaginem Dei creati. Alterum, quod à ſanguine proficiſcitur, cuius ratione haud quidem ſcio, an quiſquam nobilis dici poſſit, cùm corruptione conſtet. Tertium a virtute, aut vitio agnoſcitur, cuius vel vberiùs, vel exilius participes efficimur, prout opinor diuinam imaginem, vel integram ſeruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatẽ amplectetur quiſquis verè ſapiens fuerit.* Ea nobilitate conſpicui erunt planè decori forma, ſpecioſi ſine macula, quales eſſe ſanxerat ephebos ſuos Rex Chaldæus. Illa egregia ſpecies animarum, quam Maria petit à deuotis ſuis, etiam commendatur à Ioſepho, quem fuiſſe pulcherrimum probat omnium ſcientiarum concors auctoritas; & vt à ſcriptura auſpicemur.

Gregor. in 4. Reg. cap. 4. Lect. 10.
Greg. Naz. orat. 28
Nobilitatis tria ſunt genera.

Conueniunt omnes, priſcum illum Ioſephum Proregem Ægypti fuiſſe typũ huius, qui illi alteri infinitis propè partibus eminuit, vt colligere eſt ex Bernardo, aliqua eius chariſmata recéſente. Sic ille. *Conijce ex hac appellatione, qua licet diſpenſatoria meruit honorari adeò, vt pater Dei & dictus & creditus ſit: conijce & ex proprio vocabulo (quod augmentum nõ dubitas interpretari) quis, & qualis homo fuerit iſte homo Ioſeph. Simul, & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſum iſtum non ſolùm vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum, & gratiam. Ille Domino ſuo fidem ſeruans, dominæ noluit commiſceri. Iſte Dominam ſuam, Domini ſui matrem Virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodiuit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum; iſti datum eſt conſcium fieri atque participem cæleſtium ſacramentorum. Ille frumenta ſeruauit nõ ſibi, ſed omni populo. Iſte panem viuum è cœlo ſeruandum accepit. Fidelis ſeruus,*

Ex Figuris.
Gen. 37.
Bern. hom. 2. ſup. Miſſ. eſt.
S. Ioſeph cũ Ioſeph Patriarcha cõparatio.

& prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium; ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum. Hæc ille; inſinuans, Deum largiore manu ditaſſe iſtum Ioſeph. Ergo ſi Scriptura ſacra commemorat pulchritudinem Ioſeph vt inſignem; non erit etiam hæc elegans faciei compoſitio denegãda huic Ioſepho Mariæ coniugi, cui & adaptare fas eſt illud Geneſeos. *Ioſeph decorus aſpectu.* Quippe potior eſt veritas, figurâ eã adumbrante.

Geneſ. 49.

EX THEOLOGIA. *S.Tho 3.p.q. 27.art.4. Ezech.3.*

Si infirmior eſt illa probatio ducta à figura, præualebit forſan Theologica ratio. Scilicet Deum omnia diſponere ſuauiter, & congruè ad finem, quem vnicuique rei præſtituit, ſicuti inductione facta per omnia, liquet opera Dei intimè perſcrutanti. Vt cum Prophetas miſit ad populum Iſraël duræ frontis, dedit & Prophetis conſtantiam idoneam, ipſo vno eorum teſte Ezechiele, quem ſic Deus affatus eſt. *Omnis domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exaſperans eſt.* Quia Apoſtolos in diuerſas orbis oras miſit diſſeminandæ fidei causâ; dedit & ſingulis gratiam linguarum, vt ſingulis quibuſque plagis, aſſueto eis idiomate prædicarent. Ideo ait Paulus. *Ideo nos fecit miniſtros noui teſtamenti.* Ergo cum Deus ab æterno elegerit Sanctum Ioſeph in patrem nutritium Chriſti, quem voluit credi filium Ioſeph & Mariæ; dedit vtrique parenti vnde crederetur Chriſtus eorum ſanguine concretus. Id eſt, ita Mariæ & Ioſeph verecundos vultus compoſuit, vt conſoni eſſent faciei Chriſti; ne quis ex diſparitate dubiam faceret parentelam Chriſti. Aſt Chriſtus ex Dauide præſcio fuit. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ergo in facie vtriuſque parentis debuere elucere radij eius formæ in facie Chriſti pueruli coruſcantis.

2.Cor.3.

Mariæ pulchritudo cõmendatur.

Pſalm.44.

EX SS. PATRIBVS.

De Maria non eſt ambigendi locus, habet enim elegantis ſuæ ſpeciei ſanctos plurimos aſſertores, in quibus accipe Gregorium Nazianzenum, Virginem ſic affantem. *O Virgo, quæ nitore formæ cæteris præis.* Ditior eſt Epiphanius in eo argumento, effuſus in Mariæ laudes! *Formoſior es ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelorum, & tota denique ſpecioſitate plena.* Non eſt in eo themate elinguis Auguſtinus. *Tu tota pulchra, tota formoſa, tota delectabilis, & tota glorioſa. Tu macula nulla fuſcaris. Tu omni decore veſtiris. Tu omni ſanctitate ditaris, Tu ſuper omnes Virgines ſancta in carne. Tu ſuper omnes Angelos ſancta in mente. Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos ſpiritus excellentiâ ſanctitatis.* Hæc ille. Debuit & Ioſeph eſſe formâ minimè diſpari inſignis, vt reuera putaretur eſſe pater puelli Ieſu, infra quem fuit omnis alia pulchritudo.

Greg. Naz. in Chriſto patie. Epiph. in Encomio Virg.

Aug. ſer. de Incarnat.

S. Ioſeph pulchritudo cõmendatur.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſt. 12. & 13. Metaph. Idem lib. 10. Metaph.*

Ea Ioſephi pulchritudo in Philoſophia ſuos habet aſſertores. Etenim ex Ariſtotele, Bonum vniuerſi conſiſtit in ordine; cùm igitur in hoc rerum vniuerſo pleraque pulchra animos demulceant, imò ſint & alia pulchriora, quæ veluti oculorum ludibria incautos dementant animos; neceſſe eſt dari aliquid pulcherrimum, quod numeros omnes pulchritudinis exhauriat; quippe ex Philoſopho, in vnoquoque genere eminet aliquod primum. Illud autem primum in ratione corporis elegantis eſt Chriſtus, cui quò propior aliquis extitit, eò etiam magis acceſſit ad ſpeciem eius. Aſt Ioſeph poſt Mariam præ cæteris omnibus ad Chriſtum pertinuit; ergo aliis omnibus hominibus pulchritudine præit. Rurſus ex eodem Ariſtotele, cuique inſitum eſt à natura, quando non deuiat, vt generet ſibi ſimile. Ergo Dauide & Salomone ſatus Ioſeph, non fuit eis pulchritudine inferior; maximè cùm in eum congeſſerit Deus alia omnia chariſmata, quibus alij eius proceres antea coruſcarunt.

Idē de Anima. l. 2. c. 4. tex. 34.

EX MATHEMATICA. *Schon. Orig. de iud. Plan.*

Neſcio an audiendi ſint Mathematici in ſubiecta materia, affirmantes, homines eduos in aſpectu ſideris propitij, eſſe ſpecioſos forma; quòd ſi Iupiter aſpexerit aliquam domum lucidâ & fauſtâ ſtellâ inſignem, proſpera fore omnia pronunciant, Deum priſca ætas infidelis Iouem dixit; nam Iupiter quaſi iuuans Pater. Iuuans ille pater Ioſephum edidit in aſpectu domus valde propitiæ: ſiquidem ex Mathematica ſignum Virginis eſt domus benefica, quia in eo ſigno emicat ſpica Virginis quæ eſt ſidus beneuolum. Ioſephum Deus creauit in ordine ad domum Virginis & ſpicæ, quando eum deſtinauit in ſponſum Mariæ, & nutritium Chriſti, qui non modò eſt ſpica edita è Virgine, ſed eſt frumentum electorum. In eo aſpectu decuit Ioſephum nanciſci formam conſonam ei, quâ erant naſcituri IESVS & Maria: ne ſi Ioſepho minimè congruerent lineamenta Chriſti, dubio patre ſatus crederetur ille infans, quem filium ſuum Ioſeph appellabat, ipſo Deo ſanciente. Quippe etiam Iure Cæſareo cautum, vt in dubiis natalibus ſimilitudo patris & filij dirimat litem, & diluat omne argumentum iniquum ancipiti proli. Gerſon hanc Chriſti & Ioſephi ſimilitudinem propugnat acerrimè, & eam probat fuiſſe operæ pretium, ne Maria in ſuſpicionem adulterij deueniret.

EX IVRE CIVILI. *Iaſon in Leg. Gallus ff. De liber & poſthum.*

Pulchritudinis encomia.

EX RE MEDICA. *Galen. l.2. de temper. c.6. Raſis l. 2. ad Almanſ. c.33. Amb. l. 2. de Virg.*

Non eſt prætereunda tacita ars medica, quæ ſanitatis indicationes principes petit à facie: imò in genere morum, maximum eſſe momentum faciei ait Galenus ſic fatus. *Natura membra componit pro vt moribus anima conuenit.* Raſis in eam etiam iuit ſententiam, ſic ſua ſenſa promens. *Cuius facies eſt deformis, vix poteſt habere bonos mores.* Accedit & Ambroſius ad placitum medicorum. *Species corporis ſimulacrum eſt mentis, figuráque probitatis.*

Sed inquies: Quorſum iſta digreſſio de pulchritudine Ioſeph, in alio omnino argumento, ſcilicet in inſtituto morum? Congrua ſanè eſt illa receſſio, facitque ad intentum meum, quo volo ingerere, ad quam amuſſim debeant ſeſe componere ij, quos Mariæ obſequij Sancta cupido tenet. Etenim ſi debuit cultioris eſſe ſpeciei ille, qui Mariæ obtutibus ſiſtendus erat: inde colligere eſt eam maximè animas ſordidas aſpernari. Non eo Ioſephi eleganti habitu Deipara geſtiit, ſed in animæ illius ſpecie egregia, infra quam erat etiam ipſe Angelorum nitor: ſunt enim illi in miniſterium miſſi: at Ioſeph ad imperium efformatus, eaque fuit pulchritudine animi vt quiſquis eam attenderit, ſtatim queat inferre appoſitè, in familia Chriſti Ioſephum habere dominium, quia virtute erat idonea quantùm homini fas ad has vices obeundas. Itaque libet Ioſepho adſcribere illud Pacati de Theodoſio Imperatore encomium. *Virtus tua meruit Imperium; ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit vt oporteret te Principem fieri, hoc vt deceret.* Hoc igitur ſtatum eſto, velle Mariam in famulas, animas ſpecioſas ea ſpecie,

Pulchritudo ſibi vendicat imperium. *Lat. Pacatus in Paneg. ad Theod.*

quam

Petr. lib. de remediis vtriuſque fort. dial. 2.

quam meminit Petrarcha. *Eſt & ſua animæ pulchritudo, multo ſuauior certiorque, quàm corporis; & ipſa quoque ſuis legibus decore ordinis, atque apta ſuarum partium diſpoſitione ſubſiſtens. Illam optare, illi operam dare dignum erat, quam nec dies longa deterreret, nec morbus extinguerer, nec mors ipſa; ſolam verò pulchritudinem corporis, pondus animæ dixerim, atque infauſtum triſtis inſigne ludibrij.*

Pulchritudo animæ, eſt alteri præferenda.

Si Scripturæ ſanctioris etiam cortex auſterior abdit quidpiam medullosſum, nonne & ea pulchritudo corporalis, quam meminit Daniel fuiſſe requiſitam in pueris honorariis Chaldæi Regis, erit index gratiæ, quæ efficit animas ſpecioſas, & perquàm acceptas Deo? vt eruditè notat Paulus Æmilius, cuius accipe ſententiam. *Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus maieſtas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum, ſpectantes menet teneteque, ac admonet quænam ſpecies primis à ſummo artifice initio rerum creati hominis fuerit, qualeſque quicunque iuſti fuerint, futuri ſint in illa felici immortalitate. Quòd ſi corporis pulchritudo tanti eſt, vt quodam ſui miraculo reliquos afficiat; quid ſentiendum eſt de illa pulchritudine, nempe iuſtitia, quæ Regem ſuperis facit ſimillimum?* Hæc ille, qui totam pulchritudinem Regis, quem loquitur, colligit ex iuſtitia eius, vt & fecit Matthæus, qui in Ioſepho præteriit elegantem corporis habitum, vt animæ formam exquiſitam vno veluti ductu penicilli deſcriberet, dicendo eum Iuſtum. Etenim hunc Ioſephum à iuſtitia præcipuè commendauit ille ſacer textus, vt à pulchritudine, quæ deperire nequit, & animæ inſita eſt, etiam poſt occaſum.

Paul. Æmil. lib. 8.

Pulchritudo animæ nos Deo ſimiles facit.

Vt corporum decor ſitus eſt in debita ſymmetria artuum, & compagum, iuxta illud Ariſtotelis, τὸ κάλλος ἐν συμμετρία τῶν ἄρθρων, pulchritudo eſt ipſa membrorum ſymmetria; ita & animæ exquiſita ſpecies attenditur penes iuſtitiam, cuius obſequio, nihil eſt omnino in anima deuium; ſed potentiæ omnes veluti in æquilibrio poſitæ, congruo ſibi tenore ſuas ſortiuntur vices, vnde & iuſta anima nuncupatur. Sicut enim coëunt multa, vt exurgat corporum pulchritudo; ita etiam fas eſt plura concurrere vt anima nanciſcatur eam æquitatem, à qua ſuam elegantiam emendicat. Nimirum iuſtitia non vna duntaxat eſt virtus, ſed eſt omnium virtutum chorus, vt & ait Lactantius *Iuſtitia ipſa eſt ſumma virtus, aut fons eſt ipſa virtutis.*

Pulchritudo quid ſit.

Lactan in l. 5. diuin. inſt. cap. 5.

Iuſtitiæ pulchra deſcriptio.

Cui autem vſui futura ſit illa iuſtitia, audi ex Rege Babylonis, qui pueros ſpecioſos, ſine macula, & regij ſtemmatis, ſibi ſiſti ſanxit, vt poſſent ſtare in Palatio. Eo plane modo Maria in famulis ſuis virtutum omnium apparatum petit, vt ſtare poſſint, id eſt, ſint procul à peccato, eſt enim peccatum caſus, & non ſtatus: vt autem Mariæ omnes candidati ſtare queant inconcuſſi, indigent præuio virtutum omnium apparatu, quem ſibi depoſcit iuſtitia vt ſit adæquata, & poſſit animas euehere ad eum ſtatum, qui neſciat lapſum. Etenim omnes, qui dedere nomen ſuum ſupernæ Dei familiæ, ſtant, & non cadunt; neſcire autem lapſum, argumẽtum eſt iuſtitiæ inconcuſſæ. Stare autem miniſtros ſacri illius palatij, diſce à Pſalte: *Benedicite Dominum omnes ſerui Domini. Qui ſtatis in domo Domini in atriis domus Dei noſtri.* Item Angelus ille, Tobiæ redux ait. *Ego ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtant ante Dominum.* Qui ergo adſpirat ad Mariæ famulatum, ille ſtet, & videat ne cadat; longè autem erit à caſu ſi iuſtus ſit: quippe ex Salomone. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* Si ſola oſtenſio regni illius conceditur incedenti per vias rectas, qualem iuſtitiam in homine, eiuſdem regni poſtulat incolatus? Eam ſanè, quæ exurgit ex virtutũ omnium omnimoda contextura, qua quiſquis erit conſpicuus, neſciet hic occaſum, & ſtabit ſemper ante Deiparam, quam non immeritò polo cœli aſſimilant Sancti, quia ad eam omnes aſpiciunt vt ad polum directionis noſtræ gratia. Polus autem eò quòd ſit oculis inuius, vicariam habet ſtellam, quam Cynoſuram vocant, ſeu ſtellam polarem cum qua Maria componitur à Sanctis qui fideles vrgent ad hoc ſydus.

Pſal. 133.

Tob. 12.
Sapient. 10.

Audiendus eſt Bernardus. *Oportet vniuerſos Chriſticolas inter fluctus huius ſæculi nauigantes attendere hanc maris ſtellam, quæ ſupremo cardini, id eſt, Deo proxima eſt, & reſpectu exempli huius curſum vitæ dirigere, quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur ſcopulis aduerſorum, nec abſorbebitur ſyrenea voragine voluptatum, ſed proſperè veniet ad portum quietis æternæ.* Alius item Sanctus, ſcilicet Bernardinus, rationem affert Mariæ cum ſtella polari ſimilitudinis. *Neque inconuenienter ſuum ſtella maris, cum ſit in Aquilone, conuenit Mariæ: quippe per Aquilonem perſecutio vel tribulatio deſignari ſolet, propter ventorum & procellarum vehementiam. Ideo locus Mariæ in Aquilone eſt, vt per eam auſteritas perſecutionis inflicta humanis temperetur & mitigetur. Solet etiã per Aquilonem peccatum ſignificari: vnde Ieremiæ c. 14. Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ, ideo conuenienter locus Aquilonaris ei appropriatur, eò quòd ipſa media inter peccatores & Filium ſtatuatur, vt ex vna parte iram mitiget, & ex alia parte peccatum exterminet.* Hæc ille.

Maria quare ſit inuocãda.

EX SS. PATRIBVS.

Bern. ſerm. in vig. nat. Domini. & ſup. Salue.

Bern. Senen. to. 3. ſer. 1. de nom. Mariæ ar. 3. c. 2.

Mariæ cum ſtella polari comparatio.

Nota, polum cingi, circulo, quem Arcticum vocant Aſtronomi, & in eo circulo eſſe ſtellas, quæ gyrant quidem circa polum, ſed nunquam occidunt, in his eſt illa celebris conſtellatio, quam vrſam vocant ſeu plauſtrum; ſeptem ſtellis conſtat ille currus quaſi triumphalis. Ita & Maria verè hominum polus in ſuo circulo, ſcilicet palatio admittit tãtùm animas, quæ nunquam occidunt. Dicuntur aſtra occidere, quando abdunt ſe infra terram; ita & anima reuerà occidit, quãndo à cælo deuians ad ima conuertitur, iuxta placitũ Theologiæ, cui, Peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturas. Mariæ clientela occaſum non patitur, ſed iuſtitiam labi neſciam exigit à deuotis; eam vtique, quam meminit Bernardus, aſſerens veram virtutem neſcire tempus, nec fine aliquo concludi. Sed heu! plerique ſimiles ſunt illi conſtellationi, quæ dicitur Arctophilax, ſeu cuſtos plauſtri. Eâ figura eſt extra circulum Arcticum, atque adeò caſui obnoxia, imò vna eius ſtella nomine Arcturus magnas in occaſu ſuo excitat tempeſtates. Ita & multi Mariæ ſe addictos ſimulant pietate ementitâ: virtutum omnium plauſtrum iactant ſe ſequi; & tamen ſunt extra lineam illam, in qua non occidunt aſtra, vtpote vicina polo. Hypocrita ſanè eſt Arctophilax plauſtri & Mariæ cuſtodem ſe ore profitetur; & tamen longè eſt à Maria, & à plauſtro, cuius lumina micantia neſciunt deſciſcere.

EX MATHEMATICA.

Eratoſthenes. l. ad Arati Phænom.

Mariæ cultores hypocritæ quinam ſint.

Vt ergo concludamur Mariæ circulo; labo-

remus virtutum omnium indagini, id eſt, numero ſeptenario, oppoſito ſeptem vitiis lethalibus: vt enim ſeptem ſtellæ componunt figuram plauſtri, quod circumit polum; ita virtutum ſeptenarius animas effingit in ſimilitudinem currus eius, in quo Maria triumphare geſtit, id eſt; virtutum omniom agmen animas euehit ad Mariæ palatium, à cuius limine arcetur omne impurum. Etenim Mariæ apprimè quadrat hoc ſymbolum recenſitum à Ferro, qui in theatro ſuo pingit vaſculum illud, cui nomen Balneum Mariæ; vas illud diſtillationi aptatum, quidquid in illud ingeritur, illud breui immutat, & egerit inſtar cryſtalli lucidum & coruſcum: titulus huic balneo Mariæ inuſtus hic eſt. CLARA QVÆCVMQVE PROFERT. Ita & Maria horret omne obſcurum, & turbidum. CLARA QVÆCVMQVE PROFERT. Et ne nimius ſim in texendis teſſeris, quas Maria petit, ſatis erit iſte textus Pauli, quem reuerà Ioſeph vſurpare poteſt etiam titulo potiori, quàm ipſemet Paulus, ſuos Philippenſes ſic compellans. *De cætero, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ; hæc cogitate. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite; & Deus pacis erit vobiſcum.* Si Deus pacis aderit; ergo & Maria, cui placet omne, quod Deo non diſplicet.

EX SIMBOLIS.
Ferrus p.2. Theat. ſui Symbol.
Philip c.4.
Mariæ cultores ſint clari virtutibus.

Ieſus & Maria degunt vbi eſt omnium virtutum incrementum.

In hæc verba.

Matth. 1. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.*

SECTIO SECVNDA.

DE PVRITATE MARIÆ ET S. IOSEPH,

EX Virgine, viro ſanctiſſimo ſociatâ, editus eſt Chriſtus, vt vel hinc doceremur, animas ſanctitate conſpicuas eſſe idoneas quas Chriſtus inuiſat. Sed quæſo demirare myſterium altè reconditum. Primò Maria deuenit in poteſtaté Ioſeph, & demum eâ adſcitâ in familiam Ioſeph, ille puerulo Ieſu potitus eſt: virtutes Ioſephi fuere veluti præcurſores, Mariam deprecantes, vt ea diuerteret in domum ſanctitate conſpicuam. In eo coniugio, non tamen ex eo coniugio conceptus eſt Chriſtus, ex Virgine quidem nupta; non ideo tamé quia nupta, & eo ritu, quo omnis Adami propagies edita eſt. Sed Mariæ nitor Deum in vterum eios inclinauit, vt quemadmodũ ſanctitas Ioſeph Mariam demeruit, ita & Mariæ decor Deum pelliciens, amoris Deiparę vinculis irretiuit, vt & Bernardus inſinuat. *Virgo Regia gemmis ornata virtutum, gemmiſque mentis pariter & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua, & pulchritudine in cæleſtibus cognita, cæli ciuium in ſe prouocauit aſpectum, ita vt cæleſtis Regis animum ad ſui concupiſcentiam inclinarit.*

Mariæ gloria in cœlis.
EX SS. PATRIBVS.
Bern. hom. 2. ſup. Miſſ. eſt.

Duo clamat titulus ſectionis. Primum eſt, omnium virtutum incrementum demereri Mariam, & hoc ſupra & proximè probatum eſt, vbi fusè oſtendi, Ioſephi iuſtitiam fuiſſe veluti pronubam nuptiarum Ioſeph & Mariæ. Alterum, quod reſonat hic titulus, eſt Chriſtum adeſſe vbi Maria affulget: vnde elicitur iſta concluſio, ſcilicet mediante Maria irradiare Chriſtum, ita vt ei Chriſtus magis illuceat, cui Maria maximè rutilat; hinc deducenda alia veritas: Neminem eſſe Sanctorum, in cuius amplexus adeò ſeſe Chriſtus effuderit, ſicuti in Ioſephum ſe effudit, quia Mariæ nullus æquè addictus eſt, vt Ioſephus. Habeo igitur decurrendam hanc aleam, ſcilicet Mariæ ſuffragio Chriſtum illabi mentibus noſtris, & metiendos eſſe Chriſti acceſſus ad nos, ex noſtra in Mariam pietate; quod vt præſtare queam, operæ pretium eſt explicare, quomodo Chriſtus in Mariam influxerit; ad hoc enim me illa tituli verba deuinciunt. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Vt autem doctiùs auſpicemur, indagini inſiſtamus eius gratiæ, quæ in Maria fuit veluti præambula incarnationis, vt eâ deprehensâ quiſque enitatur ſeſe componere ad amuſſim eius, vt pro ſuo modulo referens aliqualem Mariæ ideam, mereatur influxum Chriſti

Matth. 1.

Dixi influxum, & non incarnationem: nam ex Theologia, præſuppoſitá gratiâ, quiſque poteſt in virtute illius præuiæ gratiæ mereri influxum Chriſti: ea eſt enim natura gratiæ, vt Deum pelliciat; & hoc ipſe ait Chriſtus. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Vides, illapſum Chriſti, vt ſonat gratiæ incrementum, cadere ſub meritum; & eò ſpectat ille textus ſacer Angeli in Apocalypſi. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc* Si verò res, eſt de incarnatione Chriſti, ea eſt ſupra omne meritum de condigno, & tranſcendit omnia gratiæ conamina; quia in eo tantùm ſita eſt tota gratiæ ſumma, vt ſuos poſſeſſores euehat ad gloriam, quæ eſt participatio ſeu fruitio Dei per cognitiooem & amorem. Aſt vnio incarnationis, cùm ſit in eſſe perſonali, excedit omnem aliam vnioné beatæ mentis in Deum effuſæ, & percitæ œſtro charitatis. Rurſus vnio illa hypoſtatica nobilior eſt ipsá etiam primâ gratiâ, cùm illa ordinetur tantùm ad gloriam; aſt prima gratia non cadit ſub meritum, alioquin oon eſſet gratia, ſed præmium meriti præeuntis: ergo nec incarnatio ſeu vnio, quæ eſt principium gratiæ, erit meritis hominum obnoxia. Ab incarnatione autem peti exordium gratiæ diſce ex Ioanne. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Demum incarnationis ſuffragio, ægra hominum natura ſoſpitata eſt; ergo non potuit ſingularis homo demereri tale bonum; quia puri hominis bonum non potuit adeò longè latéque ſpatiari, vt toti etiam naturæ conſuleret.

EX THEOLOGIA.
Ioan. 14.
Apoc. 22.
S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 11.
Gratiæ incrementum quomodo hat.
Ioan. 1.

Hoc igitur ſtatum eſto, omnia Mariæ & Ioſephi merita conglobata non meruiſſe de condigno incarnationem Chriſti, ſicuti titulus ipſe ſectionis ſonat. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Vbi nota, vocem hanc, Spiritus Sanctus, in eo myſterio ſumi poſſe eſſentialiter, & perſonaliter. Eſſentialiter Deus eſt ſpiritus, ipſo etiam Chriſto aſſertore, dum ſic Samaritanam affatus eſt. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare* Sic vox illa ſpiritus vnicuique perſonæ conuenit; vnaqoæque enim perſona Deus eſt; ac proinde ſpiritus; & in eo ſenſu. *Maria inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Nam tota Trinitas effinxit corpus Chriſti in Mariæ vtero, illius adorandi corporis ergaſtulo. Quippe opera Trinitatis ad extra cõmunia ſũt toti Trinitati. Si verò nomen hoc, Spiritus, vſurpetur

Matth. 1.
Ioan. 4.
Incarnatio fuit opus Trinitatis.

tur perſonaliter, vnam tantùm refert perſonam, nimirum tertiam, quæ procedit viâ ſpirationis, ſeu amoris, & per appropriationem tribuitur ei illa ineffabilis corporis Christi contextura, triplici ratione, quam recenſet Angelicus Doctor. Prima ratio petitur à denominatione Spiritus ſancti, qui eſt amor: aſt hoc myſterium fuit amoris Dei in nos maximum argumentum, vt ait ipſe Deus Nicodemo. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Altera ratio aſſignatur ex gratia, cuius influxus Spiritui ſancto conceditur à Paulo Apoſtolo. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Hæc autem gratia incarnationis fuit ſumma. Tertiam rationem inſinuant acta Niceni Concilij, cùm diſtinguunt in nobis eſſe duplex verbum, verbum cordis, & verbum vocis. Verbum cordis eſt ipſa conceptio intellectus, quæ occulta eſt ipſis hominibus, niſi quatenus per vocem exprimitur, ſiue per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum æternum ante naturam hominum aſſumptam, quando erat apud Patrem, & nobis abſconditum: verbo autem vocis comparatur Verbum incarnatum, quod iam nobis apparuit, & manifeſtum eſt. Sed verbum cordis non coniungitur voci niſi mediante ſpiritu; quippe anhelando ſonat verbum, quod citra ſpirationem nequit auribus inſtillari. Eamobrem Verbi incarnatio, qua ipſum Verbum abditum antea, nobis apparuit, ritè dicitur facta mediante Spiritu ſancto. Quo vt valido ſpirante anhelitu editum eſt Verbum illud ſenſibile, quod auditum, efficacius fuit omni Rhetoricâ: quippe demulcens hominum corda ſui iuris fecit plurimos auditores.

S. Th. 3. p. q. 32. art. 1.

Ioan. 3.

1. Cor. 12.

Verbum duplex cordis, & oris.

Potes & præfatis adiicere Bedam. *Licet quaſi ſpecialiter dicat de Spiritu ſancto; tamen credere debemus, quòd Dominum Ieſum, non ſolus Spiritus ſanctus, ſed tota Trinitas in vtero Virginis formauit. Ideo namque ſpecialiter quaſi de Spiritu ſancto dixit, quia aduentu ſuo donum Spiritus ſancti in ſe credentibus largè miniſtrauit.* Ipſe etiam Pſaltes quaſi in gratiam Spiritus ſancti ait. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Id eſt, natura hominum repetiit ſua prima principia, effecta terrea & deorſum vergens, vtpote ſuorum pondere criminum inclinata. Iniquior ei aura Dæmonis afflauit, quæ ſuo contagio molem illam luteam inquinauit. Vt ergo diluatur illa lues, quam peperit afflatus Angeli nequam, corrumpentis omne hominum genus, alio opus eſt ſpiritu, qui repurget illud, quod infecit virulentus diaboli anhelitus. Ideoque te Deum conſulimus. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Sicut enim terra compoſita in ſimilitudinem hominis, illico animata eſt, quando inſpiraſti in faciem eius ſpiraculum vitæ; ita hæc eadem terra quaſi inanima, vtpote tuo maledicto obnoxia renouabitur, veluti rediuiua, ſi eam digneris eodem illo tuo ſpiritu primitiuo. Tempore à Deo præſtituto exauditus eſt Dauid; tunc ſcilicet, quando natura humana redux ad gratiam, cooperante Spiritu ſancto, à Verbo aſſumpta eſt.

Beda in Matth. 1.

Incarnatio quare dicatur opus Spiritus ſancti.

Pſalm. 103.

Pſalm. 103.

Sed aduerte, non ideò tamen Chriſtum dici filium Spiritus ſancti, etſi Maria inuenta ſit habens in vtero de Spiritu ſancto. Quare autem Maria mater Chriſti ſit propriè loquendo; & Spiritui ſancto non quadret in ea generatione nomen patris, diſce ex S. Thoma, ſic penſante hoc quæſitum. *Chriſtus conceptus eſt de Maria Virgine, materiam miniſtrante in ſimilitudinem ſpeciei, & ideo dicitur filius eius; Chriſtus autem ſecundùm quod homo, conceptus eſt de Spiritu ſancto, ſicut de actiuo principio: non tamen ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, ſicut homo naſcitur de patre ſuo; & ideo Chriſtus non dicitur filius Spiritus ſancti.* Gloſſa interlinearis appoſitè etiam ſuum calculum adiicit. *In vtero habens de Spiritu ſancto, intellige non de ſubſtantia Spiritus ſancti, ſed de poteſtate, ne Spiritus ſanctus dicatur incarnatus.* Eſto fuerit de poteſtate Spiritus ſancti editus ille habitus Chriſti; malim ego aſſerere, ideo dici Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto, quia de condigno nullus hoc donum meruit: vnde quia hæc gratia duo inuoluit, donum ſcilicet, & amorem; ritè attribuitur Spiritui ſancto, cui illa duo nomina, donum & amor, perſonaliter conueniunt: vnde myſterium gratiæ ſummæ & amoris in eam perſonam refunditur, quæ eſt Donum & Amor, in Diuinis. Ideoque in incarnatione Maria tota amore Dei ignita eſt, quia in vtero eius, totum hoc amoris opus effectum eſt, vt benè aduertit Bernardus ille Senenſis, Mariæ addictiſſimus. *Ipſam Virginem fornacem ſui amoris, & officinam ſua ſtupendæ operationis, in qua, & de qua ſabrefactum eſt corpus mundiſſimum Filio Dei, & noua infuſa anima, ambo ſimul tanquam vnam naturam humanam, integram & perfectam in perſona Filij Dei vniuit, recognoſcit. Oſtendit autem Spiritus ſanctus electu expreſsè, quòd in hac officina, & per eam fabrefecit quidquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac totum ignem operationis recluſit, quam vnquam dare diſpoſuit creaturæ rationali.* Hæc ille, aſſimilans Deiparam clibano, vnde erumpentes ignium globi, omnes omnium beatorum animos accenderunt. Si ergo nemo mortalium potuit mereri aduentum Chriſti; non eſt quòd quæramus in Virgine, vnde eam gratiam meruerit de condigno, vt illam poſſimus pro viribus æmulari, & inde aliquid morale adſciſcere idoneum ad mores noſtros componendum.

Mariæ reuerſa fuit filius Chriſtus.

S. Th. 3. p. q. 32. art 3.

Chriſtus non dicitur filius Spiritus S.

Gloſſ. interl. in c. 1. Matth.

Bern. Senen. de Aſſumpt. art. 2. c. 3.

Maria fornax amoris Dei.

Itaque alio ſcrutinio opus eſt, quo deprehendere & rimari queam quid Maria contulerit. Vt autem res hæc abdita liquidior fiat, Incarnatio ſpectanda eſt, ſicut & prædeſtinatio Sanctorum, ſcilicet in voluntate Dei ab æterno, & in executione in tempore: vt nulla præuiſa merita meruere de condigno eum actum, quo Deus ex mera ſua bonitate nos adſciuit in numerum Beatorum; ita nec decretum illud de natura humana aſſumenda in vnitatem hypoſtaſis, cadere potuit ſub meritum. Sed vt prædeſtinatio in executione requirit in adultis aliqua merita; ita & incarnatio volita à Deo, non eſt ſortita effectum ſuum, ſine præuia ea puritate in Maria, qua maior ſub Deo non hactenus effulſerat. In eo tamen diſpeſcuntur incarnatio atque prædeſtinatio, quòd in executione, homo gratiâ Dei inſignis aſſurgit in virtutes & opera, quæ merentur de condigno gloriam æternam; ita enim à Deo cum homine conuentum eſt, vt præclara eius facinora exantlata comite gratiâ, gloriâ compenſaret. Eo pacto ſuppoſito, Deum humiliter anima conuenire poteſt, vt denarium ab eo accipiat, quia illius vineæ excolendæ iugiter inſudauit.

Incarnatio ſpectanda vt prædeſtinatio Sanctorum.

dauit. Hinc eſt indita gloriæ æternæ nomenclatura præmij, mercedis, & coronæ, quæ nomina clamant eam cadere ſub meritum, vt liquidò ait Paulus. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolùm autem mihi,ſed & iis,qui diligunt aduentum eius.* Vides, Paulum appellare prædeſtinationem in executione coronam iuſtitiæ,& non merè gratiam;quia reuerà de condigno adulti præuiâ iuſtificante gratiâ,compotes fiunt brauij æterni. Idem Apoſtolus memorans incarnationem in executione, non vocat eam præmium aut coronam, ſed ſimpliciter gratiam. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos.* Vocatur gratia; quia Deus nullo ſe pacto hominibus addixerat aſſumpturum indolem noſtram, ſi qui eorum hoc vel illud egregium facinus exantlarent.

2.Tim.4.

Tit.2.

Maria meruit de congruo aſſumi in matrem Dei.

S.Th.3.p.q.2. art.11.ad 3.

Sed eſto nullum fuerit pactum de homine aſſumendo, ſi homines in eum gratiæ ſtatum aſſurgerent, qui tranſcendit omnes omnium Angelorum choros, atque adeò omnium beatorum merita ſint infra illud donum; Maria tamen de congruo meruit aſſumi in Matrem Dei,vt eruditè probat S.Thomas; quia præuio illapſu gratiæ Dei eò puritatis euecta eſt, vt Deo decernenti aduentum ſuum, vna occurrerit neſcia labis, atque idonea magis,è cuius ſanguine defæcato ſibi componeret corpus:atque ita Virgo illa ſanctiſſima,ſtipata omnium virtutum agmine,ſe accinxit ad occurſum Dei,eam cælitus inuiſentis;ita vt vſurpare queas de Maria illud, quod ait Codex ſanctus de Regina Auſtri. *Non ſunt allata vltra aromata tam multa,quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Eorum aromatum fragrantiam præſenſit Dauid, Mariam commemorans. *Myrrha,& gutta, & caſia à veſtimentis tuis.* Quam autem gratiam Salomon rependerit odore captus,quem afflabant illa aromata, audi ex contextu. *Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiuit ab eo: exceptis his,quæ vltrò obtulerat ei munere regio.* Munere Regio Deus Mariam dignatus eſt à conceptu, & ad hanc gratiam multiplex alia gratia acceſſit; ſed quod hominibus præcipuum eſt,& veluti ſumma omnium chariſmatum. *Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiuit ab eo.* Deus quaſi obſecundans Mariæ votis, naturam hominum induit, ita vt Mariæ vota atque aromata, id eſt, gratiæ meruerint de congruo Chriſti illapſum in vterum eius; vt & inſinuat Angelicus Doctor ſic fatus. *Quia homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem; congruum eſt, ſecundum amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in ſalutem alterius.* Vnde ſic arguo. Ex Dauide Deus voluntatem timentium ſe faciet; nam eorum voluntas eadem eſt atque Dei: ſed Maria timorem Dei in ſummo habuit,vtpote inſignis ſeptemplici gratia Spiritus ſancti. Ergo cùm anhelaret crebris gemitibus atque ſuſpiriis ad incarnationem, quam & ipſe Deus voluit ab æterno, Maria de congruo meruit illud donum, ad cuius influxum illa eius aromata maximè contulerunt; vt ea teſtetur in ſuo epithalamio. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Natura humana fuit hortus conſitus multiplici gramine, varióque ſtipite diſtinctus; ſed Deus acceſſurus ad hunc hortum, deſcendit ad areolam aromatum, ſcilicet in Mariam, quam ipſe in Canticis extollit à fragrantia aromatum. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum,ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* In eo ſenſu Maria digna fuit præ aliis, Chriſti influxu, vt cantat Eccleſia. *Quæ ſola digna fuit portare Regem cælorum, & Dominum.*

3.Reg.10.

Pſalm.44.

3.Reg.10.

Volũtas Dei facta Deum inclinat vt faciat voluntatem hominis.

D.Th.1.2.q. 114.art.6.

Cant.6.

Cant.3.

Concinunt & Patres, è quorum choro prodeunt Baſilius,Ambroſius,& Bernardus,quorum primus ſic orditur. *Digna Vnigeniti diuinitati coniunx fuit.* Eiuſdem dignitatis aſſertor Ambroſius ſic ſe prodit. *Quid in ſingulis moror, quæ digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur?* Accedit & Bernardus. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cælis Regali ſolio,in quo Mariam Filius eius ſublimauit.* Idem alibi. *Quæ vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei.* Anſelmus in Mariam effuſus alios præterit. *O Domina,nihil tibi æquale, omne quod eſt, aut infra te, aut ſupra te eſt. Supra te ſolus Deus; infra te, omne illud quod Deus non eſt.*

Mariæ laudes inſignes à Patribus decantatæ.

Ex SS.Patribus.

Baſil. hom. de hum. Chriſti generatione.

Ambr. lib. de Virg.

Bern.ſer.1.de Aſſumpt.

Idem ſerm.4.

Anſelm de laud.Virg.

Neſcio an Phyſiologi imponant nobis, quando affirmant, columbam ſuaui aromate inunctam, alias ad ſe allicere columbas ſuâ fragrantiâ. In Maria fuit veridica illa obſeruatio; ea nempe columba afflauit odorem, cui impar fuit etiam ipſa Angelorum fragrantia, ita vt Deus amore captus columbæ huius,ad eam deſuper aduolarit. Habes amoris eius indices hos affatus. *Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea.* Et vt columbæ habitus obuius Soli coruſco variat multicolor; ita & Maria, irradiante Deo,verſicolor extitit, multiplici gratiâ eam deſuper exornante, ipſo etiam conſcio Pſalte. *Penna columbæ deargentata, & poſteriora dorſi eius, in pallore auri.* Audi ex Epiphanio,Mariam columbam eſſe,quæ multifariam aduerſo Sole radiat. *O Beata Virgo, columba pura, & ſponſa cæleſtis Maria, cælum, templum, & thronus Diuinitatis, quæ coruſcantem in cælo & terra Solem habes Chriſtum.* Bonauentura ſubſcribit. *Maria eſt purior Sole,quia ſuperat corporalem, imò etiam ſpiritualem, id eſt, Angelicam creaturam.*

Cant.6.

Maria thronus diuinitatis.

Pſalm.67.

Epiph. lib. de laud. B.V.

Bonau. c.3. ſpec. virg.

Omnium virtutum & gratiarum apparatus, quo Maria effulſit in aduentu Chriſti, in memoriam reuocat pompam illam inſignem,qua Carolus V.Imperator exceptus eſt à Rege Gallo Franciſco I. in caſtello Amboſij. Locum illum ſanxerat Rex ornari eo cultu,quem poſcebant eminentes Imperatoris infulæ. Ad arbitrium Regis omnia fuere luculenta, & conſona principi,cui lautè excipiendo Galli animus inſudabat. Prætereo palatium aulæis exoticis vtique ditiſſimis exornatum,menſas opipare inſtructas,& nobilium coronam,quæ ſtipabat hunc Principem. Vna fuit præcipuáque cura in pigmento, cuius afflatu adeò captus eſt Imperator,vt penè animam efflarit,paſſus inde deliquium. Gallia ventilet illam pompam ad libitum; ſed mihi fœtent omnia illa pigmenta, ſi animo verſo illa omnia virtutum aromata,quæ afflarunt ex Maria,Deo volente noſtras oras inuiſere. Egregia eam ſanè peripetaſmata exornabant,ſcilicet inſignes naturæ dotes:quippe claris erat orta natalibus, in eleganti corporis habitu facies erat ſpecie hactenus inaſpecta; ſed

Ex Hiſtoria.

Dupleix in Franciſc. I.

Carol. V. Imp. quàm lautè exceptus in Gallia.

eorum

eorum nihil Deum perculit. Vbi autem Maria explicauit aromatum atque florum nouam fragrantiam, illico Deum Regem rerum omnium potientem adeo inflexit, vt quaſi ſit paſſus deliquium, nimirum ex Paulo. *Philip. 2.* *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Diceres Deum exuiſſe, vt hominem indueret; ſaltem vt Iſaac filium ſuum Iacob amantiſſimè exoſculatus eſt, vbi ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam; ita & Deus quaſi hominem oſculatus eſt, cum Chriſtus ex Deo & homine coaluit.

Cant. 3. Maria quot gemmis ornata.

Supra adiuſti Mariam recenſentem totam hiſtoriam. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Et huc reuocandus Bernardus, quem memini ſupra. *Virgo Regia gemmis ornata virtutum, gemmiſque pariter mentis & corporis, decore præfulgida, ſpecie ſua, & pulchritudine in cæleſtibus cognita, cæli ciuium in ſe prouocauit aſpectum, ita vt cæleſtis Regis animum ad ſui concupiſcentiam inclinarit.* Audis, aromata in Maria ſpirantia fragrantiam, Deo maximè placuiſſe. Maria adijcit in Canticis, ſponſum deſcendiſſe in hortum, vt colligat lilia. Nemo neſcit, lilia eſſe virginitatis inſigne, vt & liquet ex Canticis, vbi ſponſus ſymbolicè amaſiæ ſuæ fœcunditatem & virginitatem clamat. *Cant. 7.* *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* In tritico vbertas claret: Chriſtus autem eſt frumentum electorum; in lilijs candicat albedo virginitatis. Reuerà hortus fuit, inclyta Mariæ domus, vbi duo ſurrexere lilia vtique nobilia, Maria & Ioſeph, quibus ita Deus affectus eſt, vt inter hæc lilia paſtum acceperit multis annis in eadem menſa, cui Maria & Ioſeph virgines accumbebant.

Mariam non virginem tantùm extitiſſe, ſed & ante matrimonium illibatam hanc virginitatem ſuam voto emiſſo Deo conſecraſſe, eſt & rationis & Sanctorum Patrum concors auctoritas. Philoſophia etiam in hoc argumento illucere poteſt: *Ex Philosophia.* ait enim, agentia integra & perfecta, ſi nihil remoretur eorum impetus, effectus exercere, quantum fas eſt eis, integros, & perfectos; quia agunt tota virtute eis inſita, vt videre eſt in igne, qui nactus fomitem idoneum, ſtatim illum accendit, & veluti alium ignem parturit. Ergo cùm modus operandi ſequatur modum eſſendi; gratia, cuius eſſe præſtat omni enti conſtituto in naturæ cancellis, non erit ſegnior in agendo, ſed ſepoſitâ remorâ ſortietur effectus conſonos latitudini ſuæ, quæ quò amplior erit, eò etiam latiùs ſe diffundet. Cùm igitur Maria eò gratiæ euecta ſit, infra quam eſt id omne, quod infra Deum exurgit, & nullas ſit paſſa moras in feſtino vſu gratiæ à Deo acceptæ; reuera ſeſe totam compoſuit congruè ad intenſionem gratiæ cuius plenitudo tota ſe Mariæ infudit, id eſt, perfectiori modo edidit virtutum actus, quos vſquequaque enixa eſt, atque adeò propoſitum eius de virginitate ſeruanda fuit nobilius eo, quod ſanxere virgines Elias, atque Ieremias, quos fuiſſe cælibes ait *Ignat. ep. ad Philadelph.* Ignatius Martyr. Nequiit autem eſſe perfectius illud propoſitum, niſi acceſſione voti, quod cùm indiuiduo nexu arbitrium noſtrum Deo addicat, & vnicuique virtuti colophonem ſeu coronidem imponat; nullus eſt in eo argumento ambigendi locus, neque aliquis, niſi inſanus vt Caluinus, inficiari poteſt, Mariam non vouiſſe virginitatem.

Denuo ne hæreticus anſer inter orthodoxos ſtrepat olores. Quidquid gratiæ ſanctificantis alicui infra Chriſtum conceſſum eſt, aut vnquam concedetur, Mariæ nequaquam eſt negatum. *Maria in tribus Angelos exceſſit.* Etenim Deus gratiam vnicuique impertit ad menſuram ſtatus, cui nos præſcius ille opifex iam deuouit. At Maria in apicem Sanctitatis ſub Deo electa eſt, vt ait Anſelmus; & illi aſſentiens Angelicus Doctor adiicit hæc. *Beata Virgo exceſſit Angelos in tribus, in quibus Angeli excedebant alios homines: ſcilicet in plenitudine gratiæ, familiaritate Dei, & puritate.* *S. Th. opuſc. 8.* Si doles ſiluiſſe Anſelmum, ille ſic occinit. *Decuit vt Virgo, quam Deus vnigenito filio ſuo præparauit in matrem, ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* *Anſelm. l. de concep. Virg. cap. 18.* Ergo cùm pleræque virgines eæque impuberes Deo virginitatem deuouerint, in quibus Euphraſia ſeptennis votum hoc emiſit; blaſphemum erit, vnum id, quod alteri conceditur, Mariæ Virgini denegare. Fuiſſe in Maria tenax propoſitum continentiæ liquet ex Dialogo eius cum Angelo, qui vbi eam fore Deiparã aſſeruit, ea veluti pertæſa hymenæos, illico ſubiecit. *Luc. 1.* *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Fuiſſe motionem Spiritus ſancti illud in Virgine propoſitum, res eſt indubia: at Spiritus ſancti motio omnis, ſi ſeponatur obex, vnumquemque ciet ad perfectiſſimum quodque opus; ergo propoſitum continentiæ fuit voto annexum à Virgine: nam perfectiora ſunt quæ vouentur; quia nos quaſi clauo trabali Deo affigunt, impotes ad opera diſſona reſilire. *Mariã emiſiſſe votum virginitatis Patres probant.*

Ex præfatis Mariæ verbis, Sancti indubium inferunt eius votum, ſic Gregorius ille Nyſſenus. *Ex SS. Patribus. Greg. Nyſſ. ho. de nat. D.* *Quoniam Deo dicatam, & conſecratam carnem, veluti ſanctum quoddam donarium, intactam ſeruari oportebat; idcirco (inquit virgo Angelo) licet Angelus ſis, licet è cælo venias, licet quod oſtenditur naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt.* Conſonat & Bernardus, Mariam ſic inducens Angelum compellantem. *Cùm ſciat Dominus meus teſtis conſcientia mea, votum eſſe ancillæ ſuæ, non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei vt fiat iſtud? O immobile virginitatis propoſitum! quod neque Angelo Filium Dei promittente aliquatenus titubauit.* *Bern. hom. 4. ſup. Miſſus.* Doctor Angelicus rem ait in confeſſo eſſe. Sic ille. *Abſolute Dei Genitrix virginitatem vouit, antea quam ab Angelo annuntiaretur.* *S. T. 3. p. q. 28. art. 4. ad 1.* Arbitror, induci & à Salomone, præſcio myſterij, Mariam ſic Angelo colloquentem. *Virginitatis amor quantus in Maria* *Cant. 2.* *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quaſi diceret. O Angele Dei, fruſtra pronubum agis nuptiarum; in quibus mihi homo diligendus eſt irrita virginitate mea, & diſpendio voti emiſſi; nacta ſum dilectum, vtique Deum, quo ſuaſore pepigi fœdus de ſarta tectáque puritate mentis, & corporis; illis ego iam aſſueta lilijs, nequeo aliò declinare ſine iniuria dilecti, nempe Dei, qui deuota ſibi mea lilia ſic cuſtodit, vt velit ea eſſe illibata, quandiu vitæ dies aſpirarit, id eſt, vſque ad mortem, cuius vmbris vita deficiens opacatur.

Apage iam lilia illa, quæ priſca Gentilitas credit nata ex lacte Iunonis defluente in terram, quæ hoc aſperſa rore imprægnata, lilia parturiit alba ad æmulationem niuis. *Pierius lib. Hierogl. de Lilio.* *Lilia quarè alba dixerint fabulæ Gentiles.* Adulterina ſanè ſunt hæc lilia, vtpote à virginitate procul; quippe edita dicuntur à Iunone corrupta, vt eius vbera clamant, quæ nimio lacte turgida exudabant. Alia planè ſunt Mariæ lilia, [illegible] præter puto lacti [illegible]

tequam

tequam enim eſſet, Diuina eam gratiâ grauidante, fœta; lilia ſurrexerant Deo Domino per quàm grata: quodque ſuperat omne miraculum, Mariæ lilia etſi puriſſima; tamen affluente eius lacte Virgineo madida, accepere adhuc candoris maximum incrementum. Namque Deo incarnato, ingens gratiæ pondus acceſſit virtutibus illis, quibus vti præambulis Mariâ ſe accinxit ad conceptum Chriſti, ſaltem de congruo, promerendum: cùm enim Mariæ virtutes non fuerint infinitæ in genere qualitatis, potuerunt intendi adiectione gratiæ, atque adeò puritas eius potuit aſſurgere ad apicem illum, qui infra Deum præterit omne gratiæ faſtigium.

Puritas vnde dicatur.

Ex Theologia.

S. Thom. in 1. diſt. 18. q. 2. art. 4. ad 3. & diſt. 44. art. 3. ad 3.

Audiendi adhuc in eo themate Sancti Patres, & in his Angelicus Doctor. *Puritas intenditur per receſſum à contrario, ideò poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla peccati contagione inquinatum ſit; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit, & ideo peruenit ad ſummum puritatis.* In ea puritate Dionyſius ille Carthuſianus, quaſi ecſtaſim paſſus, ait. *Per incomparabilem excellentiam omnis interas Maria gratia: enimuero quanta eam decebat carnis munditia, cuius erat portio ſuperpulchra Deitati hypoſtaticè vnienda? Quanta cordis ſerenitas, cuius ſpeciem, atque decorem, etiam ipſe Deus concupiuit?* Nec perperam ait illa in Canticis, Dilectum in hortum deſcendiſſe: lilia quippe conuallium, vt amœna magis ſuauiùs fragrant, id eſt, puritas humilitate gratior eſt Deo; vnde idem Dionyſius ait. *Quanta demum humilitas, ad quam ſe tam ineffabili dignatione, æterna illa incircumſcriptibilis atque perfecta maieſtas inclinans deſcendit, cui Deus ſubdi diſpoſuit, omnique ſua creatura præferre decreuit? Si non fuiſſet omnium creaturarum humillima, nunquam vtique facta fuiſſet vniuerſarum altiſſima.*

Dion. Carth. opuſc. de vita ſolitar. art. 7.

Mariæ humilitas quanta.

Ex SS. Patribus.

Chryſol. ſer. 175.

Hugo Vict. in ep. ad Gal. q. 3.

Damian. ep. 21 c. 4.

S. Ioſeph virgo fuit

Ad Mariæ puritatem nemo hominum acceſſit, ſicuti Ioſeph; ideo electus in ſponſum eius, cui erat impar omne hominum genus. In argumentũ & puritatis & paritatis Deus voluit hunc Ioſephum virginem eſſe, vt & clamant plerique Sancti eius virginitatis aſſertores, in quibus conſule Chryſologum, Hugonem Victorinum, & Damianum, quorum iſte ſic fatur. *Eccleſiæ fides in eo eſt, vt non modo Deipara, verum etiam putatiuus pater, atque nutritius virgo habeatur.*

Ex Ivre Civili.

Leg. 2. ff De Legib.

Leg. Teſtam. Cod. de Teſtamentis.

Fauet & Ius Ciuile, cuius eſt hæc iuridica ratiocinatio. Ea, quæ iuris ſunt, legibus rata ſunt, & ſtata, & fixa, nec valet effugium vigente lege, quam vt ait Imperator, *Aut conſenſus facit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo.* Lex enim dicitur à ligando, & vinculo eius ſunt obnoxij omnes infra legem, ita vt propoſita lege, ſtatim iuris quæſtio dirimatur. In aliis verò ſecus ſe res habet. Etenim ſi de facto eſt quæſtio; illud quod fuit, idem eſſe hodie præſumitur, niſi contrarium liquidò ſit probatum, & de eo lex proſtat. Aſt nemo hactenus ritè dubiam fecit virginitatem Ioſephi; ergo ea virginitate, qua natus eſt, vixit & æuo ſuo toto.

Rurſus cum Deus ab æterno ſibi Mariam in matrem elegerit, vtique virginem, & primiceriam virginum; media etiam diſpoſuit idonea ad hoc eius propoſitum confirmandum: inter media autem magis congrua illi inſtituto, iſtud fuit maximè conſonum, ſcilicet ei aptare ſponſum, qui verſaret animo idem propoſitum perpetuæ caſtitatis, cui ſe voto explicito Ioſeph & Maria ſimul obſtrinxerunt, vt canones ſancti clamant, in quibus hunc accipe. *Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde; ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore. Subiecit ſe diuinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeueraturam virginem. Poſtea verò filium genuit, & quod corde conceperat, ſimul cum viro labijs expreſſit, & vterque in virginitate permanſit.*

Ex Ivre Canonico.

Can. B. Mar. 27 q. 2.

S. Ioſeph voto ſe virginitati obſtrinxit.

Quòd ſi argumentum à ſimili valet; Iure Canonico debuit eſſe Ioſeph mundiſſimus, ac proinde virgo; eo namque Iure cautum eſt, Sacerdotes debere eſſe ab omni contagio alienos; quia de eorum iure eſt corpus Chriſti, ab eis ſæpius attrectatum in venerabili Sacramento, vnde arguo. Si tanta decet munditia, corpus Chriſti ſacramentale rarò attrectatum; qualem putas exegiſſe à Ioſepho ſanctitatem idem corpus in vlnas ſæpius aſſumptum, & repetito crebriùs oſculo delibatum? Audiendi canones ſancti. *Neceſſe eſt, vt eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet, ſi ſordida ipſa lutum tenet, ſcriptum namque eſt: Mundamini qui fertis vaſa Domini: Domini etenim vaſa ferunt, qui proximorum animas ad interiora perducendas, in conuerſationis ſuæ exemplo ſuſcipiunt.*

Can. Neceſſe eſt 1. q. 1.

Eucharistia attrectanda manus puras requirit.

Multimodè purificati priſci ſacerdotes ſe accingebant ad ferendum arcam Dei, aut alia quæpiam vaſa. Quo igitur arbitraris ſe accinxiſſe ritu Ioſeph, vt vas omnia ſanctificãs, id eſt, Ieſum puerulum attrectaret? nullo planè ſanctiore potuit quàm emiſſo voto perpetuæ virginitatis excolendæ. Rurſus ea Chriſti & ſacerdotum proximitas, Chriſtianos aliquali modo obſtringit, vt benè ominentur de eis; ergo etiam nefas erit aliquid humile & abſurdum opinari de Ioſepho, cuius vicinia & Chriſti tanta fuit citra generationem, quanta potuit eſſe maxima inter patrem & filium. Vide quàm nobiliter cautum in gratiam eorum, qui Chriſti corporis ſunt miniſtri. *Abſit vt quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus.* Si beneficia accepta à ſacerdote nos adeò ſtrictè deuinciunt, vt etiam faciant impotes ad iniquas ſuſpiciones; quàm nobilia debent eſſe ſenſa noſtra, cùm verſamus obſequia, quibus frequens extitit Ioſeph Deo Domino noſtro addictiſſimus.

Sacerdotes quanti ſint æſtimandi.

Can. Abſit vt 11. q. 3.

In eo propoſito virginitatis coæquales extitiſſe Mariam & Ioſephum, illa liliorum prælibata ſimilitudo inſinuat: etenim quando ait ſponſa, Dilectũ in hortũ deſcendiſſe vt lilia colligat, animũ meum ſubiit Mathematica illa hortorũ compoſitio, qua plerumque areolæ florum ſuis quibuſque cãcellis & figuris diſtinctos habent flores. Lilia verò quia aſſurgunt, & ſtipite toto eminent aliis floſculis, vt plurimũ lineis parallelis hortulo toto ductis optimè concluduntur. Ita Deus in orbis huius oras quia decreuerat ab æterno deuenire, hortulũ ſibi erudita ſua manu cõpoſuit; & quia paſcitur in liliis & virginitas ei ſuaue olet, duas ille duxit lineas parallelas Mariam & Ioſeph, in medio harum linearum lilia hactenus inaſpecta fuere ab ipſomet Deo Domino Iesv ſata, ſcilicet vota virginitatis emiſſa ab his virginibus, quibus reuera lineæ parallelæ quadrant. Audiendus eſt in Mathematicis peritiſſimus Euclides.

Parallelæ lineæ quænam ſint.

EX MATHEMATICA.
Eucl. lib. 1. de elem. Geom. definit. 35.

Euclides. *Parallelæ, rectæ lineæ ſunt, quæ cùm in eodem ſint plano, & ex vtraque parte in infinitum producantur, in neutram ſibi mutuò incidunt.* Vbi aduerte, lineas debere eſſe rectas, ſecundò nuſquam lineas illas iungi, ſed ad extremum vſque terminum eum ſeruare tenorem, quem à ſuo acceperunt exordio. Equidem ſanè rectiſſimæ extitere lineæ Maria & Ioſeph, lineæ inquam iuxta ſe appoſitæ, ſed citra coniunctionem aliam quàm ſpiritus, caſta intercapedine corporum, eadem ipſa corpora ſecernente ita vt eam puritatem, qua pollebant ab vtero Maria & Ioſeph, toto vitæ ſuæ contextu eodem nitore ſeruauerint. Harum linearum medium, reuera floruit vtpote lilio albeſcente ſatum; nimirum virginitas inſita cordi vtriuſque, hoc eorum medium liliis veluti conſitum, Deo exhibuit vtique peramœnum. Hæc duo corda lilio præfulgida ſubiit Deus, antequã ſe eorum familiæ adſcriberet, & abderet humani corporis inuolucris. Quippe natalibus ſuis voluit præire lilia, vt iuxta Hieronymi effatum, in virginali coniugio virgo filius naſceretur.

EX HISTORIA.
Ioan. Franc. de Potit in hiſt. Baſana ſub an. 1463.
Lilium in corde fuit olim obiatũ Lud. XI. Regi Gal.

Ea cordis & lilij combinatio locuples in Maria & Ioſeph, ſibi Deum obſtrinxit arctiùs quàm fecerit olim Regem ſuum Ludouicum XI. famoſa illa vrbs, quam Tornacum vocant. Etenim cum Rex ille Gallus luſtraret præualidas arces regni ſui, & in eam demum vrbem contenderet; effuſa eſt vrbs in occurſum Regis ſui, qui vrbem pompaticè ingrediens, mediis in foribus obuiam habuit virginem ſpecie eleganti inſignem, & regia veſtium pompa conſpicuam; hanc ſtipabat nitidum agmen ciuium, quos ornabat Regi conſonus apparatus. In vno virginis habitu hæſit Ludouicus. Ideo puella hæc illuſtris Regem propitium nacta, ſemotâ faſciâ pectorali protulit cor aureum, quo aperto lilium ſe prodidit, eoque temporis articulo affata eſt Regem hoc contextu: O Rex præpotens orbe toto! in me tibi adſtante vides ſymbolum loquax arcis huius. Ego virgo illibata præfero cor aureum lilio duntaxat conſitum. Ita & vrbs iſta eſt virgo, vtpote nullius vnquã hoſtis paſſa iugum: cor eius reuera aureum eſt, vtique amore diues. Vni autem lilio peruium eſt cor illud rubiginis expers. Etenim vni tantùm tibi Regi liliorum patet hæc vrbs, omnibus aliis principibus obſerata. Equidem inflexit animum Regis breuis illa oratio: namque vrbis illius vota æquo animo excipiens, illi beneficus fuit, multas magnificentiæ ſuæ teſſeras ſpargens; quia hæc arx præualida ſe totam & tantùm lilio reſperſerat, in argumentum fidei, qua ſe Regi Galliæ deuouebat. Deo ab æterno meditanti aduentum ſuum, vna Virgo Maria occurrit, nuſquam paſſa iugum, imò & neſcia æui, cui omnium hominum origo noxia, facit eos obnoxios. Corde aureo, id eſt, amore Dei rutilo præfulſit Virgo illa amantiſſima, quæ omnium virginum prima lilium cordi ſuo inſeruit; namque ab ea emiſſum eſt primum votum virginitatis. Stipata eſt Ioſepho, ornato etiam iiſdem liliis.

Cant. 6.

Itaque æuo præſtituto Deus ad Virgines hos diuertit vt liliorum amans, quemadmodum ſæpe geſtiens præfata eſt ſponſa Canticorum. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Virginem hanc habitu regio preſciit & Pſaltes, dicens eam fuiſſe Deo maximè cordi, & ei ſuo exemplo pleraque virginum agmina conſecraſſe. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Maria ab æterno in ideis Dei à dextris fuit, neſciens quippiam ſiniſtrum: regiis infulis ea dignata eſt, vt regio ſanguine ſata, & Regis Regum Chriſti à Deo addicta natalibus. Gratiarum varietas ingens animam eius effecit polymitam. Illi propitia afflauit aura Spiritus ſancti ingerentis propoſitum virginitatis, quo ſe ſubduceret hominibus, vt totam ſe Deo Domino manciparet. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet Rex decorem tuum.* Audiit ſanè ſibilum auræ tenuis, Deoque vocanti ad lilia morem geſſit; & licet deforis in Virgine rutilarent multæ virtutis ſplendida lumina; Deus tamen cordi eius intentus nihil niſi aureum, abdita rimans deprehendit, ipſo etiam Propheta rei conſcio. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis.* Nempe ea virginea nitela, qua ab ortu ſuo Maria enituit veluti fimbria aurea, nec minimum paſſa eſt diſpendium, toto vitæ tractu eadem virginitatis ſerie fimbriato. Virginem hanc & aliæ poſtmodum virgines æmulatæ ſunt, vt velut illibato agmine ſtiparent eam, Deo Regi virginum obſequentem. *Adducentur Regi virgines poſt eam.*

Pſalm. 44.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

Quàm ſuauiter odore liliorum, quem afflabant Maria & Ioſeph, captus ſit Deus collige ex figura, quam Salomon exhibuit, erigens in porticu templi duas columnas æreas & proceras, quas ſic meminit textus ſacer. *Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant in porticu.* Adiicit textus, eadem capitella fuiſſe malogranatis inſignia; & reuera appoſitè coëunt malogranata & lilia. Etenim fructus ille eſt teſſera amoris, ſicut & lilia virginitatem clamant. Maria & Ioſeph duæ eminentes columnæ fuerunt, pro foribus eius ædis, quam coluit Chriſtus. Sed eſto amore mutuo ſeſe dignati ſint Maria & Ioſeph; non defuere tamen lilia malogranatis; namque virginitas & reciprocus amor conuenere citra diſpendium in Mariam & Ioſeph, vt in vtriuſque gratiæ terminos adæquatos. Et aduerte, benè comporti cum columnis hos coniuges ratione conſtantiæ, & inflexibilitatis; nullo enim impulſu aut peccati aliquo fomite nutauerunt baſes Mariæ & Ioſephi. Et nota, duas has columnas liliis ſuppoſitas congruè reuocare meum aſſertum de lineis parallelis; ſiquidem eâdem proceritate aſſurgebant hæ columnæ: ita & continentia Mariæ & Ioſephi eò ſurrexit, quò euehi poteſt puri hominis nitor, quàm maximè defæcatus; ſiquidem vtriuſque virginitas fuit ſine exemplo, voto præuio & emiſſo, Deo Domino dedicata.

3. Reg. 7.


EX MATHEMATICA.
Eucl. lib. de elem. Geom. axiom. 2.

Neutrius virginitas venit in diſcrimen adiecto Filio; ſed in eo etiam ſtat veritas effati illius ab Euclide vſurpati. *Si æqualibus æqualia adiiciantur, tota ſunt æqualia.* In eo virginum coniugio inſcia Venere editus eſt Chriſtus, Princeps vtique virginum. Hęc Chriſti Virginis editio nihil diſſonum attulit, ſed fecit vt in ea familia fuerit trinitas Virginum. Nota obiter, me non dicere æquales IESVM, Mariam, & Ioſeph, niſi nomine tantùm tenus: Virgines enim tres ſunt, atque adeo non æquali tantùm aut ſimili, ſed eodem nomine nuncupantur; quippe dictionum inopia fecit vt Mariæ & Ioſeph virginitas ſortiatur idem nomen ac virginitas Chriſti, in quo cùm ſint tres ſubſtantiæ, Diuinitas, corpus, & anima, benè

ei

Problem. 1. Propoſit. 1.

ei competit triangularis hæc figura, quæ apud Euclidem exurgit ex recta linea pertingente vtrimque centrum duorum circulorum, qui vbi supernè ſociantur, duas demittunt lineas, quæ incidentes in terminos lineæ rectæ componunt triangulum æquilaterum; habes hic figuram.



Eo planè modo Chriſtus editus eſt; linea recta præſuppoſita editioni corporis eius fuit caro Mariæ, qua nihil habet rectiùs ipſa etiam exquiſita Mathematica: quando autem ſubiacens hæc linea fuerit vnita aliis duabus, quæ deſuper lineam deorſum extentam claudunt vt hîc videre eſt.



Conſule Euclidem, & circino circumacto oſtendet tibi eruditè, duos circulos ſe ſecantes in puncto, demonſtrare vnde & quemadmodum originem habeant lineæ hæ præfatæ: nempe deſuper incidunt hæ duæ lineæ, ex eo puncto, quod exurgit è circulorum ſectione. Etſi Deus ab æterno habuerit illud ſtatum, ſcilicet hominem induere atque adeò conſtituere triangulum; hoc tamen minimè præſtitit, niſi quando duo circuli, ſcilicet duo ſponſi toti teretes atque rotundi in eumdem ſcopum, velut in idem punctum collimarunt. Ambo enim emiſſo voto virginitatis, & anhelantes Chriſti aduentum, pro modulo ſuo contulerunt quod fas erat eis ad hoc myſterium: vt enim circuli ſe ſecantes in puncto triangulum non deſcribunt, ſed duntaxat indicant punctum originis linearum, quæ ex ſubiecta deorſum linea faciunt triangulum æquilaterum; ita Maria & Ioſeph Deo intenti indicant nobis, eum eſſe punctum originis omnium linearum. Etenim Deus Pater eſt fons & origo totius Trinitatis, Verbum autem & anima Chriſti non à Maria procedunt vt caro Chriſti, ſed deſuper, ex eo videlicet puncto, in quo Maria & Ioſeph vnicè conuenerunt, id eſt, à Deo, qui inſtar puncti eſt indiuiſibilis. Rurſus ſubiecta linea quam aliæ præſupponunt, incipit à centro vnius circuli, & deſinit in centro alterius, atque ita perperam quis tentat habere triangulum, circulis inconſultis.

S. Ioſeph ſolus eſt inuentus dignus Mariæ coniugio.

Duo inde effata emergunt. Primum, Chriſtum non influere in animas, quæ alienæ prorſus exiſtunt à figura illa circulari; & adeſſe eis, qui ea puritate nitent, & ſanctitate, & gratiis, quibus Maria & Ioſeph tunc temporis emicabant: ideoque ſe eis addixiſſe Chriſtum, qui erant præcipui mortalium. Alterum quod infero eſt, Ioſeph ſuas obiiſſe vices in aduentu Chriſti; quia cùm nollet naſci Deus, niſi de Virgine deſponſata, vnus inuentus eſt Ioſeph dignus titulo illo eminente coniugis Mariæ, atque ita ſuum præſtitit obſequium illi myſterio, ex quo pendet redux omnium hominum ſalus. Eamobrem ego piè hoc cenſeo, ægrè admodum poſſe adultos fieri compotes Chriſti; Mariæ & Ioſeph precibus inconſultis.

Primum recolamus, ſcilicet puritatem, non Mariæ, de ea namque ſatis ſupérque diximus, vt & de Ioſephi ſanctitate, vbi fuit eius iuſtitia recenſita: hanc ergo hic commemoro ſanctitatem, qua quiſque nitere debet, ſi Chriſti Domini inhiat conſortio: quippe licet omnibus Deo propitio aſſurgere ad eminentem aliquam gratiam; nefas verò eſt ambire titulos Mariæ & Ioſeph, niſi eo ſenſu, quo præfatus eſt Chriſtus, quando inſinuauit ritum, cuius obſequio vnicuique poſſunt conuenire tituli Patris, & Matris Chriſti. Rem ſic deſcribit Codex Sanctus. *Extendens manum in diſcipulos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlo eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Vbi aduerte, animam, quæ Dei voluntati obtemperat, eſſe ad inſtar circuli; quippe omnis, qui mouetur ad arbitrium Dei, ille in modum circuli ſe colligit totum, vt minimo impulſu & nutu eò ſe dirigat, quò tulerit motio percellentis.

Matth. 12.

Rurſus Deus, ex priſca Gentium Theologia, eſt circulus: ex duobus autem his circulis coëuntibus in puncto exurget figura illa triangula, ſi ex vtriuſque circuli centro ducatur linea recta deorſum extenſa, id eſt, ſi nos componamus ad Dei imperium, ita vt Dei, & noſtrum ſit idem velle, & idem nolle, illicò exurget è medio noſtri Chriſtus verè triangulus. Anima ſic Deo fœta beatior eſt quàm ſi citra gratiam Deum concepiſſet. Itaque Mariæ inuideo gratiam, qua veluti præambula ſe accinxit ad titulum matris, & non eſt quòd æmuler alium generandi modum, vt monent Sancti etiam Patres, è quorum choro prodit vegetus athleta Iuſtinus, in gratiam Chriſti & Mariæ ſuo ſanguine purpuraſcens. Sic ille. *Beata Virgo beatior prædicanda eſt ob virtutem, quam habuit, propter quam meruit titulum Matris Dei, quàm ob ipſam Matris dignitatem. Non Matrem debito honore fraudat Dominus, ſed docet, qua ex maternitate Virgo ſit beatiſſima: ſi enim is, qui verbum Dei audit, & custodit, Dei frater eſt, & ſoror, & mater, quorum vtrumque in eius Matre inerat; perſpicuum eſt, Matrem ipſius ex hac Matris ratione beatam dici oportuiſſe.*

EX SS. PATRIBVS.

Iuſt. Mart. l. de fide orth. q. 136.

Maria beatior ob virtutes quam ob maternitatem.

Auguſtinus ſpiritum ebibit Martyris Iuſtini, dum rimatur vnde fuerit Maria beatior, an ex gratiis præuiis, an ex ſua proſapia; ſic ille totam hanc indubiam concludit hiſtoriam. *Felicior partus ſpiritualis, quam carnalis: beatior enim Maria fuit concipiendo Chriſtum fide, quàm carne: materna enim propinquitas nihil ei profuiſſet, niſi feliciùs ipſum fide quam carne geſtaſſet.* Alibi liquidius diluit rem iſtam ab aliquibus controuerſam. *Maternum nomen etiam in Virgine eſt terrenum in comparatione cœleſtis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui voluntatem Dei faciunt.* Accedit & Beda. *Dei genitrix inde quidem Beata, quia Verbi incarnati miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multò beatior, quia eius ſemper amandi cuſtos manebat æterna.*

Aug. lib. de S. Virg. c. 3.

Idem ep. 38.

Beda in Luc. cap. 11.

Et ne longiores traham moras in indagine ſenſus SS. Patrum; Paulus Apoſtolus vno effato rem velut acu tetigit. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor.* Cùm igitur abſurdum ſit ſcrutari aliquid, quod tranſcendat optimum: illud optimum, id eſt gratiam, ſortiri totis viribus enitamur. Quippe eo apparatu gratiæ exquiſitæ Maria ſpirituali modo Mater Dei erat etiam ante Angeli effatum, tanti myſterij præuntium. Audiendus eſt Anſelmus. *Si talis apparatus fit pro aduentu terreni Regis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro aduentu cœleſtis Regis in corde Virginis, quæ illum non ſolùm erat tranſitiuè hoſpitatura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominē paritura?*

Hebr. 13.

Aduentus Chriſti in animū quem requirat apparatum.

Anſel. lib. de excel. Virg. cap. 7.

Quibus

Dion. Carthuſianus l. 1. de laud. Virgin.
Maria quomodo ſe aptauit vt eſſet Mater Dei.

Quibus Mariam dignatus ſit donis Deus, vt ea fieret conſcia conceptus illius, quo Mater Dei effecta eſt, conſulendus eſt Dionyſius Carthuſianus, qui quaſi deficiens in illa ſpeculatione chariſmatum, ſic tandem ſe explicat. *Poſt præſtantiſſima ac excellentiſſima gratia dona, & opera aſſumpta humanitatis à Verbo, primum excellentia gradum ſortita ſunt munera gratiarum Virgini condonata, quæ tam in donis gratiæ gratis datæ, quàm in muneribus, habitibus atque operibus gratiæ gratum facientis, in donis quoque gloriæ poſt filium glorioſè ineffabiliterque præfulget. Etenim ſicut non decuit, naturam humanam niſi pulcherrimè atque incomparabiliter decoratam aſſumi à Verbo. Ita nullatenus decens fuit, perſonam humanam effici Dei Matrem niſi ſpecioſiſſimè ac glorioſiſſimè ornatam.*

Hæc omnia encomia militant pro meo intento, ſcilicet Chriſtum non illabi impuris mentibus, ſed nitidis tantùm, inſtar apum, quæ præteruolant & prætereunt omne immundum, vt inſideant flori rore exudanti. Propoſito etiam titulo ſectionis ſuffragatur tota illa verborum ſeries ſeruata ab Angelo Mariæ pronubo: ille quippe dixit, eam eſſe gratiâ plenam, antequam aſſereret Spiritus Sancti illapſum in animam eius, & conceptionem ineffabilem Verbi; quemadmodum enim terra non germinat, niſi præuio rore ſit madida; ita & anima nõ concipit Chriſtum, ſi in eam non influat gratia, quam figurat humor ille, quo terra deſuper imprægnatur. Eſt enim illud indubium Theologiæ proloquium, hominem omnibus naturæ dotibus inſignem, atque prædiuitem indigere ſupernaturali auxilio, ad hoc vt placeat Deo, ac proinde queat dici Pater & Mater Chriſti. Eò arbitror reſpexiſſe Iſaiam, quando dixit. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Sine enim præambulo influxu, arens anima nequit concipere iuſtum illum, à quo habent & habuere iuſti omnes eam iuſtitiam, qua denominantur iuſti. Ad hoc alludit ille Apoſtolus, qui reprobos vocat. *Nubes ſine aqua.* Poteſt & Iob aduocari ſic fatus. *Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſimè funduntur aquæ. Frumentum deſiderat nubes.* Quaſi diceret, Deo nobis afflante omnia coïre in hominum decus, ſicut & frumentum nube liquata viuit & exurgit: homines autem eſſe vt frumentum diſce ex parabola, vbi Chriſtus ait, reprobos eſſe zizania; iuſtos verò triticum in horrea colligendum. *Congregabit triticum in horreum ſuum.* Non eſt procul à meo ſenſu Gloſſa Strabi Fuldenſis. *Flante Deo concreſcit gelu, quia per inſtinctum Spiritus Sancti timor initialis creſcit in filialem. Et rurſum latiſſimè funduntur aquæ: quia tunc lacrymæ deuotionis & pœnitentiæ fluent abundanter. Frumentum deſiderat nubes. Per frumentum intelligitur cœtus fidelium Matth. 3. Congregabit triticum in horreum ſuum. Qui cœtus deſiderat prædicatores, ſignificatos per nubes iuxta illud Iſaiæ. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant.*

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 108. ar. 2. q. 109. art. 2. 3. p. q. 61. ar. 2.

Iſaiæ 45.

Iudæ epiſt. Iob. 37.
Timor Dei initialis quomodo filialis fiat.

Matth. 3. Gloſſa in c. 37. Iob.

Iſaiæ 60.

Ego liquidiùs & appoſitè magis ad textum quem decurro, qui eſt de virtutum incremento præeunte exordiis Chriſti enaſcentis in anima iuſta, dico, reuera frumentum deſiderare nubes, id eſt, Chriſtum, qui eſt frumentum electorum, ſi nanciſcatur animam neſciam roris & gratiæ, non altas illic agere radices, ſed eo arente ſolo fruſtra eniti in inane cacumen frumentum illud emoriens. Quippe ex Propheta. *Valles abundabunt frumento. Et inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Id eſt, quia humiles gratia exudante madent, ideo inter medium montium pertranſeunt aquæ: aquæ autem vt imprægnat agros, quos alluit, eſt ſymbolum gratiæ, quæ fœcundat eos, quibus eſt cœlitus impertita. Indubios huiuſce veritatis accipe vades, Mariam, & Ioſeph, humiles reuera valles, quibus vberrima ſeges frumenti commendata eſt, quando Chriſtus ab eis educatus, fidem fecit Vati præſcio huius myſterij, dum dixit, frumentum gaudere debilecente ſolo. Cùm enim largior aqua influat in valles, eo etiam tutiores ſunt ab æſtu, quo torridæ planities ineptæ ſunt frugibus excolendis. Aliena planè fuit Maria ab æſtu, vtpote obumbrata à Spiritu Sancto. Huc aduocandus eſt Seraphicus Doctor. *Quia vmbra non aliter exprimitur niſi per lumen & corpus; virtus Altiſſimi obumbrauit Mariæ: quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit, ex qua videlicet obumbratione, omne in ſe refrigerium mentis accepit.* Quiſquis igitur declinare volet inopiam hanc frumenti, cuius adipe ſaginatur homo, operæpretium eſt vt aſſueſcat prælibato illi Iſaiæ voto. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Namque citra pluuiam gratiarum, nõn germinat hoc frumentum, atque adeò neceſſe eſt, animas eſſe in ea penuria marceſcentes.

Pſal. 64. Pſal. 103.
Humiles alluunt gratiæ multæ.

Bonau. l. 1. Pharet. c. 3.
Maria quomodo fuit obumbrata à Spiritu S.

Iſaiæ 45.
Gratia Dei animam impinguat.

Faxit Deus vt hunc ſortiamur exitum ſalutarem, quo dignati ſunt Saxones Auſtrales priſcis Eccleſiæ temporibus. Ea gens infidelis viſa cœlo neſcio pluuiæ, & paſſa diram famem, nulla idola præteriit inconſulta. Irritis eorum votis, ad eos appulit Vuilfridus Epiſcopus Eboracenſis; inaugurauit eos ſacris fidei myſteriis, tradens Religionis prima rudimenta, quibus ebibitis, demum eos tinxit aquâ ſalutari. O prodigium! Quaſi cælos pœniteret priſtinę ſiccitatis, illico in pluuiam liquati ſunt, qua terra in puluerem diſſoluta madens, in vberem ſeſe indolem compoſuit, vnde emerſit multa rerum congeries. Enata frumenti vbertas data eſt aquæ baptiſmali, quam comitatur ſemper ſalutaris imber gratiarum. Penes nos eſt æmulari egregium hoc inuentum eorum hominum, quos dira vexabat inopia. Et vtinam eorum veſtigiis inſiſtamus. Heu quantam patimur famem Chriſti, frumenti opimi, imbellẽ trahimus animam, & impotem ad præclarum aliquod facinus extendum; quia impaſta labat, vbi agitur de aliquo conamine ad virtutem. Conſulẽdus eſt Deus, & illi ſunt dandę manus, quibus diabolo, carni, & ſæculo herbam porreximus. Hæ manus ſupplices Deo explicatæ non recedent indonatæ. Pœnitentibus Deus obuius, eos affatim ditat largo gratiæ influxu: hunc autem influxum rerum omnium meſſis opima conſequitur: vt videre eſt in Maria, quam vbi Angelus dixit gratiâ plenam, illico adiecit eam concepturam Chriſtum; & Spiritum Sanctum deſuper illapſurum. Hoc igitur eſto ratum, eos aduerſo flumine niti, qui vbi genio noxiè indulſerint, tentãt Chriſtum conciliare ſibi, gratia dedignata. Si enim Maria &

Ex Hiſtoria. Beda l. 4. hiſtor. c. 13. Baro. Annal. Eccl. tom. 8. an. 681.
Baptiſmum quot benedictiones excipiant.

Ioſeph nihil vnquam impurum nacti, tot ſe gratiæ præludiis aptauerunt, ad receptionem Chriſti; qua nos decet cura inſudare, vt Chriſtus redux, peccati contagio ſordidis mentibus illabatur?

Nerui optici quomodo ſunt diſpoſiti.

Ad eum apparatum quem inculco, facit obſeruatio mira medicorum, qui etiamſi requirant ſpiritus animales ad ſenſationem vt loquuntur; tamen ad excipiendum lumen, notant omnium neruorum eſſe principes aſſignatos, eos ſcilicet, quos opticos vocant, qui ſine coniunctione vlla ſociantur, imò ſine mixtione paulo ab ortu ſuo vniuntur, & ſubinde diſſiti ad ſuum quemque oculum vergunt, ſpiritu ampliore fœti quàm neruorum quæuis alia contextura. Audiendus eſt Fernelius. *Neruorum, qui ex ventriculis in ſenſuum inſtrumenta contendunt, propagationes hæ ſunt. Omnium prima in oculos traiicitur atque inſignitur, cuius nerui inſignes ſunt, & inter cæteros maximè concaui, dicti Græcis ὀπτικοί, molles ij, & ampli, per quos videndi ſpiritus inuebitur. Duo quidem ſunt, vt oculi diuerſis enati locis, ſed qui à media curſus via qua decuſſati coitionem faciant, moxque diducti in ſuum quiſque è regione oculum feruntur.* Hæc ille.

Ex RE MEDICA.
Fernel. l. 5. Phyſiol. c. 9.

Eccleſiæ neruos dixerim eſſe Sanctos omnes, qui reuera diuina ſapiunt, & ſentiunt ſuffragio ſpiritus illius, qui à capite Eccleſiæ Chriſto procedit. Sed vbi actum eſt de lumine excipiendo, eo ſcilicet, de quo Nicæna Synodus ait eſſe *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Deus ad hoc duos principes Sanctos conſtituit, ſcilicet Mariam & Ioſeph, quibus ad amuſſim quadrant epitheta adiecta à Fernelio neruis opticis, quos vbi vocauit omnium propagationum à cerebro primam, ait eos neruos eſſe inter cæteros inſignes, maximè concauos & molles. Res hæc medica, penu locuples conceptuum aperit nobis, in themate propoſito de Maria & Ioſeph ritè diſpoſitis ad excipiendum Chriſtum, qui ſeipſum in Codice ſacro lucis nomine recenſuit. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Equidem illi fuere præcipui inter Sanctos, & in ea propagatione beatorum, qui ex Dei intellectu prodiere ab æterno, principem ſub Chriſto locum tenuere illi duo parentes Chriſti: licet enim Deus vnico conceptu omnia liquidò comprehendat; tamen ex Philoſopho: Sicut ſe res habet ad eſſe, ita & ad cognoſci. Igitur cùm Maria & Ioſeph nacti ſint eminentem aliis omnibus ſtatum, primas etiam vices in intellectione Dei ſortientur. Id eſt, Deus ab æterno vidit, in Maria & Ioſepho eſſe plura chariſmata ſuo intuitu digna, quàm in toto hominum cœtu. Ideo oportuit hos omnium Sanctorum proceres coniungere, ſine permiſtione tamen, vt liquet in opticis neruis, qui etſi conueniant, non miſcentur tamen. Vnde idoneum exhibent ſymbolum coniugij Mariæ & Ioſephi, quorum ſocietas vtriuſque virginitati non iniqua fuit. item vt ditiorem prouentum ſpirituum acciperent à capite illi nerui, effinxit eos natura concauos, & inſignes.

Ioan. 8.

Mariæ humilitas in oblatis honoribus enituit.

Eo etiam modo Deus animas Mariæ & Ioſeph inclinauit virtute humilitatis, vt in eius ſpeculatione ſtupeat omnis omnium Sanctorum chorus, è quo canora Bernardi vox ſic occinit. *Semper ſolet eſſe gratiæ diuinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo reſpondet, vt ſedes gratiæ præparetur: Ecce (inquit) ancilla Domini. Quæ eſt tam ſublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, inſoleſcere gratia neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. Non mediocris reuera humilitatis inſigne, nec oblata tanta gloria, obliuiſci humilitatem. Num magnum eſt eſſe humilem in abiectione? Magna prorſus & rara virtus, humilitas honorata.* Idem Sanctus quaſi alludens ad neruos opticos, qui in concauos tubos & canales effecti ſunt, vt aſſueſcant luci, ſic ſuadet humilitatem, quam Hugo vocat concauum quoddam & inane. *Conformare filio hominis, & non primo homini, quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis ſcilicet & terreni non aſcendit. Oculum quoque purga, vt videre poſſis meriſſimam lucem.* Item ſicuti neruorum illa concauitas eos opticos facit, id eſt, luminis perioſiſſima & humilitatis præmium eſt, veritas ſeu Dei cognitio, vti explicat idem Sanctus, inducens Chriſtum ſic docentem. *Ego ſum via, veritas, & vita. Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad veritatem. Si imitaris eum, non ambulas in tenebris, ſed habebis lumen vitæ. Quid eſt lumen vitæ, niſi veritas, quæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, oſtendit vbi ſit vera vita? Ideo cum dixiſſet: Ego ſum via & veritas; ſubdidit: & vita; ac ſi diceret: Ego ſum via, quæ ad veritatem duco: Ego ſum veritas, quæ vitam promitto: Ego ſum vita, quam do.* Ioſeph etiam vt Mariæ conſors, eius humilitatem æmulatus eſt pro modulo, & quantùm fas eſt homini ad Mariam accedere, vt alia ſectione dicam fuſiùs.

Ex SS. PATRIBVS.
Bern. hom. 4. ſup. Miſſ. eſt.
Idem ſerm. 4. in vigil. Nat. Dom.
Bern. tract. de 12. grad. hu.
Chriſtus, quomodo ſit via, veritas & vita.

Neruis his concauis, id eſt, Mariæ & Ioſeph mira humilitate conſpicuis congruè adſcripſeris ſymbolum illud egregium, cuius meminit Ferrus in theatro ſuo, vbi pingit ſpicas humiliato culmine deorſum inflexas, hoc titulo. MATVRITATE INCLINANTVR. Ita & appoſitè dixeris, Mariam & Ioſeph eſſe ſpicas, & equidem opimas & feraces; vt enim ſpicæ triticum portant, ſic coniuges illi ſancti: vtroque ſuas alternante vices, fuere geruli Chriſti, hoc omnium gratiarum pondere humiliores, & minimè tumeſcentes. Adeò vt quærenti, qualis ſit habitus Mariæ & Ioſeph, dum baiulant Chriſtum, ſymboli titulus ille verax faciat ſatis MATVRITATE INCLINANTVR. Coëunt titulus ille, & Dauidis verſus, quem memini ſupra. *Valles abundabunt frumento.* Quemadmodum enim valles irriguæ multo gramine luxuriant, & frumento pingui gaudent; ſic frumentum electorum Chriſtus infans geſtiit adoleſcere in vlnis Mariæ & Ioſeph, ſicut in vallibus hoc germine diuino ſatis. Quò namque eſt humilior anima, eò etiam eſt omnium virtutum affluxu feracior. Eamobrem virtutum omnium chorus, indubium eſt humilitatis argumentum: quia vt ſuperbis reſiſtit Deus; ita & humilibus dat gratiam, nec alio calle Maria aſcendit ad gloriæ apicem, iuxta Bernardi conſilium. *Oportet humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi in ſe firmiter fuerit per veram humilitatem ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur, propterea qui prouehendus eſt, humilitate meretur.*

Humilitas virtutes conſequitur.
Ex SYMBOLIS.
Io. Ferrus p. 2. Theatri.
Pſal. 64.
Humilitas quare ſit neceſſaria.
Bernard. ſerm. 34. in Cantica.

Ad

Ad ſummam humilitatis eius, qua Maria enituit, facit illa reſponſio, qua ſe ancillam Domini profeſſa eſt, etſi Angelus eam vt Reginam rerum, annuente Deo Domino, compellaret. Nempe ex Philoſophia in repentinis operamur ex habitu eo, qui altiores radices egit, vt qui iurare aſſuetus eſt, ad minimam iniuriæ auram eructat blaſphemias; qui verò ſecus omnia ſua committit arbitrio Dei, ad omnes vtriuſque ſortis caſus nunquam imparatus exclamat vt Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Repentina ſanè fuit illa Angeli legatio, quæ Virginem reperit imparatam, ad inſignes hos affatus eam vt Deiparam recenſentes. Sed eſto turbata ſit; repentinus tamen ille caſus, non immemorem fecit habitus eius virtutis, quæ tenaciter animo inſederat: & hæc eſt ania ſtuporis, qui Bernardum ſui impotem fecit, quando ſupra exclamauit. *Rara virtus humilitas honorata.* Quæ alibi rara fuit, multa extitit in Maria, cuius etiam exemplo Ioſeph humilior, in ea Virginis ſchola quantùm profecerit, rem eſſe ineffabilem credo: licet tamen arguere ex vtriuſque coniugio, non fuiſſe omnino diſſonas partes eidem iugo appoſitas. Cùm enim matrimonium ſit iugum, vt ſonat vox ipſa coniugij deducta à iugo, duo homines ſtatura impares eidem iugo minimè conueniunt; valde enim abſurdum eſt eidem iugo ſubmittere colla puſilli hominis, & gigantis. Alienum planè fuit à Deo opus hoc diſſonum, in re adeò conſona hominum ſaluti, vt fuit coniugium Mariæ & Ioſeph. Itaque Deus ſponſum hunc adſciuit ad hoc iugum; quia nemo magis ad Mariæ humilem ſtatum acceſſit. Et vt par neruorum opticorum dicitur prima coniugatio; ita & Mariæ cum Ioſepho ſocietas dicitur, primum coniugium. Eorum neruorum ſuffragio percipitur lumen neceſſarium ad ducatum corporis; ita & orbis vniuerſus Mariæ & Ioſeph interuentu, Chriſtum accepit, quo irradiante, ſequaces eius non deuiant à præſtito calle omnibus hominibus.

Iob. 1.

Maria ſollicita eſt de omnibus nobis

Res medica adiicit, neruos illos concauos eſſe, & molles. Ita & in Maria humili & concaua, nihil durum & auſterum reperire eſt, tota benigna eſt & ſuauis, & ad miſerandum prona, vt diſcere eſt ex collegio Sanctorum omnium Patrum, qui ex eius alta ſanctitate, ſummam etiam miſericordiam in ea colligunt eminere. Prior occurrit Auguſtinus. *Sicut apud Deum eſt beata Virgo potentior; ita & præ omnibus Sanctis eſt pro nobis ſollicitior.* Bonauentura Mariæ addictiſſimus ait abyſſum miſeriarum inuocare abyſſum miſericordiæ, quando homines reprobi Mariæ opem ſupplices emendicant. Miſericordiæ eius eſt aſſertor S. Ephræmus ſic fatus. *Intemerata, prorſúſque pura Virgo Deipara, Regina omnium, ſpes deſperantium, tu prorſus procellis vexatorum ſolatium, mundi carcere clauſorum liberatrix, tu orphanorum ſuſceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus.* Sanctus Germanus breuiloquio ſuo plura aliis omnibus eloquitur. *Potens eſt auxilium tuum, ô Deipara, ad ſalutem, & non indiget aliquo alio ad Deum interceſſore.* Conſonat & Damianus. *Fecit tibi magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cælo, & in terra, & nihil tibi*

EX SS. PATRIBVS.

Aug. ſerm. de Aſſumpt.

Bona. in ſpec. virg. c. 5.

Ephr. Syrus or. de laud. Mariæ.

Germanus Conſtantin. ſerm. de zona Virginis.

Damianus ſer. 1. de Nat. Mariæ.

impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem beatitudinis erigere. Quomodo enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obuiare, quæ de carne tua ſumpſit originem? Quis ergo inficiabitur, Mariam hominum precibus emolliri, cùm maximè ei quadret illud Hieronymi effatum. *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando per ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, pro aliis orant; quanto magis poſt coronas, & triumphos?*

Hieronymus l. contra Vigilantium.

Sancti in cælo ſunt pro nobis ſolliciti.

Si Maria in nuptiis Galilææ præſtitit ſe ſedulam, vt leuaret inopiam vini, quod defecerat in epulis; quid arbitraris, eam operari in cælis, vbi Mariæ virtutibus Deus ipſe coronidem impoſuit. Nequaquam inueniet difficilem qui conſulet eam, ſicut ex Bernardo cōmemorat Dionyſ. Carthuſ. *Tu mater miſericordia pro miſeris Filium tuū rogabis; quoniam Deus Pater, qui Filium ſuum inter Deum & homines poſuit mediatorem, te quoque inter eos, & Chriſtum Iudicem, poſuit mediatricem. Et ſicut tu iudicem nunquam inuenis difficilem; ſic te reus nunquam inueniet inexorabilem. In manibus tuis ſunt omnes theſauri miſericordiarum Dei: ideo regratiemur Deo, quòd talem nobis contulit adiutricem.* Quomodo autem Mariæ fuerit cura hominum a Deo demandata, pergit idem Dionyſius expendere. *Volens Rex Meſſias Chriſtus Dominus propriam exaltare honoraréque Matrem, conſtituit eam inter ſe iudicem, nóſque iudicandos mediatricem; ſtatuit eam apud ſe noſtram aduocatam, commiſit ei militantem Eccleſiam, ſubiecit ipſi omnium electorum cateruam, eatenus vt niſi per eam nihil nobis donetur; ita vt ſi nos exaudiri, ſi indulgentiam gratiámque ſortiri contigerit, totum per Mariam nos adipiſci ſciamus, in cuius manu ſalus noſtra repoſita eſt.* Hæc ille.

Maria à Deo conſtituta mediatrix.

Dion. Carthuſianus opuſc. de laude vitæ ſolitari.

Idem lib. eodem a. 7.

Mariæ ſalus noſtra commendatur.

Inſtabis fortè, iniuriam fieri Chriſto, ſi quandoque aliò noſtra diuertat oratio: quippe in eo ſunt theſauri omnes, & prædiuites gazæ omnium gratiarum, vt piè meditatur Ambroſius. *Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus. Si à vulnere curari deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi indiges auxilio, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cælum deſideras, via eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt.* Reſpondeo, Mariæ clientes minimè eſſe Chriſto iniurios, ſed potius obſecundare votis Dei, qui prouidit nobis mediatricem, ne fieret quiſque repulſæ obnoxius, ſi ad Deum accederet Virgine hac inconſultâ. Aduocandus in eo themate Bernardus. *O homo, ſi ad Deum Patrem vereris accedere, ad Filium fuge; quia hunc tibi fratrem Maria dedit: ſed ſi fortè in ipſo maieſtatem vereris diuinam, ad Mariam recurre, in qua eſt humanitas pura; & ipſa exaudietur pro ſua reuerentia. Opus eſt mediatore ad mediatorem illum; neque alter nobis vtilior quàm Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt. Aduocatum vis habere ad ipſum, ad Mariam recurre.* Baſilius multo æuo ſuperior Bernardo, occurrit hominum deliquio, ſic hortatus. *Ne ergo diffidas, ô peccator, ſed in cunctis Mariam ſequere, & ipſam inuoca, quam Dominus voluit cunctis ſubuenire.* Fiduciæ, quam ingerit pietas in Mariam Anſelmus hanc

Chriſtus quomodo ſit nobis omnia.

Ambr. ſer. 39.

Maria mediatrix eſt apud mediatorem.

Bernard. ſer. de natiuit.

Baſilius ſerm. de Annunt.

Anſelm. de excellent. Virg. c. 2.
Maria propter peccatores facta Dei mater.

rationem iduneam adfert. *Scio illam magis propter peccatores quàm propter iuſtos eſſe factam Dei matrem. Dicit enim filius eius, ſe non veniſſe vocare iuſtos, ſed peccatores. Apoſtolus quoque teſtatur quòd Chriſtus in hunc venerit mundum peccatores ſaluos facere, quorum ſe fatetur primum eſſe. Sic igitur propter peccatores ipſa, ſcilicet propter me, meique ſimiles, facta eſt Dei mater. Quomodo ergo immanitas qualibet peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam eorum? cùm tam ineffabile bonum ſit factum ex ea ob curationem eorum?*

S. Ioſeph ſuffragia quanti ſint meriti.

Vt prima coniugatio neruorum mollis eſt, & facilis inflecti; ita & primum hoc coniugium Mariæ & Ioſeph fuit miſericordiâ inſigne. Namque Mariæ conſors & æmulus Ioſeph, pius eſt atque miſericors, ita vt ab eo clientes eius diſcedere nequeant indonati. Eamobrem Præſul à Capite fontium ſic exclamat. *O Beatum virum hunc, cui contigit talis filij eſſe nutritium, patrem dici! O beatos eos, quos iſte dilexerit, quos ſub ſua ſuſceperit Sanctus iſte protectione!* En argumento ſuadet Ioſephi obſequium Iſolanus ſic fatus. *Quid Ioſepho negabit filius Dei, qui totis charitatis viſceribus illum ſemper dilexit? Quis filius, niſi ingratus, æterna mandat obliuioni paterna beneficia? Cùm itaque ad Sanctum Ioſeph accedimus, eius imploraturi ſuffragia, ne quaſo titubemus, ne formidemus, ſed conſtanti teneamus fide, talia Deo immortali vota fore gratiſſima, necnon & Regina Angelorum.* Adiice & mox laudati Præſulis hunc contextum. *Ioſephum debito veneremur in terris honore, quem Deus pater honorificat in cælis, quem Deus Filius vt patrem, & hoſpitem agnouit in terris, honorat in cælis; quem eius Mater vtique honorat vt maritum: neque enim vanus erit noſter honor, & noſtra deuotio: nam ſi ſerui & amici multa apud Deum poſſint, eorúmque Deus voluntatem facit, quanta hic vt pater, quanta vt fidus charuſque poterit hoſpes. Quanta ergo cum fiducia (quod olim Cicero Cæſarem pro Deiotaro ipſius Cæſaris hoſpite orans dixit: Per dexteram obteſtor, quam hoſpes hoſpiti porrexerat, viro parceret, & obtinuit) dicere Chriſto potero: Per dexteram te Chriſte obteſtor illam, quam hoſpes quondam porrexiſti Ioſepho, mea mihi condones peccata, gratia tua recipias ſub alas, méque hoſpitis tui chari indignum licet ſeruulum, protectionis tuæ digneris beneficio.*

Chriſtopho. Archiepiſc. à capite font. lib. de perpetua virginitate Mariæ & Ioſeph.
Iſolan. 4. p. cap. 8.
Chriſtophor. Archie. vbi ſuprà.
S. Ioſeph quonam ſit honore dignus.

Si quis dubiam facit poteſtatem Ioſeph, conſulat ille Ius Ciuile, quo liquet multiplex ratio inſinuans argumenta poteſtatis, quę eminet in hoc Sancto. Prima occurrit lex illa, qua vnicuique ius conceditur petendi licitè rem ad quam ſibi vindicandam pluribus titulis innititur, eique alia lege fas eſt, vna vel pluribus ſimul vti actionibus, ita vt vnâ explicatâ, poſſit & aliam repetere. Leges illæ militant Ioſepho, qui B. V. Mariæ ſponſus extitit, & Pater nutritius Chriſti, & hoſpes multis annis. Iura hoſpitalitatis eam apud omnes meruere auctoritatem, vt & ipſi Reges non illius iuris immemores, rogati à ſuis hoſpitibus multa conceſſerint in gratiam accepti hoſpitij.

EX IVRE CIVILI.
Lege non eſt nouum ff de actionibus. l. Hæredes §. Pluribus ff. Familia herciſc.

Locuples eſt exemplum Regis Ludouici XI. Galli, qui poſtera ætate patris ſui Caroli VII. dinerſatus eſt apud Ducem Burgundiæ degentem in Belgio; vbi audiit patrem ſuum ceſſiſſe fatis, nihil cunctatus ad propria repedauit, ſtipatus multo agmine nobilium, imò & ipſo eius hoſpite Duce Burgundo, qui adfuit inaugurationi Ludouici in Regem. Myſteriis ritè peractis, adſtitere principes epulis inſtructis apparatu congruo inuitatis. Sub finem conuiuij, ſtupente tota corona nobilium, ſurrexit Philippus Dux Burgundus, & humili corporis habitu, Regem ſic affatus eſt: Si quid merui, ô Rex, eo æuo toto, quo egiſti in Belgio, vbi hoſpitij obſequia præſtiti quæ potui; in gratiam exhibiti famulatus enixè rogo, vt excidant animo tuo acceptæ iniuriæ à ſubditis tuis, qui ſi adeò inutij extiterunt, vt procul à venia ſint, da mihi, Rex, hoſpiti tuo gratiam, cuius impotes eos faciunt crimina perpetrata. Rex etſi orationis huius exordio dubius audierit hoſpitem ſuum reis prouidentem, dedit tamen manus, memor beneficij accepti, & irritã voluit eſſe vindictã eam, quã animo cõceperat.

EX HISTORIA.
Duplex in Ludou. XI.

Iniuriarum remiſſio res eſt regia.

Pluribus annis Chriſtus diuerſatus eſt apud Ioſephum, qui ei gratiora officia exhibuit illis omnibus acceptis in Belgio à Ludouico extorri. Triginta annos egit Chriſtus in Ioſephi paupere tugurio; illic Ioſephus curſuum Chriſto appoſuit. Eſt enim Chriſtus Aquila illa grandis, quæ gaudet & paſcitur medulla cedri. Dux Burgundus ſanè inuitus & ægrè Ludouico refugæ fuit obſecutus, animaduertens Regem Gallum Carolum VII iniquo animo ferre filij ſui indolem peregrinã. Tamen illud quod præſtitit Ludouico fronte tenus obſequium ita menti hoſpitis inſedit, vt animo verſantem præterita officia, Dux ille perculerit ad veniam dandam immeritis. Si ergo exoratus Ioſeph à famulis & clientibus ſuis, Chriſtum Regem compellarit in gratiam illorum, proculdubio Chriſtus memor multiplicis obſequij, hoſpitem hunc dignabitur gratiis exoratis.

Ezech. 17.

In ea eſt ſententia Chriſtophorus Archipræſul. *Vide filij Regum quanta pro ſuis nutritiis faciant, & pro ſuis nutricibus, & quanta pro ſuis amicis apud eos poſſint impetrare. Non credas Chriſtum vnquam obliuioni daturum, quantùm Ioſephus pro eo laboris ſuſtinuerit, quantùm illi debeat, atque ideo multa pro eo & fecit ſemper olim, & in illius gratiam deuotis eius facere paratus in æternum erit. Leoni comparatur Chriſtus, propter animi generoſitatem, & nobilitatem. Leone autem nihil eſt magis gratum, nihil quod acceptum beneficium maiori cum diligentia & animi gratitudine rependat.* Hæc ille appoſitè appoſitè ad hiſtoriam prælibatam. Meo etiam intento ſuffragatur Iſolanus. *Ioſeph Deum Dei Filium excepit, nudum pannis operuit, eſurientem pauit, infirmum per infantiam & iacentem viſitauit, nudum balneis fouit, ſiue per ſe, ſiue matris ſuffragia præſtans. Hinc Ioſeph extremo in iudicio audentiùs Deo dicere poterit: Ego, ô Deus immortalis, non minimum ſolùm tuum eſurientem paui; ſed teipſum ſitientem potaui, nudum cooperui, infirmum viſitaui. Quidquid eidẽ humanitatis exhibere cõuenit mortali homini, ego tibi homini facto exhibui.*

Chriſtophor. Archiep. à capite font. lib. de perpet. virgin. Mar. & Ioſeph.

Si titulo ſponſi, Ioſeph quidpiam vult alicui affingere, Mariâ vſus mediatrice, neſciet repulſam. Cùm enim Maria prępotens ſit apud Denm, & coniugis illibati reuerentiam non omnino exuerit: ſponſus eius ea annuente, ad arbitrium ſuum deuotos ſuos inſignes faciet. Simili ſuffragio debuit omnem gloriam ſuam

Cardinalis

Illeſc. in vita Card. Ximenis. Cardinalis Ximenes Reginæ Hiſpan. debuit ſuam dignitatem.

Cardinalis ille Ximenes, perenni memoriæ faſtorum obſequio conſecratus. Hominem hunc humili loco natum voluit ad primas infulas Eccleſiæ Toletanæ euehere Ferdinaodus Rex Hiſpaniæ; ſed quia ille erat tantùm eatenus regno præpoſitus, quatenus erat coniuna Reginæ Iſabellæ, penes quam erant iura regni; Reginam haoc ſponſam ſuam conſulit, commemorans merita Franciſci Ximenis, & bcuè de eo ominatus, Reginæ animum inflectens, fecit hominem Antiſtitem, & poſtmodum, conſciâ etiam Reginâ, eumdem Præſulem Papa Cardinalium eminenti purpura decorauit. Altioris equidem meriti eſt Ioſephus, atque adeò quidquid à ſponſa ſua Regina cæli petierit, illico referet: vnde totam hiſtoriam meritorum Sancti Ioſeph ſic concludit Iſolanus. *Quocirca mortalium inter patronos apud Deum arbitror Sanctum Ioſeph eſſe efficaciorem, ac poſt Beatam Virginem Reginam præſtantiorem.*

Gerſon. ſer. de Nat. Mariæ conſiderat. 3. S. Ioſeph quantus ſit in gloria.

Præfatæ hiſtoriæ lumen adiiciunt his, quæ recenſet pietate & doctrina famoſiſſimus ille Gerſon, cuius accipe doctrinam. *Cum gratia ſimiliter & gloria naturam non tollant, ſed extollant, & perficiant; cogitemus pia deuotione, quòd ſi vinculo quodam naturali obligatio conſurgit filij ad matrem, & matris ad ſponſum ſuum, & vtriuſque, ſcilicet filij & matris, ad fideliſſimum, vigilantiſſimum, & ſedulum cuſtodem, & nutritium Ioſephum, qui fuit caput Mariæ, habens inde auctoritatem aliquam in Mariam, ſicut & Maria ſuo modo in filium ſuum Ieſum iure naturalis maternitatis; quantus æſtimandus eſt iuſtus ipſe Ioſeph in gloria & in cælis, qui talis & tantus inuentus eſt hic in miſeria, & in terris. Ex quibus patet, quòd nullus Sanctus in cælis eſt maior Sancto Ioſeph, poſt Virginem benedictam.*

Si Iſabellæ Reginæ tantus fuit amor, vt quædam iura ſua ſponſo conceſſerit; quantùm putas Mariæ amorem in coniugem ſuum daturum in gratiam illorum, quibus ille æquior fiet, & maximè cùm virtutes in via nobis inſitæ, ſuum complementum in gloria nanciſcantur; vt eruditè enarrat lucidum Iubar Theologiæ Iſolanus. *Apud cæli ciues non minuitur charitas, mutua dilectio, affectus, vota non perduntur, ſed ad perfectum vſque aſcendunt. Nam qui ſecundùm Deum hic mutuo ſe dilexerunt, cùm fuerint cæleſtem ingreſſi patriam, ampliori ſe dilectione proſequentur. Quòd ſi hæc in Sanctis inueniuntur, quid erit Sancto Sanctorum Deo vero? Itaque cum Dei Filius intuetur in lumine ſuæ gloriæ quempiam Sancto affici Ioſeph, illius ſtudere honori, eius implorare ſuffragia; gaudet profectò; vt filius ſuum nutritorem honoret, annuit votis, exaudit clementiùs, & pro paterna gloria abundantiùs munera inuocantibus effundit cæleſtia: quia tota applaudit curia cæleſtis, quando Saluatoris nutritor honoratur.*

Iſolanus 4. p. c. 8.

Alio argumento Ioſeph potenti ſuffragio poteſt Deum inflectere, nimirum commemorans ſe patrem Chriſti; quippe titulus ille non tam orat, quàm imperat. In figuram huius rei vide quomodo Iacob filium ſuum Ioſeph Proregem Ægypti deprecetur. *Vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum. Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manū tuam ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto; ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condaſque me in ſepulchro maiorum meorum. Cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam quod iuſſiſti. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi.* Aduerte eo textu ritum reuera peregrinum deprecandi, quo compellit filium ſuum ad iuſiurandum, vt eo velut vinculo obſtrictus reſilire nequeat à promiſſis. Diceres non orare, ſed iubere. Abſit vt in cælis arbitrer vigere illud imperium, quod Ioſephus exercuit in Dominum Ieſum, qui erat ſubditus illi. Etenim ceſſante illic cauſa ſubiectionis, nequit & ſtare effectus. Nimirum Chriſtus in ſtatu viatoris ſeſe compoſuit in ſcopum, ad quem collimare debent ſectaces eius: atque adeò formulæ omnes humilis animi eum tunc decebant, vti Myſtagogum. At ſalutis humanæ myſterio conſummato, & homine reddito cælis, Chriſtus non ſubditur, ſed eam perſonam agit, quæ decet caput Eccleſiæ: nefas eſt tamen arbitrari, eum eſſe immemorem eius tituli, quo dignatus eſt Ioſephum, qui in gratiam fidelium Chriſtum ſic compellat: Chriſte Deus, ſiquid vnquam præſtiti gratum tuæ maieſtati, præmium qualecunque emergit, quæſo refunde in caput eorum, qui meo ſtudent obſequio, vt non pereant in Ægypto, id eſt, non excidant gratia, qua cenſentur in numerum filiorum Dei. Moriantur morte iuſtorum, vt oſſa eorum, ſeu virtutes animæ robur, minimè peſſum eant, facta ludibrium reproborum.

Gen. 47.

S. Ioſeph oratio, quam in cælo fundit pro ſuis cultoribus.

Quem effectum ſortita ſit oratio Patriarchæ Iacob, diſce ex tenore hiſtoriæ, quæ vbi recenſuit mortem venerandi ſenis, adiicit luctum filij eius, & ſtudium condiendi corpus inanime. *Præcepit ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Reuera Deus eam prouinciam demandat Angelis ſuis, vt animas condiant eo aromate, quod ideo accipiunt in gratiam fidelium, qui ſibi S. Ioſeph peculiari obſequio deuinxerunt. Demum vt rerum obiectarum ſpecies non ſe inſinuant menti niſi beneficio neruorum opticorum; ita Mariæ & Ioſeph ſuffragio multa chariſmata nobis Deus liberalis impertit. Vtique Maria ſociata Ioſepho inuenta eſt in vtero habens de Spiritu S. ita vbi anima adoleſcit in virtutum omnium incremento, non procul eſt Chriſtus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, vtique Sanctis, ad inſtar Mariæ & Ioſeph, qui cùm fuerint lilia conualliū, quid mirū ſi editus ſit Chriſtus in ea familia, quæ vt hortus concluſus erat conſita liliis, quibus paſcitur ille Deus amantiſſimus florū, non eorū, quos fucus adumbrat, ſed quos natura homini indulgēs prodiga ſpargit.

Gen. 50.

Naturam apum ſuo exemplo approbat Chriſtus, veris tantùm gaudens floribus & non ementitis. Non erit abs re referre hiſtoriam, cuius fides eſt penes Hebræos ſcholiaſtas tertij libri Regum: narrant hi interpretes; Reginam Saba tentaſſe Salomonis ingenium multifariam, an eâ polleret induſtriâ, quæ percrebuerat orbe toto. Mulier ſagax factura periculum ſcientiæ eius quam dubiam fecerat, protulit multa ſerta florum omnia fictitia, quaſi opere plumario: ars æmulata naturam eos faciebat oculis fucos, vt impotes eſſent diſcernere, eſſent hi flores adulterini necne. Vt nutantem vidit Regina Salomonem, præmonuit in ea

Regina Saba quomodo tentauit Salomonem.

congerie florum, vnum eſſe tantùm ſertum cumpactum floribus genuinis; alios verò florea oculis imponere. Cæterum ſe eſſe ſolicitam, qua indagine Rex eminus agnoſceret ſertum illud merè naturale. Rex fœminæ ſagacis animum non dedignans, mandat ſibi afferri apiculam; eâ allatâ, explorat an viuax eſſet & vegeta, tum eam laxat & facit ſui iuris: apis ſubodorans fragrantiam, quam afflabant ipſiſſimi flores, inſedit ſerto veris floribus intertexto; alios verò præteriit floſculos, qui mutuatitia ſpecie oculis illudebant. Si ſciſcitaris indolem Chriſti IESV, eam infer ex ingenio apiculæ; & diſces, quare Deus multos homines prætereat indonatos, quos tamen imperitum vulgus autumat virtute inſignes, vtpote aſſuetos Eccleſiis, atque concioni, in ſtipe eroganda faciles, à ieionio non omnino abhortentes. Rationem pete ab apibus, quæ prætereunt fictitios flores, duntaxat veris floribus inſidentes.

Hypocritarum natura deſcribitur.

Vt plurimum virtus rutilans oculis hominum, Deo nauſeam parit, quia colorem tantùm virtutis emendicat; vitij verò dedecus atque opprobrium affingit ſibi. Odit Deus hypocritas, & ſimias ſanctitatis; cotitur iuſtis, vtpote ſpirantibus odorem gratum, qui afflat ex germano florilegio omoigenæ puritatis. Reuera carent fragrantia virtoria hypocritæ; quid autem afflent audi ex Bernardo. *Hypocrita ſingularia magis, & inuſitata ſectatur, vt propria fragrantiam opinionis reſpergat, cuius affectio elongatur à Chriſto, & vanis fauoribus delectatur: cuius mens non propria teſtimonio conſcientia, ſed adulationibus demulcetur. Triſtitia hypocritarum non in corde, ſed in facie eſt. Exterminant enim facies ſuas, vt appareant ieiunantes.* Vt eſt hypocritarum virtus ſpuria, Chriſtum non allicit, imò Dei incuria, eum penitus auerſatur: aſt ſecus genuina virtus vt Deum capit, & Deo etiam capitur. Conſule Bernardum cuius eſt hoc effatum. *Multum fiducia ſibi ſanctus amor aſſumit. Quantùm enim putas diligebat, qua tantùm præſumebat? Surgam* (inquit) *& circuibo ciuitatem. Non veniet in conſpectum tuum, Domine, omnis hypocrita. Abſcondit ſe Adam, ex quo bona conſcientia auſum amiſit, & inuentum ſe doluit qui magis quærere debuerat. Qui fictè diligit, fugit conſpectum tuum; quæ verò ſponſa eſt & charitatis donata munere, etiam fugientem inſectatur. Quò ibis, bone Ieſu, à facie deſiderij vehementis? Si aſcenderis in cælum, illic eſt; ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Vbique te ſequitur curioſa ſcrutatrix, & per ſingulos operum tuorum gradus diſcurrens, quod fide tenet, conatur transfundere in affectum, & admiranda maieſtatis deuotione reſpondere. Ad dilectionis incentiuum omnia Euangelij documenta deducit, vt in quibus veritatem ſuſcipit, virtutem præſentiat ipſum ſponſum ſuum.*

Bernardus ſerm. in cap. ieiunij.

Amor Dei conſpectum eius deſiderat.

Idem ſerm. 3. in Cant.

Amor fictus conſpectum Dei non curat.

Ex SS. PATRIBVS.

Nec vacat myſterio quòd Chriſtus dicitur à Nazareth: vox enim illa florem ſonat à voce Hebræa *netſer* נצ; ita vt Nazareth fuerit inſtar florilegij, ob duos flores inſignes Mariam & Ioſeph. In meam ſententiam coëunt Sancti Patres, è quorum choro prodit Hieronymus. *Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. A Nazareth autem Galilææ, quia ibi educatus fuerat, vt flos campi nutriretur in flore virtutum.* Adiice Albertum Magnum. *Benè, & appoſitè Nazareth interpretatur flos, quia in ea conceptus fuit Chriſtus, qui ſicut flos de flore ſine miſtione, de matre ſaluo virginitatis decore proceſſit. Nomen igitur ciuitatis, in qua concipitur Chriſtus, exprimit ſtatum temporis, & finem operis, ad quem venit: ibi enim conceptio illius floris nuntiata eſt, qui ait: Ego ſum flos campi. Conceptus fuit Chriſtus in Nazareth, vt adimpleretur Prophetia Iſaiæ cap. 11. Egredietur virgo de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Concinit & Bernardus. *In Nazareth ergo nuntiatur Chriſtus naſciturus, quia in flore ſperatur fructus proceſſurus.* Etſi malè oleat Tertullianus; afflat tamen odorem illum, quem ſpirat ille flos, quem colimus. Sic ille. *Ipſe Chriſtus eſt flos de virga nata de radice Ieſſe; radix autem Ieſſe genus Dauid; virga ex radice, Maria ex Dauid; flos ex virga, Filius ex Maria. Ipſe erit & fructus ventris: flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus.* Hæc doctiſſimus ille Afer.

Hieronym. in cap. 21. Matthæi.

Albertus Magn. ſuper Miſſus eſt. cap. 31.

Nazareth quare fuit locus conceptionis Chriſti.

Bernard. homil. 1. ſuprà Miſſus.

Tertullian. l. de incarnat. Chriſti.

Chriſtus quare dicatur flos, Maria flos campi Maria virgula fumi.

Quare autem Nazareth extiterit locus florum, vnde emerſit Chriſtus, noli ex Chriſto colligere, ſed ex parentibus, Maria, & Ioſeph, qui erant ſpecioſiſſimi flores, atque adeò hortus peramœnus, vbi flos florum Chriſtus ex Mariæ ſtipite germinauit. Præpotentis Dei Filius ille parens omnimodæ ſanctitatis, deſuper illapſus in has inferas orbis oras, ſicut apis omnia luſtrans diuertit in ciuitatem Nazareth, & inſedit familiæ Mariæ & Ioſeph, vt horto conſito floribus. Ideo in Canticis Maria dicitur Hortus concluſus, cuius emiſſiones Paradiſus, vt & annuit Hieronymus. *Verè hortus deliciarum B. Virgo, in quo conſita ſunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum.* Conſonat Augustinus. *Ipſa Virgo eſt flos campi, de qua ortum eſt ſpecioſum lilium conuallium, quo diletur & culpa.* Maria dicitur hortus, quia non vno tantùm flore conſtat, ſed omnibus, quia in ea virtutes omnes chorum agunt, & ſuauiter fragrant. Eamobrem areolæ aromatum ſimilis quandoque perhibetur, vt & alludit Ambroſius. *Beatiſſima Virgo fuit vt virgula fumi ex aromatibus Myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij; quia multis erat repleta virtutum odoribus, & ſic ex ea fragrabat ſuauiſſimus odor etiam ſpiritibus Angelicis.* Ideò Maria omnes ſic allicit, & inuitat. *Ego mater pulchra dilectionis, agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Ioſeph eâdem qua & Maria ſtirpe editus, ſcilicet è ſtipite Ieſſe, multiplici virtute floruit, & in huius rei argumentum Sancti Patres Hieronymus, Gregorius Nyſſenus, & Germanus, necnon & Damaſcenus aiunt, flores emergentes de Virga Ioſeph, fuiſſe teſſeras cœlitus editas, vti præconias nuptiarum Mariæ & Ioſeph. Sic aſtruunt hiſtoriam grauiſſimi auctores.

Hieronym. ſerm. de Aſſumptione.

Auguſt. ſermon. de Nat. Virg.

Ambroſius l. de Virginit.

Eccleſiaſtici cap. 24.

Hieronym. in hiſtor. de ortu Mariæ.

Greg. Nyſſ. orat. de ſancta Chriſti Natiuit.

German. Conſtant. orat. de ob. B. Mariæ.

Damaſcen. lib. 4. de fide orthod. ca. 15.

De more Hebræorum Virgines impuberes templo oecluſæ, & ſanctis moribus cultæ, & præceptis tinctæ, vbi expleuiſſent annos pubertatis monebantur de reditu in patrias ædes. Cùm ergo ille virginum chorus, quo Maria ſtipata fuerat à teneris vnguiculis, reſeratis foribus templi ad propria repedaret, vt nuberet.

Maria

Maria vna ſtetit, & ait, hoc ſibi nefas eſſe, voto omiſſo, & virginitate Deo conſecrata. Pontifex re accepta hæſit, vtpote neſcius huiuſcemodi voti, cui ne vim facere videretur, ſanxit vt proceres Hebræorum die feſto Encæniorum, qui inſtabat, conuenirent omnes, Deum ſuper hac re conſulturi. Quippe præpediebat animum eius præclarum facinus huius Virginia beroïnæ, quæ ſe voto obſtrinxerat, iura coniugij neſcituram. Die indicta conuenere omnes Deum deprecantes, vt in re momenti boins decerneret quid operæ-pretium eſſet, nimirum homines in themate illo dubio caligabant. Ancipites animos Deus edocuit; nimirum voa deſuper illapſa ſanxit, vt viri omnes oriundi è familia Dauid, accederent ad altare, virgam præferentes, & eum fore ſponſum Mariæ, cuius floreret virga ex tempore, & eiuſdem virgæ apici inſideret Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ. Itaque obſecundant omnes viri Dauide ſati: contendunt omnes ad altare, præſtolantes in cuiuſnam partes cederet illa Virgo, cui inoigilabat ipſe Deus. Luſtrabant omnes oculis virgas ſingulorum, explorantes vnde erumperent flores, & ad quam Spiritus Sanctus deſuper aduolaret. Diceres omnium aſtantium vota coïre in Ioſephum, hominem virtoris emeritæ, habitu corporis reuera regio, facie conſona Mariæ Virgini. Annuit votis præfatis Deus; nempe illico floruit virga Ioſeph, & obſedit columba faſtigium eius: ſicque Mariam demeruit Ioſeph, Spiritu Sancto floribus incumbente. Quando igitur audis, Chriſtum conceptum in ciuitate Nazareth, ſeu in loco florum; myſticè intellige, Deum in humanis elegiſſe parentes, qui hortorum inſtar conſiti eſſent omni virtutum germine: tales autem extitere Maria & Ioſeph. Mariam eſſe florigeram diaere Patres antea recenſiti. Ioſephum item & floridum eſſe clamat eius virga florens, Spiritu Sancto ipſius virtutum aſſertore. His ergo ſanctis coniugibus meritò quadrat illud Pauli. *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in ijs qui ſalui fiunt.*

S. Ioſeph virga florens facit eum coniugem Mariæ.

2. Cor. 2.

Ea prælibatis infer, quàm benè iſta quadrent titulo ſectionis. *Antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quaſi diceret, Spiritum Sanctum, qui floribus gaudet; elegiſſe familiam Mariæ; & Ioſeph; quia flores illinc emergentes ſpirabant odorem perquàm acceptum Deo, vt Cantica commemorant. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Vt Deus eſt interitus expers; ita & morationis impatiens, atque adeò qui floribus olim geſtiit, hodie etiam floribus gaudet, nec Deo quiſpiam potietur vnquam, ſi non ſit gratiæ & virtutum floribus aſſuetus: & vt ſymbolicè loquar, non diuertit Chriſtus niſi in Nazareth; eſt enim patria eius omnigenis conſpicua floſculis. Quiſquis igitur Chriſtum cupit allicere, ille ſe componat in modum Nazareth, id eſt, floreat ille virtutibus & tunc ad eum veniet Chriſtus, vt in patriam ſuam dilectam & electam. Quemadmodum enim ille rerum Dominus dixit patrem ſuum, & matrem, eum qui fecerit voluntatem Patris; ita & cenſet eſſe patriam ſuam Nazareth, eos omnes, quorum anima ſupero rore madens luxuriat in gramina, & flores gratiarum, ac virtutum. Et reuera iis eſt frequens Chriſtus, qui multo chariſmatum flore adumbrant ciuitatem Nazareth, inſignem & conceptu atque incolatu Domini Ieſu, qui cùm flos ſit campi, & lilium conuallium; omne ſolum refugit, niſi ſit aptatum in modum horti, culturæ florum gratiæ conſecrati. Adeò enim eſt dulcis idea patriæ; vt nemo niſi degener refugiat, patriam ſuam crebrò receuſeri. Huius argumenti plures edidit libros exul Ouidius, commemorans patriã ſuam, ad quam de Ponto ſæpiùs anhelabat.

Math. 1.

Cant. 6.

S. Ioſeph floridus amat eos qui floridi ſunt.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre focis.
Eſt & amor patriæ ratione valentior omni

Ouidius lib. 1. de Ponto.

Eleg. 4. ad Ruſinum.

Patriæ amor eſt inſitus omnibus.

Rari ſunt qui vſurpant illud Virgilij.

Nos patriam fugimus, & dulcia linquimus arua.

Virgilius in Bucolicis.

Cùm ergo vnicuique ſit inſitus amor in patriam ſuam; Chriſtus Nazarenus aderit iis, qui multo virtutum flore conſpicui referent ciuitatem illam Nazareth. Etenim in confeſſo eſt apud omnes ſcientias, deſumi a Patria valida argumenta. Nonne infame erat apud Hebræos patriam habere Samariam, vnde illud Euangelij. *Iudæi non coutuntur Samaritanis.* Et ſanè in gratiis iſta non eſt inferioris notæ. Scilicet naneiſci patriam Deo gratam, & cuius municipes etſi fide & charitate concolores, multiplici tamen variant virtutum flore. Quippe ex Theologia, licet nulla hominum merita creent gratiam, quæ Chriſto auctore duntaxat nobis influit; multa tamen extera ad eam condocunt, vt ſunt ſociorum ſeu ciuium egregia ſpecimina virtutum, & Dei cultus frequens, qui in aliqua ciuitate terſior eſt quàm alibi. Anima ab ephebis aſſueta editis virtutũ exemplis, ſe accingit ad gratiam, quam ingerit Deus virtutum amaſiis, ex fœdere inito cum homine, de impertienda gratia, ſi quandoque præclarum opus aliquod exantlarit.

Ioan. 4.

Ex Theologia.

Thomas 1. 2. qu. 112. a. 2.

Hinc ſanè anima patria ſanctiore orta habet quod lætetur, facta inde propior Deo vt aſſueta floribus, qui naſcuntur in perniciem animalium immundorum: vt aduertit Camerarius, qui ſymbolum idoneum meo themati affinxit; pingens flores, quorum afflatu ſcarabei ſputea animalia diſpereunt, hac epigraphe deſuper. Tvrpibvs exitivm. Anima multifariam florida, & conſita gratiis, eſt vitiis exitium. Imò patria, cui inolita eſt virtus, homines reprobos euomit, vtpote Tvrpibvs exitivm: & vt inſulæ fortunatæ eo odore, quem eminus afflant, Alexandrum illum Magnum perculerunt, vt eò transfretaret; ita homo ſuaui gratiarum fragrantia Deum demulcet, vt incubet cordi illi florido.

Ex Symbolis.

Camerar. lib. centur.

Ipſa etiam Philoſophia annuit, eſſe ciuitates æquiore ſalo, ſolo, cœloque conditas, quarum liberior aër multum confert ad hominum indolem efformandam: nam etſi nullum corpus mouere poſſit animam rationalem, quoad actus liberos intellectus atque voluntatis; poteſt tamen aër agere in potentias ſenſitiuas; quæ ſunt corporeæ, & quarum obſequio cietur anima, etſi ſul ioris, vt obedite

Ex Philoſophia.

Ariſtoteles lib. 3. de anima textu 45 lib. 3. Ethic. cap. vltimo.

queat, atque refragari. Ergo anima adoleſcens in patria, quæ ſcaturit vndique virtutibus, & cui liberales cæli largius influunt, & vbi contriboles virtutum floribus vernant, eo influxu concipere poteſt maiores impetus ad præclara quæque facinora obeunda.

Aſtipulatur Aſtrologia, dum affirmat, peculiaria quædam ſidera in ſingulas quaſque prouincias influere, atque adeò qualitates ſibi inſitas inurere; ita vt ſignum Arietis, & Planeta Martis bilem accendant eorum hominum, quos mater enixa eſt in patria patiente dominium eorum aſtrorum; vbi verò dominantur Caper & Saturnus, pueri ſortiuntur ingenium equidem laudabile, quia melancholici ingenioſi; humorem autem melancholicum eiciunt hæc ſidera prælibata. Hinc Firmicus, nobilis in ea garriendi diſciplina omnium Gentium indolem aperit ex ſidere, cui ſubeſt vnaquæque prouincia. Inde liquet, vnumquemque eò meliorem eſſe nactum patriam, quò æquiore cœlo natus eſt. Bonitatem ſoli & cæli vtplurimum arguunt flores, quibus dum gratior aſpirat aura, terra apparet eo veluti regio peripetaſmate nobilior. Hinc collige, florentes animas gaudere Deo propitio; adeſt enim eis Deus, & in eis geſtit vt in patria ſua Nazareth.

Ex Mathematica.

Iulius Firmicus lib. 1. Aſtronom. c. 1.

Iure etiam Canonico cautum eſt, vt explorent Antiſtites patriam eorum, quos initiare debent ſacris ordinibus: quippe natura loci ſeſe vtplurimum effundit in homines. Sic habet Canon. *Quando Epiſcopus ordinationes facere diſponit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem euocandi ſunt ad ciuitatem vnà cum Archypreſbyteris, qui eos repreſentare debent; & tunc Epiſcopus à latere ſuo eligere debet ſacerdotes, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum vbi educati ſunt, ſi ſint benè literati, ſi inſtructi in lege Domini, diligenter inueſtigent.* Ideò hæc ſanctio inualuit de patria inquirenda, quia intereſt qua quis Gente editus ſit, vt Deo vtatur hoſpite. Quippe eo maledicto fuere veluti damnatæ quædam Gentes, nihil niſi vile ac reprobum vtplurimum edant ſicuti ſonat iſte Canon. *Afros paſſim, vel incognitos peregrinos ad Eccleſiaſticos ordines tendentes, nulla ratione ſuſcipias: quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati; peregrini verò plurimi, etiam in minoribus ordinibus conſtituti ſortiorem de ſe pretendiſſe honores ſæpe probati ſunt.* Vides quàm malè audierit Africa, quaſi inſpirans lethale virus alumnis ſuis.

Ex Iure Canonico.

Can. Quando Diſt. 24.

Sacerdotes qua cautela ſunt initiandi.

Can. Afros Diſtinct. 98.

Item & Iure Ciuili patria inſignis multum adiicit ſplendori; ita vt duo candidati euntes in ambitum eiuſdem dignitatis, ſi ea nobiliori ſit aſſignanda, conſideratio patriæ maximi eſt momenti, & tanti vt præeant ſtemmati familiæ æmoli illius, qui nobiliore ſolo editus, vt Iuriſtæ probant. Chriſtus, qui regio ſanguine ſatus fuit nobiliſſimus, noluit Ieroſolymis concipi, ne ſuam claritatem ab illuſtri ciuitate emendicare videretur; ſed elegit ſibi Nazareth in patriam, Symmyſtas ſuos edocturus, eo loco, qui flores ſignificat, habere flores perquam acceptos; eos vtique, quibus animæ beatæ conſitæ ſunt, indeque peti potiſſimum ſtemma beatorum.

Ex Iure Ciuili.

Gloſ. in leg. l. Cod. de Alex. primatu.

Tiraquell. de nobilitate cap. 12.

Res medica rimans indolem corporum, ait variare temperiem in his, quibus eſt patria diſcolor; ſiquidem principes medici affirmant, loca diſſona, diſpares etiam ingerere mores, & humores. Ita Hippocrates, & Galenus. Si in phyſicis, politicis, & rebus Eccleſiaſticis patria perpenditur; putaſne Deum fore incurium vbi agitur de ipſius incolatu? Minimè verò; ſed ille idem, qui triginta annos abſoluit in Nazareth, eas tantùm incolet animas, quas viderit gratiæ copioſæ floſculis intertextas. Illis præcipuè lætatur floribus, quos Maria & Ioſeph inſinuant; Maria puritatem clamat, & Ioſeph incrementũ, id eſt, feruorem illum, qui nunquam vacat, & neſcit inducias. Etenim potitas dubia eſt diſſita à Ioſepho, id eſt, nutabit omnis ille nitor, quo rutilat anima, ſi ſit incuria augmenti eius gratiæ, qua coruſcat. Noluit concipi Chriſtus à Maria niſi coniugata, licet carnem induerit ipſo Ioſepho inſcio. Ita perperam ſe eſſe mundam anima iactat, ſi ſit parum ſollicita de Ioſepho, id eſt, de augmento chariſmatum, quibus à Deo dignata eſt. In huiuſce rei fidem nota, mortuo Ioſepho, qui degebat in ciuitate Nazareth, Chriſtum aliò tranſmigraſſe. Non quòd Maria impos eſſet ſola placere Deo; ſed quia illud coniugium morte diſſolutum, notabat, virtutes vbi ſeorſim ſingulæ quæque relinquuntur, quæ fuerant indiuiduæ hactenus, Chriſtum protinus amiſſuras. Has verò, quæ gregatim conueniunt, eſſe hoſpites Domini Saluatoris.

Ex re medica.

Hippocr. lib. de aere, locis & aquis.

Galen. l. 2. de temper. & complex. & lib. cuius titulus eſt corporis temperaturam animi mores ſequi.

Fauet huic intento effatum illud ſponſæ, quæ dum commemorat dilecti introitum in hortum, non vnum loquitur florem, ſed plures, vt ſæpius inculcaui. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Nota, Ioſephum ſuo incremento notare perſeuerantiam, quæ, quia nouos adiicit gradus gratiæ, virtutem vegetat, quæ alioquin ægra, mundi & Dæmonis agonem non patitur, atque adeò protinus extinguitur Chriſtumque eliminat. Eſt Bernardus, vtpote huius rei non inſcius, audiendus. *Incipere multorum eſt, perſeuerare paucorum. Perſeuerantia ſingularis eſt filia ſummi Regis, virtutum fructus, earumque conſummatio, totius boni repoſitorium, virtus ſine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur: finis eſt ad iuſtitiam omni credenti, in qua virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit. Quid enim currere prodeſt, & ante metam deficere: ſic currite vt comprehendatis, dicit Apoſtolus. O quàm perſeueranti pede curſum ſuum perfecerat, qui dicebat; curſum conſummaui. Denique & Dominus Prophetarum loquitur: Si conuerſus fuerit iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnium iuſtitiarum eius non recordabor. Vides ergo, quàm profunda obliuione virtutes illæ ſepeliantur, quas perſeuerantia non inſigninit.* Cùm audis, Bernardum aſſerere, ſine perſeuerantia, quæ eſt virtutum incrementum, animam nec videre Deum, neque viciſſim dignari eius fœcundis aſpectibus; perinde eſt ac ſi diceret, mortuo Ioſepho Chriſtum ſecedere à Nazareth: ſiquidem Chriſtus vult, nobis adeſſe in affectu virtutes omnes, quæ in eo vigent, & tunc iuxta Pſaltis eloquium, replebit in bonis deſiderium noſtrum, vt Bernardus inſinuat. *Dabit Nazarenus deli-*

Cant. 6.

Perſeuerantiæ laudes eximiæ.

Ex SS. Patribus.

Bernar. ſerm. de virtute obedient.

Nazareth figura animæ iuſtæ.

Bernard lib. de Paſſione Domini c. 43.

cias, quia florens eſt. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imo omnes, id eſt, omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit poſt ſe. Nam qui veniunt ad ipſum propter humilitatem, violæ eius ſequuntur odorem: qui propter caſtitatem, lilij; qui propter charitatem paſſionis, roſæ ſequuntur odorem.

Vide iam, Chriſtiane, an ſis hortus locuplex atque peramœnus, floſculo multiformi. Hoc vnum ſatage vt tibi a'naſcatur Chriſtus, & tuam animam inhabitet, vtpote quæ referat ciuitatem illam Nazareth, vbi degebant Maria & Ioſeph. quorum chariſmata nactus, reuera eris patria Chriſti, ſcilicet locus florum, quo admodum delectatur, memor deliciarum, quibus exceptus eſt a Maria, & Ioſeph, incolis floridæ ciuitatis, cuius erant ipſi præcipui flores. Si eum congeras cumulum gratiarum & virtutum, quem fas eſt comparare, vt aſſurgas inſtar floridæ ciuitatis; iiſdem te dotibus dignabitur Chriſtus, quibus & patriam ſuam. Quippe is eſt Principum animus, vt ſe beneficos præſtent erga locum, à quo accepere lucis huius exordia & vſuram. Recens eſt memoria Sixti V. Pontificis, oriondi ex inferioris notæ loco, cui nomen Mons altus, & lingua Italis vernacula Montalto. Is aſſumptus in Apicem Eccleſiæ, etſi orbi toti immineret, vti ſedulus paſtor, & Antiſtes; patriæ ſuæ humilis atque ingloriæ non immemor, voluit eam facere illuſtrem, primò ædibus amplis illic extructis, & deſcriptis hortis longe lateque patentibus, adſcitis hominibus in ciues vrbis emergentis, in quam confluebant omnigena bona.

Patriam ſuã quo honore affecit Sixtus V. Papa.
Ex Historia.
Ciaconius in vitis Pontif. in Sixto V.

Demum ne alicuius gratiæ indiga Pontificis hæc patria aliquâ laboraret inopiâ, præfecit illi Epiſcopum, ignotum antea locum dignatus ſacris Eccleſiæ infulis. Et ne gratiarum vnquam memoria excideret, prægrandes cudit icones referentes imaginem vrbis in edito loco ſitæ; è vertice autem montis qui deſpicit ciuitatem, multa ſpicarum ſeges emergebat hoc titulo circunſcripto, deſumpto ex Iſaiæ 25. cap. FECIT IN MONTE HOC CONVIVIVM PINGVIVM. Quippe prouidus hic patronus cauerat, ne quid deeſſet illi loco, ex iis, quæ pertinent ad ſacra, & profana. Nequaquam incurius eſt Chriſtus dilectæ ſuæ patriæ Nazareth; nempe ſtatim atque deprehendit, fideles ſuos, peramœna gratiarum & virtutum ſpecie vernantes & floridos afflare odorem ſuum; quaſi duntaxat illis intentus accingit ſe ad eorum ornatum, congerens in eos liberali manu chariſmata gratiæ multiformis. Nec infima eſt illa Dei cura conuiuij inſtruendi: nempe conciuibus ſuis Nazaræis, id eſt, floridis, epulas parat opiparas & opimas, quas eodem titulo Sixti nuncupare fas eſt. FECIT IN MONTE HOC CONVIVIVM PINGVIVM. Nimirum iuſti omnes cenſentur nomine montis iuxta illud Pſaltis. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei.* Ideoque alluſione facta ad patriam ſummi Antiſtitis, dicere non cunctabor, homines ſanctos eſſe præaltos montes. Vtque à natura comparatum eſt, vt emergant è montibus ſpecioſi flores; ita & qui aliis ſanctitate eminent, vberiùs florent, & peculiaribus gratiæ floſculis innoteſcunt. In excelſis his montibus facit Deus conuiuium pinguium, quando ſe apponit in ſegetem & frumentum electorum, faciens conuiuas ſuos participes adipis, frumenti, vini, & vindemiæ defæcatæ.

Ex Symbolis.
Ægidius Sadeler. lib. 1. Symbolorum.
Pſal. 35.

Præierat Sixto alius Pontifex in eo argumento amoris in patriam. Is fuit Bonifacius VIII. qui adeo effuſus eſt in patriam ſuam, cui nomen Anagnia, vt quaſi immemor Romæ, degeret Anagniæ in paternis ædibus; eaque ita orbe toto percrebuerat fama, vt Serra Columna hoſtis acerbus huius Pontificis conducto milite in Gallia, tectà pertexerit Anagniam, & non Romam, vt exoſum hunc Præſulem occuparet: quod vt callidè concepit; ita & impie perpetrauit, noctu irrumpens in oppidum, factus Bonifacio iniurius, quem amor patriæ inermem obiecit hoſti, cùm poſſet Romæ degere ſecurior in mole Hadriani. Nauſeant Chriſto pectora Dynaſtarum, & potentum, qui deforia auro & gemmis irradiant; ab eo luxu abhorret Chriſtus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Cùm audis filios, intellige humiles, paruulos, & ſimplices, vt monet Salomon. *Cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Hos vt patriam ſuam inhabitat, & excolit omnium virtutum affluxu Dominus ille Nazarenus, qui eodem Sanctos dignatur honore, quo olim Olympionicæ patriam ſuam, quam coronabant eodem ſuo præmio reportato. Eâ etiam teſſerâ amoris animum ſuum prodit Chriſtus, propitius atque beneficus iis, qui florent; ſcilicet eos vocat in partem coronarum, quas multo agone demeruit. Hos coronat vt patriam ſuam Nazareth, à floſculi nomine nuncupatam.

Ex Historia.
Paulus Iouius lib. Elogiorum in Serra Columna.
Patriæ ſuæ amantiſſimus Bonifacius VIII. Pap.
Prouerb. 3.
Alexand. ab Alexand. lib. 5. dier. genial. cap. 8.

Qua ratione queat vnuſquiſque in ſimilitudinem floris exurgere, edocet Narciſſi hiſtoria quamuis fictitia. Ille amore captus eius formæ ſpecioſæ, quæ ex aqua placidi fontis emergebat, velut impos ſui, ſe totum dedit aquis, vitam ſuam deuouens fonti, vnde in ſimilitudinem floris poſtea reſurrexit. Chriſtus ſe eſſe fontem dixit, quando ſitientes inuitauit, vt recenſet textus ſacer. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Si quis aſtiterit illi fonti, ſedulò introſpiciens, aduertet effigiem eius, qui eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum: proculdubio amore Chriſti protinus incandeſcet, vt amor eſt morarum impatiens: ſacer ille amaſius totum ſe immerget illi fonti, Chriſto Domino ſe addicens; alluet ſe aquis illius, induens virtutes eas, quarum ſpecimen edidit Chriſtus; & tunc quaſi in nouum ſtipitem aſſurgens, referet florem, cuius amore captus ipſe Deus, ei iugi incolatu poſtmodum aſſueſcet. Et hæc eſto moralis expoſitio tituli ſectionis. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quæ vni huic intento incumbit, vt Mariæ & Ioſeph præcipuas fuiſſe dotes inſinuet, quibus veluti floribus ſpecioſis illectus Deus influxit in Mariam, cuius vterus floridus dicitur in Canticis, vtpote. *Vallatus liliis.* Ibidem lectulus eius floridus afflat odorem gratum. Denique illius patria Nazareth, ipſo etiam florente vocabulo florida, hortatur omnes Chriſto addictos vt floreant, ſi æſtuant deſiderio Chriſti.

Ouidius lib. 3. Metamor.
Ioan. 7.
Matth. 1.
Cant. 7.
Cant. 1.

QVOD

QVO VBERIOR EST GRATIÆ, influxus eò amplius eſt humilitatis incrementum.

In hac verba:

Voluit eam occultè dimittere.

SECTIO TERTIA.

DE HVMILITATE S. IOSEPH.

EX Platone numero ternario omnia concluduntur; videre enim eſt in creatis principium, medium, & finem, quibus vt cancellis ſingula quæque terminantur. Hinc eſt illa aſſignatio trium graduum comparationis, quibus aſcenditur ad apicem rerum etiam excelſarum. Hunc & tenorem ſeruat humilitas: vna quippe eſt magna, alia maior, vltima demum eſt maxima, neſciens incrementum. Primus gradus eſt ſubdere ſe ſuperis, non vtique tantùm cœleſtibus; ſed & hominibus, quos tituli quidam, & inſulæ dignitatis euehunt vltra ſortem illam, quam nacti ſumus. Proximus huic gradus eſt ille, quo quis infra æquales ſuos ſe demittit: vt enim prior gradus ſufficit; iſte præteruolat. Denique tertius humilitatis gradus ille eſt, qui ſcrutatur infima quæque, vt ea præponat ſibi. Subdere autem ſe inferioribus ſuis, eſt iuſtitiæ omnimodæ complementum, vt aiebat Chriſtus Ioanni Baptiſtæ ex Matthæo. *Venit Ieſus à Galilæa in Iordanem vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Chriſtus editurus ſpecimen omnium virtutum, ab humilitate, eaque maxima, Euangelij præconium voluit auſpicari, inclinando ſe infra ſuum præcurſorem; in ea humilitate affirmans eſſe ſummam omnigenæ iuſtitiæ. Ille idem ſcriba ſacer videlicet Matthæus, qui commemorat egregium hoc facinus Chriſti, eodem etiam argumento probat abſolutam iuſtitiam Sancti Ioſeph, dum ait, Ioſephum, cùm eſſet iuſtus, noluiſſe Mariam traducere, ſed voluiſſe eam occultè dimittere. Hoc ancipitis animi egregium facinus & decretum, ſuada humilitate effluxiſſe, ait Bernardus. Vnde ſic arguo. Vir eſt caput mulieris, quæ Deo ſic ſanciente eſt ſuo coniuge inferior, conſcio etiam codice ſacro, vbi Deus hæc iura decernit. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Sed Ioſeph etſi neſcius ſuperni conſilij, quo duntaxat Maria conceperat, arbitratus eſt eſſe ſe indignum ſocietate huiuſce Virginis, infra quam ſe demittens, cum titulus ſponſi emineret ſponſæ, nonne maximum humilitatis ſummæ edidit argumentum, vtique ſe ſubmittens inferiori? Vide quàm bene cohæreat hæc ratio titulo ſectionis, quæ affirmat, chariſmata Dei & humilitatem eodem pede decurrere; ita vt aſſurgente gratiâ Dei, eò etiam magis humilitas inclinetur. Eamobrem vbi tantiſper illuxit Ioſepho notitia eius myſterij, cuius ſummam vterus Mariæ concludebat; ſtatim ille humiliores concipiens animos, ſe accinxit ad ſeceſſum, ne fieret iniuria Virgini, quam ſciebat innoxiam.

Matth. 3. Humilitas dicitur omnis iuſtitia.

Gen. 3.

Nutaſſe autem Ioſephi animum, humilitate eum percellente, Sanctorum Patrum eſt concors auctoritas, vt & Bernardus affirmat hoc contextu. *Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat dicens. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, propter quod & Centurio à domo ſua prohibebat cùm diceret: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Ita ergo & Ioſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & a tanta non debere ſibi vltra familiare præſtari contubernium, cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem. Videbat, & horrebat diuinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſterium penetrare non poterat; volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, expauit Centurio præſentiæ maieſtatem. Exhorruit nimirum & Ioſeph ſicut homo huius tanti miraculi nouitatem, myſterij profunditatem: & ideo occultè voluit eam dimittere. Miraris quòd Ioſeph prægnantis ſeſe conſortio Virginis iudicabat indignum, cùm audias & ſanctam Elizabeth eius non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quidem & reuerentia? Ait namque: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioſeph voluit dimittere eam.* Hæc Bernardus, humilitatis Ioſephi vindex acerrimus, huic virtuti aſſignans ancipites animi motus, qui ſponſum hunc anxium verſabant in varia titubantem.

EX SS. PATRIBVS.

Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus eſt. S. Ioſeph humilitas cogitauit recedere à Maria.

Et hanc fuiſſe ſententiam Sanctorum Patrum Eccleſiæ procerum, præmonuit Abbas ille Sanctus Ioſepho addictiſſimus, qui beatum illum ſponſum ab omni ſuſpicione Mariæ iniqua vindicat, titulo ſanctitatis ei indito à Matthæo, qui narraturus hunc agonem Ioſeph, præmittit, eum fuiſſe iuſtum; non fuiſſet autem cenſendus eo nomine iuſti, ſi Mariam tot probatam oraculis, credidiſſet dubiæ ſanctitatis. Item & legi iniurius extitiſſet, ſi infidelis coniugij opprobrium ex adulterio emergens, tacitus ebibiſſet. Sic Bernardus. *Quomodo iuſtus pepereiſſet adulteræ? Scriptum eſt autem: Ioſeph vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Benè cùm eſſet iuſtus, noluit eam traducere: quia ſicut nequaquam iuſtus eſſet, ſi cognitam ream conſenſiſſet; ſic nihilominus iuſtus non eſſet, ſi probatam innoxiam condemnaſſet. Cùm ergo iuſtus eſſet, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam.*

Bernardus vbi ſupra.

Fauet Bernardo ille Angeli affatus, qui Ioſephi animum deiectum erexit, eum ſic compellans. *Ioſeph fili Dauid noli timere accipere coniugem tuam.* Niſi Mariæ pudorem indubium feciſſet Ioſeph, eum proculdubio Angelus arguiſſet: ſed quia eum conſolatur, attendenda eſt in Ioſepho animi humilis ima deiectio, quæ fecerat eum impotem præſentiæ Virginis illibatæ, vt eruditè expendit Præſul à capite fontium. *Talis ergo fuit timor iſte Ioſephi, qualis S. Petri, quando Domino dixit viſo miraculo: Exi à me, Domine, quia homo peccator*

Matth. 1. S. Ioſeph timor de Maria qualis extiterit.

Chriſtophor. à capite font. lib. de virgin. Mat. & Ioſ.

peccator ſum: ſtupor enim circumdederat eum. Talis quoque erat, qualis ille Centurionis, quando ſe indignum reputabat, quòd Chriſtus ſuam ingrederetur domum. Timor ergo Ioſephi reuerentialis & admirationis fuit; non autem de Virginis caſtitate dubius. In eam iuit ſententiam Druthmarus e familia S. Benedicti auctor inſignis. *Noli trepidare, Ioſeph; noli te indignum iudicare, illi, vel matri eius deſeruire.*

Druthmar. in c. 1. Matth.

Et reuera nunquam meum ſubiit animum illa quorumdam opinio, Mariæ & Ioſepho iniuria, vtpote inſinuans, Ioſephum reuocaſſe in dubium Mariæ puritatem. Etenim quomodo irreperet noxa aliqua in eam familiam, quæ fuit collegium ſanctitatis? Quo pacto animus ille Ioſephi erectus in apicem iuſtitiæ, eò ſe criminis inclinaſſet, vt ream crederet illam, quæ erat procul ab omni contagio, & qua conſcia, virginitatis votum emiſerat, illa præeunte illi in virginitate Deo Domino conſecranda? Pace dixerim eorum, qui aliter ſentiunt; tota Ioſephi anxietas fuit timoris, atque reuerentiæ, quam ſuggeſſit humilitas, deorſum inflectens animos, quibus gratia Dei amplior incumbit. Hinc beatus ille ſponſus, in quem iuſtitia multiplex influxerat, non omnino neſcius superni conſilij, certior effectus de virginitate ſuæ coniugis emeritæ, de ea benè ominatus, ſubdorans Dei arcanum, conſilium iniit de receſſu. Inde Angelus thema deſumpſit eius colloquij, quod miſcuit cum Ioſepho auſpicans à timore, quem ei humilis animus ingeſſerat, & aperiens myſterij notitiam, cuius crepuſculum anxio præfulſerat.

Matth. 1.

Audiendus eſt Matthæus. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Angelus hoc tenore conſolatur coniugem, anxium quò diuerteret, & quaſi reuoluens ea omnia, quæ Ioſephus animo conceperat, ei applaudit, ſic fatus: Equidem bellè, ô Ioſeph, coniecisti, totum hoc arcanum deſuper eſſe, terrâ inſciâ, cui nihil debetur. Fœtus hic deſuper illapſus, reuerentiæ parens eſt, quam tu congruè concepiſti. Sed macte, ille idem fœtus, qui te tibi indignum aperit, ingeret & dignitatem congruam myſterio, cuius fulgor irradians tuos perſtrinxit oculos. Æquum te Mariæ iudicem præſtitiſti, quando non cenſorem egiſti criminis, ſed aſſertorem puritatis hactenus illibatæ. Sic ferè Chryſologus inducit Angelum colloquentem. *Quam vides, ô Ioſeph, prægnantem, virtus eſt iſta, non crimen: hic non humanus lapſus eſt, ſed diuinus illapſus: hic præmium eſt, non crimen, hic hominis furtum non eſt, theſaurus eſt Dei: hic non eſt mortis cauſa, ſed vitæ; quæ vitam parturit, non meretur occidi.*

Maria prægnans quale prodigium.

Chryſolog. ſerm. 145.

Auguſtinus item Angelum collocat vt Doctorem è ſuggeſto Ioſephum coniugem edocentem plenè myſterium, cuius humili animo perceperat prima rudimenta. *Qui ſcripſit lapideas tabulas ſine ſtylo ferreo, ipſe grauidauit Mariam Spiritu Sancto. Et qui produxit panem in eremo ſine aratore, ipſe impregnauit Virginem ſine corruptione. Et qui fecit, virgam ſine humore folia germinare; ipſe fecit, filiam Dauid ſine ſemine generare. Poſtremò, fili Dauid Ioſeph fili Prophetarum, legiſti Iſaiam eximium Prophetarum quid dixeris, quemadmodum ſcripſerit? Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel. Quod ergo legiſti in libris tuis, aſpice in Maria oculis tuis; vt dignè dicas Canticum Dauid patris tui: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Gaude itaque, Ioſeph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij. Et ideo Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Illa illatio Angeli, concludentis, Ioſeph non debere timori inſiſtere, arguit humilem huius Sancti animum, & nequaquam dubium, cui quò amplior illucebat gratia, eò etiam humilioris animi ſpecimen exhibebat, vt de alio Ioſepho Patriarcha ſcribit Theodoret. *Ioſephi throni maieſtate non efferetur, ſed principatum manſuetudine temperat, & imperium nonniſi curam eſſe docet. Talis hic fuit, & ſeruiens, & regnans; talis in proſpera, & aduerſa fortuna; talis cùm affligeretur, & proſperè ageret.*

Maria virgo fœta Deo eleganter deſcribitur.

Auguſt ſe. 25. de diuerſis tom. 10.

S. Ioſeph humilitas in ſummo honore.

Theodoret. ſerm. 8. de prouidentia.

Inſtabis, eſſe terminos minimè coeuntes, ſeruire, & regnare. Hoc equidem conceſſerim in phyſicis; at non in moralibus, iis præcipuè, quibus gratia locuples afflat. Phyſica ſane, id eſt, merè naturalia quò magis aſſurgunt, eò etiã turgida magis obnoxia ventis ingraueſcunt, vti videre eſt in pleriſque Dynaſtis, rerum præclarè geſtarum gloria conſpicuis, quos cùm natos humilibus exordiis fortuna æquior euexiſſet ad infulas modicæ dignitatis; illi immemores priſtini ſtatus, ſũmos poſtea titulos ambierunt. Quippe vbi Dæmon ſuæ ſuperbiæ cõtagium Adamo affinait; tota eius proſapia peſtilentis huius auræ afflatu peſſime ſe habuit, & incurrit in diſcrimen, quod recenſet Theophanes, ſcribens, multos ſequaces inſtituti Symeonis Stylitæ, voluiſſe æmulari ritum illius Sancti, qui æuum ſuum egit in columna procera; ſed vbi ſinguli quique ſibi ſingulas columnas erexerunt, & in earum ſeſe extulere faſtigium, adeò importunis excepti ſunt ventorum flabris editis ab orientali plaga, vt non valentes ferre eos æſtus inſurgentes, eminenti illi vale dixerunt inſtituto, quod ſuos profeſſores euchebat futuros venti ludibrium.

Ex Historia.

Theoph. in Annal. ſub an. 647.

Eo planè modo multi aſſurgentes ad ſublime vitæ genus, quale eſt illud quod vendicat gratia Principum, qui in ſuam adſciſcunt familiam plerumque homines honoris impotes: Hi, inquam, filij terræ, vbi eminere incipiunt, impetuntur ventis ſuperbiæ, iiſque tam crebris, vt à ſuo faſtigio, quatiente eos turbine proſternantur. Si ſciſcitaris oram vnde ſpirat noxius ille ventus; illa eſt orientalis, id eſt, ab oriente ſiue exordio noſtro ſemina ſuperbiæ contraximus, quæ eodem ritu, quo & vita noſtra iugiter adoleſcunt. Tantaque eſt omnibus hominibus inſita cupido gloriæ, vt rari ſint qui ore patulo non anhelent ad honores; &, vti prælibaui, hoc vitium eſt naturæ à Deo Domino deuiantis. Hinc multorum hominum delirium, qui ſummam rerum adepti, Deitatis titulos ambierunt. Huius inſaniæ ſpecimen impium edidit Rex ille Chaldæus, qui ſuæ ſuperbiæ aureum edidit ſimulachrum. Non ſtetit in icone prurigo Deitatis, quæ Caligulæ impetiginem fecit: ſiquidem ille pertæſus hominẽ, ſe in ſimilitudinem Dei alicuius Gentilium habitu congruo componebat

Simeonis Stylitæ imitatores non diu perſeuerauere: Perſeuerantia paucorum eſt.

Dei honores qui affectauerint.

Philo. Iud. de legatione ad Caium.

ponebat; nunc ſceptro aſſumpto referens Iouem: aliàs pileo aligero, & caduceo ementiens Mercurium; demum quaſi aſſuetus cælo, ſibi Deorum, quos colebat, ſuperbè admodum quæque inſignia vendicabat.

Humilitas maior vbi gratia vberior.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q 8. art. 4.

Alia plane eſt indoles gratiæ; ea namque quò vberiùs influit, eò etiam humiliùs hominem inclinat, & deprimit: Et hoc probare incumbit iſti ſectioni, cui fecit exordium humilitas ſancti Ioſeph, quæ innoteſcere incepit quando ſuſpicatus eſt in coniuge ſua, diuina geri myſteria. Scrutemur itaque ex Theologia, an in moralibus coïre queant, eminens gratia, & imus animus. De ratione gratiæ eſt, vt reddat homines Deo gratos, & voluntatem priſtinæ rectitudini reddat. Quò ergo maior erit gratia, maior etiam erit animæ rectitudo; cuiuſque autem rei rectitudo ea eſt, ad quam Deus illam effinxit. Quippe Deus vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Si quis igitur eum æmulatur ſtatum, in quo editus eſt à Deo prior homo; ille optime ſua vota componit, fiet autem voti compos, ſi ſui nihili conſcius, totum illud, quo rutilat, in Deum refundat, vt in cauſam primam, cui non exordia tantùm ſua debet, ſed & ſequelam illam omnem, quæ fluit ab eſſe illo, quo precariò vtimur, Deo iugiter influente. Ergo quò gratia amplior illucebit alicui, eò etiam erit humilior: namque vt operari ſequitur eſſe; nobilior gradus gratiæ vegetiores etiam exeret actus intellectus & voluntatis. Intellectus eo lumine pellucidus, in nullo inuio cæcutiet ex eis quæ ad animam pertinent; irradiante notitia, voluntas non errabit, ſed ſe totam effundet in Deum, qui infudit omne id, quo homo gratia rutilns illuſtratur. Cùm ergo Ioſeph vberrimos gratiæ latices ebiberit; quid mirum ſi infra coniugem ſuam ſe demiſit, vbi deſuper agnouit eam impregnatam? quaſi enim oblitus ſe virum Mariæ, meminit tantùm ſe ſeruum Dei, & indignum, cuius obſequium tam excelſæ Virgini penderetur.

Ex Philoſophia. Tho. in l. 2. Phyſ. lect. 8. tex. 50.

Humilitatis & gratiæ conſortium probatur.

Rurſus ex Philoſophia, omnis effectus adſpirat ad ſimilitudinem cauſæ: cauſa autem gratiæ habitualis eſt Chriſtus Dominus, ſicut Paulus inſinuat, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ergo quo erit gratia diffuſior, eò nos ſimiliores efficiet Chriſto, qui omnes humilitatis numeros exhauſit, non modò ſe ſubdens inferioribus ſuis, vt Ioanni Baptiſtæ in lauacro; ſed & homini nebuloni, videlicet Iudæ perduelli, & transfugæ, cuius pridie Paſſionis alluit pedes, terſit, & oſculo dignatus eſt. Imò ab humilitate vitam auſpicatus eſt, editus in ſtabulo, velut vile pecus, & creditus præſepio ſicut abortiuum. Vitæ autem illius ſupremi agones inglorij fuere, ſicut & humilia fuerant exordia. Nempe inſtar vilis & noxij mancipij flagris exceptus eſt diris, ſputis inglorium eius & lacerum corpus cruci affixum eſt, vbi animam egit, totius æui ſui humilis hiſtoriam concludens ea virtute, quæ incepit actionum eius admirabilem contexturam.

Ex Theologia. Thom. 2. 2. qu. 110. a. 3.

Ex Sancto Thoma, gratia eſt participatio diuinæ naturæ: ergo quò vberior affluet gratia, eò etiam maior erit participatio naturæ Chriſti, atque adeò talis erit propenſio ad humilia, qualis erit vbertas gratiæ; quæ cùm neſciat inducias, vtpote exoſa ferias, quæ ſũt ſurculi deſidiæ, percellet animã ad affectus, originẽ ſuæ cauſæ ſapientes. Non enim omnium effectuum eſt referre indolem cauſæ ſuæ, ſed eorum maximè, qui à cauſa intellectuali prodeunt.

Alex. Aleſ. in l. 2. Metap.

Vt enim eruditè aduertit Alexander Alenſis, effectus quoad aſſimilationem magis attendit intellectum, quàm appetitum rationalem aut ſenſitiuum: nihil enim agit cauſa libera vt libera eſt, quod non præſcitum fuerit à ſuperiore illa potentia, quæ facienda delineat; & licet effectus quoad determinationem attendat appetitum, quo fertur agens; in ratione tamen ſimilitudinis ſe componit ad arbitrium intellectus, à quo accepit prima ſuæ eſſentiæ rudimenta. Igitur gratia, quæ diluit omnem caliginem intellectus, explicabit ei vnde ortum habeant omnia illa chariſmata, quibus homo refulget, & quàm indiga ſit anima, cunctante Deo ſuas elargiri dotes. Huius diſciplinæ homo conſcius nihil ab ea diſſonum faciet, ſed omnes actiones ſuas affinget ad exemplar illud, quod præſcripſit intellectus, lumine gratiæ deſuper illuſtratus. Et licet multiplices effectus gratia ſortiatur; vni tamen humilitati adeò intendit Chriſtus, vt legia ſuæ ſummam viſus ſit penes eam reponere, quando ait. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Item, vt probaret quam efficax & potens eſſet ea virtus, regnum cœlorum cum ea virtute compoſuit, dicens; Regnum cœlorum eſſe ſimile grano ſinapis, quod ita exiguum eſt, vt atomi inſtar ferè effugiat oculorũ aciem.

Matt. 11.

Matth. 13.

Ex Mathematica. Eucl. lib. 1. Elem. defin. 2. & 3.

Humilitatis cum puncto comparatio.

Tenuis illa moles grani referentis humilitatem, penes quam eſt germen vitæ æternæ, reuocat in animum prima elementa Mathematicæ, ex qua animaduertendum eſt, ſcientiam illam, quæ verſatur in lineis, in indiuiſibili ſua iacere fundamina, vt enim taceam puncti definitionem, quæ eſt prima quam recenſet Euclides, ſic ille lineam commemorat. *Linea eſt latitudinis expers* Textu ſubſequente ſic pergit. *Lineæ fines ſunt puncta.* Ariſtoteles dixit, eam eſſe fluxum puncti. Religio Chriſtiana auſpicatur dogmata ſua ad inſtar Mathematicæ, ſcilicet à punctis: ſic enim huius ſanctiſſimæ ſuæ diſciplinæ fundamina iecit Chriſtus humilitatis aſſertor, quam voluit eſſe exordium & finem ſui inſtituti. Sic ille. *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.* Salomon præſcius huius myſterij, Chriſtum ſic inducit homines prouocantem ad calles inuios regni cœlorum. *Si quis eſt paruulus, veniat ad me.*

Marc. 10.

Prouerb. 9.

Ex SS. Patribus. Bern. ſer. 1. de conuerſ. Pauli.

Quàm benè humilitatem cum puncto conueniat, ratione paruitatis, diſce ex Bernardo, qui Chriſtum Dominum ita commemorat. *Ipſe magnus Dominus & laudabilis nimis, ipſe paruulus, qui datus eſt nobis: nec tamen magnus interim, ſed paruulus exhibetur, vt ſeipſum faciat gratum, & efficax neceſſariæ paruitatis exemplum. Ad paruulum ergo ſit conuerſio tua, vt diſcas paruulus eſſe: tu quoque quum conuerteris, paruulus fias. Enimvero audi quàm euidenter ipſum tibi, in quo conſtituit formam conuerſionis, paruulum manifeſtat, ſignanter ea, quæ ſunt paruuli in ſeipſo imitanda proponens. Diſcite à me, inquit, quia mitis ſum, & humilis corde. Gemina*

paruitas,

Humilitas elegãter fundetur ex Chriſti exemplo.

paruitas, humilitas, & manſuetudo. Et illa interior, iſta exterior paruitas: vtraque tamen non parua virtus eſt; nempe quam paruulus ille, tam magnus vnicum magiſterium profitetur. Audis Encomiaſten virtutis, quam recenſet ille nomine paruitatis, à qua ordienda eſt æquè ac finienda totius vitæ noſtræ linea, vt Chriſtus edocuit exemplo ſuo, ad cuius æmulationem Bernardus nos hortatur. *Obſecro proinde & plurimum rogo, fratres, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplar vobis exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Studete humilitati, quæ fundamentum, & cuſtos eſt virtutum, ſectamini illam, quæ ſola poteſt ſaluare animas noſtras. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli, paruulum factum, vltra appoat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, vbi ſeſe exinaniuit maieſtas, vermiculus inflетur, & intumeſcat.* Hæc ille.

Humilitas eſt fundamẽtũ virtutum.

Idem ſerm. de nat. Domini.

Cùm igitur Chriſtus tota ſerie vitæ ſuæ humilitatis viam inierit, & ſuis ſequacibus humilem hunc typum obiecerit, vt prima elementa vitæ Chriſtianæ; perperam ille gloriatur de nomine Chriſtiano, qui neſcius humilitatis ignorat huiuſce diſciplinæ prima rudimenta, ſine quorum peritia nequit eſſe oratio congrua. Quàm abſurdas arbitraris fore cæteras actiones hominum ſuperborum, ſi eorum etiam oratio incongrua eſt, nimirum quaſi nullius rei indigi, & veluti multiplici gratia locupletes, non ſe mendicos Deo exhibent, ſed ſuperbos potius virtutum ſuarum Encomiaſtas; vt fecit Phariſæus ea oratione, quam ſugillat Dominus Ieſus vt abſurdam, quia contra fidei rudimenta diffluebat in inanes glorioIæ appetitæ ſonos. *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum; raptores, iniuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in ſabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo.* Vide quàm peccet contra regulas artis orationis congruæ, cuius initia ſunt declinare, & poſtea coniugare: hic autem non declinat à ſe vt ſe Deo inclinet, & ſic ei obtenta gratia coniungatur; ſed ſecus in ſe, de ſeipſo geſtiens effunditur in laudes ſuas vtique cannras, velut in bracteas hoc vno ingratas, quia ſunt ſtrepentes. In orationem illam incongruam ſic declamat Auguſtinus. *Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, & nihil inuenies. Aſcendit orare: noluit Deum rogare, ſed ſe laudare. Parum eſt non Deum rogare, ſed ſe laudare, inſuper & roganti inſultare.* Hæc ille.

Luc. 18.

Aug. ſer. 36. de ver. Dom.

Superbia Phariſæi quanta.

Titulo ſectionis huius non modicum lumen adfert æmulus Phariſæi Publicanus; cui vt primum gratia illuxit, ſtatim ſe deiecit, auſpicatus ab illis elementis, quæ inclinant, vt coniungant Deo, qui vt ſuperbis reſiſtit, ita & humilibus dat gratiam. Pergit Auguſtinus. *Publicanus autem de longinquo ſtabat, & tamen Deo ipſe propinquabat; cordis conſcientia eum remouebat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo ſtabat; ſed Dominus eum de propinquo attendebat. Excelſus enim Dominus, & humilia reſpicit: excelſos autem, quales erat ille Phariſæus, à longè cognoſcit. Deus quidem à longè cognoſcit, ſed non ignoſcit. Adhuc audi humilitatem Publicani. Parum eſt, quia de longinquo ſtabat, nec ſuos oculos ad cælum leuabat: vt aſpiceretur non aſpiciebat: reſpicere ſurſum non audebat; premebat conſcientia, ſpes ſubleuabat. Adhuc audi: Percutiebat pectus ſuum. Pœnas de ſeipſo exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. Percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Ecce qui rogat. Quid miraris, ſi Deus ignoſcit, quando ipſe ſe agnoſcit?* In quem putas poſtea ſurrexiſſe cumulum gratiæ, cum qui in limine virtutis ita Deum demeruit, inclinatione ſua, quæ eſt exordium orationis congruæ, vt ſcitè enarrat Bernardus in ea diſciplina apprimè eruditus, eum damnans ritum, quem tenuit ille Phariſæus. Sic fatur Sanctus. *Vtile eſt magis abſcondere, quàm oſtentare ſi quid habemus boni: ſicut & mendici cum eleemoſynam petunt, non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, aut vlcera ſi habuerint, vt citius ad miſericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille ſeruauit multò melius Phariſæo, & ideo deſcendit iuſtificatus ab illo, id eſt, præ illo.* Hactenus ille.

Vbi ſuprà.

Humilitas Publicani eleganter deſcripta.

Humilitas abſcondit virtutes.

Bern. ſerm. de aduent. Dom.

Inſtabis. Si humilitas in eo attenditur, ex Bernardo, vt quis ſua mala prodat: Ioſeph ea humilitate caruit, vt neſcius næui, quem diluere poſſet in oratione, explicans animæ ſuæ maculas; & ſic ſumma in eo non fuit humilitas, cui adfuiſſe plenitudinem gratiæ diximus. Reſpondeo, in iis quæ intenduntur, ſuperiores gradus concludere inferiores, vt lux in meridie fulgida, crepuſculi nitentis lumen poſſidet eminenter; atque ita Ioſephum nullius humilitatis indigum eſſe, qui eius virtutis magiſterio inſignis extitit, vt videre eſt in eo obſequio, quo Mariam dignatus eſt, licet titulo ſponſi eâ eſſet ſuperior, ſubdi autem inferiori, eminens eſt gradus humilitatis, ex Bernardo. Aliud etiam nobile argumentum humilis animi eſt, ſe refugam honorum præbere vbi affluxerint. Et hoc præſtitit iſte Ioſeph, qui vbi aduertit Mariam coniugem ſuam deſuper impr‍ægnatam, voluit eius declinare conſortium, arbitratus ſe indignum eo vn hoſpitio, quod inſtar cœli Mariam capiens, erat diuinitatis etiam ſacrarium: quippe Virgo Deo fœta erat ipſa templum, habens in ſe Dominum templi. Itaque Ioſeph expers peccati, cuius pondere preſſus ſe inclinaret, eò humilitatis euectus eſt, vt declinaret honorem ſummum, ſcilicet Mariæ ſocietatem, & cuſtodiam infantiæ Domini Ieſu.

Ex Hiſtoria.

Pleroſque legimus ea humilitate conſpicuos, vt conſcij ſui imbecillis animi, rerum apicem vltro declinarint. In his nobile exemplum edidit Saül, qui inaugurandus à Samuele in Regem Iſraël, fugà ſibi conſuluit, declinans aſpectum populi, vt enarrat Codex ſanctus. *Applicuit Samuel omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper tribum Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & cecidit ſuper cognationem Metri, & peruenit vſque ad Saul filium Cis. Quæſierunt ergo eum, & non eſt inuentus illic. Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, vtrumnam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus: Ecce abſconditus eſt domi. Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde: ſtetitque in medio populi: & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum. Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* Nota, neminem refugiſſe imperium, niſi eum ſolum, qui eo erat potiturus, & qui altior erat omni populo; & quo non erat

1. Reg. 10.

Humilitas Saulis eum euexit ad regnum.

vit melior. Eo contextu mea ſtabilitur aſſertio, quam decurro; ſcilicet profunditatem humilitatis eſſe metiendam ex altitudine gratiæ. Vt quia Saül erat altior omni populo, ideo fuit humilior, & mente alienus ab infulis, quibus erat virtus eius emerita compenſanda.

Sur. in Greg. Card. Perronius in epiſt.

Multi Pontifices humilitate quàm primatu clariores extiterunt. In his Gregorius ille magnus, qui quò altior, eò etiam deuotior; in apicem Eccleſiæ electus, inuiis ſeſe abdidit latebris, vt ſoli Deo notum homines ignorarent. Et ſæculi noſtri decus Cardinalis Baronius vbi aduertit, ſacra Cardinalium comitia verſare animo inaugurationem ipſius, lacrymis & inſtanti oratione deduxit aliò ſuffragia. Non prætetibo Societatis Ieſu lucidum iubar Iacobum Laynez. Patrem illum doctrinæ reconditæ conuocarant Eminentiſſimi Cardinales, petituri in re dubia ſenſum eius. Quippe erant diſcordes eorum animi in re tanti momenti, vt eſt electio ſummi Pontificis. Intromiſſus ille ita omnium animos compoſuit, vt quaſi in hominem cœlitus oblatum vota inclinarent, vt facerent eum verticem Eccleſiæ, quod vt præſenſit vir humilis, aufugit, & inſtantem honorem inſalutato hoſpite declinauit

Iacobi Laynez Ieſuitæ humilitas.

Pet. Ribad. in vit. Laynez.

Eſto honorum recenſita fuga ſit humilitatis argumentum; non tamen illic ſuas tantùm partes agit humilitas, ſed & prudentia præcipuas obit vices. Nimirum ea virtus attendens electionem mediorum; vbi deprehendit animorum ægra nutare capita, quando attolluntur, & ex edito loco alios homines infra ſe deſpiciunt; cauet ab infulis, id eſt, honoribus, vt qui dubiam faciunt ſalutem eorum, qui aliis præſunt, vt lugebat ille, qui querulas edidit voces iſtas. *Timeo eſſe de numero damnatorum, quia ſum de numero Prælatorum.* Itaque refuga dignitatum, ob imminens periculum ſalutis, quæ incurrit in diſcrimen, rutilo honorum iubare exorto, non tam humilitatis ſpecimen edidit declinando honores, quàm prudentiæ, ſaluti ſuæ eo repudio optimè conſulendo. Ideoque eſt omni admiratione ſuperior Ioſephi humilitas, in eo conſilio quod iniit de Maria occultè dimittenda: ſiquidem eo honore auctus, quem vehebat titulus ſponſi Deiparæ, & patris nutritij Domini Ieſu, non nutabat ſalus eius ſed potius indubia beatitudinis inſtantis argumenta, ex eis titulis emergebant. Et ſic liquet, in quem gratiæ apicem ſurrexerit ille Sanctus, qui etiam imparem ſe credidit ipſi gratiæ Dei, qua in ſanctiſſimum virum euaſit.

Chron. Minorum in vita B. Franc. Humilitas S. Franciſci.

Huius Sancti æmulum lego beatum Franciſcum illum ſeraphicum, quem Chriſtus vt ſibi propiorem in virtutum & præcipuè in humilitatis alea, ſuo quintuplici vulnere inſigniuit, vt charactere Sanctis omnibus inconceſſo. Sanctus ille humilis propè ad miraculum, Deum ſic frequens compellabat: Quid tibi, Domine Deus ſumme, & mihi abortiuo, vt liberali manu eum gratiarum affluxum impertias? Quæ fuere mea præludia, vt te deuincirem ad tot & tanta chariſmata, quibus obſtrictus ſum tibi? Tot amoris tui in me titulis imparem profiteor, & deprecor vt deſiſtas influere; namque mihi timeo, ne fortè deſim illi vſui, quem iugem & impigrum hæc tua egregia chariſmata ſibi depoſcunt. Patere, Domine, vt declinem hos latices, quibus me ſubduco, conſcium nihili mei. O humilitatis abyſſum inuiam aliis humilibus! quibus non affulſit gratiæ ſplendor tam coruſcus, qui eum ſortitur effectum, quem prodit lux influens rimulis in ſpeluncam tenebris aſſuetam. Inſinuans ſeſe radius, primò offuſam caliginem tergit, locum cæcitate inſita triſtem ſuo lumine recreat; demum ſuo iubare expanſo explicat oculis etiam atomos hactenus inuios aſpectibus. Ita & gratia, quò terſior illuxerit animæ incolenti humilitatis antrum, eò etiam minora obiicit: quippe huius ſuperi luminis obſequio anima prius ſui nihili neſcia, & ſuo quaſi aliquo volumine geſtiens, iam ſuæ conſcia paruitatis efficitur, deſuper illuſtrata. Cum Dauide exclamat, ad nihilum ſe redactam, quando Deo iniuria anima noxia primitus inſurrexit. Et hoc adeò ratum eſt, vt quantò aſſurgat anima gratiâ Dei percita, tantò etiam ſe inclinet facta humilior.

Idcirco ei conſonum affingo illud ſymbolum ingenioſè excogitatum à Ferro, qui depingit mare vndoſum, hoc titulo vendicante ſibi locum loquacis epigraphes. NISV MAIORE RESVRGVNT. id eſt, quò validior aura quatit aquas, illæ veluti vento fœtæ tument & ſe attollunt cœlitus impregnatæ: ſed quò altiùs vndæ ſurgunt, eò etiam magis illico ſe demittunt, vt meminit lemma præfatum. NISV MAIORE RESVRGVNT. Ita & quò amplior eſt influxus venti illius, qui Mariæ & Ioſeph afflauit; maiores impetus anima concipit ad ſuperna: ſed gratiâ nihil eam remorante mens eadem ſe deiicit, humilitate eam deorſum protinus inclinante. Huius argumenti teſtes habeo locupletes Mariam & Ioſeph, quorum gratiam humilitati fuiſſe conſonam perhibet Scriba ſacer. Vis videre vndas graues, ſurſum vectas, & eodem ferè articulo temporis infra dehiſcentes; vigili animo ſpeculare Mariam: hanc Angelus affatus eſt vt plenam gratiâ, de Spiritus Sancti illapſu certiorem fecit, infulas attulit Reginæ cœli ſacras, imminere ei titulum Matris Dei dixit, non duntaxat cœlo tenus, ſed & ſupra Angelorum choros euexit. Annon mirabiles ſunt elationes maris huius gratiarum? Sunt equidem: ſed audi quàm fatiſcat conſcia humilitate illa omnis pompa. Maria quaſi refuga gloriæ, ſe ancillam Domini profitetur. Rurſus eadem Virgo facta prodigium omnimodæ gratiæ hactenus inconceſſæ, vtpote ſponſa Spiritus Sancti, & Mater Verbi. *Exurgens abiit in montana.* Suſtine tantiſper, & videbis hos impetus deorſum humilitate ſuadâ redituros. *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.* Illa eadem Virgo ſuperior Angelis, inferiorem ſibi fœminam conuenit, vt ei humilis obſequatur.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus part. 2. ſui theat. ſymb.*

Luc. 1.

Ne præteream tacitus Mariæ æmulum & coniugem Ioſephum: nonne is in editum honoris & gloriæ faſtigium euectus eſt, quando Mariæ ſponſus effectus eſt? Ita planè fuit res illa excelſa; ſed vt impos honoris, illius, capeſſere fugam voluit, Mariam occultè dimittendo, ſed quò Maria & Ioſeph ſpectabiles vnde inferiùs ſe demittunt, inde NISV MAIORE ASSVRGVNT. Quemadmodum enim Deus ſuperbis reſiſtit; ita & etiam humilibus dat gratiam. Itaque hoc lemmate vides, prægrandium hominum eſſe humile

ingenium

ingenium, ſicut & fluctuum, qui etſi ferociant, & alto conamine videantur nubibus eminere; tamen ille idem æſtus, qui turgidas percuſſit vndas, eaſdem etiam refert in abyſſum, quia præalta quæque vt ſibi conſtent, humilitate optimè concluduntur.

EX RE MEDICA. Humilitatis virtus oſtenditur, ex cordis, & lienis mole, quæ quò minor eò vegetior.

Huic meo inſtituto quadrat obſeruatio illa medicorum, qui aſſerunt principes corporis humani partes ſi mediocrem molem exceſſerint eſſe degeneres. Verbi gratiâ, prægrande caput vtplurimum ſtupidum eſt; vtpote nimio cerebri excremento, id eſt pituita exuberante madens. Prominentes oculi acie obtuſa ægrè ſuas obeunt partes. Cor diffuſum & vltra metas excurrens arguit hominem ignauum; ea enim amplitudine vapeſcunt illi ſpiritus Martiales, qui vtràque cordis valuula concluduntur: ſiquidem hebes illic calor, coctioni impar, non expolit ſanguinem, ex quo emergunt hi ſpiritus, quorum inopiâ tepet ille animus, quo calente diſcrimina quæuis obit homo. Hepate grandiori, vberior affluit ſanguis, turgent venæ, obeſum exurgit corpus, & nimio exudante humore, vtplurimum ſubitò extinguitur ille calor, quo viuitur. Ita & liene maiuſculo, ſe peſſimè habet homo; Epilepſiæ, hydropiſi, & febribus obnoxius. Etenim ſic à natura ſancitum eſt, vt quò nobiliora ſunt viſcera & organa, eò etiam minore mole præſtent; quam ſi prætereunt, vitio illud datur, vt colligere eſt ex regio Fernelio, de hepate ſic loquente. *Iecur primam & principem ſtatuimus nutriendi officinam, quòd ingenita ſibi facultate ſanguinem efficiat proferatque: eſt enim prima illius actio αἱμάτωσις: Magnum id datum hominibus, præſertim belluonibus, abdominis ſuo natis.* Audis vitio gulæ litare iecur, vt recedit ab ea mediocri quantitate, quæ ei competit à natura. De liene, idem vitiorum corporis æquus cenſor, hæc ſcribit. *Non vna omnibus magnitudo, vt neque color vnus, ſed facile commutabilis ex naturarum varietate Turgeſcit enim hoc viſcus humorum appulſu, quos laxa raritate combibit.* Vt audis lienem turgidum affluxu humoris, collige corpus inualidum; quippe omnis tumor præter naturam ægritudinem clamat. De corde autem Fernelij hæc eſt & omnium probatorum hominum concors auctoritas. *Quæcumque timida atque ignaua ſunt animalia, grandius iis cor datum eſt; cæteris autē puſillum, aut mediocre.*

Fernel. l. 1. Phyſ. cap. 7.

Vbi ſupra.

Superbia & ignauia ſimul.

Idem lib. 2. Phyſ. cap. 2.

Diceres, naturam & gratiam coire, vt humilibus obſecundent: quo enim quis humilior extitit, eò etiam nobilior, vt ex Chriſto liquet, qui etſi omnium hominum caput. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Maria vt propior Chriſto, & infra eum omnibus aliis eminens, edidit etiam humilitatis ſpecimina congrua gratiæ qua pollebat, iuxta illud Ambroſij. *Virgo ſemper humilis, tunc etiam humilior facta eſt, vbi ſe à Deo ad tantum myſterium cognouit electam.* Reuocandus eſt Bernardus decurrens idem thema. *Virgo Mater Dei eligitur, & ancillam Dei ſe nominat; non mediocris reuera humilitatis inſigne, neque oblitā tantâ gloriâ obliuiſci humilitatem.* Adiicit Ambroſius, non in eo tantùm liquere humilem Virginis animum, quòd ſe profeſſa ſit Domini ancillam; ſed in eo magis elucere obſequio, quod præſtitit cùm conſenſit, eam ad aſſeoſum Deo Domino prouocanti. Sic ille egregium Mariæ facinus penſat. *Vide humilitatem, vide deuotionem.* *Ancillam ſe Domini dicit, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt: ſimul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret quod iubetur.* Hactenus ille.

Philipp. 2.

Mariæ humilitas in gratiarū affluxu.

Ex SS. PATRIBVS. Ambr. lib. 2. de virgin. Bern. hom. 4. ſup. Miſſ. eſt. Amb. in Luc. cap. 1.

Vt ſtante cauſa, effectus etiam eſt ſuperſtes; Ita humilitate vigente in anima Sancti Ioſeph, quædam ſeſe etiam eius præclara facinora Mariæ humilitati conſona prodiderunt. Maria vbi ſe audiit electam in Matrem Dei, confeſſa eſt ſe ancillam; Ioſeph vbi ſuſpicatus eſt adſcitum ſe in patrem nutritium Domini Ieſu, & coniugem Deiparæ, non ſe duntaxat ait ſeruum Dei, ſed & arbitratus eſt ſe imparem ſuæ coniugis obſequio. Maria animæquior facta Angeli colloquio, non renuit; ita & Ioſeph etſi humili animo reluctante, reſiliit ab eo timore, quem ei dignitas Mariæ ingeſſit, ſubitque lubēs onus minimè inglorium, quod ei cœlitus incumbebat. Sanè ſic expendit hiſtoriam Antiſtes à capite fontium. *Ioſephum filium Dauidis vocat Angelus, vt in memoriam illi reuocet quæ ad Dauidem facta ſunt de Chriſto de ſemine eius naſcituro promiſſiones. Et non timere iubetur accipere Mariam, quia timebat coniugem eſſe Mariæ, ſiue cum ea habitare ſub nomine viri ob ſtupenda myſteria, quæ circa eam fieri cernebat. Non dubium quin Ioſeph ſæpius ſenſerit ſponſam ſuam viſionibus Angelorum honorari. Sanctitas illius perſpectu erat Ioſepho, qui dum ſuam indignitatem cum tanta Virginis ſanctitate conferebat, verecundabatur illius eſſe coniugem. Talis certè erat timor, iſte reſpectu arcæ noui teſtamenti, in Sancto Ioſepho, vt in eadem domo cum illa non auderet manere: qualis in patre eius Dauide quondam extitit, cùm veteris teſtamenti arcam in domum inducere ſuam, licet id perciperet, auſus non fuit. Quomodo* (inquit,) *ingredietur ad me arca Domini? & noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid, ſed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.* Hæc ille Antiſtes addictiſſimus iſti Sancto, cuius timorem ait fuiſſe indubium indicem animi arbitrantis ſe indignum eo honore, quem ſponſi Mariæ dignitas inuoluebat. Ita vt eo tēpore quo altiùs eminebat Ioſeph, humilitas amplior illuxerit, iuxta rerum omnium indolē, quæ quò altiùs præſtant, eò etiam minus ſuperbiunt, & magis humilitate geſtiūt, ea enim eſt virtutis emeritæ maximū argumentum.

Chriſtophorus à cap. font. l. de perpetua virg. Mariæ & Ioſeph.

S. Ioſeph quare vocetur filius Dauid.

Eamobrem Iure Canonico, virtute Præſules futuri vt teſſera comprobantur; inſinuante Eccleſia illud idem, quod toto decurſu iſtius ſectionis inculcaui, ſcilicet ab humilitate peti menſuram gratiæ exquiſitæ. Eò collimat iſte canon. *Statuimus, ne in aliquo Apoſtolica & canonica decreta violentur, & ne his Eccleſiæ Domini regenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed à ſummis volunt habere principium, cum valde iniquum ſit & abſurdum, vt imperiti magiſtris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis.* Hoc Canone Leo Papa infert, meriti indaginem peti ab ea virtute, quæ dū hominē deprimit, imprimit ei præfulgidos gratiæ characteres.

Pontifices quales eſſe debent.

EX IVRE CANONICO.

Can. Statuimus diſt. 61. Leo epiſt. 85. ad Epiſcop. Afric.

Eo argumento voluere Vercellenſes eſſe irritam inaugurationem Ambroſij in Præſulem Mediolanenſem; quia vt erat recens adſcitus in ouile Chriſti, vtpote duntaxat catechumenus, ea carebat humilitate, quæ Præſulem decet, vt ſuſpicabantur homines Ambroſio iniurij. Fruſtra tamen illis reclamantibus, probata eſt toti Eccleſiæ illa

Humilitas neceſſaria pro honore adipiſcendo.

electio quia etſi Neophyti impares ſint huic oneri, quod probatos & non probandos exigit homines; Ambroſius inuitus in demortui Antiſtitis locum ſuffectus, humilis animi ſpecimen ſufficiens ediderat, eâ humilitatis notâ meritus gradum, à quo alioquin Neophytus arcebatur. Eamobrem editus eſt iſte Canon. *Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in ſuperbiam. Sed ſi non deeſt humilitas competens ſacerdotio, vbi cauſa non haret, vitium non computatur.* Sic cum Ambroſio diſpenſatum adhuc catechumeno, vt qui ante prima rudimenta fidei Chriſtianæ dediſſet magiſterij huiuſce religionis exemplum locuples, oblatas infulas Antiſtitis, animo humili detrectando.

Can. Neophytus diſt. 61. Gloſſa ibid.

Iure etiam Cæſareo intentum ſectionis huiuſce liquet; & vtinam huius diſciplinæ theorema verax omnium nobilium animis altius inſideret. Quippe adeò verum eſt, ita affines eſſe humiles & nobiles; vt neutra harum qualitatum ſtare queat ſeorſim. Ideóque Cicero, homo neſcius fidei Chriſtianæ, inuehitur in ſuperbos eos, qui ſuam nobilitatem explicare credunt aliis ſuccenſendo, cùm ſe potius indoles ingenua, humilitate prodat. Sic ille. *Non audiendos eos eſſe, qui grauiter inimicis iraſcendum putant, idque magnanimi & fortis viri eſſe cenſeant. Nihil enim laudabilius, nihil magno ac præclaro viro dignius placabilitate, & clementia* Ratione igitur necnon auctoritate aſtruamus noſtram ſententiam, ſcilicet etiá Iure Ciuili, humilitatem eſſe præcipua incunabula nobilitatis Baldus nobilis Iuriſperitus ait, Nobilitatem eſſe qualitatém à Principe illatam, qua quis Principi adiacet, & aliis è vulgo primoribus eminet. Quæro, vnde quis demeruit animú Principis, niſi humili obſequio? Nempe humilis animus ſe inflectens ad Regis arbitrium, Regem deuincire aſſolet; & vt Regum eſt beneuolentia bonorum ferax, illi in ſuam familiam adſciſcunt homines compoſitos ad nutum ſuum: vbi autem adſciti ſunt in palatium adhæſuri Regi, corú modeſtia (ſic priſci auctores humilitatem nuncupant) primas eis defert, tota etiam familia conclamante.

Iniuriarum vindicta arguit ignauiá.

Cicero lib. 1 officiorum.

Bald. in leg. 1. Cod. de dig. Regij miniſtri immunes à tributo.

Fauet iſta ſanctio Cæſarea. *Viros clariſſimos ſacri noſtri Palatij ſilentiarios, circa latus noſtrum militantes, de inteles, & curationibus excuſari ſancimus.* Procopius explicat, qualia ſint munia horum nobilium, ſic ſcribens. *Romani ad ea, quæ quieti ſunt in palatio, miniſtrum ſilentiarium vocant.* Equidem & optimè quadrat humilibus, & appoſitè eis demandatur illa prouincia, vt eorum humili animo moderante palatium, pacata ſint omnia. Cùm enim ſpiritus pacis requieſcat ſuper humiles, ab eis motus inſurgentes, vt ab alienis à turbine compeſcuntur. Rurſus indiuidua Regum ſocietas eos nobiles facit, qui regio illo & iugi conſortio geſtiunt, vt habet iſte textus. *Immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat:* ait Imperator. Quos autem ſibi comites adiecerit Chriſtus, diſce ex Codice ſacro, quem ſi ſi tu conſulis, hæc oculis excipies. *Offerebant illi paruulos vt tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Ieſus indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium eſt enim regnum Dei.*

EX IVRE CIVILI. Lege finali. Cod. de excuſat. mun. Proc. li. 2. de bello Perſico.

Silentiarij qui ſint miniſtri.

Leg. vnica. Cod. de Prapoſitis laborũ. Marc. 10.

Iure vetuſto, illi, quos Rex enſe & amplexu dignabatur, præcipui erant inter nobiles. Vide paruulos eo honoré inſignes in aula Regis Regum Chriſti, ſic aſſantis eos, qui anhelabant ad beatitudinem regni, cui Dominus ille Deus præfectus eſt. *Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* Audi amplexum. Si requiris enſem, ille exprimitur benedictione, quæ gratiam inuehit, qua anima veluti gladio accingitur ancipiti & valido ad fugandas acies ſaluti noſtræ iniurias. Ne autem omnino imponere videar Iuri Cæſareo, quando præfatis legibus moralem affingens ſenſum affirmo, nobilitatis emeritæ præcipuam teſſeram eſſe humilitatem; audi æui noſtri inſignem Iuriſperitum Tiraquellum ſic ſcribentem. *Qui verè nobiles non ſunt, ſed quandam imaginem nobilitatis gerunt, hi certè ſuperbi ſunt, arrogantes, rixoſi, putantes his impotentibus vitiis nobilitatem maximè oſtendi, cum nulla magis ignobilitas oſtendatur.* Hoc potiſſimum inſinuet præco verbi Dei, vt virus curet lethale, vtique hodie depaſcens pleroſque nobiles, qui eo inſaniæ deuenerunt, vt vitiorum illuuiem credant eſſe præcipua ſtemmata nobilium. Et quia ſerpit illa lues, imperitum vulgus iam diſcernit nobiles à plebeiis, quòd peccare impunè, ſit ſors nobilium. Dixi inualere hoc abſurdum apud vilem plebeculam; nam aliter planè cordati omnes hactenus arbitrantur.

Ibidem.

Superbi ſunt ignobiles.

Tiraquel. li. de nobil. c. 29. Nobilitas eſt cum humilitate.

Humilitas eſt virtus nobilium.

In huiuſce rei fidem vulgaris iactatur hiſtoria, & quæ pudori eſt eis, qui ſe degeneres præſtant & deuios à virtutum calle, quem inſignes eorum proceres obierunt. Querulum vulgus apud Regem Galliæ de nimia nobilium proſapia querimonias fecit, affirmans, plures arrogare ſibi titulos obſoletos, quibus etſi reuera fictitiis vtpote ſpuriis, negabant tamen æs impoſitum vnicuique ignobili. Rex amantiſſimus æqui decernit Prætores, qui componant rixas inde plurimas emergentes. Itaque deuenere quique in demandatas ſibi Prouincias: vni eorum plebs moleſta quàm maximè extitit, clamans ignobilem eſſe quemdam, qui aliis tamen præire aſſolebat. Dum dubij vtrimque tituli proſtarent, Prætor reum detulit ad grandæuos homines oppidi vnde oriundus erat homo ille, cuius erat anceps conditio. Siſtitur Iudici prouectæ ætatis vir minimè malus, dicturus quid ſentiret de dubiis illis natalibus. Is pingui ſuo idiomate ait: Sincerè arbitror, Dominum hunc, cuius ſcrutamini exordia, eſſe nobilem: ſiquidem patrem illius apprimè noui hominem inſignem in his, quæ diſpeſcunt nobiles à populo. Cunctante eo pergere, Prætor vegete cœpit vt diceret corá præclaras illas dotes, quibus veluti fulcris familia hæc nobilis incumbebat. Subridens homo ille, ruſticus veſte tantùm tenus, ait: Pater huiuſce domini nullo ferè comite ſeruo, vtroque brachio ad faſtum lateri incuruato põparicè incedebat, operto ſemper capite, obuiis quibuſque è populo honeſtis perperam cum honore dignantibus, imò eos inſalutatos vt plurimũ iniuriis impetebat. Nec duntaxat hominibus erat iniurius, ſed & Deo, vtpote blaſphemus vſque ad horroré. Quidquid in buccam accederet erat mendacium, idque crebrius periurio confirmatum. Commemorabat Diabolum ſæpe, & quaſi gereret pectus cacodæmone fœrum, ſingulis quibuſque periodis exoſum omnibus nomen Dæmonis eructabat. Potiſſimæ eius eleemoſynæ & vota, erant, vnumquemque inferis & Diabolo deuouere. Manus ſẽper erat ei ornata neſcio an armata baculo, quo ad minimam coniecturá alicuius negati obſequij grauiter mulctabat

Hiſtoria lepida de ſuperbo ignobili.

Vitioſi hominis lepida deſcriptio.

ctabat etiam innoxios. Quidquid in oppido arridebat illud vſurpabat ſi daretur ei copia: ſi quid verò ſecus obſtaret, beneuolum ementitus animum petebat mutuò rem quæ ſui cupidinem fecerat: multus erat in ſyngraphis obſignandis, quibus litabat æri alieno. Sed ſi quando incideret mentio diluendi æris, protelando moras, creditam pecuniam faciebat ſui iuris, minis adhibitis, ſi quis vnquam ſermonem texeret de hoc præſtito ei ære recenſendo. Homo frugi erat propriis in laribus; alibi verò creber epulo & conuiua, vino tinctus naſo tenus, qui quotidiano Baccho rubens in tumorem ſurrexerat. Veneri adeò aſſuetus, vt in ſaniem membra diffluerent. Rarus adſtabat ſacris, vt qui diebus feſtis aliò diuerteret, canibus vtens venaticis, quos aliis tradebat ſaginandos, pecunia promiſſa, quæ nuſquam inſtabat. Si quando adeſſet Miſſæ, profana illic miſcens colloquia, multiloquio ſuo erat omnibus importunus. Denique penes hominem illum erat ſumma omnium vitiorum, quorum non patitur inopiam filius eius, cuius miror ego vos ſtemmata ſubiicere examini, cùm eo patre ſatus, quem memini, eoſdem nactus ſit mores, quibus & de ſuo iniquo penu hoc adiecit, vt nihil mutuò accipiat, ſed impunè vſurpet omne, quo indulgere poteſt genio ſuo; ſi alios titulos inquiritis, ego eorum inſcius, veſtro inſtituto nequeo ſuffragari. Ne, lector, hoc æſtimes omne effatum eſſe conamen Rhetoricæ luxuriantis in pampinos & folia dictionum. Res eſt geſta, & noui hominem & oppidum ex nomine. En quò rerum præpoſterus ordo traxit nobilia capita, ſui oblita vt inducerent perſonam vilis mancipij: cùm tamen præcipuum illuſtris generis argumentum petitum ſit ſemper à virtute, vt & ſeruitutis nota inglòria inuſta vitio, vt videre eſt in Eua & Cham, quibus hoc iugum eſt iniectum in mulctam deliquij. Hac enim cenſura Deus animaduertit, in mulierem primigeniam malorum omnium cauſam.

Geneſ. 3.

Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Filium autem dyſcolum & Noëmo patri ſuo iniurium, idem rerum omnium Dominus feriit diro iſto anathemate.

Geneſ. 9.

Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Itaque ſuum diploma nobiles debent omnino virtuti, ſicut & vitia ignobiles fecere ſeruos.

Nobilitas animæ in quo ſita.

EX SS. PATRIBVS.

Greg. Nyſſ. in orat. de Thaumat.

Hier. ep. ad Demetr.

Reuocandi ſunt priſci Doctores Eccleſiæ recenſiti ſupra, & hîc rurſus audiendi à ſpuriis illis nobilibus, qui deflectunt ab ingenuis natalibus, vnde ſe illuſtres gratis & perperam iactant, vt colligere eſt ex ea Gregorij Nyſſeni ſententia. *Vna eſt generis amplitudo, propinquitas cum Deo, quæ non caſu cuiquam contigit, quemadmodum mundana claritudo generis, quæ etiam ad improbos defertur; ſed quæ non aliter ac electione voluntatis acquiritur.* In eam etiam mentem coit Hieronymus, dum Virginem Demetriadem nobili proſapia exortam ſic ad humilitatem inflectit. *Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integrè nobilitatem ſuam ſe ſeruare putet, ſi dedignetur ſeruire vitiis, ab eiſque ſuperari.*

Populus vitiis obnoxius.

Sacrâ etiam hiſtoriâ liquet, plerumque nobiles fuiſſe alienos à vitiis, quibus ignobile vulgus ſeſe fecit obnoxium, vt quando recenſet textus ille ſanctus, quomodo Hebræi Deo ingrati nauſearint, detrectantes Angelorum eſcam, Manna videlicet, opiparum eſculentum. Hanc indecoram gulæ notam, non affingit viris ingenuis, ſed quaſi lixis, atque calonibus, quos nuncupat promiſcuum vulgus, id eſt, homines adeò abiectos, vt ſint anonymi. Sic ſcribit Moyſes.

Numer. 11.

Interea ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore contra Dominum. Vide, Nobiles non inſurgere in Deum, ſed populum: quò quis enim conditione humilior, eò etiam ſuperbiens tentat adiicere natalibus ſuis gloriam, cuius ei natura parca fuit. Pergit Moyſes infra.

Gula vitium eſt ignobiliſſ. hominum.

Quippe promiſcuum vulgus, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio carnium, ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Ita ſanè immodica cupido carnium, nobiliores hodie animos ad ima deponit ſubiiciens eos vili plebeculæ, quæ reuera nobilibus in eo cautior eſt, quòd nobiles epulis, & Veneri intenti bona ſua dilapidant, dum populi, homines frugi, conglomerant opes, quibus nobilium bona comparant ſibi, quæ eorum profuſione quotidie ſubhaſtantur.

Si ſciſciteris vnde tanti mali labes, id eſt, quo œſtro ciente nobiles hos præfatos, quo valido ſpiritu quatiente incautos, præcipites acti ſunt in barathrum, ſeu illuuiem carnis? Dicam ingenuè. Superbia prælibatis illis miſeriis fecit exordium: nempe nobiles immemores illius humilis animi, quo deuinxere Reges, ſibi arrogarunt titulos inſignes, quos beneuola Principum indoles adiecerat: & vt ſuperbia neſcit modum; ita aliis præire voluerunt, quaſi infra eſſet poſitum omne hominum genus. Deus procul à ſuperbis in eos animaduertit iſto maledicto, vt damnet eos ad beſtias, qui ſe ſupra homines euexerunt.

Nobiles damnati ad beſtias.

An non eſt damnari ad beſtias, Deo ferè abdicato, totam ſuam curam impendere equis & canibus, & inſcium eſſe pauperum, quos vrgens premit inedia, qua miſerè deficiunt, pane denegato, quo canes venatici luculenter atque opiparè ſaginantur? Nonne id eſt, damnari ad beſtias, die tota leporem inſequi, vt cupediis gulæ fiat ſatis? Quodque deterrimum eſt, nonne illud eſt damnari ad beſtias, hominem exuere, & feram induere; quod quibuſque ferè nobilibus hodie inolitum eſt, dum tygres agunt; eos ſcilicet, qui olim prodeuntes è caueis in arenam, obuios quoſque noxios, homines vtique damnatos, dente rabido lacerabant. Siquidem iam cedit in dedecus, apud adulterini fœtus nobiles hos ſpurios, de Deo parum ſollicitos, & Chriſtianos nomine tantùm tenus, ſi ſubitis odiis, armiſque priuatis, pectore aperto ad vltima diſcrimina minimè deuenitur.

Nobiles ad duella proni.

Res reuera immanis & omnium propè nobilium probrum ingens; iurgij vmbra, ſolaque altercantium inſania, ſortita nomen iniuriæ, mutuis inde exortis cædibus, integris familiis detulit orbitatem, qua miſerorum parentum intercepta conſilia ſpeſque occiſæ; vnde libet exclamare: Quæ hæc dementia; ritu ferarum, non ratione ſed impetu iniurias vlciſci, rerumque ſuarum iudicium permittere penè ſcenicæ arti, fortunæque ſæpè fallenti ipſam artem? Demum illud etiam eſt hominem deponere, & ſubire animum pecoris, æmulari hircorum ingenium, ad libidinem natum: ſiquidem libido, vitiorum omnium ſpurciſſimum, vt pote fœtori aſſuetum, atque vlceri peſſimo obnoxium, caſtitatis venerabile nomen ludibrium facit; adeò vt caſtum eſſe pleriſque hodie res ſit inglòria, vt & Venus immodica fecit ſibi nomen grande. O pœnas congruè ſancitas in nobiles illos vtique degeneres, quos nimio

intumentes typho animus turgidus extulerat: æquum enim fuit infra pecus demittere faſtum illum, qui ſuprà hominem ſurrexerat.

Abdiæ cap. vnico.
Superbia à Deo deprimitur.

Vide edictum illud à Deo ipſo promulgatum. *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus.* Idonea ſanè mulcta ſuperbis indicta eſt vt deturbentur; ſicut & humilibus congruum præmium aſſignat Deus, eam ſcilicet gloriam, cui ſe impares arbitrantur.

Nobilitas vera & antiqua ſtipata virtutibus.

Thom. à Villanoua Archiep. Valent.

Vide quàm ſint diſpares animi eorum, qui vera nobilitate gaudent, & illorum, qui deflectunt. Sic eos diſcernit Thomas ille nobilis Antiſtes Valentinus. *Qui genere ab antiquo nobiles ſunt, magis ſplendeſcunt: nam ſicut ſanguine nobiliores; ita & ingenio humiliores, humanioreſque ſunt, & apud omnes homines tractabiles. Nec mirum: non enim ex hoc magnitudinis iacturam timent, quam tot ſeculis in progenitoribus fundatam radicatamque conſpiciunt: illi verò, qui caſualiter acquirunt nobilitatem, quaſi aduentitiam & nouam, in ſua humiliatione periclitari pertimeſcunt, faciliterque poſſe ab hominibus contemni, quaſi à leui filo pendeat.*

EX HISTORIA.
Hiſt. Imper. S. Lazari ſub an. 1376.

Id ego velim inculcari paſſim à præconibus verbi Dei, & præſertim vbi frequens eſt corona nobilium, ne reponant præcipuam ſuam nobilitatem penes Chartas, ad Regis arbitrium obſignatas; ſed reſciant, virtutes, & nobilitatem eſſe collactaneas, & feriante virtute, nobilitatem etiam marceſcere, imò & omnino deperire: vt teſtatus eſt Papa Gregorius XI. qui mortuo Imperatore Carolo IV. obſtitit quàm potuit ne Venceſlaus

Venceſlaus quare iudicatus imperio indignus.

ſufficeretur in locum eius, affirmans, eum eſſe impotem Imperij, quem reprobus animus effecerat vile mancipium omnium vitiorum. Ille etenim Princeps quaſi editus in opprobrium ſuæ Gentis, & natus in ſaburram abdominis, nihil imperio dignum penitus anhelabat. Eamobrem homo ſibi iniquior, parum æquos habuit eos, qui ſuas poterant adiuuare partes. Quomodo enim aliis eminere poteſt ille, quem vitiorum iugum immane premit? Quomodo in præclarum aliquod facinus erigere animum poteſt ille, qui in Venerem fractus fœminam ſapit?

Vitium homines honore indignos facit.

Zelum veſtrum acuite, ô præcones ſacri, vt noſtrates nobiles, animo muliebri, compoſiti in inermé illum ſexum capite concinnato, reſiliant ab eo inglorio ſuo viuendi ritu, qui Galliam ludibrio exponit exoticæ genti cùm aduertit liquari corda plerorumque nobilium, quos libidinis æſtus, & crapula decoxerunt.

Marchionis Scenecei vita.

Ne tamen iſte liber, peregrinis etiam prouinciis curſus, officiat Gallis, quorum videtur iſto volumine nutare nobilitas, dicam ingenuè, & fortè ad inuidiam, multos vt ſtemmate eminent, ſic etiam virtutibus emicare, ita vt populo præluceát. Nec eſt quòd quis obiiciat, hos eſſe raros in æquore nantes. Quippe nos, quibus hi vtplurimú nobiles aſſueſcunt, eorum rimantes ingenium, multos deprehendimus pertæſos aulam, vt dent Chriſto manus. Vnaque Gallia plures Deo nobiles emiſſo religionis voto conſecrat, quàm plures aliæ prouinciæ conglobatæ. Et ne ſuperſtitum in ſeculo nomina recenſeam, qui non aſpernantes iura coniugij, virtute ſingulari emicant; in laudem noſtræ Gentis ſufficiet vnum ſublatum è medio, facere rediuiuum, vt eius memoria in exemplum nobilium, meo hoc volumine ætati poſteræ commendetur. Is fuit Marchio de Scenecey vir auita nobilitate inſignis, vt cuius proceres recenſiti videantur in regio diplomate expedito Caroli Magni ævo. Patre editus eſt ea probitate, vt in Comitiis generalibus toto nobilium cœtu in Præſidem eum depoſcente, illi nobili ſocietati præfectus ſit, tota illic Gallia ſpectante virum, in quem honoris gratia, procerum regni vota omnia collimabant. Has obiit partes ille Heros nobiliú omnium caput, ea ſorte, quam omnes animo conceperant.

Eo Heroë ſatus Marchio ille, cuius nobile elogium texo, iiſdem quibus & pater gradibus ad hunc gloriæ apicem euectus eſt. Quippe multis poſt annis eodem etiam coëunte regno in comitia; vnus ille Dominus ab ordine illo Equeſtri petitus eſt in Præfectum generalem nobilium, quod neſcio an vlli vnquam familiæ conceſſum ſit, duos ſibi ſuccedentes præſtitiſſe viros adeò illuſtres, vt præierint aliis omnibus nobilibus nemine reclamante. Adoleſcens ea virtutis ſtrenuæ ſpecimina præbuit, vt admodum charus extiterit Henrico Magno Regi, cui placuiſſe fuit ſemper in magnis; ſiquidem ingens ille animus delectum habuit ſemper maximè cordi, vbi aliquem dignare voluit ſingulari affectu. In teſſeram regij amoris ſui ipſe Rex pronubus fuit nuptiarum, ſpectabilis huiuſce nobilis Scenecey, cui in coniugem dedit virginem nobilem, in quam plurium illuſtrium iuuenum vota, coniugij gratiâ, conſpirabant. Ad arbitrium Regis acceſſit ſuffragium Eminentiſſimi Cardinalis à Rupefucaldio, agnito orbi vniuerſo Chriſtiano pietate & doctrina. Ille neptis ſuæ hymenæos probans, & benedictione ſua quaſi beans, non modicam illi coniugio gratiam demeruit.

Sublato Rege Henrico, & mutata rerum facie, Maria Medicæa rerum potiens in Gallia, Rege Ludouico adhuc impubere, magni faciens Henricum illum Sceneceum iamdudum probatâ viri induſtriâ, eum nobili legatione tranſmiſit ad Hiſpanos, vbi ſex annos egit ea morum integritate, vt Hiſpani æmuli Gallorum, nobis virum adeò conſpicuæ indolis inuiderent. In eo erat habitus oris ad ſpeciem virilis elegantiæ compoſitus. Corporis ſtatus eminens, animo illius reuera conſonus, ea erat maieſtate, quam Hiſpani ambiunt. Ingenio erat in beneficentiam prono, & obuio vnicuique indigo ſui obſequij. Decor ille ita eius virtutem adornabat, vt Regis Catholici aulam totam ſibi arctè deuinxerit. Quippè in dicendo ſales miſcens, & lepores Atticos, ſuos ea venuſtate condiebat ſermones, vt qui adſtabant penderent narrantis ab ore. Sed eſto dicendi ſchemate peritiſſimus extiterit; actio tamen eius fuit omni loquela viuacior. Nimirum vt hi quos ſors æquior euexit plerumque impunè peccant; ita qui declinant à noxiis, conciliant ſibi animos, etiam neſcios virtutum, quas in aliis demirantur. In ea claſſe fuit Henricus Sceneceus, pietatis atque continentiæ ſpirans eam fragrantiam in aula Catholica, vt inde repedans ad propria, Hiſpanis ingentem cupidinem fecerit virtutis illius emeritæ, quam toto ſexennio comprobarat.

Virtus aſſueta negotio, Henricum noluit eſſe ſui iuris, ſed clangente tuba eum ad caſtra prouocauit; vt qui Mercurium egerat apud Regem Catholicú pro Rege Chriſtianiſſimo, iam ſe Martem

præſtaret

præſtaret in perduelles Hæreticos. Siſtitur Regi Henricus, & vocatur in partem curarum regni: annumeratur præfectis exercitus: impauidus in obuia quæque diſcrimina incurrit, vitæ ſuæ incurius, Chriſtianæ fidei litaturus. Diceres, hominem dignum ſolio neſcire ſolum, vt in cælum tranſcenderet via martyrij, cuius laureolam videbatur hæretico gladio obnoxius ſuo ſanguine nundinari. Et equidem credo, in præmium pietatis, quam teſtatus eſt frequens adſtans Sacris, & beneficentiâ in pauperes, vulneratum fuiſſe ab impiis, in ea irruptione, quam fecit in arcem, cui cùm victor inſtaret, femur illi plumbea glande traiectum eſt, vnde vertente anno ceſſit fatis ille Henricus eo vulnere glorioſo. Quippe cunctante globo exire, quia apophyſi oſſis trochanteris adhæſerat, Lugdunum deportatus, totum ſe tradidit medicorum induſtriæ. Ego fortè fortuna illuc appuleram; inuiſi Heroem illum decumbentem mihi agnitum vt Proregem in deuotione Mariſconenſi, quæ adiacet caſtro Scenecceo, à quo Henricus ſuam nomenclaturam acceperat. Vt ægri annuerem votis, creber illi adſtiti, non daturus aliquid eius ſolamini, ſed meo ipſius profectui. Nimirum ea mente erat ita compoſita, ad nutum Dei, vt inter adiaphora, quæ in neutram partem inclinant, reponeret optionem vitæ & necis.

Vrgente eum fato, viatico & extrema vnctione ſe accinxit ad agonem, cuius conſumptionem debebant excipere præmia neſcitura finem. Biduo ante ſupremum emiſſum ſpiritum, enixè orauit ne ſiſteretur ipſi amantiſſima conſors, neque quis prolem futuram orphanam memoraret; ſed vnius tantùm Dei frequens fieret mentio, vt ei Deus ipſe altiùs inſideret. Eo apparatu Henricus terris ereptus eſt, vt redderetur Deo, cui ſe totum ſoſpes, & æger impigrè deuouerat. Ingens ſui deſiderium toti regno fecit; quia vegeta ætate adſcriptus cælicolis, futurus erat proficuus regno, ſi Deo annuente ſuperſtes extitiſſet. Vt nunquam marcet virtus, licet æuum omnia depaſcatur, viget adhuc eius memoria afflans vnicuique odorem gratum. Quæro à nobilibus degeneris huiuſce ſæculi: vnde Henrico viuo & defuncto totius regni concors applauſus? Fortè quia nobilis? Minimè verò: ſiquidem in ea alea pleroſque conſortes habet, quos quia non ſtipat ea virtutum fragrantia, etſi ſua virtute præſtent, nemo ſuſpicit, nec aſpicit quidem. Fortè ea egregia quæ obiit munia, veſtium pompa, opes, & amici conſpicuum iſti ſæculo reddiderunt? Nequaquam: nempe præeunt illi in eo genere multi, ſed vna ei pietas in Deum inſita decorum adeò effecit, vt multi admirantes, coïre in eo gratiæ & naturæ dotes, confeſſi ſint, ſatius eſſe nobilem fieri ex proprio penu, diuite, & inſtructo virtutibus, quàm nobilem naſci, ſplendido ſanguine concretum.

Vtinam nobiles quamplurimi, hodie ſuperſtites, qui eum aliàs florente ætate ſibi præfecerunt in comitiis, eumdem iam cælicolam animo verſent, & recolant eos animi cenſus, quos in eo aduertentes, in equeſtris ordinis perquàm dignum præſidem elegerunt. Quæ autem potiſſimum in eo fuerint argumenta virtutis æmulandæ, paucis accipe. Henricus Scenecceus regij inſtituti eques torquatus vtrique emeritus, defocis erat adornatus ea contextura veſtium, quæ decebat eum ſtatum, qui ſuos Symmiſtas ab aliis quibuſque nobilibus diſpeſcit, columba aurea radiante, & alis effuſis incubante meditullio crucis aureæ pendulæ de vitta cyanea, è ceruice hominis ea teſſera conſpicui diffluente. Ne inglorium faceret illud inſtitutum humilitate ſua; ſtipatus erat ea ſequela famulorum qua par erat. Ea erat pompa cute tenus, nimirum cætera ſingularis: vtpote adeò aſſuetus religioſis hominibus, vt vix ſine illis eſſet caſtrum Scenecceum, vbi in monumentum pietatis procerum eius, proſtat ædes ſacra congruè dotata, vt plures inibi ſacerdotes quotidie inſtent Sacris.

Si quando charitas annonæ inediam ingereret, eo anno nihil ferè ſibi, ſed duntaxat egeſtate atenti populo demetebat. Vbi intererat Sacris, ſe ſuaque omnia propemodum oblitus, Dei tantùm meminerat; quodque ſtupeas in homine regiis implicito curis, hoc ſibi penſum indixerat, vt Deo appenderet horas Canonicas eo ritu, quem tenet Eccleſia. Ea parcitate vino vtebatur, vt abſtemium credidiſſes. Ab omni Veneris illuuie adeò alienus erat, vt ab obſcœnis abhorreret, ſicut à blaſphemia atque periurio. Vtque puellulus, qui vnus illi erat, aſſueſceret rebus ſacris, multus erat in ſuggerendo nomine Ieſu & Mariæ. Omnem exoſus faſtum, nihil altum de ſe effutiens, conterebat ſuo exemplo ſuperbiam.

Necdum animo excidit illud eius inſigne effatum, quo mihi inter minores minimo futurus eſt ſpecimen humilitatis iugiter æmulandum. Nimirum ea ægritudine, qua occubuit, animum eius erigebam in ſpem vitæ æternæ, & recenſebam plagam illam prænuntiam mortis, quam pro fide tuenda contraxerat, Regi ſuo militans contra homines Deo & patriæ & Principi perduelles. Sed tantùm abeſt vt vir Deo plenus annuerit mihi applaudenti; quinimò alta trahens ſuſpiria, humili voce exoſa typhum, & ſupercilio depoſito, me ſic affatus eſt. Heu heu! Pater mi amantiſſime: Heu, inquam! & proh dolor! Ea quæ recenſes egregia facta, non Dei tantùm ergò edita ſunt; ſed ad beneuolam auram hominum aucupandam. Demum omnia noſtra ſunt pompa, & faſtus. Hoc audito, ego humilem eum animum illi inuidi, & mihimet ingemui, qui meo Capucinorum inſtituto eruditus, ad ſectanda quæque humilia, me agnoui procul ab ea virtute, quæ in eo Heroë rutila coruſcabat.

Diſcite igitur, ô nobiles inglorij, ab homine prænobili, non eſſe res diſcordes, ſtemmata nobilia, & virtutes; nihilque adeò officere claris natalibus, quàm vitia, quorum aſpergine diluuntur omnia diplomata, quæ ementitam nobilitatem aſtruunt. Etenim ratum eſt factum hoc Sapientis effatum, quò benè conſulitur vnicuique nobili. *In manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccleſiaſt. 3.
Et hoc conſilium appoſitè quadrat verſui, qui titulum fecit huius ſectionis, illud vnum ingerentis, vt quantò quis excellit, tantò humilior ſit, exemplo Sancti Ioſeph, qui vbi deprehendit, Mariam ſapere quid diuinum, atque adeò ſe euectum ad hoc culmen gloriæ, vt coniugem haberet Deiparam; vir ille humilis & refuga gloriæ, declinare voluit hunc honorem.

Angeli frequentes adſtant eis, quibus gratia vberior afflat.

In hæc verba :

Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.

SECTIO QVARTA.

DE IOSEPH CVM ANGELIS FAMILIARI COMMERCIO.

EX HISTORIA. *Plutarch. in Alexand.* Alexander æmulos tantùm Reges petit adoleſcens.

ALexandri Macedonis adhuc impuberis reſponſio magnanima circumfertur; ea ſcilicet, qua eluſit illud incitamen, quod vrgebat eum ad faciendum periculum ſui pernicis habitus cum aliis in Olympia currentibus. Vt ſe Alexander eriperet illis hominibus importunis ſuadentibus curſum, ait: Date mihi æmulos eiuſdem ſtemmatis, vtique regij quo ſatus ſum, & ego tunc cum Regibus inibo curſum, qui alioquin mihi foret inglorius, ſi cum infimæ ſortis hominibus aleam hanc tentarem. Sermo ille index magnanimæ indolis, magnam puero reuerentiam conciliauit: quippe aſtantes vt videre, eum nihil niſi regium anhelare, præſcia velut mente augurati ſunt, non vni tantùm ſolio Macedonum, ſed regimini orbis vniuerſi eſſe editum Alexandrum, vtpote qui etiam à teneris vnguiculis, hominum infra Principum ſortem cōſortium abnueret, Regia duntaxat ſocietate geſtiens. Sexcentis annis Alexandro ſuperior adoleſcens Ionathas ingenij ſui nobilis inſigne ſpecimen ediderat, cùm vni Dauidi adhæſit pectore toto, vt eleganter exprimit Scriba ſacer hoc contextu. *Anima Ionatha conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Etenim indubium eſt in homine illuſtris generis argumentum, ſolis aſſueſcere nobilibus, & auerſari lixas, imò etiam ab omni commercio vilis plebeculæ penitus abhorrere: ſiquidem ægrè admodum coëunt nobilitas & ignobile vulgus.

Nobiles nobilibus ſolùm aſſueſcant.

1. Reg. 18.

Tiraquellus l. de nobilitate cap. 20. Scaliger quomodo principatu excidit.

Eo argumento excidit principatu Veronæ Antonius Scaliger, qui primas hactenus in ea vrbe tenuerat. Ille aſpernatus proceres vrbis, alioſque editos claris natalibus, in ſuam familiam adſciuerat flocci homines, eoque ignobili ſtipatus agmine, iniurius erat primoribus, qui inde captarunt anſam ſuſpicandi, hominem eſſe adulterini fœtus, vtpote degenerem, ac proinde imparem titulo Principis, quo gloriæ impos, immeritò geſtiebat. Eâ coniecturâ nobiles hominem exoſi, qui nihil inſigne ſapiebat, valida coniuratione inita, Principem illum vt ſolio indignum exautorantes, ſolo penitus adæquarunt.

Angeli quorum conſortio gaudeant.

Angeli reuera procul ſunt ab ea humili & abiecta indole Scaligeri faſtidientis inſignes quoſque ſuæ ciuitatis homines, vnde & in ſuſpicionem venit ſuppoſiti fœtus, & hominis ementiti clarum genus. Nimirum Angeli præpotente Deo parente ſati, eorum duntaxat gaudent conſortio, in quibus elucet aliqua coruſcantis teſſera Deitatis. Ita vt quo quis ſanctior eſt, eò etiam ſit propior Angelis. Et hoc clamat titulus huiuſce ſectionis, cui argumentum fecere crebra cum Angelis Ioſephi commercia. Vt veritas igitur tituli aſtruatur, excipienda ſunt Theologiæ velut è tripode loquentis oracula. Diſciplina hæc ſanctior diuino afflatu erudita, propoſito themati magnam afferet lucem, & maximè verſans eum locum Apoſtoli memorantis Angelos eo pacto. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Vnde ſic arguo. Quò plura litant cauſæ in procinctu agendi, eo etiam effectus erit celerior: vbi enim plurima concurrunt ad agendum, ibi cauſa morarum impatiens, effectum ſuum citiùs exerit. Ergò quò quis erit ſanctitate conſpicuus, eò etiam arctiùs Angelos ſibi deuinciet: cùm enim præcipuè mittantur Angeli propter eos, qui miniſterium capiunt ſalutis; hi, qui aptiùs ſe accingent ad hocce Angelorum obſequium, nonne etiam ſuauius beatorum illorum ſpirituum ſuffragia demetebunt? Aſt nullus eſt ad hæc Angelorum & hominum ſacra commercia potior apparatus eo, quem affingit ſanctitas; ea enim quæque anima inſignis ſe componit ad ſalutem: Ergo quò terſior erit animæ nitela, velocius etiam erit Angeli præſidium.

EX THEOLOGIA.

Hebr. 1.

Comparari autem ſalutem ſanctitate, res eſt in confeſſo apud omnes Theologos; non quòd operibus noſtris ex natura ſua inſit quædam relatio, Deum obſtringens ad imperiendum præmium, quod ſi congruum tantùm egregio facinori noſtro largiretur Deus, nullum planè eſſet; quippe omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Sed quia Deus ſuperioris ordinis qualitatem inurit nobis, quam Theologia gratiam nuncupat: qualitatis illius ſuffragio actiones elicitæ eriguntur in ſpem vitæ æternæ, quæ ex Dei fœdere inito cum homine, manet eos omnes, qui diuino illi chariſmati iugiter aſſueſcunt. Hæc gratia ſi inſignis extiterit, hominem ea ſpecie condecorat, vt etiam Angelis ſanctam ſui cupidinem faciat ratione ſimilitudinis, quam vbi beatæ illæ mentes deprehendunt eſſe ſummam, tunc illis hominibus frequentes aſſiſtunt, vtpote qui concordent ab ortu ſuo Sanctis omnibus ratione gratiæ, quam à mundi exordio Deus ſingulis quibuſque Angelis impertiuit; vt conclamat tota Theologorum claſſis, ducta rationibus congruis ad hoc affirmandum, quarum iſta eſt poriſſima, ſcilicet; Debere vnicuique fini media conſona coaptari, atque Angelis neceſſariam fuiſſe gratiam vt aſſequerentur gloriam; ſiquidem gloria vt eſt ſuperioris ordinis, idonea etiam illi fini media depoſcebant, nimirum gratiam, quæ ſola eſt ad beatitudinem medium adæquatum. Rurſus Angelorum conditio non fuit hominum ſtatu deterior; at hominis incunabula fuere gratiæ Dei illapſu nobilia, vt colligere eſt ex eo, quòd editus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.

Gratia homines Angelis aſſimilat.

Th. 1. p. q. 62. art. 2.

Sanctū nihil eſt ſine Spiritu ſancto. Angeli non ſunt beati natura ſua. EX SS. PATRIBVS. *Baſil. in Pſalm. 32. Suar. l. 5. de Angel. c. 4. Aug. lib. de Eccl. dogm. c. 59. & 6.*

Accedit Sanctiorum Patrum concors auctoritas quæ eſt propitia ſanctis Angelorum exordiis. Baſilius in eorum choro præit. *Nihil ſanctum eſt ſine Spiritus ſancti præſentia: Angelos namque vt initio eſſent, Verbum opifex omnium condidit; ſanctificationem verò ſimul illis impendit Spiritus ſanctus.* Etſi Suarez dicat, variare Auguſtinum in hac quæſtione; video tamen conſtare ſibi eum Sanctum, gratiæ Angelis inſitæ indubium aſſertorem. Sic ille. *Angeli, qui in illa qua creati ſunt beatitudine perſeuerant, non natura poſſident bonum, vt non mutarentur cum cæteris; ſed arbitrio ſeruantes bonam voluntatem, & bonum conditionis, & fidem Domino propter quod & meritò ab ipſo Domino Sancti Angeli vocantur, quòd*

tenuerunt

tenuerunt arbitrio ſanctitatem, nec ſociorum exemplo deuiauerunt à bono. Altero eiuſdem libri capite idem verſans argumentum ita pergit. *Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore perſtiterunt fixæ, lapſis ſuperbientibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine ſurripientis culpæ mordeantur, vt & in contemplatione conditoris ſine fine felicitatis permaneant, & in hoc ſic conditæ, æterna ſtabilitate ſubſiſtunt.* Hactenus Auguſtinus. Ex præfatis liquet ſenſus Apoſtoli perhibentis, Angelos mitti in miniſterium, propter eos, quorum ferè ſalus indubia eſt, quia à gratia non declinant. Ratione enim huius affinitatis, quæ ſita eſt in communi gratia, intercedit neceſſitudo quædam inter Angelos & homines, etſi ſint naturæ diſcoloris.

Angeli confirmati ſunt in gratia.

Ex Philosophia. *Ariſt. lib. 2. magn. moral. cap. 12.* *Amicitia inter quos reperiatur.*

Non inſciâ Philoſophiâ fidem facit iſtud theorema, inſinuans Angelos fieri æquiores hominibus, ſi eos aduerterint emicare virtutibus, & eminente gratiâ ſingulari. Ex Ariſtotele, ibi eſt amicitia, vbi & reciprocat amor; at amor nequit eſſe mutuos, niſi adſit vtrimque obiectum amoris, quod eſt bonum ambas voluntates arctè deuinciens. Ergo ſi Angelus in homine deprehenderit illud bonum gratiæ, cuius ope gloriæ æternæ compos effectus eſt; proculdubio hominem redamabit, qui eo ipſo quod eſt in gratia, Angelis addictus eſt, vt fratribus ſuis primogenitis, quos vt tutores accepit, à temporis articulo, qui ei huiuſce lucis vſuram impertit. Nota, hoc ſchemate diſcurrendi, arceri ab amicitia Angelorum reprobos omnes, etſi omnia eis bona aſpirent, quæ conciliare ſolent animos hominum, quorum æquior vtplurimum captatur aura, velis his expanſis, ſcilicet opibus, epulis, forma egregia corporis, aliiſque naturæ dotibus admirandis. Nihil horum remoratur Angelos, rerum omnium incurios; hæ ad Deum non euehunt ſuos illico poſſeſſores. At prædiuites mundi gazæ, pompa honorum, & ſæculi faſtus, oris venuſta compoſitio, cæteraque eiuſdem farinæ bona grauant ſua mancipia, & deorſum inclinant. Ergo non ſont bona eius contexturæ, quam requirit Angelus vt præuiam amori ſuo. Imò ipſe Ariſtoteles ait, veram amicitiam poſſe [illegible] inter bonos enaſci; quia nihil reuera ho[illegible] quà homo eſt inclinare poteſt affectum æqu[illegible] virtus, quæ vt eſt bonum variare neſciens, [illegible] & nutare neſcit amicitia eo fundamine conſtituta. Infertque Philoſophus, rarum eſſe omne par amicorum, quia orbis extremâ laborat inopiâ virtutum. Igitur cùm gratia omni virtuti naturali præſtet, & ſit quaſi cognata Angelis, eis ſtatim infuſa; ſi quem hominem nanciſcatur ea qualitate prænobilem, proculdubio incunctanter eum amore ſuo reciproco dignabuntur. Sicque ſtabit tituli concluſio de affinitate Angelorum & Sanctorum. Item ex præfatis fas eſt colligere, ſanctitatem alicuius, ex neceſſitudine Angelorum; quibus vt ſola gratia eſt cordi, ſi cuipiam frequentes aſtiterint colloquentes, creber ille affatus, multiplicis gratiæ præſens arguit incrementum.

Angeli quaſi non amét noxios homines.

Ariſt. l. 8. Ethic. c. 3. *Amicitia tantum inter bonos naſcitur.*

Sacer ille textus qui eſt Ioſephi encomiaſtes, ſanctitatem viri prodit eo ritu, quem iam decurrimus. Plurima namque dicturus paucis, tres recenſet Angeli acceſſus ad Ioſephum, qualiter ſe deberet gerere in his quæ Chriſti ſunt deſuper eruditus. Sed quid mirum, Mariæ ſponſum emeritum dignari colloquio Angelorum, qui ipſe erat veluti Angelus cuſtos Chriſti & Mariæ Principum Angelorum. Eo etiam honore dignior Mardochæo, quem Perſarum Rex inclytus Aſſuerus ob detectas inſidias, eò euexit, vt Aman ſecundus à Rege, pedes anteiret Mardochæum equitantem in equo regio, iuxta ipſiuſmet Aman ſententiam, quam ſic Aſſuerus conſuluit. *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quod nullum alium Rex niſi ſeſe vellet honorare, reſpondit: Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, & accipere diadema regium ſuper caput ſuum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare. Dixitque ei Rex: Feſtina, & ſumptâ ſtolâ, & equo, fac vt locutus es Mardochæo Iudæo.* Quare autem Aſſuerus multus extiterit in Mardochæo excolendo, lege initio eiuſdem capitis. *Noctem illam duxit Rex inſomnem, iuſſitque ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat, quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan, & Thares Eunuchorum, Regem Aſſuerum iugulare cupientium. Quod cùm audiſſet Rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.*

Eſther 6.

Hactenus ille Codex ſanctus, cuius ſeries tota recenſens præmia, quibus affectus eſt Mardochæus, ad tria maximè præcipua terminatur: videlicet diadema regni, equum de ſella regia, & Principem qui ſterneret equum, & fræno arrepto equitem anteiret, humilem deferens famulatum ei, cuius obſequia Rex eo præmio compenſabat. Deus qui quandoque effunditur in gratias largiendo ex præuiſione meritorum, vt videre eſt in Paulo, quem ſcelus anhelantem, hominem frugi fecit in inſtanti, ex eo quòd futurus erat vas electionis, & præco nominis Ieſu morte tenus; ita & Ioſephum eodem brauio excoluit, quo & Mardochæum Aſſuerus, ob apertas inſidias, quia Ioſeph erat erepturus Chriſtum infantem neci quam erat ei Herodes homicida moliturus, deportando in Ægyptum puerulum Regem, in cuius caput Rex impius multo effuſo ſanguine coniurarat. Tria itaque Ioſepho conceſſa ſunt. Diadema regni, equus de ſella regia, & primi Principis humile obſequium.

Actor. 9.

Duo annuente diadema regni aſſompſit iſte Ioſeph, cum nomine Patris Chriſti dignatus eſt, quod nemini vnquam Sanctorum eſt conceſſum. Siquidem Angeli, qui Dei partes egerunt olim quando creditus eſt Deus apparere, vt in monte Sinai lege promulgata; item & in alio monte, quò migrauit Abraham, vbi Deum agens Angelus egregiũ eius facinus approbauit. Angeli, inquam, aliàs obiere Dei vices; ſed in monte Thabor Deus ipſe Pater ſuas egit partes, quando hæc vox deſuper inſonuit. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* In huius vocis edendæ partem noluit aduocare Deus Angelum, ne aſſumeret diadema regni, id eſt, nomen ſeu titulum Patris Filij Dei: penes autem illud nomen Patris eſſe diadema Regni, videre eſt ex eo quod aiunt Theologi, Patrem eſſe fontem & originem

Paternitatẽ Angelus nunquam aſſumpſit.

Ex SS. Patribus. *Matth. 3. Chryſ. & Hier. item & Th. in c. 17. Matthæi.*

Triadis

Triadis ſacroſanctæ. Angelis negatum fuiſſe decus illud, ſibi conſoni affirmant Sancti Baſilius, Chryſoſtomus, & ſcholæ genius Angelicus Doctor, quibus adiice Cyprianum ſic præfata illa verba audita in monte Thabor expendentem.

Cyprian. l. de baptiſmo.

Patris quando in dominis vox inſonuit.

Huc vſque, Domine Sancte Pater, non audiuimus te ita loquentem, vt perſonaliter tibi aſſignetur locutio, quam proferres. Hanc vocem à tua paternitate delatam, nemo eſt qui ambigat, non eſt qui ſibi hoc verbum audeat arrogare. Auguſtinus in ea quoque eſt mente, ſuam ſententiam ſic profeſſus.

Aug. in l. 4. de Trin. c. 21.

Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam quidem eſſe naturam, tres verò eſſe perſonas, Patremque ſolum eſſe qui dicit: Hic filius eſt meus dilectus, in quo mihi benè complacui, & filium ſolum eſſe, ſuper quem vox illa ſolius Patris ſonuit.

Eſto ſit hoc diadema Angelis inconceſſum; Ioſephi tamen capiti incubuit, Mariâ etiam conſciâ quæ vocauit eum Patrem Chriſti, ſicuti ſupra recenſui, dum reperto puerulo Ieſu in templo, ait illi: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Imo etiam ipſe Dominus Ieſus nonne & vocatus eſt filius fabri, quia Ioſephum ea nomenclatura patris iugiter appellabat? Eo diademate inſignis, nonne habuit ſibi ſubditos Ieſum & Mariam; Ieſum vt filium putatiuum; Virginem verò vt coniugem? Equo item vectus eſt regio, nempe idem ei affingitur virtutis omnigenæ titulus qui & Christo, quem ipſi etiam reprobi prædicantes vno hoc iuſti nomine cenſuerunt. Sic Iudas ait. *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Ita & Pilati vxor. *Nihil tibi & iuſto huic.* Idem etiam nomen Iuſti Ioſepho inuſtum à Matthæo eo panegyrico concludente virtutum eius omnium ſummam. *Ioſeph autem cùm eſſet Iuſtus.* Virum autem omnimodè iuſtum virtutibus cunctis vehi vt quadrigis, in confeſſo eſt ex alibi prælibatis, vbi iuſtitiæ nomine ſignari diximus omnem omnium virtutum chorum, iuxta Ariſtotelis etiam arbitrium, & Hieronymi ſententiam ſic ſcribentis. *Omnium virtutum ſpecies, vno iuſtitia nomine continentur.*

Luc. 2.

S Ioſeph tituli laudis iidem, qui & Dei.

Matth. 5.

Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 2.

Hier. ep. ad Demet.

Iuſtitia virtus generalis.

Vnum eſt quod titulum ſectionis ſpectat, nempe illud decus inſigne additum Mardochæo, quando Principum primus Aman hominis Hebræi equitantis miniſterium egit, capite aperto vrbe tota peditando. Vide eo apparatu Ioſephum euntem in Ægyptum, fretum ducatu Archangeli Gabrielis, qui vnus eſt è ſupremis cæleſtis curiæ Principibus. Fuiſſe autem Gabrielem Archangelum Ioſepho adiectum vt miniſtrum, & interpretem arbitrij Dei, audi ex Origene. *Ecce Angelus Domini apparuit Ioſeph. Qualis Angelus? Ille ipſe, qui ad Mariam deſtinatus fuerat Gabriel: ille annuntiare venit, qui Zachariæ in templo locutus eſt: ipſe & nunc per ſomnium oſtendit ſe Ioſeph S. Angelus Gabriel: ipſi enim iniunctum fuerat & commendatum generationis dominicæ ſacramentum. Propterea & dignè appellatur fortitudo Dei: illius namque Incarnationis ſacramentum commendatum habebat, qui veniebat ad debellandas poteſtates aerias.* Fuiſſe autem vnum de Principibus primis hunc Angelum, collige primum ex nomine, quod aliquid eruditè præpotens ſonat, & proximè affine Deo, vt Bernardus ait. *Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa crebra ſoleant ad terras legatione fungi. Quod ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur. Nec diſcordat nomen à nuntio: Dei quippe virtutem Chriſtum, quem melius nuntiare decebat quam hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo quam virtus?* Gregorius Angelum hunc ſummum vocat. *Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe miniſterium ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat.* Itaque dum famulum ſe Ioſephi præſtitit ille Angelus, reuera Princeps potentiſſimus Ioſephum anteiuit, præambulonem agens hominis euntis in Ægyptum.

Angelus Gabriel miniſter incarnationis.

Orig. hom. 3. de diuerſis.

Bern. hom. ſuper Miſſ. eſt.

Greg. ho. 34. in Euang.

Anteuertit Deus dignatione ſua in Ioſephum edictum Cæſareum, quo præmia non modica decernuntur homini benefico ſuo Principi, ſic enim habet textus ille Cæſarei Codicis. *Sanè ſi quis ex his in exordio initæ factionis, ſtudio veræ laudis accenſus, initam prodiderit factionem, præmio, & honore donabitur.* Et licet vitæ Aſſueri conſultor opportunus mercedem nactus ſit ſingularem; Ioſeph tamen cauens vitæ Chriſti, ampliori longè honore dignatus eſt, præiens in hac alea Mardochæo, cui etſi aſtiterit equitanti Princeps Aman, id ſemel tantùm patratum eſt. Sed Ioſepho illuſtriori viro, & quaſi redemptori Redemptoris, cuius vita ïerat in diſcrimen, crebrò adfuit Gabriel ille Princeps. Et eſto Matthæus trinæ duntaxat viſionis meminerit; non eo tamen inficias, Angelos fuiſſe quaſi domeſticos in ea familia, vbi & Chriſtus erat legis à ſeipſo conditæ ſedulus obſeruator, honorans Patrem, & Matrem, iuxta legem hanc inſignem. *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem confiteri. Et reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* Incunctante mora Angeli eo aduolarunt, penſuri ſuum famulatum illis parentibus, quibus erat ſubditus Dominus Ieſus Princeps Angelorum. Sed Gabriel quaſi vnus addictus illi myſterio, ita aſſiduus illic fuit, vt dixiſſes eſſe adſcitum in familiam Virginis illibatæ.

Reuelantes factiones ſunt præmiandi.

EX IVRE CIVILI.

Leg. Quiſquis §. finali, Cod. ad leg. Iul. Maieſt.

Legum obſeruatio maior eſt Imperio.

Princeps ipſe leges obſeruet.

Leg. 4. Cod. de leg.

Fauet elegans obſeruatio cælicolæ Matheſeos, quæ dum peculiaria ſigna zodiaci aſſignat ſingulis quibuſque Planetis: ait, Planetas duobus gaudere ſignis ſeu domibus: vt Saturno aſſignat duas has domos, Caprum, & Aquarium, Ioui Piſces, & Sagittarium; ſed miſſis aliis, id maximè meo quadrat inſtituto, quod ſcilicet, Mercurio aſſignet has duas domos, ſcilicet domum Virginis, & domum Geminorum, nihil reuera aptius excogitari poteſt huic themati de Principe Angelorum Gabriele, quaſi inſcripto familiæ Domini Ieſu, Mariæ, & Ioſeph. Quippe Gabriel Mercurij egit partes, quando nuntium ſe fecit, & interpretem ſuperni arbitrij, nimirum quando dicitur Angelus ille Deo delegante miſſus ad Mariam, omnes obit vices, quas ſuo Mercurio affinxit priſca Gentilitas, quæ etiam Deorum hunc legatum aligerum pinxit, vt & nos Angelum Gabrielem alis inſtruimus. Mercurius ille noſter duas habuit veluti domos ſibi ſingulares, videlicet domum Virginis, & domum Geminorum; bifariam enim poteſt nominari domus illa, cui immorata eſt Deipara, quam ſi illibatam ſpectes, iure potes eam nominare domum Virginis; ſiquidem ea, ſcilicet Maria, fuit primiceria omnium Virginum,

EX MATHEMATICA.

Ptolem. Firmicus. Schonerus vbi de dominio Planetarum.

S. Ioſeph fuit aſſuetus Angelis.

cuius

cuius puritate adeò captus eſt Gabriel, vt ſubodorans gratiarum fragrantiam, quam afflabat ea Virgo nitens omnigenâ puritate, vtpote facta Dei ſacrarium; Angelus, inquam, ille ſuam fecit domum, eandem Virginis Mariæ domum.

Rurſus ſi attendas Mariam vt ſponſatam; eo Ioſephi obiectu, Maria coniugata duo dicit, ſe videlicet, & ſpoſum ſuum, quibus duobus Angelus ille Gabriel aſſuetus, & crebrò colloquens, domum hanc Geminorum ſuum paradiſum fecit; in eam enim ſciebat ille Mercurius, Deo propitio copioſos gratiæ latices influxiſſe. Mercurius ille vnus eſt in Planetis, qui à Sole non recedit vltra viginti quatuor gradus, cùm cæteri omnes Planetæ longiùs excurrant; ideoque vbi Mercurius ſubit domum Geminorum, ſtatim Sol rutilus illic irradiat: ita quando Gabriel Angelus ſuperas derelinquens oras, aduolauit ad hanc domum Geminorum, Mariæ, & Ioſeph, eius ingreſſus fuit reuera prænuntius Chriſti Solis, illis ædibus orituri. Nec anceps fuit augurium: Deus enim eo articulo temporis illapſus in Virginem, hominem induit; Angelus ille pronubus Mariam ſollicitans ad hos Dei & hominis hymenæos, non Mariam tantùm dignatus eſt ſacris muneribus, ſed & Ioſephum eius meritum coniugem inſigniuit dotibus, quas Deus dederat ei tranſmittendas.

In figuram eius gratiarum vberis affluxus, Eliezer vernaculus Abrahæ dedit munera virgini electæ in ſponſam, ſimilique etiam dignatione affecit parentelam ſponſæ; ſic enim habet textus.

Geneſ. 34.

Probatis vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque eius & matri dona obtulit. Eadem etiam liberali manu, Angelus Ioſephum Mariæ coniugem illa locupletauit gratia, quam Deus ei dederat infundendam. Eamobrem ſi à me ſciſciteris quomodo nuncupem illam domum Geminorum, Mariæ & Ioſeph, cui adeò frequens aſtitit Gabriel Angelus; eam congruè appellabo aceruum Mercurij, quia Angeli illius miniſterio, tot & tantæ gratiæ in eam domum congeſtæ ſunt, vt ille aceruus Mercurij ſua mole gratiarum ſuperet cumulum illum ingentem, in quem aſſurgunt beatorum omnium chariſmata, quantumuis extiterint ea luculenta.

Accedit & alia Matheſeos obſeruatio, qua vtriuſque venti, Aquilonis ſcilicet, & Auſtri vehemens aura tribuitur aſpectui Mercurij, quo etiam beneuolo influunt imbres, vt & ego Ephemeridum ſoffragio ſæpius obſeruaui. Audi Angelum, Spiritus ſancti indubium præcurſorem, quando affatum eius ſequutus eſt afflatus illius auræ ſacræ, iuxta præſagium.

Luc. 1.

Spiritus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Aura illa validior etiam aſpirauit Ioſepho, vt conſcio myſterij, cui ſuum debebat pendere famulatum. Auſtri influxum ſenſit Ioſeph, amoris æſtum patiens, quo actus totus effuſus eſt in puerulum IESVM, cuius infantuli eam geſſit curam, quam ſuggeſſit Angelus, morem gerens monitis eius, & detrectans credere ſuo dictamini in re tanti momenti, vt regimen infantiæ Regis Angelorum: & licet morem gerere Gabrieli conſulenti fugam in Ægyptum, videatur eſſe argumentum obedientiæ; credo tamen fuiſſe facinus amoris in puerulum, cuius vt ſaluti totus inhiabat, ſatiùs duxit Angeli ducatum ſequi, quàm ſuam induſtriam, non futuram æquè ſalutarem Chriſto, ac Gabrielis conſilium, ſibi ſic ſanciente Deo Domino propalatum.

S. Ioſeph quonā amore Dei incanduit.

Conſortium bonos vel malos facit.

Item vir ille Dei, Mariæ adiectus in ſponſum, quomodo non arderet iuxta clibanum Diuini amoris, quo ita Virgo incanduit, vt Ioſephus etiam igneâ hac gratiâ conflagrarit. Datumque eſt Ioſeph illud quod dictum eſt in Apocalypſi.

Apoc. 3.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.

EX IVRE CIVILI.

Eo igne amoris totus ebulliit Ioſeph prope Mariam, cuius lampades ignis atque flammarum: valétque argumentum ductum ex Iure Ciuili, cuius accipe ſanctionem. *Cum ex conuerſatione probetur bonitas, vel malitia; vales optimè dictum teſtis deponentis, aliquem eſſe bonum vel malum: quia videt eum conuerſari cum hominibus bonæ vel malæ famæ.* Hæc Angelus in Authentica de Monachis appoſitè ad ea, quæ contrario ſenſu ait Baldus. *Ratione mala ſocietatis quis præſumitur malus.*

Au. bo... de Monachis §. Cogitandū. ibi Angelus. Bald. in leg. Eum. Cod. De Epiſcop.

Amor filiorum non eſt laudandus.

EX SS. PATRIBVS.

Idcirco cum eodem Iure ſint fauores ampliandi; nonne ex Mariæ iugi conſortio Ioſeph æmulatus pro modulo amorem eius in Deum, arſit eo igne, quo & Maria? Nam etſi Ioſeph alia planè ratione pater Chriſti fuerit, quàm Maria Mater; cùm ea verè Mater extiterit, ille verò nomine tantùm tenus pater: non tamen illi defuit affectus patris; quippe idem Deus Chriſtus, qui cum crebrò nominauit patrem ſuum adiecit ei amorem illum, qui conſequitur nomen illud, quod totum eſt amoris, atque ita Ioſepho non defuit ille amor in Chriſtum, quem filij vice habebat, & qui etiam viget in animantibus, vt benè diſputat Auguſtinus.

Aug. ſerm. 1. in feri. 4. poſt Sexageſim.

Amoris expers in filios eſt inhumanus.

Si tali quiſque crudelitate efferatur, vt perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios ſuos, & non amet coniugem ſuam, nec inter homines numerandus eſt. Non enim laudandus eſt, qui amat filios ſuos, ſed damnandus eſt, qui non amat filios. Adhuc enim videas cum quibus debet ei eſſe iſta dilectio communis. Amant filios: & feræ amant filios. Amant filios aſpides: amant filios tygrides: amant filios leones. Nulla enim beſtia eſt, quæ non filiis ſuis blandè murmuret: nam cùm terreat homines, paruulos fouet; fremit leo in filios, vt nemo tranſeat. Intrat in ſpeluncam, vbi habet filios ſuos, omnem rabiem feritatis ponit: foris eam exponit, & cum ipſa non ingreditur. Ergo qui non amat filios ſuos leone peior eſt. Hæc ille, vnde arguo.

S. Thom. 2. 2. q. 28. art 8.

Amicitia cōſanguineorū quomodo differat ab alia.

Ex Sancto Thoma ita ſe habet amicitia conſanguineorum ad amicitiam exterorum, ſicut ſubſtantia ad accidens; nam ea fundata eſt in coniunctione originis, quæ eſt ſecundùm id quod pertinet ad ſubſtantiam; at ſubſtantia per ſe ſtat, accidentia verò poſſunt abeſſe perperam & adeſſe, atque ita amor ſequens ſubſtantiam, vtpote inſitus à natura, eſt omni amore perennior, cùm alij omnes amores deforis accidant, atque adeò obnoxij ſint mutationi, iuxta ingenium accidentium quibus ea ſors indicta eſt, vt varient ſemper, & minimè ſibi conſtent. Sed amor ſupernaturalis vti ſuperioris ordinis, eminet illi, quem natura afflat; ergo Ioſeph, qui à Deo accepit vt eſſet Pater Chriſti nomine, & cui reuera inditus eſt amor congruus huic titulo, quàm maximè amauit Chriſtum, ipſa eiuſdem Dei dignatione, qui alibi liberalis, non extitit parcus ſuorum chariſmatum erga illum, qui ad curas ipſius Dei in humanis ſedulus excubabat.

Rurſus eodem Thoma aſſertore; gratia, & virtus non deuiant ab ordine naturæ; qui à

Deo

Deo præſcriptus eſt; ſiquidem à Deo edita ordinata ſunt. Hunc autem tenorem natura ſeruat, vt vnumquodque agens naturale prius ſe effundat ad propiora ſibi, quàm ad poſita procul, in modum ignis, qui res ſibi adiacentes magis calore afficit, quàm remotas. Ergo Deus ignis conſumens, Ioſephum maiore amore affecit, quàm ipſos Angelos; quia Ioſepho propior fuit, atque adeò ſuo exemplo anteuertit Chriſtus illud Auguſtini effatum. *His potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictiùs tibi quaſi quadam ſorte iunguntur.* Amor ille deſuper infuſus ex ſocietate Mariæ multùm adiecit ſibi, cùm etiam reprobis inuitis ſeſe virtus inſinuet, ſi frequentiam hominum frugi non detrectent. Et eò ſpectat Ambroſius, dum ſic fatur. *Socios tibi bonos, & honeſtos coniunge: quia ſi fueris ſocius conuerſationis eorum, eris & virtutis illorum. Titiones ignis, alterutrum ſe incendunt: plures candelæ accenſæ fortius ardent: æqui euntes ſimul, leuius & feruentius gradiuntur; quia vnus ex altero animatur. Diſcipuli Domini ſtantes in eodem loco repleti ſunt Spiritu ſancto.* Cùm ergo huius amoris prænuntius fuerit Angelus Gabriel; nonne fuit Mercurius præiens Soli, & excitans Auſtrum, qui ſua aura eos accendit, quibus feruidus aſpirat?

Charitas ad quos præcipuè debet ſe extendere.

Aug. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 28.

Conſortium tuum ſit cum bonis.

Ambr. ſer. de morib. & honeſta vita.

Non Auſtrum tantùm inſpirat Mercurius, ſed & Aquilonem, vtriuſque auræ præminnus, vt quotidiano experimento liquet petito ex cælica Matheſi, quæ ex aſpectu Ephemeridum eſt præſcia tempeſtatum, idque citra ariolandi periculum: prout enim Planeta ille eſt Meridionalis aut Septentrionalis aſcendés, hunc aut illum ciet ventum iuxta poſitum ſuum, quo deuius eſt à circulo æquatoris. Gabriel præambulo amoris illius, quo æſtuauit Ioſeph, portendit etiam alia chariſmata, quæ inuſta illi Sancto, impotem fecerunt illum & expertem omnis ſenſus inhoneſti; ita vt dixiſſes, eum fuiſſe vſum corpore gelido, & ab omni impetigine carnis procul, etſi Mariæ iugiter aſtaret. Vnde & mens hæc gelida, pruritum neſciens, dedit anſam pleriſque affirmandi, Ioſephum fuiſſe immunem ab eo fomite peccati, quo ſanctiſſimorum etiam hominum renes igne Veneris incandeſcunt. Et hinc maximè emicat virtus huius Sancti, quem eo apparatu Deus Virgini deſtinauit. In eo ſenſu ei equidem afflauit Aquilo extinguens eas omnes reliquias illius ignis, quo exarſit Adami proſapia; quia Adam nefario diaboli commercio conflagrauit.

Mariæ quomodo inſederit ſemper Spiritus S.

Gabrielem anteiſſe auram Aquilonis Ioſepho afflaturi, poteſt probari ſaltem aliqualiter à ſimili, ex eo quòd fomes peccati ligatus in Maria in eius conceptione, fuerit penitus extinctus eo momento, quo conſenſit Angelo Gabrieli, Chriſti inſtantis illapſum referenti. Eâdem namque morâ fomes extinctus eſt, & Chriſtus concretus Mariæ ſanguine, hominem induit. Ita Angelicus Doctor, ſuæ ſententiæ habens Sanctos plurimos aſſertores. In his accipe Cyprianum. *In Chriſti conceptione Spiritu ſancto obumbrante, originale incendium extinctum fuit: legem mentis non infeſtabat, rebellio nulla quietem ſpiritus affligebat, nec receſſerat à venerabili pectore Matris Spiritus ſanctus, ad verbum Gabrielis illapſus: poſſidebat domum ſuam, & templum quod ſibi conſecraturas, adornabat: ſeruabat ſacrarium ſuum, & ſanctimonia thalamum honorabat: lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat.* Aduocandus eò etiam eſt Cyrillus, ille Ieroſolymitanus, ſic fatus. *Spiritus ſanctus in Virginem veniendo, & eam obumbrando ſanctificauit eam, quò poſſet eum, per quem ſunt omnia ſuſcipere.* Adiice his Arnobium, cuius hoc eſt eloquium. *Ieſus immaculatus virgineam aulam ingreſſus, ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit ſanctificationem potiùs quàm accepit.* Conſonat & Sanctus Bernardus. *Ego puto quòd copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolùm ſanctificauerit ortum; ſed & vitam ab omni peccato deinceps cuſtodierit immunem.*

Cypr. lib. de Card. Chriſti operib. cap. de Natiuit.

Mariæ quid profuit Spiritus S.

Cyrillus catecheſ. 17.

Arnob. in Pſalm. 24.

Bernardus.

Idem Angelus Gabriel hunc anteiens Aquilonem, qui Mariæ afflauit, Deo ſic decernente, eadem etiam aurâ demulſit virum eius, ita vt peccati fomes extinctus ſit, aut ligatus ſaltem. In ea mente eſt Gerſon cuius eſt & hoc de Ioſepho aſſertum. *Sicut decuit, vt Virgo ſumma puritate niteret; ſic etiam decuit, vt haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret, vterque regali progenie illuſtris vterque ſanctificationem in vtero recipiens.* Extincto fomite non fuit periculum Ioſepho comitem habere Virginem, cuius alioquin ſpecies egregia, viro incauto & libidini obnoxio facta fuiſſet iniquior. Et hoc credo præſcitum eo textu Canticorum, quo Mariæ domus cum horto componitur, quem vtraque ventilat aura Auſtri atque Aquilonis; vnde & beneficio gemini huius venti ille hortus eſt omnium aromatum affluxu locuples. Audi ſponſum dilectæ ſuæ Mariæ ſanctiſſimo amore geſtientem. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani. Myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

S. Ioſeph debuit præ aliis omnibus accedere ad Mariæ ſanctitatem.

Gerſ. ſer. de Natiu. Mar.

Cant. 5.

Mariæ virtutes figuratæ textu ſacro.

Ea verborum ſeries inſinuat ante copioſum illapſum Spiritus ſancti, & ante Gabrielis crebra commercia Mariam & Ioſephum fuiſſe hortum & floretum omnigeno flore ſatum, id eſt, vtriuſque animam fuiſſe virtutum omnium chorum, cuius fragrantiâ captus Spiritus ſanctus, vtroque ſuo afflatu auſtrali, & ſeptentrionali perflauit illas areolas peramœnas, chariſmatis omnimodi ſatione. Et vt venti inſurgentis Mercurij Planeta vehit quædam indubia præludia. Ita & gratiarum vehementior influxus habet Angelos veluti præcurſores, qui vt non niſi ſanctioribus viris aſtant; ita etiam nunquam deſunt illis, quos gratia vberior inſigniuit. Et hoc clamat huiuſce ſectionis argumentum, petitum à crebris Angeli Gabrielis cum Ioſepho colloquiis, quæ eminentem viri ſanctitatem produnt. Quippe Angeli, aquilarum inſtar, non abiecta petunt, ſed duntaxat prælatis montibus inſident: vnde vt aquila ſæpe augurium Imperij portendit eis, ad quos aduolauit; ita & Angeli ſi quando homines inuiſunt, ſanè præuia virtute inſigni, ad hæc amicitiæ obſequia percelluntur.

Nec

Ex Hiſtoria. *Plutar. in Timoth.* *Corrob. lib. 5. offic.* Timotheo dormienti ſeſe vltro obtulit victoria.

Nec inanis eſt coniectura meritorum Ioſeph, petita ex illius cum Angelo Gabriele commercio. Namque fuit Angelus ille teſſera poteſtatis eius, qua Ioſephus debebat breui omnibus eminere; vtpote futurus pater nutritius Chriſti, & ſponſus Deiparæ. Nec eſt quod quis obiiciat, Euangeliſtam memorare tantùm Ioſephi dormientis cum Angelo colloquia, & fortaſſe nunquam Angelos adfuiſſe vigilanti. Ea enim inſtantia foret farinæ eiuſdem, cuius extitere ludibria, quæ liuor affinxit quondam Timotheo duci exercitatiſſimo Athenienſium, qui eâ erat peritiâ in expugnandis quibuſque præualidis arcibus, vt ei perinde eſſet in arcem irrumpere, & eam cingere obſidione. Egregiorum facinorum gloria, æmulorum perſtrinxit oculos: eamobrem vt rutilo huic lumini tenebras offunderent, pinxere Timotheum explicantem retia, in quæ fortuna compellebat arces, eo etiam Timotheo dormiente; ſic ſorti dantes illuſtria Timothei conamina, & non virtuti. Bellè is inuidorum eluſit calumniam. Nimirum ait: Si dormiens oppugno ciuitates, reuera vigil adiiciam meæ integra regna ditioni.

Matth. 1. Ita & ego diluo inſtantiam Ioſepho iniuriam. Si dormienti Gabriel Angelus attulit Sanctorum omnium principatum, dicens. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM: *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Id eſt: Macte ô Ioſeph! quid animo excidis, cum Regio Dauidis ſanguine coaleſcas? Quid refuga gloriæ non quæſitæ, ſed conceſſæ à Deo fugam meditaris, incurius quid fiat de Maria? Animæquior eſto, & animo redux, mane cum Maria. Nempe ea ſocietate fies pater nutritius pueruli IESV, qui deſuper influxit in vterum cælitus impregnatum. Fœtus ille Redemptor eſt futurus orbis vniuerſi, vt & nomenclatura Ieſu pollicetur. Hoc ei nomen affinges, & ea impoſitione gerens aliquale dominium in Dominum cæli & terræ, tranſcendes omne quod ſub Deo eminet; Mariæ namque eris etiam ſuperior titulo ſponſi, qui ſuæ ſponſæ præire ſolet.

S. Ioſeph etiã dormiendo fuit Angelis ſubditus.

Si hæc inſuſurrauit Angelus dormienti, vnde & primas adeptus eſt Ioſeph; quid putas actum cum eo dum orationi ſagax, & intentus inſtaret? Si Angelus Raphaël Tobiæ vota, orationes, eleemoſynas adeò gratas habuit, & Deo tributi inſtar obtulerit; quid actum, putas, cum Ioſepho, cuius tota ſeries vitæ fuit oratio, nempe aſcenſus mentis in Deum? quippe qui infima quæque faſtidiens vni Deo duntaxat ſedulus intendebat? Si Ioſepho dormienti indictæ feriæ minimè obſtiterunt, quin Angeli detulerint primatum inter Sanctos; quæ chariſmata arbitraris eſſe conceſſa eidem Sancto inſomni, cuius animus rerum humanarum impatiens, & vnius tantùm Dei cupidine captus, ad eum iugiter anhelabat? Vt valet argumentum à minori ad maius; nonne & fas erit colligere ex gratiis, factis dormienti, eas quæ in eumdem inſomnem congeſtæ ſunt?

Hiſt. Imper. ſub ann. 451. Ea indagine Geinſericus Rex Vandalorum præſciit inſigne Martiani fatum. Hunc ſtrenuum militem iure belli captum, Geinſericus in vincula conieceerat: cùm autem Martianus nexuum ferreorum pondere grauatus ſub dio, ſuæ ſeruituti indormiret; Rex Vandalus de porticu, quæ deſpiciebat ſubiectã illam aream, hominis ſpeciem admiratus, ſubodorans in eo corporis habitu delitere, quid regium, vidit aquilam deſuper aduolare, & Martiano inſcio protinus incubare. Nihil cunctatus Geinſericus dormientem excitat, ſoluit, lautè accipit, initque cum eo fœdus perpetuum, ratus Martianum imperio natum, ex augurio aquilæ humero dormientis huius militis inſidentis. Non defuit homini ſors æquior; ſiquidem mortuo Theodoſio iuniore, Martianus Pulcheriam virginem in ſponſam accepit, & pro dote imperium, æuumque duxit procul à Venere, vtpote coniuge conſcia eiuſdem puritatis, & virgine morte tenus illibata.

Aquila Imperium Martiano præſagit.

Reuera Martiano dormiẽti affulſere prima lumina Imperij, cùm aquila ad eum vltro diuertit; eſt enim aquila ſtẽma imperij: quodq; rite quadrat Ioſepho, & Angelo Gabrieli, Ales regia nubibus aſſueta, facta propitia Martiano fuit pronuba nuptiarum, quas contraxit cum virgine Pulcheria dotata imperio. Ita & Angelus dormienti Ioſepho velut inſidens, ratum fert & ſtatum coniugium eius cum Virgine Pulchra vt Luna, & Solis ſpecie præfulgida. Etenim cùm Ioſephus ancipiti cura diſtractus, nutaret animo, neſcius an Mariam occultè dimitteret; audiit ab Angelo. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Virgo autem illa Ioſephum auxit imperio, cui ſeſe vltro Ieſus ipſe & Maria ſubdiderunt. *Matth. 1.*

Habes hic, ô Præco verbi Dei, locuples argumentum hortandi homines, vt quando peccatis indormiunt, auſcultent Angelo cuſtodi ſuadenti meliorem frugem. Verbi gratiâ, ſic vrgere potes: O homo, Veneris aſſecla, quid detrectas iugum Dei, querulus obiiciens te impotem tui, vtpote valido libidinis laqueo præpeditum? Eſto arctè vinciaris, & vigil Aſmodeus inſtet tibi ne diluas nexus; ſi tamen aſpexerit Angelo incubanti tibi, morem geri à te obſtricto libidini, benè ominans cedet iuri ſuo. Namque omnis Angeli auditor impiger, etſi aliquando irretitus noxis, tandem erit procul à diutina ſeruitute. Ideóque inuigilat Dæmon, ne reprobi vnquam fœdere inito cum Angelo paciſcantur. Et hanc indubiam affirmo eſſe teſſeram certæ hominum ſalutis, ſi ſalutaria Angelorum conſilia non detrectent: vt & ſecus res eſt in confeſſo, peſſimè agi cum his, qui ablegunt Angelos: beatis enim his mentibus ſeorſim à reprobis agentibus, homines peſſum eunt, ſicut ouile à lupo diſpergitur, quando abacti canes pecuarij aliò diuerterunt.

Angelis obedire ſalutis nota eſt.

Et reuerà ſalus eorum conclamata eſt, qui Indixere repudium Angelis, vt & videre eſt in Ieremia, qui deplorat iniquam Babylonis ſortem, cui ingemunt Angeli; quia coacti ſunt ab ea ſecedere, illis multo impiorum hominum crimine reluctante. Audi querulas eorum voces, editas inſtante ruinâ vrbis nefariæ. Sic vociferantur Angeli. *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. Nolite tacere ſuper iniquitatem eius; quoniam tempus vltionis eius eſt a Domino: viciſſitudinem ipſe retribuet ei. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius*

Ieremia 51. Angelorum querelæ de reprobis.

biberunt gentes, & ideo commota ſunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt: vlulate ſuper eam: tollite reſinam ad dolorem eius ſi fortè ſanetur. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam: quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius. Angeli homines iuſtos arcent ab omni impio nequiorum hominum conſortio, dum ſuadent eſſe fugiendum de medio Babylonis, vbi citra ordinem ſunt omnia ſuſque déque verſa. Inſinuant eſſe impios admonendos de noxio eorum ſitu, vt ſaltem aliquando reſiliant ab iniqua via, quam ſuæ ſalutis incurij hactenus inierunt. Eò collimat ille verſus. *Nolite tacere ſuper iniquitatem eius, quoniam tempus vltionis eius eſt a Domino.*

Ne autem piis hominibus ſuas illecebras affingat voluptas; ait Vates ex perſona Angelorum, delicias & mulctam ſuas alternare vices, ita vt voluptas intenſa pœnis interminis ſit poſtmodum addicenda, vt ſonant illæ voces. *Viciſſitudinem ipſe retribuet ei.* Qua autem vitiorum illuuie fugati ſint Angeli, audi eos edocentes. *Calix aureus Babylon in manu Domini.* Calicis nomine vtique aurei, hominum flocci reproba facinora recenſentur; ſiquidem bibunt aquam ſicut iniquitatem, & exultant in rebus peſſimis. Calix ille dicitur inebrians omnem terram; quia hoc ſpeciale vitus inſitum eſt voluptati, vt dementet homines qui ſuo indulgent genio. Et nota, terram tantùm inebriari eo calice, id eſt, homines eos ſolos, qui terrena ſapiunt longè à cælo diſſiti, ſtudere illecebris. Namque illi, quibus, & cælo nibil eſt commune, toti inhiant terræ, cui amorem ſuum affingentes, à terra etiam ſuum nomen emendicant; ea quippe eſt natura amoris, vt rei amatæ inurat amanti nomen, vnde & concolores ſunt res, amans & amatum, vt ſcitè Auguſtinus ait. *Tenete dilectionem Dei, vt quomodo Deus eſt æternus, ſic & vos maneatis in æternum, quia talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris. Si ergo vultis eſſe Dij, & filij Altiſſimi, nolite diligere mundum, nec ea quæ ſunt in mundo.*

Calix aureus nota voluptatis.

Amor amantes rei amatæ aſſimilat.

Auguſtinus tract. 2. in Ioan.

De vino eius biberunt animæ omnes neſciæ Dei, ſcilicet impio ritui Gentium obnoxiæ, nimirum quiſquis a Deo deuius eſt, in illecebrarum carnis diſcrimen incurrit, vnde validi inſurgunt motus quatientes corda ſynderesi inſomni, & corpora pœnis vindice flagello Dei deſuper irrogatis. Vbi ſæuitum eſt in vilia hæc capita, vlulatus exurgit multus index mœroris eius, qui ſuccedit illecebræ demulcenti. Eo ceſſuras fato animas omnes, quæ dedere nomen ſuum noxiis huiuſce ſæculi deliciis, Angeli in confeſſo eſſe clamant, quando dicunt. *Tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur.* Quaſi dicerent, eſſe de fortuitis & perquàm rarò contingentibus, ſalutem eorum, qui ſe illecebrarum iugi obſequio mancipârunt. Eamobrem veluti capeſſentes fugam, beatæ illæ mentes in ſuas ſe Hierarchias recipiunt, pertæſæ iniquam diſcolorum hominum indolem, quibus hoc vnum eſt in deliciis, ſtudere Baccho, & Veneri, multóque repetito crimine nepotari. Audi refugas Angelos. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam; quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius.*

In eam ſe deueniſſe abyſſum miſeriæ luget Pſaltes, conglomerans mala, quibus expleta libidine fuerat irretitus. *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio. Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius. & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis. Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Hæc ille; & quaſi hæc eſſent modica, totam hanc malorum Iliadem iſta concludit ſumma. *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.* Id eſt: Vbi ego adulter & homicida, Dei incurſus in mali præceps & abruptum memet incautum egi, inſuper & hæc malorum omnium adiecta coronis eſt, vt à me Angeli, alias mihi noti, iamq; diſſiti penitus abhorrerent. Eorũ hic receſſus ferè impotem fecit egreſſus mei ab impio illo ſtatu, cui me deuouerant retroacta crimina perpetrata.

Pſal. 87.
Peccatum in quam abyſſum deducat homines.

Indubia ſanè res eſt, Angelos auerſari homines nequam, vt Principis vrbis ſuæ Ieruſalem diſpendio experti ſunt nebulones Hebræi conſcij mortis Chriſti, cuius ſe & filios ſuos prædixerant ſanguinem bibituros. Reluctanti enim Pilato effundere ſanguinem illius iuſti; perduelles Iudæi illum vrgentes, vt damnaret hominem innoxium, hoc vnum omnes voce edita conclamarunt. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Inſtante itaque fato, quo erat demetenda Gens impia, crebræ auditæ ſunt voces ingeminantes hoc vnum. *Recedamus hinc.* Quod vbi reſcitum eſt à fidelibus Chriſtianis, illi cautiores facti eo omine euoluere ſibi fuga, ſequaces & ipſi Angelorum, qui pertæſi cuſtodiam neſariæ vrbis, aliò tranſmigrarant. Magnumque fuit argumentum fidelibus ſtandi à partibus Chriſti, quando vidêre Iudæos extinctos, à quibus Angeli defecerant, veluti ante fugam claſſicum inſonantes. Quippe inclamantes: *Recedamus hinc*, Chriſtianos monebant de arripienda fuga, ne etiam eos ſegniores imminens clades inuolueret. Angeli ſecum rapuere homines innoxios; alios verò ſontes, vt vitiorum vilia mancipia, vindici Romanorum gladio deuouerunt.

Matth. 27.

Ioſephus lib. de bello Iudaico.
Angeli quando ab vrbe Ieruſalem receſſerint.

Illud Angelorum cum homine diuortium arguit reprobi animum à Deo auerſum; non enim impiis militat æther, ſicut nec aquilæ ſigna olim Romanorum voluere ſequi Camillum Scribonianum, qui à Claudio Cæſare defecerat. Ille homo perduellis vtpote reus læſæ maieſtatis, ambiens principatum, ea qua pollebat induſtria inclinans animos militum, multos habuit ſequaces defectionis ſuæ; ſed vbi educendus fuit exercitus, & ſigna militaria explicanda, quibus aquila Imperij preſtat; rebelles hi milites Imperatori ſuo Claudio iniqui, nunquam potuerunt euellere haſtas, quibus eminebant aquilæ, quaſi impiorum hominum in Cæſarem conſortium aquilæ detrectarent. Exercitus territus hoc portento, pœnitens facti, ſtetit in fide Cæſaris, & ſæuiit in auctorem piaculi antea perpetrati, cuius aquilæ vindices ſuam negantes opem prodidere

Dio lib. 50.
Aquila Imperij renuit adhærere rebelli Duci.
Angeli homines impios auerſantur.

grauitatem

grauitatem criminis, quo ſe iniurij homines illi in Cæſarem accingebant. Quando Lucifer Angelus ille refuga Deum auerſatus, multa millia Angelorum in ſuas adſciuit partes; potiſſima pars beatorum agminum, diſſita à transfugis Deo adhæſit: vtque Angelica natura non variat, ſed ſemper ſibi conſtans, eumdem tenorem ſeruat; quotieſcumque homo à Deo deuius peccat, ſtatim pernices illæ aquilæ ſoli Imperatori Deo addictæ, illioc auolant, impios aſpernantes. Secus verò ſtant iugiter à partibus eorum, qui Deo Domino ſuo totis viribus adhæreſcunt.

Quàm ergo familiares fuiſſe arbitraris Ioſepho beatas illas mentes, qui puerulo Ieſu Angelorum Domino adeò adhæſit, vt eum corde ſuo concluderet magis quam brachiis, quibus erat ſolitus eum amplexari. Dixi, aquilam portendiſſe Imperium Martiano, cui dormienti inſedit, ſed crebra illa commercia cum Ioſepho, etiam non vigili arguunt in eo ſanctitatem illam, qua oſtendi ſupra, virum hunc Mariæ aſſuetum Angelis, Sanctis omnibus eminere. Ex Seneca. *Multos ille reget, quem ratio reget.* Si ergo Ioſephus eo principatu rationis præluxerit aliis omnibus infra Mariam, reuera eos omnes inſuper antefbit. In hac autem alea præiuiſſe Ioſephum cæteris, qui etſi rectitudine rationis inſignes extiterint, non eatenus tamen, vt Ioſepho non cedant, ſententia eſt eorum, qui affirmant in eo extinctum, aut ligatum ſaltem peccati fomitem. Doctores autem magni nominis, vti vades habet illa aſſertio aſtruens eminentem coniugis Mariæ ſanctitatem. In his claruere Gerſon, Eckius, Andreas à Soto, Buſtus, & clariſſimæ orbe toto Societatis Ieſu proceres propè omnes. Quantam verò ſecum vehat gratiæ congeriem illa fomitis peccati extinctio, audi; & inde reſcies, vnde tam frequens ſui deſiderium fecerit ille Ioſeph.

Senec. epiſt. ad Lucil.

S. Ioſeph fomitis peccati non ſenſit iniuriam.

Gerſon. ſerm. de Natiu. Mariæ.
Ioan. Eckius. ſerm. de S. Ioſeph.
Buſtus parte quart. Marial. ſerm. 12.
And. à Soto lib. de Ioſeph. cap. 10.

Primò ſuppone, grauiter deliquiſſe eos, qui procaciter affirmarunt, fomitem peccati eſſe peccatum; inde quippe ſequeretur baptiſma perperam adhiberi neophytis, ſi eos minimè. alueret: in confeſſo enim eſt apud omnes, ſuſcepto eo ſacramento, ſuperſtitem tamen eſſe hunc fomitem coëuntem cum gratia. Rurſus homo non iuſtificaretur iuſtitia inhærente; quia viget in omnibus ille fomes, quem hæretici dixere eſſe peccatum inſitum à natura. In hos animaduertit Concilium Tridentinum hoc Canone. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit anathema ſit.* Hoc textu fomes peccati dicitur eſſe concupiſcẽtia, iuxta ſententiã S. Thomæ qui hoc nomine concupiſcentiæ deſignat hunc fomitem. Concupiſcentia hæc inordinata, & effrænis, cui nomen fomitis affingitur, dicitur inordinata; quia à recta ratione deuiat, quatenus hominem deorſum inflectit, eum percellendo in malum, aut remorando impetus, quibus vrgemur in bonum, in eóque totus vertitur cardo fomitis peccati, vt ſit concupiſcentia effrænis neſciens modum neque ordinem, & tota gyrans circa duos illos polos, videlicet propenſionem in malum, & ægram conſequutionem boni. Et ne hallucineris in ea propenſione, quæ inclinat hominem ad ſiniſtra; memento concupiſcentiam illam vt fomitem dicit, eſſe habitum tantùm, qui vt talis, inſitus eſt à natura vitiata Adami deliquio; ſi verò in actum prorumpat illa animi diſſonantia, iam non eſt ſcintilla fomitis, ſed potius peccati ſurculus importunus. Tota namque ratio fomitis ſita eſt in procliuitate, qua ſenſualitas deorſum vergit ad obiectas quaſque illecebras; natura autem eò ingloriè incuruata eſt, quia cecidit homo illa iuſtitia originali, qua vigente vltro ferebatur in bonum. Et quia illa iniqua propenſio in ſcelus, facit nos flammis inferi obnoxios, appoſitè fomitis nomine nuncupatur.

EX IVRE CANONICO.
Conc. Trid. ſeſſ. 5. in decreto de peccato orig. can. vltimo.
EX THEOLOGIA.
Thom. 3. p. q. 27. a. 3.

Fomes peccati non eſt peccatum.

Ita ferè verſant iſtam materiam ſummi Theologiæ apices, qui benè aduertunt fomitem hunc nihil adiicere ſupra naturalia principia, nec ſupponere aliquid poſitiuum in homine aliud à natura temerata; ſed pertinere ad illud genus pœnarum, quod in ſolo defectu conſiſtit. Quippe concupiſcentia inordinatè inclinat; quia ſolutum eſt hoc ligamen iuſtitiæ originalis, omnes inferas animæ ſenſitiuæ vires, rectæ rationis dictamini deuinciens. Angelicus Doctor ait, Deum eſſe cauſam huius pœnæ, in quantum illam originalem iuſtitiam non confert homini nato, quam ab incunabulis primo homini indiderat. Sed pace tanti viri dixerim, nuſquam animo meo inſedit, Deum eſſe cauſam fomitis peccati: licet enim fomes ille non ſit reatus; tamen eſt peccati præludium: à Deo autem peti rudimenta noxæ, non eſt mea ſententia, ſicut & nemo dixerit, Deum eſſe auctorem peccati Pharaonis, quia gratiam ei denegauit, quam conceſſit Nabuchodonoſor, qui grauius Pharaone deliquerat. Totam hanc mali labem ego refundo penes primigeniũ illud nefas ab Adamo contractum, quo natura hominum ab eo propagata infecta eſt, nequaquã conſcio fomitis inde emergẽtis.

Thom. in 2. ſent. diſt. 32. q. 2. a. 1.

Fomitis cauſa quænam ſit.

Etſi Sanctus ille ſuam aſtruat ſententiam ex textu epiſtolæ ad Romanos, quam congruè expendit ad ſuam mentem; non ei tamen aſſentior: animi autem mei ab eo alieni cauſam dicam vbi ſic ſcripſero Thomam diſputantem. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Cum autem fomes ſit quædam pœna peccati, duplicem cauſam habet; vnam quidem ipſum peccatum, quod in peccante dominium accepit, & ei legem impoſuit, quæ eſt fomes, ſicut Dominus ſeruo victo legem impoſuit. Alia cauſa fomitis eſt Deus, qui hanc pœnam homini peccanti indidit, vt rationi eius inferiores vires non obedirent, & ſecundùm hoc ipſa inobedientia virium inferiorum, quæ dicitur fomes, lex dicitur, in quantum eſt per legem diuinæ iuſtitiæ.* Sic ille, qui vt ait, Deum eſſe cauſam fomitis in quantum fomes legem indicit, qua partis ſenſitiuæ motus inſurgunt in rationem, non mihi ſapit illa ſententia. Etenim eſt ea concors Theologorum auctoritas, fomitem nihil omnino adiicere naturæ, vt à Deo deuiat: fruſtra ergo dixerit quis, Deum eſſe cauſam fomitis, cùm Deus non fecerit naturam vitiatam, ſed hoc ei virus deforis acciderit: vt licet anima ſit cauſa

Thom. in c. 7. ep. ad Rom. lect. 4.

motionis, qua cietur corpus; non ab ea tamen habet oculus Strabonis vt toruè moueatur, ſed hoc vitium eſt à parente. Ita Deus quidem eſt cauſa primigenia naturæ humanæ; ſed quod deuiet à recto tramite rationis, illa deformitas non eſt aſſignanda Deo, vt cauſæ, ſed primo parenti, cuius mores neſcij regiminis fuerunt ad nos cum ſemine tranſcolati.

Nec vrget illa denominatio legis, qua infert Thomas, eſſe aliquid poſitiuum homini indictum vnde eo fomite luat pœnas Deo, cuius inſtitutum legifragus ille ſpreuit. Si legis vocabulum vendicare poteſt illa naturæ peruerſitas; Deum tamen legiſlatorem non agnoſcit, ſed hominem ipſum delinquentem, qui eo ipſo quòd in Deum inſurrexit, ſibi ipſi ſubditus eſt animali, id eſt, ratio paſſa eſt partis ſẽſitiuæ æſtus importunos, atque iuge diſſidium, quo ratio plerumque ſui immemor rapitur in diſcrimen, pecorum ritu, quæ obiecto quouis ſenſibus obuio validè percelluntur. Paſſus eſt, ſeu permiſit in homine litigium illud, ſed non fecit; vt & permittit peccata, ſed non eſt eorum cauſa effectiua. Hæc mea ſententia, licet aliena à communi ſenſu, non modicam gloriam affert Sancto Ioſeph.

Conſuetudinis malæ effectus.

Fomitis inſita corruptio omnibus à natura, vt naturam reſpicit, eadem eſt in ſingulis, quia priuatio non ſuſcipit magis aut minus: ſi verò ſpectetur hic defectus, vt redundat in perſonam, cuius potentiæ ſua rectitudine carentes ad turpia inclinant, eo pacto peior eſt propenſio ad malum in vno ſuppoſito, quàm in alio, quia fortè reprobus aſſuetus malo, iam quaſi ex habitu peccat, & hæc eſt peſſima procliuitas in malum; ſiquidem ex Seneca. *Deſinis eſſe remedio locus, quando quæ vitia fuerant, mores ſiunt.* Intenditur etiam illa mali labes, prout vniuſcuiuſque hominis corporea compago coaluit; In quibuſdam enim ex nimio affluxu ſanguinis pars concupiſcibilis longè latéque viget, & hinc vt à ſpuma maris Veneris incunabula. Aliis verò vitio hepatis æſtuantis multa bilis enaſcitur, ideóque leui negotio accenditur in eis pars iraſcibilis. Ita quidam in Venerem fracti, alij verò ſui impotes, quia ad iram faciles, & id non naturæ tantùm vitio, ſed & compagin la humorum, qui non eodem contextu coëunt in ſingulis. Eamobrem diſcrepans eſt hominum indoles, & planè diſcolor rerum humanarum vſus.

Senec. ep. ad Lucilium.

Concupiſcẽtia quare relicta poſt Baptiſmum. 2. Cor. 12.

Ea ad malum procliuitas, vndequaque emergat, à Deo permiſſa eſt ad agonem: marcet enim ſine aduerſario virtus, vt & inſinuat Paulus. *Virtus in infirmitate perficitur.* Eáque ratio liquet ex Concilio Tridentino, ſic diſcutiente iſtud fomitis inſtitutum. *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit. Quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet; quinimò qui legitimè certauerit, coronabitur.* Bifariam minuitur fomes. Primò ſacramentis, ſecundò crebriùs reſiſtendo & retundendo impetus qui inſurgunt, & vſum rectæ rationis anteuertunt. Sed eſto adſit frequentia Sacramentorum, & multa reportata victoria de motibus iniuriis rationi; viget tamen ille igniculus, magna moliens incendia, nec omnino extingui poteſt humano conamine, vt benè monet Bernardus. *Quis ita ad vnguẽ omnia à ſe ſuperflua reſecauit, vt nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſemper putandum eſt, quia ſemper quod putari oporteat, ſi non diſſimulas, inuenis. Quantumlibet ergo in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebuſæus; ſubiugari poteſt, ſed non exterminari. Scio, inquit, quia non habitat in me bonum. Parum eſt, niſi & malum ineſſe fateatur. Ait: Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio. Si autem quod odi illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Aut te ergo ſi audes præfer Apoſtolo nempe ipſius iſta vox eſt; aut fatere cum illo, te quoque vitiis non carere.* Hæc ille diſputãs de via quam iniere omnes, quos adußit incendium ab illo fomite intrinſecus excitatum.

Concil. Trid. ſeſſ. 5. de peccato orig. can. vltimo.

Vitia putata repullulant.

Bern. ſerm. 2. in Cant.

Putatio ſemper eſt vitiorum iterãda.

Non inficiatur tamen ille Sanctus, ex peculiari Indultu Deum extinxiſſe fomitem illum in aliquibus, vt de Maria explicitè ait Thomas, in ea maximè, Deo illapſo in vterum eius, fuiſſe virus hoc penitus expunctum: decebat enim eo temporis articulo refulgere exterminium peccati; vt & præſcius Ezechiel ait. *Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem, & terra ſplendebat maieſtate eius.* Appoſitè ad propoſitum thema expendit eum locum Thomas. *Credendum eſt, quòd ex prole redundauerit in Matrem, totaliter fomite ſubſtracto, & hoc ſignatur Ezechiel 43. vbi dicitur. Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem, id eſt, per B. Virginem; & terra id eſt, caro ipſius, ſplendebat à maieſtate eius, id eſt, Chriſti.*

Maria procul à fomite peccati.

Ezech. 43.

Thom. 3. p. q. 27. a. 3.

Ius idem eſt vbi eadem ratio.

Fuiſſe & Ioſepho eamdem gratiam impertitam: præter auctores antea recenſitos, fauet & Ius Cæſareum. *Vbi eadem eſt ratio, idem & ius eſt ſtatuendum.* Quod & Iure Canonico confirmatur, cui & Philoſophia ſuffragatur; affirmans, ſimilis entis eſſe etiam ſimiles paſſiones. Aſt Ioſephus ordinatus eſt proximè ad Chriſtum; ſi non æquè ac Maria, ſaltem ad eam proximè acceſſit. Ergo vt Maria, quia Mater Chriſti, fuit expers fomitis huius; eodem etiam vſus eſt priuilegio Ioſeph, vt creditus pater Chriſti, qui ſi in altari tot præuias requirit vnctiones, vt quieſcat ſpecierum panis ſacri abditus inuolucris; ipſe idem Deus ampliori vnctione Spiritus Sancti dignatus eſt Ioſephum, vt crebris illius gauderet amplexibus. Siquidem vt alia lege habetur. *Princeps, qui ei Magiſtratum dedit, omnia gerere decreuit.* Eius familiæ, in quam adſcitus eſt Chriſtus, primas dedit Ioſepho idem Deus, conſtituens eũ veluti tutorem ſuum & rectorem infantiæ, necnon & Mariæ Reginæ cæli caput. Ergo omnia etiam adiecit dona idonea ad hæc munia obeunda. Præcipuum autem donum fuit extinctio fomitis, quo ſtante ſemper imminet caſus ei, qui in via virtutum graditur, eo veſtigio lubricante. Cùm ergo tantùm ſteterit per Chriſtũ, vt amantiſſimus ille eius parens Ioſeph, alienus omnino fuerit à fomite illo, reuerà incongruu in Mariæ ſponſo; nõ ſubeſt anſa dubitãdi an fecerit, cùm procliuior ſit Deus ad dandũ, quàm negãdum.

Ex Ivra Civils

Lege finali. Codice Qui ætate.

Can. Cùm in cunctis de Electione.

Lege quidam conſulebãt ſſ. de re iudicata.

S. Ioſeph dignitas vnde probetur.

Triſariam extingui poteſt ille fomes, quem miſeræ ſuæ proſapiæ Adam affinxit, vt

virulentas

Fomes peccati poteſt extingui trifariam.

virulentas deliquij ſui reliquias. Primò, ſi Deus naturam in integrum reſtituat: eſt enim fomes, natura labefacta, dicens appetitum ſenſitiuum adeò proòum vt incurrat in obiecta ſenſitiua, & plerumque præpediat vſum rationis, quâ ſic inſciâ homo nefariis actibus addicitur. Naturam huiuſmodi integram in tota latitudine ſua, qua geſtiebat ante Adami lapſum, ipſemet Chriſtus noluit induere, exceptis ignorantiâ, & iis quæ ad peccatum pertinent, aſſumens omnia infirma, vt ſunt fames, ſitis, æſtus, aliáque naturæ humanæ ludihria ingloria. Et dicere auſim, eum ſtatum in Adamo non eſſe inuidendum nohis, quibus oſtium ingens apertum eſt Deum demerendi multiplici agone, ſubeundo moleſtias, quæ ingruunt. Eſſet optanda tameo fomitis extinctio ratione periculi peccati ea eo iniquo ſtipite exurgentis. Et hic ſtatus integræ naturæ, felicitatis eſt, non virtutis. Noo ea ratione Ioſeph fuit immunis à fomite: quippe Chriſto & Mariæ tantùm competit natura ſartatecta, non à teneris tantùm vnguiculis, ſed à primo momento eorum conceptus, qni ſtatu fuit editus illibato.

Alia ratione dici poteſt fomes eatinctus, ab effectu; videlicet quia appetitus non deuiat à recta ratione, ſed ea præeunte nullum homini concupiſcentia negotium facit. Bifatiam ille fomes abeſſe poteſt, aut ſaltem feriari, non vrgendo rationem ad turpia. Primò Deo compeſcente motus illos rationi iniurios, qui inſurgunt vitio naturæ ægræ; ita vt in actu primo remaneat quidem fomes, ſed nequeat prorumpete vſque ad actum ſecundum, Deo illius fomitis impetus infirmante. Eo modo in Ioſepho fuiſſe eatinctum fomitem non arbitror: nihil enim adiicit homini, quo homo Deo gratior fiat; ſed dicit tantùm auxilium Dei peculiare, quo homo pronus ad peccandum non peccet; poteſt autem tale auxilium ſtare ſine gratia habituali, vt hodie multi incurij gratiæ Dei, & obooxij peccatis lethalihus, ingruenti tentationi reſiſtunt, mediante aliquo Dei auxilio, quod non inuoluit tamen iuſtitiam inhærentem, etſi retundat motus appetitirus ſenſitiui, quem ad lapſum obiecta quædam obuia validè concuſſerunt.

Itaque alia indagine timari oportet mudum, quo Ioſephus immunis fuit à fomite illo, cui ſunt tot, & tanta inſita ſemina delinquendi. Hæc igitur eſto prima concluſio. Ioſeph non caruit eo fomite ex eo quòd Deus relaxarit illi pœnam, quam inſligit hominibus deductis ah Adamo, cuius dixit ſupra Angelicus Doctor Deum eſſe auctorem. Ratio eſt, quia fomitis extinctio eſt gratia adeò ſingularis, vt reponi nequeat inter dona, quæ ad negationes reduci queant: ſaperet autem quidpiam negatiuum huiuſmodi gratia, ſi eſſet mera relaxatio: nihil enim adiiceret homini ſic purgato; ſed tantùm ſuſpenderet actum ſecundum, qui ea primo alioquin emergeret. Altera idcirco ſit hæc mea concluſio. Ioſeph neſciit fomitem peccari ratione plenitudinis gratiæ, quæ in eo maior affluxit, quàm in ſingulis quibuſque beatis infra Chriſtum & Mariam. Ratio petitur à natura fomitis, qui eſt aliquid defectiuum potius, quàm poſitiuum, & reale: non enim eſt concupiſcentia præciſè;

S. Ioſeph quare fomitis iniurias non ſenſerit.

nam ea vt phyſica eſt, à Deo eſt edita ad bonum homini conſonum aſſequendum: ſed fomes eſt concupiſcentia inordinata, & ſic fomite inflicto, concupiſcentia nihil lucratur, at veluti inſigne paſſa diſpendium, eſt eo fomite decurtata. Eamobrem fomes eſt quid defectiuum, ſicut & peccatum cuius prima rudimenta petuntur à fomite.

Igitur vt natura deliquium paſſa eò tedeat vnde excidit, indiget aliquo poſitiuo, quo ruinas acceptas congruè reſarciat; aſt nullum eſt poſitiuum æquè idoneum ad reparandas illas ruinas, in quas recurrit homo, ac gratia hominem eumdem reddens Deo gratum: nam etſi fomes peccati non ſit peccatum, reductiuè tamen gratiæ Dei opponitur, quia vt gratia ad virtutem inflectit, ſic fomes deorſum inclinat. Adiice, probationis ergò, ex conſtanti Theologorum aſſertu minui fomitem gratiâ, quæ influit in animas, ſacramentorum obſequio; ergo ea intenſione augeri poteſt gratia vt omnino expungat fomitem illum, quo ciente animam, ratio plerumque aherrat à congruo ſibi ſcopo. At Ioſepho plus gratię conceſsū eſt, quàm ipſis etiam Apoſtolis, qui in gratia confirmati ſunt. Ergo ea intentio gratiæ potior omni Apoſtolorū chariſmate, ſufficiens fuit eatingoēdo fomiti, quo vigente tot tragœdiæ flebiles eacitātur.

Magiſt. ſent. 2. diſt. 4. Thom. 1. p. q. 62. art. 6.

Eò gratiæ euectum fuiſſe Ioſephum, collige ex tractatu de Angelis tomo ſecundo, vnde liquet, non eſſe eos eiuſdem gratiæ atque dignitatis, ſed gratiam naturam ſeqoi, ita vt quibuſque Angelis naturæ altioris adiecta ſit etiam gratia amplior, vt affirmant Theologiæ Principes, quibus adiice Sanctos Patres, in quihus ſic fatur Baſilius. *Cælorum virtutes non ſuapte naturâ ſancta ſunt; ſed iuxta proportionem, qua ſe inuicem ſuperant, à Spiritu habent ſanctificationis menſuram.* Ab eo accepit & hanc ſententiam Damaſcenus. *Per Verbum omnes Angeli creati ſunt, ac per Sancti Spiritus ſanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt: ita tamen vt pro ſua quiſque dignitate, & claſſe, luminis gratiaque participes ſint.* Et his omnibus ſuperior Dionyſius ah eo edoctus, qui fuerat raptus ad tertium cælum, ſic recenſet Angelorum diſſitos gradus atque functiones. *Prima Hierarchia, ſicut eſt perfectior reliquis, ita primoribus Dei ſplendoribus, maiori propinquitate coniuncta eſt.* Ex præfatis infer, ad quem gloriæ apicē ſurrexerit Ioſeph, quem Deus addixit officio nobiliori ipſa etiam legatione Apoſtolica, vt ſuprà fusè recenſui. Etenim Apoſtoli animarum ſaluti tantùm vigiles inſudarunt. At Ioſephus electus ad ea, quæ vnionem hypoſtaticam Verbi pertinebant, addictus eſt miniſterio perſonæ Chriſti: ergo quo ſublimior fuit eius ille ſtatus, ita & in eo amplior gratiæ influxus enituit; & is qui ſuffecit ad delendum peccati fomitem importunum, cuius extinctio eſt omnino refundenda in plenitudinem gratiarum, qua Ioſephus reuerà ſingularis ſub Chriſto, & Maria, Sanctos omnes alios antecellit; & vnde ei cum Angelis mira commercia, à quibus ne & Angeli vacarent, dormienti etiam Ioſepho vigiles illi ſpiritus aſſiſtebant.

Angelorum ſanctitas vnde ſit petenda.

Baſil. l. de Spiritu S. cap. 16.

Damaſcen. lib. 2. c. 3.

Dion. lib. de cœleſti Hierar. c. 6.

Ex præfatis de fomite extincto, accedit titulo ſectionis nitidum iubar rationis. Quippe cum nihil æquè deliniat Angelos ac gratia, ita

qua vna coëunt homines & Angeli, quo potior erit in aliquo gratia, eò etiam arctiùs Angelos ſibi deuinciet; ſed fomitis peccati expunctio ſummam ſub Chriſto & Maria gratiam dicit in Ioſepho: ergo ille ſui deſiderium ingens fecit beatis illis mentibus, quæ illi decumbenti, & inſomni crebriùs aſtiterunt. Nec arbitror, poſſe ingeri validius argumentum ad probandam neceſſitudinem Ioſephi cum Angelis, quàm immunitatem à fomite, quæ maximè liquet ex miniſterio, ad quod aſſumptus eſt. Eſſe autem fomiti obnoxium, Mariæ ſponſum, & Chriſti patrem, res eſt planè incongrua diſputare. Ex ea Archangeli Gabrielis iugi frequentia cum Ioſepho, arbitror placituram eam ſententiam, quam concepi, dum verſarem vnde Dæmoni abditus ſit Mariæ conceptus; non enim arridet illa Hieronymi ſententia, quam ab Ignatio acceptam profert ſic fatus. *Martyr Ignatius quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit. Vt partus eius inquiens celaretur Diabolo; dum eum putat non de Virgine, ſed de vxore generatum.* Gratis dico confictam eſſe eam rationem, ſiquidem Dæmon, ea qua acie intellectus pollet non caligat in obiectis merè phyſicis, atque adeò præciſè potuit ſcire an conceptus ſit Mariæ fœtus, Ioſepho inſcio, ac proinde ſuſpicari, eum eſſe in vtero Mariæ editum hominem, quem Iſaïas Emmanuelem vocat Virgine matre ſatum: namque non latuit Angelum illum oraculum vetus illud Iſaïæ. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.*

S. Ioſeph domum non potuit diabolus ſubire vt ſciret quid illic ageretur, & vnde hoc.

Hieronym l. 1. commentar. c. 1. Matth.

Iſa 7.

Dico ergo, Dæmonem neſciiſſe quid in ea domo factitarent Maria & Ioſeph; quia huic familiæ aſſuetus Angelus Gabriel, & vtriuſque indiuiduus comes, ita virtute ſua efficaci retudit acumen ingenij diabolici, vt ſpiritus hic nebulo planè ignorarit quidquid etiam phyſicè fiebat à Maria & Ioſeph quos circumfuſus Angelus Diabolo ſubducebat. Et licet noua videatur illa mea opinio, vadem habet Codicem ſacrum, vbi Satan interrogatus à Deo. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan ait: Nunquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum?* Quomodo autem eum vallauerit Deus, diſce à ſimili; ſcilicet à Tobia iuniore, quòd ita Raphaëlis Angeli præſidio, veluti tegmine & vallo tutatus eſt contra Dæmonis Aſmodæi lethales auſus; vt homicida ille ſpiritus, cuius impetu nefario occubuerant ſeptem ſponſi virginis intactæ, ligatus ſit ab eo Angelo Raphaële, qui ducatum Tobiæ ſuſceperat: ſic enim habet textus. *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Ita Deus virum ſanctum Iob, ea præpotenti Angelorum cuſtodia circumegit; vt impos fuerit Satan accedere ad ea, quæ ad Iob pertinebant, iuxta illud Pſalmi. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Auguſtinus ait, ſe alibi hunc verſum Pſaltis ſic legiſſe. *Immittet Angelum ſuum per circuitum.*

Iob. 1.
Angeli vallant iuſtos

Tob. 8.

Pſal 33.

Tho. 1. p. q. 53. art. 3.

Hic nota ex Sancto Thoma, plures Angelos non poſſe in eodem loco eſſe ſimul, quia vt affirmat, Angelus eſt in loco per operationem cuius eſt cauſa totalis, & ſic Dæmonem non poſſe irrumpere eò, vbi degit alius Angelus; ideoque Angelos, qui vallabant Iob, obſtitiſſe, ne Dæmones eſſent iniurij viro ſancto. Ergo à potiori Gabriel Angelus vtique potentiſſimus, validè obſtitit Dæmoni cupienti ſecreta familiæ Ioſeph ſua ſagaci indagine perſcrutari. Etenim ſinguli quique Angeli non agunt extra ſphæram ſuæ actiuitatis: & quò nobiliores ſunt, eò etiam amplior eſt eorum ſphæra, in cuius area pro arbitrio ſuo ſuas exeruot actiones, applicando virtutem illam, qua præpollent. Sed ſi duo Angeli coëunt in eamdem ſphæram, potior Angelus virtute ſua inermem faciet alium Angelum, vt vidimus in Raphaele fortiori ſuo influxu Dæmonem alligante. Cùm ergo tota familia Ioſeph fuerit intra ſphæram actiuitatis Angeli Gabriëlis; reuerà compeſcuit omnes Dæmonum niſus iniurios illi familiæ.

Angelorum caſtra quibus inuigilent.

Dices, potuiſſe quidem Angelum compeſcere conamina Dæmonis, imò & ligare; ſed impedire functiones intellectus illius, hoc eſſe ineffabile, vt aiebat Anaxarchus Philoſophus Abderita, quem Nicocreon Cypri Tyrannus alligatum tundens, audiit ab eo: Tunde, & confringe veſtem Anaxarchi; nequaquam tamen in Anaxarchum aliquando præualebis. Id eſt, etſi in corpus meum ſæuias; liber tamen erit intellectus, vtpote ſui iuris, nexuum impatiens. Eâ etiam ratione inſtabis, ligato Dæmone ab Angelo Gabriele, qui obſtitit ne officeret Dæmon Mariæ & Ioſepho; non præcluſam ideo fuiſſe viam Diabolo ſpeculandi; ſicut nec Anaxarcho in vinculis. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem: nam vincula, quibus coërcitus eſt Anaxarchus, erant corporea, atque adeò inualida vt animam compeſcerent; ſed vincula, quibus Gabriel Angelum nequam præpediuit, erant eiuſdem rationis cum eo, videlicet merè ſpiritalia: vtque in beatis Angelos ſuperior illuminat intellectum inferioris ſpiritus, eum confortando; ita & præpotentes Angeli beati Dæmonum intellectum ligare queunt, ne ſingularia quædam quandoque ſciant. Quibus namque Angelis datum eſt infirmare diaboli ſubſtantiam, eam arctè vinciendo; iiſdem ſanè conceſſum eſt refrænare intellectum, ne cognoſcat ea, quæ geruntur, vbi Angelus totam ſuam vim exerit. Et hanc equidem arbitror eſſe rationem eius ignorantiæ, qua ſpiritus hic nebulo neſcius extitit tanti myſterij, quo omnimoda ſalus toti hominum proſapiæ parabatur. Hæc orthodoxa opinio aſtipulator intento iſtius ſectionis, cuius erant partes, inſinuare, Angelos eorum maximè gaudere conſortio, qui aliis eminent gratiâ ſingulari. Vnde & collegi, multam fuiſſe Angelorum frequentiam, qui Chriſto, Mariæ, & Ioſepho crebriùs aſtiterunt; atque adeò fuiſſe irrita omnia diaboli conamina, tentantis agere in eas ædes ſacras.

Diogenes Laertius Lib. vitis Philoſ.
Patientia Anaxarchi Philoſophi in tormentis.

Sommis tantùm hominibus delectari beatos illos ſpiritus, Res Medica vt ei fas eſt probare annititur. Sic illa. Ea eſt mundi totius cum corpore humano affinitas, vt ipſe Apoſtolus omne hominum genus nomine corporis apprimè delineet. *Dico per gratiam quæ*

Rom. 12.
Homines omnes vnum corpus efficiunt.

data

data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos. Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes, ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes; ſiue prophetiam ſecundùm rationem fidei; ſiue miniſterium in miniſtrando; ſiue qui docet in doctrina. Vult Paulus, ſingulos quoſque homines, eam agere perſonam, ad quam nati ſunt; & non induere habitum alium ab eo, qui eis inſitus eſt, quemadmodum pedes non oculis inuident vt videant, ſed vltro ſubeunt omne corporis onus, quod incumbit eis; ceruix non æmulatur prænobile capitis ingenium, in cuius meditullio vt in arce degunt ſpiritus animales: vt ergo non eſt pedum, ſed capitis diſpergere ſpiritus animales, & vt cordis ſpiritus diſſeminare vitales; ita non inſipientium eſt, aut vilium hominum, & vulgi imperiti alios edocere; ast eorum tantùm, qui ſunt veluti capita populorum, & quibus Deus ampliorem menſuram ſpiritus impertiuit. Namque chariſmata illa inſignia prophetiæ, & doctrinæ non influunt in partes inglorias, ſed nobiles tantùm, vt ſunt cor, & caput. Ne ergo quis ementiens vberem ſpirituum copiam ſtultè glorietur, ſapiens ille Gentium Eccleſiaſtes monet vnumquemque. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Angeli apud quos præcipuè commorentur.

Ex Re Medica.
Fernelius l. 4. Phyſiol. cap. 2.

Ea ſimilitudine Paulus confirmat aſſertum illud Medicorum, qui affirmant, domicilium ſpirituum animalium eſſe caput, ſicut & cor vitalium; vnde arguo ſic: vt ſe habent ſpiritus in corpore humano; ita & ſe habent Angeli in hoc rerum vniuerſo: ſed ſpiritus in corporea hac compage, capiti tantùm & cordi inſident, quæ ſunt principes hominum partes: ergo & Angeli degere geſtient apud eos, quos veluti præcipuos fecit gratia ſingularis. Siquidem hos beati illi ſpiritus aſpiciunt veluti hominum capita, vtpote longè à terra: quemadmodum enim caput cœlum verſus aſſurgit cæteris eminens membris; eo etiam ritu, gratia copioſa eos omnes, in quos influxit, ſurſum vehit, & affingit titulos inſignes, & potiſſimum ſanctitatis. Gaudere autem corde, & capite, ſpiritus homini inſitos, audi ex Fernelio, deſcribente ſpiritus illos eo ferè modo, quo Tertullianus Angelos, quos credidit eſſe corporeos. *Eſt ſpiritus corpus æthereum, caloris facultatumque ſedes, & vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentum. Quiſquis illius ſubſtantiam, & ſtatum nondum plenè ſit aſſequutus, corporis noſtri ſtructuram contemplatus, arterias adeat, in cordis ſinum, & in cerebri ventriculos introſpiciat, quos dum inanes ac nullius propè humoris participes videbit, atque tamen fruſtra, ac temerè tantos à natura conditos, hac quidem mente contrectans mox opinor cogitatione comprehendet prætenuem auram eos tum impleuiſſe, dum in viuis fuit animal; quæ tamen eo animam agente leuiſſima cùm eſſet, ſine ſenſu euanuerit.* Hæc Fernelius.

Angelos eſſe corporeos dixit Tertullianus.

Si quis ergo demerere optat iuge Angelorum conſortium, ille ſe erigat vltra rerum infimarum fæces, cœlo tenus aſſurgat, anhelet ad gratiam, qua vt vehiculo tranſcendet omnia peritura, quibus adeò tenaci animo hactenus inhiauit. Sic dum peccato expuncto fiet eius anima terſior, beatorum ſpirituum æmulans indolem, Angelis aſſueſcet. Etenim Deus ſeriem Angelorum homini aperuit, vt ſe homo componeret ad ſimilitudinem Angelorum; ſcilicet vt quiſque ſua ſorte contentus, ſuum ageret æuum iuxta præſcriptum Dei, vt & monent Canones ſancti. *Ad hoc diſpenſationis diuina prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas, alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentia ordo ſeruaret. Quia verò quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel viuere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſunt Angeli, & ſunt Archangeli, liquet quia non ſunt æquales, ſed in poteſtate, & ordine alter differt ab altero.* Vide quomodo in hoc Canone conſtet. Angelos eorum tantùm hominum inire conſortium, qui ſummi ſunt, gratiæ ſuffragio aliis omnibus eminentes. Eo textu maximè, Angeli ab obſeruato ſibi præſtituto ordine commendantur; aſt ordo attenditur penès prius & poſterius: ergo Angeli aliquid prius inſpicient in delectu hominum, quibus coniunguntur. Dionyſio namque auctore, infimum ſupremi attingit ſupremum infimi. Vt igitur homines, qui ſunt inferioris ordinis, attingantur ab Angelis, debent habere aliquid, quo ſe ſurſum efferant; illud autem eſt gratia, cuius obſequio homines ipſis etiam Angelis ſimiles eſſe perhibentur.

Angelorum diuerſitas quare a Deo inſtituta.

Ex Iure Canonico.
Canone. Ad hoc diſt. 89.

Quomodo autem homo efferat caput ſupra omne rerum humanarum faſtigium, myſticè inſinuat textus ſacer. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* Quid ſit autem ſomnus, audi ex Ariſtotele. Somnus eſt vinculum quoddam & ligamen ſenſuum, qui ideo feriantur, vt vegetiores ſint; labore enim iugi omnia diſſoluuntur. Eamobrem ſomnus influit ad ſalutem animalis. Ariſtotelis Scholiaſtes Albertus ille Magnus, alias ſomni cauſas petit ab anima, alias verò à corpore. Ab anima quidem ſomni petitur argumentum, cùm illa inuigilans ſaluti totius animalis, colligit inſtrumenta ſua ad operationem, cuius eſt maximè indiga, ſcilicet ad concoctionem cibi, quæ fit calore reuocato, multoque etiam ſpiritu coëunte. Quia autem calor & ſpiritus toto diffuſi corpore ſunt finiti; neceſſe eſt vt iis collectis & veluti contractis in ſtomacho, cæteræ partes algeant, vtpote remotæ. In his præcipuè cerebrum friget; vnde & frigidus ſtillat humor, qui vt neruos ſenſibiles tangit, grauat eos, & ſic oritur ſomnus, cuius etiam exordia petuntur à corpore fatigato: quippe opere aſſiduo calet corpus; calor ille intenſior calorem natiuum infirmat, & diſpergit ſpiritus animales, qui poris hiantibus euaneſcunt. Corpore ſic effœto langueſcunt extimæ partes, defraudatæ ſuo penſo, calore ſcilicet, atque ſpiritibus, qui vt fugaces ſunt, quandoque cerebrum deſtituunt, vnde & corpus; quia

Somnus quid ſit.

Ex Philoſophia.
Ariſtoteles l. de ſomno c. 1. & 5.
Albertus Magn. lib. 5. de ſomno & vigil. tract. cap. 4.

Somni cauſa qualis.

friget caput. Demum cauſa vernacula ſomni eſt anathymiaſis, id eſt euaporatio, quam parturit ventriculus multiplici cibo fœtus. Etenim vapor ille exurgens & ſubiens arterias carotides, earum ductu permeat caput, quod impos digerere illas nubeculas, quæ ibi condenſantur, algere incipit, & hinc ſomnus, quo vigente ſenſus ferè omnes externi ſuauiter otiantur.

Somni effectus.

Itaque ſomnus dicit quatuor ex mente Philoſophi. Primum eſt, caloris inſiti & ſpirituum collectio, qui quaſi pertæſi exteriora, ſeſe intro recipiunt. Alterum eſt infrigidatio cerebri. Tertium eſt vinculum, quo induciæ dantur ſenſibus externis. Quartum denique eſt ſalus animalis. Dum Ioſephus eſſet eo corporis habitu, Angelus eum peculiari colloquio dignatus eſt. Et vt in ſacris nihil à myſterio vacat; equidem credo, Angelos crebrò inuiſentes Ioſephum in ſomnis, voluiſſe innuere, eum ſtatum eſſe ideam animæ perquàm acceptæ Deo. Namque vt ſomnus calorem vſque ad exteras corporis oras effuſum reuocat ad intima; ita & anima aliquando incauta ad exteriora diſpergitur: vnde ſi ſui compos effecta, & reddita ſibi, fit cautior & ſanctior impoſterum. Quippe non adeò fernet ad externa, ſed cunctatur iiſdem operam dare, quibus & antea, ita vt frigere videatur ad ea, quæ ſæculi ſunt: nec hîc hæret ille tepor; ſed pertæſus omnes ſenſuum illecebras, ſenſibus externis indicit otium & ferias ad inſtar eius, qui pepigerat fœdus cum oculis ſuis. Denique has ſenſuum inducias excipit ſumma animæ ſalus, quæ in nullum diſcrimen incurrit ſenſibus obſeratis. Benè ergo Ioſeph Angelis aſſuetus, vt qui ferè eſſet neſcius vſus ſenſuum externorum, ac proinde amorem ſuum reuocarat ab exteris, vt totum colligeret in Deum refundendum. Si quis ergo ambit Angelorum crebra colloquia, ille inuigilet ſibi, & aliis extrinſecis rebus indormiat.

Ex SS. Patribus.
Somnus animæ qualis.
Gregor. lib. 5. Moral. cap. 21. & 22.
Recollectio animæ quid conferat.

Habeo moralis huiuſce mei ſenſus comites vtique luculentos, in his accipe Gregorium Magnum. *Sancta mens quò ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit, eò veriùs interna cognoſcit, & tantò alacriùs ad intima vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultat. Quod benè per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem poſuit, & obdormiuit: à terra ſcalam cœlo inhærentem, innixum ſcalæ Deum, aſcendentes quoque & deſcendentes Angelos vidit. In itinere quoque dormire, eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu, à rerum temporalium amore quieſcere. In itinere dormire, eſt in dierum labentium curſu, ab appetitu viſibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus ſeductor aperuit. Angelos verò aſcendentes & deſcendentes cernere, eſt ciues ſupernæ patriæ contemplari.* Ita ſanè ſeductor oculos aperuit hominum, qui vt ſuſurranti conſenſerunt, videre ſe eſſe nudos; & hæc nuditas ingeſſit eis libidinis illecebras, animam oculorum obſequio deprædantes. Aures patulas homini fecit hic tentator, quæ poſtmodum turpibus aſſuetæ, Dei colloquia non ſuſtinent. Spiritus ille nequam reſerauit ora mortalium, vt obſcœna, blaſphemias, & iniurias eructarent. His naturæ infirmæ ludibriis cauetur eodem ferè modo, quo his; qui ob noctes inſomnes in phreneſim inciderunt. Illis prouocatur ſomnus, quo vacantes externi ſenſus, colliguntur tandem ſpiritus errabundi. Rarus eſt amentium horum ſomnus, & rara conuerſio hominum, qui ſe totos ſenſuum externorum vſui deuouerunt. Ideoque nulla eis cum Angelo neceſſitudo intercedit. Eò ſpectauit Haymon. *Spiritualiter illa apparitio Angeli per ſomnium myſticè nobis innuit, quòd qui dormiunt ſæculo, id eſt, à curis mundanis ſunt remoti, & vigilant Deo bonis operibus; illi merentur, præſentiam Angelorum ſibi adeſſe in cuſtodiam ſui. Illi taliter poſſunt dicere cum Eccleſia in Cantico Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Angeli adſunt fugientibus è ſæculo.
Haymon in cap. 1. Matth.

Arbitror ego, Ioſephum noſtrum, vt Iacob Patriarcha ſatum, non decubuiſſe in molli culcitra, nec dormiiſſe in puluino plumæ delicatiore turgido; ſed ad æmulationem ataui ſui Iacob, lapidem ſuppoſuiſſe capiti, vt leuior ſomnus non eſſet voluptati, ſed ſaluti. Et ne deſim myſterio, dicam, Ioſephi curas fuiſſe totas in Chriſto, & de Chriſto, ideoque cùm Petra ſit Chriſtus, Ioſephum ſemper indormiiſſe Petræ, quia Chriſtus totum Ioſephi cor & caput iugiter occupabat. Audiendus in eo themate Gregorius. *Notandum eſt valdè, quòd ille dormiens Angelos conſpicit, qui in lapide caput ponit: quia nimirum ipſe ab exterioribus operibus ceſſans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ eſt principale hominis, imitationem ſui Redemptoris obſeruat. Caput quippe in lapide ponere, eſt mente Chriſto inhærere: qui enim à præſentis vitæ actione remoti ſunt, ſed ad ſuperna nullo amore rapiuntur, dormire poſſunt, ſed videre Angelos nequaquam poſſunt, quia caput in lapide tenere contemnunt. Quibus plerumque contingit, vt quantò ſecuriùs ab externis actionibus ceſſant, tantò latiùs immunda in ſe cogitationis ſtrepitum per otium congerant. Vnde ſub Iudeæ ſpeciem per Prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur Thren. 1. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. Hoſtes ergo ſabbata videntes irrident, cùm maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt: vt vnaquaque reproba anima, quò remota ab externis actionibus ſeruire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur.*

Fuga ſæculi quid proſit.
Gregor. lib. 5. Moral. c. 22.
Attentio animæ Deo vnitæ quid conferat.
Feſta quibus ſint noxia.

Rei igitur ſpiritalis præcipuus cardo non vertitur in ſomno præciſe ſumpto, vt otium ſpiritu ale inſinuat; ſed vt animam dicit alienam ab extrinſecis, vt totam ſe effundat in Chriſtum. Fauet & Pſaltes. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Elimatiùs etiam dixeris, ſomnum eſſe in moralibus, receſſum ab aliis, & ingreſſum in ſeipſum; fugam à ſæculo, & inſroitum in animæ clauſtrum, vbi multa eſt frequentia Angelorum, imò & Deus iugi obiectu animæ innoxiis ſiſtitur obtutibus. Eo pacto Richardus Victorinus explicat exilium Ioannis. Sic ille. *Beatus Ioannes relegatus exilio, à ſtrepitu mundi, & inquietudine remotus, & quieti deditus, hanc Apocalypſim à Domino accepit, per quod nobis ſignificatur, quòd illi qui internam quietem diligunt, ipſi de inuiſibilibus bonis mira cognoſcunt: & quantò ſe à temporalibus ampliùs elongant, tantò magis æternis appropinquant; & quamuis*

Pſalm. 45.
Richardus à S. Victore l. 1. in Apoc. p. 1. cap. 5.
Solitudo quàm ſit proficua.

mare

mare perturbationum ſæcularium foris per circuitum fluctuet; ipſa tamen humana mens, ſi per internam aſpirationem, intra ſemetipſam fuerit collecta, quaſi in cuiuſdam inſula ſtabilitate poſita, diuinis per contemplationem inhæret. Subſcribit Iſidorus. *Nullus ſapientiam Dei plenè recipit, niſi qui ſe ab omni abſtrahere actionum cura contendit. Vnde ſcriptum eſt Eccleſ. 38 Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis.* Quaſi diceret Sapiens, eum, qui à ſe eliminat profana, eſſe magis idoneum ad diuinæ gratiæ influxum, quæ inſtar olei Prophetæ vaſa petit vacua. Qui autem dormit, & vacat ab externis, & vacuus eſt. Eo fortè apparatu Dauid ſe accinxit ad gratiæ illapſum, quando ait. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* In quem locum ita ſpatiatur Gregorius. *Sanè Dauid ſibi ſolitudinem conſtruxit, cùm dixit: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Fugiens enim ſe elongat, qui à perturbatione deſideriorum temporalium in altam Dei contemplationem ſe ſubleuat, manet verò in ſolitudine, qui perſeuerat in remota mentis intentione.*

Iſidorus lib. 2. ſententiarum cap. 1. de ſap.

Pſalm. 54. Gregor. lib. 4. moral. c. 18.

Solitudo mentis quænam ſit.

Etſi Ioſeph otiaretur oculorum, & aurium tenus; mens tamen eius in ſomnis à Deo non vacabat. Ita & hi qui ſenſuum obſequio, non ſe addicunt totos, facili negotio expediti à terrenis, Deo Domino conſecrantur. Neque ideo in eos ſuccenſendum, quaſi in vecordes & ignauos otio torpeſcentes. Rationem diſce ex Bernardo ſic docente. *Otioſum non eſt vacare Deo, imò negotium negotiorum omnium hoc eſt, quod quicumque in cella non agit fideliter & feruenter; quodcumque agit, quod propter hoc non agit, ſcilicet, vt Deo ſeruiatur, in eo quod agit, otiatur.* Idem, illud otium ſanctum, ſeſſionem animæ vocat, quæ à ſæculo ſe componit ad ſimilitudinem beatorum. Sic ille. *In regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos. Felix regeneratio. Quando enim renaſcar ad ſeſſionem miſer homo, natus ad laborem? O ſi vnquam ſedero totus! cuius modo ne minima quidem portio ſedet, in quo nihil tranquillum, nihil quietum, ſedatum nihil, nihil vnquam in eodem permanens ſtatu. Sedebitis & vos. O ſeſſio! Quis mihi tribuat vt dignis exprimam verbis, quod de ſeſſione hac, cordis affectione concipio? Imò quis tribuat mihi ſeſſionis huius imperturbata frui requie, quam deſidero, quam cupio, quam requiro. Ecce enim dixit: Nihil in me ſedet, ſed cuncta in motu ſunt, omnia nutant, fluctuant vniuerſa. Vbi concupiſcit adhuc caro aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, quidnam hominis ſedere videtur.* Hactenus ille.

Solitudinis animæ mira commendatio.

Bernard. lib. ad fratres de monte Dei.

Cella ſolitudini apta.

Idem ſerm. de bonis deſerendis.

Seſſio animæ quam ſuauis ſit.

Quies animæ deſcribitur.

Auerroës transfuga ad Gentilium caſtra, ſubodoratur in ſomniis aliquid diuinum, quia (inquit) ſomniantes cognoſcimus: ea autem cognitio non fit obſequio ſenſuum; ergo beneficio ſolius intellectus à materia diſcreti, qui vt ſic ſapit Angelum, qui eſt ſubſtantia diſſita à corpore. Ego adiicio, eſſe quidpiam ſingulare in ſomnis merè naturalibus. Etenim ſæpè in ſomnis obuerſantur nobis res hactenus inaſpectæ, & quarum recondita phantaſmata nequeunt referre ſpeciem, quæ nuſquam obiecta eſt, cui autem aſſignanda ſit illa compoſitio, non liquet. Nimirum phantaſia non componit ſed recipit, & receptas ſpecies explicat, & tranſmittit. Litigante Philoſophia in eo argumento de ſomniis, an tranſcendant naturæ terminos, non cunctabor aſſerere, in ſomniis ſpiritualibus, id eſt, in abdito receſſu mentis ad ſeipſam, animam gaudere cœleſtibus, & voiri Deo, vt ex Bernardo colligere eſt, ſe ſic excitante ad ſoporem illum, qui ſitus eſt in ſeceſſu. *O ſancta anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & domeſticos ipſos, ſecede ab amicis, & intimis, etiam ab illo, qui tibi miniſtrat. Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu. Solus es, ſi communia non cogites, ſi non affectas præſentia, ſi non recorderis iniuriarum, alioquin neque ſi ſolus corpore es, ſolus es. Videſne poſſe eſſe te & ſolum inter multos, & inter multos cum ſolus es? Interdum etiam corpore te ſepara, præſertim tempore orationis, iuxta mandatum ſponſi, & formam Matth. 6. Tu cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora, & quod dixit fecit, Solus in oratione pernoctabat. Luc. 6*

Auerroës in lib. Ariſtot. de ſomno & vigilia.

Somnus habet aliquid diuinum.

Bernardus ſerm. 40. in Cant.

Solitudo animæ in quo ſita ſit.

Fuga hominum ſuadetur.

Anima ſane eo ſopita ſomno æquiore ſorte gaudet, eâ, quæ beauit Gontramnum Regem, qui cùm alto ſopore recubans vidiſſet in antro prædiuites reconditas eſſe gazas, euigilans ſe contulit in ſpeluncam locuplete theſauro fœtam, vbi ingentem vim auri abditam reperit. Vnde & ſymboli vice has voces vſurpabat & vbique inſcribebat. SIC SOPOR IRREPAT. Habeat ſuos ſibi theſauros Rex ille. Non equidem inuideo huiuſcemodi ſomnum, quem excipit multa rerum copia. Ioſephi ego mallem ſomno decumbere, quo ille expeditus à curis ſæculi, colloquebatur Angelis. SIC SOPOR IRREPAT.

EX HISTORIA.

Paradinus lib. ſymbol.

Potuit & Ioſephus aliud vſurpare ſymbolum, cuius meminit Ferrus, qui depingit gallinam ſuis ouis incubantem, hoc titulo. ET CVBANS OPERATVR. Reuera Ioſeph ſomnians non vacabat, ſed diſcebat ab Angelo modum ſubducendi Ieſum ſæuitiæ Regis impij, innocentium ſanguine cruentati. Dormiens Ioſeph Gontramno Rege beatior didicit, in Mariæ vtero eſſe reconditum Ieſum, in quo ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei. Tantarum opum in ſomnis compos effectus eſt, cùm Maria ceſſit in ius illius. Ille excitatus, & animæquior factus habuit quo diceret. SIC SOPOR IRREPAT. O beatum ſomnum! qui ſuos ſic dormientes Mariæ adiicit. Non otiatur anima imitata Ioſephum; illa, inquam, quæ ferè abdicato ſenſuum vſu totam ſe Deo conſecrat in oratione & ſeceſſu. Proculdubio ea mens ſui compos, CVBANS OPERATVR. Nam etſi valedixerit mundo, & quaſi iuge repudium indixerit ſenſibus, ſetiò operatur anima illa intenta ſibi; Dei & Sanctorum omnium commercio vtitur ſeorſim à ſæculo, vt & Hieronymus expertus ait. *Sapiens nunquam ſolus eſſe poteſt: habet enim ſecum omnes, qui ſunt, & qui fuerunt boni, & animum liberum, & quocumque vult profert, & transfert, & quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit loquitur cum Deo. Nunquam bonus ſolus erit.*

EX SYMBOLIS.

Ioan. Ferrus parte 2. ſui theatri.

Solitudinis animæ commoda quæ.

Solitudo animæ non eam ſolam facit

EX SS. PATRIBVS:

Hieronymus lib. contra Iouinianum.

Hæc igitur eſto ſumma iſtius ſectionis, ſcilicet Angelos diuertere apud illos, quos gratiæ vberioris multiplices latices alluunt; & quos ſolers cura ſui ſubduxit mundo, vt vacâ-

tenê

rent ſibi ſolis, & totos ſe vnius tantùm Dei obſequio conſecratent. Iraque SIC SOPOR IRREPAT. Apage omnia negotia, quæ iniuria ſunt huie ſanȼto animæ otio, quod etſi CVBANS UPERATVR. Siquidem mens ſui iuris & duntaxat addiȼta Deo, alros concipir animos ad virtutem, hoſque ſuos fouet conceptus inde proliciens egregia facinora, ea videlicet, quibus gloriæ litatur interminæ.

Hi, quos Angeli frequentes inuiſunt, perquàm accepti ſunt Virgini Deiparæ.

In hæc verba:

Noli timere accipere Mariam.

SECTIO QVINTA.

DA INOIVIDVA SOCIATATE MARIÆ ET IOSEPH.

PRæpotens ille Ægyptiorum Rex Pharao, in argumentm amoris præcipui, quo dignatus eſt Patriarcham Ioſeph, interpretem eius ſomnij, quo obieȼta eſt Regi inſtans copia frumenti. Ille, inquam, Ioſephum præfecit horreis frumenti illius naſcituri, quia Deo reuelante præſcierat ille hanc rerum omnium vbertatem. Sie tem enarrat Moyſes, inducens Regem Pharaonem iſta fantem. (Geneſ. 41.) *Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad oris tui imperium cunȼtus populus obediet.* Salutare fuit Ioſepho ſomnium illud Pharaonis, quo præfeȼturam annonæ aecepit; ſed beatius reuera fuit iilud ſomnium, quo Ioſephus à Deo aceepit ius in Mariam, quæ vtero ſuo vt horreo concluſit frumentum eleȼtorum, videlicet Chriſtum. Audi Ioſephum in ſomnis horrei ſacri capere præfeȼturam. (Matth. 1.) *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sanȼto eſt.* Ea verborum ſeries explicata Ioſepho ab Angelu, fuit vt diploma & teſſera poteſtatis in coniugem, quam ſponſus horreo aſſimilat. (Cant. 7.) *Venter tuus ſicut aceruus tritici.* Non quæſitum Impetium iniit Ioſeph, obediens Angelo antequã Virgini imperaret. Ita enim liquet ex contextu. (Matth. 1.) *Exurgẽs autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam.*

Qnibus autem gradibus ad hunc honotem Ioſeph aſcenderit & frumenti eleȼtorum, id eſt, Mariæ præfeȼturam aeceperit, paucis accipe. (S. Ioſeph quibus gradibus aſcenderit.) Ioſeph erat iuſtus. Exquiſita aurem illius iuſtitia Angelos ei propitios fecit, imò & ſodales, vtpote arȼta ſocietate deuinȼtos. Demum frequentia Angelorum, Mariæ reddidit Ioſephum, qui nutabat, idemque & hodie Angeli præſtant: iuſtis namque in hominibus beati illi ſpiritus aſtantes crebrò inſuſurrant pietatem in Mariam; nullique alij ineundi ſunt calles ei, qui anhelat ad Mariæ præſentiam. Cùm ergu haȼtenus Ioſephi iuſtitiam probauero, & illius iuge commercium cum Angelis; non eſt ambigendi locus in themate prepoſito, De indiuidua ſocietate eius cùm Maria, quæ adeò tenax fuit & firma, vt etiam nunc illi ambo coniuges cœlis aſcripti minimè diſpeſcantur, ſtante adhuc eorum conſortio; quod vt plenum eſſet & citra defeȼtum, Ioſeph corpore rediuiuo ſidera tranſineauit. Er hoc probandum incumbit iſti ſeȼtioni de indiuidua ſocietare Mariæ & Ioſephi, cuius moralis ſenſus eſt ille titulo inſcriptus; ſcilicet eos, qui aſſueſcunt Angelis, deduci poſtmodum ad Mariam. Auſpicemur ab eo nexu, quo Maria & Ioſeph adſtriȼti neſciere diuortium.

Ea eſt materiæ & formæ reciproca connexio, vt omnino diuelli nequeant citra compoſiti deliquium, quòd ſi compoſitum ſit corruptionis impatiens, vti ſunt cæli, corporis huiuſce compages à nullo infra Deum ſolui poteſt, imo & in formis defeȼtui obnoxiis, non vacat materiæ propenſio ad formam: nulquam enim fuit, nec erit vnquam materia prima ſeorſim à forma ſua. (Ex PHILOSOPHIA. Ariſtot. lib. 2. Phyſ. c. 2. textu 26.) Simili propemodum nexu ſociault Deus coniuges ab incunabulis mundi, vbi mulier non eſt edita inſcio viro. Sicut enim materia prima ſemper eſt indiga formæ, nec vllum aȼtum habet niſi precariò; ſic & fœmina ſeorſim ſumpta, eſt ens valde diminutum. Ita & viciſſim forma ſine materia ſtare nequit, neque ſponſus ſine ſponſa. Eamobrem edito Adamo ait Deus. (Geneſ. 2.) *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Ideo ei adiecit mulierem in ſociam vtriuſque ſortis. Et vt arȼtior eſſet nodos ille deuinciens vtrumque coniugem, legem illam tulit Deus. *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna.* Nec hominibus tantùm inſitus eſt vtriuſque coniugis affeȼtus, ſed & brutis; in quibus indiuidua turturum ſocietas eſt miranda. Eorum enim vno emortuo, turturum alter qui ſupereſt cælibem vitam agit, extra aliorum omnium alitum cœtum. Huius ſocietatis intimæ ſemina carni inſita ſunt, quæ inſtituto ad hoc coniugio propagatur. Quod ſi coniugibus acceſſerit quædam ſimilis habitudo morum, & reciprocatiu affeȼtuum, (Alexand. ab Alexand. lib. 3. dier. genial. cap. 7.) tunc ineffabilis eſt coniugum propenſio ad inuicem, eaque fuit apud Barbaras Gentes, (Vxores quæ maritis mortuis commoriebantur.) vt defunȼto viro, vxores vtrique ſuperſtites diſceptarent, quæ prior earum crcmaretur eodem rogo, quo & cadauer mariti inanimi.

Hinc collige nodum equidem Gordium, (Ex THEOLOGIA. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 3.) qui deuinxit Mariam & Ioſephum coniuges ſanȼtos, Deo etiam ipſo pronubo ſociatos. Quippe ex ſacra Theologiæ diſciplina, gratia, & virtus naturæ odinem ſeruant, nec ſuum tenorem quandoque variant. Nimirum gratia nun data eſt ad deſtruȼtionem, ſed ad ædificationem: ſiquidem ea qualitas animam poſitiuè afficiens, omnem detergit rubiginem, quam contraxit homo Adami contagiò; ſicque natura terſior effeȼta, perfeȼtiore ritu ſuas exerit aȼtiones: has inquam præcipuè, quæ citra gratiæ vſum ſingularem editæ ſunt ab Ethnicis, quales ſunt affeȼtus reciproci coniugum. Ruſus vt gratia qualitatum naturam participat, vtpote aȼtiua & intenſionis capax; quò vberior erit gratia, eò etiam erit magis natura defæcata at in Maria & Ioſepho tanta fuit gratia, quanta potuit eſſe maxima ſub Chriſto: ergo quidquid fuit naturæ coniugum Maria & Ioſeph

præſtitere

præſtitere modo perfectiſſimo; & præcipuè ad inuicem præbuere ſibi ea quæ pertinent ad caſtos hymenæos. Cùm etenim eorum coniugium eſſet citra carnis corruptelam, & totum penes vnionem ſpirituum; proculdubio alia omnia coniugia anteiuit; atque ita ſocietas illa Mariæ & Ioſephi ea fuit, vt ſit ineffabilis. Quippe eloqui nemo poteſt niſi quod concepit; at conceptus rerum naturalium eſt infra ea facinora egregia, quæ gratiæ ſuffragio quiſque ea anclauit. Item vt ſe res habet ad eſſe, ita & ad operari; ſed Mariæ & Ioſephi ſocietas habuit eſſe nobiliſſimum naturæ & gratiæ: ergo & tale genus operandi ei conceſſum eſt. At præcipuus actus coniugij ſpiritalis eſt mutuus amor, neſciens inducias neque diuortium: ergo cùm operari Mariæ & Ioſeph fuerit nobilius noſtro concipiendi ritu; omne hominum eloquium impar erit illi amori ſacro, qui deuinxit hos coniuges, ea indiuidua ſocietate, quam expendit titulus huiuſce ſectionis.

S. Ioſeph. & Mariæ amor quàm ſanctus.

Quam autem intimè Ioſeph Mariæ adhæſerit amore ſacro, & non iniurio corpori Deiparæ, diſce hoc diſcurſu. Deus in diſpenſatione gratiarum, eo delectu eas impertit, vt largiore manu eas effundat in ea, quæ pertinent ad vnionem hypoſtaticam, quàm ad ſalutem hominum procurandam: ergo plus gratiæ conceſſum eſt Mariæ & Ioſepho, in eorum coniugio, quo vigente editus eſt Chriſtus: plus inquam gratiæ influxit in illud coniugium, quàm in miniſterium ſeu Apoſtolatum Pauli procurantis ſalutem animarum, cui cùm neceſſarius eſſet amor proximi, vt eo ſapore condiret moleſtias omnes obuias illi officio; Deus eum amore in proximum adeò intenſo dignatus eſt, vt ſit ſine exemplo. Sic enim ille ea charitate flagrans, incendij ſui ſcintillas ſparſit ſcribens ad Romanos. *Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabā enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* O amoris conamen arduum! Paulus ſui immemor, aliorum ſaluti totus inuigilat.

Roman. 9.

Qualem iam putas fuiſſe amorem, quo arſere Maria & Ioſeph, quorum coniugium à Deo inſtitutum eſt in ordine ad Deum incarnatum, qui à deſponſata voluit concipi. Vt ergo indiuiduum ſtaret illud coniugium, accendit Deus amorem ordinis ſuperioris eo quo æſtuauit Paulus directus ad ſalutem animarum, quæ eſt finis inferior vnione hypoſtatica. Itaque terque quaterque beatus ille Ioſeph, Mariæ addictiſſimus, vtpote ei amore quàm maximo ſociatus. Imò Ioſeph Mariæ magis vixit quàm ſibimetipſi; ſaltem anima illius potiori modo fuit in Maria, quàm in eo. Anima namque in Ioſepho erat ſecundùm propriam ſubſtantiam, quod & proprium eſt omnium formarum, quibus vt & materia corpora omnia coaleſcunt; ſed in Maria erat per amorem, qui eſt actus nobiliſſimus animæ, quia cognitionem inuoluit: poteſt autem eſſe cognitio ſine amore, quoad exercitium, vti loquitur ſchola; ergo Ioſeph diuino amore percitus in Mariam, nobiliori modo vixit in ea quàm in proprio compoſito; ſiquidem nobilius eſt animam agere, gratia Dei vtique perculſam, quam ſimpliciter informare corpus, hoc enim poſterius commune eſt brutis; aſt aliud tantùm conceſſum eſt beatis his mentibus, quibus Deus illabitur. Cùm ergo Angelus illi Sancto in ſomnis ait vt Mariæ coniugi ſuæ adhæreret; namque illud totum negotium eſſe deſuper: arbitror accidiſſe illud idem viro huic iuſto, quod olim in deſerto. Sic habet textus ſacer: *Apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare.*

Charitatis in Paulo qualis exceſſus.

S. Thomas in 1. ſentent. diſtinct. 15. qu. 5. art. 3. ad 2.

Leuit. 9.

S. Ioſeph fuit holocauſtū.

Gabriel vnus de principibus Seraphici ordinis, totus igne æſtuans accendit Sanctum Ioſeph eo amore, qui depaſtus eſt adipem, id eſt, omne quod hominem ſapiebat, vnde ille totus poſtea amore incanduit, quo totus effuſus eſt in Mariam, vt in Dei ſanctuarium. Benè etiam dixeris Ioſephum eſſe holocauſtum, ratione obedientiæ, quam incunctanter exhibuit Angelo ſuadenti Mariæ conſortium, vt explicitè enarrat eius Encomiaſtes. *Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam.* Nota obiter breuiloquium encomij, cui nihil adiici poteſt, ad commendationem obedientiæ huius Sancti: nam de ratione obedientiæ eſt, vt quis morem gerat citius nullâ obtenta morâ; hoc præſtitit Ioſeph, vt colligere eſt eo textu. *Exurgens autem Ioſeph.* Alterum quod accedit ad obedientiæ ſummam; eſt vt ea ſit non in voto, aut affectu; ſed effectu exhibito eo planè modo, quo libuit imperanti. In eo etiam Ioſeph excelluit *Fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam.* In hoc æmulatus eſt vir Mariæ, obedientiam coniugis ſuæ, quæ Angelo nuntianti puerperium virginitate illibata ait. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Vtriuſque coniugis obedientia ſarta tecta liquet in his vocibus. *Exurgens. Ecce.* Item & verbum, facio, vtrobique appoſitum, excludit inducias, quas ſegnior illa virtus plerumque depoſcit, & prætexit.

Matth. 1.

Quale autem fuerit ſpecimen obedientiæ vtriuſque coniugis audi ex Bernardo. *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur: neque contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontanea, vigore liberalis alacriſque animi modũ non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur. Hæc eſt illa, de qua ſignanter Apoſtolus Petrus ait. Caſtificantes corda veſtra in obedientia charitatis, pulchrè ipſam per hoc ſequeſtrans ab illa inerti & ſeruili obedientia quodammodo, nec charitati prompta, ſed obnoxia neceſſitati.* Aduerte vocem, qua Petrus indolem obedientiæ expreſſit. Ait, eam caſtificare animas, quia vt caſtitas aliena eſt & procul ab omni carnis illecebra & prurītu ita & obedientia longè eſt ab omni dictamine ſenſus, atque adeò arguit virtutum omnium ſummam, vt Gregorius probat apud Bernardum, qui eum iſto recenſet elogio *Summus melliflui oris Gregorius mirabiliter ſuperexaltat, & magnificat eam: demonſtrare autem volens quanti ſit meriti obedientia, ita ait vir eloquens. Sola namque obedientia virtus eſt, quæ ceteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit Vnde primus homo præceptum quod obſeruaret accepit, cui ſi vellet ſe obediens ſubdere, ad æternam beatitudinem ſine labore perueniret.*

Obedientiæ perfectæ qualitates deſcribũtur.

Ex SS. PATRIBVS.

Bernardus tractatu de præcepto, & diſpenſatione cap. 9.

1. Petri 1.

Bernar. lib. de ordine vitæ.

Obedientia virtutes inſerit menti.

Ex

Amicitia vnde ortum habet.

S. Thom. 1. 2. qu. 27. art 3. Eccleſ. 13.

Ex hac ſimilitudine morum Mariæ, & Ioſeph, colligo alind argumentum propitium eorum ſocietati; ſcilicet ex Sancto Thoma, amorem fundari in ſimilitudine. Sic enim ille. *Ex hoc, quod aliqui duo ſunt ſimiles, quaſi habentes vnam formam, ſunt quodammodo vnum in forma illa; ſicut duo homines ſunt vnum in ſpecie humanitatis: & ideo affectus vnius tendit in alterum, ſicut in vnum ſibi, & vult ei bonum, ſicut & ſibi.* Et codex ſacer. *Omne animal diligit ſibi ſimile, & ſic omnis homo proximum ſuum.* Et Tullius ſuum calculum adiiciens ita fatur. *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias: nec ob aliam cauſam vllam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima eſſe poteſt morum ſtudiorumque diſtantia.*

Amicitia vnde diſſoluatur.

Cicero lib. de amicit.

Hinc arguo. Talis erit pubeſcens amor, qualia & fuere incunabula illius. Ergo amor emergens ex virtute & gratia, concolor erit ſuis natalibus, ac proinde tranſcendens omne quod variat. Namque haud virtus inconcuſſa labat, vt aliàs voluit eſſe ratum Hieronymus. *Illa vera erit amicitia, & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præſentia corporum tantùm, non ſubdola & palpans adulatio; ſed Dei timor & diuinarum Scripturarum conciliant ſtudia, de qua amicitia omnis tollenda ſuſpicio eſt, & ſic cum amico quaſi cum altero ſeſe loquendum.*

Amicitia Chriſtiana quænam ſit. Hieron. epiſt. ad Paulin.

Nihil moror in fomite amoris mutui, quem Maria & Ioſeph habuerunt à natura, quaſi obſtetrice, & proliciente affectum reciprocum; taceo concordes animos, eamdem prope indolem, vnum ſtemma vtique regium, plurium annorum conſuetudinem, quæ etiam boues eidem iugo aſſuetos ſi quandoque ſecernantur adeò afficit, vt ſibi inuicem immugiant. Non legitimos exuerunt naturæ ſenſus hi coniuges, nec proinde alieni fuere ab eo amoris incremento, quod ingerit multa conſuetudo propagata in annos, cùm ex Iure Ciuili inde præiudicium amoris emergat, & præcipuè ſi inter conſanguineos viget illa aſſiduitas. Nimirum vt bonum additum bono facit melius, ita duo argumenta amoris arctiùs animam deuinciunt.

Amicitia ex conſortio generatur.

Ex Ivre Civili.

Fuere conſanguinei Maria & Ioſeph, & huic titulo amoris acceſſit conſortium iuge plurium annorum, cui etiam lex iſta Iuris Cæſarei ſuffragatur. *Obeundorum munerum conſortium affectionis fraternæ nonnihil addidiſſe, quinimò vice mutua chariores inuicem ſibi reddidiſſe credendum eſt.* Scitè equidem adiicit Gloſſa. *Nota quòd conſuetudo auget affectionem parentelæ.* Eamobrem Aleiatus ſic ſubſcribit. *Magna amicitia eſt maioris ponderis, quàm fraternitas, & diſpoſita in conſanguineis cenſentur diſpoſita in amicis maxima amicitia.* Ergo cùm Maria & Ioſeph idem munus obierint, eaſdemque vices egerint circa Ieſum, quo amore geſtierint, impotes ſanè ſumus enarrare.

Leg. cum allegas Cod. de peculio militum.
Gloſſa ibid.
Alciat. de præſumptionibus Reg. 1.
Amicitia plus poteſt quàm fraternitas.

Diceres inde maximè ſanctum Bernardinum probare amorem Mariæ in Ioſephum. Sic ille. *Nouerat Virgo virum iſtum ſibi à Spiritu Sancto datum, ad participandum ſecum in charitatis amore, ideo credo, quòd ex totius cordis affectu eũ ſinceriſſimè diligebat.* Hæc ille. Quaſi diceret, præcipuas partes Mariæ & Ioſeph fuiſſe, vt Chriſto intenderent æſtuando amore illius. Vnde cùm ea quæ ſunt vnum vni tertio ſunt eadem inter ſeſe, liquet hos coniuges fuiſſe indiuiduo ſibi nexu ſociatos. Quippe eorum vota omnia in vnum Ieſum feruide collimabant. Eſto hæ naturæ illecebræ ad amorem mutuum validè perculerint vtrumque coniugem ad affectum, alio tamen œſtro ambo perciti ſunt, Deo ſcilicet impulſore. Cùm enim de ratione doni Spiritus Sancti ſit, vt faciat nos facilè mobiles eo, quò à Deo impellimur: Maria & Ioſeph, in quos omnia coïere dona Spiritus Sancti, eius auram vltrò ſecuti ſunt, atque adeò morem geſſere præcepto illi, quo coniuges tenentur rependere amorem. Vnde ſic arguo. Maria & Ioſeph perfectiore ritu ſectati ſunt ea quæ legis ſunt; aſt non minimæ ſunt partes iuris, illæ quæ ſpectant ad conciliandos animos coniugum. Ergo reciprocus amor Mariæ & Ioſeph tranſcendit omnem amorem coniugum; quia eis plus gratiæ collatum eſt, vt eſſent ſpecimen omnimodæ virtutis.

Ex SS. Patribvs.
Bernardinus ſer. de S. Ioſ. art. 2. cap. 1.

Teneri autem coniuges ad amorem audi ex Scriptura vtraque, antiqua ſcilicet & recentiore. Ita Syracides. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum; & vir, & mulier benè ſibi conſentientes.* Adiice illud Apoſtoli. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea. Viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem* Alibi hortatur Titum vt moneat. *Adoleſcentulas vt viros ſuos ament.* Non defuiſſe huic parti hos coniuges, ex Theologia vidimus, quæ id apprimè colligit ex cumulo gratiæ. Qualis enim eſt gratiæ affluxus, talis & eſt operationis intenſio, & præcipuè amoris à Deo iniuncti. Ergo ex ea ſacra diſciplina, arcta fuit illa ſocietas, cuius adeò ſancta fuere præludia, ſcilicet plenitudo gratiarum.

Amicitia à Deo commendata. *Eccleſ. 25.*

Epheſ. 5.
Coniugum amicitia à Deo præcepta. *Tit. 2.*

Vtriuſque amorem ſeorſim indagemus, & auſpicemur à Ioſepho, cuius amor ex Philoſophia argui poteſt, ſic procedendo. Ex Ariſtotele, cum finis efficaciter eſt intentus ab agente prævalido, idem eſt motus ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem, vtpote quæ habent ſe inſtar vnius: ſed Deus agens efficaciſſimum, Ioſephum eo fine Mariæ adiecit ad ſolamen; ergo & media idonea impertiit ad curandum ea quæ Virginis erant. In his autem medium præſtantiſſimum eſt amor; qui namque non amat, non curat: ergo cùm idem ſit motus ad media & finem, Deus non defuit huic medio, cùm elegit Ioſephum in ſponſum Mariæ, & ſolatium eiuſdem, vt ait Bernardus. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutricium: ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum.*

Ex Philosophia.
Ariſtot. l. 3. Topic. c. 2.
S. Ioſeph, & Mariæ amicitia vnde ſuadetur.

Bernard. homil. 3. ſup. Miſſus.

Rurſus ea, quæ Dei ſunt ipſâ naturâ inſciâ, potiora ſunt eis, quæ fiunt naturâ conſciâ, vt vinũ in Cana Galilææ editum à Chriſto præſtitit ei, quo vinea deſudarat: & in Phyſicis quando cauſa prima ſupplet defectum cauſæ ſecundæ, plus influit in effectum, quam feciſſet cauſa ſecunda. Sed coniugium Ioſephi à Deo immediatè fuit; ſiquidem bis à Deo compulſus eſt accipere Mariam in coniugem. Primò quando eius virga floruit. Item

cùm

cùm Angelus ei apparuit, ſuadens vt redux à fuga, quam verſabat animo, Mariam acciperet in coniugem. Ergo cum nihil terrenus amor contulerit ad hos Hymenæos, quos Deus procurauit in figuram ſacræ vnionis, qua media ipſe rerum Dominus naturam hominum deſponſauit procul dubio amorem Ioſepho indidit congruum illi coniugio, quod omnium ſanctiſſimum fuit, vtpote animas deuinciens tantùm, corpore vtriuſque coniugis illibato. Eamobrem Mariæ ita addictus eſt Ioſeph, vt nec vel latum vnguem ab ea diſceſſerit.

EX MATHEMATICA.
Ioan. à ſacro Boſco lib. de Sphæra.

Non inſulsè poteſt cœleſtis illa Ioſephi familia componi cum cœlica contextura orbium Planetarum, quos Aſtronomia ſic ait eſſe diſpoſitos, vt lucidum ſidus ſit in circulo, quem epicyclum vocant; ille autem circulus inſitus eſt orbi, quem deferentem vocant. Itaque Planeta duos habet cælos, ſcilicet epicyclum, & deferens, quorum gyros ſequitur & choreas. Angeli autem arbitrio moueri hos cælos, res propè indubia eſt apud Philoſophos. Chriſtus reuera fuit clarum ſidus, cuius propior orbis ſeu cælum coniunctum fuit Maria, verè epicyclus Chriſti, in ea & de ea concepti: cælum deferens fuit Ioſeph, qui non modò realiter Chriſtum tulit; ſed & Mariam ſecum traxit eò quo indixit Angelus ille, qui techinas Herodis aperiens ſuaſit fugam in Ægptum, & elapſo ſeptennio Ioſephum monuit de reditu in Iudæam. Vt duo hi cæli editi ſunt in ſideris obſequium; ita & Maria & Ioſeph indiuidua animorum ſocietate coniuncti ſunt in gratiam Saluatoris, qui & ipſe mouebatur ad nutum vtriuſque parentis. Nec credo, nexum cæli epicycli cum ſuo deferente eſſe arctiorem vinculo amoris, quo adhæſere ſibi Maria & Ioſeph.

Quàm benè conueniat Mariæ & Ioſepho illa relatio epicycli & cæli deferentis, collige primò ex vnione vtriuſque cæli. Secundò, ex eo quòd epicyclus non mouet cælum deferens, ſed ſequitur illud cælum gyrans, ita Maria non imperauit Ioſepho, ſed in his, quæ ad regimen familiæ pertinebant, ſortem obiit mulierum, quas Deus voluit ſubdi viris ſuis. Tertiò, ſideris ſubſtantia eſt pars ſubſtantiæ cæli epicycli, qui etiam primo impertit fulgorem ſuum, ita & caro Chriſti eſt pars Mariæ, cuius pro fœnore Chriſtus pendit penſum ingens, videlicet plenitudinem gratiarum.

EX SS. PATRIBVS.
Auguſt. ſer. de. Aſſumpt. Mariæ to. 9
Mariæ caro, eſt caro Ieſu Chriſti.

Audiendi Patres Sancti, in quibus hæc ait Auguſtinus. *Caro Ieſu caro eſt Mariæ, & multo ſpecialiùs, quam Ioſeph, Iuda, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat Geneſ. 37. Frater enim, & caro noſtra eſt: caro enim Chriſti, quamuis gloria Reſurrectionis fuerit magnificata, & potens ſuper omnes cœlos Aſcenſione glorificata; eadem tamen carnis manſit & manet natura, quæ ſuſcepta eſt de Maria: ipſe enim eſt, qui conceptus, genitus, atque à mortuis reſuſcitatus eſt per gloriam Patris.* Damianus item ſic.

Damian. ſer. de nat. Mar.
Mariæ cum Deo vnio.

Deus ineſt vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate; quia idem eſt quod illa. Hic taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis & dignationis immenſitatem. Adiice Laurentium Iuſtinianum, cuius en contextum.

Laurent. Iuſtinian. ſerm. de ann. Mar.

Habitat in Angelis Deus, ſed non cum Angelis; quia cum illis eiuſdem non eſt eſſentiæ: habitat verò Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.

Quid autem luminis refundat in ſuum epicyclum, lucidum illud iubar, diſce à Dionyſio Carthuſiano.

Dionyſ. Carthuſian. lib. 1. de præconio Mariæ art. 6.
Mariæ quanta Deus chariſmata conceſſerit.

Ex quo Deus quod Mariæ erat aſſumpſit, & induit, ipſi ni fallor, quod ſuum eſt rependit. Aſſumpſit autem ex ea naturam, gratiamque refudit. Clementiſſimus itaque creator, qui à principio Angelos, ac deinum homines electos, tam gratuitò tamque miſericorditer, ac ſupereffluenter illuſtrauit, & docuit, à quibus vtique nihil ſuſcepit, quorum nedum bonis eguit: quid illuminationis, & gratiæ ei præſtitiſſe credendus eſt, cuius ſibi ſubſtantiâ induit, cuius lacte nutritus, cuius inſuper diligentiâ educatus conſiſtit, cùm ſe tam incomparabiliter obligauit. Hæc ille. Chriſtus Mariæ carnem induens, præſcio Pſalti fidem fecit quando ait, Deum extendiſſe cælos ſicut pellem.

Pſal. 103.

Denique etſi cælum deferens ſecum rapiat epicyclum, cui ineſt ſidus errabundum; tamẽ epicyclus altior eſt ſuo cælo deferenti cuius circumferentia ſecat centrum circuli epicycli, qui ideo media ſui parte eminet circulo deferenti. Ita quidem Ioſeph Virginem pro arbitrio ſuo & Angeli percellentis ſecum traxit in Ægyptum, & inde reducem in Iudæam; ſed Maria circulus epicyclus, media ſui parte ſuperior extitit ſuo cælo deferente, etſi alia parte ei fuerit ſubdita. Quippe in his, quæ ad naturam ſpectant, vxor eſt marito inferior; aſt in eis, quæ pertinent ad gratiam, Mariâ fuit Ioſepho ſuperior, vtpote propior ſideri, cuius lumẽ vberius illuxit epicyclo, quã cælo deferenti.

Maria quare fuit cælis amplior
Hieron. ſer. de Aſſumpt.
Epiphan. lib. 2. de laudibus Mariæ.
Bernard. hom. 2. ſup. Miſſus.
Mariæ vterus cælo amplior.

Non eſt mihi ſingularis nomenclatura cæli attributa Virgini, vt legere eſt apud Hieronymum, qui ſic ſcribit. *Altior cælo eſt B. Virgo, de qua loquimur.* Liquidiùs inſonat Epiphanius. *O vterum impollutum habentem circulũ cælorum, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti! O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti! O vterum, qui cælum eſt ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtens! O vterum, ſeptem cælis ſublimiorem atque latiorem! O vterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ.* Conſonat & Bernardus. *O venter capacior cælis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus orbis comprehendere nõ potuit, & qui tribus digitis molem terræ apprehendit! O venter mirabilis, qui potuit capere Saluatorem! O venter deſiderabilis, è quo manauit deſiderium mentium, gratiarum flumina, gloriæ præmium! O venter amabilis, & dulcedo animæ! O eleuatio mentium, inebriatio cordium; ſanitas peccatorum, fructus tuus, Domina!*

Rupert. l. 1. de gloria Filij hominis in cap. 1. Matth.
S. Ioſeph & Mariæ côiugalis amor qualis extiterit.

Illa autem diſparitas meritorum Mariæ & Ioſeph non obſtitit, quin fuerint ambo illi coniuges amore indiuiduo ſociati, cœlitus emiſſo potius quàm deorſum inſito, vt Rupertus inſinuat. *Tota horum coniugum vita, ſiue coniunctio fuit cœleſtis, & Spiritus Sanctus amborum coniugalis amor, quorum vtique conuerſatio erat in cœlis, in ambobus præſidens coniugem fidei viri huius commiſerat.* Nihil ſanè elimatiùs in eo themate recenſeri poteſt, quàm Spiritum Sanctum aſſerere fuiſſe amorem coniugalem Mariæ & Ioſeph. Quod non ita intelligas velim, vt ſubrepat tibi Spiritum Sanctum fuiſſe eſſentialiter amorem illorum coniugum; ſic enim amor eorum non fuiſſet elicitus, & vitalis actio humana: ſed ita cenſeas oportet vt Sanctus ille Spiritus vtriuſque animam accenderit eo amore coniugali, cui impar eſt omnis aliorum coniugum amor; vnde inferre quiſque poteſt, Spiritum Sanctum validè amore ſuo in hos coniuges influxiſſe.

Inſtabis, reuera fuiſſe potiſſima argumenta, quæ Ioſephum Mariæ Virgini addixerunt; ſed Mariam ita effuſam fuiſſe in puerulum Ieſum, vt ægrè potuerit amorem ſuum aliò diuertere, ideóque non conſtare de indiuidua ſocietate Mariæ & Ioſephi, quam probare intendit hæc ſectio. Reſpondeo, in Ioſepho fuiſſe cauſas omnes, quæ vrgere queunt animam ſponſæ ad affectum mutuum. Vtque exordiar à Phyſicis. Præcipuus fomes ignem amoris proliciens eſt amor, iuxta illud vulgare proloquium. *Magnes amoris amor.* Aſt in Ioſepho ille fuit amor in Mariam adeò intenſus,& conſonus amori Dei; vt ſi Maria impos amoris extitiſſet, profectò rependiſſet amorem illi, cuius affectus ab amore Dei minimè deuiabat. Rurſus Maria verè fuit deſponſata Ioſepho, conſenſu explicito de ineunda ſocietate ea, quam Deus ab æterno ſanxerat: aſt conſenſus coniugum nihil aliud eſt ab amore; eſt enim reciproca propenſio voluntatum, quæ inclinant ad mutua obſequia.

Sponſio quid ſit.

Fuiſſe verum coniugium Mariæ & Ioſeph textus ſacer enuntiat, dum recenſet Angelum aſſertorem huius veritatis, cùm ſic Ioſepho loquitur. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Si fuit ſtatum ratumque fœdus, Maria debuit amorem reciprocum ſpondere, vt & Ioſeph ſpopondit Deo prolicienre affectum ab homine, è cuius virga flores eduxerat. Et vt literæ inſiſtamus: Maria dicitur deſponſata. *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph:* vox autem illa deducitur à ſponſalibus, quæ rurſus à voce ſpondeo deriuantur, id eſt, à promittendo, vt explicat Ius Ciuile hoc contextu. *Sponſio appellatur, non ſolùm quæ per ſponſi interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio promiſſioque.* Et ne lex imponeret ea verborum ſerie, quæ verſatur in promiſſione, alia lege adiicit has voces. *Sponſalia ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum.*

Matth. 1.

EX IVRE CIVILI.

Lege Sponſio ff. de verbor. ſignificat.

L. Sponſalia ff. de ſponſalibus.

Sponſalia quid ſint.

Conſentire quid ſit.

EX IVRE CANONICO.

Canone Sufficiat. 27. qu. 2.

Nota, repromiſſionem dicere correlatum eius promiſſi, quod alter coniugum exhibuit; ſiquidem parum eſſet, ſponſum virgini inuitæ amorem ſpondere, ſi ea viciſſim non repromitteret. In ea autem ſponſione amoris vertitur præcipuus cardo nuptiarum, iuxta ſanctionem Iuris Canonici. *Sufficiat ſecundùm leges ſolus eorum conſenſus, de quorum coniunctionibus agitur.* Quid ſit autem conſentire; eſt idem cum alio ſentire, quod amoris eſt proprium, iuxta illud, Amicorum eſt idem velle, idem nolle: ita planè ratio tota coniugij eſt in conſenſu & compoſitione voluntatis ad arbitrium alterius coniugis, vt neuter eorum vouere poſſit, altero coniuge inconſulto; vnde & proſtat iſta Sanctio Canonica. *Vna ſola cauſa eſſe poſſet, qua te id, quod vouiſti, non ſolùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere, ſi fortè tua coniunx hoc tecum ſuſcipere animi ſeu carnis infirmitate recuſaret. Nam & vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi: & ſi praproperè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quàm perſoluenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid vouerit, ſed potius vſurpare vetat alienum.*

Canone Vna ſola cauſa 33. qu. 3.

Votum continentiæ cõiugalis quando ſit irritum.

Alio item Canone mulieris voluntas ita addicitur arbitrio viri; vt votum ab ea emiſſum innupta, conſcio patre ſuo, ſi non fecerit ſatis illi voto ante nuptias, poſtea irritum ſit coniuge refragante. Ecce Canon. *Noluit itaque lex, mulierem aliquid vouere Deo aduerſus animam ſuam, vt non in aliqua rerum licitarum atque conceſſarum abſtinentia in eiſdem votis fœmina valeat auctoritas, ſed virilis. Ita & ſi adhuc innupta iam conceſſerat Pater vota perſoluere; ſi antequam perſoluerit, nupſerit, & viro hoc eius cognitum non placuerit, non perſoluat, & ſit omnino ſine peccato: quia mundauit eam, ſicut dicit, id eſt, mundam indicauit. Neque hoc contra Deum fieri putandum eſt, cùm ipſe Deus hoc præceperit, hoc voluerit.* Canon ille deſumptus eſt ex decretis Auguſtini, qui eo textu voluntatem vxoris eſſe impotem clamat, ſed totam penes viri ſui arbitrium, cui omnino ſubiecta eſt, idipſum etiam Canone ſanciente. *Adam per Euam deceptus eſt, non Eua per Adam. Quem vocauit ad culpam mulier, iuſtum eſt, vt eum gubernatorem aſſumat, ne iterum fœminea facilitate labatur.* Ita Ambroſius à quo precario habet Canonem iſtum Gratianus.

Canone Noluit itaque 33. q. 5.

Vota puellæ quando ſint licita.

Auguſt. qu. 59. in librum Numerorum.

Mulier quare viro ſubdita ſit.

Canone Adã. 33. q. 5.

Ambroſius in Exameron tract. dui quarti.

Ex præfatis ſic arguo. Eiuſdem eſt actus cuius eſt & potentia; ſed ex Iure Canonico voluntas vxoris non eſt ſui iuris, ſed mariti: ergo & præcipuus actus voluntatis, qui eſt amor, non erit in arbitrio vxoris, quæ totum amorem ſuum debet in virum refundere. Ergo Maria, quæ perfectiſſimo ritu vnicuique legi morem geſſit, huic etiam non defuit inſtituto, amoris amantiſſimo ſuo coniugi rependendi. Imò Maria plus Ioſephum dilexit quàm Ioſephus ipſam Deiparam, etſi in Maria plura amoris fuerint argumenta valida ad conciliandum amorem Ioſephi in Mariam. Quare autem Maria intenſius coniugem adamaret, accipe. Amor reciprocus coniugum eſt à Deo imperatus, atque adeò eſt virtus: quò autem vberior affluit gratia, eò etiam eſt virtus illapſa diffuſior. Ergo cùm Maria Ioſepho præſtiterit in his, quæ pertinent ad gratiam, eumdem etiam coniugem ſuum omnigena virtute anteiuit. Ideo cum ad ſanctitatem coniugum ſpectet mutuus amor, procul dubio Maria in eo genere virtutis excelluit, Sanctumque ſuum virum Ioſeph amantiſſima illa Virgo, amore quàm potuit maximo redamauit. Summus ille amor Ioſephum ita Mariæ deuouit obſequio, vt quaſi ſe oblitus eſſet coniugem, ſeruum ageret ſedulum & anxium, ea quæ Virginis erant Deiparæ procurando.

S. Ioſeph quã intenſè fuit amatus à Maria.

Eo penè ritu Ioſeph ſeſe Mariæ addixerat, quo Albani ſuos ſeruos conſecrant Lunæ: Nimirum illi, ſcilicet Albani, haſta transuerberant cor hominis, quem deuouent Lunæ, cuius obſequium vendicat ſibi cor patulum. Ita & Ioſeph hianti corde & feruido amore percitus, ſe totum Mariæ Virgini conſecrauit. Huic amori Deipara mutuas rependendo vices, beauit ſanè coniugem illum, impetrando ei infinita propè chariſmata: Etenim ſi Andronicus Imperator æger, & iam ceſſurus fatis, vrgente eum lethali morbo, rediuiuus exiliit epotâ aquâ de fonte Mariæ ſacro, cui ſe debere affirmauit redditũ imperium. Ipſa Maria inundante domũ Ioſeph, vir ille etiã aliunde Deo plenus incrementũ ingens gratiarum accepit Virgine procurante. Namque domi ſuæ fonte habens Ioſeph, reuerà non aruit; ſed Deus hunc alluit imbre copioſo gratiæ & virtutis Virgine depoſcẽte. Quippe Maria non ceſſit Sanctæ Gorgoniæ; quæ ea charitate fuit in virum ſuum, vt Deo importuna, ei iugiter orans inſtaret pro viro ſuo; quia in

Lunæ ſerui cõſecrati ab Albanis.

EX HISTORIA.

Strabo li. 11. Hiſtoria Imperialis ſub ann. 1328.

Mariæ virtute ſanatus Andronicus Imperator.

animum

animum ſuum induxerat, mulierem Sanctam eſſe media ſui tantùm parte perfectam, ſi vir ab ea ſanctitate deficeret. Equidem ſumma fuit charitas Gorgoniæ, quæ ſuam credidit noxam viri ſui imperfectionem; ideóque Deum deprecata eſt, vt coniugi ſuo ſuccurreret, & faceret æmulum ſanctitatis, qua ipſa Gorgonia geſtiebat. Hoc ſchemate orandi, mulier illa Deum demeruit: quippe eò gratiæ aſſurrexit illius vir, vt Gregorius Nazianzenus ſatis ſuperque eum laudarũ eſſe dixerit, cùm quis illum, virum Gorgoniæ nuncuparit.

Gregor. Nazianz. orat. 2. de ſorore Gorg.

Gorgoniæ ſanctitas in virum redũdauit.

Nemo eo piaculo obſtrictus eſt, vt arbitretur, Mariam eſſe infra Gorgoniam, cùm Deipara ſeſe præſtiterit epitomen virtutis illibatæ. Ergo non paſſa eſt aliquod gratiæ deliquium in Ioſephu, qui præfulſit ea plenitudine gratiæ, quam poſcebat miniſterium eius; ita vt ſuperet omne encomium, dicere Ioſephum fuiſſe virum Mariæ, nec quidquam ſublimius eloqui potuit ſcriba ſacer, recenſens Abrahæ proſapiam, qua ſatus eſt Ioſeph. Sic enim Matthæus hominem hunc inſignem commemorat. *Mathan genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ; de qua natus eſt Ieſus.* Cùm audis virum Mariæ, ſiſte gradum: quidquid enim præterea adieceris ad hanc laudem, eſt infra titulum iſtum, qui aſſerit iuge Ioſephi cum Virgine conſortium, ex quo effluxit gratiarum ingens profluuium in animam ſponſi: non quòd potuerit illa mereri gratiam ſponſo ſed ſuo exemplo eum ad egregia quæque facinora prouocarit, & iugi oratione largos ei gratiarum latices impetrarit.

Matth. 1.

In laudibus Ludouici Pij Imperatoris, Galliæ Regis, hoc vnum magnificat eius Encomiaſtes; ſcilicet, hunc Dynaſtam de collo pendulam geſtaſſe iconem B. Mariæ. Eodem ferè ritu pietatis auram aucupatus eſt Ludouicus XI. Rex Gallus, qui plumbeam Virginis imaginem pileo aſſuebat. Eadem etiam figura Virginis Deiparæ ſibi conſuluit Imperator Iſaac Angelus, qui audiens, hoſtem ſignis explicatis vrbem imperij caput contendere; B. M. Virginis imaginem, quæ erat foris, magno apparatu in vrbem inuexit, magnoque cultu exhibito emeritæ coniugi Sancti Ioſeph, eius ſuffragio irritos fecit omnes impetus æmulorum. Quid arbitraris actum eſſe cum Ioſepho, qui non Mariæ typo geſtit tantùm, ſed fuit illius ſocietate conſpicuus triginta annorum ſpatio.

Mariæ imago à quibus Principibus honorata.

Hiſtor. Gallica in Ludouico Pio, & Lud. vndecimo.

Hiſtoria Imperialis ſub ann. 1187.

Si in officina pigmentarij vel ad moruſum degentes ebibunt afflatum eorum pigmentorum, quibus recreatur odoratus; mirâ ſanè fragrantiâ inſignis fuit Ioſeph, numquam diſſitus à Maria, quam ſic affatur Hugo Victorinus. *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Filius tuus vnctus, tu quoque es vncta: ille quidem ſuper te, & præ cunctis participibus tuis accepit vnguenti plenitudinem; tu verò poſt ipſum præ cunctis accepiſti ſuauitatem.* Iacob acceptis veſtibus ſuaueolentibus fratris ſui, ea fragrantia perculit Iſaac patrem ſuum ad amorem illum, cuius argumenta præcipua edidit quando benedixit ei. Sic rem enarrat textus ſacer. *Vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.*

EX SS. PATRIBVS.

Hugo Vict. concione de B. V. Maria.

Maria fragrantiã miram afflauit.

Geneſ. 27.

Præclara equidem ſunt illa fœnora fragrantiæ, quam afflauit indumentum Iacob, cuius chariſmata omnia fuere infra dotes & gratias quibus Ioſephum dignatus eſt Deus. Rorauere cœli affluenter in gratiam Ioſeph, quando anima illius multiplici gratia deſudauit; illi conceſſa eſt pinguedo terræ, quando adſciti ſunt in familiam eius, Ieſus, & Maria, quorum corpora edita ſunt de pinguedine terræ, id eſt, de terra neſcia maledicti, quo damnata eſt ad ſpinas, & tribulos. Eamobrem terra illa nullo ductu aratri, aut ſatione germinis imprægnata, fœta tamen fuit meſſe opima frumenti huius, quo fideles in Eucharistia paſti opiparè ſaginantur; maduitque illa terra vino, quod germinat virgines.

Rurſus virtutum odor, quem ebibit Ioſeph à Maria, eò euexit illum vt incuruentur ante eum omnes fratres eius, id eſt, tota ſine exceptione Adami proſapia: Ieſus enim & Maria Ioſepho ſeſe ſæpius inclinarunt. De reliquis Sanctorum omnium choris non ambigo eos eſſe infra iſtum Sanctum, qui proximitate Chriſti, & Mariæ, vt omnes alios anteiuit, ita & gratia eos omnes etiam antecellit. Si namque multi, vt Bernardus, & Seraphicus ille Franciſcus, propè non attigerunt culmen ſanctitatis, Mariæ ſuffragio, cui erant addictiſſimi; facili negotio omnes in hac alea ſuperauit iſte Sanctus, cui tota fuit Virgo Deipara conſecrata, & cuius etiam præſentia Beati in gloria mirificè recreantur.

Marię protectio quanta.

Mariæ gloria beatos lętificat.

Concinunt Sancti Patres, in quibus ita Damianus illam alloquitur. *Summa gloria eſt, poſt Deum te videre, tibi adhærere, & in tua protectionis munimine demorari.* Bernardus eadem pænè ſerie vocum idem eloquitur. Sic ille. *Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, & ipſa etiam cœleſtis patria clarius rutilat, virgineæ lampadis irradiata fulgoribus.* In eam & it ſententiam Bonauentura, nihil niſi obſequium Deiparæ ſpirans. Hæc ille. *Glorioſum gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quòd poſt Deum maior noſtra gloria, & maius noſtrum gaudium ex Maria eſt.* Rem indubiam credit Dionyſius Carthuſianus, beatos obiectu Deiparæ recreari. Sic fatur. *In Regno cœlorum Virginis præſentia & aſpectus ineffabiliter auget accidentale præmium beatorum.*

Pet. Damian. ſerm. 2. de Nat. Mariæ.

Bernar. ſerm. de Aſſumpt.

Bonauent. lib. Soliloqu.

Dion. Carth. de vita ſolitar. art. 29.

Vt terra, cui ſol oriens irradiat, multo fragrat aromate in gratiam maioris viciniæ: ita & Ioſeph propior Mariæ, quæ erat gratia plena, eius iugi aſpectu dinor effectus eſt, re etiam Medica ſuum adiiciente ſuffragium. Ea diſciplina, ſagax noſtri corporis inſpectrix ait, totius hominis ducatum & regimen eſſe penes cerebrum, vtpote organum, cui inſitæ ſunt facultates prouidendi & decernendi, quæ non omnino vacant homine dormiente. Sed eſto cerebrum ſit pars veluti princeps in corpore, & quaſi præſcia futurorum; tamen tunicula quadam obuoluitur, cuius tegmine & fouetur calore congruo, & affrictu durioris tunicæ vindicatur. Huic meningi ſeu tuniculæ leuiori, piæ matris nomen inditum eſt. Pia hæc mater multo deſudat ſanguine arteriali, & dedignata otium; iugi perennique motu ſe explicat & contrahit, fortè vt cerebri fuligines proliciat, & eliminet. De pia illa matre compendioſè ait Fernelius. *Meninx altera ſubeſt tenuis atque mollis, idoneum cerebri inuolucrum, ei quàm proximè adiunctum, quod & locis compluribus altiùs demergitur, vt interiores cerebri capacitates oblinat.*

EX RE MEDICA.

Fernelius lib. 1. Phyſiolog. cap. 9.

Meninges cerebri deſcribuntur.

Magna ſanè piæ matris, & cerebri ſocietas, quæ ſuperſtite homine ſcindi nequit; quia pia illa mater indiuidua cerebri comes, ei adiecta eſt, vt ſartum tectumque diu ſibi conſtet, & conſulat reliquæ compagini corporis.

Nihil profectò magis appoſitè medicina poteſt decernere, quod ſectionis huius congruat inſtituto: quippe hæc obſeruatio partis medicæ, quam anatomen vocant, genuinè ſatis aperit Mariæ & Ioſephi nexum indiuiduum, & lucra

Mariæ protectio quid conferat.

quæ Ioſephus eo commercio reportauit. Dixi alibi, Ioſephum fuiſſe Mariæ caput ratione coniugij: vir enim eſt caput mulieris. Nomine capitis medici præcipuè cerebrum intelligunt. Penes virum Mariæ fuit cura & coniugis, & Domini Ieſu, à qua anxia & ſedula cura nec ſomnians vel latum vnguem receſſit. Vtriuſque ducatum in Ægyptum, & reditum in Iudæam cœlitus accepit. Sed eſto nobiles ſint illæ partes Ioſephi, qua cerebrum eſt; multa tamen debet piæ matri, ſcilicet Mariæ, qua vt tegmine Deus Ioſepho conſuluit. Pia illa Mater otij impatiens, tam actioni intenta, Ieſu Chriſto & Ioſeph obſequens, aliàs ſe contrahens, & luſtrans intimos quoſque receſſus animæ ſuæ, in Deum ſua chariſmata omnia refundebat. Quodque præcipuum eſt, calorem illum deſuper inſitum ſcilicet amorem Dei ita Ioſeph affingebat, vt cerebrum illud myſticum piæ huic matri debuerit potiſſimos æſtus amoris ſacri quibus in Deum iugiter anhelauit.

Vt non eſt iniurium cerebro protegi à pia matre, & ab ea quædam momenta caloris accipere, quibus tepori à natura inſito occurrat. Simili ferè ratione non eſt res inglorіa Ioſepho, à Maria omnium Beatorum Pia Matre, accipere aliquod gratiæ incrementum, non quòd illa efficiat, ſed impetret gratiam, Quemadmodum enim pia mater iugiter mota influit, aliàs aſſurgendo, & poſtea dehiſcendo; ita & Maria quaſi

Ex SS. PATRIBVS.

ſe inclinans ad Ioſephum nouum gratiæ influxum peroptabat. Ideoque effuſa in cœlum, & ſidera tranſcendens, à Deo petita in Ioſephi gratiam obtinebat. Audi ex Auguſtino, Beatos omnes eſſe Piæ Matri debitores. *Facta eſt Maria*

Aug. ſerm. de Nat. Mariæ.

Maria omnibus propoſita in exemplum.

ianua cœlorum, ſublimatio Apoſtolorum, laus Martyrum, iubilatio Confeſſorum, continentia Virginum: facta eſt Maria norma Principum, iuſtitia Regum, ſalus omnium populorum, gloria viduarum, gaudium Angelorum, requies animarum: facta eſt Maria ſalus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Optimè cunctas illuſtrat Eccleſias: Triumphantem, quia Virgo illa præfulgida deſuper irradians, affulget omni cœlitum choro coruſcans, & rutila, gloriâ ſingulari. Militans Eccleſia non vacat ab influxu Piæ Matris, quæ etiam fouet protectionis ſuæ tegmine pœnitentes.

Idipſum fusè Anſelmus inſinuat, induens perſonam hominis gemebundi, & exoſi retroacta piacula. Sic ille. *O Mater ſalutis! ô templum*

Anſelmus tract. de inuocatione B. Virginis.

pietatis, & miſericordiæ! tibi ſe conatur præſentare anima mea morbis vitiorum languida, & vlceribus flagitiorum putrida, tibi inquam, nititur, quantum moribunda valet, ſupplicare, vt potentibus tuis meritis, & pijs tuis digneris eam precibus ſaluare. O tu benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate, anhelat moribundus ſpiritus meus ad tantæ benignitatis reſpectum, ſed erubeſcit ad tanti nitoris conſpectum: eadem enim peccata mea, ô Domina, cognoſcis à te cupiunt propter curationem; apparere fugiunt propter execrationem.

Mariæ inuocatione ſuccedunt infirmitates noſtræ.

Paulò poſt ille idem, quaſi alluderet ad conceptum meum de pia matre, quæ eſt cerebro propitia. Virginem compellat vt piam Matrem, ſiquidem eam nullo vrget alio argumento potiori quàm nomine pietatis. *O tu illa pie potens, & potenter pia Mater, de qua fons eſt ortus miſericordiæ, ne contineas precor tam veram miſericordiam, vbi tam veram agnoſcis miſeriam. Ille bonus filius hominis venit perditum ſponte ſaluare; & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Fugiat ergo reus iuſti ad piam Matrem miſericordis Dei. Pie Domine, parce ſeruo Matris tuæ: Pia Domina, parce ſeruo Filij tui: quis me conijcio inter duas tam immenſas pietates, non incidam inter duas tam immenſas ſeueritates.* Patiens Eccleſia, expiante flamma veluti torrida, ſæpiſſimè huius Piæ Matris recreatur aura, quæ ſæuientis clibani temperat incendia; imò interdum animas inde eripit vt adſcribat Beatorum choris. Gratiæ illius vadem accipe Bernardum. *Miſericordia eius ſublimitas, ciuitatis ſuperna inuenit reſtaurationem, & profundum eius ſedentibus in tenebris & in vmbra mortis obtinuit redemptionem.*

Idem vbi ſuprà.

Mariæ miſericordia quàm ſublimis.

Bernard. ſerm. 4. de Aſſumpt.

Si Maria ea facilitate cauet omnibus Eccleſiis ſi Pia illa Mater omnes amplexatur; proculdubio potiora ſuæ poteſtatis argumenta effudit in Ioſephum, iuxta illud Apoſtoli. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Et alibi domeſticorum curam præire aliis ſic affirmat. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Ergo Maria Ioſephi non immemor, precibus ſuis innumera ei chariſmata congrua procurauit: ea nimirum, quæ pertinebant ad munia, quæ obibat circa humanitatem Chriſti. Vtque Pia mater peruadit cerebri ſubſtantiam ſuis anfractibus atque inuolucris; ita & Maria rimans penitiores quoſque receſſus animæ Ioſephi, ibat obuiam ærumnis atque moleſtiis eius. Teſtis ille Angeli affatus qui Ioſephum anxium, & intempeſtiua humilitate nutantem Mariæ reddidit, à qua penè animo defecerat meditando fugam: quod vt præſenſit Pia Mater, cui nihil animæ Ioſephi inuium erat, Deum enixè precata eſt, vt coniugem ſuum tãti myſterij compotem efficeret. Annuit Deus, Angelique obſequio Ioſephum reducem Mariæ addixit, cuius ſocietate quantùm profecerit, illud exuperat omnem ſenſum. Intima namque ſocietas animorum vtriuſque coniugis, ingentem gratiarum peperit vbertatem. Quanta autem fuerit concordia mentium in vtroque, audi ex Sancto, vtrique addictiſſimo, ſcilicet Bernardino. *Nouerat Virgo, quanta erat vnitas matrimonialis in amore ſpirituali, & ſciebat Ioſephum ſibi à Spiritu Sancto, datum in ſponſum, & in ſuæ virginitatis fidum cuſtodem, & ad participandum ſecum in charitatis amore, & obſequioſa ſollicitudine in diuiniſſimam prolem Dei. Amplius cùm omnia, quæ ſunt vxoris, ſint viri; credo, quòd B. Virgo totum theſaurum cordis ſui, quem Ioſeph excipere poterat, ei liberaliſſimè exhibebat.*

Galat. 6.

1. Timoth. 5.

S. Ioſeph Maria cur amauit.

Bernard. ſerm. de S. Ioſeph. art. 2. cap. 1.

Præfata hæc omnia, nimirum ſocietas neſcia diuortij, concors habitus, concolor animus, reciprocus amor, & mutua caſti coniugij officia, viam

ſternunt

S. Ioſeph. mortuus ante Paſſioné.

Hieronym. lib contra Heluid. Pet. Comeſtor. Hiſtor. cap. 86.

ſternunt ad concluſionem ignotam priſcis ſæculis: ſcilicet, indiuiduam Mariæ & Ioſephi ſocietatem, cui mors aliàs intercapedinem attulerat, ſtare adhuc in cœlis, Ioſephi corpore reaſſumpto. Quod vt aſtruam, operæ pretium eſt vti pluribus argumentis, quorum contexturam anteibit iſta concluſio; ſcilicet, Ioſephum mortuum ante paſſionem Chriſti. Ita Hieronymus & Comeſtor, Principes viri in hiſtoria recenſenda. Qua autem morte deceſſerit: arbitror ego, animam illius impotem fuiſſe corporis, nimio amore, cordis intima depaſcente; atque ita tatum puro, nulla infirmitate præeunte, vale dicto Ieſu & Mariæ, ceſſiſſe fatis, extremam hominum obeundo ſortem. Animam illam amore reuera decoctam mors decebat congrua planè vitæ, ne exitus & contextus diſcolores eſſent. Ergo cùm ſummo viuendi ritu æuum ſuum egerit ille Sanctus, amore Dei conſpicuus, morte cuius amor conſcius eſſet, debuit ſeriem vitæ ſuæ concludere, vt ſic æui illius amore in Deum inſignis, exitus, tenor, & exordia concordarent.

Mariæ mors fuit pretioſiſſima.

Eſto de hoc ſit altum ſilentium apud interpretes Scripturæ ſacræ; & Ioſephi omnes Encomiaſtæ prætereant tacitum genus mortis, quam obiit ille præcipuus cultor amoris Dei: illud profectò indubium firmiter credo, Ioſephum liquato corde amoris incendio defeciſſe. Fortè inſtabis, Mariam potiùs eo fato debuiſſe vitæ ſuæ pati deliquium, vt maximè conſonum amori, quo Deum deperiit. Reſpondeo, equidem Mariam eo etiam funere ſublatam è medio, iuxta illud Auguſtini. *Si omnium Sanctorum mors pretioſa eſt in conſpectu Domini; Maria ſanè eſt pretioſiſſima, quam tanta comitatur gratia, vt Mater Dei dicatur, & ſit.* Quare autem non prior obierit Maria, cuius amor in Deum erat intenſior eo, quo Ioſephi anima conflagrabat: ratio petenda eſt à voluntate Dei, qui Mariam voluit eſſe ſuperſtitem Paſſioni ſuæ, ad ſolamen Eccleſiæ adhuc imbecillæ. Ioſeph autem expletis officij ſui partibus feliciter obiit eo ferè modo, quo raptus eſt Elias, ſiquidem Ioſeph ſublatus è medio, igneo amoris œſtro percitus fuit aliò deportatus.

Auguſt. ſermon. de Aſſumpt.

Vnde autem in animum meum induxerim nouum illud ſchema moriendi, quod affingo Ioſepho. Dicam primò, hoc ſuaderi ex Codice ſacro implicitè, vbi Pſaltes veluti præſcius futurorum, ſic occinit. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Id eſt, modus ille, quo Sancti occidunt, eſt omnino Deo gratus. Ergo quò quis vitam egit ampliore gratia conſpicuam, ille etiam fine ſanctiore defungetur. Sed Ioſeph aliis omnibus Sanctis infra Mariam præſtitit, vtpote dignatus vberiore gratia: Igitur idonea morte ſublatus eſt; ea videlicet, quæ amorem ſubit, quando eò amantem rapit, vt velut impos ſui deficiat. Ex Dionyſio, anima amore Dei flagrans, deliquium patitur, vt probat ille ex Hierotheo, quem vocat diuina patientem: reſque in confeſſo eſt apud omnes, animam Deo intellectu & voluntate maximè intentam ecſtaſim pati, vt de Paulo liquet, & aliis pluribus, vt de Beato Franciſco, quem Seraphicus ardor euehebat ſurſum cœlo tenus. Ergo dari poteſt amor intenſior eo, quo Hierotheus diuina patiens propè non amore occubuit. Et hic eſt ille amor cuius æſtu Ioſeph extra ſe effuſus occidit. Ita bombyx ſuo concluſus ergaſtulo, alarum expers ſuos patitur cancellos;

Pſalm. 115.

ſed vbi alæ erumpunt, moratum impatiens, breuiore ſuo roſtro vellicat clauſtrum, vnde euolat alitem ementitus. Paſſus eſt quidem Ioſeph carceres importunos corporeæ compaginis, quæ diu compeſcuit animam eius, ne aliò tranſmigraret. Sed pubeſcens ille amor, in eum adoleuit ſtatum; vt Ioſephi tandem ſpiritus amore incandeſcens, quaſi aliger euolarit.

Coniecturæ leges tacitæ ſunt.

Et hæc ſanè pretioſa mors, cui amor ſummus in Deum, ingens pondus, & pretium fecit. Nec de ea morte vllum video ambigendi locum. Si enim Deus antepoſuit cæteris Sanctis hunc Ioſeph, præelectum ad ſuprema quæque munia, ea videlicet quæ pertinent ad Chriſtum, & Mariam; non eſt ſuprema hæc Ioſepho gratia deneganda. Ea namque conſona eſt Mariæ ſponſo, Chriſti nutritio, & parenti, iuxta vulgatam hominum illius æui ſententiam. Nec hic probo effatum Imperatoris Iuſtiniani aſſerentis, eſſe rem erubeſcentia dignam, ſine lege loqui. Arridet magis conſilium Alciati ſuadentis, vt ad coniecturas lege tacita recurratur. Conuincit autem animum hæc maxima coniectura. Minor eſt gratia, amore Dei vita defungi, quàm ordinari ad miniſterium vnionis hypoſtaticæ Verbi cum homine: quippe hæc vnio ſuperior eſt gratia, quam denotat ille occaſus. Sed Ioſeph non adhuc auctus gratiis; quibus poſteà inſignis extitit, Mariæ adiectus eſt in ſponſum, & miniſtrum illius ineffabilis vnionis. Ergo emenſo vitæ illius curriculo, cùm ampliore gratia dignatus eſt, non ei defuit illa gratia inferior. Adiice, Chriſti & Mariæ præſentiam auxiſſe amoris incendium, quo Phœnix ille cecidit, ſurrecturus poſtea vegetior.

Authentica De Triente §. Conſiderauimus.

Alciat. tra. de præſumptioni. regula 2.

S. Ioſeph. mors glorioſa & quare.

Eò fortè aſpexit Gerſon, commemorans mortem Ioſeph, cui Ieſus, & Maria iugiter aſtiterunt. *O funus lætiſſimum, quod ipſum mundi gaudium eſt proſequutum.* Optimè ais, Gerſon, cùm nuncupas funus illud lætiſſimum, quod amore conditum eſt. Vnius tantùm, Chriſti ſcilicet, aut Mariæ præſentia beare potuiſſet mortem Ioſeph: quid ergo fas eſt arbitrari contuliſſe vtrumque ad hoc funus adornandum? Andronicus ſenior Imperator Orientis, vrgente morte, negata ſibi Euchariſtia, ori appoſuit iconem auream Deiparæ, vt ſi à Chriſti corpore diſſitus excederet; ſaltem in Mariæ ſinum animam effunderet. O quam beatior Andronico Ioſephus! cui corporaliter adfuere Chriſtus & Maria, non ingementes, ſed ob chariſmatum copiam congaudentes. Et equidem credo, effuſum Ioſeph in pectus Chriſti Domini, & ex hoc clibano amoris concepiſſe ignem, quo depaſtus poſtea conflagrauit.

Gerſon ſer. de S. Ioſeph.

Ex HISTORIA. Hiſtoria Imperialis ſub an. 1332.

Apud ſuos fidem reperit inſitæ ſibi pietatis Carolus V. Rex Galliæ, quia ſanxit morte inſtante, cor ſuum deportari in ædes Deiparæ ſacras. Ioſeph, qui in Mariæ ius ceſſerat integer, & ſoſpes, animâ Deo conſecratâ, corpus inanime coniugi dereliquit. Illa futuri præſcia, eodem condidit loco ſponſi corpus, futurum rediuiuum, quo & ipſa erat poſtea recondenda, inde etiam non ſequutura duntaxat ſponſum ſuũ rediuiua, ſed ſupra omne id quod ſub Deo eminet euehenda. Vtrique autem coniugi fuiſſe eumdem tumulũ vt thalamũ, cui indormiere extincta illa corpora antequam ſurgerent ad gloriam, concors eſt ſentẽtia Hieronymi, & Bedæ, & aliorum, quibus & Suarez aſſentitur, eorum auctoritate fretus. Eâdem quippe thecâ debuere condi ſacræ illæ reliquiæ inferendæ cœlis. Quid enim illic erat corruptioni

Mariæ cor ſuum moriẽs conſecrauit Carol. V. Rex Gal. Hiſtoria Gallica ſub anno 1408.

Suarez tomo 2. in 3. p. quæ. 37. artic. 4. diſp. 21. ſect. 2. ad 1.

Homerus li. 30. Iliad.

obnoxium, vbi nihil deuium extiterat? Apage illud commentum Homeri, aſſerentis non putrere corpora ſacra Palladi in Nea Phrygiæ; quaſi verò Pallas virgo fictitia, ementita Deitatem potuerit corpora mactata ſibi ab inſtante eis putredine vindicare. Quòd ſi veneficis quibuſdam carminibus illud effectum eſt; quis ea impietate degener inficiari audeat, corpus Chriſti, quod toties incubuit Ioſephi corpori, non affinxiſſe illi virtutem, quæ arceret omne iniurium corpori huic extincto, aliàs Mariæ Virgini conſecrato. Ruſus ad firmandum aſſertum de reſurrectione Ioſephi, geſtientis in gloria eodem habitu, quo & Maria corpore etiam rutila, non erit abs re aliquas congerere rationes.

Sepulchrum coniugum ſit idem.

EX IVRE CANONICO.

Can. Ebron. 13 qu. 1. §. Quos coniunxit.

Primò occurrit Ius Canonicum, quo mulier exanimis debet eodem condi tumulo, quo & vir vitâ functus: ſic habet textus ille Canonicus. *Quos coniunxit vnum coniugium; coniungat vnum ſepulchrum, quia vna caro ſunt; & quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Rationem ſtatuti huius Hieronymus petit ab exemplo. Nam Adam & Eua: Abraham & Sara: Iſaac & Rebecca: Iacob & Lia, fuerunt eodem tumulo conſepulti. Item Tobias ſenior in ſupremo agone hortatur ſic filium ſuum. *Cùm acceperit Deus animam meam; corpus meum ſepelies, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: & cùm ipſa compleuerit tempus ſuum; ſepelies eam iuxta me in vno ſepulchro.* Canone altero præfata ſanctio confirmatur. En ſeriem huiuſce decreti. *Vnaquaque mulier ſequatur virum ſuum, ſiue in vita, ſiue in morte.* Eo Iure ſic arguo. Maria coniux vera Ioſephi aſſumpta eſt in cœlum, vbi corpore redivivo Deo fruitura in æternum gaudet. Ergo & inibi eſt emeritus vir Mariæ, ſuo etiam corpore reaſſumpto, iuxta Canonem hunc. *Vnaquaque mulier ſequatur virum ſuum, ſiue in vita, ſiue in morte.* Eodem Canone, ſoror beati Benedicti ſepulta eſt in ſepulchro, quod ille ſibi parauerat. Rei autem huius, Ius illud ſacrum iſtam recenſet cauſam. *Vt quorum mens vna fuit ſemper in Domino; eorum quoque corpora, ſepultura non ſepararet.* Ratio iſta maximè militat pro Ioſepho. Vna namque Mariæ & Ioſephi fuit mens in Domino ſemper: eamobrem eorum corpora ſingula ſuæ cuique animæ adiecta, & tranſlata in cœlum minimè diſpeſcuntur.

Hieronym. lib. qu. Hebr. in Gen. Tob. 2.

Canone Vnaquaque 15. qu. 2.

Sepulchro eodem quaſi vniendi coniuges.

Can. Eodem §. Soror.

EX IVRE CIVILI.

Lege Aduerſus vxorem, Cod. De crimine expilatæ hæred.

Item & Iure Ciuili vxor dicitur ſocia diuinæ domus, ſicut & rei humanæ, ideoque non tenetur actione expilatæ hæreditatis; ſic enim lege ſancitum eſt. *Aduerſus vxorem (quæ ſocia rei humanæ, atque diuinæ domus ſuſcipitur) mariti diem ſuum functi ſucceſſores expilatæ hæreditatis crimen intendere non poſſunt.* Cùm ergo Iure Canonico conſtet, Mariam eſſe aſſumptam in cœlum, cuius eſt feſtum Canoni inſertum. *Pronuntiandum eſt laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies. Natalis Domini, &c. Aſſumptio Sanctæ Mariæ, &c.* Cùm, inquam, conſtet de Mariæ corpore reduce in cœlum; & vxor Iure Ciuili dicatur ſocia mariti in his quæ ad diuinam domum pertinent; facilè eſt coniicere, Sanctum Ioſeph coniugem Mariæ indiuiduum, gaudere etiam in cœlis ſuo corpore reaſſumpto.

EX IVRE CANONICO.

Canone Pronuntiandum. De conſecratione diſtinct. 3.

EX SS. PATRIBVS.

Habeo fidei meæ ſuffragantes maximos aſſertores, videlicet Sanctum Bernardinum, & Gerſonem virum vtique doctiſſimum. Præeat Sanctus ille eximius Ioſephi gloriæ propugnator. Sic fatur. *Supra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. In hoc verbo deſcribitur huius Sancti viri Ioſeph ſtatus gloriæ: profectò dubitandum non eſt, quod Chriſtus familiaritatē, reuerentiam, atque ſublimiſſimam dignitatem, quam ſibi exhibuit dum ageret in humanis, tanquam filius patri ſuo, in cœlis vtique non negauit, quin potius compleuit, & conſummauit. Vnde in verbo propoſito ſubinfertur: intra in gaudium Domini tui: vnde licet gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret; maluit tamen Dominus ei dicere, intra in gaudium, vt myſticè innuatur, quòd gaudium illud non ſolùm in eo eſt intra, ſed vndique illud circumdans, & abſorbens, & ipſum velut abyſſus infinita ſubmergens. Piè quidem credendum eſt, quòd piiſſimus Filius Dei Ieſus pari priuilegio decorauit ſuum putatiuum patrem, ſicut ſuam ſanctiſſimam matrem, vt ſicut illam aſſumpſit in cœlum, in corpore, & anima glorioſam; ſic etiā in die Reſurrectionis ſuæ ſanctiſſimū Ioſeph in gloria reſurrectionis ſecū aſſumpſit. Vt ſicut illa ſancta familia, ſcilicet Chriſtus, Virgo, & Ioſeph, in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerūt in terris; ſic in amoroſa gloria nūc, & corpore, & anima regnet in cœlis: iuxta regulam Apoſtoli. Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis.*

Bernardin. Senenſ. tom. 3. art. 2. cap. 1. & 2. pag. 473.

S. Ioſeph in cœlos euectus cum corpore & anima.

2. Corinth. 1.

Hæc Bernardinus ille Senenſis, ſanctus Mariæ & Ioſephi cultor impiger, atque ſacer Encomiaſtes, cui & ſubſcribit Gerſon orbe toto notus. Sic ille. *Cuperem mihi verba ſuppeterent ad explicandum tam altum, & abſconditum à ſæculis myſterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem, Ieſu, Ioſeph, & Mariæ: velle mihi quidem adiacet, ſed poſſe non inuenio, ac in ipſo conatu deficio. Vnde cum gratia ſimiliter & gloria naturam non tollant, ſed extollant, & perficiant; recogitemus pia deuotione, quòd ſi vinculo quodam naturali obligatio quædam conſurgit filij ad patrem, & matris ad ſponſum ſuum, & vtriuſque, ſcilicet filij, & matris, ad fideliſſimum, vigilantiſſimum, & ſedulum cuſtodem, & nutritium Ioſeph, qui fuit caput Mariæ, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Mariam, ſicut & Maria ſuo modo in filium ſuum Ieſum, iure naturalis maternitatis: quantus æſtimandus eſt iuſtus ipſe Ioſeph, nunc in gloria, & in cœlis, qui talis & tantus inuentus eſt hic in miſeria, & in terris? Profectò ſi non mentiebatur Ieſus, qui ait: vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Ille proximior videtur collocandus in cœlis, qui in miniſterio ſuo vicinior, obſequentior, atque fidelior poſt Mariam inuentus in terris.* Hæc ille.

Gerſon. ſerm. de Natiu. Mariæ conſiderat. 4.

S. Ioſeph encomia celebrare res eſt ſupra vires hominum.

Ioan. 12.

Aſtipulatur & ratio meæ ſententiæ; ſic procedens. Ea eſt eſſentialis habitudo animæ & corporis, vt vigeat etiam diſſitis partibus in Beatis, quorum animæ ad integram gloriam ſuis aliquando corporibus inſerentur. Nec deſinit ille appetitus in cœlis, cui non occurret Deus ante orbis vniuerſi deliquium. Eamobrem ne hiulca eſſet Mariæ gloria in cœlis, & eius beatitudo plena eſſet ſicut & fuerat gratia; redditum eſt ei corpus, vt vtraque pars eſſet gloriæ conſors, quæ fuerat & paſſionum Chriſti conſcia: alioquin appetitus ille animæ ad corpus fuiſſet iniurius plenitudini gloriæ, quæ pertinet ad Mariam. Hinc eruo argumentum ſanè idoneum ad ſtabiliendam gloriam corporis in Ioſepho. Amor coniugalis eſt de ratione ſanctitatis coniugum, cùm ſit à Deo imperatus. Ergo in Maria, & Ioſepho, refulſit amor ille perfectius,

quàm

quàm in aliis quibuſque coniugibus, quorum aliqui eo amore æſtuarunt, vt vno mortuo, ſuperſtes vxor corpori exanimo coniugis conſepeliri voluerit, ne etiam cogeretur à corpore viri emortui diſſita victitare. Et ne priſcæ ætatis monumenta reuoluam; ſatis ſuperque erit vnum aut alterum exemplum ſuperioris ſæculi recenſeri.

Ex Historia.
Hiſtoria Hiſpana in Ioanna.
Luctus ſingularis Ioãnæ Reginæ Hiſpanæ pro marito mortuo.

Prima occurrit Ioanna Regina Hiſpaniæ, quæ non ingemuit modò morienti viro ſuo Philippo Regi, ſed & ei veluti commortua reliquum egit æuum, nouo ritu lugubri. Nimirum noctu pullato, agmine nobilium ſtipata, & multa accenſa face errabat in campis, dicens iniquum eſſe vt mulier vidua amiſſo Sole ſuo, ſcilicet marito, ſiſteretur alteri diurno Soli. Erat hæc Regina potens, ætate adhuc florida, qua vegeta nubere poterat, & ſic altero coniuge ducto, prioris ideam expungere. Sed illa obliuiſcens Reginam, vnum hoc tantùm meminit ſe viduam eſſe, ac proinde omnes pertæſa regni illecebras, media ſui tantùm parte viuens, hoc vnum ſatagebat; ſcilicet vt lugeret.

Mulier vidua qua ratione virum lugere debet.

Petr. Dam ſerm. 2. de Nat. Mariæ.

Eſto Maria ſit ſolio regali præpotens, & fulgida in cælis, vt ait Damianus. *Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis, quidquid maius eſt, minus eſſe Virgine, ſolúmque opificem opus illud ſupergredi.* Licet inquam Maria nullius rei indiga ſit in gloria; meminit tamen ſemper eius ſponſi, qui cælitus ei adiectus eſt in ſolamén huius vitæ, & ſocium ærumnarum, quas obiit in Ægypto, & inde redux in patriam. Cùm etenim amor ille eſſet meritorius, & gloria ſit gratia conſummata; Maria in cælis amorem illum non exuit, ſed ei quaſi coronidem impoſuit, ac proinde in ea vigente adhuc amore coniugali, ſponſum ſuum Ioſeph plenè amat: amare autem eſt velle bonum alicui; bonum verò quod alicui beato volitum eſt, non aliud eſt à gloria. Ergo Deipara totum Ioſeph amans, ei etiam vult gloriam adæquatam, quæ attenditur penes animam, & corpus. Deus qui voluntatem timentium ſe facit, noluit eſſe irritum illud Mariæ votum, de integra gloria Ioſephi; ideoque ambo illi coniuges ſimul regnant, conſcio etiam corpore congaudentes. Aliàs Regina illa cæli media tantùm parte ſui beata eſſet. Si namque licuit Gregorio Nazianzeno dicere, ſororem ſuam

Gregor. Naz. orat. 2. de ſorore Gorgonia.

credidiſſe marito ſuo imperfecto media etiam ſui parte eſſe imperfectam; quidni & fas ſit dicere; Mariam Ioſepho ſuo ſponſo incompletè beato, credituram ſibi deeſſe beatitudinem adæquatam, quia Ioſephi anima eſſet ſuo corpore deſtituta. Huic incommodo occurrit Deus, euehendo corpus Ioſephi in gloriam; vt vtroque coniuge beato adæquatè, neutrius gloria deficeret.

Petrus Iuſtinian in hiſt Veneta ſub anno 1470.
Viduæ cuiuſdam amor in maritũ eam exanimat.

Aliam accipe hiſtoriam indicem mutui amoris duorum coniugum Smyrnenſium. Vegeta ætate nupſerant adoleſcens eximius & virgo ſpecioſa: ſed vt nihil ſibi conſtat in hoc æuo, ſponſus breui occubuit, coniuge derelicta, & ſic ea ſuperſtite ſemiuiuus. Sub id ferè tempus Smyrna capta à Venetis, iuuenis hæc vidua ceſſit in ius militis, qui eam raptam ad naues traxit; ſed dum traheretur deuenit in locum vbi iacebat ſponſus exanimis. Ibi mulier illa memor priſci affectus, quo ipſam deperierat coniux emortuus, tumulo adhæſit, nec inde diuelli potuit à milite, qui pertæſus hunc tenacem mulieris [illegible], eam occidit, ſicque morte illius viduæ, Manibus coniugis emortui parentauit.

Vides vxorem noluiſſe ſecretam à marito vitam agere, & maluiſſe occumbere, quam ſeorſim ab eo accumbere menſis, & lecto decumbere. Non infra viduæ iſtius affectum fuit amor Mariæ in Ioſephum, qui ſi iacuiſſet in tumulo, anima tantùm tenus exiſtens in cælo, ſui deſiderium ingens feciſſet coniugi Sanctæ, quam Deus noluit habere rei alicuius cupidinem, ne hiulca eſſet beatitudo illius. Fortè obiicies, Beatos omnes citra ſuum corpus geſtire in gloria, nec ideò ea nimis angi cura vt aliquid detrahat voluptati. Ita & Mariam abſque ſuæ gloriæ diſpendio potuiſſe ferre Ioſephi abſentiam. Reſpondeo, diſparem planè fuiſſe rationem Deiparæ atque Beatorum, ratione gratiæ inæqualis. Eamobrem cùm gloria detur ad menſuram gratiæ; & conſtet in Maria fuiſſe plenitudinem gratiæ, nobiliore modo quàm in aliis omnibus infra Chriſtum; voluit ei etiam Deus congruam gloriam impertiri. De cuius ratione eſt vt votis omnibus fiat ſatis. Aſt in præcipuis coniugum votis eſt ſocietas indiuiſa.

Quo autem tempore ſurrexerit Ioſeph, nos edocuit Bernardinus ille Senenſis ſupra, vbi ait, Ioſephum fuiſſe conſortem reſurrectionis Chriſti, & reuera cum eo ſurrexiſſe, quando & multorum corpora ſurrexerunt, Matthæo teſte. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* In his autem Sanctis Ioſephum tenuiſſe principem locum, non eſt ambigendi locus, cùm propior Chriſto fuerit aliis Sanctis, qui cum Chriſto ſurrexerunt. Sed eſto, inquies, ſurrexerit ille Sanctus; eamdem etiam obiit ſortem quam alij Sancti eiuſdem gratiæ compotes, qui denuo mortui ſunt. Reſpondeo, Ioſephum eamdem reuera obiiſſe ſortem, quam & alij rediuiui, & cum eis denuo nulli fuiſſe deliquio obnoxium, vtpote inſertum cælis, vbi conceſſa eſt ei plenitudo gloriæ, conſona plenitudini gratiæ, quâ fuerat antea conſpicuus.

Matth. 27.

Reſurrectionem corporum in morte Chriſti mors altera non excepit.

Ex SS. Patribus.
S. Th. in c. 27. Matth.

Fauent meo intento Sancti Patres, in quibus accipe Sanctum Thomam. *Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt. De iſtis ſolet eſſe quæſtio, vtrum reſurrexerint iterum morituri, vel non morituri. Conſtat, aliquos reſurrexiſſe, vt morerentur, vt Lazarus; ſed de iſtis poteſt dici, quòd ſurrexerunt non iterum morituri, quia ſurrexerunt ad manifeſtationem Reſurrectionis Chriſti.* Ille idem Sanctus, hoc denuo verſans argumentum, ſic alibi fatur: *Quia ad hoc vt verum teſtimonium de vera Reſurrectione Chriſti proferrent, congruum fuit quòd verè reſurgerent ſemper in corpore victuri, in cælum cum Chriſto aſcendentes corporaliter. Nec eorum reſurrectio propter ipſos accelerata eſt, ſed propter reſurrectionem Chriſti teſtificandam; quod quidem teſtimonium erat ad fundandum fidem noui Teſtamenti: vnde decentius factum eſt per Patres veteris Teſtamenti, quam per eos, qui iam nouo Teſtamento fundato deceſſerunt.* Adſciſce Remigium ſic ſcribentem in gratiam eorum, quos Chriſtus excitauit. *Incunctanter credere debemus; quia qui reſurgente à mortuis Domino ſurrexerunt, aſcendente*

Idem 4. diſt. 43. quæſt. 1. art. 3.

Remigius in c. 27. Matth.

d... eo ad cælos & ipſi pariter aſcenderunt.
H...

V... quod faceſſit negotium in propoſito ... ſcilicet, non eſſe inuehenda miracula præter neceſſitatem: imo Deum non præterire ordinem à ſeipſo quibuſque rebus impoſitum: atque ita eſſe incongruum aſſerere, corpora illa r... uiua fuiſſe euecta ad cælos, cùm hoc deuiet à regula, quam tota Adami proſapia profitetur. Quippe fuit hæc lex omnibus impoſita, vt inſtanti cederent fato, depoſitis huiuſce corporis exuuiis, quas inferre in cælum ante generale orbis excidium nulli eſt temerè concedendum. Optimus ſanè hic diſcurſus, nec citra nodum; ſed accipe cuneum, quo findatur ille nodus. Non eo inficias, fuiſſe quidpiam ſingulare, illud beneficium præſtitum hominibus illis, quos reduces Chriſtus, corpore ſuo inſtructos, ſibi in gloria ſociauit; nihil tamen inde incongruum deriuatur: imò liquet hinc copioſa hominum redemptio. Etenim ſanguis Chriſti recens effuſus, aliquos præcipuè alluens, non abluit modò, ſed etiam ad gloriam perpetuam corpora ſuſcitauit, veluti primitias eorum corporum, quæ ſunt in extremo rerum omnium deliquio ſurrectura. Si oſſa vatis Eliſæi extincti exanime corpus excitarunt; æquum fuit, ſanguinem Chriſti, hypoſtaticè vnitum Verbo, ſuſcitaſſe mortuos nequaquam poſtea morituros: alioquin beati illi rediuiui non fuiſſent idonei teſtes Reſurrectionis Chriſti, qui vltra non moritur; ideoque vendicat gloriæ ſuæ, & vitæ immortalis conſonos aſſertores: homines videlicet, qui à mortis faucibus eruti, non ſint poſtea morituri. Igitur conſtans fuit illa reſurrectio eorum corporum, quæ eamobrem inuia fuere morti, vt veluti ſpolia opima adeſſent triumpho Chriſti ſidera tranſcendentis.

S. Thomas in c.27. Matth.

Cæterum tantùm abeſt, vt ſit incongruum aſſerere, homines illos non denuo occubuiſſe, quinimò plura abſurda emergunt, ex diſſita à nobis ſententia. Primò, illa reſurrectio fuiſſet iniuria Beatis illis, ſi reſurrexiſſent, iterum ceſſuri fatis; nam potuiſſent cadere gratiâ Dei, vtpote viatores & ſui iuris: & hoc inſinuat Thomas. *Non eſſet eis beneficium exhibitum, ſed potius detrimentum; ideo ſurrexerunt tanquam intraturi cum Chriſto in cælum.* Rurſus beatæ illæ mentes in ſinu Abrahæ, quaſi poſtliminio ſubeuntes ſua corpora, fuiſſent obnoxiæ ærumnis, atque iniuriis, quas inducunt corpora moritura. Longè autem eſt à Deo, reuocare animas à beatitudine, vt dubiam earum ſortem efficiat, aut iterum ſubiiciat huius vitæ moleſtiis. Cùm ergo ex vtraque oppoſita ſententia exurgant diſpares inſtantiæ; illa eſt ſequenda, quæ Deo magis congrua. Aſt æquius eſt de Deo benè quàm malè ominari. Benè autem de Deo ſentit ille, qui affirmat, Chriſtum reducem ſuſcitaſſe multos, vt faceret eos conſortes gloriæ ſuæ, veluti primitias noſtræ Gentis ſuo ſanguine rediuiuæ. Aſperum verò eſt, & quaſi Deo detrahit, affirmare, eum animas beatas damnaſſe ad ruinas corporis denuo perituri.

Beneficium Imperatoris oportet benignè interpretari.

EX IVRE CIVILI. *Leg.3 ff. De conſtitutionibus principũ.*

Non eſt in hoc agone prætereundus ille textus Iuris Cæſarei. *Beneficium Imperatoris, quod à diuina ſcilicet eius indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus.* At reuera fuit beneficium Chriſti, illa reſurrectio corporum, quæ recenſet Codex ſanctus, ergo non fuit onerosa: fuiſſet autem onerosa, ſi mentes illæ iam beatæ, aſſumpſiſſent corpus iterum occaſurum. Adiice pro gloria perpetua Ioſephi, quem tunc ſurrexiſſe credunt ſanctus Bernardinus, & Gerſon, verum eſſe in corpore myſtico, illud idem quod prædicat Paulus de corpore Phyſico. *Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Ergo, cùm corpore ſuo Maria Virgo gaudeat in cælo, profectò Ioſeph qui fuit caput eius, vti ſponſus, ſuæ amantiſſimæ coniugi, eodem etiam corporis ſui habitu congaudebit. Nec eſt Mariæ iniuria, habere in gloria compari Ioſephum conſortem, quem in via ſuperiorem iugi obſequio profeſſa eſt.

Bernardin. ſenenſ. de S. Ioſeph. Gerſon. ſer. de Natiuit. Mariæ.

1.Cor.12.

Nimirum etſi in eo gloria vtriuſque compar ſit, quòd in corpora amborum reſiliat; tamen eſt ratio incrementi gloriæ pro diſparitate gratiæ, quæ ſingulis quibuſque aliàs fuit impertita. Ideoque nauſeam parit illa ſententia, quæ affirmat, non citra Mariæ iniuriam poſſe prædicari, aliquos Sanctos eſſe beatos corpore etiam tenus, eò quòd ſingulare ſit Deiparæ priuilegium, illud duntaxat conceſſum, vt Sanctis aliis omnibus emineret. Quaſi verò Sanctos adurat inuidia, & eorum aliquis doleat ſe diſparem aliis, aut fortè quia cæteris altior, inſoleſcat. Abſit vt quidpiam tale ſuſpicemur, quinimò dicimus, rutilum chorum beatarum mentium concordi animo eſſe Dei nutibus obſequentem. Ideoque vnumquemque ſic geſtire de alterius æqua ſorte, vt de ſua; quia ſic Deo placitum eſt, ad cuius arbitrium ita beati ſe componunt, vt nemo eorum Deo inuito velit eſſe beatior.

Itaque apage hoc commentum de corpore Ioſephi inglorio; quaſi verò Mariæ detrahat ſponſi illius ſarta tecta gloria: nihil omnino detrahit Mariæ decori eminens Ioſephi ſtatus, ſed potiùs adiicit aliquod incrementum. Nimirum datur Auguſtæ omne quod illius gratiâ aliis conceditur: nec eſt abs re illa conſtitutio Leonis Imperatoris propitia cubiculariis Principum, cui adiice aliam Imperatoris Anthemij, & vtique quæ eo præeat illud effatum Imperatorum Valentiniani, & Valentis. *Pœna ſacrilegij ſimilis erit, ſi his honoris reuerentia non deferatur, qui contingere noſtram purpuram digni æſtimati ſunt.* Humanitas Chriſti tota amore purpurea extitit, iuxta illud piæ Canticorum amaſiæ. *Dilectus meus totus candidus, & rubicundus.* Hanc purpuram adorandam non licuit tantùm Ioſepho contingere, ſed & conceſſum eſt ſæpius amplexari. Datum eſt cælitus oſſibus Eliſæi emortui, ſuſcitare corpus exanime: quidni & contactus Chriſti ſæpe repetitus inſeruit corpori Ioſephi ſemina quædam ſtatus incorrupti?

Miniſtri Regis quàm ſint honorandi.

Lib.12.Cod. tit.4. L.3. & De Dignitatibus L.1. Codice. De Domeſt.

4.Reg.

Minimè crediderim, Chriſtum eſſe adeò ſuorum incurium, vt in ea amoris indubij teſſera ceſſerit Imperatori Conſtantino, ita ſuorum domeſticorum curæ addicto, vt eos ſubduxerit omni oneri corpori iniurio: quodque meo quadrat maximè inſtituto, hic Imperator illos, qui ei quondam in palatio adſtiterant, à corporalibus obſequiis immunes fecit, etiamſi quietis ergo à palatio effœto corpore receſſiſſent. Sic fatur Princeps. *Beneficiis noſtris ita digni ſunt, vt etiam cenſualibus, vel perſonalibus, vel corporalibus muneribus liberentur, & habeant caſtrenſe peculium, ſiue adhuc palatium obſeruent, ſiue optata quiete donata ſunt.* Non eo inficias, Ioſephum vita functum iacuiſſe, in tumulum deportatum;

Miniſtri Regis non ſunt tributis obnoxij.

Lege 2. Cod. De Priuilegiis eor. qui in ſac. pal. mil.

tatum; ſed dico, tumulum fuiſſe ei vt thalamum ad quietem, vbi fuit expers oneris, quod incumbit ſingulis quibuſque corporibus, quæ vt corruptioni obnoxia mors depaſcit. Sanctum hunc Christus infantiæ ſuæ nutritium, ſacróque ſuo palatio præpoſitum, non ſubiecit corruptionis oneri corporali, ſed immunem ab hoc carnis inanimæ diſpendio Ioſephum euexit ad ſuperos, ne diſſitus à Maria Auguſta deſiderium ſui faceret aliquando.

Cubicularij Auguſtæ quo honore digni.

Leg. 3. Cod. De præpoſitis ſacri cubiculi.

Quia memini Auguſtæ, accipe legem conditam in gratiam domeſticorum Auguſtæ, quæ & Ioſepho non modicè ſuffragatur, *Cubicularios tam ſacri cubiculi mei, quàm venerabilis Auguſtæ, quos vtroſque certum eſt obſequiis occupatos, & aulæ penetralibus inhærentes diuerſa iudicia obire non poſſe; ab obſeruatione aliorum tribunalium liberamus.* Hactenus Anthemius Imperator in gratiam Auguſtæ, eximens communi tribunali eos, qui frequentes adfuere illius cubiculo. Corruptio corporis extincti, vernaculum eſt omnium hominum tribunal, cui ſiſtuntur omnes perituri. Neſciit hoc tribunal Ioſeph præpoſitus cubiculo Mariæ Auguſtæ, in cuius etiam gloriam cedit hoc ſingulare decus impenſum eius ſponſo. Iuſtinianus Codex ſubiicit huic legi præfatæ aliam latam à Leone Imperatore. *Iubemus, omnes, qui vel iam in ſacrum cubiculum cuiuſpiam liberalitate donati, aliove titulo dati vel dandi, principalibus obſequiis inhærere, vel ante meruerunt, vel poſtea meruerint, licet nulla interueniente ſcriptura, nulla confectione geſtorum, poſtquam deuotiſſimis cubiculariis fuerint ſociati: ad conditionem libertatis ingenuitatiſque rapiantur, raptique videantur. Hoc non ſolùm circa ſuperſtites, ſed etiam circa mortuos volumus cuſtodiri.* Hæc ille.

Leg. 4. Cod. eodem.

Cubiculo Imperatoris adſtantes quonam honore digni.

Diceres, ex compoſito editam eſſe iſtam Sanctionem, vt Ioſepho militaret: ait enim, eos, qui adſunt ſacro cubiculo, eo ſolo nomine raptos in libertatem, etſi eis nulla ſcriptura ſuffragetur; vultque Imperator ad mortuos ampliari hoc decretum. Hinc arguo, Ioſephum liberum, & præteriiſſe tumuli ſepta, licet iſti ſententiæ nulla Scriptura ſacra faciat ſatis. De eius libertate & immunitate à peccato dũ vixit, non eſt ambigẽdi locus, recenſita lex cubiculariorum iura adiicit & eis, qui ceſſere fatis, atque adeò propitia eſt iſti Sancto, quem repetitis ſui corporis exuuiis, fuiſſe redditum ſuperis piè profitemur. Nec inania prorſus & vacua ſunt primicerij huius Sancti encomia, ſiquidem eis nobis liquet indoles, quam requirit Virgo beata ab eis, qui eius ſe aptant obſequio. Etſi plura recenſui ſchemata Mariam demerendi, hoc vltimum eſto, petitum ab iſta ſectione, quæ concludit iſtud opus, Sancto illi ſponſo Mariæ, & Christi nutritio conſecratum. In eò vult Maria clientes ſuos æmulari S. Ioſeph: videlicet vt ſicut is obiit mortem neſciam corruptelæ, & corpore gaudet cælis inſerto, & lucido; ita & illi moriantur ſæculo, vt beatis mentibus poſtmodum adſcribantur.

HOMILIA
DE SANCTO IOSEPH.

SVMMA HOMILIÆ.

I. MOYSES incunabula mundi deſcribens, ait bonitatem cuique rei inditam eſſe ab exortu ſuo; Deus enim ait de ſingulis. *Erant valde bona.* Hominis verò bonitatem præteriit tacitus, quia aliarum rerum irrationabilium bonitas eſt Phyſica, pendens à forma; ſed hominis & Angeli bonitas eſt moralis pendens à voluntate, ideò antequam cenſeretur homo bonus, erat expectandus voluntatis vſus. Rurſus bonum ex integra cauſa & perfecta; aſt homo erit tantùm in cælo perfectus Deo iugiter vnitus. Hîc poteſt anhelare, & optare Deum, & creſcere, & quò magis accreſcit, magis ad Deum accedit; talis fuit S. Ioſeph accreſcens, & ita ad Deum accedens, vt fuerit creditus pater IESV. *Geneſ. 1.*

II. Ecce inuentionem homiliæ iſtius. Si vis nubere nube pari; ergo Ioſeph ſponſus Mariæ debet ei aſſimilari aliqua ex parte. Maria pulchra vt Luna; & ego dico, Ioſeph fuiſſe vt Lunam, quæ ſemper creſcit à ſuo nouilunio vſque ad plenilunium: Ioſeph creuit vſque ad mortem, & poſtea cælis adſcriptus eſt, corpore & anima tenus.

III. Ioſeph, qui creuit ſanctificatus in vtero matris, vt ait Gerſon, qui item accreſcens, cùm fuit ſponſus Mariæ; rurſus eſt accreſcens ea dignitate, quam Deus negauit Angelis: vocatus eſt enim Pater Christi.

IV. Tandem eò creuit, vt corpus & anima in cælis iam rutilent inſtar Plenilunij. vt probo multifariam.

V. Demum finio, oſtendens quid debeamus exigere à S. Ioſeph.

PRÆ

PRÆFATIO.

Custos Domini ſui glorificabitur.
Prouerb. 28.

TOBIAS ille ſenior, qui de filio ſuo anxius, morarum impatiens momenta temporum diſcurrebat, vt reditum eius colligeret; grandæuus inquam ille parens, reducem filium amplexatus, audiuit ab ipſo quantis periculis eum ſubduxiſſet clientela Raphaelis, cuius auſpicio, & ducatu, ſoſpes atque incolumis paterno obtutui ſiſtebatur. Et ne ingrati animi ſuſpicionem faceret hic redux adoleſcens, ſic patrem ſuum eſt affatus Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius? Me duxit & reduxit ſanum. Vocantes eum, pater ſcilicet & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quę attulerant, acceptam habere. *Eodem propè tenore Deum Patrē Chriſtus compellauit, poſtquam terris ereptus penetrauit cælos. Nimirum, nutritium ſuum virum vtique ſanctiſſimum Ioſeph obtulit Deo Patri, dicens: Pater, quam mercedē dabimus ei? me duxit in Ægyptū, & reduxit incolumem, multiplici obſequio me totum demeruit: demus ei dimidiam partem omnium, quæ allata ſunt. Alij omnes beati infra Mariam animâ tenus cælis inferentur, nec aliam partem dimidiam, ſcilicet corpus, inferent ante ſeneſcentis mundi deliquium. Sed huic infantiæ meæ cuſtodi demus dimidiam partem, corpus ſcilicet alteri eius parti adiectamus, in mercedem ducatus & tutelæ. Annuit Pater, & ex tunc S. Ioſeph totus ad cælos euectus eſt, in hoc ſuppar illibatæ conſorti ſuæ & Dei genitrici, quam ſupplices ſic affamur.* Aue Maria.

Tob. 12.

I. *Homo quidem poteſt creſcere in hoc ſæculo, ſed nequit eſſe perfectus.*

SAnctioris ſcripturæ interpretes, quorum hæ ſunt partes, ſcilicet ſagaci ſcrutinio rimari ſenſus ibi reconditos; hi inquam ſcholis ſuis non illibatum pręteriere myſterium, omnibus obuium in recenſione geniturę mundi: illic enim Moyſes ſtylo loquaci exprimit bonitatem rerum editarum, de ſingulis vnoquoq; die dicens. *Erant valde bona:* vbi autem incurrit in hominem eſt elinguis; quaſi verò cætera feliciter edita ſint, homo verò nouercāte naturâ factus fuerit abortiuum. Eſſet operoſa ſanè ſolutio, inconſultâ Theologiâ, ſed câ conſciâ, plana eſt. Etenim affulgente ea rerum ſupernarum ſciētia ait Thomas, bifariā aliquid dici perfectum, iuxta cuiuſq; rei duplicē perfectionem. Prima perfectio ſita eſt in eſſe cōpleto, quod omnia habent à ſua forma, & in eo ſenſu homo ab exortu ſuo fuit ſine deliquio, & hæc perfectio nequit intēdi, quia eſſentiæ ad inſtar numerorū variant, ſi vel adiicias ſiue demas; forma namque rei non patitur incrementum. Altera rerum perfectio, eſt finis vel intentum, quo ſingula quæque proſtant; & hic finis Ariſtotele aſſertore, eſt operatio: nam *Vnumquodque eſt propter ſuam operationē*, homine excepto. Omnia valde bona edita ſunt ab eo: nam ſublato obice, & poſitis omnibus ad agendum conſonis, quæuis cauſæ exoſæ ferias, ſuos effectus idoneos illico ſortiuntur. Homo verò ſecus otiari poteſt, vel exerere actus ſuos ad arbitrium; & cùm vltimus eius finis ſit ipſe Deus, vt inquit Auguſtinus. *Deus omnia fecit eſſe hominis, hominem verò ſui.* Homo non potuit à Moyſe dici valde bonus, quia non perfectus, ob beatitudinis plenæ defectum, cui ſubiacet homo degens in ſæculo.

Ex Theologia.
S. Thom. 1. p. q. 73. art. 1.
Ex Philosophia.
Ariſt. 2. de cælo text. 17.
S. Aug. l. in Geneſ.

——Dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Auſonius.

Nimirum cùm vltima hominis perfectio ſita ſit in operatione, qua homo intimè cōiungitur Deo; & homo iugi amore non feratur in Deum, qui nec perpetuus obuerſatur hominū menti; & beatitudo non ferat interpūctiones aut virgulas, cùm ſit continua, ſcilicet ex Boëtio. *Eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Liquet, hominē non poſſe beari in hoc ſæculo, ſed eo tantùm, vbi hominum indoles infirma, Dei viſione defæcatur. Et hæc ex mente ſummi Theologorum apicis, cui præiuit Ariſtoteles etſi cæcutiens in diuinis; in hac tamen ſubiecta materia non errauit: ſic enim fatur ille. *Ponens hominis beatitudinem in hac vita, dicit eam imperfectam.* Ergo cum aperiret geneſim mundi Moyſes, & bonitatem cuique rei iuſtam eſſe aſſereret; hac nomenclaturâ bonitatis, cùm ſit aliena ab homine, non debuit vt perfectus homo recenſeri.

Boet. proſ. 2.
S. Th. 1. 2. q. 3. art. 2.
Ariſtot. 2. Eth. c. 10.

Rurſus cum phyſica rerum perfectio ſit tota ſimul, vtpote ſequela formæ materiam actuātis; alia autem ſit perfectio moralis, ſeu naturæ, quæ compos eſt rationis: hæc enim adiicitur ad menſurā virtutis, cui voluntas inhiat; quippè ex Ariſtotele. *Virtus eſt diſpoſitio perfecti.* Non potuit homo in incunabilis haberi perfectus; qui nondum ediderat ſpecimen aliquod virtutis heroïcæ: & per eum ſtabat deficere, aut augeri virtutem intectando; videlicet ex Salomone. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem: via impiorum tenebroſa; neſciunt vbi corruant.* Perfectio ergo phyſica rebus indita eſt ab ortu; hominibus autem propēſio valida inſita eſt, vt ſe numeris omnibus abſoluant, multiplici adiectione virtutis, ad cuius augmentum etiam homo ſuæ perfectionis ſuſcipit incrementum.

Ariſt. lib. 7. phyſ. text. 17.
Virtus quid ſit.
Geneſ 49.

Huiuſcemodi hominem Moſes recenſuit, cùm obiecit adoleſcentem nomine Ioſeph, cuius virtus per momenta varia, & ipſa varians in melius, eum eò euexit, vt hoc incremento, ſpecie ſua præfulgida, decori nomen meruerit à patre ſuo Iacob, eum ſic affante. *Ioſeph filius accreſcens, decorus aſpectu.* Quaſi diceret, virtutis augmentum adiicere ad animæ formam ſpecioſam; etenim hominis ſpecies pulchrior, eſt ipſa eius perfectio, ad quam aſſequendam quò quiſque creuerit magis, eò & elegantioris erit ſpeciei; & quò gratiæ maior erit adiectio, eò etiam erit minus indecorus. Fuit reuerà ille Ioſeph virtute inſignis; ſed ſi componatur cum noſtro S. Ioſeph, erit tantùm magni nominis vmbra: in eum enim gratiæ & gloriæ apicem ſurrexit iſte Ioſeph, vt reuerà Chriſti aſpectu continuo accreſcens, eum cumulum attingerit, aliis vtique Sancti inconceſſum.

Prou. 4.

Comparabo S. Ioſeph degentem in ſæculo, Lunæ menſtruis incrementis illucenti. Dicam enim, eum inſtar Lunæ creuiſſe vſque ad plenilunium. Dicam ſecundò, quomodo in cælis plenilunio gaudeat. Beneficiorū magnes dicitur eſſe gratitudo; vt ingratitudo ſecus eſt toxicum, animum extinguens pronū ad gratias exhibendas: ne igitur Hebræi in ſcopulos ingratitudinis impingerent, Deus ſanxit, vt in quouis nouilunio, plebs animo reuolueret ſummam gratiarum, quibus ſibi Deus gentem illam obſtrinxerat. Et vt magis populum accenderet, ad gratiarum vices rependēdas, voluit idem legiſlator, Hebræos clāgore tubarum nouiluniorum

II. S. Ioſeph relatio cum nouilunio.

lunium auſpicati. In gratiarum autem congerie, quam plebs mente recolebat, Deus quàm maximè voluit haberi rationem obſequij, quo Ioſeph ſe beneuolũ præſtitit Hebræis, quos inedia in Ægyptum adduxerat. Et hoc inſiouat Pſaltes. *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis*
Pſalm.80.
veſtræ. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud.

Huic edictò morem gerit Eccleſia: nam hodie præcones ſuos, id eſt prædicatores Euãgelij tubas, nouo œſtro cier ad S. Ioſeph encomia celebranda. Huius autem ope maiora mundo chariſmata affluunt, quàm vnquã effluxerint, altero Ioſeph obſequente: dumque buccinat Eccleſia in honorem S. Ioſeph, ſuum ſic reſtatur animum gratum, &
Ex SS. Patribus. Caſſian. collat. 22. c. 1.
nouas gratias ſollicitat. Vt enim ait Caſſianus, *Grata eſt huius fœnoris occupatio, quæ maiora dum ſoluitur argumenta conquirit.* Cùm enim quis gratiarũ actiones fundit, is meretur vt largus gratiarum imber in eius ſinum poſtmodum effundatur. Patriarchæ Ioſeph memoria potiſſima verſabatur in annona, quam præſtitit gratis Hebræorum genti: ſed hic noſter Ioſeph in ſuam fidem recepit eſcam, qua nos adhuc hodie paſcimur. Audi Bernardum. *Ille frumenta ſeruauit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum è cælo ſeruandum accepit, non tam ſibi, quam toti mundo.*
S. Bern. ho. 2. ſup. Miſſus.
Vberiores ideò grates exigunt à nobis chariſmata S. Ioſeph, vtpote potiora.

Subodoror ego myſterium in hoc, quòd nouilunio clangebant tubis, ſuum Ioſeph excolentes: diceres, inſinuaſſe Deum, poſtero ſæculo fore alium Ioſeph, cuius natalis dies, nouilunij inſtar, iugiter creſceret vſque ad plenilunium; & hoc eſt quod incumbit mihi iam probare: fauet enim nomen eius, quod idem eſt ac accreſcens; ſed meatum eſt partium, ſummam in hunc Sanctum veſtris animis ingerere pietatem.

Adeò infirma eſt Dynaſtarum huius ſæculi potentia, vt cùm quempiam præficiunt alicui oneri, non impertiant tamen facultates, ſeu animi dotes conſonas operi: vt cum Chaldæus ille Rex, Holofernem præpoſuit exercitui copioſo, vt faceret ſui
Iudith 2.
iuris orbem Aſiaticum; non obſtitit tamen conamini vnius Heroïnæ, quæ ferocientis hominis, & in Iudæos viri ſæuientis, brachio imbelli caput amputauit. Aſt Deus, cuius electiones ſunt energicæ, & influentes cenſus aptos illi miniſterio quod exigit, gratias dat comites obſequij, ad quod
2. Cor. 3.
nos deſtinat, vt ait Apoſtolus. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.* Vocat ſe miniſtrum; en titulum officij. idoneos fecit; en gratiam, cuius ope Apoſtolus nihil egit diſſonum officio, cuius vices vt obiret, multiplices agones ille ſedulus operi exantlauit.

Eumdem ſe præſtitit ille Deus erga S. Ioſeph, quem elegit in ſponſum Virginis illibatæ, Auguſtæ ſcilicet Mariæ Deiparæ: vt enim vetus eſt parœmia, ſi vis nubere nube pari; Deus vt voluit ſociare S. Ioſeph B. V. Mariæ, aliquales contulit ei dotes conſonas eis, quibus hæc eminens Virgo
Cant. 6.
præfulſit. Et quia dicitur in Canticis. *Pulchra vt Luna.* Ideò Deus harum paranymphus nuptiarum, Lunæ, huic ſponſo contulit incrementum. Vnde & iure optimo quadrat iſti Sancto, Ioſeph
Geneſ. 49.
alterius Encomium. *Filius accreſcens Ioſeph, decorus aſpectu.* Quemadmodum enim Luna vſque ad plenilunium lumine augetur, ad ſingula quæque momenta varians: ita & hic Ioſeph ſibi ſemper extitit diſſimilis, factus ſeipſo melior: nempe morarum impatiens, virtutum omnium calles aliis intrios, non decurrit modò; ſed quaſi aligero pede tranſuolauit.

Mariæ nouilunium cepit à conceptione, iuxta illud. *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Nam Maria neſciit næuos, comites indiuiduos conceptionis hominum, qui naſcuntur omnes filij tenebrarum.
Eccleſ. 24.
Ioſeph Mariæ conſors ſeu coniux, non ea luce fulſit qua Maria; ſed ante egreſſum ab vtero, ſuum etiam lucis incepit exordium ipſum in vtero matris, Dei gratiâ defæcante. Et hoc in concilio habito Conſtantiæ, prædicauit palam Ioannes ille Gerſon, multo edito volumine inſignis.
Gerſ. in ſer. habito in Concilio Conſt.
Luna luce coæua creata eſt; ita & editus ex vtero Ioſeph accreſcens & decorus, in hoc Luna præſtantior, quòd næuos & maculas adhuc habet Luna; ſed Ioſeph in vtero diluit næuum originalem, quem initio ſeu primo ſuo momento contraxit: neque poſtea vlla fuit vnquam macula deturpatus.

Ex SS. Patribus. S. Hier. lib. Epiſt.
Ex Hieronymo. *Apud Chriſtianos, Non incepiſſe ſed perfeciſſe virtus eſt.* Ioſeph talibus initiis quantùm adiecerit, tota vitæ illius ſeries præclara ſonat. Eodem tramite inceſſit quo Maria, etſi non paſſibus æquis. Maria quidem Virginitate placuit, ſed humilitate concepit; hæc etiã virtus collactaneo Sancto huic: nã licet Regio ſtẽmate clarus verſari poſſet in aula regia, amaris neſcius, receptuique canens, ſeceſſit à curia, iuxta illud Poëtæ.

——— *Exeat aula*
Qui volet eſſe pius, virtus & ſumma poteſtas
Non coeunt.

Eamobrem humilem fabri vitam agens, vberem ſibi gratiam inſitam ampliauit. Itaque cùm quærendus eſſet ſponſus, qui Mariæ comes eſſet, & pudoris illibati fidus cuſtos, filijque naſcituri gerulus, atque nutritius; Spiritus S. ſuper hunc requieuit, vt qui eſſet humilitatis Deiparæ quàm maximè conſcius. Caſtos igitur hymenæos egerunt coniuges hi virgines ambo, vt in virginali coniugio, Dominus IESVS Filius Virgo, omnium vtique virginum
S. Ioſeph, & Mariæ coniugium ſanctum.
ſpecies & idea naſceretur. Ioſeph in vtero accreſcens, cùm diluit Deus noxam originis. Iam iterum Ioſeph accreſcens, aſſumptus in ſponſum Mariæ. Stupet hîc Rupertus. *O coniugium verum & ſanctum, caleſte non terrenum! vnus ſpiritus erat in eis, & vna fides.*
Rupert. in Matth. c. 1.
Etenim ſi ſanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem; quos putas Mariam in animam ſanctiſſimi antea ſponſi gratiæ cumulos adieciſſe? Eliezer præſciens Rebeccam fore
Geneſ. 24.
ſponſam Iſaac Domini ſui, non affecit eam tantùm muneribus, ſed & parentelam, eius gratiâ: ita & Deus non Mariam tantùm, ſed & ſponſum eius, in gratiam ſponſæ multo gratiarum alluit profluuio, quo ſanè accreſcens extitit, Spiritu S. illum, vt Mariæ comitem indiuiduum, licet meritis imparem, gratiis pluribus obumbrante.

S. Gregorius Nazianzenus Beatæ Gorgoniæ panegyrim texens, obiter ſanctæ illius fœminæ coniugem enuntiat, dicens multa virtute conſpicuum; & ne inquit longiùs ſpatietur oratio, ſatis dico meritum viri, eum prædicans extitiſſe virum Gorgoniæ. Eo planè loquendi tropo, Matthæus Ioſephum effert; in ea nempe ſerie procerum, quos Chriſti genitura ſequitur, ſic concludit.
Matth. 1.
Iacob genuit Ioſeph, virum Mariæ. Sicque virum ſponſæ præconio collaudauit. Meritis quidem, & gratiâ creuit illo connubio Ioſeph; ſed non faſtu: imò hoc honore factus humilior, adeò ſe deiecit vt prægnantem vidit ſponſam virginitatis illibatæ; vt voluerit occultè illam dimittere,

humilitatis

humilitatis ſuæ ſpecimen editurus, vt optimè ſpeculatur hic Bernardus. [S. Bern. ho. 2. ſup. Miſſus.] *Cùm eſſet iuſtus noluit eam traducere: quia ſicut nequaquam iuſtus eſſet ſi cognitam ream conſenſiſſet; ſic nihilominus iuſtus non eſſet, ſi probatam innoxiam condemnaſſet: cùm ergo iuſtus eſſet, & nollet eam traducere; voluit dimittere eam. Accipe in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat dicens: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum:* [Luc. 5.] *propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cùm diceret: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* [Matth. 8.] *Ita ergo & Ioſeph, indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & à tanta non debere ſibi vltra familiare præſtari contubernium, cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem; expauit Centurio præſentiæ maieſtatem. Exhorruit nimirum & Ioſeph ſicut homo huius tanti miraculi nouitatem, myſterij profunditatem; & ideò occultè voluit dimittere eam.* Vides hoc Bernardi egregio commentario, totum fuiſſe humilitatis, quod timuerit Ioſeph, ideò dignus, quem Angelus firmaret eloquio ſuo, antea titubantem.

III. Nec in ea ſponſi Mariæ dignitate ſtetit noſter Ioſeph; ſed vt accreſcens Luna, ampliori adhuc titulo honoris affulſit. Nam dictus eſt Pater Domini IESV; & hinc collige meritum Sancti, eodem argumento, quo Paulus Chriſti decus infert, quo Angelis eminet. [Hebr. 1.] *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit.* [Ioſeph accreſcens in dignitate Patris Ieſu.] Cùm nominis inanes vmbras horreat Deus; Patris IESV nomen non fuit inane ſimulachrum. Sanctorum inſigne decus fuit nomen filij adoptiui, iuxta illud. [Ioan. 1.] *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Nec ipſis Angelis vices Dei agentibus olim voluit, Baſilio teſte, Deus concedere, ſuam referre perſonam in Thabor & Iordane, cùm hæc vox inſonuit. [Matth. 17.] *Hic eſt filius meus.* Si enim illic Angelus, ſicut & alibi paſſim, Dei partes obiiſſet, appellando Ieſum filium ſuum, Patris Chriſti ſibi venerabile nomen extunc Angelus aſſumpſiſſet. Quod Deus negauit Angelo, id conceſſit homini, cui impares ſunt Angeli; imò & Maria eum nuncupabat Patrem Chriſti cum eum duodennem ſic affata eſt. [Luc. 2.] *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ideoque cum nomina ſint ſigna rerum, quas explicant; ſi quem latet decor eius, qui accreſcens eſt, & decorus, ille meritorum eius colligat ex nomine characteres.

Pharao perſpectâ indole prioris Ioſeph, ait illi. [Geneſ. 41.] *Nunquid ſapientiorem inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam.* Sed quid Margaritum cum vitro componimus? vt quid Sanctum Ioſeph & Chriſti familiam coæquamus domui Pharaonis? Non peccatur tamen cum Bernardo, qui & vtriuſque Ioſeph Symbola communia pertractauit. [S. Bern. ho. 2. ſup. Miſſus.] *Conijce ex appellatione, qua licet diſpenſatoriâ meruit honorari, adeò vt pater Dei & dictus & creditus ſit. Conijce ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari, quis & qualis homo fuerit iſte Ioſeph, ſimul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito non ſolum vocabulum ipſius iſtum fuiſſe ſortitum.* Demum Bernardus alludens ad alium Ioſeph præpoſitum aulæ regiæ Pharaonis, ſic noſtrum Mariæ ſponſum effert. [S. Bern. ibid.] *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium; ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum.*

Titulus ille patris non fuit in Beato iſto Ioſeph magni nominis vmbra; nam & honorem hinc emergentem Maria ceſſit, dando primas ei, qui Pater Ieſu cenſebatur: dum enim puer IESVS obuius factus eſt Mariæ, quæ illum ſedula ſicut ſponſa quærebat per vicos, & plateas; illa ſic eum dicitur humili eloquio ſuo compellaſſe. [Luc. 2.] *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ibi patrem nominat primum; quaſi verò titulus ille nomine tenus præſtaret vocabulo Matris, quæ verè enixa eſt filium hunc, cælo terraque præpotentem. Sed volenti non fit iniuria; ceſſit Maria iuri ſuo: nec aliunde Pater eſt Ioſeph, niſi annuente Matre; & meam ſubit mentem res appoſita ad hoc, quod hîc voluimus, argumentum.

Fidem facit Hiſtoria, Mariam, Reginam Hungariæ accepiſſe in ſponſum Sigiſmundum filium Caroli IV. Imperatoris: [EX HISTORIA. Ex S. Lazaro in hiſtor. Imper. ſub an. 1386.] ea legitima regni Hungariæ moderatrix, regio diademate inſignis ornabatur, ſponſo ſuo inglorio, vt qui nullis infulis regni decorus incederet. Maria in publico conſeſſu procerum regni coronam deponens, capiti ſui coniugis impoſuit, qui ab omnibus fuit Rex hoc diademate conclamatus. In confeſſo eſt apud omnes, omne decus, quod ex parentela Chriſti manat, eſſe penes matrem, ſic exigente naturæ lege; matris enim nomen emit ſanguine ſuo, quo coaluit caro Chriſti. Sed hæc Maria hoc nomine matris verè Regina rerum, in publico conſeſſu doctorum in templo, in medio quorum erat IESVS, depoſuit hanc coronam, & ornauit ſponſum, vocans eum Patrem Ieſu. [Luc. 2.] *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ex hinc Ieſus Filius Ioſeph putabatur, ſicque titulus Patris IESV, in Ioſeph, annuente Maria Matre, eſt deuolutus. Titulum & poteſtas ſequuta eſt; dicitur enim de Chriſto. *Et erat ſubditus illis.* Abundè expleuit hic Sanctus vota ſponſæ Canticorum. [Cant. 8.] *Quis mihi det te fratrē meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* In quot amplexus gerulus ille pater effudit ſe totum; quotque Deo Sancta Dei ipſum oſcula conſecrarunt. Apage commentum hoc, quo Poetarum vertex Maro fingit Deum amoris induiſſe ſpeciem infantuli, qui cùm inſideret ſinui Reginæ Siculorum, illam adeo perculit, vt demum æſtuarit amore in Æneam.

——Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fouet inſcia Dido, [Virg. Æn. 1.]
Inſideat quantus miſeræ Deus.

Procul hinc hæc profana, nimirum ementita Cupidinis oſcula; Amoris pueruli IESV in Beatum Ioſephum verax Hiſtoria potior eſt. [S. Ioſeph nobilitas magna fuit.] Audiendus hic Bernardus, priuilegia amoris præcipui ediſſerens. [S. Bern. ho. 2. ſup. Miſſus.] *Verè de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius Dauid, non degenerans à patre ſuo Dauid, quem tanquam alterum Dauid, Dominus inuenit ſecundùm cor ſuum, cui tutò committeret ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum, cui tanquam alteri Dauid, incerta & occulta ſapientiæ manifeſtauit, & dedit illi non ignarum eſſe myſterij, quod nemo Principum huius ſæculi agnouit, cui denique datum eſt, quod multi Reges &*

& Prophetæ cùm vellent videre non viderunt, audire & non audierunt; non ſolùm videre & audire, ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, nutrire, cuſtodire.

Ex Symbolis. *Typotius l. Symbol.*

Verè fuit Chriſtophorus iſte Sanctus; vtrique dignos Symbolo, quod olim vſurpauit Andreas Grittius meritiſſimus Dux Almæ Reipublicæ Venetorum. Pinxit ille Atlantem cælum humero ſubiecto ſufferentem, hoc titulo. SVSTINET, NON FATISCIT. Innuens Reipublicæ, pondus eum grauare, qui ingenio valido eſſet, nec metuendum vt eo moderante nutaret Reſpublica, cùm tota Reipublicæ moles eius humeris incubaret. Ecce hic Atlante validior, videlicet Ioſeph geſtans vlnis ſuis eum, quem cæli non ſuſtinent; & hic tamen SVSTINET, NON FATISCIT.

Geneſ. 37.

Patriarcha Ioſeph vidit in ſomnis, ſe adorari à Sole, Luna, & vndecim ſtellis: noſter Ioſeph, vir accreſcens ſupra omne faſtigium, vidit Solem, & Lunam ante ſe inclinari, cùm Ieſus & Maria ſubdebantur ei: annon vidit vndecim ſtellas, ſcilicet Apoſtolos omnes ad memoriam eius incuruari? Eſto Abraham ſemel & iterum Dei colloquio dignatus ſit, iuſſus ambulare coram Deo, vt perfectus foret ex hoc diuino obtutu: in quem virtutum apicem credis ſurrexiſſe Ioſeph, qui nec latum vnguem ſecedebat ab aſpectu Domini Dei ſui, cuius viuaces oculi incurrentes ſæpius in oculos patris nutritij, toties ille vir æſtuans, amore in Deum feruido conflagrauit?

Geneſ. 17.

Lethali zelo æmulati ſunt fratrem ſuum Ioſeph alij Patriarchæ, eóque deuentum eſt odij, vt anhelarint necem eius: ſed ſæculo ſuas alternante vices, Ioſeph euaſit in Proregem Ægypti, quò ſe conferentes homicidæ fratres, agnouit Ioſeph viros fratricidas, in quibus erat puerulus Benjamin, ille tantùm innoxius, & ipſius Patriarchæ Ioſeph frater vterinus. Ad pueruli aſpectum, Ioſeph percuſſus animus ſenſit ſe liquari; ſic enim ait Codex ſacer. *Attollens Ioſeph oculos vidit fratrem ſuum vterinum, & ait: Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi.* Et rurſum. *Deus inquit miſereatur tui, fili mi; feſtinauitque, quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ.* Fortè tunc fratrum ſuorum perfidiam animo recolebat, ſic ſecum præterita repetens: Heu Benjamin dilecte patri, amor ille paternus fratrum tuorum animos acuit in meam perniciem, caue ne etiam te ſimiles inuidiæ compedes illaqueent: cùm hæc cogitaret, lacrymis ſuis fratrum ſuorum diluit noxam; ſed noſter vir ſanctior Ioſeph, præſcius agonum Chriſti, quos didicerat à Symeone, minitante gladium Paſſionis; lacrymarum, quas abundè fudit, habuit vberius argumentum; ſæpiùs attollens oculos vidit Ieſum fabrili operi intentum, cruces componere: lacrymarum tunc erant larga profluuia; ſic enim tacitus apud ſe ſpeculabatur: Heu Ieſu, dilecte Patri, ſimilis amor Dei in Prophetas tulit eos de medio; Iudæi namque non tulerunt homines Deo perquàm charos: zelabunt & Iudæi gloriam tuam, crucique te addicent, malè habitum antea multiplici tormine, ſicut & olim morti Vates tibi præuios addixerunt.

Geneſ. 43.

Carolus ille Borromeus tabulas Chriſti paſſi domi ſuæ habebat iugiter obuias, vt earum aſpectu incrementa adiiceret illi pietati, quæ & ipſum adſcripſit choro Sanctorum. Ideas non inanes & vacuas Chriſti paſſi habuit Ioſeph Sanctus, ſed Chriſtum ſuæ mortis ſpectrum ingerentem. Quantauis emineant pietate viri, quos ſoboles ingenua parentes fecit; tamen interpungit obſequium Dei aliquando animus proli intentus, nequit enim mens Deum ſimul & natos attendere; at quod obicem ſapit in aliis, id erat aculeus ad virtutem Sancti Ioſeph. Nam Soli datur hoc Symbolum, VIGET QVODCVNQVE VIDET: ita & aſpectu Chriſti Ioſeph vegetior effectus eſt, & virtute tota patrem ſic filius adornauit. Diceres, hanc familiam eſſe compendium totius rei Sanctæ; illic arca fœderis, ſcilicet Maria Virgo; illic Deus inſidens Cherubinos, ſcilicet Ieſus in vlnas Ioſeph. Ventilet nunc Synagoga ſuum à Salomone templum erectum, & Dei gloria apparentis in fumo aliquando inſigne. Sanctuarium iactet, arcæ fœderis illic abditæ receptaculum venerabile: iſta Ioſephi familia inſignis præſentiâ Ieſu & Mariæ, viuas habet ſpecies rerum, quarum Hebræi tantùm habuere nuda ſimulachra. Habuit equidem gens Hebræa, amoris Dei quædam præludia: ſed hic omnis amor effuſus eſt in ſinus innoxios, Mariæ & Ioſeph: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* Sed diuertit ille Deus homo in familiam, labis neſciam, quæ erat inſtar cæli, vbi Sol, Luna, & Phoſphorus irradiant. Sol Ieſus oriens ex alto, Maria pulchra vt Luna, Phoſphorus ſeu luciferum ſidus, eſt Ioſeph, Ieſum ſæpe ferens, vt gerulus atque nutritius: ſicque in eo myſtico cælo, tria ſidera rutilabant.

Ioan. 3.

Ex Hiſtoria. *S. Lazar. in hiſt. ſua Impe. ſub an. 1378.* Carolus IV. quo apparatu exceptus à Rege Gallo.

Amoris Dei in Sanctum, non erat aptior index, quàm eligere domum eius in filij ſui diuerſorium, triginta annorum integro curriculo. Ita & ſuum aliquando teſtatus eſt animum beneuolum Carolus quartus Imperator, inuiſens Regem Gallum Carolum quintum: vt enim appulit in Gallias, volens indicare quanti faceret merita Ducis Borbonij regio ſanguine ſati, ad eum miſit filium ſuum Vinceſlaum Regem Romanorum, vt hac amanti teſſera, Duci Borbonio ſuum animum aperiret. Hinc dynaſtæ reliqui præpotentes agnouere, Imperatorem pluris facere Ducem Borbonium, quàm reliquos omnes regni proceres, quia filius Imperatoris diuerterat apud eum. Magni fecit reverà Deus Abraham, & Loth, ad quos Angelos olim miſit vt nuntios: ſed vnus fuit Ioſeph, qui hoſpes Deo perquàm acceptus Filium Dei vtique Regem, hoſpitem non exciperet modò, ſed hoſpitio acceptum pluribus annis illius etiam obſequio frueretur.

Ioſue 10.

Datum eſt miraculo quondam, quòd ſteterit Sol, obediente Domino voci vnius hominis præpoſiti Hebræorum, videlicet herois Ioſue: ſed quoties ſtetit non Sol, ſed ipſe Dominus Solis, & ipſe Dominus Ieſus rerum omnium moderator, obediente ſæpe Domino nutibus huius Sancti, cuius incrementa virtutis omnigenæ eum, vbi ceſſit fatis, cælis poſtmodum adſcripſerunt.

Eſto fuerit accreſcens Ioſeph, & faſtigio ſanctitatis Angelos ipſos anteiens; nec mortuus augmento ſuo poſuit modum: cùm enim illum iam beaſſet Chriſtus multiplici contactu, eum ſuæ aſcenſionis conſortem in cælum euexit, vbi corpore & anima felix congaudet Chriſto: vt cui noſtris ærumnis obnoxio ſæpe in hoc ſæculo compaſſus eſt, iam eidem triumphanti in gloria colletetur. Ea eſt ratio, quam exponit S. Bernardinus, vt adſtruat ſuam ſententiam de

S. Bern. de S. Ioſeph.

gloria Sancti Ioſeph, penes corpus & animam ſimul, pro qua ſtabilienda, Pauli mentem laudat, non diſſonam ab hoc ſenſu, cùm ait ille: [2. Cor. 1.] *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Adſtipulatur mente præſaga Rex Salomon. [Proverb. 28.] *Cuſtos Domini ſui glorificatur.*

Et huic ſententiæ, de pleniluoio Ioſeph, videntur plurima ſuffragari. Primum, quòd eam ſententiam prædicauit Gerſon in Concilio Conſtanienſi, nemine reclamante à tacente Eccleſia quæ ſuo ſilentio ſubſcripſit piæ huic opinioni quam firmat Gerſon hoc Epiphonemate. [Gerſ. in ſer. habito in Concilio Conſt.] *Quantus exiſtimandus eſt in gloria iuſtus Ioſeph, & in cœlis, qui talis ac tantus inuentus eſt in miſeria, & in terris.* Hoc item non inepta ratione ſtabilitur. Scilicet Chriſtum, qui parentes adeò excoluit vt eſſet ſubditus illis, non reliquiſſe eos ingloríos poſt mortem; at nullibi reliquiæ reperiuntur ſuperſtites ex Sancto Ioſeph, quas venerari poſſit Eccleſia, ſicut & colit Sanctorum exuuias thecis aureis reconditas: ergo veriſimile eſt, Sanctum Ioſeph cuſtodiâ Chriſti clarum ſurrexiſſe, cùm multa corpora Sanctorum ſurrexere mortuo Chriſto, atque adeò corpus illud aliàs inhumatum, iam gaudere in gloria rediuiuum. Et cùm non obſtet Eccleſia, non cenſeo tutum eſſe inficiari hoc aſſertum de plenilunio Ioſeph, quod Eccleſia in Concilio ſilens approbauit.

Fauet & figura illa vetus Patriarchæ Ioſeph, [Gen. 41.] quem Pharao *Fecit aſcendere ſuper currum ſuum, pracone clamante, vt omnes coram eo genu flecterent.* Hac enim ſanctiore hiſtoria ſubindicatur Sanctus iſte Ioſeph, aſcendens in cælum cum rerum omnium Domino, & ſoſpitatore Ieſu, qui vult hunc ſuum gerulum, patrémque nutritium à fidelibus, obſequiis minimè vulgaribus honorari. Rationem ſubiicit Codex ſacer, ob quam Ægyptij ſe totos addixerant cultui priſci alterius Ioſeph; videlicet ille præfectus annonæ, & rei frumentariæ, incolume vulgus ad arbitrium ſuum ineſcabat, ideoque compellabat eum populus, vt ſuum Saluatorem, quem Rex veluti collegam in currum euexerat. Noſter Ioſeph ad arbitrium ſuum Chriſti infantis momenta moderans (erat [Luc 2.] quippe ſubditus illi) nonne fuit præpoſitus opimo frumento, quo quæuis anima ſaginatur? An [Pierius hieroglyph. l. 17.] non eamobrem Ciconia pietatis imago fuit, & eſt vbique terrarum, quia parentes vetulos iacentes in nido, ſuis alis ſurſum effert, vices reddens curæ, quam geſſerunt ætatis tenellulæ? Chriſtus, qui omnia officia pietatis expleuit, non defuit nutritio ſuo extincto; ſcilicet è tumulo, vbi iacebat vt in nido impos & imbellis, eum erexit, & velut alis ſuis impoſitum ſurſum vexit; curam, quam Ioſeph infantis habuerat, gloriâ plenâ, conſciis corpore & animâ, ſoluturus.

Non ambigo, gratiam, quæ naturam non deſtruit, ſed defæcat, Ioſepho ſua omnia in cælis ſeruaſſe ſarta tecta; id eſt, amorem eum in gloria non excidiſſe, quem Deus exhibuit illi Sancto, dum verſaretur in humanis; atque adeò conſtans eſt, eum illic prævalere, quem dum ærumnarum huius æui conſcius eſſet, multiplex tamen gratia aliis omnibus Sanctis fecit eminere. Et credo, non eſſe procul à mente præſaga voces illas populi, qui ſic ſuum nutritium Ioſeph precabatur: *Salus noſtra in manu tua eſt; tantum reſpiciat nos Dominus, & læti ſeruiemus Regi.* [Geneſ. 47.] Non eſt eludenda fides huius præſagij, typum referentis illius orationis, qua debemus Sanctum Ioſeph ſimili verborum ſerie compellare. Et hæc ſit formula ſupplicantis: O beate, ô Chriſtifer, qui manibus olim gerulis Chriſti, eumdem & nunc adhuc attrectas: Salus noſtra in manu tua eſt cùm Dominum Ieſum attingis: Salus noſtra in manu tua eſt, cùm tibi Chriſtus impertit gratias diſpenſendas eis, qui te ſollicitant: Salus noſtra in manu tua eſt, quia eadem manus, quæ Chriſtum duxit, poteſt & ducatum nobis præſtare in cælum, ſi minimè indignos præbuerimus nos hac tua clientela. Tantùm reſpiciat nos Dominus & læti ſeruiemus Regi: O Ioſeph Sancte, & inter Sanctos mirabiliter Sancte, aſpice nos propitius; ſpirent oculi tui quid vitale, vt Regi Chriſto non ingrata ſint quæ pendimus obſequia.

Annuit votis noſtris ille Sanctus, ſed ea cautione, quam adhibuit Patriarcha Ioſeph, cuius cùm opem mendicarent Ægyptij, ille ait: *Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos.* Efflagitatis opem Sancti Ioſeph, auditores, adducite [4. Ioſeph quid petat à cultoribus ſuis.] pecora veſtra, & dabit cibum opimum, nempe Corpus Ieſu. Pecora veſtra, ſunt peccata; peccata enim quaſi pecoris acta, adducite ad Confeſſorem, pateant omnia, & Sanctus ille Euchariſtiam vobis exhibebit. Proh dolor! plerique pecus exiguum adducunt; minuta confitentes pecoris acta, vt ſunt inania verba, dicteria, ſcommata, deſides atque tepentes preces, ſimultates ſeu leuiuſcula odia; ſed armenta non educunt. Etenim tacent inceſtus, atque ſacrilegia, auri vim magnam malè partam, ſimonias, & facinora plura, quæ pudet exercere; quæ tamen non puduit impiè perpetrare. Macte, ô fideles, quos perculere merita Sancti Ioſeph, adducite pecora veſtra, aperite oſtium [V. Quid ſit expetendum à S. Ioſeph.] hirco latenti, id eſt fœdæ libidini, egerite bilem, quæ abdita eſt, & leonem refert ſæuientem in proximos; quòd ſi non ſuppetunt vires, hanc à Ioſeph iſto expetite gratiam, quam Iacob à filio ſuo Ioſeph in hiſtoria Sanctæ Geneſeos emendicat. Sic orat ille ſenex: *Si inueni gratiam in conſpectu* [Geneſ. 47.] *tuo, facies mihi miſericordiam, vt non ſepelias me in Ægypto; ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac. Cui Ioſeph: ego faciam quod iuſſiſti.* Vtinam & nos ſicut Iacob illi litemus. Singuli ergo ſic oremus.

O vir Sancte Ioſeph, præpoſite domui Chriſti & Mariæ, ſi te aliqua noſtri cura tangit, miſericordiæ hoc vnum ſpecimen prode, vt non condamur in Ægypto. Id eſt, ne moriamur in fæce delictorum, quorum illuuies eſt ſordidior in Ægypto. Sepelias nos cum patribus noſtris, id eſt ea nos dignare gratia, cuius ope obeamus mortem, quæ nos ab Ægypto peccati diſſitos, adſcribat cœtibus Angelorum. *Amen.*

PRÆFA

PRÆFATIO AVCTORIS,

AD INDICES PLVRIVM SCIENTIARVM, ex quibus coaleſcit iſte Tomus, opere polymito.

SESQVIPEDALE nomen, huius operis titulus videtur ingerere, oppignerando fidem meam pro ſiſtendis omnibus ſcientiis, ad diſcuſſas hîc morales veritates argumentis congruis aſtruendas. Moralis Encyclopędia, vox eſt faſtuoſa velut ferculum pompaticum, quod in triumpho fuit ſolitum deferri greſſu lento, & ambitioſo ornatu, quo victor, auræ litans populari, ſuperbiam turgentis animi ventilabat.

Si in calce libri, ego palàm facio, me ſtetiſſe pollicitis, & conduxiſſe ſcientias omnes, vt obſtetrices huius fœtus, nemo dabit vanitati titulum, qui eſt nomenclator, & interpres ſinceræ, licet abditæ veritatis. Ecce tibi Lector opus iſtud hîc compage diſſoluta, nudas obiiciens ſcientias, quæ ſua fida mihi præbuerunt obſequia in tomo iſto, quo toto vagæ, & diſperſæ latent; ſed ſeſe nunc vltro produnt; habent enim in hoc primo tomo, habebuntque tribus aliis ſequentibus, ſingulæ quæque ſuos indices opportunos.

INDEX SYMBOLORVM

QVÆ HIC MORALITER EXPLICATA, vitæ litant rectius informandæ

LECTORI PROPITIO.

SYMBOLVM hîc dico breuem, & acutam ſententiam, quæ picturæ adiecta ſonat aliquid egregium. Etenim abſque pictura, voces quantumcumque breues, & acumine plenæ nomen, aut rationem Symboli minimè ſortiuntur. Ipſa etiam pictura ſola ſilet, & muta nihil exprimit; ſed fit ſententiâ adiunctâ loquax, & vocalis, tantò cultior, quantò magis eſt compendioſa vocis eius expreſſio. Nam ſymbola multiloquium odere, & induſtriam breuitatem Laconum æmulantur. Quid ſymbola ſignificent, id perquam ſæpè latet,

vt ſenſus altè ſitus, perſpicax ingenium ſollicitet ad medullam pinguem prætenſi aſperi corticis eruendam. Itaque index iſte tribus conſtabit, ſcilicet ſymbolo, pictura, & applicatione vocum, quæ naturam ſymboli conſtituunt. Cæterum ſymbolum in concione benè aptatum, & digeſtum, eſt locuples ornamentum.

A

SYMBOLVM.

Adde parum paro. *Pag.*100.*col.*1

PICTVRA.

ACADEMIA Altorfina pinxit plantam, ſeu fruticem altè exurgentem, cui vas guttatim & parcè infundebat aquam, quaſi diceret, frutices obrui nimio affluxu aquarum, recreari verò parcitate, & exurgere menſtruis incrementis.

APPLICATIO.

O Religioſe tua intereſt, & præſertim ſi es Minorita. Adde parum paro. Profeſſio tua eſt de paro. Indulgere noli vſui laxiori, ſed parcè conceſſis vtere, ne inferas crimen voto emiſſo inclytæ paupertatis. Diceris, Frater Minor. Hoc parum eſt, & paruum. Adde parum paro, viue, vt vouiſti & ſic merita cumulabis.

SYMBOLVM.

Aderit mox ventus & vnda.*pag.*157.*col.* 2

PICTVRA.

Nauis immota, cuius nautæ operi ſe accingunt, & explicant vela flabris ventorum, quorum aura lenis incipit aſpirare.

APPLICATIO.

Inſtante Pentecoſte nauis Eccleſiæ velut in ſtatione, mari huius ſæculi non audebat ſe committere. Omnes enim latebant diſcipuli. Sed cùm complerentur dies Pentecoſtes, & eſſent omnes diſcipuli congregati pariter, in vno eodemque loco, factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam ſpiritus vehementis, deinde nauis illa ſuo è littore ſoluit acta Dei ſpiritu. Etenim Apoſtoli omnes, in longinquas orbis oras, vt emergentes hoc ſpiritu perciti tranſmigrarunt.

SYMBOLVM.

Ad raſtra, vel ad aſtra. *pag.* 23. *col.* 2

PICTVRA.

Academia Altorfina ſuos alumnos excitare volens ad ſtudendum, pinxit hinc ruſtica raſtra, & inde calamum ritè aptatum, cui corona deſuper imminebat.

APPLICATIO.

Adoleſcentes, penes vos eſt raſtrum, ſicut & penna coronata: ſi pœnam, & pennam coronatam fugitis ſymbolum ſtudiorum, raſtrum erit ſors veſtra, nimirum vita ruſtica, mores inculti, animus hiſpidus vos ſequentur, deſides & ignauos ſtudia detrectantes.

SYMBOLVM.

Aduerſo tuta volatu. *pag.*76.*col.*2

PICTVRA.

Auis quam ſoſpitem laxauit accipiter, illa vias init oppoſitas aui carniuoræ, vt ita ſuæ caueat vitæ, quæ in diſcrimen vocaretur, ſi rurſus incurreret in roſtrum accipitris, à cuius antè fuit vnguibus expedita.

APPLICATIO.

Pœnitens anima, quæ ſe à diaboli laqueis expedit. Si tutò velit ſibi conſulere, peccandi anſas omnes effugiet, inſidias ſic prætenſas à dæmone præcauendo.

SYMBOLVM.

Æquari pauet alta minori.*pag.*553.*col.*1

PICTVRA.

Alta papauera truncata fiunt humilia ſicut parua.

APPLICATIO.

Superbus pauore, metu, & inuidia concutitur, quando videt homines olim ſubiectos ei, aſſurgere in eamdem ipſius ſortem. Ambit enim ſemper aliis omnibus eminere.

SYMBOLVM.

Agere & pati fortia Romanum eſt. *pag.*13.*col.*1

PICTVRA.

Mutij Columnæ Præfecti Generalis Eccleſiæ fuit hoc ſymbolum, adiectâ picturâ manus armatæ.

APPLICATIO.

O Chriſtiane deſes, & ignaue, tua fœminina manus, vt inermis, eſt, & delicata prodit te non eſſe Eccleſia Romana ſatum. Nam Romanum eſſe, perinde ſonat, ac virtuti operam dare, & bonis actibus inſudare.

SYMBOLVM.

Aggrediar, ingrediar. *pag.*535.*col.*1

PICTVRA.

Henricus IV. Rex Galliæ & Nauarræ, vrbem Pariſiorum obſidens, nummos ſparſit, vbi omine fauſto cudit vrbem hanc obſeſſam, & in numiſmatis ora voces illæ inſculptæ robur, & conſtantiam eius animi declarabant.

APPLICATIO.

Vita noſtra velut militia eſt, obſidione cælum cingimus, egregia opera perpetrando, quaſi arietem intorquemus in mœnia. Profectò parum eſt aggredi, niſi contingat, & ingredi, Deo dante fores erunt peruiæ, ſi nuſquam ab incepto bono opere deſiſtamus.

SYMBOLVM.

Alta alatis patent. *pag.*306.*col.*1

PICTVRA.

Equus nomine Pegaſus alatus in cælum contendens.

APPL

APPLICATIO.

Anima initiata, ſeu paſta ſacris Euchariſtiæ myſterus eſt velut alis inſtructa, quibus ſeſe efferre debet ad ardua, vale dicendo rebus omnibus infra cælum, vt indignis hominum affectu, qui duntaxat vni Chriſto debet, vtpote rerum omnium Domino deuoueri.

SYMBOLVM.

Altera melior. *pag.74.col.2*

PICTVRA.

Serpens ſenio confectus æuum & corium mutans, in petrarum anguſtias ſe immittens, vbi pelle veteri exuta nouam induit

APPLICATIO.

Pœnitens, & confeſſus homo, nouum vitæ genus inſtituens, id eſt auſterè viuens, inolitos ſeu antiquos habitus exuendo Dei gratia ſe aptat, qua velut ornamento nouo eius anima decoratur.

SYMBOLVM.

Altiora. *pag.117.col.1*

PICTVRA.

Aloyſius Eſtenſis Cardinalis, illi vocabulo adiiciebat Prometheum ignem è cælo virgula referentem.

APPLICATIO.

Ratio humana volens diſcutere fidei decreta cæcis tenebris obumbratur. Eſt petendum è cælo lumen, quo affulgente fides erit liquidior.

SYMBOLVM.

Amor addidit alas. *pag.144.col.1*

PICTVRA.

Felix Princeps Salernitanus amoris energiam expreſſit pingens teſtudinem alatam. Tardioris enim aliàs ingenij, vbi ſenſit amoris aculeos, factus alactior omnem exuit inertiam.

APPLICATIO.

Peccator olim criminum mole grauis, & tardus ad virtutum praxim, ſtatim atque Deo manus dedit, amoris eius alis inſtructus, calles ita virtutis init, vt volare magis, quàm currere videatur.

SYMBOLVM.

Amoris oſtium, non hoſtium. *pag.235.col.2*

PICTVRA.

Ambroſius pinxit amorem in oſtio horti peramœni, ita monens non eſſe locum ſenticetis odij, atque litigij in eo loco vbi omnia luxuriant floribus, oculis & naribus explicatis.

APPLICATIO.

Oſtiolum tabernaculi ſancti, quo educitur illa theca panem Angelorum concludens, non animæ iniquæ patet. Quippe Dei hoſtis eſt, qui exoſos habet reprobos omnes. Sed hæc porta ſoli eſt peruia charitati.

SYMBOLVM.

Animis illabere noſtris. *pag.271.c.2*

PICTVRA.

Paradinus manna è cælo labens pingit, adiecto voto illo, cuius deſcriptæ voces ſunt indices.

APPLICATIO.

Vtinam illa pictura loquax referens Euchariſtiam, altè noſtris mentibus inſideret. Non aliâ prece foret opus eunti ad menſam Angelorum: ea ſiquidem aſpiratio frequens conciliare poteſt Dei gratiam, quæ in Communione multiplex eſt. Deum igitur ſic vigeat anima aſtans crepidini altaris. O Manna ſanctum animis illabere noſtris. Quippe labanti animo, ſi non illaberis omnia collabuntur.

SYMBOLVM.

Antidoti ſalubris amaror. *pag.283. col.1*

PICTVRA.

Calix è quo ſanctæ crucis ſtipes emergit.

APPLICATIO.

Calix ille typus eſt Euchariſtiæ, quam meditando crucem vnuſquiſque debet accipere. Ne igitur nauſeet homo recolens memoriam crucis, accedendo ad Euchariſtiam; ille ſapor ingratus ſenſui corporeo animæ ſapit: quippe meditatur eo amarore Deum diluiſſe dulcedinem lethiferam, quam Adam, & Eua ſenſerant in pomo, cuius inediam non ferentes, hoc ſe paſtu ſacrilego, miſerè ſauciarunt.

SYMBOLVM.

A ſemitis impiorum elongor. *pag.128.col.1*

PICTVRA.

Cardinalis Criuellus pingebat ceruam, quæ in loco ſeorſum poſito hinnulum ſuum parturiebat.

APPLICATIO.

Symbolo illo, fuga cuiuſque mali conſortis ſuadetur opportunè tibi ò anima Chriſtiana. Si namque cupis illæſos virtutis tuæ fœtus habere diu ſuperſtites, A ſemitis impiorum cœtu, & moribus elongare.

SYMBOLVM.

A ſolis ortu, vſque ad occaſum. *pag.198.col.2*

PICTVRA.

Heliotropium, ſeu ſolſequium flos eſt croceus, & ſincera ſolis imago, cuius folia acuminata ferens in orbem ducta, claros radios imitatur. Flos ille gyrans ab ortu ad occaſum ſolem ſic ſequitur, vt ab hac ſequela nomen ſolſequij congruè ſortiatur.

APPLICATIO.

Obſtricta Deo multis beneficiis anima, omni momento debet eius ſeſe ſiſtere obtutibus. Qui namque Deum attentè ſuo ſemper animo verſat, ille Dei gratiæ radiis iugiter illuſtratur.

SYMBOLVM.

Aſpicit vnam. *pag.440.col.2.*

PICTVRA.

Acus magneſia, quæ magnetis indolem nacta poli ſtellam ſic reſpicit, vt alia cæli lumina ſpernere videatur.

APPLICATIO.

In ſymbolo illo typum habes animæ deuinctæ cultui Deiparæ. Namque licet illa benè ſit affecta erga cælo iam inſertos omnes Sanctos, attamen præ omnibus his mentibus beatis vnam impensè colit Mariam, ſuáſque preces ei dirigens, illi iugiter adhæreſcit.

SYMBOLVM.

Aſtra me duce, tutus adibis. *pag.450 col.1*

PICTVRA.

Triuultius ille toto orbe notus, vtpote bello ſicut & pace clarus, Typotio auctore voces has adiecit imagini Victoriæ, quam pingebat vna manu palmam, & caduceum alterâ præferentem.

APPLICATIO.

Ita Beata Virgo Maria ſuos excitat candidatos ſingulos quoſque tali lemmate compellans. Fili præſta te ſtrenuum, & eſto ſecurus à mea clientela. Aſtra me duce tutus adibis. Ne deficias in agone: palma namque te ſpectat & expectat, teque ſudore plurimo exhauſto, caduceum manet vt pacis teſſera ſempiternæ.

SYMBOLVM.

Aude aliquid dignum. *pag.409.c.2*

PICTVRA.

Aquila explicatis alis ſurſum enitens.

APPLICATIO.

Aquilarum indoles eſt, vt infima pertæſæ volent, præaltas quandoque nubes penna præpete tranſcendentes. Ita Deo mens fœta ſolum faſtidiens, anhela cælum verſus fertur, & terrena omnia dedignatur.

SYMBOLVM.

Aut iungi aut mori. *pag.44.col.2*

PICTVRA.

Surculus exciſus, vt eſt vitæ breuis, & imbellis, aret, & marceſcit, ſi ſtipiti viuo non citò citius inſeratur.

APPLICATIO.

Chriſtus eſt vera vitis, nos palmites, ſi peccando procul effecti ſumus ab hac vite, nobis mors imminet, & æterna, niſi pœnitendo, viti reduces vniamur.

C

SYMBOLVM.

Cæleſti lumine vincor. *pag. 163. col. 2*

PICTVRA.

FAcula accenſa, cuius lux comparata ſoli, eſt opaca, nihil ſplendidum eiaculans.

APPLICATIO

Intellectus qui illucente ratione ſola, nequit religionis Chriſtianæ arcana ſibi facere peruia, illa tamen vtcunque capit, ei coruſca fide cælitus affulgente.

SYMBOLVM.

Candor illæſus. *pag.578.col.2*

PICTVRA

Fuit hoc ſymbolum Clementis VII. Papæ. Ille globum cryſtallinum in ara pinxit, cui pellucidum ſidus, deſuper irradians lumen infuderat, quo rutilante micans erat ille globus, quem illæſum peruaſerat totum, lux fulgida cælitus influendò.

APPLICATIO.

Certè quadrat hoc ſymbolum Deiparæ, cui aſcribo globum illum cryſtallinum in ara. Vbi namque ſuos fixit greſſus Virgo, illic ara fuit: quippe voto ſuam virginitatem quando Deo obſtrinxit, tunc illa velut hoſtia immaculata fuit, habens in cryſtallo typum idoneum, quia eſt puriſſima, & cæleſtis conſcia puritatis. Vt impura Venus ardet, ita ſecus illibata friget virginitas, deteſtata faces, quas ſubmittit libido flagrans, ac proinde poteſt virginitas componi cum cryſtallo, cuius ortum Plinius ab aqua glacie concreta petit. Spiritus Sanctus vt pellucidum ſidus influxit in globum illum cryſtallinum, qui ſuſcepto Deo in vtero clauſo, nullam omnino fecit iacturam priſtinæ claritatis. Integro pudore nitor ille Virginis emicuit: & eſto Deo fœta eſſet, vt & enixa Deum in humanis, illa fuit, vt candor illæſus, obſerata ſemper clauſula caſtitatis.

SYMBOLVM.

Cantu ciêre viros. *pag.147.col.1*

PICTVRA.

Gallus gallinaceus nocte canent homines excitat ad laborem denuò repetendum.

APPLICATIO

Hæc eſt figura Dei verbi. Nempe ſicut gallus ille ſuo cantu excitat alto ſopore preſſos, & ſtertentes, & Petrum memorem fecit animi ſui infidelis, quem alluit profluuio lacrymarum; ita & verbum Dei, vitio defixos homines, & quaſi extinctos ſuſcitat, multiſque reos eorum animos obiiciens, deducit eos ad fluenta fletuum, vbi diluunt omnia piacula, quibus eos antea deuinxerat incuria concionum, quibus eſt vis inſita ciêre viros ad praxim virtutum omnium amplexandam.

SYMBOLVM.

Cautius vt pugnet. *pag.401.col.2*

PICTVRA.

Muſtela rutam comedens pugnatura cum ſerpente, cuius lethale virus, ruta facit innoxium.

APPLI

APPLICATIO.

Homo ſume panem vitæ, ſcilicet Euchariſtiam, cautius vt pugnes in dæmones, & vitiorum agmina furibunda.

SYMBOLVM.

Celſa poteſtatis ſpecies. *pag. 624. c. 1*

PICTVRA.

Pompeius ille Magnus annulo ſuo inſculpſit leonem præferentem gladium exertum, fortè volens indicare, ſuum in homines imperium eſſe tale, quale leo habet in beſtias.

APPLICATIO.

Conuenire poteſt Sancto Ioſeph hoc Symbolum. Quippe fuit ille ſatus è tribo Iuda, cuius inſigne leo eſt, iuxta locum Apocalypſis c. 5. Vicit leo de tribu Iuda. Non ineptè ſuo leoni Ioſeph enſem adiiciet, in gratiam tutelæ, quam geſſit infantuli Ieſu, eum vindicans ab iniuriis, quas ei Herodes impius intentabat.

SYMBOLVM.

Celſa ſerena fauent. *pag. 146. col. 2*

PICTVRA.

Sebaſtianus Rex Luſitaniæ bellum illaturus Mauris vexillo ſuo regio Symbolum hoc inuſſit, adiiciendo claras & præfulgentes ſtellas coeuntes in vnum aſteriſmum, fortè volens inſinuare, Deo auxiliante ferum hoc bellum, cum hoſtibus Chriſtiani nominis auſpicari.

APPLICATIO.

Hoc vnum ſatage, ne peccatorum vapore tetro ſolem inumbres, etenim Sole Dei gratiæ opacato nihil ex voto tibi ſuccedet. At gratiâ diuinâ ſecus ſerenâ nihil infauſtum, aut lethale tibi poterit euenire.

SYMBOLVM.

Conſequitur quodcunque petit. *pag. 465. col. 2*

PICTVRA.

Duciſſa Valentiæ Franciſco I. Regi Gallo chara ſibi attribuit hoc ſymbolum ſagitta depicta, quaſi dicens, ſe nullas apud Regem Amaſium ſuum fudiſſe preces repulſam paſſas, ſed retuliſſe ſuum ſemper intentum, ſicque ſuam ſagittam à ſcopo præſtituto minimè deuiaſſe.

APPLICATIO.

Ad orationem feruidam, & perfectam pertinet ille typus, ipſo etiam Chriſto aſſertore; cuius eſt hoc promiſſum, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

SYMBOLVM.

Conſolatur conſcientia & finis. *pag. 29. col. 2*

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Marci Antonij Carretj Principis Melphij, qui pinxit leonem erectum, corona deſuper eminente.

APPLICATIO.

O anima Chriſtiana, Dei gratiâ inſtructa, caue ne in terra repas, ſed leoninos indue animos, erigere ad excelſa, & crede tibi coronam cœlitus imminere.

SYMBOLVM.

Cor vnum, & anima vna. *pag. 49. col. 1*

PICTVRA.

Renata, Ducis Lotharingiæ vxor, vſa fuit hoc ſymbolo, pingendo duos oliuæ ramos implexos, & intortos in coronæ modum, vt ita ſuum amorem, erga virum ductum in coniugem explicaret.

APPLICATIO.

Vt duæ oliuæ in gyrum coëuntes efficiunt coronam, ita vir, & vxor dummodo concordes in gratia diuina viuant, digni ſunt, qui æterna gloria coronentur.

SYMBOLVM.

Creſcit ſpirantibus auſtris. *pag. 149. col. 2.*

PICTVRA.

Ignis ventorum flabris accenſus.

APPLICATIO.

Hoc ſymbolo liceat mihi acuere hominum ignauiam, in Deo diligendo. O vecordes, & amoris expertes homines, qui algetis audire me, Spiritus ſancti auram depoſcite, & explicate amoris igniculum, qui penè extinctus eſt in cordibus veſtris, procuIdubiò creſcet ſpirantibus auſtris. Siquidem omnia ſunt hoc proſpera ventilabro.

SYMBOLVM.

Curſum intendimus alis. *pag. 306. col. 1*

PICTVRA.

Symbolum hoc fuit Caroli Borbonij, qui cohorti ſuæ armatæ dedit ceruum alatum, quem quiſque ſuo ſago velut omen optimum aſſuebat.

APPLICATIO.

Chriſtiani ante ſacram Communionem impaſti, timidi & imbelles erant vt cerui. Sed Euchariſtiâ ſumptâ, ſicut volucres ſe efferunt ad ſuperna, & vt aiebat Chryſoſtomus. Tanquam leones ignem ſpirantes, recedunt ab hac menſa, facti diabolo terribiles.

D

SYMBOLVM.

Data tempore proſunt. *pag. 445. col. 1*

PICTVRA.

ROtula terræ ſigillatæ, quam terram lemniam vocant. Lemnos enim Inſula huius terræ ferax eſt, quæ tempore opportuno data curat morbos, qui nullis remediis aliis expelluntur.

APPLICATIO.

Chriſtiane tibi in hoc æuo datur ſpatium pœnitendi, fac vt concessa momenta proſint ad ſalutem. Operare bonum, dum tempus habes. Etenim, poſt fata tibi nulla pharmaca concedentur.

SYMBOLVM.

Diſcite iuſtitiam moniti. *pag*. 242. *c*. 2

PICTVRA.

Baſſanus Rex Sicambrorum filium ſuum reum, & noxium gladio plecti iuſſit, & hunc deinceps gladium, ſibi prodeunti præire palàm voluit ſanguine filij ſui purpureum, vt hoc gladij victoris ſpectaculo, populus cautior exiſteret legibus obſequendo. Symboli loco Regi præfato fuit hic gladius adiectis vocibus his. Diſcite iuſtitiam moniti.

APPLICATIO.

Anima Chriſtiana, volo tibi ſemper eſſe præſens ſymbolum iſtud cogitanti de communione obeunda: nimirum putes ibi gladium exertum eſſe, procul ab hac menſa arcentem reprobos homines, à recto Euchariſtiæ tramite deuiantes.

SYMBOLVM.

Diuerſa ab aliis virtute valemus. *pag*. 10. *col*. 1

PICTVRA.

Struthio grandis ales, viuaces habet oculos, quorum acies in oua egeſta vibrata, foras educit pullos, quos vt aliæ matres aues foueant, & informent enixis ouis aſſolent incubare.

APPLICATIO.

Dum Prælati ſubditis inuigilant, & attentè notant, quid vnumquemque decet, oculi eorum ſunt & aliis, & etiam ipſorum animæ ſalutares.

SYMBOLVM.

Diuino Numine paſcor. *pag*. 323. *c*. 2

PICTVRA.

Aquila veſcens dapibus opipatis, quas Gentiles olim credidere Ioue prouidente datas ei, vt volucri ſupremo Numini dedicatæ.

APPLICATIO.

Malè fuit quondam ineſcatus homo, dæmonis induſtriâ factus morti obnoxius, poſt epulas inſtructas ab Angelo deſertore. Sed opportunè Deo verſante vices habet homo, quòd geſtiat, Deoque grates rependat quàm maximas, ad æternam admiſſus cuius vſu reficare poteſt hoc ſymbolum. Siquidem diuino Numine ſaginatur.

SYMBOLVM.

Dum plena eſt fit æmula Solis. *pag*. 519. *col*. 1

PICTVRA.

Henricus II. Rex Galliæ vt notaret ſe non imparem eſſe Regi Franciſco I. patri ſuo ob res præclarè geſtas pinxit lunam, quæ plena Solis radios æmulatur.

APPLICATIO.

Non aſſentatorem induo, neque in blanditias me compono, ſi Mariæ aris ſuperimpono ſacris regium illud encomium abditum lenimatis inuolucro. Ita ſanè, Maria gratiæ plenitudinem congruam ſibi aſſecuta eſt; vnde & eſt ſortita nomen quo Angelus eſt dignatus eam, à quo nuncupata fuit gratia plena. Itaque dum plena eſt, fit æmula Solis. Sic enim Maria enituit concipiendo Ieſum, vt in ſolem ipſum, ipſa caro Virginis tranſierit, dum ex Mariæ carne fuit corpus Domini coaptatum.

E

SYMBOLVM.

Elata niteſcit. *pag*. 20. *col*. 2

PICTVRA.

Pinxit Scipio Bargaglius; nubem ſurſum, ex imo latam, vbi excipiens radios Solis illucentis: ex opaca prius, iam coruſcanti lumine radiabat.

APPLICATIO.

Humanitas noſtra verè humi, & in imo repens (nam homo ſic vocatur ab humo) iam à Deo aſſumpta dici poteſt inſtar cæleſtis luminis enitere.

SYMBOLVM.

En curas hominum. *pag*. 561. *col*. 2

PICTVRA.

Quidam pinxit nauem irato mari iactatam, quaſi miſerans in prolem ſic affectos parentes, vt iniquos maris æſtus ſubeant, ad rei familiaris aliquod incrementum.

APPLICATIO.

Potiores hominum curæ, nihil aliud ſunt, quàm ludibria venti. Quicquid enim moliuntur, illud omne litat ſordidæ vanitati.

SYMBOLVM.

Et auulſa florent. *pag*. 183. *col*. 1

PICTVRA.

Lilio à radice exciſo datum eſt germinare, ſi ceſpes eius aquis limpidis immergatur.

APPLICATIO.

Anima gratiâ diuinâ cadens, à Deo exciſa iacet. Sed ſi immergatur aquis pœnitentiæ illico renouatur.

SYMBOLVM.

Et feci, & fregi. *pag*. 107. *col*. 2

PICTVRA.

Vermiculus aligerus vnde filum ſericum emergit, tumulum aptè ſibi condit, & inde quaſi rediuiuus exit, tumulo perforato.

APPLICATIO.

Reſurgenti Chriſto quadrat hoc ſymbolum. Quippe volens ille ſuo conditus eſt ſepulchro, & vltro necis ſe laqueo inſeruit, ſed & fregit manicas, & compedes mortis. Omnium hominum pendulas exuuias, orbe toto mors oſtentat in titulis vexillorum, quæ ſepulchris imminent, aut abſcondit in tumulis; ſed exurgens Chriſtus, pleroſque diræ morti eripiens, reduces excitauit.

SYMBOLVM.

Ex glacie tandem cryſtallus euaſi. *pag*. 37. *col*. 1

PICTVRA.

Aqua concreta gelu, fit cryſtallus.

Appli

APPLICATIO.

Volebat auctor huius ſymboli inſinuare aquam, quæ hyeme ſæuâ riget in rupibus mutari in cryſtallum, ita & ærumnis æquo animo acceptis, homines illi fortunæ ludibrio aſſuetos, fieri cryſtallinos, vt videre eſt in Paulo, qui Apoſtolatus ſui diploma accepit ſudore ſuo, & etiam ſanguine conſignatum.

SYMBOLVM.

Expetendæ opes, vt dignis largiamur. *pag.89. col 1.*

PICTVRA.

Matthæus Balbanus Lucenſis eques, galeam pinxit, in quam effuſi nummi aurei deſuper irruebant.

APPLICATIO.

Expetendæ ſunt opes vt conducant ad beatitudinem noſtram, quæ bonis dumtaxat operibus aſtruitur. At bonitas diuitiarum eſt in effuſione ſita, quia tunc noxiæ ſunt quando manu auara diues eas concludit pauperi denegatas.

F

SYMBOLVM.

Fit purior hauſtu. *pag.169.col.1*

PICTVRA.

PVteus inexhauſtus, cuius aqua magis hauſta ſalit, & ſcaturit, quò ampliùs exhauritur.

APPLICATIO.

Euchariſtia eſt perennis ſcaturigo boni omnimodi iuxta Vatis Iſaiæ effatum; cap.12. [Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris] Veſpaſianus Imperator Ægyptum luſtrando plebem hortabatur, vt ab ipſo velut à flumine Nilo bona omnia corrogaret. Haurite, inquit, à me tanquam à Nilo. Verius dixiſſet, haurite à me tanquam à nihilo, quippe nihil omne fuit, quod mortalis homo potuit elargiri. Chriſtus verò dona impertit, digna cælo, imo Deum dat, quando nobis ſe inſerit, Euchariſtiæ obſequio. Et quò ex hoc fonte maior prouentus affluit omnigeni boni, eò quoque Deus procliuior eſt, ad vberiores gratias ingerendas.

SYMBOLVM.

Fit tandem ſurculus arbor. *pag.42. col.2*

PICTVRA.

Surculus in arborem exurgens patulam, & proceram fuit depictus olim à Comite Mauritio, qui vt patris ſui Guillelmi Martiales animos induiſſe notum faceret, huic ſurculo puto voces præſatas inſcripſit. Nactus enim Batauos exercitus ad ducatum, eadem qua pater dignitate clarus, in arborem dicebat ſe excreuiſſe, cuius expanſis vſquequaque ramis opertus exercitus, irritos omnium hoſtium impetus faceret hac tutela.

APPLICATIO.

Ieſus vt deductus ex Adami carne licet ſit eiuſdem arboris ſurculus emergens, ipſo ſui ortus momento refert arborem totam, ipſo Adamo purior. Quippe plures in eum influxere dotes diuinæ, quàm aliàs in Adamum in ſtatu gratiæ procreatum.

SYMBOLVM.

Fœlici Numine creuit. *pag.308, col.2*

PICTVRA.

Fuit ſymbolum Regis Alphonſi, qui pingebat ſpicas emergentes è calice.

APPLICATIO.

Defluentis ex Euchariſtia gratiæ incrementa ditant animam, quæ calicis Chriſti particeps eſt. Nempe ſpicas creſcere in calice, perinde ſonat, ac Euchariſtiæ influxum augeri beneficio ærumnarum.

SYMBOLVM.

Fructus quia dulcis, & aſper. *pag.94. col.1.*

PICTVRA.

Palma ſacra victoriæ dactylos ſuaues guſtui profert. Sed obducta duro, & aſpero cortice oculis inhorreſcit.

APPLICATIO.

Religioſæ vitæ profeſſio, veſte quidem & victu auſtero durum quidpiam, & acerbum ſenſibus obuium præbet iis qui cortice tantùm tenus conſiderant illud aſperum inſtitutum. Sed alta quies, qua anima Religioſa læta frui ſolet, melle velut condit ea omnia acerba, quibus ſe obſtringunt omnes huius auſteræ regulæ profeſſores.

G

SYMBOLVM.

Gratia Dei ſum id quod ſum. *pag.51. col.2*

PICTVRA.

HEnricus IV. Rex Galliæ parto ſibi regno, cui natus erat, Europâ licet ferè totâ iuri eius contraria, pinxit literam, H, coronatam vocibus præfatis ei appoſitis, vt diadema ſuum, duntaxat vni debere Dei gratiæ teſtaretur.

APPLICATIO.

Ad nihilum deuenit homo, cùm peccauit, nec reuocare pedem à nihili abyſſo poteſt ex ſe. Quippe ſoli gratiæ diuinæ datur ſolidum tris impertire animæ pœnitenti.

H

SYMBOLVM.

Hac nitimur, hanc tuemur. *pag.427. col.2*

PICTVRA.

BAtaui vt in æternum forent vindices ſuæ libertatis, numiſma cuderunt, in quo erat liber Scripturæ ſacræ columnæ ſuppoſitus inſtar eius baſis, columnæ verò typus libertatis pileus imminebat. In limbo cuſi numiſmatis erant voces hæ: Hac nitimur, hanc tuemur. Id eſt, tota noſtra fiducia ſeu columna fixa eſt in Scriptura ſacra, quæ eſt baſis, cui noſtra ſecuritas innititur, ex qua libertas tota pendet. Vt ergo libertatem tueamur, nos quaſi pro aris decertantes, vtpote religionem propugnantes, huic Scripturæ totis viribus innitemur. Egregium reuera ſymbolum, ſi Scripturarum haberent illi librum, vt numiſma clamat; ſed pro bibliis acceperunt à Caluino hæreticam opinionum errantium colluuiem, ac proinde prauam fidei corruptelam.

APPLI

APPLICATIO.

Maria virgo liber eſt verè ſacer, columna fiduciam genuinè refert, quam conciliat pileus, ſiue libertas hominum quos gratia copioſa Dei filios reddidit adoptiuos. Huic libro, ſcilicet Mariæ, Dei gratia incumbit, ex qua fiducia noſtra tota pendet. Tueamur eam, ſcilicet gratiam. Quòd ſi expertes eius infauſtè ſumus, ea opportunè nobis eſt paranda libro illo, videlicet ſuffragiis Virginis illibatæ. Nempe codex ille ſacer & myſticus omnibus vſquequaque bonis eſt refertus, vnde librum hunc ſanctum euoluentes, vbertim gratiis aſperguntur.

SYMBOLVM.

Hæc conſcia Numinis ætas. *pag.*188. *col.*2

PICTVRA.

Paradinus ait Auguſti æuo viſam fuiſſe coronam ſpicis triticeis intertextam in cuius medio Sol plus ſolito radians emicabat.

APPLICATIO.

Auguſti æuo nemo ſciuit quid referret ea corona ſpicis intertexta ſolem rutilum cingens. Sed Chriſto illucenti & ſe ſiſtente panis ſub ſpecie eſt hæc conſcia Numinis ætas quæ ſolem iuſtitiæ coruſcare in conſecrata hoſtia confitetur.

SYMBOLVM.

Hero ſupereſſe nefas. *pag.*186. *col.*1

PICTVRA.

Plinius ait canem ſe inieciſſe rogo vbi corpus domini cremabatur.

APPLICATIO.

Moriatur anima mea Deus morte iuſtorum, immemor ſui, dum ſit memor tui, ô mi Ieſu pectore tom mihi vnicè excolende. In expiando tuo ſanguine, non me pœnitentiæ terreant acumina ingrata; adhærere tibi, etiam defuncto bonum eſt, cui Domino meo igne amoris conſumpto, nefas eſt ſupereſſe, commori nempe tibi, viuere eſt; viuere ſibi, mors eſt, quia qui ſeorſim à te Chriſte viuit, vt procul à vera vita iacet, ita vitæ expers, viuere dici nequit, ac proinde debet cum defunctis congruè recenſeri.

SYMBOLVM.

Hic ratio tentandi aditus. *pag.*16. *col.*2

PICTVRA.

Claues decuſſatæ, ſeu in modum crucis inſertæ.

APPLICATIO.

Claues regni cælorum ſunt penes ſacerdotes. Si vis eſſe vbi peruias cæli fores, conſule ſacerdotes.

SYMBOLVM.

Hic regit, ille tuetur. *pag.*48. *col.*2

PICTVRA.

Fridericus III. Imperator vſus eſt hoc ſymbolo, depicto libro, cui gladius incubabat.

APPLICATIO.

Ad iudices pertinere debet hoc ſymbolum. Quippe libro legis vti debent, vt ad amuſſim eius dirimant lites. Rurſus & exertum habere debent gladium, non ad reſcindenda ſolùm munera, ſed & ad iniqua capita reſecanda.

SYMBOLVM.

His dat Deus incrementum. *pag.*436. *col.*2

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Ludouici XIII. Regis Galliæ caſtiſſimi, qui lilia pingebat ad Solis radios explicata.

APPLICATIO.

Sponſus animarum paſcitur inter lilia, id eſt caſtitatis amore flagrans, influit in Virgines, concedens eis gratiarum omnium incrementum.

SYMBOLVM.

His innititur orbis. *pag.*122. *col.*2

PICTVRA.

Academia Altorfina librum pinxit, cui mundi globus erat innixus.

APPLICATIO.

Peſſum iret tota moles mundi, niſi eam literæ ſuſtentarent.

SYMBOLVM.

Hoc oriente fugor. *pag.*463. *col.*2

PICTVRA.

Stella, cui nomen Syrius oriente lupi fugiunt, non ferentes virtutem huius ſideris influentis.

APPLICATIO.

Beata Maria Virgo ſata in Syria, iure poteſt ſtella dici Syria. Statim atque fuit orta fugit ille lupus tartareus, qui tot Chriſtiano gregi clades intulit. Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonozor, quando dæmon plenè fuit ab hac oriente Virgine profligatus.

I

SYMBOLVM.

Iam fœliciter omnia. *pag.*568. *col.*1

PICTVRA.

CVm Philippus II. Rex Hiſpanus vxorem duxit Eliſabeth Valeſiam regio ſanguine Gallo ſatam, Hiſpani pinxere ſolem & lunam in eodem circulo coruſcantes.

APPLICATIO.

Statim atque Ieſus & Maria duo luminaria magna ſuis radiis illuxere toti Eccleſiæ, fœliciter omnia ſucceſſerunt.

SYMBOLVM.

Idem cantus, & gemitus. *pag.*537. *col.*2

PICTVRA.

Turtur auis quando gemit, eo & momento canit. Quod namque melos atque ſonus perſuauis, aliis eſt auibus, illud idem eſt gemitus turturi.

APPLICATIO.

Quando gemit homo pœnitens, tunc in cælo canunt, & iubilant Angeli de reſipiſcentia animæ collætantes. Imò pœnitentes quando reprobi flere putant, & gemere, tunc abeunt in iubilos. Lætatur enim anima pœnitentiæ fletibus irrigata.

SYMBOLVM.

Idem per diuerſa. *pag.*417. *col.*2

PICTVRA.

Sol per diuerſas orbis oras irradians, eſto promat varios effectus idem ſemper eſt.

APPLICATIO.

Quamuis orbe toto ſacra conficiatur Euchariſtia, vbique tamen idem Deus eſt, & influit abundanter.

Index Symbolorum.

SYMBOLVM.

Imperij ſpes alta futuri. *pag.570.col.1*

PICTVRA.

Henricus V. Rex Angliæ in vexillo ſuo regio pinxit coronam liliatam, quæ Gallorum eſt. Spe regni Galliæ illectus bellum inferens Gallis. Quaſi diceret: O milites hæc nos Galliæ corona manet, ſi heroum more graui huic bello fortiter incumbamus.

APPLICATIO.

Vbiqoe patent roſaria ſacra, ſeu coronæ Beatæ Mariæ Virginis, pendulæ namque ſacris in altaribus proſtant, ſpemque nobis conciliant regni cæleſtis, ſi recitemus ea quæ ſignificat illa nobis obiecta reſſera pietatis. Vt quid ergo ritus alios orandi, & demerendi Deum inueſtigas, inſta ſacro roſario, ſeu coronæ, penes quam eſt imperij ſpes altà futuri. Intimo corde totum te deuoue Virginis obſequio, & habe ratum ſaluos fore pios omnes Mariæ clientes, eos ſcilicet, qui illi deuotè ſicut congruit obſequuntur.

SYMBOLVM.

Impia ſub dulci melle venena latent. *pag.34. col.1*

PICTVRA.

Vas plenum melle confecto ex floribus aconiti, vnde virus apes, ſuxere ſimul cum rore cælitus influente.

APPLICATIO.

Voloptatis ſymbolum eſt iſtud: illa nihil omnino, niſi quàm ſuaue præfert, ſed faciendo fucos occultè necat animas quæ dulcibus illecebris captæ ſolent ſenſibus indulgere.

SYMBOLVM.

Impura quid audes. *pag.181.col.1*

PICTVRA.

Cothurnix auis garrula, & importunè loquax, quo plus luna micat, & coruſcat, eò magis ſe cruciat, & fit vt querulo cantu tenſis retibus aucupis innoteſcat.

APPLICATIO.

Eucharistia inter Sacramenta micat, ſicut inter ignes luna minores. Hæretici exoſi lumen; vtpote lucifugæ, & tenebriones, ſæuiunt in hanc Lunam. Sed ô hæreſis, impura quid audes? Sacrilega te tua loquela prodit, à recto fidei tramite defeciſſe.

SYMBOLVM.

Incerta animi decreta reſoluet. *p.67. col.2*

PICTVRA.

Sphinx dicitur fuiſſe quædam auis humana facie, proponens, & ſoluens ænigmata difficilia. Dicebatur ſphinx ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, id eſt à conſtringendo: Senſus enim eius ænigmatum ſtrictus erat, & obſcuras, requirens homines acie perſpicaci.

APPLICATIO.

Pertinere poteſt hoc ſymbolum ad Sacerdotes à confeſſionibus peritos, & induſtrios. Nam in re difficili, & patiente tricas, illi peritè ſciunt expedire nodos, qui ſtrictè ligant animas, à quibus in pœnitentiæ foro, ſeu ſolio conſuluntur.

SYMBOLVM.

In honorem. *pag.16.col.1*

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Ioannis XXIII. Papæ qui pingebat vas aureum, in honorem effictum, ita ratus eo vaſe ſuam dignitatem graphicè lineari.

APPLICATIO.

Prælati reuera, Deo ſic decernente vaſa ſunt ad honorem efficta, modo tamen aurei ſint, id eſt puri, & ſanctis animæ dotibus emicantes.

SYMBOLVM.

In vanum flamma laborat. *pag.532.c.2*

PICTVRA.

Salamandra genus eſt ſerpentis, quod ſic aſſueuit aquis, vt colligat inde frigus tantum, vt poſitum in fornace, nihil diſpendij ab igne ferendo patiatur.

APPLICATIO.

Pœnitentes aſſueti lacrymis non horrent tartareos ignes, & præſertim eos, quos excitat ardens libido, faces dum ſubmittit. Caſtitatis enim amor eos ſic inceſſit, vt contra rogum luxuriæ illorum anima congelaſcat.

SYMBOLVM.

In vnitate Deus. *pag.41. col.2*

PICTVRA.

Vrbanus VI. Papa voces has adiecit vni columbæ, quam pinxit cæleſti lumine radiantem. Eius æuo duas in partes ſciſſa fuit Eccleſia ſchiſmate ſacrilego, ideoque recte Pontificem illum, vt probaret ſe eſſe verum, & legitimum Pontificem vſurpaſſe ſibi ſymbolum vnitatis.

APPLICATIO.

Concordiæ ſymbolum eſt hoc. Quippe Deus eſt vbi ſunt duo, vel tres in eius nomine congregati. Omnium vnitatum prima, Deus eſt, & qui concordes eam participant illi profectò Deum habent ſuis cordibus inſidentem.

SYMBOLVM.

Iuſtitia pacem, copiam pax attulit. *pag.151. col.2*

PICTVRA.

Gregorius XIII. Pontifex, depinxit in icone pacem, & iuſtitiam, & adiecit cornu copiæ multiplici annonæ fœtum, & voluit apponi picturæ voces ſymboli prælibati.

APPLICATIO.

Symbolum illud bellè veris hoc effatum explicat, ſcilicet: Concordia res paruæ creſcunt, & diſcordia maximæ dilabuntur.

L

SYMBOLVM.

Labor omnibus vnus. *pag.48.col.2*

PICTVRA.

QVamuis apum multa coëant examina in vnum, & idem alueare, tamen omnes idem opus conficiunt.

APPLICATIO.

Vſurpare debent hoc ſymbolum conſules vrbium, quos diſcolor animus diſcordes ſæpe facit. Si namque volunt mellificare ſuis conciuibus, debent vnanimes, & concordes in bonum Reipublicæ conſpirare.

SYMBOLVM.

Leuiter ſi rangis adurit. *pag.541.col.2*

PICTVRA.

Vrticæ attritæ manum adinſtar ignis vrunt. Ideoque nomen, ab vrendo congruè ſortiuntur.

APPLICATIO.

Corpore toto diffuſus eſt tactus, ideoque patet inſidiis, & maximè libidinis, qua corpora mutuo contactu æſtuant, ſitque corporum illecebris id, quod ſequitur ex attritu vrticarum, quibus vel tantiſper admota manus, ſubitum concipit incendium, quo puſtulis exurgentibus morbida cruciatur. Hoc & moneo; ſi corpora attrectas, conflagrabis igne luxuriæ. Nempe caro ex contactu maximè Venereo ſcintillat,& magna ſuſcitat incendia. Itaque cautè fuge corporum ardens contagium, & ſecede, tua vt ſit caſtitas illibata.

M

SYMBOLVM.

Malè agentibus pauor. *pag.438.col.2*

PICTVRA.

SOl quo oriente feræ truces, & crudeles fugam capiunt, & ſe abdunt imis in antris, ita ſuæ vt conſulant vitæ, contra intorta ſpicula venatorum.

APPLICATIO.

Quiſquis attentè Deum ſibi proponit, opus quando ſuum auſpicatur, ille nequit delinquere. Dæmon namque fugit eos, quibus præſentia diuina ſolet iugiter affulgere. Si cunctatur homo peccare, viro aliquo inſigni aſtante, potiori ratione, Dei oculis dum ſe ſiſtit homo, ſuis inuigilat actibus, ne contingat ei committere, vnde Dei vindex oculus offendatur.

SYMBOLVM.

Malo mori quàm fœdari. *pag.49.col.2*

PICTVRA.

Mus Ponticus eſt adeo puritatis amans vt nitidum vellus ſuum ſœdare nolit, etſi vita eius vocetur in diſcrimen. Venator enim aduertens confugiſſe murem hunc in foramen, ſtercore fœdo totum inficit oſtiolum, certior effectus malle murem mori, quàm ſtercore conſpurcari.

APPLICATIO.

Diabolus vt perdat virgines puellas quæ caſtè viuunt ſeorſim ab aliis, extra domos earum multa parat fœda, puta ludos, epulas, & choreas. Sed caſtæ puellæ malunt remanere domi, quàm fœdari contagio hominum obſcœnorum.

SYMBOLVM.

Malo vndique clades. *pag.81.col.1*

PICTVRA.

Pingitur à Paradino lepus in circulo gladiis exertis armato, quibus extrema clades lepori iugiter intentatur.

APPLICATIO.

Symbolum hoc eſt animæ peccatis obnoxiæ quam conſcientia lancinat, & laceſſit poſt nefanda crimina perpetrata, vt ſcorpius animal virulentum, brachiis ſuis mentitur amplexus, cauda recondente lethale virus ſita, & Dæmones obiectis opibus, gloria, atque deliciis, amicos ſe ſimulant hoſpites; ſed vbi inſinuarint ſe ſe homicidæ illi ſpiritus, animas ſynderesi inquieta laniant, & iugi punctione rotum terebrant hominem, quem demum graſſante lue peccatorum, miſerè depaſcuntur. Conſcientia hominis nequam, malè ſibi conſcia, tremula ſemper eſt, & pauida ſicut, & lepores, & acta velut aculeis, puncturis ſemper eſt obnoxia. Dæmone ſic vltore, cui volens anima mancipatur.

SYMBOLVM.

Maturitate inclinantur. *pag.638.col.2*

PICTVRA.

Spicæ opimo frumento graues, deorſum inflexæ.

APPLICATIO.

Maria, & Ioſeph coniuges, vtroque ſuas alternante vices fuere geruli Chriſti infantis, & veluti ſpicæ ſacrum hoc frumentum electorum, ſua taberna paupere concluſe ſunt. Illæ duæ ſpicæ cælo iam maturæ, tantùm abeſt, vt ſe ſurſum euexerint, quin imò magis ſe meritorum pondere depreſſerunt.

SYMBOLVM.

Melior doctrina parentum. *pag.455.c.1*

PICTVRA.

Philomela ſeu lucinia auis adhuc rudis, & neſcia cantus, in ſyluis alias audiens auiculas garrulas, & loquaces, omnium aſpernatur auium cantum, vt parentis philomelæ ſuaue melos ebibat, à quo poſtea non recedit, deinceps vt edocta, tonos muſicos auribus ingerendo.

APPLICATIO.

Eſto caro demulceat, mundus alliciat, dæmon inſuſurret, ſemper adhære tuæ doctrinæ matris, ſcilicet Eccleſiæ, ſi non vis à recto cæli calle degener aberrare.

SYMBOLVM.

Meos ad ſidera tollo. *pag.133.col.1*

PICTVRA.

Auis quædam nuncupatur auis paradiſi, quæ dorſo ſuo pullos euehit, eos ab ouo docens ab infimis abhorrere.

APPLICATIO.

Crux inſtar auis huius eſt. Eos qui crucem baiulant, viciſſim illa gerit, & inſerit cælo quaſi ſequaces Chriſti crucifixi ad ſidera præeuntis.

SYMBOLVM.

Me prole & ſceptris Iuno ſecunda beat. *pag.496.col.2*

PICTVRA.

Iunoni pauo fuit auis olim ſacra. Vnde quia Iuno præeſſe coniugiis credebatur, pauo typus erat fœcundi coniugij. Maximiliani Imperatoris vxor, quatuordecim enixa liberos idoneos regno pinxit auem illam Iunoniam ſtipatam pullis innumeris, vt ſuam fœcunditatem hoc ſymbolo teſtaretur.

APPLICATIO.

Maria vocabatur vxor illa cuius erat hoc ſymbolum, quod titulo potiore quadrat alteri Mariæ ſcilicet Virgini Deiparæ, quæ tot filios habet, cælo natos, quot clientes qui ſe almæ parentis huius obſequio, conſtanti animo conſecrarunt.

SYMBOLVM.

Mergar, vt emergam. *pag.259.col.1*

PICTVRA.

Mergus auis eſt, ita nuncupata quia ſe crebrò immergit

immergit aquis, quibus abdita aliquandiu, tandem emergit longè ab eo loco, vbi viſa eſt antea delitere.

APPLICATIO.

Qui ſe immergit aquis pœnitentiæ, id eſt, lacrymarum, ille emergit, in gratiæ apicem, eò altiorem, quò demiſſior fuerit abyſſus, in quam ſe demiſit anima, dolore ſaucia. Quò namque magis aqua tumet, eò altius quoque nauem euehit ad ſuperna.

SYMBOLVM.

Monſtrant Regibus aſtra viam. *p.60. col.2*

PICTVRA.

Ioannes Rex Gallus olim inſtituit congregationem equitum, quibus ſtellam dedit in teſſeram, fortè Magos Reges inſinuans, qui ductu ſtellæ Regem Regum Dominum adorarunt.

APPLICATIO.

Chriſtiane tibi Deus aſtat pro foribus, ictu repetito crebrò pulſans ad oſtium cordis, & lumine deſuper illapſo næuos imò ſordes multas ingerens menti tuæ. Si cautior inde fias, benè tibi nempe ſapis aliquid regium. Sin verò ſecus abis per inuios calles, malè tibi, vtpote qui lixarum, & agazonum habeas ingenium, & haudquaquam regio iuſtorum tramite gradiaris.

N

SYMBOLVM.

Neſcit contagia terræ. *pag.48. col.2*

PICTVRA.

ALes quæ nuncupatur auis paradiſi ſuaues edit concentus, puro rore ſolùm paſta viuit. Eſt amica liberioris aëris, & diffuſi: nunquam incubat terris, ſed ex arbore pendula, vix vacat à volatu, ita vt huic volucri cadere in terram perinde ſit ac morte repentina citò citiùs expirare.

APPLICATIO.

Vobis, ô Sacerdotes, & Leuitæ quadrat hoc ſymbolum. Eſtis enim alites cæli, quibus ſacer ineſt cantus, & è cæln victus paratur annuus. Caſtitas annexa ſacro characteri veſtro, arcet à vobis omnem libidinem. Nempe mori perinde eſt Sacerdoti, ac voluptati corporis indulgere.

SYMBOLVM.

Nihil coinquinatum. *pag.467. col.1*

PICTVRA.

Gregorius XIII. Papa iubilæi anno cudit numiſma vbi templum erat oſtio aperto, ea cautione tamen, vt omnia impura procul huius à templi foribus arcerentur.

APPLICATIO.

Aptare potes hoc ſymbolum Euchariſtiæ, vel templo gloriæ, id eſt paradiſo. Etenim vtrobique Dei gratia petitur ad ingreſſum, & acceſſum, qui impuris omnibus inuius eſt. Siquidem inde nequam omnes homines expelluntur.

SYMBOLVM.

Nihil penna, ſed vſus. *pag.205. col.2*

PICTVRA.

Struthio eſt auis procera ſuas ſemper alas explicans ad volandum, ementito tamen volatu, quippe volare nequit, auſus eius, & conatus prægrandi corporis pondere prægrauante.

APPLICATIO.

O hypocrita, quid ventilare prodeſt pennas inutiles ad volatum. Plerique ſacro dum interſunt, alta gemebundi trahunt ſuſpiria, totique cælis hærent oculorum tenus, quos ſi extra ſacra prouoces ad virtutem, ad quam collimare debent vota, preces, & affectus, illi protinus reſiliunt à virtutum praxi. O hypocrita. Nihil penna, ſed vſus. Vtere affectibus ad effectus, & non ad faſtum, atque fucos. Quid dimidias ſacrificium Chriſti? id eſt, quare totum te offers eius obſequio deuouendum, & dum ingruit occaſio virtutis obeundæ, vt refuga detrectas praxim, cui te voce, fletu, ſuſpiriis, & erectis in cælum oculis addixiſti. Hoc igitur eſto ratum, debere manus hominis eſſe ſubſtratas alis, id eſt debere vota boni agendi, ad opera congrua reuocari.

SYMBOLVM.

Non aliter. *pag.169. col.1*

PICTVRA.

Marchio Pignenius pingebat palmam exponentem Soli dactylos ſuos, vt ad maturitatem peruenirent, eius radiis impregnati.

APPLICATIO.

Hoc lemma notat, nos inſcio noſtro Sole, Deo videlicet, poſſe quidpiam exercere perfectum. Omnis enim noſtra induſtria deficit, & eſt caſſa niſi influente Dei gratia cælitus adiuuetur.

SYMBOLVM.

Non cernuntur, & adſunt. *pag.165. col.2*

PICTVRA.

Philippus Spinola Cardinalis Solem depingebat, quem etſi quandoque nubes obumbrent, obſtare tamen nequeunt quin influat, eſto nemo videat hos influxus, qui ſe actione magis explicant, quàm aſpectu à quo non eſt ſemper ſincera rerum veritas expetenda.

APPLICATIO.

Caluinus malè negat præſentiam Chriſti in Euchariſtia, quia pane conſecrato nihil omnino noui occurrit oculis, vnde peti poſſet diuini illapſus euidens argumentum. Eſto nubes ſpecierum panis, atque vini, huiuſce Solis aſpectum oculis adimant, illæ tamen ſenſibus obiectæ nubes non obſtant, quin Chriſtiana fides eum aſpiciat, & charitas influxus eius percipiat, qui non deſinunt eſſe, licet non corporeis ſenſibus explicentur.

SYMBOLVM.

Nocuit eſſe locutum. *pag.165. col.2*

PICTVRA.

Poſt mortem Cardinalis Caraffæ, qui de medio ſublatus eſt ob iactata quedam conuitia in ſummum Pontificem Pium IV. pinxit æmulus eius anſerem, cui clamare necem conciliat. Dum namque volant anſeres circa montem Taurum aquilis fœtum lapillum roſtro tenent, ne quidpiam ore ſonent. Cùm verò incautè clamant aquilas excitant, quæ garrulas, & loquaces aues deuorant deſuper irruentes.

APPLICATIO.

Turpiloqui homines, blaſphemi, periuri, detractores, dæmones prouocant, à quibus miſerè diſcerpuntur.

SYMBOLVM.

Non cognouerunt lucem præſentem. *pag.233. col.2*

PICTVRA.

Henricus III. Rex Galliæ, Caluiniſtis in Gallia graſſantibus,& hæreſeos lethale virus ſpargentibus, in icone cudit veſpertiliones, qui eſto luce ſolis eſſent circumfuſi, magna tamen cæcitate læſi velut in tenebris oberrabant.

APPLICATIO.

In veſpertilione prodit ſe hæreſis ingenium. Nam neque Scripturæ ſacræ credunt hæretici, neque doctoribus. Quippe ſibi indixere ſolum hoc negotium, videlicet, illu accenſo gratis, & prætenſo ſacro fidei lumine cæcutire.

SYMBOLVM.

Non mihi ſancta licent. *pag.215.col.2*

PICTVRA.

Porcus extra fores templi.

APPLICATIO.

Symbolum hoc pertinet ad omnes, quos peccata ſues, ſeu porcos turpiter effecerunt. Hi namque procul eſſe debent ab Euchariſtia. Nempe frequentare ſacra nefas eſt homini qui ſordeſcit. Caſta placent ſuperis, & peruia ſunt tantùm animis illibatis.

SYMBOLVM.

Non mihi Domine, ſed nomini tuo da gloriam. *pag.56.col.2*

PICTVRA.

Marcus Barbaricus Dux Venetiarum, martiales impetus dirigendo, Dei ad gloriam, ingenioſè ſui ipſius imaginem, & teſſeram expreſſit, Herculem depingendo ſæui leonis fauces fortiter elidentis.

APPLICATIO.

Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Sed occurrendo Dei gratia inſtructis hominibus, ab illis proſternitur, nec idcirco tamen gloriatur homo, ſciens omne decus & honorem victoriæ de leone, eſſe penes nomen Domini refundendum.

SYMBOLVM.

Non mihi ſed Chriſto. *pag.515. col.1*

PICTVRA.

Celſus Dux Venetorum poſt inaugurationem ſuam numiſma cudit, in quo ducalis erat pileus, cui inſutus erat crucifixus, inferre volens non deferendum eſſe decus, & obſequium ducali pileo tantùm, ſed præcipuè Chriſto Domino crucifixo.

APPLICATIO.

Chriſtiane tuis omnibus operibus, & præſertim laude dignis inure typum Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi,ne fortè vanæ gloriolæ prurigo moleſta tibi meritum ſubripiat. Et memento, nihil te poſſe cælo dignum exerere inſcio crucifixo.

SYMBOLVM.

Non inferiora ſequutus. *pag.49.col.1*

PICTVRA.

Margarita Valeſia filia Henrici II. Regis Galliæ nupſit Henrico IV. Regi Galliæ. Vtque ſuum regium animum exprimeret depinxit in icone florem illum qui cum ſole gyrat ſemper, adiiciendo voces in deſcripto ſymbolo lineatas.

APPLICATIO.

Anima prædeſtinata, cæli regno nata rebus infimis non capitur. Sed duntaxat vni Chriſto nubit, cui iugiter adhæreſcit.

SYMBOLVM.

Non poſſum aliò me vertere. *pag.498. col.2*

PICTVRA.

Heliotropium, ſeu Solſequium, non poteſt impedire gyros, quos ab illo petit & extorquet è cælo Solis radius influentis.

APPLICATIO.

Ille reuera typus eſt perfectæ obedientiæ. Illa namque gyrat, & vertitur ad arbitrium Dei, qui mediante ſuperiore iubet. Neque verus obediens, vnquam ab illo poteſt tramite declinare.

SYMBOLVM.

Non quæ ſuper terram. *pag.48.col.2*

PICTVRA.

Cardinalis à Turnone ſuo æuo potens, vtpote moderatus habenas regni, pinxit manna cælo fluens quaſi hac picturâ dicens, ſe non terrena gloria delectari.

APPLICATIO.

Anima noſtra cælo ſata, nihil in terra debet ambire, ſed duntaxat vnum ad cælum anhela debet votis omnibus aſpirare.

SYMBOLVM.

Non veni mittere pacem ſed gladium. *pag.235.col.1*

PICTVRA.

Caluinus homo natus in perniciem hominum, aptè ſibi hoc ſymbolum finxit, depicta manu gladium exertum vnicuique viro obuio prætendente. Inſtitutiones eius virulentæ, primam paginam habent, hoc crudeli ſymbolo deformatam.

APPLICATIO.

Hoc ſymbolum apprimè notat hæreſis ingenium. Nempe primò manum offert, omnia blanda,& perhumana ſonans. Sed poſtea perfida mentitur, & tragœdias excitat, gladio inhumanè pio fidelium ſanguine cruentato.

SYMBOLVM.

Nulli cedit. *pag.64.col.1*

PICTVRA.

Andreas Vandraminiexplicare volens infractum animi robur depinxit proceram quercum, quam nulla ventorum flabra poterant euertere, illorum conſtanter impetus eluctantem.

APPLICATIO.

Magni roboris, & virtutis eſt, non cedere vanitati.

SYMBOLVM.

Numine Cæſareò, plenus vterquè polus. *pag.450. col.1*

PICTVRA.

Caroli Quinti Imperatoris fuit hoc ſymbolum. Ille duas columnas ſuppoſuit ſtellis vtriuſque poli,

&

& mediam inter has columnas Imperij aquilam explicauit.

APPLICATIO.

Aſſentationis opus reuera fuit hoc ſymbolum. Nemo namque toti præfuit orbi. Sed in gratiam Virginis Mariæ poteſt hoc vſurpari encomium.

Numine Virgineo, plenus vterque polus.

Etenim in Eccleſia militante, & patiente viget eius auctoritas. Illa quippe Dei gratias imperat militantibus in hoc æuo, & multorum in Purgatorio concluſorum temperat incendium.

SYMBOLVM.

Niſu maiore reſurgunt. *pag.650.col.2*

PICTVRA.

Mare vndoſum fluctus cælo tenus euehens, qui ſe depreſſerant vſque ad abyſſos antea deprimentes. Nam quò validior aora quatit aquas, illæ velut vento fœtæ tument, & ſe attollunt cælitus impregnatæ. Sed quò altiùs vndæ furunt, & aſſurgunt, eò etiam humiliùs illico demittuntur.

APPLICATIO.

Eſt humilitatis ille typus. Quo namque maior influxus gratiæ diuinæ pias animas afflat, eò maiores impetus anima concipit ad ſuperna. Sed ille valens, & elatus ad diua niſus nihil obſtat, quo minus mens eadem, ſe deiiciat, humilitate eam deorſum protinus inclinante.

O

SYMBOLVM.

Obſtacula cedant. *pag.97.col.1*

PICTVRA.

ACademia Altorfina pinxit vinitorem, qui amputabat in luxuriante vite nouos ſurculos enaſcentes.

APPLICATIO.

Ad religioſam paupertatem ſpectat ſymbolum illud, illa namque putat & euellit opes ſuperfluas, quæ obſtant perquam ſæpe, ſua ne virtus capiat incrementa. Putationis ei tempus ſemper adeſt, ſcilicet paupertati. Quippe nouit inopia ſancta vitam religioſam purgari, quia in egeſtate magis, quàm in diuitiis, gratiæ & virtutum fructus vberes enaſcuntur.

SYMBOLVM.

Obſtantia nubila ſoluit. *pag.26.col.1*

PICTVRA.

Cæſar Dux Mutinenſis pinxit ſolem rutilum, & coruſcum, qui obductas cælo nubes atras diffuſo lumine diſſoluebat.

APPLICATIO.

Pertinet ad Prælatos hoc ſymbolum. Quò namque magis eminere videtur homo, lucis etiam eò plus habere debet, id eſt gratiæ, & virtutis, vt vitiorum omnium tenebræ diluantur.

SYMBOLVM.

Onus immenſum, vires infractæ. *pag.442.col.1*

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum ſummi cuiuſdam Pontificis qui pinxit Atlantem omnia mundi pondera ſuſtinentem.

APPLICATIO.

Quadrare poteſt hoc ſymbolum Deiparæ Virgini, quæ ſua pietate curam gerit orbis vniuerſi, nec idcirco tamen illa parens alma, & prouida fatigatur. Bernardus ſermone 4. de Aſſumptione dedit anſam huic applicationi, ita fatus [Hæc eſt, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. Conſtat enim, pro vniuerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: Ne timeas Maria, inueniſti gratiam vtique, quam quærebas.]

SYMBOLVM.

Operatur & cubans. *pag.669.col.2*

PICTVRA.

Gallina fouens oua, quibus incubat. Sic namque ſuos educit pullos è vitello, licet videatur eſſe deſes, dum ſic decubat inſtar volucris otioſæ.

APPLICATIO.

Conuenire poteſt hoc ſymbolum Sancto Ioſeph, qui nec dormiendo fuit otioſus, imò ſuo in ſomno mira didicit arcana fidei noſtræ, audiens ab Angelo reconditum eſſe Ieſum vtero Virginis illibatæ. Aliàs & dormiendo nouit eodem ab Angelo monitus, inſidias quas nectebat homo ſæuus, & crudelis, ſcilicet Herodes, Domino Redemptori.

SYMBOLVM.

Operoſior, vnde ſplendidior. *pag.9. col.2*

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Friderici Strozzi qui pingebat lunam orbe pleno claram, ac proinde magis effuſis radiis influentem.

APPLICATIO.

Quò plura lucis, & dignitatis habent incrementa viri aliis præfecti, eò maiora debent exempla dare boni operis exantlati.

SYMBOLVM.

Orbis iter. *pag.85.col.1*

PICTVRA.

Sphæra mundi, cui cancer retrogradiens incubat.

APPLICATIO.

Ille typus eſt hominum, qui in hoc mundo degunt, & præſertim diuitum, quos cùm eo intento Deus ediderit, vt rectà cælum petant elargiendo bona pauperibus, illi contra quaſi retrogradi, præcipites ad tartara deuoluuntur.

SYMBOLVM.

Orior & morior. *pag...col..*

PICTVRA.

Sol ſtatim atque ſui ortus initium accepit, vergit ad occaſum.

APPLICATIO.

Cunæ primi hominum thalami ſunt, tot etiam tumulos arguentes. Et iuxta ſcitum Bernardi; affinia ſunt, orior, & morior.

P

SYMBOLVM.

Pax patet inſidiis. *pag.69.col.2*

PICTVRA.

PHilippus II. Rex Catholicus Batauos ſeu Hollandos videns defeciſſe ſuo ab obſequio, & coaluiſſe in Rempublicam exoſam nomen Hiſpanum, armis aggreſſos fruſtra tentauit obſequiis poſtea delinire. Sed Batani ex perfidis facti & infidi detrectauere fidem adhibere ſuis æmolis ſcilicet Hiſpanis, & cuderunt numiſma ferens imaginem pacis, quam ferreæ manicæ, & circumfuſi compedes obſidebant.

APPLICATIO.

Symbolum eſt hoc animæ prudentis, & cautè ſuæ ſaluti operam dantis. Sancti omnes vigiles excubias egere ſuo æuo toto, licet enim à tentatione ſæpe vacarent, in feriis & induciis à diabolo hoſte datis, ſubodorati laqueos, animum à virtutum praxi minimè relaxabant.

SYMBOLVM.

Per tot diſcrimina rerum. *pag.35.col.1*

PICTVRA.

Maximilianus Imperator multis & grauibus ærumnis iactatus, Imperium nactus diuturno bello lacerum, vbi tandem copioſum hunc ſudorem terſit, malo punico depicto voces has adiecit. Eſt autem huiuſce pomi indoles, & natura vt pomum illud corona cingatur eo tempore, quo formantur intus multiplices acini rubentes, vt ſanguine cruentati. Imperator ille typo mali punici voluit inſinuare ſibi magno conſtitiſſe decus Imperij, nec tot eſſe rubros acinos in pomo coronato duros quot agones erat fortiter eluctatus.

APPLICATIO.

Chriſtiane, cæli ſi te cupido tenet, memor eſto coronæ mali punici, quæ ſanguine paſta viget. Nullas omnino tibi præfige metas laborum, quos ſcito iuges, & acerbos eſſe debere, cælum vt dignè tibi concilient. Quippe mala, ſeu anguſtiæ iuſtorum, non ſuccedunt ſibi tantùm, ſed inuicè connectuntur.

SYMBOLVM.

Pignora chara ſui. *pag.294.col.2*

PICTVRA.

Paradinus pinxit crucem infixam pani, quaſi verò panis eſſet ſuppedaneum crucis. Et illa duo, ſcilicet crucem, atque panem eſſe Dei chara pignora proteſtaretur.

APPLICATIO.

Conſtat apud omnes Chriſtianæ vitæ profeſſores vſum frequentem Euchariſtiæ, atque cruces æquo animo acceptas eſſe Dei amoris in nos locupletes argumentum. Rurſus Chriſtus ipſe pani infixit crucem, quando ſuæ paſſionis memoriam habendam ſanxit in Communione, ſicque panem, atque crucem in vltima cœna, velut chara ſui duo pignora ſociauit.

SYMBOLVM.

Pinguium conuiuium fecit in monte hoc. *pag.645.col.2*

PICTVRA.

Iſaiæ Prophetæ voces ſunt hæ cap.25. quas Sixtus V. Papa ſibi in ſymbolum ſumpſit alludens ad patriam ſuam, cui nomen erat Mons altus. Pontifex ille natus humili loco volens illuſtrem facere patriam ſuam, præfecit ei Epiſcopum, ignotum antè locum dignatus Epiſcopali ſede. Et nequando talis gratiæ vnquam memoria excideret, icones prægrandes cudit vbi typus erat vrbis in monte ſitæ, è cuius vertice ſpicarum magnus cumulus emergebat.

APPLICATIO.

Iuſti omnes cenſentur nomine montis, iuxta Vatis hoc ſuaue oracls. Pſalm. 35. [Iuſtitia tua ſicut montes Dei] Res eſt vernacula montibus, vt ex eis emergant ſpecioſi flores, ita, & qui aliis eminent ſanctitate, florent vberius, & polymitis gratiæ floſculis, præ aliis omnibus innoteſcunt. In his montibus excelſis, lautè Deus facit conuiuium pinguium, quando ſe apponit in ſegetem, & frumentum electorum, faciendo ſuos conuiuas participes adipis frumenti, & vini, vt opiparè illorum anima ſaginetur.

SYMBOLVM.

Poſt nubila Phœbus. *pag.174.col.1*

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Henrici IV. Regis Galliæ qui pingebat in icone Solem rutilum poſt largos imbres deſuper influentes. Rex hoc intendebat, ſcilicet poſt largos fletuum imbres, quos bella cient, ipſum tandem depoſito nubilo, coruſcare.

APPLICATIO.

Antequam gratia diuina ſuos explicet radios in Euchariſtia, neceſſe eſt præire fletus. Nam Sacramentum iſtud pœnitentis imbre madens, adiicit amplius gratiæ diuinæ, ſeu luminis incrementum.

SYMBOLVM.

Præda patet eſca ſui. *pag.124.col.1*

PICTVRA.

Piſcis nomine purpura linguâ præacutâ viget, quam aſtutè vibrat in oſtrea vicina ſibi, quæ hac punctione excitata, explicatas conchas illico complicant & piſciculum prædonem ea parte tenent, & concludunt, quam protulit indiſcretè.

APPLICATIO.

Plerique effuſi in verba obſcœna, periuria, & conuitia, exertâ linguâ malè pereunt facti præda eorum, quos ſugillant. O homo vaniloque, ea parte quam effundis, nempe tuâ linguâ, ſæuo hoſti diabolo præda pates eſca tui. Caue ergo tuam ne animam, lingua procax & garrula deprædetur.

SYMBOLVM.

Præluceamus. *pag.8.col.1*

PICTVRA.

Ioannes Angliæ pingebat ignem de montis vertice prælucentem.

APPLICATIO.

O Prælati euecti eſtis ſuper candelabrum. Verbo, & opere prælucete.

SYMBOLVM.

Pro ara, & regni cuſtodia. *pag.48. col.2*

PICTVRA.

PICTVRA.

Fuit hoc ſymbolum Henrici IV. Regis Galliæ qui in icone cudit gladium exertum, in ara ſitum, corona deſuper eminente.

APPLICATIO.

O nobiles ſit gladius veſter aræ ſacer, atque Regi, & non cruore rubens, ob priuata conuitia, quæ diſcutiendo plerumque necem corpori, & animæ conſciſcunt, aræ litet, & coronæ robur animi veſtri, nec ob ſimultates vnquam gladij acies exeratur.

SYMBOLVM.

Profert quæcunque clara. *pag.630.c.1*

PICTVRA.

Vas chymicum nomine balneum Mariæ diſtillationi aptatum, immutat quicquid ei ingeritur, & egerit illud inſtar cryſtalli lucidum, & coruſcum.

APPLICATIO.

Maria Virgo fœdum omne procul arcet, horret enim turbidum, & obſcurum. Quiſquis eam demerere curat, & ambit habere nomen clientis Mariæ, fit vt balneum Mariæ, quod clara profert, ſtillans omnia defæcata. Ille morem gerat Paulo ſic monenti Philippenſes cap.4. [Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.]

SYMBOLVM.

Pro talibus auſis, *pag.529.col.2*

PICTVRA.

Icarus in præceps actus, quia incautè niſus eſt ad ſuperos euolare.

APPLICATIO.

Reuerà plumis affines ſunt ſenſus noſtri: nos enim efferunt in aëra incautos Icaro perſimiles, cuius alæ infideles eum de edita aëris ora deorſum egere præcipitem, & ſic miſerè perdiderunt. Ita leues, & effrænes ſenſus dum animam extra ferunt, eam tandem allidunt ad ſcopulos, vnde nequit poſtea repedare.

SYMBOLVM.

Puro fœcunda rore. *pag.364.col.1*

PICTVRA.

Concha, cuius ergaſtulo, margarita concluditur. Concha illa reſerata, & perfuſa rore diuites parturit vniones.

APPLICATIO.

Anima lacrymis irrigata, velut rore cæli perfuſa Deum concipit, & ad ardua audenda, Dei mediante gratia fœcundatur.

Q

SYMBOLVM.

Quæque latent meliora puta. *pag.175. col.1*

PICTVRA.

Sileni Alcibiadis, extra viles, ſed pretioſi intus, & egregia ſpecie præfulgentes.

APPLICATIO.

Hoſtia conſecrata, nihil deforis obiicit oculis præter elementa panis. Sed Deus ipſe latet ſub his vilibus inuolucris.

SYMBOLVM.

Qui volet. *pag.547.col.1*

PICTVRA.

Sebaſtianus Rex Luſitaniæ nullo derelicto hærede, fatis ceſſit. Plerique Reges, & Principes litigabant ſpe regni concepta; ſed Philippus II. Rex Hiſpanus exercitu numeroſo conſcripto ſuum ius adſtruxit, & ſubiecit regnum, agmine præpollente. Deinde numiſma cudit præferens equitem cataphractum, haſta ſua prætendentem coronam auream. Quaſi diceret: Multi contendunt de corona Luſitana, ſed illa ſolùm manet eos quos reperit animo cataphracto.

APPLICATIO.

De cæleſti regno plures cogitant, & loquuntur, pauci verò manus explicant ad certandum. Corona tamen hæc æterna proſtat armis, & ſanguine demerenda.

SYMBOLVM.

Quod leuis alta peto. *pag.91.col.1*

PICTVRA.

Fumus aſſurgendo cito citius euaneſcit.

APPLICATIO.

Opera bona, plebis applauſu parta, ſuo merito cadent quando petent alta. Illic enim ſuperbiæ turbine quatientur.

SYMBOLVM.

Quò ſum vocatus. *pag.206.col.2*

PICTVRA.

Ioannes Mediceus Cardinalis depingebat Aaron Sacerdotem cum thuribulo ſtantem in crepidine altaris attonitum, ſe vocari ad ſacra Dei commercia, etiam Angelis adoranda.

APPLICATIO.

O Sacerdos quando ſacris ſiſteris altaribus, obſtupeſce tuæ recolens animæ vilitatem.

R

SYMBOLVM.

Recedant vetera. *pag.459.col.1*

PICTVRA.

Fridericus Rex Siciliæ pingebat manum librum rogo immittentem corona deſuper eminente,

APPLICATIO.

Homo memor iniuriarum, ſi has igne amoris vrit, eas remittendo, ſibi texit coronam gloriæ immortalis.

SYMBOLVM.

Reddent clariorem. *pag.511.col.1*

PICTVRA.

Emunctoria quando emungunt candelam, illam efficiunt plus ſolito clariorem.

APPLICATIO.

Correctio fraterna vices opportunè gerit emunctorij. Profectò rarus eſt is, quem non obumbrat aliqua nubecula. Quippe nemo ſine crimine viuit: homine emuncto, ſiue correctionis obſequio emendato, diluetur vmbra peccati, quæ caliginem hactenus offundebat.

SYMBOLVM.

Renouamini. *pag.142.c.2*

PICTVRA.

Qui naturæ rimas penitius inueſtigare ſolent, aiunt aquilam cùm ſeneſcit aquis immergi, & alas ad Solem explicare, vt hoc ſidere irradiante plumæ incaleſcant, & inutiles factæ laxiores flabris ventorum concuſſæ cadant, & his ſuccedant recentiores pennæ, quibus renouata fiat aptior ad volatum. Et hac induſtria cauta, vita aquilæ propagatur.

APPLICATIO.

Volare neſcit ille, qui nimia grauedine præpeditus ait Pſalm. 37. [Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſuns ſuper me.]O reprobi eſtis & vos eadem mole vetuſtatis præpediti, Chriſtus vos pullos ſuos prouocat ad volandum. Cauſamini vetuſtatem,& ineptas alas,Renouamini. Veſtri affectus alæ ſunt, itur ad Deum, non pedibus, ſed affectibus. Veternoſos affectus alluite lacrymis, & deflete quæque mala, noxiè perpetrata. Siſtimini quoque Soli, id eſt, attendite ad Ieſum, vt eius gratia affulgente prauus appetitus nauſeet ad optata prius, & acuatur ad ſapienda Deum ſpectantia, vt ita demum,Chriſtum anima conſequatur.

S

SYMBOLVM.

Semine ab æthereo. *pag.176.col.2*

PICTVRA.

SVnt margaritæ cælo ſatæ. Concha expanſa rore paſcit eas abundè, donec illæ molem vnionum congruo tempore nanciſcantur.

APPLICATIO.

Chriſtus eſt margarita cælo ſata.Sed illa ſitit margarita volens largè ſibi lacrymas à pœnitentis anima propinari.

SYMBOLVM.

Sequar quocunque vocabis. *pag.308. col.2*

PSCTVRA.

Heliotropium ab oriente gyrans vſque ad occaſum,ad Solis arbitrium,illud dulciter inflectentis.

APPLICATIO.

Anima Chriſtiana Ieſum vltro ſequi debet non vocantem ad montem Thabor tantum, ſed etiam ad amara omnia prouocantem.

SYMBOLVM.

Sic mitte ſagittam. *pag.484.col.1*

PICTVRA.

Pauli III.Papæ fuit hoc ſymbolum. Pingebat ille telum directum ad ſcopum album. Quaſi diceret ſe omnium honorum ſummum attigiſſe,albicante fine ſuo omni operi præſtituto.

APPLICATIO.

Anima Chriſtiana tibi præfige Deum in ſcopum, cui ſi alium ſubſtituis, profecto niger erit ſcopus ille tibi infauſtè ſuam affingens nigredinem. Deo, qui tibi intimus eſſe debet ſatagito placere ſolùm, nec extra te deuius auram popularem aucupans noxiè diuagator.

SYMBOLVM.

Sic ſopor irrepat. *pag.669.col.2*

PICTVRA.

Gunthramnus Rex Burgundiæ dormiendo vidit in antro prædiuites eſſe gazas. Euigilans ſe contulit in ſpeluncam locuplete theſauro fœtam, vbi ingentem vim auri abditam reperit vnde voces has deſcriptas erat ſolitus vſurpare.

APPLSCATIO.

Dormiendo Ioſeph didicit eſſe gazas prædiuites in vtero Mariæ, ſcilicet Ieſum, in quo ſunt theſauri ſcientiæ,& ſapientiæ Dei; ideoque ſopor eſt ſimilis exoptandus.

SYMBOLVM.

Sic tua nos virtus. *pag.433.col.1*

PICTVRA.

Dicitur eſſe quidam piſcis afflans odorem gratum,cuius fragrantia capti alij piſciculi, eum ſemper ſtipant agmine copioſo.

APPLICATIO.

Mariæ quadrare poteſt hoc ſymbolum, illa namque cælis eripuit Angelos, vt ſuaueolenti ſibi Virgini ſiſterentur.

SYMBOLVM.

Scuto ipſe recondor. *pag.298.col.1*

PICTVRA.

Euchariſtia ſacra ſita in clypeo.

APPLICATIO.

Chriſtus ei Clypeus eſt apud quem diuertit in Communione, iuxta Vatis oraculum [Scuto circumdabit te veritas eius]

SYMBOLVM.

Si Deus pro nobis, quis contra nos. *pag.134. col.2*

PICTVRA.

Tredecim tribus Heluetiorum, cudêre numiſma, manus vbi pendula tenebat tredecim ligamina, vocibus adiectis in ſymbolo deſignatis.

APPLICATIO.

Reuerà Dei manu,id eſt auxilio deſuper influente,niſus erunt caſſi noſtrorum omnium æmulorum.

SYMBOLVM.

Si ſerenus illuxerit. *pag.169.col.1*

PICTVRA.

Arbores exponentes ſoli coruſco ſuos fructus,vt dignentur maturitate, cuius ſemper expertes erunt, niſi ſole deſuper influente.

APPLICATIO.

Quicquid gratia diuina ſuis illuſtrat radiis, illud eſt apprimè ſuis omnibus numeris abſolutum.

SYMBOLVM.

Solemque ſuum ſua ſidera norunt. *pag.72.col.1*

PICTVRA.

Sol ſtipatus ſtellis, quæ ab illo ſua lumina mutuantur.

APPLICATIO.

Animæ prædeſtinatæ fato ſaltem inſtante Soli iuſtitiæ fortiter adhæreſcunt.

SYMBOLVM.

Sola dicata luci. *pag.473.col.1*

PICTVRA.

Maria Angliæ Regina, ſuum in ſponſum duxit Philippum II. Regem Hiſpaniæ. Erat Princeps

ille

ille velut fax Europæ toti illucens bello, & pace clarus animum Regina ſuum teſtatura gratum in gratiam nuptiarum numiſma cudit vbi Phoſphorus ſtella lucis, iuxta ſolem ſimila videbatur.

APPLICATIO.

Mariæ Reginæ cæli quadrat hoc ſymbolum. Illa namque ſola fuit dicata luci. Quippe ſui à conceptione fuit gratiæ radiis illuſtrata.

SYMBOLVM.

Sordida pello. *pag.256.col.2*

PICTVRA.

Ventilabrum quo à feſtucis paleæ ſecernuntur.

APPLICATIO.

Cardinalis Criuelli fuit hoc ſymbolum quo ſignificabat, ſe non ferre malos, neque mores eorum noxios, imò magis eos odio habitos longius amandare.

SYMBOLVM.

Spes altera vitæ. *pag.279.col.1*

PICTVRA.

Paradinus pinxit ſpicas è ſepulchro virides emergentes.

APPLICATIO.

Ex pinguedine cadauerum exurgit adeps, qui frumento ſato dat multiplex alimentum. Ita necis Chriſti liuor defluit in Eucharistiam, quæ eſt ſpica virens, & morte rerum omnium Domini ſaginata. Quiſquis ergo vitam recreare parat ea ſpica, & optat huius frumenti adipe paſci, ille necem Chriſti Domini meditetur.

SYMBOLVM.

Suo perit exemplo. *pag.130.col.1*

PICTVRA.

Vipera naſcendo necem conciliat matri, quam & ipſa debet à viperis filiis expectare.

APPLICATIO.

Iuſto Dei iudicio contingit vt ingrata proles, iniuria parentibus, filios habeat & ingratos vindices ærumnarum antea Patribus illatarum.

SYMBOLVM.

Superat, quia fuſa liquores. *pag.104. col.2*

PICTVRA.

Oleum oliuarum aliis liquoribus immiſtum ſupernatat.

APPLICATIO.

Eleemoſynæ ſymbolum eſt hoc. Sanguis Martyrum effuſus eſt pro aſtruenda fide, & pro peccatis diluendis, lacrymæ pœnitentum largiter effluxerunt. In extremo tamen iudicio, nulla fiet mentio ſanguinis Martyrum, neque fletus hominum, qui in meliorem ſeſe recepere frugem. Sed Chriſtus eleemoſynas erogatas pauperi recenſebit. Sic eleemoſynam ſuperare vides, alios omnes, quia fuſa liquores.

SYMBOLVM.

Suſtinet non fatiſcit. *pag.685.col.1*

PICTVRA.

Andreas Grittus Dux Venetiarum explicare volens inſigne robur animi quo vigebat, ſe expreſſit in icone cudens Atlantem terræ globum humeris efferentem.

APPLICATIO.

Cæleſtes animos haudquaquam terra premit. Quamuis enim ex officio terrena gerant munia, non fatiſcunt. Nempe ſolent terrenis omnibus eminere.

SYMBOLVM.

Suſtinuere diem. *pag.227.col.1*

PICTVRA.

Ita ſuos tentat aquila pullos, an ſint adulterini fœtus. Illa Soli coruſco recens editos obiicit, & obſeruat an aduerſo Sole nitent oculi. Quod ſi ferre Solem nequeunt, illa ſicut degeneres hos excludit vngue vindice laceratos. Alios verò fouet, & enutrit vti legitimos, qui ſuſtinuere diem oculo non nutante, quia lux aquilis eſt ſinceræ prolis, & ingenuæ ſobolis argumentum.

APPLICATIO.

Sic eſt hominum indoles exploranda, pia ſit necne; vt videlicet illi cenſeantur eſſe pij, qui frequentes ſacris interſunt, alij verò ſecus impij, qui à Miſſa abhorrent, & ab aliis quoque ſacris ſunt penitus alieni.

T

SYMBOLVM.

Tantò vberius. *pag.64.col.1*

PICTVRA.

Oliua ſæpius amputata ferax non eſt tantum, ſed tantò magis eſt fœcunda, quantò plures eius enaſcentes ſurculi reſecantur.

APPLICATIO.

Fortaſſe times homo nequam, pœnitentiæ falcem, quæ ipſa etiam membra ſecat, quando Deum turpiter offenderunt. Forſan ô triobolaris homo fugis ſceleri cuique pœnas impoſitas, vt ieiunium gulæ reſecans ingluuiem, & libidinis extinguens incendium. Eſt ingrata tibi reſtitutio reddendens malè parta; macte, tibi vim inferto, quia tantò vberius cælo creſces, quantò magis hic noxia reſecabis.

SYMBOLVM.

Tenent Danai, qua deficit ignis. *pag.114.col.2*

PICTVRA.

Danai, id eſt, Græci obſidendo Troiam, obſeruauere focos vbique accenſos ad vigiles excubias. Attamen nocte quadam vidẽre focum extinctum, & ea parte ſuos impetus dirigentes, in arcem fortiter irruerunt.

APPLICATIO.

Si à me ſciſciteris vnde mali omnimodi deploranda labes, & qua parte dæmon irruit in animas, Reſpondebo tibi, ea parte fæces vitiorum irrepere, qua eſt extinctus amor erga Deum, & proximum. Siquidem inde ſata ſunt odia, conuitia, furta, blaſphemiæ, quæ diabolis animas obſtringunt ea parte, qua deficit ignis. Vbi namque viget, & ardet amor ille ſacer, inde procul & vitia, & dæmones abiguntur.

SYMBOLVM.

Te ſtante virebo. *pag.176.col.1*

PICTVRA.

Cardinalis à Guyſia regni Galliæ moderatus habenas ſub Henrico ſecundo Rege, ſciens ſe collegiſſe multorum inuidiam, inſinuare volens omne decus regni eſſe penes Regem, pinxit altam pyramidem, quam circumacta hedera permeabat. Ita monens ſe ſtante Rege virere, licet in exterminium

eius, perfuſi liuore duri ipſius æmuli conſpiceſſent.

APPLICATIO.

Anima Chriſtiana pane Euchariſtico paſta viret, atque viget; ſubſtat enim Chriſtus ibi, qui dat omnibus vt ſtent, imò vt conſtent eo omni, quod ſtatum aliquem habet, in iſto rerum omnium inſtituto.

SYMBOLVM.

Te ſine quid moliar. *pag.484.col.2*

PICTVRA.

In Nilo floret lotos, ſed abdito ſole plicat floſculum ille frutex, & infra fluuium ſe demittit, nec emergit inde niſi reduce ſole florem eius iterum explicante. Sicque ſine ſole nihil molitur, quo occidente, quaſi tumulo ſeſe condit aquis flos ille viſus languidus expiraſſe.

APPLICATIO.

Anima delinquendo ſolis patitur occaſum: nempe Deus illi occidit, ab ea nam recedit. Neque locus ei ſupereſt ad ſurgendum à peccato donec illuceſcat Chriſtus, qui extinctas animas efficit affulgente ſuæ gratiæ lumine rediuiuas.

SYMBOLVM.

Tolle moras. *pag.174.col.2*

PICTVRA.

Albertus II. Imperator vſus eſt hoc ſymbolo, ſagittam pingens, quæ pernice motu fertur in ſcopum, impulſu percita digentis.

APPLICATIO.

Ex regio Propheta ſumus omnes ſicut ſagittæ in manu potentis. Scopus in quem dirigimur omnes, vnus eſt Deus, ideoque debet vnuſquiſque moras omnes tollere, vt citius attingat præſtitutum ſibi è cælo finem. Vt verò fiat citò voti compos, cautè debet omnem inertiam fugere, & ſagittæ morum ſedulus æmulari.

SYMBOLVM.

Transfundunt paſta venenum. *pag.153.col..*

PICTVRA.

Viperâ extinctâ, caro eius à veſpis corroſa, ſnum lethale virus eis infundit; quod & illæ ſuis aculeis inſtillant, quando figunt eos, puncta corpora ſauciando.

APPLICATIO.

Conſortia mala, quadam contagione necem conſciſcunt, innoxiis etiam hominibus. Reprobi namque ſuos peruerſos habitus inſinuant illis, qui conuertuntur eis. Eſt quippe magis natura prona, ad ſequenda mala, quàm ad virtutum praxim fortites excolendam.

SYMBOLVM.

Turpibus exitium. *pag.643.col.2*

PICTVRA.

Ad afflatum florum ſuauiter olentium ſcatabes animalia ſpurca diſpereunt.

APPLICATIO.

Anima conſita gratiis, eſt vitiis exitium. Homo fragrans virtutibus, alios vitiis obnoxios ad reſipiſcentiam inducit, & obſtringit vt inolito vitio moriantur.

V

SYMBOLVM.

Vera latent, da verum cernere lumen. *pag.128.col.2*

PICTVRA.

Homo perſonatus ſuperinducta larua, veram faciem abſcondit, & alienam ſpeciem ementitur.

APPLICATIO.

O anima Chriſtiana malè tibi conſcia, verè vera latent quando Dei gratiam exuiſti. Non agnoſceris in plateis: eſt denigrata ſicut carbones facies tua cùm peccaſti, nimirum laruam dæmonis induiſti. Quæſo redi præuaricatrix ad cor. Da verum cernere lumen, inſta primæ gratiæ, qua delinquendo turpiter excidiſti.

SYMBOLVM.

Vigilantibus. *pag.2.col.1*

PICTVRA.

Chriſtiernus Rex Daniæ numiſma cudit, vbi erat oculus ſuppoſitus ſceptro, volens inferre ſolos eos, qui attentè ſuis rebus inuigilant, dignos eſſe quibus regia ſtemmata deferantur.

APPLICATIO.

Quando ſuis Chriſtus ait diſcipulis, Vigilate, & orate, ſignificauit idem, quod Rex ille Danus, qui ſceptrum vigili oculo ſociabat.

SYMBOLVM.

Videt, & volat. *pag.5.col.1*

PICTVRA.

Aquila, Sole rutilante volans ad ipſum.

APPLICATIO.

Cognitio clara ſui, animam obſtringit, vt extra ſe rapta volet ad Deum. Si namque malis obnoxiam ſe inuenit, ad medicum currit. Si verò ſibi nihil eſt conſcia, ſatagit attentè Deo iugiter adhærere.

SYMBOLVM.

Viget quodcunque videt. *pag.32.col.2*

PICTVRA.

Sol ſua luce flores explicans.

APPLICATIO

Facta trina negatione, Petrus erat exanimis. Sed ſtatim atque Ieſus Petrum aſpexit, ille foras egreſſus amarè fleuit, factus eo Chriſti lumine rediuiuus.

SYMBOLVM.

Virtus poſt fata ſuperſtes. *pag. 102. col. 2*

PICTVRA.

Roſa licet exciſa tamen adhuc afflat odorem perſuauem.

APPLICATIO.

Sancti qui fuere bonus odor Chriſti, poſt fata ſuam etiam exhalant fragrantiam. Quiſquis enim eorum vitæ memor eſt, & recolit virtutes eius, capitur odore grato, quem vita florens aliàs exhalauit.

SYMBOLVM.

Virtutis imperio. *pag.5.col.2*

PICTVRA.

Alexander Farneſius Dux Parmenſis, olim magni nominis vtpote bello clarus, & inſigni pietate notus

notâs pingebat in prælta rupe diues palatium, oſtio aperto viris, quibus vacaret eò contendere obicibus omnibus eluctatis.

APPLICATIO.

Eſto cæli omnibus vſquequaque rebus emineant. Illa tamen ſublimitas excelſa nihil obſtat, quominus virtus eò vehat homines Chriſti Domini ſectatores.

SYMBOLVM.

Virtutem doctrina parat. *pag.* 125. *col.* 1.

PICTVRA.

Academia Altorfina ſuos alumnos excitare volens ad ſtudia librum apertum pinxit vbi gladius incubabat.

APPLICATIO.

Reuera deſes eſt doctrina, cui exertus gladius minimè ſuffragatur. Nam ſincera debet doctrina ſuos diſcipulos accingere ad bellum in vitia, quæ vt hoſtes in perniciem animæ Chriſtianæ nati, virtutum gladio debellantur. Sunt autem illorum enſium vaginæ libri. Virtus enim diſcitur ex libris præſertim ſanctis, vt eſt Scriptura ſacra, cuius eſt ſtudium inane, niſi ex præſcripto eius anima reformetur.

SYMBOLVM.

Vndique tutus. *pag.* 525. *col.* 2

PICTVRA.

Quando ſuo tecto limax intimè ſe concludit, nullas omnino cæli iniurias ſentit, quibus emergendo foras noxiè ſubiaceret.

APPLICATIO.

Ita dæmon fruſtra quatit eos, qui attentè ſuis ſenſibus inuigilant, Inde Iudith eam eſt adepta famam qua poſteræ ætati ſacro codice commendatur. Ecce myſtici limacis encomium. Iudith. cap. 8. [In ſuperioribus domus ſuæ, fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de ea malum.] Quia clauſa, tuta, & vndique tuta, ſibi ſic grande nomen concilians in terra, ſicut & in cælo præmia ſempiterna.

SYMBOLVM.

Vnita triumphant. *pag.* 119. *col.* 2

PICTVRA.

Franciſcus à Lotharingia pingit arcum, & ſagittas quibus corona deſuper imminebat.

APPLICATIO.

Cardinalis Hugo locum hunc Prophetæ verſans. [Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.] Pſal. 126. Dixit eum pertinere ad prædicatores, quos in omnes orbis oras, Chriſtus Dominus expediuit. Sagittæ acutæ voces ſunt, quæ profectò parum proſunt, niſi arcus brachia ſuum præſtent obſequium, quo incuruata funem tendunt qui adempta ſibi ſpicula intorquet. Id eſt verba volunt congruo operi ſociari.

SYMBOLVM.

Vnus non ſufficit orbis. *pag.* 137. *col.* 2

PICTVRA.

Franciſcus I. Rex Chriſtianiſſimus, in icone duos pinxit orbes ita ſuum animum inſinuans ad ardua opera iugiter anhelantem.

APPLICATIO.

Anima digna Deo, Numine afflata, rebus his terrenis haudquaquam afficitur. Quippe cælo ſata nihil facit ea quibus terreni homines addicuntur.

SYMBOLVM.

Vnum ſufficit in tenebris. *pag.* 493. *col.* 1

PICTVRA.

Præpotens vidua, quædam, quam Typotius Paleologam vocat, extincto ſuo viro, candelabrum pinxit, cuius erat apex compoſitus inſtar trianguli; candelis ordine diſpoſitis, ex vtraque trianguli parte ſicut eſt ſolitum in Triduo Paſſionis ante Paſcha. Candelis extinctis ea ſola lucebat quæ cæteris eminebat.

APPLICATIO.

In iactura rerum omnium, nemo poteſt à nobis auferre Deum, modo luce ſua, noſtrum triangulum illuſtret, ſcilicet cor, quod triangulum ſua forma refert. extingue omnes alios amores homo, memor te ſaluum fore, modo Dei amore feruidus incaleſcas.

SYMBOLVM.

Vt in orbe pluamus. *pag.* 564. *col.* 2

PICTVRA.

Nubes è terra cælum verſus elatæ, ſolùm imbribus affluunt.

APPLICATIO.

Deiparæ corpus incorruptum, & anima ſancta, nubes ſunt lucidæ in cælum euectæ, nobis vt concilient pluuiam gratiarum, deſuper animas inundantem.

SYMBOLVM.

Vt luceat ardet. *pag.* 121. *col.* 1

PICTVRA.

Candela lucis expers eſt, niſi ardeat.

APPLICATIO.

Charitas ardere debet, vt luceat. Non eſt enim conſpicua charitas illa cuius ardor haudquaquam congruis actibus innoteſcit.

SYMBOLVM.

Vtroque clareſcere pulchrum. *pag.* 48. *col.* 2

PICTVRA.

Oliuæ ramus exertum gladium inuoluens.

APPLICATIO.

Gladius bellum ſignificat, vt oliua pacem. Bello & pace clarum eſſe, rarum eſt. Qui namque pace ſerena lucent, iidem in bello tenebris obumbrantur. Pallas enim & Mars minimè coeunt.

SYMBOLVM.

Vultu quo cælum, tempeſtatéſque ſerenas. *pag...col...*

PICTVRA.

Henricus IV. Rex Galliæ conciliato ſibi regno, quod ante ſibi inimicum expertus eſt, in icone ſolem cudit, qui luce ſerena cælum placidum effingebat.

APPLICATIO.

Deliquia noſtra ſanè, faciunt nos multis caſibus, & procellis obnoxios. Sed ſi Deus propitius aſpexerit, vultu quo cælum tempeſtateſque ſerenat, omnia nobis proſperè cælo benè ominante cedent. Namque quibus gratia affulget, iis & etiam omnia ſuccedunt fauſtè Deo cælitus influente.

INDEX THEOLOGICVS,

IDONEVS AD TEXENDA EXORDIA concionum, & conducens ad virtutum omnium praxim breuiter ingerendam.

A

AMOR Sancti Ioſeph erga Ieſum ſic aſtruitur, ex Theologiæ fontibus. pag.659.col.2

Ex S.Thoma 2.2.qu.28.art.8. Ita ſe habet amicitia conſanguineorum, ad amicitiam extrerorum, ſicut ſubſtantia ad accidens; nam ea fundata eſt in coniunctione originis, quæ eſt ſecundum id quod pertinet ad ſubſtantiam; at ſubſtantia per ſe ſtat, accidentia verò poſſunt abeſſe perperam, & abeſſe, atque ita amor ſequens ſubſtanoam, vtpote inſitus à natura, eſt omni amore perennior, cùm alij omnes deforis accidant, atque adeò obnoxij ſint mutationi, iuxta ingenium accidentium, quibus ea ſors indicta eſt, vt varient ſemper, & minimè ſibi conſtent. Sed amor ſupernaturalis, vti ſuperioris ordinis, eminet illi, quem natura accendit; ergo Ioſeph, qui à Deo accepit vt eſſet pater Chriſti nomine, & cui reuerà fuit collatus amor congruus huic titulo, quàm maximè amauit Chriſtum, ipſa Dei eiuſdem dignaoone, qui alibi liberalis, non extitit parcus erga Ioſeph, qui ad cunas ipſius Dei in humanis ſedulus excubabat.

AMOR idem Sancti Ioſeph alio medio clatiùs innoteſcit. Gratia, & virtus non deuiant ab ordine naturæ, qui à Deo præſcriptus eſt; ſiquidem à Deo edita ordinata ſunt. Hunc autem tenorem natura ſeruat, vt vnun quodque agens naturale prius ſe effundat ad propiora ſibi, quàm ad procul poſita, inſtar ignis, qui res ſibi adiacentes calore magis afficit, quàm remotas. Ergo Deus ignis conſumens, Ioſephum maiore amore affecit quàm ipſos Angelos, quia Ioſepho fuit propior. pag. eadem, & ſequenti. col. 1

AMOR DEI erga bonos, ſic probatur. pag. 112. col. 2

Cuncta fecit Deus in numero, pondere, & menſura; cumque nihil oderit eorum, quæ fecit, amat præcipoè illos, qui exquiſitè ſuum obſeruant numerum, pondus, & menſuram, & hos iuſtos congruo nomine nuncupamos.

AMOR in Deo quid ſignificet. pag. 266.col.2

Ex S.Thoma 1.p.qu.20. art.4. De diuino amore loqui bifariam poſſumus. Nam hîc vſurpatur amor principaliter, vel connotatiuè. Dei amor ſecundum ſignificatum principale, Deus eſt ipſe, cuius voluntas, & voluntatis actus non ſunt res diſſitæ, iuxta ſcitum illud Theologiæ; Quidquid eſt in Deo illud eſt Deus, cui paſſiones nullas affingimus, qoia ſe ſolo facit ea, ad quæ exerenda ipſi Angeli accidentibus obnoxij indigent plurimis inſtrumentis. Vnde eodem nos amore Deus diligit, quo ſe, ſi actum ſpeculemur ex parte amati. Namque ſicut eadem intellectione Deus ſe & nos intelligit; ita eodem etiam amore ſe, & nos amat. Si verò Dei amor attendatur connotatiuè, id eſt, vt connotat effectus, quos producit, pro diuerſa rerum ſorte, dicimus homines ſanctiores, à Deo plus aliis tepidis adamari.

Plura tibi eadem pagina miniſtrabit.

AMOR noſter in Deum ferri poteſt duobus modis, vno naturali, alio verò ſupernaturali. Solius naturæ luce, poteſt homo dirigi in Deum, vt in primam cauſam, quæ in omnia influit abundanter. Amor ille Dei, vt eſt cauſa prima, merè naturalis eſt, & citra fidem aliqua ratione poteſt à Philoſopho religionis inſcio comparari. Alio verò modo Dei amor accenditur in nobis præeunte fide, via ſupernaturali & amor ille Dei charitas appellatur. pag. 287.col. 2

AMOR in Deum via naturali probatur alio medio ſic à S.Thoma 1.p.qu.60.art.5.

Omnis pars naturaliter inclinatur ad amorem totius, pro quo pars quæuis obit omnia pericula. Verbi gratià: Manus nulla ratione dictante, ſed ſolo naturæ ductu, pro tuitione ſui capitis, citò graui ſe caſui ubiicit ingruenti. Vnde quia homo eſt pars vniuerſi, cuius caput eſt Deus, idcirco via naturali fertur homo ad Deum, eumque ſitit, ideoque clamans Chriſtus ait: [Sitientes venite ad aquas.] Sed vt immodicus pomorum eſus ſitim extingoit; ita pomo vetito, illa Dei ſuis ſedata fuit, deinceps hominis amore rebus aliis occupato.

Vide pag. 463. col. 1

ANGELVS poſt lapſum non fuit reparatus, quia ex Dionyſio libro de Eccleſiaſtica Hierarchia eſt naturæ Deiformis, in ſua intellectione non ſubditur tempori, ſed prima apprehenſione plenè intelligit, ideóque nequit decipi: ſic non peccauit ex ignorantia aut infirmitate ſicut homo, ſed ex mera malitia.

Ruſus Angelus appetiit omnipotentiam Dei. [Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo.] At Deus per omnipotentiam eſt principium, quia ex ea omnia poteſt, & nulli vult eam communicare: Quamobrem ibi ſumma fuit inordinatio, id appetere ad quod non antè fuit Angelus ordinatus.

Homo verè ſecus appetiit omniſcientiam, ad quam erat de natura ſua à Domino coaptatus.

Vide latè materiam hanc diſcuſſam. pag. 19. col. 1

ANGELVS in gratia creatus eſt, ſed non ſtatim beatus. Qua ratione queat homo Angelis aſſimilari, & alia multa de Angelis. vide, pag. 656. col. 2

ANIMA duobus adæquatè modis perfici poteſt.

Namque

Namque dotes eius in duas claſſes optimè diuiduntur. Omnes enim gratiæ ſunt, in naturæ confinio, vel naturam excedunt. Si ſunt ordinis vernaculi, hominem perpoliunt in ordine ad omnia naturæ munia: non idcirco tamen anima diuino fœtu gratiæ cælitus impręgnatur. Quippe Deus gratia ſtipatus ſolo naturæ niſu haudquaquam concipitur, nec ipſi ſummi Philoſophi, quantauis morali virtute clari, ſolo naturæ ductu Dei gratiæ compotes extiterunt. Anima verò Dei gratia inſtructa dotes alias habet, quæ illam accingunt, ad æternam gloriam aſſequendam.

Vide pag.506.col.1

ANIMÆ FORTITVDO ſita eſt in integritate eius: integritas autem illa penes facilitatem eſt obeundi munia eius, potentiis animæ non deuiantibus ab obiectis; aſt hoc habere nequit à natura paſſa deliquium in Adamo: ergo habebit à gratia infuſa, quæ ex S.Thoma 1.2.qu.110.art.1.eſt ea dilectio, qua Deus hominem trahit ſupra conditionem naturæ humanæ, ad participationem boni æterni, quod vt apprehendatur, fides infunditur: vt ametur, charitas inuritur, & vt ad illum mens anhelet, ſpem ipſe rerum omnium Dominus impertitur.

Vide pag.540.col.1

B

BONVM gratiæ vnius, eſt maius bono naturæ totius vniuerſi ex S.Thoma 2.2.qu.113.art.9. Vnde Angeli ſubſtantia ſpectata, ſolo in ſtatu naturæ, minus quidpiam eſt gratia. Conſideratus enim Angelus ſic, eſt inferioris ordinis, gratia verò ſecus, eſt ordinis eminentis. Ideoque miror, qua ratione queat, imò velit anima Chriſtiana, Dei gratia dignata rebus inferioris ordinis adhærere.

Vide pag. 50.col.2

C

CREATIO præ aliis omnibus operibus, Dei omnipotentiam prodit: tranſcendit enim omnium infra Deum cauſatum auſus, atque conamina, ob infinitam diſtantiam termini à quo ad terminum ad quem, id eſt nihili, ad aliquid. Ita Thom. 1.p qu.45.art.5

Vide pag.296.col.2

CHARITAS non ſolùm dicit amorem Dei, ſed etiam amicitiam quamdam ad ipſum, quæ adiicit amori mutuam redamationem, cum communicatione quadam reciproca. Hanc Dei, & hominis vnionem media charitate notat Ioan. prima ſua epiſtola c.4. ita fatus. [Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.] Ita Thom.1.2.qu.65.art.2.

, Vide pag.237.col.2

CHARITAS acquiri non poteſt ſolis naturæ viribus. Vt namque benè Thomas ait 2.2.q.24 art.2. Charitas eſt quædam amicitia ad Deum fundata ſuper communicationem beatitudinis æternæ, quæ cùm excedat naturæ fines, naturali virtute nequit ab homine comparari. Vergit eò Apoſtolus hoc contextu Rom.5. [Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.] Quaſi diceret charitatem non eſſe bonum à natura ſatum, ſed cæleſte donum Sancti Spiritus influentis.

:Vide pag.237.col.2

CHARITAS eſt habitus infuſus, quo inclinatur homo ad amandum Deum, vt ſummum bonum, quo beari debet. Quomodo concurrat homo ad charitatis actum eliciendum, fusè docet. pag.285. col.1

CHARITAS fertur in homines etiam nobis iniurios, & infenſos. Etenim omnia amplectitur, quæ ordinem habent ad vltimum finem, qui eſt beatitudo, ad quam accuratè debent omnes homines anhelare. Itaque charitas in homine inimico videns naturam ad beatitudinem aptam, hunc æmulum aptat, quia gloriæ diuinæ poteſt fieri conſors. Sed non amat eò quòd eſt hominis inimicus.

Vide pag.288.col.2

CHRISTVS gratiam meruit omnibus hominibus. Quippe data fuit gratia Chriſto, non duntaxat vt homo ſingularis erat, ſed vt & Eccleſiæ ſanctæ caput erat, vt ſcilicet ab illo ſicut capite, gratia hæc copioſa in membra omnia redundaret. Et ſic opera Chriſti, ita ſe habent ad Chriſtum, & ad eius membra, ſicut ſe habent opera alterius hominis ad ſeipſum; ſed homo Dei gratia inſtructus propter iuſtitiam patiens, hoc ipſo ſibi meretur ſalutem, iuxta illud Matth.5. [Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.] Chriſtus ergo ſua Paſſione ſuo corpori meruit & gloriam, & nobis omnibus, vt membris gratiam, quæ eſt in eius merita refundenda.

Vide pag.213.col.2

CHRISTVS caput erat Eccleſiæ ante Incarnationem ſecundum humanitatem, per operationem hominum in eum, in quem credebant aliquando naſciturum. Hæc autem humanitas non agebat in homines, vtpote non edita, etſi Chriſtus ante ſuum ortum in humanis ageret ſecundum diuinitatem. Aſt editus ex Virgine Matre fuit caput Eccleſiæ, per operationem hominum in eum, & per operationem propriam, Eccleſiam orbe toto diffuſam, vberiore gratia recreantem.

Vide pag.223.col.2

CORPVS CHRISTI duplex eſt, vnum reale, quod ex Virgine matre cepit eiuſdem naturæ, cuius & nos quoque ſumus, eſto nævis omnibus illibatæ. Alterum Chriſti corpus eſt myſticum, ſcilicet Eccleſiæ corpus, cuius ſi videre vacat deſcriptionem egregiam ex Theologiæ fontibus.

Vide pag. 84.col.2

D

DEVS quare nomen habeat Tetragammaton, id eſt, quatuor literarum, apud Hebræos, Græcos, & Latinos. Ratio eſt, quia quatuor habet vnde rebus omnibus emineat, ſcilicet eſſentiam, exiſtentiam, potentiam, operationem, quæ à parte Dei, quamuis vnum ſint, à nobis quadruplici numine deſcribuntur.

Vide pag.30.col.2

DEI ESSENTIA vna dotes infinitas inuoluit, nullius omnino rei indiga, ac proinde nihil exoticum illa ſibi adſciſcit, vnde ſuas poſſit exerere rectius actiones. Idcirco Deus eſt ſimplex compoſitionis impatiens, quem homo nequit, imò neque Angelus comprehendere, quia res infinita capi, à finito refugit intellectu.

Vide pag.281.col.1

DEI SIMPLICITAS ex Thom.1.p.qu.3.art.7. eſt ſcaturigo rerum, ſeu perfectionum, quas infinitas in Deo, & varias admiramur. Aſtruitur autem ita Dei ſimplicitas. Omne compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & dependens ab eis. Deus autem eſt ab omnibus independens. Rurſus omne compoſitum cauſam habet: nam quæ diuerſa ſunt,

non

non conueniunt in aliquod vnum, niſi per aliquam cauſam adiuuantem res illas ante diſſuas, vt tandem aliquando coaleſcant. Item compoſiti partes ſunt in potentia reſpectu totius: habent enim inſitam potentiam paſſiuam ad hoc, vt in vnum compoſitum coëant. Deus verò purus eſt actus.

Vide plura pag. 489. col. 1

DEI OPERA ſemper habent comites iuſtitiam, & miſericordiam, ex Sancto Thoma 1. p. qu. 21. art. 4.

Cùm Deus agat eo modo, qui congruit eius ſapientiæ, & bonitati, eſt in illo modo agendi iuſtitia, Deo reddens quod illi conuenit. Rurſus quidquid in rebus agit, illud edit, ſecundum ordinem conſonum rei, ad cuius ſe naturam aptat præpotens hic artifex, & eſt iuſtitia rei tribuens, quod debetur ex natura. Sed eſto Dei iuſtitia fulgeat vbique, tamen abundè liquet in cunctis eius operibus miſericordiam clarius emicare. Nam iuſtitia præſupponit aliquid quod ſit inſtar materiæ præiacentis, eò quòd inſinuare Deus intendit ex iuſtitia dictante tales influxus. Illud autem eſſe quod præiacet iuſtitiæ influenti, opus eſt miſericordiæ, quæ cum aliquid è nihilo eduxit, illud reuerà ex ſummæ miſeriæ tenebris euocauit. Cùm ergo tale eſſe præexiſtens, ſit miſerationis opus, & habeat rationem cauſæ primæ, iuſtitia verò typum gerat cauſæ ſecundæ, & influxus cauſæ primæ potior ſit, abundè patet miſericordiam altius eminere. Et id iuxta Vatis oraculum Pſalm. 144. [Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.]

Vide pag. 43. col. 1

DONA Spiritus Sancti ex S. Thoma prima ſecundæ, qu. 68. art. 5. ſunt indiuidua, nec ſegregatim, ſed cateruatim animis illabuntur. In hoc differunt ab habitibus acquiſitis, quorum vnum aliquis habere poteſt, ſine alio. Verbi gratiâ, habitum ſcientiæ aliquis habere poteſt ſine habitu morali, vt eſt iuſtitia dirigens voluntatem.

Vide pag. 12. col. 1

E

EMANATIO in diuinis eſt ab intellectu, aut à voluntate. In Verbi generatione totus intellectus diuinus exhauritur. Nam totius intellectionis Dei Patris, Verbum eſt terminus adæquatus. Hinc fit vt Verbum nequeat aliud Verbum generare, quia intellectus Verbi, non eſt intellectus, numero diſtinctus ab intellectu Patris. Ergo cùm nihil poſſit de nouo Deus intelligere, non poterit iterum aliud Verbum à Deo generari. Ita cùm Pater, & Filius eadem voluntate ſe ament inuicem, voluntas diuina tota effuſa in amorem ſpirat Spiritum Sanctum, eiuſdem numero naturæ, quæ eſt in Patre, & Filio: ergo cùm voluntas diuina, ad intra ſit hoc amore velut exhauſta, nequit Spiritus alium amorem producere; alioquin ille amor à voluntate Dei procedens, illam non æquaret, & ſic Spiritus Sanctus non eſſet Patri, & Filio coæqualis. In hoc argumento plura tibi proſtant. pag. 156 col. 1

EVCHARISTIA ſacra ſicut aliis præpollet ſacramentis, ita plura nobis ſpeculationis obiicit argumenta. Nimirum conſecratio, manducatio, ſpecies vini, & panis, & corpus, & ſanguis Chriſti, hæc inquam ſingula quæque ſibi vendicant aliquas rationes, animis ingerendi dubia, vnde poteſt quæri in quo conſiſtat ratio ſacramenti.

Vide pag. 238. col. 1

EVCHARISTIA in ſpecie panis adminiſtratur, vt hinc homo ſciat animam viuere eo cibo, qui differt ab aliis eſcis communibus, quibus alitur corpus noſtrum, illis profanis dapibus ineſcatum. Alios namque cibos ante eorum vſum exploramus an ſint laudabiles, & naturæ humanæ quadrent. Fuitque moris Romanorum, creare Præfectos annonæ, qui probarent, eſſent necne boni panes, qui parabantur exercitui, vt opimo pane miles factus alacrior, hoſtes fortius impugnaret. In communione verò ſecus accidit. Nam de illa, non quæritur, an ſit eſca conſentanea hominum indoli, ſed decreto Dei cautum eſt, vt probet ſeipſum homo, antequam de pane illo edat: qualis enim erit habitus animæ, talis erit quoque cibi huius influxus, quo ad vitam æternam anima ſaginatur.

Vide plura pag. 284. col. 2

F

FIDES vt & alij habitus cognoſcitiui, duo habet digna ſcitu. Vnum eſt materiale obiectum. Alterum eſt id per quod cognoſcitur, quod eſt formalis ratio obiecti. Vt in ſcientia quauis, materialiter ſcita ſunt concluſiones; formalis verò ratio ſciendi ſunt media demonſtrationis, quibus in notitiam alicuius concluſionis, ab homine deuenitur. In fide formalis ratio rei creditæ eſt veritas prima, cuius reuelationi aſſentitur fides. Ita fides innititur primæ veritati, vt medio. Materiale verò fidei, non eſt Deus tantùm, ſed & omnia, quæ ordinem habent ad Deum, à quo reuelata ſunt. In hoc argumento lege paginam 115. col. 2

FIDES duo prærequirit. Primum eſt obiectum, alterum eſt credentis aſſenſus, & vtrumque eſt à Deo. Primum quidem, quia credibilia quæ ſunt fidei obiecta, ſupra rationis acumen ſunt, nec vlla poteſt naturalis oculi acies intueri. Vnde quia ſuperant omnem rationis indaginem, operæpretium eſt, vt Deus hæc reuelet. Quibuſdam res credendæ, à Deo immediatè reuelatæ ſunt, vt Apoſtolis, & Prophetis. Aliis autem proponuntur à Deo mittente ſuos præcones, & catechiſtas; & ita fides eſt ex auditu vt à cauſa proponente exterius. Ad hæc obiecta materialia propoſita exterius non ſtatim excitatur fides, vt videre eſt in hæreticis, à quibus ore proteruo plura obiecta fidei ſugillantur. Alterum, quod ſincera fides exigit, eſt credentis aſſenſus, qui etiam à Deo eſt. Poſſumus autem in eo aſſenſu duplicem cauſam attendere. Vnam exterius inducentem, vt eſt miraculum viſum, vel perſuaſio hominis eloquentis. Sed nihil horum eſſe poteſt cauſa ſufficiens fidei, quia ex multis qui interfuere viſo miraculo, & audiere Dei præconem quidam credunt, alij verò ſecus deteriores fiunt, ore garrulo blaſphemantes. Igitur eſt aſſignanda cauſa interior, quæ hominem moueat ad aſſenſum fidei deferendum. Pelagiani ſtultè dabant hunc aſſenſum libero arbitrio, aiebantque penes nos eſſe tale fidei initium, inquantum parati ſumus ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei; ſed conſummationem fidei eſſe à Deo proponente nobis ea, quæ credere debemus. At hæc eſt impia ſententia. Etenim cùm homo aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, ſupra ſuam naturam euehatur, neceſſe eſt vt hoc inſit ei à ſupernaturali principio cordis intima percellente. Hoc autem principium eſt Deus, cuius ſingulare donum eſt fides, ſiue conſideretur ex parte aſſenſus, ſiue ex parte obiecti materialis, quod eſto tuba

Dei

Dei proponat, id eſt concionator enuntiet, hoc non obſtat, quominus à Deo obiectum fidei deriuetur.

Vide pag.117.col.2

Fidei veritas ex S.Thom.2.2.qu.124. artic. 3. non exigit tantùm credulitatem cordis, ſed etiam exteriorem proteſtationem, quæ non fit verbis tantùm, quibus aliquis fidem profitetur; ſed validior eſt illa profeſſio cui virtutes, & opera fidei conſona ſuffragantur.

Vide in hoc argumento plura ſelecta, & idonea texendæ concioni de fide pag.120.col.1

Fidei assensvs quamuis à Deo ſit, vtpote ſupra hominum captum: tamen res fidei propoſitæ ad credendum, mouent intellectum ad aſſenſum, iuxta modum, quo obiiciuntur homini. Alius enim alio melius inſtruit, mouet & arridet. Inter ea autem, quæ vrgent aſſenſum ad credendum ſunt miracula, media potentiſſima. At virtutes excelſæ velut miracula ſunt. Quippe nequam homines, ad reſipiſcentiam, viſâ viri iuſti vita innoxiâ, valdè percelluntur.

Vide pag.128.col.2

Fidei qvid sit. Ex Apoſtolo ad Hebr. 11. [Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.] Subſtantiam vocat, quia ſtat per ſe, atque toti ædificio ſubſtat. Nempe fides, quæ eſt aſſenſus primæ veritatis cognitæ per reuelationem, nulla rationum fulcra petit, quibus altius in anima radicetur. Etenim ex Bernardo nihil eſt magis contra rationem, quàm velle ratione, rationem tranſcendere. Rurſus ſubſtantiæ ſunt inuiſibiles, oculis enim accidentia tantùm ſunt obuia, ita & fides viſioni oppoſita, rerum non apparentium eſt argumentum: & id à priori, atque adeò indiſſolubile. Nam ſtante prima veritate, Deo ſcilicet, cui eſt innixa fides, ea ſemper erit contra feros hæreſis impetus inconcuſſa. Vide plura pag.163.col.1

Fomes peccati ex S.Thoma 1.2.qu.82.art.3. eſt inordinata, & habitualis concupiſcentia appetitus ſenſitiui, vnde ſicut ex bicipiti fonte duo mala fluunt. Vnum eſt propenſio quædam ad malum. Alterum eſt difficultas ad bonum. Nam vt lignum, quod incenſum abiit in carbones, relinquit etiam in prunis extinctis aptitudinem ad concipiendum ignem: ita licet Adam, quem peccatum adurſit, ſuperinducto mortis cinere ſit extinctus, Adæ tamen filij, vt carbones, humore gratiæ exhauſto, faciles ſunt, ad excipiendas adhuc flammas peccatorum, quæ ſcintillant in homine vitiato. Hæc inclinatio ad peccandum dicitur fomes. Namque ſicut fomes eſt, omne quod citò paret igni, ita praua inclinatio ad perpetranda mala, fomes congruè nuncupatur.

Vide pag.434.col.2

Fomes peccati non fuit in Maria ex S.Thom. 3.p.qu.27.art.3. Namque prima gratia, quæ Mariam alluit, obiit vices iuſtitiæ originalis, ita vt fomes in ea extinctus ſit ab ortu eius, nec vnquam inſultus naturæ prauæ ſit paſſa; non eſt eo beneficio dignata ſicut plerique viri ſancti, qui in præmium virtutis emeritæ, veluti veterani milites, in alea virtutis conſpicui, fomitem peccati poſtea, non ſenſerunt. Non, inquam, Maria potita eſt eo indulto, ex vſu rationis dirigente naturam deuiam, ſed ex abundantia gratiæ; quæ fomitem hunc penitus extinxit, qui Chriſto in Mariæ vtero concepto, omnino diſperiit, iuxta Vatis oraculum Ezech.43. [Ecce gloria Dei Iſraël ingrediebatur per viam Orientalem.] id eſt per Beatam Virginem, vt explicat Thomas; & terra, id eſt, caro ipſius ſplendebat à maieſtate eius, ſcilicet Chriſti. Itaque gratiæ exortus in Maria fuit occaſus fomitis, dignante Deo Mariam hac gratia ſingulari. Vide in eo argumento plura pag.434.col.2.& pag.435 col.1

Fomes peccati fuerit necne in Ioſepho, vide quid ſentiant Doctores pag.663.col.1

Fomes peccati non eſt peccatum. Sequeretur enim fruſtra ſacris aquis Baptiſmi tingi neophytos, ſi ille fomes peccatum eſſet: quippe manet poſt Baptiſmum, quem conſtat omnes reatus tollere peccatorum. Rurſus iuſtificatus homo, Dei gratiam non haberet, quæ eſt incompatibilis cum peccato. Vide fusè nodum hunc ſolutum pag. 663. col.1.& 2

G

Gratia multa ſignificat. Vide pag.57.col.2

Gratia habitualis eſt duplex. Vna ſanctificans formaliter, & animæ inhærens, quæ eſt qualitas ſupernaturalis efficiens hominem Deo gratum, ac proinde cælo dignum, & hæc inchoata gloria nuncupatur. Alia eſt gratia habitualis non ſanctificans hominem formaliter, ſed perficiens hominem ad opera ſupernaturalia. Huiuſmodi eſt habitus fidei; qui ſtare poteſt cum peccato gratiam expellente. pag.64.col.2

Gratia differt à virtute, quia virtus eam tantùm potentiam perficit, quam afficit, vt eius actiones rectæ rationi congruant, verbi gratiâ, ſobrietas eſt in corrigēda gula ſita procul arcens à guſtu cupedias, & illecebras gulę, graue negotiū animę facesſētis. Gratia verò ſecus eſt in anima iuſta ſicut in ſubiecto ſuo, & ſe ad virtutes habet, vt anima ipſa, ſuas ad potentias, quæ ſunt virtutum ſedes. Vnde ſicut anima eſt principium potentiarum, ſic erit & gratia principium à quo virtutes infuſæ cælitus oriuntur.

Vide pag.126.col.2

Gratiæ plenitvdo duplex eſt. Prima eſt ex parte gratiæ, cùm quis eò gratiæ euectus eſt, vt ad ſummum gratiæ deuenerit, & quantùm ad eſſentiam eius, & ad quæuis effectus ei congruos exerendos. Illa plenitudo, ſolùm eſt nacta Ieſum, de quo Ioannes ait cap.1. [Vidimus eum, quaſi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Secunda gratiæ plenitudo, talis nuncupatur eò quòd homo Dei gratia inſtructus eam habet iuxta modum ſtatus ſui. Ad hanc pertinent illæ voces Apoſtoli Epheſ.4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti.] Ita fuit dicta plena gratia Virgo Deipara, quia tanta fuit dignata gratia, quantam matris Chriſti titulus exigebat. Sic multum differunt plenitudo gratiæ, ex parte gratiæ, & plenitudo ex parte habentis.

Vide pag.518 col.1

Gratiæ inflvxvs, vnus eſt, extra Sacramentum, alius verò in ſuſceptione Sacramenti. Influxus vterque Deo gratam animam facit. Sed vide quali ratione tales influxus gratiæ diſpenſantur. pag.9.col.1

Gratia & humilitas comites indiuiduæ. Vide rationes. pag 648.col.1

Gratiæ dispositio intelligitur de gratia iuſtificante, quæ non irrumpit, ſed irrepit, & ſe ſuauiter inſinuat in animam congruè diſpoſitam.

Vide plura fusè digeſta, pagina 244. columna 1

Gratiæ effectvs præcipuus eſt facere animā diuinæ naturæ cōſortem. Nam ſicut homo per potētiam intellectiuā participat cognitionē Dei virtute fidei, & ſecūdum voluntatē particeps eſt amoris diuini

diuini virtute charitatis, ita per naturam animæ, cui eſt inſita gratia velut in ſubiecto primario, homo eſt particeps naturæ Dei, cuius eamobrem filius appellatur. Ita vocat eum Ioannes ita fatus cap. 1. [Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.] Vide pag.94.col.2

GRATIA quomodo perficiat animam fuſè docet Thomas 2.2.q.8.art.4. Vide pag.152.col.2

GRATIA quàm ſit neceſſaria homini ad quoſcunque actus exercendos, habes ex S.Thoma. pag.134. col.1

GRATIÆ AVGMENTVM petitur à triplici fonte, ſcilicet à voluntate Dei, ex cauſis item gratiæ. Denique ex diligentia, & induſtria ſubiecti. Augeri gratiam annuente Deo, & ex beneplacito eius, ait Apoſtolus hoc contextu Epheſ.4. [Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti. Non ad æquilibrium gratiam impertit Deus, ſed ad menſuram illi placitam. Et idcirco benè primò ex inſtituto Dei gratiæ petitur incrementum. Secunda ratio augmenti gratiæ attenditur ex cauſa, quæ efficacius influit. Vt Sacramenta legis nouæ, quia præſtant Iudaicis ritibus atque ſacris, ita quoque pias mentes afficiunt gratia digniore. Tertia demum ratio augmenti gratiæ petitur ex modo cooperandi. Agunt enim Sacramenta modo congruo diſpoſitioni. Vt exempli cauſâ malè ſi habet anima peccato mortifero obnoxia, ratione talis obicis erunt irrita Sacramenta.

Vide plura pag.303.col.2

GLORIA DEO deferenda. Ex S. Thoma 2. 2. qu.131.art.1. Glorificari idem eſt ac clarificari. Claritas autem illa ſita eſt in manifeſtatione alicuius decoris, vt magni fiat, & aliis innoteſcat. Quòd ſi magnificentiam illam homo Deo ſubiiciat, offert illi ſacrificium laudis, vt auctori omnis vſquaque boni, ratione cuius homo gloriam aucupatur.

Vide pag. 514.col.1

GLORIA VANA quàm ſit pernicioſa docet Thomas 2.2.qu.103. art.1. Ecce quale vitiis inanis gloriæ ſit. Honor importat quamdam reuerentiam exhibitam alicui in teſtimonium excellentiæ eius. Circa hominis excellentiam attendenda duo ſunt: primum quidem, quod id vnde nitet homo, non eſt ab homine, ſed eſt quidpiam homini inſitum à Deo, in quem idcirco ſolum eſt omnis huius excellentiæ gloria refundenda. Secundum quod homo debet recolere eſt illud omne bonum, quod à Deo accepit, dirigendum eſſe ſuam ad ſalutem, vel alienam: qui ergo ſiſtit eo in teſtimonio excellentiæ ſuæ, adulterino fine capitur, & inani, ideoque vana hæc gloria nuncupatur. Gloria illa tribus modis eſt noxia. Primò cùm quis appetit exhiberi teſtimonium excellentiæ, quam non habet, vt Caligula Deum ementitus cupiens adorari. Aliò modò ſibi gloriam aſſumendo, velut non influente Deo partam, vt dæmon apud Ezechielem 28. [Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo.] Tertio denique deuiat ille prauus gloriæ appetitus, quando typho ſuperbiæ inflatus homo, finem ſuum vltimum conſtituit in illa gloria vana, cuius aurâ, leuis eius anima ventilatur.

In eo argumento plura tibi proſtant pag. 54 col.1

H

HABITVA INFVSI à Deo, non ſunt vt habitus acquiſiti, quorum aliqui ſunt merè ſpeculatiui, vt verbi gratia ſcientia de gyro cæli, & ſiderum ortu, in ſpeculatione tota ſita eſt. At habitus deſuper illapſi practici ſunt, & hominem reddunt meliorem. Verbi gratiâ fides non eſt ſpeculatiua ſolum, ſed per charitatem fortiter operatur.

Vide pag.143.col.2

HOMO velut impos ſui, atque motus expers, ſeipſo ſolo nequit in bonum ferri, abſque motore, cuius obſequio validè percellatur. Duplex autem eſt motor, vnus naturalis, alius verò ſupra naturam. Naturalis eſt ipſa ratio hominis, quæ ſuggerit naturæ humanæ congruas actiones. Supernaturalis motor ipſe Deus eſt, à quo perculſus homo cælum verſùs fertur, cælo dignis actibus incumbendo.

Quomodo moueatur homo à Deo vide pag.103. col.2

HOMO RECTVS à Deo conditus. In quo fuerit ſita talis rectitudo vide pag.62.col.1

HOMO DVPLEX habet eſſe, quòd vnumquodque ſua beatitudo manet. Vnum eſt eſſe naturale, aliud verò ſuperioris ordinis, & ſtatus vterque ſua gaudet fœlicitate ſita in hoc, vt homo finem naturæ ſuæ conſonum aſſequatur. Ille finis congruus hominum indoli eſt, vt animæ potentiæ non deuient ab obiecto: vt ſcilicet intellectus in apprehenſione veri minimè cæcutiat, & voluntas à bono non declinet. Si obiecta merè naturalia ſunt, beatitudo quoque tali termino concluderetur. Si verò ſecus homo bono æterno, & veritati primæ totus hæret, erit eius felicitas æterna, primi ſeu ſuperioris ordinis, atque ſuis omnibus numeris abſoluta.

I

IDEÆ rerum omnium ſunt in Deo, cui omnia nuda, & aperta, ſicut ait Apoſtolus, Hebr.4. At rerum notitia ſtat, & fit per ideas: nam res ipſæ non ſe mentibus ingerunt. Rurſus ſeipſum adæquatè Deus intelligit, id eſt virtutem ſuam capit totam, ſciens ad quæ ſe porrigat, & extendat: ergo omnia, eáque infinita nouit, quia ad infinita, Dei virtus excurrit: ſicque liquet eſſe rerum omnium ideas in Deo. Præterea, illa quæ agunt per intellectum, non temerè ſuas actiones exerunt, ſed operantur vno ſibi præſtituto fine; vt artifex domus, in ea fabricanda domum habuit præambulam in mente, ſecundum eſſe intelligibile: habere autem finem præuium operi ſecundum eſſe intelligibile, eſt habere rerum ideas, vt admodum ſcitè Thomas ſcholæ genius explanauit. 1.p.qu.15.art.1

Vide pag.471.col.1.& 2

IMAGO DEI quomodo melius in homine ſit expreſſa, quam in Angelo, vide fuſè raris, & ſelectis rationibus. pagina 416. columna .1. & 2.

IVSTIFICATIO quas diſpoſitiones præuias in anima prærequirat. Vide pagina 58. columna 2

L

LEGES omnes conſentaneæ rationi rectæ, dici poſſunt diuinæ ex Sancto Thoma 1. 2. qu. 95. artic. 3. Importat enim lex rationem quamdam directiuam actuum ad finem, In omnibus autem

mouentibus

mouentibus ordinatis operæpretium eſt virtutem ſecundi mouentis, à primi motoris efficacia deriuari. Nam alterum mouẽs non mouet, niſi vt mouetur à mouente priore. Vnde in rectoribus ratio tota regiminis, à primo regente ad alios omnino deriuatur: ſicut ratio eorum, quæ ſunt agenda in ciuitate à Rege deducitur, per præceptum in miniſtros Regibus obſequentes. Cùm ergo lex æterna ſit ratio gubernationis in ſupremo gubernante, neceſſe eſt, omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna emanare. Huiuſmodi autem rationes inferiorum gubernantium, ſunt aliæ quæcunque leges præter æternam. Et ita leges omnes vt congruunt rectæ rationi, à lege æterna, à Deo fluunt, & vt à fonte, ſicut riuuli deriuantur.

Vide pag. 446 col. 2

Liber vitæ.

Ex S. Thoma 1. p. qu. 24. art. 2. Duo ſunt penes librum vitæ. Vnum eſt, quod aſſeruet nomina electorum ad aliquid, quod ſit ſupra naturam ipſorum, ſcilicet ad gloriam: etenim electio eſt reſpectu eius, quod alicui non debetur ſecundum naturam ipſius, non enim eligitur homo ad ratiocinandum, edendum, & bibendum, quia operationes illæ, naturæ humanæ quadrant, ideò electio hominis eſſe debet reſpectu vltimi finis, qui eſt vita æterna: reſpectu enim vitæ naturalis non eſt electio, neque liber vitæ.

Aliud quod attenditur in libro vitæ, eſt quod illud ad quod homo eligitur debet eſſe velut vltimus finis eius; vnde cùm aliqui tantùm ad vitam gratiæ eliguntur, non dicuntur propriè electi, neque conſcripti in libro vitæ ſimpliciter, quia gratia non habet rationem vltimi finis, ſed medij ad gloriam: vnde liber vitæ ſolùm eſt reſpectu gloriæ, non gratiæ: quia tamen gratia eſt gloria inchoata, illi qui habent gratiam ad tempus, etiam dicuntur pertinere ad librum vitæ, & in eo conſcribi ſecundum quid, propter ordinationem gratiæ ad gloriam. Ex hoc libro educuntur nomina impoſita electis, qui vocantur nomine præſcito ante æuum.

Hîc aduerte duo digna ſcitu. Primum, nullius omnino nomen impreſſum eſſe libro vitæ, niſi eius qui in gratia diuina ſatis eſt ceſſurus. Alterum eſt ſupponi nomen alicuius ad hoc vt vocanti reſpondeat. Vnde patet vocationem ad gratiam, & gloriam eſſe poſteriorem libro vitæ, ac proinde meros effectus prædeſtinationis, cuius eſt in libro vitæ, electorum nomina recenſere.

Vide plura pag. 28. col. 2

M

Mariæ perfectio ſic probatur à S. Thoma 3. p. qu. 27. art. 5. Quantò magis aliquid accedit ad aliquod principium in quolibet genere, tantò magis participat effectum, & influxum illius principij: vnde Dionyſius dicit, Angelos Deo propiores, homines excedere in participatione Dei. Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundum diuinitatem quidem auctoritatiuè, ſecundum verò humanitatem inſtrumentaliter; vnde Ioan. 1. dicitur: [Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.] At Beata Virgo Maria fuit propinquiſſima Chriſto ſecundum humanitatem; quia ex ea accepit corpus. Et ideo præ cæteris debuit ampliorem gratiam obtinere.

Vide pag. 620. col. 1

Meritum ex S. Thoma 3. p. qu. 49. art. 6. eſt actio, qua iuſtum eſt, vt agenti aliquid detur. Meritum autem importat quamdam æqualitatem iuſtitiæ; vnde & Paulus ait, ei qui operatur mercedem imputari ſecundum debitum: vt cùm aliquis ſibi ex iuſta voluntate ſubtrahit, quod debebat habere, meretur vt ei amplius ſuperaddatur, quaſi merces iuſtæ voluntatis. Verbi gratiâ, quia Chriſtus in ſua Paſſione ſe quadrafariam humiliauit, idcirco fuit & dignatus quadruplici honore. Primò necem ſubiit indebitam, ideò reſurrexit. Secundo deſcendit in inferiores partes; ideò aſcendit in cælum. Paruit opprobriis eorum, qui cuſtodes erant ſepulchri; ideò ſedet ad dexteram Patris. Iniqua demum hominum iudicia paſſus eſt; ideoque genus humanum omne, ſua ſtipatus gloria iudicabit.

Vide pag. 101. col. 1

Missæ ſacrificium à tribus offertur, diſpari tamen ratione: ſcilicet à Chriſto, à Sacerdote, & ab Eccleſia. Chriſtus offert vt primarius ſacerdos; & equidem offert per hominem ſacerdotem, vt per ſuum proprium miniſtrum. Eccleſia offert, non vt ſacerdos, ſed vt populus per ſacerdotem: hic enim nomine Eccleſiæ intelligo populum fidelem, qui in corpus vnum myſticum religionis eiuſdem glutino coaleſcit.

Itaque Chriſtus ſacrificium offert per inferiorem, ſcilicet per ſacerdotem, qui vt miniſter Chriſti inferior eſt Chriſto: Eccleſia autem offert per ſuperiorem, ſcilicet per ſacerdotem, qui vt ſacerdos, eſt maior reliquo populo: nimirum intercedit, vt mediator quidam pro populo ad Deum: ac proinde ſacerdos ibi propriè non eſt miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti, qui eſt principalis mediator, nec ſic Eccleſia propriè ſacrificat exercendo actum ſacerdotis, ſed tantùm offert rem ſacrificandam, panem ſcilicet, & vinum, & inde curat fieri ſacrificium, conſentit in ſacrificium. Ipſa demum Eccleſia, ſeu plebs fidelium, in Deum effunditur tota, vota ſua ei explicans, dum ſacerdos offert pretioſum pretium redemptionis noſtræ.

Quamuis Eccleſia offerat omnia ſacrificia, quæ vbique terrarum ritè fiunt, non idcirco tamen omnes vno eodemque modo ſe habent in hac oblatione: aliqui enim habitualiter tantùm offerunt, abſentes ſcilicet, qui domi ſunt, vel in foro ſuis vacant negotiis, nequidem mente ſacrum recolentes, quia animum tunc habent profanis vſibus occupatum: tamen habitualiter cupiunt offerri hoc ſacrificium, nec aliquo actu degenere ſuum conſenſum ab hoc habitu reuocarunt. Alij offerunt actualiter, vt hi qui interſunt hiſce ſacris myſteriis, quibus intenti, actu elicito offerunt illud ſacroſanctum pignus amoris, & æternum fœdus cæli, & terræ. Denique aliqui cauſaliter offerunt, quia cauſa ſunt, vt offeratur tale ſacrum; dum ſcilicet rogant, hortantur, & iubent, vt ſacerdos faciat ſacrum: ſacerdos verò offert quidem, ſed vt ſacerdos miniſterialis.

Vide de hoc ſacrificio. pag. 214. col. 1. & 2

Missa non habet vim ex opere operato, modo planè eodem, quo habent ſacramenta. Non operatur enim ſacrificium ſufficienter, & immediatè; neque propriè eſt inſtrumentum Dei ad iuſtificandũ, vt Baptiſmus, & Abſolutio faciunt, ſed donũ pœnitẽtiæ impetrat, per quod homo peccator accedere velit ad ſacramentum, & per illud iuſtificetur vt ait S. Thomas in 4. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 2. docens ſacrificium iuſtificare eos pro quibus offertur, non vt cauſam proximam; ſed donum contritionis hominibus noxiis impetrando.

Vide plura pag. 214. col. 2

MISSÆ VALOR ſi attenditur ex oblatione ſacerdotis, vt eſt actio elicita ab homine, pretium eius variat pro merito cuiuſque ſacerdotis: ratio eſt, quia id quod eſt ex opere operantis, tantùm valet, quantùm habet & meriti ſuppoſitum, à quo fluit talis operatio. Huiuſce rei veritas abundè liquet ex Scriptura ſacra, vbi oblationes Abel, & Cain diſpari merito recenſentur. Etenim meritis erant, & diſpares, ac proinde Cain non litauit. Noluit quoque Deus offerri ſibi ſacrificium ab amicis Iob, ſed ab ipſomet Sancto viro Iob, quem patienter habita tribulatio decoxerat, & ditarat magno cumulo meritorum.

MISSÆ VALOR eſt infinitus, vt attenditur hoc ſacrificium, à Chriſto oblatum, vt à primo ſacerdote, & vt res oblata eſt ipſemet Chriſtus.

Vide argumenta quibus hoc probo. pag. 210. c. 1

MISSÆ VALOR quamuis infinitus ſit ex parte rei oblatæ, finitè tamen hominibus ſuum pretium impertit. Primò quia omne receptum recipitur ad modum recipientis. Cùm ergo hominum diſpoſitio ad gratiam ſit finita, finitus erit & influxus huius ſacrificij. Secundò patet ex praxi Eccleſiæ. Si namque valor omnis, quo Miſſa diues eſt, ſe explicaret, & effunderet quotieſcunque ſacrum fit eo intento, donum vt aliquod impetremus à Deo, fruſtra plures eo intento viri pij Miſſas celebrarent. Quare verò Deus hoc ita ſanxerit, vide pag. 210. col. 2

MISSIO eſt deputatio alicuius ab eo, qui poteſtatem habet ad obeundum miniſterium Eccleſiaſticum; qualia ſunt adminiſtratio Sacramentorum, & prædicatio Euangelij. Extraordinariæ miſſionis auctor eſt Deus, qui hominum ope vocat alios homines, & miſſionis huius extraordinariæ teſſera ſeu nota indubia eſt miraculum, quo quis à Deo immediatè probat ſe miſſum eſſe. Ita Moyſes Pharaoni teſtatus eſt prodigiis miſſionis ſuæ veritatem. Miſſio ordinaria eſt ea, qua à Summo Pontifice inſtituuntur Epiſcopi, & ab his, Dei verbi præcones accipiunt ius prædicandi, quod nemini competit, Præſule renitente. Vide pag. 117. col. 2

MOTIONES animæ ſunt tres ex S. Tho. 1. p. qu. 90. art. 3. Prima animæ motio eſt à Deo rerum omnium centro, cui illa debent omne ſuum eſſe parentibus inſciis, quomodo, & quando ſuo corpori ſeſe inſinuet anima. Secunda motio eſt ad centrum, & hac motione mouetur homo, quando ſui iuris anima effecta petit ſupplex à Deo gratiis irrigari. Primus ille motus, ſeu proceſſio à centro ad circumferentiam mundi, animam non mouet motione recta, id eſt, quàm breuiſſima. Etenim originali peccato, motus ille fit miſtus, & obliquus. Secunda verò motio, qua anima terſior, vtpote tincta ſacro fonte rectà Deum petit. Siquidem tunc anima inſtructa Dei gratia, nihil habet, quod eam à recto tramite remoretur. Motio circularis eſt actio gratiarum. Anima namque dotes quas à Deo accepit, compenſat ei, ex corde iuges agendo grates, & ita gyrat ſemper circa Deum, vel petendo, vel gratias congruè referendo.

Vide plura pag. 295. col. 1. & 2

O

ODIVM DEI cadere poſſit necne malos in homines, vel etiam in diabolos diſputat acutè ſuo more Thom. 2. 2. qu. 34. art. 1. Odium, inquit, eſt quidam motus appetitiuæ potentiæ, quæ non mouetur niſi ab aliquo apprehenſo. Deus autem dupliciter apprehendi poteſt: vno modo ſecundum ſeipſum, vt eſt ipſa bonitas, & omnium rerum finis; ſic nemo planè Deum odiſſe poteſt, quia voluntas deuiare nequit ab obiecto, bonum exoſa. Quippe bonum non eſt odij obiectum. Alio modo Deus poteſt apprehendi per effectus, cùm ſcilicet inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Sunt autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati, vt inflictio pœnæ, cohibitio peccatorum per legem diuinam; quæ duo repugnant voluntati deprauatæ vitio ſuo, in ordine ad tales effectus, ab aliquibus Deus odio haberi poteſt, in quantùm ſcilicet apprehenditur, vt peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor.

Vide pag. 67. col. 2

ODIVM VIRTVTIS ineſſe queat necne.

Virtus apprehendi poteſt, vt conſona rationi, & quid homini cõueniens: vt ſic virtus odio haberi nequit. Alio modo virtus apprehendi poteſt, vt habens aliquid diſſonum carni, cuius inquieti motus virtute velut fræno poſito compeſcuntur. Verbi gratiâ, abſtinentia effrænem gulæ reprimit appetitum. In eo ſenſu, virtutem odêre mali formidine pœnæ, quam obit caro in virtutum praxi.

Vide plura pag. 68. col. 1

ORATIO eſt actus rationis practicæ, quæ eſt cauſa alicuius editionis in natura rerum: nam ex Caſſiodoro; [Oratio eſt quaſi oris ratio.] Et ex Ariſtotele: [Optima deprecatio, ratio. Ruſus illa ſecum vehit duas principes virtutes, fidem ſcilicet, atque charitatem. Fidem, qua Deo ſiſtitur, quem præſentem apprehendit. Item charitatem exigit, iuxta Vatis hoc effatum Pſalm. 65. [Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Hinc duo ſunt effectus potiſſimi orationis; ſcilicet mereri, & impetrare. Habet meritum à charitate, & vim impetrandi à fide lucida mutuatur.

Vide pag. 548. col. 1

ORATIONIS NECESSITAS. Ex Dei prouidentia, non diſponuntur tantùm effectus, qui ſunt futuri; ſed eadem prouidentia reſpicit, & à quibus cauſis, & quomodo talia ſint ventura. Inter alias autem cauſas, ſunt etiam rerum quarumdam cauſæ actus humani: ideóque neceſſe eſt homines aliqua agere, non eo fine, vt vim faciant ordinationi diuinæ, ſed vt per ſuos actus impleant quoſdam effectus iuxta ordinem à Deo decretum. In illis actibus potiſſimum locum tenet oratio, quæ non fit vt immutetur ordo à Deo præſtitutus; ſed vt impetremus illud quod Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum implendum, vt ſcilicet homines poſtulando mereantur accipere, quod Deus eis ante ſæcula voluit elargiri.

Vide in eo argumento plura ſcitu digna. pag. 548. col. 1. & 2

P

PAX ex Sancto Thoma 2. 2. qu. 29. art. 3. duplicem vnionem dicit. Vna eſt ſecundum directionem appetituum in vnum aliquod appetibile: alia eſt, ſecundum vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius. Vtrique occurrit charitas; primæ quidem, quia Deus diligitur ea animi intenſione, vt ad eum omnia referantur & ſic omnes appetitus vnum in ſummum appetibile feruntur. Secundam perficit charitas vnionem, cùm diligitur proximus ea charitate quæ facit omnia communia.

Vide plura pag 152. col. 2

PECCATVM trifariàm malè afficit homines. Primò fœda colluuie maculatur homo, iuxta ſcitum

illud

illud Ieremiæ. [Denigratæ ſunt ſuper carbones facies eorum.] Hanc autem maculam homo diluere nequit, niſi irrorante Deo. Eſt enim gratia, animæ iuſtæ decor ordinis ſupernaturalis. Secundò homo patitur naturæ ſuæ deliquium, quatenus voluntas deuiat ab obiecto ſuo, ſcilicet ſummo bono; nequit autem natura infirma reſurgere, aut aliqoid arduum exerere, niſi propitia Dei obſtetricante manu. Tertium malum, quod incurrit homo, eſt reatus, quo pœnæ interminæ mancipatur. Ab hoc autem ſe debito expedire nequit homo, niſi iuſtitia Dei cedente iuri ſuo. Ergo benè ad nihilum redactus eſſe nequam homo, ſacro codice perhibetur.

Vide pag. 27. col. 2

PECCATVM aliud eſt originale, aliud actuale. Originale naturam ſpectat, actuale verò perſonam, à cuius voluntate immediate manat. De ratione peccati eſt, vt ſit voluntarium. Originale peccatum voluntarium tantùm eſt voluntate Adami, ideóque ſolùm contrahitur ex natura, quæ fluxit, ex Adamo, qui totam naturam mouit, ſicut & voluntas omnia membra mouet ad peccandum, peccato aliquo actuali. Nam vt ex Porphyrio plures homines participatione eiuſdem ſpeciei ſunt vnus homo, ſicut & plura membra ſunt vnum corpus; actus autem vnius membri, non eſt voluntarius voluntate membri illius ſed voluntate animæ, quæ mouet illud membrum, ita & inordinatio, quæ reperitur in quouis homine generato ex Adamo, non eſt voluntaria voluntate talis hominis, ſed voluntate Adami, qui mouet via generationis omnes, qui ab eius ſemine deriuantur; ſicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum: vnde peccatum, quod ſic ab Adamo fluxit in poſteros, dicitur originale; ſicut peccatum, quod ab anima deriuatur ad membra corporis, dicitur actuale: ideóquo defectus hic eſt naturæ, iuxta ſcitum illud Apoſtoli Epheſ. 2. [Eramus natura filij iræ.]

Vt peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis; ita peccatum originale non eſt peccatum huius perſonæ, niſi in quantum hæc perſona, ſuam naturam à primo parente emendicat. Alia verò peccata, quæ fecit Adam, perſonam eius infecerunt, & non naturam, ideo alios homines minimè vitiarunt. pag. 464. col. 1

PECCATVM ORIGINALE ex S. Tho. 1. 2. q. 85. art. 1. eſt inordinata naturæ diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua erat ſita iuſtitia originalis; ſicut & ægritudo corporalis, eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, quâ ſoluitur illa temperies, ex qua exurgit ratio ſanitatis. Eamobrem peccatum originale nuncupatur languor naturæ. Fauet Auguſtinus lib. de Baptiſmo paruulorum dicens: [Paruulos concupiſcibiles eſſe, et ſi non ſint actu concupiſcentes.] Indicans habitum ineſſe paruulis vitioſum à natura.

Hæc autem inordinatio fuit in Adamo, vt in cauſa principali; in ſemine, vt cauſa inſtrumentali: & cuilibet animæ infectæ ſubeſt, vt ſubiecto; in carne autem ratione pœnæ tantùm. Formalis ratio huius peccati, eſt priuatio originalis iuſtitiæ; materialis verò eſt concupiſcentia, ſeu inordinatio partium animæ.

Hoc peccatum contrahitur in infuſione animæ rationalis: prius eſt ordine naturæ in anima, quàm in corpore, ſed non ordine generationis, & temporis. Adueniente gratiâ, peccatum quidem tranſit in reatu, ſed remanet in pœna, & fomite. Id eſt, non facit Deo ingratos, ſed efficit nos graues nobiſmetipſis; qui nos in Adamo graues exhibuimus. Etenim Baptiſmo ſuſcepto licet peccatum originale ruat, vt dilutum; attamen ſentimus membrorum & animæ diuortium. cuius rationem exprimit Auguſtinus ita fatus in Pſalm. 75. [Sic vindicatur in rebellem contra Deum, vt ipſe ſibi bellum ſit, qui pacem noluit habere cum Deo.]

PERFECTIO DEI petitur ab eius eſſe: Quippe Deus ipſe ſuum eſt eſſe, & nomen eius Hebræum יהוה Iehoua venit à radice היה haiah, quæ ſignificat eſſe. At ipſum eſſe eſt perfectiſſimum. Comparatur enim ad omnia vt actus: nihil enim habet actualitatem, niſi in quantum eſt: itaque ipſum eſſe eſt actualitas omnium rerum, quæ cùm non ſint niſi ab ipſo eſſe, nullas habent perfectiones, quæ non in Deo præexiſtant: quia implicat aliquid eſſe actu ab alio, quàm ab ipſo eſſe: at Deus eſt eſſe ſuum, & eſſe rerum omnium, quæ ab hoc fonte limpido deriuarunt.

Perfectiones quæ Deo tribuuntur ſine metaphora, ſunt in eo dupliciter, ſcilicet formaliter, & eminenter, Si enim eſſent in Deo tantùm cauſaliter, quia ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem ingerunt hominibus, eſſet hæc impropria locutio, & metaphorica, Deus eſt ſapiens, iuſtus, bonus. Nec obſtat, quod iuſtitia, bonitas, & ſapientia ſunt accidentia, Deus verò procul à ſe arceat accidentia. In Deo namque perfectiones illæ Deus ſunt.

Perfectiones eminenter eſſe in Deo quid ſit, & quid requiratur ad hoc, vide fusè pagina 72. col. 2

PERFECTIO ANIMÆ eſt ſita in vnitate, quæ aliquo modo referat illam, qua Deus, eſt vnus, & hoc inſinuauit Chriſtus ita fatus. [Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.] Ioan. 17. Hoc textu non compellit nos Chriſtus ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem, eam equidem quæ eſt inter Deum, & hominem; & non ad eam quæ intercedit inter hominem, & hominẽ, quo etiã ſenſu orat Chriſtus, vt ſimus vnum, ſicut ipſe cum Patre eſt vnum: non autem ęquare poſſumus vnitatem, quâ Pater, & Filius vnum ſunt, ſed pro modulo poſſumus imitari.

Proponit Chriſtus ſignum ad collimandum, quò ſcit nos peruenire non poſſe, vt quò poſſumus perueniamus. Non vult nos eò vſque progredi, ſed ſtare vetat; ſtationem autem inducit hæc importuna moles carnea, quâ premimur: corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, quamuis enim afflante aurâ Spiritus Sancti turgeant animæ noſtræ vela, caro tamen inſtar echeneis perquam ſæpe niſus, & impetus animæ remoratur.

PERFECTIO ANIMÆ quomodo, & quare ſita ſit in humilitate. Vide pag 648. col. 1. & 2

PERFECTIO ANIMÆ procuratur à gratia: ſiquidem hæc naturam non deſtruit, ſed perficit. Ergo ſi homo in naturalibus deſiderat perfici, à potiori, ille quem Chriſtus ſua gratia dignabitur, ampliores ſpiritus hauriet ad gratiam animæ conſequendam. Etenim ex S. Thoma 1. 2. qu. 9. art. 4. Gratia diuina ſecum vehit rectitudinem voluntatis: dicitur autem voluntas recta, ea quæ fertur in bonum conueniens: ſed nihil vnicuique magis congruit, quàm perfici: ergo ille, cui Chriſtus illuxerit, corruſco lumine gratiæ, proficiet ſemper morarum impatiens, & anhelus ad noua votis omnibus incrementa.

Vide pag. 132. col 2

PERFECTIO ANIMÆ ſita in imitatione Chriſti, qui propoſitus eſt nobis ad exemplum perfectionis pro conceſſis è cælo nobis viribus imitandum. Vide egregia Scripturæ loca, ſententias

Patrum, & hiſtorias ad hanc aſtruendam veritatem. pag. 132. col. 1. & 2

Prædestinatio bifariàm accipitur. Primò pro actu ipſo diuino, quo Deus ab æterno præordinat quoſdam ad vitam æternam: & ſic eſt inuariabilis, & nefas eſt hunc montem attingere, & ſcrutari receſſus altos, ipſis etiam cælicolis abditos. Hinc reſiliit Paulus, etſi aliàs euectus ad tertium cælum; ait enim ſtupens in margine putei alti, & hærens in crepidine abyſſi: [O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.] Roman. 11. Itaque cauendum eſt ab hac curioſa indagine: etenim anxiè ſpeculari an ſis ab æterno præelectus, lethale ſcrutinium eſt, quo plerique ſcioli perierunt.

Prædeſtinatio alio modo ſumitur pro effectu adæquato præordinationis huius; ſcilicet pro vocatione, iuſtificatione, & glorificatione. Eo modo viros iuſtos, iuxta ſuam vocationem viuentes, prædeſtinatos, vide pag. 28. col. 2

Prædestinatio iuuari poteſt piis operibus, & ſuffragiis Sanctorum ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 33. Ait Sanctus ille, Dei prouidentiam non diſponere tantùm effectus, ſed etiam attendere, ex quibus cauſis, & quo ordine deriuentur. Et hoc reuerà palàm fit in phyſica rerum ſerie: Verbi gratiâ, Deus præordinat, & prouidet ſegetem futuram, non hic ſtat eius prouidentia, ſed ſe extendit ad modos congruos illi prouentui annonæ: ſcilicet terram germen multiplex edituram optima ſemente ſatam, fauente Sole, irrorante cælo, & congrua tempeſtate.

Ita in prædeſtinatione ſumpta pro glorificatione, inter cauſas ſecundas, etiam actus humani ſunt cauſa aliorum effectuum; & ita Deus prouidet hos effectus fore, mediis actibus humanis, inter quos ſunt ſuffragia Sanctorum, quæ propitios effectus in prædeſtinato homine ſortiuntur. Ergo ſicut ille, qui applicat cauſas ad merendam frumenti abundantiam, non intendit mutare diuinam diſpoſitionem, ſed potius illam ſequi; non ſunt enim cauſæ ſecundæ, contrariæ primæ, ſeu diuinæ prouidentiæ, ſed ſunt eius exequutrices. Simili modo, bonis operibus, & orationibus Sanctorum, non intendimus immutare Dei voluntatem, & diſpoſitionem, ſed potius cauſas adhibere quibus diſpoſuit electis ad gloriam æternam vberes gratias impertire.

Idcirco benè Thomas ait, dicere non eſſe orandum, vt conſequamur aliquid à Deo, ob id quod prouidentia eius non variat, idem eſſe ac aſſerere, non ambulandum eſſe, ad hoc vt perueniamus ad locum aliquem: vel abſtinendum prorſus vt optimè ſaginemur.

Chriſtus ei qui petebat, qua ratione vitam ad beatam poſſet appellere, ſic reſpondit: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Ita planè notum fecit, eſſe bona opera velut calamos in libro vitæ electorum nomina deſcribentes.

Prædestinationis tentatio præualida, qua cautione, & quibus argumentis fuerit eluſa à Sancto Bonauentura.

Vide pag. 29. col. 2

Principivm mouens, in homine duplex eſt ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 68. art. 1. Principium interius mouens eſt ratio; exterius verò Deus. Omne autem quod mouetur, debet eſſe diſpoſitum ad motum, quem imprimit cauſa mouens; & quò nobilior eſt cauſa motrix, eò etiam nobiliùs diſponi debet, id quod mouendum eſt: vt diſcipulus quem quis vult imbuere ſcientia exquiſita, debuit diſponi aliis ſcientiis, vt præambulis ad digniorem diſciplinam. Ita virtutes humanæ perficiunt hominem, & benè diſponunt, prout homo natus eſt moueri per rationem, in his quæ agit interius, vel exterius. At quatenus homo mouetur à Deo, alios infuſos habet habitus præſtantioris ordinis, quàm ſint virtutes cognitæ Philoſophis: hi habitus ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti. Quomodo moueatur homo donis illis, vide fusè pag. 87. col. 2

Providentia Dei non ſe ſolùm extendit ad effectus, ſed ad media, quæ conducunt ad præordinatos effectus exerendos.

Vide pag. 29. col. 1

Poenitentia perfecta duo exigit ab homine, iuxta duo quæ ſunt in peccato. Primum eſt auerſio à Deo, deuiâ ratione. Alterum eſt delectatio ſenſualis, quam ingerit caro: è duobus hominem mortiferè lædentibus petitur Theologica indicatio ſalutis animæ reparandæ. Nimirum pharmacum diluitur, & aptatur, quo ratio recta Deo obſequitur, in remedium auerſionis à Deo. Et eodem antidoto ſenſuum illecebræ, indictâ pœnâ debitâ compeſcuntur.

Duo hæc pœnitentiam, vt pro ſatisfactione ſonat ſartam tectam efficiunt, & occurrunt duplici pœnæ, qua plectentur reprobi in æternum, quia noluerunt in hoc ſæculo pœnitere. Vna eſt pœna damni ſita in priuatione viſionis eius, quâ beantur in cælo Sancti, & hæc infligitur ob auerſionem à Deo. Alia eſt pœna ſenſus, quæ inuritur ob voluptates carnales, & obſcœnas, quibus olim reprobi turpiter indulſerunt. Pœnitentia ſatisfactura Deo, rationem reuocat ad amuſſim, illam rectâ Deum verſus dirigendo. Senſuum verò iocos, & delicias congruâ pœnâ luit, vt ſunt ieiunia arcta, preces prolixæ, noctes inſomnes, veſtes auſteræ quales olim Elias, & Ioannes Baptiſta, duo pœnitentiæ prodromi præferebant.

Vide plura fusè pag. 34. col. 1. & 2

Poenitentia ſuis omnibus numeris abſoluta locum habet in ſerie Sacramentorum. Præterea eſt etiam virtus quod de aliis Sacramentis dici nequit. Virtus ex Ariſtotele libro 2. Ethicorum eſt habitus electiuus ſecundum rationem rectam. Sed ad rectam rationem pertinet, vt aliquis doleat de quo dolendum eſt: ergo pœnitentia, quæ eſt dolor de crimine perpetrato virtus erit, ſi ſpectetur, vt eſt in voluntate dolor ille cum quadam electione; ſi autem ſimpliciter dolor ille eſt in appetitu ſenſitiuo, erit paſſio & non virtus. An verò Deo inconſulto queat homo, virtutis huius compos eſſe, res non eſt operoſa ſcire. Quippe dicit Philoſophus libro 7. Phyſicorum cap. 1. Cauſas ſecundas non mouere, niſi motas, à ſuprema ſcilicet cauſa: cùm ergo pœnitentia, vt virtus, ſit motio voluntatis exoſæ ſcelus, & inhiantis ad virtutes, eget alio motore, Deo ſcilicet illam validè percellente. pag. 528. col. 1

Poenitentia Sacramentum eſt à Chriſto inſtitutum, ad remiſſionem peccatorum: habet enim ſignum ſenſibile gratiæ, quæ confertur eo ſigno ſenſibus obuio. Duplex eſt materia huius Sacramenti, proxima, & remota. Proxima ſunt actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſſione teſtata, & propoſitum vitæ cultioris. Materia remota ſunt peccata vtique deteſtanda. Forma Sacramenti, eſt abſolutio. pag. 528. col. 1

Religio ex Iſidoro dicitur à relegendo, quæ ſunt diuini cultus. Vel etiam à reeligendo, vt qui à Deo deuij, regreſſu meliore ad Deum appellamus.

Rurſus

Rurſus ex Auguſtino, Religio dicitur à religando, vt qui exleges Deo fueramus iniurij, iam Deo redditi, præualido vinculo connectamur. Eſt autem Religio virtus quâ Deo debitum honorem, & reuerentiam exhibemus; differtque illa virtus ab aliis, eò quòd virtus in genere ordinetur ad bonum, & iſta virtus habeat ſpecialem rationem boni: vbi autem ſunt ſpeciales rationes participandi genus, illic ſunt & diuerſæ ſpecies, vt rationale, & irrationale, quia diſpari ratione communicant in genere animalis, ideò conſtituunt diuerſas ſpecies animalis. Ita Religio ſita eſt in peculiari ſibi bono: nam ordinatur ad exhibendum honorem Deo debitum, quod non competit alteri virtuti, ſed eſt Religionis ratio ſingularis.

Vide pag. 192. col. 2

S

SACRAMENTVM eſt ſignum ſenſibile non tantum ſignificans, ſed etiam efficiens animæ ſanctitatem. Debuit eſſe res ſenſibilis, quia Deus prouidet vnicuique modo idoneo naturæ illius iuxta illud Sapient. 8. [Diſponit omnia ſuauiter] Eſt autem hominibus inſitum à natura, vt ad rerum ſpiritualium notitiam deueniant, præuiis ſignis ſenſui peruiis: ergo cùm bona, quæ Sacramenta nobis ingerunt, ſint res ſpirituales, congruum fuit, vt illæ nobis ſignis ſenſibilibus innoteſcerent.

Quodlibet autem Sacramentum tria noſtris mentibus debet ingerere, ſi adæquatè velit quis attendere ea quæ ſunt ordinata ad iuſtificationem noſtram, quæ conſiderari poteſt vel in cauſa, vel in forma, vel in fine. Paſſio Chriſti eſt cauſa ſanctificationis noſtræ. Gratia verò eſt forma ſanctificationis. Vltimus finis ſanctificationis animarum eſt vita æterna; & illa tria ſingulis quibuſque Sacramentis indicantur; ac proinde Sacramentum eſt ſignum mnemoſynum, ſeu rememoratiuum eius quod præceſſit, id eſt Paſſionis Chriſti. Eſt ſignum demonſtratiuum eius quod in nobis efficitur per Paſſionem Chriſti, ſcilicet gratiæ. Denique eſt ſignum prognoſticum, ſeu prænuntium gloriæ æternæ, quæ in cælo manet animas illa immarceſſibili gloria præmiandas.

In hoc argumento vide plura, pag. 238. col. 1

SACRAMENTVM obice ſublato, ſuum ſemper ſortitur effectum: tollitur autem omnis obex, præuia diſpoſitione. Bifariam anima diſponitur, negatiuè ſcilicet, & poſitiuè: negatiuè quando nihil repugnat, quominus Sacramentum ſuum exerat effectum, vt videre eſt in puerulis, quorum næuos ab origine iniqua contractos ſtatim diluit Baptiſmatis aqua ſalutaris: quippe nihil obſtat ea in ætate tenera, quod remorari queat influxum gratiæ comitis Sacramenti illius inſtituti ad hoc, vt filij iræ redeant in gratiam.

Alia verò diſpoſitio petitur ab adultis, videlicet poſitiua dicens actus elicitos, qui quò viuaciores ſunt, eò etiam gratia vegetior illabitur, quâ hominis rediuiui anima recreatur.

Vide pag. 257. col. 2

SACRAMENTVM duo habet, ſcilicet Sacramentum, & rem Sacramenti. Vnum ſenſibile, aliud inſenſibile. Sacramentum eſt materia ſenſibilis adiecta formæ: res Sacramenti eſt gratia infuſa ſigno ſenſibili. Verbi gratiâ, in pœnitentia, Sacramentum faciunt, actus exteriores pœnitentis, & abſolutio Sacerdotis, quæ omnia ſunt peruia ſenſibus. Sed rem Sacramenti facit remiſſio peccatorum.

Vide pag. 531. col. 2

SACRAMENTALIS gratia addit ſuper gratiam aliter infuſam, & ſuper virtutes, & dona Spiritus ſancti quoddam auxilium Dei ad habendum Sacramenti finem, vt virtutes, & dona Spiritus ſancti addunt ſupra gratiam perfectionem potentiarum.

Rurſus gratia Sacramentalis eſt ad duo; ſcilicet ad tollenda peccata, & ad perficiendum hominem ad cultum Dei, iuxta normam fidei Chriſtianæ. Item gratia, & virtutes animam ſanant formaliter, ſed Sacramenta effectiuè. Denique gratia virtutum, & donorum ſufficienter perficit animam, quo ad generalem ordinationem actuum; ſed gratia Sacramentalis occurrit defectibus determinatis, quibus gliſcentibus anima labare poteſt, ac nutare.

Vide fusè exempla talis gratiæ. pag. 244. c. 1. & 2

SACRIFICIVM eſt oblatio externa facta ſoli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis, à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur. Dicitur oblatio, vt notetur genus ſacrificij; hîc enim ſacrificium accipitur pro actione ſacrificandi, & non pro victima, quæ mactatur. Secundò dicitur oblatio externa, quia interna non eſt ſtrictè, & propriè ſacrificium. Nam cùm homo totum ſe eſſe Dei proteſtetur eo ritu Religionis, & ille conſtet anima, & corpore, debet vtrâque ſui parte Dei cultui mancipari. Tertiò dicitur oblatio facta ſoli Deo: oblationes enim quæ fiunt hominibus, etiam propter Deum, non ſunt ſacrificia, vt videre eſt in eleemoſyna: ſiquidem ſacrificium pertinet ad cultum latriæ. Quartò dicitur oblatio, ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis. Nempe finis hic eſt omnium ſacrorum, ſunt enim tributa Deo reddita, in teſtimonium ſupremi dominij eius, & noſtræ ſubiectionis. Quintò dicitur oblatio facta à legitimo miniſtro; non enim quiuis promiſcuè ſe debuit vnquam ingerere ad ſacra facienda. Sextò dicitur vt hæc oblatio ſit rei ſenſibilis, atque permanentis, vt nimirum excludantur à ratione ſacrificij res, ſeu actiones tranſeuntes in honorem Dei factæ, quales ſunt pſalmodiæ, preces, genuflexiones, quæ ſacrificia minimè nuncupantur. Septimò adiicitur, vt res illa ſenſibilis ritu myſtico conſecretur. Namque debet res illa quæ Deo offertur, ex profana fieri ſacra, Deoque dicata, ſicut vox ſacrificare ſonat, ſignificans ſacrum facere.

Denique de ratione ſacrificij eſt, vt res illa conſecrata tranſmutetur. Nimirum ad verum ſacrificium exigitur vt id quod offertur Deo in ſacrificium, planè deſtruatur, id eſt, ita mutetur, vt deſinat eſſe id, quod antè erat, & in hoc maximè differt à ſimplici oblatione, quæ interdum ritu myſtico eleuabatur coram Deo, ſed non deſtruebatur, niſi quando verè ſacrificabatur. Huiuſce rei duplex eſt ratio. Vna ob ſignificationem mortis Chriſti, quam priſca omnia ſacrificia nouimus adumbraſſe. Altera ratio eſt, quia ſacrificium eſt ſumma proteſtatio ſubiectionis noſtræ Deo, & eſt ſummus cultus externus, qui exhiberi poteſt: ſumma autem iſta proteſtatio requirit vt non ſolùm vſus rei Deo offeratur, ſed etiam ipſa ſubſtantia, quæ idcirco debet conſumi, vt oblationi conueniat ratio Sacramenti.

Vide plura fusè, pag. 193. col. 1. & 2.

SPIRITVS ſanctus eſt Patris, & Filij amor, & connexio, ad ipſum pertinet ſocietas quâ efficimur vnum corpus vnici Filij Dei: ſicut enim vnum corpus hominis multis conſtat membris, & vegetat

omnia membra vna anima, faciens in oculo, vt videat, in aure vt audiat; ita Spiritus ſanctus membra Eccleſiæ continet & vegetat.

Vide plura. pag. 148. col. 1

SPIRITVS ſanctus dicitur donum ratione ſuæ proceſſionis à Patre, & Filio. De ratione doni eſt, vt ſit gratuita donatio, ſine intentione ſubſequuturæ retributionis; & ſic donum gratuitam donationem inuehit: formalitas autem gratuitæ donationis eſt in amore ſita. Namque gratis aliquid damus alicui, quia volumus ei bonum; & ſic amor induit rationem primi doni, à quo fluunt omnia dona gratuita, quæ dantur amatis. Etenim antequam amato detur quidpiam, iam præceſſit amor, quo quis inclinatur ad aliquid erogandum. Ideò, quia Spiritus ſanctus procedit vt amor Patris, & Filij, procedit in ratione doni primi, & vt ait Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. [Per donum, quod eſt Spiritus ſanctus, multa propria dona diuiduntur membris Chriſti.]

Vide pag. 147. col. 2

SPIRITVS ſancti dona totum hominem perficiunt. Illis enim inſtructus homo, ponit & exuit veteris hominis exuuias: nempe caligo, quam peccati tenebræ mentibus inuexerant detergitur donis ſapientiæ, & intellectus, & ſic oculus animæ terſior fit cæleſti lumine recreatus.

Rurſus voluntas hominis conſcia motuum, quos ſuſcitat appetitus inferior languebat in diuinis; ſed dono pietatis, & ſcientiæ erecta eſt illa potentia, quæ repebat: nimirum pietas vt donum eſt Spiritus ſancti, hominem præpotenti œſtro ciet ad diuina, & donum ſcientiæ vrget eum ad virtutum praxim, quas explicat illa diuina ſcientia cælitus impertita.

Demum appetitus ſenſitiuus, æquè ſatus in homine, & beſtiis, antè pronus ad omnia ſenſibus amica, licet inimica gratiæ diuinæ, dono timoris Domini reparatur. Et nequando praua, & noxia obiecta ſuis cupediis præpediant appetitum minus idoneum ad exterminium peccatorum, occurrit Spiritus ſanctus dono fortitudinis, quo anima armata feri hoſtis, ſcilicet diaboli, & carnis caſſa facit, & irrita conamina. Cùm ergo conſtet homo, intellectu, voluntate, & potentiis ſenſitiuis, & hæc omnia faciant ſarta tecta, dona Spiritus ſancti, abundè liquet hominem totum hiſce donis ſancti Spiritus inſtaurari.

Vide pag. 148. col. 1

SPIRITVS ſancti cognitio inuia Philoſophis, & quare.

Vide egregias obſeruationes. pag. 155. col. 2

SPIRITVS ſanctus non diſtingueretur à Verbo perſonaliter, niſi procederet à Verbo.

Vide pag. 123. col. 1

SPIRITVS ſancti dona mouent omnes animæ potentias, & in his omnibus ſunt aliqua ſita dona Spiritus ſancti, ſcilicet in ratione, & in vi appetitiua. Ratio autem eſt ſpeculatiua, & practica, & in vtraque conſideratur apprehenſio veritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & ad iudicium de veritate. Ad apprehenſionem veritatis perficitur ratio ſpeculatiua, per primum donum Spiritus ſancti, quod dicitur intellectus: practica verò ratio perficitur per aliud donum, ſcilicet per conſilium: ad rectè autem iudicandum, ratio ſpeculatiua perficitur per donum Sapientiæ, ratio verò practica perficitur per donum ſcientiæ.

Virtus autem appetitiua in his quæ ſunt ad alterum, vt eſt eleemoſyna, perficitur per donum pietatis. In his autem, quæ ſunt ad ſeipſum, virtus hæc appetitiua perficitur per donum fortitudinis contra niſus carnis, & aliorum hoſtium impetus ingruentes. Denique hæc potentia appetitiua perficitur per donum timoris contra concupiſcentiam inordinatam iuxta Vatis hoc effatum. Pſalm. 118. [Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.] Et Prouerb. 15. [In timore Domini declinat omnis à malo.]

Vide pag. 87. col. 1

T

TENTATIO ex S. Thoma 1. part. quæſt. 114. art. 2. id eſt ac experimentum, nam tentare perinde ſonat ac experiri. Dæmon tentans, facit experimentum virium noſtrarum, vt noceat, & hoc trifariam. Primò nobis obiiciens gratioſa, quibus titillet ſenſus, & eos inſita cupidine captos alliciat, vt animæ conſenſum eliciant; & hoc peccatum eſt fragilitatis. Alio modo neſcios homines agit præcipites in aliquod malum, vt Paulum, quem indiſcreto zelo motum perculerat in fideles Chriſti diſcipulos, vt ipſe poſtea cautior factus ait, ita mœrens. 1. Timoth. 1. [Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.]

Tandem Angelus ille nequam, imo vafer hoſtis agit homines conſcios in peccata, vt verbi gratia aliquam libidinem explcant carnis, aut vindictæ. Illic enim falsò licet ſubodorantur eſſe bonum aliquod delectabile, ſub cuius ratione malum vltrò, & ſcientes agunt. Et hoc peccatum malitiæ grauius eſt aliis, quia impugnat directè Dei, Optimi, Maximi bonitatem. pag. 121. col. 2

THEOLOGIA diuiditur in duas partes, ſcilicet in eam, quæ eſt de Deo, & in eam quæ eſt rerum ad Deum pertinentium, quia ordinantur ad eum.

Prima pars ſubdiuidi poteſt in tres alias partes iuxta modum triplicem conſiderandi Deum, & ſic tres exurgunt tractatus: vnus de Deo vno; alter de Deo trino; tertius de Deo incarnato. Ea verò quæ ad Deum ordinantur, inanima ſunt, vel viuentia; viuentia ſunt Angeli, & homines: inanima ſunt Sacramenta, & gratia conducens ad gloriam cum annexis ei virtutibus. Sic Angeli, homines, Sacramenta, gratia, & virtutes habent in Theologia ſacra ſuos cancellos, quia has omnes materias diſcutit illa diſciplina. pag. 425. col. 2

TRANSVBSTANTIATIO eſt totius ſubſtantiæ, in totam aliam ſubſtantiam tranſitus, ſeu mutatio, ita vt tota materia, totaque forma, in aliam materiam, & formam abeant. Ita panis, & vinum quoad materiam & formam, mutantur in materiam, & formam corporis, & ſanguinis Chriſti.

Eſt mutatio prorſus alia ab ea quæ fit dum alternant formæ in eadem materia, quæ Camelcontis inſtar colores omnes induit obuios. Verbi gratià, ex terra, & aqua fit arbor ſucceſſu temporis, hæc arbor fit ignis clibano iniecta; ignis extinctus in aërem tranſit; & hic aër vapori immiſtus frigore concretus, in aquas reſoluitur. Vna tamen eademque materia numero ſucceſſiuè ſubſternitur his omnibus elementorum formis.

Vide pag 187. col. 1

TRANSVBSTANTIATIO in aliquo conuenit, & diſcrepat à generatione, & à creatione. Conuenit in ordine terminorum, ſcilicet vt poſt hoc, ſit hoc: Verbi gratià in creatione eſt, eſſe poſt non eſſe; in tranſubſtantiatione eſt corpus Chriſti poſt ſubſtan-

tiam panis. In generatione eſt ignis poſt aërem; aut aliqua alia forma poſt aliam.

Conuenit item tranſubſtantiatio cum creatione, quia in neutra earum eſt ſubiectum commune vtrique extremorum: concordat etiam cum generatione naturali; licet omnimodè non coëat; quia in vtraque mutatione, vnum extremorum tranſit in aliud, ſicut panis in corpus Chriſti, & aër in ignem, non autem, non ens conuertitur in ens, aliter tamen hoc vtrobique accidit, ſiquidem in hoc Sacramento tota panis ſubſtantia tranſit in totum corpus Chriſti. Sed in tranſmutatione naturali, materia vnius ſuſcipit formam alterius, priori forma depoſita. Secundò conueniunt in hoc, quod vtrobique manet aliquid idem, quod non accidit in creatione, differenter tamen: nam in naturali tranſmutatione manet eadem materia vel ſubiectum, in hoc autem Sacramento manent eadem accidentia.

Denique hæc mutatio tranſcendit alias omnes, éſtque eis nobilior ratione ſui termini, qui non eſt alius à corpore, & ſanguine Chriſti, omnia alia corpora tranſcendentis. Vide pag. 187. col. 1

TRANSVBSTANTIATIO probata Patrum ſententiis, & quare vocis huius inualuit. p. ead. c. 1. & 2

V

VERBVM DEI humana voce prolatum, & prædicatum ſic ſe habet ad extra, vt Verbum Dei ab æterno ad intra: ſed ab æterno Verbum ſpirat Spiritum ſanctum vnà cum Patre per modum vnius principij: ergo Verbum Dei quod concepit auditor animo docili, amorem in cordibus excitabit.

Vt perſonæ Trinitatis ſunt vnius eſſentiæ indiuiduæ, operanturque ſimul ad extra; ita & Verbum Dei prædicatum, vbi in intellectu altas radices egit, erumpit in voces amore feruidas. Voces autem illæ tria dicunt, quæ referunt Trinitatem. Voces ſeu loquelæ diſtinctis verbis expreſſæ, fuere præuiæ in intellectu, qui typus eſt Patris, illæ verò vt ſunt verba, typus ſunt Verbi vt procedit ab intellectu. Nequeunt autem emitti verba illa ad extra, niſi halitu ſeu ſpiritu valido percellente, cuius ope vox editur, vt & in diuinis Verbum dicitur conceptum de Spiritu ſancto, id eſt Verbum innotuit in humanis, operante Spiritu ſancto ad Verbi incarnationem. Vt enim incarnatio dicit actionem ea eſt totius Trinitatis; ſed vt dicit terminationem; ab vna ſola Verbi perſona terminatur. pag. 123. col. 1

VERBVM DEI, vt eſt ſecunda perſona Trinitatis. Quicquid Deus operatur, illud omne, ſuum eſſe totum à Verbo emendicat, iuxta locum hunc Ioan. 1. [Omnia per ipſum facta ſunt] Et ex Pſalmo 32. [Verbo Domini, cæli firmati ſunt] Quippe nihil operatur Deus, quod non præcognitum fuerit; cognitionis autem diuinæ ſumma eſt Verbum; atque ita fluunt ex Verbo vniuerſa in Deo, & ex Deo viuentia, Ioanne teſte cuius hoc eſt effatum cap. 1. [Quod factum eſt, in ipſo vita erat] Et ex Auguſtino lib. 6. de Trinit. c. 10. [Filius eſt ars plena omniũ rationũ viuentium. Inde liquet nihil eſſe extra Dei Verbũ.

Ex S. Bonauentura in 1. ſentent. diſt. 36. Omnia ſunt in Deo tripliciter. Primò vt in principio producente, & ſic ſunt ibi ratione potentiæ; ſecundò vt in exẽplari exprimente, & ſic ſunt ratione notitię, tertiò vt in fine conſeruãte, & ſic ſunt ratione volũtatis.

Hoc triplici genere eſſendi creatura non beatur: nam dæmones ſecundum eſſe ſuum naturale à Deo ſunt, & in Deo, ſecretâ tamen malitiâ, quæ non à Deo eſt, nec in Deo, vt eſt cauſa exemplaris: non datur enim exemplaris cauſa mali culpæ ſicut eſt tale: ſiquidem à Deo eſt penitus alienum. Eſt ergo genus aliud eſſendi, quo beatur homo, & eſt eſſe ſecundum Deum, eſſe gratuitum, eſſe ſupra naturam, quod Eccleſia Sancta petit à Deo precans hoc tempore Dom. 8. poſt Pent. [Vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus] Hoc beatum eſſe nobis meruit Chriſtus, id eſt Verbũ in humanis. Vide pag. 175. col. 2

VERBVM DEI generare nequit aliud Verbum Dei. Ratio, quæ eſt fidei pediſſequa, ita ſuæ dominæ ſuffragatur.

Quicquid in diuinis generatur, aut procedit, eſt ab intellectu, aut voluntate Dei. Sed totus intellectus diuinus exhauritur in generatione Verbi; nam totius intellectionis Dei Patris Verbum eſt terminus adæquatus. Hinc fit vt Verbum nequeat aliud generare Dei Verbum. Intellectus enim Verbi, non eſt intellectus numero diſtinctus ab intellectu Patris. Cùm ergo nihil de nouo Deus poſſit intelligere, non poterit aliud Verbum à Verbo generari.

Ita cùm Pater, & Filius eadem voluntate ſe mutuò ament, voluntas diuina tota in amorem effuſa ſpirat Spiritum ſanctum, eiuſdem numero naturæ, cuius eſt Pater cum Filio. Igitur cùm illa Dei voluntas ad intra ſit hoc amore adæquata, Spiritus ſanctus ſpirare nequit aliũ amorem, alioquin amor ille prior non perfectè Dei voluntatem ſpirando S. Spiritum adæquaret. Et ſic Spiritus ſanctus amor non eſſet infinitus, cum ad intra, Dei voluntas vtpote non exhauſta tali amore poſſet &, alium amorem exerere.

Vide pag. 156. col. 1

VIRTVS moralis eſt habitus electiuus, id eſt, bonam electionem præſtans: ad hoc autem vt ſit bona electio requiritur lumen intellectus, ne hallucinetur ratio, & rectitudo voluntatis, ne propoſito optimo reluctetur. pag. 6. col. 2

VIRTVTES theologales infuſæ licet ſint ſuperioris ordinis, naturæ tamen indigent obſequio, vt eliciat actus homo taliũ virtutum. Verbi gratiâ, quamuis ſperare nos fore beatos beatitudine neſcia termini, ſit ſupra hominum captum; quippe nequit ratio ſuggerere argumenta boni tanti; naturæ tamen miniſterio indiget ſpes actualis, eſt enim actus elicitus à voluntate, quam percellit bonum æternum, vt futurum: voluntati autem, vt illa fiat alacrior, ad ſuos eliciendos actus ſuperioris ordinis plurima famulantur. Scilicet ea lumina, quorum ſuffragio intellectus nouas rationes ſuggerit, vt perculſa voluntas ſemetipſam vrgeat, ad ſperandum, aut amandum ea, quibus erat antea minus idonea.

Talia ſunt media omnia, quæ conducunt ad hunc finem; videlicet infinita merita Chriſti Domini, demortuos homines ob peccata, ſuo ſanguine ſoſpitantis. Hac etenim recenſione pretij, & meritorum Chriſti, quibus anima debet incumbere, deiecta ſpes erigitur, quam etſi Spiritus S. euehat ad ſuperna; illa tamen naturæ, & ſenſuum indiget obſequio: nam debuit homo prius audire, aut legere merita Chriſti, vt innixus iis ad bona, quæ imminent actus, voluntatis elicitus efferatur.

Eadem planè eſt de Chriſti amore ſpeculatio: etenim in Chriſtum charitas non accendit, aut percellit animam, feriante natura: & eſto Spiritus S. illapſus voluntatem acuat, atque perficiat; illa tamen eget aliquo fomite accepto, beneficio ſenſuum, vt æſtuet, & amore ſuperioris ordinis in Chriſtum Dominum incaleſcat. Attamen aduerte, licet intelligere, ſperare, & amare ſint actus eliciti à natura, non idcirco poſſe dici actus naturales, quando Fide, Spe, & Charitate anima ad intelligenda ſacra myſteria, amandum Deum, & ſperandum æterna bona, cælitus excitatur.

INDEX PHILOSOPHICVS,

AXIOMATA SPARSA TOMO ISTO,

velut ex Synopſi exhibens, ad morales veritates liquidò comprobandas.

A

A CAVSA inſufficiente nihil fit. Ariſt. lib. 2. Phyſicorum. Inde poteſt hæc elici concluſio moralis, videlicet hominem in peccato nihil agère poſſe cælo dignum, nec eius opera poſſe bona dici in ordine ad gloriam, ac proinde velut nihilum eſſe tale quod fit ab anima lethali crimine ſauciata.

Vide plura. pag. 227. col. 2

AGENTIBVS per ſe, & eſſentialiter ſubordinatis, inferius non cauſat, niſi dependenter à ſuperiore; ita vt ſuperius ſimul concurrat ad ipſum cauſandi actum. Ariſtot. libro 2. Metaphyſic. cap. 2. textu 5.

Deus eſt prima, & ſuprema cauſa, cui eſſentialiter, ac per ſe ſubordinati oportet omnia agentia creata; igitur nullum agens infra Deum poteſt aliquam ipſo Deo inſcio exerere actionem.

Rurſus plus à Deo pendent omnia in ſuo conſeruari, quàm dependeat lumen à corpore luminoſo: ſed vel minimùm deſinente influere corpore luminoſo, lumen patitur eclypſim: ita & creata omnia, Deo ſe ſe eis ſubtrahente, ſummo eſſent obnoxia deliquio.

Vide pag. 193. col. 2

ALTERATIO eſt præuia generationi formæ nouæ, ex Ariſtotéle lib. 2. de generatione cap. 4.

Omnium prope rerum genius hic eſt, vt omnino nihil ab vno deuians extremo cedat in ius alterius extremi, intercapedine inuariâ: verbi gratiâ, nox opaca ſuas non diluit tenebras in inſtanti, aſt eas tergit albeſcente cælo ſenſim, crepuſculo, & aurora prius interiectis. Non in Phyſicis tantùm ſtat hic ordo, verùm & fidei noſtræ plura myſteria eumdem tenorem ſeruant. Nempe Deus hominem volens induere, aſpernatus eſt cuiuſuis fœminæ vernaculum vterum, vtpote contagio noxæ obnoxium, & delectu habito Annam, & Mariam adſciuit in parentes. In Anna natura humana fæces depoſuit: in Maria verò nitelâ ampliore adiecta fuit eadem natura hominom penitus illibata.

Præuia hac cautione Deus ſe accinxit ad capeſſendam hominum formam; quaſi ipſe addictus eſſet iis legibus, quas ipſe in natura ſanxit, vbi termini naturæ diſparis non coëunt, ſine præambula diſpoſitione. Quò autem res à ſe longius ſunt diſſitæ, eò etiam vt coaleſcant, ampliorem exigunt apparatum.

Hinc aiunt Philoſophi alterari ſubiectum ſubodorans introitum formæ peregrinæ: item & actioni reactionem ſuccedere, quaſi priore velut forma inuita, poſterior irrumperet. Hoc axioma docet omnes formas prærequirere diſpoſitiones congruas vt ſe materiæ inſinuent. pag. 249. col. 2

ANIMA eſt actus primus ſubſtantialis corporis organici potentiâ vitam habentis. Ariſtoteles l. 2. de anima cap. 2.

Anima dicitur actus ſeu ἐντελέχεια, id eſt, perfectio corporis organici potentiâ vitam habentis. Nomine corporis organici, S. Thomas intelligit corpus in potentia proxima idoneum animari: vnde excluditur corpus mortuum, quod etſi omnibus organis animæ congruis ſit inſtructum, nequit tamen dici corpus aptum animari, ob formam cadaueris.

APPLICATIO MORALIS.

Chriſtus ita ſe habet ad animas noſtras, ſicut illæ ſe habent ad corpora noſtra: ait enim Ioan. 6. [Qui manducat me, & ipſe viuet propter me] Vt autem abdita vi effectrice organorum, diſponitur corpus ad animæ receptionem; ſimili etiam modo anima aptatur ad recipiendum Chriſtum: hæc autem adaptatio congruit ei, quæ organa format, & diſcernit. Sicut enim calore viuifico natura corpus effingit vt animæ thecam; ita & anima fit viuida charitate. Quamcunque autem diſpoſitionem paret homo nequam, à peccato reſilire nolens, ineptus eſt ad Euchariſtiam, ſicut & cadauer etiam ſi habeat figuras organorum, ab anima nequit informari, quia abhorret à forma cadaueris.

Vide plura egregia. pag. 244. col. 1

ANIMA eſt quodammodo omnia. Ariſtot. lib 3. de anima textu 37. Anima non eſt omnia in eſſe naturali, ſed in eſſe intentionali, ſeu repræſentatiuo. Quicquid ergo nouit anima, illud omne quaſi typus ei innititur; & quantò quiſque elegantiori notitia præſtat, eò etiam nobiliores habet eius anima characteres.

Vide plura. pag. 426. col. 1

APPETITIO omnis fertur in bonum. Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Quò maior erit appetendi ratio, eò maiori etiam ciebitur impetu homo in obiectum: at in Deo coëunt omnia, quæ vrgere poſſunt appetitum: ſiquidem in eo ſumma ſunt omnia, in aliis verò eſt quid hiulcum, & deficiens, quod appetitum adæquare nequit. Sicut ergo maius lumen offuſcat minus; ita Deum amans anima, languebit ad terrenos affectus, ſi illa tamen amore Dei feruido teneatur.

Vide exempla talis amoris. pag. 73. col. 1

B

BONVM eſt id quod omnia appetunt. Ariſtot. lib. 1. Ethic. c. 1. Trifariam diuiditur, ex S. Th. 1. part.

part. quæſt. 5. art. 6. in bonum vtile, delectabile, & honeſtum, iuxta motum triplicem appetitus tendentes in obiectum, quod ciet appetitum, qui cùm moueatur tantum ad bonum, tot erunt ſpecies, & ideæ boni, quot etiam aſſignabo modos, qui appetitum validè perurgebunt. Res autem eatenus eſt bona, quatenus eſt appetibilis; nam bonum eſt id quod omnia appetunt. Mouetur verò appetitus tripliciter ad bonum. Primò mouetur ad id, vt ad terminum, & eſt bonum honeſtum, quod propter ſe optatur: ſed quia ſunt multi obices, qui remorantur optatum hunc finem, appetimus ea quæ faciunt ad adeptionem boni quod optamus. Et hæc media ad finem, cùm moueant appetitum, qui ad bonum tantùm accenditur, ſortiuntur etiam rationem boni, & dicentur illa media bonum vtile, quod appetitum mouet in ordine ad vltimum finem: hoc verò fine adepto, ſi quieſcimus illo, quies illa bonum delectabile dicitur.

APPLICATIO MORALIS.

Diabolus ſciens hominum appetitus moueri tantum in bonum vtile, vel honeſtum, aut delectabile, fucata quædam, & veluti laruas obiicit mentibus, quæ vt apprehendunt obiecta quaſi bona procul abſunt à vero, & ſupremo bono, cuius amore ſolo debent homines excitari.

Vide pag. 77. col. 2

Dæmon proponit opes, aurique gazas, vt vtiles ad iniurias, & ærumnas huius ſæculi detergendas. Pro delectabili bono vafer hoſtis obiicit ſenſuum illecebras, & obſcœnas in perniciem animæ voluptates. Loco verò boni honeſti ſubſtituit pompam, & infulas, honorum ſcilicet titulos, & gloriam, quæ fulgore ſuo non perſtrinxit oculos tantùm hominum, ſed & miſerè dementauit.

Vide plura pag. 549. col. 2

Bonvm ex integra cauſa. Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 6

APPLICATIO MORALIS.

Nemo bonus eſſe poteſt, niſi participando bonum, quo Deus ipſe bonus, quippe nemo bonus eſt, niſi ſolus Deus. At mediante Dei gratia, anima noſtra boni huius fit particeps, & illa eſt integra cauſa ſine qua nec honores, opes, aut aliæ quæque naturæ dotes non poſſunt affricare veram animæ bonitatem.

Vide plura. pag. 227. col. 2

Beatitvdo eſt vltima perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ. Ariſtot. lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8.

Intellectualis natura nequit perfici niſi ſecundum id, quo eſt natura intellectualis: at non eſt primò, & præciſè natura intellectualis à voluntate, ſed ab intellectu: voluntatis enim munia, & partes non ſunt, intelligere: at intellectus perficitur ab intelligibili, & cuiuſque rei perfectio eſt beatitudo illius.

APPLICATIO MORALIS.

Eatenus aliquid eſt obiectum intellectus, quatenus eſt verum: at ipſe Deus eſt veritas. Ergo nequit æquè rebus ab aliis perfici natura intellectualis quam ſupremo vero, Deo ſcilicet firmiter adhærendo. Errant ergo viri incauti qui ſe beatos aiunt, & credunt, quando rebus affluunt, quæ conciliant illis huius ſæculi voluptates.

Vide pag. 547. col. 2

C

Cavsa eſt id quod reddimus, cùm propter quid res ita ſe habeat inquiritur. Ariſtot. lib. 2. Phyſic. cap. 6. text. 68.

APPLICATIO MORALIS.

Cum hominis cauſa Deus ſit, propter Deum homo debet eſſe, & non contrà Deum, vt ſunt omnes eum nequiter offendentes.

Rurſus cauſa ſuo effectui inurit imaginem ſuam. Ergo debet homo, ſuam ita vitam componere, vt in illo clara micent, & rutilent ſtemmata deitatis. pag. 417. cap. 2.

Cavsæ ſecundæ non mouent niſi motæ. Ariſtotel. lib. 7. Phyſic. cap. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Ita Deus cooperatur immediatione ſuppoſiti, & virtutis vt nihil eo inſcio exerant vllæ cauſæ, quarum effectus ità Dei eſt, vt Philoſophi aſſerant, primam cauſam magis influere in effectum, quam influat illa ſecunda cuius eſt effectus: nam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Ergo ſi quidpiam heroïcum eſt ab homine, eſt egregij facinoris in Deum omnis gloria refundenda.

Vide pag. 514. col. 1

Cavsæ vniuerſales ſemper agunt, & influunt in bonum vniuerſi, cauſæ tamen ſingulares deuiant ab intento. Verbi gratiâ Sol, & homo generantes hominem, intendunt educere fœtum validum, & vegetum, quo edito forti, & benè compacto, fit plerumque, vt fœtus paſtus adulterino lacte malum induat habitum.

APPLICATIO MORALIS.

Decepti plerique à dæmone, & illecti à voluptate, bono à ſupremo deficiunt, eſto Deus vt prima cauſa ſecus eis ingerat, cordis eorum intima vellicando.

Vide pag. 74. col. 2

Cavsa finalis eſt cauſa cauſarum. Ariſtot. lib. 2. Phyſic. cap. 3. text. 29. Nempe finis eſt id cuius gratia aliquid fit: vnumquodque autem pendet ab eo, cuius gratia fit; & omne illud à quo per ſe aliquid pendet, verè ac propriè illius cauſa eſt. Verbi gratiâ cauſa efficiens, nonniſi cauſa alicuius operatur, ideoque neceſſe eſt illam moueri à fine, antequam formam in materiam introducat: ſicque finis motio antecedit cauſalitates omnium cauſarum, ſaltem origine, & dignitate. Nam præſtantius eſt agere, quàm agi; & in ordine mouentium, id excellit quod mouet non motum, quo ſe pacto finis habet, cùm ipſe moueat cauſas cæteras, ipſe verò finis minimè moueatur.

APPLICATIO MORALIS.

Bonum habet rationem finis, eſt enim id, quod omnia appetunt. Cùm ergo Deus ſit ſummum bonum, & vltimus hominum finis, quare deſes homo manus inertes complicat & ad ardua audenda non fortiter excitatur. pag. 65. col. 1

Contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt, niſi alterum eorum ſit à natura. Ariſtoteles lib. de prædicamentis, cap. 10, & lib. 10. Metaphyſ. cap. 6.

APPLICATIO MORALIS.

Virtus & vitium ſunt ſub eodem genere habitus, & pugnant ad inuicem oppoſitione contraria: ergo ſi vult irrepere virtus in animam infamem vitiis, illic erunt excitandæ magnæ tragœdiæ. Nimirum vitium vbi altas radices egit, ægrè admodum cedit habitui contrario, in eaque ceſſione pugnâ diuturnâ ſuas alternante vices; multis cum corpore diſſidiis anima diſtorquetur.

Vide pag. 61. col. 1

Corpvs trifariam accipitur. Primò, vt eſt genus ſubalternum ſubſtantiæ, & ſic complectitur omnem

ſubſtantiam

ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma. Secundò corpus accipitur vt pertinens ad prædicamentum quantitatis continuæ, & ſic importat trinam dimenſionem, ſcilicet longitudinem, latitudinem, profunditatem. Tertiò demum corpus ſignificat alteram partem compoſiti ſubſtantialis, vt cùm dicimus hominem componi ex corpore, & anima, & in eo ſenſu vſurpauit Ariſtoteles dicens animam eſſe actum corporis organici. In eo ſenſu, corpus dicit diuerſas in ſitu partes, & figuras, ad diuerſa vitæ munia deputatas. pag. 84. col. 1

CORRVPTIO oritur ex contrario. Ariſt. lib. 1. de cælo cap. 3.

APPLICATIO MORALIS.

Animæ vita, Dei gratia eſt. Cùm ergo Dei gratiæ peccatum contrarium ſit, anima dum peccat corrumpitur. pag. 435

CORRVPTIONIS principium attenditur penes materiam primam, quæ varias induere poteſt formas: at materia cæleſtis, in hoc ab infima diſſita eſt, quòd iſta omnes appetat formas: illa verò ſolum vni formæ ſit addicta, qua vt eſt informata, procul agit à ſe formas alias omnes, ac proinde nequit à ſuo ſchemate dimoueri.

APPLICATIO MORALIS.

Anima electa, cælo nata, Dei gratia informata, rerum aliarum affectum non induit, ac proinde vita æterna manet eam. Anima vero nequam proſtituta rebus omnibus, eo amore vago, ſuam in perniciem incurrit, & fit obnoxia corruptioni æternæ. Maria Virgo incorruptionis huius eſt teſtis.

Vide pag. 435. col. 2

D

DEFINITIO eſt ratio quam ſignificat nomen ex Ariſtotele lib. 4. Metaphyſ. vnde ſuo definito debet definitio adæquari.

APPLICATIO MORALIS.

Chriſtianus ex Auguſtino nomen pietatis eſt. Vnde benè carpit eos, qui vitâ illibatâ nomen Chriſtianum non aſtruunt. [Quid (inquit) prodeſt tibi vocari quod non es, aut mura nomen, aut quæ ſunt Chriſtianitatis gere.]

Vide pag. 30. col. 2

E

ENs, vnum, bonum, aliquid, verum, res idem ſonant, nam enuntiatione tranſcendentali de ſe prædicantur. Ita Ariſtot. lib. 4. Metaphyſic.

APPLICATIO MORALIS.

Vt homo ſit aliquid, debet eſſe bonus, & verus. Veritas autem rei eſt conformitas cum ſuis principiis. Verbi gratiâ hominis Chriſtiani principium ſumitur ex Baptiſmo, quo homo Dei gratia inſtitutus, graphicè refert imaginem Dei, ad cuius ideam natura hominis effecta eſt, ab ortu mundi enaſcentis: hinc homo lethali peccato obnoxius, quia excidit gratia, quæ vitæ Chriſtianæ fuit exordium, non eſt homo niſi fictè. Nempe verus homo ſolùm eſt ille, qui conformis eſt ſuis principiis, inſtructus ea gratia, qua in Baptiſmo fuit dignatus cum titulo Chriſtiani.

Vide pag. 182. col. 1

ELEMENTA ſic ad inuicem comparata ſunt, vt duo ſint extrema, alia verò duo media, quæ diuidunt vtriuſque elementi diſſitas qualitates. Terra ſummè grauis eſt, id eſt, ſuo pondere fertur infra alia elementa: ignis autem ſummè leuis eſt, quia alia omnia elementa tranſcendit. Aqua verò proximè ſequitur genium terræ, ſicut aër ignem leuitate ſua ſequitur. Hinc fit, vt corpora omnia grauia, vel leuia ſint in tantùm, quantùm de elementis participant, ad quæ pertinent illæ qualitates leuitatis, & grauitatis. Ita quædam ligna ſunt leuiora aliis, quia naturam referunt aëris, ex poris, ſenſibus quidem inuiis, ſed reuerà repletis aëre: ita & metalla quædam præ aliis grauitant, quia ex terra compacta maximè coaleſcunt.

APPLICATIO MORALIS.

Quo quis minus habebit de natura terræ, minus etiam ingraueſcet: ſed paupertas religioſa qualis eſt Fratrum Minorum nihil omnino ſapit terrenum, ideóque nihil eſt, quod remoretur eam tranſcendentem cælos: non ſentit enim auri grauedinem, opumque molem cordibus importunam.

Vide plura. pag. 97. col. 2

EMINENTER vt aliquid alia contineat, quatuor requiruntur. Primò vt id quod continet ſit naturæ eminentioris eo quod continetur; vnde plantæ non dicuntur eſſe eminenter in ſemine, nec in cauſa ſua vniuoca. Secundò operæpretium eſt, vt illud quod minus præſtans eſt, aliquo modo in illo præſtantiori reperiatur, & hoc fit quatuor modis. Primò ſi res per ſeipſam ſit in alia, ſicut in cauſa ſua; ſic qualitates, & accidentariæ perfectiones continentur eminenter in ſubſtantiis, à quibus effluunt, ita & radij in Sole. Rurſus res contenta debet eſſe in alia, per quaſdam ſui ſimilitudines, ſic omnia inferiora dicuntur eſſe in intellectu eminenter, cùm ea intelligit, quia ſunt in ipſo per ſuas notiones, quæ ſunt expreſſæ ſpecies, & imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipſum intelligibile. Tertiò requiritur in continente eminenter, vis agendi vel ſe extendendi ad obiecta, quia cauſa ſuperior poteſt nobiliori modo quidquid poteſt cauſa inferior. Hoc modo ſenſus externi continentur eminenter in interno, & ſenſus inter continetur eminenter in intellectu; ſiquidem intellectus percipit omnia, quæ ſenſus interior, & nobiliori modo. Quartò requiritur vt contenta eminenter ſint in continente ſecundum ordinationem, & æſtimationem, ſeu ſecundum rationem boni, & appetibilis: ſic media ſunt eminenter in cauſa finali, quia ſolùm propter finem æſtimantur, & ad illum ordinantur & tota illorum bonitas ex fine pendet.

Vide quo modo omnia contineantur eminenter in Deo. pag. 72. col. 2. & pag. 73. col. 1

F

FINIS in rebus agendis eſt ſicut primum principium in diſciplinis, ex Ariſtotele lib. 2. Phyſic. cap. 9. At nemo poteſt concluſioni aſſentiri, niſi in virtute primi principij, ergo neque poteſt aliquid velle, niſi ex intentione finis.

Rurſus ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 74. art. 3. Vt ſe habet primum efficiens in Phyſicis, ita & vltimus finis in intentione; at ſublato primo agente eſt impoſſibile dari vllum effectum phyſicum, ita & ſublato fine vltimo dari nequit vllum morale deſiderium. Sed cùm homo ſit vir deſideriorum, & vacare nequeat à deſideriis, Deus ipſe ſicut eius vltimus finis, & ſe obiecit, à quo cum deuius aberrat, tunc fruſtra gyrat, delibando rerum omnium ſuauium illecebras; nam ſemper erit extra Deum quietis impatiens, vt à centro ſuo procul reſidens elementum.

Vide pag. 74. col. 2

FINIS cuius bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt. Ariſtoteles lib. 3. topicorum.

APPLICA

Index Philoſophicus.

APPLICATIO MORALIS.

Quando vanæ gloriæ cauſa bonum aliquod opus fit, ille finis vt malus eſt, ita ſuam nequitiam illi affricat actioni. Etenim vnaquæque res tantùm habet de bono, quantùm habet de ente; ſiquidem bonum, & ens conuertuntur: vnde cæcus homo habet de bonitate, quòd viuit, ſed malum eſt ei, quòd non videt, ideoque cæcus non habens plenitudinem eſſendi homini congruam, non eſt perfectus. Ita boni operis eſt indoles exquirenda: nempe ſicut ad perfectionem hominis conſtat eum debere coaleſcere ex anima, & corpore inſignito ſuis organis, vt potentia quæque ſua poſſit obire munia, ita cuiuſque boni operis perfectio poſcit, vt dirigatur ad debitum finem. Ideoque bonum opus factum inanis gloriæ causâ, habet quidem bonitatem materialem, ſed debito fine caret; & cum actiones ſpecificentur à fine, cuius finis malus eſt, ipſum etiam eſſe malum neceſſe eſt.

Vide pag 89. col.2

Finem amare, & media quæ conducunt ad illum finem, eiuſdem eſt. Ariſt. lib. 2. Phyſic. cap 1.

APPLICATIO MORALIS.

Vt obligamur amare Deum, ita & aſtringimur attendere ad virtutum omnium praxim, quia illa Dei nos eſt compotes effectura.

Vide pag. 145. col. 1

Finis eſt optimum vniuſcuiuſque rei. Ariſtoteles lib. 2. Phyſicorum text. 74. Vox iſta, finis bifariàm accipitur. Primò pro re, quæ propter ſe primariò appetitur, & dicitur illa res finis vltimus. Secûdò finis ſumitur pro re, quæ appetitur in ordine ad aliud, vt equus ad carpendam viam; & ſic non tam finis, quàm medium ad finem res illa nuncupatur. Igitur ex mente Ariſtotelis, nihil alicui optimum eſſe poteſt, ſi non induit rationem vltimi finis; ac proinde gratis, & incaſſum illud appetitur anxiè, quo adepto poteſt anima nauſeare.

APPLICATIO MORALIS.

Voluptates, honores, opes, nullam omnino dare queunt requiem hominibus, quia res illæ finis rationem ſortiri non poſſunt, ac proinde nequeunt optimum hominis appellari. pag. 483. col. 1

Finis omne mouet agens ad agendum: etenim omne agens agit propter finem. Ariſt. lib. 2. Phyſic. textu 8.

Mouentur aliquæ cauſæ ab agente ſuperiori, vt ſunt omnia agentia inanima, vt ignis; & hæc à Deo perita ſunt: opus enim naturæ, opus intelligentiæ non errantis: & hæc non deuiat à ſcopo, ad quem dirigit illa Deus: Alia verò agunt ex motu phantaſiæ, vt bruta, quibus & fines congrui ſunt eorum indoli præſtituti. Denique ſunt agentia ex ratione: & illa ſola ſui ſunt iuris: quippe ſibi finem præfigunt ad arbitrium ſuum. Claſſis huius ſunt homines, qui dictante ratione recta, vel errante ſibi ad libitum indicunt finem, ratione cuius agunt, & ad agendum fortiter excitantur.

APPLICATIO MORALIS.

Cùm ergo penes hominem ſit deſignare ſibi finem, à quo ſpecificentur eius actiones. Eſt profectò delirus homo ille, cui non inſedit eum in ſcopum collimare, qui eſt ſupremus omnium rerum finis. pag. 483. col. 1

Finis eſt duplex: Vnus qui actionem agentis non anteuertit, vt forma, quæ per generationem acquiritur: alius verò finis eſt qui actioni præexiſtit, & in cuius editionem non conſpirat agens; ſed ideò operatur vt ei coniungi, & aſſimilari poſſit.

Forma quæuis inclinat ad agendum, ſeu operari ſequitur eſſe: quippe nihil prorſus in rerum natura vacat.

In his quæ cognitione pollent, eſt forma nobiliore modo, quàm in aliis cognitione carentibus, quæ ad vnum tantùm determinantur, non reſilire nequeunt: verbi gratiâ, ignis ita determinatus eſt ad vrendum, vt non ſit ſui iuris ad non vrendum: ea verò quæ pollent ratione habent inclinationem, quâ mouentur ad congrua, idoneaque ſibi, & hæc inclinatio eſt voluntas, qua ad agendum omnes homines excitantur.

APPLICATIO MORALIS.

Cùm operari ſequatur eſſe, profectò deſes homo, cui non vacat aliquid agere cælo dignum, homo nihili eſt, & nullius nominis. Etenim nomina ſunt ſigna rerum. Vnde quia nullius eſt nominis, nullius erit etiam numeri, vtpote in libro vitæ minimè recenſitus. pag 112. col. 1

G

Generatio vnius eſt corruptio alterius. Ariſt. lib. 1. De generatione cap. 3 text. 17.

Duæ formæ ſubſtantiales non coëunt in vna eademque materia: & idcirco vetus forma cedit, quando noua ſuum incipit exortum.

APPLICATIO MORALIS.

Virtutum in anima exortus, eſt occaſus omnium vitiorum, quæ animam inquinabant.

H

Honor ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 103. artic. 2. eſt teſtificatio excellentiæ, quæ alicui ineſt. Vnde ex Ariſtotele lib 1. Ethic. cap. 8. illi ſigna exteriora petunt, qui volunt ſuſpici, & excipi honore debito qualitati. pag. 15. col. 2

I

Idea ex S. Thom. de veritate quæſt. 3. art. 1. eſt forma, quam aliquid imitatur, ex intentione agentis determinantis ſibi finem.

APPLICATIO MORALIS.

Igitur homini ſeſe determinanti ad profeſſionem Euangelij, ex intentione præambula, danda fuit idea, ad cuius imitationem morem gereret Euangelio, & hæc idea ſeu exemplar eſt Chriſtus. pag 130. col. 2

Idem manens idem ſemper eſt aptum producere idem. Ariſtot. lib. 2. de generatione cap. 4.

APPLICATIO MORALIS.

Homo ſua ex natura pronus eſt in malum, ideoque licet mediante Dei gratia ſe ſe receperit in meliorem frugem, cauere debet à recidiua, cui eſt obnoxius, ob procliuem indolem ad mala, quibus aliàs ſe obſtrinxit.

Intelligere eſt quoddam pati. Ariſtot. lib. 3. de anima textu 2. Nihil eſt in intellectu, quod non præfuerit in ſenſu, à quo ſpecies veluti ingeſtæ mentibus inuruntur. Ex earum impreſſione patitur intellectus paſſione perfectiua, ſed non paſſione corruptiua.

APPLICATIO MORALIS.

In ſancta meditatione pati, eſt perfici. pag. 158. col. 2

Intellectus omnis rectus eſt ex Ariſtotele lib. 3. de anima textu 51. Intellectus errare nequit circa prima principia.

APPLICATIO MORALIS.

Intellectualis homo cùm ſit, quare rebus inhians noxiis incuruatur. pag. 193. col. 1

Intellectvs operationes ſunt tres; nimirum intellectus abſtrahit, iudicat, & diſcurrit. Abſtractio inurit ſpecies rerum, quæ occurrunt; iudicium negat, aut affirmat; diſcurſu aliquid infertur ex præmiſſis. In abſtractione, veritatis crepuſculum ſe aperit; in iudicio ſe veritas explicat liquidiùs: illa demum albicat tota, velut effuſo lumine diſcurrendo.

APPLICATIO MORALIS.

Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Iumenta aguntur & non agunt: etenim nec abſtrahunt, nec iudicant, nec diſcurrunt. Sed apprehenſo ſenſibus obiecto, ſui iuris non ſunt, ſed ad illud validè perurgentur. Ita homo viſo pomo nihil cunctatus aut concludens, ex præcepto Dei violato reum ſe futurum, pecorum more viſum edit, & hoc eſu ſe miſerè ſauciauit. pag. 266. col. 1

Intellectvs eſt quodammodo omnia. Ariſt. l. 3. de anima text. 17. Intellectus eſt paſſiuè, & actiuè quodammodo omnia, quippe poteſt omnia efficere, & effici. Duplex eſt intellectus: vnus agens, & alter patiens. Intellectus agens educit ſpecies à phantaſmate, quod eſt icon rerum obiectarum; eaſdem etiam imagines elicit è potentia animæ intellectiuæ, quæ tranſmittit ideas ad intellectum patientem. Intellectus hic patiens eſt potentia animæ rationalis cognoſcens, & quâ verè Dei ad imaginem factus homo, ſacro codice prædicatur.

Intellectus agens indicis partes agit, dum obuia quæque ſibi prodit, & aperit; at patiens intellectus oculum intelligendo refert. Agens habet rationem luminis affulgentis; patiens verò rationem potentiæ elicientis viſionem obiecti, cuius indolem, ope ſpecierum, vult explorator impiger intimè perſcrutari. pag. 469. col. 2

L

Lvmen eſt actus perſpicui, eâ ratione, quâ perſpicuum eſt. Ariſtoteles lib. 2. de anima cap. 7. text. 69.

Lumine extincto, nobis ſunt ſpecioſa quæque ſicut non entia; nam vt videantur obiecta, luce indigent, non vt medium tantùm illoſtretur, ſed vt ipſum obiectum viſibile fiat: quippe color, vt color eſt non eſt adæquatum obiectum viſus, ſed vt lumine illuſtratus: nempe lumen concurrit tanquam cauſa partialis, vnà cum colore ad emittendam ſpeciem, vt ſcitè probat Durandus in lib. 2. ſent. diſtinct. 28.

Hinc fit vt per ſe etiam lumen, ex parte coloris requiratur, concurrere verò lumen eo modo, nec tantùm inſtar diſpoſitionis medij, ſeu obiecti, ex eo conſtat, quòd nulli agenti merè naturali inſitum ſit, exigere formam naturæ potioris, vt ſolam diſpoſitionem requiſitam ad ignobiliorem formam; at lux præſtantior eſt, & imagine coloris, & ipſo vtique colore; ergo non ſe habebit lux duntaxat vt diſpoſitio, ad traiiciendas colorum imagines in oculum, ſed vt cauſa partialis eas edens ſimul cum colore obiecto, & experientiâ palàm eſt, eò melius videri & colores, quò magis lumine accenduntur. Vnde viget, & ſtat concluſio affirmans, obiectum ex luminis participatione fieri viſibile.

APPLICATIO MORALIS.

Gratia diuina lumen eſt, quo extincto, nihil eſt anima peccati tenebris opacata. pag. 57. col. 1

Lvx cæleſtis ſpecie differt à luce ſublunari, ex Alberto Magno 2. parte ſummæ quæſt. de lumine. Nam lux ſequitur naturam corporis pellucidi, vt nobiliſſimus actus eius; at Sol verbi gratiâ, & ignis ſunt diuerſæ ſpeciei; ergo & lux, quæ ab vtroque fluit corpore luminoſo.

Rurſus ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei mutuis ſe iuuant auxiliis, vt calor calori additus; ſed lux Solis in meridie lucem candelæ exhaurit, nec ab ea intenditur; item corpora cæleſtia miros edunt effectus adminiculo lucis, cuius vehiculo deorſum influunt; at ignis mediante luce nihil operatur, ſed mediante calore ſolùm eſt actiuus. Demum lumen candelæ augetur lumine facis, ſed Solis lumen acceſſionem non ſuſcipit à quouis incendio; ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei.

APPLICATIO MORALIS.

Fides quæ eſt ſuperioris luminis irradiatio, eſt diuerſæ ſpeciei ab ea notitia, quam venatur homo ſenſuum aucupio, nec omnino poteſt fieri, vt illud cæleſte lumen capiat augmentum ex inueſtigatione rerum ſenſibus obuiarum. pag. 115. col. 2

M

Motvs in homine qui mouetur, ſeu inclinatur ad obiectum ei propoſitum, tria dicit. Primum eſt id quod mouetur, ſcilicet anima, ſeu totum ſuppoſitum; alterum eſt, quod mouet, id eſt voluntas; tertium demum eſt id, quo mouetur, & illud eſt obiectum. pag. 112. col. 1

Motvs tres ſunt ſpecies ratione petita à centro mundi circa quod inanima corpora commouentur. Primus eſt motus rectus, qui à centro mundi ad circumferentiam quàm breuiſſimè procedit: nam ſi motus à centro ad circumferentiam, non rectâ lineâ, id eſt breuiſſima cietur ſe inclinans, iam erit miſtus, habens aliquid de recto, in eo quod procedit à centro. Motus circularis eſt ſecundus, & ille eſt, qui fit circum centrum. Motus rectus dicitur fieri ſurſum, quando fit à centro ad circulum; deorſum verò, quando ab orbe fit ad centrum, tenorem ſuum non variat motio circularis. Tertius motus eſt miſtus, qui aliquid è duobus aliis motibus emendicat. Ita Ariſt. lib. 1. de cælo, cap. 2.

Vide pag. 294. col. 2

Motvs omnis ab alio eſt. Ariſtotel. lib. 7. Phyſic. Philoſophus inde probat dari aliquod primum principium immobile, à quo omnia mobilia motum accipiant. Nam vt ipſe fatur Ariſtoteles libro 8. Phyſic. cap. 5. In mouentibus, & motis, non fit progreſſus in infinitum. Verbi gratiâ, malleus in ſubiectam materiam intorquetur à fabro, manus obſequio, & hæc virtute brachij; brachium autem à corde capit, & à neruis vnde moueatur: in cor verò iugiter influit anima neſcia feriarum. Quòd autem anima motum impertiat cordi, arteris, & muſculis, habet à Deo, qui ſtabilis immotuſque manens dat cuncta moueri. p. 397. col. 1

Motvs omnis tria dicit, ſcilicet, principium, ſequelam, & finem ſeu quietem, ex Ariſtotele lib. 2. Ethic. cap. 5. Vnde quia anima mouetur ad bonum, eſt neceſſe tria hæc in illa motione animæ reperiri. Primum eſt amor, quem obiectum excitat ſub ratione boni: eſt enim voluntas ſui impos ſecundum ſpecificationem, etſi libera ſecundùm exercitium, id eſt, non poteſt odiſſe bonum ſub ratione boni,

ſed actum amoris poteſt ſuſpendere. Dum ergo bonum, amorem iuſſit voluntati, in progreſſu voluntas æſtuat, & hic æſtus eſt deſiderium, quod tandem extinguitur re adeptâ, quâ flagrabat: illa verò quies voluntatis, quam obiectum hactenus excitauit dicitur gaudium & paſſio, quam S. Thomas ait eſſe amoris completiuam.

Vide plura fusè. pag. 458. col. 1

N

NATVRA eſt determinata ad vnum. Ariſtot. lib. 3. Phyſicorum, c. 8. à text. 40. vſque ad 56.

Vnicuique Deus tribuit vim actiuam, in numero, pondere, & menſura. Nec eſt, quòd inſtes dicens effectum æmulari indolem ſuæ cauſæ, & ſic agentia naturalia eſſe virtutis infinitæ, quia à Deo qui eſt virtutis infinitæ effluxerunt. Hæc inſtantia eſt vera ſolùm in rebus vniuocis, & eiuſdem ordinis; vt ignis ab alio igne editus, eiuſdem eſt rationis cum igne, cuius eſt ſoboles, & propago: at ſecus eſt in rebus æquiuocis, & diſſiti ordinis. Verbi gratiâ, ranæ quas Sol è colluuie ſtabulantis aquæ in cœno progenerat, non vendicant ſibi radios Solis, nec alios titulos eius, quia ſunt naturæ diſparis, quæ ab hoc ſidere diſpeſcuntur. Ita cauſæ omnes ſub Deo, quantumuis efficaces, Deum non referre queunt, quia ipſe liberè ſe effundens, pro arbitrio ſuo dedit cauſis principium, modum & terminum actionis. pag. 302. col. 1

NATVRA, eſt principium, & cauſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primò, & per ſe, & non ex accidente ineſt. Ariſtot. lib. 2. Phyſic. cap. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Igitur quò natura potior, & nobilior, ita & ad motum aptior erit, ſed gratia naturâ nobilior eſt, ergo niſus & impetus ingeret, ad quos natura nequit aſſurgere. Infer inde pigras, & inertes animas non eſſe Dei gratiâ inſtructas, quia complicatis manibus otiantur.

Vide pag. 544 col. 1

NIHIL eſt in intellectu, quod non præfuerit in ſenſu. Ariſt. l. 1. de anima. Cùm tota moles, ſeu compages hominum cõſtet corpore, & ſpiritu, & operari ſequatur eſſe, anima non agit inſcio corpore; ſicque fit vt ſenſus, & anima coeant, & ab eis quaſi concordibus, omnes actiones humanæ iugiter exerantur.

APPLICATIO MORALIS.

Pro conſcientiæ examine diſtricto valet iſtud axioma. Nam ſenſus omnes conſulendo ſciet homo an peccatum in animam irrepſerit. Quæretur ab auribus, an arrexerint ſe ad ſermones incongruos? Petetur ab oculis, an toruè, aut luxurioſè aſpexerint? vocabitur os in ius, vti reſpondeat de cibis indigeſtis, an contra Eccleſiæ ſanctiones, & indictum peccauerit ieiunium: ad trutinam ſerij examinis omnia eloquia reproba penſabuntur. Luſtrabuntur manus an rubeant ſanguine pauperis effuſo malis, & iniquis artibus, vſura ſcilicet, atque litigio iniuſto: iubebuntur explicari, an ſordeant obſcœno contagio, aut pingueſcant epulis nimiis, vtpote vſque ad crapulam? Tandem conſultis ſenſibus omnibus genuina cognitio ſceleris illucebit.

Vide plura fusè. pag 276. col. 1

NOMINA ſunt ſigna rerum. Ariſt. lib. de interpretatione, cap. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Sicut ſe habet ens phyſicum ad rem phyſicam nomine phyſico adumbratam, ita & ens morale ad rem moralem morali nomine lineatam. Ergo ſicut non entia, nomine phyſico carẽt, ita & reprobi nulla entitate, ſeu re morali inſignes, nullam ſibi poſſunt nomenclaturam in motum genere vendicare. Vnde procul à Paradiſo arcebuntur in die iudicij, quando benedicti Patris ad æterna præmia vocabuntur.

O

OMNE quod mouetur, vbi quieuit in termino, duo acquiſiuit externa, & vnum internum: duo externa ſunt ſitus, atque locus; internum verò modus eſt quidam intrinſecus, ratione cuius locatum ita eſt illic, vt alibi non ſit, & dicitur, vbi, & eſt ſpecies vna prædicamenti diſtincta ab aliis. Ita Ariſt. lib. 4. Phyſic. cap. 5.

Vide loci huius applicationem allegoricam, pag. 150. col. 1

OPERARI ſequitur eſſe.

APPLICATIO MORALIS.

Qui Chriſtianus eſt, debet iuxta nomen illud operari. pag. 227. col. 1

ORDO attenditur ſecundum prius, & poſterius.

APPLICATIO MORALIS.

Vita religioſa nõmen ordinis ſortitur, Religiones enim dicuntur ordines. Ergo debent in eis eſſe quidam ſuperiores, & alij inferiores. pag. 118. col. 1

P

PASSIO eſt motus appetitiuæ virtutis ſenſibilis, in imaginatione boni, vel mali. Dicitur ille motus; paſſio, quia reuerà totus homo patitur, & mutatur in apprehenſione boni, vel mali.

Vide fusè de hac materia. pag. 526. col. 1

PECCATVM eſt in tantùm contra naturam hominis, in quantùm deuiat à recto tramite rationis. pag. 33. col. 2

PERFECTVM eſt id, cui nihil deeſt. Ariſt. lib. 3. Phyſic. Bifariam autem vſurpatur perfectio: vna eſt de eſſentia rei, vt eſſe rationale, eſt de eſſentia hominis, & hæc perfectio non ſuſcipit incremẽtum, neque decrementum. Alia eſt perfectio extra rei eſſentiam; vt ſapientem eſſe, & caſtum eſſe, & hæc ſuſcipit incrementum. Vide pag. 24 col. 1. & 2

PERFECTIO eſt vltimus actus operantis Ariſt. lib. 2. de anima, textu 3. Vnaquæque res in tantùm perfecta eſt, in quantùm eſt adepta ſuum vltimum finem. pag. 450. col. 2

PHILOSOPHIA eſt cognitio rerum vt ſunt. Ariſt. lib 10. Metaph. c. 3. Duplici modo poteſt cognitio ab homine comparari. Primò nobis res obuiæ, ſunt & cognitæ in obiecto per ſpecies, quas ingerunt nobis, vt cùm è ſpeculo cognoſcimus vniuerſa, quorum imagines, è ſpeculo referuntur.

Alio item modo aliqua cognoſcuntur, vt in principio cognitionis, vt ſiquis in Sole videret omnia, quæ nobis obſequio huius ſideris innoteſcunt, pag. 421. col. 2

POTENTIÆ ſeu facultates animæ internæ, ſua ad obiecta ſic ſe habent, vt ſenſus externi ad ſua obiecta, eſt enim vtrobique modus idem attingendi obiectum; ſed congruo obiecto dato vnicuique ſenſui, elicitur ſenſatio: ita & potentiæ intrinſecæ datis obiectis idoneis, modo conſono, non poterunt à congruis actibus abſtinere. pag. 292. col. 1

PRINCIPIA generationis rerum naturalium tria ſunt, ſcilicet materia, forma, & priuatio. Ariſt. lib. 1. Phyſic. cap. 7.

Quicquid generatur, progreditur à non eſſe ad eſſe, vt præſefert nomenclatura generationis: ſi progreditur à non eſſe, illud non eſſe erit, vel nihil, aut aliquid carens debita perfectione, ſeu forma, quam ſuſcipere aptum ſit. Non poteſt eſſe talis progreſſio à non eſſe ſimpliciter, id eſt, à nihilo, alioquin eſſet creatio, & non generatio: erit ergo ab alio non eſſe,

Index Philoſophicus.

nempe à materia, cui inſit priuatio formæ rei, quæ gignitur: ſic illa materia, & priuatio duo principia conſtituunt, quibus ſi adiicias formam, quæ dat eſſe ſpecificum exurgent tria principia rerum phyſicarum.

APPLICATIO MORALIS.

Tria ſunt præludia ad Euchariſtiam ſumendam neceſſaria, & hæc congrua tribus principiis his præfatis.

Primum quod petitur communionis auido, eſt repudium eorum, quibus lethaliter hactenus eſt addictus: hoc autem repudium, eſt priuatio omnigenæ voluptatis. Vide duo alia principia applicata. p. 258. col. 2

Primvm in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum Ariſtot. lib. 10. Metaph. text. 7. pag. 133. col. 2

Privs & poſteriùs ſecundùm relationem ad aliquod principium. Ariſtot. lib. 3. Metaphyſ.

Prvdentia eſt recta ratio agibilium. Ariſtot. lib. 7. Ethic. cap. 8. pag. 545. col. 1

Q

Qvot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur, & aliud. Ariſtot. lib. 1. Topicorum.

R

Ratio eſt omnium humanarum actionum principium, cui omnia alia principia ſubſunt, ſed diſpari modo. Nempe quædam rationi obediunt omnino ad nutum ſine luctamine, vt corporis membra benè conſtituta; mouentur enim ſuggerente ratione manus, & pedes ad opus, quod ratio intendit. Ideóque dicit Ariſt. lib. 1. Politicorum, c. 3. animam regere corpus deſpotico principatu, ſicut Dominus ſeruum, qui non eſt ſui iuris, vt contradicere, vel obmutire queat: alia verò obediunt quidem, ſed reluctando rationi, vt pars appetitiua, quæ ſæpe ſæpius inſurgit in animum, etſi benè dirigentem. Ariſtoteles nuncupat politicum dominium illud, quod ratio exercet in partem appetitiuam, quia non demitur hoc dominio appetitui facultas reluctandi. pag. 6. col. 2

Relationis extremorum quæ vniuntur fundamentum, eſt cauſalitas materiæ, & formæ; id eſt materiæ formam ſe tradere, ipſam actuando, & perficiendo, viciſſimque materiam ſubiici formæ, accipiendo eam, & fouendo, ita vt ex hoc mutuo complexu totum emergat. pag. 235. col. 2

S

Scientia eſt cognitio rerum per cauſas. Ariſt. l. 1. de interpr. Scientia duplex eſt, vna habitualis, alia actualis. Habitualis ea eſt, quæ animæ hominis etiam dormientis inhæret. Actualis ſcientia eſt actus huius habitus inhærentis. pag. 477. col. 2

Scire & videre Ariſtoteli perinde eſt. lib. 1. Topic. cap. 1. pag. 201. col. 2

Species quæ diuidunt genus, ſic ſe habent, vt ſuperiores ignobilium in ſe perfectionem contineant, poſſintque vices eas ſortiri, quas ſpecies infimæ ſortiuntur. Verbi gratiâ, rationale, ſenſitiuum, vegetatiuum, ſunt ſpecies diuidentes animam, quæ ſe habet vt genus ad has ſpecies.

Anima rationalis quæ eſt dignior aliis ſpeciebus, ſcilicet anima ſenſitiua, & vegetante, facit, vt non duntaxat homo intelligat, quod eſt potiſſimus effectus eius, ſed vt etiam ſentiat cum brutis, & nutriatur, & augeſcat cum plantis. Vide fusè totam hanc materiam. pag. 92. col. 1. & 2

V

Ventvs eſt exhalatio calida, & ſicca, in tranſuerſum agitata. Ariſt. lib. Meteor. cap. 3. Vide applicationem. pag. 155. col. 2

Verbvm mentis eſt cognitio actualis, ſeu conceptus formalis rei, circa quam intellectus ratiocinando occupatur. Dicitur verbum mentis à ſimilitudine verbi corporalis, quod diſcurrendo profertur. Nimirum ſolius eſt intellectus, & non alterius animæ potentiæ, diſcurrere, & ratiocinari: & eamobrem etiam ad ſolum intellectum pertinet edere verbum mentis. pag. 477. col. 2

Virtvs eſt habitus, qui reddit bonum hominem, qui eo habitu indutus eſt. Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 6.

Virtvs moralis eſt habitus electiuus, id eſt, bonam electionem præſtans. Ad hoc autem vt ſit bona electio, requiritur lumen intellectus, ne hallucinetur ratio, & rectitudo voluntatis, ne propoſito congruo reluctetur. pag. 6. col. 2

Vnio trifariam ſumitur. Primò pro actione, qua extrema vniuntur. Secundò pro relatione coniunctionis extremorum. Tertiò pro relationis huius fundamento. pag. 235. col. 2

Vnvmqvodqve eſt propter ſuam operationem Ariſtot. lib. 2. de cælo, textu 37.

APPLICATIO MORALIS.

Homo piger, & diſſolutus otio, non eſt, quia non ſicut congruit operatur. pag. 450. col. 2

Voces ſunt ſigna conceptuum Ariſt. lib. 1. de interpretatione cap. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Peccati nullus eſt conceptus. Nam conceptus eſt de ente poſitiuo, at peccatum nihil eſt, ideoque voce nequit exprimi. Inde liquet difficultas in homine confitendi ſe peccaſſe. Eua ſuum peccatum refudit in ſerpentem, & Adamus in conſortem. Et hodie ſacrilegæ confeſſiones eò vergunt. Quippe rarus eſt hodie qui velit ſincerè ſua crimina confiteri. pag. 27. col. 2

Rurſus ex voce ſeu loquela patet, homo bonus ſit nec ne, quia iuſti cor eructat verbum bonum. Et loquela malos manifeſtat homines. pag. 123. col. 2

Volvntas tres motiones patitur, ſcilicet amorem, deſiderium, & gaudium ſeu fruitionem, cuius fit compos inquies illa potentia. Voluntas amore percellitur, amore percuſſa, rei deſiderium ingerit, quæ animam mouit, & hoc deſiderio vrgetur anima progrediens in obiectum, quo tandem aliquando fruens gaudet ea potentia, quæ fuerat hactenus inquieta. pag. 366. col. 1

Vt ſe res habet ad eſſe, ita & ad cognoſci. Ariſt. lib. 2. Metaph. text. 4.

APPLICATIO.

Maria in eſſe ſuo, cæteris præſtat entibus infra Deum; ita & in mente Dei præiuit dignitate rebus aliis omnibus entibus, quæ ſub Chriſto Deus ſtatuit exerere. Et hoc eſt affine ſacro Virginis encomio, quo Salomon Deiparam, quaſi penicillo graphicè lineauit. Vide tabulam, & in ea Mariam ab æterno rebus omnibus, pro dignitate illi inſita præeuntem. Prouerb. c. 8. [Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquid faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.]

Vide plura fusè de hac materia. pag. 467. columna 2

INDEX

INDEX TEXTVVM
IVRIS CANONICI
QVOS TOMVS ISTE SVI IVRIS
effecit in ordine ad mores melius informandos.

A

ABSIT vt quidquam ſiniſtrum de his arbitrentur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus. Canone. Abſit 11. quæſt. 3. pag. 634. col. 2

Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Poſtquam typicum Paſcha fuerat completum, & agni carnes, cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſcha tranſgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem, & vinum offerens fecerat; ipſe quoque in veritate ſui corporis, & ſanguinis repræſentaret. Canone. Accipite. De conſecrat. diſt. 2. pag. 214. col. 1

Adam primus homo, pro peccato, de Paradiſo euectus eſt; hoc eſt, quia Dei nobilitatem à ſe deiecit, nobilitate loci priuatus eſt. Canone. Adam. diſt. 40. pag. 613. col. 1

Ad hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia ratione poterat ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò quæque creatura in vna, eademque qualitate, gubernari, vel viuere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſunt Angeli, & ſunt Archangeli; liquet quia non ſunt æquales, ſed in poteſtate, & ordine alter differt ab altero. Canone. Ad hoc. diſtinct. 89. pag. 667. col. 2

Afros paſſim, vel incognitos peregrinos, ad Eccleſiæ ordines tendentes, nulla ratione ſuſcipias: quia Afri quidem, alij Manichæi, aliqui rebaptizati; peregrini verò plurimi etiam in minoribus ordinibus conſtituti fortiores de ſe prætendiſſe honores, ſæpe probati ſunt. Canone. Afros. diſt. 98. pag. 644. col. 1

Aliud eſt debita iuſtè repóſcere, aliud propriæ perfectionis amore contemnere: ſed illicitorum veniam poſtulantem, oportet à multis etiam licitis abſtinere. Canone. Aliud. De pœnit. diſtinct. 1. pag. 546. col. 2

Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt. Itaque eum, quem ebrium fuiſſe conſtiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. Can. Ante. diſt. 35.

Appellare poteſt ad Sedem Apoſtolicam, quicunque fuerit grauatus. Can. Siquis veſtrùm. 2. q. 6. pag. 60. col. 2

Appellare quis poteſt nomine rei condemnati in criminibus, etiam inuito reo. Gloſſa in Can. Non ſolent. 2. q. 6. pag. 60. col. 2

Appellari non poteſt à laico ad Papam, niſi in his, quæ ſpectant ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Gloſſa in Can. Cuncta. 9. q. 3. pag. 60. col. 2

Apud Deum, non tam valet menſura temporis quàm doloris, nec abſtinentia tantùm ciborum quantùm vitiorum. Canone. Menſuram de pœnit. diſt. 1. pag. 530. col. 2

B

BEATA Maria propoſuit ſe ſeruaturam virginitatis votum in corde; ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore. Subiecit ſe diuinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeueraturam virginem, niſi Deus aliter ei reuelaret. Canone. Beata Maria 27. q. 2. pag. 614. col. 2

C

CHARITAS plurimum iuuat eam habentem, ad reſiſtendum vitiis, & peccatis. Can. Multæ 1. q. 1. pag. 124. col. 2

Charitas quæ operit multitudinem peccatorum, proprium donum eſt catholicæ vnitatis, & pacis. ibidem.

Chriſti omnis actio debet eſſe noſtra inſtructio. Capitulo. Significaſti. De electione.

Clerici à vulgari vita debent eſſe ſecluſi, à mundi voluptatibus abſtinere, non pompis, non ſpectaculis intereſſe, conuiuia publica fugere, priuata non tantùm pudica, ſed & ſobria colere. Canone. His igitur. diſt. 23. pag. 128. col. 1

Clerici edendi, vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Concil. Carthag. tertium. cap. 37. pag. 318. col. 1

Conſuetudo praua dici debet corruptela magis, quàm conſuetudo. Capitulo. Muſſana Eccleſia Extrauagant. De electione. pagina 93. columna 1

Conſuetudo eſt altera lex, & pro lege ſeruanda. Capitulo. Dilecti filij. Extrauag. De arbitris. pag. 93 col. 1

Conſuetudo contrà Eccleſiaſticam diſciplinam non valet. Capitulo. Cum inter vos. Extrau. De conſuetudine. pag. 93. col. 1

Conſuetudo vt valeat debet eſſe rationi conſentanea, & non in grauamen Eccleſiæ. Capitulo. conſuetudines. Extrau. De conſuetudine. pag. 93. col. 1

Conſecrationem Eccleſiarum, & Miſſarum ce-

lebrationes, non alibi quàm in ſacratis Domino locis liquet fieri debere, omnibus, quibus nota ſunt veteris, & Noui Teſtamenti præcepta, Canone. Conſecrationem. De conſecrat. diſt. 1. pag. 449. col. 1

Conſidera nunc, vtrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique corpus eſt vitæ: manna illud de cælo, hoc ſuper cælum: illud cæli, hoc Domini cælorum: illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religioſè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit. Canone. Reuerà. De conſecratione diſt. 2. pag. 202. col. 1

Cùm exaudiero eos, dabo eis virtutem Spiritus mei, & implebo eos iudicio meo, & fortitudine. Animaduerte in præſenti loco poſſe docere aliquem poſt peccatum, ſi tamen vitia priſtina pœnitentiâ dignâ diluerit: vnde Dauid poſt adulterium, & homicidium loquitur in Pſalmo. [Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor:] nec ſua tantùm puritate cõtentus eſt, ſed infert: [Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: Docebo, ait, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.] Canon. Cùm exaudiero. diſt. 50. pag. 497. col. 1

D

Devs interrogat cor, & non manum, nec conſiderat quæ fiunt, ſed quo animo fiunt. Gloſſa 2. in cap. 1. De colluſione detegenda. pag. 90. col. 1

Deus eſt via in exemplo non errans, veritas in promiſſo non fallens, vita in præmio, ſcilicet æterno non moriens. Extrau. Ad conditorem. Ioan. XXII. pag. 73. col. 1

Deum contemnere propter nummos nihil eſt miſerius. Canone. Duo ſunt. 12. q. 1. pag. 73. col. 1

Deum timens non conſentit malo. Canone. Qui omnipotentem 11. q. 3. pag. 73. col. 1

Deo placere non poteſt, qui cupiditati inhæret. Can. Bonorum. diſt. 47. pag. 73. col. 2

Deo militans non debet ſe immiſcere negotiis ſecularibus. Can. Conſequens. diſt. 88.

Dominationis amor quos inuaſit, iugum diſciplinæ fecit reſpuere. Gloſſa. Relig. Extrauag. Execrabilis Ioan. XXII. pag. 52. col. 1

Dominia rerum, & ſic meum, & tuum, ſunt de iure humano, & non de iure diuino. Canone. Quo iure. diſt. 8. pag 52. col. 1

Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit non ſolùm de alienigenis, ſed etiam de adulterinis commiſtionibus naſci, nobis magnam fiduciam præſtans, vt qualicunque modo naſcamur, dum tamen eius veſtigia imitemur, ab ipſius corpore non ſeparemur, cuius per fidem membra effecti ſumus. Canone, Dominus. diſt. 56. pag. 612. col. 2

Doctorum malorum mala eſt doctrina. Canone. Conuenientibus §. Item Taraſius. 1. q. 7. pag. 120. col. 2

Doctor non debet eſſe arrogans, ſed humilis: habet hoc proprium doctrina arrogantium, vt humiliter neſciant proferre quæ doceant, & rectè quæ ſapiunt, rectè miniſtrare non poſſunt. Canone. Cùm exaudiero. diſt. 50. pag. 120. col. 2

Doctores in Eccleſia ſunt valde honorandi, vnde eorum ordo eſt, quaſi præcipuus, & priuilegiatus in Eccleſia. Capitulo, Cùm ex iniuſto. De hæreticis. pag. 122. col. 2

E

Ecce nvnc tempus acceptabile adeſt, in quo confeſſio à morte animam liberat, confeſſio aperit paradiſum, confeſſio ſpem ſaluandi tribuit: vnde Scriptura dicit; Dic iniquitates tuas, vt tu iuſtificeris: his verbis oſtenditur, quia non meretur iuſtificari, qui in vita ſua, peccata non vult confiteri: illa ergo confeſſio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia. Pœnitentia vera eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quiſquis commiſit, pœnitentia eſt, & præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Can. Ecce nunc. De pœnit. diſt. 1. pag. 253. col. 1

Eccleſias per congrua, & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus ſacrare oportet. Canone. Eccleſias. De conſecratione. diſt. 1. pag. 495. col. 2

Eleemoſynæ non valent, niſi ex bono fonte procedant. Gloſſa. Forſitan. in Canon. Quamobrem. De pœnit. diſt. 2. pag. 90. col. 2

Eleemoſynam dare in vanam gloriam, eſt peccatum. Gloſſa 1. in Canon. Vide 1. quæſt. 1. pag. 90. col. 2

Eleemoſynæ, & ſacrificia non placent Deo, quæ offeruntur ab impiis. Can. Scriptum eſt 14. quæſt. 5. pag. 104. col. 2

Eleemoſynæ non ſunt faciendæ ex fœnore, vel vſuris, nec ex quolibet malè acquiſito. Can. Nolite. 14. q. 5. pag. 104. col. 2

Epiſcopi nomen eò dictum eſt, quia ille, qui efficitur Epiſcopus ſuperintendat, curam gerens ſubditorum. Canone. Cleros. diſt. 21. pag. 8. col. 2

Epiſcopum non facit nomen, ſed vita. Gloſſa, Puritate in Extrauag. Execrabilis. Ioan. XXII. pag. 8. col. 2

Epiſcopus debet, non verbo ſolo, ſed etiam conuerſatione gubernare ſubiectos, & totius virtutis exemplum ſemetipſum oſtendere, & teſtem doctrinæ habere conuerſationem bonam. Canone. Valentinianus. diſt. 63. pag. 8. col. 2

Epiſcopus debet prædicare Verbum Dei, & intendere lucris animarum potius quàm in prædandis, & ſpoliandis ſubditis. Canone. Cauendum 10. quæſt. 3. pag. 8. col. 2

Epiſcopi debent viuere irreprehenſibiliter, & ſecularia vitare negotia. Canone. Te quidem 11. q. 1. pag. 8. col. 2

Epiſcopus debet habere ſcientiam competentem, & ſufficientem ad gubernationem temporalium, & ſpiritualium. Capitulo. Eccleſ. De Electione. pag. 12. col. 2

Epiſcopi debent præponi presbyteris Cardinalibus. Gloſſa. 2. in Extrauag. Si fratrum. Ioan. XXII. pag. 14. col. 2

Epiſcopi vocati ſunt in partem ſollicitudinis. Ipſe verò Papa ſolus eſt in plenitudine poteſtatis. Canone. Multum. 3. quæſt. 6.

Epiſcopi tenentur ad obſeruationem Canonum. Extrauag. Sancta Romana Eccleſia. Ioan. XXII. pag. 119. col. 1

Epiſcopi non tenentur venire ad Concilium, ad citationem Regis, vel Imperatoris. Canone, Concilia. §. Hinc etiam diſt. 17. pag. 119. col. 1

Epiſcopalis Sedes ab Apoſtolica Sede defendi debet. Canone. Quilibet. 8. q. 5. pag. 119. col. 1

Epiſcopalia iura, & Canonica ſunt, obedientia, ſubiectio, reuerentia, inſtitutio, deſtitutio, correctio, reformatio, cenſuræ Eccleſiaſticæ, iuriſdictio cauſarum omnium ad forum Eccleſiaſticum pertinentium, pœnitentia, & Sacramentorũ omnium, quæ ab

Epiſcopo

Epiſcopo ſent recipienda, collatio. Capitulo. Conquerente Extra. De officio iudicis ordinarij. p. 119. c. 1

Erubeſcentia ipſa partem habet remiſſionis; ex miſericordia enim hæc præcepit Deus vt neminem pœniteret in occulto; in hoc enim, quod per ſeipſum dicit ſacerdoti, & erubeſcentiam vincit, timore offenſi, venia fit criminis, fit enim veniale per confeſſionem, quod criminale erat operatione: multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiſerit, nuntio Dei denegauit. Can. Quem pœnitet. de pœnitentia. diſt. 1. pag. 173 col. 1

Et dixit Dominus ad Moyſem, & ad Eleazarum filium Aaron ſacerdotem: Tollite thuribula ærea è medio exuſtorum, & ignem hunc alienum ſeminate ibi, quia ſanctificauerunt thuribula peccatorum hominum in animabus ſuis, & fac ea laminas ductiles circumpoſitionem altari, quoniam oblata ſunt ante Dominum, & ſanctificata ſunt, & facta ſunt in ſignum filiis Iſraël. Non ergo in eis reprobari voluit, quòd à talibus oblata, ſed hoc potius attendi antequam oblata ſint, id eſt, quia ante Dominum, vt plus in eis valeret nomen Domini antequam oblata ſunt, quàm peſſimum meritum eorum, à quibus oblata ſunt. Canon. Et dixit Dominus. de conſecrat. diſt. 2. pag. 210. col. 1

Et ſancta malis poſſunt obeſſe, bonis ſunt ad ſalutem, malis ad iudicium; vnde Apoſtolus: Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit; non quia res illa mala eſt, ſed quia malus malè accepit, quod bonum eſt: non enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Iudæ à Domino: ſalutem medicus dedit, ſed quia ille indignus erat qui accepit, ad perniciem ſui accepit. Et malà proſunt bonis, ſicut Angelus ſatanæ profuit Paulo, per malum enim fit bonum, cùm benè accipitur malum. Canone. Et ſancta malis. de conſecr. diſt. 2. pag. 242. col. 1

Et Apoſtolus de vnigenito Dei filio: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: cùm ergo anima fidem habet his dictis, & conſiderat magnificentiam gloriç ipſius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus ac talis fuit obediens Patri vſque ad mortem, pro noſtra vita; puto quod prouocari poſſit ad affectum, & dilectionem ipſius, & Dei Patris, qui vnico filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Talem ergo affectum, & fidem præparare debet in animo ſuo is, qui calicem Domini percipit. Canone Timorem. §. Et Apoſtolus de conſecrat. diſt. 2. pag. 293. col. 1

Euangelia non ſedendo, ſed ſtando debemus audire, & fideliter adorare. Can. Apoſtolico. de conſecrat. diſt. 1. pag 146. col. 2

Eucharistia in loco ſingulari, mundo, & ſignatò ſemper honorificè collocata, deuotè, & fideliter conſeruari debet. Capitulo Sanè. de celebratione Miſſarum. pag. 71. col. 1

Euchariſtiæ Sacramentum recipere tenetur quilibet doli capax, adminus in Paſcha. Capitulo. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentia, & remiſſione. pag. 71. col. 1

Exemplum Dei tenemur ſequi, & quod ipſe fecit, tenemur, & nos facere. Canone. Tenere. diſt. 31. pag. 132. col. 1

Exempla diuina debent eſſe regula noſtra. Extrauag. Diuinis exemplis. pag. 132. col. 1

F

Ferrum de terra tollitur, cùm fortis propugnator Eccleſiæ, à terrena quam prius tenuit actione ſeparatur: non ergo in eo debet deſpici quod fuit, quia iam incipit eſſe, quod non fuit. Canone. Ferrum. diſt. 50. pag. 497. col. 1

Fides eſt ſcutum, per quod omnia iacula inimici extinguere poſſimus. Canone. Qui reſiſtit. 11. qu. 3. pag. 116. col. 2

Fidei regulam cuſtodite, & non deuiare à ſtatutis Patrum, eſt prima ſalus. Can. Prima 25. qu. 1. pag. 116. col. 2

Fides modica vbi eſt, ibi eſt turbatio. Can. Non turbatur 24. qu. 1. ibid.

G

Gratia Dei, qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum, remittit peccata, & ne reiterentur adiuuat. Canone. Placuit. de conſecrat. diſt. 4. pag. 52. col. 1

H

Hæresis Græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem: quicunque igitur aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus Sancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt eligens, quæ peiora ſunt. Canone, Hæreſis. 24. qu. 3. pag. 234. col 1

Hic cuius nomen dicimus reticendum, malè bona miniſtrans, ſibi tantùm nocuit. Can. Secundum. diſt. 19. pag. 28. col. 1

Hoc Sacramentum pietatis eſt, ſignum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat, accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur. Hunc itaque cibum vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis. Can. Hoc Sacramentum. de conſecrat. diſt. 2. pag. 285. col. 2

Hoc eſt quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare; viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne, & Sacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Can. Hoc eſt. de conſecrat. diſt. 2. pag. 138. col. 1

Hoc ſolùm nunc dicò, quòd quomodo abſque cæteris operibus ſola virginitas non ſaluat; ſic omnia opera abſque virginitate, puritate, continentia, caſtitate imperfecta ſunt. Can. Hoc ſolùm. 33. qu. 5. pag. 492. col. 1

Honorem nemo debet ſibi aſſumere, ſed qui vocatus eſt à Deo ſicut Aaron. Cap. Qualiter. de electione. pag. 514. col. 2

Hortus ſiquidem eſt Fratrum Minorum ſancta Religio, quæ muris regularis obſeruantiæ, firmiter vndique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit, cum aromatibus, quæ ſuauitate mira vniuerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt. hæc eſt illa cæleſtis vitæ forma, & regula, quam deſcripſit ille Confeſſor Chriſti eximius, S. Franciſcus ac ſeruandam à ſuis filiis, verbo docuit pariter & exemplo. Clementina. Exiui de Paradiſo. de verborum ſignificat. in Sexto. p. 96. c. 2

I

Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto: illos ad horam ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in

 æternum.

æternum. Iudæus bibit, & ſitit, tu cùm biberis ſitire non poteris; & illud in vmbra, hoc in veritate: Si illud, quod miraris vmbra eſt, quantùm iſtud eſt, cuius & vmbram miraris? Cognouiſti præſtantiora; potior etenim lux quàm vmbra; veritas quàm figura; corpus auctoris, quàm manna de cælo. Can. Reuerà. de conſecrat. diſt. 2. pag. 202. col. 1

Ille pœnitentiam dignè agit, qui quæ commiſit, ſic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat: nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi quis lauet laterem crudum, quia quantò magis lauerit, tantò magis lutum facit. Canone Ille pœnitentiam. de pœnitentia diſt. 3. pag. 259. col. 2

In charitate exiſtentibus, omnia Deus cooperatur in bonum etiam lapſus, & errores occaſionaliter, quia fortiores reſurgunt, præbendo eis occaſionem magis ſe humiliandi, & pœnitendi. Canone. Talibus. de pœnit. diſt. 2. pag. 115. col. 1

In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis eius, & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel oblatus eſt Chriſtus: hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, & ſemper idipſum. Proinde vnum eſt ſacrificium hoc: alioquin quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? nequaquam; ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hìc plenus exiſtens, & illic plenus. Canone. In Chriſto. de conſecrat. diſt. 2. pag. 335. col. 1

In Sancta ac Apoſtolica Sede ſtatutum eſt, vt ſacrata vaſa, non ab aliis quàm à ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Canone. In ſancta. de conſecrat. diſt. 1. pag. 449. col. 1

In exemplum trahitur à Minoribus, quod factum eſt, à maioribus. Cap. Cùm quidam de iureiurando. pag. 134. col. 2

Inter verba laudantium, ſiue vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam triſtitiam generare debet: & rurſum, ſi in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire: quid enim ſi homines laudent, & conſcientia nos accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos eſſe demonſtret. Habemus Paulum dicentem: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Canone. Inter verba. 11. qu. 3. pag. 54. col. 1

Irriſor eſt, non pœnitens qui adhuc agit, quod pœnitet, nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Canis reuerſus ad vomitum eſt, pœnitens ad peccatum multi enim lacrymas indeſinenter fundunt, & peccare non deſinunt: quoſdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, & affectum pœnitentiæ non habere conſtat; quia inconſtantia mentis, nunc recordatione peccati; lacrymas fundunt, nunc verò reuiuiſcente vſu, ea quæ fleuerant iterando committunt. Iſaias peccatoribus dicit: Lauamini, mundi eſtote: lauatur itaque, & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit: lauatur, & non mundus eſt, qui plangit, quæ geſſit, nec tamen deſerit, ſed poſt lacrymas ea quæ fleuerat repetit. Can. Irriſor eſt. de pœnitentia. diſt. 3. pag. 269. col. 1

Iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit; ſic viue, vt quotidie merearis accipere. Can. Non iſte. §. Iſte panis. de conſecrat. diſt. 2. pag. 245. col. 2

N

Neceſſe eſt, vt eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, ſi ſordida ipſa lutum tenet, ſcriptum namque eſt: Mundamini qui fertis vaſa Domini: Domini etenim vaſa ferunt, qui proximorum animas ad interiora perducendas, in conuerſationis ſuæ exemplo ſuſcipiunt. Canone. Neceſſe eſt. 1. qu. 1. pag. 634. col. 1

Ne forte peccati memores, tardiùs reuertantur; adhuc, inquit, ſedere vos faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis, vt quod facit Baptiſma, hoc faciat Pœnitentia, & habitent in tabernaculis Saluatoris, hoc eſt in Eccleſiis. Can. Ne fortè. de pœnit. diſt. 1. pag. 543. col. 2

Neque lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas, loci abolet infamiam. Can. Tolerabilius. 35. q. 7. pag. 554. col. 1

Nolo vt aliquis de vobis inueniat malè viuendi occaſionem: prouidemus enim bona, vt ait Apoſtolus, non ſolùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus. Propter nos conſcientia noſtra, nobis neceſſaria eſt: propter vos, fama noſtra non pollui, ſed debet pollere in vobis. Canone. Nolo 12. qu. 1. pag. 129. col. 2.

Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi reddi communionem velint; hi non tam ſe ſoluere cupiunt, quam ſacerdotem ligare, ſuam enim conſcientiam non exuunt, ſacerdotis induunt, cui præceptum eſt: Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas ante porcos; hoc eſt immundis ſpiritibus ſacra communionis non impendenda conſortia. Can. Nonnulli. de pœnit. diſt. 2.

Non prohibeat diſpenſator manducare pingues terræ, in menſa Domini, ſed exactorem moneat timere. Can. Non prohibeat. de conſecrat. diſt. 2. pag. 245. col. 1

Non poteſt quis gratiam doni cæleſtis accipere, niſi prius purgatus fuerit ab omni ſorde peccati, per pœnitentiæ confeſſionem. Can. Non poteſt. de pœnit. diſt. 1. pag. 530. col. 2

Non ſufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, & ieiuniis. Can. Non ſufficit. de pœnit. diſt. 1. ibid.

Nouerint non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum Can. Sedulò. diſt. 38. pag. 213. col. 1

Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Can. Nouit. de pœnit. diſt. 1. pag. 532. col. 1

Nulli ciuium natalis Domini ſolemnitatem, in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabit tenuiſſe. Can. Nulli ciuium. de conſecrat. diſt. 3. pag. 3 col. 2

Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe ſacerdotij. Can. Nullus. de conſecrat. diſt. 1. pag. 226. col. 1

Nullus presbyterorum, quando ad anniuerſarium diem; trigeſimum, aut ſeptimum, vel tertium alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri conuenerit, ſe inebriare vllatenus præſumat, nec precatus amore Sanctorum, vel ipſius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere. Can. Nullus. diſt. 44 pag. 318. col. 1

Nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum. Can. Nuptiæ. 32. qu. 1. pag 492. col. 1

O

OMNES baſilicæ cum Miſſa debent ſemper conſecrari. Can. Omnes. de conſecrat. diſt. 2. pag. 226. col. 1

Omnes fideles, qui conueniunt in ſolennitatibus ſacris ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant: qui autem non perſeuerant in oratione, vſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiant, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, conuenit communione priuari. Canone. Omnes. de conſecrat. diſt. 2. pag. 227. col. 1

P

PANIS eſt in altari vſitatus ante verba Sacramentorum; vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti: conſecratio autem, cuius verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Can. Panis. de conſecrat. diſt. 2. pag. 188. col. 2

Pauperes viuere debent de bonis Eccleſiæ, ita vt nulla ſit alienatio boni Eccleſiæ, vnde pauperibus ſubueniebatur. Can. 1. 10. qu. 2. pag. 87. col. 1

Pax humana ſi tam dulcis eſt pro ſalute temporali mortalium, quantò dulcior eſt diuina pax, pro æterna ſalute Angelorum. Can. Noli. §. Pacem. 23. qu. 1. pag. 151. col. 2

Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus; ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia. Can. Peracta. de conſecrat. diſt. 2. pag. 307. col. 2

Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere toto humilitas: hæc eſt perfecta, & fructifera pœnitentia. Can. Perfecta. de pœnit. diſt. 3. pag. 496. col. 2

Periculum maius vbi vertitur, ibi cautius agendum eſt. Cap. Vbi periculum. de electionibus. pag. 75. col. 2

Pœna delicto imponitur, vt malitia delinquentium, non inueniat ſucceſſorem, & exemplar puniti delicti retrahat alios ab offenſa. Cap. 1. §. finali. de ſchiſmaticis. pag 63. col. 2

Pœnæ imponendæ cauſa eſt, ne facti peruerſitas tranſeat præſumptionis in exemplum. Cap. Quando. §. Ne autem. de maledicis. ibid.

Pœnitere eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando. Can. Pœnitentiæ. de pœnit. diſt 2. pag. 34 col. 1

Pœnitenti non ſufficit mores in melius mutare, niſi de præteritis malis ſatisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, & ieiuniis. Can. Non ſufficit. de pœnit. diſt. 1. ibid.

Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus, aut actibus non offendit; ipſius tamen initij ſui pernicioſus eſt exemplo. Can. Miramur. §. Principatus. diſt. 61. pag. 514. col. 2

Pronuntiandum laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum. Can. Pronuntiandum. de conſecr. diſt. 3. pag. 449. col. 2

Q

QVANDO autem ad orationem ſtamus fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, nec quicquam tunc animus quàm id ſolùm cogitet, quod precatur: ideo & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo: Surſum corda, vt dum reſpondet plebs; Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil ſe aliud quàm Dominum cogitare debere; claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis adire patiatur. Can. Quando. de conſecrat. diſt. 2. pag. 221. col. 2

Quando Epiſcopus ordinationes facere diſponit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem euocandi ſunt ad ciuitatem vnà cum Archipresbyteris, qui eos repræſentare debent; & tunc Epiſcopus à latere ſuo eligere debet ſacerdotes, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum vbi educati ſunt; ſi ſint benè literati, ſi inſtructi in lege Domini, diligenter inueſtigent. Can. Quomodo. diſt. 24. pag. 644. col. 1

Quantumlibet ergo mortui fœtor aboletur omnis vbi redoleoerit ſacrum vnguentum, & ſurgit defunctus, & ſolui iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato eſt; tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ, quam acceperat obumbrabat. Sed quia venia donatus eſt, reuelare faciem, aperire vultum iubetur: non habet enim quod erubeſcat, cui peccatum dimiſſum eſt. Ieſus non reuocat beneficia, imò cumulo ſuæ liberalitatis amplificat: reuiuit ſollicitè ſuſcitatus, & celebrata reſurrectionis gratia, lætus ad cœnam venit, quam ei præparauit Eccleſia, in qua ille, qui fuerat mortuus, viuus inter diſcumbentes cum Chriſto inuenitur. Can. Quantumlibet. de pœnit. diſt. 1. pag. 546. col. 1

Quia paſſus eſt Dominus pro nobis, commendauit nobis in iſto Sacramento corpus, & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit & nos ipſos: nam & nos ipſius corpus effecti ſumus, & per miſericordiam eius quod accipimus, ipſi nos ſumus. Can. Quia. de conſecrat diſt. 2. pag. 218. col. 1

Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo, & potando carnem, & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus. Can. Quia de conſecrat. diſt. 2. pag. 329. col. 2

Quia diuinitatis natura clemens eſt, & pia, magiſque ad indulgentiam, quàm ad vindictam prona; quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: ſi quis poſt lapſum peccatorum; ad veram pœnitentiam ſe conuertit, citò à miſericorde iudice veniam impetrabit. Can. Quia. de pœnit. diſt. 1. pag. 532. col 1.

Quid ſit ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis; qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. Can. Quid ſit. de conſecrat. diſt. 2. pag. 212. col. 2

Quid eſt Chriſtum manducare, non hoc ſolùm eſt in Sacramento corpus eius accipere, multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apoſtolus: Qui manducat panem, & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Sed quomodò manducandus eſt Chriſtus? quomodo ipſe dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Si itaque in me manet, & ego in illo, tunc manducat, & bibit: qui autem non in me manet, nec ego in illo; & ſi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum. Can. Quid eſt. de conſecrat. diſt. 2. pag. 242. col. 1

Qui ſcelerate viuunt in Eccleſia, & communicare non-

non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad emundationem ſibi proficere, dicente Propheta: Quid eſt quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas? & Apoſtolus: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Can. Qui ſcelerate. de conſecrat. diſt. 2. pag. 277. col. 2

Qui ſitit veniat ad me & bibat: qui poteſt capere capiat: non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis eſt, & currendum; ſed qui voluerit, qui potuerit currere atque portare, ille vincet, ille ſatiabitur; & ideò plus amat virgines Chriſtus, quia ſpontè tribuunt, quod non ſibi fuerat imperatum, maioriſque gratiæ eſt, offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Can. Qui ſitit. 33. qu. 5. pag 492. col 1

Quid iniquius eſt, quàm impia ſapere, & ſapientioribus, & doctioribus non credere; ſed in hanc inſipientiam cadunt; qui cùm ad cognoſcendam veritatem, aliquo obſcuro impediuntur, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, non ad Euangelicas auctoritates; ſed ad ſemetipſos recurrunt: ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt. Can. Quid iniquius. 24. qu. 3. pag. 233. col. 2

Quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propriâ volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferna demergi; vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur; quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Can. Quoniam idem. diſt. 10. pag. 446. col. 1

Quas (ſcilicet annatas) qui non exſoluit excommunicatur ipſo facto, & cadit omnibus, quæ poſſidet beneficiis, & ab aliis poſſunt hominibus impetrari. Extrauag. Apoſtolicæ Cameræ Innocentij VIII. pag. 527. col. 2

Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat vnum ſepulchrum, quia vna caro ſunt; & quos Deus coniunxit homo non ſeparet. Can. Ebron. 13. qu. 1. §. Quos coniunxit. pag. 678. col. 1

Quorum vices in Eccleſia habeant Epiſcopi, & qui eis hanc dignitatem dare debeat, Auguſtinus oſtendit, inquiens: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: Quid eſt pro patribus tuis? Miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi, hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia illos Patres appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo putes te deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides eos, per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos ſuper omnem terram. Canone. Quorum vices. diſt. 68. pag. 15. col. 2

R

RECEDITE, inquiunt, polluti; recedite, abite, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communicare. Talis loquela non illuminat cæcum, non ſanat ægrotum, non curat infirmum; ſed magis occidit, atque in deſperationem periclitantem immittit: boni etenim rectores ex ſua infirmitate, aliorum infirmitates penſantes, magis per humilitatis, & manſuetudinis leuamentum ſtudent peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per auſteritatem, in foueam perditionis nutantes propellere. Can. Recedite. diſt. 45. pag. 512. col. 1

Renuntiandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minùs indulgendum, quàm natura poſtulat, interpellandum eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus eſt orationibus, viuendum ita, vt in tali vita huic moriatur vſui; ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur. Canone. Sunt qui. §. Renuntiandum. de pœnitentia. diſt. 2. pag. 546. col. 1

Relatum eſt nobis, quoſdam de ſacerdotibus, non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in vno die videntur offerre: ſed ſi in vno die plurima per ſe offerunt ſacrificia, in omnibus oblationibus ſe à communione ſuſpendant, & in ſola tantùm extrema ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumant, quaſi non ſit toties illi vero, & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Certum eſt, quòd hi, qui ſacrificantes non edunt rei ſunt dominici ſacramenti. Quicunque ergò ſacerdotum deinceps diuino altari ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter priuauit gratia communionis, anno vno ſe repulſum nouerit. Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? Ergo modis omnibus eſt tenendum, vt quotieſcunque ſacrificans corpus, & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri in altari immolat, toties perceptionis corporis, & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Canone. Relatum. de conſecratione. diſtinct. 2. pag. 327. col 1

S

SACERDOTES ſunt loco diſcipulorum ſobrogati. Canone. In nouo. diſtinct. 21. pag. 65. col. 2

Sacerdotes dicuntur patres & magiſtri Regum, & Principum, & omnium fidelium. Can. Quis dubitet. diſt 96. pag 65. col. 2

Sacerdotes debent innoteſcere, non ex locorum, vel generis claritate; ſed nobilitate morum; non vrbium claritate, ſed fidei puritate. Can. Nos qui. diſt. 40. pag. 65. col. 2

Sacerdorum officia conſiderat Deus, non merita perſonarum. Canone. Cùm ſcriptura. 1. qu. 1. pag 65. col. 2

Sanctorum reliquiæ extra capſam oſtendi non debent, nec etiam vendi poſſunt. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de inuocatione Sanctorum. Cap. finali. de reliquiis. pag. 102. col. 2

Scandalum faciens Eccleſiæ, indignus eſt eius auxilio. Can. Ne clerici. pag. 241. col. 2

Scandalis tollenda eſt via, maximè illis, per quæ cenſura Eccleſiaſtica vileſcit. Clementina. Cùm ex eo de ſentent. excommunicationis.

Scientias ſæculares licitum eſt etiam addiſcere clericis, non ad voluptatem, vel ad delectationem, ſed ad eruditionem, vt quæ in his vtilia inueniuntur ad vſum ſacræ eruditionis conuertantur. Canone.

Canone. Turbat. §. Cùm ergo. diſtinct. 37. pag. 6. col. 2

Scientiæ pietatis ſunt illæ, per quas inducitur ad amorem Dei, & proximi. Canone. Qui ea. diſt. 38. pag. 6. col. 2

Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in Sacramento. Canone. Semel. de conſecrat. diſt. 2. pag 214. col. 1

Semel oblata eſt in Chriſto hoſtia ad ſalutem æternam potens. Quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis eius, & vna eſt hoſtia non multæ. Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel immolatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius idipſum, & ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium: alioquin, quoniam in multis locis offertur multi ſunt Chriſti? nequaquam; ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum eſt corpus & non multa corpora, & ita vnum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit nos mundantem. Ipſum vero offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum eſt: Hoc facite ait in meam commemorationem. Canone. In Chriſto. de conſecrat. diſtinct. 2. pag. 335. col. 1

Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi, alijque Sacerdotes, offerrent corpus, & ſanguinem ſuum anathema ſit. Canone. 2. ſeſſ. 22. Concil. Tridenti. pag. 212. col. 2

Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum iuſſum danda eſt; cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſoluunt, ſcriptum eſt enim: Non vindicat Deus bis in idipſum. Canone. Quæſitum. 14. qu. 1. pag. 282. col. 2

Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur; qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam. Canone. Si quotieſcunque. de conſecrat. diſt. 2. pag. 283. col. 1

Si quis intrat in Eccleſiam Dei, & ſacras ſcripturas audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à Communione Sacramenti & in obſeruandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, illum talem projiciendum de Eccleſia Catholica, decernendum. Canone. Si quis intrat. de conſecrat. diſtinct. 2. pag. 253. col. 2

Si non ſint tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare. Canone. Si non ſint. de conſecrat. diſt. 2. pag. 251. col. 1

Si ſobrius, ſi miſericors, ſi iuſtus, ſi mitis, & humanus, tunc conſequens videbitur, vt ei qui obtinet bona virtutum, etiam quod deeſt fidei, & ſcientiæ conferatur, & in quibus maculari eius vita videtur, quæ eſt in reliquis probabilis emendetur. Si verò in ijs quæ palàm ſunt peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet ei aliquid de ſecretioribus, & remotis ſcientiæ diuinæ proloqui, ſed magis proteſtari, & conuenire eum, vt peccare deſinat, & actus ſuos à vitijs emendet. Canone. In mandatis. diſt. 43. pag. 459. col. 1

Si benè vixeris, & bene docueris, populum inſtruis: ſi benè docueris, & malè vixeris, tui ſolus condemnator eris: nam benè viuendo, & benè docendo, populum inſtruis, quomodo viuere debet: benè autem docendo, & malè viuendo, Deum inſtruis quomodo debeat te condemnare. Canone, Multi Sacerdotes. §. Ideoque. diſtinct. 40. pag. 130. col. 1

Si ad honores mundi ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris, indignum eſt peruenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adiuuant; quàm diligens, & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio diuinorum munerum, & cæleſtium dignitatum. Canone. Miramur. §. Si enim. diſt. 61 pag. 514. col. 2

Sicut non alij, quàm ſacrati Domino Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre; ſic nec in alijs, quàm ſacratis Domino locis, Id eſt, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibatis, Miſſas cantare aut ſacrificia offerre licet. Canone. Sicut. de conſecrat. diſt. 1. pag. 2 5. col. 2

Sine gratia mandata diuina impleri non poſſunt, & aſſerens contrarium, anathema eſt Canone. Finali. de conſecrat. diſt. 4. pag. 135 col. 1

Solemnitates dedicationum Eccleſiarum, per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ. Canone. Solemnitates. de conſecrat. diſtinct. 1. pag. 226. col. 1

Spiritus ſanctus cum infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur. Canone 1. de conſecrat. diſt. 5. pag. 149. col. 2

Spiritum ſanctum nemo accipit, niſi intra Eccleſiam, quia ipſa vnitatem, & gratiam facit. Can. Audiuimus. §. Ligandi. diſt. 24. pag. 151. col. 2

Statim aperientur ſuper eum cataractæ cœli, & & effundetur pluuia ſpiritalis, & mandabit Deus nubibus ſuis, vt pluant ſuper eum imbrem, & & abundantia omnium rerum perfruetur. Can. Reuertimini. 16. qu. 1. pagina. 299. col. 1

Statuimus ne in aliquo, Apoſtolica, & Canonica decreta violentur, & ne his Eccleſia Domini tegenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed à ſummis volunt habere principium, cùm valdè iniquum ſit, & abſurdum, vt imperiti magiſtris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis. Canone. Statuimus diſt. 61. pag. 651. col. 2

Sufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum coniunctionibus agitur. Canone. Sufficiat. 27. pag. 674. col. 1

Sunt namque nonnulli ita diſtricti, vt omnem etiam manſuetudinem benignitatis amittant; & ſunt nonnulli ita manſueti, vt perdant diſtricti iura regiminis: vnde cunctis rectoribus vtraque ſummopere ſunt tenenda, vt nec in diſciplinæ vigore benignitatem manſuetudinis, nec rurſum manſuetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ; quatenus nec à compaſſione pietatis obdureſcant, cùm contumaces corrigunt, nec diſciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos conſolantur. Regat ergo diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. Canone. Sunt namque. Diſtinctione 45. pag. 511. col. 2

T

TAbernaculum Moyſem Domino præcipiente feciſſe, & ſacraſſe cum menſa & altari eius, & æreis vaſis, & vtenſilibus ad diuinum cultum explendum

plendum legimus, & non ſolùm diuinis precibus ea ſacraſſe ſed etiam ſancti olei vnctione Domino iubente perliniſſe nouimus. Canone. Tabernaculum. de coſecrat. diſt. 1. pag. 449. col. 1

Timorem docet nos Apoſtolus dicens: Qui mandocat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Canone. Timorem. de conſecrat. diſt. 2. pag. 339. col. 2

Tunc ſaluabitur mulier, ſi filios illos genuerit, qui virgines permanſuri ſunt; ſi quod ipſa perdidit acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore compenſet, & pomis. Canone. Tunc. 33. qu. 5

Tria ſunt eleemoſynarum genera: vna corporalis, egenti dare quidquid poteris; altera ſpiritualis dimittere à quo læſus fueris; tertia delinquentes corrigere, & errantes in viam reducere veritatis. Canone. Tria ſunt. diſt. 45. pag. 511. col. 1

V

VERA iuſtiria compaſſionem habet, falſa verò dedignationem, quamuis & iuſti ſolent rectè peccatoribus dedignari: ſed aliud eſt quod agitur typho ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. At contrà hi, qui de falſa iuſtitia ſuperbire ſolent, cæteros quóſque deſpiciunt, nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt: & quò ſe peccatores eſſe non creduot, eò deterius peccatores fiunt. Canone. Vera. diſt. 45. pag. 512. col. 1

Verba exhortatiua, & deprecatiua quandoque imponunt neceſſitatem, & obligant ſicut præceptiua, puta ob reuerentiam perſonarum, quando materia eſt neceſſaria. Clementina. 1. de pœn. & remiſſ. pag. 122. col. 2

Verbi Dei propoſitin eſt ad ſalutem valde neceſſaria. Extrauag. inter cunctas. §. Verum. pag. 122. col. 2.

Verba inſtituta ſunt, non vt per ea ſe homines inuicem fallant, ſed vt per ea quiſque in vlterius cogitationes ſuas proferat. Can. Is autem. 22. qu. 2. pag. 124. col. 1

Virgo vbicunque eſt templum Dei eſt, neque lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas, loci abolet infamiam. Gloſſa final. ad cap. Ad Monaſterium. De ſtatu Monach. pag. 554. col. 1

Virtutes extrinſecus debet demonſtrare, quas intrinſecus debet retinere. Can. Clericus. diſt. 41.

Viſum præterea oobis eſt, vt in omnibns Miſſarum ſolemnibus pro defunctorum ſpiritibus, loco competenti Dominus deprecetur: ſicut enim nulla dies eacipitur, qua non viuentibus, & pro quibuſlibet neceſſitatibus Dominus deprecetur; ita oulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolennibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem ſancta tenet Eccleſia, vt & in Miſſarum ſolemnibus, & alijs precibus, Domino ſpiritus quieſcentium commendet dicente B. Auguſtino: non ſunt prętermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus defunctorum, quas faciēdas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica ſocietate laudamus, defunctorum etiā tacitis nominibus eorum, quos ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Canone. Viſum. de conſecrat diſt. 2. pag. 219. col. 1

Vna ſola cauſa eſſe poſſet, qua te id quod vouiſti non ſolùm oon hortaremur, verùm etiam prohiberemos implere, ſi fortè tua coniuna hoc tecum ſuſcipere animi, ſeu carnis infirmitate recuſaret. Nam & vouenda talia nòn ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi: & ſi præproperè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quàm perſoluenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ea alieno aliqoid vnuerit; ſed potius vetat vſurpare alienum. Canone. Vna ſola cauſa. 33. qu. 3. pag. 674. col. 1

Vt quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducaſti; credere enim in eum, hoc eſt panem viuum manducare: qui credit in eum, manducat eum, inuiſibiliter ſaginatur, quia & inoiſibiliter renaſcitur. Canone. Vt quid. de conſecrat. diſt. 2. pag. 211. col. 1

INDEX TEXTVVM IVRIS CIVILIS

QVI CIVILI, VEL SI VELIS morali vitæ ſua pendunt obſequia, vt ad amuſsim diuinæ legis congruè dirigatur.

AD concordiam Index poteſt cogere partes diſcordantes inter ſe, etiam ad eorum incommodum. Gloſſa 1. in leg. Itinere. De ſeruitute ruſticorum. pag. 115. col. 1

Ad docendum liberalia ſtudia non debet quis admitti, niſi prius fuerit approbatus, atque examinatus in moribus, & in ſcientia. lege. Magiſtros. Codice, De profeſſoribus. libro 10. pagina 120 col. 2

Adoptio gentem mutat, & non genus. Lege. Ingenuæ. Codice. De murilegulis. pagina 615. col. 2

Aduerſus vxorem, quæ ſocia rei humanæ, atque diuinæ domus ſuſcipitur, mariti diem ſuum functi ſucceſſores, expilatæ hæreditatis crimen

crimen intendere non poſſunt. Lege. Aduerſus vxorem. Cod. De crimine expilatæ hæreditatis. pag. 678. col. 1

Alumnos tuos, & cæteras res, quas neminem credibile eſt pignori datorum ſpecialiter fuiſſe generali pacti conuentione, quæ de boois tuis facta eſt, in cauſa pignoris non fuiſſe, rationis eſt. Lege 1. Codice. Quæ res pign. pag. 623. col. 2

Amicitia eſt idem velle in licitis, & honeſtis; vnde non eſt amicitia inter latrones. §. finali. De verborum ſignificatione. pag. 115. col. 1

Amoris furore nihil eſt vehementius, quem retinere Philoſophiæ perfectè monentis eſt. In Authenticis. Cap. Quibus modis naturales efficiantur legitimi. §. Illud quoque. pagina 145. col. 1

Animaduertimus plurimos iniuſtarum deſperatione cauſarum, potentium titulos, & clariſſimæ priuilegia dignitatis, iis à quibus in ius vocantur opponere: at ne in fraudem legum, aduerſariorumque terrorem, his nominibus abutantur, & titulis, qui huiuſmodi dolo ſcientes conniuerint, afficiendi ſunt publicæ ſententiæ nota. Quiſquis igitur contradictoris libellis, aut titulis, alterius nomen crediderit ingerendum, eius poſſeſſionis, aut cauſæ, quam ſub fraude, aut retinere, aut euitare tentauerit, amiſſione mulctetur: nec repetendæ actionis, etiamſi ei probabilis negotij merita ſuffragantur, habeat facultatem. Lege. Animaduertimus. Codice. De his qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt. pag. 552. col. 1

Artem geometriæ diſcere, ac exercere publicè intereſt: ars autem Mathematica damnabilis eſt, & omnino interdicta. Lege. Artem. Cod. de Maleficis: pag. 437. col. 2

B

Belli calamitas quod introduxit, hoc pacis lenitas debet ſopire. Lege. Voi. Cod. De caducis tollendis. pag. 237. col. 1

Beneficium Imperatoris, quod à diuina eius indulgentia proficiſcitur, quàm pleniſſimè interpretari debemus. Lege. 3. ff. de conſtitutionibus Principum. pag. 680. col. 1

C

Cavens ne vrbaniciani officiales annonariis neceſſitatibus miſceantur, omnia participè præfectura annonaria diſponas, ac iubeas ad curam propriam reuocari: ad iſtud autem negotium, arbitratu ac tuo iudicio, nobilis, prudens, fidelis, optimè ſibi conſcius, pro integritatis meritis adponatur cuſtos, ac menſor, qui vel frumenta modio metiatur, vel iuſtis æſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito. Codice Theodoſij. Lege 1. De conditis io publicis horreis. pag. 71. col. 1

Connubio interueniente, liberi ſemper patrem ſequuntur. Lege. Connubio. De his, qui in poteſtate ſunt. pag. 615. col. 1

Conſideranda perſona, cui defertur honor, ſiue muneris adminiſtratio, item origo natalium. Lege 1. Codice. De domeſticis. pagina 452. col. 2

Conſuetudo peruerſa non eſt ſeruanda. Lege. Quod non ratione. ff. de legibus. pagina 93. col. 1

Conſuetudini poteſt per pactum renunciari; & derogari. Gloſſa. Ex peruerſa. Codice. Ne filiis. ibid.

Credendi iuſta ratio eſt communis opinio. Lege. Cùm quidam. §. quod dicitur. De acquirenda hæreditate. pag. 189. col. 1

Cubicularios tam ſacri cubiculi mei, quàm venerabilis Auguſtæ, quos vtroſque certum eſt obſequiis occupatos, & aulæ penetralibus inhærentes diuerſa iudicia obire non poſſe; ab obſeruatione aliorum tribunalium liberamus. Lege 3. Codice. De præpoſitis ſacri cubiculi. pag. 681 col. 1

Cùm ex conuerſatione probetur bonitas, vel malitia, valet optimè dictum teſtis deponentis, aliquem eſſe bonum, vel malum, quia videt eum conuerſari cum hominibus bonæ, vel malæ famæ. Authentica. De Monachis. §. cogitandum. pag 659

D

Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus ſe alligatum Principem conſiteri. Et reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum. Lege 4. Cod. de legibus pag 658. col. 2

Diligens ſi non ſit quis in re depoſita, ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, fraude præſumpta oon caret. Lege. Quod Nerua. & ibi gloſ. Nam etſi. pag. 89 col. 1

Diligentia ſua nemini debet eſſe damnoſa. Gloſſa. Cui in legem. Si merces. pag. 89. col. 1

Diligentiam eamdem adhibere in alienis ſufficit in bono, qualem in ſuis, ſed in malo non toleratur paritas, quia negligentia in ſuis toleratur, quæ in alienis non toleratur. Gloſſa culpanda. in legem. Si conſtante. §. Si maritus. ibid.

Diligentiam eamdem adhibere io alienis, qualem in ſuis non ſufficit, ſi modo diligentius adminiſtrari oon potuerant. §. Igitur cùm quis. Inſtitut. de obligat. ibid.

Diues plus obligatur quàm pauper, quia plus ei committitur. Lege. Eos. Cod. De iis qui numero liberorum. pag. 87. col. 1

Diuites & non pauperes ſunt eligendi ad officia ciuitatis. Lege. Paupertas. ff. de excuſat. mun. ibid.

Doctoratus eſt honor, & dignitas, & ad illius gradum illegitimus aſpirare non poteſt. Lege. Honor. §. 1 in addit. margin. De muneribus.

Dolo aduerſarij deceptus, potius eſt reſtituendus, quàm detur ei contra aduerſarium actio. Lege. Diuus. de reſtit io integrum. pag 70 col. 1

Dolo facere videtur, quicunque petit id, quod exceptione qualibet poteſt elidi, vel quod petere non debebat. Lege 2 §. Et generaliter de dolo malo. ibid.

Dolus malus eſt omnis calliditas, & fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita. Lege 1. §. 1. De dolo malo. ibid.

E

Elemosyna non eſt, vnum altare tegere, & alterum detegere. Gloſſa. Hæc pia, in §. Sed neque effuſus. Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos. pag. 90 col. 2

Eleemoſynæ conſuetæ dari, imminutæ debent præſtari. Lege. Priuilegia. Cod. De ſacroſanctis. ibid.

Eleemoſynæ conceſſio abſque certa quantitate valet.

valet. Gloſſa penult. in legem. Priuilegia. Cod. de ſacroſanctis. pag.90.col.2

Eos qui ad ſtatuas vel euitandi metu, vel creandæ inuidiæ cauſâ confugerint ante diem decimum, neque auferri ab aliquo, neque diſcedere ſponte perpetimur; ita tamen vt ſi certas habuerint cauſas, quibus confugere ad imperatoria ſimulacra debuerint; iure ac legibus vindicentur. Leg.1. Cod. Theod.

Eos qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici, intra palatium militare prohibemus, vt nullus nobis ſit aliqua ratione coniunctus, qui à nobis fide, & religione diſcordat. Lege. Eos. Cod. Theodoſ. de hæretic. pag.233.col.1

Epiſcopus debet eligi caſtus, & humilis vt quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet; neque pretio, ſed precibus ornari debet. Lege. Si quemquam. Cod. de Epiſcopis. pag.9.col.1

Epiſcopus non eſt ordinandus antequam coram eo ſacræ regulæ legantur, & reſpondeat ſe velle eas ſeruare. §. Sed etiam. in Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos. ibid.

Epiſcopi poſſunt eſſe in conſiliis Principum ſæcularium. Authentica. Habita. Codice. Ne filius pro patre. pag.13.col.1

Epiſcopus ſcire debet non ſolùm literas, ſed etiam decreta, & Theologiam. Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos. ibid.

Ex conſuetudine peccandi generatur quidam habitus, & talis ſecundum Philoſophos, qui poſtea euelli non poſſit, at ideo eſt reſiſtendum principiis. Lege. Neratius. §. ſi ſeruo. in addit. margin. de ſeruo corrupto. pag.93.col.1

Ex loquentis perſona deprehenditur mens loquentis. Gloſ. Abundat. in addit. margin. in legem. De hæredibus inſtituendis. pag.124. col.1

Ex ſermonibus præſumitur quis furioſus, vel non ſanæ mentis: talis enim præſumitur, cuius verba gerit, & talis, cuius geſta ducit. Lege. Quidam in ſuo. de conditionibus inſtituendis. pag. 124. col.1

Exemplar ſi deficit, & exemplatum. Lege. In teſtamento. de codit. & demonſt. pag.130.col.1

Exemplari creditur, vbi originale caſu eſt deperditum. Lege 2. Cod. de teſtamentis. pag.133.col.2

Exemplum Principis ſequendum eſt. In principio inſt. de codice. pag.132.col.1

Exemplo priuato ſeu publico non creditur, niſi producatur originale. Authent. Si quis. & ibi gloſſa. Cod. de edendo. pag.132.col.

F

FEVDVM dicitur à fidelitate, & à fide. Beneficium, ſeu feudum id dicitur, quod ex beneuolentia ita datur, vt rei immobilis proprietas beneficiatæ, id eſt beneficio datæ aut acceptæ penes dantem remaneat. Lege 2. Feudorum. tit. 3. de inueſtitura. pag.527.col.1

Fides Chriſtiana non debet tractari à clericis, vel militaribus, vel alterius conditionis coadunatis turbis publicè, cùm irrogetur ex hoc iniuria iudicio Conciliorum. Lege. 3. Cod. de ſum. Trin. pag.117. col. 1

Fides non eſt præſtanda ei, qui vult contra fidem verſari. Gloſſa. pen. in cap. 1. §. Si per quos fiat inueſtitura. ibid.

Filiis noſtris, omnia quæ noſtra ſunt, ex voto paramus. Lege penult. §. 1. de bonis libertorum. pag.417.col.2

Fraudis interpretatio ſemper in Iure Ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. Lege. Fraudis. 79. de regulis iuris, pag.70. col.1

H

HÆRETICORVM polluta contagia pelli, vrbibus vicinis proturbari, ac nullis penitus iubemus patere conuentibus, ne in quoquam loco ſacrilega cohors talium hominum colligatur, nulla eorum peruerſitati, vel publica conuenticula, vel latiora erroribus ſecreta tueantur. Lege. Hæreticorum. Cod. Theod. de hæreticis. pag.233.col.1

Honorari debet ab omnibus ille, quem Princeps honorat, aliàs non honorans eum tenetur pœna ſimili ſacrilegij. Leg. Honorari. de muneribus. pag.452. col. 2

Honoris augmentum, non ambitione, ſed labore ad vnumquemque peruenire debet. Lege. Sancimus. Cod. Ad legem Iuliam. pag.55.col.1

I

IMPERIALIS beneuolentiæ proprium eſſe, hoc iudicantes, vt omni tempore ſubiectorum commoda tam inueſtigare, quàm eis mederi procuremus: non ita credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam, quantùm noſtræ naturæ poſſibile eſt imitari, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, & pœnitentiam ſuſcipere noſtram, & ad meliorem tam ſtatum deducere. Quod ſi circa noſtro ſubiectos imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni eſſe videbimur. Lege. Imperialis. Cod. de Nuptiis. pag.532.col.1

In Epiſcopum ordinatus à ſeruili, & aſcriptitia fortuna, & à patria poteſtate liberatur. §. Sed hæc in Authent. De Sanctis Epiſcop. pag.14.col.2

Iubemus omnes, qui vel iam in ſacrum cubiculum cuiuſpiam libertate donati, aliove titulo dati, vel dandi, principalibus obſequiis inhærere, vel antè meruerunt, licet nulla interueniente ſcriptura, nulla confectione geſtorum, poſtquam deuotiſſimis cubiculariis fuerint ſociati: ad conditionem libertatis, ingenuitatiſque rapiantur, raptique videantur. Hoc non ſolùm circa ſuperſtites, ſed etiam circa mortuos volumus cuſtodiri. Lege 4. Cod. de præpoſitis ſacri cubiculi. pag.681.col.1

Iudex mandans Epiſcopum exhiberi, vel duci, priuatur ſuo officio, & in viginti libras auri condemnatur; & executor iudicis iuſſu, dicens vel faciens exhiberi ad iudicem ſæcularem, priuatur ſuo officio, & verberibus cædi, & in exilium deportari debet. Authent. Nullus. Cod. de Epiſcopis. pag.14. col.2

Iudices cùm in ciuilibus cauſis, tum etiam in criminalibus, in quibus vitæ hominum, ſaluriſque quodammodo fata tractantur, appellationes admittant, nec denegent vocem in ſupplicium ſententia deſtinatis. Lege 20. Cod. Theod. de appellationib. pag.60.col.2

Iuſtitiam colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur, bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram niſi fallor Philoſophiam, non ſimulatam affectantes. Lege 1. ff. de iuſtitia, & iure. pag.445. col.2

Iuſtitia eſt conſtans, perpetuáque voluntas, ius ſuum, cuique tribuendi. Lege. Iuſtitia. ff. de iuſtitia & iure. pag.514.col.2

L

LEGIS mentem potius debemus inſpicere, quàm verba. Gloſ. penult. in legem primam. Cod. De interdictis. pag. 7. col. 1

Lege Iulia de annona, pœna ſtatuitur aduerſus eum, qui annonam fecerit, ſocietatémque inierit, qua annona carior fiat. Lege 2. ff. Ad legem Iuliam de annona. pag. 245. col. 1

Lex coërcet delicta puniendo, vt vnios pœna, ſit metus aliorum. ff. de legibus. pagina 126. col. 1

Lex eſt cui communes homines decet obedire, quædam inuentio, & donum Dei, decretum tamen hominum ſapientum, correctio voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum. ff. de legibus. ibid.

Legem præſidere & bonis, & malis, & principem, & ducem eſſe oportet, id eſt bonis meritum, malis pœnam. ff. de legibus. ibid.

Lex eſt commune præceptum, virorum prudentum conſultatio, delictorum quæ ſponte vel ignoranter committuntur coërcitio. Leg. 2. ff de legibus. pag. 458. col. 1

Liber homo ſi iuſſu alterius iniuriam dedit, actio legis Aquiliæ cum eo eſt, qui iuſſit, ſi modo ius imperandi habuit: quòd ſi non habuit, cum eo agendum eſt, qui fecit. Lege. Liber homo. Ad legem Aquiliam. pag. 498. col. 2

Locus autem in quo ædes ſacræ ſunt ædificatæ. etiam diruto ædificio ſacer adhuc manet. Lege. Sacræ res. De rerum diuiſione. pagina 226. col. 1

M

MENDICANTES publicè ſine neceſſitate, poſſunt inſpici, & qui eos inſpexerit, & prodident, & eſſe probauerit, dominium eorum conſequitur, ſi ſunt ſerui, & ius colonatus, ſi ſint liberi. Lege 1. Cod. de mendicantibus validis pag 96. col. 1

Minimè fas eſt, vt in ciuili negotio libellis appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cuiuſlibet iniuriæ genus, ſeu tormenta, vel etiam contumelias perferat appellator. Leg. 2. Cod. Theod. de appellationibus. pag. 60. col. 2

Mulieres honore maritorum erigimur, & genere nobilitamur. Leg. Connubio. de his qui in poteſtate ſunt. pag. 615. col. 2

N

NATALES habere dicuntur ingenui, non ſerui, per quos probatur ingenuitas. Lege 3. Quis liber. pag. 3. col. 2

Natalibus reſtitutus libertus, dicitur ingenuus, libertus tamen, qui conſequutus eſt ius aureorum annulorum, quamuis munia omnia habeat, non tamen eximitur à iure reuerentiali. Leg. 3. Quis liber. pag. 3. col. 2

Nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum, & vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Lege 4. Cod. Theod. de maleficis. pag. 118. col. 2

Nihil prius ex horreis conſequantur, quàm omnis canon, qui antiquitus eſt inſtitutus fueiis completus, cognoſcente officio vrbicariæ, decem libris auri eſſe militandum, ſi quæ decreuimus fuerint temerata. Lege 2. Cod. Theod. de conditis in publicis horreis. pag. 71. col. 1

Nullus ſibi honorem audeat vendicare, quem tyrannica conceſſit audacia, ſed ad priſtinum ſtatum damnata præſumptio reuocetur. Lege 6. Cod. Theod. de infirmandis. pag. 63. col. 2

Nullius autem ſunt res ſacræ, & religioſæ, & ſanctæ: quod enim diuini iuris eſt, id nullius in bonis eſt Leg. Nullius. de rerum diuiſione. pag. 226. col. 1

Nulli prorſus liceat in frænis, & equeſtribus ſellis, vel in baltheis ſuis, margaritas, & ſmaragdos, & hyacinthos aptare poſt hac, vel inſerere. Lege. Nulli prorſus. Codice. Nulli licere. pag. 270. col. 1

Nullus hæreticis myſteriorum locus, nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio, ſciant omnes etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto, per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum eſt, non valere: arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ, vnius & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio, atque aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura teneatur. Lege. Nullus. Cod. Theod. de hæreticis. pag. 233. col. 1

O

OBEVNDORVM munerum conſortium affectionis fraternæ nonnihil addidiſſe, quin imò vice mutua chariores inuicem ſibi reddidiſſe credendum eſt. Lege. Cùm allegas. Cod. de peculio militum. pag. 672. col. 1

Omnes pro his agris quos poſſident; publicas penſationes agnoſcant. Lege 11. Cod. Theod. tit. 3. pag. 25. col. 2

Omnes res Eutropij, qui quondam fuit præpoſitus ſacri cubiculi, ærarij noſtri calculis adiunximus, erepto ſplendore eius, & conſolatu à tetra colluuie, & à commemoratione nominis eius, & cœnoſis ſordibus vindicato, vt eiuſdem vniuerſis actibus antiquatis omnia muteſcant tempora, nec eius enumeratione ſæculi noſtri labes appareat. Leg. 17. Cod Theod. de pœnis. pag. 41. col. 2

Omnibus interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius noſtræ ditionis, in domibus ſuis habere quaſdam, quaſi orationum domos, & in his ſacra celebrare myſteria. Authent. Et priſcis. col. 5. pag. 198. col. 2

Omne ius quo vtimur; vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Lege. Omne. ff. de ſtatu hominum. pag. 452. col. 2

Omnium teſtamentorum ſolennitatem ſuperare videtur, quod inſertum metà fide inter tot nobiles, probataſque perſonas, etiam conſcientiam Principis tenet. Lege. Omnium. Cod. de teſtamentis. pag. 545. col. 2

Omnia omnino crimina, præfectura vrbis ſibi vindicauit, nec tantùm ea quæ intra vrbem admittuntur, verùm ea quoque, quæ extra vrbem. Quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad præfectum vrbis videtur pertinere: ſed & ſi quid intrà centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad præfectum vrbis pertinet. Lege. Omnia. ff. de officio præfecti vrbis. pag. 543. col. 1

P

PARENTES anno vno lugeri poſſunt; qui contra fecerint in infamiũ numero habeatur. Leg. Parentes. ff de his qui not. infam. pag. 293. col. 1

Pateant ſũmi Dei templa timentibus, nec ſola altaria, & oratorii templi circumiectũ, quod Eccleſias quadripartito intrinſecus parietum ſepto concludit, ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita, ſed vſque ad fores Eccleſiæ, quas oraturus geſtiens populus primas ingreditur confugientibus aram ſalutis, vt inter templum, quod parietum cinctu deſcripſimus, & poſt loca publica, & cannas primas Eccleſiæ, quidquid fuerit interiacens, confugas interioris templi vice tueatur. Lege 4. Cod. Theod. de his qui ad Eccleſias confugiunt. pag. 66. col. 1

Pauper licet ſit quis, ſi tamen ab ingenuis parentibus ſit natus, cenſeri non debet ignobilis, & humilis. Lege. Humilem. Cod. de inceſtis nuptiis. pag. 100. col. 1

Pauperi magis prouidetur quàm diuiti. Gloſſa. Omnes. in leg. Tum ij de. tranſactionibus. ibid.

Paupertatis priuilegium non tenet adductis facultatibus. Lege. Non tantùm. §. cos. de excuſationibus tutorum. ibid.

Periculum propriè dicitur quod culpa contingit. Gloſ. N. Si periculum. in legem. Item quæritur. pag. 75. col. 2

Pœnam quam exigit vnus ex correis ſocijs tenetur communicare & alteri. Nouell. 99. de reis. pag. 153. col. 2

Pœnam vel ſupplicium quis patitur in exemplum. Lege 1. §. eodem autem. Ad Syllarum. pag. 241. col. 1

Pœnam parem exigit par delictum. Auth. Vt fratrom filij. col. 9. pag. 241. col. 1

Poteſtatem principis negans ſuper quibuſcunque adminiſtrationibus, vel promulgandis dignitatibus committit crimen quaſi ſacrilegij. Leg. 5. Cod. de diuerſ. reſcriptis. pag. 119. col. 1

Poteſtatis verbo plura ſignificantur. In perſona Magiſtratuum dicitur imperium; in perſona liberorum, dicitur patria poteſtas: in perſona ſerui, dicitur dominium Lege. Poteſtatis. de verbor. ſignificatione. ibid.

Prædicata talia ſunt, qualia demonſtrant ſubiecta, & è contrà, talia ſunt ſubiecta, qualia prædicata permittunt. Lege. Stipulatio. de verbor. obligat. pag. 133. col. 2

Præmia imponuntur metentibus; pœnæ delinquentibus. Authent. de raptu mulieris. pag. 496. col. 2

Princeps vbi eſt, ibi eſt ſecuritas, & ideò in curia Principis ceſſat præſumptio iuſti timoris. Leg. 1. Cod. De his qui propter metum iudicis. pag. 545. col. 2

Principis epiſtola, vel edictum habet legis auctoritatem. §. Sed quod inſtit. de iure naturali. pag. 531. col. 2

Princeps legibus ſolutus eſt; ſed Auguſta licet legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem priuilegia tribuit ei, quæ & ipſe habet. Leg. Princeps. ff. de legibus. pag. 557. col. 2

Priuilegia quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantùm legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos autem, & ſchiſmaticos non tantùm ab his priuilegijs alienos eſſe volumus, ſed etiam diuerſis muneribus conſtringi, & ſubiici. Lege. Priuilegia. Cod. Theodoſij. de hæret. p. 233. c. 1

Q

QVIBVS belli indictio nulla eſt, inſcio Principe, ſine eius iuſſu nullum prouocare licet. Leg. 5. Cod. vt armorum vſus. pag. 237. col. 1

Quicumque ſub profeſſione monachi reperiuntur, deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare iubeantur. Leg. 1. Cod. Theod. de monachis. pag. 74. col. 1

Qui damnato ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecluduntur. Authent. Licet. §. Sed qui ex damnato. Cod. De naturalib. liberis. pag. 455. col. 2

Qui domino ſuo fidelitatem iurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet. Incolume ne ſit in damnu domino ſuo, de corpore ſuo. Tutum, ne ſit ei in damno de ſecreto ſuo, vel de munitionibus ſuis, per quas tutus eſſe poteſt. Honeſtum, ne ſit ei in damno de ſua iuſtitia, vel de aliis cauſis, quæ ad eius honeſtatem pertinere videntur. Vtile ne ſit ei in damno de poſſeſſionibus ſuis. Facile, vel poſſibile. l. 2. feudorum. titulo 6. de forma fidelitatis. pag. 527. col. 1

Quiſquis alienæ rei quoquomodo dominium conſequitur, ſtatim pro ea parte, qua poſſeſſor fuerit effectus, cenſualibus paginis nomen ſuum poſtulet annotari, ac reſpondeat ſoluturum. Leg. 3. & 5. Cod. Theod. tit. 3. pag. 25. col. 2

Quod principi placuit, legis habet vigorem. Leg. Quod Principi. ff. de conſt. Principum. pag. 452. col. 1

R

RELIQVIÆ Sanctorum, iudicio Epiſcopi, in locis ſacris debent collocari, nec debent apportari ad loca profana. Lege. Decreuimus. Cod. de Epiſcopis. pag. 102. col. 2

Remotis Licinij tyranni conſtitutionibus, & legibus ſciant omnes veteris iuris, & ſtatutorum noſtrorum obſeruari debere ſanctionem. Leg. 1. Cod. Theod. de infirmandis. pag. 63. col. 2

Reuocare appellationem ſuam vnicuique minimè permittatur, ſed ſacro auditorio totius negotij examinatio reſeruetur. Quòd ſi hac lege neglecta gratiam ſciuerit appellationis, & ipſe quinquaginta libras argenti, & eius officium parem ſummam condemnationis inferre cogetur. Leg. 48. Cod. Theod. de appellation. pag. 60. col. 2

S

SACRILEGO pœna capitis imponitur, vel ſubiicitur beſtiis, aut deportatur, aut in metallum datur, ſecundùm qualitatem perſonæ, & delicti. Gloſ. 4. in leg. 5. Cod. de ſepulchro violato. pag. 190. col. 2

Sacrilegium perpetrans irruendo in Eccleſias, vel inferendo iniuriam ſacerdotibus capitaliter etiam puniri debet per inquiſitionem. Leg. Si quis. Cod. de Epiſcop. pag. 240

Sacrilegij crimen incurrit, contrectans rem religioſam diſtrahendo. Leg. 1. Cod. de ſepulc. violato. pag. 240. col. 1

Sancimus vt omnia quæ Porphyrius ſua pulſus inſania, aut quiuis alius contra Religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inuenta fuerint igni mancipentur. Leg. Sancimus. Cod. de Sum. Trin. pag. 454. col. 1

Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi noxa eſt, peccata ſuos teneant auctores. Leg. Sancimus. Cod. de pœn. pag. 496. col. 2

Sanct

Sanè ſi quis ex his in exordio initæ factionis, ſtudio veræ laudis accenſus, initam prodiderit factionem, præmio, & honore donabitur. Leg. Quiſquis. Cod. Ad Legem Iuliam. pag. 658. col. 2

Satiſdatio eſt neceſſaria, ad quam quis lege reſtringitur. Lege 5. Qui ſatiſdare. pagina 530. col. 2

Sciant cuncti qui ad ritus ſuos hæreſis ſuperſtitionis obrepſerant ſacroſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna proſcriptionis, & ſanguinis. Leg. Sciant. Cod. Theodoſij de hæreticis pag. 233. col. 1

Scire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim ac poteſtatem. Leg. Scire leges. ff. de legibus. p. 481. col. 1

Secundum Apoſtolicam, &c. Vide hanc legem quæ pertinet ad fidem orthodoxam. pagina 149. col. 2

Si quis in ſua domo, &c. hæc lex vetat oratoria erigi inſcio Epiſcopo. Vide illam fusè. pag. 198. col. 2

Si patrem tuum officio debito promerueris, paternam tibi pietatem non denegabit. Leg. Si patrem. Cod. de alendis. pag. 296. col. 1

Si cui legata fuit pictura, &c. vide legem. pag 419. col. 1

Si quis in alieno ſolo, ſua materia domum ædificauerit, illius ſit domus, cuius eſt ſolum. Inſtit. de rer. diuiſione. pag. 522. col. 2

Sponſio appellatur, non ſolùm, quæ per ſponſi interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio promiſſioque. Lege Sponſio. ff. de verborum ſignificatione. pag. 674. col. 1

Sponſalia ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum. Lege Sponſalia. ff. de ſponſalibus. ibid.

Super eleemoſynis faciendis conſtituti ciues, non debent illas extraneis pauperibus dare. Leg. finali. Cod. de annonis. pag. 104. col. 2

V

VBI eadem eſt ratio, idem & ius eſt ſtatuendum Lege finali. Codice. Qui ætate. pag. 664. col. 2

Vir quoque pari fine eludetur, nec licebit ei ſine cauſis apertius deſignatis propriam repudiare iugalem. Nec vllo modo expellat niſi adulteram, vel veneficam, aut homicidam. Leg. 3. Cod. de repudiis. pag. 352. col. 2

Viros clariſſimos ſacri noſtri palatij ſilentiarios, circa latus noſtrum militantes, de tutelis, & curationibus excuſari ſancimus. Leg. finali. Cod. de excuſat. pag. 652. col. 1

Virginitas vel caſtitas corrupta, reſtitui non poteſt Gloſ. finali in Auth. cui relictum. Cod. de indicta viduitate. pag. 492. col. 2

Vnuſquiſque pro crimine in quo fuerit deprehenſus motum congruæ ſeueritatis excipiet. Leg. 18. Cod. Theod de pœnit. pag. 34. col. 1

Vnicuique ius conceditur petendi licitè rem ad quam vendicandam pluribus titulis innititur. Lege Non eſt nouum. ff. de actionibus. pag. 640. col. 1

Vxor marito concreſcat, & ſentiat eius fulgorem. Lege finali. Codice de nuptiis. pag. 613. col. 1

INDEX RERVM MEDICARVM QVÆ IN HOC TOMO VELVT

morbis animæ curandis conſonæ recenſentur.

AEREM offuſum nobis ſanguine præditorum animantium natiuo calori, & ſpiritui, tum conueniens pabulum, tum refrigerationem præſtare, fumoſáque illius ſuperuacanea excipere in Phyſiologia diximus, vbi illud animaduerſum eſt, aërem nobis circumfuſum arteriarum pulſu corporis vniuerſi calorem; eum verò quem ſpirando ducimus, vnius maximè cordis calorem reſpiratione tueri, & conſeruare. Fernelius lib. 1. de morbor. cauſis, pag. 228. col. 1

Ægrum ex quauis offenſione, & ſanum ex integritate actionum Ariſtoteles eſt dimenſus, nihil inter hæc medium conſtituit, ſed priuantia fecit, perinde ac videns, & cæcum. Corporis partiſve abſoluta, & exquiſita ſymmetria, quæ ad ſummum peruenerit, ſumma eſt ſanitas; quæ ab hac paulum deficiens conſtitutio, nec actionibus noſtris nocua eſt, nec animali manifeſtè grauis ſanitas etiamnum eſt, at non perfecta: quæ deinceps vitij proceſſit, vt iam homini conſpicuè moleſta ſit, eiuſque functiones grauiter offendat, morbus eſt, qui ſenſim ingraueſcens tandem ad extremum, quod mors eſt, perducit. Fernelius lib 1. pathologiæ. cap. 5. pag 497. c. 2

Aër circumfuſus in intima quæque penetrans, nos etiam contagione immutat, neque nos ſolùm, verùm etiam ſolidiſſima quæque, vt ligna, lapides, & metalla, quæ aliter pluuioſo cælo affici notamus. Tanta quidem vis eſt aëris per cuncta rerum meabilis: huius autem quanto cæterorum vis maior, & efficacior ad morbos infligendos. Fernel. lib. 1. de morb. cauſis. cap 13. pag 127. col. 1

A febre ardente habito, rigore ſuperueniente ſolutio. Hippocrates lib 4. Aphoriſm. 58. pag. 94. col. 1

A iuuantibus, & à lædentibus petuntur indicationes. Duretus in Coacas Hippoc. pag 33. col 2

Altricis facultatis auxiliariæ, & miniſtræ ſunt hæ, attrahens, expellens, continens, concoquens, quarum neceſſitate corpus alitur, & ſuſtinetur. Fernelius lib. 5. Phyſiolog. cap. 4. pag 48. col. 1

Aurium dolor intenſus cum febre acuta, cumque ſiniſtro quopiam ſigno, iuuenes quidem ſeptimo die, aut etiam celerius occidit, & eos inſanæ mentis. Hippocrat. lib. 2. Coac. cap. 3. pag. 147. columna 1

B

BONI ſunt ſudores, qui toto fiunt corpore, & faciunt vt æger faciliùs ferat morbum: peſſimi verò ſunt frigidi tantùm circa caput, & faciem, & collum. Hippocrat. libro 1. Præſag. pag. 272. col. 1

Bonum habitum confert ſoluere ſine mora, vt corpus rurſum incipiat nutriri. Hippoc. l. 1. Aphor. 3. pag. 86. col. 2

C

CALCVLVM omnem comperi in veſica conclusum, rudimentum quoddam è renibus traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret, ac plerumque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, & quoſcunque exemptos veſicæ calculos obtriui, in eorum medio quaſi nucleum reperi, verum rudimentum è renibus exturbatum, diuerſi quàm reliquum integumentum, ac inuolucrum coloris, & ſubſtantiæ. Fernelius libro 6. de partium morbis. cap. 13. pag. 116. columna 1

Caloris naturalis beneficio conſtat omnia viuentia alimentum trahere, conficere, eoque nutriri, ac ſuſtineri, augeſcere, procreare animantes, præterea ſenſu affici, & moueri, quantóque hæc perfectiora fuerint opera, tantò caloris vim, atque ſubſtantiam vberiorem eſſe, neceſſe eſt hunc vitæ calorem eſſe præſtantioris cuioſdam originis, neque ignei elementi rudiorem naturam redolere. Fernelius lib. 4. Phyſiol. cap. 1. pag. 237. col. 2

Cerebri pars prior ſenſus, poſterior verò motus eſt principium, atque ſedes: meninges autem tactus ſunt origo. Omnium autem animalium functionum cauſa efficiens eſt cerebrum ſuis meningibus conueſtitum. Qui nerui multa medulla confecti ſunt, mouendi inſtrumenta exiſtunt, tangendi autem ij, quos maiori ex parte meninges protulerunt. Fernelius libro 5. de animæ facultatibus. pag. 113. col. 2

Cerebrum humanæ mentis arx, & domicilium cogitationum rationiſque ſedes, motus omniſque ſenſus origo, corporis ſummam partem tenet, ſurſum ſpectans, cælo proximum. Quoniam id viſcerum præſtantiſſimum, futurum erat irruentibus extrinſecus iniuriis obnoxium, naturæ prouidentiâ, vndique circumſeptum oſſeo tegumento. Fernelius lib. 1. Phyſiolog. cap. 9. pag. 618. columna 2

Coctio prima eſt chyloſis, ea fit in ventriculo; huius præparatio præceſſit in ore, qua non atteritur modo cibus, ſed & leuem mutationem ſubit. Secunda coctio celebratur in iecore, αἱμάτωσις appellata; hac chylus è ventre hauſtus, propria iecoris vi, quæ in eius ſubſtantia potiſſimum inſidet in veram ſanguinis ſpeciem conuertitur. Fernel. lib. 6. Phyſiol. cap. 6. pag. 515. col. 2

Coctio ductus eſt eius quod coquitur in ſubſtantiam eius, quod coquit. Pepaſmus autem eſt quædam coctio eorum, quæ ſunt præter naturam. Hippoc. lib. 1. Epidimiorum. pag. 444. col. 1

Corporis partes quæ principatum obtinent, iecur, cor, & cerebrum, cùm natura, tùm ſpiritu præpotente valent, vt non ſeipſis duntaxat gubernandis dent operam; ſed alios de ſe ſpiritus tanquam iugi de fonte promant, in omne corpus propriis ductibus deriuatos. Fernel. lib. 4. Phyſiol. cap. 12. pag. 512. col. 2

Criſis eſt repentina mutatio in morbis, vel ad ſalutem, vel ad mortem. Andr. Laurentius. lib. 1. de criſibus cap. 3. pag. 74. col. 1

D

DIGESTIO cibi qua ratione fiat in corpore, & huioſce rei applicationem moralem pro Euchariſtia ſacra benè digerenda, fusè vide pag. 189. col. 1

F

FACIES cadauerosa lethifera. Hippocrat. l. 2. coacarum cap. 5. pag. 130. col. 1

Frigidus quidem ſpiritus eſt lethalis, lethalis etiam eſt æſtuoſus. Hippocrat. lib. 2. Coac. cap. 9. prænot. 1. pag. 153. col. 1

H

HOMO diuiditur ab Hippocrate in tres partes, ſcilicet in ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ἐνορμῶντα, id eſt, in partes continentes, contentas, & impellentes. Hippocr. lib. 6. Epidim. pag. 418. col. 1

Hominum exercitatorum bonus habitus, qui ad ſummum euaſit, periculoſus eſt; natura enim in ſuo ſtatu diu manere nequit. Poſtquam ergo in otio eſt, nec iam tum ad eius bonitatem quidquam adiungi poſſit, reſtat vt labatur in deterius. Hippocrat. lib. 1. Aphoriſm. 3. pag. 86. col. 1

Homo mouetur ſicut & mouetur equus, cuius ſeſſor eques imperat motum: imperium autem illud fertur ad equum mediante fræno, quo ad læuam, aut ad ſiniſtram inflexo, etiam illò vergit equus: ita & ratio imperat motum ex arce ſua, ſcilicet capite; imperium illud diffluit ad muſculos mediantibus neruis, vt quibuſdam canalibus: muſculi demum percelluntur animali ſpiritu eos alluente. Fernel. de part. corpor. lib. 1. cap. 5. pag. 118. col. 1

Humores quotidie quater mouentur iuxta tempeſtatum ordinem à natura præſtitutum. Meridies bilem afficit, & mouet; calore enim ſuo bilis æſtatem refert. Solis occaſu melancholia excitatur, autumno ſimilis, qui ſuccedit æſtati: media nocte pituita fluit, hyemis algorem ſuo rigore referens. Sanguis qui à meridie ſtagnans quieuerat, vt extinctus alio humore ſuis vicibus toto pectore refluente, dum ſol oritur, corpus mirum in modum afficit. Vt enim ſol oriens, limpido rore ſolum alluit, ita & corpus humanum ſanguine ab intus euocato foras recreat, eo enim refluente calor inſitus vegetior fit, & ſpiritus limpidiores hinc enati totam faciliùs circumagunt molem, & impellunt eò quò dirigentis impetus voluerit. Andreas Laurentius. libro de criſibus. pag. 59. col. 2

M

MAGNVS ſpiritus foras efflatus, intrò paruus, & contra foras paruus peſſimus eſt ſanè, & morti propinquus. Hippoc. lib. 2. coacar. cap. 9. pag. 149. col. 1

Medicina eſt morbos ab ægris tollere, & eorum impetus retundere. Hippoc. lib. de flatibus. pag. 443. col. 2

Medicina eſt adiectio deficientium, & ſubtractio redundantium. Galen. lib. de ſactis. pag. 443. col. 2

Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, ſignorum, & cauſarum. Galen. lib. 1. de arte parua. pag. 443 col. 2

Medicina eſt ars operatrix, ratione, & experimento inuenta, vt ſanitas ſeruetur, & morbus arceatur. Auerroës 6. collig. cap. 1. pag. 443. col 2

Medicina eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam, morboſque profligandos comparata, nihil eſt medicina melius, nil optabilius, nihil hominum generi datum præſtabilius. Nam ſi eſt vita cunctis mortalibus chariſſima, ſi ea primum munus eſt, & præſtantiſſimum animantibus attributum; ars quæ illam ſeruat, continet, ac tuetur, quo pacto non ſit omnium præſtantiſſima. Femel. in præf. ad ſuam medicinam. pag. 532. col. 1

Meninx altera ſubeſt tenuis atque mollis, idoneum cerebri inuolucrum, ei quàm proximè adiunctum, quod & locis compluribus altius demergitur, vt interiores cerebri capacitates oblinat. Fernel. lib. 1. Phyſiol. cap. 9. pag. 675. col. 2

Morborum cauſæ aliæ cum aëre ſpirando trahuntur, vt peſtilentiæ ſemina; aliæ extrinſecus nos attingunt, vt rabidi canis, & venenatarum beſtiarum virus; aliæ intrò ſumuntur, idque vel cibi vel medicamenti ſpecie. Venenum quod halitu nos ferit, omnium præſentiſſimum, & efficaciſſimum eſt. Femel. lib. 2. de abditis rerum cauſis. cap. 11. pag. 233. col. 1

Mulier grauida, ſiquidem concepit, viridò colore eſt, ſin autem fœminam, fœdo. Hippocrat. lib. 5. aphoriſm. 42. pag. 135. col. 1

N

NATVRA opifex, medicus eſt miniſter. Galenus lib. artis paruæ. pag. 547. col. 1

Natura membra componit, prout moribus animæ conuenit. Raſis lib. 2. ad Almanſor. pag. 628. col. 2

Neruorum qui ex ventriculis in ſenſuum inſtrumenta contendunt propagationes hæ ſunt. Omnium prima in oculos traiicitur, atque infigitur, cuius nerui inſignes ſunt, & inter cæteros maximè concaui, dicti à Græcis ὀπτικοὶ; molles ij, & ampli, per quos videndi ſpiritus inuehitur. Duo quidem ſunt, vt oculi diuerſis enati locis, ſed qui à media curſus via, qua decuſſati coitionem faciant, moxque diducti in ſuum quiſque è regione oculum feruntur. Fernel. lib. 1. Phyſiol. cap. 9. pag. 638. col. 1

Nutritio ſumma, ac ſuprema exiſtit functionum, quæ natura duce, ac magiſtra adminiſtrantur. Hæc autem à natura fit, quæ ſpiritus, caloriſque appulſu & operâ alimentum aſſiduâ exagitat. Fernel. lib. 6. Phyſiol. cap. 6. pag. 190. col. 2

O

OPTIMI ſunt ſudores in morbis acutis, & qui accidunt in diebus decretoriis, & febrem perfectè ſedant. Hippoc. lib. 1. Præſag. pag. 259. col. 2

P

PESSIMI ſudores ſunt, qui frigidi. Hippoc. lib. 1. Præſag. pag. 259. col. 2

Prægnantium mulierum incommoda latè, fuſéque notat & deſcribit Fernelius lib. 6. Pathologiæ cap. 17. Deſcriptionem hanc elegantem, & rationem ob quam ego mala illa noto, vide pag. 491. col. 2

Q

QVÆ in melius indicant, non ſtatim apparere debent. Hippoc. lib. 2. Epidem. ſect. 1. pag. 91. columna 2

Quæ ducere oportet, ducenda maximè, quà natura vult, & per loca iſti conuenientia. Hippoc. lib. 1. aphoriſm. 21. pag. 66. col. 1

Quando in vniuerſo corpore crebræ mutationes, vt iam modo caleſcat, modo frigeſcat corpus, aut calor alter ex altero fiat, hæc diuturnum morbum fore oſtendunt. Hippoc. lib. 4. aphoriſm. 40. pag. 150. columna 1

Quibus effectis ſanis crebrò rigores fiunt, ij loco fluxus ſanguinis, empyema patiuntur. Hippocrat. Coaca. 16. Libri primi. pag. 70. col. 1

Quibus febris, non cum ſignis ſolutionis, neque diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet. Hippoc. lib. 3. Præſag. pag. 55. col. 2

Quibus verò cum febre ardente ſoporiferi tumores, ac veternoſi accidunt, dolor ſi latus occupet, necat modo apoplectico. Hippoc. Coaca. 64. lib. 1. pag. 480. col. 2

R

REGIO humida, locus in occidente demergens, humens pluuioſaque conſtitutio, tenebricoſum ſpiritum facit, corpus multo humore ſuperuacuo onerat, cuius copia, natiuus calor infringitur, & debilitata concoctione cruditates fiunt, quibus ex cauſis diſtillationes, diuturnæ febres, cachexiæ, vlcera putrida, eaque curatu difficillima, quin etiam corpora mollia, laxa infirmaque reddit, & obeundis vitæ muniis inepta. Fernel. lib. 1. de morb. cauſis. pag. 228. col. 2

Regio temperata, locus editus, apricus, & perflatus, veris conſtitutio naturalis, flatus cæli placidus, & tranquillus perflante Fauonio, ſalubritatem, bonamque valetudinem tuentur, nec quicquam corpora immutant. Femelius. Ibidem. pag. 228. col. 2

Reliquiæ febris extinctæ ſuperſtites in hypochondrio malæ. Hippocrat. Prorrhetic. 7. ſect. 11. pag. 75. col. 2

Rigor eſt concuſſio compaginis totius, maximè partium poſticarum, quæ adiacent lumbis, metaphreno ceruici ad caput; dum ſcilicet proritantur appulſu cacochymiæ illuc è vaſis confluentis, & viam ad exitum affectantis quem quia tam citò non habet, partes exactè ſenſus vbi ſubſiſtit, vellicando laceſſit, cum affectione caloris viuifici qui eſt in corde: tunc enim viuificus ille calor intro recurrit, dum cacochymia foras excurrens, ac primo appulſu paſſa repulſam concuſſionem mouet. Duretus lib. 1. prænotionum in Coac. Hippoc. pag. 94. columna 2

S

SANITAS eſt conſtitutio in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur. Galen. lib. de ſanitate tuenda. pag. 444. col. 1

Sanitas eſt diſpoſitio naturalis corporis humani;

quæ per bonam ſimilarium partium temperiem, organicarum conuenientem Symmetriam, & vnionem, functionum laudabilium cauſa exiſtit. Varanda. lib. Patholog. cap. 3. pag. 444. col. 1

Sanitatis habitus diſcernitur functionibus ſecundum naturam obeundis. Galen. lib. 1. de ſanit. tuenda. pag. 508. col. 1

Sanus homo, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet: hunc oportet frequentius ſe exercere; ſiquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectam, hic longam adoleſcentiam reddit Cornel. Celſus. lib. 1. cap. 1. pag. 508. col. 1

Spontaneæ laſſitudines morbos prænuntiant. Hippoc. lib. 1. Aphor. pag. 5. col. 1

Si qualia purgari oportet purgentur, confert, & leniter ferunt, ſin minus contra. Hippocrat. lib. 1. Aphor. 25. pag. 190. col. 2

Si verò nudos pedes, nec admodum calidos, & manus, & collum, & crura diſpergat inæqualiter malum eſt; ſignificat enim inquietationem. Hippoc. lib. 1. Præſag cap. 4. pag. 99. col. 2

Surditas quæ cadit in empyricos, cruentam excretionem denuntiat, atque his ſub finem vitæ nigra ducuntur. Hippocrat. lib. 2. Coac. cap. 16. pag. 122. columna 2

V

VASORVM euacuatiò ſiquidem talis fit, qualem fieri oportet, confert, eamque ægri benè ferunt. Hippoc. lib. 1. aphoriſm. 2. pag. 216. col. 2

INDEX HISTORIARVM,

QVÆ IN HOC TOMO LITANT virtutum praxi omnibus ingerendæ.

A

ADALBERTVS Epiſcopus fortiter ſe opponit Henrico Imperatori, & quare. pag. 12. col. 2

Adriani Imperatoris epitaphium quale. pag. 164. col. 1

Æthelredi Regis Angliæ inſigne pietatis exemplum, circa ſacrum Miſſæ myſterium. pag. 201. columna 1

Ageſilai Regis induſtria, vt Græci deſpectui haberent Perſas. pag. 108. col. 2

Alexander V. Pontifex omnibus ſatagebat vtilem ſe præſtare. pag. 513. col. 2

Alexandri Regis Macedonum induſtria, ne longior ſomnus irreperet. pag. 10. col. 2

Alphonſus Rex Siciliæ quo apparatu præuio, & pietate ſacris intererat myſteriis. pag. 226. col. 2

Aluari de Luna Reguli Hiſpani potentiſſimi mors ingloria deſcribitur. pag. 153. col. 1

Amedei Principis Sabaudiæ pietas inſignis in pauperes deſcribitur. pag. 510. col. 2

Amalaricus Rex Arrianus à Childeberto Rege Gallo occiditur, & quare. pag. 183. col. 2

Anatolius vir impius ſupplicio afficiendus, patitur repulſam à Deipara Virgine. pag. 539. col. 2

Andreas Dandulus Dux Venetorum, quàm iniquè tulit ſe ceſſiſſe in ius victoris hoſtis. pag. 626. columna 2

Andronicus Imperator à faucibus mortis erutus aquâ potâ fontis Mariæ. pag. 505. col. 1

Anaxarchi Philoſophi patientia, & quid in tormentis tyranno dixerit. pag. 666. col. 2

Angliæ prouinciæ quænam ab Henrico Rege fidem extinctam tentauere ſuis armis accendere. pag. 279. col. 1

Antiochia ſæpe diris obruta ventis, quanam fuit induſtria crebris illis eruta procellis. pag. 47. col. 1

Amus Epiſcopus faciendo ſacrum, ab infidelibus occiditur. pag. 208. col. 2

Arrachion Olympionica poſt mortem corona fuit vt victor laureatus. pag. 108. col. 1

Arcadij Imperatoris ignauia cunctatur impia tollere ſimulacra. pag. 93. col. 2

Aurelius Imperator Gentilis precibus Chriſtianorum militum ſupremo facto eripitur. pag. 548. columna 2

B

BAIAZETHIS auaritia extrema fuit cauſa mali ſupremi quo periit. pag. 104. col. 1

Baleares inſulæ, qua induſtria ſuos pueros inſtituunt ad artem ſagittas emittendi. pag. 174. col. 2

Bardas dynaſta fatis ceſſit in pœnam ſpretæ Deiparæ imaginis. pag. 476. col. 2

Benedictus Papa dedit Henrico II. notas, & inſignia Imperij. pag. 131. col. 1

Beneuenti cuiuſdam Sacerdotis indignè celebrantes ſupplicium. pag. 217 col. 1

Bonifacio VIII. Papæ malè ceſſit amor, quo patriam ſuam deperibat. pag. 645. col. 2

C

CALIGVLA Imperator quotannis à populo xenia publicè exigebat. pag. 47. col. 1

Canutus I. Rex Angliæ coronam ſuam quare capiti Chriſti crucifixi impoſuit. pag. 515. col. 1

Carlomanni Principis receſſus à ſæculo, & humilitas in monaſterio. pag. 507. col. 2

Carolus VII. Rex Galliæ, quo honore excepit heroinam virginem. pag. 40. col. 2

Caroli V. Imperatoris conſtantia in abdicandis inſulis Imperij. pag. 93. col. 2

Carolus Valeſius Princeps dedignatur vxorem claudam ducere. pag. 173. col. 1

Carolus

Carolus IX. Rex Galliæ voluit omnes extirpare vites regni, & quare. pag. 183.col.2

Caroli Magni Imperatoris pietas erga ſacrum Miſſæ myſterium. pag.226.col.2

Carolus IX.Rex Galliæ creditus ab hæreticis ſortilegio occiſus. pag.277.col.2

Carolus V. Imperator quàm lautè fuit exceptus in Gallia. pag.632.col.2

Caroli V.Regis Galliæ morientis amor in Deiparam Virginem. pag.677.col.2

Caloioannes Imperator quo cultu nouo fuit Deiparam Virginem proſecutus. pag.358.col.2

Caſſius Epiſcopus qua pietate ſacrum Miſſæ myſterium peragebat. pag. 208.col.2

Catharina Regina prius infœcunda,fuit fœta vſu myrrhæ. pag.4.col.1

Chabotij Reguli Galli ſuperbia, qua ratione fuit depreſſa à Franciſco I. Rege. pag.134 col.2

Chryſoſtomo Patriarchæ viro ſancto, fuit noxia Diaconi luxuria. pag.217.col.2

Chriſtianis quibuſdam emiſſa fuit lingua propter fidem, nec idcirco deſiere loqui. pag.123. columna 2

Clodouæi Regis Galliæ conuerſio, vnde ſuum cœpit exordium. pag.31.col.2

Clodouæi Regis elegans effatum in gratiam Religionis Chriſtianæ. pag.107.col.2

Coccinenſis puella heroina,necem patris ſui fortiter vlciſcitur. pag.464.col.2

Comes Tancinus valedicens Henrico Regi, quid ab eo petierit. pag.102.col.1

Comes Oſtrenantius quare fuit regno pulſus à Carolo VI. Rege Galliæ. pag.128.col.1

Commodus Imperator noluit vxori ſuæ permittere faces præeuntes. pag.78.col.2

Conradus Imperator quo apparatu ſe accinxit ad ſacram Communionem. pag.245.col.1

Conſalui Magni pietas erga ſacrum Deiparæ roſarium. pag.571.col.1

Conſtantinus infans filius Leonis Imperatoris petitus à populo in Imperatorem. pag.4.col.1

Conſtantinus Imperator in gratiam Criſpi filij ſui nati carceres aperuit. pag.22.col.1

Conſtantinus Imperator factus Chriſtianus vetuit imaginem ſuam appendi templis Gentilium. pag.128.col.1

Conſtantini Imperatoris pietas erga ſacrum Miſſæ myſterium. pag.200.col.2

Conſtantinus Imperator quo ritu celebrabat dies feſtos. pag.225.col.2

Conſtantino IV. Imperatori malè ceſſit quod repulit vxorem. pag.461.col.1

Conſtantini Imperatoris obſequium, & cultus erga crucem. pag 485.col.2

Conſtantini Paleologi Imperatoris auaritia cum exuit imperio. pag.550.col.2

Conſtantini Copronymi Imperatoris impietas erga Mariam punita. pag.522.col.2

Cracouiæ miraculum inſigne in gratiam realitatis Euchariſtiæ. pag.283.col.2

Cypriano præſente plures cælitus puniti ob indignè acceptam Euchariſtiam. pag.240.col.2

D

DANDULI Legati Venetorum facinus egregium. pag.356.col.2

Diocletianus Imperator omnes ſacræ Scripturæ libros iuſſit vri. pag.460.col.2

Dionyſij Regis Siculi iunioris elegans effatum in gratiam Philoſophiæ. pagina 478.col.1

Dominicus Patriarcha Prædicatorum quo argumento fidem aſtruere voluit. pag.117.col.1

Dux Alenconius deceptus hypocriſi hæreticorum,ab eis poſtmodum abhorruit. pag.232.col.1

Edoardi II. Regis Angliæ mors violenta quare eum ſuſtulerit. pag.526.col.1

Elizabeth deſponſatæ Regi Hiſpaniæ tranſmigratio à Gallis ad Hiſpanos. pag.63.col.1

Elizabeth Poloniæ Regina, malis oppreſſa, frugem in meliorem ſe recepit. pag.98.col.2

Elizabeth Regis Hungariæ filiæ praxis audiendo ſacrum. pag.210.col.2

Emmanuelis Principis zelus contra reos iniuriæ illatæ ſacro Miſſæ myſterio. pag.207.col.2

Epaminondas militem in ſtatione dormientem occidit. pag.10.col.2

Eques Melitenſis ob fugam ingloriè arreptam ſuſpenſus. pag.85. col.2

Equitis Cantabri mors ſpontanea ob filium Regis per incuriam occiſum. pag.210.col.1

Euchariſtiâ indignè accepta quidam fuit à Diabolo obſeſſus. pag.333.col.2

Euchariſtiæ iniurius quidam Iudæus, filium qui communicaret iniicit in fornacem. pag 401. columna 2

F

FERDINANDI Regis Hiſpaniæ induſtria, vt conciliaret Deum exercitui ſuo. pag.128.col.1

Ferdinandi Antolini Ducis pietas inſignis audiendo Miſſam. pag.201.col.1

Fons erupit in ſpelunca Bethleem ea die quà natus eſt Chriſtus. pag.22.col.1

Franciſci Patriarchæ fratrum Minorum pudicitia tentata à Friderico Imperatore pag.120.col.2

Friderici II. Imperatoris flagitia cælum oſtenſis prodigiis exhorruit. pag 186.col.1

Fridericus Imperator illuſtrium hominum geſta iuſſit edi lingua vernacula. pag.461.col.1

G.

GALLI olim perduellis nomen reticebant, tradentes eum tortori. pag.28.col.1

Godvvini Dynaſtæ Angli periuri mors horrenda,& ſubitanea. pag.240.col.1

Gorgonia fœmina ſancta ſuæ pietatis participem fecit maritum pag.674.col.2

Gratianus Imperator noluit oblatum vſurpare nomen Summi Pontificis. pag.225.col.2

Gregorius XI. Papa Venceſlaum Principem vitiis obnoxium exuit imperio.pag.655.col.2

H

HEDVIGIS Poloniæ Regina Ducem Lithuaniæ in ſponſum accepit ea lege vt fieret Chriſtianus.pag.502.col.1

Helena mater Conſtantini Eccleſiam erexit in monte Oliueti, vbi eſt ſingulare prodigium. pag.140.col.1

Henricus IV. Imperator olim iniurius Eccleſiæ Moguntinæ. pag.12.col.2

Henricus IV. Rex Galliæ arma ſua dedit ei quem aliis animo præſtare ratus eſt. pag.38 col 2

Henricus IV. Rex Galliæ Venetis dono dedit enſem ſuum. pag.102. col.1

Henricus III. Rex Galliæ quare inſtituit ordinem

nem torquatum equitum ſancti Spiritus. pag.148. columna 2

Henricus Imperator Diaconum pœnitentem magni fecit. pag.217.col.1

Henricus III. Rex Angliæ, quotidie tres audiebat Miſſas, & eius egregium effatum. pag.226.col.2

Henrici I. Regis Angli animum filio iniquum mitigare non potuit S. Ludouicus Rex Galliæ. pag.231. col.2

Henricus IV. Rex Galliæ nunquam hoſtium numerum inquirebat. pag.254.col.1

Henrici IV. Regis Galliæ natiuitas, & quid tunc ſingulare accidit. pag.538.col.2

Hoſij Cardinalis quanta fuit pietas erga Miſſam. pag.209.col.2

I

IANI Turcæ viri magni, bello paceque clari tragica mors. pag.165.col.2

Ioannæ Regis Galliæ Ludouici XII. vxoris ſors miſeranda. pag.16.col.2

Ioanna Auſtriaca quo apparatu ſacram ædem Lauretanam adiit. pag.432.col.1

Ioanna Nauarræ Regina lethale virus naribus hauſit. pag.526.col.1

Ioanna mater Henrici IV. Regis Galliæ, filio ſuo debuit Nauarræ regnum. pag.564.col.1

Ioannes Auſtriacus Mariæ auxilio vicit Turcas ad Naupactum. pag.440.col.2

Ioannes Rex Scotiæ quare fuit ab hoſte ſuo diademate ſpoliatus. pag.625.col.2

Iulia filia Auguſti, veſtibus vt & corpore toto luxurians, patrem grauiter offendit. pag.475.col.1

Iuſtinianus II. Imperator quare malè fatis ceſſit. pag.460.col.2

L

LEGATI Hiſpani mors repentina, vnde cepit exordium. pag.291.col.2

Leonis Imperatoris filius infans publicè inauguratus infulis imperij. pag.4.col.1

Leoni Pontifici iniurius Valentinianus Imperator, quas luit pœnas. pag.15.col.1

Leonis IX. Pontificis, amor, & humanitas erga plebem afflictam. pag.139.col.1

Leonis Armeni Imperatoris vxor eius ferum animum mitigauit. pag.237.col.1

Leonis Armeni Imperatoris ſacrilegium cælitus caſtigatum. pag.459.col.1

Leſcus Poloniæ regnum oblatum quare noluit acceptare. pag.114.col.1

Ludouicus XII. Rex Galliæ quare ſuæ menſæ voluit aſſidere Ducem Conſaluum. pag.71.col.2

Ludouicus IX. Rex Galliæ in diſcrimen mortis incurrit pro ſalute fratris ſui. pag.114.col.2

Ludouicus IX. Rex Galliæ morte inſtante ſuum cilicium miſit filiæ ſuæ. pag.133.col.1

Ludouicus Pius Imperator Euchariſtiâ ſolâ diu vixit. pag.176.col.1

Ludouici XII. Regis Galliæ ingreſſus ſalutaris fuit Genuenſibus. pag.197.col.2

Ludouicus Pius Imperator etiam in venatione ſecum habuit imaginem Deiparæ. pag.436.col.1

Ludouicus IX. Rex Galliæ componebat rixas Principum vicinorum. pag.513.col.1

Ludouicus XI. Rex Galliæ dimittit acceptas iniurias in gratiam Ducis Burgundiæ. pagina 640. columna 2

Ludouico XI. Regi Galliæ cor oblatum fuit aureum, vnde foras prodiit lilium. pag.633.col.1

M

MAHOMETES Impoſtor qua arte plebem dementauit. pag.138.col 1

Marcellus II. Papa ſuum Pontificatum auſpicatus eſt ſanctè. pag.29.col.2

Marchionis Marignani, & Monluci Ducum hoſtium vrbanitas ad inuicem. pag.69.col.1

Mammea mater Alexandri Seueri Imperatoris, eum fecit propitium Chriſtianis. pag.452

Maria Regis Emmanuel vxor, proprio lacte ſuos filios educabat. pag.452.col.1

Maria Hungariæ Regina, ſuam coronam impoſuit capiti ſponſi. pag.684.col.2

Menalippi luxuria peſte totam Græciam ferè exhauſit. pag.555.col.1

Melitenſes equites edidere legem ſalutarem obſeruandam ab infirmis. pag.233.col.2

Metenſis ciuitas qua arte fuit cuſtodita à Duce Guyſio, contra Carolum V. pag.76.col.1

Michaëlis militis Siculi facinus egregium, congruè compenſatum. pag.86.col.1

Miecellai Regis Poloniæ ſtatutum de gladio ſtringendo dum in Miſſa legeretur Euangelium. pag.201

Miſſam non audiiſſe die feſto fuit infauſtum duobus adoleſcentibus. pag.229.col.1

N

NARSES qua induſtria Longobardos in Italiam adſciuerit. pag.175.col.1

Neruæ Imperatoris humanitas erga ſibi ſubditos. pag.513.col.2

Neſtorius hæreticus, qua impietate Dei genitricem inceſſerit. pag.476.col.1

O

OLYMPIVS Tribunus olim Gentilis, qua arte ſibi Spiritus ſancti illapſum conciliauit. pag.160.col.1

Ottocari Regis Bohemiæ ſuperbia, qua arte depreſſa fuit. pag.98.col.1

P

PAPPOLI Epiſcopi vitiis omnibus obnoxij mors horrenda. pag.216 col.2

Paſchalis Papa quare fuit à populo eductus è carcere. pag.508.col.2

Paulæ viduæ Romanæ conſtantia in ſæculo penitus abdicando. pag.93.col.2

Paulus I. Papa mira præſtitit pietatis officia, in gratiam egenorum. pag.113.col.1

Petrus Vrſeolus Dux Venetorum abdicat ſe principatu, vt fiat religioſus. pag.73 col.2

Philippi II. Regis Hiſpaniæ mors conſtans, & valde pia. pag.132.col.2

Phocionis exemplum inſigne de contemptu diuitiarum. pag.93.col.2

Polychronij hæretici monothelitæ, palam deriſa fuit inſania. pag.232.col.1

Pompeij faſtum Athenienſes, quanam arte depreſſerunt. pag.4.col.1

Præfectis annonæ data olim ab Imperatoribus magna priuilegia. pag.275.col.1

Prioris

Prioris Caſtellæ furor, eò quòd non electus eſt in Magiſtrum equitum Rhodiorum. pag. 133. col. 1

R

REGINA Saba quibus ænigmatibus explorauit ingenium Salomonis. pag. 641. col. 2

Rhemigij Epiſcopi Remenſis olim caput præfulgidum apparuit. pag. 14. col. 2

Rhemigij Epiſcopi Remenſis prædictio de proſperitate Regum Galliæ pag. 166. col. 1

Roberti Regis Galliæ obſequium ergà Lambertum Epiſcopum. pag. 15. col. 1

Robertus Rex Siciliæ, pluris faciebat libros, quàm regnum. pag. 459. col. 2

Rudolphi Comitis Hapsburgenſis pietas ergà ſacram Euchariſtiam. pag. 177. col. 2

Rumiliæ Epiſcopi viſio quædam inſignis pertinens ad puritatem, quam depoſcit Euchariſtia. pag. 217. col. 2

S

SAXONES Auſtrales qua fuere dignati gratia poſt baptiſmum. pag. 637. col. 2

Scaoderbechij oſſa ſecum Turcæ velut amuleta ferunt. pag. 102. col. 1

Scipio Africanus quare ſuo annulo inſertam habebat gemmam Sardonychen. pag. 140. col. 1

Scipio imaginem ſuam annulo inſculptam reliquit poſteris. pag. 142. col. 1

Seneca ſuis amicis, moriendo quale munus inſigne liquit. pag. 142. col. 1

Seruulus mendicus, qua ſanctitatè ſuam omnem egit vitam. pag. 542. col. 1

Seuerianus hæreticus Euchariſtiæ iniurius, à Deo ſeuerè fuit punitus. pag. 261. col. 2

Sigiſmundus Tranſyluaniæ Dux, inimicum quare neci tradiderit. pag. 240. col. 1

Siluani Abbatis amor ſingularis erga vnum monachum propter eius obedientiam. pag. 497. columna 2

Simeonis ſtylitæ velox obedientia, fuit argumentum ſanctitatis eius. pag. 498. col. 1

Simeonis Stylitæ vitam plures monachi voluere ſequi, ſed aſſequi non valuerunt. pag. 647. col. 2

Siſebuti Regis Hiſpaniæ ſingularis humanitas erga ſuos hoſtes. pag. 137. col. 2

Sixtus V. Papa ſuam patriam, quo honore affecit. pag 645. col. 1

Solymannus Turca magni fecit Magiſtrum equitum Rhodiorum. pag. 182. col. 2

Sopatius Magus ſuis præſtigiis Chriſtianos inſequitur. pag. 160. col. 2

Spoletani Epiſcopi Arriani facinus audax à Deo caſtigatum. pag. 251. col. 2

Stephani VI. Pontificis quantus amor in Martyres extiterit. pag. 144. col. 1

T

TARQVINIVS quo ænigmate docuerit deprimendum eſſe typhum ſuperbiæ. pag. 553. col. 1

Thais meretrix pœnitentiæ perfectæ nobis ſpecimina dedit egregia. pag. 332. col. 2

Themiſtoclis filius infans dictus olim regere Græciam vniuerſam. pag. 618. col. 2

Thomas Morus olim ſatius duxit audire ſacrum, quàm adire Regem. pag. 207. col. 2

Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici praxis audiendo Miſſam. pag. 213. col. 1

Thomas Merleus ob Euchariſtiam indignè acceptam moritur horrendo. pag. 240. col. 1

Thurina aulicus fumo ſuffocatus, et hoc congruo ſupplicio decreto periit. pag. 485. col. 1

Timoleon laudatus, qua ratione vanam gloriam ſuppreſſit. pag. 56. col. 1

Titi Imperatoris cura fuit præcipua, agere vitam innoxiam. pag. 513. col. 2

Turcarum indoles maximè propenſa ad erogandas eleemoſynas. pag. 103. col. 2

V

VALENTINIANVS Imperator quia ingloriè excepit S. Martinum, de repente fuit à Deo caſtigatus. pag. 15. col 1

Valentiniani zelus pro fide Catholica, euexit eum ad imperium. pag. 52. col. 1

Valentinianus iunior Imperator fuit caſtiſſimus. pag. 121. col. 1

Vdonis Epiſcopi luxuria horrendo ſupplicio à Deo caſtigata. pag. 216. col. 2

Victoris II. Papæ Legatus qua arte detexit ſimoniam cuiuſdam Epiſcopi. pag. 151. col. 1

Viduæ cuiuſdam amor in maritum mortuum, eam ſuſtulit è medio. pag. 679. col. 1

X

XENIA quotannis caligula exigebat à Romanis. pag. 47. col. 1

Xenia quibus Henricus IV. Rex Galliæ dignatus eſt Ducem Sabaudiæ. pag. 48 col. 1

Xenia quibus Dux Sabaudiæ dignatus eſt Henricum IV. Regem Galliæ. pag. 48. col. 1

Xenia Antiſthenis quare fuere grata Socrati. pag. 48. col. 1

Xerxes Rex Perſarum fœminæ obſequio, Græcorum faſtum fregit. pag. 463. col. 2

Ximenes Cardinalis debuit præcipuas ſuas dignitates Reginæ Hiſpaniæ. pag. 641. col. 1

Z

ZENO Imperator eleemoſynæ virtute, Dei flagella inſtantia euaſit. pag 103. col. 2

Zeno Philoſophus poſt iacturam opum, egit Deo grates, dicens ſe ſic aptiorem eſſe Philoſophiæ. pag. 416

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ABBAS Chæremon abdicauit ſe officio, quia ſenex aliis prælucere non poterat. pagina 11.col.1
Abbatis Pæſij vox digna ſcitu. p.14.c.1
Ablactatio facta cum ſacrificio. p.332.c.1
Ablactatio Iſaac quomodo facta. ibid.
Ablutio ante paſtum. p.362.c.2
Ablutio olim duplex. ibid.
Abnegatio ſui neceſſaria. p.541.c.1
Abrahæ presbyteri mira virtus. p.129.c.1
Abſtracta io diuinis, quid ſignificent. p.393.c.2
Abſynthij virtutes ſalutares. p.131.c.2
Acedia quomodo ſit curanda. p.283.c.1
Acham ob pallium ſuffuratum occiditur. p.233.c.1
Achioris hiſtoria deſcripta. p.76.c.1
Adalbertus Epiſcopus fortiter ſe opponit Henrico IV. Imperatori, & quare. p.12.c.2
Adalbertus nudis pedibus ingreditur Pragam, ad exprimendos nudos affectus. ibid.
Adam primus differt à ſecundo. p.500.c.1
Adam figuratus in Rege Tyri. p.20.1
Adam notat quatuor mundi partes. p.20.c.2
Adam quare poſt lapſum, à Deo vocatus eſt nomine proprio. p.27.c.1
Admiralis Chabotij ſuperbia caſtigata. pag.134. col.2
Adoptio fiebat olim ante Pontifices. p.67.c.1
Adoratio fiebat olim circumducendo ſuum corpus in orbem. p.136.c.2
Adriani Imperatoris fides io medicos.
Ædes Neronis quàm ampla. p.109.c.2
Aër inſalubris eſt cauſa morborum. p.127.c.2
Aëris effectus. p.228.c.2
Aëris neceſſitas ad viuendum. p.524.c.1
Æſculapius quare adoratus. p.17.c.2
Æſculapij templum ægris erat aſylum. p.443.c.1
Æternitas quid ſit. p.136.c.2
Agapæ olim quid eſſent. p.326.c.2
Agapæ, quo ritu celebratæ. ibid.
Agapæ quàm ſanctæ. ibid.
Agapæ verſæ in luxum. ibid.
Agapæ fieri prohibitæ in templis. ibid.
Agapas celebrauit Ansbeſtus Epiſcopus. ibid.
Agoi nomen quare ſcriptum in frontibus hominum beatorum. 31.c.1
Agnum Paſchalem edere vetitum ſeruis. p.353.c.2
Agnum Paſchalem edere nón poterant exteri. p.353. col.2
Alcibiades in ſchola dedit alapam ludimagiſtro, quia non habebat Homerum. p.424.c.1
Alexandri pueri indoles generoſa. p.656.c.1
Alexandri impoſtoris ſupplicium. p.419.c.2
Alexandri Epiſcopi induſtria, vt ſilentium imponeret Philoſopho garrulo. p.32.c.2
Aluarus Luna, quo fato periit. p.153.c.1
Alimenta dantem ſequi tenemur. p.307.c.2
Amalarici crudelitas. p.185.c.2
Amalarici mors violenta. ibid.
Ambitio ſuos aſſeclas exagitat. p.82.c.2
Amatorium ſeu philtrum ſingulare. 265.c.1
Amicitia vnde ortum habet. p.672.c.1
Amicitia vnde diſſoluatur. ibid.
Amicitia Chriſtiana, quænam ſit. ibid.
Amicitia ex conſortio generatur. ibid.
Amicitia plura poteſt, quàm fraternitas. ibid.
Amicitia à Deo commendata. p.672.c.2
Amicitia inter quos reperiatur. p.657.c.1
Amicitia vera ſolis competit bonis. ibid.
Amiciſſimus quis dicatur. p.352.c.1
Amiciſſimi ad epulas inuitandi. ibid.

Amor rerum diuerſarum.

Amor eſt furor. p.145
Amor ſincerus opere comprobatur. p.40.c.1
Amoris variæ ſunt ſpecies. p.112.c.2
Amor vehemens ſe actione prodit. p.40.c.2
Amor Chriſtianus, quid attendat. p.112.c.2
Amor Henrici IV. Regis in Venetos. p.102.c.1
Amor Comitis Tancini in Henricum III. ibid.
Amor proximi eſt de præcepto. p.113.c.1
Amor in quid feratur. p.126.c.2
Amor accenditur ad menſuram notitiæ. p.128.c.2
Amor Heluetiorum io Gallos. p.134.c.2
Amor Stephani Papæ in Martyres. p.144.c.1
Amor inertes facit feruidos. ibid.
Amor Præſulis Salazar in Ludouicum XII. p.144. col.2
Amor proximi Deum nobis conciliat. p.237.c.2
Amoris æſtus neceſſarius ad beatitudinem. p.269. col.2
Amor eſt vorago à Deo ſolo implenda. p.270.c.2
Amoris vis ad vniendum. p.285.c.2
Amor vnus in affectu, alius in effectu. p.286.c.1
Amor nequit decipi. p.292.c.2

Amor non eſt otioſus. p.293.c.2
Amor addit alas. p.306.c.2
Amor quomodo debeat ordinari. p.492.c.2
Amor filiorum eſt quandoque noxius. pag.622. col.1
Amor filiorum perdidit Heli. ibid.
Amor filiorum qualis eſſe debet. p.659.c.2
Amor conſanguineorum quomodo differat ab alio amore. p.659
Amor amantes rei amatæ aſſimilat. p.662.c.1
Amoris expers in filios, eſt inhumanus. ibid.

Amor Dei.

Amor Dei eſt primum principium Religionis Chriſtianæ. p.143.c.1
Amor, Dei, & animæ nuptias facit. p.236.c.1
Amoris, Deus ſit capax necne. p.266.c.1
Amor in Deo quid ſignificet. p.266.c.2
Amor Dei in homines qualis ſit. ibid.
Amor Dei electionem dicit. p.267.c.1
Amor Dei in nos, eſt fons omnis boni. ibid.
Amoris Dei in nos argumentum. p.268.c.1
Amor præire debet Deo venturo. p.271.c.1
Amor altè Ieſum imprimit cordi. p.271.c.2
Amoris in Deum ſuſpiria. ibid.
Amore Dei, anima tota colligitur, quæ alioquin diſpergitur. ibid.
Amor Dei, qua oratione petendus. 272.c.1
Amor extra Deum nil requirit. ibid.
Amore Dei conciliatur quies animæ. p.272.c.2
Amor in Deum, naturalis ſit necne. p.284.c.2
Amore poteſt homo in Deum ferri bifariam. p.287. col.2
Amor Chriſtum morti obnoxium fecit. p.291.c.2
Amoris vulnus fuit plaga lateris Chriſti. ibid.
Amoris exhortatio. ibid.
Amoris Dei feruidi æſtus. p.293.c.2
Amor animam Deo deſponſat. p.299.c.1
Amor Dei in nos qualis extiterit. p.322.c.2.
Amoris impreſſio facit nos Deo ſimiles. p.426.c.1
Amoris Dei magna ſecuritas. p.488.c.1
Amoris erga Deum cauſæ. p.493.c.1
Amoris Dei eſt, quod boni ſumus. p.534.c.1
Amor Dei conſpectum deſiderat. p.642.c.1
Amor fictus, Dei conſpectum non deſiderat. ibid.
Amyntas Rex Perſas in epulis occidit. pag.352. col.2
Angeli malos auerſantur. p.662.c.2
Angeli quando receſſerunt à Ieruſalem. ibid.
Angelorum ſanctitas vnde petenda. p.665.c.2
Angeli vallant iuſtos. p.666.c.1
Angelos corporeos eſſe dicit Tertullianus. p.667.c.1
Angelorum diuerſitas quare à Deo facta. p.667.c.2
Angelorum caſtra, quibus inuigilent. p.666.c.2
Angeli adſunt fugientibus è ſæculo. p.668.c.2
Angeli, quorum conſortio gaudent. p.655.c.2
Angelis ſimiles gratia facit. p.657.c.1
Angeli non amant noxios homines. ibid.
Angelus nunquam paternitatem aſſumpſit. p.657, col.2
Angeli non fuere beati à creatione ſua. p.656.c.2
Angeli ſunt confirmati in gratia. p.657.c.1
Angelorum querelæ de reprobis. p.661.c.2
Angeli apud quos degunt. p.667.c.1
Angelus poſt lapſum, quare non fuerit vocatus à Deo nomine proprio. p.27.c.1
Angelus quando homo nuncupetur. p.39.c.2
Angeli nomen quando mereatur homo. p.42.c.1
Anima quomodo fiat templum Dei. p.493.c.2
Anima quid ſit. p.243.c.2
Anima regit corpus imperio deſpotico. p.6.c.2
Anima quare ægrotat. p.400.c.1
Anima à Deo illuminatur. p.405.c.2
Anima vnita Deo calet. ibid.
Animæ dignitas quanta. p.420.c.2
Annatæ quid ſint. p.527.c.1
Annulo ſuo reſignato cuidam amico, deſignat eum ſucceſſorem Alexander. p.138.c.2
Annulorum vſum quis inuenit. ibid.
Annulus index libertatis. ibid.
Annulus multa ſignificat. p.139.c.1
Annulis Hebræorum erat ſculpta Ieruſalem. p.141. col.2
Annulo ſuo quare Scipio Sardonychen inſeruit, & quid hoc inſinuet. p.140.c.1
Annulo inſculpta fuit imago Scipionis. p.142.c.1
Antiochia, quare dicta Theopolis. p.47.c.1
Antiochia concuſſa ventis, & æquata ſolo. ibid.
Antiochia nomine Ieſu inſculpto foribus ædium incolumis à procellis. ibid.
Antiochiæ noui fontes eruperunt. p.157.c.2
Antiochus Rex quare deſperauit. p.59.c.1
Antiſthenis amor in Socratem. p.48.c.1
Antolini Ducis pietas. p.201.c.1
Anubis olim, quid erat. p.337.c.1
Apollo quare dictus ἀλεξικακὸς. p.199.c.2
Apollini cur dicata laurus. p.485.c.2
Apoſtolicæ dignitatis proprietates. p.621.c.2
Apparatus quantus ad excipiendum Regem. p.5. col.1
Apparatus animæ, ad excipiendum Chriſtum. p.636.c.2
Appellandi ad Summum Pontificem in his quæ ad ius Canonicum pertinent, eſt facultas. p.60.c.2
Appellare omnes poſſunt nomine rei condemnati. ibid.
Appetitio in bonum tendit. p.67.c.2
Appetituum actus qui ſint. p.65.c.2
Appetitus in quot ſpecies diuiditur. p.65.c.1.
Aqua odorifera ad manus lauandas. p.362.c.2
Aqua ſacra apud Troianos qualis. p.260.c.1
Aqua defoecante diſgregatur aurum. p.259.c.1
Aquilæ induſtria vt probet pullos. p.227.c.1
Aquila typus animæ perfectæ. p.306 c.2
Aquila myſticè quid ſignificet. p.410.c.1
Aquila Imperij fugit Ducem rebellem. p.662.c.2
Aquila Imperium præſagiit Martiano. p.661.c.2
Ara in cælo quid ſignificet. p.272.c.2
Ara oppoſita hydro. p.243.c.1
Aræ conſtellatio depicta cum igne accenſo, in globo cæleſti, quid ſignificet. p.236.c.1
Arbor quædam ferax omnium fructuum. p.45.c.1
Arbores infructuoſæ ineptæ ſacris. p.572.c.2
Arcades olim victores ob infantem. p.466.c.2
Arcon qua induſtria liberarit filium ſuum, ſerpentis nexibus implicatum p.125.c.2
Argenti egregia ſymbola. p.616 c.1
Arpeugnum quid ſit. p.373.c.2
Arrachion mortuus triumphauit. p.108.c.1
Aſcenſionis Chriſti effectus. p.130.c.2
Aſcenſionis Chriſti dignitas. p.137.c.1
Aſcenſione ſua Chriſtus aſtruxit fidem, qua credimus illum eſſe Deum. p.139.c.2
Aſphaltites lacus vnde ſic nuncupatus. p.439.c.2
Aſtrologia iudiciaria quibus argumentis erronea demonſtretur. p.130.c.1.& p.437.c.1
Athenienſes dabãt pueris cibũ ad pondus. p.355.c.2
Atlas quare ſuis humeris dictus olim ſuſtinere globum cæli. p.17.c.1
Attentio animæ Deo vnitæ, p.668.c.2

Attilæ Regis mors ſubita. p.86.c.2
Attributa Dei, quomodo prædicentur. p.72.c.2
Auaritiâ ductus Baiazethes Turca, ſuo exercitui negat opes, quas perdidit. p.104.c.1
Auguſtini conuerſio, vnde cœpit. p.250.c.1
Auguſtini conuerſio validè tentata. p.61.c.2
Auguſtus Imperator quotannis phiala ſingulari dignatus à Mecœnate. p.329.c.1
Auguſta gaudet priuilegiis Principis. p.557.c.2
Auguſtus captus ab Odoacre Rege Erulorum, fuit vltimus Imperator. p.33.c.1
Aureliani Imperatoris quanta fuit modeſtia, in veſtitu. p.106.c.1
Aurium dolor eſt funeſtus. p.147.c.1
Aurum Tholoſanum exitiale fuit omnibus, qui illo potiti ſunt. p.102.c.2
Auſter ventus inſalobris. p.153.c.2
Auſter calidus, & humidus. p.159.c.1
Auxilium Dei doplex. p.57.c.1

B

BAbel turris quare fuit confuſioni linguarum obnoxia. p.62.c.2
Bacchus olim quare præter alia nomina dictus eſt Dionyſius. p.382.c.1 & p.385.c.1
Baiazethes Dynaſtam in epulis occidit veſte pulla indutum. p.252.c.1
Balnea vſurpata ante cœnam. p.363.c.2
Balneorum vtilitas. ibid.
Baleares inſulas incolentes, qua induſtria ſuos puerulos educabant. p.174.c.2
Baptiſmus deterſit eum fœtorem tetrum, quem Iudæi antea ſpargebant. p.183.c.2
Baptiſmus, quot gratiis irrigare ſolet animas tinctas aquis ſacris. p.637.c.2
Baptiſmi elogia. p.328.c.2
Baptiſmo excepto quinam cibus offerebatur ei, qui eum ſuſceperat. ibid.
Baſſanus Rex Sicambrorum filium ſuum extremo ſupplicio plectit. p.242.c.2
Beatitudo ſuis ab athletis, duros, & ſtrenuos agones petit. p.34.c.2
Beatitudinis cauſa facilè dura omnia tolerantur ab electis. p.544.c.1
Bellum ſpirituale, quale ſit. p.409.c.2
Bellum Principi ſuo inferentes Belgas fugit columba. p.151.c.1
Beneficium gratitudinem exigit. p.297.c.1
Benedictio de rote cæli quænam ſit, & quid ſignificet. p.613.c.2
Beneficium Imperatoris oportet interpretari benignè. p.680.c.1
Beſtiæ dum ægrotant, aut ſunt vulneratæ, ſua pharmaca congrua cognoſcunt. p.462.c.2
Bonauentura primum Minorita deinde Cardinalis, quanti æſtimatus. p.17.c.1
Boni formalitas in quo ſita ſit. p.65.c.1
Bonum habet rationem finis. ibid.
Bonum, pulchrum, & finis indiuiduo nexu ſociantur. ibid.
Boni diuiſio adæquata tribus conſtat ſpeciebus. p.77.c.1. & p.292.c.1
Boni fucati ſpeciem prætendit dæmon, quando tentat homines. p.77.c.2
Bonum qua ratione ſui diffuſiuum eſt, & quomodo ſe communicat. p.292.c.1

C

CÆcitatem animæ dæmon ingerit, quando ſuis præſtigiis hominem dementauit. p.78.c.1
Cæcus olim erat Auguſtinus, qui amarè ſuam hanc cæcitatem luxit. p.78.c.2
Cælum eſt anima iuſti. p.433.c.2
Cælum conſtare ſolis aquis aiunt Hebræi, ei nomen congruum affingentes. ibid.
Cælum eſt mens ſapientis. p.2.c.1
Cæſar luſtrando ſuum exercitum occidit inermem militem in ſtatione. p.13.c.1
Calceis altis vtebatur Octauianus Auguſtus Imperator. p.270.c.1
Calceis pretioſis vſi ſunt ad faſtum quidam Imperatores. ibid.
Calcei deponendi ritus olim inolitus apud Hebræos, quid ſignificabat. p.264.c.2
Calix in cæleſti ſphæra, ſidus eſt, cum conſtellatione Libræ, & quid hoc ſignificat. p.277.c.1
Calix aureus, eſt ſymbolum voluptatis. p.662.c.1
Calix Chriſti vita plenus. p.388.c.1
Calix ſanguinis Chriſti fideles olim fortiter aptabat ad martyrium. p.389.c.1
Calicis Chriſti ſalutares effectus. p.283.c.1
Calix olim quare datus laicis. p.389.c.1
Calix Chriſti, vt proſit animæ, quas cautiones ab homine prærequirat. p.277.c.1
Calices templi, quia polluit ſacrilegus Baltazar ideo punitus. ibid.
Caligula fatuus Imperator olim ambiit pro Deo coli, & haberi. p.136.c.2
Caligula ſalutatus corpore in orbem ducto. ibid.
Calor naturalis, quàm ſit beneficus. p.237.c.2
Calor naturalis an ſit elementaris, vel cæleſtis diſcutitur. p.284.c.2
Caluinos nequitiam ſuam, atque trucem animum ſymbolo congruo lineauit. p.235.c.2
Candelabrum templi quid deſignet. p.251.c.1
Canis fidelitas quanta. p.186.c.1
Canes olim admiſſi ad epulas. p.357.c.1
Canes vbi delicatius, & lautius enutriti, quàm pueruli. p.357.c.2
Canes accuratè nutriti à Spartanis. p.357.c.1
Canes publicè nutriti Athenis. ibid.
Canes amati à Regibus Perſarum. ibid.
Caper olim quare ritu ſingulari Baccho immolabatur, eius vt victima. p.382.c.1
Caro ſemper inquies eſt. p.81.c.1
Caro animæ infenſa. p.169.c.2
Carlomannus Princeps, valedicens mundo, in religione vitam humilem egit. p.12.c.2
Carlomanni receſſus à ſæculo. p.507.c.2
Caroli V. Imperatoris modeſtia, poſt auditam orationem in laudem eius. p.7.c.1
Caroli V. moderatio poſt victoriam. p.56.c.1
Caroli V. Imperatoris abdicatio Imperij, & ad clauſtrum tranſmigratio. p.73.c.2
Caroli V. conſtantia, contra niſus obſtantes ne ſæculo renuntiaret. p.93.c.1
Carolus V. quàm lautè fuit exceptus à Franciſco I. Rege Gallo. p.632.c.2
Caroli Valeſij induſtria, vt reſciret, an ſponſa eius claudicaret. p.173.c.1
Carolus IX. Rex Chriſtianiſſimus, quare vites voluit extirpare. p.184.c.1
Carolus IX. creditus faſcinatus. p.277.c.2
Caroli Borbonij defectio ingloria à Rege ſuo, & ſymbolum eius. p.153.c.1
Caſtæ mulieris exemplum ſingulare. p.494.c.1

Caſtitas quid ſit. p.491.c.1
Caſtitas etiam venerationi fuit Barbaris. ibid.
Caſtitas animas quas inſedit, efficit templum Spiritus ſancti. p.159.c.2
Caſtitati conſulit aqua infuſa. p.360.c.1
Caſtitas eſt magna fortitudo. p.491.c.2
Cauſæ vniuerſales non deuiant ab intento. p.74.c.2
Cauſæ ſingulares deuiant aliquando. ibid.
Cella ſolitudini apta. p.669.c.1
Cerebri laudes, & deſcriptio. p.618.c.2
Cerebri & neruorum nexus. p.113.c.2
Ceres olim quare adorata. p.590.c.1
Cereris epitheta nobilia. ibid.
Charitas quid ſit. p.237.c.2
Charitas benè ordinata, ad quos præcipuè ſe extendat. p.660.c.1
Charitatis opera egregiè deſcripta. p.513.c.2
Charitatis exquiſita deſcriptio. p.285.c.1
Charitas glutino comparata. p.509.c.2
Charitate vniuntur fideles. p.84.c.2
Charitatis exceſſus in Paulo mirus. p.671.c.1
Charitas Deum homini conciliat. p.112.c.2
Charitas eſt porta Paradiſi. p.113.c.1
Charitas eſt tunica Chriſti. ibid.
Charitatis encomia. p.113.c.2
Charitatis amplitudo quanta. ibid.
Charitas non fertur in vitia hominum. p.114.c.2
Charitas eſt è cælo oriunda. p.117.c.1
Charitas eſt Dei donum, neque poteſt acquiri ſolis naturæ viribus. p.237.c.2
Charitas dulce ſapit. p.290.c.1
Charitas quàm placita Auguſtino. ibid.
Charitatis dimenſiones quales ſint. p.430.c.2
Chorearum nequitia. p.127.c.2
Choreæ luxuriæ obnoxiæ. p.526.c.1
Chriſtianorum omnium quale officium. p.49.c.2
Chriſtianum ignauum cenſura mordaci carpit egregiè Hieronymus. p.59.c.2
CHRISTVS Rex noſter. p.82.c.1
Chriſtus non tam nitorem veſtium quærit, quàm affectum animarum. p.4.c.1
Chriſti, & Adæ antitheſes. p.20.c.2
Chriſti natiuitas quare fuit in ſtabulo. p.21.c.1
Chriſto nato omnia famulantur. ibid.
Chriſto nato fons nouus emerſit in Bethleem, & quid hoc denotarit. p.22.c.1
Chriſto nato quales offerre debet vnuſquiſque preces. p.22.c.2
Chriſti nomen labaris inſcriptum. p.36.c.1
Chriſti nomen cruce figuratum. ibid.
Chriſtus oliuæ comparatus. p.43.c.1
Chriſti meritorum quomodo fuerint participes Patriarchæ, & Prophetæ. p.45.c.2
Chriſti merita præuiſa, quomodo fuerint hominibus propitia. ibid.
Chriſtus omnia ſua nomina honorifica, ſuo ſanguine comparauit. ibid.
Chriſtus diabolum ſuo dominio exuit. p.77.c.2
Chriſti & diaboli antitheſes. p.78.c.1
Chriſti victoria de dæmone, mundo, & carne, plena fuit, & certiſſima. p.81.c.1
Chriſto quomodo ſit occurrendum. p.82.c.1
Chriſtum ſequi debent omnes. p.82.c.2
Chriſti ſequaces pauci ſunt, & idcirco Deipara conqueritur. ibid.
Chriſti dominium ſubire debent omnes. ibid.
Chriſtus cur non habuit tumulum proprium, ſed in alieno fuit conditus. p.107.c.2
Chriſti reſurrectio quare fuit à Iudæis impugnata præ aliis myſteriis fidei. p.107.c.1
Chriſtus Dominus vitæ, & mortis. p.106.c.2
Chriſti humilitas quanta. p.106.c.1
Chriſtus Deus immortalis. p.107.c.2
Chriſto nato fuit elinguis dæmon, antè loquax & garrulus ex ſimulacris. p.122.c.1
Chriſtianum eſſe, quid ſit. p.132.c.2
Chriſti, & Patriarchæ Ioſeph relationes. pag.138. col.1
Chriſtus vindex alienæ libertatis. p.139.c.1
Chriſtus iter in cælum, aliàs & hactenus inuium, hominibus aperuit. p.141.c.1
Chriſti humanitatem multifariam hæretici varij impugnarunt. p.167.c.1
Chriſtus quare ſuis veſtibus exui voluit, ante crucis aſcenſum. p.290.c.2
Chriſtus vt reparator, omnia reſtituit in integrum. p.318.c.1
Chriſtiani olim accuratè manus lauabant ante templi ingreſſum. p.360.c.1
Chriſtus eſt Rex, & paſtor. p.375.c.2
Chriſtus olim multifariam figuratus. p.376.c.1
Chriſtus abundè ditat homines. ibid.
Chriſtus eſt omnia omnibus. ibid.
Chriſti comparatio cum priſcis hoſtiis. p.378.c.2
Chriſtus quare dicatur ab Iſaia percuſſus, & quid hoc ſignificet. p.391.c.1
Chriſti tituli illuſtres. p.504
Chriſtus apud Deum mediator eſt. p.593.c.2
Chriſtus quare natus ex Regibus. p.611.c.2
Chriſtus quare natus ex peccatoribus. ibid.
Chriſti ſymbolum eſt egregium herba illa, cui nomen eſt, tuſſilago. ibid.
Chriſtus quare natus ex Sacerdotibus. ibid.
Chriſtus quare non dicatur filius Spiritus ſancti, ex quo conceptus eſt. p.631.c.2
Chriſtus quomodo ſit via, veritas, & vita. p.638. col.2
Chriſtus quomodo ſit nobis omnia. p.639.c.2
Chriſtus quare dicatur flos. p.641.c.2
Chriſti conceptio quare in Nazareth. ibid.
Cibum capere ſolum, eſt infame. p.321.c.1
Ciborum varietas multùm confert ad humorum varietatem. p.320.c.2
Cibum ſimul non capiunt Hebræi, & Ægyptij, ducti ſuperſtitione quadam. ibid.
Cibus excautela ſumendus eſt, qua pharmaca propinantur. p.541.c.1
Circulus quid ſit. p.295.c.2
Circumciſio quid ſignificet. p.44.c.2
Circumciſionem quare ſubiit Chriſtus. ibid.
Circumciſio apud Iudæos neminem excipiebat. ib.
Circumciſio an iuſtificarit infantes, & qua ratione. p.343.c.2.& p.345.c.1
Circumciſio an fuerit inſtituta in remedium peccati originalis. p.344.c.1
Circumciſio quare facta ab Hebræis ante nominis impoſitionem. p.27.c.2
Circumciſio quare inſtituta. p.345.c.2
Circumferre, idem ac luſtrare. p.360.c.1
Cleopatræ luxus in epulis. p.374.c.1
Clerici à communi vita debent ſecerni. p.128.c.1
Clitumni aqua ſacra. p.378.c.1
Clodij Albini infantuli cunas olim aquilæ aduolantes circumdederunt. p.328.c.2
Clodouæus Rex Gentilis, facto voto de ſuſcipiendo Baptiſmo fudit hoſtes. p.32.c.1
Clodouæus Rex n illam ſibi ab Imperatore coronam miſit Summo Pontifici. p.56.c.1
Clodouæus quare diu diſtulit profiteri Religionem Chriſtianam. p.107.c.1

Clodouæi Regis ſtemmata quænam erant. p.165. col.2
Coctio cibi in corpore, vt perfectè fiat, quas cautiones prærequirat. p.244.c.2
Codrus Rex Athenienſium, pro ſalute plebis ſuæ, ſe immolat gladiis hoſtium. p.378.c.2
Codri nobilitas adeo æſtimata, fuit vt abierit in prouerbium. ibid.
Cœna dicta charitas. p.319.c.2
Cœna Chriſti quare dicatur communio. p.320.c.2
Cœna Chriſti, eſt cœna amoris. p.321.c.1
Cœna quid fuerit olim. p.342.c.1
Cœna fuit veſpere inſtructa, & quale hoc myſterium ſignificet. ibid.
Cœna fuit lautior apud Romanos olim, aliis refectionibus. ibid.
Cœna Chriſti quare facta noctu. p.343.c.1
Cœnæ duæ à Chriſto celebratæ. p.347.c.1
Cœna vſualis nocte celebrata. ibid.
Cœnæ Chriſti typus egregius. p.355.c.2
Cœna dodecatheos quænam. p.354.c.2
Cœna Regis Perſarum luculenta. p.374.c.1
Cœna vna ſola Regis Xerxis prouincias redigebat ad ſummam inopiam. ibid.
Cognitio ſui, quàm ſit efficax ad virtutum omnium praxim. p.529.c.2
Cognitio omnis eſt naturalis, aut ſupernaturalis à Deo infuſa. p.64.c.1
Cognitionem ſui, ne comparet homo, modis omnibus obſtat dæmon. p.78.c.1
Cognitionis ſui commoda. p.79.c.2
Cognitio ſui multum confert ad reuocandum animas ad meliorem frugem. p.79.c.1
Coliphion erat olim genus panis, quo veſcebantur athletæ, robur concilians. p.281.c.2
Commeſſari quid ſignificet. p.342.c.2
Comœdia vnde fuit ſic nuncupata. p.342.c.2
Communio ſpiritualis, quo apparatu, & cautione debet fieri. p.211
Compunctionis effectus. p.529.c.2
Concordia Deum conciliat. p.114.c.1
Concordia, lex eſt Chriſti. p.304.c.2
Concordiæ amantiſſimus S. Ludouicus. p.304.c.1
Confeſſionem eſſe neceſſariam reis adultis, quibus argumentis aſtruatur. p.67.c.1
Confeſſionis neceſſitas iterum probatur. p.172.c.2
Confeſſio Deum peccatori conciliat. p.67.c.1
Confeſſio quando fiat irrita. p.110.c.2
Confeſſionis efficacia. p.172.c.2
Confeſſionis encomia. ibid. & p.253.c.1
Confeſſio pudorem neſcit. p.173.c.2
Confeſſionis erubeſcentia Sacramento nihil detrahit, imò eſt ſalutaris. p.173.c.1
Confeſſio eſt neceſſaria ad ſumendam Euchariſtiam homini graui crimine præpedito. p.172.c.2
Confeſſio eſt de præcepto. p.253.c.2
Confeſſionem, quænam debeant excipere, vt illa ſuum ſortiatur effectum. p.255.c.1
Confeſſio ſalutaris hominem ſollicitat ad praxim omnium virtutum. p.262.c.2
Confeſſione facta, manet adhuc fomes peccati, id eſt propenſio ad malè agendum. p.272.c.1
Confeſſio eſt nulla niſi deſeratur affectus rerum noxiarum. p.275.c.2
Confeſſionis efficacia. p.467.c.2
Coniecturæ leges tacitæ ſunt. p.677.c.2
Coniugum quale ſit officium. p.49.c.1
Coniugum ſepulchrum ſit idem. p.678.c.1
Coniuges, quare poſt fata ſuprema ſimul ſint tumulandi. ibid.
Coniugum amicitia, non eſt humana ſolum, ſed etiam eſt à Deo ſancita. p.672.c.2
Conradus Rex Neapolitanus, qua ſeueritate ſuos ſubditos rebelles coërcuit. p.419.c.1
Conſentire quid ſit. p.674.c.1
Conſolationes veræ, & ſinceræ animæ, vnde ſuum ortum accipiant. p.508.c.2
Conſortia mala fugienda, quia inducunt ad peccandum. p.127.c.1.& p.190.c.2
Conſortia tales homines efficiunt, quales ſunt illi, quibus vtuntur. p.659.c.2
Conſortia bonorum ſunt expetenda. p.660.c.1
Conſtantia Sanctæ Paulæ viduæ Romanæ, ſæculum abdicando. p.93.c.2
Conſtantinus Magnus poſt inſignem victoriam Deo refert omnem gloriam. p.56 c.1
Conſtantinus Magnus quare idola omnia comminuit. p.59.c.1
Conſtantino infanti vrbs Conſtantinopolitana iurat obſequium. p.4 c.1
Conſuetudo mala diris nexibus ſic homines obſtringit, vt ab his ſe nequeant expedire. p.62.c.1
Conſuetudo quæuis eſt potens. p.93.c.1
Conſuetudinis malæ pernicies. ibid.
Conſuetudo mala, quomodo reſcindenda. p.530. col.1
Contraria quænam dicantur apud Philoſophos, & quare. p.61.c.1
Conuerſio animæ quomodo fiat. p.359.c.1
Conuerſio Auguſtini quot difficultates, & obices eſt perpeſſa. p.92.c.2
Conuiuium quare fuit ita dictum. p.311.c.2
Conuiuiis & præſertim lautis adeſſe Deos olim credidere Gentiles. p.319.c.2
Conuiuium eſt ſymbolum amicitiæ. p.319.c.2
Conuiuium, quid ſit. ibid.
Conuiuij laudes, & epitheta. ibid.
Conuiuia modica multum conferunt ad vitam lætam, & innoxiam. ibid.
Conuiuium quidpiam diuinum ſonat. pag.319. col.1
Conuiuium dixere quidam Gentiles, Deorum conciliabulum. ibid.
Conuiuæ olim quot erat. p.354.c.2
Conuiuas inuitandi modus erat varius, pro diuerſitate gentium. p.355.c.2
Conuiuæ quando coacti ad epulas. ibid.
Conuictorum nomina ſcripta in ſcheda. ibid.
Corona miſſa Reginæ Damaretæ. p 607.c.1
Corona Canuti Regis poſita ab ipſo ſuper caput Chriſti crucifixi. p.515.c.1
Corona regni Galliæ miſſa à Clodouæo Rege Summo Pontifici. ibid.
Corona ſpicea olim à priſcis Gentilibus oblata Dianæ. p.607.c.2
Corona triplex antiquitus quid deſignarit apud Ægyptios. p.566.c.1
Corona triplex Imperatori datur. p.566.c.2
Coronæ ſuſpenſæ pro foribus parentum quando natus erat primogenitus. p.569.c.1
Corona aurea Salomonis Regis, diſtincta fuit liliis. p.569.c.2
Corona Solem ſubobſcurum cingens, præſagit necem Domitiani Imperatoris. p.569.c.2
Corona Regum Galliæ, quando inaugurantur ſumitur ex altari. p.178.c.1
Corona duplex imminens menſæ panum propoſitionis, quid notabat. p.177.c.2
Corona à quo fuit poſita in vexillo, vt militum animos excitaret. p.570.c.1

Coronæ tres in roſario Beatæ Mariæ Virginis, quid ſignificent. p.571.c.2
Coronam regiam horruit Dauid oblatam ab homine ſicario. p.572.c.1
Corona Deiparæ Virginis, qua puritate debet recitari. ibid.
Corona nequit ſtare cum ſeruitute. p.625.c.2
Corona Regis Scotiæ, ab illo fuit ablata ſtatim atque fuit captus in bello. ibid.
Corporis & animæ conflictus, vt perpetuus eſt, ita raras indulget inducias. p.26.c.1
Corpus importunum fuit & moleſtum, & quamdiu Paulo Apoſtolo. ibid.
Corpus eſt ſeminarium infirmitatum. ibid.
Corpus vt ingratum, eſt iniurium animæ, cui graue faceſſit negotium. p.26.c.2
Corporis cura nimia eſt deponenda homini, qui anhelat ad perfectionem. ibid.
Corpus quot modis dicitur. p.84.c.1
Corporis vita quomodo propagetur. p.168.c.2
Corpora vegetat Sol. p.169.c.1
Corporis ſarcina grauis eſt animæ. p.400.c.1
Corporis partes quænam ſint, quæ principes à medicis nuncupantur. p.512.c.2
Coruina vox eſt, cras, cras. p.468.c.2
Correctionis neceſſitas aſtruitur. p.511.c.2
Correctio fiat ab innoxiis. ibid.
Correctio fiat manſuetè. ibid.
Correctio indiſcreta qualis ſit. p.512.c.1
Criſis ratio vnde ſit petenda. p.53.c.2
Criſis infirma eſt adiuuanda. p.66.c.1
Criſis optimæ ſigna. p.88.c.2
Crux viam ſternit ad imperium, vt exemplo liquet. p.151.c.1
Crux eſt currus triumphalis Chriſti. p.190.c.2
Crucis, & Domini Ieſu crucifixi deuota, & moralis conſideratio. ibid.
Crucifixus quare nudus. ibid.
Crucifixi triumphus qualis. p.291.c.1
Crucis ſequaces, & baiulos quærit, & amat Dominus Ieſus. p.308.c.1
Crucifixum relinquere inglorium eſt. ibid.
Crucifixus eſt Chriſtianis exemplum patiendi, & præmium. ibid.
Cryſtallus vnde fiat, & quare nuncupetur eo nomine. p.578.c.2
Cubicularij Auguſtæ quibus priuilegiis, & honoribus digni ſint. p.681.c.1
Cubiculo Imperatoris aſtantes, habent, & ſua priuilegia, & honores. ibid.
Curioſitas eſt arcenda à ſacris. p.251.c.1
Currendum ſic eſt in ſtadio virtutum, vt tandem aliquando metas attingat homo. p.409.c.2
Currendum eſt, & non ſiſtendum in via Dei. ibid.
Curtius Romanus eques, quare ſe ſe præcipitem miſit in hiantem voraginem. p.270.c.1
Cygnus non edit panem ſi ſuppetit aqua donec eum intingat aquis. p.257.c.1

D

DApiferi quinam erant olim. p.373.c.1
Danduli Legati Venetorum apud Summum Pontificem, facinus egregium. p.356.c.1
Decalogi obſeruatio neceſſaria omnibus adultis hominibus volentibus ad vitam. p.304.c.2
Decalogi obſeruatio bona omnia conciliat animæ Chriſtianæ. p.486.c.1
Decretum quid ſit. p.446.c.2
Dedicatio templi celebranda. p.595.c.1
De finitio quid eſt. p.30.c.2
Dea Flora quænam ſit. p.591.c.2
Dea Ceres qualis erat. p.590.c.1
Dea Fatua quare ſic dicta. p.598.c.1
Dea Egeria quænam fuerit. ibid.
Dea Fluonia dicta à ſanguinis profluuio quod poſt partum ſiſtere credebatur. ibid.
Dea Lucina. ibid.
Dea Educa. ibid.
Dea Potina. ibid.
Deus quale ſit ens. p.25.c.1
Dei nomen vnde Græci deducant. p.2.c.1
Dei nomen apud Hebræos, ex qua radice fluat, & quid ſignificet. ibid.
Dei potentia bifariam conſiderari poteſt. p.19.c.1
Deus eſt fons omnium bonorum. p.25.c.1.
Deus quare incarnatus. p.30.c.1
Dei nomen quatuor literis exprimitur apud multas nationes varij idiomatis. p.30.c.2
Deus ſolus ſe nominari poteſt. ibid.
Deus quorum ſit Dominus. p.50.c.2
Dei encomia. p.57.c.2
Dei imago fuit de induſtria facta de marmore nigro, & quid hoc ſignificet. p.165.c.2
Deo inconſulto nihil aggrediendum. p.250.c.1
Deus quàm ſuauis ad fruendum. p.271.c.1
Deus ſolus, vt plenè ſui notitiam habet, ita ſolus ſe nominare poteſt. p.280.c.2
Deus dictus, ſibi ſufficiens. p.393.c.2
Deus quare ſit omnia. p.394.c.1
Deus eſt, totus manus, totus oculus, & totus pes, & quid hoc ſignificet. p.394.c.1
Dei attributa eleganter deſcripta. ibid.
Deus eſt lux inacceſſibilis. p.395.c.1
Deus eſt omniſcius. ibid.
Dei naturam Cicero inueſtigans, quot blaſphemias & deliria eructarit. ibid.
Dei fortitudo qualis nam ſit. p.394.c.2
Dei ſimulacra olim erant haſtæ, & quid inde priſca ætas deſignarit. ibid.
Deo adhærendo, calet homo. p.396.c.1
Dei tituli eminentes ex Auguſtino. p.396.c.2
Deus eſt omne bonum. ibid.
Deus eſt fons inexhauſtus gratiarum. ibid.
Deus eſt illud omne quod ſatiare poteſt omnia omnium hominum vota. ibid.
Deus diuerſimode ſuam præſentiam, pro diuerſitate rerum exhibet. p.486.c.2
Dei effectus in anima, quam ille ſuæ gratiæ participem facit. p.493.c.1
Deus vt perfectè bonus, ita plenè ſui etiam eſt diffuſiuus. p.533.c.2
Deo excepto nihil poteſt animæ inceſtæ plenum dare refrigerium. p.544.c.1
Deus quare velit abundè ſibi munera ab hominibus offerri. p.606.c.2
Dei honores, quinam ſuperbi, & delirí homines affectarint. p.647.c.2
Deſerti laudes, & encomia. p.74.c.2
Deſperatio Catonis Vticenſis, vnde ſuam habuit originem. p.626.c.2
Deſperatio Danidis Ducis Venetorum, quare necem ei conſciuit. ibid.
Diaboli lapſus deſcriptus, ſub figura Regis Tyri, hominis ſuperbi. p.20.c.1
Diaboli conamina in ſanctos irrita ſunt, & quare gratis eos tentent. p.542.c.2
Diaboli cum coruo comparatio. p.78.c.1
Diaboli lapſus, quare ſicut hominis caſus non fuerit à Chriſto reparatus p.18.c.2

Diaboli technæ & artes, vt reprobos cogitantes emendationem decipiat. p.68.c.1

Diaboli peccatum fuiſſe graue, & atrocius peccato hominis aſtruitur. p.19.c.1

Diabolus quandoque recedit ab homine, vt incautum rurſus acrius impugnet. p.68.c.2

Diaboli bellum cum homine perpetuum eſt, nec vllas patitur inducias. ibid.

Diaboli inſidiæ, & artes lineatæ eleganti figura. p.68.c.1

Diaboli inſidiæ ſunt metuendæ. p.68.c.2

Diaboli aſtutia in tentandis hominibus eſt tanta, quanta poteſt eſſe maxima. p.75.c.1

Diaboli, & diuitiarum nomen idem eſt. p.79.c.2

Diabolus vt princeps tenebrarum, ſemper orditur à tenebris. p.78.c.1

Diaboli aſtutia, vt Spiritum ſanctum expellat ab anima quam inhabitat. p.160.c.2

Diabolus in quot aſtutias ſe intorquet, quando virus ſuum inſtillat. p.192.c.1

Diabolus quando mala vult homini ſuggerere, mores eius explorat. ibid.

Diabolus quare beſtia nuncupetur. p.436.c.1

Diabolo viam in animas ſternit omne lethale crimen. ibid.

Diabolus quare dicatur ſerpens. p.599.c.2

Diaconi vnde dicti. p.324.c.1

Dianæ Epheſinæ templum olim famoſiſſimum, & magnificum. p.109.c.2

Diana culta more ferarum. p.589.c.2

Dianæ templum olim ſubire nefas, niſi nudis pedibus. p.607.c.2

Dianæ tributum olim religioſè fuit penſum ſingulis annis. ibid.

Dicere, Deo perinde ſonat ac intelligere apud omnes Theologos. p.2.c.1

Digeſtio quomodo fiat. p.190.c.2

Diligentia quàm ſit laudabilis. p.84.c.1

Diligentia ſectanda. p.174.c.2

Diocletianus Imperator, quare libros omnes ſacros combuſſit. p.8.c.2

Dioptra quid ſit. p.611.c.2

Diſcretio eſt abſolutè neceſſaria, ad cuiuſuis virtutis perfectionem. p.541.c.1

Doctores quantùm ſint honorandi. p.122.c.1

Doctores hunc titulum comparare debent, actione magis, quàm nomine. p.11.c.2

Doctor non ambitioſo eloquio docere debet, ſed opere, & exemplo. ibid.

Doctoris exemplum eſt Abbas Pæſius. p.14.c.1

Doctrina ſine opere, eſt hiulca, neque fidem ſic conciliare poteſt. p.133.c.2

Dominationis amor perniciosus eis, qui eo nequiter exarſerunt. p.51.c.1

Dominia rerum vnde ſint. ibid.

Dominium directum quale ſit, & quomodo ab aliis diſtinguatur. p.52.c.2

Dominium plenum quid ſit, & quinam illud habeant. ibid.

Dominos quare Deus inſtituerit, vt aliis præſint hominibus. p.15.c.1

Dominorum in alios homines iura, quàm varia ſint, & multa. p.15.c.2

Dominus quomodo à Græcis nuncupetur, & quid vox Græca ſignificet. p.51.c.2

Dominus, nomen eſt Latinum, quid vero deſignet & vnde deriuetur, vide pag.9. c.2. & pag.51. col.2

Domus à quocunque fuit ædificata, eius erit, cuius eſt ſolum. p.622.c.1

Dona quædam reuelatória appellabant veteres, & quænam eſſent. p.67.c.1

E

EBrietas quid ſit. p.313.c.1

Ebrietas rixarum parens. ibid.

Ebrietas Alexandri Regis Macedonum in quas eum tragœdias adduxit. ibid.

Ebrietas hominem ſpoliat omni humanitate, trucem vt beſtiam efficit. p.313.c.2

Ebrietatis, quàm crudeles atque diri ſint effectus liquidè demonſtratur. ibid.

Ebrietas Loth hominem iuſtum horrendo facinori obſtrinxit. ibid.

Ebrietas ab homine, quem inceſſit expungit imaginem Dei. p.314.c.2

Ebrietas linguam aptat ad effutiendas ſtultè voces multas inſanas. ibid.

Ebrietas vt eſt imprudens, & garrula, ita multa detegit arcana. ibid.

Ebrietas eſt ſpecies inſaniæ. p.316.c.1

Ebrietas multis fœta malis, eſt omnium vitiorum parens. ibid.

Ebrietas luxuriam accendit. ibid.

Ebrietas, vt multos, eoſque crudos humores generat, ita fit iniuria ſanitati. p.316.c.2

Ebrietas eſt plurium morborum ferax, quando ei homo indulget. ibid.

Ebrietas vt eſt corpori inimica, ita quoque bona diſſipat. p.317.c.1

Ebrietatem cane peius, & angue Reges Indi, & Perſæ oderunt. p.318.c.1

Ebrietas Iure Canonico clericis interdicta velut inglorla ſorti eorum. ibid.

Ebrius quidam egregio & peracuto ſcommate confixus à Diogene. p.316.c.1

Eccleſia eſt domus Dei. p.406.c.2

Eccleſia potioribus gratiis dignata fuit à Christo, quàm Synagoga. p.381.c.1

Eccleſiam nuncupauit olim, idque iure Ioannes Damaſcenus. p.5.c.2

Eccleſia vbinam militet. p.7.c.2

Eccleſia vbinam peregrinetur. ibid.

Eccleſia vbinam vigilet. p.8.c.1

Eccleſiam tentauit olim Iulianus Apoſtata ignorantiæ tenebris opacare. p.8.c.2

Eccleſia quare nuncupetur à Domino Ieſu, puſillus grex. p.80.c.2

Eccleſiæ varia ſunt membra. p.84.c.2

Eccleſiæ Romanæ dignitas. p.118.c.2

Eccleſiæ quondam fabricatæ in monte Oliueti mira ſingularitas. p.140.c.1

Eccleſia multis titulis, & priuilegiis prælata fuit Synagogæ. p.154.c.1

Eccleſia ſancta noua nomina reperit, ad res veteres exprimendas. p.187.c.2

Eccleſia ſancta locum medium tenet inter Synagogam, & Ieroſalem cæleſtem. p.344.c.2

Eccleſiæ ſanctæ fuit quondam Synagoga velut rudimentum. ibid.

Eccleſiæ noſtræ ſupra Synagogam fuere plures tituli, & dignitates. ibid.

Eccleſia noſtra fuit dignior Synagoga, & quare. p.345.c.2

Edoardi II. Regis Angliæ mors violenta, nobis quidpiam morale clamat. p.526.c.1

Educa quondam Dea Gentilium, quam gratiam credebatur infantibus impertire. p.598.c.1

Effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ. p.132.c.1

Eleazari

Eleazari magnanimitas. p.126.c.2
Elecłionis rectitudo vt ſit perfecta multas cautiones prærequirit. p.545.c.1
Eleemoſyna non conſiſtit in largiendis tantum opibus, ſed & in aliis quæ habes. p.510.c.2
Eleemoſynæ genera quot ſint. ibid.
Eleemoſynæ tres faciendæ. p.515.c.1
Eleemoſynæ non ſunt omnes corporales, ſed & ſunt aliæ ſpirituales. ibid.
Eleemoſyna qualis eſſe debet, vt illa ſuis ſit numeris omnibus abſoluta. p.104.c.1
Eleemoſynæ dignitas. p.104.c.2
Eleemoſynæ commoda. p.86.c.2
Eleemoſynæ largæ Beatam Paulam Viduam Romanam maximè commendarunt. p.88.c.1
Eleemoſynæ cum oleo comparatio, quibuſnam rationibus innitatur. ibid.
Eleemoſynæ bonitas vnde ſit petenda. p.90.c.1
Eleemoſynam erogans ſedulò inuigilare debet, ne vana gloria irrepat. ibid.
Eleemoſyna cautè debet conſulere pudori hominum egenorum. p.91.c.1
Eleemoſynæ efficacia quanta ſit in gratiam animæ illam erogantis. p.103.c.2
Eleemoſynam vltro viris omnibus indigis Turcæ erogant ſine diſcrimine. ibid.
Eleemoſynæ Zenonis Imperatoris, eripuerunt illum iræ Dei. p.103.c.2
Eleemoſynæ factæ ſicut par eſt, quidam effectus ſalutares recenſentur. p.510.c.1
Eleemoſynam erogandam eſſe, quibus præſertim rationibus conſtet. p.510.c.2
Elephantis inertia, quibus artibus acuatur ad certamen ineundum. p.185.c.1
Elizabeth filiæ Regis Galliæ tranſitus in Hiſpaniam quàm mœſtus extiterit. p.63.c.1
Elizabeth cunctantem exire ſua ex patria, conſideratio coronæ imminentis ſolata eſt. ibid.
Eminenter vt aliquid ſit in alio, multis opus eſt conditionibus quas vide p.72.c.2
Epaminondas militem dormientem in ſtatione occidit, & facetè necem hanc expreſſit. p.20.c.2
Epiſcopus quare ſic dictus. p.7.c.2
Epiſcopi perfectè ſuas vices agentis qualis eſſe domus debeat. p.129.c.1
Epiſcopi à Deo habent illud omne, quo cenſentur aliis eminere. p.14.c.2
Epiſcoporum cum Chriſto relatio quibuſnam rationibus innitatur. p.14.c.1
Epiſcoporum ſublimitas ad quam celſitudinem aſſurgere videatur. p.14.c.2
Epiſcoporum dignitas ab vtroque Iure maximè commendatur. ibid.
Epiſcopis annulus datur, & quid hoc myſticè ſignificet. p.16.c.2
Epiſcoporum poteſtatem eſſe magnam, quænam rationes aſtruant. ibid.
Epiſcopus ſe præſtare debet ideam, & exemplum virtutis omnimodæ. p.11.c.2
Epiſcopus gallo gallinaceo comparatus, & ratio comparationis huius. p.12.c.1
Epiſcopi Dei vices agunt in his quæ attinent ad ſalutem, & regimen animarum. p.14.c.1
Epiſcoporum dignitas vnde ſuam petat ſublimitatem. p.8.c.1
Epiſcopus dicitur à verbo ἐπισκοπεῖν, & quid hoc ſignificet. p.7.c.2
Epiſcopi negligentis erga clerum, pœna qualis olim ſit decreta. p.8.c.1
Epiſcopi [illegible] debent induſtrium ſymbolum
Ioannis Regis Angliæ. p.8.c.1
Epiſcopi debent aliis prælucere. ibid.
Epiſcoporum incuria ſtrauit iter hæreticis, qui vt lupi rapaces ingreſſi ſunt in ouile Chriſti. p.8.c.2
Epiſcoporum inertia quantas edit ſtrages hæreſis in Eccleſia. p.9.c.2
Epiſcopus qui eſt reuera talis, quale munus obire debet in Eccleſia. p.8.c.2
Epiſcopus ſi perfectè velit, vti par eſt ſuas obire vices prædicare debet. ibid.
Epiſcopi prædicatio, non verborum pompa debet inſtrui, ſed opere congruo comprobari. ibid.
Epiſcopus eligendus præ aliis virtutibus, caſtitate debet aliis eminere. p.9.c.1
Epiſcopi ordinationem, quænam cautiones debeant anteire. ibid.
Epiſcopi quare debeant præ multis aliis in dignitate conſtitutis honorari. ibid.
Epiſcoporum obligatio ad prælucendum aliis, quibus rationibus innitatur. p.9.c.2
Epiſcoporum dignitas, & poteſtas abundè ſolet exprimi congruis epithetis, quæ habes. ibid.
Epiſcoporum tituli quales. ibid.
Epiſcoporum munia tot ſunt, eos obſtringentia, vt reuera ſalus eorum ſit dubia. ibid.
Epiſcopus in ſolio poſitus tanquam in ſpecula, vt ſpeculatoris agat officium. ibid.
Epiſcopus, dicitur Dominus, & quid potiſſimum vox illa ſignificet. ibid.
Epiſcopi quare vocentur Angeli, & quid inde debent colligere. p.10.c.2
Epiſcopi dicuntur vigiles, & videntes, quia penes vigilias eſt ſumma eorum officij. ibid.
Epiſcopi figura diues proſtat in Patriarcha Iacob agente curam gregis Labao. p.11.c.1
Epiſcoporum lingua qualis eſſe debet, ſi perfectè ſuo velint officio perfungi. ibid.
Epiſcopi vt tali dignitate ſint digni, qualem habere debent ſcientiam. p.12.c.1
Epiſcoporum ſymbolum quale, quo exprimuntur ea quæ illis conueniunt. p.13.c.1
Epiſcoporum dignitas, quantis honorariis titulis explicetur. ibid.
Epiſcopi perfecti qua ratione typum expreſſerit Gregorius Thaumaturgus. p.13.c.2
Epiſcopi quando ſunt in habitu, quare ſuum caput non aperiant. p.15.c.2
Epiſcopi ſuffecti in locum Apoſtolorum, & inde liquet quantæ ſint dignitatis. ibid.
Epiſcopos quare nemo debeat temerè iudicare, ne delinquat. p.16.c.1
Epiſcopi quare præ cæteris ſint præcipuo honore proſequendi. p.17.c.2
Epiſcoporum penſum ex officio, quare ſit alios perficere. p.118.c.2
Epulæ quales in paradiſo fuere à Deo primis hominibus inſtructæ. p.375.c.2
Epulæ ſecundæ quales à Deo hominibus apparatæ poſt diluuium. ibid.
Epulæ ſplendidæ, & lautæ, quot conuiuas olim communiter admittebant. p.354.c.2
Epulis opiparè inſtructis, quot volebat Plato homines aſſidere. ibid.
Epulæ Heliogabali Imperatoris, quàm inſulſæ, & ridiculæ, in opprobrium conuiuarum. ibid.
Epulæ Sybaritarum, omnium voluptatum illecebris erant infames. p.355.c.1
Epulæ Pompeij Magni non fuere ſolùm magnificæ, ſed luxu etiam diffluentes. ibid.
Epulæ Adonibeſech crudeles, & [illegible]

eò traductis ingloriè. p.356.c.2
Epulæ Regum Parthorum quales. ibid.
Epulæ Philodami lautæ, quibuſnam olim fuere cibis inſtructæ. p.357.c.2
Epulę iniquorum hominum multas ob rationes ſunt cauendæ. ibid.
Epulæ quales præ aliis potiſſimum, ſint à probis hominibus fugiendæ. p.358 c.1
Epulæ ratione cibi ſuperflui, & propinati vini plus nimio, ſunt vitiis oboxiæ. ibid.
Epulas Iob vt ſuſpectas habuit, ita mala in eis commiſſa victimis expiabat. ibid.
Epulas religione quadam præcedebat olim multiplex corporis ablutio. p.359.c.2
Epularum priſcis olim ſæculis, quales erant præcipuæ dapes appoſitæ. p.373.c.2
Epulis Abidenorum frequentes olim coronæ apponebantur, & ferculis, & conuiuis. p.169 c.2
Epulæ Perſarum liberalitate inſignes, illic enim larga munera donabantur. ibid.
Epulæ Reginæ Eſther fuere ſalutares Hebræis, alioquin miſerè trucidandis. p.176.c.2
Epulæ illæ quibus Damocles aſtitit, eſto cibis lautis inſtructæ, tamen fuere plenæ horrore. p.242.c.2
Epulis Neſtor olim iuſſit apponi mel, & quid inde voluit deſignare. p.243.c.1
Epulis Turcæ ſolent aſſiſtere induti ſuis veſtibus cultioribus. p.152.c.1
Epulis aſtantes olim coronati, præſertim apud eas gentes quas vide p.285.c.1
Epulas ſuas Abydeni in argumentum indubium amoris mutui oſculo concludebant. p.285.c.2
Epulæ ſuauitate ſua pelliciunt homines conuiuantes, ad eadem vota. p.311.c 2
Epulæ fuerunt infauſtæ Regi Agammemnoni proditoriè occiſo. ibid.
Epulæ Veſpaſiani funeſtæ. ibid.
Epulæ quænam celebres, & lautæ Romanis olim fuerunt infauſtæ. p.312.c.1
Epulæ regiæ Abſaloois fratricidæ humano ſanguine cruentatæ. ibid.
Epularum effectus eſſe malos, & pernicioſos quàm multæ probant rationes. p.312.c.2
Epulis etiam quandoque viros aliunde probos decipi conſtat. ibid.
Epulæ, & præſertim lautæ, quare viris ſanctis, fuerint ſuſpectæ. p.314.c.1
Epulis ſe nunquam adfuturum, voto ſe ſolemni Ambroſius obſtrinxit. ibid.
Epularum primum auctorem fuiſſe Deum credidere quædam Gentes. p.319.c.2
Epulæ creditæ ab antiquis fouere natas in hominibus amicitias. p.320 c.1
Epulæ beneuolentiæ templa. ibid.
Epularum finis qualis ſit. ibid.
Epulas vetabant olim tyranni, ne quando ciues ibi agerent de ſuccutiendo iugo. ibid.
Epulas quales olim Italus inſtituerit in Italia, & quibus erant dapibus inſtructæ. p.321.c.1
Epulis Minos olim qualia fercula voluit apponi. ib.
Epulæ Romanis olim percelebres, dapibus, & omnigeno luxu abundantes. ibid.
Epulantes olim Germani, contractas inimicitias veteres exuebant. ibid.
Epulantes olim Scipio, & Haſdrubal inueterata odia poſuerunt. ibid.
Epulantes olim Xerxes, & Arthemenus, non compoſuere ſolùm ſimultates, ſed & iniere fœdus amicitiæ. ibid.
Epulando graues diſcordias exortas inter viros illuſtres extinxit Cuſpinianus. ibid.
Epulas, & ſacra ſimul voluerunt eſſe quædam Gentes, vt luxum religionis titulo prætexerent. p.325.c.2
Epulas fuiſſe Dei indulgentia conceſſas hominibus quædam Gentes olim arbitratæ ſunt. ibid.
Epulari nefas eſſe quædam credidere Gentes niſi epulæ in honorem Deorum inſtruerentur. ibid.
Epulando ritus Agni Paſchalis, ex inſtituto Dei fuit celebratus ab Hebræis. p.325.c.2
Epulando Pentecoſtes olim feſtum lautè fuit celebratum à Iudæis. ibid.
Epulando opiparè Iudæi feſtum Tabernaculorum quotannis peragebant. ibid.
Epulæ fuere adiectæ celebri feſto Iudæorum inſtituto aliàs à Mardochæo. ibid.
Epulas ſolennes inſtituunt Feſſani quando ſuos infantes circumcidunt. p.328.c.2
Epulas opiparas inſtruunt Turcæ quando ritu Mahometico ſuos infantes initiant. ibid.
Epulæ Æthiopum quando ſuos infantes incipiunt ad Mahometiſmum educare. ibid.
Epulæ natalitiæ quales erant, & qua intentione fuerint aliàs inſtitutæ. ibid.
Epulæ natalitiæ magno apparatu & pompa celebratæ apud Ægyptios. p.328 c.2
Epulæ natalitiæ quondam à Perſis vſitatæ cum maximo faſtu. ibid.
Epulæ natalitiæ Marci Antonij Triumuiri, quàm lautæ, & ſuperbæ. p.329.c.1
Epulæ celebres, & ſolemnes in die primo conditæ vrbis Romæ. ibid.
Epulas natalitias Hebræos celebraſſe liquet pluribus exemplis. ibid.
Epulas natalitias quare ſæpe Clytus anno, quaſi die illo natus celebrabat. ibid.
Epulas natalitias celebranti, omnes qui diſcumbebant munera dabant. ibid.
Epulæ faſtuoſæ à Perſis inſtitutæ ob regnum aliàs partum, & adeptum. p.334 c.1
Epulæ Hortenſij quales. ibid.
Epulas ſolemnes inſtituit Propheta Samuel in gratiam Saulis inungendi. ibid.
Epulæ Iulij Cæſaris primi Imperatoris deliciis omnibus affluentes. ibid.
Epulæ Caligulæ, & Aureliani Imperatorum, quàm fuerint opiparæ. p.334.c.2
Epulæ vt ſint ſuaues, & modeſtæ, probos tantùm conuiuas admittunt. p.350.c.2
Epulas Cicero fugiebat vbi diſcumbebant homines inglorij, aut nequam. ibid.
Epulæ Piſonis, & Tiberij infames, quia in his peſſimi quique homines aſſidebant. ibid.
Epulis Perſarum adeſſe, viris quibuſnam eſſet olim fas, & licitum. p.350.c.1
Epulæ Hebræorum, quibus olim cæremoniis & ritibus apparatæ. p.450.c.2
Epulas Chaldæi olim, qua pompa, & faſtu eſſent ſoliti celebrare. p.351.c.1
Epulæ Dauidis quales olim, & quibuſnam conuiuis inſtructæ. ibid.
Epulæ Tobiæ charitatis intuitu ſtratæ, bonis tantum hominibus erant peruiæ. p.352.c.2
Epulis adeſſe fuit olim prudenter, & cautè vetitum mulieribus. p.352.c.2
Epulis accumbere, noluere viros ſeruituti addictos, priſcæ gentes. p.353.c.1
Epulis intereſſe poterant pueri, præſertim nobiles,

biles, & ingenui. p.353.c.2
Epulæ Trœzeniorum, & Babyloniorum, quales olim extiterunt. p.353.c.1
Epulis ſe immiſcentes non vocati, quomodo nuncupantur apud veteres. p.356.c.2
Epulæ Athenienſium crudeles olim, vtpote humano ſanguine redundantes. ibid.
Equitis cuiuſdam Melitenſis mors ingloria, & quæ cauſa talis fati. p.83.c.2
Eſſentiæ, qua ratione dici poſſunt eſſe prorſus incommunicabiles. p.39.c.2

Euchariſtiæ realitas.

Euchariſtiæ realitas quibus argumentis, & rationibus aſtruatur. p.179.c.1
Euchariſtiæ realitas probatur ex reuelatione Sanctæ Thereſiæ. p.164.c.2
Euchariſtiæ realitas probatur miraculis editis eo fine. p.166.c.2
Euchariſtiæ realitas vt credatur ab homine, fidei donum prærequirit. p.167.c.2
Euchariſtiæ realitas, multis olim adumbrata fuit typis, & figuris. p.166.c.2
Euchariſtiam, vt adorandam impensè colunt omnes populi Chriſtiani. p.166.c.1
Euchariſtiam argumenta quędam hæreticorum impugnant, quorum ſolutionem vide. p.181.c.2
Euchariſtiæ realitatem v..i.m luculenter aſtruit Damaſcenus. p.384.c.2
Euchariſtia ſub panis ſpeciebus habet Verbum abbreuiatum ſuper terram. p.182.c.1
Euchariſtiam ſpectant obſeruationes quædam ſingulares petitæ ex Aſtrologia. p.199.c.1
Euchariſtiæ myſterium, eſt opacis tenebris inumbratum. p.251.c.1
Euchariſtiæ realitas luculento teſtimonio Sancti Cypriani comprobatur. p.328.c.1
Euchariſtia continet eumdem Dominum Ieſum, qui ſe in cruce Patri obtulit. p.355.c.1
Euchariſtiam quare Deus voluerit inſtitui ſerò, & non manè. p.347.c.2

Euchariſti vt eſt Sacramentum.

Euchariſtia in quibus præcipuè differat ab aliis Sacramentis. p.238.c.2
Euchariſtia vt eſt Sacramentum habet multa ſcitu digna, quæ habes p.238.c.1.& 2
Euchariſtiæ Sacramentum, quare fuit inſtitutum ſub ſpeciebus panis, atque vini. p.238.c.1
Euchariſtiæ Sacramentum, quot alia Sacramenta titulis antecedat. p.239.c.1
Euchariſtia præ aliis Sacramentis eſt Sacramentum vnionis. p.285.c.2
Euchariſtia præ aliis Sacramentis, eſt Sacramentum pietatis. p.321.c.2

Euchariſtia ſumptio.

Euchariſtiæ aſſumendæ præire debet animæ iuſtæ quies, & lætitia p.366.c.1
Euchariſtiam indignè aſſumentes, quibuſnam ſe ſupplicis obſtringant. p.366.c.2
Euchariſtiam quidam indignè ſumens repentina morte luit ſcelus. p.240.c.1
Euchariſtia indignè ſumpta, reos multis pœnis deuincit. p.240.c.2
Euchariſtiam indignè ſumentes multi periere, quorum hiſtorias vide. ibid.
Euchariſtia miniſtrata infanti, quare diris eum torſit ſuppliciis. p.241.c.1
Euchariſtia qua cautela, & apparatu præuio debet ſumi ab homine. p.369.c.2
Euchariſtia cautiones præiequirit ſingulares, vt dignè aſſumatur. p.172.c.1
Euchariſtia vt dignè aſſumatur prærequirit confeſſionem, ſi anima ſit in peccato lethali. p.172.c.2
Euchariſtia aſſumenda petit lacrymas præuias, quibus anima dealbetur. p.174.c.1
Euchariſtiæ cultor ſingularis erat Ludouicus XI. Rex Chriſtianiſſimus. p.177.c.1
Euchariſtiam coluit maximè domus Auſtriaca, inde ſuum accipiens incrementum. p.177.c.2
Euchariſtia quare datur laïcis hominibus, ſub vna ſolùm ſpecie. p.185.c.1
Euchariſtia trifariam conſiderari poteſt, iuxta varios reſpectus. p.184.c.1
Euchariſtia ſumpta quibuſnam hominibus ſit maximè ſalutaris. p.191.c.2
Euchariſtia ſumpta prodit amorem Dei ſingularem in homines. p.201.c.2
Euchariſtia aſſumenda petit animas ab omni lethali crimine repurgatas. p.206.c.1
Euchariſtia miniſtranda ſolis hominibus, qui odij ſunt expertes. p.235.c.2
Euchariſtia miniſtrata, quare ſolet communio nuncupari. p.236.c.1
Euchariſtiæ ſumptionem, quare ſolet præcedere pacis oblatio. ibid.
Euchariſtia eſt neganda viris, qui odere pacem, & concordiam. ibid.
Euchariſtia confecta ex pane, & vino notat vnionem animorum. p.236.c.2
Euchariſtiam ſumpturus Leo Imperator, diſtulit ſupplicium hoſtis ſui. ibid.
Euchariſtiam aſſumpturus Victor Piſanus publicè pepercit ſuis inimicis. ibid.
Euchariſtia quibuſnam præcipuè hominibus debeat adminiſtrari. p.239.c.2
Euchariſtiæ fit iniuria ab hominibus impiis indignè accedentibus. p.239.c.2
Euchariſtia quare ſit aſſumenda ab hominibus exiſtentibus in gratia. p.239.c.1
Euchariſtia refugit ab hominibus eam indignè accipientibus, vt probatur hiſtoriis. p.241.c.1
Euchariſtiam adminiſtrare quibuſnam præſertim hominibus nefas ſit. p.241.c.2
Euchariſtiam vt dignè recipiat homo, qua cautione debet ad eam accedere. ibid.
Euchariſtiam in vltima Cœna Domini Ieſu, Iudas acceperit necne. p.242.c.1
Euchariſtia cur terrere debet malos homines ad eam accedentes. ibid.
Euchariſtiâ aſſumptâ, quare debet anima paſta pane illo Angelico quieſcere. p.144.c.1
Euchariſtia quotidie ſumebatur olim à fidelibus, qui Miſſæ aſtabant. p.244.c.2
Euchariſtiam qua ratione, & apparatu præuio ſumpſit Conradus Imperator. ibid.
Euchariſtiam aſſumpturus homo, quibus ad eam ſe debeat orationibus accingere. p.250.c.2
Euchariſtiæ ſumptionem, ſerium examen conſcientiæ debet præcedere. p.251.c.2
Euchariſtia prærequirit ab homine compunctionem ob crimina perpetrata. ibid.
Euchariſtiæ præparatio qualis eſſe debeat, vt ſit ſuis numeris omnibus abſoluta. p.252.c.2
Euchariſtiam, qui dedignatur accipere, quanam pœna ſit mulctandus. p.254.c.1
Euchariſtiam ſacerdos, pœnitenti non temerè, ſed prudenter adminiſtret. ibid.
Euchariſtia quanam veſte ſit accipienda, vt decenter accipiatur. p.255.c.2
Euchariſtiæ præparatio figurata quibuſdam figuris

globi

globi cælestis. p.256.c.2
Euchariſtiam aſſumpturus homo debet lacrymis ſua crimina diluere. p.257.c.1
Euchariſtiæ percipiendæ tria principia, quæ ſuot digoa ſcitu. p.258.c.1
Euchariſtia quare petat exquiſitam animæ diſpoſitiouem. p.260.c.2
Euchariſtiam quare plerique ſumant, & inde nihil proficiant. p.261.c.1
Euchariſtiæ indignè acceptæ ab anima ſacrilega horrendum exemplum. p.262.c.1
Euchariſtiæ præparatio graphicè lineata in Iudith ſe volente ſiſtere Holoferni. p.263.c.1
Euchariſtiæ fames, ſeu deſiderium eſt optima diſpoſitio ad receptionem eius. p.266.c.1
Euchariſtia indignè ſumpta, quot clades inuehat in animam ſacrilegam. p.296.c.1
Euchariſtiam aſſumere deſiderans, excitare debet eius deſiderium. p.267.c.2
Euchariſtiæ præparatio exquiſita, benè figurata in Vria. p.269.c.2
Euchariſtia ne indignè ſumatur hominem obſtringit ad altum conſcientiæ ſcrutinium. p.273.c.2
Euchariſtiæ præparatio congrua, benè figurata io ſacrificio Eliæ. p.274.c.1
Euchariſtiæ ſumptio prærequirit accuratam meditationem Paſſionis Chriſti. p.277.c.2
Euchariſtia ab anima ſicut par eſt præparata poteſt quotidie accipi. p.282.c.1
Euchariſtia non neganda peccatoobus, ſi veram agant pœnitentiam. p.282.c.2
Euchariſtia quotidie accipienda ab hominibus, qui cautè ſibi inuigilant. p.285.c.2
Euchariſtiæ condimentum neceſſarium, eſt meditaöo agonum Chriſti. p.293.c.1
Euchariſtia ſumpta quales exigat ab anima Chriſtiaoa gratiarum actiones. p.298.c.1
Euchariſtia olim ex præcepto Eccleſiæ quotidie ſumebatur. p.307.c.2
Euchariſtiam olim infantibus Chriſtianis adminiſtrare ſolebant Æthiopes. p.329.c.2
Euchariſtiam dare ſolent infantibus Chriſtianis qui attigere ſeptennium. ibid.
Euchariſtia quando ſit accipienda. ibid.
Euchariſtia, ſaltem ter in anno, ſcilicet in præcipuis feſtis eſt ſumenda. p.330.c.1
Euchariſtiæ præparatio, vt ſit exquiſita, qualis eſſe debet. ibid.
Euchariſtiam accepturus quanam induſtria excitabit in ſe amorem Dei. p.330.c.2
Euchariſtiam aſſumpturus neceſſariò ardere debet amore Dei. p.331.c.1
Euchariſtiam quotidie accipere quinam homines legitimè poſſint. p.332.c.1
Euchariſtia tres diſpoſitiones prærequirit, abſque quibus non eſt accipienda. p.333.c.1
Euchariſtiam indignè ſumens quidam ſacrilegus derepentè fuit arreptus à Dæmone. p.333.c.2
Euchariſtiam nemo malè ſibi conſcius aſſumat, niſi præuio congruo apparatu. p.333.c.1
Euchariſtiam quinam homines accipere ſecurè, & impunè queant. p.354.c.1
Euchariſtia exigit ab anima humilitatis actus, antequam accedat ad altare. p.351.c.2
Euchariſtiam vt dignè ſumat homo, quomodo ſe ad eam debet accingere. ibid.
Euchariſtiam ſumpturus neceſſariò eſſe debet in ſtatu gratiæ. ibid.
Euchariſtia aſſumenda petit animas terſas, à næuis omnibus illibatas. p.354.c.1
Euchariſticæ menſæ quinam homines ſint digni, & capaces. ibid.
Euchariſtia aſſumenda petit puritatem cuius vide deſcriptionem. ibid.
Euchariſtiæ ſumptionem anteire debent tres pœnitentiæ partes. p.359.c.1
Euchariſtiæ ſumptio, à quibus hominibus, vt inuitatoribus ſuaderi debet. p.358.c.2
Euchariſtiam aſſumpturus, ita ſe exploret, vt careat ab impuris. p.363.c.1
Euchariſtia horret ab obſcœnis, ac proinde ſolis caſtis eſt miniſtranda. ibid.
Euchariſtia accipienda, quale ab accedentibus examen conſcientiæ prærequirat. ibid.
Euchariſtia attrectanda manus puriſſimas à Sacerdote petit. p.634.c.2
Euchariſtia aſſumenda petit ab homine lectulum floridum, cuius deſcriptionem vide p.369.c.2
Euchariſtiam aſſumpturus, mortificatione, & vita Ieſum crucifixum referat. p.370.c.2
Euchariſtia oon admittit fermentarios, & quinam ſint illi fermentarij. p.374.c.2

Euchariſtia effectus.

Euchariſtiæ ſumptæ miri ſunt effectus, & vitales, quos vide p.168.c.2
Euchariſtiæ nomen panis rectè fuit inditum, vt aliquot eius effectus inde nobis innoteſcerent. p.167.c.2
Euchariſtia accepta ſicut par eſt, conciliat ſumentibus vitam corporis, & animæ. p.168.c.2
Euchariſtię typus olim erat manna, cuius congruentias vide p.171.c.2
Euchariſtia ſumpta, ſuo cum debito apparatu, quomodo viuificet accipientem. p.175.c.2
Euchariſtia ſola accepta diu vixit Ludouicus Pius Imperator, & Rex Galliæ. p.176.c.1
Euchariſtia quotidie ſumpta cibus erat potiſſimus S. Catharinæ Senenſis. p.176.c.2
Euchariſtia ſumpta ſuis præuiis cautionibus, eſt etiam corpori ſalutaris. p.176.c.1
Euchariſtia ſumpta, pura ab anima ſuauem odorem afflat, & alios effectus edit. p.177.c.1
Euchariſtiæ acceptæ pia ab anima, ſingularis eſt virtus contra peccata. p.178.c.1
Euchariſtiæ virtutis expers eſt anima, quando ſumit eam indignè. p.182.c.1
Euchariſtiam quare ſacra Scriptura ſæpe panis nomine deſignet. p.188.c.1
Euchariſtia ſumpta ſicut decet ab homine compeſcit omnes motus prauos. p.236.c.2
Euchariſtiæ ſumptæ ſicut congruit, duplex eſt effectus, & vterque mirus. p.239.c.2
Euchariſtiæ, tituli honorarij, laudes præclaræ, & cocomia præclara. p.245.c.2
Euchariſtia ſumpta modo congruo, animam ditat, & quomodo. p.245.c.1
Euchariſtia accepta ſuis cautionibus præuiis, eſt præcipua hominis vita. p.246.c.1
Euchariſtia ritè figurata in coaſtellatione illa globi cæleſtis, cui nomen eſt ſpica virginis. ibid.
Euchariſtiæ inſtitutionem factam à Chriſto, quænam præludia præceſſerint. p.249.c.2
Euchariſtia ſicut arca fœderis eſt. Quippe nequit ſtare ſimul cum idolis. p.251.c.2
Euchariſtia non debemus abſtinere, eo ſolo nomine, quod ſumus ea indigni, vt peccatores. ibid.
Euchariſtia ſumpta ſicut par eſt ab anima pœnitente eſt remedium peccatorum. ibid.
Euchariſtia ingenioſè fuit adumbrata, ſymbolo ventilabri, cuius vide congruentias. p.257.c.2

Euchariſtiæ iniutius Seuerianus hæreticus, ſeuerè fuit a Deo caſtigatus. p.261.c.2
Euchariſtia ſumpta indignè ſuos ſalutares effectus non ſortitur in anima ſacrilega. p.262.c.1
Euchariſtia philtrum eſt amoris, homines ſolicitans ad mutuum amorem rependendum Chriſto. p.263.c.2
Euchariſtiæ inſtitutio, præ cæteris attributis, amorem Dei in nos prodit. p.268.c.1
Euchariſtiæ ſumptæ ſicut decet obſequio, corda ſubit hominum Chriſtus. p.269.c.1
Euchariſtia corda hominum ſolicitat, vt ſe tota Deo deuinciant. ibid.
Euchariſtia ſumpta ſicut par eſt, ſiſtere debet omnia mobilia hominum vota. p.270.c.2
Euchariſtia ſumpta quare non proficiat omnibus, qui ad eam accedunt. p.277.c.2
Euchariſtiæ ſumptæ ſalutares effectus præpedit affectus ad peccatum. p.276.c.1
Euchariſtia ſumpto ſuo cum debito apparatu ſuſcitat animas hactenus extinctas. p.279.c.1
Euchariſtiæ ſumptæ pia ab anima, ritè diſpoſita ſingularis effectus. p.281.c.2
Euchariſtiam ſumpturus homo debet vacare altæ ſpeculationi. ibid.
Euchariſtia quare dicta à quibuſdam ſcriptoribus panis Principum. ibid.
Euchariſtia quare fuit à Chriſto Domino inter gladios inſtituta. ibid.
Euchariſtiæ frequens vſus vt congruit, facit homines generoſos. p.282.c.2
Euchariſtia ſumpta ſuis cum cautelis, homines aptat in leones. ibid.
Euchariſtia ſumpta ſicut tanto conuenit Sacramento cæcos illuminat oculos. p.283.c.2
Euchariſtiæ effectus ſalutares in hiſtoria Ionathæ graphicè lineantur. ibid.
Euchariſtia viſa noctu miro prodigio, inſtar ignis ſcintillas emittere. ibid.
Euchariſtia accepta modo illi conſentaneo, facit animam coruſcantem. p.284.c.1
Euchariſtiæ myſterium meditatum attentè, Dei amorem accendit. ibid.
Euchariſtia ſumpta cibus eſt, multum differens ab aliis cibis. p.284.c.2
Euchariſtiæ finis eſt oſculum, & quid inde myſticè deſignetur p.285.c.1
Euchariſtia ſumpta cibus eſt, qui perfectè nequit digeri abſque amore Dei. ibid.
Euchariſtia ſumpta, ſuos vt effectus exerat indiget magna fide. p.285.c.2
Euchariſtia vinculum eſt charitatis vniens diſſitos hominum animos. p.286.c.1
Euchariſtia meditata ſicut par eſt, magna ſpirat amoris incendia. ibid.
Euchariſtia ſuis cum præuio apparatu infundit omnes virtutes in animas. p.286.c.2
Euchariſtia communicantes dignè ſicut homini fas eſt, aptat ad viſionem Dei. ibid.
Euchariſtia viſa ſpicas producere. ibid.
Euchariſtia quibuſnam rationibus manifeſtè probet Deum eſſe Regem. p.296.c.2
Euchariſtia virtute quadam diuina robur addit animis imbecillis. p.297.c.1
Euchariſtia velut gaza fœta bonis omnibus abundè ditat animas. p.297.c.2
Euchariſtia non tantùm viuificat, ſed etiam facit animas immortales. ibid.
Euchariſtiæ quinam ſint prouentus, & commoda in gratiam animarum. p.298.c.1
Euchariſtia frequentata modo congruo ſcutum eſt protegens animas. ibid.
Euchariſtiæ proceſſio, quibuſnam typis, & figuris olim fuerit adumbrata. p.302.c.1
Euchariſtia ſumpta, ſuo cum debito apparatu animas vrget ad perfectionem. p.302.c.2
Euchariſtia accepta pia ab anima, potenter eam ſolicitat ad progreſſum. p.304.c.1
Euchariſtiæ effectus deſcripti, ex globi cæleſtis conſideratione. p.304.c.2
Euchariſtia ſumpta, ſana ab anima, cibus eſt bonos ſpiritus ingenerans. p.305.c.2
Euchariſtiæ virtus, & efficacia, ad perfectionis ſtatum animæ ſuadendum. ibid.
Euchariſtiam frequentantes ea omnes obligat ad ſequelam Chriſti. p.307.c.2
Euchariſtia validè ſolicitat communicantes ad imitationem Chriſti. p.307.c.1
Euchariſtia ſanctificat animas fidelium, qui dignè fiunt eius participes p.306.c.2
Euchariſtiæ effectus infallibiles in anima iuſta, ſunt diuitiæ, & robur inſigne. p.319.c.1
Euchariſtiæ ſymbola, ſeu ſpecies, myſticè deſignant vnitatem. p.321.c.2
Euchariſtia, vt amoris diuini fomes, eum erga nos maximè demonſtrat. ibid.
Euchariſtiæ inſtitutione, fuere bona homini reſtituta, quibus exciderat. p.322.c.1
Euchariſtia ſumpta, quibus nos obſtringat gratiarum actionibus. p.322.c.2
Euchariſtia dignè ſumpta, pia ab anima, arctè Deo deuincit eam. p.328.c.1
Euchariſtiæ deuotè acceptæ debet effectus homo probare ſuo experimento. p.358.c.2
Euchariſtia communicantium ditat inopiam, & tenebras diſcutit. p.395.c.2
Euchariſtia dignè communicantibus eſt validum antidotum contra vitia. p.346.c.2
Euchariſtia communicantibus tollit ſenſum in minimis peccatis, & conſenſum in magnis. ibid.
Euchariſtia ſumpta ſicut decet, vehit ſecum omnium gratiarum agmen. p.346.c.1
Euchariſtiæ quàm ſint multiplices fructus in gratiam dignè communicantium. ibid.
Euchariſtia noxia eſt, & lethalis eis omnibus, qui indignè communicant. ibid.
Euchariſtia noxia Iudæ, ſi tamen eius à Chriſto fuit particeps effectus. p.375.c.1
Euchariſtia communicantes olim mortuos in peccato facit rediuiuos. p.387.c.1
Euchariſtia dignè communicantes, non tantùm ſuſcitat, ſed efficit immortales. p.387.c.2
Euchariſtia communicantes ea, quà decet cautione cibo opimo nutrit. ibid.
Euchariſtia quondam mutata fuit in cineres, inter manus eius, qui volebat eam indignè accipere. p.367.c.1
Euchariſtia eſt Sancta Sanctorum, ac proinde animas ſanctificat. p.369.c.2
Euchariſtia quare data ſub typis, & ſpeciebus panis, atque vini. p.389.c.2
Euchariſtia eoſdem exerit effectus in anima ſancta, quos optimus cibus in corpore ſano. p.395.c.2
Euchariſtiam nuncupauit olim Auguſtinus menſam lacteſcentem. p.396.c.1
Euchariſtia ſacra, quanam induſtria, & arte fiat panis animas enutriens. ibid.
Euchariſtiæ encomia ſunt ſupra omnem facundiam, vide tamen aliqua. p.407.c.1
Euchariſtia animæ communicanti dignè, robur magnum

magnum ingerit. p.396.c.1
Euchariſtia communicantium dignè ſolet oculos acuere. ibid.
Euchariſtia ſumpta à puerulo Chriſtiano, ſeruauit eum incolumen in media fornace. p.401.c.2
Euchariſtia accepta modo congruo, eſt communicantibus valdè ſalutaris. ibid.
Euchariſtiæ dignè acceptæ robur omnium vitiorum aciem retundit. p.401.c.1
Euchariſtia conſiderata ſicut panis, quoſnam effectus in anima ſortiatur. p.404.c.1
Euchariſtiæ frequens, & congruus vſus valet ad perfectionem animæ comparandam. ibid.
Euchariſtiæ beneficio Eccleſia impletur optimis fidelibus. p.406.c.2
Euchariſtiæ obſequio cælum impletur hominibus prædeſtinatis. p.407.c.1
Euchariſtiæ ſumptæ, quare ſæpiſſimè caſſi ſunt, & irriti effectus. p.408.c.1
Euchariſtia prouocat animas ad certamen contra hoſtes Chriſti. p.409.c.2
Euchariſtia ſacra cibus eſt regiarum aquilarum, & non vilium graculorum. p.410.c.1
Eudoxia virgo ingenua gentilis, à Theodoſio adamata fuit Imperatrix. p.7.c.1
Eudoxiæ Imperatricis initiatæ ſacris fidei myſteriis mira virtus. ibid.
Eutropius Conſul homo nequam, Deo, & omnibus hominibus iniurius. p.41.c.2
Eutropij Conſulis impietas eum præcipitem egit in ſupplicium inglorium. ibid.
Examinis conſcientiæ facti ſicut par eſt, & conuenit exquiſita deſcriptio. p.274.c.2
Examen conſcientiæ, vt debitè fiat ab homine, ad quænam ſe debeat extendere. p.275.c.1
Examen exquiſitum conſcientiæ, adæquatè figuratum in hiſtoria Samſon. p.275.c.2
Examinis accurati conſcientiæ praxis vna, & hæc eximia deſcribitur. p.276.c.1
Examen ſerium, & quotidianum conſcientiæ magni fecere priſci Philoſophi. p.278.c.2
Examen conſcientiæ qualem gratiarum prouentum conciliet animæ. ibid.
Examinis conſcientiæ perfecti, formula egregia, & maximè digna ſcitu. p.300.c.1
Exemplis eſt docendum, tanquam ad perſuadendum validis argumentis. p.588 c.2
Exemplorum vis, & natura potens, vt ad ſequelam eorum homines inclinentur. p.131.c.2
Exempla ſuam linguam habent, quæ benè ſuada docet efficacius, quàm ſermones. p.133.c.1
Exempla debent eſſe proportionata viribus, ne ſuccumbat homo. p.589.c.1

F

FAR antiquitus ſacrificiis adhibitum, toſtum debuit eſſe & non crudum. p.379.c.2
Ferculum, & miſſus idem ſignificabat apud veteres, in materia epularum. p.373.c.2
Ferculum propriè quid ſit. p.612.c.1
Ferdinandi Regis Hiſpaniæ induſtria, vt conciliaret Deum ſuo exercitui. p.128.c.1
Ferdinandi Conſalui merita, quantum honorem conciliauerint illi. p.71.c.2
Feruoris animæ effectus, quem gratiarum prouentum concilient. p.509.c.1
Feſtiuitates olim quare inſtitutæ, & quid ſignificent pertinens ad ſalutem. p.110.c.1
Feſtis Paſchalibus Veſpaſianus Imperator olim in iuſtius carpitur à S. Ambroſio. p.111.c.1
Feſta ad quid homines obſtringant. p.592.c.1
Feſta Sanctorum, qua pietate ſint à fidelibus Chriſtianis celebranda. p.331.c.2
Feſta noxia ſunt hominibus, qui abutuntur eis, vt geniu ſuo indulgeant. p.668.c.2
Feſta quare inſtituta ſunt, iuxta ſententiam Platonis celeberrimi Philoſophi. p.326.c.1
Feſti violati à ſe inaduertenter acerbè luit pœnas Olaus Rex. p.531.c.1
Feſti vel leuiter temerati, crimen eſſe ratus inſigne Rex Olaus, igne ſuum reatum caſtigauit. ibid.
Feſta Bacchi quibus olim tragœdiis, & inſaniis, fuere celebrata. p.326.c.1
Feſtum dictum Phageſia, quo ritu, & cæremonia Gentiles olim peragerent. p.383.c.1
Feudum quid ſit apud Iuriſconſultos, & ad quid ſubditos obſtringat. p.527.c.1
Fidelis cur vocetur omnis homo, qui Chriſto ſuum nomen dedit. p.348.c.1
Fides non exigit ab homine vt comprehendat arcana Dei, ſed vt credat. ibid.
Fides credit, non vt ad examen rationis ſiſtat myſteria, ſed vt ſimpliciter cognoſcat. ibid.
Fides à quanam ſcientia poſſit comparare lucis aliquod incrementum. p.425.c.1
Fides non ex intellectu naſcitur, ſed potius vera rei ſupernaturalis intelligentia ex fide. p.348.c.1
Fides vt concipiatur, quidnam à fideli anima præuium exigat. p.348.c.2
Fides quem aſſenſum formalem exigat ab homine initiato ſacris eius myſteriis. ibid.
Fides eſt aſſenſus animæ, non rationibus induſtriis, ſed auctoritati datus. ibid.
Fidei obſequio, Chriſtiani aſſurgunt ad dignitatem filiorum Dei. p.285.c.2
Fides vt eſt ſubobſcura, ita benè noctis, & tenebrarum ſymbolo lineatur. p.347.c.2
Fidei myſteria, vt ſupra naturam aſſurgunt, ita luci rationis inuia ſunt. p.348.c.2
Fidei obſcuritas, ex Scriptura ſacra, typis, & figuris congruis optimè demonſtratur. ibid.
Fides in quo propriè, & adæquatè ſita ſit, luculenta patet deſcriptione, quam vide p.163.c.1
Fides Chriſtiana nihil omnino prorſus habet contra rationem, ſed præter rationem. p.180.c.1
Fides vnit omnes fideles, ex quibus exurgit vnum corpus myſticum Eccleſiæ. p.84.c.1
Fidei ratio formalis, ſeu eſſentia, penes quid præcipuè attendatur. p.115.c.2
Fides non conciliatur humanis rationibus, ſed illa merum Dei donum eſt. p.116.c.2
Fides orthodoxa, & ſincera Chriſtianorum, quantis olim encomiis fuerit celebrata. p.117.c.1
Fidem Chriſtianam quonam miraculo ſanctus Dominicus aliàs aſtruxerit. ibid.
Fidei ſumma, vt ſit ſuis omnibus numeris abſoluta, quid requirat. p.117.c.2
Fides Chriſtiana vera, & illibata ſuum virginale decus ſemper ſeruabit in Eccleſia Romana. p.118.c.2
Fides Chriſtiana, qualem aſſenſum animæ poſtulet ab homine Chriſtiano. p.118.c.1
Fidei Chriſtianæ excellentia, & certitudo quanta ſit ſupra rationes humanas. p.163.c.2
Fides S. Ludouici Regis Chriſtianiſſimi erga ſacram Euchariſtiam. ibid.
Fides quam Chriſtiani concepere de Sacramento Euchariſtiæ, quàm ſit nobilis, & excellens. p.165.c.2

Fides non appendit ad trutinam rationis, arcana religionis Chriſtianæ. p.456.c.1
Filius Dei, quid ſit. p.175.c.2
Finis quid ſit. p.483.c.1
Finis in ſerie cauſarum principatum tenet, tanquam cauſa cauſarum. p.65.c.1
Finis ad quem omnes homines collimare debent, quiſnam ille ſit. p.477.c.1
Finis intentus ab homine agente, ſuam bonitatem affingit actioni. p.483.c.1
Finis homini præſtitutus maximè conducit ad eius perfectionem. p.547.c.2
Finis eſſe poteſt multiplex in agente, quando ſuas actiones incipit exercere. p.551.c.1
Finis in rebus agendis eſt ſicut prima principia in ſpeculatiuis. p.74.c.2
Fœdera ſanciendi fuere modi varij, apud priſcas olim Gentes. Vide modos illos. p.389.c.2
Fœdera quomodo ſanciebant Hebræi, auctoritate ſacræ Scripturæ. p.390.c.1
Fœdera ſanciendo quænam gentes antiquitus hoſtias immolarint. ibid.
Fœdera concludendi quiſnam inolitus, & ſolennis apud Græcos ritus extitit. ibid.
Fœdera concludendi cæremoniæ vſurpatæ antiquitus à Romanis. ibid.
Fœdera ſancita temerantes homines, quibuſnam olim maledictis obnoxij. p.390.c.2
Fœdera ſancientes olim homines, pacta ſua elicito ſanguine concludebant. ibid.
Fœdera decernendi ritus olim vſurpati apud Medos, & Lydos. ibid.
Fœdera qua ratione, & celebritate inibant Arabes antiquitus. ibid.
Fœdera ſolennia concluſa, ſolebant opiparæ, & lautæ epulæ comitari. p.391.c.1
Fœdus olim iniuit Iſaac, adiectis epulis ſolennibus inſtructis confœderatis. p.391.c.2
Fœdus init Ioſue cum Gabaonitis, deguſtatis eorum cibis. ibid.
Fœdus init Dauid cum Abner, & ſociis eius inſtructis ſolennibus epulis. ibid.
Fœdus ſolenne qua ratione ſolent Perſæ cum aliis gentibus ſancire. ibid.
Fœdus, hoſtia, talis ſunt ſynonymæ voces, quæ idem plerumque ſonant. ibid.
Fœdera ſanciendo filij non poterant eſſe loco pignoris fœdera concludentis. p.623.c.1
Fœminis caſta lege interdictus olim hominum aſpectus, vt ſic eorum conſuleretur pudori. p.352.c.1
Fœminis iuſtè fuit vetitum, publicè intereſſe conuiuiis virorum. ibid.
Fœtum ea vis quæ informat, dicta fuit à quibuſdam diuina. p.24.c.1
Fœtui inuruntur eæ imperfectiones naturales, quibus ſunt parentes obnoxij. p.25.c.1
Fomes peccati non eſt peccatum, ſed quidpiam conſequens peccatum Adæ. p.663.c.1
Fomitis peccati cauſa primitiua, qualis extiterit, ferè omnes homines inficiens. ibid.
Fomes peccati extingui poteſt modis quorum deſcriptionem habes. p.665.c.2
Franciſcus ille Pater Minorum, mercatus eſt anguſtiis, iiſque duris, ſtigmata Domini Ieſu. p.39.c.1
Franciſci Borgiæ, Societatis Ieſu Præfecti Generalis ſanctitas. p.129.c.2
Frangeti viri nobilis, ſed ignaui, congruum ſupplicium, ſcilicet inglorium. p.28.c.1
Friderici II. Imperatoris rebellis Eccleſiæ crudelitas inhumana. p.186.c.1

Fuga occaſionum neceſſaria eſt homini, qui ſe à peccato cupit efficere immunem. p.253.c.1
Fugere occaſiones peccati, non eſt ignauia, ſed eſt maxima prudentia. p.354.c.1
Fuga hominum ſuadetur iis hominibus, qui nolunt eſſe minus quidpiam, quàm homines. p.669.c.1
Fuga ſæculi quid proſit iis, qui à ſæculi ſunt nexibus expediti. p.668.c.2

G

GAbriel Archangelus ſpecialis miniſter extitit myſterij incarnationis. p.658.c.1
Gallorum mos ſeu ritus antiquus quando puniebant hominem perduellem. p.28.c.1
Gallus gallinaceus, quare dicatur eſſe typus ſeu ſymbolum antiſtitis. p.12.c.1
Gazæ vrbis olim famoſæ induſtria, vt Iouem præ Diis aliis excoleret. p.587.c.2
Gemmarum vſus olim prohibitus, vt ea cautela, via luxui clauderetur. p.270.c.1
Gentilium ritus, quando, & quare queunt aptari diuino cultui. p.588.c.1
Genuenſis Reipublicæ gratitudo erga Regem Ludouicum XII. Gallum. p.297.c.2
Genuæ ciuitati valdè fuit fauſtus ingreſſus Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XII. ibid.
Gladij in Cœna Chriſti appoſiti, & commemorati, quidnam morale ſignificent. p.262.c.1
Gladios in altari poſitos, priſcæ Gentes olim, vt magna Numina coluerunt. p.395.c.1
Gloriam Deo dedit Conſtantinus Imperator poſt celebrem victoriam reportatam. p.486.c.1
Gloriam victoriæ obtentæ tribuere Diis ſuis olim omnes generoſi Duces. p.485.c.2
Gloriam publicè Deo dedit Titus Imperator poſt Iudæos profligatos. ibid.
Gloriam voluit eſſe penes Deum Titus Imperator, capta Ieroſolyma. p.56.c.1
Gloria omnis egregiarum omnium actionum, quare ſit in Deum refundenda. p.54.c.1
Gloriæ cuiuſuis, & omnimodæ, argumenta omnia ſunt in Deo. p.57.c.2
Gloria boni operis ab homine perpetrati, pertinet ad Deum tantùm. p.285.c.1
Gloriam aucupandi nullas habet rationes homo, vanæ gloriæ ſectator. p.56.c.2
Gloria vera eſt ſola congrua merces, & dignum ſtipendium virtutis emeritæ. p.515.c.2
Gloriam omnes qui comparauere ſibi, illam duris, & improbis laboribus mercati ſunt. p.35.c.1
Gloriæ cupiditas inſana, quibus argumentis, & rationibus condemnetur. p.54.c.1
Gloria vana quibus argumentis eſt retundenda, quando ſuam auram afflat. ibid.
Gloriam operis egregij exantlati arrogare ſibi, quale nefas eſt. p.54.c.2
Gloriæ vanæ peſtilens afflatus eſt præcipuè cauendus eleemoſynas erogando. p.89.c.2
Gloriæ vanæ vitus, ita bona opera inficit, vt illa priuet meritis, & corona. p.485.c.1
Gloria vana afflante bonorum operum Phariſæi omnia merita perierunt. p.485.c.2
Gloriæ vanæ pernicies, & damna in quæ incurrit anima gloriæ vanæ litans. p.490.c.1
Gloriæ vanæ appetitus, quàm ſit noxius hominibus egregia opera patrantibus. 515.c.1
Gloriæ vanæ plures ſunt ſpecies, & omnes pernicioſæ, quas vide ibid.
Gloria vana florem cuiuſque boni operis decoquit,

meritum auferendo. p.552.c.1
Godvvini homicidæ mors horrenda, & ſtupenda mediis in epulis. p.240.c.1
Gorgoniæ ſanctitas marito fuit ſalutaris: ſiquidem in ipſum redondauit. p.675.c.1
Gonzalis vxor, qua induſtria ſeruarit maritum captum. p.268.c.2
Gratia habitualis quid ſit. p.64.c.2
Gratiæ Dei multiplex eſt diuiſio, ſcilicet in tot ſpecies quot habes. ibid.
Gratia diuina mira, & ineffabili ſuauitate pios perfundit animos. p.255.c.1
Gratiæ Dei abſolutè loquendo, Dei dona omnia cuiuſcunque generis ſint dici poſſunt. p.397.c.2
Gratia Dei actualis eſt neceſſaria omnibus exiſtentibus in gratia habituali.
Gratia Dei quomodo nobiſcum concurrat in omni bono opere. p.401.c.1
Gratiæ plenitudo qua ratione queat eſſe in aliquo homine. p.406.c.2
Gratia Dei renouat animas hominum in quos influxit cælitus. p.333.c.2
Gratiæ Dei varia eſt diſtributio, Deus enim illam dat ſingulis prout vult. p.305.c.2
Gratia Dei qoibuſnam incrementis, & gradibus aſſurgat ad apicem altum. p.303.c.1
Gratiæ diuinæ locuples & præclara, cum ſolari lumine comparatio. p.281.c.2
Gratia Dei animæ fideli inſidens ſociam habet rectitudinem voluntatis. p.132.c.2
Gratia Dei quas diſpoſitiones in anima prærequitat ante ſuum influxum. p.257.c.2
Gratia Dei non eſt otioſa, ſed eſt ſemper intenta bonis operibus. p.50.c.2
Gratiæ Dei dignitas antecedit ea omnia, quæ ſunt ordinis naturalis. ibid.
Gratia Dei naſcuntur omnes homines indigni, neque poſſunt eam ſuis viribus acqiórere. p.57.c.1
Gratiæ Dei beneficium eſt, quando bona opera noſtra Deo grata fiunt. ibid.
Gratia Dei quando pias in animas influxit, miros ſortitur effectus. p.62.c.1
Gratiæ Dei inhabitantis animam quam ſint ſalutares effectus. p.88.c.1
Gratia Dei excitans eſt neceſſaria hominibus, vt ſoluatur eorum inertia. p.103.c.2.& p.398.c.2
Gratiæ Dei exiſtentis in anima, & virtotum differentia, vnde petatur. p.126.c.2
Gratiam Dei neceſſatiam eſſe, bonum vt operemur, quibus rationibus aſtruatur. p.134.c.1
Gratia Dei reſidens in homine, reſtituit illum multis priuilegiis, quibus exciderat. p.50.c.1
Gratia Chriſti, ſeu per Chriſtum, quomodo differat ab aliis gratiis. p.58.c.1
Gratia Dei non in vacuum recipienda eſt, ſed eſt bonis actibus excolenda. p.58.c.2
Gratia diuina abſolutè neceſſaria eſt, ad omnia mandata Dei obſeruanda. p.134.c.2
Gratia prima non cadit ſub meritum hominis, ſed illa merum eſt donum Dei. p.171.c.1
Gratiæ diuinæ, & Sacramenti differentia vnde peti debeat. p.244.c.1
Gratia præueniens comparara luci, propter multas rationes, quas vide p.250.c.2
Gratiæ gratum facientis multi ſunt influxus, quorum ſeriem vide p.9.c.1
Gratia gratum faciens ſæpe datur extra Sacramentum, & quænam illa ſit. ibid.
Gratia ſacramentalis ea eſt, quam efficit, & deſignat Sacramentum. ibid.
Gratia ſacramentalis, quid adiiciat ſuper aliam, quæ datur extra Sacramentum. p.284.c.1
Gratiæ Dei influxus in animam, quid ſingulare facit in homine. p.364.c.1
Gratiæ Dei plenitudo quot modis conſideretur à Theologis. p.623.c.1
Gratiæ Dei progreſſus, ſeu incrementum in homine, qua ratione fiat. p.400.c.2
Gratia diuina ſicut natura vacuum odit, & plenitudinem amat. p.402.c.2
Gratia ſacramentalis, quid ſit, & quomodo differat ab alia. p.404.c.1
Gratia Dei potentior eſt natura, quippe facit quod natura præſtare nequit. p.430.c.1
Gratiæ Dei ſuauitas eleganter deſcribitur ab Auguſtino tale bonom experto. p.487.c.1
Gratiæ Dei auxilium potentiſſimum, & quid poſſit homo illius obſequio. ibid.
Gratia Dei fretus homo, niſus, & impetus omnes diaboli facit irritos. p.488.c.1
Gratia Dei quantumcunque potens ſit, libertatem arbitrij non adimit. p.495.c.1
Gratia Dei ſtatim atque cælitus influxit, illa totam animam perficit. p.496.c.1
Gratia Dei deſuper irradians, animam ab omnē protſus timore totam efficit. p.496.c.2
Gratia Dei congruè ſanitati comparatur, ob rationes quas vide p.497.c.2
Gratia diuina luci comparata propter eas relationes, quas vide p.518.c.1
Gratia diuina nequit eſſe ſine voluntate bono tenaciter adhærente. p.543.c.2
Gratiæ Dei beneficiom eſt, quando boni ſumus, & à crimine lethali immunes. p.343.c.1
Gratia diuina facit animam ſecuram, atque tutam, qoando deſuper irradiat. p.545.c.2
Gratia diuina ſotas expellit timorem, & in animam inducit ſecuritatem. p.546.c.1
Gratiæ diuinæ incrementum, quanam induſtria, & arte fiat in anima. p.630.c.2
Gratia diuina ſacro adipe impingoat animam, quæ antea marceſcebat. p.637.c.2
Gratiarum actio, vt dignè fiat eſſe debet citiſſima, poſt beneficium acceptum. p.87.c.2
Gratiarum actiones & has ſingulares rependere debemus Deo ad ſingula eius beneficia. p.299. col.2
Gratiarum actiones ad quas nos obſtringunt dona Dei debent eſſe iuges, & perpetuæ. ibid.
Gratiarum actiones congruæ quomodo rependi debent conſtat exemplo. p.299.c.1
Gratiarum actiones quas perſoluere debet homo poſt communionem. p.410.c.2
Gratiæ quomodo ſint agendæ Deo, præclarè docet oratio, quam vide ibid.
Gratiarum actio quænam ſit reddenda dono aliquo accepto. p.486.c.1
Gratitudo quænam Deo debeatur, ob ſeriem tot gratiarum, quæ in nos cælitus influxerunt. p.514.c.2
Gratitudo ſuis numeris abſoluta, benè figurata in Iacob Patriarcha. p.300.c.1
Gratitudo de beneficio accepto, nouum ſolicitat, & meretur benefactoris obſequium. p.300.c.2
Gratitudo Firmij erga Iulium Cæſarem, eſt gratitudinis abſolutæ typus. ibid.
Gratitudinis exhibendæ Deo ſpeciale exemplum, & formula ſingularis. p.301.c.1
Gratitudinis poſt ſacram Communionem, elegans formula proponitur. p.301.c.2

Gratitudo

Gratitudo ob ſumptam Eucharistiam, quibuſnam typis olim figurata fuit. p 301.c.1
Gratitudo noſtra quantumcunque magna, tamen ſemper erit impar beneficiis Dei. p.322.c.2
Gratitudinis ſymbolum exprimens adæquatè grati animi indolem. ibid.
Gratitudo congrua, nos obſtringit ad cuncta offerenda Deo, quibus conſtamus. p.527.c.2
Gratitudo bona eſt laudatio. p.603.c.2
Gula vitium hominum eſt ignobilium, & accedentium ad naturam pecorum. p.653.c.2
Gulam qua induſtria compeſcebat in epulis ſuis Opilius Macrinus. p.351.c.1
Gulæ modum impoſuit Roma latis olim legibus congruis huic intento. p.371.c.2
Gulæ inſidiæ ſunt ſubtiles, ideoque graue nobis feceſſunt negotium, vt caueantur. p.69 c.2
Gulæ incommoda ſunt tot, & tanta, vt nequeant explicari. p.86.c.2
Gulæ pernicies in animas, & corpora noxiè ſe diffundit. p.178.c.1.& p.312.c.1
Gula parens omnium malorum, ſpinas, & tribulos inuexit. p.312 c.2
Gulæ modum poſuit cautè ſagax natura breuem faciendo ventrem. p.313.c.2
Gulæ templum quale, cuius & ſuppellex & miniſtri deſcribuntur. p.178.c.1
Gulæ Roma fuit dedita poſtquam violatæ leges viam vitio ſtrauerunt. p.372.c.1
Gula Romæ proſtrauit olim pudorem puerorum dyſcolorum. ibid.
Gula tendit aſtutè ſuas inſidias in cibis etiam neceſſariis ad vitam propagandam. p.541.c.2
Guſtatio quid erat antiquitus, quando ſolennes erant epulæ. p.373.c.2

H

HÆreſis vnde dicta ſit, & quænam ſit vocis huius propria ſignificatio. p.230.c.2
Hæreſes omnes ſunt labiles, & fluxæ, vt quæ non poſſunt conſtare ſibi. p.231.c.1
Hæreticos muli ſignificant, vt ipſe Deus oſtendit ſingulari viſione. p.198.c.2
Hæretici ſtatim atque produnt ſe, & agnoſcuntur, odio ſunt. p.232.c.1
Hæretici odio habiti ab Imperatoribus, qui contra eos ſeueras tulere leges. p.233.c.1
Hæretici peſſimi ſunt cæci, qui cæleſti irradiante luce, lumen videre nolunt. p.233.c.2
Hæreticorum cæcitas quomodo expreſſa fuit ab Henrico III. Rege Chriſtianiſſimo. ibid.
Hæretici noxia contagione ſuum lethale virus aſpergunt. p.233.c.1.& 234.c.1
Hæreticorum fides, delirium eſt inſanum, & non ſincera fides. p 234.c.1
Hæreticorum indoles verſipellis, & adulterina ſuis coloribus depingitur. p.234.c.2
Hæretici inſtar muſcarum cantharidum, quidquid eſt floridum inficiunt. p.577.c.1
Halcyonis auis induſtria in fabricando nido mediis in fluctibus. p.2.c.1
Hannibalis excubiæ vigiles, & noctes inſomnes, hoſte vicino. p.10.c.2
Hannibal virtutem veneratur in hoſte, cuius vide exemplum. p.56.c.1
Harlemum in Belgio, quanam fuit induſtria captum. p.80.c.1
Hebræi à Deo deficientes, coluere Deos Gentilium, Bacchum, & Cererem. p.386.c.2

Hebræi pœnitentes, quare vale dixere Diis Gentilium Baccho, & Cereri. ibid.
Hebræis olim Deus multas indixit feſtiuitates, & quare. p.194 c.1
Hebræi cur dignati à Deo præcipuo amore, præ aliis gentibus. p.327.c.2
Heliogabali Imperatoris ſtultitia in ritu ſternendi epulas. p.392.c.1
Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi effatum ſingulare de gratia. p.51.c.2
Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi reſponſio generoſa, robur eius animi explicans. p.254.c.2
Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus, in bello non curabat numerum hoſtium. p 254.c.1
Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi, & quid in eo acciderit ſingulare. p.538.c.2
Henrici I. Regis Angliæ bellum atrox, & ciuile cum filio p.231.c.2
Heduuigis Reginæ Poloniæ matrimonium, quam ſalutare fuit Lithuanis. p.502.c.1
Hiſpaniæ Regis Legatus mortuus Pariſiis morte repentina. p.291.c.2
Homo quare dictus ſit ἄνθρωπος, & quid ſignificet hæc vox. p.2.c.2& p.433.c.1
Homo quare à Deo rectus editus ſit à prima ſua conſtitutione. p.417.c.1
Hominis reparatio, quare neceſſariam habuerit adiunctam ſatisfactionem. p.19.c.1
Homo Angelis charus extitit, quamdiu ſtatum innocentiæ tenuit illibatum. p.19.c.2
Homo eſt menſura omnium, & quibus hoc rationibus conſtet. p.2.c.2
Hominis cura pro tuenda ſanitate rebus nullis parcit. ibid.
Hominis lapſus in paradiſo voluptatis, vnde ſuum ortum acceperit. p.19.c.2
Hominis cum arbore comparatio præclara, cuius vide congruentias. p.42.c.2
Homo vox Latina, ſuam vnde petat originem Grammaticalem. p.192.c.2
Hominis ſtatus ab ortu plenus eſt fœda ſordium colluuie. p.25 .c.1
Hominis cum mundo relatio præclara, cuius vide conuenientias. p 273.c.2
Hominis miſeriarum ilias eſt tanta, vt vix ſermo queat explicare. p.400.c.2
Hominis inconſtantia eſt tanta, ſibi vt nequeat conſtare diu in eodem ſtatu. ibid.
Hominis dignitas ſublimis aſtruitur congruis argumentis. p 417.c.1
Hominis corpus diuiditur à medicis, in tres partes, & quænam illæ ſint. p.418.c.1
Hominis in gratia exiſtentis dignitas quanta ſit explicatur. p.419.c.1
Homo ſua à prima editione ſatus eſt ad imperium, & non ad ſeruitutem. ibid.
Hominis encomia, laudes, & tituli inſignes, ſunt in multiplici differentia. p.420.c.1
Hominis honorifica epitheta, quæ multa ſunt produnt eius dignitatem. ibid.
Hominis ſcientia nullis cancellis concluditur, ſed ſe ad omnia extendit. ibid.
Homo dici poteſt liber omniſcius, nempe capax eſt omnigenæ ſcientiæ. p.420.c.2
Homo vas luteum eſt, & fragile, ac proinde vitæ breuis. p.483.c.2
Homo Dei templum eſt, ac proinde nitens, & terſum conſeruandum. p.487.c.1
Homo ſolet diuidi in hominem interiorem, & hominem exteriorem. p.523.c.2

Homo quia à Deo defecit, cæli incurius eſt ad terrena votis omnibus anhelans. p.566.c.1
Homines omnes ratione Dei cultus, & religionis vnum corpus myſticum efficiunt. p.666.c.2
Honor quid ſit, & in quo potiſſimum ſit conſtituta ratio honoris. p.15.c.2
Honor verus, & ſincerus, quibuſnam meritis acquiratur. p.55.c.1
Honoribus ineſt myrrha, vt benè Reges olim myſtico munere figurarunt. p 82.c.1
Honores, vt dignè deferantur, ſunt conferendi benè meritis hominibus. p.514.c.2
Humiliationis habet homo multa argumenta, quæ tu vide p.560.c.2
Humiliationis præclarum argumentum, præ alius omnibus, quæ ſuadere poſſunt humilitatem. p.55.c 1
Humilitas quid ſit, & in quo præcipuè ſit ſita ratio humilitatis. p.552.c.1
Humilitatis elegans deſcriptio, adæquatè notans ea, quæ pertinent ad virtutem illam. p.553.c.2
Humilitatis virtus quanam induſtria, & arte queat comparari. ibid.
Humilitatis virtus, hominem de cane facit filium Dei adoptiuum p.370.c.1
Humilitatis virtus, ad contemptum non deſæuit, ſed lætatur. p.370.c.2
Humilitas medio in contemptu, cautè ſibi gloriam æternam conciliat. ibid.
Humilitas reputata vilis, & contemptibilis, meritorum magnos cumulos parat. ibid.
Humilitas eſt ſimilis puncto, & rationes ſimilitudinis huius. p.431.c.1
Humilitatem neceſſariam eſſe, quibus rationibus oſtendi queat. p.431.c.2 & p.553.c.1
Humilitatis virtus ea eſt, vt eius obſequio aliæ gratiæ comparentur. p.553.c 1
Humilitati tributum pendit, excellens aliarum omnium virtutum chorus. ibid.
Humilitatis effectus, quàm ſint ſalutares animæ deditæ huic virtuti. p.503.c.1
Humilitatis virtus, quibuſnam rationibus, & argumentis præcipuè commendetur. p.503.c.2
Humilitas ſarta tecta bona facit opera, quæ vanitas alioquin corrumperet. p.552.c.2
Humilitas eſt germana nota; veras virtutes diſtinguens à fucatis. p.573.c.1
Humilitatis meritum eſſe grande, quibuſnam rationibus aſtrui queat. p.587.c.1
Humilitas præ aliis virtutibus eſt maximè neceſſaria virginibus. p.592.c.2
Humilitatis expertem virginitatem ingloriam eſſe liquet rationibus, quas vide ibid.
Humilitas eſt aliarum omnium virtutum cuſtos agens excubias. p.593.c.1
Humilitas quare nobis adultis abſolutè ſit neceſſaria ad ſalutem animæ comparandam. p.638.c.2
Humilitatis virtus eximia, ſtipat egregium aliarum omnium virtutum chorum. ibid.
Humilitas cum puncto multas, & præclaras habet affinitates, quas vide p.648.c.1
Humilitatis virtus, vbi altiores egit radices, ibi etiam gratia diuina maior influxit. p.648.c.2
Humilitatis virtus habet indiuiduum cum diuina gratia conſortium. p.648.c.2
Humilitatis amor, quibus argumentis, & rationibus poſſit animæ ſuaderi. p.649.c.1
Humilitas eſt fundamentum, cui virtutum omnium machina incumbit. ibid.
Humilitatis virtus, quàm altè ſuas radices egerit in Publicano, eleganter oſtenditur. ibid.
Humilitas prudenter oculis hominum ſubducit virtutes, eas vt conſeruet. p.649.c.2
Humilitatis virtus exculta à Saül, euexit eum ad ſolium regni Iſraël. ibid.
Humilitatis ingenuæ, & ſinceræ rari ſunt ſtudioſi, & profeſſores. p.141.c.1
Humilitatem quare Deus in humanis nuncuparit omnem iuſtitiam. p.646 c.1
Humilitas S. Franciſci Patriarchæ Fratrum Minorum, quanta extiterit. p.650.c.1
Humilitas alta Patris Iacobi Laynez Generalis Præfecti Societatis Ieſu. ibid.
Humilitatis virtus oſtenditur ex mole cordis, & lienis, quæ quò minor, eò vegetior eſt. p.651.c.1
Humilitas Beatæ Virginis Mariæ potiſſimum enituit, ſit affluxu omnium gratiarum. ibid.
Humilitas eſt neceſſariò habenda, verum honorem, & gloriam ambienti. p.652.c.1
Humilitatis virtus, tantùm abeſt vt ſit abiecta, quinimò clara, & nobilis oſtenditur. p.653.c.1
Humilitas ſuos cultores impigros, & profeſſores verôs euehit ad cælum. p.141.c.1
Humilitas Marci Barbarici Ducis olim Venetorum, valdè fuit ſingularis. p.56.c.2
Humilitatis virtus, eſt tanquam aliarum omnium virtutum rudimentum. p.7.c.2
Humilitatis virtus à nihilo incipiens, etiam in idem nihilum deſinit. p.7.c.1
Humilitatis inſigne exemplum in Paphnutio, falsò accuſato, & ſubeunte pœnam. p.6.c.1
Humilitatis altæ Saül, & Dauid Reges, ſpecimina præclara nobis præbuerunt. ibid.
Humilitatis ſectatores ingenuos, & ſinceros, vera gloria conſequitur. ibid.
Humilis vt aliquis ſit de facto, quas comparaſſe debet qualitates. p.6.c.1
Humilis reuerà talis, ille ſuis eſt numeris omnibus abſolutus. p.7.c.2
Humilis, ſi reuerà talis eſt, nihil omnino ſibi eſt, vt omne quod eſt, Dei ſit. ibid.
Hyades ſtellæ pluuiarum nuntiæ ſic nuncupantur à verbo ὕειν. p.173.c.2
Hypocriſis fugienda ſicut lethale virus inficiens virtutes, quas effingit, & mentitur. p.90.c.1
Hypocriſis nequitia quanta ſit abundè liquet, quod etiam bona, facit mala. ibid.
Hymnorum ſpecies multæ ſunt, quorum ſeriem, & varietatem vide. p.410.c.2
Hyſſopus quidnam in Scriptura ſacra notet myſticè, ad pœnitentiam pertinens. p.289.c.1,

I

IAnus olim à pleriſque gentibus creditus Deus, & quiſnam fuerit. p.595.c.2
Ianus olim, & Veſta primi in omnibus ſacris inuocati, vt Principes Dij. ibid.
Iani Turcæ viri præpotentis caſus infauſtus eſt horrendum ſupplicium. p.165.c.2
Ideæ quid ſint. p.471.c.2
Idola præcipua, & potiora quibus homines in hoc ſæculo litare ſolent. p.32.c.1
Iehoua nomen Dei tetragrammaton quid propriè ſignificet apud Hebræos. p.30.c.2
Iehu Princeps Iſraël, qua conditione Regem Iſraël paſſus eſt inaugurari. p.145.c 2
Ieiunium abſolutè fuit neceſſarium homini in Paradiſo, ne beata ſua ſorte excideret. p.312.c.1
Ieiunium etiam eſſe neceſſarium abſolutè ad ſalutem,

tem, vnde probetur. ibid.
Ieiunium propriæ voluntatis ad viros omnigena virtute claros pertinet. p.529.c.1
Ieiunium vt ſit ſalutare, debet ſe ad omnes ſenſus extendere, eorum licentiam refrænando. ibid.
Ieiunium diuerſos ſimul, & ſemel ſortitur effectus: nam mortificat, & viuificat. p.530.c.1
Ieiunium à vitiis non eſt oneroſum, imò conciliat inſignem animæ lætitiam. p 592.c.1
Ieſuitæ quare dicantur ſocij. p.38 c.2
Ieſuitis & Religioſis S.Franciſci ineſt magna affinitas contracta in comitiis generalibus. ibid.
Ieſuitæ, & Religioſi S.Franciſci quomodo participent nomen, & crucem Chriſti. p.39.c.1
Ieſus vox eſt, quam diuerſæ linguæ dicunt ab eis deriuari. p 3 c.1
Ieſu nomen deductum à verbo Græco, quid propriè ſignificet. ibid.
Ieſus eſt nomen, quod ex Scriptura ſacra liquet fuiſſe tribus hominibus impoſitum. p 30.c.1
Ieſus Nazarenus, & Redemptor, quare fuit nuncupatus Chriſtus. p.30.c.2
Ieſus eſt nomen plenum myſteriis, & complectens tres octonarios numeros. p.31.c.1
Ieſus vnde nomen accepit. ibid.
Ieſus eſt nomen prædictum à Sybilla Cumana ſicut conſtat ex libris eius. ibid.
Ieſus eſt nomen ſalutare, ſicut deductum ex lingua Hebræa ſonat. ibid.
Ieſus eſt nomen, quod quando ſuas radices egit in corde, facit illud paradiſum. ibid.
Ieſus eſt nomen, quod quando pronuntiatur, miros effectus in anima parturit. p.31.c.2
Ieſus eſt nomen quod deriuatum è lingua Hebræa ferax eſt multorum myſteriorum. ibid.
Ieſus eſt nomen quod ſcriptum Hebraïcè refert myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. ibid.
Ieſus eſt nomen, quod animo verſatum multa commoda animæ conciliat. p.32.c.1
Ieſu nomen inuocatum, aut cogitatum omnium vitiorum æſtus ſedat. ibid.
Ieſus eſt nomen quod depictum afflare ſolet ægris ſanitatem. ibid.
Ieſu nomen olim Romæ fuit depictum in Labaro, à Sancto Bernardino. ibid.
Ieſu nomen pronuntiatum à Chriſtiano, citum ſilentium impoſuit garrulo Philoſopho. p 32.c.2
Ieſus eſt nomen, quod innumera beneficia conciliauit hominibus. p.35.c.2
Ieſus eſt nomen vnctuoſum, quod in Paſſione fuit effuſum vt oleum. p.36 c.1
Ieſus quibuſnam hominibus ſeſe familiariter, & amicè communicet. p.40.c.1
Ieſus in quos homines præcipuè ſtipatus gratiis influat. p.40.c.2
Ieſu nomen ineſt omnibus libris pietatis, vt ſapidum condimentum eſcis. p.41.c.1
Ieſu nomen quare debet vt ſignaculum cordi, & brachio inſcribi. ibid.
Ieſus eſt nomen, cuius ſignaculum ſalutare vitam impertit. ibid.
Ieſus eſt nomen, quod continet omnia nomina, quæ Scriptura ſacra Chriſto affingit. p.46.c.1
Ieſus eſt nomen, quod infinita propè arcana fidei concludit. p.46 c.1
Ieſu nomen inſcriptum foribus ædium Antiochiæ, quid præſtiterit. p.47.c.1
Ignatij à Loyola Fundatoris Societatis Ieſu, quàm varij, & ſtrenui agones. p.39 c.1
Ignatij à Loyola cum Paulo Apoſtolo comparatio præclara, cuius vide rationes. p 37.c.2
Ignorantia voluntaria, non ſolùm eſt defectus intellectus, ſed eſt crimen voluntatis. p.478. col.1
Imago Dei in homine diſtinguitur à ſimilitudine Dei. p 418 c.1
Imago Dei in homine deleri nequit quamuis ſimilitudo Dei poſſit expungi. ibid.
Imago Dei in homine, quo præcipuè intento fuit à Deo efficta. p.417.c.1
Imago Dei in homine, quibus præcipuè lineamentis deprehendatur. pagina 314. col. 1. pag.416.c.1
Imago Sanctiſſimæ Trinitatis, quomodo in homine deprehendatur. p.278.c.2
Imago in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis eſt nomen perſonale Verbi. ibid.
Imago Patris eſt Filius, & quibuſnam rationibus hoc probetur. p.178.c 1
Imago quid ſit. p.416 c.1
Imago vitij fugienda viro, Dei imaginem conſeruare cupienti. p.419.c.1
Imago Imperatoris, quàm ſalutaris eis qui ad eam confugiunt. p.487 c.1
Imitatio Chriſti eſt præcipuum argumentum probans amorem, quo ardemus erga eum. p.293.c.2
Imperatores apud Romanos olim dicti Pontifices Maximi. p.225.c.2
Imperatores olim qua pietate celebrabant præcipuos dies feſtos. p.226.c.1
Imperij inſignia fuere data & aſſignata Imperatori à Summo Pontifice. p.131.c.1
Imperij Romani finis ſub Auguſto vno, ſicut ab alio Auguſto, ſuum ceperat exordium. p.33.col.1
Imperij Græci finis ſub vno Conſtantino, ſicut ſub alio Conſtantino ſuum habuit exortum. ibid.
Impunitas criminum homines nequam inuitat ad ſcelera perpetranda. p.571.c.1
Incarnatio diuina meris naturæ principiis probari nequit. p.348.c.2
Incarnationis elegans deſcriptio fusè notans arcana ſacri huius myſterij. p.299.c.1
Incarnationis gratia fons eſt, vnde bona nobis alia ſcaturiunt. p.500 c.1
Incarnatio diuina prout actionem dicit, opus fuit totius Trinitatis. p 610 c.2
Incarnatio omnia renouauit. p.500.c.2
Incarnationis effectus quàm fuerint homini ſalutares, & benefici. p.503.c.2
Incarnatio non eſt appendenda ad trutinam humanarum rationum. ibid.
Incarnationis myſterium vt eſt ineffabile, ita nequit verbis congruis explicari. p.518.c 2
Incarnatio quare facta ſit, quantùm homini fas eſt explicare, notum fit. p.534.c.1
Incarnatio quare præcipuè dici ſolet opus Spiritus Sancti. p.631.c.1
Incarnatio eſt conſideranda ſicut prædeſtinatio; vide rationes. p.631.c.2
Infantis cuiuſdam influxus beneficus. p.466.c.2
Ingratitudo deſcripta ſuis genuinis coloribus, cuius ideam vide p.296.c.1
Ingratitudinis effectus. ibid.
Ingratitudo, quanta ſecum mala vehat. pag. 295. col.2
Ingratitudo filiorum erga ſuos parentes quomodo puniatur iure Cæſareo. ibid.

Intellectus quare dicatur à Philoſophis eſſe quodammodo omnia. p.469.c.2

Intellectus operationes omnes, ad tres reducuntur, quas vide p.266.c.1

Iouitare, quid erat olim, quando ſolennes inſtruebantur epulæ. p.350.c 1

Inuitatio dicta electio. ibid.

Inuitati fuere primi Iudæi ad cœnam Domini Ieſu Chriſti p.350.c.2

Inuitare ſuas ad epulas ſolennes olim, quomodo ſolebant Sybaritæ. p.355.c.1

Inuitandi ad epulas celebres diuerſi fuere ritus apud varias gentes. p.355.c.2

Inuitantium ad epulas publicas varia fuere nomina, quæ vide ibid.

Inuitatio ad Euchariſtiam eſt cæleſtis, & non merè humana. ibid.

Intentio omnium actionum noſtrarum eſt conſecranda Deo ſoli. p.483.c.2

Intentionis noſtræ ſcopus in quem cuncta debent collimare, qualis ſit. p.484.c.1

Intentioni cautè dæmon inſidiatur, apprimè ſciens eam affricare ſuum virus operi bono, quando mala eſt. ibid.

Intentio quando bona eſt, opus natura ſua bonum optimum facit. ibid.

Ioab Ducis militiæ Dauid induſtria vt occideret Abner Præfectum Generalem exercituum Iſraël. p.68.c.1

Ioachim, & Annæ parentum Beatiſſimæ Virginis Mariæ laudes eximiæ. p.585.c.2

Ioannæ Regis Ludouici XII. Chriſtianiſſimi vxoris mors deploranda. p.26.c.2

Ioanna puella heroina dicta Aurelianenſis, quo honore fuit dignata à Carolo VII. Rege Chriſtianiſſimo. p.40.c.2

Ioannes Euangeliſta deliquium amoris paſſus eſt, in vltima Cœna. p.287.c.1

Iob quare nuncupetur vir à Scriptura ſacra recenſente duros eius agones. p.616.c.1

Ioſeph Patriarcha quare à Scriptura ſacra nuncupetur Nazaræus. p.616.c.1

Ioſephi Patriarchæ comparatio, cum Ioſepho Beatæ Mariæ Virginis Sponſo. p.627.c.2

Ioſeph accreſcens in dignitate Sponſi Mariæ Dei genitricis, & patris pueroli Ieſu. p.684.c.1

Ioſeph quare Deo ſic decernente fuit Beatiſſimæ Virgini deſponſatus. p.612.c.1

Ioſephi gloria præcipua, ex Virgine Maria illibata, ſuum omne decus haurit. p.611.c.2

Ioſeph ferculum Chriſti, quem ſæpè ſuis vlnis amplexatum baiolauit. p.612.c.1

Ioſephi benedictio de pinguedine terræ qualis extiterit, vide p.613.c.2

Ioſephi nobilitas multum contulit ad apicem ſanctitatis, ad quem aſſurrexit. p.614.c.1

Ioſeph virtutibus, & gratiis omnium Sanctorum Patrum, abundè fuit ornatus. ibid.

Ioſephi, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, non ſimulatum, ſed verum fuit matrimonium. p.614.c.2

Ioſeph ex ſancto, & caſto Virginis Deiparæ coniugio fuit illuſtrior. p.615.c.1

Ioſephi coniugium non fuit inglorium glorioſæ Virgini Mariæ. p.615.c.2

Ioſeph virtutis omnigenæ ſtemmate fuit nobilior, quam proſapia deducta à Regibus. p.616.c.2

Ioſephi virtutum catalogus omnium virtutum chorum concludit. p.617.c.2

Ioſephi iuſtitiam omnimodam quænam argumenta gratam atque notam efficiant. ibid.

Ioſephi pietas præclara quibuſnam rationibus nobis innoteſcat. ibid.

Ioſeph eſt elegans illuſtrium omnium virtutum compendium. ibid.

Ioſepho totum ſe tradidit Dominus Ieſus, qui & voluit ſubdi ei. p.618.c.1

Ioſephi elegans comparatio cum capite humano, cuius vide congruentias. p.618.c.2

Ioſephi dignitas, & tituli potiores honoris, & gloriæ vnde peti poſſint. ibid.

Ioſepho ſubdita fuere prima capita totius generis humani, ſcilicet, Ieſus & Maria. ibid.

Ioſephi virtutes inſignes, quare Scriptura ſacra velo ſilentij obuoluat. p.620.c.1

Ioſeph cùm ab Euangeliſta nomen iuſti accepit, adæquatè fuit laudatus. ibid.

Ioſephum nuncupando iuſtum, quid Scriptura ſacra velit hinc inferre. ibid.

Ioſeph repetitis pueruli Ieſu ſacris amplexibus ſanctior effectus eſt. p.62[illegible].c.2

Ioſeph ab æterno fuit ordinatus à Deo vt eſſet nutritius Chriſti. p.621.c.1

Ioſephi dignitatem ipſis etiàm Apoſtolis eminere, quibus rationibus comprobetur. p.621.c.2

Ioſeph amando puerulum Ieſum, non incurrit in periculum exceſſus amoris. p.621.c.1

Ioſeph quomodo Princeps extiterit. p.623.c.1

Ioſeph qua ratione fuit ab æterno ordinatus ad Dominum Ieſum. ibid.

Ioſeph à Chriſto fuit titulo patris honoratus, quod nec Angelo fuit conceſſum. p.623.c.2

Ioſephi laudes, encomia, prærogatiuæ, & tituli inſignes ex Bernardo. p.622.c.1

Ioſepho quale obſequium Chriſtus exhibuerit, eleganter Bernardus deſcribit. p.624.c.1

Ioſephi vultus habuit lineamenta congrua vultui Domini Ieſu, & Mariæ. ibid.

Ioſepho Deus obediuit. p.624.c.2

Ioſephi poteſtas ſublimis egregio ſymbolo lineata, cuius vide deſcriptionem p.624.c.1

Ioſephi pulchritudo commendatur, & quibuſnam rationibus aſtruatur. p.628.c.1

Ioſephum virginem fuiſſe, liquet iis argumentis, quæ vide p.634.c.1

Ioſephum ſe obſtrinxiſſe voto virginitatis, vnde nobis conſtet. p.634.c.2

Ioſephi prærogatiuæ, & virtutes præclaræ, ſingulari honore dignum eum efficiunt. p.640.c.1

Ioſephi ſuffragia apud Deum quàm ſint æſtimanda, ab eius clientibus. p.640.c.1

Ioſeph quantus ſit in gloria, quibus argumentis agnoſci poſſit. p.641.c.1

Ioſephi oratio quænam ſit, quam fundit in cælo pro ſuis cultoribus. p.641.c.2

Ioſephi virga florens ſingulari prodigio, fecit eum Sponſum Beatiſſimæ Virginis. p.643.c.1

Ioſeph vt floridus amat eos, qui omnium virtutum floribus vernant. ibid.

Ioſephi humilitas ſuggeſſit ei, vt recederet à Maria vt indignus eius contubernio. p.646.c.2

Ioſephi timor ob Beatiſſimam Virginem Mariam qualis extiterit. p.647.c.1

Ioſephum quare ſacra Scriptura vocet filium Dauid, vide p.651.c.2

Ioſephi tituli potiores, & præclaræ laudes ſunt cum Deo communes. p.658.c.1

Ioſepho datum, quod aliis Sanctis eſt negatum, quid hoc ſit vide. ibid.

Ioſeph aſſuetus Angelis, & quibus argumentis hoc probetur. p.658.c.2

Ioſephi amor erga Deum, ad quem ardoris gradum incanduit. p.659.c.1
Ioſeph præ aliis debuit propiùs accedere ad Mariæ ſanctitatem, & virtutes. 660.c.2
Ioſeph etiam dormiendo fuit dignatus Angelorum colloquio. ibid.
Ioſeph fomitis peccati non ſenſit iniuriam, etiam Apoſtolis importunam. p.663.c.1
Ioſephi dignitas ſublimis, quibus argumentis, & rationibus ſtabiliatur. p.664.c.2
Ioſephi domum diabolus ſubire non potuit, vt ſciret quid ageretur ibi. p.666.c.1
Ioſephi ædes quare non potuit ſubire dæmon, ignarus eorum quæ fiebant illic. ibid.
Ioſeph quibuſnam gradibus aſcenderit ad omnium virtutum culmen. p.670.c.1
Ioſephi & Mariæ mutuus amor, quàm ſanctus, & caſtus. p.671.c.1
Ioſeph fuit holocauſtum, ita Deo ſacrum, vt caro nihil in illo ſibi reſeruarit. p.671.c.2
Ioſephi, & Mariæ Virginis, coniugalis amor, qualis extiterit. ibid.
Ioſeph quàm intensè fuerit amatus à glorioſa Dei genitrice. p.674.c.2
Ioſephi encomia celebrare ſicut par eſt, res eſt ſupra vires humanas. p.678.c.2
Ioſephi relatio cum nouilunio præclara, cuius vide congruentias. p.682.c.2
Ioſephi & Mariæ coniugium, quanam ſanctitate fuit conſpicuum. p.683.c.2
Ioſephi nobilitas magna fuit, quia regalis eius extitit proſapia. p.684.c.2
Ioſeph quando ſuum diem extremum obiit, ſedulò inquiritur. p.475.c.1
Ioſeph mortuum eſſe priuſquam Chriſtus pateretur, multiplici ratione liquet. p.677.c.1
Ioſephi mortem glorioſam effecere Ieſu Chriſti, & Beatæ Virginis Mariæ præſentia. p.677.c.2
Ioſephum fuiſſe poſt mortem, & Aſcenſionem Chriſti euectum in cælum corpore rediuiuo. p.678.c.2
Iouis olim quædam area multis prodigiis, & priuilegiis ſingularis. p.250.c.1
Iſidi olim inhumane nefas erat in ſacrificiis offerre ſuem. p.608.c.1
Iſis olim aſpernata capras, & rationes huius auerſionis. p.554.c.2
Iudas quare ſuum poſt crimen horrendum, omni ſpe prorſus excidit. p.59.c.1
Iudicis optimi partes quænam eſſe debent, vt dignè ſuo fungatur officio. p.48.c.2
Ius generaliter loquendo, quomodo ſolet definiri. p.445.c.2. & p.450.c.2
Iunoni olim quare fuit magno ritu triplex dedicatum. p.607.c.1
Ius Romanum quid ſit, & quomodo ab alio iure diſtinguatur. p.451.c.1
Iuſtificatio animæ peccatis obnoxiæ qua ratione debet procurari. p.190.c.1
Ius idem eſſe ſolet vbi eadem omnino ratio conſpicitur. p.664.c.2
Iuſtitiæ perfectæ finis, ſeu ſcopus præcipuus qualis eſſe debet. p.445.c.2
Iuſtitia eſſe debet quadrata ſicut congruis rationibus comprobatur. p.617.c.2
Iuſtitia perfecta comes eſt omnimodæ pietatis, & virtutis. ibid.
Iuſtitiæ ſuis omnibus numeris abſolutæ elegans deſcriptio. p.629.c.1
Iuſtitia vera compaſſionem habet, falſa vero reis ſolet indignari. p.512.c.1
Iuſtitia virtus eſt omnes animæ partes, & potentias perficiens. p.619.c.2
Iuſtitia virtus eſt generalis, quæ prædicari poteſt de aliis virtutibus. p.558.c.1
Iuſtitia concludit omnes alias virtutes, vt totum ſuas partes. p.620.c.1
Iuſtum eſſe quid ſit. ibid.

L

LAbarum è cælo datum Gallis quibus in bellò ſæpe ſalutare fuit. p.148.c.1
Lacrymarum fluxum vt coërceat dæmon, cautè ſuam omnem adhibet induſtriam. p.68.c.1
Lacrymarum, & ſudoris comparatio præclara, cuius vide congruentias. p.259.c.2
Lacrymarum virtus ſingularis deſcribitur ex profeſſo. p.259.c.1
Lacrymas principium eſſe verum terſioris vitæ vide p.258.c.2
Lacrymæ fuſæ puro, & contrito corde viam ſternunt ad ſacram Communionem. ibid.
Lacrymæ ex corde contrito expreſſæ viam ſternunt ad Deum. p.259.c.1
Lacrymæ Petri fuſæ, quia Chriſtum negarat, eodem momento ſcelus eius diluerunt. p.259.c.2
Lacrymarum virtus, & encomia magna, quorum ſeriem vide ibid.
Lacrymæ fuſæ, Deo vt gratæ ſint, quas conditiones exigunt. p.260.c.1
Lacrymæ Mediolanenſium rebellium profuerunt illis ad veniam. ibid.
Lacrymæ diuiduntur, in quaſdam cæleſtes, & in alias terreſtres. p.364.c.1
Lacrymarum cum aquis niuis comparatio, cuius vide conuenientias. ibid.
Lacrymarum nomine quid Sancti, & Scriptura ſacra velint inſinuare. p.364.c.2
Lacrymæ Magdalenæ, quàm fuerint efficaces ei ad ſalutem procurandam. p.365.c.1
Lacrymæ fuſæ quales eſſe debent, vt procurare nobis poſſint veniam. ibid.
Lacrymæ copioſæ fœcundarunt Annam matrem Samuelis antea ſterilem. ibid.
Lacrymæ ſalutares quanam arte queant excitari ab homine pœnitente. ibid.
Lacrymæ calidæ quænam ſint, & quonam ardore debent calere. p.365.c.2
Lacrymis abundè madens, & delibuta fuit vita Sanctorum. p.366.c.1
Lacrymæ in hoc ſæculo, & gaudia alternis eunt, & ſibi ſuccedunt. ibid.
Lacrymæ quas excitat contritio peccatorum conciliant conſolationes Dei. ibid.
Lacrymarum vis, & virtus eſt tanta Deo vt vim faciant, & eum quaſi cogant. p.537.c.1
Lacrymas effuſas abundè Dei intuitu, ipſe Deus aliquando abſterget. p.537.c.2
Lacrymæ quas pœnitentes effundunt, dicuntur eſſe vinum Angelorum. ibid.
Lacrymæ animas pœnitentes opiparè paſcunt, & blandè conſolantur. p.538.c.1
Lacrymarum virtus, & poteſtas in Deum ſubiratum peccatoribus. ibid.
Lauacra de quibus ſæpe ſacris in libris fit mentio, quid ſignificent. p.360.c.1
Lectus animæ quid ſit. p.364.c.2
Leſcus olim Regnum Poloniæ reſpuit, vt charitatem ſeruaret. p.114.c.1

Leonis IX. Summi Pontificis quanta fuerit excellentia Charitatis. p.139.c.1
Leonis Imperatoris filius infantulus petitur à populo in Imperatorem. p.4.c.1
Leucotheæ fontis prodigioſi, effectus, & virtutes quam ſint ſingulares. p.146.c.2
Leunichildus Rex hoſtis ſpiritus ſancti; congruas luit pœnas. p.148.c.1
Lex quid ſit. p.458.c.1
Lex Dei, quos ſalutares effectus ſortiatur in anima Chriſtiana. p.447.c.1
Lex vetus olim non poterat cultores ſuos iuſtificare, ex opere operato. p.346.c.1
Lex Euangelica præualet antiquæ, quippe ſuos cultores iuſtificat. ibid.
Lex vetus quare dicta fuit ab Apoſtolo Paulo, litera occidens. ibid.
Lex antiqua ſiue Moſaica, quare nuncupata fuit vetus teſtamentum. ibid.
Lex Orchia quare lata fuit, & quænam illa quondam extiterit. p.371.c.2
Lex Fannia à quo, & quando lata fuit, & quodnam fuerit eius argumentum. p.372.c.1
Lex Didia, à quo ſic nuncupata fuit, & eius ferendæ qualis anſa fuit. ibid.
Lex Licinia vnde ſuum habuit ortum, & quæ cauſa fuit eius. ibid.
Lex Cornelia quare, & quando fuit lata, & quis eius auctor extitit. ibid.
Legum Sanctarum obſeruatio exquiſita, maior eſt imperio. p.658.c.2
Leges obſeruare debet Princeps ipſe, licet ille ſuis non teneatur legibus. ibid.
Leges vnde ſuam trahant originem, & quando primùm latæ ſunt. p.446.c.2
Leges quanta in ſubiectos eis homines polleant poteſtate. p.458.c.1
Legis Sanctæ violatores ſeuerè diris ſuppliciis à Deo puniuntur. p.447.c.1
Leges obſeruandæ ab ipſo legiſlatore, ſuo vt exemplo ratas, & fixas eas efficiat. p.454.c.2
Leges omnes ſunt in duplici differentia. Nempe quædam ſunt ciuiles, aliæ Canonicæ. p.446.c.1
Leges edi debent verbis perſpicuis, vt latæ queant ab omnibus intelligi. p.180.c.1
Leges latæ contra gulam fuere plures, quarum vide ſeriem. p.371.c.2
Liber Tertulliani, quam charus, & laudatus olim à ſancto Cypriano. p.458.c.2
Liber vitæ S. Antonij Abbatis lectus à duobus aulicis eos conuertit. ibid.
Libros abſtulit Chriſtianis Iulianus Apoſtata, vt ſic eos auerteret à fide. p.457.c.1
Libros Ouidij, de arte amandi quanti fecerit Ælius Verus Imperator. p.439.c.1
Libros omnes Scripturæ ſacræ ſæpe legit Alphonſus Rex. ibid.
Libros quanti faceret Alphonſus Rex literarum amantiſſimus. p.445.c.1
Libri qua cautione legendi ſint, vt ſuis lectoribus prodeſſe queant. p.448.c.2
Libri Vitruuij de architectura Regi Alphonſo perquam chari. ibid.
Liber hiſtoriarum Philippi Comminæi familiaris erat Carolo V. Imperatori. ibid.
Librorum vtilium lectione viri multi profecere, quorum aliquos vide p.449.c.1
Libri Porphyrij Philoſophi impij combuſti, & quænam cauſa fuit combuſtionis huius. pag.454. col.2
Libri vtiles, & docti, multum æſtimati à Pio V. Summo Pontifice. p.459.c.1
Liber vſurpatus pro ſymbolo ſingulari à Friderico Rege, & quo intento. p.459.c.1
Libros quanti faceret Siliceus Antiſtes, & elegans eius reſponſum in gloriam librorum. p.460.c.1
Librorum elegans encomium, & laudes præclaræ, quarum ſeriem vide ibid.
Liber vitæ quid ſit apud Theologos, & quorum hominum nomina ſunt inſculpta libro illi. p.28. col.2
Libros ſacros qui dedere Iuliano Apoſtatæ vt eos combureret, à fide defecerunt. p.460.c.1
Libros vitæ Romanorum illuſtrium Fridericus Imperator iuſſit traduci lingua vernacula. p.461. col.1
Librum Thomæ à Kempis olim quanti fecerit Sanctus Ignatius à Loyola. p.461.c.2
Libros ſacros eo intento nequam & ſacrilegus Imperator Diocletianus combuſſit, vt Religionem extingueret. p.476.c.1
Liber hæreticus cauſa fuit, cur Beatiſſima Virgo Maria non eſt ingreſſa cellam Cyriaci. p.477. col.1
Libri Philolai quanti fuerint æſtimati à Platone viro ſua ætate claro. p.478.c.2
Libri Sophronis multum æſtimati à Pythagora, viro ſuo æuo famoſiſſimo. ibid.
Liberalitas Furij Placidi celebrata fuit, vt præ aliis omnibus ſingularis. p.334.c.2
Lienteria quænam ſit ſpecies morbi, & vnde ſuum nomen deducat. p.241.c.2
Lilia in ſymbolis, & hieroglyphicis quid ſignificare ſolent. p.436.c.2
Lilia vnde ſuam albedinem emendicaſſe vetus crediderit Gentilitas. p.635.c.2
Lilium aureum ex corde aureo emergens oblatum olim Ludouico XI. Regi Gallo. p.635.c.1
Lilia exciſa florent in aquis, vnde vide factum ſymbolum egregium. p.183.c.1
Linea recta quid ſit, & qua ratione talis linea definiatur. p.431.c.2
Locus ille ſacer eſt, in quo fuere ſacræ ædes olim ædificatæ. 454.c.1
Locuſta vile animal eſt ſymbolum amoris in propria commoda recurrentis. p.112.c.2
Lucis inuocatio. p.2.c.1
Ludouicus IX. Rex Chriſtianiſſimus & hic Sanctus, moriturus miſit cilicium filio ſuo. p.133.c.1
Lodouicus XII. Rex Chriſtianiſſimus repudiat vxorem ſuam, cui libertatem debebat. p.26.c.2
Ludouici XII. Regis Chriſtianiſſimi, & Ferdinandi Regis Arragonum conuiuium ſolenne. p.71.c.2
Ludouicus XII. Rex Chriſtianiſſimus quanti æſtimarit Conſaluum Ducem. ibid.
Lumen quid ſit. p.57.c.2
Lumen corporale multimodè differt, & diſtinguitur à lumine ſpiritali. p.79.c.1
Luminis effectus mirabiles ſunt, & varij, quorum ſeriem vide p.281.c.2
Luna argentea olim aſſuta calceis puerorum nobilium, quid ſuo ſymbolo denotaret. p.264.c.2
Luna qua ratione ſuos faciat influxus in corpora ſublunaria. p.118.c.1
Lunę miri, & potentiſſimi effectus in corpora ſublunaria. p.567.c.2
Luna plena fuit aliàs adorata ſicut Numen ſingulare à Spartanis. p.601.c.1

Luna

Luna quare typus olim, & ſymbolum inconſtantiæ extitit apud omnes Gentes. ibid.

Lunæ quænam Gentes in ſacrificiis ſuis obtulerint homines immolatos. p.608 c.1

Lunæ fuere dicati, & conſecrati quondam ſerui ab Albanis. p.674.c.2

Lupi quædam induſtria ſingularis. p.178.c.2

Lupi quando cibos congruos reperiunt terram euomunt, quam deglutierant vrgente fame. p.251. col.1

Lux quid ſit, & qua ratione ſolet definiri à Philoſophis. p.115.c.2

Lux prima fuit edita, quando Deus auſpicatus eſt creationem huius vniuerſi. p.78.c.2

Lux ſenſibilis affulſit olim Henrico IV. Regi Galliæ Chriſtianiſſimo p.59 c 2

Lux diuina quibus differentiis diſtinguatur à luce humana. p.58.c.1

Lux & pluuia eodem vocabulo efferuntur apud Hebræos. p.59.c.1

Lux effectus habet mirabiles, & valde ſingulares, quorum ſeriem vide p.60.c.1

Luxuria fœda mutum fecit hominem, cuius hiſtoriam ſingularem vide p.125.c.2

Luxuriæ cœno quiſquis ſe infecit, qua cautione debet ſuas fæces detergere. p 555.c.1

Luxuria Menalippi credita fuit horribilem peſtem in Græciam inuexiſſe. p.554.c.2

M

Magiſtri Principum quidam fuere viri inſignes, quorum vide nomina. p.621.c.1

Magiſtri prima nobilitas eſt diſcipulorum ardor & cupido benè ſtudendi. p.589.c.1

Magorum pietas ſingularis in puerulum Ieſum, quem proſtrati humiles adorarunt. p.77.c.2

Mahumetis induſtria, vt ſibi ignaræ plebis conciliaret obſequium, & cultum. p.158.c.1

Malorum ſeu iniquorum hominum, verba fidem numquam ſibi conciliant. p.572.c.2

Mammea mater Alexandri Seueri Imperatoris eum fecit propiorem Chriſtianis. p.452.c.1

Manna qua debebat olim cautione legi, vt proficeret collectoribus. p.172.c.1

Manus terſæ ſine rugis diſcernunt homines nobiles ab his, qui plebeij ſunt. p.415.c.2

Manus Epiſcoporum quales eſſe debent, ſi reuerà ſuo velint officio fungi. p.21.c.2

Marcelli II. Summi Pontificis facinus egregium editum ipſo die electionis eius. p.29.c.2

Marcelli II. Summi Pontificis egregium apophthegma marmori inſculpendum. p.9 c.2

Marchionis Marignani, & Monluci Ducum æmulorum Comitas adinuicem. p.69.c.1

Marchionis Senecei vita, virtutes, & mors Chriſtiana bonis omnibus imitanda. p.654.c.1

Mariæ inuocatio.

Maria inuocata ſicut par eſt ſedat omnes omnium vitiorum æſtus. p.427.c.1

Mariæ ab Apoſtolis templa erecta, licet ea adhuc eſſet in humanis. ibid.

Maria inuocata pio animo Iuſtinum Imperatorem mente captum ſanat. ibid.

Maria eſt aduocata tota ſuauis, nullum omnino ſuis clientibus terrorem incutiens. p.427 c.2

Maria nunquam inuocatur gratis, & perperam, modò benè inuocetur. ibid.

Maria quomodo reformarit Adam, & penes quid attendatur hæc reformatio. p.426.c.2

Maria dedit fructum ſalutiferum humano generi, quo ſanatur omnis Adæ proſapia. p.429.c.1

Mariæ inuocatio eſt valdè ſalutaris eis, qui inuocant illam ſuis in neceſſitatibus. p.430 c.2

Maria ſuis ſuffragiis efficacibus intercedente apud Deum omnia renouantur. ibid.

Mariam, quo præuio apparatu, & cautela clara, & illuſtris fœmina Ioanna Auſtriaca orauit. p.432. col.1

Maria vt ſol omnibus beneficus, influit in omnes etiam homines ſiue bonos, ſiue malos. p 435.c.1

Mariam vt omnium hominum aduocatam, vult Deus ab omnibus inuocari. p.438 c.2

Mariæ cultor eximius, & elegans encomiaſtes olim fuit Sanctus Bernardus. p.439.c.1

Mariam excolendi dignè ſicut par eſt, & vtiliter methodus egregia. p 440 c 2

Maria mater eſt fiduciam generans omnibus ſuis clientibus. p.441.c.2

Maria ab inferno nequam hominum liberat animas, eis impetrando donum contritionis. p.442. col.1

Maria qua ratione toti mundo obtinuit gratiam poſſe ſaluari. ibid.

Mariæ cultum fugiunt reprobi, & hæc fuga nota indubia eſt reprobationis. p 443.c.1

Maria eſt ſalutaris ægris omnibus, eis impetrando donum ſanitatis corporis, & animæ. p.443.c.2

Mariam non amare, mala omnia temporalia, & æterna inuehit in animam. p.444

Maria neminem arcet à ſuis ſuffragiis, ſed vt ſalutaris omnibus prodeſt. ibid.

Maria peccatoribus etiam propitia, & benigna, licet eius ſuffragiis ſint indigni. ibid.

Maria eſt terra ferax omnium bonorum, omnibus hominibus proficua. p 445.c.1

Maria copioſè ſuis ſic gratiis alluit homines, vt omnes debitores ei ſint. ibid.

Mariæ curâ ſe porrigit in omnes terræ fines, & omne genus humanum. p.450.c.1

Mariæ auxilium quàm efficax in gratiam hominum, qui inuocant eam. p 453.c.2

Mariæ imaginem affixam in pileo ſuo portabat Ludouicus XI. Rex Chriſtianiſſimus. p.455.c.1

Maria ſuis cultoribus à Deo impetrat largum omnium virtutum influxum. p.461.c.2

Maria eſt precibus aſſiduis commouenda, dona vt eius in nos influant. ibid.

Mariæ miſericordiam inſignem, & ſalutarem expertus eſt Theophilus. p.465 c.2

Mariam dignè, & vtiliter inuocandi, methodus, & formula ſingularis. ibid.

Mariam qui non colunt, malè profectò ſuis conſulunt rebus, & ſaluti. p.466.c.1

Maria ſalutare fuit ſemper, eſt, & erit refugium omnium hominum. p.466 c.2

Maria infans etiam benefica fuit. ibid.

Maria vt ſit propitia, quid exigat abſolutè ſuis à cultoribus, & clientibus. p.468.c.2

Mariæ imago aſpecta Regi Carolo VIII. conciliauit affectum puritatis. p.474.c.2

Maria cingulum tradit caſtitatis. ibid.

Mariæ imagine abiecta malè periit Bardas Dynaſta; cuius vide fatum iniquum. p.476 c.2

Maria quare dicatur à S. Bernardo ſuperplena nobis gratia. ibid.

Mariam qui non rogant, peccant in illam, & hoc malè cedet eis. ibid.

Mariæ ſeruus, & cliens, Chriſto nihil detrahit, immò

magis

magis ei obſequitur. p.488.c.2
Mariæ plenitudo gratiarum ſe ſe in omnes homines largiter infudit. p.501.c.1
Maria inuocata, Deum reconciliet. Vide formulam inuocandi eam. p.505.c.2
Maria mater eſt omnium: nempe cælo parit eos, qui ſe dignos præſtant eius ſuffragiis. p.504.c.1
Maria omnibus omnia effecta eſt, omnibus enim neceſſitatibus omnium ſubuenit. p.521.c.2
Mariæ affinitas cum peccatoribus eſt magna, & vnde petatur oſtenditur. p.539.c.1
Maria virum reddidit incolumem, quem ſauciatum perdidit Eua. ibid.
Maria in curru triumphali poſita ab Imperatore Caloioanne. p.558.c.2
Mariæ inuocatio aſſidua ſuadetur à Sanctis, tanquam maximè ſalutaris. p.561.c.1
Maria inuocata ſicut par eſt, quænam beneficia impertiat clientibus. p.561.c.2
Mariæ precibus, & ſuffragiis inuocari Chriſtus in cælo gratum habet. ibid.
Mariæ inuocatio vt ſalutaris, quibuſnam ſuadetur argumentis. p.565.c.2
Maria fons eſt, & ſcaturigo boni omnigeni, ad quam eſt ab indigis omnibus accurrendum. ibid.
Mariæ quadrant omnes ſalutares influxus Lunæ in homines. p.568.c.1
Mariæ lux cæleſtis, quam beneficos, & ſalutares effectus ſortiatur. ibid.
Mariæ cultum hominibus proficuum, quare dæmon impedire tentet. p.570.c.2
Mariæ cultus redundat ad gloriam Domini Ieſu filij eius. p.570.c.1
Maria eſt totius generis humani reuocatio ad gloriam, qua exciderat. p.571.c.1
Maria eſt humiliter oranda, gratas vt habeat preces noſtras. p.572.c.2
Mariam non colere, eſt manifeſtus index deploratæ ſalutis. p.576.c.1
Mariam feruenter, & ſalutariter inuocandi breues quædam formulæ. p.581.c.2
Maria eſt aduocata. p.581.c.1
Mariam orat Eraſmus, homo Deo & Eccleſiæ ſanctæ iniurius. p.582.c.1
Maria quibus ſit conuenienda votis, & precibus ab eius cultoribus. ibid.
Maria intercedente quid debemus optare nobis concedi. ibid.
Mariæ cura, ſeu ſolicitudo, bono & ſaluti omnium hominum inuigilat. p.582.c.2
Mariæ intereſt, vt illa ſuis cultoribus adſit propitia, exaudiendo preces eorum. ibid.
Maria inuocatur à Sancta Eccleſia, initio & in fine omnium horarum Canonicarum. p.546.c.2
Maria curam gerit hominum peccatorum; vt ſaltem eorum aliqui reſipiſcant. p.583.c.1
Maria vt ſcaturigo boni indeficiens, aliquid impertit omnibus ſanctis. ibid.
Maria eſt in omni aduerſitate, ſeu neceſſitate velox adiutrix. p.583.c.2
Mariæ potentiſſimum eſt auxilium in gratiam eius ſeruulorum. p.585.c.1
Mariâ inſciâ nihil nobis datur, ſed eius precibus nobis omnia conceduntur. p.585.c.2
Maria omnes homines iuſtos, & iniuſtos adiuuat, vtpote benefica omnibus. p.587.c.1
Mariæ quare fuit conſecratum famoſum illud Pantheon ab Agrippa erectum. p.587.c.2
Mariæ ſuffragia, & preces apud Deum, quibuſnam præcipuè hominibus proſint. p.592.c.1
Maria eſt bona bonis, id eſt præſertim influit in animas iuſtas. p.592.c.2
Mariæ preces quare Deo gratæ. p.594.c.2
Mariæ & Chriſti cultum indiuiduum eſſe, quibus argumentis conſtet. ibid.
Mariam inuocandi formula præclara, cuius ſuadetur vſus. p.595.c.1
Maria mediatrix eſt omnium hominum, apud Dominum Ieſum. ibid.
Maria præ omnibus Sanctis eſt ſollicita pro nobis apud Deum. p.597.c.1
Maria ſuis precibus fuſis in gratiam hominum facit nobis filium ſuum propitium. p.597.c.2
Maria propter peccatores eſt effecta, Dei vt gratiam conciliaret eis. ibid.
Maria Regina pietatis, repulſam à Deo quem orat non patitur. p.596.c.1
Mariæ nomen aquæductus conuenit, propter multas congruentias. p.296.c.2
Maria quare ſit obſtetrix. p.598.c.1
Maria plus poteſt, quàm quod garrula gentilitas finxit de Diis ſuis. p.598.c.2
Maria quare hominum cuiuſcunque ſint ſortis, ſeu conditionis ſit aduocata. ibid.
Mariæ preces ad omnes homines vt omnibus proficuæ ſe porrigunt. p.599.c.1
Maria mater miſericordiæ. ibid.
Maria quid ſingulare dederit omnibus hominibus, & Angelis. ibid.
Maria omnia omnibus effecta eſt. p.599.c.1

Mariæ encomia.

Mariæ laudes à quibuſcunque fuſæ ſunt impares meritis eius. p.421.c.1
Maria quoſnàm habuit antiquitus in ſacra Scriptura typos, & figuras. ibid.
Maria conſtat omnibus creaturis. p.421.c.2
Maria rerum omnium exquiſitam habuit notitiam cælitus infuſam. ibid.
Mariæ ratio ſuffragata facit auctoritatem cui innituntur ea, quæ dicuntur in gratiam eius. ibid.
Maria quare nuncupetur à quibuſdam, liber generationis Ieſu Chriſti. p.420.c.2
Maria quare nouum miraculum nuncupetur à quibuſdam Sanctis. p.422.c.1
Maria eſt liber Philoſophiæ, & qualiter illi conueniat hæc nuncupatio. p.422.c.2
Maria ab æterno fuit viſa Deo digna vt eſſet mater Domini Ieſu Chriſti. p.423.c.1
Maria munifica ſe beneficam præſtitit cælis, & terræ ſingulis aliquid impertiens. p.423.c.2
Mariæ lux coruſca maior eſt, & gratior lumine omnium Angelorum. ibid.
Maria eſt liber concludens omnes Theologiæ partes, vt conſtat ex conuenientiis, quas vide p.426. col.1
Mariæ locuples encomium, & laudes præclaræ, quarum conſule contextum. p.426.c.2
Maria eſt arca. ibid.
Maria eſt liber Mathematicæ, vt videre eſt ex multis congruentiis. p.428.c.2
Mariæ diſpendia præcipua quæ attulit Eua nobis, optimè reparauit. ibid.
Maria fuit Euæ oppoſita. ibid.
Maria antidotum Euæ. ibid.
Mariæ conſenſus exigitur ab Archangelo Gabriele pro Incarnatione. p.430.c.1
Mariæ pulchritudo laudatur. ibid.
Mariæ cum fœderis arca comparatio præclara, cuius vide rationes. ibid.

Maria eſt dioptra. p.433.c.2
Maria omnes Angelos, & Sanctos, virtutibus, meritis, & gratiis antecellit. p.433.c.2
Maria quare cælo capacior ſit, & quibus hoc probetur rationibus, & argumentis. p.434.c.1
Mariam fuiſſe prorſus immunem à fomite peccati, qua ratione nobis conſtet. p.457.c.2
Maria ſtellis coronata magis eas ornat, quàm illa ſuis à ſtellis exornetur. ibid.
Mariæ corona in gloria æterna quibus gemmis pretioſis, & rutilis irradiet. p.435.c.1
Maria quare ſole amicta deſcribatur à Ioanne Apoſtolos, ſubobſcurè dotes eius animæ lineante. ibid.
Mariæ fuiſſe datam in cælis plenitudinem gloriæ nemo facit dubium. ibid.
Mariam penetraſſe lucis inſcrutabilem abyſſum, quid myſticè ſignificet. ibid.
Mariæ lux quanta ſit inueſtigatur exquiſitè modis congruis. p.435.c.2
Mariæ pedibus Lunam ſubiectam eſſe, quid myſticè deſignet. ibid.
Maria quot modis Dominum habuerit ſecum inquiritur, & explicatur. ibid.
Mariam fuiſſe puris, & vernantibus liliis conſitam, quid typicè ſignificet. p.436.c.2
Maria habuit priuilegia, quæ falsò dicuntur à Planetis hominibus concedi. p.438.c.1
Mariæ ſacrum, & cæleſte nomen de theſauro diuinitatis fluxit. ibid.
Maria vt omnium hominum curam agens, omnibus etiam prouidet. p.438.c.2
Mariæ lux omnium hominum tenebras, & caliginem diſcutit. ibid.
Maria eſt aſtris omnibus illuſtrior, & vnde tale lumen ei ſit inſitum. ibid.
Maria quare malè agentibus pauorem incutiat, inquiritur. ibid.
Mariæ nomen vnde ſit deriuatum, & quid propriè ſignificet. p.440.c.1
Maria eſt mare in quod omnes gratiæ cateruatim confluunt. ibid.
Mariæ nomen quidpiam amarum ſonat, & quænam ſit hæc amaritudo. ibid.
Maria quare mare amarum ſit omnibus legionibus dæmonum. ibid.
Maria fons eſt perennis gratiarum, & benedictionum, quæ alluunt omne genus humanum. p.440.c.2
Maria cur ſideri comparata. ibid.
Maria ſuis benedictionibus, & gratiis à Deo impetratis animas ſuorum cultorum impinguat. pag.4:1.c.2
Maria eſt lux quæ non tantum illuminat, ſed & calorem cordibus ingerit. p.440.c.2
Maria eſt terra benedicta, & in gratiam hominum copioſè manans & diffluens lacte, & melle. ibid.
Maria eſt fons ſanctitatis; ſiquidem illa ſuis precibus ſanctitatem impetrat eis, qui illam inuocant. p.444.c.1
Mariæ mors eſt ſubiecta, ſicut ei, quæ Dominum Ieſum auctorem vitæ nobis protulit. ibid.
Maria lethale virus quod Eua nobis infuderat incautè, prudenter abſtulit. p.445.c.1
Mariæ ſpiritus nec dormiendo vacans erat ab omni opere, ſed lecta volutabat. p.447.c.2
Mariam præſtantiorem fuiſſe fœderis arca patet rationibus, quas conſule. p.447.c.2
Mariæ conceptio illibata quibus rationibus, & argumentis fiat credibilis. p.449.c.2
Maria fuit vtriuſque legis obſeruantiſſima, ſcilicet Moſaicæ, quamdiu viguit, & Euangelicæ alia abrogata. p.448.c.1
Maria, qua ratione docet omnes. ibid.
Mariæ potentia eſt tanta, quanta poteſt eſſe maxima, & quare talis ei potentia inſit. p.453.c.2
Mariæ, & Euæ ſunt multiplices antitheſes, quarum tu ſeriem vide p.456.c.1
Mariæ fuit conſenſus à Deo expetitus antequam Verbum carnem in vtero eius aſſumeret. p.456. col.2
Maria vt purior cryſtallo fuit ab omni peccato cùm actuali, tum originali immunis. p.457.c.2
Mariæ ſanctitas ad quem ſublimitatis gradum præ aliis omnibus aſſurrexit. ibid.
Mariæ coronam auream abſtulit Leo Imperator, ſed quam malè ceſſerit illi ſacrilegium vide p.459.c.1
Mariæ ædes ſacras deiecit Iuſtinianus II. Imperator, vnde malè periit. p.461.c.1
Mariæ caro fuit immaculata: quibus autem rationibus hoc probetur vide p.464.c.2
Maria concepta ſub ſigno ſagittarij, & quid inde notare queant aſtrologi. p.465.c.2
Maria quare fuit nuncupata vexillifera à Sanctis, & quid hoc ſignificet. ibid.
Maria omnibus benefica. p.583.c.1
Maria terſit omnes maleficas Euæ reliquias, ominoſas humano generi. p.468.c.1
Maria fuit liber præuius Chriſto, qui eſt liber ſcriptus intus, & foris. p.470.c.2
Maria quare liber dicatur. ibid.
Mariæ opifex Deus qui ante Mariæ editionem nihil æquè nobile condiderat. p.471.c.1
Maria viuum Dei ſimulacrum. ibid.
Mariæ dignitatem, qui ignorat, ille neſcit quantum emineat Deus. ibid.
Maria quare dicatur in totò grata, vide ſeriem rationum, quæ huic argumento litant. p.472.c.1
Maria dicta ab Heſychio plenitudo Trinitatis, & non complementum vt male quidam explicant. ibid.
Maria quare dicta fuit à quibuſdam Sanctis, & Doctoribus, triclinium Trinitatis. ibid.
Mariam Dionyſius Areopagita vidit ſenſibili lumine radiantem. ibid.
Maria fuit cæleſte, & ſacroſanctum ſacrarium totius diuinitatis. p.473.c.1
Maria vt virgo, deſponſata, & vidua pertinet ad omnes ſtatus quos mulier habere poteſt. p.476.c.1
Maria pertinet ad omnes hominum ſtatus. ibid.
Maria quàm plena fuerit gratia oſtenditur plurimis, & congruis argumentis. p.476.c.2
Mariæ congratulandi elegans, & valde pia formula, auctore Sancto Anſelmo. p.477.c.2
Maria eſt vas ſingulare plenum cæleſti manna. p.482.c.2
Maria vas eſt electionis. p.485.c.2
Mariæ conſecratum Romæ fuit illud idem templum, quod olim omnibus diis gentium fuerat dedicatum. p.488.c.2
Maria idem ac illuminata. ibid.
Mariæ natiuitas, quàm fauſta fuit omnibus hominibus. p.500.c.2
Mariæ quando fuit ſubtractus omnino fomes peccati, ex S. Thoma. p.501.c.2
Maria Deo præ beatis omnibus Angelis, & præ omnibus Sanctis placuit. ibid.
Maria cæleſtis, & ſacta fuit concha ferens pretioſam margaritam. ibid.

Maria ſola inuenta ab Angelo docet virgines abeſſe procul ab hominum conſortio. p.502.c.2
Mariæ vterus Domino Ieſu Chriſto fœtus, non eam grauauit. p.505.c.1
Maria eſt enixa ſuum fœtum, ſcilicet Ieſum ſinè diſpendio virginitatis. p.504.c.2
Mariæ preces fuſas in gratiam hominum inſtè timet leo infernalis. ibid.
Maria qua ratione ſuum puerulum Ieſum in nobis parturiat. p.504.c.1
Maria eſt hortus voluptatis. p.504.c.2
Maria quare, & quomodo dicatur habuiſſe plenitudinem Sanctorum. p.518.c.2
Maria eſt fermentum Dei. p.519.c.1
Maria eſt omnium reparatrix. ibid.
Mariæ dignitas eminentiſſima abundè probat quantus ſit Deus. p.519.c.2
Mariæ quidam homo malè affectus, fato horrendo fuit ſublatus è medio. p.522.c.2
Mariæ nomen eſt titulus inſignis, & teſſera virtutis omnimodæ. p.522.c.1
Maria eſt armarium vitæ. ibid.
Maria ſanat vulnera, quæ incautè quondam Eua nobis inflixit. p.535.c.1
Maria excepit ſuô corde aciem gladij, qui erat in foribus Paradiſi. ibid.
Mariæ cantus ob ſuaue melos eius, omnem excluſit Euæ planctum. ibid.
Maria eſt celebranda dignis encomiis & laudibus ab omnibus hominibus. ibid.
Maria quare dicatur à Propheta Ieremia circumdediſſe virum. p.538.c.2
Mariæ cum Paradiſo comparatio præclara, cuius vide congruentias. ibid.
Maria prudenter elegit omnis vſquequaque boni meliorem partem. p.550.c.1
Mariæ ortus in hunc mundum incepit à multis miraculis, quæ vide p.550.c.2
Mariæ venter quare dicatur in Scriptura ſacra eſſe ſicut aceruus tritici. p.556.c.1
Mariæ ſors ſeu conditio futuræ matris Dei petebat gratiæ plenitudinem. p.556.c.2
Maria ſolium excelſum, & prædiues in quo Deus in maieſtate ſedet. p.557.c.1
Maria multis titulis, & meritis alias omnes creaturas excedit. p.557.c.2
Mariæ quare multa nomina ab auctoribus variis affingantur. p.560.c.1
Mariam ab æterno Deus tanti fecit, vt mundus propter eam factus ſit. p.560.c.2
Maria eſt filij ſui hæres. p.564.c.2
Mariæ cum arca Noë comparatio præclara, cuius vide conuenientias p.565.c.1
Mariam filius eius, ſcilicet Dominus Ieſus quomodo honorarit. p.567.c.2
Maria quando dicta fuit ab antiquis Patribus, feſti noſtri principium. p.568.c.1
Mariæ dominatio non eſt ſeiuncta à dominatione filij eius, ſcilicet Chriſti. p.569.c.2
Mariæ, & Chriſti adeo commune eſt præconium, vt laudes vnius redundent ad gloriam alterius. p.570.c.1
Maria eſt fons ſignatus. p.573.c.2

Mariæ imitatio.

Mariæ virtutes omnes ſingulares nos ſolicitant ad imitationem eius. p.433.c.1
Mariæ vita fœta virtutibus claris, eſt omnium hominum diſciplina. p.439.c.2
Maria eſt imitanda ab omnibus hominibus, & præſertim à cultoribus eius. p.444.c.2
Mariæ imitatio perfecta, eſt ſumma religio, ſeu perfectionis apex. p.449.c.2
Mariæ amor, quo ſe cultores eius flagrare dicunt, ſi imitatione palam. p.455.c.1
Maria vt gratia plena, procul abeſſe ſuis à cultoribus vult vitia, ſi quid odio habet ea. pag.467. col.1
Maria vt ſtipata claris virtutibus, amat eos, qui ſunt virtute conſpicui. ibid.
Maria cunctatur ſubire limen cellæ viri Sancti, ob librum hæreticum. p.477.c.1
Maria eſt idea perfecta, & exemplar inſigne omnium perfectionum. p.483.c.2
Mariam imitantes, ea præcipuè ratione probant ſeipſam amare. p.485.c.1
Mariæ imitatio perfecta prodeſt quàm maximè cultoribus eius. p.486.c.1
Maria eſt bona bonis. p.522.c.1
Maria inuocata ſuam faciem auertit ab Anatolio viro iniquo. p.539.c.2
Maria odit eos, qui ſe obſcœno luxuriæ cœno turpiter inficiunt. p.554.c.2
Maria quotidie proponenda nobis eſt vt exemplum ſedulò imitandum. p.589.c.1
Mariæ aſpectus ad caſtitatis affectum obuios quoſque fortiter incitabat. p.591.c.1
Maria quare dicta in Scriptura ſacra, venite de monte Libani. p.591.c.2
Mariæ virtutes ſpeciales ſunt propoſitæ omnibus hominibus ad ſequelam. p.592.c.1
Mariam attentè debet imitari ille, cui Beata Virgo Maria placet. p.593.c.1.
Mariæ ſagax, & exquiſita imitatio, perfectè reformat animas perditas. ibid.
Mariæ cultores ſinceri, & deuoti, quo cultu & ratione debent indui. ibid.
Mariæ veſtes defluentes amplitudine ſua, nobis eius virtutes inſinuant. ibid.
Maria omnes qui occurrebant ei excitabat ad amorem virginitatis. p.594.c.1
Mariæ cultores ingenui, & deuoti, quænam debeant accendere luminaria. p.606.c.1
Maria quorumnam hominum præcipuè preces, & roſaria auerſetur. p.626.c.1
Mariæ pulchritudo qualis extiterit. p.628.c.1
Maria quare ſit inuocanda ab imitantibus virtutes eius. p.629.c.2
Mariæ cultores plerique cultu tenus duntaxat, & hi ſunt hypocritæ. ibid.
Mariæ veri cultores, & clientes, clari virtutibus eſſe debent. p.630.c.1
Maria omnibus hominibus expoſita eſt vt virtutum omnium exemplar. p.676.c.1

Mariæ virtutes.

Maria fuit omnium virtutum illuſtrium exemplar abſolutum. p.423.c.1
Mariæ quanta fuit virginitas. p.429.c.2
Mariæ quam alta fuit humilitas. ibid.
Maria virginitatem cum humilitate ſociauit. p.431. col.1
Mariæ humilitatis indoles exquiritur accuratè. Vide p.431.c.2.& p.654.c.1
Mariæ miſericordia multò nobis vtilior eſt aliis eius virtutibus. p.432.c.1
Mariæ miſericordia, quàm magna. ibid.
Mariæ miſericordia, quas longitudinis, & latitudinis dimenſiones habet. ibid.
Maria virtutum omnium ſublimium eſt magiſtra doctiſſima. p.447.c.2
Mariæ humilitas profunda ſuis lineata coloribus,

ac

& dignè commendata. p.452.c.2
Mariæ humilitatem fuiſſe talem, quanta poteſt eſſe maxima, quænam rationes aſtruant. p.453.c.1
Maria ſua alta humilitate dona ſibi magna, & pluſima procurauit. p.457.c.2
Maria eſt illibatæ virginitatis inſigne, ſeu teſſera puritatis. p.459.c.2
Maria eſt collegium ſanctitatis. p.474.c.2
Maria eſt pudicitiæ decus. ibid.
Maria, Dei ſacrificium. ibid.
Mariæ paupertas fuit altâ. Quibus rationibus hoc probetur vide p.551.c.1
Maria eſt imago Solis. p.558.c.2
Mariæ humilitas fusè deſcribitur, & graphicè ſuis coloribus exprimitur. p.555.c.2
Maria cur ſæpius in Scriptura ſacra typicè terræ nomine deſignetur. ibid.
Mariæ fides intemerata fuit, quamuis in aliis defecerit, vt probatur. ibid.
Mariæ gratia tanta fuit, vt excedat gratias Angelorum, & omnium Sanctorum. p.558.c.1
Mariæ Aſſumptio, ſeu ingreſſus in cælum, cum magno fuit apparatu. ibid.
Maria, quo aſcendit. p.558.c.2
Mariæ miſericordia, quàm alta fuit, & profunda; quam longa, & lata. p.561.c.2
Mariæ beatitudo ineffabilis deſcripta eleganter à S. Auguſtino. p.564.c.2
Mariæ gloria vnde metienda ſit, vt illa plenè nobis poſſit innoteſcere. p.567.c.2
Maria quando cælum tranſcendit in Aſſumptione ſua, non ſtetit inter Angelos. ibid.
Maria quare Lunæ fuit comparata. Vide comparationis huius congruentias. p.567.c.1
Mariæ lux coruſca fusè deſcripta fuit ab eius cultore pio, ſcilicet Bernardo. ibid.
Mariam cur deceat corona triplex. Vide in hoc argumento plura. p.566.c.1
Maria immaculata. p.573.c.2
Maria vas electionis. ibid.
Maria ſancta corpore, & ſpiritu. ibid.
Maria Sole purior. p.573.c.1
Maria ſancta fuit à Conceptione. Quibus hoc argumentis aſtruatur vide ibid.
Mariæ puritas quanta. ibid.
Maria miraculum inſigne mundi. ibid.
Maria ſanctior eſt omnibus Angelis. ibid.
Maria quare fuit immaculata, ſuo ab ortu, diſces ex rationibus quas habes. ibid.
Maria hortus eſt deliciarum. ibid.
Maria expedita fuit ab omni etiam minimo vinculo peccatorum. p.574.c.1
Mariæ Conceptio immaculata fuit reuelata, & cuinam habes expreſsè. p.575.c.2
Mariæ caro fuit excepta, ſicut decimæ. ibid.
Mariam fuiſſe immaculatam à ſua Conceptione, facit ad maiorem gloriam Chriſti. ibid.
Maria ſua puritate puram omnem creaturam Angelicam & humanam ſuperat. p.574.c.1
Mariæ caro non fuit caro peccati. p.574.c.2
Maria etiam in vtero materno fuit purior S. Ioanne Baptiſta. ibid.
Mariæ Conceptionem immaculatam fuiſſe, quænam potiſſimum argumenta probent. ibid.
Mariæ virginitatem negare perinde ſonat, ac blaſphemare. p.578.c.2
Mariæ virginitas probata auctoritate plurium Sanctorum Patrum. ibid.
Mariæ virginitas poſt partum probatur ex apparitione Chriſti poſt reſurrectionem. p.579
Maria eſt virginitas primipila vocata à Patribus, & quid ſignificet hæc vox. p.587.c.1
Maria eſt virginitatis forma ſine exemplo ante primam hanc omnium virginum. p.592.c.1
Mariæ virtutes figuratæ typis ex Scriptura ſacra notis, & congruis. p.660.c.2
Mariæ quanta Deus chariſmata, & quem virtutum cumulum impertiit. p.673.c.2
Maria multò fuit beatior, ob virtutum omnium ſupellectilem, quàm ob maternitatem. p.636. col.2
Mariæ humilitas quomodo, & quando potiſſimum actibus congruis enituit. p.538.c.1
Mariæ virtutes odoriferæ omnes, afflauere miram, & ſuauem fragrantiam. p.675.c.1
Mariæ miſericordiæ ſublimitas magna cælis etiam eſt altior. p.676.c.2
Maria quot virtutum gemmis ornata, & illuſtrata micet in cælis. p.633.c.1
Maria quonam virginitatis amore tota exarſerit ab infantia deſcribitur. p.633.c.2
Maria ad inſtar fornacis accenſæ, tota Dei amoris igne ſemper incanduit. p.631.c.2
Maria an peccarit inquirere, res eſt eius virtutibus iniuria. p.575.c.1
Mariæ virginitas, quomodo Iudæis, & Græcis poſſit congrue demonſtrari. p.577.c.1
Maria prima omnium hominum de ſeruanda virginitate illibata votum emiſit. p.578.c.1
Mariæ de virginitate ſeruanda toto ſuo æuo votum qua ratione nobis innoteſcit. pag.578. col.2
Mariæ virginitas illibata toto vitæ illius curriculo, lineata ſymbolo egregio. ibid.
Maria miſericordiæ plena, ſuum hoc lac abundè fudit in gratiam hominum. p.582.c.2
Mariæ virginitas illibata, & poſt partum ſtupenda ſolum cælo adæquat. p.585.c.1
Maria prius Dei Verbum fide expreſſa concepit, quam illud vtero concluſerit. p.586.c.2
Mariæ virginitas illibata, quibus argumentis à Ioſepho probata fuit. p.590.c.2

Mariæ tituli inſignes.

Mariæ tituli inſignes clarè probant dignitatis eius, & meritorum excellentiam. p.581.c.1
Mariæ laudes eximiæ, & ſingulares, quarum ſeriem, & contextum vide p.581.c.2
Mariæ quomodo Spiritus ſanctus inſederit toto vitæ eius decurſu. p.660.c.1
Mariæ quid profuerit perpetuus influxus, & illapſus in animam eius. ibid.
Mariæ caro, eſt caro Domini Ieſu Chriſti, & quomodo hoc probetur. p.673.c.1
Mariæ cum Deo vnio tanta fuit quanta potuit eſſe maxima in hoc ſæculo. ibid.
Maria quare cælis amplior, & capacior prædicetur à Sanctis Patribus. p.673.c.2
Mariæ vteri amplitudo qualis extiterit congrua demonſtratione liquet. ibid.
Maria quibuſnam ſe meritis aptauit, & accinxit, vt eſſet Dei mater. p.636.c.2
Maria reuera fuit ſalutaris hominibus mediatrix apud Deum. p.639.c.2
Maria qua ratione fuit obumbrata à Spiritu ſancto, poſt conceptum Dei Verbum. p.637.c.2
Maria vt hominum omnium alma parens eſt ſolicita de omnibus. p.633.c.1
Maria ſolicitæ mediatricis agit partes apud filium mediatorem. 633.c.2
Mariæ noſtra ſalus vt aduocatæ piæ, & optimæ eſt

ſeriò commendanda. ibid.
Maria quomodo nuncupetur flos campi, & virgula fumi, in Cantico Canticorum. p.643.c.1
Maria Virgo prægnans, quale fuit prodigium orbi, hactenus inauditum. p.647.c.1
Mariæ virtute fuit ſanatus olim deſperatus à medicis Andronicus Imperator. p.674.c.2
Mariæ imago à quibuſnam Principibus præcipuè exculta fuit, & honorata. p.675.c.1
Mariæ protectio quàm ſit ſalutaris eis, quorum illa curam ſuſcepit. p.675.c.2
Mariæ gloria in cælis eſt tanta, vt in beatos omnes reſiliat illos lætificans. ibid.
Mariæ inuocationem aſſiduam ſuggerunt, & ſuadent noſtræ multiplices infirmitates. p.676.c.2
Mariæ cor ſuum moriendo ſacrum fecit Carolus V. Rex Chriſtianiſſimus. p.677.c.1
Mariæ protectio quid conferat hominibus, qui illa potenti protectione gaudent. p.678.c.1
Maria in tribus potiſſimum eminet omnibus Angelorum choris, quæ ſunt hæc tria, vide p.633. col.2
Maria Sanctos Patres habuit encomiaſtas, qui in laudibus eius longè lateque ſpatiati ſunt. p.632. col 2
Maria Virgo Deo fœta modo antea in a pectò benè deſcribitur. p.647.c.1
Maria quamuis Ioſepho donis cæleſtibus ditior extiterit, ſubiecta tamen illi fuit. p.618.c.2
Mariæ maternitas talis eſt vt nulla maior edi mater poſſit à Deo. ibid.
Mariæ dignitas alias omnes excedit, quæ ſub Deo eminent in cælis. p.619.c.1
Maria nuncupata fuit à Sanctis Patribus, ſtupendum miraculum. ibid.
Mariæ ſuffragia quid præſtent cultoribus eius, qui inuocant illam. ibid.
Maria eſt mare latè longèque patens, in quod omnes gratiæ cælitus influxerunt. p.626 c.1
Mariæ cum mari comparatio elegans, & præclara cuius vide congruentias. ibid.
Mariæ cum ſtella polari comparatio exquiſita, cuius vide rationes. p.629.c.2
Mariæ reuerà fuit, & non phantaſticè filius, Dominus Ieſus Chriſtus. p.631.c.1
Maria meruit de congruo aſſumi in matrem Domini Ieſu. p.632.c.1
Maria thronus eſt diuinitatis. p.632.c.2
Maria cur in Canticis canticorum nuncupetur turris Libani. p.575.c.1
Maria eſt ager plenus. ibid.
Maria laudata fuit etiam ab hæreticis, quorum encomia in gratiam Mariæ vide p.576.c.1
Maria in Annuntiatione quare nuncupata fuit mulier ab Angelo. p.577.c.1
Maria eſt porta clauſa. ibid.
Mariæ cum fœderis arca comparatio. p.579.c.1
Mariæ Aſſumptio in cælum qua cæleſti pompa fuit celebrata, vide p.579.c.2
Mariæ Aſſumptio in cælum cum corpore vnito animæ, quomodo ſuadetur. ibid.
Mariæ Aſſumptio in cælum eſt ſpecialis, & ſolennis feſtiuitas Angelorum. p.580.c.1
Maria Aſſumptio in cælum, quomodo differat ab Aſcenſione Domini Ieſu in cælum. p.580.c.2
Mariæ Aſſumptio in cælum, vnde dicta fuit. ibid.
Mariæ Aſſumptionis in cælum quando fuit feſtum inſtitutum. ibid.
Mariæ mors beata, & glorioſa Aſſumptio in cælum fusè deſcribuntur. p.581.c.1
Maria eſt propitiatorium. p.582.c.1
Maria quare præualeat omnibus aliis Sanctis ibid.
Mariæ ſuffragiis, & ſalutaribus auxiliis quare ſint omnes homines indigi. ibid.
Maria cur in Scriptura ſacra lunæ & auroræ nomine nuncupetur. p.583.c.1
Mariæ quare Solis nomenclatura quadret, vſurpata in Canticis canticorum. ibid.
Maria & Eua multifariam opponuntur, earum multiplices vide antitheſes. p.583.c.1
Maria eſt templum animatum. ibid.
Maria eminenter ea continet, quæ concludebat olim fœderis arca. p.583.c.2
Mariæ præclara, & illuſtria epitheta, quorum ſequentium catalogum vide ibid.
Maria eſca hami ſpiritualis. ibid.
Maria eſt fons indeficiens. ibid.
Maria eſt cælum, & gloriæ radix. ibid.
Mariæ puritas, & ceteræ virtutes è cælis in terram Angelos attraxerunt. ibid.
Maria ſolium Dei. ibid.
Mariæ elogia præclara, quibus inferre licet eius merita, dignitatem. p.584.c.1
Maria ſuis precibus, & ſuffragiis apud Deum, quot bona nobis procurarit. ibid.
Mariam impensè cæli, tellus, & maria omnia venerantur. ibid.
Mariæ tituli honorabiles, quorum elegantem Catalogum vide ibid.
Maria eſt tela ſacra, ex qua facta fuit, & contexta vnionis Dei cum homine tunica. ibid.
Mariam laudare dignè ſicut poſtulant merita eius, ad quem pertinet. ibid.
Mariæ cum paradiſo voluptatis comparatio præclara, cuius vide conuenientias. ibid.
Maria cauſas omnes habet audiendi ab omnibus hominibus, *Aue Maria*. p.584.c.2
Mariæ ſalutationis paraphraſis elegans, cuius vide contextum. ibid.
Mariæ prærogatiuæ fuere ſingulares quarum aliquas vide ibid.
Maria fermentum quo generis humani maſſa fuit conſperſa. p.585.c.1
Maria velut arca Noë. ibid.
Maria vena aurea. ibid.
Maria eſt terra ferens ſpicam. ibid.
Mariæ nomen eſt ſalutare. p.585.c.2
Mariæ parentum laudes. ibid.
Mariæ infantulæ laudes. ibid.
Maria quare in Annuntiatione nouo modo ab Angelo ſalutata fuit. p.586.c.1
Maria prima omnium hominum ſenſit fructum redemptionis humanæ. ibid.
Maria qualis fuerit deſcribitur. ibid.
Maria in momento Annuntiationis ab Angelo ſalutata metu obriguit. ibid.
Maria quare ſuam cognatam Elizabeth prægnans inuiſit. ibid.
Maria facta mater viuentium, & id potiori titulo, quàm Eua parens noſtra. p.586.c.2
Mariam primò fides impregnauit ſpiritualiter, deinde Dei filium vtero concepit. ibid.
Maria eſt feneſtra, & ſcala cæli. ibid.
Maria tria mala nobis ab Eua illata procul egit, & quænam ſint hæc. ibid.
Mariæ munificentiæ, & ſuffragiis aliquid debent omnes creaturæ. p.587.c.1
Mariæ typus egregius in pleriſque rebus fuit Maria ſoror Moyſi. p.589.c.1

Maria

Maria perfectè fuit in Sara Patriarchæ Abrahæ coniuge figurata. p.588.c.2
Maria à nobis læſa quibus ſit hoſtiis placanda, & concilianda nobis. p.590.c.2
Maria eſt hortus concluſus. p.591.c.1
Mariæ cur à Deo fuit miſſus Angelus. ibid.
Maria ab Hebræis dicitur abſcondita, quia ſemper inuia fuit hominum aſpectibus. ibid.
Maria quare in momento annunciationis ad Angeli aſpectum contremuit. ibid.
Maria cur à Chriſto crucifixo inſtante ſupremo agone fuit Ioanni tradita. ibid.
Mariæ ſacri veſtis afflat omnium virtutum fragrantiam, & pigmenta. p.593.c.1
Maria vita, & dulcedo. p.592.c.2
Maria noſtræ redemptionis pretium in cælo tenet. p.594.c.2
Mariæ benefico, & ſalutari aſpectu, cuncta benè cedunt nobis. ibid.
Maria quare in Scriptura ſacra vellus typicè nuncupetur. ibid.
Mariam potentem aduocatam præmiſit ad cælos peregrinatio noſtra. ibid.
Mariæ feruenter, & vtiliter inuocandi exemplum, ſeu formula digna ſciu. ibid.
Mariam quare Scriptura ſacra Lunæ comparet, & auroræ. p.596.c.2
Maria eſt altare. ibid.
Maria eſt Regina pietatis. ibid.
Maria prædiuites theſauros habet miſericordiarum Dei. p.597.c.2
Maria quare in Canticis Canticorum à Salomone fuit aſſimilata turri Dauid. p.600.c.1
Maria benefica, & opportuna ſuum præſtitit auxilium Caloioanni Imperatori. p.601.c.1
Mariæ ſalutare, atque potens auxilium congruè figuratum fuit in Debora. p.600.c.2
Maria auxilium eſt valdè potens, & ſalutare piis eius cultoribus. p.601.c.1
Maria ſalutem omnium hominum procurat, qui eius implorant auxilium. p.601.c.2
Maria noſtris obſequiis, & precibus deuotè fuſis quàm maximè delectatur. ibid.
Mariæ iniurij plerique viri ſacrilegi, quonam horrendo fato ſublati ſunt. ibid.
Maria ſtipata donis omnibus Spiritus ſancti, eſt diabolo terribilis. p.600.c.1
Mariæ cultu ſtante nequit nocere dæmon cultoribus eius impigris. p.602.c.1
Maria prius laudatur ab Eccleſia in horis Canonicis deinde inuocatur. p.602.c.2
Mariæ plus placent laudes eius recitatæ Dei ad gloriam, quàm eius inuocatio. p.602.c.2
Mariæ laudes enarrare ſicut oportet, illáq; decet, hoc ſuperat omnes humanæ naturæ vires. p.603.c.1
Mariæ, & Chriſti cōmune eſt præconium, ſiquidem laudes vnius, alterius ad gloriā redūdāt. p.603.c.2
Mariæ laudes & merita nequeunt dignè ab vllo homine recenſeri. ibid.
Maria ſæpe ſuis precibus Dei iram in homines accenſam extinxit. p.604.c.1
Maria quare fuſè & ſonorè laudanda in omnibus, ab omnibus hominibus. ibid.
Maria dici Beata gaudet. ibid.
Maria maris eſt domina ſicut Hebraica lingua nomen eius ſignificat. p.604.c.2
Maria eſt arca auro tecta. ibid.
Maria eſt orbis margarita. ibid.
Maria eſt animatum Dei ſimulacrum. ibid.
Maria eſt mundi gaudium. ibid.
Mariæ laudes referare ſicut conuenit, res eſt ſupra niſus hominum. p.605.c.1
Mariæ obſequio vita prius extincta, tedux omnes homines viuificauit. ibid.
Mariam omnes qui dignè ſuis præconiis laudare credunt, detrahunt eius encomiis. p.605.c.2
Maria cur omnibus creaturis emineat. p.606.c.1
Mariæ laudes enuntiatæ nobis conciliant eius ſalutaria ſuffragia. ibid.
Mariæ dignitatem, quæ ad maternitatem pertinet aſſequuntur illi qui faciunt voluntatem Dei. ibid.
Mariæ ſunt offerendæ inaures, & armillæ, & hóc quid typicè ſignificet. p.606.c.2
Mariæ quamdiu ſeruiendum eſt. ibid.
Mariæ eſt corona perſoluenda. p.607.c.2
Maria quare inuocata, ſuos cultores citiùs exaudiat, quàm Chriſtus. p.619.c.1
Maria quia Chriſto propior vt eius alma parens, idcirco fuit & ſanctior. p.620.c.1
Mariæ gloria in cælis, vt reſpondet ei gratiæ, qua dignata fuit in terris, eſt maxima. p.630.c.1
Mariæ mortem pretioſiſſimam fuiſſe, plures rationes, & argumenta probant. p.677.c.1
Maria vna dedit pacem Gallis, & Anglis, hactenus inimicis. Vide hiſtoriam. p.568.c.2
Maria Regis Luſitaniæ Emmanuelis vxor proprios filios educabat. p.452.c.1
Maria Medicea Regis Henrici IV. vxor, quare fuit ab Henrico deſponſata. p.465.c.1
Maria ſoror Moſis Hebræis benefica, quibus in deſertu procurauit aquas. p.466.c.1
Marini Ducis Venetorum ambitio nimia extremo ſupplicio caſtigata. p.53.c.2
Marnæ ſtatua præter artis induſtriam ſingularem, ex materia exquiſita ſculpta fuit. p.587.c.2
Martyrum conſtantia inuicta, eleganter deſcripta fuit à S. Cypriano, cuius vide elogia. p.34.c.2
Martyris cuiuſdam inſignis mira in perferendis atrocibus tormentis conſtantia. p.35.c.1
Mathematica quare præ aliis omnibus ſcientiis hoc nomine nuncupetur. p.428.c.2
Matrimonium contrahendum impedit, contrahentium ſeparatio voluntatum. p.614.c.2
Matrimonij incommoda. p.491.c.2
Mauritij famoſiſſimi Ducis Batauorum ſymbolum egregium. p.42.c.2
Medicorum peritorum induſtria, vt aptetur vtiliter ægri cubiculum. p.206.c.2
Medici iuxta ſacros Canones ſuadere debent ægris, vt ſe muniant Sacramentis. p.199.c.2
Medici cuiuſdam induſtrij, & periti iudicium, & ſententia de ægrotis cuiuſdam oppidi. p.173
Medici quare honorandi. p.17.c.2
Medico ſuo quantum detulerit infirmus Alexander Macedo, licet admonitus de perfidia medici. ibid.
Medici nuncupati ἀλεξίκακοι. ibid.
Medicus Æſculapius adoratus. ibid.
Medicinæ deſcriptiones, ſeu definitiones ſunt multiplices, quas vide p.443.c.2
Medicinæ qualem præcipuè, & primò ſibi finem præſtituit, pharmaca dom decernit. ibid.
Medicinæ partes, quænam ſint. ibid.
Medicina, quibus modis conſulat infirmis reuocando perditam ſanitatem. p.445.c.2
Memnonis ſtatua famoſiſſima, quid præ cæteris habuit ſingulare. p.250.c.2
Menſa dicta fuit ſacra à priſcis gentilibus, & quare fuit ſic nuncupata. p.319.c.1
Menſæ primæ qualis olim fuit diuiſio in ſolennibus, & publicis epulis. p.373.c.2

Menſæ primæ quibuſnam erant inſtructæ cibis, & quare dicebantur frigidæ. ibid.
Menſæ ſecundæ quibuſnam erant inſtructæ dapibus in ſolemnibus epulis. p.375.c.2
Menſæ ſecundæ æquales olim. p.375.c.1
Metarum ciuitas,quanam induſtria, & arte fuit obſeſſa à Gallis. p.76.c.1
Meritum in anima vnde augeatur. p.509.c.2
Meritum quid ſit. p.101.c.1
Meritum boni operis vnde ſuam gratiam, & pretium in ordine ad gloriam emendicet. p.100.c.2
Mineruæ diſceptatio cum Neptuno effecta pro dominio Athenarum. p.43.c.2
Miſericordia Dei, & iuſtitia, quomodo coëant in omni opere Dei. p.43.c.1
Miſericordiæ Dei effectus ſingulares, & ſalutares omnibus hominibus. p.532.c.1

Miſſa.

Miſſa vnde ſuam nuncupationem trahat, an ab Hebræis, aut Latinis. p.595.c.2
Miſſam celebrando ſacris veſtibus vtitur Sacerdos & quid illæ veſtes ſignificent. ibid.
Miſſa catechumenorum, quomodo diſtinguebatur. à Miſſa fidelium. p.195.c.1
Miſſa partes ſingulæ, quando, quare, & à quibus fuere primò inſtitutæ. p.196.c.1
Miſſæ partes ſingulæ referunt aliquid pertinens ad vitam,aut mortem Chriſti. ibid.
Miſſæ partes integrantes, quænam. ibid.
Miſſæ Canon quid ſit. p.196.c.2
Miſſæ cæremoniæ omnes fœtæ piis myſteriis, ſigillatim explicantur. ibid.
Miſſa refert Paſſionem Chriſti. ibid. & p.204.c.2
Miſſæ partes omnes non vno eodemque tempore inſtitutæ ſunt,ſed diuerſis temporibus quædam aliis ſunt additæ. ibid.
Miſſa eſt propriè ſacrificium, vt ex ſacrificij definitione liquet. ibid.
Miſſæ veritas aſtruitur. p.200.c.2
Miſſam carcere concluſus quomodò celebrauit olim S. Lucianus Martyr. ibid.
Miſſæ ſacris myſteriis,quàm deuote pius aſtitit Imperator Conſtantinus Magnus. ibid.
Miſſam quinam alij Principes præ cæteris ſingulari attentione audierunt. p.201.c.1
Miſſam quinam audientes deuotè Deum experti ſunt protectorē eodem tempore. p.201.c.1.& 2
Miſſam audientes ab Angelis adiuti. p.201.c.2
Miſſa,vitæ Chriſti eſt compendium. p.202.c.1
Miſſa,quam præparationem exigat à Sacerdote ſe accingente ad celebrandum. p.203.c.1
Miſſæ præparationis congruæ vtilia quædam exempla,& piæ quędā formulę proponūtur.p.203.c.2
Miſſæ partes omnes quanam induſtria ſint reuocandæ ad praxim ſalutarem. p.205.c.1
Miſſam celebrantis, vel audientis quænam eſſe debet oratio præuia ad introitum. p.206.c.2
Miſſam audiens attentè ſuo modo Emmanuel Rex Luſitaniæ quid fecerit. p.207.c.2
Miſſæ bene affectus erat Thomas Morus olim Cancellarius Angliæ. ibid.
Miſſam qua attentione clarus, & famoſus audiebat Cardinalis Hoſius. p.209.c.2
Miſſam quo præuio apparatu,& qua deuotione celebrabat Arnus Epiſcopus. p.208.c.2
Miſſam quo lacrymarum profluuio mundatus olim celebrabat Caſſius Epiſcopus. p.208.c.2
Miſſæ offertorium qua ratione queat à celebrante, vel audiente reuocari ad praxim. p.208.c.1
Miſſam audientes Chriſtiani, quidnam præcipuè debeant illo tempore meditari. ibid.
Miſſam audiendo quid præcipuè agebat ſeriò ſancta Eliſabeth. p.210.c.2
Miſſam audiendo, quænam potiſſimum preces ſint à Chriſtianis recitandæ. p.211.c.1
Miſſam audiendo piè ſuo more quid faciebat apex Theologorum ſanctus Thomas. ibid.
Miſſæ benedictio quomodo ſit excipienda.p.212.c.1
Miſſæ efficacia quanta ſit. p.212.c.2
Miſſæ hoſtes præcipui, qui in eam acrius præ hæreticis cæteris inuecti ſunt. p.213.c.1
Miſſa eſt ſacrificium propitiatorium. p.213.c.2
Miſſæ virtus,vnde attendatur. p.214.c.2
Miſſa vim etiam habet ex opere operantis, id eſt à pietate quà comite celebratur. p.215.c.1
Miſſa impetratoria. p.224.c.1
Miſſa quam puritatem exigat à celebrante.p.215.c.2
Miſſam quomodo celebrabat Nicolaus III. Papa. p.216
Miſſam qua pietate celebrabat B. Franciſcus Borgia Societatis Iesv. ibid.
Miſſa celebranda diu abſtinuit S. Bonauentura puſillanimitate nimia præpeditus. ibid.
Miſſam quare noluit celebrare S.Franciſcus. ibid.
Miſſa de Sanctis vnde dicta. p.217.c.2
Miſſa de Sanctis ad quid valeat. p.218.c.1
Miſſa quare in Canone antè conſecrationem, & poſtea faciat mentionem de Sanctis. ibid.
Miſſa dicitur ad gloriam Sanctorum. ibid.
Miſſæ Canon non orat Sanctos. ibid.
Miſſa pro defunctis. p.218.c.2
Miſſa poſſit necne celebrari pro hæreticis & excommunicatis hominibus. ibid.
Miſſa licitè dicitur pro defunctis. p.219.c.1
Miſſa pro defunctis olim celebrata. ibid.
Miſſæ ſuffragia poſtulat Monica mater S.Auguſtini poſita in ſupremo agone. p.219.c.2
Miſſa ſolennis olim celebrata fuit in exequiis Conſtantini Magni Imperatoris. ibid.
Miſſæ valor quantus ſit. ibid.& p.220 c.1
Miſſæ valor eſt infinitus. ibid.
Miſſæ valor quamuis infinitus ſit,finito tamen modo ſuum pretium communicat. p.220.c.2
Miſſa quomodo ſit audienda. p.221.c.1
Miſſæ fructus quàm ſalutares ſint. p.222.c.1
Miſſa eſt idonea ad omnia bona. p.224
Miſſa fidelium quænam fuerit olim. p.228.c.1
Miſſa catechumenorum quænam fuerit. ibid.
Miſſam non audire de induſtria, aut per incuriam, res eſt ominoſa. ibid.
Miſſæ ſacrificium tremendum, quare concludant iſta voces. *Ite Miſſa eſt.* ibid.
Miſſam non audiiſſe Regi Chriſtianiſſimo Ioanni, & eius exercitui res infauſta fuit. p.229.c.1
Miſſam Anglis audiiſſe fuit res fauſta, & præſaga magnæ victoriæ. ibid.
Miſſæ ſacrificium fieri completè nequit, ſine conſumptione calicis. pag.317.c.1
Miſſa iuge ſacrificium eſt. p.335.c.1
Miſſa, quo ſit celebranda ritu. p.334.c.2
Miſſæ aſtantes omnes olim iuxta ſacros Canones tenebantur communicare. p.356.c.1
Miſſionis extraordinariæ ſigna, quibus eius veritas ſit indubia. p.117.c.2
Monachi iuſſi iure Cæſareo inhabitare loca deſerta, & hominibus inuia. p.74.c.1
Morbus quid ſit,& quomodo definiatur à peritis rei medicæ. p.399.c.1. & p.543.c.1
Morbi quidam ſunt hæreditarij. p.62.c.1
Morbus eſt incurabilis,quādo ſuam originem trahit à mala

à mala conformatione. p.25.c.1
Morbi quidam cognitu difficiles. p.70.c.1
Morbus Critonis quo periit, fuit ſingularis. ibid.
Morborum cauſæ quales. p.399.c.2
Morborum ſedes qualis. ibid.
Morbi animæ quomodo contrahantur ab homine, qui ſe vitiis obſtringit. ibid.
Morbos parentum infirmorum, ipſi quoque nati contagione quadam contrahunt. p.463.c.1
Mors reproborum ſemper accidit abſque ſalutari auxilio Sanctorum. p.418.c.2
Mors Chriſti quare fuit in aëre potius quàm, in aqua, aut in alio elemento. p.35.c.2
Mors Chriſti fuit viuifica: namque prius homines extinctos, illa fecit rediuiuos. p.108.c.1
Mortis ægro imminentis notæ indubiæ. p.99.c.2
Mortificatio omnium ſenſuum corporalium animas aptat ad contemplationem. p.540.c.2.
Mortificatio oculorum commendatur, & ſuadetur rationibus. p.124.c.2.& p.541.c.2
Mortificatio aurium penes quid ſita ſit, & vtilitates quas parturit. p.529.c.1
Mortificatio ſenſuum quid ſit. ibid.
Mortificatio carnis ſit diſcreta, nequando modum excedens noxia ſit animæ. p.541.c.1
Motus humani corporis, quorum obſequio organorum, & qua ratione fiat. p.118.c.1
Motus omnis eſt à primo motore. p.397.c.1
Moyſes quare nuncupetur in Scriptura ſacra Deus Pharaonis. p.594.c.2
Mulieris grauidæ incommoda eleganter deſcripta à Fernelio, quem vide p.491.c.2
Mulier varia ſuis congruis picta coloribus, eius elegantem vide deſcriptionem, p.493.c.2
Mulierum conſortia ſunt declinanda; quia peiora lue mortifera. p.525.c.2
Mulieris epitheta ingloria, & hæc multa, quorum ſeriem vide p.534.c.2
Mulier malorum omnium, quæ infecere genus humanum cauſa prima fuit. ibid.
Mulieres legitimè deſponſatæ decus & honores ſuorum maritorum participant. p.615.c.1
Mulier quare viro ſubdita. p.674.c.2
Mundus eſt liber. p.424.c.1
Mundus Deum odit. p.152.c.1
Mundus agitur, & vexatur à ſpiritu nequam. ibid.
Mundus eos fallit, & turbat, quos amaſios, & cultores habet. p.152.c.2
Mundus eſt templum. p.486.c.2
Mundi contemptus eos, qui flocci faciunt illum, magnos efficit. p.495.c.1
Mundus eſt vallis lacrymarum. p.582.c.2
Mundi cita fuga quibus rationibus, & argumentis ſuadetur à Sanctis. p.127.c.1
Muſica quid ſit. p.429.c.2
Muſicæ effectus quinam ſint. p.429.c.1
Muſicæ multiplices ſunt ſpecies. ibid.
Muſica moralis quænam ſit. ibid.
Muſica virginum. ibid.
Muſicæ laudes eximiæ. p.410.c.1
Muſicæ amantiſſimi Hebræi. ibid.
Muſicæ cultores eximij Chaldæi. ibid.
Muſicam dæmon odit. p.429.c.2
Muſica Pythagoræ adoleſcentem ſanat. ibid.
Muſtelæ animalculi induſtria, vt pugnatura contra ſerpentem faciat eius venenum innoxium. p.401.c.2
Mydæ nuper nati frumenti aceruo cinxere cunas confluentes formicæ. p.21.c.2
Myrrhæ vtilitas quanta ſit. p.132.c.1

Myrrhæ prout mortificationem deſignat, excellens commendatio. p.289.c.2

N

NAbuchodonoſor Regis ſuperbia, qua ratione fuit à Deo caſtigata. p.19.c.2
Narſetis Ducis induſtria, qua Longobardos pellexit ad Italiam inuadendam. p.175.c.1
Natalis Domini Ieſu Chriſti hominem reſtituit cælo, vnde prius aberrarat. p.3.c.1
Natalis Chriſti, quantas gratias, & quanta bona homini procurarit. ibid.
Natalis Chriſti dies eſt feriandus, vt feſtiuitas prima, caput omnium aliarum. ibid.
Natalis Chriſti quantum fuerit homini proficuus clarè demonſtratur. p.20.c.1
Natalis Domini Ieſu Patriarchas, & Prophetas in limbo recreauit. p.21.c.1
Natalis Domini Ieſu omnes homines excitat, ad iubilos, & gaudia. p.21.c.2
Natalis Chriſti eſt fons illorum omnium bonorum, quæ ad gloriam promerendam homini conferuntur. ibid.
Natalis Domini Ieſu à pleriſque malis Chriſtianis, malè celebratur. p.23.c.1
Natalis pueruli Ieſu, quare acciderit in oppidulo Bethlehem potius quàm alibi. ibid.
Natalis Chriſti optionem dat hominibus eligendi cælum, aut terram. p.23.c.2
Natalis Domini Ieſu, ad quam dignitatem omne genus humanum euehat. ibid.
Natales dies Eccleſiæ, quinam ſint. p.330.c.1
Natali die Principum, Gentiles olim faciebant incruenta ſua ſacra. p.351.c.1
Natalis dies omnium hominum eſt illis triſte fletuum argumentum. ibid.
Natalis dies Sanctorum non eſt eorum ortus in mundum, ſed introitus in cælum. p.331.c.2
Natalem diem, ſeu introitum in mundum homines terreni celebrant. ibid.
Natalis dies Regum, homines inuitatos ad quos apparatus obſtringat. p.3.c.2
Natales dies Principum ſunt ſolennes. ibid.
Natales non dicitur habere vile mancipium, ſed duntaxat homo liber. p.3.c.2
Natalibus reſtitui, quid ſignificet apud iuriſconſultos. p.3.c.2
Natali die Alexandri Seueri Imperatoris victima vulnerata fugit, & ſanguine tinxit albam veſtem Imperatoris, ita diem eius extremum prænuntians inſtantem. ibid.
Natalis dies Principis Ferdinandi fecit immunem vrbem Alcala à tributis. p.21.c.2
Natalem ſuum diem quo apparatu Adrianus Imperator voluit celebrari. p.22.c.2
Natiuitas natiuitate reparatur. p.3.c.2
Natiuitas Criſpi, & Helenæ fuit ſalutaris hominibus carcere detentis. p.22.c.1
Natiuitas Theodoſij iunioris Imperatoris fuit propitia Porphyrio Gazæ Epiſcopo. ibid.
Nerui optici è cerebro prodeuntes antequam ad oculos pertingant coëunt, & decuſſantur. p.638. col.1
Neruorum coniugationes quot ſint controuertitur inter medicos percelebres. p.116.c.2
Nigidij aſtrologi famoſi præſagium de Auguſto Imperatore recèns nato. p.457.c.1
Nobilitas vera, & generoſa comes eſt humilitatis, & inimica typhi ſuperbiæ. p.652.c.2

Nobilium hominum virtus eſt humilitas; vt alma parens comitatis. ibid.
Nobilitas animæ Chriſtianæ penes quid potiſſimum ſit conſtituta. p.653.c.1
Nobiles degeneres, & vitiis obnoxij quomodo damnentur ad beſtias. p.653.c.2
Nobilis cuiuſdam hominis vitioſi elegans, & egregia deſcriptio. p.652.c.2
Nobiles homines deplorando corrupti ſæculi vitio, ſunt ad duella proni. p.653.c.2
Nobiles homines quidam faſtidioſi olim ſe dixere ſati aliquo Numine. p.617.c.1
Nobiles homines imprimis cauere debent ab omnibus exoſo vitio ſuperbiæ. p.627.c.1
Nobilitas antiqua, & probata claris ſemper eſt ſtipata ſuis auitis virtutibus. p.654.c.1
Nobilitas ingenua, & ſincera procul abeſt à vitiis, ſiquidem hæc faciunt homines ignobiles. p.625. col.1
Nobilitas obſtare debet, ne fortè viri nobiles ſuperbiant, & turpiter inſoleſcant. ibid.
Nobilitas mundi quid ſit. p.627.c.1
Nobilitas vera, & ſincera vnde ſuum primitus ortum ſumpſit. p.617.c.1
Nobilitas vera debet acquiri voluntatis obſequio, id eſt ſuffragio virtutis. p.627.c.2
Nobilitas eſt bonum alienum parentum beneficio ad filios deriuatum. ibid.
Nobilitas apud Deum eſt alia prorſus; quæ commendatur apud homines. p.627.c.1
Nobilitas quædam eſt floccifacienda ab hominibus verè Chriſtianis. ibid.
Nobilitas animæ Chriſtianæ penes quid ſit propriè conſtituenda à Chriſtianis. p.616.c.1
Nobilitatis veræ tria ſunt genera, quorum vide indoles, & differentias. p.627.c.2
Nobilitas inculta ſæpe parit apud nobiles degeneres mentis ignobilitatem. p.614.c.1
Nobilitate priuat peccatum. Peccantes enim homines inglorij ſunt, & ignobiles. p.613.c.1
Nobilitas, ſeu hominem aliquem nobilem naſci; ſingulare Dei eſt beneficium. p.613.c.2
Nobilitas vera ad quæ præcipuè munia, & opera obſtringat nobiles homines. p.48.c.2
Nobilitati ſuæ auitæ finem cogitum eſt ſortitus homo quidam cuius vide vitam. pag.210. col.1
Nobilitas vera ſola eſt & vnica virtus, ipſo etiam iudicio hominum gentilium. pag.473. col.1.& p.593.c.2
Nobilitas eſt magni facienda. p.613.c.1
Nobilitas homines ſanguine generoſo ſatos excitat ad æmulandum virtutes auitas. ibid.
Nomina quædam vſurpata fuere à Summis Pontificibus vt fauſti ominis. p.32.c.2
Nomina, Cæſaris, & Antonini vſurpauere ſibi Imperatores Romani. ibid.
Nomina quandam vim ſpecialem ex natura ſua habent ex Zoroaſtro. ibid.
Nomina quomodo rebus imponantur. pag.39. col.2
Nomine exui iuxta ſacros canones pœna fuit olim ingloria, & Canonica. p.41.c.2
Nomen Eutropij conſulis hominis nefarij, & iuridicè damnati eraſum ex faſtis. ibid.
Notionalia in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, apud Theologos, quid ſignificent. pagina 278. col.1
Nubere turbido cælo fuit apud Gentiles olim ominoſum ſponſo, & ſponſæ. p.262.c.1
Nympha Meliſſa celebrata fuit antiquitus, quænam verò fuerit vide p.597.c.1

O

OBedientia vt ſit perfecta multis eſſe debet ſtipata conditionibus, quas vide pag.671. col.2
Obedientia plena, & perfecta ſuis cultoribus virtutes omnes conciliat. ibid.
Obedientiæ obiectum eſt duplex. Quale verò ſit vtrumque illud obiectum vide p.497.c.2
Obedientia perfecta moras neſcit, neque momentum quidem interſerit inter imperium, & obſequium. p.498 c.1.
Obedientiæ cauſa litera incepta derelicta fuit à deuoto quodam religioſo. ibid.
Obedientia prompta ſancti Simeonis Stylitæ genus eius vitæ Deo gratum eſſe palàm oſtendit. ibid.
Obedientiæ merita, virtutes, laudes, & encomia multa, quorum vide ſeriem, & contextum. ibid.
Obedientiæ perfectio, & ſumma penes quid conſtituatur à peritis vitæ ſpiritualis. p.498.c.2
Obedientia quam exhibemus ſuperioribus noſtris ea nobis ſubiicit, quæ ſunt infra nos. ibid.
Obedientia in lege Moſaica, morti obſtringebat eos, qui eam violabant. ibid.
Occaſiones peccandi ſunt declinandæ quibuſque piis hominibus ſollicitis de ſalute ſua. pag.76. col.2
Oculorum mortificatione clarus extitit ſanctus Ludouicus Epiſcopus Toloſanus. p.524.c.2
Oculos auerterunt à mulieribus Scipio Africanus, & Alexander Macedo. ibid.
Odium directè Deum nequit inceſſere, qua verò ratione Deus odio habeatur à reprobis vide p.67.c.2
Oedipus infantulus à paſtore fuit feris obiectus, ſed ſingulari prouidentia liberatus. p.22.c.2
Oliuæ mira commendatio, cuius laudes ſingulares habes. p.43.c.2
Olympico certamini quo apparatu ſe aptabant athletæ deſcenſuri in arenam. p.588.c.1
Olympicus Tribunus quondam Gentilis, quid fecerit, vt reciperet Spiritum ſanctum. p.160. col.1
Omnia ſunt in Deo variis multiſque modis, quos omnes ſigillatim conſidera. p.175.c.2
Opera bona ſunt neceſſaria vt prædeſtinatio in executione ſuos ſortiatur effectus. p.29.c.1
Opera bona ſunt teſtimonia luculenta, & indubia argumenta vitæ, & virtutis emeritæ. ibid.
Opes olim maioris ſecuritatis causâ ſacris in ædibus reconditæ fuerunt. p.394.c.2
Opes multos homines prædiuites æternæ damnationi miſeros obſtrinxerunt. p.102.c.1
Opes Salomon ſpreuit dedignatus eas à Deo expetere, conſcius earum nequitiæ. p.102.c.1
Opes efficiunt homines ingloríos, qui nimia auiditate gazis eas ingerunt. p.99.c.1
Opes, & præſertim ſuperfluæ diuitibus, egenis hominibus ſunt communicandæ. p.89.c.2
Opes quomodo ſint diſpenſandæ ab hominibus omnibus vſquequaque bonis affluentibus. p.89. col.1
Opum quanta ſint incommoda. p.95.c.2
Opes olim exoſus Alexander V. Papa, ſuos qui reditus in pauperes erogabat. ibid.

Opes flocci fecit Rudolphus Imperator, & hoc quam benè ceſſit ei. p.98.c.1
Opum & damnationis æternæ quaſi indiuidua Societas eſt, & connexio. p.85.c.1
Opes ſunt maxima impedimenta viam cæli carpere volentibus. Vide rei huius rationes. pag.74. col.1
Opes quàm noxiæ ſint, & pernicioſæ viris in cælum contendentibus. p.79.c.2
Opum cum inferno iuge commercium, & intima affinitas vt patet ex diuitibus damnatis. ibid.
Opes & dæmon idem nomen ſortiuntur, vt etiam animaduertere Patres Sancti. ibid.
Opes cæcitatem ingerunt, vt conſtat ex diuitibus, qui tot pauperum greges ad oſtium ſuum non vident. ibid.
Opes homines anxios efficiunt, nec vllam quietem diuitibus impertiunt. p.81.c.2
Opes ſunt in ruinam hominum, qui illas auidè, & plus nimio concupiſcunt. p.81.c.2
Opes nominantur opes ab vtilitate, quia ferunt opem in omni neceſſitate. p.80.c.1
Opum amor perdidit Belgas, quorum vide tragicam hiſtoriam. p.80.c.1
Opes ſunt fugaces, & labiles: quippe diu conſtare ſibi non poſſunt. Vide rationes. ibid.
Opes vt ſint innoxiæ ſunt larga manu hominibus indigis erogandæ. p.80.c.2
Opes multos homines prædiuites obſtrinxere fato iniquo, quorum exempla vide p.85.c.2
Opes contemptæ, Deo vt melius ſeruiatur, homines cælo dignos efficiunt. p.98.c.1
Opum nequitia, & pernicies quanta ſit adducens animas in diſcrimen interitus, vide p.85.c.2
Opium quod eſt papaueris ſuccus ſtupefaciens ſumitur à Turcis ante certamen. p.282.c.1
Ops olim credita à Gentilibus Dea omnibus hominibus benefica. p.507.c.1
Oratio quid ſit ex ſententia omnibus probata Sanctorum Patrum. p.548.c.1
Oratio Dominica à Chriſto compoſita charitatem, & humilitatem inſinuat. p.627.c.2
Oratio vt dignè fiat, magnam reuerentiam erga Deum exigit ab orante. p.548.c.2
Oratio inſtituta fuit, vt maximè conducens ad effectum prædeſtinationis. ibid.
Oratio Dominica quare inſtituta fuit à Chriſto nobis eam recitandam iniungente. pag.398. col.2
Orationes factæ ſicut par eſt, ſunt ſacrificia laudis maximè grata Deo. p.410.c.2
Ordo rerum triplex eſt, at penes quid attendatur illa rerum ſubordinatio, vide p.422.c.1
Otij effectus omnes ſunt malefici, in perniciem animæ, vt videre eſt. p.403.c.1
Otium eſt extrema pernicies animæ. ibid.
Otium quàm ſit noxium, & omnibus lethale ſuo genio indulgentibus. p.283.c.1
Oua prius appoſita menſis apud veteres in ſolennibus epulis. p.373.c.2
Oues quare dictæ loctæ bidentes, & quid illæ voces ſignificent? p.378.c.2

P

Pacis definitio quænam ſit. p.150.c.2
Pacis ferè comes eſt inertia, metuenda quia inſidiis eſt obnoxia. p.69.c.2
Pacis effectus, & vtilitates obſtrinxere Patres ad texenda mira eius encomia, quæ vide pag.151. col.1.
Pacis & iuſtitiæ nexus eſt talis, vt iuſti omnes ſint pacifici, & manſueti. p.151.c.2.
Pacis vtilitas in gratiam eorum omnium, qui perfectè pacem colunt. ibid.
Pacificos amat Spiritus ſanctus eos ſuum ſacrarium efficiens. p.150.c.2
Palladium quod Græci ſuſtulere dolo Troianis, quid olim extitit. p.601.c.2
Palladium ab Vlyſſe, & Diomede viris generoſis, & aſtutis ſublatum. p.602.c.1
Palladis fons ſingularis olim virtutis erat vtpote libidinis æſtus extinguens. p.474.c.2
Palladi oblatæ hoſtiæ non putreſcebant, ſi credere fas eſt gentilibus hiſtoriis. p.608.c.2
Pallas vnde ſic appellata fuit, & vnde nomen eius deriuetur. p.457.c.1
Pallas olim inuocata fuit à Domitiano Imperatore initio omnium ſactorum. p.595.c.2
Panem de cælo habuit ſynagoga, ſuum ſcilicet manna, ſed vinum cæleſte non habuit. p.381. col.1
Panis olim erat ſymbolum amicitiæ apud priſcos gentiles. p.375.c.2
Panis buccella oblata, ſuam ſponſam accepit in vxorem Alexander Macedo ibid.
Panes propoſitionis olim habebant facies Regum impreſſas. p.70.c.2
Panis virtus quàm ſit benefica, & ſalutaris omnibus hominibus. p.169.c.1
Panis olim ſingulari portento fuit in lapidem transmutatus, & quare tale prodigium. pag.188. col.2
Panis tranſmiſſus in ſtomachum hominis, in carnem vertitur à natura. p.189.c.1
Panis, atque vini meminit Iſaac Patriarcha Iacob benedicens. p.380.c.2
Papæ Deus adeſt ſpeciali auxilio, & quibus hoc potiſſimum rationibus conſtet. p.12.c.1
Paphnutius falsò accuſatus furti æquo animo publicè impoſitam ſubiit pœnitentiam. pagina 6. col.1
Pappoli Epiſcopi mors horrenda, cui vita nequiter acta fecit eum obnoxium. p.216.c.2
Paralyſis vnde fiat. p.305.c.1
Paraſiti quinam dicebantur. p.356.c.2
Parentes debent lugeri à filiis congruo luctu niſi velint incurrere in diſcrimen ingratitudinis. p.293.c.1
Paſchalis Summus Pontifex liberatus à populo ob annonam præſtitam. p.308.c.2
Paſſio quid ſit. p.526.c.1
Paſſionis Chriſti effectus benefici fuere, & ſalutares omnibus hominibus. p.84.c.1
Paſſio acerba Domini Ieſu Chriſti meditata, fomes eſt amoris erga Deum. p.122.c.1
Paſſio Domini Ieſu Chriſti meditata, vitam impertit eam meditanti. p.279.c.1
Paſſionis Chriſti inſignia poſita ab Anglis in labaro vt reuocarent fidem extinctam in Anglia. ibid.
Paſſio Domini Ieſu meditata ſanat acediam, & acuit diligentiam. p.283.c.1
Paſſio Domini Ieſu, ab ipſo recenſita in vltima cœna Ioannem rapuit in ecſtaſim. p.288.c.1
Paſſio Domini Ieſu meditata faces amoris Dei accendit. p.288.c.2. & p.290.c.2
Paſſionis Domini Ieſu Chriſti typus olim ingenuus Phaſe fuit. p.289.c.1

Paſſionis Domini Ieſu Chriſti memoria, & meditatio, ab ipſo Chriſto nobis præcepta fuit. ibid.

Paſſio Domini Ieſu Chriſti animo refricata miros effectus parturit. ibid.

Paſſio Domini Ieſu meditata, quibus gratiæ incrementis animam ditet. p.289.c.2

Paſſio Domini Ieſu Chriſti, ſemper eſt habenda cordi inſculpta, & animo reuoluenda. ibid.

Paſſionis Domini Ieſu Chriſti memoria aſſidua, quàm ſuauis extiterit Bernardo. ibid.

Paſſionis Domini Ieſu Chriſti meditatio quarè frequens eſſe nobis debeat. p.293.c.2

Paſſio Domini Ieſu Chriſti meditata verum eſt condimentum ſacræ Euchariſtiæ. p.293.c.1

Paſſio Domini Ieſu Chriſti, viâ rectâ ſuos imitatores in cælum vehit. p.307.c.1

Paſtorum eſt vigilare propter tria, quæ Bernardus eleganter inſinuat. p.10.c.2

Paſtor egregius qualem ex officio ſeſe debet exhibere ſuo gregi. p.11.c.1

Paſtor ſi dignè ſuo velit officio fungi, paſtorem præſtabit ſe magis opere, quam nomine. p.11. col.2

Patientia ſtupenda Philoſophi Anaxarchi, in tolerandis cruciatibus. p.666.c.2

Patriæ qualiſcunque ſit illa, ſuos alumnos amor inſitus ſolicitat. p.643.c.2

Patriæ ſuæ quamuis illa eſſet inglo ria amantiſſimus extitit Sixtus V. Papa. p.645.c.1

Patriæ ſuæ licet illa ſatis exigua fuerit amantiſſimus extitit Bonifacius VIII. Papa. p.645.c.2

Patris æterni quando ſonorè vox è cælo fuit audita in terris. p.658.c.1

Patris Chriſti titulum, ſeu nomen nullus Angelorum vnquam aſſumpſit. ibid.

Pauli Apoſtoli elegans encomium contextum à S. Ioanne Chryſoſtomo. p.36.c.2

Pauli Apoſtoli anguſtiæ, & agones fuere multi, quorum ſeriem vide p.39.c.1

Paupertas quid ſit, & in quo propriè ſita ſit eius definitio. p.526.c.1

Paupertatis laudes egregiæ, & encomia præclara, quorum vide ſeriem & tenorem. p.550.c.1

Paupertatis amantiſſimus extitit Crates Philoſophus, qui eam emit, opum ſuarum iactura. ibid.

Paupertatis eſt inſigne decus, & gloria magna, ſicut ratione liquet. p.551.c.1

Paupertas à quibus fuerit egregiè laudata, quorum elogia vide p.555.c.2. & p.95.c.1

Paupertatis opes eò deuenere, cæli vt regnum mercata, ſuis cultoribus emerit. ibid.

Paupertas etiam ab auctoribus gentilibus dignata fuit miris encomiis. p.95.c.1

Paupertas alta, & extrema Patrem Seraphicum, & Sanctum Franciſcum commendauit. p.96.c.1

Paupertate voluntaria grande ſibi nomen comparauit olim Demonax Philoſophus. p.95.c.1

Paupertas diuitiis oblatis ab Alexandro fuit prælata à Phocione. p.95.c.2

Paupertatis egregium, & ingenuum ſymbolum ſunt piſces, & quare. p.96.c.2

Paupertatem natura miris, & multis exemplis ſuggerit, & commendat. ibid.

Paupertas voluntaria conſulit homini, & occurrit plurimis anguſtiis, quæ comitantur opes. p.97. col.1

Paupertatis laudes ſingulares. p.507.c.1

Paupertas terrena omnia tranſcendit, quia nullius omnino rei terrenæ cupido tenet. p.97.c.2

Paupertatis cultores eximij fuere multi Philoſophi gentiles, atque Duces eximij. p.99.c.1

Paupertatis voluntariæ pro amore Dei, & virtutum omnium nexus eſt indiuiduus. p.98.c.1

Paupertas eſt lucerna, mala quibus homines ſunt obnoxij aperiens. ibid.

Paupertatis voluntariæ eximiæ laudes, & tituli inſignes; quorum ſeriem vide p.98.c.2

Paupertas voluntaria, beatitudinis æternæ viam ſternit ſuis profeſſoribus. ibid.

Paupertatis voluntariæ quantæ ſint prærogatiuæ, & quæ ſtupenda priuilegia. p.99.c.2

Paupertatis voluntariæ, cum ſanitate frequens eſt commercium. p.101.c.2

Pauperes quare ſint, ab his qui affluunt diuitiis adiuuandi in eorum anguſtiis. p.510.c.1

Pauperum manus ſunt gazophylacium quo reconduntur opes eorum, qui dant eleemoſynam. ibid.

Pauperes quare ſint amandi. ibid.

Pauperum amantiſſimus, & benefactor erat Amedæus Sabaudiæ Princeps. p.510.c.2

Pauperum cultor erat, & benefactor ſingularis Paulus I. Papa. p.513.c.1

Pauperum ſors beata, & ditior ſtatu omnium hominum prædiuitum. p.84.c.2

Pauperum laudes, & encomia. ibid.

Pauperum dignitas eminet titulis inſignibus, quos diuitiæ procurant ſuis mancipiis. ibid.

Pauperum, & diuitum ſunt differentiæ multæ, quibus oſtenditur pauperum ſors beatior. p.85.c.2

Pauperibus vltro ſuam ferentibus inopiam peruius eſt aditus regni cælorum. p.103.c.1

Peccatis obnoxia anima eſt fimo ſtratus lectulus fœtens, & putridus. p.369.c.2

Peccatum perpetratum expungit ab homine vitioſo ſimilitudinem Dei. p.417.c.1

Peccatum conceptum, & commiſſum hominem tranſmutat in animal rationis expers. ibid.

Peccato perpetrato ſua libertate excidit homo, & fit vile mancipium. p.419.c.1

Peccatum originale quid ſit, & vnde ſuum ortum habet, in hominum perniciem. p.464.c.1

Peccatum originale nobis tenebras offudit; ideoque benè nocti comparatur. p.755.c.1

Peccatum ab Adamo commiſſum, animas maculis infecit; & peſſimo vulnere ſauciauit. pag. 346. col.2

Peccati indoles mortifera animas interimens, penes quid ſit conſtituta. p.97.c.2

Peccatum quæ mala ſecum vehat, & quot modis malè afficiat homines. p.27.c.1

Peccatum quid ſit. p.32.c.2

Peccatum crimini rebellionis contra Deum homines facit obnoxios, cùm delinquunt. ibid.

Peccatum conſummatum qua ratione Deo ſubtrahat hominem delinquentem. ibid.

Peccati pernicies attenditur penes duo, quorum vtrumque vide p.34.c.1

Peccati veteres habitus contracti, graue faceſſunt negotium homini volenti ſeſe recipere in meliorem frugem. p.61.c.2

Peccati nequitia quanta ſit, facile eſt conÿcere, ex malignis eius effectibus. p.81.c.2

Peccatum perpetratum malè afficit eos, qui ſe illius iaculo confoderunt. ibid.

Peccati grauitas, ſeu nequitia vnde præcipuè ſit ex Doctoribus exquirenda. p.275.c.2

Peccatorum diſtinctio, vnde ſit petenda. pag.278. col.2

Peccatum, qua ratione dicant Theologi homines annihilare quibus peccare contingit. p.4.c.2
Peccatis noſtris vt cauſis, & inſtrumentis vulnerata fuit caro Chriſti. p.278.c.2
Peccata perpetrata malè afficiunt animas hominum, qui peccant. ibid.
Peccatum tenebras ſeu cæcitatem mentis, & concupiſcentiam carnis inuexit. p.418.c.1
Pedum lotio antiquitus vſurpata ante paſtum aliquid morale ſignificat. p.260.c.2
Pedes ſponſæ in Canticis Canticorum Salomonis quare ab eius ſponſo laudari. p 261.c.1
Pedum ſordes in Scriptura ſacra Deus carpit, & quid hoc ſignificet. ibid.
Pedum lotio in lege Moſaica ante ſacra fuit præcepta ſub vitæ diſcrimine. p.261.c.2
Pedum lotio ad quid moribus reformandis congruum animas obſtringat. p.262.c.2
Pedibus nudis olim actæ vigiliæ, in hoc argumento vide legem Iuris Cæſarei. p.264 c.1
Pedes calceati quid ſignificent idoneum moribus perditis informandis. ibid.
Pedes calceatos olim in deſerto habebant Monachi vt ſic cauerent à ſerpentibus. p.264.c.2
Pedum lotio eſt myſtica & ſignificans aliquid pertinens ad reformationem morum. p.360.c.2
Pedes olim lauabant Hebræi ante paſtum, ex antiqua traditione. ibid.
Pedes Sanctorum in primitiua Eccleſia lauabant viduæ probatæ. ibid.
Pedum ablutio facta à Chriſto in vltima Cœna, quid ſignificet. p.361.c.1
Pedes animæ noſtræ puros & deterſos efficere, res eſt diuina. ibid.
Pedes animæ detergere & mundos efficere perfectè nequit homo, ſed facinus eſt Chriſti. ibid.
Pedes lauare debent etiam Sancti. ibid.
Pedes lauare quid myſticum, & morale ſonet apud Auguſtinum. p.361.c.2
Pedes lauare debent omnes, nullus enim eſt cuius affectus aliquas non contraxerit ſordes. ibid.
Pedes olim lauabant ante refectionem veteres Ægyptij. p.360.c.2
Pelagij error qui multos olim homines infecit, qualis extitit. p.398.c.1
Pentecoſtes quale nomen ſit, & quid propriè ſignificet. p.159.c.2
Perfectum eſſe, quid ſit. p.7.c.2
Perfectio propriè & ſtrictè, penes quid potiſſimum conſtituenda ſit. p.404.c.1.& p.303.c.1
Perfectio animæ Chriſtianæ ſita eſt præcipuè in vnione cum Deo. p.406.c.1
Perfectionis acquiſitio difficilis, & maximè poſt lapſum Adami. p 24 c.2
Perfectio hominis, vt homo eſt in quo præcipuè ſit conſtituenda. ibid.
Perfectio vera & ſincera, hominem ſolicitat ad vnitatem, & quare. ibid.
Perfectio ſincera, cuiuſque rei, penes quid præcipuè conſtituenda ſit. p.25.c.1
Perfectio ſincera, quare nequeat haberi ab homine in hoc ſæculo, ibid.& p.25.c.2
Perfecti homines de ſe nihil præſumunt, ſed ſe imperfectos eſſe ſemper ſuſpicantur. p.25.c.2
Perfectioni Chriſtianæ veræ, & ſinceræ, repugnat amor nimius corporis. ibid.
Perfectiones Dei quantum emineant aliis omnibus perfectionibus creaturarum. p.73.c.1
Perfectiones omnium creaturarum etiam poſſibilium qua ratione Deus contineat. p.72.c.2
Perfectionis Chriſtianæ iuge, & impigrum eſſe debet ſtudium, vt acquiratur. p.106.c.2
Perfectio Dei, quare à Chriſto fuit omnibus hominibus propoſita ad exemplum. p.302.c.2
Perfectio infinita Dei, in quo præcipuè ab omnibus Theologis conſtituatur. p.303.c.1
Perfectio hominis Chriſtiani præcipuè ſita eſt in progreſſu de virtute in virtutem. p.303.c.2
Perfectionem conciliat homini Chriſtiano integra obſeruatio mandatorum Dei. p.304.c.2
Perfectionum quas Theologi eſſe dicunt in Deo, elegans, & docta deſcriptio. p.393.c.2
Perfectionis ſtudium diligens, & aſſiduum, quare Chriſtus omnibus hominibus inſinuet. p 403. col.1
Perfectus homo propriè quiſnam ſit. p 404.c.1
Perpetuæ ſanctæ cuiuſdam Martyris viſio ſimilis ei Patriarchæ Iacob. p.35.c.1
Perſeuerantiæ laudes eximiæ, & encomia inſignia, ex Sanctis Patribus. p 644.c.2
Perſeuerantia in iugi omnium virtutum obſequio, eſt paucorum hominum. p.647.c.2
Perſas, quanam induſtria Rex Spartanorum Ageſilaus reddidit inglorios, & contemptibiles. p.108. col 2
Peſtis mortifera qua ratione ſuum lethale virus infundat eis qui incautè malum illud contrahunt. p.233.c.1
Peſtis olim horribilis internecione penè totam extinxit Conſtantinopolim. p.233.c.2
Petrus Vrſeolus Dux Venetorum ſe abdicauit principatu, vt religioſam vitam ageret. p.73.c.2
Philippi II. Regis Catholici zelus erga fidem Catholicam quantus extiterit, p.232.c.2
Philippi Auguſti Regis Chriſtianiſſimi induſtria, vt excitaret ad prælium Gallos. p.178.c.2
Philippus Rex Chriſtianiſſimus excidit gratia curationum, ob peccatum perpetratum. p.134.c.2
Philoſophorum omnium ſingulæ ſectæ ſuos auctores venerantur. p.17.c.1
Philoſophus gentilis definitur congruè à S. Hieronymo, animal vanæ gloriæ. p.5.c.2
Philoſophia, quid ſit ex principe omnium Philoſophorum. p.421.c.1
Philoſophia quomodo definiebatur olim à Mercurio Triſmegiſto. p.425.c.1
Philoſophiæ fuere multiplices ſectæ, ſua ſortita nomina, à variis cauſis. p.425.c.2
Philoſophiæ laudes eximiæ, & effectus mirabiles, quorum aliquos vide p.414.c.1
Philoſophia quantùm olim æſtimata fuit à Zenone Philoſopho. p.426.c.2
Philoſophia quales ſortita fuit effectus habes luculenter. p.478.
Philoſophi omnes gentiles miſerandi, quia non cognouere Dominum Ieſum. ibid.
Philoſophi Gentiles omnes fidei expertes fuere ſicut ranæ coaxantes p.479.c.1
Philoſophia quanta bona ſuis inſtructionibus præſtiterit mundo. p.424.c.2
Philoſophia à quo dicta fuit olim mortis contemplatio. p.422.c.2
Philoſophi quinam olim ſcommate condigno fuere dicti Philoſophi barba-tenus. p 424.c.1
Philoſophia congruis rationibus ſcitè docet homines benè viuere. p.424.c.2
Philoſophia moralis, quænam ſit, & quomodo diſtinguatur ab alia Philoſophia. ibid.
Philoſophia eſt ſingulare Dei donum, ab ipſo Deo conceſſum hominibus ibid.

Philoſophia ſæcularis eſt infirma, procul à Philoſophia Chriſtiana. p.425.c.2
Pictura Dei quid ſit, & quibuſnam coloribus congruis exprimatur. p.418.c.2
Pœna ex iure Cæſarco eſt ſubeunda reis in eodem loco, vbi delictum eſt commiſſum. p.54.c.2
Pœnas quare leges decernant nefariis hominibus, cùm delinquunt. p.63.c.2
Pœnitentia ſi ſit perfecta totam labem diluit peccati ab homine perpetrati. p.34.c.1
Pœnitere propriè quid ſit. Et delirium Caluiniſtarum circa hanc materiam. ibid.
Pœnitentia Dea credita antiquitus, & eius officium erga reos. ibid.
Pœnitentiæ factæ ſicut par eſt à contritis hominibus vberes ſunt fructus. p.64.c.1
Perfecta ſuis vt ſit numeris abſoluta, debet fieri conſulto ſacerdote. p.67.c.1
Pœnitentis animæ, & anhelantis ad veniam peccatorum, alta ſuſpiria. p.183.c.1
Pœnitentia vt ſit integra, & perfecta, quibuſnam cautelis indigeat. p.253.c.1
Pœnitentis, & hominis ingrati comparatio præclara, cuius vide rationes p.253.c.2
Pœnitentis pugna ſecum, quando nouum vitæ genus incipit auſpicari. p.254.c.1
Pœnitentis ſeſe recipientis in meliorem frugem anhela vota, quibus Deum ad miſericordiam inflectit. p.259.c.1
Pœnitentia perfecta, talis vt ſit, quas conditiones exigat ab homine pœnitente. p.253.c.1.& p.259. col.2
Pœnitentia falſa Deum irridet, & ſic ipſa ſibi fucos facit. p.270.c.1
Pœnitentiam neceſſariam eſſe reis, qui peccarunt, quænam rationes aſtruant. p.496.c.1
Pœnitentiæ effectus ſalutares eis, qui congruam pœnitentiam agunt. p.497.c.1
Pœnitentia vnde ſuum nomen emendicet, & quid propriè ſignificet. p.528.c.2
Pœnitentis animæ ſymbolum, quo benè pœnitentiæ indoles exprimitur. p.528.c.1
Pœnitens homo ſibi noxia, aut ſuſpecta fugit aliorum conſortia. p.531.c.1
Pœnitentiæ factæ ſicut par eſt, gratia iuſtificans eſſe comes ſolet. p.531.c.2
Pœnitens, qui perfectè ſua peccata deflet, ſemper dolere debet. p.530.c.1
Pœnitentiæ laudes inſignes, & encomia à Sanctis Patribus decantata. p.530.c.2
Pœnitentiæ effectus viuifici, in gratiam animarum quas lethalia crimina ſauciarunt. p.532.c.1
Pœnitentia auſtera, & ſalutaris fœminæ nomine Thaïs meretricis olim famoſiſſimæ. pag. 532. col. 1
Pœnitentia ſincera reis hominibus Deum ſubitarum conciliat. p.536.c.2
Pœnitentia vera ſuggerit homini contrito, vt de deliciis faciat holocauſta. ibid.
Pœnitentiæ perfectæ, mali cuiuſque aliàs perpetrati datur impunitas. ibid.
Pœnitentias hominum lugentium peccata Deus explorat an ſint legitimæ. p.537.c.1
Pœnitentia exquiſita, Deoque grata Pelagiæ fœminæ peccatricis. p.546.c.2
Pœnitentia inſignis Boleſlai Regis Poloniæ ob ſuum fratrem occiſum. ibid.
Pœnitentia perfecta facit rediuiuas animas eo modo, quo ſuſcitatus eſt Lazarus. p.546.c.1
Pœnitentis vita qualis eſſe debet, vt ſortiatur effectus ſuos pœnitentia. ibid.
Polemon adoleſcens multis olim vitiis obnoxius, qua ratione fuit inductus ad reſipiſcentiam. p.398.c.2
Polychronij Monachi induſtriâ, vt conuinceret garrulum hæreticum. p.232.c.1
Poma quædam illudunt oculis faciendo fucos, nam tacta citò abeunt in cineres. p.439.c.2
Pontifices ſub Roma gentili, quo ritu & cæremoniis inaugurabantur. p.334.c.1
Pontificis Hebræorum veſtis Pontificalis myſteria varia lineabat. p.336.c.2
Pontifices vt dignè ſuo fungantur officio, quales eſſe debent. p.651.c.2
Pontifices quare ſic dicebantur, & vnde ſuum hoc nomen acceperint. p.9.c.2
Pontifex eſt vas in honorem. p.16.c.1
Porcus olim à priſcis gentilibus, quare fuit Cereri immolatus. p.590.c.2
Potentiæ animæ qua prudentia, & cautela debent ab homine ordinari. p.492.c.2
Potus eſt abſolutè neceſſarius homini ad vitam congruè propagandam. p.381.c.2. & p.388.c.2
Prædeſtinatio quot modis accipiatur apud Theologos ſcholaſticos. p.28.c.2
Prædeſtinatio facta ab æterno, petit ab adultis bona opera in executione. p.29.c.1
Prædeſtinatio quomodo iuuetur ſuffragiis, & orationibus. ibid.
Prædeſtinationis effectus procurant Sancti in cælis apud Deum, in gratiam electorum. p.29.c.2
Prædeſtinationis olim grauis tentatio torſit acerbè S. Bonauenturam. ibid.
Prædicator vti par eſt annuntians verbum Dei, eſt ſacra tuba Euangelij. p.113.c.1
Prædicator ſancta debet actione prædicare magis, quàm opere. ibid.
Prædicatores vt dignè ſuo fungantur officio, ſanctitate debent aliis eminere. p.119.c.2
Prædicatores qua cautione debent ad virtutum praxim alios exhortari. p.120.c.1
Prædicatorum vita illibata potens eſt argumentum ad animas conuertendas. p.120.c.2
Prædicatoris elegans, & induſtrium ſymbolum, docens qualis eſſe debet prædicator. p.121.c.2
Præſentia diuina nobis eſſe debet familiaris, & inſita cordi. p.484.c.2
Præſentia Dei familiaris erat Tobiæ, qui ſalutares eius effectus expertus eſt. ibid.
Præſentia Dei aliqua ratione beat animas aſſuetas huic exercitio ſiſtendi ſe Deo aſſiduè. p.487. col.1
Præſentia Dei ſollicitat ad ardua perpetranda homines, quibus adeſt Deus ſemper præſens. p.486. col.2
Præſentiæ Dei effectus ſingulares ſunt, & vis admirabilis. p.494.c.2
Præſentem quibus potiſſimum hominibus ſeſe Deus exhibeat. p.484.c.2
Præfectis annonæ Iure Cæſareo conceſſa fuere præclara priuilegia. p.274.c.2
Prandium quænam ſit refectio, & quid hoc nomen propriè ſignificet. p.341.c.1
Prandium fiebat olim minoribus impenſis, quàm Cœna. p.342.c.2
Primitiarum tria ſunt genera, quorum differentias vide p.513.c.1
Primitias in Scriptura ſacra quare Deus exigebat ab hominibus. p.526.c.2
Primitiæ noſtræ Deo ſunt offerendæ, non coactè, ſed

ſed hilariter, & iucundè. p.520.c.2
Principes quando ſuos Optimates ſpeciali honore ſolent dignari. p.16.c.2
Principes magna cura, & diligentia prouidere debent annonam ſuis ſubditis. p.71.c.1
Principia prima rerum omnium varia aſſignantur à Philoſophis. p.258.c.1
Prior Caſtellæ Melitenſis eques ad quem ſuperbiæ cumulum ſe euexit p.153.c.1
Profectus pueruli Ieſu infantis, & animæ Chriſtianæ quomodo differant. p.106.c.2
Profectus animæ Chriſtianæ metas neſcit, ſed noua ſibi ſemper adiicit incrementa. p.132.c.2
Proficiendum ſemper eſt in virtutum ſchola ne fortè retrocedamus. p.409.c.1
Proſa Dea qualis olim extiterit apud Gentiles, & vnde nomen illud acceperit. p.597.c.2
Proſperitas eſt ſuſpecta ſuis amaſiis, & alumnis ſæpe fucos faciens, & illudens. p.69.c.2
Proſperitas nimia quam noxia, & malefica fuit Elizabeth Reginæ Poloniæ. p.48.c.2
Prouidentia Dei noſtris operibus vtitur vt mediis congruis ad finem, quem illa ſibi præſtituit. p.29.c.1.
Pſaphonis olim induſtria ſubtilis vt crederetur Deus ab ignara plebe. p.573.c.2
Prudentia quid ſit. p.544.c.2
Puellæ heroïnæ bellicum, & generoſum facinus audacter in Turcas perpetratum. p.464.c.2
Pulcheria virgo nubit Martiano Imperatori ſalua ſua virginitate. p.615.c.1
Pulchritudo ſeu venuſtas faciei comparata fucis condemnatur. p.418.c.2
Pulchritudo quid ſit, & quid requiratur, vt ſit ſuis numeris abſoluta. p.629.c.1
Pulchritudo perfecta animæ Chriſtianæ facit eam Deo perſimilem. ibid.
Pulchritudo animæ multò præſtantior eſt, ac proinde pluris facienda, quàm pulchritudo corporis. ibid.
Pulchritudo quare claris olim à multis commendata fuit encomiis, quæ vide p.628.c.1
Punitio horrenda, & condigna rei Sacerdotis indignè celebrantis. p.217.c.1
Punctum quid ſit apud mathematicos, & quomodo definiatur. p.431.c.1
Puncti commendatio. p.430.c.2
Punctum ab Archimede optatum vt totam terræ molem ſubuerteret. p.431.c.1
Puncti cum humilitate comparatio ſingularis ſuffulta ſuis conuenientiis. ibid.
Purgationem ſortitam fuiſſe ſuos deſideratos effectus, quo ſigno fiat palàm. p.190.c.1
Purgatorium quo caſtigantur animæ in alio ſeculo gentiles agnorunt. p.160.c.1
Puritas vnde ſuum nomen emendicat, & quid ſignificat. p.634.c.1
Pythonis Philoſophi quinam fuerint, & quæ eorum erat doctrina. p.115.c.1

Q

QVies animæ penes quid conſtituenda ſit. p.669.c.1
Quietis animæ deſcriptio elegans & præclara, cuius vide ſeriem, & ſingularitates vtique ſcitu dignas. ibid.

R

REcidiuæ in morbis quomodo, & quare fiant, magno ægri diſcrimine. p.75.c.2
Recidiuæ in peccata prius confeſſa frequentes ſunt poſt magnas ſolennitates. p.110.c.2
Recollectio ſeria animæ, quam ſit propitia & benefica homini. p.668.c.1
Refectiones olim quotidie fiebant, & quænam erant earum nomina. p.391.c.2
Reges propriè ſunt illi præcipuè qui ſuas prudenter, & cautè regunt paſſiones. p.51.c.2
Reges terræ vt plurimum voce tenus Reges ſunt, & quinam ſint illi. p.51.c.1
Reges olim voluerunt eſſe Summi Pontifices, vt maiorem ſceptro ſuo conciliarent reuerentiam. p.15.c.2
Regiè viuere quid ſit, & quid requiratur ad regiè viuendum. p.51.c.2
Regis miniſtri honorandi. p.680.c.2
Regis miniſtri non ſunt obnoxij vectigalibus, & tributis populo impoſitis ibid.
Reginæ cæli ab Hebræis idololatris olim fuere ſuperſtitiosè placentæ oblatæ. p.607.c.2
Regina Saba, qua induſtria, & ratione Regis Salomonis ſapientiam explorarit. p.641.c.2
Regij miniſtri quibuſnam priuilegiis, & prærogatiuis gaudeant præ cæteris. p.652.c.1
Regina nubens ipſo ſuo coniugio Regem facit hominem, quem deſponſat. p.619.c.2
Reginam Angliæ, quia præfectus arcis non recepit, morte luit inurbanitatem. p.522.c.1
Regium eſt, & generoſi animi inſigne dare veniam inimicis. p.531.c.2
Regnum Nauarræ datum à Rege Nauarræ, matri Henrici IV. ob hunc filium editum. p.564. col.1
Regnum iuſtorum, quàm ſit glorioſum, & penes quid ſit conſtitutum. p.51.c.1
Religio quare nomen hoc ſit ſortita, & quænam ſit huiuſce vocis etymologia. p.192.c.2
Religioſi quare ſæpe Dei conſolationes nunquam, aut rarò ſentiant. p.508.c.2
Religioſi arctè Deo deuinciuntur virtute ſuæ profeſſionis. p.324.c.2
Reliquiæ Sanctorum venerandæ debent eſſe omnibus Chriſtianis. p.100.c.2
Remigius Remenſis Epiſcopus ab aliis Epiſcopis conſecratus, lucidus apparuit. p.14.c.2
Remoræ piſcieuli virtus admirabilis in ſiſtenda naue velis turgidis acta ventis. p.154.c.2
Reprobus; vt eſt peccatis omnibus obnoxius; ita malis vndique concutitur. p.81.c.2
Reprobi in die iudicij non recenſebantur à Chriſto nomine proprio. p.27.c.1
Reprobi quare nomen proprium non habent, quo à Chriſto queant nominari. p.27.c.2
Reſurrectio, à quibus potiſſimum Chriſti inimicis olim impugnata fuit. p.105.c.2
Reſurrectio Domini Ieſu, eſt complementum omnium myſteriorum fidei noſtræ. ibid.
Reſurrectio corporum extinctorum probatur variis naturæ exemplis. p.107.c.2
Reſurrectio Domini Ieſu Chriſti cauſa fuit exemplaris noſtræ reſurrectionis. p.109.c.2
Reſurrectionem Domini Ieſu Chriſti, quare valens terræ motus præceſſerit. p.109.c.1
Reſurrectio animæ Chriſtianæ prius extinctæ ſuo vitio, qua ratione fiat. p.110.c.1
Reſurgit anima mortua in peccatis, ſi deceſſans

vitam

vitam reprobam confitetur vti par eſt. p. 110. col. 2
Reſurrectio infantis procurata ſacris precibus Eliæ, quid morale ſignificet. ibid.
Reſurrectionem corporum, quæ facta fuit poſt mortem Chriſti, an mors iterum exceperit. p. 169. col. 2
Rhetorica quænam ſit diſciplina, quænam ſint partes eius, & officium. p. 455. c. 2
Reſpirans omnis æger facilè, habet ſignum ſalotaræ ſuæ redeuntis ſanitatis. p. 549. c. 1
Reſtitutio bonorum, quæ fuere malis artibus parta, quomodo fieri debet. p. 80. c. 5
Reſtituta Regi Scotiæ corona non fuit ablata, quia iure belli captus erat. p. 625. c. 2
Reſtituenda bona malè parta, quibus argumentis, & rationibus comprobetur. p. 530. c. 1
Reuelantes factiones contra Regem, aut publicum bonum, ſunt præmiis honorandi. p. 658. c. 2
Reuolutiones planetarum, quid boni, aut mali portendant orbi, & hominibus. p. 75. c. 2
Rigare plus eſt, quàm ſanare. p. 364. c. 2
Rigor quid ſignificet apud rei medicæ peritos. p. 94. col. 1
Rigor quomodo definiatur apud medicos. ibid.
Rigor ſuperueniens ægro malis febribus æſtuanti, valde ſalutaris eſt. ibid.
Rigores crebri, & recurrentes in conualeſcentibus mali ominis ſunt. p. 70. c. 1
Robertus Rex Galliæ Chriſtianiſſimus quo honore affecerit Epiſcopum nouum. p. 15. c. 2
Rugitus animæ quid ſit. p. 364. c. 2

S

SAcerdos vnde nomen acceperit, & quænam ſit huiuſce vocis etymologia. p. 200. c. 1
Sacerdotum propriè, & potiſſimum quodnam ſit officium, ex vi Sacerdotij. p. 48. c. 2
Sacerdotum dignitas eſt ſublimis, & poteſtas eminens regiæ poteſtati. p. 65. c. 2
Sacerdotum obligatio vt cæteris emineant virtute ſicut præſtant dignitate. ibid.
Sacerdotum officium magnas relationes habet, cum officio medicorum. p. 66. c. 1
Sacerdotes ſunt seriò, & quàm citò conſulendi ab homine pœnitente. p. 65. c. 1
Sacerdotem ſemper habebat vt comitem indiuiduum Rudolphus Imperator. p. 66. c. 2
Sacerdotes ſi dignè ſuo velint officio fungi, eſſe debent ſancti. p. 200. c. 2
Sacerdotis cuiuſdam reuera ſuo officio digni ſingularis pietas. p. 207. c. 2
Sacerdotes Athenis olim, qua ratione ſuas habebant veſtes. p. 215. c. 1
Sacerdotum tituli inſignes; & encomia præclara, quorum vide ſeriem & contextum. p. 314. c. 1
Sacerdotes ſacrum faciendo debent conſumere ſacroſanctam Hoſtiam. p. 327. c. 1
Sacerdotes ſi dignè velint ſuas obire vices, quotidie ſacris adeſſe debent. p. 334. c. 2
Sacerdotes olim quibus ritibus & cæremoniis conſecrabantur. p. 335. c. 2
Sacerdoti non ſufficit vitia extirpare, niſi virtutibus etiam ſit illuſtris. ibid.
Sacerdos maturè ſe aptare debet ad aſſiduum diſcrimen cum vitiis. ibid.
Sacerdotum glorioſa epitheta, & tituli inſignes apud auctores Græcos. p. 336. c. 1
Sacerdotes traxere ſua nomina, vel à Diis, vel ab officiis, vel ab habitu. ibid.
Sacerdotum creatio, ſeu initiatio quo apparatu fiebat olim. ibid.
Sacerdotibus ſuis gentiles olim quot modis conciliauere reuerentiam. p. 336. c. 2
Sacerdotes Eteobutades cuiuſnam dignitatis olim extiterint. ibid.
Sacerdotes olim famoſæ Veneris Paphiæ, ex qua fuerint familia oriundi. ibid.
Sacerdos Meliſſa, quare fuit ſic dictus, & quodnam eius erat officium. ibid.
Sacerdotes olim Iſiaci quales erant, & quonam habitu erant induti. p. 337. c. 1
Sacerdotes olim Cibelis quales erant, & quænam eorum munia. ibid.
Sacerdotes Phæcaſij quales olim erant, & quodnam eorum officium. ibid.
Sacerdotes Arabes quid habuere ſingulare præ cæteris. ibid.
Sacerdos Solis apud Phœnices ſpeciali habitu indutus erat. ibid.
Sacerdotes Æthiopum in Meroë, quid habuere præ aliis ſpeciale. ibid.
Sacerdotes Albani quales olim erant, & qualia illorum miniſteria. ibid.
Sacerdotes celebratæ tota Aſia Dianæ Reges fuere nuncupati. ibid.
Sacerdotes Bellonæ quibus olim teſſeris diſtinguebantur ab aliis. ibid.
Sacerdotes Ponti quales olim erant, & quænam illorum munia erant. p. 337. c. 2
Sacerdotes in Zela quinam fuerint, & quibuſnam erant ritibus occupati. ibid.
Sacerdotes Germani quibuſnam cæremoniis atque ſacris erant occupati. ibid.
Sacerdotes Naharuali quales erant, & quænam eorum miniſteria. ibid.
Sacerdotes Trallium quos habuere ritus ſingulares præ aliis. ibid.
Sacerdotes Tyrij quibuſnam erant addicti ritibus atque ſacris. ibid.
Sacerdotes Carthaginenſes olim celebres, & quinam erant. ibid.
Sacerdotes Ægyptij, quam nobiles & illuſtres erant, præ aliis omnium gentilium. ibid.
Sacerdotes Ægyptij erant Philoſophi, & regio diademate inſignes. ibid.
Sacerdotum qualis erat olim integritas concilians reuerentiam eorum miniſterio. ibid.
Sacerdotium olim quas cautelas præuias, & quem apparatum exigebat ab homine initiando. ibid.
Sacerdotes quinam ſint eligendi, vt dignè tali fungantur officio. ibid.
Sacerdotes olim vlcere infecti, ſic ſanciente lege, ſacris arcebantur ab aris. p. 338. c. 1
Sacerdos eſſe non poterat apud Perſas homo lentiginoſus. ibid.
Sacerdotes Saturni, & Bellonæ, quibus ritibus ab aliis diſcernebantur. ibid.
Sacerdos fit Rex Prutenorum, ita ſuę coronæ decus, & reuerentiam concilians. ibid.
Sacerdotes vt condignè ſuo fungantur officio, eſſe debent caſti, & ſobrij. p. 339. c. 1
Sacerdotes olim abſtinebant ab omni omnium leguminum eſu, & quare. ibid.
Sacerdotes olim quampluribus lauacris vtebantur, & quid hoc myſticè innueret. ibid.
Sacerdos olim debebat eſſe mitis, quippe ferus arcebatur à ſacris. ibid.
Sacerdotes Iſidis præ cæteris omnibus Sacerdotibus

erant

erant abſtinentes. ibid.
Sacerdotes Myſorum quid præ cæteris Sacerdotibus haberent ſibi ſingulare. ibid.
Sacerdotes Indi & Cretenſes, quid habuere ſibi ſingulare præ aliis. ibid.
Sacerdotes præ aliis omnibus hominibus quanti ſint æſtimandi. p.634.c.2
Sacerdotes non ſunt temerè, & facilè ſed cum magna cautela initiandi. p.644.c.1
Sacra quædam Gentilium, & Hebræorum fuerunt olim ex farina. p.379.c.2
Sacra Eleuſyna præ cæteris omnibus famoſa, quibus olim ritibus conſtabant. p.590.c.1
Sacra Theſmophoria caſta ſupra alia omnia ſacra Gentilium. p.590.c.2
Sacra bonæ Deæ fuere pura, & caſta, & vnde ſuam habeant originem. p.591.c.2
Sacra res, antequam fieret ſacra, ſeriò, & diligenter erat examinanda. p.3.c.2
Sacra charyſtia; quænam eſſent olim, & quid ageretur ibi. p.326.c.1
Sacris peractis olim inebriatus eſt Demetrius. ibid.
Sacra Regis Agamemnonis quænam, & quibus olim cæremoniis conſtabant. ibid.
Sacra manducare fuit locuples argumentum amoris Dei in nos. p.327.c.2
Sacra Apturia, quænam, & quibus cæremoniis Athenis olim fuerunt inſtituta. p.332.c.2
Sacra quænam erant iuniorum adoleſcentium tempore pubertatis. ibid.
Sacra ſua impia, quomodò auſpicatur Iulianus Imperator apoſtata. p.339.c.1
Sacra quonam ſint frequentanda ritu, & animo à fidelibus Chriſtianis. p.339.c.2
Sacra apud Gentiles & Hebræos, olim non fiebant abſque præuia ablutione. p.339.c.2.& p.362
Sacra Bacchi fuere nota, & vſitata ferè toti orbi, tunc gentili. p.382.c.1
Sacra Orgia quænam fuerint, & quid à Gentilibus inibi tractaretur. ibid.
Sacra Lænea qualia fuerint, & quibus cæremoniis inſtituta, & peracta. ibid.
Sacra omophagia quare fuere voce hac nuncupata, & quid fiebat ibi. ibid.
Sacra Theoenia vbinam, à quibus, & quo ritu fuerint antiquitus celebrata. ibid.
Sacra Trieterica apud quos olim erant in vſu, & quænam eorum erant cæremoniæ. ibid.
Sacra Nyctelia vnde ſuum nomen acceperint, & quo fuere ritu celebrata. ibid.
Sacra Antheſteria quibus olim ritibus inſtituta, & quibus rebus conſtabant. p.382.c.2
Sacra Pithœgia apud quos olim erant vſitata, quibus etiam rebus conſtarent. ibid.
Sacra Cereris vt fierent rata, & fixa, quibus olim rebus opus erat. p.383.c.1
Sacra Coiſſa quænam erant, à quibus inſtituta, & quibus cæremoniis. p.383.c.2
Sacramenta à Chriſto inſtituta Dei gratiam conciliant illis, qui dignè vtuntur eis. p.257.c.2
Sacramentorum veterum, ſeu Iudæorum iuſtificatio qualis erat. p.343.c.2
Sacramenta nouæ legis potiora ſacris omnibus Hebræorum. ibid. & rurſus p.345.c.1
Sacramenta quænam iuſtificent animas præparatas vti par eſt. p.345.c.2
Sacramenta nouæ legis quando ſuos effectus ſortiantur in anima fidelium. p.359.c.1
Sacrificare, & facere, ſunt verba ſynonyma, quæ idem prorſus ſignificant. p.198.c.2.& p.324.c.1
Sacrificium quid ſit, & eius deſcriptio præclara cuius vide doctam ſeriem, & contextum. p.193.c.1
Sacrificium quot conditiones, & cautelas prærequirit, vt ſit propriè ſacrificium. ibid.
Sacrificiorum apud Hebræos olim multiplices, & variæ ſpecies extiterunt. p.193.c.2
Sacrificiorum omnium diſtinctio, vnde ſuam originem emendicet. p.194.c.1
Sacrificiorum religioſus vſus, quibus argumentis, & rationibus congruis aſtruatur. p.194.c.2
Sacrificiorum vſus apud omnes gentes erat olim frequens, adiectis cæremoniis. ibid.
Sacrificij ratio principalis, penes quid præcipuè, & propriè conſtituatur. p.197.c.1
Sacrificij Melchiſedech deſcriptio genuina, cuius vide ſeriem, & tenorem. p.197.c.2
Sacrificium omne dicit quatuor, quæ ſunt valde conſideranda, & digna ſcitu. p.214.c.1
Sacrificium Miſſæ lineatum olim quamplurimis typis, & figuris. ibid.
Sacrificiorum Moſaicæ legis olim impenſas immenſas ære ſuo ſoluit Rex Cyrus. p.225.c.1
Sacrificiis intentus erat olim Iob ita ſuis filiis inuigilans. p.229.c.2
Sacrificiorum adeps quare fuit negatus olim Hebræis. p.327.c.2
Sacrificij veri ab aliis antiquitus figuratus, adeps ſeruabatur Chriſtianis, ibid.
Sacrificium Chriſti continet eminenter alia omnia ſacrificia. p.376.c.1
Sacrificia diſtinguebantur olim in ſacrificia animata, & inanima. p.376.c.2
Sacrificium Regis Moab, quàm horrendum, & crudele fuit. ibid.
Sacrificia Scytharum congrua fuere ſæuæ indoli eorum, id eſt, ſæua. ibid.
Sacrificia Scythotaurorum fuere penitus inhumana, ſicut & Scytharum. ibid.
Sacrificia Laodiceorum, quidnam præ aliis habuere ſibi ſingulare. ibid.
Sacrificia Gallorum veterum gentilium fuere crudelia. ibid.
Sacrificia Neurorum, quibus hoſtiis agebantur ab illis. ibid.
Sacrificia Blemmyarum quænam fuerint, & quibus victimis agebantur. ibid.
Sacrificia Cimbrorum hominum ferocium, quibuſnam ritibus agebantur. ibid.
Sacrificia priſcorum Germanorum, quonam ſanguine diffluebant. ibid.
Sacrificia Phœnicum, & Carthaginenſium humano ſanguine redundabant. ibid.
Sacrificium Ariſtomenis ſolenne fuit, & quænam illic hoſtia fuerit immolata. p.377.c.1
Sacrificia Galatarum, & Meſſagetarum, quidnam ſpeciale habuerunt. ibid.
Sacrificia Thracum, quibus cæremoniis & ritibus fuere celebrata. ibid.
Sacrificia Perſarum fuere ſolemnia, & quidnam Diis ſuis immolabant. p.377.c.2
Sacrificia Græcorum præ aliis gentibus eruditorum, quænam fuerint. ibid.
Sacrificiorum Lacedemoniorum, qui tenuere primas apud Græcos, quænam fuerint. ibid.
Sacrificia Romanorum multas ſpecies habuere quibus occupabantur. ibid.
Sacrificia Athenienſium quibus fuere ritibus olim peracta. ibid.
Sacrificia Taurorum, Leucadiorum, & Albanorum,

quàm diſparia. ibid.
Sacrificia Ægyptiorum fuere plura, quibus varias res Numini conſecrabant. ibid.
Sacrificij Chriſti in cruce fuit ſalutaris effectus omnibus hominibus. p.379.c.1
Saliorum olim dignitas magna fuit apud veteres Romanos. p.408.c.2
Saliares olim cœnæ fuere cibis omnibus inſtructæ, & ſolennes. ibid.
Saltatio publica antiquitus facta poſt celebres epulas. p.407.c.2
Saltatio quædam mollis, & obſcœna, quia in Venerem fracta faces luxuriæ accendit. ibid.
Saltatio Laconum qualis olim fuerit, & quàm à libidine fœda procul. ibid.
Saltauit olim Rex Dauid ante fœderis arcam, & quare. p.408.c.1
Saltationibus vſus olim erat apud Indos frequens in ſolennibus ſacrificiis. ibid.
Saltatio circum aras olim apud varias gentes erat vſitata. ibid.
Saltatio in Delo inſula comitabatur olim ſolennia ſacrificia. ibid.
Saltatio quænam eſt abſolutè neceſſaria ad ſalutem homini Chriſtiano. ibid.
Salus olim adorata fuit ſicut Dea à priſcis gentilibus. p.216.c.2
Sancta Sanctis olim ſonora fuit vox Diaconi ante ſacram Communionem. p.369.c.1
Sanctum eſſe quid ſit, & quæ conditiones ad hoc exigantur ab homine. ibid.
Sanctis conceſſa fuit cælitus facultas propitiandi Deum. p.594.c.1
Sancti in cælis ſoliciti ſunt, & orant pro omnibus fidelibus Chriſtianis. p.639.c.2
Sanctitas diuiditur in ſanctitatem vnam, corporis, & animæ. p.591.c.2
Sanctum nihil prorſus eſſe poteſt ſine ſpeciali influxu Spiritus Sancti. p.656.c.2
Sanguinis Domini Ieſu Chriſti, ſalutares fuere effectus omnibus hominibus. p.285.c.1
Sanguis Domini Ieſu Chriſti nos abluit ab omnibus maculis peccatorum. p.388 c.1
Sanguis Domini Ieſu Chriſti, quare in Sacramento detur ſub ſpecie vini. ibid.
Sanguis Domini Ieſu Chriſti, nos ſtrictè Deo agglutinat. p.389.c.1
Sanguis corporis humani diuiditur in vitalem, naturalem, & animalem. p.305.c.1
Sanguis humanus, à quibus hominibus aliquando fuit ebibitus. p 392.c.1
Sanguinis eſt admirabilis aſſimilatio cum variis partibus corporis. p.405.c.1
Sanguinis diſtributio qua ratione fiat omnibus partibus corporis. p.404 c.2
Sanitas propriè quid ſit, & penes quid præcipuè conſtituatur. p.444.c.1
Sanitas nimia & ſumma, nequit vt ſuſpecta diu conſtare ſibi. p.85.c.1
Sanitatem perfectam, & integram eſſe, quibus ſignis conſtet. p.556.c.2.& p.444.c.1
Satisfactio eſt neceſſaria homini pœnitenti volenti conciliare ſibi gratiam Dei. p.529.c.2
Satisfactionis neceſſitas, quibus argumentis, & rationibus congruis aſtruatur. p.530.c.2
Saturni planeta, quibus morbis homines obnoxios efficiat. p.66.c.1
Scaliger Princeps Veronæ, quare ſuo principatu excidit. p.650.c.1
Scientias ſæculares licitum eſſe viris initiatis ſacris ordinibus addiſcere. p.6.c.2
Scientiæ ſunt aliquæ, quæ ab effectu ſcientiæ pietatis nuncupantur. ibid.
Scientia mandatorum Dei, quos effectus ſortiatur in anima. ibid.
Scientiis comparandis plerique ſuam omnem adhibent induſtriam, virtutis incurij. p.7.c.1
Scientia omnis vt ſit homini ſalutaris, debet ad virtutis cultum ordinari. ibid.
Scientiis ita debet homo ſuum ſtudium occupare, vt ſemper aliquid diſcat. ibid.
Scientia Prælatorum ſi dignè velint ſuas obire vices, qualis eſſe debet. p.12.c.1
Scientia omnis, quæ non reducitur ad praxim virtutis inanis eſt. ibid.
Scientia quid requirat ab omni diſcipulo, vt optimè comparetur. p.12.c.2
Scientia omnis hominum acquiſita ſola luce rationis eſt dubia. p.116.c.2
Scientiæ genus eſt duplex, cuius vide ſpeciales differentias. p.415.c.1
Scientia perficiens intellectum, eſt via conducens ad Deum cognoſcendum. p.477.c.2
Scientia omnis diſtinguitur, in ſcientiam habitualem, & in actualem. ibid.
Scientia omnis humana, vt eſt infirma, ita nequit ſufficere ad ſalutem. p.478.c.2
Scientia omnium Philoſophorum gentilium, imago ſola fuit virtutis. ibid.
Scientia perficiens intellectum, quæ bona conciliet hominibus. p.478.c.1
Scientia, & præſertim perficiens intellectum, hominem à beſtia diſtinguit. ibid.
Scientia bona, bonos, & ſalutares effectus ſortitur in homine. p.481.c.1
Scientię omni qualem homo debet aſſignare finem, vt illa proſit. p.480.c.2
Scipionis filius degener, ob vitia nomine paterno fuit exutus. p.41.c.2
Scire volunt multi ob varios fines, à quibus ſcientia bonitatem, aut nequitiam accipit. p. 305. col.1
Scriptura ſacra ſæpè ſua myſteria, & arcana typis, & figuris inuoluit. p.42.c.1
Scripturæ ſacræ laudes & encomia luculenta, quorum vide ſeriem & tenorem. p.121.c.2
Scripturæ ſacræ comparatio cum arcu præclara, cuius vide rationes. p.125.c.2
Scripturæ ſacræ apices non ſunt inutiles, aut muti, ſed ſunt vocales. p.471.c.2
Secundi nomen accepere plures Summi Pontifices arbitrati eſſe nomen hoc fauſtum. p.32.c.2
Senſuum omnium portas cautè dæmon obſeruat, vt irrepat in animam. p.600.c.1
Senſuum incuria hominem incautum violenter inducit ad conſenſum peccati. ibid.
Senſuum omnium miniſtri, ſunt nerui ad hoc deſtinati à natura. p.547.c.1
Septena immerſio data fuit olim religioni ſuperſtitione quadam. p.379.c.2
Septentrionales populi ſex menſes agunt in tenebris aſſiduis. p.18.c.1
Sepulchrum coniugum eſſe debet idem, vt quorum fuit vnus thalamus ſit idem tumulus. p.678.c.1
Sepulchro quare debent eodem condi, & tumulari coniuges. ibid.
Serpentis induſtria mira ſuum vt annoſum corium exuat, nouámque cutem induat. p.74.c.2
Seruitus à quo primum inuecta fuit, ſubiiciens homines aliis hominibus. p.53.c.1

Seruitus

Seruitus peccati præ aliis omnibus ſeruitutibus eſt oneroſa, & inglorja. ibid.
Seruorum conditio eſt adeo abiecta, nihil vt reputentur homines ſeruilis conditionis. ibid.
Seruuli mendici paralytici patientia admirabilis commendata à S. Gregorio. p.542.c.1
Seſſio animæ propriè quid ſit, & qua ſuauitate mira perfundat animam. p.669.c.1
Sfortiæ Ducis amor in ephebum, pro cuius ſalute, vitæ in diſcrimen incurrit. p.268.c.1
Sigiſmundi Ducis Tranſyluaniæ vltio de inimico accedente ad eius menſam. p.240.c.1
Sidera quædam ſunt infauſta ſuis valde diris, & noxiis aſpectibus. p.70.c.2
Signum ſenſibile gratiæ influentis, eſt ratio generica omnium Sacramentorum. p.167.c.2
Sileni Alcibiades ab antiquis celebrati, quidnam habuere ſingulare. p.389.c.2
Silentiarij miniſtri quinam erant, & quale fuit illorum officium. p.652.c.1
Simeonis Stylitæ imitatores non perſeuerauere diu in illo vitæ genere. p.647.c.2
Simoniacus Epiſcopus pronuntiare nequit nomen Spiritus Sancti. p.151.c.1
Siſebuti Regis Hiſpaniæ exemplum ſingulare pietatis. p.137.c.2
Sobrietatis vox vnde deducatur, & quænam ſit eius etymologia. p.316.c.1
Societas Ieſu à paupertate fuit auſpicata ſuum inſtitutum. p.95.c.2
Societati Ieſu quare ſacrum nomen Ieſu impoſitum fuit. p.37.c.2
Sol quare fuit olim à priſcis Gentilibus nuncupatus Apollo. p.436.c.2
Sol & Luna ſimul adorati à diuerſis gentibus ſuſpicantibus eos eſſe Deos. p.595.c.2
Sol depictus olim in corona ſpicis plurimis intertexta, & quid hoc ſignificet. p.170.c.1
Solis menſa famoſa fuit, & quidnam illic erat ſingulare. p.326.c.1
Solis effectus quinam ſint, & eorum efficacia admirabilis. p.114.c.2
Solis amplexus in ſomnis Cyro Regi fuit omen fauſtum, & propitium. p.436.c.1
Solonis Philoſophi ſilentium inter epulas, aſtantes rapuit in admirationem. p.457.c.1
Solitudinis animæ commoda, & beneficia, quàm ſint ſalutaria. p.669.c.2
Solitudo animæ, non omninò ſolam facit eam, & quomodo illud fiat. ibid.
Solitudo duplex eſt, ſcilicet ſolitudo corporis, & animæ ſolitudo. p.541.c.2
Solitudinem neceſſariam eſſe, quibus argumentis congruis aſtruatur. ibid.
Solitudo decet præcipuè animas, quæ ſe Christo Domino deuouerunt. p.540.c.2
Solitudinis laudes eximiæ, & encomia luculenta, quorum vide contextum ibid.
Solitudo quot bona viris ſolitariis, etiam ex hoc ſæculo conciliet. ibid.
Solitudinem valdè proficuam, & ſalutarem eſſe, quibus mediis aſtruatur. p.668.c.2
Solitudo mentis propriè quænam ſit, & penes quid conſtituatur. p.669.c.1
Solitudinis animæ commendatio mira, cuius vide tenorem. ibid.
Somnus quid ſit, & quænam ſit definitio illius: p.667
Somnus quomodo concilietur, & quænam ſint cauſæ illius. ibid.
Somnus corporis, quales effectus in homine parturiat. p.668.c.1
Somnus animæ qualis ſit, & qua ratione irrepat in animam. ibid.
Somnus olim dictus in ſe quidpiam diuinum habere. p.669.c.1
Spiritus Sancti effectus benefici, & ſalutares animæ. p.521.c.2
Spiritus Sancti notitia nullis olim conceſſa fuit Philoſophis gentilibus. p.155.c.1
Spiritus Sanctus quare, & vnde nomen Spiritus Sancti ſit ſortitus. p.155.c.2
Spiritus Sanctus quando, & qua ratione fuit reuelatus Eccleſiæ. ibid.
Spiritus Sanctus vento comparatus, & comparationis huius rationes. ibid. & p.156.c.1
Spiritus Sanctus amor eſt Patris, & Filij in diuinis. ibid.
Spiritus Sancti feſtum præ feſtis omnium Sanctorum eſt celebrandum. p.156.c.2
Spiritus Sanctus, quos effectus ſalutares hominibus exerat. ibid.
Spiritus Sancti influxus, quales ſint in animas fidelium. p.157.c.1
Spiritus Sancti dulcedo mira ſuauitate fidelium animas perfundit. ibid.
Spiritus Sanctus quid operetur in anima Christiana Dei gratia inſtructa. p.158.c.2
Spiritus Sanctus quid ſit in diuinis apud Theologos. p.148.c.1. & p.156.c.1
Spiritus Sanctus in diuinis nuncupatur perſonaliter donum, & quare. p.147.c.2
Spiritus Sancti dona non ſigillatim influunt, ſed ſimul cælitus erogantur. p.12.c.1
Spiritus Sancti dona deſcripta, & quid ſingulare conferant hominibus. p.87.c.2
Spiritus Sancti dona homini collata; ad quid præcipuè inſeruiant. p.103.c.2
Spiritus Sancti influxus in animas fidelium eſt maximè ſalutaris. p.149.c.2
Spiritus Sanctus quare vento comparetur. Vide congruentias. p.148.c.1
Spiritus an ex Deo ſint, aut ex Diabolo, quanam induſtria dignoſcatur. p.153.c.2
Spiritus Sanctus à quibus præcipuè hominibus abſit, & elongetur. p.152.c.2
Spirituum vitalium, & animalium in corpore, quænam ſit materia. p.515.c.2
Spiritus vitales, & animales vbi fiant in corpore humano. ibid.
Spiritus naturales; & vitales in corpore humano fiunt ex ſalutari eſca. p.305.c.2
Spiritus animales pellucidi ſunt. p.305.c.1
Spiritus animalis, qualis ſit, & quomodo diſtinguatur à ſpiritu vitali. p.524.c.1
Spirandi facilitas eſt ſalutaris ægris, & bonum omen eis portendit. p.458.c.1
Sphinx quale fuit animal, & vnde ſuam nuncupationem emendicat. p.67.c.1
Sponſio quid ſit. p.674.c.1
Sponſalia quid ſint. ibid.
Stabuli Bethlehem deſcriptio præclara cuius vide elegantiam. p.80.c.1
Statuæ Eutropij Conſulis euerſæ in odium hominis huius nefarij. p.53.c.1
Statuæ Imperatoris olim ſalutares erant eis, qui ad eas confugiebant: pag. 33. col. 1. & pag. 548. col. 2
Stellæ quæ apparuit Magis elegantiſſima deſcriptio facta ab Auguſtino. p.79.c.1

Struthionis oculi pullos educunt ex ouis facultate quadam eis inſita. p.10.c.1
Sudores vt ſint ſalutares ægris, quas conditiones habere debent. p.271.c.2
Sudores frigidi tantùm abeſt vt reſtinguant incendium febris, quinimò lethales ſunt. p.259.c.2
Soperbia ob virtutes magno ſtudio acquiſitas eſt cauenda quibuſque viris etiam ſanctis. p. 263. col. 2
Superbiæ nequitia eſt tanta, ſuum vt lethale virus aſpergat omnibus bonis operibus. p. 463. col. 1
Superbia facit contemptibiles eos, qui plus nimio aſſurgentes ambiunt honorari. pag. 487. col. 1
Superbia Phariſæi, quanta fuerit, & quantùm illi malefica. p.649.c.1
Superbia & ignauia vtplurimum eſſe ſolent comites indiuiduæ. p.651.c.1
Superbia homines vt aliis exoſos facit, ita reddit eos etiam ignobiles. p.653.c.2
Superbia vt eſt ingrata Deo, ita validè ab eo deorſum deprimitur. p.654.c.2
Superior vt digne ſuo fungatur officio, qualis eſſe debet. p.14.c.1
Superior nemo debet eligi, qui prius non didicit obedire. p.12.c.1
Superior, non ex dignitate ſua, ſed ex virtutum praxi commendatur. ibid.
Superior præſit, vt proſit; id eſt, non quærat quæ ſua ſunt ſed ſubditorum. p.13.c.2

T

TAncredi Siculi Principis filia amore ſui amaſij ſauciata fatis ceſſit. p.292.c.2
Tamerlani ſigna ſeu vexilla nihil atro, & coccineo colore niſi mortem portendebant. p. 185. col. 1
Templi erecti à Salomone Rege quare fores fuere factæ ex oliua. p.44.c.1
Templi vox Hebraïcè reddita multa ſonat apud Hebræos. p.403.c.1
Templi nomine cùm pronuntiatur, quid potiſſimum ſignificetur. p.403.c.2
Templum Deo conſecratum, eius potentiam præcipuè manifeſtat. ibid.
Templum Dei triplex eſt, quænam verò tria ſint hæc templa vide p.486 c.1
Templum Dei eſt homo, & comparationis huius, ſcilicet hominis cum templo, vide rationes. p.487.c.1
Templum Iouis olim omnibus hominibus præſtabat ſecuritatem. p.487.c.2
Tentationum quæ homines ad peccandum ſollicitant quoنam ſint ſpecies. p.600.c.1
Tentatio vt in præceps, & abruptum nos adducit, ita debet nos facere cautiores. ibid.
Terræ ſimulacrum quale fuit effictum à priſcis gentilibus. p.442.c.1
Terræ quare fuit porcus olim immolatus à priſcis gentilibus. ibid.
Teſtamentum vt validum ſit, conſcriptum eſſe debet terminis conſpicuis. p.180.c.1
Thaletis vnius ex ſeptem Sapientibus Græciæ, Philoſophia qualis erat. p.55.c.2
Themiſtoclis vanitas quanta fuerit, probatur vno exemplo. p.54.c.1
Theodatæ famoſæ meretricis cum Socrate Philoſopho colloquium. p.507.c.2
Theologiæ laudes, & encomia præclara, quorum vide contextum. p.425.c.2
Theologia in quot partes diuidatur à Theologis Scholaſticis. ibid.
Theologia Scholaſtica multum conducit ad fidem concipiendam. ibid.
Thereſiæ virgini ſanctæ facta fuit reuelatio de realitate corporis Chriſti in Euchariſtia. p. 164. col. 2
Theſaurus inuentus fortuitò ab aliquo homine, ad quem pertinere debet. p.622.c.2
Theſauri prædiuites, vt ſecuriores eſſent, olim erant in templo reconditi. p.394.c.2
Thymiama ſoli Deo conſecratum, congruum extitit gloriæ Dei ſymbolum. p.54 c.2
Timor Dei initialis quomodo tranſire poſſit in timorem Dei filialem. p.637.c.2
Tiberij Imperatoris oculi luce eis innata velut coruſci, & micantes erant. p.8.c.2
Tigris animal carniuorum & crudele fuit præcipuè in homines. p.186.c.2
Timoleontis Principis ab Oratore laudati per exceſſum reſponſum egregium. p.56.c.1
Titi Imperatoris poſt inſignem victoriam reportatam modeſtia ſingularis. ibid.
Tranſubſtantiatio propriè quid ſit, & quomodo definiatur. p.187.c.1
Tranſubſtantiationis veritas, quibus rationibus, & argumentis congruis aſtruatur. ibid.
Tranſubſtantiatio quibuſnam figuris olim, atque typis fuerit lineata. p.187.c.2
Tranſubſtantiationis vox ſeu nomen quare fuit apud Sanctos Patres in vſu. p.187.c.2
Traianus Imperator in multis exempla luculenta dedit aliis Principibus imitanda. p.513.c.2
Tribulationibus, & anguſtiis Sancti homines à Deo cælitus honorantur. p.35.c.2
Tribulationibus & his acerbis, & continuis comparatur gloria cæleſtis. p.35.c.1
Tribulationibus, & anguſtiis atrocibus corona proſtant. ibid.
Tribulationes multæ, & variæ Paulum aptauerunt, vt eſſet vas electionis. p.36.c.2
Tribulationibus, & moleſtiis aſſiduis perpolitur anima, & fit pellucida. p.37.c.1
Triclinium propriè quid ſit, & vnde ſuam nomenclaturam emendicet. p.354.c.2
Toba ſonans, & clangens apud Hebræos erat figura laudum Dei. p.603.c.2
Turbatum eſt iniqua conditio, & vita multis vitiis obnoxia. p.443.c.1
Turcarum reuerentia ſingularis eſt erga ſuos Imperatores. p.165.c.2

V

VAlentiniani Imperatoris in florida ætate mira caſtitas, & probata exemplo. p.121.c.1
Vanitas fugienda velut lethale virus aſperſum virtutibus quarum meritum extinguit. pag. 183. col. 2
Vaſa ſacra nefas eſt ab aliis quàm à conſecratis manibus attrectari. p.449.c.2
Vdonis Epiſcopi obſcœnæ libidini obnoxij punitio horrenda cælitus expetita. p. 217. c. 1. & p.554. col. 2
Venceſlai Principis Imperatore Patre ſati vitia eum fecerunt inglorium. p 654.c.1
Venceſlaus declaratus indignus Imperio à Summo Pontifice ob vitia. p.131.c.1

Veneris ſtatua à Gentilibus erecta fuit in monte Caluariæ,vt aboleret cultum Crucis. p.591.c.2
Veneti ſunt libertatis auitæ zelantiſſimi, & propugnatores acerrimi. p.53.c.2
Venatus quid ſit, & quomodo à variis Philoſophorum ſectis definiatur. p.155.c.2
Venti notitia tantis difficultatum nubibus offunditur,vt fatendum ſit eam eſſe difficilem. p.155.c.1
Ventos vt Numina colunt Trazenij, & in eorum adoratione quibus vtantur cæremoniis. p.151.c.2
Ventorum ſunt commoda præclara quorum vide ſeriem beneficam hominibus. p.159.c.2
Ventis olim noctu ſacrificabant Sicyonij, & quid illo ritu ſignificabant. p.156.c.2
Verbi Dei & ignis comparatio genuina, cuius vide rationes. p.480.c.1
Verbum Dei peccatores initiat ad ſanctioris vitæ genus. ibid.
Verbo Dei ſalutariter captus olim fuit Felix, volens capere Eleutherium. ibid.
Verbo Dei ſalutariter irretitus olim fuit Henricus Rex Germaniæ. p.480.c.2
Verbi Dei contemptores vbi fuere Deo vltore, diris excepti ſuppliciis. ibid.
Verbum Dei niſi reducatur ad praxim, non eſt homini ſalutare. ibid.
Verbum Dei exceptum ab homine, qua ratione illius impinguet animam. p.481.c.1
Verbum Dei dignè ſicut par eſt auditum, quoſnam effectus in anima ſortiatur. ibid.
Verbum Dei congruè exceptum ab homine, amore Dei cor eius accendit. p.481.c.2
Verbi Dei cum manna comparatio præclara, cuius vide congruentias. p.479.c.2
Verbum Dei reuerenter, & iucundè auditum eſt nota indubia prædeſtinationis. ibid.
Verbum Dei reſpuit humanæ eloquentiæ faſtum,& eſt ſimpliciter proponendum. p.478.c.1
Verbum Dei non eſt audientibus inutile; ſed efficax & ſalutare. ibid.
Verbo Dei obediens benè ſibi conſulit, & ſecurè ſuam ſalutem aſtruit. ibid.
Verbum Dei quibuſnam hominibus ſit præcipuè prædicandum. p.459.c.2
Verbum Dei quibuſnam potiſſimum hominibus non ſit annuntiandum. ibid.
Verbi Dei ſimplicitas eſt ab omnibus fidelibus Chriſtianis amanda. p.146.c.1
Verbum Dei ſpretum iræ Dei, & ſuppliciis congruis Nouiodunenſes obſtrinxit. p.146.c.1
Verbum Dei quanam pietate, & reuerentia fuit auditum à Conſtantino Imperatore. ibid.
Verbi Dei amor quàm ſalutaris ei qui illud amat,& quid prænunciet. p.145.c.2
Verbi Dei dignè ſicut par eſt effectus quàm ſint benefici. ibid.
Verbi Dei contemptus quænam mala inſtare ſuis contemptoribus deſignet. ibid.
Verbi Dei quanta ſit energia, in gratiam eorum,qui illud dignè audiunt. p.125.c.1
Verbi Dei contemptores qua ratione Deus iræ ſuæ, & pœnis congruis addixerit. p.122.c.1
Verbum Dei reuerenter,& vtiliter auditum, dæmones in fugam agit. p.121.c.2
Verbi Dei virtus quanta ſit in gratiam auditorum eius,qui illud beneuolis auribus excipiunt. ibid.
Verbum Dei omnes qui negligunt, quanta ſibi mala,& hæc æterna concilient. p.479.c.2
Verbum Dei ſacrilegè adulterantes concionatores quinam ſint,& quomodo dignoſcantur. ibid.
Verbum mentis propriè quid ſit ex placito omnium Philoſophorum. p.123.c.1
Verbum eſt duplex, & qua ratione queat vnum dignoſci ab altero. p.631.c.1
Veſpaſiani Imperatoris liberalitas inſignis erga totam Ægyptum. p.169.c.1
Vermes qua induſtria à peritis medicis educantur è corpore humano infirmo. p.126.c.1
Veſta credita famoſa Dea à priſcis Gentilibus, quænam fuerit. p.595.c.2
Veſtalium virginum quas olim Roma, ſummo in honore habuit,origo qualis. ibid.
Veſtis Aaron à Deo deſcriptæ malogranata, & tintinnabula quid ſignificent. p.10.c.1
Veſtium pompa,& luxus tanquam à diabolo introductus eſt damnandus, & cauendus. p.245.c.2
Veſtibus pullis indui in publicis, & ſolennibus epulis olim damnatum fuit. p.252.c.2 & p.368 c.1
Veſtis nigra Vatiniani in ſolenni conuiuio præbuit anſam Ciceroni acerbæ cenſuræ. ibid.
Veſtes quales tanquam incongruæ, & indecoræ ſint ab hominibus deponendæ. ibid.
Veſtis fragrans ſuaui odore virtutum omnium, Deum homini conciliat. p.255.c.2
Veſte trita nefas eſt omnibus hominibus ſiſtere ſeſe Turcarum Imperatori. ibid.
Veſte qua indutus adierit Solymanhom Turcam præfectus generalis equitum Rhodiorum. ibid.
Veſtium Sacerdotalium, quæ in Miſſa adhibentur exquiſita deſcriptio,& explicatio. p.195.c.2
Veſtes acceptæ contra Vatis Eliſæi præceptum fuere maleficæ Giezi. p.255.c.1
Veſtes quibus vtebantur olim conuiuæ in ſolennibus epulis,quomodo fuere nuncupatæ. p.367.c.1
Veſte conuiuali indutus olim Nero prodiit in publicum contra morem Romanorum. p.367.c.2
Veſte conuiuali indutis, extra publicas epulas prodire foras ſtrictè fuit vetitum. ibid.
Veſtes quibus conuiuæ induebantur in ſolennibus epulis erant albæ. ibid.
Veſtibus albis indui ſolebant omnes Romani diebus feſtis ſolennibus. ibid.
Veſte alba fuit ſemper indutus homo famoſus nomine Siſinnius. ibid.
Veſte alba nuper baptizati induebantur olim in primitiua Eccleſia. ibid.
Veſtibus albis induti Angeli ſæpius hominibus apparuere ſicut cōſtat ex Scriptura ſacra. p.368.c.2
Veſtes albæ nuper baptizatorum, quid olim myſticum ſignificarent. ibid.
Veſtibus albis olim induebantur Perſæ ſuis in ſacris ſolennibus. ibid.
Victimas quaſque ſuas habuere dij ſinguli apud pleraſque gentes. p.378.c.1
Victima aliena Deo cuipiam immolata nihil proficere credebatur à populo gentili. ibid.
Victima quænam immolabatur olim Ioui die ipſo, quo victor triumphabat. ibid.
Victimæ olim ſelectæ quales eſſe debebant, vt apponerentur aris gentilium. ibid.
Victimæ Iniuges qualeſque erant, & quare fuere tales nomine nuncupatæ. ibid.
Victimam immolandam inuitam & reluctantem enecare nefas erat, atque mali ominis. p.391.c.1
Victoria nulla,niſi Deo exercituum annuente poteſt de hoſte referri. p.55.c.2
Victoria inſignis,& famoſa reportata fuit de Turcis in ſinu Naupacti. p.148.c.2
Victoriæ ſtatua multis olim ſæculis fuit adorata Romæ. p.599.c.2

Victoriæ imago Duci Græco Timotheo dormienti ſe in ſomnis obtulit. p.661.c.1
Viduæ cuiuſdam amor in maritum ſublatum è medio, eam exanimat. p.679.c.1
Vidua vt dignè ſuo fungatur officio, qua ratione debet lugere ſuum virum extinctum. ibid.
Viduæ Ioannæ Reginæ Hiſpaniæ luctus inſolitus ob mortem viri ſui. ibid.
Vindicta expetita ob acceptam iniuriam, arguit ignauiam in vltore. p.652 c.1
Vladiſlai Regis humanitas Inſignis in Palatinum perduellem. p.66.c.2
Vini larga manu epoti quanta ſit malitia fuſè deſcribitur. p.319.c.1
Vini, & veneni comparatio luculenta, cuius vide congruentias. ibid.
Vino lethale virus ſuſpicantes ineſſe viri Sancti, eo ſemper abſtinuere. p.313.c.2
Vini incommoda multa, ſicut & effectus maleficos exempla multa probant. p.184.c.1
Vinum merum congruè ſumptum ab infirmo prodeſt contra cardialgiam, ſeu deliquium cordis. p.276.c.2
Vinum largiore manu propinatum, & hauſtum reſerat arcana. p.314.c.2
Vino immoderatè ſumpto, nubes ſe cerebro offundunt, quæ rationis vſum eliminant. p.315.c.1
Vinum largiùs quàm congruat hauſtum, eſt tortura citò veritatem eliciens. ibid.
Vinum ſupra modum epotum eſt corruptionis indubiæ initium. ibid.
Vinum meraciſſimum largiùs ſumptum eſt inſtar opij ſomniferum. ibid.
Vinum homini inebriato nocet, vt epotum lethale virus. ibid.
Vinum dum meribibulos inebriat, aciem oculorum mentis retundit. p.315.c.2
Vinum quare benè fluens nuncupatur à priſcis auctoribus. ibid.
Vini per exceſſum abſorpti, & obſcœnarum chorearum nexus eſt indiuiduus. ibid.
Vini, & Veneris aſſimilatio luculenta, cuius vide rationes, & conuenientias. p.316.c.1
Vini meraciſſimi largius quàm par ſit epoti pernicies eſt timenda. p.316.c.2
Vinum largiore manu fuſum & abſorptum homines efficit ingloriòs. p.317.c.1
Vini meraciſſimi ſupra modum hauſti, ſunt amantiſſimi populi Tapiri. ibid.
Vino immodico turpiter addicti fuere viri nomine Phigalenſes. ibid.
Viro mero, & inebriante totos olim ſe inundauere, ciues Bizaotij. ibid.
Vino immodico obſtricti fuerunt Titinthij, & Argiui, homines ignaui. ibid.
Vini immodici fuere vilia mancipia homines Mileſij, ideo vitiis omnibus obnoxij. ibid.
Vini inundantis calices cultores fuere viri Eleuſes, quibus idcirco nemo fidem, vt mendacibus adhibebat. ibid.
Vino immoderatè fuſo ſuum omne exhibebant obſequium Thraces, homines abiecti. p.317.c.2
Vino per exceſſum ebibito ſolebant ſæpe capi Chalcidenſes homines inertes. ibid.
Vino mero ſeruientes Mathymnæi, & idcirco malè habiti à tyrannis. ibid.
Vino largius effuſo toti immerſi erant Aſſyrij, ideoque ſuis vxoribus ignauè ſubdebantur. ibid.
Vino ſupra modum ebibito conſepulti Ariæi, à Celtis fuere iugo ſeruitutis oppreſſi. ibid.
Vino immoderatè ſumpto, fuga ſibi in bello conſulunt Parthi milites. ibid.
Vinum larga manu bibere condemnati ſunt à Tyrannis Leontini, ne rebellarent. ibid.
Vinum largius epotare ſolent Scythæ, Celtæ, & Iberi, & hi omnes idcirco feri. ibid.
Vinum inebrians ſemper in delicijs fuit Germanis, qui idcirco plagis fuere peſſimè ſauciati. ibid.
Vinum qualecunque ſuit illud abſolutè fuit interdictum populis quorum vide nomen. ibid.
Vino contra legem Romæ latam, madentem vxorem ſuam Metellus occidit. ibid.
Vino Reges aſſuetos immodico Solon legiſlator expouit populo puniendos. ibid.
Vini immoderati hominem inundantis, & diaboli nexus eſt indiuiduus. p.318.c.1
Vinum largiùs quàm congruat hauſtum hominem ebrium quamplurimis obiicit inſidiis. p.318.c.2
Vini meri per immoderantiam ſumpti, & indubiæ mortis affinitas. ibid.
Vinum lautum, & exquiſitum pars præcipua eſt conuiuij. p.381.c.2
Vinum optimum ſumptum moderatè ſicut decet hominem corroborat. p.385.c.2
Vinum parca manu, & dilutum aqua ſumptum mentem acuit. ibid.
Vinum merum, & exquiſitum largius epotum propinum eſt Poëtis. ibid.
Vinum vnde ſuam hanc nuncupationem propriè emendicet. p.385.c.1
Vinum de cælo non habuit Synagoga, licet habuerit manna panem Angelorum. p.381.c.1
Vinum ſelectum epulis appoſitum ſemper à Perſis, & à Iulio Cæſare. p.381.c.2
Vini vſus vt ſit beneficus, & ſalutaris, eſt gratia cælitos expectanda. p.382.c.2
Vinum merum olim à gentilitate fuit adhibitum ſacris. p.383 c.1
Vinum debuit eſſe de vite putata, ſacris vt eſſet idoneum. p.383.c.1
Vinum adhibentes olim ſacris ſuis Gentiles carpit Arnobius. p.383.c.2
Vinum ſupra modum epotum, corpus, & animam malè afficit. ibid.
Vinum hoſtiis infundendo, quæ verba Gentiles recitabant. p.384.c.1
Vinum quare ſacris altaribus Chriſtus apponi voluerit. ibid.
Vinum quale veri Chriſtiani ſacris adhibere ſolent altaribus. p.384.c.2
Vinum ſumptum diſcretè ſicut par eſt, cuiuſque mali medicina eſt. p.386.c.1
Vinum congruè dilutum, & moderatè ſumptum, eſt animæ, & corpori ſalutare. ibid.
Vini diluti vt decet, & modicè epoti laudes, & encomia præclara. ibid.
Vini congruè lymphati, & prudenter epoti effectus ſunt iucundi. ibid.
Vini conſecrati hauſti ab anima congruè præparata effectus ſalutares. p.387.c.1
Vinum conſecratum quare nuncupetur calix benedictionis. p.388.c.1
Vino conſecrato, ſicut decet ſumpto ab anima Chriſtiana vis ineſt abluendi. p.388.c.2
Virginitas quænam ſit perfectio, & penes quid propriè conſtituatur. p.553.c.2
Virginum, quæ verè virgines ſunt, quale potiſſimum ſit officium. p.49.c.2
Virgo ſpicam tenens in globo cæleſti quid typicè ſignificet. p.236.c.2

Virgo tenens ſpicam in ſphæra cæli, ſtellas habet in pedibus. p.265.c.1

Virgo ſuum ſi velit ſeruare decus illibatum oculos fugiet alienos. p.474.c.1

Virginum quæ ſeriò ſibi inuigilare ſolent, proprium eſt trepidare ad hominum occurſum. ibid.

Virgo ſuam ſi ſedulo velit aſtruere puritatem caueat à ſuperbia. p.490.c.1

Virginitatem quantumcunque puram, noxiam virgini facit ſuperbia. ibid.

Virginitatis laudes, & encomia præclara, quorum vide ſeriem, & contextum. p.453.c.2

Virginitatis egregia commendatiò in gratiam omnium virginum. p.489.c.2

Virginitas eſt duplex, & quænam intercedat inter vtramque differentia. ibid.

Virginitatis illibatæ deſcriptio elegans, & præclara; cuius, vide ſeriem, & tenorem. p.490.c.1

Virginitatis illibatæ decus, & conditiò ſtatus alios excedit in aliquo. ibid.

Virginitas illibata velut philtrum valde potens, è cælo Deum traxit. p.490.c.2

Virgines illibatum conſeruando decus ſuum, in quo Angelis præſtantiores ſint. ibid.

Virginum tituli illuſtres, laudes, & encomia luculenta, quorum aliqua vide ibid.

Virgines, quæ intemeratæ vitam agunt ſtipant cæleſtia agmina Angelorum. ibid.

Virgines quæ integrum ſeruauere decus habent aliquid in cælo præ aliis. ibid.

Virginitas intemerata cælum replet multis Sanctis virginibus. p.554.c.2

Virgo vitam agens intemeratam, vt congruit eius ſorti, eſt Sanctum Dei templum. ibid.

Virgo intemerata Deo chara loca omnia ſanctificat in quibus illa degit. ibid.

Virgo dedignata viri hymenæos, magno lucro reportato Dei fit ſponſa. p.554.c.2

Virginum quæ intemeratæ viuunt quotidiana gaudia ſunt de Chriſto. p.557.c.1

Virginis cuiuſdam heroinæ Deo conſecrandæ, grauis olim lucta fuit cum parentibus. p.491.c.1

Virginitas illibata à Chriſtianis exculta, fuit etiam venerationi Barbaris. ibid.

Virgines Veſtales olim famoſæ; procul ſunt à merito virginum Chriſti. p.490.c.2

Virginitatis, & matrimonij comparatio bellè probat virginitatis excellentiam. p.491.c.2

Virginitatem tanti fecere Gentiles, vt Euclia Virgo Dea ſit habita ab illis. p.490.c.2

Virgines olim potuerunt ex ſingulari prærogatiua locum habere in ludis Olympiis. p.491.c.1

Virginum quæ intemeratæ diu viuunt oportet eſſe robur ſingulare corporis, & animæ. p.491.c.2

Virginitatis illibatæ, & probatæ priuilegia multa; quorum aliqua vide p.492.c.1

Virginitatis intemeratæ decus, ſeu excellentia fusè deſcribitur. ibid.

Virginitatis illibatæ ſingulare decus exprimitur egregio emblemate. p.493.c.1

Virginitas intemerata procul agit à ſe otium, vt ipſi infenſum. p.493.c.2

Virginum quæ ſe totas conſecrauere Deo, cura ſola de Deo eſt. ibid.

Virgo volens nubere miſera eſt, & excidit omnibus priuilegiis hominum. ibid.

Virginitas mentis, quænam ſit, & quantum alteri emineat. p.492.c.2

Virgo Deo conſecrata ſolo Deo contenta vitam agit innoxiam, & iucundam. p.494.c.1

Virgo ſuum illibatum ſi vult ſeruare decus, timeat videri. ibid.

Virgo ſuæ vt conſulat puritati, & ſuſpicionis omnem anſam auferat, velare debet faciem. ibid.

Virginis intemeratæ quales eſſe debent congruæ veſtes. ibid.

Virginitatis illibatæ fidelis animæ commercium cum gratia Dei. p.494.c.2

Virginum quæ ſe totas conſecrauere Deo, & Angelorum comparatiò. p.553.c.2

Virgines conſecratæ Deo, qua ratione Deum concipiunt. p.554.c.1

Virginia ſanguine claro ſata, contra morem nupſit homini plebeio. p.615.c.1

Virtus quid ſit, & quomodo definiatur apud Philoſophos. p.506.c.2.& p.518.c.1

Virtutis imperiò ſubſunt omnia ardua facinora, quæ ab homine perpetrantur. p.5.c.2

Virtus moralis propriè quid ſit, & quomodo ab alia diſtinguatur. p.6.c.2

Virtutis ſemina eſſe nobis inſita, à natura, quibus rationibus conſtare queat. p.25.c.1

Virtutum omnium acquiſitionem, quinam obices remoreantur. p.62.c.2

Virtus multis actibus acquiſita poteſt corrigere indolem iniquam. p.63.c.2

Virtus fortior eſt in homine, qui ſortitus eſt à natura prauam indolem. p.63.c.2

Virtus vt ex ſe bona eſt, & homini congrua, ita nequit ab homine odio haberi. p.68.c.2

Virtutes an ſint homini inſitæ, aut humana induſtria comparatæ. p.124.c.1

Virtutis & doctrinæ orthodoxæ nexus eſt indiuiduus. p.125.c.1

Virtutes Theologales ſunt ſuperioris ordinis, ideoque nequit homo illas induſtria propria comparare. p.285.c.2

Virtutis ſtudioſi ſunt generoſi, & apti ad facinora ardua perpetranda. p.481.c.2

Virtus vera & ſincera, quænam ſit, & quomodo à ſpuria diſcernatur. p.507.c.1

Virtutis energia præcipuè patet, quando vi eius vitia profligantur. ibid.

Virtus vera quales potiſſimum effectus ſalutares in anima ſortiatur. p.508.c.1

Virtutis influxus in animam quo præuio apparatu, & qua ratione fiat. p.508.c.2

Virtus vt eſt generoſa, ita ſuos cultores omnes feruentes efficit. ibid.

Virtus vt eſt ſuperior omnibus anguſtiis, ita lædi nequit. p.514.c.1

Virtutes omnes cuiuſcunque generis ſint, ſunt intellectuales, vel morales. p.544.c.2

Virtus à quibuſdam definitur, habitus moralis electiuus. p.545.c.1

Virtus vbi, & quibuſnam mediis congruis, ab homine comparetur. p.546.c.1

Virtutis exempla conſcios homines alliciunt ad virtutis cultum. p.594.c.1

Vitam hanc non eſſe plus nimio diligendam, quanam ratione liquet. p.531.c.2

Vitij cum ſerpente comparatio præclara, cuius vide rationes. p.124.c.2

Vitij vt nequitiam, & noxios animæ effectus reſcias. Vide ſupra PECCATVM

Vmbræ dicebantur olim homines, qui non inuitati ſe epulis ingerebant. p.357.c.2

Vnguenta ſolebant adhiberi poſt ſolennes, & publicas epulas. p.411.c.1

Vnionis intimæ, & ſtrictæ cum Deo effectus, quanam

fint

ſint beneſici,& ſuaues. p.405.c.2
Vnio quot modis ſumatur in ſcholis Philoſophorum, & Theologorum. p.235.c.2
Vnio intima, & arcta Dei, quaſnam cautiones ab homine præ requirat. ibid.
Vnum eſſe perinde ſonat ac eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum ab aliis. p.286.c.1
Vnus,& perfectus voces ſunt ſynonymæ,quæ idem ſignificant. ibid.
Voluntas vt feratur in aliquod obiectum, præſupponit cognitionem eius. p.65.c.2
Voluntas humana debet ex debitó; cum voluntate Dei conuenire. p.207.c.1
Voluntatis humanæ cum diuina conformitas,quàm excellens ſit. ibid.
Voluntatis bonæ laudes,& encomia præclara, quorum vide ſeriem,& tenorem. p.256.c.1
Voluntas bona, quoſnam ſalutares effectus,in gratiam animæ ſortiatur. ibid.
Voluptas omnis, & præcipuè obſcœna, quare ſequaces habet. p.507.c.1
Voluptuoſa vita, meretrix eſt ingloria, cuius miſeriæ deſcribuntur. p.547.c.2
Votum continentiæ coniugalis,quando fiat irritum. p.674.c.1
Vota puellæ quænam rationes faciant, & declarent illicita. ibid.
Vſura propriè quid ſit, & quomodo homines in hoc vitium incurrant. p.453.c.1
Vulpes animal aſtutum ingenuum eſt ſymbolum peccati. p.276.c.2
Vxores olim apud quaſnam Gentes, ſuis viris commonebantur. p.670 c.1

X

XAuerius vir Sanctus clarum Societatis IESV iubar, anhelus erat in cruces. p. 38.c.1
Xenia quid erant antiquitus, & vnde ſuam hanc nomenclaturam trahant. p.47.c.1
Xenia quotannis exigebat à Romanis Imperator Caligula. ibid.
Xenia præclara data Henrico IV. Regi Galliæ à quodam arcis præfecto. p.47.c.2
Xenia data Regi Henrico IV. Gallo, à Duce Sabaudiæ. p.48.c.1
Xenia data Duci Sabaudiæ ab Henricó IV. Regé Galliæ. ibid.
Xenia quænam Deus exigat ab ómnibus hominibus,& præſertim Chriſtianis. p.47.c.2
Ximenes in præmium veteris obſequij erga Regem Hiſpaniæ, nuncupatus eſt Cardinalis Hiſpaniæ. p.40.c.2
Ximenes Cardinalis debuit dignitatem ſuam Reginæ Hiſpaniæ. p.641.c.1

Z

ZAleuci Regis vox digna ſcitu, de nequitia, & importuna mole regni. p.52.c.2
Zeno Philoſophus poſt magnam iacturam opum, Deum laudat de caſu hoc infauſto. p.426.c.2
Zodiacus propriè quid ſit, & vnde ſuam hanc nuncupationem emendicet. p.40.c.2

ERRATA.

PAgina 69.columna 2.linea 26. *ſpeculem*, lege, *ſpeculémur*. p.100.c.1. l. 30. *cuis*, lege, *cus*. p.107.c.1. l.27. *ſuffragant*, lege, *ſuffragantur*. p.113.c.2. l.56. *pauperam*, lege, *perperam*. p.193.c.2.l.14. *pacificum*, lege, *ſacrificium*. p.234.c.1.l.69.*petera*, lege, *petora*. p.235.c.1.l.2.*confuſionem*, lege, *confeſſionem*. p.242.c.2. l.63. *iniuſta*, lege, *inuſte*. p.242. c.2. l.64. *arcens*, lege, *arcentem*. p.266. c.2.l.26. *ſpeculemus*, lege, *ſpeculemur*. pag.401. c.2. l.50. *muſtula*, lege, *muſtela*. p.434. c.2. l.38. *qua*, lege, *quæ*. p.443.c.1.in margine, linea penult. *aſylus*, lege, *aſylum*. p.655. c.1.l.21. *denotione*, lege, *ditione*.

F I N I S.

005646317